BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
42 - G
6

T. VI - 18 - 14

VIII 12

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. PATRIS

STEPHANI BAVNY

E SOCIETATE IESV.

THEOLOGIA MORALIS.

M. DC. XL.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

8.42.f.6

R. P.

STEPHANI BAVNY MOSOMENSIS,

E SOCIETATE IESV:

DE SACRAMENTIS AC PERSONIS SACRIS, EARVM DIGNITATE OBLIGATIONIBVS AC IVRE,

Iuxta ſacrarum literarum teſtimonia SS. Patrum ſententias Canonum ac Conciliorum ſanctiones.

Cum Summariis, Indice duplici, vno Tractatuum & Quæſtionum rerum altero.

THEOLOGIÆ MORALIS.

PARS PRIMA.



PARISIIS,
Apud MICHAELEM SOLY, viâ Iacobæâ ſub ſigno Phœnicis.

M. DC. XL.
Cum Priuilegio & Approbatione.

Digitized by Google



Digitized by Google

EMINENTISSIMO

PRINCIPI FRANCISCO DE LA ROCHE FOVCAVT

S. R. E. CARDINALI.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

QVI in laudibus maximis tuis, CARDINALIS EMINENTISSIME, ponunt vnde ortus ſis, quos honores & geſſeris, & geras, Virtutes illi tuas ignorant, omni cùm generis ſplendore, tùm dignitatis gradu maiores. Has verò qui deprædicant, te profectò ipſum neſciunt, quippe cùm in ſolâ rectè factorum conſcientiâ acquieſcas, nihil quàm rectè factorum commendationem ægriùs feras. Quanquam & fruſtrà tu es, qui prædicari de te nolis, & actum iſti agunt, id qui agere inſtituunt. An verò, vt mortales cuncti taceant, domus tua, nullo non tẽpore, ad opem peruia ſingulis, infinitæ tuæ, nec tamen loco vllo, aut hora definitę eleemoſynæ, regali à te manu, erogari ſolitę miſeris, noſocomia deploratis, xenodochia languidis, hoſpitia egenis, cellæ Religioſis, tẽpla ſuperis vel excitata, vel refecta, tot picta, tot marmorea, tot aurea opera, tot pretioſis Sanctorum

Digitized by Google

exuuiis illuſtria, parum te liberalem, munificum, miſericordem, pium eloquuntur? Adiri autem te aſſiduè, de grauiſſimis Eccleſiæ controuerſiis conſuli, diſceptatorem ac arbitrũ à Pontifice & Rege dari, ab ſummis & infimis, peræque ad res ſuas interponi, quid eſt aliud niſi voce publica omnium te communem defenſorem ac parentem pronunciari? Nam quæ priuatim, tot iam annos, de me mereris, quem tam amanter & paternè complecteris, quem adhibes tam comiter, cui congreſſum tuum, ac ſermones quotidianos, tam familiariter impertis, quo tuarum virtutum ſpectatore, ac teſte penè domeſtico vteris, tametſi ego intrà me premam, qui quàm me iſtis ſentio indignum honoribus, tam hiſce tuis cõmemorandis virtutibus, modeſtiam tuã onerari ſciam; Nonne res ipſa loquitur, Epiſcopi primùm Claromontanorum, tùm Syluanectenſium, magni nuper Franciæ Eleemoſynarij, denique, vt omnia complectar, Cardinalis Rupifucaldij benignitatem, affabilitatem, demiſſionem? Quare ſic habeto, aut retexendam tibi de integro vitam, quæ benè de omnibus merendo decurſa hactenus tota eſt, aut has deuorandas gratulationum, gratiarumque, ac laudationum eſſe moleſtias; In quo tamen effuſiſſimi quique ad laudandum, vſque eò parci meo quidem iudicio fuerunt, vt tua in homines beneficia, hoc eſt, emolumenta ſua meminiſſe contenti, quam ſis erga te reſtrictus, quam in vario ętatis flexu, idem ſemper, tuique ſimilis, quæ capita laudis duo erant vberrima, non attigerint. Cui enim, præſertim ſi attendat, qua nunc libertate, vel potiùs licentia viuitur, religio, & quædam quaſi teneritas men-

Digitized by Google

tis tuę, non admirabilis prorſus, & prodigij ſimilis videatur? qui non vt iſto loco plurimi, quę placēt, licere tibi putes, non vt pauci, quę licent tibi cuncta arroges, ſed vt vix nemo, ita ſummo tecum iure agas, ad viuūque acta ſingula tua reſeces, vt non ſuſpicionem modo delicti, verùm etiam vmbram tenuiſſimam, mortis inſtar putes, cumque quatenus progredi queas, non ignores, intra modum longè te contineas, fineſq; tibi quam arctiſſimos viuendi præſtituas. Iam quod virtutes tuæ, non nouæ, non nuperæ ſint, non neceſſitatis, aut ætatis, quod te ſenectus, non temperantem, non prudentem fecerit, ſed inuenerit, non virilis ætas, animo robur & conſtantiam addiderit, ſed ab adoleſcentia deinceps acceperit, quis nō videt tam glorioſum in te iſtud, quàm in aliis eſſe rarum? Quotus quiſque quam voles moratus, non ſibi aliquantùm in iuuentute indulſit, non ætate prouectior, plurimùm impegit, non aliquando emendationi locum dedit? Atqui de maioribus nātu ſic accepi, qui te nunc id ætatis vident, iuuenem noſſe, hoc eſt, pari tunc morum maturitate, pietatis ardore, moderatione in proſperis, æquitate animi in aduerſis extitiſſe. Atque hæc non tam eò dixi, vt laudes ab aliis, vel per ignorationem, vel propter multitudinem prætermiſſas ſupplerem, quam vt tibi facti mei, qui ſub nomine tuo auſpiciiſque, hunc prodire de Sacramentis, ac ſacrorum hominum iure, librum volui, rationem redderem. Quid enim conuenientius fuit, quam vt tibi te, intra legem adeo coercenti, legis præſcriptum quod adeo in omni vitæ tuæ ratione, ac varietate æquabili, & conſtanti, ratū fuit, fixum, & immobi-

le, ius & fas omne conſecrarem ? dumque fidem perpetuæ meę erga te obſeruantię liberare volo, quam tamen nolo eſſe liberam, ſed vſque tibi obſtrictam, Sacramenta quę tibi propono, fide non dubia ſubſcriberem ? Quam ſanè lucubrationem meam ſi probas, eoque animo excipis, quo offerri iampridem decuit, non me tuis meritis muneris aliquid rependiſſe, ſed nouum ex tuo iudicio beneficium recepiſſe arbitrabor.

EMINENTIÆ VESTRÆ

Seruus in Chriſto obſequentiſſimus
STEPHANVS BAVNY.

Ex Collegio Pariſienſi
18. Iulij anni 1640.

Digitized by Google

INDEX

TRACTATVVM ET QVÆSTIONVM

TRACTATVS PRIMVS, DE SACRAMENTIS IN Genere.

QVÆSTIO I.

Vid ſit Sacramentum. 1

II. An Sacramentum ſit ſignum & quale. 2

III. An de ratione Sacramenti ſit vt ſit ſenſibile. 4

IV. An in Sacramentis potior ſit ratio ſignificandi, quam cauſandi. ibid.

V. An Sacramenta eſſentialiter conſtent Rebus, Verbis, & quibus. 5

VI. An res in Sacramentis ſint ita determinatæ, vt mutari nequeant, & quæ mutatio Sacramenta inualidet. 6

VII Quantum ſit peccatum aliquid mutare in materia, forma, & ritu Sacramentorum. 8

VIII. Quot ſint Sacramenta. ibid.

IX. Qui ſint effectus Sacramentorum. 9

X. Quis ſit Sacramentorum cauſa efficiens primaria. 10

XI. An ad validitatem Sacramenti requiratur in Miniſtro intentio, & qualis. 11

XII. Quis ſit miniſter Sacramenti, quidque in eo ſit neceſſarium. 14

XIII. An intentio Miniſtri recta eſſe debeat, circa finem Sacramenti, & eius effectum. 15

XIV. Quid ſit neceſsitate præcepti in miniſtro ne peccet. 16

XV. An vt Sacramenta ſint valida oporteat eorum Miniſtros pios eſſe, bonos ac Religioſos. 17

XVI. An mali adminiſtrantes Sacramenta peccent. 18

XVII. Vnde oriatur in Miniſtro obligatio conferendi Sacramentum in gratia. 20

XVIII. An in Sacramentorum vſu liberum ſit miniſtro ſequi probabilem ſententiam relictâ probabiliore ac tutiore. 21

XIX. An Miniſter licite poßit indignis Sacramentum conferre. 22

XX. An excommunicatus ſententia Iudicis, aut ob notoriam Clerici percußionem, verum validum Sacramentum facere poßit. 23

XXI. Quid ſit neceſſarium ex parte ſuſcipientis Sacramentum, tam neceſsitate præcepti quàm Sacramenti. 24

XXII. Sintne Sacramenta ad ſalutem neceſſaria. 26

EPITOME TRACTATVS Precedentis, 27

TRACTATVS SECVNDVS, DE BAPTISMO.

QVÆSTIO I.

Quid ſit. 30

II. Quando Baptiſmus ſit à Deo inſtitutus in Eccleſia. 31

III. Quando Lex Eccleſiaſtica de Baptiſmo frequentando obligare cœperit. 32

IV. Quænam ſit materia Baptiſmi, quæ forma. 33

V. Quæ ſit forma Baptiſmi. 35

VI. An expreßio actus baptizandi, & perſonæ Sacramentum recipientis, ei ſit intrinſeca, & eſſentialis. 36

VII. An Baptiſmus collatus in nomine ſolius Chriſti ſit validus. 37

VIII. An Baptiſmus collatus repetito baptizandi vocabulo (hoc modo) Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus ſancti, ſit validus. 38

IX. *An particula*, Et, *pars sit essentialis formæ Baptismi.* 39
X. *An eximi possit è forma Baptismi, præpositio, in, absque eo quòd Sacramentũ pereat.* 40
XI. *An Baptismus collatus hac forma verborum*, Baptizo te cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto, *sit ratus.* ibid.
XII. *An validus sit Baptismus collatus in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque.* 41
XIII. *An Baptismus in solo Trinitatis nomine collatus sit validus.* ibid.
XIV. *An huius vocis* (nomen) *in aliam quamdam mutatio, Sacramenti certa sit irritatio.* 42
XV. *An trina immersio corporis in aquam Baptismo sit essentialis.* 43
XVI. *An Baptismus collatus in nomine trium principiorum vel genitoris, geniti, & Spiritus sancti, sit validus.* ibid.
XVII. *An Sacramentum Baptismi iterari possit.* 44
XVIII. *An Baptismus iterari circa eos debeat qui se baptizatos nesciunt.* ibid.
XIX. *An Latinus possit baptizare sub forma Græcorum* Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, *&c.* 46
XX. *An causæ partiales Baptismi esse multæ possint.* ibid.
XXI. *An Baptismus collatus hac forma*, Nos te baptizamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, *sit validus.* ibid.
XXII. *Quisnam sit Minister Baptismi.* 48
XXIII. *Dubia quædam explicantur de Ministro Baptismi.* 49
XXIV. *Vbi Baptismus sit conferendus & quando.* 50
XXV. *De suscipientibus Baptismum.* 51
XXVI. *Quæ conditiones requirantur in suscipiente, necessitate præcepti, vt legitimè, & sine culpa baptizetur.* 52
XXVII. *Qualis esse debeat Pœnitentia adulti suscepturi Baptismum; vt consentaneè censeatur ad eum dispositus.* 53
XXVIII. *An consensus parentum infidelium sit necessarius, vt validè eorum baptizentur liberi.* ibid.
XXIX. *An fictio, Baptismi effectum impediat in adulto, & quid ei à Confessario, cum sciuerit suadendum.* 54
XXX. *Baptismi effectus qui sint ac quales.* 56
XXXI. *Quæ sint Baptismi cæremoniæ.* 57

EPITOME TRACTATVS
præcedentis. 58

TRACTATVS TERTIVS
DE SACRAMENTO Confirmationis.

QVÆSTIO I.

Quid sit Confirmatio. 65
II. *An Confirmatio sit Sacramentum, & quando à Christo institutum.* ibid.
III. *Quænam sit materia Confirmationis remota.* 67
IV. *An ad substantiam Confirmationis pertineat, quòd oleum sit benedictum, & si hoc est ei essentiale, cuius est benedicere, & an oleo balsanum addi oporteat.* 69
V. *Quæ sit materia propinqua Confirmationis.* 71
VI. *Quæ verba constituant formam Sacramenti Confirmationis.* 72
VII. *Quis sit minister Confirmationis.* ibid.
VIII. *Quid sit Confirmationi essentiale ex parte eius, qui illam recipit.* 74
IX. *Quid ex parte suscipientis exigatur in hoc Sacramento, necessitate præcepti, ad vitandum peccatum.* ibid.
X. *Quinam esse possint sponsores Confirmati in hoc Sacramento.* 75
XI. *Qui sint effectus huius Sacramenti.* ibid.
XII. *Qui sint capaces huius Sacramenti, & quibus expediat illud ministrare.* 76
XIII. *An hoc Sacramentum veiterari valeat.* 77
XIV. *An hoc Sacramentum sit ad salutem necessarium.* ibid.
XV. *Quæ sint cæremoniæ, ritusque huius Sacramenti.* 78

EPITOME TRACTATVS
præcedentis, 79

TRACTATVS QVARTVS,
DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

QVÆSTIO I.

An Pœnitentia sit Sacramentum. 81
II. *Quæ sit materia huius Sacramenti.* 82
III. *Quænam sit forma huius Sacramenti, & in quibus præcisè verbis consistat.* 84

Digitized by Google

IV. *An abſolutio data verbis deprecatoriis aut ſcripto ſit valida.* ibid.
V. *An ſit de neceſſitate Sacramenti, vt abſolutio ſimpliciter detur, & abſolute, nulla ei conditione de futuro addita.* 85
VI. *Quænam hic requirantur ex parte formæ neceſſitate Sacramenti, & præcepti.* 86
VII. *Quid ſignificent hæc verba,* Ego te abſoluo. ibid.
VIII. *Quænam requirantur neceſſitate Præcepti ex parte formæ in hoc Sacramento.* 88
IX. *An abſolui poſſit, qui nutibus tantum ac ſignis, abſolui petit.* 89
X. *An pœnitens abſolui poſſit, qui cùm loqui nequeat, pectus percutit aut in cœlum oculos attollit, præſente, & ſpectante Confeſſario.* 90
XI. *An moribundus abſolui poſſit, qui confiteriſe velle dixit, aut ſigna doloris, abſente ſacerdote edidit.* 91
XII. *An abſolui poſsit, qui ob imperitiam linguæ explicare ſacerdoti non potuit, niſi vnum peccatum de multis quorum eſt conſcius.* 92
XIII. *An ſacerdos, abſolutionem pœnitenti impertiri debeat contra ſuam opinionem.* 93
XIV. *An abſolui poſsit qui eſt in proxima occaſione peccandi quam non vult omittere.* ibid.
XV. *An ſit abſoluendus qui ſæpe eandem culpam iterat.* 95
XVI. *An ſerui & ancillæ, qui operam nauant concubinæ, aut meretrici abſolui poſſint.* 97
XVII. *An abſolui poſsit pœnitens, de cuius peccatis ſacerdos memoriam non habet.* 98
XVIII. *An abſolutio data à dormiente, aut ignorante ſit valida.* ibid.
XIX. *An valeat abſolutio data ab eo, qui non habet titulum, quem tamen errore communi populi, habere creditur.* 99
XX. *An Sacerdos poſsit abſolutionis Sacramentum ei impertiri, qui alienum non reſtituit.* ibid.
XXI. *An peregrini abſolui poſsint in alieno Epiſcopatu, à caſibus qui ſunt reſeruati in ſuo.* 100
XXII. *An danda ſit abſolutio confitenti, ſæpe eadem peccata ſine ſpe profectus.* ibid.
XXIII. *An abſolutio data a bona fide à peccatis, & non à cenſuris, ſit valida.* 101
XXIV. *An abſolui debeat qui peccatum ſuum confeſſario non manifeſta, à quo iſti conſtat pœnitentem nunquam eſſe confeſſum.* 102
XXV. *An abſolutio data non ſubdito, cum ratihabitione de futuro valeat.* ibid.
XXVI. *An abſolui poſsit qui peccata ſua non eſt confeſſus niſi per litteras.* 103

DE ABSOLVTIONE caſuum reſeruatorum.

XXVII. *Quid ſit caſus.* 104
XXVIII. *Recenſentur caſus reſeruati Epiſc. Rom.* ibid.
XXIX. *Recenſentur caſus reſeruati Epiſcopis, ac locorum Ordinariis.* 105
XXX. *An præter caſus allatos dentur alij, qui regularibus ſint reſeruati.* 106
XXXI. *A caſibus reſeruatis, abſoluere quis poſsit.* ibid.
XXXII. *An præter Epiſcopum ſint in Eccleſia Dei alij, à quibus tam hæreſis, quàm cenſuræ Pontifici non reſeruatæ remitti poſſint.* 108
XXXIII. *An iniure Religioſorum mendicantium ſint caſus, quos Epiſcopi ſibi reſeruant.* 110
XXXIV. *An in mortis articulo quilibet à quolibet abſolui poſsit.* 111
XXXV. *An qui in mortis articulo abſolutur à cenſura, teneatur cùm conualuerit Superiorem adire, & ſi non facit, an vt ante, in eam reincidat.* 113
XXXVI. *Quomodo ſe Confeſſarii gerere debeant in caſibus reſeruatis.* ibid.
XXXVII. *An Superior abſoluere poſsit Sacramentaliter à ſolis reſeruatis, pœnitente remiſſo pro cæteris ad Parochum aut alium ſacerdotem approbatum.* 114
XXXVIII. *Liceatne per literas & nuntium abſenti confiteri, & ſi licet, an abſolutio abſente data valeat.* 115

DE CONFESSIONE.

QVÆSTIO I.

An Confeſsio ſit neceſſaria ad ſalutem. 116
II. *An ſit præceptum de Confeſsione obeunda in Eccleſia.* 117
III. *Quinam teneantur hoc præcepto.* 118
IV. *Quando iure diuino facienda ſit peccatorum Confeſsio.* 119
V. *Quo tempore, & anno obligare incipiat præceptum Eccleſiaſticum, de Confeſsione annua.* 120
VI. *An qui habet caſus reſeruatos teneatur in Paſchate eos confiteri ei, qui poteſtatem abſoluendi non habet.* 121
VII. *An præceptum Eccleſiaſticum Confeſsionis certum tempus habeat quo neceſſario ſit implendum.* ibid.
VIII. *An detur informis aliqua Confeſsio, & ſi datur, an per eam præcepto Eccleſiaſtico ſatisfiat.* 122
IX. *An Confeſsio neceſſariò debeat ore fieri.* 124

X. *An ſit tempus aliquod in quo oporteat confeſſionem iterari.* ibid.
XI. *An ab Eccleſia poſsit venialium Confeſſio præcipi, & de conditionibus ad eam neceſſariis neceſsitate Sacramenti.* 125
XII. *An omne mendacium in Confeſsione eam irritet.* 126
XIII. *An Confeſsio debeat eſſe integra & quomodo.* 127
XIV. *An circunſtantiæ peccatorum explicandæ ſint & quæ.* 130
XV. *Quæ ſint circunſtantiæ peccati ſpeciem mutantes.* 131
XVI. *An qui probabiliter putat ſe non peccaſſe mortaliter in aliqua re, aut ſi peccauit, de ea iam eſſe confeſſum, teneatur ſecundò confiteri, ſi dubitat aut cùm probabilitate exiſtimat id à ſe factum non eſſe.* 138
XVII. *An peccata dubia ſint explicanda & quomodo.* 139
XVIII. *A pœnitente & Confeſſario, confeſſionis integritas quid exigat.* 140
XIX. *An præcepto Eccleſiæ de confitendo ſemel in anno ſatisfiat, quando pœnitens doloſe mortiferum aliquod peccatum occuluit.* ibid.
XX. *Quæ ſint conditiones in Confeſsione neceſſariæ, neceſsitate præcepti.* 141

DE MINISTRO Pœnitentiæ.

QVÆSTIO I.

Quid ſit neceſſarium neceſsitate huius Sacramenti ex parte miniſtri. ibid.
II. *An præter poteſtatem quæ confertur Sacerdoti cum ordinatur, alia quoque ei ſit ad confeſsiones audiendas neceſſaria.* 143
III. *An qua explicantur alia quæ ſunt ex parte miniſtri neceſſaria neceſsitate Sacramenti.* 144
IV. *An vt valida ſit confeſsio oporteat Confeſſarium ab Ordinario approbatum eſſe.* 145
V. *Quinam ordinariam poteſtatem abſoluendi habeant, ac eam alteri delegandi.* 146
VI. *Quinam habeant iuriſdictionem delegatam tam à iure quàm ab homine.* 147
VII. *Quinam ex conſuetudine habeant iuriſdictionem in peccata.* ibid.
VIII. *Cui facienda ſit Confeſsio in Paſchate.* 148
IX. *An Epiſcopi poſsint quoties illis videtur reuocare approbationem Regularibus datam ad audiendas confeſsiones.* 155
X. *An Regulares poſsint ad examen reuocari à ſucceſſore eius Epiſcopi à quo ſunt approbati.* 156
XI. *An Regularis poſsit audire Confeſsiones, quando Epiſcopus eum non approbat, licet capacem & dignum.* ibid.
XII. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum iis qui myſteria fidei ignorant.* ibid.
XIII. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum ruſticis, aut pueris qui nunquam ſunt confeſsi, integrè, quia ignorabant ad id ſe teneri.* 157
XIV. *Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cùm abſoluit quem non poterat.* 158
XV. *Quomodò cum Concubinariis gerere ſe Confeſſarius debeat.* ibid.
XVI. *Quid faciendum cum iuuenibus & aliis qui frequenter peccant ex occaſione proxima quam ad id habent.* ibid.
XVII. *An artifici neganti artem ſe ſuam exercere poſſe iuſtè, & ſine fraude proximi, ſuadere oporteat, vt eam deſerat tanquam ſuæ damnationis cauſam.* 159
XVIII. *An Superiores poſsint ſibi eligere Confeſſarium extra Religionem.* ibid.
XIX. *An Superiores immediati poſsint ſubditis ſuis dare licentiam confitendi extra ordinem.* ibid.
XX. *An Epiſcopi extra Diœceſim poſsint ſibi eligere Confeſſarium de non approbatis ab Ordinario.* 160
XXI. *An Nouitii poſsint confiteri validè, cuilibet etiam ſæculari.* ibid.

DE SIGILLO CONfeſſionis.

QVÆSTIO I.

Quo iure indicta ſit ſacerdoti obligatio ſacri ſigilli, & quid ſit. 161
II. *Quænam cadant ſub ſigillum.* ibid.
III. *Quæ ſint conditiones neceſſariæ ad hoc, vt quid pertinere poſsit ad ſacrum ſigillum confeſsionis.* 162
IV. *Quinam teneantur obligatione ſigilli.* ibid.
V. *Quibus modis peccetur contra ſigillum.* ibid.
VI. *An ſit contra ſigillum dicere in aliqua vrbe committi grauia peccata, vel ad eruditionem alterius dicere, ſe occuriſſe tali peccato, & tali remedio.* ibid.
VII. *An ſit reuelare confeſsionem, pœnitentias, aut ieiunia, pœnitenti imponere, quæ ab eo fieri nequeant niſi publicè.* 164
VIII. *An quando crimen auditum in confeſsione vergit in damnum Reip. aut priuatæ perſonæ, dici poſsit tam Prætori vrbis, quàm eius cuſtodibus, vt ſibi caueant.* ibid.
IX. *An Confeſſarius faciat contra ſigillum, negando teſtimonium Confeſsionis auditæ ei, quem ob iuſtam cauſam aliquam non abſol-*

uit. ibid.
X. An teneatur ſigillo qui chartam reperit, in qua memoriæ cauſa pœnitens peccata, ſua ſcripſerat. ibid.
XI. An ſit contra ſigillum, remouere aliquem ab officio quo ſcitur ex eius confeſsione, indignus eſſe, aut ei cùm ſit electio, ſuum ſuffragium negat in capitulo. 165
XII. An ſit contra ſigillum loqui de peccatis pœnitentis cum aliis quibus ea probè nota ſunt. ibid.
XIII. An iudici interroganti de crimine rei, auditi in Confeſsione reſpondere Confeſſarius debeat. ibid.
XIV. An Confeſſarius non abſoluens pœnitentem, ob iuſtam cauſam, teneatur ad ſigillum. 166
XV. An qui finxit ſe Sacerdotem eſſe, cùm non eſſet, aut habere iuriſdictionem qua carebat, teneatur ad ſigillum. ibid.
XVI. An qui ex confeſsione Sponſi, aut Sponſæ nouit inter eos impedimentum aliquod eſſe matrimonium dirimens, teneatur obligatione ſigilli, illud non reuelare. ibid.
XVII. An ſit contra ſigillum negare Euchar. ei qui tam ex confeſsione propria, quam communi fama ſcitur eo beneficio indignus. ibid.

DE CONTRITIONE.

QVÆSTIO I.

Quid ſit & quomodo differat ab attritione. 167
II. An vt vera ſit contritio oporteat pœnitentem elicere hunc actum, volo non peccaſſe an potius, vellem. ibid.
III. An certum aliquod tempus exigatur quo contritio durare debeat ad remiſsionem culpæ. ibid.
IV. An contritio debeat eſſe ſumma in intenſione graduum ad effectum remiſsionis culparum. 168
V. An contritio requirat actuale propoſitum non amplius peccandi. 170
VI. An ad rationem contritionis requiratur, vt ſit de omnibus peccatis mortalibus. 171
VII. An contritio neceſſaria ſit neceſsitate medii ad ſalutem. 172
VIII. Quando obliget præceptum diuinum de contritione. ibid.
IX. An contritio Confeſsionem præcedere debeat. 174
X. An in Confeſsione dolor peccatorum, virtualis ſufficiat. 175
XI. An cum dolore ſufficienti ad hoc Sacramentum ſtare poſsit metus, aut opinio in pœnitente, quod in peccata vitæ præteritæ relabetur. ibid.
XII. An contritio includat in ſe motiuum ad deteſtandum omnia mortalia. ibid.
XIII. Quid ſit attritio. 176
XIV. An attritio fieri poſsit contritio. ibid.
XV. Quomodo contritio differat ab attritione. 177
XVI. Quodnam ſit obiectum materiale attritionis quod pœnitentiæ ſeu contritionis. ibid.
XVII. An dolor qui eſt pars Sacramenti pœnitentiæ naturalis eſſe poſsit. 178
XVIII. An attritio ſupernaturalis, quæ talis eſſe ſcitur, ſufficiat ad Sacramentum. ibid.
XIX. An ad valorem contritionis neceſſe ſit vt feratur circa omnia venialia de quibus quis eſt confeſſus. 179.
XX. Quinam ſint effectus pœnitentiæ. ibid
XXI. An peccatum vnum mortale poſsit ſine alio deleri per pœnitentiam. 181
XXII. Quomodo remittantur venialia. 182
XXIII. An præter virtualem illam diſplicentiam venialium, ſint aduerſus illa aliqua in Eccleſia remedia. 183

DE SATISFACTIONE

QVÆSTIO I.

Quid ſit ſatisfactio, & quotuplex. 184
II. An Satisfactio actus ſit virtutis, & cuius. 186
III. An ſatisfactio, poſsibilis ſit, & præcepta, & ſi eſt per quæ opera fieri debeat. 187
IV. An audiendi ſint qui dicunt, in arbitrio pœnitentis eſſe, hic aut in Purgatorio pœnam perſoluere, quæ cuique eſt debita pro ſuo ſcelere. 189
V. An Presbyter imperare pœnitenti poſsit, & debeat aliquid pœnitentiæ loco. ibid.
VI. Quando imponenda ſit pœnitentia, & an ante abſolutionem neceſſariò. 190
VII. An teneatur pœnitens ſub peccato mortali pœnitentiam iniunctam ſuſcipere, & ſuſceptam dependere. 191
VIII. An teneatur pœnitens ſub mortali implere pœnitentiam, ſibi pro venialibus impoſitam. 192
IX. An ſatisfactio eſſe poſsit de opere præcepto. 194
X. Quantæ pœnitentiæ imponi peccatori debeant. 195
XI. Quid in imperanda pœnitentia ſacerdoti ſit vitandum, quid ſequendum. 197
XII. An quem culpa aliqua graui irretitum tenet, Deo ſatisfacere pro pœna poſsit. 198
XIII. An pœnitentia facta in mortali, ſit ſufficiens, & ſatisfactoria, ſic vt eam iterari non ſit neceſſe. 199
XIV. An pœnitentia facta in mortali remiſ-

cat ad meritum recuperata gratia. ibid.
XV. An data & à pœnitente acceptata pœnitentia, tam à pœnitente, quàm Confeſſario mutari poſsit in aliam. 200
XVI. An iterari peccatorum confeſsio debeat, Vt pro iis impoſita ſatisfactio, commutari poſsit. 201
XVII. An ſatisfaciat pœnitentiæ, qui eam implet in re quæ iam præcepta erat. 202
XVIII. An pœnitentia poſsit pœnitenti imponi, quæ relinquatur facienda eius arbitrio. 203
XIX. An moribundis imponi pœnitentia debeat & quæ. ibid.
XX. An pœnitentia cum pœna quam ex opere operato remittit, gratiam quoque producat. ibid.
XXI. An pœnitentia facta in mortali, iterari debeat. 204
XXII. An Vnus alterius loco ſatisfacere Valeat. 205
XXIII. An peccati reus ſit cenſendus, qui pœnitentiam differt. 206
XXIV. An qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ, teneatur iterum confiteri, Vt ſatisfaciat præcepto Confeſſarij. ibid.
XXV. An pœnitenti identidem ad Sacramentum redeundi, noua ſemper pœnitentia imponi debeat. 207
XXVI. An quando pœnitenti, aliquod opus pro pœnitentia imponitur, intelligi debeat de aliquo, aliunde non debito. ibid.
XXVII. An Indulgentia ſummi Pontificis, pœnitentia tolli poſsit, aut minui à ſacerdote, pœnitenti iniuncta. 208
XXVIII. An fuerit vnquam talis Vlla pœnitentia, & quibus peccatis imponi ſolita. 209
XXIX. Quæ cuique peccato pœna publicè imponi ſolita. ibid.
XXX. Quotuplex fuerit pœnitentia publica. 210
XXXI. Qui fuerint eius pœnitentiæ, quæ ſolennis dicitur, ritus ac cæremoniæ. 211
XXXII. An Vt Eccleſia publicam pœnitentiam priſcis ſæculis in Vſu habuit, confeſsionem quoque eius generis aliquam agnouerit. 212
XXXIII. An quæ inſtituebatur publicè maiorum criminum Confeſsio ſacramentalis eſſet. 214

EPITOME TRACTATVS precedentis. 215

De Contritione. 223
De Confeſsione. 227
De Satisfactione. 232

TRACTATVS QVINTVS
DE SACRAMENTO Euchariſtiæ.

QVÆSTIO I.

Explicantur nomina, quibus appellatur Euchariſtia à Patribus & Scriptura. 238
II. Quid ſit Euchariſtia, & quale Sacramentum. 239
III. An Euchariſtia ſit Sacramentum, & ſi eſt, an in Vſu tantum ſit ſitum. ibid.
IV. In quo conſiſtat Sacramentum Euchariſtiæ. 240
V. An Sacramentum Euchariſtiæ ſit Vnum 241
VI. Ex parte materiæ in Euchariſtia quid ſit neceſſarium neceſsitate Sacramenti. 242.
VII. Quid ſit neceſſarium neceſsitate præcepti in hoc Sacramento ex parte materiæ. 244
VIII. Quænam requirantur in hoc Sacramento ex parte ſolius materiæ calicis, tam neceſsitate Sacramenti, quàm præcepti. ibid.
IX. Explicantur dubia aliqua facientia ad intelligentiam huius Sacramenti. 246
X. Euchariſtici Sacramenti quæ ſit forma, & quid ea exigat, neceſsitate tam præcepti, quam Sacramenti. 248
XI. Quæ ſint neceſſaria neceſsitate præcepti ex parte Miniſtri in Euchariſtia. ibid.
XII. Quis ſit Miniſter Euchariſtiæ ordinarius, quis ex commiſsione. 250
XIII. An Voluntarie, & ex deuotione communicanti, poſsit ſacerdos quilibet miniſtrare Euchariſtiam. 251
XIV. An ſit præceptum de Communione frequentanda in mortis articulo, illudque diuinum. 252
XV. Quando, & quo tempore communicare iure Eccleſiæ Catholici debeant. ibid.
XVI. An qui non communicauit in Paſchate, teneatur illud primo quoque tempore facere. 253
XVII. An qui præuidet ſibi circa Paſcha non fore integrum communicare, tempus hoc anteuertere debeat. 254
XVIII. An ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico de communione, per indignam, & factam in mortali. ibid.
XIX. An præceptum impleat Eccleſiaſticum, de Communione recipienda in Paſchate, qui illam die ſacro, Dominicæ cœnæ, dari ſibi Voluit à Religioſo, in Oratorio domeſtico, aut templo Regularium. 254
XX. Sit ne permiſſum Sacerdoti Religioſo,

ſuppeditare Euchariſtiam pro viatico, ei cui-
ius vita eſt deſperata. 257
XXI. *Quid ſit neceſſarium neceſſitate præcepti ex parte ſuſcipientis Euchariſtiam.* 258
XXII. *Explicantur quædam dubia circa præcedentia.* ibid.
XXIII. *An & quando liceat Euchariſtiam, Confeſſione non præmiſſa recipere.* 260
XXIV. *An Euchariſtia peccatori publico ſit adminiſtranda.* 261
XXV. *Quinam ſint peccatores publici, quibus deneganda ſit Communio.* ibid.
XXVI. *An non tantùm peccatoribus, ſed etiam de crimine ſuſpectis deneganda ſit Euchariſtia.* 262

DE SVSCIPIENTIBVS Euchariſtiam.

QVÆSTIO I.

A quibus recipi debeat. 263
II. *An Euchariſtiæ capaces ſint infames.* 264
III. *An iis danda ſit Euchariſtia, qui poſt vſum rationis inciderunt in amentiam.* 265
IV. *An amentibus perpetuis, dari Communio poſsit extra mortis articulum.* ibid.
V. *An ſurdi & muti à natiuitate, Euchariſtiam recipere valeant.* 266
VI. *An poſt actum coniugalem Euchariſtia peti poſsit ac recipi.* 267
VII. *Quo tempore, ac ætatis ſuæ anno, pueri teneantur communicare.* ibid.
VIII. *An liceat ſæpè communicare.* 268

EPITOME TRACTATVS præcedentis. 269

TRACTATVS SEXTVS.

DE SACRIFICIO Miſſæ.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Sacrificium. 281
II. *An in noua lege, ſit aliquod Sacrificium.* 282
III. *An Miſſa ſit hoc Sacrificium.* 283
IV. *In quo conſiſtat ratio eſſentialis ac intrinſeca incruenti Sacrificij.* 284
V. *Quomodo diſtinguitur hoc Sacrificium, à Sacrificio Chriſti.* 285
VI. *Pro quibus offerri poſsit Sacrificium Miſſæ.* 286
VII. *Qui ſunt à quibus ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium offertur.* 287
VIII. *An Sacrificium Miſſæ agat ex opere operato, & quid.* ibid.
IX. *Quale ſit hoc Sacrificium.* 288
X. *Quibuſnam ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ſuum fructum conferat.* 289
XI. *Quo in loco celebrari Miſſa debeat, & quomodo polluatur Eccleſia.* 290
XII. *An pollutæ Eccleſiæ polluantur Altaria.* 292
XIII. *Quomodo reconciliari Eccleſias oporteat & à quo.* ibid.
XIV. *An plures Miſſæ vno die dici poſsint, à non ieiunis, & quæ in Sacrificio vitari debeant.* 293
XV. *Quæ ſint ad ſacrum Miſſæ Sacrificium neceſſaria.* 294
XVI. *Quale, & ex qua materia Altare fieri debeat.* 298
XVII. *De reliquis neceſſariis ad Miſſam, & à quo veſtes ſacrari debeant.* ibid.
XVIII. *Quomodo veſtes & altaria, & per quid benedictionem amittant.* 300
XIX. *An veneratio debeatur locis ac vaſis ſacris.* 302
XX. *Quomodo occurrendum ſit defectibus Miſſæ.* ibid.
XXI. *Explicantur dubia quædam circa Sacrificium, & cætera, quæ videntur eſſe neceſſaria vt proſit.* 304

DE PRÆCEPTO AVDIENDÆ Miſſæ.

QVÆSTIO I.

Quid imperetur hoc præcepto. 305
II. *Quid ſit audire Miſſam.* ibid.
III. *An in præcepto celebrandi feſta contineatur aliud quam Miſſæ auditio.* 306
IV. *An ſit, & quale peccatum, die Dominico, aut feſto, ſacro non adeſſe, & an ad plures Miſſas ſit obligatio.* 307
V. *An teneantur omnes Fideles rem diuinam audire in propria Parœcia.* 308
VI. *An repugnet attentioni neceſſariæ ad Miſſam impletio pœnitentiæ, aut Horarum recitatio.* 310
VII. *Quæ ſint cauſæ ab auditione Sacri excuſantes.* ibid.
VIII. *An peregrinus teneatur audire ſacrum aut ſeruare feſtum peculiare loci in quo eſt.* 311
IX. *An præcepto de Miſſa audienda ſatisfaciat qui audit partem ex alia Miſſa, quam ex priore omiſerat.* 312

EPITOME TRACTATVS
præcedentis, 313

TRACTATVS
SEPTIMVS,
DE SACRAMENTO
Ordinis.

QVÆSTIO I.

Quid sit Ordo. 319
II. An sit distinctio Ministrorum & Ordinum in Dei Ecclesia. 320
III. An Ordo sit Sacramentum, & quotuplex. 321
IV. An quilibet Ordo sit Sacramentum. 322
V. An Episcopatus nouus sit Ordo distinctus à cæteris. 323
VI. De necessariis in hoc Sacramento tam ex parte materiæ, quàm formæ. ibid.
VII. An contactus realis materiæ Sacramenti Ordinis sit ad eius validitatem necessarius necessitate præcepti. 325
VIII. Quæ sit Sacramenti huius forma. 326
IX. De necessariis necessitate Sacramenti Ordinis ex parte Ministri. 327
X. Quid sit necessarium in hoc Sacramento necessitate præcepti, ex parte Ministri. 328
XI. De necessariis necessitate Sacramenti in ordine ex parte recipientis. 329
XII. Quid sit necessarium, necessitate præcepti in hoc Sacramento, ex parte recipientis. 330
XIII. Qui sint effectus huius Sacramenti. 331
Explicantur dubia quædam ad Sacramentum Ordinis pertinentia. 332

EPITOME TRACTATVS
præcedentis. 340

TRACTATVS
OCTAVVS
DE EPISCOPIS 346

QVÆSTIO I.

De Episcopis, eorum dignitas quanta. 347
II. An Ordo Episcopalis à Sacerdotali sit distinctus. ibid.
III. Quomodo olim Episcopi in Ecclesia creari solerent. 348
IV. De forma ac modo in Episcoporum promotionibus olim seruari soliti in Gallicana Ecclesia. 350
V. An ad electionem Episcopi, eiusdem confirmatio accedere debeat, & à quo peti eam oporteat, ibid.
VI. Electi ante consecrationem examen, à quo & de quo fieret. 352
VII. Ad quos, à Plebe deuolutum est ius eligendi Episcopi. 353
VIII. Quid fuerit olim, sitque modo in hac materia de creatione Episcoporum Gallis Regibus permissum, ibid.
IX. Quales esse, & quibus animi dotibus oporteat esse præditos qui eliguntur in Episcopos. 355
X. A quo, & quomodo consecrandus esset recens electus Episcopus, aut à Papa, postulante Principe creatus. 356
XI. Quæ sint in Episcoporum Consecratione adhibendæ cæremoniæ. 357
XII. Vbi, & quo die ordinandus sit Episcopus. 358
XIII. Quid in creatione Episcopi, eiusque Electione seruare Electores oporteat. 359
XIV. Quid electum Episcopum facere sit necesse vt plene dicatur possessor beneficij, ad quod est electus. ibid.
XV. De Episcoporum officiis. 360
XVI. An fidem profiteri Episcopus debeat, & quomodo. 362
XVII. An Episcopus teneatur visitare Diœcesim, & quomodo id eum facere sit necesse. ibid.
XVIII. Quos maxime, & an omnes visitare Episcopo conueniat. 364
XIX. De qua re maximè sit interrogandus Parochus, cum eum Episcopus visitat. 365
XX. An & quomodo Monasteria visitare Episcopus debeat. 366
XXI. An Capitulum & Vicarius visitare possint vt Episcopus. ibid.
XXII. An Episcopus visitare possit Monasteria exempta. 367
XXIII. De Episcoporum residentia. 368
XXIV. In qua explicantur quædam aliæ obligationes Episcoporum. 369
XXV. Synodi habendæ quænam causæ, & quo tempore indicandæ. 371
XXVI. Quinam interesse Synodo Diœcesanæ possint, & debeant, & quem locum tenere in sedendo. 372
XXVII. Res in Synodo tractandæ ab Episcopo quales. 373

DE EPISCOPI POTESTATE.

QVÆSTIO I.

Episcoporum potestas quæ, & quanta sit circa absolutionem à peccatis. 374
II. An potestas Episcoporum à Papa dependeat. ibid.
III. Quid Episcopus possit circa casus reservatos. 375
IV. An Episcopus absoluere possit ab hæresi occulta. ibid.
V. Quid possit Episcopus circa beneficia. 376
VI. Quid sit cathedraticum, & annillud exigere Episcopus possit, & à quibus. 379
VII. Quid sit deportus, & quorum Episcoporum proprius. 380
VIII. Quid sit procuratio, & an eius exigendæ Episcopi ius habeant. 381
IX. Quibus in rebus fieri procuratio debeat, & an semper sit debita. 382
X. Quibus ius Procurationis annuæ sit debitum. 383
XI. Explicantur dubia quædam pertinentia ad præsentem materiam. 384

DE FORO EPISCOPALI

QVÆSTIO I.

An de causis licitum sit Episcopo cognoscere, & quibus. 384
II. Quid possit Episcopus in cura Monialium, & quantum. 388
III. An Episcopo ius congruæ portionis competat. 389
IV. Quid Episcopo, circa testamenta tentare licitum? & an legatum vnum possit commutare in aliud. ibid.
V. Quid Episcopus possit circa bona incerta, & an eorum possessori liceat de ijs cum eo componere. 390
VI. Quid possit Episcopus circa indulgẽtias. 391
VII. Quæstio an legem Diœcesi ponere possit Episcopus, & si potest, an Decanum alioſque sui cœtus Canonicos super ea ad Concilium adhibere debeat: postremo an eius legis vis sit tanta tamque late patens, vt etiam in exemptos, vim suam exerceat. 392
VIII. An Episcopus aliquid possit contra canones. 394
IX. Quid Episcopo & quantum sit in vitiorum censura licitum. 395
X. Quid in Religiosos Episcopis licitum. 395
XI. In quibus casibus subsint exempti Episcopis. 396
XII. An Episcopus relaxare possit iuramentum metu extortum. 397
XIII. An Episcopus dispensare possit in votis Papæ reſ ruatis. 398
XIV. An Episcopus dispensare possit in executione voti reſeruati, aut de perſeuerantia in religione, quã quis eſt ingreſſus ex voto. 400
XV. An Episcopus vota quælibet commutare possit in alia. 401
XVI. An dispensare possit Episcopus in irregularitatibus & quibus. 402
An Episcopus possit dispensare cum iis qui subsunt Abbatibus habentibus iurisdictionem quaſi Episcopalem. 403
XVII. An Episcopus possit dispensare in lege Pontificis. ibid.
XVIII. An Episcopus dispensare possit in irregularitate proueniente ex mutilatione mẽbrorum iniusta. 404
XIX. Proponuntur dubia circa prædicta. ibid.

EPITOME TRACTATVS de Episcopis.

Cap. 1. Episcopi vnde dicti & quomodo appellati. 407
Cap. 2. Inter Episcopos aliqua est præeminentiæ ac dignitatis differentia. ibid.
Cap. 3. De quibus rebus examinari Episcopum oporteat antequam ordinetur. 409
Cap. 4. Quibus animi dotibus oporteat Episcopum esse præditum. ibid.
Cap. 5. Episcopi plebes sibi subiectas verbo debent & exemplo pascere. 410
Cap. 6. De Episcopi officio in visitanda Diœceſi. 411
Cap. 7. De Episcoporum officio ac iure circa Monasteria. 412
Cap. 7. De Episcoporum potestate circa beneficia. 413
Cap. 9. Episcopo quid cauendum in collatione præbendarum ibid.
Cap. 10. Episcopo non sit permissum, 406
Cap. 11. Episcopo quid sit licitum, 407

TRACTATVS NONVS, DE VICARIO ET OFFICIALI Episcopi.

QVÆSTIO I.

Quid sit Vicarius & quotuplex. 408
II. An in Vicarium Episcopi generalem aut magnum possit eligi quilibet. 409
III. In quo Vicarius generalis & foraneus inter se differant, & in quo conueniant. ibid.
IV. Vicary Generalis potestas quæ & quãta. 411
V. Potestas vicarii quomodo cesset & quãdo. ib.
VI. Quid in Generali commissione Vicariatus data per Episcopum censeatur iure non contineri. 413
VII. An Vicarius Episcopi sit Ordinarius. ib.
VIII. Quid intelligatur Archidiac. nomine. 414
IX. Archidiacono iure communi ac ordinario quid possint: ibid.

X. Quid non posſit Archidiaconus. 415
XI. Archidiaconis, quid ſit tàm iure, quam locorũ conſuetudine permiſſum pro procuratione ac inſtallatione beneficiarij in Gallia. 416
XII. Qualem eſſe oporteat Archidiaconum tam veteri canonum lege, quam recenti Trident. Synodi. 417
XIII. An iuriſdictio Archidiaconi ſit ordinaria. ibid.
XIV. An Epiſcopus præter Vicarium, Officiales habere debeat, vnum, aut plures. ibid.
XV. Quotuplex ſit Officialis, & ſi ſunt multi quid à ſeſe inuicem differant. 418
XVI. Quid ſit delegatio, quæ ad eam conditiones neceſſarię, & cuius ſit delegare. ibid.
XVII. An delegatis à Papa aut Epiſcopo ſubdelegare liceat. 419
XVIII. An Vicarius Epiſcopi & Parochus poteſtatem ſuam alteri delegare poſſint & an ab his delegati ſubdelegare valeant. 422
XIX. An qui ab Epiſcopo aut eius Vicario delegatam poteſtatem ad abſoluendum à caſu aliquo reſeruato habet ea vti poſſit in ſuum commodum, &c. 423
XX. Quomodo expiret poteſtas delegati. 424
XXI. An ſit verum delegationis eundem eſſe finem qui eſt delegati. 425
XXII. Quæ ſint dignitates quibus conueniat habere ſucceſſores, & à quibus cauere delegatum oporteat. 426
XXIII. Qualem eſſe, & quibus animi, ac eruditionis dotibus præſtare Officialem Specialem oporteat. 427
XXIV. An Officialis quem Specialem nominant ſit Ordinarius. ibid.
XXV. An ab Officiali appellari poſſit ad Epiſcopum. 428
XXVI. An Officialatus vendi poſſit, aut eius iuriſdictio ſine Simonia. ibid.
XXVII. An ſit in iure Epiſcopi, Officialem à ſe inſtitutum deſtituere. 429
XXVIII. De quibus cauſis Officiali cognoſcere non liceat. 430

TRACTATVS DECIMVS,

DE PRESBYTERIS ET Parochis.

QVÆSTIO I.

De Presbyterorum nomine, & an ſint ab Epiſcoporum diſtincti ordine. 431
II. Quando Apoſtoli Sacerdotes ſunt facti. 432
III. Presbyterorum obligationes, quæ & quales. 433
IV. An Sacerdos teneatur aliquando vti potestate conſecrandi quam habet Miſſamque dicere. 434
V. An ſint aliqui dies quibus operari ſacris Sacerdoti ſit veritum. 435
VI. An vni ac eidem Sacerdoti liceat eodem die ſacra plura facere. ibid.
VII. Qua diei hora Miſſam celebrare Sacerdotem oporteat. 436
VIII. An matutinam pſalmodiam reddere Deo oporteat ante Miſſam. ibid.
IX. An Sacerdos qui ſingulis, ſingulas promiſit Miſſas, vna ſatisfaciat omnibus. 437
X. An Sacerdoti ſit liberum precibus in ſacrificio Miſſæ vti quibuslibet. 439
XI. An operari ſacris quotidie teneatur Presbyter & quando. 440
XII. An Sacerdos poſſit ſine culpa plura à pluribus ſtipendia recipere pro eadem Miſſa, quando ſingula ad &c. 441
XIII. An ſit peccatum celebrare Miſſam ſine priuilegio, ante auroram, vel poſt meridiem, & quibus id ſit permiſſum. 442
XXIV. An ſacrum in æde priuata facere Sacerdos poſſit & quando. 443
XV. An faculi as, concedenda fidelibus, vt priuata ſibi habeant Oratoria, in quibus Miſſas, domi ſuæ audiant, abſoluta eſſe debeat. 444
XVI. An qui recepit ſe pro defuncto facturum ſacrum, anno integro, teneatur ſub peccato, quotidie offerre Sacrificium cum iis precibus, quæ pro mortuis dici conſueuere in Eccleſia. 445
XVII. An peccet Sacerdos dicendo Miſſam alibi, quam conuentum eſt inter illum, & conducentem eius operam. ibid.
XIX. Peccet-ne Sacerdos, orando ad altare in Miſſa ſine lumine. 446
XX. Quænam ſeruanda ſint in conſecratione auguſtiſſimi huius Sacramenti. ibid.
XXI. Quando tam Vaſa ſacra, quam Veſtes diuinis officiis addictæ, amittant &c. 448
XXII. Explicantur alia, quæ ad decentem Miſſæ celebrationem ſunt neceſſaria. ibid.
XXIII. Ad digne Celebrandum quænam diſpoſitio, requiratur in Presbytero. 449
XXIV. An Miſſa Concubinarij notorij audiri poſſit. 450
XXV. An Sacerdos, qui propter morbum, rem diuinam celebrare non poteſt, poſſit ipſe manibus ſe ſuis communicare. 451
XXVI. An Sacerdoti ſacrificare liceat, ſine confeſsione præuia. 452
XXVII. An Sacerdos cui nulla cura animarum incumbit, poſſit rem diuinam facere cum peccato mortali, quando nullum habet cui confiteatur antequam ſe tam ſacro ac cœleſti operi accingat. 453
XXVIII. An qui habet Caſus reſeruatos de quibus abſoluere non poteſt Ordinarius loci

Digitized by Google

vbi versatur, possit iis non remissis, celebrare. ibid.
XXIX. An qui alicui, pro sacro dicendo quotidie, operas suas addictas habet, teneatur pro se substituere alium aut supplere, si per infirmitatem aut aliam causam, promissis non stetit. 454
XXX. An Clericus Peregrinus possit in aliena Diœcesi celebrare. 455
XXXI. An Sacerdos peccet infundendo pusculum aquæ, in calicem v. c. octo aut nouem guttas. ibid.
XXXII. An aqua admiscenda vino in Eucharistia naturalis esse debeat. 456
XXXIII. An Gutta aquæ, quæ sunt in calice, seiuncta à vino, censeri debeant consecratæ. 457
XXXIV. An quo die Sacerdos in pollutionem incidit, celebrare sine culpa valeat. ibid.
XXXV. An Sacerdos qui cum affectu ad peccatum veniale, aut euagatione animi voluntaria sacrificat, duplex peccatum veniale admittat, vnum irreuerentiæ contra Sacramentum, aliud attentioni, aut virtuti cui tale peccatum repugnat, oppositum. ibid.
XXXVI. An Castitas sit coniuncta Sacerdotio. 459
XXXVII. An contra leges fundati beneficij Missarum numerus à Sacerdote possit immmui. 461

DE PAROCHIS.

QVÆSTIO I.

Quid sit Parochia. 463
II. Quomodo creandus sit Parochus. ibid.
III. An vnius eiusdemque Parochiæ duo esse possint. idid.
IV. Quibus instructum dotibus oporteat eum esse, qui vult fieri Parochus. 465
V. Quid Parochus, scire ex officio statuque debeat. 466
VI. An minor 25. annis possit Episcopo dispensante esse Parochus. 467
VII. An Parochialis Ecclesia suburbiorum in Gallia sit Graduato affecta, & si est facta alteri eius collatio, sit nulla. 468
VIII. An & quando Parochus fieri Presbyter debeat, & an iure factoque beneficio excidat ob non acceptum ordinem intempore. 469
IX. An audiendis confessionibus, possint à Parocho præfici quilibet, à suo Ordinario, aut alia approbati? 472
X. An mutuam sibi operam dare Parochi possint in Sacramentorum vsu. 473
XI. An & quoties Parochus teneatur officium missæ dicere. 474
XII. An teneatur Parochus quoties sacrificat facere pro plebe sibi commissa. ibid.
XIII. An quo die Parochus tenetur sacrum dicere, possit pro eo stipendium accipere à suo Parochiano aut alio. 475
XIV. An Parochus, aut alius, de salario aut eleemosynis sibi datis ab aliquo vt pro se curet fieri sacrificium, possit detrahere aliquid quod in vsus suos conuertat, maxime si tale stipendium sit longe maius quam communiter dari sacrificantibus soleat. ibid.
XV. An Parochus ignoto sacerdoti possit permittere vt sacrificium dicat in sua Parochia sine Episcopi venia. 476
XVI. An Parochi diuersorum Episcopatuum mutuam sibi dare possint operam in Confessionibus. ibid.
XVII. Quid possint Parochi circa casus reseruatos Ordinario. 478
XVIII. An Parochus peregrinorum & viatorum confessiones excipere possit in Paschate. 479
XIX. An Parochus debeat administrare sacramenta toties quoties postulantur. ibid.
XX. Quibus sub culpa mortali Sacramenta negare Parochus debeat. 480
XXI. An Parochus sibi sine consensu Episcopi substituere possit vicarium, qui suorum confessiones audiat & sacramenta administret. 481
XXII. Quem modum tenere Parochum oporteat in absolutione manifesti vsurarij. 482
XXIII. An omnibus Parochis & Parœciis adiuncta sit obligatio suscipiendi presbyterij intra annum. ibid.
XXIV. An Parochus Patrinos alios ad leuandum puerum de fonte baptismi adhibere possit quam qui designati sunt à parentibus. 483
XXV. De officio Parochi circa matrimonium. ibid.
XXVI. An teneatur Parochus detegere impedimentum Matrimonij aliter sibi cognitum quam per Confessionem. 484
XXVII. An Parochus cui cognitum est impedimentum, quod ex ignorantia crassa, vir & fœmina contracturi nesciunt, teneatur sub peccato de illo eos certiores facere, ac à contrahendo dehortari. 485
XXVIII. An teneatur Parochus populum è superiori loco per se aut alium instituere & qua lege. ibid.
XXIX. An Parochus possit quemlibet idoneum admittere ad concionandum. 486
XXX. Quanti temporis commoratio in Parœciæ finibus sit necessaria vt quis censeatur eius membrum esse & Parochianus seu Parochi subditus quoad sacramenta. 487
XXXI. Parochi ad concionandum populo quæ sit & quanta obligatio. 488

XXXIII. *An præter obligationes, quæstione 5. narratas, & alias Parochus habeat.* 489
XXXIV. *Quo iure & sub qua obligatione teneantur residere Parochi in loco sui beneficij.* ibid.
XXXV. *An Parochus ministrare Sacramenta teneatur peste infectis.* 491
XXXVI. *An Parochus necessaria lege teneatur dicendi horas canonicas.* 492
XXXVII. *Quæ sint & qualia iura Parochi, & an quarta funeraria illi sit debita.* 493
XXXVIII. *Quid sit Portio congrua, & an sit Parocho debita.* 494
XXXIX. *In quibus rebus assignanda sit hæc portio.* 495
XL. *An tam dona propinquorum, quam Patrimonialis possessio, computari debeant, in portione congrua.* ibid.
XLI. *De oblationibus, & an factæ in alia Ecclesia quam Parochiali, sint tamen Parochi.* 496
XXXXII. *De iure Parochi quoad Matrimonium.* 497
XLIII. *Quæ sint affectiones Parochiæ propriæ sumptæ.* 499
XLIV. *Quibus in rebus Parochiani subijciantur Parochiali Ecclesiæ.* 500
XLV. *An Parochi rationem exigere possint eleemosynarum, quæ fiunt xenodochiis suæ Parochiæ, aut pecuniæ datæ ad pia loca, Episcopo non probante aut consulto.* 501
XLVI. *An & quid Parocho pro sepultura exigere sit concessum sine Simonia.* 502
XLVII. *An funalia pannique mortuo instrati debeantur Parocho, & an de iis redimendis cum eo defuncti hæres transigere sine culpa valeat.* 503
XLVIII. *An Parochus qui à residentia excusatur studiorum causa, peccet si sine Episcopi facultate abscedat à Parochia.* 504
XLIX. *An Parocho vendere sibi oblata liceat sine peccato.* 505
L. *An Parocho succedere eius propinqui possint ac debeant.* ibid.
VLT. *An sit permissum Parochis iure communi in reos excommunicationis sententiam dicere.* 507

DE PAROCHORVM IVRE circa decimas, ibid.

I. *Quid sint decimæ & quota pars fructuum sit pro illis danda.* 508
II. *Decimæ quibus sint soluendæ.* 509
III. *A quibus sint præstandæ decimæ prædiales.* 510
IV. *An clerici teneantur ad decimas.* 511
V. *An Religiosi decimas debeant peræque ac laici.* 512
VI. *De quibus rebus exhiberi decimas oporteat.* 513
VII. *An Laicis ius decimarum concedi valeat.* ibid.
VIII. *An decimæ dari laico possint in feudum.* 514
IX. *Quale peccatum sit decimarum defraudatio.* 515
X. *Quo iure decimæ debitæ sint ministris Ecclesiæ.* ibid.
XI. *An Laici consuetudine à præstandis decimis possint eximi.* 517
XII. *Cui tribuendæ sint decimæ novalium.* 518
XIII. *Quomodo cessent decimæ.* 519
XIV. *Quæ sint pœnæ non soluentis decimas.* 521

TRACTATVS VNDECIMVS.

DE ABBATIBVS, CANONICIS Et Clericis.

QVÆSTIO I.

Quid sit Abbas & quotuplex. 522
II. *Abbatum quis sit Superior.* 523
III. *Qualem eum esse oporteat qui in Abbatem suffragiis communibus eligitur.* ibid.
IV. *Cuius sit electum Abbatem confirmare.* 525
V. *Quo die Abbates benedici debeant.* 526
VI. *Abbatis authoritas quæ sit & quanta.* ibid.
VII. *Abbati tentare ac facere quid sit Canonica lege prohibitum.* 529
VIII. *An possit Abbas contumacem Monachum Monasterio extrudere.* 530
XI. *An Abbas sit Prælatus & Ordinarius.* 531
X. *Abbatum obligationes quæ sint, quales, & quantæ.* 532
XI. *Explicantur dubia quædam ad Abbatis electionem spectantia.* 534

DE CANONICIS.

I. *Vnde Canonici nomen suum trahant.* 538
II. *An Canonici omnes sint vniusmodi.* 538
III. *Quid Canonici honorarij & asciti differant ab iis qui simpliciter & absolutè sunt tales.* 539
IV. *De Canonicorum ætate & aliis eorum qualitatibus.* 540
V. *An Canonici in Episcoporum iure sint ac potestate.* 542

VI. *Quæ & quantæ ſint Canonicorum Obligationes hoc tempore.* 543
VII. *Ad quid præterea tam iure nouo quam veteri cenſeantur Canonici.* 544
VIII. *An Canonicus obligetur ad horas.* 545
IX. *An Canonicatus cui ex fundatione Ordo Sacerdotij eſt adiunctus, poſſit non Sacerdoti valide conferri.* 546
X. *An Canonicus quem Patronus ad beneficium primo vacaturum præſentauit, ſit pro tali habendus, cum poſtea Canonicatus primo vacans, ei conferetur.* 547
XI. *An Canonicus cui cauſa dubitandi ſuppetit, an vere ſit talis eo quod Canonicatum poſſeſſore vacuum Canonice non iniit, ad eum conſeruandum tueri ſe poſſit poſſeſſione triennali.* 548
XII. *An Canonicus qui beneficium pretio ſuum fecit, pro vero Canonico ſit habendus.* 549
XIII. *An pro Canonico ſit habendus, qui Indultarium pretio illexit ne ſuper Canonicatu quem obtinuit, indultum ſuum applicaret, aut applicato vteretur.* 550
XIV. *An Canonicus qui fidem expræſcripto Concilij, non eſt profeſſus, quo debebat tempore, reſtituere quidpiam Eccleſiæ debeat.* 551
XV. *An Canonico permiſſa ſit beneficij ſui reſignatio cum penſionis onere, exigendæ à propinquis Reſignatarij aut alijs, quos de ea poſt diſceſſum ſuum ſoluenda, vades conſtituet.* 552
XVI. *An obligatio reſtituendi Canonicus incurrit, omittendo horas, poſſit ab eo ſuppleri per eleemoſynas faciendas aut factas antea, de beneficij ſui fructibus.* 553
XVII. *An Canonicus ſic pſallere in choro debeat, vt ſi non faciat ea quæ pſallentibus inſtituto Eccleſiæ obueniunt, ſeruare poſſit.* 554
XVIII. *An Canonico qui ſine Epiſcopi facultate aliquanto tempore à ſuo beneficio abfuit, Canonicalis præbendæ fructus ſint debiti.* 557
XIX. *An liceat Religioſo Canonico Canonicatum ſuum reſignare.* ibid.
XX. *Cuius ſit conferre Canonicatus vacantes in Curia, Pontificis Romani an ordinarij?* 559
XXI. *Capituli auctoritas vacante ſede quanta ſit ac qualis?* 561
XXII. *An Capitulum Officiales & Beneficiarios poſſit deſtituere vacante ſede.* 563
XXIII. *Poſſitne Capitulum ſede vacante ſimplices beneficiorum reſignationes admittere.* 564
XXIV. *An Capitulum viſitare poſſit omnia Monaſteria Monialium ſede vacante.* 565
XXV. *An magnorum criminum rei, beneficijs ſuis, quorum collatio ad Epiſcopum ſolum pertinet, poſſint ſede vacante à Capitulo priuari.* 566
XXVI. *An Capitulum ſede vacante poſſit ab hæreſi abſoluere.* ibid.
XXVII. *Quid ſit prohibitum Capitulo facere ſede vacante.* 567

DE CLERICIS.

QVÆSTIO I.

De Clericorum nomine eorumque multiplici differentia. 568
II. *An Miniſtris Eccleſiæ, Clerici nomen, competat præ cæteris.* 569
III. *Per quid à Laicis fiat ad Clericorum ordinem tranſitus, & cuius ſit Tonſuram dare.* ibid.
IV. *Quæ ſint priuilegia iure Canonico Tonſuræ conceſſa.* 570
V. *Quæ ſint Clericorum obligationes & quales.* 571
VI. *An Canones de vitando mulierum contubernio præceptum contineant, & quale.* 573
VII. *Quæ ſint & qualia in quibus Epiſcopo præſtanda eſt à Clerico obedientia.* 574
VIII. *Ecquid præter numeratas obligationes, & alias Clericus habeat quas omittere ſit culpa.* 575
IX. *Ecquid oporteat Clericos Sacrorum ordinum, omnes eſſe cœlibes, ſeu quod dicunt alij, ecquid ſit eorum ſtatui cœlibatus annexus, & quo iure.* 576
X. *Quæ ſint pœnæ Clerici maiorum Ordinum qui cum ſacris ordinibus matrimonium contrahit.* 578
XI. *An qui vi aut metu Sacris ordinibus eſt initiatus, voto ſolennis continentiæ obſtrictus hæreat.* 579
XII. *An Clerici obligentur ad habitum & Tonſuram.* 580
XIII. *Diaconorum munera quæ ſint & qualia.* 583
XIV. *Diaconorum Obligationes quæ ſint & quales.* 584
XV. *De Subdiaconis.* 585
XVI. *Quæ ſint officia iure Eccleſiaſtico Clericis vetita.* 586
XVII. *An agrorum conductio permiſſa ſit Clericis.* 588
XVIII. *Quæ ſit pœna negotiantis Clerici.* 589
XIX. *An Clerico officium Tabellionis exercere in vrbe liceat.* 590
XX. *An Clericus medicinam profiteri queat.* 591
XXI. *An Clerico venari, aucupari & piſcari liceat.* 592

XXII. *An ad theatra ſpectanda, quæ ab aduenis, incoliſque, dantur ocioſo populo, coire poſſint Clerici.* 593
XXIII. *An Clerico beneficiario liceat de beneficij ſui fructibus aliquid tutori dare.* 594
XXIV. *An Clericus beneficiarius bona ſua omnia, Eccleſiæ, patre præterito legare poſſit.* 596
XXV. *An Clerico ludus ſit aleæ permiſſus & quid ei conſuli oporteat, cum in hoc ludi genere pecuniæ ſummam aliquam perdidit.* 597
XXVI. *An Clericis beneficiarium ius in beneficium initio male acquiſitum ſibi comparet, poſſeſſione triennali pacifica.* 598

DE CLERICORVM Priuilegiis.

XXVII. *Clericorum priuilegia quæ & qualia.* 600
XXVIII. *An interdum laico de cauſis Eccleſiaſticis cognoſcere liceat & quando.* 604
XXIX. *Quid habeat Gallia peculiare circa Clericos, eorumque iudicia.* 605
XXX. *In qua agitur vt in priore de Regis ac regiorum magiſtratuum, in Clericorum cauſis diiudicandis, conſuetudine.* 609
XXXI. *Sint ne præterea alij caſus in quibus de Clericorum negotiis ſolita eſt cognoſcere Curia.* 611
XXXII. *Quo iure ſibi Iudices Regij Cauſarum Eccleſiæ diſquiſitionem ac cenſuram attribuant.* 613
XXXIII. *An Clericorum bona ſint ab exactione ſæcularium magiſtratuum libera.* 615
XXXIV. *An ſint aliqui caſus, in quibus Clerici teneantur ad onera publica.* 617
XXXV. *An Clericus coniugatus iiſdem priuilegijs gaudeat, quibus non coniugatus.* 619
XXXVI. *An oporteat Clericos admoneri vt abſiſtant à prohibitis per Canones antequam priuilegia fori & Canonis amiſiſſe cenſeantur.* 620
XXXVII. *Quo iure humano, an diuino, Clerici, à poteſtate ſecularium ſint exempti.* 621
XXXVIII. *An Clerici, ſaluo iure ſuæ immunitatis, ſoluere poſſint vectigal aliquod Principi, non coacti, ſed ſponte.* 623
Explicantur dubia quædam ad Clericorum immunitatem ſpectantia. 625

TRACTATVS DVODECIMVS, DE MATRIMONIO ET Sponſalibus.

QVÆSTIO I.

Quid ſit, & qui ritus in eo contrahendo ſeruari debeant. 635
II. *Quid ſint Sponſalia & vnde dicta.* 637
III. *Sponſaliorum quot ſint ſpecies.* 638
IV. *Quæ ſint impedimenta ſponſalium.* 639
V. *An taciturnitas filij & puellæ, ſit ſignum conſenſus in ſponſalia quæ alij eorum nomine contrahunt.* ibid.
VI *De effectibus Sponſaliorum.* 640
VII. *An Matrimonium per verba de præſenti contractum contra decreta Concil. ſaltem vim Sponſalium habeat.* 641
VIII. *A quibus, & qua ætate, ſponſalia poſſint contrahi.* ibid.
IX. *Ad quid obligentur ſponſi, vi ſponſalium.* 642
X. *Quid requiratur vt Sponſalia ſint valida.* 643
XI. *Explicantur dubia quædam circa ante dicta.* 644
XII. *An iniuſte à Sponſalibus reſiliens, teneatur ante omnem ſententiam ſoluere pœnam conſtitutam ei qui ſic reſilit, ac arrhas acceptas reddere.* 645
XIII. *Quibus modis Sponſalia diſſoluantur, & an Puberum, mutuo eorundem diſſenſu ſoluantur ac ceſſent.* 646
XIV. *Quomodo ſponſalia impuberum diſſoluantur.* 647
XV. *An ingreſſus in Religionem, ſponſalia irritet.* 648
XVI. *An votum Caſtitatis, aut ſuſceptio Ordinum, Sponſalia irritet.* ibid.
Explicantur dubia quædam circa ſupradicta, & primo, an qui poſt contracta Sponſalia, votum edidit caſtitatis, poſſit remanere in ſæculo. 647
XVII. *An fornicatio Sponſi aut ſponſæ, ius ſoluendi ſponſalia, det eorum alteri qui eſt innocens.* 649
XVIII. *An præter fornicationem ſint alia peccata quibus diſſoluantur ſponſalia.* 651
XIX. *An Sponſalia dirimantur per matrimonium ſubſequens.* ibid.
XX. *An quando vnus ex ſponſis eſt in mora, complendi Sponſalia, alter abſit ſit liber.* 652
XXI. *An dentur alij modi diſſoluendi Sponſalia.* ibid.
XXII. *An ſi Sponſa deformis fiat, &c.* 653

Digitized by Google

XXII. *An ſponſalia, diſſoluuntur in prædictis caſibus ipſo iure, vel Iudicis &c.* 654

SYNOPSIS TRACTATVS de ſponſalibus.

DE MATRIMONIO ſecundum ſe.

QVÆSTIO I.

Quotuplex ſit Matrimonium. 657
II. *An Matrimonium in noua lege ſit Sacramentum.* 658
III. *An Matrimonium, Sacramentum in lege veteri, ac innocentiæ fuerit.* 659
IV. *An Matrimonium poßit per Procuratores contrahi, & an ita contractum ſit Sacramentum.* ibid.
V. *Quæ conditiones cenſeantur neceſſariæ, vt per Procuratores, matrimonium valide contrahatur, ac licite.* 660
VI. *An ad validitatem matrimonij ſit neceſſe Parochum & teſtes videre inſtrumenta quibus Procuratori committitur poteſtas contrahendi nomine Domini,* ibid.
VII. *An ſecunda matrimonia &c.* 661
VIII. *An quando Infideles conuertuntur, eorum Matrimonium ſit Sacramentum.* ibid.
IX. *An infideli recenter ad fidem converſo liceat vxorem ſuam relinquere, propterea quod non conuertatur.* 662
X. *An Matrimonium hæretici cum Catholica, aut contra, ſit licitum, &c.* 664
XI. *An matrimonium ſit in Præcepto, & quis eius author.* 668
XII. *An Matrimonium ſit vnius &c.* 669
XIII. *An Polygamia ſit licita & ſi non eſt, quo iure.* 670
XIV. *An Matrimonium ſit indiſſolubile quoad vinculum.* 672
XV. *Quando matrimonium fidelium cenſeatur ſic conſummatum vt ſolui nequeat.* 674

DE MATRIMONIO VT EST Sacramentum.

QVÆSTIO I.

Quæ ſit cauſa effectiua Matrimonij vt eſt Sacramentum. 674
II. *Quæ ſit materia & forma Sacramenti Matrimonij.* 675
III. *De neceſſariis in Matrimonio tam neceſſitate præcepti quam Sacramenti.* 677
IV. *An Eccleſia potuerit conſtituere aliqua impedimenta dirimentia Matrimonium.* ibid.
V. *An Principes Seculares poßint conſtituere impedimenta quæ Matrimonium contrahendum impediant &c.* 678
VI. *An Conſuetudo poßit impedimenta dirimentia inducere aut tollere.* 680

DE MATRIMONIO QVOAD eſſentiam.

Quæ poſitiue requiruntur in Matrimonio, neceſſitate Sacramenti. ibid.
VII. *An interior Conſenſus vtriuſque coniugis ſit de neceßitate Sacramenti &c.* 681
VIII. *An conſenſus Coniugum exprimi verbis debeat.* ibid.
IX. *An conſenſus vtriuſque debeat ſimul exiſtere, vt matrimonium valeat.* 682
X. *An Matrimonium poßit ſine coniugum conſenſu ſubſiſtere, Deo aut Eccleſia &c.* 683
XI. *In quid ferri debeat conſenſus contrahentium, ſeu quodnam ſit &c.* 684
XII. *An oporteat coniuges conſentire expreſſe in fines matrimonij, eoſque intendere.* 685
XIII. *An Parocho conſtare debeat de partium conſenſu inter ſe.* 686
XIV. *An valide contrahant, qui putant, falſo tamen habere ſe aliquod &c.* ibid.
XV. *Quid conſulendum ſit ei, qui contraxit cum duabus ſucceßiue, cum ſecunda &c.* 687
XVI. *Quid conſulendum ſit coniugibus, cum adhibent in contrahendo verba dubia, & ad expreßionem mutuæ &c.* ibid.
XVII. *Quæ ſint ſigna ex quibus præſumere ſolet Eccleſia, fieri conſenſum de &c.* 688
XVIII. *An renouandi ſint ambo conſenſus contrahentium, quando accidit Matrimonium eſſe nullum, ex defectu &c.* ibid.
XIX. *An poſſint non legitimi Coniuges contractum repetere Matrimonij ante litteras diſpenſationis Roma acceptas.* 689
XX. *An conſenſus in matrimonium liber eſſe debeat & qua libertate.* ibid.
XXI. *An matrimonium factum cum conditione de futuro teneat.* 696
XXII. *An conſenſus parentum Matrimonio ſit eſſentialis ac intrinſecus.* 701

DE IMPEDIMENTIS Matrimonij quæ iuris ſunt naturæ.

QVÆSTIO I.

An pueri & amentes contrahere valeant. ibid
II. *An vis & coactio matrimonio &c.* 705
III. *An Matrimonium ex errore contractum ſit validum.* ibid.
IV. *Quomodo error conditionis matrimonium dirimat.* 705

V. *An Matrimonium valeat viuente prima coniuge.* 706
VI. *An ſit peccatum contrahere cum ſecunda viuente primâ.* 707
VII. *An mulier ſuo primo viro reddi debeat, ſi accidat eum domum reuerti poſt longam abſentiam.* 708
VIII. *An mulier quæ de viri morte nihil certum habet, nec vt certior fiat, vllam dat operam, debitum ſecundo viro reddere & viciſſim ab eo poſſit exigere.* 709
IX. *De impedimento impotentiæ, quid ſit & quotuplex.* 709

DE IMPEDIMENTIS QVÆ iure Eccleſiaſtico matrimonium dirimunt.

QVÆSTIO I.

An & qui ordines matrimonium dirimunt, contractum, & contrahendum impediant. 714
II. *An quando poſt ratum matrimonium ordinari ſe quis patitur, hoc ipſo diſſoluatur eius coniugium, & an teneatur Religionem ingredi.* 716
III. *De impedimento publicæ honeſtatis, quid ſit & vnde ortum habeat.* 717
De Impedimeneo duplicis Criminis. 718

DE IMPEDIMENTO raptus.

Quid ſit raptus, & quando impedimentum Matrimonio afferat. 720

DE IMPEDIMENTO cognationis.

QVÆSTIO I.

Quid ſit cognatio, quotuplex & quomodo dignoſci poſſit, quibus gradibus inter ſe contrahentes diſtent. 722
In quibus gradibus matrimonium conſanguineorum iure naturæ ſit nullum. ibid.
II. *An Matrimonia contracta in linea collateralium ſint irrita.* 724
De cognatione ſpiritali, in quo conſiſtat, & ad quem vſque gradum ſe extendat, quoad effectum diſſoluendi Matrimonij. 725
De impedimento affinitatis quid ſit & quotuplex. 727
III. *Ad quem vſque gradum affinitas iure Eccleſiaſtico matrimonium dirimat.* 729
De Impedimento cognationis legalis. 730
De Impedimento diſparitatis cultus. ibid.
De Impedimento voti. 731

DE MATRIMONIO Clandeſtino.

QVÆSTIO I.

An Matrimonia clandeſtina, id eſt ſine Parocho, & duobus teſtibus facta, ſint inualida iure naturæ. 732
II. *Quis in hac materia cenſeri debeat ordinarius & an matrimonium clandeſtinum habeat rationem ſaltem Sponſalium.* 734
III. *Qui teſtes & quot, ſint ad Validitatem matrimonij neceſſarij.* ibid.
IV. *Quomodo oporteat Parochum & teſtes matrimonio præſentes eſſe.* 735
V. *Cuius Parochi præſentia, aut licentia, ſit ad matrimonium neceſſaria.* 736
VI. *Qualis Parochi licentia ad Validitatem matrimonij ſit neceſſaria.* 738

DE REQVISITIS IN hoc Sacramento neceſſitate præcepti tantum.

QVÆSTIO I.

An ſit neceſſarium matrimonium promulgari antequam contrahatur. 740
II. *An cum ſponſi ad diuerſas Parochias pertinent, fieri in vtraque, denunciationes debeant.* 741
III. *Ad denunciationes omitti ſine culpa poſſint, & ad quem pertineat diſpenſare ne fiant.* 742
IV. *Quæ ſint pœnæ clandeſtinè contrahentium* 745
V. *An teneatur pater dotare filiam ſine ſuo conſenſu nubentem.* ibid.

DE IMPEDIMENTIS Matrimonii non dirimentibus, ſeu de iis quę in eo requiruntur negatiue, præcepti neceſſitate, & nihil amplius. 748

QVÆSTIO I.

Quinam poſſint diſpenſare in impedimentis matrimonij. 750
II. *Quæ ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis Matrimonij.* 751
III. *An in Matrimonio rato diſpenſare Papa poſſit.* 754
IV. *An Papa diſpenſare poſſit, vt proles nata ſit legitima.* 756
V. *Quibus modis fieri quis poſſit legitimus.* 577

De Matrimonij bonis ac effectibus. 758
De bonis Matrimonij. 759
De bono prolis. ibid.
De bono Sacramenti. 760
VI. *An & quatenus matrimonium possit dissolui.* 764
VII. *De Indissolubilitate matrimonij, An & quo iure matrimonium sit indissolubile.* 765

DE OBLIGATIONIBVS Coniugum.

I. *De diuortio an detur.* ibid.
II. *De causis inducentibus ad diuortium ad tempus.* ibid.
III. *An coniuges vltro, mutuoque consensu se iungi possint ab inuicem ad tempus, aut in perpetuum.* 768
IV. *Quæ sint crimina quæ faciant vni coniugum potestatem diuertendi ab altero.* 769
V. *An absque authoritate Iudicis Ecclesiastici vir vxorem nocentem queat à se dimittere, & cum illa diuortium facere.* 771

DE RECTO MATRIMONII vsu in redditione & petitione debiti.

QVÆSTIO I.

An vir & mulier aliquando teneantur reddere sibi debitum. 776
Quænam excusant à reddendo debito. 777
II. *Quem finem in reddendo debito, habere coniuges oporteat, & quomodo eius solutio, sit ex modo, illicita, ac mala.* 780
III. *Quomodo ratione damni, quod in vsu matrimonij includitur, mortaliter peccare quis possit.* 783
IV. *Sint ne alia præter supradicta, à quibus matrimonij vsus, reddatur illicitus.* 784
De minoribus impedimentis matrimonij, quæ in eo requiruntur negatiuè, necessitate tantum præcepti. 786

EPITOME TRACTATVS de Matrimonio.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Matrimonium, & quotuplex. ibid.
Cap. 2. *De Causis Matrimonij.* 788
Cap. 3. *Sacramenti Matrimonij quæ sit forma.* 789
Cap. 4. *Num omnes capaces sint contrahendi Matrimonij lege Canonica.* ibid.
Cap. 5. *Quæ sunt impedimenta Matrimonium irritantia.* ibid.
Cap. 6. *Metus, vis & error matrimonium contrahendum impediunt.* 790
Cap. 7 *A personis Matrimonium est nullum, quando & quomodo.* 791
Cap. 8. *Inter consanguineos non potest esse Matrimonium.* 792
Cap. 9. *Coniugatus viuente coniuge alteri iungi nequi.* 793
Cap. 10. *Inter raptorem & raptam nullum est Matrimionum.* ibid.
Cap. 11. *Quæ crimina Matrimonium impediant.* ibid.
Cap. 12. *De Impotentia.* 794
Cap. 13 *De aliis quibus prohibetur Matrimonium.* 796
Cap. 14. *Qui sint habendi pro illegitimis.* 797
Cap. 15. *De Diuortio.* ibid.
Cap. 15. *De ritibus Matrimonij.* 798

TRACTATVS VLTIMVS,

DE SACRAMENTO Extremæ vnctionis.

QVÆSTIO I.

Vtrum Extrema vnctio sit Sacramentum. 801
II. *In qua corporis parte fieri Vnctio debeat, & an vna sufficiat.* 802
III. *Quæ sit huius Sacramenti remota materia, quæ proxima.* 803
IV. *Quæ sit forma huius Sacramenti, & an necessario deprecatiua esse debeat.* 804
V. *Quid necessario necessitate præcepti forma exigat, vt sit à culpa vacua.* 805
VI. *De Ministro huius Sacramenti, & quid ex parte eius requiratur tam necessitate Sacramenti quàm præcepti.* 806
VII. *Quidnam in huius administratione Sacramenti, obseruari à Parocho oporteat.* 808
VIII. *Ex parte suscipientis hoc Sacramentum quid exigatur necessario vt sit ratum.* ibid.
IX. *An phrenetici & amentes Sacramenti huius sint capaces.* 809
X. *An sit præceptum aliquod, de recipiendo Sacramento Extremæ-vnctionis, & quam stricte obligans.* 810
XI. *Quando hoc Sacramentum essentialiter sit completum ad productionem sui effectus.* 811
XII. *Effectus huius Sacramenti, quot sint, & quales.* ibid.

EPITOME TRACTATVS præcedentis.

CAPVT PRIMVM.

Extrema-vnctio quid sit, & an sit Sacramentum. 813
Cap. 2. *Sacramenti Extremæ vnctionis quæ sit materia.* ibid.
Cap. 3. *Extremæ vnctionis forma quæ?* 814
Cap. 4. *De subiecto vnctionis.* ibid.
Cap. 5. *Extremæ vnctionis quis sit Minister.* ib.
Cap. 6. *De effectibus huius Sacramenti.* ibid.

FINIS.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOS infra ſcripti in Alma facultate Pariſienſi Magiſtri teſtamur legiſſe *Tractatum de Sacramentis, &c. Reuerendi admodum Patris Stephani Bauny Societatis Ieſu.* Opus doctum ſacrarum literarum Sanctorumq; Patrum varia eruditione plenum, in quo nihil notauimus quod non ſit Orthodoxæ Catholicæ fidei & optimis moribus conforme, ac ſacris Theologiæ ſtudioſis vtiliſſimum. In quorum fidem hoc teſtimonium manibus propriis ſcriptum dedimus Pariſiis 20. Februarij 1639.

Frater LAVRENTIVS DE LA MOTHE.
Frater SIMON ROGER.

EGO infra ſcriptus Claudius Muſier ſacræ Theologiæ Doctor teſtor me librum hunc, qui Theologicam Moralem doctrinam de re Sacramentaria continet, à R. P. Stephano Bauny Societatis Ieſu Presbytero, Theologico traditam & accuratè explicatam fideliter ac diligenter perlegiſſe, meque in eo nihil non Catholicæ atque Apoſtolicæ Romanæ fidei valde conſonum ac ſacrorum Canonum decretis conforme deprehendiſſe: quocirca dignum illum cenſeo qui in publicam & Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem in lucem edatur & typis mandetur. Datum Lutetiæ Calendis Februarij anno Chriſti Natiuitatis 1640.

CLAVDIVS MVSIER.

EGO Stephanus Binetus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Franciæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis, Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc Regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque eorundem permiſſione imprimant, permitto Michaeli Soly Bibliopolæ Pariſiis degenti vt librum qui inſcribitur *Tractatus de Sacramentis &c. à P. Stephano Bauny noſtræ Societatis Theologo*, compoſitum & eiuſdem ſocietatis grauium Doctorumque hominum iudicio approbatum ad proximos annos diuendere poſſit. Datum Pariſiis 21. Februarij 1639.

STEPHANVS BINETVS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS PAR LA GRACE DE DIEV, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes Ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenants, & tous autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, SALVT, Noſtre cher & bien Amé MICHEL SOLY, Marchand Libraire à Paris, nous a faict remonſtrer qu'il auroit recouuert vn Liure intitulé, *Tractatus de Sacramentis, &c. Compoſé par le R. P. Eſtienne Bauny, de la Compagnie de IESVS*, Auquel Liure il n'y a rien contre la Foy, bonnes mœurs, & Religion Catholique, Apoſtolique & Romaine, ains iugé digne d'eſtre Imprimé pour l'vtilité publique, ſuiuant les Approbations des Docteurs en Theologie de la Faculté de Paris, ſignées F. Laurens de la Motthe, F. Simon Roger, & C. Muſier, & l'acte du R. P. Binet Prouincial de la meſme Compagnie, cy attachez ſoubs le contre-ſeel de noſtre Chancellerie, lequel Liure il deſireroit Imprimer, ou faire Imprimer, vendre & faire diſtribuer, ce qu'il n'oſe faire ſans noſtre permiſſion, qu'il nous a fait ſupplier luy vouloir ſur ce accorder: A CES CAVSES, Auons audit Soly permis & permettons par ces preſentes, d'Imprimer, faire Imprimer, vendre & diſtribuer ledit Liure tant de fois, en tels volumes qu'il deſirera, & ce durant le temps & terme de dix ans, à compter du iour qu'il ſera acheué d'Imprimer: Faiſant tres expreſſes inhibitions & deffences à tous Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'Imprimer ou faire Imprimer, vendre, diſtribuer, ny extraire aucune choſe dudit Liure ſans le congé & conſentement dudit Soly, ſur peine de confiſcation des exemplaires qui auroient eſté mis en vente au preiudice des preſentes, & de mil liures d'amende, moitié à nous, & l'autre audit ſuppliant, & en tous ſes deſpens, dõmages, & intereſts: Voulons, & nous plaiſt, qu'en mettant vn Extraict des preſentes au commencement ou à la fin de chacun deſdits Exemplaires, elles ſoient tenuës pour ſignifiées & venues à la cognoiſſance de tous, à la charge de mettre trois Exemplaires dudit Liure, ſçauoir deux en noſtre Bibliothecque, & vn en celle de noſtre cher & feal Cheualier Chancellier de France le Sieur SEGVIER, à peine d'eſtre deſcheu du preſent Priuilege: SI vous mandons, & à chacun de vous enioignons que du contenu des preſentes, vous faciez ioüir, & vſer plainement, & paiſiblement ledit Soly, ou autres ayant droict de luy: Ceſſans, & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire: Et au premier noſtre Huiſſier ou Sergent requis faire pour l'execution des preſentes, tous Exploits requis & neceſſaires, ſans demander placet, viſa ne pareatis que ceſdittes preſentes, nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, priſe à partie, & Lettres à ce contraires: CAR tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant auſſi oppoſitions ou appellations quelconques, pour leſquelles, & ſans preiudice d'icelles ne voulons eſtre differé. Donné à Paris le dix-huictieſme iour de Mars mil ſix cens trente neuf, & de noſtre Regne le vingt-neufieſme.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL.

RENOVART.

Acheué d'Imprimer le dixhuictieſme Iuillet mil ſix cens quarante.

Digitized by Google



STEPHANI BAVNY

SOCIETATIS IESV PRESBYTERI

THEOLOGIA MORALIS DE SACRAMENTIS.

TRACTATVS PRIMVS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Sacramentum.

EST huius vocis (Sacramentum) vſus & poteſtas multiplex, 1. enim idem valet ac id quod in pœnam malè tentati iudicij auctoritate publici Magiſtratus pendebatur, Feſto teſte. *Sacramentum*, inquit, *as ſignificat, quod pœna nomine ſolvitur, id in aliis eſt* 50. *aſſium, in aliis quingentorum*, qua de re lege Papyrii Tribuni plebis eſt ſancitum his verbis, *Quicunque Prætor poſthac futurus erit, qui inter cives ius dicet, tres viros capitales rogato, bique quicunque erunt Sacramenta exiguntо.*

2. Sacramentum idem eſt quod iuramentum, quo olim ſe milites duci obligabant, quo ſenſu dictum eſt ab Horatio ode 1. l. 2. ſe non *perfidum dixiſſe Sacramentum*, id eſt periurum non eſſe, & Sacramentales, antiquis auctoribus hi erant, qui cum oculati teſtes non eſſent eius rei, cuius in iudicio veritas quærebatur, eam nihilominus cum iuramento affirmabant, ex eius animi ſententia, cuius res agebatur, eius ſolius probitate confiſi. Sacramentum ergo iuramentum eſt, profanis ſcriptoribus etiam & Catholicis. Ita Cyprianus gratulans martyribus quod vt erant Deo religioſè polliciti, in fide perſtitiſſent ad mortem vſque ſtabiles Sacramenti nomine vtitur. *Quale illud fuit ſpectaculum Domino, quam ſublime, quam magnificum, quam Dei oculis, Sacramento & militiæ eius donatione acceptum*, Epiſt. 9. ad Martyres & Confeſſores num. 2. & 22. q. 4. can. ſi Sacramento 11. & qu. 5. eiuſd. cauſæ can. paruuli 14. prohibetur ne periuri ad Sacramentum ſecundo admittantur, quod qui ſemel datam fidem fefellere, indigni videantur, quibus credatur etiam iuramento adhibito.

3. Sacramentum idem valet ac arcanum, religioſum & ſacrum, nec cuilibet promiſcuè peruium, nec vbi eſt cognitum, temerè vulgandum ad Eph. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ*, Sapient. 2. *neſciverunt Sacramentum Dei*, inde tranſlatum Sacramenti nomen, ad ſecreta Principum non facilè communicanda omnibus, Tob. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.*

4. Sumitur pro cæremonia, quæ Deo hominem conſecrat.

5. Pro ſigno rem ſacram ſignificante, ſiue quia illam continet aut efficit, aut ad eam quouis modo ordinatur: Sacramentum enim vt habetur 1. q. 1. can. multi ſæcularium, 84. *eſt in aliqua celebratione cum res geſta ita ſit vt aliquid ſignificare intelligatur, quod ſanctè accipiendum eſt*; & Sacramenti hoc modo ſumpti definitiones multæ ſunt ac variæ, communiores ſunt iſtæ, Sacramentum eſt *ſignum rei ſacræ*, *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma*, quæ definitio etſi ſit Auguſt. lib. 10. de Ciuitate cap. 5. & referatur à Gratiano de conſecratione diſt. 2. can. Sacrificium 32. mihi tamen non placet quod non conueniat Sacramentis antiquæ legis, quæ, nemo eſt tam ignarus ac Theologiæ rudis, quin intelligat, nunquam internam veram, ac ſanctificantem gratiam contuliſſe mortalibus. Mihi ad rem magis facere ſequentes videntur. Prima quæ eſt Hugonis lib. 5. de Sacram. parte 9. ca. 2. ſic habet *Sacramentum eſt corporale & materiale elementum, extrinſecus oculis ſuppoſitũ, ex inſtitutione ſignificãs, ex ſimilitudine repræſentans, ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem & ſpiritualem gratiã.* Si enim Sacramenta, vt præclarè ſcribit Auguſt. ad Bonifac. ep. 23. de Baptiſmo paruulor. quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non habe-

rent omnino Sacramenta non eſſent, & D. Thom. de Sacramentis tractans, illud ſcriptum reliquit in 3. parte q. 71. art. 1. ſenſibilia & corporalia, gerunt ſpiritualium & intelligibilium ſimilitudinem, ex his, quæ in vita corporali aguntur. Neque tamẽ per ordinem ad ea, ac habitudinem, Sacramentum definit, ſed ad effectum cuius eſt ea uſa. Sic enim tertia parte quæſt. 69. art. 3. & 4. cum ait Sacramentum nouæ legis eſſe inſtrumentalem cauſam gratiæ. Quæ ex conciliis, Florentino, Tridentino ac diuerſorum Patrum dictis, abſoluta Sacramenti definitio colligitur, eſt hæc, Sacramentum eſt cæremonia, ſeu ritus ſenſibilis, qui ex inſtitutione Chriſti, ſuo vſu, ſanctificando ſubiectum, gratiam internam in eo producit, ſeu, Signum ſacrum externum ac ſenſibile, à Chriſto in Eccleſia relictum, vt per id quiſque, Dei gratiam accipiat, & ſanctitatem internam. Sanè quod Sacramentum omne ſenſu aliquo vſurpari debeat, appellatur à Patribus in concilio Trid. Seſſ. 7. can. 2. *Ritus ac cæremonia exterior*, à Gregorio vt refertur 1. quæſt. 1. can. multi ſæcularium 84. *celebratio quæ accedit cum res ita ſit vt aliquid ſignificare intelligatur quod ſanctè accipiendum eſt.* Quod quia eſt ei eſſentiale, Sacramentum appellatur ab Auguſt. lib. de ciuitate Dei 10. cap. 5. *ſignum* & quidem *ſacrum*, vt ipſe loquitur in Epiſt. 5. ad Marcellinum, *Eò quòd inuiſibilis gratiæ viſibilis ſit forma*, de conſecratione diſt. 2. can. 32. id eſt vt ego interpretor res aliqua ſenſibilis ſanctitatem ac gratiam quæ percipi oculis nequit, repræſentans ac producens. Signum enim eodem Auguſt. teſte lib. 20. de doctrina Chriſtian. cap. 1. *Eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus aliquid aliud faciens in cognitionem venire, ſicut veſtigio viſo tranſiſſe animal cuius veſtigium eſt, cogitamus, & fumo viſo, ignem ſubeſſe cognoſcimus*, quæ cæremonia, ſeu ſignum ſacrum natura ſua poſtulat in ſenſus incurrere, *ſi enim incorporeus eſſes*, inquit Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum, *nuda Deus ipſe dona incorporea, tibi tradidiſſet, ſed quia corpori coniuncta eſt anima tua, ideò rebus ſenſibilibus tibi intelligenda traduntur.* Equidem cum Sacramenta, ſint veluti diuinæ quædam Teſſeræ, quibus in Chriſti militia, munire Deus nos voluit, ad hoſtium victoriam, eas huiuſmodi eſſe oportuit quæ ſentiri poſſent ac percipi; Quid? quod Authore Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. *In nullum nomen religionis coagulari poſſint homines, niſi aliqua ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur?* Ergo cum Sacramenta inſtituta ſint in Eccleſia à Chriſto vt omnes eandem in colenda auguſtiſſima Trinitate formam tenerent è re noſtra fuit, ac communi Eccleſiæ, huiuſmodi ſigna aperta eſſe, ac in plano poſita, ſic vt tangi poſſent ac videri. Additur *ſacra eſſe* quia per ea ὁ ἁγιασμὸς μεταδίδοται τῷ τοῖς ἁγίοις τὰ ἅγια δῶρα διαιμένοις, inquit Theod. Balſam. ad canon. 23. Synodi 6. in Trullo ob quam etiam cauſam ἁγία δωρεὰ ἁγιαὶ καλοῦνται τελεταί, λέγονται τὰ ἅγια, id eſt *Sancta donata à vulgo Sacramenta dicuntur.*

At enim cum ſignorum Auguſt. teſte de doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 1. alia ſint naturalia, alia data, quædam quibus homines duntaxat inter ſe, *ſua ſenſa communicant, aut intellecta*, vt idem habet cap. 3. alia quæ efficiunt id ipſum quod tranſmittunt in alterius animum, priorum ſignorum genus, quia ad notitiam ſolam refertur, ſpeculatiuum dicitur, poſterius practicum cum (inquam) ſit hæc diuerſitas in ſignis conſiderare oportet vtro modo Sacramenta ſint ſigna.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Sacramentum ſit ſignum & quale.

SCiendum primo ſignum authore D. Aug. 2. de doctrina cap. 1. *rem eſſe quæ præter ſpeciem ſui, quam ſenſibus ingerit aliud ex ſe facit in cognitionem venire.* 2. nec id latêre debet inter ſigna aliqua eſſe naturalia & phyſica, alia ex inſtitutione hominum: illa naturâ ſua rem enuntiant vt fumus latentem ignem, veſtigium, pedem ipſum à quo eſt impreſſum, hæc vero, ex ſola voluntate ſignificant hominum, ſic hœdera, in ea æde, in qua pendet, vinum vendi indicat. Signorum rurſus quæ ex placito ſunt hominum aliqua ſunt ex ſola inſtitutione, alia ex rerum ſimilitudine ad ſignificandũ accommodata, vt ablutio aquæ in Baptiſmo ſpiritualem animæ ablutionem ſignificat, & ſignorũ prioris generis rurſus aliqua ſunt profana, alia ſacra: hæc cultui numinis ſunt dicata, illa rem vulgarem denotant, nec ab hominum vſibus ſecretam. 3. Nec illud ſilendum eſt ſignum ſacrum dupliciter dici. 1. ratione materiæ. 2. ratione formæ. A materia habet, vt ſit ſignum ſacrum, cum res, quibus ſignum aduenit, ſunt Dei voluntate ſubductæ à turba profanarum, ac eius religionibus addictæ. Ratione formæ, ſignum eſt ſacrum, cum ipſamet ſignificatio Deum reſpicit, aut eius effectum aliquem indicandum hominibus ex deſtinatione eiuſdem Dei Principis, quem ſignum ipſum contineat, aut efficiat, aut ad illum ordinem aliquem habeat,

PRIMA ASSERTIO. *Sacramentum eſt ſignum.* Quid ita? quia Auguſtino auctore, & teſte eſt hæc ſigno vis inſita, voluntate ac inſtituto hominum, vt alterius rei, à ſe diuerſę notitiam, animo ingeneret, quod ſanè Sacramentis conuenit, cum aliud oculis, aliud animo ſubiiciant, hinc enim paſſi Chriſti memoriam imprimunt, vnáque gratiæ ideam, quam producunt, ſenſibus autem, rei patentis vt aquæ in Baptiſmo, externam imaginem repręſentant, quæ aqua elementi nomine, à Florentino Concilio appellatur.

Aſſertio 2. *Sacramentum naturale non eſt ſignum*, 1. quia ſunt Sacramenta religioſæ cæremoniæ modo cognoſcendi hominum accommodatæ, at naturæ cùm re diuina & cœleſti quid eſt commune? aut quale eſt in quo intercedere poteſt naturæ commercium cum gratia. Deinde modus naturalis cognoſcendi hominũ eſt in eo, vt ex his quæ patent, ſenſuque vſurpantur, animus ad ſpiritualia aſcendat, Dionyſio authore lib. de cœleſti hierarchia par. prima. *Nos* (inquit) *viſibilibus imaginibus ad diuinas intelligentias pro virium noſtrarum modo aſcendimus*, cui præter naturæ auxilia, nulla ſuppeditabantur alia diuinitus, aſſurgere ad Deum qui poteſt? Non ſunt ergo Sacramenta ſigna naturalia. Deinde ſigni naturalis, & effectus per illud ſignificati, naturale quoddam eſt vinculum, quo inuicem colligantur, ita enim Aug. cap. primo lib. ſecundo de doctrina chriſtiana his verbis. *Signa naturalia ſunt, quæ ſine voluntate, atque vllo appetitu ſignificandi præter ſe aliquid aliud, ex ſe cognoſci faciunt, ſicut eſt fumus ſignificans ignem, non enim volens ſignificare id facit ſed rerum expertarum animaduerſione, & notatione cognoſcitur, ignem ſubeſſe etiam ſi fumus ſolus appareat, ſed & veſtigium tranſeuntis animalis ad hoc genus pertinet.*

Atqui nulla neceſſaria eſt connexio inter aquam quæ puero ſuper infunditur in baptiſmo & gratiam, alioqui applicata cuilibet, etiam ſine miniſtri intentione, eam produceret, quod eſt falſum. 3. Quæ ex placito ſignificant, non habent naturalem ſimilitudinem cum

re significata, quid enim hederæ commune est cum vino, quod significat vendi in loco vbi est appensa? At Sacramenta sunt ex Christi placito, cum hic eorum sit author, non natura, eorum ergo significatio, naturalis non est. Proinde *Sacramenta signa sunt data duntaxat*, quibus à voluntate Christi & non à natura, producendæ gratiæ vis inest, in quantum hic eis, quasi instrumentis, ad eius collationem vtitur, aut verò si sunt tantum causæ morales, quia ex eiusdem, Deique Patris acceptatione, eorum exhibitioni infallibiter est annexa conferenda per Christi merita.

TERTIA ASSERTIO. *Sacramentum est signum practicum & speculativum simul.*

Pars prima probatur. Primo, quia per Sacramentũ seu eius vsum & applicationem sanctificantur fideles, ac veluti symbolo, seu notâ, ab alijs gẽtibus discernuntur, ergo in practicis signis locum habet, consequentia prob. Sacramentũ non sanctificat aliter quã faciendo quod significat, & detersâ labe omnis culpæ letiferæ, animum sanctificante gratia, ac virtutum maximarum copia implendo, quod est esse practicum.

Ab hac Sacramentorum efficientia nata sunt ista Theologorũ axiomata. Sacramentũ *est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt ipsius similitudinem gerat & causa existat.* Magister in 4. *Sacramentum nouæ legis est causa instrumentalis gratiæ.* D. Th. 3. par. q. 69. art. 3. & 4. Est ergo Sacramentum tam horum auctoritate hominum, quàm ratione, signum practicum.

Cõfirmatur. Quod de Sacramentis veteris legis, quæ nouæ fuit, velut vmbra ac figura, Paulus ad Galat. 4. asserit, ea scilicet fuisse *infirma & egena elementa*, de Euãgelicis dici tam ratio ipsa, quàm scriptura prohibet, At si hæc notæ sunt duntaxat, ac symbola externa gratiæ, quid valdè est in iis mirabile, quo antiqua caruerint? quid fructuosum ac illustre, quod impediat quo minus infirma dici possint (vt antiqua) & egena elementa? Talia verò non esse Paulus indicat, cum ad Ephes. 5. ait Christum dilexisse Ecclesiam, eam sanctificasse ac mundasse. *Lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et ad Titum 3. *Saluos nos fieri per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.* In his enim verbis quid aliud est Apostolo proposítum, quam quod est fide diuina certum, Baptismum esse veluti instrumentum quo Deus deleto in nobis peccato gratiam efficit? Hinc illud August. in Ioann. *Signa* Baptismi *corpus tangit & cor abluit.* Quibus tandem accedit Sacrosancti Concilij decretum, sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis, non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ gratiæ, anathema sit.*

Et quoniam est gratia naturâ suâ supernaturalis qualitas, res autem quæ in Sacramentis vsurpantur de ordine naturalium, patet Sacramenta gratiam per modum causæ principalis non efficere, sed instrumenti tantum ad hoc à Deo instituti, & moti. Nec refert quòd Sacramenta dicantur continere gratiam, id enim intelligi debet, non quasi gratia ipsa Sacramentis inexistat, sed quomodo res significata est in signo, & effectus in causa instrumentali.

Pars assertionis altera quæ est de signo speculativo, probatione non indiget, cum authore S. Thoma 3. parte q. 60. art. 3. Sacramentum sit signum Christi passi, gratiæ, ac beatitudinis æternæ non practicum, cum Christo vitam non adimat, nec passionem eius, & beatitudinem nostram immediatè efficiat, sed speculativum; hac tamen differentia, quod sit passionis Christi vt præteritæ commemorativum, gratiæ quæ infunditur demonstrativum, gloriæ denique posteà conferendæ signum prognosticum.

A QVARTA ASSERTIO. *Sacramentum est signum sacrum tam ex parte materiæ suæ quàm formæ.*

Probatur si Sacramenta statæ sunt ceremoniæ religionis Christianæ ex voluntate Dei ad eius cultũ promouendum in animis hominum institutæ, futura sunt haud dubiè tam ex parte materiæ, quàm formæ signa sacra, verum est prius. Maior probatur ex Tridentino sessione septima, can. secundo vbi dicitur Anathema asserentibus nouæ legis Sacramenta, ab antiquæ legis, non differre nisi quia alij sunt ritus, & ceremoniæ: supponit ergo Concilium, Sacramenta religionis Christianæ, cæremonias esse. Minor ostenditur, tam res ipsæ sumptæ materialiter, quàm ipsamet significatio, quæ est formalis signi ratio, sunt sacræ, cum earum finis, & obiectum formale est tale,
B quidlibet enim naturam suam, ac speciem à fine, obiectoque suo formali trahit, sed res quæ in Sacramẽtis subsistratæ sunt ipsorum significationi, finem habent spiritualem, ac sacrum nempe cum veneratione Dei ac honore, promotionem salutis nostræ, earum vsu, vt patet inductione facta per omnia Sacramenta: finis enim Baptismi est, absterſio peccati originis, Pœnitentiæ, actualis, aut actualium, Extremæ Vnctionis, eorum quæ in anima per obliuionem resident.

Quid? quod vel in primis facit ad Dei laudem & gloriam, quod qui societatem eiusdẽ religionis ac cultus, eo afflante coeunt, dignoscãtur à reliquis, fieri id verò Sacramentorum ope ac beneficio, docet Aug. lib. 19. cap. 2. contra Faustum, cum signaculorum, seu Sacramentorum visibilium consortio, inuicem colligari in
C verum religionis nomen, homines asserit.

Quod autem sit hoc queque signum sacrum ex parte formæ, ostenditur hoc argumento. Relationis natura, visque omnis est à termino, sed significatio est relatio, & signum in quo Sacramenti natura est posita, est relatiuum: ergo vt terminus sacer est, ex dictis præcedenti assertione, ita & significatio.

2. Probatur. Ratio signi in Sacramentis est à Deo impositа ad indicandam rem sacram nẽpe gratiam aut aliud quippiam sacrum, nam Baptismus signum est sepulturæ Christi ad Roma. 6. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem.* Eucharistia Christi passi primæ ad Corinth. vndecimo. *Quotiescunque manducabitis panem hunc mortem Domini annunciabitis.* Matrimonium coniunctionis Christi, & Ecclesiæ ad Ephes.
D quinto. *Sacramentum hoc magnum est dico autem in Christo & Ecclesia.* Verùm est ergo, Sacramentum signum esse, etiam sacrum, ex parte significationis. Patet ex dictis, id quod generis locum habet in definitione Sacramenti, esse scilicet signum sacrum & sensibile, quod autem differentiæ vices obit, esse principium efficax productiuum gratiæ, & ad eam rem à Deo institutum.

TERTIA ASSERTIO. *Non in solo ergo externo signo, est vis integra, naturaque Sacramenti posita, sed etiam rem significatam includit.* Cyprian. auctor in tract. de Resurrectione Christi num. 4. *Ex diuersis* (inquit) *familiis vna fit domus, vna fit tribus, vnus est cibus, significantia & res significata, res & si-*
E *gna, virtus inuisibilis, & visibilia Sacramenta, sic faciunt vnum corpus, sicut caro & Spiritus, & quod videtur, & nomine & virtute Christi corpus censetur.* Sensus est ex significantibus & significatis, visibilibus Sacramentis, & inuisibili virtute seu gratia sic fieri vnũ corpus Christi sicut ex carne & spiritu, Quare vt membra destituta animo, vt caro spiritu vacua, truncus est, non homo, ita signa, ita visibilia Sacramenta, absque rebus significatis, & inuisibili gratia, Sacramenta sunt specie tenus ac nomine, re autem ipsa minimè.

2. Est Sacramentum signum visibile inuisibilis gratiæ, ergo cùm re externa significante, internam quoque complectitur quæ externa denotatur.

Confirm. Eucharistiæ Sacramentum est verum reale, substantiale, atque integrum Christi corpus, cum sanguine, anima & diuinitate sub vnaquaque contentum specie panis, & vini consecrati, quo fideles viuunt, aluntur, & ad gloriam æternam perueniunt, non est ergo Sacramentum symbolum duntaxat rei sacræ & inuisibilis gratiæ, sed eam quoque comprehendit ac continet. Trident. sess. 7. can. 6.

QVÆSTIO TERTIA.

An de ratione Sacramenti sit vt sit sensibile.

SEnsibile id hoc loco dicimus, quod non tantùm per se, & immediatè sensum afficit, sed etiam quod mediatè, nempe per adiuncta signa, quomodo internus consensus in Matrimonium, est sensibilis, per verba de præsenti, nutus vel signa: contritio per confessionem, per lachrymas & tunsionem pectoris.

Neque omittendũ sermonem nullum nobis hic esse de possibili, est enim certum posse supremam mẽtem, è multis operibus internis, atque latentibus, vnum aliquod instituere, quo tanquam Sacramento iustificentur puræ mentes, tale tamen opus propriè Sacramentum non esset, pro vt nunc de Sacramentis loquimur, non enim esset signum humanum, sed Angelicum: nostra autem Sacramenta sensibilia sunt, vtpote quæ sunt à Deo instituta, ad regendam Ecclesiam visibilem, de his ergo modo quæritur. Vtrum vsurpari sensibus debeant, pro cuius rei explicatione sit

Vnica Assertio. *Sacramentum essentialiter est sensibile.* Pro hac conclusione faciunt Cyprianus, Bernardus & Augustinus. Primus de baptismo & ablutione pedum, hæc habet. *Verborum solemnitas sacri inuocatio nominis, signa sacra, Apostolorum traditionibus, sacerdotum attributa ministeriis, visibile celebrant Sacramentum.* Et post pauca, *Consecrationibus visibilibus, inuisibiliter manũ totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiæ, vnctionis diuinæ pinguedo sanctificationibus officialibus infundit.* Quo, quid in rem præsentem dici ab eo clarius expressiusque poterat?

Patribus addantur argumenta. Primum petitur ex Bern. Sacramenta de earum rerum sunt genere, quæ *non sunt propter se, sed propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa*, & sunt. Sed nobis, qui ratione regimur, ac sensu, iter ad notitiam alienæ rei sterni non potest, operâ ac beneficio cuiuspiam alterius, quã quæ sensum tangit, ab eoque impressionem in animum facit, est ergo Sacramentum, quo notio nobis imprimitur gratiæ, omnino sensibile D. Augustini opinione ac sensu in tribus locis. Primus est in 10. de ciuitate Dei cap. 5. vbi ait, *Sacrificium ergo visibile, inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est sacrum signum est.* Secundus est in lib. de Catechizandis rudibus cap. 20. vbi ait, *De Sacramento sane quod accepit cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari.* Tertius est Epist. eius 66. Vbi, *si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem Sacramenti formam: ipse autem dat inuisibilem gratiam.*

2. Probatur. Sacramentum omne rebus corporeis cõstat & verbis, hæc autem sensibilia esse quis negee? voces audiuntur: res tanguntur, aut videntur ergo & Sacramentum.

3. Sacramentum est religionis ceremonia, ex Tridentino sessione septima, canone secundo: ergo huiusmodi quæ incurrat in sensum; primo quidem quia accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, Aug. teste tractatu in Ioannem 8. & refertur prima Quæst. 1. canone detrahe 54. secundo quia cæremoniæ nomine intelligunt Doctores cum Greg. lib. 11. Epist. 15. solemnitates, quotannis recurrentes, modum externum colendi numinis continentes, ac procurandi quæ ad eius religionem & sanctorum pertinent, quem certe constat esse visibilem alioqui quomodo eum omnes seruarent?

Confirmatur. Cæremonia ritus est, hic autem vt apparet, nullus alius esse potest, quam qui sensibilis, cum eius essentia in eo versetur, vt sit mos comprobatus in administrandis sacrificiis ac procurando diuino cultu, dist. 45. can. qui syncera 3.

4. De ratione Sacramenti est vt sit signum, quo homines colligantur in vnam Ecclesiam, ex August. lib. 19. contra Faustum capite vndecimo, at signum quidpiam est notius, quàm id cuius est signum, cum in hoc, eius natura sit, vt præter speciem sui, quam sensibus obiicit, faciat aliquid in cognitionem venire, ex August. secundo de doctrina cap. primo, ergo Sacramentum est aliquid sensibile, & ita vocatur ab eodem secundo de doctrina cap. tertio, & libro de cathechisandis rudibus cap. vigesimo sexto.

QVÆSTIO QVARTA.

An in Sacramentis potior sit ratio significandi, quàm causandi.

VNica Assertio. *Si Sacramentum sumitur totaliter, & completè, vt est ens morale, potior est in eo ratio causæ quàm signi, respectu eius effectus quem ex opere operato efficit.* Causa est quod Sacramentum nouæ legis sit cæremonia ad productionem gratiæ in suscipiente diuinitus instituta: ergo potior est in illa ratio causæ, quàm signi, respectu gratiæ sanctificantis.

Sacramenta tamen veteris legis, ex opposita causa, solam habuere rationem signi, respectu gratiæ, tam illius, quæ danda erat tempore nouæ legis, quàm quæ de facto erat statui illi, & muneri concessa, quod obibant, qui ea frequentabant, quia Sacramenta legis veteris non causabant gratiam, sed significabant tantùm, ergo ratio causæ in illis, non potuit esse potior, quàm signi.

Probatur secundo Assertio. Sacramentum nouæ legis magis ab efficiendo describitur, quàm significando: ad Titum enim tertio Baptismus dicitur esse Sacramentum regenerationis, & renouationis. Ad Ephes. quinto dicitur Christum dilexisse Ecclesiam, vt eam sanctificaret, & *mundaret lauacro aquæ in verbo vitæ.* Indicatque ipsa nominis Sacramenti notio, Sacramentum enim dicitur à sacrando, quemadmodum indumentum, ab induendo.

Obiicies, Sacramentum definitur signum rei sacræ seu inuisibilis, ergo ratio signi, potior est in Sacramento, quàm ratio causæ.

Neganda est consequentia, quia Sacramentum non est signum, merè demonstratiuum, vel speculatiuum, vt est hedera vini, fumus flammæ, sed practicum, & efficax, at esse causam & *signum practicum* semper in eandem rem coeunt. Principalius ergo est, Sacramentum esse causam, quàm signum effectus, etsi ab hoc, vt à notiori, describi soleat.

Digitized by Google

QVÆSTIO QVINTA.

An Sacramenta eſſentialiter conſtent Rebus, & Verbis, & quibus.

NOtandum primo. Non hic rerum nomine intelligi duntaxat phyſicas, vt ſunt oleum, aqua, panis, &c. ſed inſuper actiones internas, vt in Sacramento Matrimonij, & Pœnitentiæ videre licet, quorum materia, actibus internis, ex parte continetur. Matrimonij quidem, conſenſu mutuo coniugum: Pœnitentiæ autem contritione, ac dolore offenſi Dei.

Notandum ſecundo. In Sacramentis, vt & in artificiato quolibet, duplicem eſſe materiam. Proximam & remotam quam etiam aliqui diuidunt in partialem, & totalem, verbi cauſa materia remota baptiſmi, eſt aqua, proxima eſt ablutio pueri. Partialis item, eò quòd ex parte tantùm effectum Sacramẽti, ſignificet, quem totaliter integrè ablutio cum forma denotat.

Notandum tertio. Formam Sacramentorum eſſe item duplicem, externam vnam, internam aliam & ſpiritalem, externa verbum eſt, cum ſua ſignificatione, quæ ſignificatio forma eſt partialis, quæ tanquam ſignum inadæquatum materiæ ſenſibili, & partiali ſigno iuncta, cum illa vnum totale ſignum, & completum gratiæ efficit: forma interna eſt ipſa, effectus ſpiritalis ſignificatio, quæ ex coniunctione congrua, materiæ ac ſubſtantialis formæ reſultat. Verbi cauſa cum aqua, quæ eſt materia baptiſmi, & *ego te Baptizo*, quæ eſt forma eiuſdem, coniunguntur inuicem, reſultat inde quædam integra ablutionis & regenerationis animi, ſignificatio, quam cauſat Baptiſmus, eſtque talis ſignificatio, interna eius forma, ſignumque proprij ſui effectus, his prænotatis, ſit

1. Aſſertio. *Stare Sacramentum non poteſt niſi vnione partium inter ſe, materiæ ſcilicet ac formæ.*

Probatur, Sacramentũ eſſentialiter eſt ſignũ viſibile, inuiſibilis gratiæ, hãc autẽ, non niſi inadæquatè, & ex parte denotat pars alterutra Sacramẽti ab alia diſiuncta vtverbũ ſeparatũ à materia, ergo vni parti altera neceſſariò adiũgẽda eſt, vt fiat partiali ſignificatione vtriuſque vnũ totale & completũ ſignum gratiæ. Verbi porro nomine caue concionale intelligas, cum Caluino in libello de forma miniſtrandi ſacrament. nec doctrinale cum eodem lib. 4. inſtit. cap. 14. parag. 14. Sed conſecratorium, ac vocale, *Nam niſi ſyllabæ illæ, celeriter ſonantes proferantur, non conſecratur homo inquit Auguſt. lib. 3. de Baptiſmo, cap. 15. & 19. contra Fauſtum cap. 16. quare Baptiſmus celebrandus eſt cum magna cautela maximè in diſtinctione ſeu prolatione verborum, in quibus tota virtus Sacramenti conſiſtit & ſalus puerorum.* Neque ſunt hæc tamen in eum accipienda ſenſum vt exiſtimes, Sacramenta omnia neceſſariò verbis conficiunda Matrimonium nutibus, ac literis, conſenſum partium exprimentibus, à mutis contrahi poſſe, omnium eſt veriſſima opinio, ſcimuſque, crebrò virgines, occultos ac latentes animi ſui ſenſus, ſilentio prodere ac pudore, cum de viris agitur ſibi parentum voluntate cooptandis in maritos, quorum in familiam tranſeant: hîc ergo cum de verbo fit ſermo in cauſa Matrimonij, intelligi volumus tam proprium, aẽ vocale, quàm literis commendatum, aut verò quidpiam, quod eius vice fungatur, vt ſunt ſigna & nutus.

2. Probatur. De fide eſt, Sacramẽta tribus rebus perfici, *Videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri.* Florẽtinũ in decreto Eugenij. Sanè duarũ rerũ id eſt materię & formæ meminit Aug. tract. 80. ad c. 15. Ioan. refertque Gratian. 1. quæſt. 1. can. 54. His verbis *Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo?* Qua ex oratione facilè quiſque intelligit, primò in his Sacramentis, quæ poſita ſunt in vſu, ac tranſeunte aliqua actione, vt eſt Baptiſmus, materiam eſſe duplicem, remotam & propinquam, remota eſt quæ in Sacramentum aſſumitur, ſeu circa quam exercetur ſacra cæremonia, vt eſt in Baptiſmo aqua, in Confirmatione oleum. Propinqua eſt illa ipſa cæremonia, ſeu vſus rei ſenſibilis, quam Chriſtus in Sacramenti confectione, adhiberi voluit: vtriuſque fit mentio prima q. 1. ca. 51. *Et hanc regulam vt ſcitis ſeruandam omnibus Eccleſiis prædicamus, vt lauacrum ſemel initum, nulla iteratione violetur, dicente Paulo, Vnus Deus, vna fides, vnum Baptiſma, cuius ablutio nulla iteratione temerunda eſt,* nam lauacrum eo loco idem ſonat ac aqua, quæ eſt Baptiſmi remota materia, ſicut ablutio propinqua.

Eſt hoc tamen ex oratione citata Auguſt. notiſſimum, verbi nomine, non aliud intelligi quam vocale, quia cum Sacramentorum materia ſignificandæ gratiæ, de ſe ac natura ſua non ſit idonea, eam ad id contrahi, ac determinari eſt neceſſe per formam, cum qua totum vnum morale efficit, quod præſtare verbum mentis vtpote latens & occultum non poteſt. *Quare ad perfectionem ſignificationis Sacramentalis ait S. Thom. 3. par. q. 60. art. 6. neceſſe fuit, vt ſignificatio rerum ſenſibilium per aliqua verba determinaretur, aqua enim ſignificare poteſt, & ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerium propter ſuam frigiditatem, ſed cùm dicitur ego te Baptizo, In nomine Patris, &c. manifeſtatur, quod aqua vtimur in Baptiſmo ad ſignificandum mundationem ſpiritualem.*

Sanè Sacramenta confici inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis author eſt Leo Epiſt. 77. ad Nicetam Aquilegienſem Epiſcop. *Tribus antè in orationibus, ac totidẽ nomenclaturis, ſine inuocationibus, magnum Baptiſmatis myſteriũ confici, ait Baſil. lib. de Spiritu Sanct. cap. 15.* Ita (quod fuit in quæſtione.) *Verborũ ſolemnitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna Apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant Sacramentũ.* Cypr. in tract. de Bapt. Chriſti, & in Epiſt. 73. ad Iubaianum. Nam, vt quæ à labe omni, ac macula ſunt pura, ſi ſe dæmon in cõſortium eorum inſerit, non modò in noxam vtentis abeunt, ſed fœda ſunt etiam ac turpia. Ὥσπερ ἁμαρτίας τὸ λευτὸν ὕδωρ μιάνασα ἀφίη, ἢ χιὼν τῦ, ἐὰν τὼ ὁπόλαον λαβὸν ῥύπαμα ἀχάρατον ὁπωσῦν, id eſt, Sic è contra aqua per inuocationem ſpiritus, ſanctificandi vim habet Cyril. Hieroſolit. cath. 3.

Aſſertio ſecũda. *Quodlibet Sacramentũ conſtat rebus & verbis, hoc eſt, materia aſpectabili & ſubſenſum cadẽte, & verbo diuino ad eas fructus conſequẽdos, quos ſecũ affert.*

Probatur aſſertio inductione, nam de Baptiſmo dicitur Math. 27. *Baptizantes eos, In nomine Patris,* &c. Quibus verbis & res, hoc eſt aqua, & forma expreſſa his verbis. *Ego te Baptizo, In nomine Patris,* &c. ſignificantur, quæ duo Paulus diſtinctè explicuit ad Epheſios quinto, vbi de Baptiſmo loquens ait animam, *mundari lauacro aquæ in verbo vitæ*, id eſt, conſecratorio Sacramenti, ſecundum Chriſoſt. Homilia vigeſima. Præterea Chriſtus inſtituens Euchariſtiam, panem & vinum pro materia vſurpauit, cum forma ſignificata his verbis, *hoc eſt corpus meum, hic eſt calix*, & ita de cæteris Sacramentis, de quibus, etſi ſint ſcripturæ minus apertæ, ex traditione tamen Eccleſiæ, conſtat in iis, reperiri materiam, cum forma,

quæ traditio ad Apoſtolos, & Chriſtum, haud dubiè A referenda eſt, Cypriani teſtimonio, ſermone de Baptiſmo, & ablutione pedum, quo loco tradit *ſigna ſacra Apoſtolorũ traditionibus* (ſunt hæc eius verba) *ſacerdotum attributa miniſteriis, celebrare viſibile Sacramentũ.*

Et quidem meminit formæ Baptiſmi Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 15. & lib. 19. contra Fauſtum cap. 16. his verbis. *Niſi ſyllaba illa celeriter ſonantes proferantur, non conſecratur homo.* Sunt hæ verò ipſæ quibus Eccleſia vtitur inter Baptizandum, teſtimonio Concilij Xantonenſis, præſide Simone Cardinali, & legato in regno Franciæ. *Baptiſmus celebretur cum magna cautela maxime in diſtinctione, & prolatione verborum, in quibus tota virtus Sacramenti conſiſtit, & ſalus puerorum ſcilicet ego te Baptizo, In* B *nomine*, &c. *nullo alio verbo interpoſito*, hæc Canon. . . Nec habet id modò locum in Baptiſmo, ſed in aliis quoque Sacramentis, Eccleſiæ iudicio in Florentino, à qua dictum eſt iis anathema, qui ſceleratè ac improbè Sacramenta conſtare negant rebus, tanquam materia, verbis, vt forma, & perſona miniſtri, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.

Vbi notandum primò, ideo in Sacramentis, appellatii eorum materiam, rei nomine, quod ſimilitudo, quædam eaque non modica inter eas materiamque intercedat, vt enim hæc indeterminata eſt ad omnes ſpecies, determinatur autem ad certam beneficio formæ, quam recipit, ita & res Sacramentorum, vtpote indeterminatæ ad ſignificandum varia, per verba formæ contrahuntur, ad hunc effectum ſpecialem indi- C candum, qui proprius eſt cuiuſque Sacramenti. Exemplum eſt in aqua quæ vt adhiberi poteſt ſiti ſedandæ, reſtinguendo incendio, ita & mundando corpori eluendis ante cibum epulaſque m[illegible]bus. Quod autem innocentiam quòd animæ munditiem in Baptiſmo ſignificet, abſterſione culpæ quamoriginalē nominant, habet à verbis formæ. *Ego te Baptizo*, &c. quæ ex voluntate, Chriſtique placito, ad eum eſt effectum inſtituta cum aqua. Quare vt materia, quæ in quouis Sacramento, ſub ſenſum aſpectumque cadit, eius rei, hoc eſt gratiæ, cuius eſt id ſignum, in exprimendo illius effectu, quandam in ſe ſimilitudinem continet, ita & verborum eſt hoc proprium, vt indicent eum effectum Sacramenta facere in anima, quem in cor- D pore materia ipſa, natura duce præſtat, quod ipſum eſt, materiam, ad hunc peculiarē ſignificatum à forma contrahi, quæ ſi abeſſet, incertum plane futurum eſſet, quidnam ſibi Sacramentorum materia vellet. Nam (vt de Extrema vnctione dicam) cum oleum propter multiplicem vim ſibi iunctam, non minùs ab Athlets adhiberetur membris contra ictus plagaſque durandis in amphytheatricis conflictibus, quam à medicis curandis vulneribus, & vtriuſque rei ſymbolum eſſe poſſit, quod vtrumque ſpiritualiter in extrema vnctione ſignificet, faciunt adiuncta eorum verba, & res ipſa de ſe loquitur: pergamus porro.

Notandum ſecundò, vnionem inter res, & verba, Sacramentorum, talem non exigi & tam perfectam, ac quæ in compoſitione phyſica cernitur, formam inter & materiam, cum enim Sacramenta entia ſint moralia, ſatis eſt, ſi ea, quibus vt partibus, coagmentantur, moralem vnionem inuicem habeant, qualis accidit cum ſpectata natura, operiſque qualitate, verba formæ de materia verificari poſſunt, quod vſu venire ſolet cum ſecundum moralem hominum æſtimationem, forma verborum, habitudinem determinationis retinet ad ſubiectam materiam. Excipienda eſt Euchariſtia, quæ metaphyſicam propriamque formæ connunctionem cum materia poſtulat, quia vt vera ſit eius forma, neceſſe eſt, vt pronomina, *hic*, & *hoc*, dici verò de materia conſecrata valeant, at *hic*, & *hoc*, cum ſint pronomina demonſtratiua, non cadunt niſi in rem quæ quo tempore pronunciantur ſit præſens.

Tertia Aſſertio. *Res autem non modo, ſed & verba debent in Sacramentis nouæ legis, eſſe ſtata, certa & determinata.* Ita D. Thomas tertia parte, quæſtione 36. art. 5. & 6. Et probatur primo, Sunt Sacramenta ſacri ritus, ſacræ cæremoniæ, quibus Deo cultus debitaque exhibetur reuerentia, at quis credat cuique permiſſum eſſe in Dei diuorũque religionibus quod libet?

2. Cùm ſint Sacramenta inſtituta à Chriſto in Eccleſia, vt per ea hominum genti daretur gratia, & ea quoque ab eo inſtitui decuit quibus prædicta Sacramenta coagmentarentur vt partibus ſibi intrinſecis, ac eſſentialibus: facit ergo Chriſto iniuriam, qui res, ac verba diuerſa, ab iis quibus vti Eccleſiam voluit in Sacramentorum adminiſtratione, adhubet.

3. Ad fidē aſſertionis, facta per Sacramenta omnia inductione ire placet: primo enim certa eſt forma Euchariſtiæ. *Hoc eſt corpus meũ, hic eſt Calix meus, aut ſanguinis mei.* Certa item Baptiſmi, *Ego te Baptizo*, &c. Certa aliorum omnium, præterquam Matrimonij, in quo nutus, ſigna, & verba, quæ ſunt ad exprimendos conſenſus contrahentium idonea, ſufficiunt, vt tract. de Matrimonio probabitur. Neque tamen eſt de eſſentia formæ, vt verba quibus determinatè conſtat, Latinè proferantur, aut Hebraicè, nam Baptiſmus à laicis, & mulieribus, vernaculo ſermone priuatim conferri poteſt, cum eſt neceſſe, & tamen de eius valore prudenter ac cum ratione ambigere quis poteſt? ſi tam illis, quã iſtis, certũ ac cõſtitutũ eſt facere, quod eſt Eccleſiæ, in vſu huius cæremoniæ propoſitũ.

Eſt tamen peccatum mortale in Eccleſia Latina, alio vti ſermone, quam Latino, cùm Sacramenta publicè adminiſtrantur ac ſolemniter, cauſa eſt quod ita longa conſuetudine moribuſque noſtris in Eccleſia inueterauit, quæ conſuetudo cum vim legis habeat, in tanta & tam graui materia, quis eam violari poſſe credat ſine culpa, quæ ſit veniali maior? quòd item dicendum videtur de mutatione ſubſtantiali notabili, tam materiæ quam formæ, qua Sacramentum fit inane ac irritum, aut eſt ambiguum an per eã, ne tale ſit vllum ſaltem immineat periculum, quia non facere Sacramentum, aut exponere ſe periculo non faciendi, eſt ſacrilegium, cuius oppoſitum dicendum eſt, cum neutrum iſtorum accidit, etſi mutatio fieret, de induſtria, vel ex craſſa negligentia, quia talis mutatio videtur materia leuis modo abſit ſcandalum, & intentio introducendi nouum ritum, vel damnandi receptum, ſed de hac re poſtea pluribus.

QVÆSTIO SEXTA.

An res in Sacramentis ſint ita determinatæ, vt mutari nequeant, & quæ mutatio Sacramenta inualidet.

PRima Aſſertio. *Res quæ cum forma ex inſtitutione Chriſti Sacramenta conficiunt, ita ſunt ſtabiles, determinatæ, & certæ vt mutari nequeant ſine grandi ac immani ſcelere.* Non id credidere Gnoſtici, non ex antiquis hæreticis plurimi, quorum, vt eſt ingenium ſuperbum, recti indocile ac arrogans, turbarum amans, ita in Sacramentorum diſpenſatione ac vſu omnia authore Irenæo lib. 1. cap. 9. arbitratu ſuo gerebant, ac ſenſu, nihil alieno, nihil Eccleſiæ ac Patrum exemplo. Hos lutherus mali cotui malum ouum, imitatus

Digitized by Google

dixit in lib. de captiuitate Babylonica capite de Baptiſmo, validè conferri hunc poſſe in liquore quolibet, modò ne in fide hominis, ac nomine quàm autem vt cætera impiè, diceret Cypr. ſi viueret, cum nec omnino quid ſentiret futurorũ præſcius tacuerit? Sic enim in tract. de ablutione pedum de Sacramentis loquens, nihil addi in Sacramentis, nihil ſubtrahi, nihil poteſt corrigi vel mutari, quod probatur, cùm Sacramẽta ſalutis noſtrę certa ſint pignora, & diuinę gratiæ in nobis producẽdę inſtrumenta à Deo in eum finem inſtituta, mutari ab alio nequeant, quàm qui eorũ, gratiæq; author eſt ſigna ſcilicet noua præſcribendo, per quæ hæc producatur in animis. At hæc laus ſolius eſt Dei propria, de quo dicitur, *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Maior probatur non eſt in poteſtate cuiuſpiam mutare, quod non eſt in eius facultate ponere, ſed cuiuſpiam alterius, At ſtatuere inſtrumenta, ſeu ſigna gratiæ producendæ, ad hominem non pertinet, ſed Deum ergo &c.

2. Aſſertio. *Qui in miniſtrando Sacramento, ſcienter Vocem vnam, aut plures adiecit, mutat, aut ſubtrahit, vt per eas, ſic mutatas, hæreſim inducat, aut errorem fidei contrarium, nihil facit, operam ludit.* Eſt hæc aſſertio proxima fidei: enimuero non alia eſſe intentio miniſtri debet quàm quæ Chriſti & Eccleſiæ, at hæc in caſu præſenti nimium quantum eſt diuerſa, vt patet cùm nec Eccleſiæ, nec Deo viſum vnquam fuerit in vſu Sacramentorum, firmare hæreſim, veritati bellum indicere, ſed promouere cum cultu Dei Patris, ſalutem hominum ac commodum.

Confirmatur. Vult in canone Retulerunt 36. diſtinct. 4. de conſecratione, Zacharias Papa Baptiſmum, qui verbis corruptis, verbis à communi loquendi modo alienis, miniſtri ignorantiâ confertur, valere, tunc tantùm cùm in eo miniſterio argui impietatis hic nequit, ſed tarditatis ac ignorantiæ. At quis innocentem, quis culpæ omnis expertem exiſtimet, qui ſui compos ſcienſque, animum inducit, mutatione vnius vocis, aut plurium, mutare ſenſum Eccleſiæ, ac contrarium dogma eius doctrinæ inuehere? Non eſt ergo Baptiſmus opinione Zachariæ futurus vllarum virium, ſic collatus à Miniſtro præpoſterè & impiè.

3. Aſſertio. *Qui aliqua formæ non eſſentialia ſciens omittit, quæ tamen falſa deluſus opinione, eſſe credit talia, nihil efficit, quod Deo gloriam, homini autem conciliet gratiam.*

Quid ita vero? nempe quòd ab iis quæ à Chriſto, & Eccleſia ſunt facta, fiuntque, eius abhorreat animus: enimuero tam hic, quàm illa, adhiberi volunt in adminiſtratione Sacramenti omnia, quæ ex Chriſti ſeruatoris voluntate ad eius eſſentiam pertinent, ergo ſi miniſter de eius forma malitioſe, excluſas eſſe voces aliquas velit, quas et eſſentiales, quanquam falsò exiſtimat, quis ei eundem putet finem præfixum eſſe ac Chriſto, aut eadem velle in Sacramenti vſu, ac Eccleſiam? ergo vnius alicuius vocis, omiſſione ſpontanea, aut plurium, quæ putantur à miniſtro formæ eſſentiales eſſe ac intrinſecæ, Sacramentum redditur inualidum.

Excipiendus eſt caſus in quo miniſter, haberet intentionem expreſſam, conformandi ſe Eccleſiæ: enimuero ad rationem Sacramenti, quod eſt Eccleſiæ opinione ac ſenſu validum, tria tantùm ſunt neceſſaria, materia, forma & miniſter ſecundum intentionem Chriſti & Eccleſiæ operans, quæ tria cùm hic reperiantur vt ſupponitur, cauſæ nihil eſt, cur non ratum, tum cenſeri Sacramentum debeat.

4. Aſſertio. *Cùm materia, & forma Sacramenti, mutatur ſubſtantialiter, Sacramentum quoque eſt nullum.*

Antequam probetur notare placet tum mutationẽ ſubſtantialẽ interuenire in materia, cùm hæc iuxta conceptionem hominum, & communem vſum, in ratione, ac nomine generali, non conuenit, cum illa quam Chriſtus vſurpari voluit in Eccleſia; quia Sacramentorum materia, à Chriſto determinata eſt, in ordine ad humanũ vſum, & æſtimationem hominum, ergo ſi hæc nomine, re, conceptione, vel vſu, ſit diſtincta ab ea, quam Chriſtus inſtituit, non fiet Sacramentum.

Ob hanc cauſam panis reſolutus in maſſam, aut valde aqua dilutus, cenſeri nequit idonea ac ſufficiens materia Euchariſtiæ. Ex Reginaldo lib. 26. cap. 3. numero 6. quia panis, & vinum, quæ ſimpliciter talia ſunt in ordine ad vſus hominum, non vnius, aut duorum, ſed omnium, ſunt materiæ venerabilis Sacramenti, at nec maſſæ, nec panis valdè diluti, vſus vllus eſt, aut ſi eſt aliquis, ſanè non niſi rarus in communi vita, ergo nec maſſa, nec panis valdè dilutus eſſe poſſunt Euchariſtiæ materia.

De forma autẽ dicere hoc habeo, eam ſubſtãtialiter mutari, cùm tollitur eius notio, cum verborũ, quibus componitur, ſenſus fit alter, cum acceſſione vocis nouę aut ablatione alicuius de antiquis forma Sacramẽti aliquid nouum ſignificat, ac ab effectu, quem per eam Chriſtus ſignificare voluit diuerſum. Mutabitur ergo forma ſubſtantialiter, ſi tam ex vi verborum, quàm eorumdem vſu ac accommodatione vt loquuntur, ſignificationem ac ſenſum habeat, ab vſitato, & communi differentem D. Thom. q. 60. art. 8. Ob eam mihi cauſam videri ſolet prudenter definiſſe Zachariam, in Canone Retulerunt 86. diſtinctionis 4. de conſecratione, Baptiſmum collatum ab imperito ac neſciente literarum Preſbytero ſub hac forma, *In nomine Patria, Filia, Spiritua ſancta*, eſſe validum, eò quòd etſi ſint hæ voces, barbaræ, corruptæ, nec Latinæ, proindeque ſenſum efficiant à communibus & vſitatis diſtinctum, non tamen apud gnaros & intelligentes qui ex vſus accommodatione, earum ſibi ideam animo figurant cauſa eſt quòd in Sacramentis, ſpectari non debeat quid vox aliqua ſeorſim, ac per ſe accepta ſignificet, ſed potiùs quid hic, & nunc, ex accommodatione vſus, & intelligentia communi eorum enuntiet, qui eam vſurpatam vident, in ſubiecta materna. Ita declarata aſſertio probatur.

Res eſſe nequit deſtituta ac manca partibus ſibi eſſentialibus: Deſunt hæ verò Sacramento cùm eius materia ac forma mutantur ſubſtantialiter. Ab hac ergo mutatione Sacramentum eſt nullum.

5. Aſſertio. *Accidentalis mutatio, tam in forma, quàm materia Sacramentum, non irritat.*

De forma res eſt meo iudicio eiuſmodi, de qua inſtè non poſſit ambigi: etenim talis mutatio non tollit eius ſenſum, ergo nec illam vt forma eſt: quæro enim in quo formæ natura, eſſentiaque verſetur? Ecquid in eius notione ſenſuque qui verbis ſubeſt? At huiſc accidentalis mutatio non perimit ergo nec formam. Neq; ſimiliter vllum eſt materiæ Sacramẽti præiudicium à mutatione accidentali, quia quæ ei accidunt, vt quantitas, qualitas, non faciunt eam eſſentialiter aliam, ergo nec talem, cui repugnet eſſe partem Sacramenti, & ita licet peccet ſacerdos, ſine neceſſitate faciens, id eſt ſacrificans in parua hoſtia, qualis eſt laïcorum, validè tamen & cùm effectu operatur, ſimiliter ſi panis ater, pro albo afferatur ad ſacram menſam, quadratus pro rotundo: aqua fœtida, pro pura, aut in forma vox vna commutetur in aliam, cum qua idem ſignificet, vt ſi pro baptizo dicatur, abluo aut cùm vna, aut plures omittuntur, vel mutantur, quæ ad ſubſtantiam formæ, non pertinent, vt ſi quis diceret, hic eſt calixſanguini, hoc eſt corpus meus quia

Digitized by Google

in hoc casu significatio verborum, quæ formæ vim tribuunt, tam ex eorum vi, quàm vsus accommodatione, eadem perseuerat.

Circa dicta notandum est, minùs sæpe corrumpi sensum formæ, cùm aliqua in fine eius adduntur, quàm initio, quia cùm adest Ecclesiæ intentio in ministro, Sacramentum illico habet suam legitimam significationem, ac verba formæ essentialia, sunt prolata: ergo per sequentia, id est addita à ministro, ad communem formam, contra vsum Ecclesiæ, non impeditur effectus qui est gratia, ergo nec Sacramentum. Nam Sacramenta illico operantur ac sunt, at hic ex hypothesi est Sacramentum per intentionem ministri & applicationem veræ suæ ac debitæ materiæ, quæ applicatio cùm pronuntiatione formæ est ante verba addita, vt supponitur, ergo eorum adiectio non nocet quoad intrinseca sua Sacramento.

Quid si de re certò ministro non cõstet, & an mutatio materiæ sit accidẽtalis aut substãtialis ignoret? Respõdẽdũ Sacramentũ iterandũ cùm esse, appositione certæ materiæ, cum forma, vel hanc duntaxat repetendam esse, si erratum non sit in materia, quòd si defuerit certa, adhibita autem erit dubia, tam in necessitate quàm extra, defectus supplendus erit substitutione certæ, quia etsi minister materia vtendo dubia, ob probabilem authorum opinionem, non peccauerit, Sacramentum tamen à parte rei, non est ratum, si verè materia sit adhibita ab ea, quam Christus adhiberi voluit, diuersa, nam in Sacramentis, bona fides, & Doctorum opinio, defectum materiæ, formæ, aut aliorum, quæ sunt ad integritatem aut essentiam Sacramenti necessaria non supplet.

Duplex autem contingere dubium potest circa materiam Sacramentorum, & formam. Primum est iuris, alterum facti, dubium iuris, est cùm dubitatur an aliqua materia, vel forma, vel quidpiam aliud, requisitum ad Sacramentum, sit ad eius substantiam sufficiens, quòd ex diuersis sententiis doctorum, vel rationibus petitis ex rei natura contingere potest. Dubium facti est, cùm quis dubitat, an reipsa adhibuerit essentialia Sacramento, & ad illud intentionem debitam attulerit, &c. Et in tali dubio pro certo habeo Sacramentum iterandum esse, aut certè id quod putatur non fuisse positum. Iterandum, inquam, sub conditione, & non absolutè quicquid in contrarium Emanueli Sa, fit in Aphorismis visum.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Quantum sit peccatum aliquid mutare in materiâ, formâ, & ritu Sacramentorum.

DIco primò. *Si mutatio materiæ vel formæ talis est, vt per eam Sacramentum reddatur inualidum vel dubium, talis mutatio, est mortalis:* quia est in re graui contra reuerentiam Deo debitam bonumque fidelium quos periculo non recipiendi Sacramenti, exponere, quid est aliud quàm charitati bellum indicere, eis nocere velle?

Dico secundò. *Qui extra casum necessitatis, aliquid in ritibus vel modis mutat aut omittit, quos Ecclesia præscripsit, vel vniuersalis, & longa receptaque vbique locorum consuetudine in vsu Sacramentorum approbauit, ex genere suo peccat mortaliter.* Ita Tridentinum Sessione 7. can. 13. his verbis. *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ ritus in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato à ministris Ecclesiæ omitti, vel in nouos per quemcumque Ecclesiæ pastorem commutari posse, Anathema sit.* Itaque peccaret mortaliter, qui de industria mixtionem aquæ cum vino in calice omitteret, vel consecraret in pane fermentato, in Ecclesia Latina, quia vtrumque est contra eius vsum, præceptumque in re graui, si tamen res parua esset, vt sæpe accidere potest, non putarem ministrum peccare nisi venialiter, citra scandalum, & contemptum, eo quòd in Sacramentis locum quoque habeat ad excusandum à culpa graui, materiæ leuitas.

QVÆSTIO VIII.

Quot sint Sacramenta.

ASsertio. *Sacramenta sunt septem, nec pauciora, nec plura: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, Matrimonium.* Trium priorum fit mentio 1. q. 1. can. multi sæcularium 84. paragrapho sunt autem Sacramenta, omnium in Trident. Sess. 7 can. 1.

Ex iis aliqua *sunt dignitatis, alia necessitatis* 1. q. 1. can. remissionem 39. *Quia enim necessitas non habet legem, sed ipsa sibi facit legem, illa Sacramenta, quæ saluis sunt necessaria, quia iterari non possunt, cùm sint vera, auferri vel omitti non debent, sed cum pœnitentia rata esse permittuntur, illa verò Sacramenta quæ sunt dignitatis, nisi dignè fuerint administrata, ita vt digni à dignis, dignè prouehantur, dignitates esse desinunt, non vt minuatur veritas Sacramenti, sed vt cesset officium administrandi, vel loco, vel tempore, vel promotione.*

Inter hæc Sacramenta tria sunt, *Baptismus, Ordo, Confirmatio, quæ characterem, id est, Spirituale quoddam signum à cæteris distinctum imprimunt indelebile,* Florentinum in decreto vnionis Armenor. *Vnde in eadem persona non reiterantur.* Cypr. de ablutione pedum, num. 2. De Baptismo cauetur his verbis, in can. 1 Concilij Carthagin. primi. *Illicitas esse sanximus rebaptizationes, & satis esse alienum à fide & catholica disciplina rebaptizari.* De Confirmatione, cap. 1. de Sacrament. non iterandis, de Ordine & Baptismo can. 1. dist. 68. hoc modo, *sicut semel baptizatus iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel in eodem Ordine, iterum consecrari non debet.*

Præter testimonia pro septenario Sacramentorum numero allata, sunt & alia è Patribus petita, & scripturis non pauca. Pro Baptismo facit Diuus Augustinus in Epist. 108. contra Nouatianos, cùm asserit *Christum in Ecclesia sua Sacramentum noui Testamenti, pro Circumcisione carnis sanctum Baptismum dedisse, & dixisse, si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum.* Augustino astipulantur Cyprianus, de Baptismo. S. Bern. sermone de ablutione pedum & Bapt. Christi,

De Confirmatione Dionys. de eccles. hierarc. cap. 2. part. 2. his verbis: *Sacerdotes indutum veste alba* (hoc est baptizatum) *rursus ad Pontificem ducunt, ille diuino, ac deifico vnguento virum signans, sacratissimæ communionis participem facit.* Eam quoque Sacramentum esse dixere August. lib. 2. contra epist. Parmeniani, cap. 103. Hieron. in Dialogo aduersus Luciferianos. Cypr. in epist. ad Iubaianum.

Eucharistiæ, vti Sacramenti à cæteris distincti meminere Patres in can. 23. Synodi 6. in Trullo & primo Lateranensi Concilio, vbi inter articulos hîc habetur, *Verum Christi corpus & sanguis in Sacramento Altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continetur.* Præcipitque Soter Papa in epist. 2. ad Episcopos Italiæ, quantam in Ecclesia mos pridem inualuerat

Digitized by Google

luerat vt ad Paſcha, factâ prius exomologeſi ſcelerum, ſacræ menſæ fideles accumberent, *pœnitentes etiam eadem die, ad percipienda corporis & ſanguinis Dominici Sacramenta, reconciliarentur.* Quo nomine Euchariſtiam quoque appellatam video in Concil. Carthag. tertio can. 24. ſicut matrimonium à Paulo ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, dico autem in Chriſto & Eccleſia.*

Mitto de Sacramentis cæteris dicere, quæ cùm ſint ſacræ, eæque à Chriſto inſtitutæ cæremoniæ, ad commodum fidelium, Deique cultum, quin in Sacramentorum numero locum habeant, ambigere nemo poteſt, ſi cùm frequentantur, in bene præparatis animis, charitatem ac gratiam, Chriſti voluntate producant, id verò eſſe, aperta Scripturæ teſtimonia perhibent, nam à ſacerdotibus Dei conſenſu ac munere, in ſacro conſcientiæ tribunali peccata condonantur. Cyprian. teſtis in epiſt. 21. ad Lucian. in carcere conſtitutum, ibi enim eum rogat vt tam ipſe, quàm alij Epiſcopi Candidæ *peccatum remittant*, quod eos poſſe dixit Chriſtus. Ioa. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Ab Epiſcopis autem producitur gratia impoſitione manuum, in ordinatorum animis, Paulus auctor ad Timotheum 4. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij,* & 2. ad Titum 1. *Propter quam cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Maneat ergo, quod nulli niſi hæretico eſt dubium, tam Patrum quàm Scripturæ & Conciliorum teſtimoniis Sacramenta ſeptem eſſe. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe à Ieſu Chriſto Domino inſtituta, aut eſſe plura aut pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum &c. anathema ſit,* Trid. Seſſ. 7. can. 1.

QVÆSTIO IX.

Qui ſint effectus Sacramentorum.

ESt hoc Sacramentis omnibus commune, producere gratiã in eo qui animo ad illa accedit bene, ac vt par eſt, præparato, quod etſi non niſi mediante fide quam excitant, facere hæretici aſſerant. Luther. lib. 1. de Babylon. captiuitate, cap. de Baptiſmo, Caluinus 4. Inſtitut. cap. 14. paragra. 6. *Hoc tamen ſecundùm fidem credimus, quòd accepta poſt Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Conc. Arauſic. can. 35. *Item placuit vt quicumque parvulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde fit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis, in remiſſionem peccatorum non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit.* Trident. Seſſ. 5. can. 4. Peccat ergo Lutherus contra priſcæ Eccleſiæ veneranda Concilia, cùm negat Baptiſmum iuſtificare, aut vlli prodeſſe, *ſed fidem in verbum promiſſionis*, cui additur Baptiſmus.

Eſt etiam Patribus, ac Scripturæ, hæc Lutheri opinio contraria, nam hæ Baptiſmum aiunt, cæteraque Sacramenta, vt cauſas minùs principales, propriè & immediatè producere gratiam: ſic Paulus ad Tit. 3. ſcribit Deum *ſaluos nos facere per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.* Nam lauacro Baptiſmum intelligi, cùm ratio nominis indicat, tùm Paulus ipſe ad Epheſ. 5. *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ:* Quòd ſi Baptiſmo ſalui ſimus, & Deo per Spiritum ſanctum renaſcimur, quam ad rem iuuat gratia, illum ſanè receptæ, ac recipiendæ iuſtitiæ cauſam inſtrumentalem eſſe quis neget? maximè cùm idem Apoſtolus, ad Roman. 6. ſcribat in Baptiſmo, per depoſitionem veteris hominis, nos Chriſto quaſi commori & ſuſcepto nouo homine, veraque pietate, cum eo ad beatæ vitæ gaudia reſurgere. *An ignoratis, Fratres, quicumque in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

Paria cum Paulo de Baptiſmo, Patres prædicant, Baſil. in exhort. ad ſanctum Baptiſma. Noſtrum (id eſt Chriſti) à Ioannis Baptiſmate differre ait, quod illud *initiatorium eſſet, illud perfectorium, à peccato iſtud auocaret, illud cum Deo coniungeret, & familiarem redderet,* & poſt pauca, *Baptiſmus*, inquit, *eſt captiuorum, & aris alienis remiſſio, peccatis mors, animæ regeneratio, amiſſus ſplendens, character indeprehenſibilis, cœli ſter, regni cœleſtis conciliatio, adoptionis gratia*, Per illum non modò in homine crimina mori, virtutes viuere, ſed & habitus, malique propenſiones abſtergi omnes, ſcripſit Cypr epiſt. 2. ad Donatum. *Scis ipſe, & mecũ pariter recognoſcis quid detraxerit nobis, quid contulerit mors ipſa criminum vitæ virtutum. Cogitabam quomodo me vincerem, meminueram habitus vitiorum durare, ſed poſtquam vndæ genitalis auxilio, ſuperioris æui labe deterſa, in expiatum pectus & purum, deſuper ſe lumen infudit, mirum in modum confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, geri poſſe quod impoſſibile putabatur.* Eodem pertinent quæ in Epiſt. 1. ad Adeodatum ſcripſit Fulbertus, Carnotenſis Epiſcopus, in hæc verba: *Scimus & verè ſcimus, nos prima natiuitate pollutos, ſecunda natiuitate mundatos, prima natiuitate captiuos, ſecunda liberos, per illam filios iræ, per iſtam filios gratiæ*: & poſt pauca ſcribit hoc diuinæ erga nos beneficientiæ tribuendum ante cætera, quod per Baptiſmum, *ſuperueniente primæ originis fine, ei commortui, & intra ſacrum gurgitem conſepulti, demerſi reſurgamus vita emergente criminibus.*

Ad confirmationem ſpectant quæ ſequuntur ex Ambroſ. in lib. de iis qui myſteriis initiantur, cap. 7. vbi Baptizatum alloquitur. *Repete quia accepiſti ſignaculum Spirituale, Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilij & virtutis, Spiritum cognitionis & pietatis, Spiritum ſancti timoris, & ſerua quod accepiſti, ſignauit te Deus Pater, confirmauit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo,* & lib. 3. de Sacrament. ca. 2. *ſequitur ſpeciale ſignaculum, quod audiſtis bodie legi: quia poſt fontem, ſupereſt vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis, Spiritus ſanctus infunditur*, vel vt habetur Actorum 8. & 2. ad Corinth. 2. & in can. omnes fideles, diſtinct. 5. de conſecratione per impoſitionem manuum. Quo ritu in conſecrandis ſacerdotibus vti ſolitam Eccleſiam in Ordine, eoque communicari illis è cœlo gratiam, tradit Paulus 1. ad Timo. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij,* & 2. ad Tim. 1. *Admoneo te vt reſuſcites gratiam* &c. Cypr. de ablutione pedũ num. 2. & tract. de Aleatorib. num. 2. *Et quoniam*, inquit, *Epiſcopum, id eſt, Spiritum ſanctum, per impoſitionem manus, cordis excepimus hoſpitio, cohabitato-*

ri noſtro, ne vllam moleſtiam proponamus.

De Pœnitentia dicere nihil neceſſe, cùm eius ope ac miniſterio, detur Apoſtolis poteſtas remittendi peccata Ioan. 20. quemadmodum & Preſbyteris omnibus per Sacramentum Extremæ Vnctionis, Iacob 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat preſbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*, quod ordinariè non fit, niſi cùm infuſione gratiæ, quam maiore vbertate ac copia dari in Sacramento Euchariſtiæ quàm alijs, communis Theologorum eſt opinio, eam ſanè recipere quiſquis expers culpæ ad illud accedit, docent Concilium Lateranen. can. 5. Florentinum in decreto Eugenij, Synod. 6. in Trullo habita can. 23. ibi enim prohibetur Preſbyteris atque Diaconis ne ab eo qui communicat, eius participationis gratia obolos, vel quamuis aliam ſpeciem exigant. οὐδὲ γὰρ πωλοῦμεν ἢ λαμβάνομεν τὴν ἀναφορὰν τῶ πνεύματος μεταδιδόμεν ἀλλὰ τῆς ἀξίας τῶ δόντος ἀπαυγάζοντες μεμαθήκαμεν, quæ verba Latinè reddita ſic ſonant. *Non enim eſt venalis gratia, nec pro pecuniis ſpiritus ſanctificationem impertimur, ſed ea, iis qui digni ſunt, abſque vlla eſt calliditate communicanda.*

Quare quòd initio huius capitis diximus, eſt id pro conſtanti habendum, aliquos Sacramentorum effectus eſſe, ideoque ſic appellari *quia ſub tegumento corporalium rerum virtus diuina, ſecretius ſalutem eorumdem Sacramentorum operatur, quæ ideo fructuoſe penes Eccleſiam fiunt, quia ſanctus in ea manens ſpiritus, eorumdem Sacramentorum latenter operatur effectus.* 1. q. 1. can. multi ſecularium 84. paragrapho Sunt autem Sacramenta, de quorum effectuum numero eſt gratia ſanctificans Trident. ſeſſ. 7. can. 8. 7. & 6. his verbis. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam, non ponentibus obicem, non conferre, Anathema ſit*, & hæc dicta ſunto de primo effectu Sacramentorum qui eſt gratia, quæ ſalutis, & beatitudinis noſtræ cauſa viaque & aditus ad ſempiternam fœlicitatem eſt, vt docet Auguſtinus, *Sacramentum eſt, in quo ſub tegumento rerum viſibilium, diuina virtus operatur ſalutem.* Secundus effectus Sacram. eſt character, ad quem pertinent hæc Paul. 2. ad Cor. 1. *Qui vnxit nos Deus & ſignauit nos, ac dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Ad Eph. 4. *Nolite contriſtare ſpiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis, in diem redemptionis*, eoq; nomine intelligitur ſpiritualis qualitas inhærens intellectui, quæ hominem reddit idoneum vt ad recipienda Sacramenta omnia, ita & ad quædam conferenda.

Hunc tria Sacramenta imprimunt, nullo delendum vnquam tempore, non alia, Trident. ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt, Anathema ſit.* Meminit Baptiſmi Baſil. in exhortat. ad Baptiſm. his verbis. *Nemo te, quarum partium ſis, noſtrarum, an aduerſarij nouerit, niſi myſticis ſignis familiaritatem præ te feras, niſi ſignatum ſit ſuper te lumen vultus Domini, niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?* Cyril. Hieroſol. Cathech. 3. quæ eſt de Baptiſmo μέλλει τὸ πνεῦμα, τὸ ἅγιον ἐφεζέσθαι ἐπὶ ψυχὰς μέλλει σφραγιζῆσθαι τῶ μεγάλω βασιλεῖ, id eſt, *Spiritus ſanctus obſignabit animas veſtras, deligendi eſtis in militiam magno Regi.* D. Thom. 3. par. q. 68. art. 8. *Dno inquit efficiuntur in anima per Baptiſmum, character & gratia*, & ad hanc requiri ait in ſuſcipiente rectam fidem in Deum, non ad alterum, ſed tantùm eaquæ ſunt de neceſſitate Sacramenti. Similia de Confirmationis Sacramento habet Aug. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. meminique Balſamonem ſcribere, Epiſcopis de Metropolitano ſuo conquerentibus, quod præter eorum voluntatem, Sacramenta in ſuis Epiſcopatibus contuliſſet, hunc reſpondiſſe accuſatum μὴ ἴσως πάρεστι ὁμοφρονῶν λειτούργημα τὸ δίδαξαι ἢ σημειῶσθαι, id eſt, *Non eſſe fortaſſe munus Epiſcopale docere aut dare characterem*, quod de Sacramento Confirmationis oportuit ab eo dictum eſſe, non Ordinis, cuius miniſter eſt ſolus Epiſcopus, à quo ſic Ordo confertur, vt ſit beneficio characteris, perpetuus & indelebilis in ordinato. Auguſt. de bono coniugij cap. 24. *Manet in ordinatis Sacramentum Confirmationis, etſi aliquacul pâ quiſpiam ab officio removeatur, Sacramento Ordinis ſemel impoſito non carebit.* τὸ δὲ χειροτονίας ὑπόμνημα ἢ ἡ σφραγὶς περίεστιν οὐ διὰ χειρὸς γινομένη, id eſt, *Ordinationis autem nomine etiam characteris impreſſio comprehenditur, cum vtraque, manuum impoſitione fiat*, Balſam. in can. 2. Synodi Chalcedon.

QVÆSTIO NONA.

Quis ſit Sacramentorum cauſa efficiens primaria.

SVppono 1. vt rerum cæterarum, ita & Sacramentorum cauſam aliquam efficientem eſſe eamque præcipuam, inſuper præter eam dari & aliam, quæ miniſterialis eſt ſeu inſtrumentalis.

Suppono 2. ei Sacramentorum efficientiam, ſeu cauſæ eorum effectiuæ nomen tribuendum, qui illa, deſignatione rei vel actionis quæ ſenſum afficit in ſignum gratiæ, tam ſignificandæ quàm conferendæ inſtituit.

Aſſertio prima. *Deus Sacramentorum cauſa eſt præcipua: Eius enim virtus omnia peragit Sacramenta*, inquit Cypr. de Baptiſ. num. 2. *ſine quo, ſigno nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratio meretur effectum.* 2. ſolius eſt Dei gratiam dare, eius conferendæ inſtrumenta parare, ſignaque efficacia, quæ ex opere operato, eam certo ac ſine prolapſionis, erroriſque periculo, obice remoto in anima pariant.

Confirmatur 1. De eo præceptum primo, & per ſe ponere nemo poteſt cum promiſſione effectus certi conſequendi, quem in poteſtate ſua non habet, at præter Deum, virtute, ac auctoritate propria, cui ſub certis ſignis communicare gratiam, eſt conceſſum? Ecquid enim de eo duntaxat dicitur à Paulo Roman. 8. *Deus eſt qui iuſtificat.* A Dauide Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus?*

Confirmatur 2. Eſt gratia, entitas ſupra vim naturæ omnem poſita, ergo extra poteſtatem quoque puræ creaturæ eſt, independenter à Deo, primario, & virtute propria, eam communicare vlli mortalium, cùm quælibet eorum actio, intra ſphæram actiuitatis ſibi natura conceſſæ, conſiſtat, quod ad productionem gratiæ ab illis, aut eorum opera, extendi dici non poteſt, cùm hæc naturæ terminos omnes ſuperet, vt hinc patet, quòd ſit omnium Theologorum iudicio, ſupernaturalis qualitas, diuinæ opus omnipotentiæ.

Confirmatur 3. Cùm gratia Sacramentorum propria, in bene præparatum animum infallibiliter, & certò influat, cùm res & verba, vt oportet, miniſter adhibet, quibus eum vti, Chriſtus voluit ad peccati remedium, ac cõſequendum diuinæ gratiæ

donum: author Sacramenti esse alius nequit quàm per quem obligari Deus valet signus, modo debito appositis ad eum impertiendum gratia, qui illa ad hunc finem vsurpauerit: at scire aueo, an sit in hominum vita quisquam ea præditus virtute, vt possit supremo numini necessitatem inferre, & legè indicere faciendæ gratiæ per signum aliquod sensibile, tanquam instrumentum, aut saltem ad eius præsentiam: Ergo nec est quisquam instituendi Sacramenti capax virtute propria, ac independenter à diuina omnipotentia; vt enim *remissio peccatorum siue per Baptismum, siue per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritus sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet.* Cypr. de Bapt. Christi.

Assertio 2. *Christus quà homo, auctor & institutor est Sacramentorum, nouæ Legis.* Quia eorum institutionem, & operationem, nobis ex condigno promeruit, vnde ex eius latere pendentis in cruce Sacramenta omnia fluxisse dicuntur. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 1. Speciatim autem Baptismum ab eo institutum, cùm est à Ioanne in Iordane baptizatus scripsit. Cypr. in tract. de Baptismo Christi. *Baptizatur Christus*, inquit, *nec vltra Iordanis, retrorsum conuertitur, perpetuo lapsu Baptismi gratia emanat ad posteros, nec vlla vetustate siccatur:* & paulò pòst: *Acceperat familiare Ioannes ab hoc eodem Spiritu responsum, quia super quem Spiritum sanctum sub specie Columbæ videret, ipse esset apud quem Bapt. maneret auctoritas, qui mundi peccata tolleret, qui solus à nullo sanctificatus, & cuncta sanctificans, non tam interesset sanctificationibus, & Sacramentis omnibus, quam præsideret, &, Veniebat Christus ad Bapt. non egens lauacro, in quo peccatum non erat, sed vt Sacramento perennis daretur auctoritas, & tanti virtutem operis nulla per sæcula acceptio commendaret.* Secundò Christus est Sacramentorum auctor quia vt mediator Dei & hominum, per vnionem hypostaticam, potestatem habuit excellentiæ, per quam vt gratiam dare, eam homini promittere, ita & Sacramenta potuit instituere, iuxta illud Math. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Neque verò Christus instituere Sacramenta nouæ Legis tantũ potuit, sed & verè omnia Ecclesiæ tradidit. Concil. Trid. Sess. 7. can. 1. Et licèt ad eam rem excellentem verè ac cœlestem, hominis operâ, ministerioque vti potuerit, communis tamen est Doctorum opinio, vsum non esse. Pars prima videtur certa: nam quid impedit quo minus Deus Apostolis, aut Ecclesiæ, potestatem committeret designandi aliqua, de se ac natura sua capacia incurrendi in sensum, quorum vsu, ex Christi institutione certò produceretur gratia, eaque sanctificans? Datam tamen non esse, catholicæ fidei dogma est, idque indubitatum ac certum, nam à Concil. hoc est Ecclesia errare nescia in hoc rerum genere, sancitum legimus, Sess. 7. can. 1. *Sacramenta nouæ Legis omnia, à Christo instituta fuisse.* haud dubiè immediatè ac proximè (nam aliquorum promulgatio, Apostolis est à Christo relicta, vt de Extrema vnctione scripsit Concil. Sess. 14. can. 1.) nihil hìc ergo habet Ecclesia, nihil Apostoli quod suum esse dicere iure possint. Vt natiuitatis primæ initia, ita reparatæ progressus, ac commoda, Deo solidebemus accepta. Qui è cœlo in terras lapsus, hominis redimendi causa venerat. pro cæterâ suâ in illum caritate, pati eum non debebat, iacere earum rerum inopem, quibus humana salus progressioque in virtutibus continetur, at hanc Sacramenta adiuuant vt quæ maximè, tam infusione gratiæ quàm diuinarum opum, quæ hanc comitantur vt affectæ. Sunt hæc ergo à Christo, dum adhuc in humanis ageret, instituta, Ecclesiæque data, ad Dei Patris gloriam, suãque, & præstantis suæ aduersus illam prouidentiæ, amorisque illustria monumenta. Ita Suar. & Vasq. disp. 135. cap. 1.

Assertio 3. *Deus solus, vt causa simpliciter principalis, operatur effectus Sacramentorum, qui sunt gratia sanctificans, & character.* Cyprianus testis, infinitis propè locis, aliquot seligam è quibus, de cæteris iudicium fiat. Primus est in tract. de Bapt. Christi num. 1. Remissio peccatorum siue per Baptismum, siue per alia Sacramenta donetur propriè Spiritus sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet. Alter est in tract. de Aleatoribus iam ante citato, vbi de Spiritu sancto loquens ait, cum *rem Sacramenti consummare & perficere*, Christum insuper facere, vt causam eiusmodi effectuum meritoriam, dependenter tamen à Deo, docet D. Th. q. 64. art. 3. Pro qua opinione facit Cypr. tract. de resurrect. carn. num. 5. his verbis. *Baptizantur in nube, & mari Hebræi, & iam Spiritu sancto, & sanguine Christi mundantur à peccatis populus:* nimirum quia patiendo obtinuit à Deo Patre, vt ei reconciliaremur per Sacramenta, ex quo patet Christum ad iustificationem nostram in Sacramentis concurrere, 1. in genere causæ meritoriæ, 2. instrumentariæ diuinitati coniunctæ. D. Thom. 3. p. q. 7. art. 6. & q. 64. art. 3. vbi ait, Christum propter vnionem, habere potestatem ministerij principalis, quæ dicitur potestas excellentiæ.

Assertio 4. *Ministri sunt causæ instrumentales gratiæ minùs præcipuæ.* Primò, quia dependent in ministerij sui exercitio, vsque, ab humanitate Christi vnita Verbo. Secundò, quia secundùm institutionem Christi & imperium, solum exhibent exterius ministerium, & applicationem meritorum, quæ ex Christi meritis, virtutem gratiæ sanctificantis in se continent.

QVÆSTIO DECIMA.

An ad validitatem Sacramenti requiratur in Ministro intentio, & qualis.

APostrema parte quæstionis hìc positæ ducet hæc disputatio initium, pro cuius explicatione

Notandum primò, intentionem à Theologis triplicem agnosci. Actualem, virtualem seu implicitam, & habitualem. Explicita, seu actualis intentio, est, cùm distinctè ac expressè Minister animum inducit Sacramentum aut effectum eius producere in recipiente, verbi causa regenerare in Baptismo, absoluere in Sacramento Pœnitentiæ: aut cùm verè vult & signatè per actionem sacramentalem, facere quod ex Christi instituto facit Ecclesia.

Secundò, intentio est in Ministro explicita, cùm sibi, ac operi suo præsens, ad id quod molitur, quod agit, aduertit animum, absque eo tamen, quod ei accidat dicere, Volo, vel intendo, vt scrupulosis est in more, cùm id non sit necesse simpliciter & absolutè, sed tantùm vt loquuntur ad bene & perfectè esse.

Tertiò, actualis est intentio nonnullis, quæ

actum non deserit, sed cum nullo non tempore comitatur, habitualis propensio quædam est procedens ex habitu infuso, vel acquisito per actiones sæpiùs repetitas, vi cuius operans est, etsi actu de Sacramento, eius fine aut effectu vel alio quopiam opere quod ei ex natura rei cohæreat cogitationem nullam suscipiat, sic tamen est affectus, vt si cogitaret, velle se Sacramentum per actionem quam exercet, eius finem vel effectum, certissimè dicerem tita habitualiter intendit, qui habet habitum inclinantem ad actum Sacramentalem, etsi nihil de eo cogitet nec facere velit, etsi natura feratur ad exercendum, sed non hoc tempore.

Virtualis est cùm actio, cui minister vacat non est expressè quidem volita, oritur tamen ex intentione eius actuali priùs habita, vi cuius, quia minister operatur & exercet actum Sacramentalem, etsi de eo non cogitet virtute tamen censetur eum intendere ac velle, quare virtualis ideo dicitur quòd actualis antecesserit, quæ in executione actus Sacramentalis, tanquam causa in effectu suo, virtute manet, eaq; tamdiu durare existimatur, quamdiu per contrarium actum non reuocatur. Sic Consecratio panis, verbi causa facta animo distracto, etsi volita in se non sit, quia tamen ex præuia voluntate actuali eam faciendi oritur, quæ sacerdoti causa fuit egrediendi cubiculo, lauandi manus, sacris se vestibus induendi, virtute dicitur volita, & quidem, quantum est satis ad effectum producendum. Ob eamque causam dixere aliqui virtualem intentionem, voluntatem quidem esse finis assequendi, sed non nisi implicitam, quia etsi actualis, quæ antecessit transierit, remanet tamen in aliqua actione, cum qua cohæret, & quæ est medium seu via ad illum, vel certè in imaginatiua, ratione impressionis quam in ea reliquit, in primo proposito, quo quis ad operandum se applicuit, & vi cuius, potentia se accinxit ad actus inchoatos, & propositos initio, complendos. Huius opinionis authores sunt Cabrera de Sacramentis, quæstione sexagesima quarta, art. 8. disp. 1. Vasquez in 3. part. tom. 2. disp. 138. cap. 6.

Alij vt Reginaldus lib. 16. cap. 3. numero 38. asserunt virtualem intentionem ideo dici quòd ex natura sua, aut institutione Ecclesiæ, contineatur sub altera intentione, cum qua ita est coniuncta, vt hac præsente, ipsa quoque censeatur adesse. Exemplum ponit in eo, qui se induit sacris vestibus, calicem sumit celebrandæ Missæ causa, & cùm hac voluntate ad altare progreditur, hic enim cùm consecrat, etsi non aduertat ad ea, quæ pronuntiat, tamen virtute consecrare vult ac appetit, quia verborum prolatio à voluntate dicendæ Missæ proficiscitur, qua in celebratione virtute continetur consecratio. Deinde habet intentio talis medij, putà assumptio sacrarum vestium ex destinatione Ecclesiæ, voluntatē finis, virtute saltem ac implicitè cū hæ non nisi, ad celebrationem Missæ adhiberi soleant quæ cum fine consecrationis stare nequeat, hæc quoque virtute censetur intenta, in voluntate vestiendi se sacris vestibus. Hæc ferè aut similia Reginaldus.

Progressi sunt in hac causâ longiùs Valent. tom. 4. disp. 3. q. 5. parte 3. ver. intentio Henriq. in sum. lib. 1. cap. 10. n. 2. dixerunt enim in ministro intentionem virtualem esse conficiendi in posterum Sacramenti, cum Ordines suscipit eamque ad validitatem eius sufficere Verba Henriq. sunt ista. *Intentio virtualis etiam dicenda est illa, quæ quamuis non videatur fluxisse, ex efficaci vi, vel motiuo primæ intentionis quia nunquam habuit intentionem sic explicitam volo facere quod Ecclesia intendit, habuit tamen confusam, vt si quis Ordines sacros suscipit vt fiat sacerdos.* Hæc ille, quam verò probabiliter, malo in aliorum opinione relinquere quàm his commentariis inferere.

Notandum 1. Intentionem hanc virtualem, mediam esse inter actualem & habitualem, quia est imperfectior actuali, & perfectior habituali respectu finis, habitualis enim intentio est in dormiēte, quia habet habitum inclinantem ad actum, etsi de eo, eius fine, aut mediis, non cogitet. Actualis, est in eo, qui actu vult obiectum, aut finem, v. g. Baptizans vult expresse obiectum actus Baptizandi, cum eum vult perficere, intendit finem Baptismi, cum id vult, propter quod est institutus, vel specialiter, vt cùm vult per eum producere gratiā in Baptizando, eum facere hæredem regni, delere in eo culpam originalem. Generaliter autem intenditur à ministro Bapt. finis, cum in eo ministrando illud ipsum spectat quod Ecclesia, licet non cogitetur, aut ignoretur, vel non credatur, conferri per Baptismum gratia quam tamen vti finem intendit Ecclesia cùm Baptizat. Virtualis intentio, est in eo, qui non actu vult finem, sed tantùm media, ad illum priùs actualiter intentum, & quidem tali modo, vt si non præcessisset actualis eius intentio, non procederetur ad media. His ita prænotatis.

Dico primò. *Sine ministri intentione, Sacramentum nullum esse posse*: Est hæc assertio ab Eugen. 4. in Concil. Florent. definitè sancita, & tradita his verbis. *Hæc omnia Sacramenta, tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum.* Quare *magni interest, cum aliquid facimus, cuius rei contemplatione facimus, officium quippe nostrum, non initio sed fine pensandum est, vt scilicet non tantùm si bonum est, quod facimus; sed præcipuè, si bonum est, propter quod facimus, cogitemus.* August. in Psal. 118. conc. 12. Sanè sine intentione faciendi saltem quod facit Ecclesia Sacramentum esse non posse tanquam certissimæ fidei articulum definit Concil. sess. 7. can. 11.

Dico secundò. *Ministri intentionem cum Baptizat esse debere ab omni errore liberam.* Declaratit Zacharias in can. retulerunt 86. dist. 4. de consecratione: enimuero cùm ambigeretur de validitate Bapt. collati, In nomine Patria, Filia, & Spiritua sancta, respondit eius quæstionis vim omnem, ac intelligentiam petendam esse ab intentione conferentis, quæ si recta fuit, *si baptizauit non errorem introducens aut hæresim, sed profola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam*, ita totum rebaptizandum sibi non videri sicut è contra author Gregorio lib. 9. Epist. 61. ad Quirinum Episcopum Iberiæ & refertur de consecrat. distinct. 4. can. 84. *Hæretici qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur sicut sunt Cataphryges & Bonosiani (quia & isti Christum Dominum non credunt, & illi Spiritum sanctum pernerso sensu, esse quendam prauum hominem credunt) & alij tales cùm ad Ecclesiam veniunt baptizentur, quia baptisma non fuit quòd in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine non perceperunt.* Quæ est doctrina D. Thom. artic. 7. ad 3. & art. 8. ac Concil. sess. 7. can. 11. debet ergo ministri intentio esse ab errore pura, vt eius actum, sequatur in collatione Sacramenti gratia.

Confirmatur. Debet Ministri intentio minimùm esse intentioni Christi & Ecclesiæ par ac similis, secùndùm Trident. Sess. 7. can. 2. sed Sacramentum conferens cum intentione faciendæ hæresis, aut disseminandi erroris, vel testificandæ rei cuiuspiam falsæ quam ante ceptam animo habet, intentione caret faciendi, aut significandi, quod Christus instituit, aut Ecclesia intendit, cùm vtercque in Sacramentorum vsu Dei cultum, non offensam, hominum salutem, non perniciem obiectam habeat, non peccat ergo modò, qui re sacra vt est Sacramentum, abutitur ad rem malam, sed insuper ludit operam, Sacramentum non efficit: *Diuersa enim intentio diuersa facta facit, & cùm sit vna res, ex diuersis eam intentionibus, si metiamur, vnum amandum, alterum damnandum, vnum glorificandum, alterum detestandum inuenietur.* Augustin. tract. 7. in epist. Ioannis.

Dico tertiò. *Etsi admodum sit vtile, sacerdotem cùm Sacramenta administrat, actualem habere intentionem, id est, voluntatem expressam, ea conferendi, non est id tamen absolutè necesse.* Ita S. Th. q. 64. art. 8. his verbis. *Si in ipso exercitio actus cogitatio Ministri ad alia rapiatur, virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum, quamuis studiosè curare debeat, vt etiam actualem intentionem adhibeat, sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate,* cùm moraliter fieri nequeat, vt animus perpetuò defixus hæreat in cogitatione rei, quam molitur, aut eiusdem voluntate, quod tamen esset necesse, vt eius intentio dici posset actualis, per hoc enim, quæ est talis, differt à virtuali, quòd illa cognitione & voluntate nunquam ab actione discedat, hoc est, tunc sit in Ministro, quando sui compos ac cum ratione, attendit ad id quod agit, ista autem, id est virtualis, attentionem actualem non habeat, sed antè habuit, cùm Minister in quo esse dicitur, agat ex antecedente cogitatione, ac proposito Sacramenti dandi, sitque ita animatus, vt verè actu, & de facto illud vellet, si se suis cogitationib. animus ad alia abripi parũ consultus, suiq; impos non sineret.

Dico ergo tertiò, *Vt Sacramentum sit validum, exigi, vt Minister intentionem sibi saltem implicitam formet illud conferendi statuendo cum animo suo facere illud ipsum quod à nobis Christus fieri voluit, faciteque vera Ecclesia. Cuiusque modi, & qualis sit, illa tandem.* Ita D. Thom. in 3. par. q. 64. art. 8. ad 3. Sic enim ibi intentionem qua constare Sacramentum omne debet, explanat. *Cùm Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia, vnde, si postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.*

Hanc opinionem amplexi sunt Fernandez in suo exam. par. 3. cap. 1. parag. 4. Coninch. De Sacrament. q. 94. art. 8. dub. 1. num. 7. Vasq. in 3. par. tom. 2. disp. 138. Pesantius in 3. par. q. 64. art. 8. disp. 2. ab eoque stat Ecclesiæ vniuersæ iudicium expressum in Trid. Sess. 7. can. 2. his verbis. *Si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Quo posito, vti certo fidei articulo, dicendum est, hæreticos verè baptizare. can. nunc autem 46. dist. 4. de consecrat. *Cùm tantùm valeat Baptismus per hominem contemptibilem, quantùm per Apostolum datus.* Augustin. lib. 5. contra Donat. cap. 13. *Et nobiscum sint in Baptismo, in symbolo, & in cæteris Dominicis Sacramentis, in Spiritu autẽ vnitatis, & vinculo pacis, in ipsa denique Ecclesia Catholica, minimè A sint.* Augustin. Epist. 48. ad Vincentium de hæresi Rogatiana: & paulò antè: *Cùm autem transitis ad nos, priùs vtique relinquitis quod eratis, ne ad nos hæretici transeatis. Baptiza ergo me, inquis: faceremsi baptizatus non esses, aut si Donati, vel Rogati, non Christi Baptismo baptizatus esses.*

Ad quæ testimonia omni luce clariora ratio hæc quoque accedit. Error speculatiuus in Ministro, circa Ecclesiam, vim, aut efficaciam Sacramenti, cuius validitatem non tollit, sed tantùm defectus intentionis in eo faciendi quod facit vera Ecclesia, nec enim Sacramenta vim suam ab opinione nostra aut Ministrorum trahunt, sed à Christi institutione partibusque eius essentialibus, quas ab hæreticis B adhiberi posse cum intentione necessaria quis neget.? Valebunt ergo tam Sacramenta ab iis collata, quamuis cum voluntate tantùm implicita ea conferendi, quæ contineatur in intentione faciendi, quod fit ab Ecclesia, & à Christo fieri est iussum.

Primò, quia talis intentio sufficit ad culpam, qui enim, exempli causâ, post destinatam inimici necem, ensem expedit, arma parat, aut dat se in viam, peccat mortaliter, etsi hæc operâ, non nisi virtute, sæpe sint volita, cùm fieri possit vt is qui ea exercet, de opprimendo hoste, cogitationem nullam tum habeat, ergo in humanis intentio virtualis quantum est satis ad hæc influit, vt effectus cuius est causa, vitiosus sit, aut bonus.

Secundò, ad confectionem Sacramenti ex parte C Ministri, sufficit applicatio formæ ad materiam cum intentione debita, talis applicatio cùm virtuali intentione stare potest, quia per eam actio est humana & libera, vtpote imperata à voluntate, & directa à iudicio intellectus, cuius ope, ac beneficio operanti plenè est cognitum quid versetur animo, quid moliatur, ac velit in vsu rerum quibus Sacramentum conficitur, supponitur enim quòd sit sui compos, quòd cũ ratione operatur, proindeque liberè ergo quantum est ad Sacramenti rationem, abundè sufficit virtualis intentio, eaque absoluta.

Confirmatur. Intentio virtualis ex dictis antè est etiam actualis, quamuis non respectu eiusdem, est enim actualis respectu medij, & virtualis res- D pectu finis, quem actu Minister non intendit, quod sufficit.

Dico 4. *Cum intentione habituali Sacramentum esse non posse.*

Probatur. Sacramentorum administratio, est mysteriorum Dei liberalis dispensatio, iuxta Paul. 1. ad Cor. 4. Fieri ergo debet humano modo, & rationabili, cùm sit alienatio rei, nomine Domini in alium gratis facta, quàm non nisi à sciente, ac intelligente quid agat, fieri debere, ac posse, rerum politicarum non omnino rudes intelligunt: sed habitualis intentio non necessariò exigit esse in operante, cum iudicio ac ratione: nam quis nescit longo vsu, diligentiaque in agendo secundùm æqui E rectique formam comparatos habitus, dormientem ad operandum inclinare ac mouere posse, vt patet. Quæ ergo intentio ex tali habitu prouenit ad Sacramenti administrationẽ validam, non est satis.

Dico 5. *Ad valorem Sacramenti, intentionem absolutam exigi, datum sub conditione de futuro contingenti ratum non esse.* Ita Cajetanus in Summa, verbo absolutio, num. 1. Suar. disp. 13. sectione 3. Ratio est, quòd talis conditio omnem Sacramenti rationem destruat, cum impediat illud poni ad positionem materiæ & formæ, absente hypothesi cum

qua confertur, neque etiam Sacramentum futurum eſt poſtea, quia eſſe nequit ſine materia & forma, partibus ſuis eſſentialibus, quæ tamen non erunt cùm incipiet conditio exiſtere: ergo nunquam. Excipiendum eſt Matrimonium, quia cùm eius vis omnis ſit in contractu poſita, quæ res conſenſum ad eius eſſentiam neceſſarium ſuſpendet ab eadem quoque, mora fiet Matrimonio, ne exiſtat, ſed poteſt contractui apponi conditio, qui ſit de futuro contingenti ergo & Matrimonio de qua re poſtea pluribus.

Dixi in aſſertione *cum conditione de futuro contingenti*, nam Sacramentum datum ſub conditione de præſenti aut præterito, ſtatim valet ſi conditio eſt, non valet, ſi non eſt, quia conditio de præſenti aut præterito, cùm ſit extra cauſam poſita, & non in futurum ſit dependens, non ſuſpendit intentionem, actionemque, ſed mox facit tranſire in abſolutam & efficacem.

Obiicies. At eſt D. Thomæ in 3. par. q. 64. art. 8. ad 3. opinio, cùm ea intentione ſtare Sacramentum poſſe, ibi enim cum duas intentiones poſuiſſet, actualem & habitualem, vtramque dicit ad conficiendum Sacramentum ſatis eſſe. Reſpondendum ſanctum Doctorem, intentionem habitualē ſumere pro virtuali, patet ex eiuſdem explanatione loco citato. Diuoque Bonau. in 4. diſt. 6. art. 2. q. 1. vbi his verbis ſcripſit. *Hoc habendum eſt pro regula ad omnia ſequentia, quod ad omnium Sacramentorum diſpenſationem, neceſſarium eſt habere intentionem, vel actu, vel habitu, vel implicitè, vel explicitè*: Quæ enim intentio eſt implicita, eadem quoque pro virtuali eſt habenda, vt voces ipſæ indicant.

QVÆSTIO XI.

Quis ſit miniſter Sacramenti, quidque in eo ſit neceſſarium.

MVltiplicis gratiæ quæ, à Sacramentis deriuatur in animam, Chriſtus qua homo, cauſa eſt meritoria, efficiens verò miniſterialis ex commiſſione Dei, cum poteſtate excellentiæ, ille ipſe in quantum eius humanitas propter vnionem hypoſtaticam, quam habet cùm Verbo, operatur dictos effectus in homine tanquam inſtrumentum diuinitati coniunctum. D. Thom. 3. part. q. 7. art. 6. & q. 64. art. 3. Alia cauſa inſtrumentalis, eſt homo applicans ſubiecto ex intentione materiam cum forma, & de hoc quærimus, quid ad Sacramenti validitatem adferre debeat. Pro ſolutione.

Prima Aſſertio. *Requiritur in miniſtro, qui de lege ordinaria Dei non eſt alius quàm homo, ſpecialis aliqua poteſtas comparatione Sacramentorum omnium, præterquam Baptiſmi in neceſſitate, & Matrimonij.*

1. Pars. Probatur teſtimonio Pauli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus eſt.* Ex quo loco argumentari ſic licet, Sacramentorum miniſtri ſunt Pontifices, ac diſpenſatores myſteriorum Dei 1. ad Corinthios 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Sed id Angelis non conuenit cùm à Deo eius rei poteſtatem nullam ſint nacti, ex Diuo Thoma 3. parte quæſt. 61. articulo 7.

Dixi de lege ordinaria, quia de abſoluta, Angeli, aut animæ ſeparatæ, inſtrumenta Dei eſſe poſſunt in productione gratiæ per Sacramenta, vt enim ad iuſtificationem hominum, eiuſmodi ſignis non eſt aſtrictus, ita nec miniſtris, ergo vt ſine illis conferre gratiam, ita etiam poteſt ſine miniſtris ordinariis, ac modis, quos ab iis ſeruari in Sacramentorum effectione voluit.

Eſſent tamen hæc Sacramenta, à noſtris diuerſa: enimuero cùm ſit Eccleſia viſibilis, non niſi per miniſtros regi debet, quibus nobiſcum aliqua linguæ ac vitæ ſit communio.

Deinde, Sacramenta noſtra verbis conſtant tanquam forma, at ea efformare homines poſſunt non alij, cùm ſoli loquendi facultatem à natura, eiuſque authore Deo habeant. Eſt enim oratio, non tantùm cogitationis idea, ac ſignum, ſed & indicium corporis, quo conſtamus; fit enim per organa coniuncta ac vitalia, at vtrumque habent ſoli homines. Etſi enim Angeli cogitata ſuæ mentis ſibi ſimilibus in natura enuntient, non tamen per organa coniuncta & vitalia, cùm corporeæ molis ſint expertes: ſoli ergo homines idonei ſunt & apti Miniſtri Sacramentorum, quibus nunc vtimur.

Secunda pars Aſſertionis, in qua dictum eſt, requiri ſpecialem aliquam poteſtatem in Miniſtro reſpectu Sacramentorum. Sit probatur. Sacramentorum collatio eſt actio ſacra, ad quam dignè faciendam, conſecratur Miniſter per Ordinem; at hunc non omnes recipiunt, non ſunt ergo ſinguli Sacramentorum conferendorum capaces, ſi duo illa excipias, quæ ſunt excluſa in Aſſertione prima. Secundò, Sacramentorum omnium, præterquam Baptiſmi, & Matrimonij, Miniſter eſt Sacerdos, At talis conſtituitur per characterem, qui ſecundùm D. Thomam, 3. parte, quæſt. 63. articulo 3. ſupernaturalis eſt qualitas, qua homo redditur ad Sacramenta omnia conferenda idoneus, ergo cùm ea promiſcuè omnes non ſint inſtructi, nec ad conferenda Sacramenta cenſendi ſunt omnes idonei.

Aſſertio 2. *Ordinaria poteſtas conferendi Sacramenta eſt penes Sacerdotes*, quia illis ſolis competit dicere ex ordinaria poteſtate, quam iure diuino habent. *Sic nos exiſtimet homo vt Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum Dei*: quare in eos ſolos inſufflauit Chriſtus, & dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. Ioan. 20. quæ verba in eorum Ordinatione repetuntur ab Epiſcopis: ſoli ergo Sacerdotes (quo nomine vſu antiquo Canonum) intelliguntur etiam Epiſcopi, poteſtatem habent ordinariam conferendi Sacramenta, in Dei Eccleſia.

Dixi, *ordinariam*, nam in caſu neceſſitatis quilibet baptizare poteſt, can. conſtat de conſecratione, diſtin. 4. can. mulier. can. in neceſſitate. can. ſanctum eſt ead. diſt. & can. Diacones, diſt. 93. Similiter & Diacono olim permiſſum fuit miniſtrare Euchariſtiam in neceſſitate, indicant hæc verba petita ex hiſtoria B. Laurentij. Experire an idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici corporis diſpenſationem.

Aſſertio 3. *Vt validè Sacramentum conferatur, non modò requiritur poteſtas Ordinis, ſed inſuper in plurimis neceſſaria eſt auctoritas Iuriſdictionis, & quidem neceſſitate Sacramenti reſpectu pœnitentiæ, comparatione verò aliorum neceſſitate tantùm præcepti.*

Prima pars probatur. Eſt abſolutio iudicialis actio, at hæc ſine iuriſdictione in abſoluente ſuper abſolutum eſſe non poteſt.

Secunda oſtenditur. Non aliis quàm Paſtoribus licitum eſt ſine culpa extra neceſſitatem extremam paſcere oues proprias, nam alienas inſtruere

ſine poteſtate eius cui ſunt commiſſæ, eſt illi iniu- A
riam facere, at præceptum eſt de non itroganda alteri iniuria, ergo & neceſſariũ neceſſitate præcepti in conferente Sacramentũ Ordinis, Cõfirmationis, Vnctionis, & Baptiſmi, vt hic, id eſt conferens poteſtatem iuriſdictionis habeat in eum cui Sacramentum confert.. Maneat ergo quod eſt in quæſt. poſitum, hominem Sacramenti adminiſtrum eſſe, Deique in producenda gratia inſtrumentum: vt enim de Chriſto dictum eſt Ioan. 1. *Ille eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*, ita & de eodem dicitur Io. 4. *quod non baptizauit, ſed Diſcipuli eius.*

Cauſa ergo inſtrumentalis gratiæ minus præcipua in Sacramento eſt homo, cui eius miniſterium, eſt à Chriſto ſeruatore commiſſum in Eccleſia, & in eum ſenſum ſcribit Auguſtinus, tract. 5. in caput 1. Ioan. *Poteſtatem Dominici Baptiſmi in nullum tranſire hominem, ſed miniſterium ſolum, & in bonos & in malos*, quare ſolum miniſterium? quia cùm Sacramentis adminiſtrandis miniſtri vacant, nullũ proprium influxum exercent in proprios eorum effectus, ſed iuxta Chriſti inſtitutionem, & imperium, ſolum exhibent exterius miniſterium, per applicationem formæ ad materiam, quæ ſimul vnita, habent ex Chriſti meritis vim producendi gratiam, quod ipſum, tam eſt nullorum opinione, ad gloriam ac beatæ vitæ laudem præſtabile, vt exiſtimauit Theophanes Nicænus Epiſcop. epiſt. 3. Preſbyterum, vel hoc vno nomine, *ἴσον θεῖον πνεῦμα, ἢ κρεῖττον*, id eſt, *humano faſtigio maiorem eſſe*, vt qui cœlitus acceperit, *ἀμεινόν ἢ θνητικὸν χάρισμα*, id eſt, *Opificem ac deificantem diuini ſpiritus gratiam*, communicandam cum aliis in Sacramentis, quorum ipſe diuino beneficio Miniſter eſt, ac in Chriſti familia eius voluntate ac nomine diſpenſator.

Secunda Aſſertio. *Debet tamen Miniſtro intentio directa eſſe, ſaltem circa id quod Chriſtus & Eccleſia ſpectant, in vſu ſacrorum, quæ Sacramentum conficiunt.* Ratio eſt, quod Miniſter velle debet actu aut virtute, quod vult Eccleſia, at hoc eſt eius intentionem directam eſſe, circa rem intentam à Chriſto, cùm eam in ſe reſpiciat, & non in alio tantùm. Quare obiectum, ſeu finis qui reſpondere debet intentioni particulari atque internæ, Miniſtri eſt velle facere quod facit Eccleſia. Ita D. Thom. in 3. par. q. 64. art. 8. ad 1. D. Bonauent. in 4. diſt. 6. art. 2. q. 1. *Intendat*, inquit, *facere quod facit Eccleſia, vel ſaltem quod Chriſtus inſtituit diſpenſare*: quæ eſt etiam opinio Palud. in 4. diſt. 6. q. 2. art. 2. & Scoti, ibid. q. 5.

Dico 3. *Miniſtrum debere intendere actum ſuum quem exercet, id eſt, vt velit pronuntiare verba, & applicare formam materiæ, & præterea finem talis actus.* Pars prima eſt certa, eſt enim miniſtratio Sacramenti, humana actio, proindeque voluntaria ac deliberata: At eſſe talis non poteſt ſine intentione eius actionis, quæ eſt proprie Sacramenti miniſtratio, ergo intendi hæc debet. B

Confirmatur, Sacramentum eſſe non poteſt, niſi coagmentatum ſuis partibus, materia ſcilicet & forma: ergo eas Miniſter vt ſic velle debet, cùm Sacramentum miniſtrat: Conſequens probatur. Applicatio quælibet formæ ad materiam, Sacramentum non efficit, ſed humana, ſed quæ pro fine habet facere, ſaltem quod facit Eccleſia, At eiuſmodi voluntas exigit in Miniſtro, cum notitia partium dicti Sacramenti, actum quo velit eas vt ſunt tales, adhibere ad illud conficiendum, qui enim iis temerè, ac ioco vtitur, nihil promouet, communi Theologorum ſuffragio, propterea quòd non veram eius rei quæ fit ab Eccleſia imitationem, nec veram intentionem habet. C

Pars Aſſertionis altera fuit, *Etiam intendi oportere finem talis actus.* Quæ vt probetur Notandum 1. finem Sacramenti eſſe duplicem, remotum vnum, proximum alterum: Remotus eſt, vt qui Sacramentum ſuſcipit, fiat Dei filius per gratiam; & hunc finem non eſt neceſſe includi in intentione Miniſtri, quia mens Iudæi qui baptizare poteſt, abeſt ab hoc fine longiſſimè: Proximus eſt, vt qui Sacramento donatur, id recipiat, quod ei dari à Miniſtro, & ab illo recipi, Chriſtus & Eccleſia voluere; & hunc finem neceſſe eſt cohærere cum intentione generali aut ſpeciali. Ratio eſt, quòd donatio receptionem rei donandæ aut datæ præſupponit: Nam ſi eſt qui de ſuo, aut alieno aliquid donet, etiam aliquem eſſe oportet qui recipiat. At eſt Sacramenti collatio, ſpiritualis quædam donatio, tam effectus, qui eſt Dei voluntate ex Chriſti meritis illi coniunctus, quàm externæ cæremoniæ, in qua conſtat eius eſſentiam ſitam eſſe. Ergo eum, qui humano more Sacramentum confert, oportet velle finem eius proximum, qui eſt, recipientem dignari re cuius cauſa eſt hoc intentum à Chriſto, & confectum à Miniſtro. D

2. Eſt id Miniſtro laborandum, vt actum externum ſacramentalem exerceat, non vt quidpiam profanum, & commune, ſed vt eſt ſacer ritus, quique ex ea opinione fit ab Eccleſiæ Presbyteris, ad effectum intentum à Chriſto, ſed hoc eſt Miniſtri intentionem directam eſſe circa Sacramenti finem proximum. Maior eſt certa, qui enim lauare, verbi cauſâ, tantùm vellet, & nihil aliud, operam luderet, cùm lotio ſit actio communis & non ſacra. Minor probatur. Eſt eius intentio directa. E

QVÆSTIO DVODECIMA.

An intentio Miniſtri recta eſſe debeat, circa finem Sacramenti, & eius effectum.

SEnſus eſt an ſit neceſſe ad validitatem Sacramenti, vt illud Miniſter ſuſcipienti largiatur ad remiſſionem peccatorum ab eo ad miſſorum, aut infuſionem gratiæ, quæ effectus eſt Sacramenti cuiuſlibet primarius & proprius: pro ſolutione

Dico 1. *Non requiri in Miniſtro intentionem, quæ ſit recta modo explicato in titulo.*

Probatur. Intentio intrinſeca Sacramento, eſt velle quod vult Eccleſia, at in ea voluntate nihil expreſsè & actu includitur eorum quæ ſun dicta, ſed tantùm confusè, ergo intentio quæ iſto modo ſit recta, non eſt ad effectum Sacramenti neceſſaria.

Confirmatur. Si intentio Miniſtri deberet eſſe recta modo explicato, peccarent plerique homines, qui aut neſciunt per Sacramenta dari gratiam, nec proinde eam poſſunt illa miniſtrando intendere, cùm voluntas non feratur in incognitum: aut ſi ſciunt, commodis tamen ſuis, miniſteria ſacra metiuntur, vt qui non rarò lucri cauſâ ſacrificent, confeſſiones audiant, &c. tales autem in ſuſpicionem vocare, peccati maximeque lethalis, culpa eſt, eaque veniali maior, maximè cùm ſint non pauci, iique probitatis laude conſpicui, qui in operâ quam miniſtrandis Sacramentis proximo religioſè nauant, de gratia illis conferenda actu non cogitent.

haud dubiè circa Sacramenti finem proximum, qui illud conferre ſatagit, ſecundum intentionē Chriſti & Eccleſiæ, ſed qui vult actum externū Sacramentalē, vt eſt ritus ſacer ex inſtitutione Chriſti vſurpari ſolitus ad effectum, cuius cauſa adhibetur ab Eccleſia, vult eius finem proximū, illum ergo intendit.

Contra hanc aſſertionem & præcedentes.

Obiicitur primò. Si miniſtri intentio eſt neceſſaria ad validitatem Sacramenti, iuſtā nobis eſt cauſa dubitandi, ecquid Sacramenta verè dentur vlla mortalibus, aut ſint collata vnquam, cum de miniſtri intentione, vtpote incognita ac latente, certum haberi nihil queat.

Neganda eſt ſequela: enimuero etſi certò, euidenter & clarè, conſtare homini nequeat, an miniſter veram vnquam intentionem habuerit, cùm hæc non cadat ſub ſenſus, poteſt tamen id certum eſſe moraliter, quod ſufficit: nec enim vlli, de eo dubitandi cauſa eſſe debet, quod externo ſigno patet, talis eſt miniſtri intentio, cùm conſtat eum vſum eſſe verbis, & cæremoniis quas frequentat Eccleſia ex inſtitutione Chriſti, in collatione Sacramenti, quod ſufficit, vt de eius intentione argumenta habeantur eaque moraliter indubia ac certa.

Deinde quantæ eſt imprudentiæ, ac in politicis temeritatis & audaciæ, innocentem impietatis arceſſere? facit id verò cui miniſtri prohibitas eſt dubia, quandiu de eius libidine, auaritia aut neglectu legū, aperta nulla ſunt indicia, qualia incauſa præſenti non ſuppetunt, & ſi ſuppeterent, locus tamen eſſet ſaluti. 1. per votum Baptiſmi, quod continetur in actu amoris Dei, ac voluntate ſeruandi tam Decalogi præcepta, quàm cætera, in quorum numerum cogi debet, quod eſt à Chriſto in lege noua traditum de Baptiſmo recipiendo, at hunc actum tam ſeruandi mandata cœleſtia, quàm amandi numinis, habere poſſunt quilibet, ergo & omni ſe dubitatione eximere. 2. circa ſalutis obtinendæ media, conſulere ſibi ſinguli poſſunt, in tali dubio, reiteratione Baptiſmi non abſoluta illa quidem, ſed hypothetica, ſacerdote dicente. *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. quod tamen communiter nec conſuli, nec fieri expedit, nimirum ne ſcrupulis locus detur, qui iuſti nulli, ac rationabiles eſſe poſſunt in præſenti cauſa, ob rationes allatas, nec iterata Sacramenti collatio tolerari; cùm eius permittendæ ratio, peti debeat ex alicuius cauſæ æquitate, qualis hic nulla prudenter prætexi poteſt.

Obiicies ſecundò. Si poteſt intentio eius qui vino captus baptizat, eſſe voluntaria, non erit neceſſe etiam directā eſſe, verùm eſt priùs, ergo & poſterius: Maior patet. Eſt alicuius operis directa intentio cū primo, & per ſe, operans illud reſpicit, quod non poteſt conuenire ebrio reſpectu Sacramenti, cùm illud velle nequeat niſi in eo opere, quod ſcit ſe exercere ſolitum ſenſibus, ac animo vino ſepultis, quæ actio tamen Sacramentalis non eſt, ſed profana. Minor probatur, opera ex obiecto mala quę fiunt ab ebrio, cùm ſint ab eo præuiſa (vt ſupponimus) vitioſa quoque ſunt, proindeque & voluntaria, cùm peccatum nullum eſſe poſſit niſi voluntarium, ergo & intentio Baptiſmi dandi, in eo qui eſt ebrius voluntaria erit.

Minor eſt falſa, id enim eſt voluntarium ex Ariſtotele, quod fit à principio cognoſcente ſingula in quibus eſt actio, qualis non eſt actio vitioſa ebrij ab eo facta in eo ſtatu, nec tamen deſinit eſſe vitioſa, quia ad hoc ſufficit conſenſus præcedens nec retractatus. Hic enim efficit vt actio bona vel mala imputetur ad laudem, aut culpam, cùm eam operans impedire potuerit & debuerit, at in Sacramento ſecus accidit: nec enim ad illud ſufficit intentio illius faciendi præcedens, nec retractata, ſed requiritur inſuper præſens iudicium intellectus, eo ipſo tempore quo confertur, cùm eius adminiſtratio ſit humana actio, propriè & formaliter ex antedictis, qualis eſſe nequit, niſi quo tempore exercetur, præſens ſit, & expreſſum rationis iudicium. Patet in dormientibus quorum actiones nemo humanas eſſe dixerit, etſi ante volitas & præuiſas.

QVÆSTIO XIII.

Quid ſit neceſſe neceſſitate præcepti in miniſtro ne peccet.

PRima Aſſertio. *Ne ſe miniſter culpæ lethalis reum faciat miniſtrando Sacramentum, debet iuriſdictione delegata, aut ordinaria ſuper eum cui Sacramentum confert, eſſe præditus.*

Ratio eſt quòd conferre Sacramentum ſit paſcere ſpiritualiter per gratiam, quod facere propriè tantùm iis conuenit, qui poteſtatem exercent, aut exercere poſſunt in eos, quibus id beneficij conferunt: quare præter peccatum mortale, miniſtrans pœnitentiam ſine tali authoritate Sacramentum non efficit, nec Deo peccatorem, ac ſibi reſtituit, Euchariſtiam autem aut Vnctionem Extremam, qui ſæculari animā agenti confert, ſine presbyteri Parochi licentia, incurrit excommunicationem, Papæ reſeruatam, ſi ſit Regularis, vt dicitur Clement. 1. de priuileg. relata à Nauarro c. 27. Enchir. n. 101. & Clement. dudum de ſepulturis.

Dixi *ſæculari*, nam qui Regularem in extremis poſitum, impertit Euchariſtia, aut Vnctione extrema, etſi Beligionis ſit à ſua diuerſæ, cenſura hīgari nulla eſt credēdus, cauſa eſt, quod prædictæ leges, de Parochiano duntaxat ſermonē faciant, cuius ſalus cùm curę eſſe Parocho debeat, de eius ſubtrahi charitate ac cura non poteſt, ſine prędicti Parrochi iniuria, quàm cum pro ſuo in omnes amore ac prouidentia, impedire Clemens vellet, ne Regulares, id ſibi aſſumerent, vt ſæcularem vllum cum morte luctantem reficerent pane vitæ, aut oleo ſacro ad extremam pugnam vngerent, ſeuere edixit, pœna excommunicationis ſecus facientibus impoſita Sayrus lib. 3. de cenſetur cap. 29. num. 28. Portelius in dubiis regularibus verbo Sacramentorum adminiſtratio num. 3. Excuſat tam à culpa, quàm cenſura extrema moribundi neceſſitas, qualis eſt exiſtimanda, ſi infirmus eſt in mortis articulo, & Parochus abſit Rodrig. tom. 1. q. 56. art. 5. Henriq. tom. 2. lib. 8. de Euchariſtia cap. 55. num. 1. Quia eo tempore præſumi poteſt, tam Epiſcopo Romano, quam Parocho, ingratum id non eſſe hoc probare eos, aut certè probaturos cum ſciuerint. Secundo charitas obligat in extrema neceſſitate, ad proximo conſulendum de remedio ad ſalutem neceſſario, quo de numero Sacramenta eſſe quis neget, maximè Pœnitentiæ adde & Vnctionis Extremæ? vt infirmus de attrito fiat contritus.

Secunda Aſſertio. *Requiritur in miniſtro inſuper ſcientia neceſſaria ad functionem ſui miniſterij, qualis eſt eorum omnium quæ pertinent ad formam Sacramentorum.*

Cauſa eſt quòd eorum ignoratio coniuncta ſit cū periculo in miniſtro, nihil faciendi, ergo & peccādi mortaliter: at tenetur quilibet ſub pœna peccati mortalis

mortalis, materiam, cauſas, occaſiones, & pericula peccandi fugere. Ergo & ignorantiam, ſcientiæ, per nos hîc requiſitæ oppoſitam.

Tertia Aſſertio. *Cum obſeruatione rituum & cæremoniarum, quæ ſunt communi vſu, in Eccleſia receptæ, requiritur inſuper in eodem, bonitas, id eſt, priuatio cenſuræ talis, quæ collationem Sacramenti impediat.* Ratio eſt, quod non parere Eccleſiæ in re graui, peccatum ſit graue ac mortale, at res eſt grauis, quòd extra neceſſitatem, Sacerdos, quem excommunicationis cenſura vinctum tenet, Sacramentum conferat, nec obſeruet cæremonias Eccleſiæ, quas conſtat ab ea inſtitutas excitandæ pietati fidelium: quare qui eas contemnit, vt ſuperfluas, aut adiaphoras, inanes ac nullas, magnam Eccleſiæ iniuriàm irrogat, adeoque Spiritui ſancto, cuius inſtinctu ſeruari iuſſæ, moribuſque noſtris receptæ.

Excipiendus, vt antè, caſus extremæ neceſſitatis, vt ſubeundæ mortis, niſi Miniſter cum excommunicatione animum ad Sacramenta appelleret, aut verò ſine cæremoniis. Nam præcepta Eccleſiæ non obligant cum tanto rigore: ob quam cauſam licet etiam præciſo, ex omnium opinione adminiſtrare moriendi pœnitentiam, quia non cenſetur Eccleſia velle ei, in præiudicio extremè indigentis negare Iuriſdictionem neceſſariam ad eius commodum ac remiſſionem peccatorum, aut cum capitis periculo leges ſuas ſeruari, alioqui quod eſt pro charitate inſtitutum eam deſtrueret, quod D. Bernardo non probatur, nec nobis, qui ſcimus Sacramenta ſic ſua Chriſtum Dominum, voluiſſe eſſe ſalutaria animabus, vt corporibus exitioſa non fierent.

QVÆSTIO XIV.

An vt Sacramenta ſint valida oporteat eorum Miniſtros pios eſſe, bonos ac Religioſos.

FVit hæc Donatiſtarum opinio, vt refert Auguſtinus, lib. 2. contra Creſconium, cap. 16. vt crederent à manifeſto peccatore Sacramenta adminiſtrari validè non poſſe: quem errorem, ſecutis poſtea temporibus, amplexi ſunt Valdenſes & Lutherani, vt conſtat ex confeſſione Auguſtana.

Catholicorum ſententia his Aſſertionibus continetur.

Prima Aſſertio. *Expedit quidem Sacramenti Miniſtrum bonum eſſe, culpaque neſcium, abſolutè tamen id non eſt neceſſarium.*

Pars prior per ſe patet. Quid enim magis rationi conſentaneum, quàm vt qui aliis mundandis dat operam, ipſe ſit mundus? Dauidi non niſi puri à macula miniſtrabant, vt ipſe narrat, *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat*: monenturque Presbyteri, vt innocentiæ ſtudeant, Iſa. 52. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Leuit. 19. *Sancti efficiemini ego ſanctus ſum.* Malachiæ 1. *Ad vos, ô Sacerdotes*, &c.

Et quamquam iuuet in primis probitas miniſtri, ad impetrandam adulto ſuſcipienti Sacramenta, motûſ voluntatis ſalutarem, quo diſponatur ad fructus vberiores gratiæ, quia quo eſt illuſtrior Miniſtri virtus, hoc eſt ei ad aures, corque Dei facilior aditus. Nego tamen id eſſe ad vim Sacramenti, eiuſque effectum neceſſe. *Nam Deus adeſt Sacramentis, & verbis ſuis, per quoſlibet adminiſtrentur, & Sacramenta Dei vbique recta ſunt.* Auguſt. de Bapt. contra Donatiſt. lib. 5. cap. 29. Addamus & nos fructuoſa ea eſſe recipientibus, cùm Miniſter ad materiam & formam, adhibet intentionem debitam, quia Sacramenta ex inſtitutione Chriſti gratiam conferunt ex opere operato, nullo modo ex merito, ſtatu, ac conditione operantis Miniſtri, *Et hæc eſt cauſa vt non timeam adulterum, non homicidam, non ebrioſum, quia columbam attendo, id eſt, Eccleſiam, per quam mihi dicitur, hic eſt qui baptizat.* Auguſt. tract. 5. in cap. 1. Euang. ſecundùm Ioan. *Nam quod datur, vnum eſt, non impar, propter impares Miniſtros, ſed par & æquale, quia hic eſt qui baptizat.* Auguſt. tract. 6. in Ioan.

Sane optandum eſſet, vt Sacramentorum Adminiſtri omnes, iis pollerent animi dotibus, quæ perſonæ Maieſtatem decent, quam in Eccleſia ſuſtinent. *Sed ſi noluerint iuſti eſſe, ſecurum me facit Magiſter meus, de quo Spiritus eius dixit, hic eſt qui baptizat, nam etſi qui ſuperbus eſt Miniſter, cum Diabolo computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti.* Auguſt. tract. 5. in cap. 1. Ioann. *Quia quod per illum fit, purum eſt, quod per illum tranſit liquidum, ſpiritalis enim virtus Sacramenti, ita eſt, vt lux & ab illuminandis pura excipitur, & ſi per immundum tranſeat, non inquinatur.* 1. q. 1. can. Si iuſtus 3. *Vnde conſequenter intelligitur Sacramentorum ſanctitatem in nullo eſſe violandam, conſtat enim eam in peruerſis hominibus, & ſceleratis, ſiue ineſſe qui intus ſunt, ſiue in iis qui foris, impollutam & inuiolabilem permanere, ſed in bonis ad præmium, in malis ad iudicium.* Iuo Carnotenſis epiſt. 37.

Secunda Aſſertio. *Sacramenta ab hæreticis collata pro veris ſunt habenda, Quæ ſic habent, & dant, quemadmodum habebantur & dabantur, antequam exirent ab Eccleſia.* 1. q. 1. can. ex catholica 31. *quia nec foris, nec intùs quiſquam, qui ex parte Diabolo eſt, poteſt vel in ſe, vel in quoquam maculare Sacramentum quod Chriſti eſt.* Auguſt. lib. 4. contra Donat. c. 12. Eius rei eſt hæc cauſa, quòd, vt diximus antea, Sacramentum non operatur ex Miniſtri meritis, ac virtute, ſed Chriſti, quam virtutem non poteſt aliena impedire malitia, nec infidelitas, D. Thom. q. 64. art. 9. *Modò ſeruentur omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent.* Trid. Seſſ. 7. can. 12. Hæc enim cùm adſunt, *Sacramenta quæ ſchiſmatici, vel hæretici conferunt, ſi non aliter habent, nec aliter agunt, quàm vera Eccleſia, cùm ad nos veniunt, non emendamus, ſed potiùs approbamus.* 1. q. 1. can. Sicut ficti, 35. quæ ſunt vera Sacramenta, vtpote conſtituta ex partibus ſuis eſſentialibus, ac intentione Miniſtri, qua inducti cauſa, conſuluere Epiſcopi in Concil. Arelat. ſecundo can. 17. *Bonoſiacos quos ſicut Arrianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, dum interrogati fidem noſtram, ex toto corde confeſſi fuerint, cum Chriſmate & manus impoſitione recipi oportere.* Et in Conc. Conſtant. ſub Ioanne 24. damnatus eſt error aſſerentium, Epiſcopum, ac Sacerdotem, cùm ſunt in peccato mortali, non conficere, non ordinare, non baptizare. Conſt. Seſſ. 8. & 15.: quæ ſi ſunt vera, cuiuſmodi eſſe fide certa eſt tenendum, à metu eſſe debemus liberi, nec exhorrere *malorum miniſterium, reſpicere Domini poteſtatem nos conuenit, quid enim mali nobis faciat, malus Miniſter, vbi bonus eſt Dominus, quid nos impediat malitioſus præco, vbi benevolus eſt Iudex?* Auguſt. tract. 5. in c. 1. Ioan. Sacramenta ſanè gratiam conferunt, non ponentibus obicem, ex Trid. Seſſ. 7. can. 6. & 7. Ergo ad eorum eſſentiam non pertinet quod Miniſter ſit bonus.

2. Florentini testimonio Sacramenta vt sint rata, tria tantùm exigunt, materiam, formam & intentionem ministri, quæ tria ab eius probitate non pendẽt, est hęc ergo extra Sacramentorũ essentiam, igitur vt sint hæc valida, fides, ac bonitas ministri non erunt necessitate Sacramenti necessariæ.

Valent tamen quandoque per accidens, ad maiorem adultis impetrandam gratiam, quatenus & eius preces ad Deum faciliores habent aditus, ad obtinendum eis hoc donum, & eius oratio, verbaque, plus apud illos ponderis ac momenti repetiunt, ad persuadendum, in id illis omni cura, diligentiaque incumbendum esse, vt paratum Deo, eiusq; cœlestibus opibus, ac gratiæ, pectus offerant.

Tertia Assertio. *Fides Ministri ad Sacramentum valide conferendum non est necessaria.* Ita Trident. sess. 7. can. 4. Florentinum cap. de vnione. Et

Probatur primò. Si recta Ministri fides foret necessaria ad validitatem Baptismi exempli causa, rebaptizandi essent ab hæreticis Baptizati: quod est contra communem doctrinam Ecclesiæ, de Consecratione dist. 4. Can. non in nobis 43. canone ab antiquis 44. canone Nullus. 40. canone à quodam Iudæo 24. & canone Romanus. Pontifex 23. eiusdem distinctionis.

Secundò. Minister est tantùm causa instrumentalis, nec secundum propriam virtutem, & fidem operans, sed ex institutione Christi secundum intentionem suam.

Tertiò. Ita se habet fides Ministri respectu effectus Sacramenti, conferendi ei, à quo suscipitur, sicut sanitas medici, respectu potionis, in ordine ad sanitatem restituendam ægro, aut vt canales, comparatione aquæ effundendæ, per areas horti, ex canone si iustus fuerit 1. qu. 1. sed nec inualetudo medici, sanitatem conferendam, vi potionis, ægro illam suscipienti impedit, nec canales plumbei, futuram irrigationem horti, ergo nec ministri improbitas, gratiam per eum dandam, suscipienti Sacramentum. Itaque (sic enim concludere libet hunc locum) cum Iuone Carnotensi Epist. 57. *Nam sunt ideo Sacramenta Christi, & Ecclesiæ, quia eis licitè vtuntur non soli hæretici, sed etiam omnes iniqui & impij, sed illi corrigendi sunt, illa verò agnoscenda sunt, & veneranda.*

Obiicies 1. Remissio peccatorum præexigit præsentiam Spiritus sancti vt dicitur Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. at eo caret minister vitiosus.

Respondendum est duobus modis peccata deleri in homine.

1. Effectiuè formaliter. 2. effectiuè instrumentaliter: delentur. 1. modo per gratiam, cuius primarius effectus, est iustificatio hominis: secundarius, criminum abstersio, effectiuè verò instrumentaliter hæc abolentur, ab eo qui gratiam producit in homine, cum qua stare peccatum non potest, hoc ergo posito dico antecedens. 1. modo sumptum, verum esse, falsum autem. 2. ob rationes allatas in assertionibus.

Obiicies 2. At Cypriani, & Agrippini, eius prædecessoris in sede Carthaginensi, ac Antistitum Africæ, in Concilio prouinciali, opinio fuit, testimonio Aug. lib. 1. de Baptismo cap. 7. Eusebij lib. 7. cap. 2. & 3. mali Ministri, vim in conficiendis Sacramentis nullam esse, proindeque Baptismum ab hæretico collatum iteratò dandum esse.

Respondeo 1. Cyprianum id quidem sensisse, sed aliam esse modò mentem Ecclesiæ. Deinde in eo pertinacem non fuisse vt Epistola eius 11. lib. 1. indicat. 3. mutasse sententiam, cùm suam, & comprouincialium suorum, audiit non probari Cornelio, & Ecclesiæ Romanæ. Testis August. Epist. 48. ad Vincentium.

Obiicies 3. Arboris sterilis ac malæ, fructus sunt amari, aut nulli, nec enim Christi testimonio Matthæi 10. *Colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficus, nec arbor mala, potest bonos fructus facere*, at Ministro vitioso, nihil est in natura perius.

Respondendum arboris malæ aut sterilis, cum de se, ac virtute sibi insita, progenerat, fructus malos esse, aut nullos; cùm aliena vero, & quæ supplet naturæ, aut terræ vitium, & bonos & copiosos esse posse. Iam verò Sacramenti gratia, non est referenda in hominem, vt eius auctorem primarium, sed Deum, & proinde etsi minister vitiosus, mala sit arbor, cùm tamen non sua, sed Dei virtute operetur, fructus gratiæ, ac virtutum parere posse.

Obiicies vltimo in hæretico non est fides, nec Spiritus sanctus formaliter, & propriè, ergo nec instrumentaliter. Neganda est consequentia, quia etsi hæreticus priuatus sit fide & gratia, hæc tamen in eo est, tam in effectu suo, quàm in causa, quatenus habet potestatem, & vim eam conferendi per Sacramentũ, si adhibeat ea quæ sunt ei essentialia, vt dicitur canone dedit Iudas Baptismum 1. quæstione 1. canone sicut fuit. Canone, si autem, canone si iustus fuerit eadem quæstione & causa.

QVÆSTIO XV.

An mali administrantes Sacramenta peccent.

PEccat qui cùm conscientia culpæ lethiferæ, sciens ac volens nec necessitate vlla coactus Sacramenta administrat. S. Thomas q. 64. art. 6. post August. qui lib. 2. contra Epistolam Parmeniani ca. 10. ait. *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Tractantibus indignè obsunt quia vertuntur eis in noxam, culpâ suâ, ac vitio, nam cùm eos oporteret ab omni scelere puros animum ac manus ad sacra afferre, iuxta illud. *Mundamini qui fertis vasa Domini*, fœdè se iis obtrudunt ac turpiter pleni labe, quo quid iniquius? *Nam quid Petro cùm Mago? quid Christo, cum Antichristo? quid Virgini & libidini? quid puritati & impuritati? qua fronte, qua conscientia, accedit ad Sanctum Sanctorum, cuius fama contemptibilis, vita notabilis, sermo reprehensibilis habetur?* Petrus Damian. in sermone de Vigilia Natiuitatis, Facit ergo Deo iniuriam, quisquis impura mente, & manibus, ad eum aduolat, Sacramenta quæ sacris sunt eius religionibus, cultuique addicta, tractaturus vt profanus quispiam de turba fœceque Gentilium, Sathanæ assecla. *Nam si interesse sacrificiis non audent nisi sanctificati, quid de sacrificantibus censendum? sanctificare enim purgare est, sanctificatio corporis, pudicitia est, mentis charitas & humilitas.* Greg. lib. 6. cap. 3. explicans hæc 1. Reg. cap. 16. *Sanctificamini vt immolem Domino.*

Charitate ergo secundum Gregorium instructus esse debet, qui Sacramentum aliquod administrat, qui Eucharistiam consecrat, aut consecratam fidelibus dispensat, cuius dicti præcipua ratio peti debet, tum ex dignitate muneris officique, quod Sacerdos in Ecclesia obit, vt publicus eius minister, ab eo ad id institutus, cum congiario gratiæ ad defungendum cõmissa sibi prouincia, cum laude, tum ex Sacramenti ratione, quod quia sacrum est 1. q. 1.

Digitized by Google

can. multi sæcularium ad illud conficiendum applicare animum, in statu peccati, non vacat irreuerentia, vt scribit Gelasius Papa in epist. ad Elpidium, & refertur 1.q.1.ca. *Sacre sancta Religio, qua Catholicam retinet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet nisi puræ conscientiæ, non audeat peruenire. Nam quomodo ad diuini mysterij consecrationem, cœlestis spiritus inuocatus aduenet, si Sacerdos qui eum adesse precatur, crimmosis plenus actionibus reprobetur?* Quæ non sunt in eum sensum trahenda vt credatur, velle Ecclesiam, malum Sacerdotem irritè conferre Sacramenta, nec per ea Spiritum sanctum dare, id enim falsum esse, apertè perhibent ante allata è Patrum libris testimonia, sed quia talis, impuris suis moribus, ac vita, Spiritum sanctum non modò aduersum sibi habet, ac infensum, sed eum etiam, quantum est in se, impedit ne supernè illabatur in animum, eumque sanctum reddat.

Assertio secunda. *Hoc peccatum communiter est mortale*, quia est contra reuerentiam Christo debitam, in re graui, quòd peccator Ministrum se eius exhibeat in functione sacra, ac dispensatione sacrosancti sui sanguinis, ac meritorum, cum conscientia peccati mortalis, hoc enim est perinde ac si illotis manibus, in Regis mensam cibos *inferret*, quod facinus plenum audaciæ, ac contemptus, morte eius puniendum, nemo non censeret. Chrysost. in homil. quòd periculosum sit cùm dicenti, tum audientibus ad gratiam loqui, ait ab huiusmodi hominum genere, parem Christo inferri contumeliam, ac eidem est illata à Iudæis, cùm eum cruci affixere, διέρηξαν γὰρ (inquit) αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι τῷ σταυρῷ, μᾶλλον δὲ οὐχ οὗτος ἀκριβέστερον λέγωμεν αὐτὸν τῇ ψυχῇ quare etsi peccata sint diuersa, æqualis tamen est iniuria, ὥστε οὐδὲ οἱ διάφορα τὰ τῆς παρανομίας, ἀλλὰ τὰ τῆς ὕβρεως ἴσα. A B C

Addidi cum scientia & voluntate, quia ignorantia tam status sui, quàm obligationis, quæ iure naturæ singulis ineſt, tractandi res sacras, cum honore, ac reuerentia, Ministrum à culpa omni eximit, eo quòd peccatum nullum sit nisi voluntarium, cuiusmodi esse nequit, sine malitiæ notitia, quam includit.

Excluſi præterea necessitatem, quia vt habet regula 4. iuris, *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Eam ob rem, opinor, quòd tunc cesset omnis ratio irreuerentiæ, quæ cùm in casu necessitatis non censeatur volita, nec peccati quoque nomen habere potest, vt patet in eo, qui venerabile Sacramentum porrigit, offerenti se publicè cum cæteris, ad sacram mensam, quem eo tamen beneficio indignum nouit, idque, ne eum in oculis omnium scandalizet, ac vt peccati reum, in odium ac contemptum vocet intuentium. D

Assertio tertia. *Sacramenta obsunt ea indignè tractantibus, tam propter rationes allatas, quàm sequentes.* Quarum prima est quòd Deo contumeliam eo facto irrogent, cuius se Ministros sine fronte exhibent, cùm dæmoni potius, quàm Deo, in eo ministerio operam suam collocent. E

Secunda, quia quodammodo Sacramentum commaculant, contra cuius sanctitatem esse nemo non videt, quòd ab indigno tractetur. *Spiritus enim sanctus ad mysteria eligit & diligit aspectus Spiritu, & eorum qui pompaticè & gloriosè sacris se altaribus ingerunt, ei sequia detestatur.* Cyp. de Cœna, quanto magis si libidinem in oculis, crudelitatem in manibus, facinus ac audaciam toto corpore secum ipsi circumferant. *Nec enim sermentarios (id est Deo propter scelera sua exosos) oportet esse noui Testamenti Ministros, puras sinceraſque mentes exigit, Ozias ob præsumptionem leprâ percussus, à sanctuarij ingressu expellitur, & eius oblatio quasi sordida reputatur incensi odor, de immundorum manibus, reputatur profœtare.* Cyp. de Cœna Domini.

Tertia causa cur Sacramenta ea indignè tractantibus obsint, est, quòd eiusmodi homines culpa sua concursui gratiæ obicem ponant, quam illis haud dubiè Deus daturus esset, si officium pro dignitate facerent. *Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysteriis, sed quamuis ab indignis se sumi, vel contingi Sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas, vel indignitas, tantæ sanctitudini contradicit, ideoque alius sunt hæc munera, odor vita in vitam, alius odor mortis in mortem, quia omnino iustum est, vt tanto priuentur beneficio, gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem.* Cypr. de Cœna Domini, num. 7.

Et quanquam non videantur, hoc præsicè nomine mortalis culpæ rei esse, non tamen omni vacant, cùm priuare se opportunitatibus magnis ad salutem, aut officij functionem, minimùm culpa sit venialis, Charitati, qua se quisque prosequi debet aduersa. Purus ergo à culpa esse debet, quisquis Sacramenta confert, nam qui animo, ac manibus, scelere impiatis, Deum in Eucharistia contrectat, vt pari se culpa coinquinat, cum Hebræis, sacrilega dextera, pectus eius, castum ac innocens transuerberantibus, ita par eum pœna, fato functum manet, mea non est, sed Chrysost. sentent. 1. ad Cor. 11. τῶν αὐτῶν δίδωσι δίκην, ὅσοι τὸν σωθέντα τιμωρίαν οἱ σταυρώσαντες, τὸν χριστὸν, καθάπερ οἱ σφαγεῖς ἐγένοντο τοῦ σώματος ἐκείνου τοῦτοι γὰρ ὅτι οἱ ἀνάξιοι κοινωνοῦντες τῶν μυστηρίων, quæ verba Latinè reddita hunc habent sensum, *pari pœna afficientur ac qui Christum sustulere in crucem: nam vt homicidæ rei facti sunt corporis eius, ita & qui indignè participant mysteriis.*

Faciunt ambæ hæ causæ, vt existimem, primò, Sacerdotem, Sacramentum in peccato mortali, quomodocunque conferentem, aut baptizantem solemniter, peccare mortaliter, nisi excusetur ignorantia, aut propter vrgentem necessitatem, quæ moras non patitur, tantùm vt sibi temporis, ad peccati odium, per contritionis actum assumat, quantùm oporteret. Durandus in 4. disput. 5. q. 2. num. 6. quia est contra sanctitatem Sacramẽti, & Christi, vt quis se ei cum conscientia peccati mortiferi, socium, sin minus, at certè Ministrum, in munere tantæ dignitatis, ac sanctitatis exhibeat, vt non sit nisi vnum agens cum illo.

Secundò, sequitur, tam Sacerdotem, quàm quemlibet laïcum baptizantem in necessitate cum conscientia culpæ mortalis, mortaliter peccare, quia contra sanctitatem Sacramenti ambo faciunt quam fœditate culpæ suæ ac scelerum, maculant. Verum est quidem, ad eum actum non consecrari laicum, sed eum, non minus quam Presbyterum, recta ratio admonet, teneri iure naturæ singulos, sancta sanctè tractare. Contraria tamen sententia respectu laïci est probabilis ob rationem allatam, nullo modo cõparatione Sacerdotis solenniter baptizantis, quia hanc ministrationẽ ex officio exercet, ratione ordinationis suæ. Angelus ver. Bapt. 5. parg. 10. Coninch. q. 54. art. 6. dub. 1. num. 36.

Tertiò, sequitur Sacerdotem benedicentem nuptias, aut fructus in mortali, nõ peccare mortaliter,

1. quia talia parui ſunt momenti, collata cum Sacramentis, proindeque à leuitate materiæ, excuſationem habere culpæ grauis. 2. quia talis benedictio non eſt meritorum Chriſti diſpenſatio, nec opus tam ſanctum, vt ſit obligatio exercendi illud in gratia.

Peccat tamen venialiter ſacerdos, qui Sacramentalibus vacat cũ peccato, quia aliqualis eſt in Deum irreuerentia, ea miniſteria in illo ſtatu facere, præſertim cùm ſe Deo dedicarit, vt illa decenter ac honeſtè præſtaret. Ob eandem cauſam eximendi videntur à mortali, qui cùm eius conſcientia, aliorum ordinum à ſacerdotio, munera explent.

Primò. Quia hæc iudicio hominum prudenti, aut nulla ſunt, aut exigua, præ Sacramentis, eorumque actionibus.

Secundo. Quia non ſunt ſacra, aut ſi ſanctitatis aliquid habent, non tamen tantùm, vt ſit obligatio, illa exercendi in gratia.

Tertiò. Quia canere verbi gratia Epiſtolam, aut Euangelium, referare fores, cereos ferre & cætera id genus, non ſunt eiuſmodi, vt per ea diſpenſentur Chriſti merita. A venali tamen eos omnino immunes eſſe, cum deſtituti gratia, Ordinum ſuorum munia obeunt, dicere vix auſim, quia eſt in eiuſmodi miniſterio, aliqualis irreuerentia, quàm cùm dolore vitæ præteritæ, odioque culpæ à ſe admiſſæ, vitare poſſint, id omiſiſſe, non poteſt non eſſe illis culpabile.

QVÆSTIO XVI.

Vnde oriatur in Miniſtro obligatio conferendi Sacramentum in gratia.

REpetunt aliqui obligationis huius cauſam ex ſanctitate Sacramenti cui fiat irreuerentia, cum in mortali confertur. Ita Durandus in 4. diſtinctione 5. quæſtione ſecunda art. 9. alij vt Caietanus, à conſecratione miniſtri. Alij à munere quòd ſuſtinet in Eccleſia: Dei enim miniſter eſt ex 1. ad Corinthios 4. *Myſteriorum eius diſpenſatores*, vnde inferunt hi authores teneri eum, Chriſto, cauſæ principali gratiæ, in Sacramentis, ſe conformare, ſecundum eam rationem, qua in iis operatur quæ eſt ſanctitas. Quid ſentiendum ſit exponetur ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio. *Obligatio adminiſtrandi Sacramentum in gratia oritur ex ſanctitate Sacramenti, ac operis, quod in eius miniſtratione exhibetur, ad laudem Principis Dei.*

Eſt hęc opinio Durandi ſupra Valent. in quæſt. 64. diſput. 3. q. 5. parte 3. Ægidij de cauſis Sacramentorum, articulo 6. dub. 1. numero 32. Reginaldi lib. 26. cap. 8. numero 57. Quia de miniſtro, reſpectu Dei, in Sacramentis, eodem modo per proportionem ratiocinari ac loqui, nos oportet, quo de miniſtro principis, at quis eius dignitatem lædi, quis maieſtatem violari, ab eo non exiſtimet qui in familiam eius allectus, vt operam illi ſuam accommodet cùm iubebitur, manibus illotis, ac luto plenis, illi miniſtrat, aut in eius cubiculum ac menſam ſe infert, plenus ſordium. Ergo & Chriſti maieſtatem deprimet, ſanctitati iniuriam inferet, qui honoris immemor, ad quem diuina planè eius munificentia, non merito vllo ſuo admittitur, vt cùm illo concurrat ad productionem gratiæ, hominiſque, A culpis ſuis perditi ſalutem, ei ſe in hoc facto miniſterio comitem, ac ſocium addit animo ſcelerum immanitate perdito.

Eodem fere argumento ad huiuſce rei fidem vtitur Reginaldus tomo 1. libro 1. numero 161. & tomo 2. libro 26. capite 8. numero 56. *Peccat enim*, inquit, *contra reuerentiam Deo debitam qui in miniſterio Sacramentorum, vtitur vaſe ſordido & immundo, ergo & qui conſcientia ad illa faciente, cùm peccati mortalis ratio infinitis partibus turpitudine, ac fœditate ſuperet, quidlibet aliud.*

Confirmatur. Qui miniſterium aliquod exhibet in collatione Sacramentorum propinquius non tantum, ſed & magis influit in gratiam & Sacramenta quàm vaſa vlla, cùm miniſter agat per intellectum, & vt inſtrumentum viuens Chriſti principalis agentis, & ad id ſpecialiter deputatũ, quod non habent vaſa vlla. Hæc ferè Reginaldus, nec meo iudicio ſine ratione.

Secunda Aſſertio. *Ab ordine, ad quem quis initiatur, actibuſque eius propriis creſcit in Miniſtro obligatio comparandæ ſibi gratiæ, ad dignum & laudabilem eorum functionem.* Ita Suar. diſp. 6. ſect. 3. & 4. Val & Ægidius loco citato. Sanchez 2. de Matrimonio, diſp. 6. num. 4.

Probatur. Lege iuſtitiæ incumbit cuique præſtare ritè ac laudabiliter officium, quod ſe ſyncerè & ex fide facturum ſpopondit, & cuius cauſâ datur ei à principe ſtipendium, aut auxilium, vt eo dignè defungi queat, maximè ſi eſt futurus principi inſtrumentum ad eius executionem idoneam & laudabilẽ. ſed qui ſacris initiari ſe Ordinibus patitur, Deo ſe & Eccleſiæ mancipat quibus & tacitè ſpondet amborum ſe negotia, quantum per humanæ mentis imbecillitatem fas erit, promoturum fideliter, quam in rem ei quoque non deeſt gratia, quam conſtat illi ſuppeditari cœlitus, eamque copioſam quoties ad ſui ſe functionem miniſterij iuſſus, aut à plebe aſcitus accingit; quare cùm ſit turpe, Deo principi obtrudere in manus inſtrumentũ obſcœnum, vitioſum ac contaminatum ſordibus, quales ſunt haud dubiè lethales culpæ, nec Dei cauſam iis inquinatus prouehat, ſed mali dęmonis, ſacerdotem reum eſſe oportet tam violatæ fidei, quam ſuſcepti Ordinis, qui ſecus quàm deberet, eum, auerſa mente à Deo Principe, eiuſque mandatis ac cultu, proindeque cum ſcelere, exercet.

Ex dictis infertur primò, non vacare culpa, eaque lethifera Parochos, ac ſacerdotes, cùm peccato eius generis, accedentes ſcienter ad altare.

Secundò. Culpæ ſimilis arguendos eſſe diaconos, cum delecti ab Epiſcopo, aut Parocho, vt eorum vice, locoque baptizent, aut Euchariſtiam plebi diſpenſent, non cùm ea, qua par eſt, animi, morumque innocentia, ea defunguntur prouincia. Ratio eſt, quod tùm, vices, ſacerdotis obeunt, quod ad hoc tam ſalutare miniſterium, non niſi ratione ordinationis ſuæ, vocati veniunt, per hanc enim habent, vt ſint idonei, quibus hæc miniſteria committantur ab Epiſcopo, aut Parocho, ergo quàm his eſt neceſſe, ſtudere innocentiæ, quam eſſe mortalis expertes culpæ, cum Sacramenta adminiſtrant, tam oportet ab hoc genere maculæ, Diaconos, quando iis adminiſtrandis dant operam, ex commiſſione Epiſcopi, aut Parochi eſſe vacuos, alioquin, culpæ ſunt lethiferæ rei futuri, vt illi.

Aliter Vaſqueſio viſum, cum quo qui faceret eum magnopere reprehendi oportere non credẽ, ſed de hac re copioſiùs in tract. de Euchariſtia.

Interim dico mihi videri probabile in quorumdã

ſententia peccare moraliter ſacerdotem toties, quoties, in ſtatu peccati mortalis, Euchariſtiam miniſtrat, ſiue ante, ſiue poſt conſecrationem. D. Thom. 3. part. q. 64. art. 6. Vaſq. diſp. 136. cap. 6. Suar. diſp. 16. ſect. 3.

Prima cauſa eſt quòd hæc diſpenſatio ſit ſacra cùm ſit meritorum Chriſti Domini, ac Sacramenti diſtributio, propriaque ſacerdotis functio, ac grauis in Deum ac Sacramentum irreuerentia obita in mortali.

Secunda. Quod miniſter Chriſti perſonam cùm ſuſtinet, ad cuius officium pertineat ſuo nos corpore, ac ſanguine paſcere, quod facere in mortali magna eſt in eum contumelia.

Tertia. Eſt ſacerdos, Eccleſiæ miniſter publicus, à Chriſto inſtitutus, quam pronunciam dignè vt obeat, magnis eum in ordinatione gratiarum, donis cumulat, tenetur ergo tam ratione ſtatus quàm Ordinis ſui, adeoque ex proprio officio, miniſterium ritè ac decenter implere, qua præſtare laude, cum quis exiſtimet, qui repudiata virtute ac gratia, turpi ad vitium transfugio, eligit nobile eſſe dæmoni ſpolium?

QVÆSTIO XVII.

An in Sacramentorum vſu liberum ſit miniſtro ſequi probabilem ſententiam relictâ probabiliore ac tutiore.

PRima ſententia eſt affirmans quam defendunt Sanchez de Matrimonio diſputatione 10. numero 4. & in decal. libro 1. capite 9. numero 33. Sayrus in claui regia libro 1. capite 7. numero 4. Vaſquez 1. 2. q. 19. articulo 6. diſputatione 63. capite 2. Armilla verbo opinio num. 2.

Secunda contraria eſt Suarez tomo 1. in 3. part. diſputatione 26. ſectione 6. numero 5. & tomo 3. diſputatione 21. ſectione 4. P. Soto de inſtitutione ſacerdot. lect. 2. de Euchariſtia. Maioris in prologo 4 ſentent. q. 2. Conradi q. 100. de contract. Syl. in verbo opinio q. 2. Caiet. in verbo opinionum vſus Breſſen de conſcientia probabili cap. 10.

Prima Aſſertio. *Quando præceptum eſt de adhibenda materia certa, aut forma, vel ex Eccleſiæ conſuetudine tales ſunt in vſu, non licet ab ea conſuetudine recedere: & probabiliore abiecta, ſequi opinionem probabilem.*

Primò. Quia malum eſt Eccleſiæ imperata non facere: id verò fit cùm eius conſuetudo, quæ legis vim habet, non ſeruatur.

Secundò. Quia hoc ipſo quòd Eccleſia in Sacramentis, ſolemnes, ac ſtatas voces pro forma adhibet, opinio quæ contrariis vtitur, eſt improbabilis, cum ſit à ratione alienũ vnũquempiam Eccleſiæ, id eſt, miniſtris omnibus ſe opponere, aut ſenſum ſuum illorum, ac Eccleſiæ vniuerſæ iudicio præferre.

Tertiò. Si quando, & in vlla materia, poteſt Eccleſia, ſub peccato, quidpiam præcipere, maximè in Sacramentorum adminiſtratione, ritibuſque, à Chriſto, eius arbitrio, ac definitioni relictis, 1. quia res eſt eiuſmodi, qua grauior dari nulla poſſit, vt pote in qua ſalus plurimorum agitur, 2. quia non modo ſancta, ſanctè ſunt tractanda, ſed & modo vniformi, quique vbique ſit idem, ergo ſi quid Eccleſia ſeruari in Sacramentorũ vſu imperet, ab eo diſcedere, eſt ſecundum rationem non viuere.

Quare etſi quæ in accidentibus mutatio circa Sacramenta, aut eorum miniſterium interueniat, eorum eſſentiam non euertit, culpæ tamen mortiferæ labem non amittit, niſi excuſet rei, materiæque leuitas, ita peccatum eſt lethale, in Latina Eccleſia, in pane fermentato facere, vino conſecrando aquam non miſcere, etſi nonniſi modica infundi ſoleat, nec ſit ea mixtio, ad validitatem conſecrationis, ac Sacramenti neceſſaria, quemadmodum nec panis fermentatus, ex natura rei incapax, ex quo Chriſti corpus fiat.

Similiter de forma eiuſdem Sacramenti verba hæc detrahere. *Noui & æterni teſtamenti*, quamquam ad eius valorem minimè neceſſaria, *aut iſta à peccatis tuis*, cùm eorum remiſſio per abſolutionem quæritur, mortale eſſe ſcripſit Breſſerus de conſcient. probabili cap. 10. num. 106. quia à religione officij ſceleratè diſcedit, quiſquis ea contra Eccleſiæ antiquos mores formæ non adiicit, neque ea re iniuriam leuem religioni infert, cùm Sacramenta moderatur arbitrio ſuo, quæ illibata quæ intacta, ſanctaque, tam nomine ſuo, quàm authore eſſe debent, quæ ſi ſunt de mutatione in Sacramentorum accidentibus, vera, quanto magis cùm talis aliqua cadit in eorum ſubſtantiam, quâ certò vel probabiliter Sacramentum reddatur irritum?

Secunda Aſſertio. *Etſi Eccleſia certum nullum haberet, ac ſolemnem ritum lege aliqua canonum adhibendum in miniſterio Sacramentorum, eſſet tamen peccatum contra charitatem proximi, cuius ſaluti conſulendum eſt remedio certo, ac non errante, opinionis tutæ rationem nullam habere. Sed tantùm probabilis, quæ tuta non eſt, aut ſi eſt, minùs tamen ſecura, quàm oppoſita.*

1. Charitatis eſt, proximo bonum velle, ac cùm remedio certo eius ſalus in tuto poni poteſt, eius rei cauſa, tenetur non adhibere intuta, dubia, infida, ac incerta, & quæ non ſine coniectura valdè probabili, futura ſunt nulla: ſed qui in conferendis Sacramentis ſententiam ſequitur minùs tutam, etſi probabilem, proximum vero periculo obiicit ſuſcipiendi Sacramentum irritum & inefficax.

2. Quilibet, cuilibet de vita corporis periclitanti, diuina ac naturali lege ſubuenire debet, ergo multo magis cùm ſalus animæ eius in diſcrimen vocatur, non facit, qui dubia, qui incerta, ad eam rem remedia adhibet, vt enim ſunt ex hypotheſi ambigua, ita non neceſſariò ſunt cum effectu coniuncta, & proinde qui illis, ad ſalutem alterius bonumque vtitur, ſufficienter ei de remedio non prouidet, quo ſit eius ſalus, extra omnem aleam conſtituta: At qui Sacramentum adminiſtrans, ſequitur ſententiam probabilem, minùs tamen tutam, quod ſit valiturum, remedium vſurpat dubium, vt vel hinc patet, quod forte Sacramentum futurum ſit inane ac nullum: peccat ergo contra naturam, eiuſque iura, qui in Sacramentorum vſu improbabilem opinionem, de eius valore probabili, aut minùs probabilem ac tutam; magis probabili ac tutæ anteponit: hoc igitur in proximi cauſa, numquam facere eſt permiſſum Miniſtro.

Nam ſuſcipientis Sacramentum, rationem aliam eſſe docet Breſſerus, cùm citra culpam his contentus eſſe poſſit, quæ ſufficiunt ex probabili opinione, ſed minùs ſecura, verbi cauſa ad remiſſionem peccatorum longè tutius eſt contritionem eorumdem, in Sacramento abſolutionis adiungere quàm attritionem ſolam ad illud afferre; & tamen qui cùm ea vt tali cognita, ad Sacramentum accedit, abſolui poteſt, quia id beneficium dari debet diſpoſitis: talis eſt autem qui dolorem de peccatis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

concipit imperfectum illum quidem & concepcum ob metum gehennæ, qui est attritio. Vasquez disp, citata capite 3. num. 10. & seq. Sanchez num. 34. imò esset contra charitatem, nolendo absoluere, saltem probabiliter absolutionis capacem.

Tertia Assertio. *Quando lex nulla est, aut consuetudo recepta in Ecclesia, de certa materia, ac forma in administratione Sacramenti adhibenda, non est peccatum contra reuerentiam Sacramento debitam, aut virtutem religionis, illud facere in materia dubia, sufficiente tamen ex probabili sententia.*

Est authorũ quos pro prima sententia citauimus, & docuimus in tract. de principiis moralis Theologiæ, cap. 6. princ. 47. quia non fit aduersus religionem Sacramento debitam, nisi cùm actio, qua eius reuerentia violatur, est mala: at talis non est collatio Sacramenti in materia dubia, quæ ex sententia probabili sufficit. Maior est certa quia virturis impugnatio, qualis est religio, vt sit vitiosa, debet esse voluntaria, qua vitiosa est, cùm peccatum sit honestatis, debitæ inesse actui priuatio, eaque cognita in se aut causa: Ergo verè dicitur non peccari contra Sacramenti reuerentiam, nisi actione quæ sit vitiosa, & vt talis voluntaria. Minor probatur. Peccare est discedere à recta ratione, cùm omnis peccans sit errans: at rationem sequitur qui ex probabili sententia Sacramentum facit in materia dubia, cùm sententia habeat vt sit probabilis à ratione saltem topica, cui innititur.

Assertio quarta. *Etiam cùm est necesse, vt in mortis periculo, tutiori sententia, magisque probabili, minus probabilis tutaque præferri possit.*

Probatur. Paobabilis est quorundam opinio, moribundum absolui posse, etsi doloris signa nulla præ se ferat, tutior tamen ac probabilior est non posse, eo quòd Sacramentum pœnitentiæ, confessionem exigat, tanquam partem sibi essentialem: at ex hypothesi nulla est hic talis, cùm nec voce, nec signo, aut nutu, peccatorem se esse recognoscat, & tamen probabile est eum debere tum absolui.

Item, licet probabile sit valore Baptismum infanti collatum in digito, longè tamen est probabilius non tenere. Nihilominus cùm vrget necessitas, vt morbi grauis, aut imminentis lethi ei negari nec potest, nec debet, quia tenetur quilibet periclitanti proximè succurrere, eique de remedio ad salutem necessario prouidere.

Quid si ad vsum dubiæ tam materiæ quàm formæ cogeretur Minister, metu sibi mortis iniecto?

Si qui materiam dubiam adhiberi imperat, ignorat, consuetudine contraria, aut diuina lege esse prohibitam, mos ei sine scrupulo geri poterit, ratio est, quòd præcepta Ecclesiæ de ritibus in administratione Sacramentorũ adhibendis, eorumq; vsu, non obligant sub mortali, cùm mors timetur.

Deinde nemo cum vitæ periculo obligatur afferre omnia, quibus certò Sacramentum ratum fiat, satis est si ex probabili sententia, vsus talis materiæ permissus.

3. Cùm imperantem vsum materiæ dubiæ, bona fides excusat à culpa, non censetur mortaliter cooperari Minister vlli eius improbitati, parendo illi in vsu materiæ dubiæ, & ex alia parte potest eâ non vti nisi cum conditione, nempe si est legitima: at hæc conditio culpæ omnis periculum tollit, vt probatur. Ex vsu materiæ dubiæ culpa alia nulla extra casũ necessitatis proximi, timeri debet, quàm irreuerentiæ contra religionem Sacramento debitam, volendo illud in materia non sua facere: at appositio conditionis dictæ, irreuerentiam hanc abstergit, nam si materia subiecta, & in qua Minister iubetur operari, non est vera, & ex institutione Christi necessaria, nihil vult circa Sacramentum, aggredi: Ergo cùm esse non possit absque hac voluntateea, deficiente, irreuerentia illi nulla fiet.

Assertio vltima. *Extra casum necessitatis, in Sacramentorum vsu, non licet Ministro certiorem sententiam, magisque securam contemnere, vt minus certa tutaque capiatur.*

Ratio est, quòd reuerentia supremo numini debita exigat, vt Sacramenta non exponantur nullitatis periculo, vt fit, cùm verisimilioribus, minus verisimilia argumenta de eorum valore præferuntur.

Quod qui facit, reus est violatæ Religionis, circa cuius materiam versatur eius peccatum, non ex natura rei, aut Sacramenti, sed potiùs Ecclesiæ vsu, vel præcepto, quo materia religionis aliàs libera, necessaria redditur.

Secundò peccat contra prudentiam, quia in morum disciplina, minus bonum sumere, maiore omisso, imprudentiæ est in vsu rerum non paruæ, sed id facit, qui reiecto magis probabili, ac tuto, minus verisimile ascisci, nam est Sacramenti confectio certa ac nunquam errans, bonum quoddam tam illud conficienti, quàm recipienti, quo eum carere est probabile, qui in administrando Sacramento, contra naturam electionis, sententiam minus probabilem, probabiliori, magisque securæ anteponit, in quo

Tertiò peccat contra charitatem, proximo debitam, quia quo nos amore, eodem & illum prosequi est necesse, sed in procuranda salute nostra, tuta omnia sunt sequenda, fugienda dubia, ergo & in aliena, secus ergo scienter facere, est charitati erga proximum nuncium remittere: an autem verè triplicis peccati maculam, sententiæ minus tutæ electio, in Sacramentorum vsu habeat, dicetur alibi.

QVÆSTIO XVIII.

An Minister licitè possit indignis Sacramentum conferre.

PRima Assertio. *Tam iure naturali, quàm diuino, prohibetur Ministro ad Sacramenta indignos admittere.*

Naturali quidem, quia hoc iure prohibetur cuique, cooperari alienæ culpæ, at cooperatur qui Sacramentum indigno communicat; cùm eum in suo sacrilegio adiuuet.

Deinde debet Minister Christi imperio prudens esse, ad eum enim pertinet, breue hoc quidem, sed magnarum rerum ac virtutum elogium. *Fidelis seruus & prudens.* At prudentem eum esse nemo dixerit, qui non modò delectu nullo, cuique bona Domini diuidit, sed etiam hosti eius, ac suorum, fruenda, vtendaque distribuit. Iam hoc quæro, quo sint à Christo appellandi nomine, qui cum virtute bellum indictũ habent, Amicorum? at tales dici, & esse nequeunt, quàm qui æquissimæ eius voluntati obsecundant. *Vos amici mei estis, inquit, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Diuini ergo hostes nominis, ac Dei, peccatores omnes cum audiant, sacra eis cõmunicare mysteria, quid est aliud quàm cœlestes opes, Christique bona eis temeranda offerre?

Digitized by Google

Tertiò, eſſet is haud dubiè, in ſuſpicionem mortalis culpæ vocandus, qui per iram aut contemptum Numinis hoſtiam fœdè ac turpiter tenæ affigeret, aut quod caſtæ hoſtiæ aures, in cloacam interet, vel capite tecto, & ſine veſtibus ſacris in ſacroſanctò ſacrificio miſſæ conſecrandam aſſumeret. At Deo longè maior irrogatur iniuria, Sacramento autem irreuerentia grauior, cùm in animam corruptum inducitur, quàm humi hoſtia iacere ſine honore ſinitur, quia cuiuſlibet peccati mortalis fœditas, qualibet alia, & maior eſt, & grauior, conferentis ergo indigno Sacramentum, qualis, & quàm fœda ſit culpa, vt ipſe taceam, res de ſe loquitur.

A

Secunda Aſſertio. *Maximè autem publico peccatori publicè Sacramentum petenti, ſi eius conuerſio non ſit publica, indulgendum non videtur.*

B

D. Thomas q. 80. art. 6. Suarez diſp. 67. ſect. 3. concl. 3.

Primò, quia Sacramenti diſtribu io eiuſmodi facta hominũ, à ſcandalo non eſt abiuncta, ergo mala, ergo vitanda.

Secundò, qui communi eſt opinione hominum infamis, qui in vrbe aliqua publicus peccator audit, ius petendi Sacramenti non habet, nec ſi ei negabitur, vlla ſequetur eius infamia, aut populi ſcandalum: ergo non dandum.

Tunc autem cenſendum eſt peccatum eſſe publicum, cùm tale eſt vt celari nulla tergiuerſatione poſſit, qualia ſunt omnia ſcelera, quæ facta ſunt in oculis plurium, vt in platea, aut veſtibulo templi, cùm populus die Dominico domum è ſacro dimittitur. Publicum eſt iuris euidentia, cùm eſt propria confeſſione cognitum in iudicio, vel legitima conuictione ac depoſitione teſtium, aut ſententia Iudicis, & cum vtroque modo, aut alterutro duorum peccatum eſt cognitum, eius auctori Sacramentum eſt negandum, niſi publicè vitam ſuam, factaque per pœnitentiam emendauerit. Qui autem iure Canonico & Ciuili haberi pro publicis peccatoribus debeant, dicetur in tractatu de parocho

C

Aſſertio tertia. *Peccatori, quem ex eius confeſſione ſcit Sacerdos abſiſtere à peccatis nolle, neganda non eſt Euchariſtia: Etſi eam clam, & ſemotis arbitris ſibi dari poſtulet.*

Primò, quia Sacramenti negatio virtualis quædam eſt exprobratio, ac peccati per confeſſionem cogniti tacita quædam ſilenſque reuelatio, quid enim facilius eſt ei cui negabitur, quàm ſuſpicari ſe excludi à ſacra menſa, ob peccatum quod excludenti eſt confeſſus. Quo incommodo grauius vllum magiſque metuendum non puto.

Secundò, ſuperiori prohibitum eſt ſcientiâ per confeſſionem habitâ, vti ad regimen ſubditi, ſed Euchariſtiæ negatio per parochum, actio eſt quæ ad regimen eam petentis pertinet, cùm eamdem nemo adminiſtrare poſſit ſine eius licentia, & hæc negatio non procedit aliunde quàm à ſcientia acquiſita per confeſſionem, ergo prohibita eſt, proindeque fugienda.

Secunda tamen ſententia noſtræ contraria valdè probabilis eſt propter authoritatem DD. aſſerentiũ, indiſpoſito Sacramentum priuatim negari poſſe, etſi per confeſſionem talis hæc eius indiſpoſitio ſit cognita, maximè cùm periculum non eſt, ne ex tali facto ſuſpicentur alij violari ſacrum ſigillum, aut ſi Sacerdos facti ſui rationem reddere poſſit, aliunde petitam, quàm à culpa ſibi per confeſſionem cognita.

Aſſertio vltima. *Sacramentum peccatori negari non debet eo tantùm, quòd non eſt eius peccatum cognitum.*

D

Probatur. Cùm Sacramenti adminiſtratio publicus ſit actus, vtpote diſpenſatio bonorum Eccleſiæ, non eam ſpectandum eſt, qualis ſit is qui illud ſuſceptum eſt ex propria diſpenſantis notitia, quàm qualis iudicio populi ſit, at occultus peccator publicè habetur bonus, vel ſaltem non malus, & ità exaccidenti ad vitandum ſcandalum, aut infamiam, non tamùm poteſt Miniſter, ſed etiam debet Sacramentum indigno dare.

Obiicies. Malum eſt contra ius diuinum & naturæ facere, ſed ab vtroque diſcedit, qui ad Sacramentum indignum admittit, cùm ad vtroque iure tenetur: Diuino quidem, nam illo irreuerentia in Sacramentum damnatur, quam tamen ipſius ſuſceptioni ſacrilegæ per peccatorem, communicari eſſe quis neſcit? Naturali autem, quòd alienæ culpæ occurrere natura ſuadeat, Sacramentum autem ei tradere, ſit ad eius malitiam concurrere.

Reſpondeo, negando minorem cum ſua confirmatione. In primis enim ceſſat diuini iuris obligatio. 1. ex voluntate Dei, vt enim infinito amore homines proſequitur, non vult eos infamari quantumuis magna illi iniuria per indebitam Sacramentorum miniſtrationem accidat, vt patet ex facto Chriſti, qui Iudam mortalium ſceleratiſſimum, ſeipſo in communione panis, ne famam eius læderet:

E

Nec repugnat item ius naturæ, quia nunquam quis cenſetur cooperari alterius malitiæ, niſi cum reuera ſe malæ dat operam, aut indifferenti, à qua tamen abſtinere debebat & poterat, ſed miniſtratio Sacramenti de ſe mala non eſt, ſed ſolũ per accidens ex prauа diſpoſitione ſuſcipientis, ad quã Miniſter non concurrit, quando exigente neceſſitate famæ, & honoris eius ſeruandi illi, Sacramentum tribuit, à qua actione ceſſare quoque non debet, ob metum infamiæ ſecuturæ in eo qui excluderetur, & ſcandali futuri in iis qui adhærerent Sacramentum ei negari.

QVÆSTIO XIX.

An excommunicatus ſententia Iudicis, aut ob notoriam Clerici percuſſionem, verum ac validum Sacramentum facere poſſit.

NEgauit Nauar. in antiquioribus Codicibus, cap. 26. num. 26. ſed palinodiam cecinit in recentioribus, cap. 29. num. 272. Pro qua ſententia citatur Gloſſa in can. præterea §. per manus, diſt. 32. Couarr. in commentario Alma mater. 1. parte §. 6. concl. 8. In duas partes diſtribuenda videtur præſentis quæſtionis explicatio. Prior eſt, vtrumne priuato alicui liceat inducere excommunicatum ad procurationem animæ per aliquod Sacramentum, & maximè per ſuorum abſolutionem peccatorum. Poſterior eſt, an qui eſt ab Eccleſia præciſus, poſſit vltrò, has ſibi partes, ac non rogatus aſſumere, cum effectu.

In vtroque genere, quæ mihi tutior, & verior videatur eſſe ſententia, indicabo.

Prima Aſſertio. *Qui nulla ſua neceſſitate coactus ab excommunicato, eo modo qui in quæſtione ponitur, Sacramentum contendit, peccat.*

Ratio eſt, quod nulli ſit dubium, peccare grauiſſimè, qui cum mortifera noxa Sacramentum adminiſtrat, ergo & qui eum prece, vel pecunia

inducit vt id agat, sacerdotem autem, excommunicatum iudicis sententia, maximo flagitio pollutum esse, nemo Catholicus addubitauerit, cum pœna grauis, cuiusmodi est censuræ inflictio, culpam similem, id est non vulgarem supponat in eo, cui auctoritate Ecclesiæ imponitur, est ergo Sacramenti petitio, ab excommunicato iudicis sententia, mala & prohibita.

Confirmatur. Sicut in Sacramentis requiritur vera forma, & vera materia, ita & verus, non opinatus Minister, excommunicatus alterutro modo de allatis non est eiusmodi: est enim extra numerum fidelium 23. q. 4. can. si quis & electus ex Ecclesia, ei ergo est Sacramentorum erepta administratio.

Assertio secunda. *Peccat item excommunicatus, non toleratus, qui Sacramentum quodlibet administrat extra necessitatem, & siue id agat ex officio, siue non, nihil efficit.*

Primò, quia excommunicatio, tam à societate fraterna excommunicatum separat, quàm à corpore Christi quod est Ecclesia, 3. q. 4. can. vlt. ergo & à classe legitimorum ministrorum eundem excludit.

Secundò, legibus Ecclesiæ sacra ministeria excommunicatis sunt vitanda 2. q. 3. can. si quis Episcopus 3. & sequenti, ergo si ea attigerint non vacabunt culpa.

Tertiò, ad actus cœlestes ac sacros excommunicatus admitti non debet cap. cùm & plantare 3. de priuileg. parag. excommunicatos nec communicatio cùm illo habenda est vlla, de sentent. excomm. cap. Parochianos 9. versu ipsosque faciatis, & 27. q. 1. can. deuotam. Vtrumque verò excommunicatus efficit, cùm in ministrandis Sacramentis occupatur, ergo non sine omni culpa, cum legi Ecclesiæ non parere fœdum sit ac turpe, nec proinde sine scelere.

Assertio tertia. *Sacramenta Bapt. & Pœnitentiæ, collata, in necessitate ab excommunicatis, altero modo de duobus in quæst. positis, vera sunt ac valida.*

In hanc sententiam it non obscurè D. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. ad 3. ad eius partes manifestè transeunt Palad. in 4. dist. 17. q. 3. art. 2. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. Tabiena ver. Absolutio. 1. num. 31. Dicunt enim hi omnes, habere iure diuino sacerdotes potestatem à peccatis absoluendi, quæ potestas in charactere sit fundata, qui est indelebilis, quod autem in actum redigi nequeat, id oriri ex ordinatione Ecclesiæ, quæ illis iurisdictionem limitatam tribuit, vel nullam, aut datam ligat per censuram. Quo, præsuppositio sic probatur assertio.

1. Quòd Sacramenta extra necessitatem à præciso collata sint nulla, maximè Pœnitentiæ, id oritur à voluntate Ecclesiæ, quæ illis iurisdictionem ad eam rem necessariam adimit, at hæc in necessitate redditur, nam humanæ legi non est subiecta necessitas.

Deinde non est credibile, Deum, cui præ omnibus rebus chara est nostra salus, nolle eam quæri Bapt. & Pœnitentiæ Sacramentis suppeditandis à quouis sacerdote, quocumque tandem scelere, & censura sit obstrictus.

2. Quilibet iure diuino tenetur succurrere proximo suo in extrema necessitate constituto, nec habenti vllam viam aliter euadendi: succurritur puero non Baptizato per Baptismũ, peccatori adulto per Pœnitẽtiam. Igitur non potest id Ecclesia excõmunicato quamlibet de nomine prohibere, sanè potest adultus quilibet, etiam nolentem excommunicatum, inducere ad se, aut alium Baptizandum, ergo & ab eo Sacramentum recipere, ergo & hic conferre sine culpa ac validè.

3. Quilibet iure diuino tenetur in quocumque necessitatis articulo, admoueri sacrisvndis, & si est Baptizatus, confiteri de peccatis, ergo si præter præcisum, nullius alterius sit copia, à quo Baptismus, & absolutio possint recipi, poterit hic in eam rem validè, & sine scelere incumbere, quod erat probandum, alioqui ab humana, diuina lex tolli posset, quod est absurdum.

Assertio vltima. *Ab excommunicato non vitando Sacramentum toties conferri potest, quoties qui illius desiderio tenetur, potest eundem ad conferendum inducere ac cogere.*

Ratio est quòd Ecclesiæ, non videatur mens esse, per excommunicationem, quæ in modum medicinæ, ab ea ægro offertur, eundẽ in eas angustias redigere, vt quidquid agat, quamcunque in partem se vertat Deum & proximum offendat, fieret id verò si intenderet obligare excommunicatum, ad non conferenda Sacramenta eo tempore quo hæc iustè possunt exigi, nam tunc peccaret, aut contra iustitiam ea negando illi, qui habet ius petendi, aut contra obedientiam Ecclesiæ debitam, illa dando, hic igitur ab ea in tali casu non videtur obligari ad Sacramentum negandum. Quando autem & in quibus casibus liceat illud petere ab excommunicato dicetur in tractatu de Pœnitentia.

Obiicies. Si licet non præcisis, Sacramenta petentibus administrare, maximè, quia licitum est per Constantiense Concilium agere cùm illis sine peccato, sed hæc ratio nihil probat cùm excommunicatis, id beneficij ac gratiæ non sit concessum sed fidelibus.

Respondendum licere non præcisis agere cùm fidelibus hoc ipso, quod istis conceditur ab illis Sacramenta exigere: enimuero nisi fas esset excommunicatis administrare Sacramenta postulantibus, neque his liceret ea ab ipsis petere; cum nulli liceat proximum in peccatum inducere.

QVÆSTIO XX.

Quid sit necessarium ex parte suscipientis Sacramentum, tam necessitate præcepti quàm Sacramenti.

PRima Assertio. *Vt Sacramenta à Baptismo differentia conferantur validè, prærequiritur.*

1. In suscipiente spiritualis regeneratio per Baptismum: quia hic Sacramentorum est omnium ianua, vt dicitur cap. veniens de Presbyteris, non Baptiz. ergo in non Baptizato erunt inualida.

2. Superstiti adhuc ac viuenti Minister, ea conferre debet non alteri: quia Sacramenta medicinæ sunt animæ, at defunctus medico non eget: vtpote nullis ampliùs morbis obnoxius, & quamquam cùm tormẽtis opinione humana maioribus luctentur assiduè damnati, tamen quia auxilia respuunt omnia, pro insito sibi erga Deum odio, Sacramentis in eorum causa locus est nullus. Confirmatur Ecclesia Sacramentorum legitima dispensatrix, iis duntaxat hominibus ea largitur, qui in eius fœdo notitiaque versantur, vtrumque defuncto deest, ergo & recipiendi Sacramenti facultas.

3. In eodem fore si est adhuc adultus ac ratione vtens

vtens requiritur neceſſitate Sacramenti, eius intentio, aut effectus qui per illud producitur. Habetur expreſsè capite maiores 3. de Bapt. §. verum, & §. ſed ad hæc. Cuius rei etſi cauſa reddi à priori nulla poſſit, congruens tamen aliqua afferri poteſt: enimuero initiatur Deo per Baptiſmum & Ordinem: per Pœnitentiam autem tranſimus à ſtatu peccati & hoſtium Dei, in eum, qui eſt filiorum & gratiæ, & ita de cæteris per proportionem: at non decuit conſecrati nos, & addici Deo, aut nouum ſtatum nolentes ſumere, aut ſaltem ſine noſtra voluntate: eſt hæc ergo ad validitatem Sacramenti neceſſaria.

Secunda Aſſertio. *Adultoratione non vtens validè tamen Sacramenta omnia conferri poſſunt, quorum eſt capax, etſi ea non intenderit.*

Eſt D. Thomæ quæſtione 39. articulo 2. quia adulti amentis, & pueri par eſt conditio, cùm vterque libertate careat in agendo: ergo ſi infantes ablui, verbi cauſa, validè poſſint, etſi id non expetierint, vt potè actionis liberæ incapaces poterunt & adulti amentes. Ita expreſsè Alexander 3. in decretali ſua maiores. 3. de Baptiſmo. §. Item quæritur.

Tertia Aſſertio. *Si adultus infidelis poſt liberum vſum rationis in amentiam incidat, nullum Sacramentum ei valide conferri poteſt, ſi cùm ſanus eſſet, illud ſibi dari non petiit.*

Cauſa eſt quòd inuitus baptizari nemo debeat, ſed quàm eſt credibile, eum qui profitebatur, cùm ſanus eſſet, ſacra Chriſtianis contraria, vt Infidelitatem verbi cauſa, aut Iudaiſmum nunquam habuiſſe voluntatem Baptiſmo conformem, ſed potiùs præſe tuliſſe contrariam, ſaltem virtualiter ac implicitè, in quantum ea ſectabatur myſteria, his hærebat dæmonum ac idolorum fœdis implicitus commerciis, quæ fidei Chriſtianę, ac religioni, eiuſque cæremoniis bellum indictum habent, quæ adulti non Chriſtiani ſtudia, moribus noſtris aduerſa, auerſionem à Chriſtiana religione virtualem continent, quæ auerſio habitualiter manere cenſetur, quandiu non reuocatur. Quod impedimentum cum in infidelibus paruulis, nec ſit, nec fuerit vnquam, mirum eſſe nulli debet, ſi patrinis eorum vice reſpondentibus lauari poſſint, non adulti infideles, quorum voluntatem ac animum, ne minima quidem vnquam Baptiſmi cupido perſtrinxit.

Quarta Aſſertio. *Vt validè Sacramenta à Pœnitentia diſtincta conferantur, non debet hæc intentio, quam neceſſariam eſſe ſuſcipienti dicimus, actualis eſſe, ſed ſufficit virtualis, aut interpretatiua, quam tamen actualis præceſſerit non reuocata.*

Eſt Doctorum omnium, maximè Reginaldi libro 26. cap. 7. numero 51. de Sacramentis in genere. Ægidij in 3. parte, quæſtione 64. articulo 8. dubio 5. num. 102. & probatur ex Concilio Carthaginenſi 3. canone 34. Arauſic. c. 11. vbi expreſsè habetur conferenda Sacramenta ſilenti ac muto ſi ea ante petierit, in quo tamen præter voluntatem interpretatiuam ac virtualem, alia nulla apparet ſaltem quantum humanitus homini datur intelligi, vera eſt ergo aſſertio, ſufficere ſcilicet in ſuſcipiente Sacramentum, eius interpretatiuam, ac virtualem voluntatem.

Includitur verò hæc virtualis intentio in voluntate profitendæ Chriſtianæ religionis, ac in ea moriendi, ob quàm cauſam poteſt ſacerdos ſine timore culpæ dare Extremam Vnctionem ei, qui in Eccleſia vixit, ei tamen morbi, aut vulneris ſenſibus deſtituto, niſi conſtet, eum eſſe in ſtatu peccati mortalis, de quo an verè doleat, iure ambigitur, quia hoc ipſo quo talis mori in religione Catholica appetiit, tacitè quoque inungi voluit.

2. Continetur hæc virtualis Sacramenti ſuſcipiendi intentio in contritione, vel attritione admiſſorum peccatorum: quia hoc ipſo, quod quis peccata ſua deteſtatur, ac horret ſolius Dei cauſa, virtuale quoque propoſitum, anteceptum animo habet implendi mandata, ergo & ſuſcipiendi Sacramenta, quæ morituro præberi Chriſtus voluit.

Aſſertio quinta. *Sacramenta, quorum materia, & forma, eſt à Chriſto Domino inſtituta, neceſſitate Sacramenti, requiritur præſentiam eorum, qui ea ſuſcipiunt excepto Matrimonio.*

Probatur Sacramenta, quæ ſunt in vſu, applicationem habent formæ ad materiam, in ſubiecto, per actionem, quæ in eo recipitur, ergo conferenti recipiens vt præſens ſit eſt neceſſe.

Confirm. Miniſtro, qui ex præſcripto Eccleſiæ, Sacramentis fideles donat, notæ eſſe debent, eo modo, vt ab eo cognoſci poſſunt, partes ex quibus Sacramentorum natura, ac formarum veritas continetur, fugiunt hæ verò ſacerdotem, ſi abſenti ea impertiat. Probatur, habent formæ Sacramentorum omnium, præterquam Matrimonij, vocem vnam aut plures, quibus denotari ſolet ſubiecti præſentia, ſunt hæ ergo futuræ falſæ, ſi proferantur ſuper abſentes, vt patet diſcurrenti ei omnia Sacramenta, ergo cùm falſitas in Sacramentorum formis, ea reddat inualida, ac nulla, abſenti collata, rata non erunt.

Deinde quæro, ecquid non ſit Miniſtro neceſſe, noſſe verum viuat, ſumque ſit mentis compos is quem Chriſti Domini, Eccleſiæque nomine, Sacramentis afficit, id verò certum ei eſſe qui poſſit, ſi abeſt, non video, niſi ex fama, quæ cùm mentiri ſoleat, de eius vita adhuc ſuperſtite, & integritate animi certum nihil polliceri miniſtro poteſt. Et hæc de prima quæſtionis parte dicta ſunto, veniamus ad alteram.

Neceſſitate præcepti requiritur in ſuſcipiente adulto 1. vera fides ad effectum Sacramenti conſequendum qui eſt gratia, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Paulo teſte ad Hebræos vndecimo. 2 ex parte voluntatis in eodem quoque neceſſarius eſt dolor de peccatis, qui excludat omnem voluntatem peccandi: quia ſuſcipere Sacramentum cum affectu ad mortale, eſt mortale; ſed qui conſtitutus in mortali Sacramentum recipit ſine aliquo eius dolore, affectum ad illud habet. Dixi (ad effectum Sacramenti) quia defectus doloris non impedit extra Pœnitentiam, id eſt, Sacramentum confeſſionis, quin Sacramentum ſuſcipiatur, ex Suare diſputatione 14. citata.

Tertiò. Lege charitatis obligante ad mortale, tenetur ſuſcipiens extra neceſſitatem, abſtinere à malo, & vitioſo miniſtro, maximè ſi eum nouit eſſe in peccato mortali, quia hoc eſt eum inducere ad culpam, cùm omnis adminiſtratio Sacramenti in mortali ab eo qui ex officio tenetur illud conferre, ſit mortalis ex dictis ſupra. Quod quomodo ſit intelligendum, & an ſemper cuilibet promiſcuè, ſit mali miniſtri vſus interdictus, explicabitur tractatu de Pœnitentia. Vbi oſtendemus aliquando licitum eſſe confiteri Parocho concubinario excommunicato maximè tolerato, &c.

QVÆSTIO XX.

Sintne Sacramenta ad ſalutem neceſſaria.

NOn eſſe, dixere Caluinus in Antidoto, & Kemnitius, in Examine, quos eam ob rem Eccleſia auerſatur vt hæreticos, in Tridentino Seſſ. 7. can. 4. *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ Legis, non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto, per ſolam fidem, homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis non ſint neceſſaria, anathema ſit.* Et quidem eſt Baptiſmus neceſſarius in re, vel voto, *cùm præter eum nulla Chriſti ſalus promittatur infantibus.* Auguſt. de peccatorum meritis, cap. 25. *Qui oblati per Sacramentum, charitatemque fidelium, reconciliantur Deo, vt in illo, vim, ſalui, liberati, redempti, illuminati fiant,* de conſecrat. diſtin. 4. can. 143. Per Confirmationem *Spiritus ſanctus ad augmentum datur & robur.* Innoc. III. cap. vnico. de ſacra vnctione *Quamuis enim continuò tranſeuntes, ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen ſunt neceſſaria Confirmationis auxilia: itaque regeneratio per ſe ſaluat mox in pace beati ſæculi recipiendos, Confirmatio armat, & inſtruit ad agones mundi huius, & prælia reſeruandos.* Melchiad. Papa in epiſt. ad Epiſcop. Hiſp. c. 2. Euchariſtia datur morientibus, vt *neceſſarium viaticum*, 26. q. 6. can. ſi quis 6. & in Concil. Nicæno can. 12. Pœnitentia reſipiſcentibus ad culparũ remiſſionem, 36. 4. 6. can. his qui 10. & can. qui recedunt, ead. q. & cauſa, Extrema vnctio infirmis, *quibus ne ſanna pietatis clauſa videatur, orationibus, & conſolationibus Eccleſiaſticis, ſacra olei vnctione vncti, ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum, communione viatici debent refici,* 27. q. 6. can. 1. Ordo hominibus Deo deuotis ſeruatur, diſt. 21. can. cleros, matrimonium profanis, ita patet, Sacramenta non eodem modo ſingulis eſſe neceſſaria. Nam Ordo in re, neceſſarius eſt toti Eccleſiæ, Matrimonium ad legitimam propagationem Chriſtiani populi, Baptiſmus in re, vel voto, neceſſitate medij, in re autem, neceſſitate præcepti, ſicut & Pœnitentia relapſis in peccatum mortale, & Euchariſtia, ratione vtentibus.

Antequam probetur, aduertendum eſt, id dici neceſſarium, neceſſitate medij, ſine quo ſalus obtineri nequit, etſi abſit ſine culpa eius cui deeſt, eiuſmodi eſt fides in adultis, neceſſitate præcepti eſt id neceſſarium, ſine quo, potes quidem abſolutè ſaluari, ſi ſine culpa tua, eo careas, peccas tamen, ſi tua culpa, id omittas, hoc præſuppoſito,

Dico primò, *Baptiſmum, in re, vel voto, eſſe ad ſalutem neceſſarium.*

Aſſertioni fides eſt à Chriſti verbis, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non introibit in regnum cœlorum.* Auguſt. Epiſt. 108. ad Seleucianam, de Baptiſmo & Pœnitentia Petri, contra Nouatianos, vbi oſtendit, ex quo *Chriſtus, in Eccleſia ſua, Sacramentum noui Teſtamenti, pro Circumciſione carnis, ſanctum Baptiſmum dedit, & dixit, Niſi quis renatus, &c. Ioan. 3. Iam non debere nos quærere, quando*

A *quiſque fuerit baptizatus, ſed quoſcunque legimus in corpore Chriſti,* quod eſt Eccleſia, pertinere ad regnum cœlorum, non niſi baptizatos debere intelligi: Et proinde infantes, ſi *per Sacramentum, quod ad hoc diuinitùs eſt inſtitutum, in credentium numerum non tranſeant, profectò in tenebris manſuros,* de conſecr. diſt. 4. can. nulla 142. Et hinc initium videtur factum diuiſioni illi percelebri Sacramentorum, in neceſſaria & voluntaria, eius fit mentio ab Alex. 3. de tranſactionibus, cap. veniens 8. vel vt habetur 1. q. 1. can. remiſſionem, 39. in ea quæ ſunt neceſſitatis & dignitatis, cuius author Auguſt. lib. 3. de Baptiſmo contr. Donatiſtas, cap. 18. nam his verbis indicant hi authores, Sacramenta eſſe aliqua, quæ ſine aperto animę capitiſque periculo omitti nequeant, ob eamque cauſam dici neceſſaria, quo
B de genere Bapt. eſſe, Catholica fides docet, in Trid. Seſſ. 7. can. 5. de Baptiſmo.

Dico ſecundò, *Ad ſalutem ſolum votum Baptiſmi ſufficere.*

Inno. III. author in epiſt. decret. ad Meſenſem Epiſcopum, & refertur de Baptiſmo, cap. 4. ibi enim ait Iudæum, de quo conſultus fuerat, ſibi ipſi Baptiſ. impertiri non potuiſſe validè, ac cum fructu *eo quòd alius eſt qui baptizatur, & qui baptizat, quamuis ſit talis continuò deceſſiſſet, ad Patriam protinus euolaſſet propter Sacramenti fidem, etſi non propter fidei Sacramentum:* & de Preſbytero non baptizato, cap. 3. Idem Innocent. 3. hæc habet ad Ferrar. Epiſc. *Non ſolùm per Sacramentum fides, ſed per fidem etiam Sacra-*
C *menti, efficitur quis procul dubio, membrum Chriſti, & qui Chriſtum habet per fidem, etiam ſi Baptiſ. non habet, habet vtique fundamentum, quod eſt Chriſtus Ieſus.*

Dico tertiò, *Baptiſmum in re ſicut & Pœnitentiam relapſis, & Euchariſtiam, ratione vtentibus, neceſſitate præcepti eſſe neceſſariam.*

Quia de iis extant præcepta, de Euchariſtia quidem, Io. 6. *Niſi manducaueritis carnem*: de Pœnit. Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis*, &c. Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. de Bapt. Matth. vltimo, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Omitti ergo Sacramenta ſine culpa non poſſunt, vnde ſunt neceſſitate præcepti neceſſaria.

Dico quartò, *Extremam vnctionem eſſe ægrotanti ad bene eſſe, neceſſariam, chriſmationem item omiſſam ad*
D *ſalutem, citra contemptum, non obeſſe.*

Nam etſi Sacramenta Baptiſmi, & Confirmationis, ita ſint connexa, vel ab inuicem niſi morte præueniente, nullatenus poſſint ſegregari, vnum ſine altero tamen ſaluare poteſt, aliud autem non poteſt, ex quibus colligitur, quòd Baptiſmus ſit maioris neceſſitatis, manus verò impoſitio, maioris dignitatis à Miniſtro. Melchiad. in epiſt. ad Epiſcop. Iberiæ, cap. 2. monetque Innoc. Papa III. de conſuet. cap. quanto, 4. *Etſi non ſit à fidelibus contemnenda Confirmatio, tutius tamen eſſe, eam ſine periculo, ex neceſſitate (quæ legem non habet, omittere, quàm vt ab his, quibus eam conferre non licet, ex temeritate, non ſine grauis periculo, ſuantur conferatur.* Saluti ergo non officit, Confirmationis omiſſio, ci-
E tra contemptum, quod fuit in Aſſertione poſitum, & à nobis probandum.

Digitized by Google

EPITOME TRACTATVS PRÆCEDENTIS,

De Sacramentis in genere, cum probationibus petitis ex Patribus, Conciliis, & Canonibus.

Cap. 1. SACRAMENTVM *eſt ſacrum ſignum*, Auguſt. de ciuit. Dei lib. 10. cap. 3. ſiue *ſacrum ſecretum*, Bern. in cœna Domini de Bapt. *ſeu ſignaculum rerum diuinarum viſibile, in quo, res inuiſibiles honorantur.* Auguſt. de Catechizand. rudib. cap. 20. quòd autem per Sacramentum indicatur, eſt gratia, appellatur ideo, Sacramentum *inuiſibilis gratiæ, viſibilis formæ*, de conſecr. diſt. 2. can. 32. hoc eſt ſignum de cuius ratione eſt, vt ſit *res præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud, ex ſe, faciens in cognitionem venire.* Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 1. illud autem cuius Sacramentum animo notitiam imprimit, eſt gratia, *cuius ſignum eſt ad noſtram iuſtificationem diuinitus inſtitutum.* Cathechiſm. Concil. cap. de Sacram. ideoque Sacramentum dictum, *quia aliud videtur, aliud intelligitur.* Iuo. ep. 184.

Cap. 2. Sunt autem Sacramenta 7. Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. his, Deum totidem in animum virtutes illuſtres infundere, quibus ornetur ad gloriam, ſcribit S. Thomas 3. part. q. 65. art. 1. & in 4. diſt. 2. q. 1. art. 2. Fideique reſpondere Baptiſma, contra culpam primigenium, ſpei Extremam Vnctionem, aduerſus peccati reliquias, charitati, Euchariſtiam, cuius eſt hæc laus propria, cupiditati frænos inicere, motus inſolentes carnis indomitæ ſedare, voluntatem ad rerum magnarum amorem, iuxta ac ſcelerum inflammatum odium impellere, prudentiæ Ordinem, fortitudini Confirmationem, contra naturæ quæ ad omnia horreſcit, ac pauet motus aſſiduos, Pœnitentiam iuſtitiæ, temperantiæ Matrimonium aduerſus præpoſteram venerem, ac importunos, periculique ac moleſtiæ pleniſſimos inſultus appetentiæ, ne qui eius eſt ſcopus finaliſque deturbata mente de ſolio ius homini dicat fœdum, ac turpe. Numerum hunc ex donorum varietate multiplici, quæ ſunt ad ſui, dæmoniſque victoriam homini neceſſaria, repetit Bernard. in ſerm. de Baptiſmo & ablutione, mentem ſuam his verbis explicat. *Sicut in exterioribus diuerſa ſunt ſigna, & vt cæpto immoremur exemplo, varia ſunt inueſtituræ, ſecundum ea de quibus inueſtimur, verbi gratia, inueſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per baculum & annulum ſimul, ſic, & diuiſiones gratiarum diuerſis ſunt traditæ Sacramentis.* Nam etſi eadem ſpecie gratia iuſtificans detur per omnia Sacramenta, eam tamen pro Sacramentorum diuerſitate diuerſæ conſequuntur actuales gratiæ, quarum ope ac beneficio, vt carnis moleſtias, vt appetitiones ſathanæ varias, ſuperare cuique cùm Deo eſt facile, ita & ex præſcripto formaque Eccleſiæ ſancte ac laudabiliter viuere.

A Sacramentorum *autem alia ſunt neceſſitatis, alia dignitatis: quia enim neceſſitas non habet legem, ſed ipſa ſibi facit legem, illa Sacramenta quæ ſalutis ſunt neceſſaria, auferri vel omitti non debent. Illa verò Sacramenta, quæ ſunt dignitatis, niſi dignè fuerint adminiſtrata, tanti digni, digne à dignis prouehantur, dignitates eſſe deſinunt, non vt ininnatur veritas Sacramenti, ſed vt ceſſet officium adminiſtrandi, vel loco, vel tempore, vel promotione.* 1. q. 1. can. remiſſionem 39. parag. ſed notandum. Parem in Sacramentis diuerſitatem agnoſcit Iuo. ep. 57. Nam in *Sacramentis Eccleſiaſticis* quædam eſſe ait, *ſine quibus Chriſtiana conuerſatio non ducitur, nec à Domino præmium æternæ ſalutis aquiritur.*

Tria ex his characterem imprimunt, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, *hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile.* Trid. ſeſſ. 7. can. 9. proinde iterari nequeunt, *Semel enim Baptizatus à qualicumque ſacerdote, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non debet iterum* Baptizari Conc. Nicæn. *Nec qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum Ordine debet conſecrari.* diſt. 68. can. ſicut. 1. & de Confirm hæc habet Innoc. 3. in cap. paſtoralis 1. de Sacramentis non iterandis. *Quod in talibus nihil eſt iterandum,* idem dicit de Ordine Greg. 9. in cap. Preſbyter 3. de Sacram. non iterand. de Bapt. & Ordine Aug. lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 13.

Supra cæteros diſerte & clare Cypr. de ablutione pedum num. 2. his verbis. *Nam Baptiſmum reperi, Eccleſiaſtica prohibent regula, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere. Nemo ſacros Ordines ſemel datos iterum renouat, nemo ſacro oleo lita, iterum linit, & conſecrat, nemo impoſitioni manus ſacerdotum, aut miniſterio derogat,* quia contumelia eſſet Spiritus ſancti ſi euacuari poſſet, quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emendaret, quod ille ſemel ſtatuit & cõfirmat.

Si autem in his Sacramentis quæ non iterantur, aliquid caſu omitteretur, id quod omiſſum erit, ſine Sacramenti iteratione ſupplebitur cap. 1. 2. & 3. de Sacrament. non iterandis, in dubio autem, an Sacramentum, quod iterabile non eſt, petenti collatum fuerit, non dicetur iteratum, dum conferetur can. ſi nulla 113. de conſec. diſt. 4. *Quod enim non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, vt videatur iteratum.* Sic Leo epiſt. 90. ad Ruſtic. cap. 16. aſſerit. *Baptiſma conferendum videri eis quod collatum eſſe neſcitur, quia non temeritas interuenit præſumptionis, vbi eſt diligentia pietatis.*

Cap. 3. Sacramentorum author, *ac ſpiritualium munerum diſpenſator, ipſe ille eſt, qui eſt criminum abſolutor & peccatorum remiſſor Deus.* S. Fulbertus epiſt. 1. ad Adeodatum. *Diuina enim virtus, Sacramenta huius temporis à legitimis ſacerdotibus miniſtrata, inuiſibiliter conſecrat,* Iuo epiſtola 124. *Et vt peccata diluit, vt iuſtificat impios, ad vitam renocat mortuos, Sic omnibus Eccleſiæ Sacramentis intereſt, quæ ipſe efficit & conſummat.* Cypr. in tract. de Spiritu ſancto num. 12.

E Cuius rei hæc eſt cauſa, quod *cùm peccatore Baptizante* (& idem eſt de aliis Sacramentis) *peccata donentur, dum nonnunquam criminoſo Baptiſmi myſterium celebrante crimina remittuntur, hic homo qui videtur conferre quod non habet, vtique tanti muneris non author, ſed miniſter intelligitur.* S. Fulbertus Carnot. Epiſc. epiſt. 1.

Solus enim *filius habet poteſtatem dimittendi peccata,* Fulbert. ibi. *in eius cruce, gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta, ſine quo, ſigno nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratio meretur efficiam,*

hinc omnium ſanctificationum exurgit ſublimitas, & profundum, & longè latèque diffunditur plenitudo gratiarum. Cypr. de Baptiſmo Chriſti, & manifeſtatione Trinitatis.

Sacramenta ſunt ergo à Chriſto, vti & poteſtas dandæ gratiæ, quæ poteſtas, ei, vt Deo, competit eſſentialiter, ac priuatiuè ad omnes, authoritate propria, vt homini autem, poteſtate excellentiæ, quam habuit ex vnione ad Verbum, ſed Sacramentis vis ineſt, in benè ſubactis pectoribus producendæ gratiæ, ac condonandæ culpæ, ergo ſolius eſt Dei, non hominis, aut Angeli, Sacramenta inſtituere, quæ infallibiliter ſanctificent. Nec enim ſunt hæc nuda ſigna, ſed efficacia gratiæ: quis autem putet eſſe in poteſtate Angeli, aut hominis, quemquã ex propria, ac primaria authoritate reconciliare Deo, peccata eius tollere, aut viſibili ſigno, vim tribuere eius ſanctificandi, alioſque qui eo vti volent ad iuſtitiam? *Quis enim poteſt facere mundum de immundo conceptum homine, niſi qui ſolus eſt mundus, & in quem peccatum non cadit?* Bernardus inſerm. de ablut. pedum.

Maneat ergo quod erat nobis in animo oſtendere, *Sacramenta omnia à Domino Ieſu Chriſto inſtituta eſſe*, nec id ſine culpa ab vllo obſtinatè negari poſſe. Trident. Seſſ. 7. can. 1. *Appropinquans enim paſſioni Dominus, de gratia ſua inneſtire curauit ſuos, vt inuiſibilis gratia, ſigno aliquo viſibili præſtaretur.* Bernard. in Sermone de Bapt. & Cœna.

Cap. 4. Sacramenta autem gratiam producunt à quocunque miniſtrata, *Spiritalis enim virtus Sacramenti, vt lux pura, ab illuminandis excipitur, ſed per immundos tranſiens non coinquinatur*, 1. q. 1. can. 3. hic iuſtus. Quia *nihil pernaſione impiorum demitur ſacramentis eccleſiaſticis, quo minus ſancta ſint, quia apud quoſcunque ſunt, ipſa ſunt, ſine apud eos qui foris ſunt.* Iuo Carnot. epiſt. 238. *Ab impiis tractata, propter indignitatem eorum non ſunt deteriora, ſicut propter dignitatem meliorum, non ſunt meliora, ſed apud quoſcunque ſunt, eadem ipſa ſunt.* Idem epiſt. 81. ad Laurentium Abbat. Caritatis. Quæ eſt opinio Auguſt. *ep. 164. ad Emeritum, & libro 3. contra Donatiſt. cap. 16. lib. 5. cap. 29.* Conſulendus ſuper ea re Grat. 1. q. 1. *can. multa, can. ſic inſtus* 30. Quare ab hominum corruptela vitium Sacramenta non trahunt, *can. nonne Sodomita* 37. *& can. dedit Baptiſm. Iudas* 46. *& cùm malus tradit Baptiſmum bono, inter bonum Sacramentum quod traditur, & bonum fidelem cui traditur, non ſeparat tradentis malitia.* Auguſtin. de Bapt. contra Donatiſt. 5. cap. 29. *Quoniam ſine Iudas, ſine Paulus baptizet, Chriſtus peccatum lauat, abſolut, & delet.* Cypr. de Bapt. Chriſti, num. 2. Quod Auguſtinus quoque tradit, tract. 5. in cap. 1. Ioann. *Chriſtus eſt qui baptizat per malos Miniſtros, non minus quàm bonos, & ſicut vna eſt columba, ita & vnum Baptiſma.* Ita non eſt credendum, *ideo non eſſe Sacramenta Chriſti, & Eccleſiæ, quia eis illicitè vtuntur non ſolì hæretici, ſed etiam omnes iniqui, & impij, ſed illi corrigendi ſunt, aut puniendi, illa verò agnoſcenda, & veneranda ſunt.* Iuo Carnotenſ. epiſt. 57. ad Bern. Abbat. eo quòd eorum ſanctitas, vt idem tradit ibidem, *impolluta, & inuiolata permanet, ſed in bonis ad præmium, in malis verò ad iudicium.* Quòd ſi nonnunquam ſcripſere Patres, apud hæreticos, Sacramenta vera non eſſe, id hunc habet ſenſum.

Primò, quòd ab iis recipi, nec dari poſſint extra neceſſitatem, ſine culpa, ita mihi ſentiendi, author Auguſt. lib. 2. contra literas Parmeniani, c. 13. ibi enim hæc habentur de hæreticis. *Sicut habent in Baptiſmo, quòd per eos dari poſſit, ſic in Ordinatione ius dandi, vtrumque quidem ad perniciem ſuam, quandiu charitatem non habent vnitatis, ſed tamen aliud eſt, prorſus non habere, aliud perniciosè habere, aliud ſalubriter habere.* Itáque intelligi debet can. non ſanat, 50. cauſæ 1. q. 1. vbi dicuntur, Sacramenta ab hæreticis collata, non conferre gratiam, quia extra neceſſitatem, hæc ab eis poſtulare, culpa eſt, eaque grauis, cum qua ſtare charitas non poteſt, nec proinde gratia, huius ergo effati, apud hæreticos, Sacramenta vera non eſſe, ſenſus eſt, vt dicitur 28. q. 1. can. omnes deinceps, 14. §. item cùm dicitur, eorum Sacramenta talia non eſſe *quantum ad virtutem, ſic petenti dandam, non quantum ad formam.*

Secundò, eſt id capiendum de Sacramentis, in quorum collatione, non ſeruatur ab hæreticis forma conſueta Eccleſiæ, aut eorum mutatur materia, id enim cùm accidit, eorum incuria, aut malitia, Sacramentum eſt nullum, ſecus ſentiendum, cùm ad eius eſſentiam, neceſſaria omnia, Chriſti voluntate, ac inſtituto adhibentur; de quo nobile extat teſtimonium apud Auguſt. in lib. 65. quæſt. dialog. q. 59. Quod citatur à Grat. de conſec. diſt. 4. can. quamuis, 29. Sanè *inuiolabile eſt Sacramentum, & quod per hæreticos datum eſt aliis, virtutem ſuæ perfectionis obtinet.* Iuo Carnot. ep. 57.

Cap. 5. Perficitur autem Sacramentum omne, rebus, vt materia, verbis vt forma: materia vocatur *elementum* ab Auguſt. tract. 80. in Ioann. forma *verbum*: *Detrahe verbum, inquit, quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Appellationis huius cauſâ, hæc vna eſt duntaxat, quod Sacramentorum materia, tam remota quàm proxima, vt aqua, in Baptiſmo, ac pueri ablutio, quæ valdè eſt indifferens, ac imperfecta ad ſignificandum, determinetur per formam, quo ab effectu, habet verbum, quod eam componit, vt concurrat ad productionem gratiæ, per modum formæ, res ſenſibilis, hoc eſt elementum, ad inſtar materiæ, ita renouatur anima per gratiam, *faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. nam in ipſo verbo, aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens.* Auguſt. tract. 80. ad cap. 15. Ioan. Solum tamen, ac nudum verbum, intentione Miniſtri, ac virtutis Spiritus ſancti deſtitutum, ad eam rem non ſufficit, velle debet Miniſter, id quod Eccleſiæ propoſitum eſt in vſu rerum talium, eò pertinent verba hæc Conc. Seſſ. 7. can. 2. *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem faciendi ſaltem quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Et ideo dicit Auguſtin. tract 80. in Ioan. efficaciam prouenire *à verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur*: vnde iterum idem contra Fauſtum Manichæum, c. 6. *Deus æternus eſt, nec tamen aqua, & omnis illa actio corporalis, qua agitur, cùm baptizamus, & fit, & tranſit, æterna eſt. rurſus illa ſyllaba, celeriter ſonantes, & tranſeuntes, niſi dicantur* (humano ſcilicet modo, qui in intentione conſiſtit) *non conſecratur: Hæc omnia fiunt, & tranſeunt, ſonant, & tranſeunt, virtus tamen quæ per iſta operatur, iugiter manet, & donum ſpirituale, quod per iſta tranſit, æternum eſt.* Debet ergo in Miniſtro reſidere intentio à pronuntiatione verborum diſtincta, cuius intentionis obiectum ac finis, eſt id facere quod facit Eccleſia, quod obiectum, & qui finis, & mente concipi, & in Miniſtri voluntate verſari oportet, vt poſſit agere, ac proinde ambos actus, tam intendendi, quàm volendi, eſſe internos, cùm aliquid mente

Digitized by Google

comprehendere, illudque ipſum velle, ſint animi noſtri actus interiores, atque in eo latentes.

Cap. 6. Non eſt autem quilibet, ad Sacramenta conferenda promiſcuè idoneus. Enimuero dictum eſt à Conc. ſeſſ. 7. can. 10. anathema in eos, *qui Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis poteſtatem habere credunt aut aſſerunt*; & primo quidem mulieri prohibetur ne baptizet in Conc. Carthag. 4. can. 100. *Manus autem impoſitionis Sacramentum, magna id circo veneratione celebrandum eſſe* ſcribit Euſeb. Papa in epiſt. ad Epiſcop. Tuſciæ c. 3. *Quòd ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis ſacerdotibus, nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quam ab ipſis Apoſtol. legitur, aut ſcitur peractum eſſe, nec ab aliis, quàm ab illis, qui eorum teneut locum vnquam perfici poteſt, aut fieri debet.* Idem ſtatutum eſſe ab Inn. 3. perhibet decretalis eius Epiſtola, quæ refertur in cap. quanto 4. de conſuetud. De Pœnitentia, Euchariſtia, & Extrema Vnctione, dicere nihil eſt neceſſe, cum conſtet. *Ad Presbyterum pertinere Sacramentum corporis & ſanguinis Domini conficere, inaltario Dei, benedicere dona Dei, & orationes dicere.* Diſtinct. 25. can. perlectis primo, *oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, Sacramentorum adminiſtratione paſcere.* Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. Pœnitentiæ ante cætera, quam ob cauſam iubetur Parochus aurem confitentibus dare, ſaltem in Paſchate, indicat hæc Conc. Lateran. ſanctio, canone 21. *Omnis vtriuſque ſexus, omnia ſua peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti, vel alieno, priùs tamen à proprio ſacerdote impetrata venia, quoniam aliter ille, ipſum non poteſt abſolvere vel ligare.* Eodem ſpectant quæ ab Innoc. eius nominis primo ſcripta ſunt Epiſt. ad Decentium cap. 8. his verbis. *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem Pœnitentis, ac ad fletus, & lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem.* Eundem quoque Extremæ Vnctionis Miniſtrum eſſe, ex his Apoſt. Iac. verbis cap. 5. docet Eccleſia. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & vngent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini*, &c. Quod Romanos quoque Pontifices ſenſiſſe loquitur hæc Innoc. Papæ primi oratio ad Decent. c. 8. *Cæterùm illud ſuperfluum videmus adiectum, vt de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere, non dubium eſt, nam ideirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non poſſunt.* Baptiſmus in neceſſitate non habet ſpecialem Miniſtrum, *Quare cùm Presbyteri, Epiſcopi, aut quilibet miniſtrorum, non inueniuntur, & vrget periculum eius, qui petit, ne ſine Sacramento hanc vitam finiat, etiam laïcos, ſolere dare Sacramentum, quod acceperunt, ſolemnis audire.* Auguſt. ad Fortunat, & can. cumque de conſec. diſt. 4. can. autem ſuper quibus 4. cauſæ 30. q. 3. reſpondet Vrbanus videri ſibi, *Quod ſit Baptiſmus, ſi inſtante neceſſitate, famina puerum, in nomine Trinitatis Baptizauerit.* Extra eam habet proprium Parochum Presbyterum pro Miniſtro, colligitur ex his verbis Hormiſdæ Papæ cap. 1. de clerico non ordinato miniſtrante, quibus ſtatuit. *Vt ſi quis Baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiciatur de Eccleſia.*

Sacramentum Matrimonij, Miniſtrum alium non habet, quàm ambos contrahentes, quia ſicut Papa Nicolaus dicit, *Matrimonium facit conſenſus, non coitus*, Vnde &c in lib. Pandect. 23. tit. 1. *In ſponſalibus conſenſus eorum exigendus eſt, quorum in nuptiis deſideratur, & ideo ſicut in nuptiis, ita ſponſalibus, filiam-familias conſentire oportet.* Qua de re Iuo plurib. epiſt. 46.

De Euchariſtia nihil dicere attinet, cum à Trident. ſeſſ. 7. can. 10. in impiorum numero habeantur qui dixerint, *Chriſtianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem.*

Seſſ. autem 14. cap. 6. reprobantur, *vt à veritate alienæ, doctrina omnes quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos, & ſacerdotes, clauium miniſterium perniciosè extendunt.* Et de Extrema Vnctione dicitur eiuſdem ſeſſionis cap. 3. de eius Miniſtro, *Proprios eius Miniſtros, eſſe Eccleſiæ Presbyteros, quo nomine, & loco, non ætate ſeniores, aut primores in populo, intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut ſacerdotes, ab ipſis ritè ordinati per impoſitionem manuum Presbyterij.* Hæc Conc. cap. 3. de inſtitut. Extremæ Vnct. ſeſſ. 14.

Et ſanè *ſi à quibuſcunque perſonis diuina Sacramenta confici, & tractari poſſent, ex abundanti conſtitutus eſſet in Eccleſia ordo ſacerdotalis & Leuiticus, quod impium eſt aliquem arbitrari.* Iuo Carnot. epiſt. ad Leudonem 124.

TRACTATVS SECVNDVS DE BAPTISMO.

QVÆSTIO I.

Quid ſit.

BAPTISMVM Patres, ac poſt eos Theologi, fecere olim triplicem, flaminis, ſanguinis, fluminis. Ita D. Thom. q. 66. art. 11. & ante eum D. Auguſt. de vnico Baptiſmo, contra Donatiſt. lib. 4. c. 22. & refertur de conſecr. diſt. 4. can. 34. D. Bernard. epiſt. 77. ad Hugon. de ſancto Victore.

Baptiſmus flaminis, eſt motus quidam gratiæ actualis, quo cor hominis impellitur ad credendum, diligendum, & pœnitendum, vel vt loquitur Bern. in ep. 77. citata, *Fides recta, ſpes pia, charitas ſincera, cum deſiderio Baptiſmi.* Baptiſmus Sanguinis, eſt tolerantia cruciatuum, ac mortis, Chriſti cauſâ, quæ idem operatur in anima, reſpectu gratiæ, ac remiſſionis peccatorum, quod Baptiſmus aquæ, vt colligitur ex his verbis Apoc. 7. *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni*; lauare enim & baptizare idem ſunt, ob eam cauſam dictum eſt ab Auguſt. vt habetur can. 34. diſt. 4. de conſecr. & refertur à D. Bern. epiſt. 77. ad Hugonem. *Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem*: Et poſt pauca, idem Pater hæc addit. *Inuenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, conuerſionemque cordis, ſi forte per celebrandum myſterium Baptiſmi, in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.* Qua ex oratione apparet in Auguſtini ſententia, martyrij, & contritionis, vim eandem eſſe, ac Baptiſmi, quod & Cypr. placuiſſe video, nam de contritione hæc habet, in ſermone de Cœna. *Latrocinium damnationem meruerat, & ſupplicium, ſed cor contritum mutauit in martyrium, & ſanguinem in Baptiſmum: quid tu Domine ampliùs contuliſti martyri tuo Stephano?* Qua de re, nobile quoque extat D. Bernardi teſtimonium in epiſt. 77. citata. literis ad eum datis, ſignificauerat Hugo eſſe in Gallia qui diceret, ſpem ſalutis ſupereſſe nullam ei, quem Baptiſmi aqua non irrigaſſet: cupere ſe itaque, quis ſuper ea re ſenſus eius eſſet, intelligere, vt ſibi ſuiſque poſthac foret pro regula. eius ergo poſtulatis ſatisfaciens hæc reſcripſit. *Si ante exitum reſipuerit, & voluerit, & petierit baptizari, ſed mortis præoccupatus articulo, fortè obtinere*

A *nequiuerit, dum non deſit fides recta, ſpes pia, charitas ſincera, propitius ſit mihi Deus, quæ huic ego ob ſolam aquam, ſi defuerit, nequaquam omnino poſſum deſperare ſalutem, nec vacuam credere fidem, nec excidere charitatem, tantùm ſi aquam non contemptus, ſed ſola prohibeat impoſſibilitas*: Et paulò poſt. *Sola fides & mentis ad Deum conuerſio, ſine effuſione ſanguinis, & ſine perfuſione aquæ, ſalutem ſine dubio operatur volenti, ſed non valentes, prohibente articulo baptizari.*

Quòd ergo Bapt. aquæ, homini beneficium ſalutis & gratiæ impertit, hoc eidem Pœnitentia, hoc pro Chriſto mors tolerata abundè ſuppeditat.

De martyrio loquuntur Tertull. libro de Bapt. Hilar. in illud Pſalm. 118. *Viuam & obſeruabo ſermones tuos.* Auguſt. de Ciuitate Dei, lib. 13. cap. 7.

B Fulgent. lib. de Fide ad Petrum, cap. 3. Author libri de Eccleſ. dogmat. cap. 74. Cypr. in præfatione tract. de Exhortatione Martyrum, vbi ait, pati pro Chriſto, ducendum eſſe beneficij loco, cùm paſſio idem præſtet homini, quod ſacra Baptiſmatis lotio, *Baptiſma hoc* (inquit) *in gratia maius, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius, Baptiſma in quo Angeli baptizant, Baptiſma in quo Deus, & Chriſtus eius exultant, Baptiſma poſt quod, nemo iàm peccat, Baptiſma quod fides noſtræ incrementa conſummat, Baptiſma, quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat*, eo quòd vt habetur de conſecrat. diſt. 4. can 37. *in martyrio tota Baptiſmi Sacramenta compleantur.* Quod Cyprianus epiſt. ad Iubaianum 73. eleganti hac oratione expreſſit. *Nec primari*, (loquitur de Chriſtianis baptizatis ab hæreticis, quibus

C Iubaianus aiebat, aditum ad beatam immortalitatem fore nullum, quamuis Dei cauſa mortem oppeterent, antequam à Catholicis, penes quos ſolos veri Bapt. ius eſſe Cypr. cum Africanis Epiſcopis in Concilio ſanxerat, quæ etſi vera forent, inquit Cyprianus, tamen dici nequeunt, *Priuari Baptiſmi Sacramento, vtpote qui baptizentur gloriaſiſſimo, & maximo ſanguinis Baptiſmo, de quo & Dominus dicebat, habere ſe aliud Baptiſma baptizari: ſanguine autem ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos conſummari, & diuinæ pollicitationis gratiam conſequi, declarat Dominus, quando ad latronem, in ipſa Paſſione credentem, & confitentem loquitur, & quod ſecum futurus ſit in Paradiſo pollicetur.*

De his tamen Baptiſmatibus, nobis hîc nullus ſermo, ſed de communi ac vſitato, in Dei Eccleſia, quod antiqui Patres, Dionyſius cap. 2. eccl. Hierarch. illuſtrationis Sacramentum. Clem. Alex.

Digitized by Google

lib.1.pædag. cap.6. Nazianz. orat. de Bapt. dixere *eumquè* illuminationem exemplo Apoſt. ad Hebr. 2. *impoſſibilè*, eſt eos *qui ſemel ſunt illuminati & guſtauerunt*, quo ſenſu Cypr. epiſt. 7. ad Confeſſores queritur. *Dei templa, & poſt confeſſionem ſanctificata, & priùs illuſtrata*, id eſt Baptizata. *ab iis turpi & infami concubitu inquinata eſſe*, & quoniam Beata vita nihil eſſe debet homini charius, optatius nihil diuina gratia qua ad eam vitã peruenitur, Baptiſma quod eſt Sacramentũ gratiæ, & admiſſionis noſtræ in numerum electorũ dixere Patres. *Donum Dei, & ſaluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti.* De conſecrat. diſt.4.ca.4.& Cyrillus Hieroſol. Catech. 3. Amb. lib. de Sacram. cap. 21. Appellatur & à Nazianz. orat. 40. in ſacrum Baptiſma *σφραγὶς*, ſeu ſignaculum, eo quod in Bapt. per impreſſionem characteris ſpiritualis, animæ ſignantur, & vt quidpiam ad Chriſti ouile pertinens, ſeponuntur ad gloriam venturam. Ita conſideratus Baptiſmus definitur, *Sacramentum viſibile in aqua & Spiritu ſancto.* de conſecrat. diſt. 4. can. 1. A Catechiſmo Romano par. 2. ca. 2. *Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo vitæ.* A Guid. de Monte *Ablutio externi corporis cum præſcripta forma verborum.* A Tert. lib. de Baptiſmo. *Sacramentum aquæ*, à Dionyſio Eccleſiaſticæ Hierar. cap. 2. *principium quoddam ſanctiſſimorum mandatorum ſacræ actionis, & aliorum diuinorum eloquiorum & ſacrarum actionum, ad eorum ſuſceptuam opportunitatem formans noſtros animales habitus, ad ſupercœleſtis quietis anagogen, noſtrum ſter faciens, ſacræ & diuiniſſimæ noſtræ regenerationis traditio.*

A Damaſceno lib. 4. cap. 10. *Sacramentum per quod primitias Spiritus ſancti accipimus, principium alterius vitæ, regeneratio, & ſigillum, cuſtodia & illuminatio.* Quod enim Baptiſmus primo loco conferatur, atque Spiritus ſancti inhabitantis prima initia capiamus, dicitur nobis dare primitias ſpiritus, vt enim primitiæ ſpiritus, id eſt, excellentia illa dona quæ initio neſcentis Eccleſiæ Chriſtus electis conferebat, numero & amplitudine ea ſuperabant quæ dantur hoc tempore fidelibus, ita & in Baptiſmo copioſior meritorum Chriſti fit applicatio, quàm in cæteris fidei myſteriis, per eum enim peccata omnia, quoad culpam, pœnam, & omnem ſatisfactionis obligationem pleniſſimè tolluntur *eſt principium vitæ alterius*, quia per eum in ſanctorum numerum inſcribimur primaque æternæ vitæ pignora, fidem, ſpem, & charitatem accipimus.

Regeneratio eſt quia eius beneficio, Deo & cœlo naſcimur, per gratiam quam confert eum vſurpantibus. *Sigillum* eſt, quia characterem imprimit, quo veluti ſigillo quodam inſigniti ad Chriſti gregem pertinere dignoſcimur. *Illuminatio* eſt, quia lumine fidei infuſæ in Baptiſmo diſcit homo, quid homini ſequendum, quid vitandum, quibus ei ad vitam immortalem, ac beatam enitendum ſit virtutibus, quibus ſuperandus hoſtis, placandi ſuperi, enecandi mali habitus.

Omnium optima Bapt. deſcriptio, & tenenda, eſt ea, quæ ex Catechiſmo eſt petita ſicque habet. *Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.*

Dicitur *Sacramentum*, quia ita appellatur à Gelaſio Papa can. 17. diſtinct. 4. de conſecrat. & Auguſt. vt refertur ca. 2. eiuſdem diſtinct. 2. quia eſt ſignum viſibile inuiſibilis gratiæ, quæ nos Deo, & beatæ immortalitati parit, quare (vox ſigni) locum generis tenet, cætera quæ in ea definitione habentur, differentiæ vicem explent, quia etſi Sacramenta omnia, vitam animæ, roburque ſpirituale, cum gratia tribuant, nullum tamen præter Baptiſmum, propriè nos Deo generat, cum de eo ſolo, Ioan. 3. ſit dictum, niſi *quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. Ioan. 3. nec alteri ab illo, competit primo, & per ſe, dare homini primam gratiam, ſed ſecundam, quare ſimpliciter & ſine addito, vocatur à Leone Papa, in Epiſt. ad Epiſcopos per vniuerſam Siciliam conſtitutos cap. 6. *regeneratio.* Aquæ fit mentio, quod ſine ea conſtare Baptiſmus nequeat, vt vox ipſa Baptiſmi indicat eum Cypr. ideo *genitalem vndam*, nuncupat Epiſt. 2. ad Donat. *lauacrum vitale* lib. de diſcipl. & habitu virginum. Paulus ad Titum 3. *lauacrum regenerationis*, ad Epheſ. 5. *Lauacrum aqua mundans in verbo vitæ* Tertull. loco proximè citato *Sacramentum aquæ.* Additur *in verbo vitæ*, quia eſt aqua, ſeiuncta à verbo, id eſt forma, propria Sacramenti, ad productionem gratiæ, inefficax, inanis, nullarumque virium.

QVÆSTIO II.

Quando Baptiſmus ſit à Deo inſtitutus in Eccleſia.

REſpondeo ea de re certi nihil tradi ab Eccleſia, etſi enim quando in Iordane Chriſtus eſt Baptizatus, huius Sacramenti matariam, ipſo facto, & effectu demonſtrauerit, nego tamen conſtare certò, de tempore, quo voluntate Chriſti, frequentari primum incœperit, pars 1. conſtat ex Ambroſio ſermone 36. lib. 2. In Lucam cap. vltimo Hieronymo in 3. Mat. eorum enim eſt opinio, à Chriſto, tam Baptiſmo ſuo, quàm contactu ſuæ viuificæ carnis, aquas conſecratas eſſe, vimque iis inditam, non infuſione vllius qualitatis phyſicæ, ſed morali conſecratione illas deputando, vt eſſent materia Baptiſmi, & decernendo eis applicare vim ſuorum meritorum ad productionem gratiæ, ſicque iam ex eo tempore Chriſtum definiiſſe Sacramentum Baptiſmi, myſtico modo adumbrando eius formam, quæ in inuocatione Trinitatis conſiſtit, per apparitionem eiuſdem, nam pater qui eſt filij principium, tunc eſt locutus, Spiritus ſanctus, in ſpeciè columbæ apparuit, nec modo formam ab eo deſignatam tunc eſſe aiunt, hi duo Patres, ſed effectum quoque Sacramenti, lapſu Spiritus ſancti in columbæ forma.

Pars altera reſponſionis fuit, nihil conſtare certò, de tempore, quo Baptiſmus eſt à Chriſto inſtitutus, quia eius non meminêre ſcripturæ ſacræ, exiſtimant proinde aliqui inſtitutum in vltima cœna, vt Hugo de ſancto Victore lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 4. Alij antea, nonnulli poſt reſurrectionem, nempè cùm Apoſtoli Math. 27. Chriſtianæ veritatis, ac Euangelij ſementem vbique facere ſunt miſſi, quæ opinionum varietas argumentum eſt, & quidem meo iudicio non obſcurum, eius rei, de qua agimus, nempe, inſtituti Baptiſmi tempora definiri certò non poſſe. Quare.

Dico primò. *Non eſſe de fide Baptiſmum ante paſſionem eſſe determinatè, aut poſt eam inſtitutum à Chriſto*: Quia illud tantùm eſt de fide, quod eſt reuelatum à Deo, aut ex verbo Dei ſcripto, vel tradito, euidenter colligitur, at neutrium de tempore Baptiſmi inſtituti à Chriſto dici poteſt, ergo non eſt

de fide, eum ante passionem institutum esse, aut
A iam ante tempore Bapt. esset in vsu, voluntate
Christi, & eius quoque formam, Apostolis notam
esse oportuit: ex his ergo verbis, tantũ inferturpræ-
ceptum de Baptismo recipiendo, Christum cum
obligatione post Passionem suam dedisse, qualis
ante nulla erat, libertate cuique relicta, eum fre-
quentandi si vellet.

Obiicies 2. illo loco, quem ex Euangelio Ioan-
nis citauimus, agi tantùm de Baptismo impropriè,
& qui præcursoris erat.

Respondendum est, id esse falsum. 1. quia Ioan-
nis discipuli indignè tulerunt, plures à Christo per
Apostolos fuisse baptizatos, quàm à Ioanne, quod
non fecissent, si vnum & idem vtriusque Baptisma
extitisset. 2. quia Matth. 3. & Ioan. 3. indicatur
vtrumque diuersum fuisse: dicit enim Ioannes. *Ego*
B *vos baptizo in aqua, qui autem post me venturus est,*
fortior me est, ille vos baptizabit in Spiritu sancto.
3. Quia quos Ioannes baptizauerat, hos iterum lo-
tos esse ab Apostolis legimus, Actorum 19. quod
fuisset superfluum, si Christi & Ioannis idem Bap-
tismus fuisset.

Obiicies 3. Si Bapt. fuit in vsu ante Passionem, se-
quitur eũ independenter ab illa habuisse suam effi-
caciam: Consequens est falsum: Neganda est Mai-
or, licet enim Passio, quo tempore institutus est
Baptismus, executioni mandata non esset, præuisa
tamen erat, ac verè inchoata, cùm qui dies Chri-
sto vitam, eiusdem quoque cruciatibus initium de-
derit, ipsomet teste apud Psalmistam. *Pauper sum*
ego, & in laboribus à iuuentute mea. Vtrumque au-
tem sufficere id indicat, quòd nullo non tempore,
C sancti, Christo, eiusque meritis, gratiam suam ac-
ceptam retulerint, quem tamen scimus, tùm aliter
passum non esse quàm per præscientiam, quo sen-
su in Apoc. dicitur, occisus ab origine mundi, suo-
que immaculato cruore lauasse mundum, quia eius
mors præuisa fuit, & ab origine mundi, efficaciam
ad sanctificandos homines habuit.

Obiicies quartò Nunquam fuit Baptismus, quin
per eum daretur Spiritus sanctus, cùm à gratia, &
charitate non sit hic seiunctus, sed ante Passio-
nem Spiritus sanctus nulli est datus, Ioannis 7. *Spi-*
ritus sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum
erat glorificatus: Ergo nec Bapt. institutus ante eam
fuit. Neganda est minor: semper enim per Baptis-
mum, datus est Spiritus sanctus, cum gratia, quare
D ad confirmationem argumenti dicendum est, vel-
le tantùm Apostolum, Spiritum sanctum, ante
glorioſam resurrectionem Christi, datum non fuis-
se, in plenitudine, & forma visibili, vt datus est in
die Pentecostes, non negat tamen eum inuisibili-
ter, & minori copia communicatum, quàm cùm
datus est Apostolis, sed tamen sufficienter, ad re-
missionem peccati, & effectum Baptismi.

Confirmatur, ideo opinione Chrysostomi in ora-
tione de Paschate, edita non ita pridem, ex Chri-
sti latere, resoluto militis lancea, aqua sanguine
mixta fluxit, quod latronem lauari ad beatæ vitæ
immortalitatem esset necesse. Sentit ergo Chry-
sostomus, Baptismum iam tum institutum esse, de-
que eo præceptum extitisse, quod præteriri non po-
tuerit sine culpa, alioqui cur diceret latroni ad sa-
lutem opus fuisse aqua, in qua lauaretur; cùm enim
hæc, & æterna fœlicitas, naturâ suâ nullam inter
se necessariam coniunctionem habeant, eiusmodi
necessitatis initia, & causas, à diuina voluntate
repetere est necesse.

Probatur secundò. Non est credibile, Apostolos
non baptizatos, fuisse consecratos in Sacerdo-
tes, quod tamen dicendum esset, si Baptismus po-
sterior esset resurrectione. Matthæi enim 16. con-
ceditur Petro potestas remittendi peccata, quæ
Matth. 18. conceditur cæteris Apostolis, capite au-
tem 16. datur potestas in Christi corpus, quæ duo
munera propria sunt Sacerdotum.

Confirmantur hæc, ex iis quæ asserit Euodius Epi-
scop. Antiochenus apud Niceph. lib. 2. cap. 3.
videlicet, à Christo Petrum solum baptizatum es-
se, ab hoc autem Andræam, Iacobum, & Ioan-
nem, ab eis verò reliquos Apostolos, & 70. disci-
pulos, quæ omnia, Christi Domini morte, priora
fuisse tempore, vel hoc argumento esse potest, quod
non sit probabile, Christum dedisse Euchar. non
baptizatis, aut non baptizatos, initiasse sacerdo-
tio, quæ duæ res tamen, singulari Christi benefi-
centia, Apostolis sunt concessæ, antequam san-
ctam animam exhalaret in Cruce. Maneat ergo
quod erat in quæstione, Baptismum ante Passio-
nem institutum esse, eiusque materiam ac formam
designatam fuisse, eo tempore, quo Christus fuit
baptizatus, quod Patres indicant, cùm asserunt
Christum contactu suo aquas sanctificasse, vt Chro-
mat. in Matth. cap. 6. siue virtutem iis contulisse,
vt Aug. serm. 1. Domin. infra Octauam Epiph. his
verbis, *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium*
peccata ablui aqua, quæ virtus non est qualitas iis
E impressa, sed consecratio moralis, per quam aqua
deputata est vt materia ad vsum, & effectum Sacra-
menti producendum. *Neque enim purgare peccata*
posset, nisi tactu Dominici corporis sanctificata esset, de
consecrat. dist. 4. can. 10.

Obiicies 1. Forma Baptismi est tantùm data post
Passionem, Matth. vltimo *Baptizantes eos in nomi-*
ne Patris, Ergo & tum institutus est, non ante.

Negandum est Antecedens. Cùm enim multo

QVÆSTIO III.

Quando Lex Ecclesiastica de Baptismo frequen-
tando obligare cœperit.

PRima Assertio. *Lex de Baptismo, vnumquem-*
que tunc in particulari obligare cœpit, publica, &
generali obligatione, quando lex Euangelica promul-
gata fuit solemniter. Quod accidit in die Penteco-
stes, causa est, quod lex à promulgatione sui facta,
vt expedit, vim habeat in populo, non respectu
tantùm communitatis, sed singulorum, ergo non

ante,

Digitized by Google

ante, ea lege cenſendi ſunt obligati fuiſſe homines, quam promulgaretur, cum euulgatio legis, aut ei ſit eſſentialis, aut certè conditio neceſſaria, vt obliget, Angel. verbo lex num. 13. Sotus in 1. de iuſtit. q. 1. art. 4. Caiet. in 1. 2. q. 64. art. 4.

Secunda Aſſertio. *Lex de Baptiſmo, probabiliter obligare cœpit Eccleſiam vniuerſam, quando Chriſtus in cœna legem nouam inſtituit, aut in paſſione, cum veterem omnino aboleuit.*

Ratio eſt, quod ad legem Euangelicam, Sacramenta pertineant, ergo tùm Eccleſiam vniuerſam obligauit præceptum de Baptiſmo, cum lex noua à Deo eſt condita.

QVÆSTIO IV.

Quænam ſit materia Baptiſmi, quæ forma.

CRedidere Seleuci diſcipuli, Bapt. in igne dandum eſſe, horum dogma ſecuti Iacobitæ, fronti ſignum Crucis, loco aquæ imprimebant, candenti ferro.

Ridiculus eſt Lutherus cum in ſympoſiacis ſuis colloquiis, cap. 17. aſſerit in omni balneo, Baptiſmum conferri poſſe, proindeque lac, vinum, ceruiſiam, eſſe huius Sacramenti materiam. Sententia Catholica exponetur ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio. *Baptiſmi materia remota, eſt aqua.*

Doctrinam hanc certam fecere Concilia, & Patres, libet orditi à prioribus: *Si quis*, inquit Trid. ſeſſ. 7. can. 2. *dixerit aquam veram, & naturalem, non eſſe de neceſſitate Bapt. anathema ſit*; & in Florent. hæc habentur, *materia huius Sacramenti eſt aqua vera & naturalis*, nec refert frigida ſit, an calida, turbida, aut pluuia, vel ex glacie, niue, grandine expreſſa, aut liquori cuipiam alteri ſit admixta in quantitate tam modica, vt aqua, nomen ſuum retineat, quia accidentalis mutatio, quæ in ea interuenit non impedit quominus talis ſit ſecundum vſum, & conceptionem communem hominum. Addit S. Thom. articul. 4. ad 4. lixiuium & aquas ſulphureas, ſufficientem eſſe Baptiſmi materiam, quamuis non conuenientem extra neceſſitatem, quia etſi talia ſedãdæ ſiti adhibere non ſit in more, nomen tamen aquæ, cum proprietatibus quæ ei ſunt innatæ ſeruant, quod quia lutum, ac iuſculum, cum ſucci carnei admixtione magna, non habent, in iis Baptiſmus conferri non poteſt: enimuero cùm Baptiſmus duo exigat, verbum & elementum, iuxta quod de verbo veritas ait, *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangel. omni creaturæ, & Baptizate omnes gentes, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, eademque dicat de elemento. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. *Dubitare non debemus credere illos verum non habere Baptiſmum, in quibus non ſolùm vtrumque prædictorum, ſed etiam alterum eſt amiſſum*, inquit Innoc. 3. de Baptiſmo cap. 5. *Renaſcitur ergo homo, ex aqua, viſibili Sacramento, & Spiritu inuiſibili, intellectu, vt ſymbolum Baptiſmi viſibiliter accipiat, & ſpiritualem intellectum, ipſius ſymboli perficiat.* Auguſtinus contra Donatiſtas.

Sane aquæ fit mentio in ſcripturis, Ioan. 3. Niſi *quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro vitæ.* Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Deinde ſumma Baptiſmi neceſſitas qui fons eſt, *Patens domus Dauid & habitantibus Ieruſalem, in ablutione peccatorum.* Vt loquitur ſynodus Lugdunenſis habita ſub Cardinali Turnonio, *Salus puerorum*, iuxta Concilium Xantonenſe, ann. 1279. ſumma inquam neceſſitas Sacramenti huius, exigebat, ne in alia materia fieret, quam quæ obuia & ad manum ſingulis foret, talis autem eſt aqua, *Quæ appellatione Baptiſma ſignificatum ſemper*, eſſe ſcribit Cypr. ep. 63.

Vt enim ea ſuffocantur animalia, à piſcibus diuerſa, ita & Baptiſmi vnda, humana ſcelera. Pſal. 73. *Contribulaſti capita draconum in aquis*, id eſt, peccatorum Auguſtin. interprete, quid ? quod aqua emollit, qui effectus proprius eſt Baptiſmi, à quo humana pectora parantur ad gratiam, quæ Chriſti eſt ſigillum. Quod aqua ſordes abluit, vt Baptiſmus animæ maculas, eſt hic ſanè vt Catholica fides docet regeneratio in ſpiritualem vitam, quod aquæ perbellè conuenit.

Obiicies. Math. 3. cum de Baptiſmo ſermo inſtituitur, nullam aquæ mentionem fieri, ſed ſolius ignis, & Spiritus Sancti. *Ille vos Baptizabit in Spiritu ſancto & igne*, non eſt ergo aqua Baptiſmi materia. Vtraque propoſitio eſt falſa, prima quidem, quia cùm baptizare idem ſit, ac lauare, lotio autem communiter in aqua fiat, ſatis ſuperque videtur Euangeliſta indicaſſe hac voce, *baptizabit*, aquam ad baptiſmum eſſe neceſſariam. Deinde negari poteſt, per ignem, baptiſmum intelligi, ſed vel cruciatum purgatorij, iuxta Hieronymum in hunc locum, vel abundantiam donorum, & gratiæ, quibus cumulandi erant Apoſtoli, ac fideles omnes, ſacro die Pentecoſtes, ita Beda in tertium Lucæ, quo ſenſu videtur Chriſtus dixiſſe Act. 1. Apoſtolos baptizatum iri, Spiritu ſancto, non poſt multos dies, ab eius in cœlum aſcenſu. Quod ſi placet iſta verba de Baptiſmo ſumere, vt vſurpauit Chryſoſt. hom. 11. in Math. vbi per ignem, & ſpiritum, intelligit charitatis abundantiam, qua per Baptiſmum ornatur anima, néganda erit conſequentia argumenti, quia ex argumento negante, valida nulla inferri poteſt veritatis alicuius affirmatio.

Secunda Aſſertio. *Aqua quæ materia Baptiſmi ſufficiens eſt, & neceſſaria, debet eſſe vſualis, & ſimplex.*

Quia reliquæ non ſunt aquæ ſimpliciter, ſed cùm addito, ergo cùm Chriſtus aquam adhiberi imperet in Sacramento Baptiſmi, eſt eius præceptum de vſuali, & elementari intelligendum.

Aquæ autem vſualis, & ſimplicis nomine, omnis eſt intelligenda, quæ ſpeciem, & naturam aquæ naturalis retinet, etſi rebus ſit aliis quamplurimis immixta, ſecundum D. Thom. hic q. 96. art. 3. Reginal. lib. 27. cap. 3. num. 11. Ægydium in citatam quæſtionem 66. D. Thomæ dub. 1. num. 22. quia ex hypotheſi, quod ſubſtantia aquæ, per additionem corporum, aliam naturam non induat, pergit ſemper eſſe aqua, proindeque ſufficiens Baptiſmi materia.

Ex quo infertur 1. in aqua reſoluta ex glacie, fieri Baptiſmum poſſe. Henriquez lib. 2. de Baptiſmo cap. 6. quia vere eſt aqua, ergo elementaris.

Infertur 2. Ob contrariam rationem, in ſudore corporis, humoribus expreſſis ab herbis, floribus, aut oculis, conferri non poſſe, quia non ſunt vera aqua ſimpliciter dicta elementaris, & vſualis, ſecundum communem vſum, & conceptionem hominum: Non deſunt tamen qui pro extrema neceſſitate contrarium ſentiant, quia non conſtat, an tales humores, ſpecie differant ab aqua naturali, er-

go vt minimùm, materia sunt dubia Sacramenti: At materiæ dubiæ semper locus est in necessitate, ex Reginaldo loco citato, num. 13. quia sub pœna peccati mortalis, est consulendum proximo periclitanti de anima, cùm id fieri potest, sine certa Dei offensa, at vtrumque hîc concurrit, primò, periclitatio de salute, cùm eius obtinendæ spes nulla sit ordinariè, sine Baptismo. Secundò, concurrit etiam culpæ priuatio, cùm in tali casu, authores nullam agnoscant, necessitas enim extrema, irreuerentiam excusat, quæ ea cessante, in Sacramentum admitteretur, Ministro se sua sponte exponente, per vsum talis materiæ periculo nihil faciendi.

Hæc sententia non est improbabilis, quam qui sequetur in necessitate extrema spirituali pueri, Baptismum non dabit, nisi sub conditione, hoc modo, *Si aqua qua vtor, est materia Baptismi sufficiens, ego te baptizo, si non est, non te baptizo.* Sic enim admittendi sacrilegij periculũ vitatur, vt ante est probatũ.

Infertur 3. In Limo aqua lutulenta Baptismum dari posse, modò tamen tanta non sit permixtio, vt naturam potiùs habeant permixti corporis, quàm aquæ, de Grasiis decisionum, part. 2. lib. 1. cap. 15. num. 15. Suarez disp. 20. sect. 1. assert. 2. quia quamdiu aqua non transit in aliam naturam, semper est aqua, & proinde sufficiens materia Baptismi. Guido de monte, cap. 3. de Bapt., non tamen conueniens, extra casum necessitatis. Idem simili ratione dici debet de aqua, in qua caro decocta fuit, cum succi carnei modica admixtione, hæc enim nomen, & aliquas aquæ proprietates retinet. Vinald. in Candelabro de Baptis. capite de materia.

Obijcies contra assertionẽ, quæ ex Christi latere aqua fluxit, authore Chrysost. oratione de Paschate, paulò ante à nobis citata, baptizatus est latro, eius in cruce, ac tormentis socius, & vt esset id falsum, saltem constat, talem aquam, Baptismi symbolũ fuisse: at hæc elementaris non fuit, cùm elementa prima non sint in corporibus. Minorem falsam esse pridem Innocentius III. cap. in quadam 8. extra. de celebratione Missarum definitè sanxit, his verbis. *Quod Christus verus sit homo ex anima rationali, & humana carne subsistens, probatur ex eo, quòd vitalem Spiritum emisit, & de vero corpore, probatur, quoniam ex eo sanguis exiuit & aqua: cæterùm sicut verus fuit Spiritus, & verus sanguis, ita procul dubio fuit vera aqua, cùm Christus sit veritas, & à veritate omnis fallacia sit penitus aliena, nam si non fuisset aqua, sed phlegma, quod de latere Saluatoris eximit ille qui testimonium perhibet de his quæ vidit non aquam, sed phlegma dixisset: nec in hoc verum Sacramentum regenerationis fuisset ostensum, cùm per Sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua.* Hæc ille. Ex quibus patet, aquam quæ ex latere Christi fluxit, naturalem fuisse, miraculosè tamen inde egressam, aliàs non fuisset testimonium veritatis corporis Christi, cùm in phantastico corpore creari potuerit miraculosè, vt notauit Candid. disquisit 16. art. 2. dub. 2. Quæres quid requiratur necessitate præcepti, ex parte remotæ materiæ Baptismi.

Assertio 1. Requiritur vt aqua sit benedicta per orationes Sacerdotis, & infusionẽ Chrismatis noui, id est, anni præsentis, can. si quis 122. de consecrat. dist. 4. ibi enim dicitur, extra casum necessitatis, sine tali Chrismate, baptizari nullum posse, proinde peccat mortaliter, qui baptizat in alia aqua, quàm quæ, præcepto Ecclesiæ ad id determinata est, cuiusmodi est sacrorum fontium. Sylu. verbo Baptismus 4. §. 2. Tabiena eodem §. 7. & colligitur ex Clem. 1. de Baptismo.

Secundò, præceptum est, vti aqua pura, nam sordidæ sine necessitate, vsus esse nullus potest. Clem. vnica de Baptismo.

Assertio 2. *Vt aqua baptismalis est remota materia Baptismi, sic hæc in vsu ablutionis, seu corporis ablutio, tam actiua, quàm passiua dicenda est, estque verè proxima dicti Sacramenti materia.* Quia, vt habet can. 1. dist. 4. de consecr.. *Necessarium est visibile Sacramentum aqua, ad ablutionem visibilis corporis,* præter aquam requiritur ergo ad Baptismum, ablutio, quod & D. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 4. & 5. vt refertur de consecr. distinct. 4. can. 9. innuit his verbis. *Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio, aqua opus est, operatio Spiritus sanctus est*: vbi haud dubiè vocabulũ, *aqua*, debet intelligi accommodatè ad institutionem Baptismi, non habentis esse permanens, sed successiuum, vt sensus sit, *aquam*, id est, ablutionem corporis, Ministri opus, id est, actionem esse, quam quidem ad perfectionem Sacramẽti necessariò exigi, tam sanctus Thomas, quàm ratio ipsa indicat. Primus quidem 3. p. q. 66. art. 1. *Non perficitur*, inquiens, *Sacramentum in ipsa aqua, sed in applicatione aqua ad hominem, quæ est ablutio*, viden', vt D. Thomæ testimonio ad Baptismi essentiam, requiratur ablutio in fieri, seu actiua, cùm hæc nihil sit aliud, quàm actio, per quam aqua, membris Baptizandi applicatur, præter quàm est etiam necessaria passiua, seu in facto esse, hoc est corporis contactus, ab aqua. *Detrahe* enim *verbum, quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum: vnde ista tanta virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo* Augustinus tractatu 8. in Ioannem.

Assertionis ratio est, quòd materia proxima & constitutiua Sacramenti, est quæ per formam verborum, ac eorumdem significationem determinatur: at hæc verba, *Ego te baptizo*, determinant & significant non aquam secundùm se, sed vt est in vsu, seu ablutionem, actiuam quidem, hæc enim exprimitur pronomine, *Ego*, & verbo primæ personæ *Baptizo*: passiuam autem, quæ in eadem forma indicatur persona baptizata, hac voce, *Te*, est ergo ablutio, Baptismi materia proxima.

2. Est Baptismus, actus Ministri, seu Christi per ministrum, dicitur enim de illo, *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, & hæc causa Aug. extitit, tract. 5. in Epist. primam Ioan. asserendi, *non timere se adulterum, non homicidam, non ebriosum quia columbam attendebat, id est Ecclesiam, per quam sibi dicebatur, hic est qui baptizat*: & tract. 6. in eandem epist. *Quod datum est*, inquit, *vnum est, non impar, propter impares Ministros, sed par & æquale, quia hic est qui baptizat. Baptizat ergo Christus, baptizat & Minister, quia tingit, & corporis ministerium præbet,* vt loquitur Augustinus, tractatu 15. in Ioan. Est ergo actiua ablutio, de Bapt. essentia.

Et rursus, nisi aqua baptizatum tangeret, gratiam non conferret, cùm non esset lotio: sanè *forma & vsus Baptismi hoc habebat olim, vt ante fons consecraretur, & tunc descenderet qui baptizandus esset.* Ambros. lib. 1. de sacra. cap. 4. relatus à Grat. de consec. dist 4. can. per aquam 9. si descendebat, ergo ablu endum, & tingi erat necesse, quod hæc Pauli quoque verba indicant, ad Ephes. 5. *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.*

Confirmatur. Ad Baptismum requiritur talis ablutio, & contactus, ratione cuius homo dicatur ablutus, at hæc ei denominatio non conuenit

per nudum contactum aquæ, ſed per ſucceſſivum tantùm, nam vt aqua quæ eſt in vaſe, non dicitur illud abluere, niſi quando mouetur & per partes eius applicatur, ita nec eadem aqua lauare corpus, niſi cùm eidem admouebitur per contactum, qui ſucceſſiuè fiat.

Aſſertio tertia. *Ad ablutionem tantæ neceſſitatis Sacramenti, aquæ vis & quantitas exigitur, quanta eſt opus, vt quis ſecundum vſitatum, & moralem modum loquendi, dici queat lotus, alioqui ſua Sacramento materia deerit.*

Hinc eſt, quod is, cui tantùm vna aquæ gutta infunderetur, propriè dici non poſſit lotus, nec proinde baptizatus, etſi contraria ſententia quam defendunt Victoria de Sacram. q. 19. Vaſq. diſp. 145. Comitol. reſponſion. moral. lib. 1. q. 12. probabilitate non caret, eo quòd per quamlibet guttam, vt aiunt, homo dicatur aſperſus, ergo & lotus.

2. Quod in qualibet particula, panis, Chriſti corpus, fieri poſſit, ergo &. Baptiſmus, in qualibet aquæ parte.

Verùm ad hæc argumenta reſponderi poteſt, negando conſequentiam eius, quod eſt primo loco allatum, quia lotio dicit applicationem, & vſum aquæ talem, qui ad ablutionem ſufficiat, atqui vna gutta non ſufficit, ad rationem ablutionis, vt patet. Quod autem affertur à Valent. tom. 4. diſp. 4. q. 1. punct. 2. vno die ter mille homines ab Apoſtolo vno baptizatos eſſe, quod videtur fieri non potuiſſe niſi per aſperſionem confuſam, qualis eſt ea per quam aqua benedicta populus in Miſſa aſpergitur, quæ non ſit, niſi lapſu vnius guttæ, in ſingulos de populo. Quod inquam ab hoc auctore profertur de tot millibus baptizatis, vim non habet quia non magis repugnat eos tanto numero baptizari poſſe, per effuſionem aquæ, quàm ab Epiſcopo, in pari numero poſſe confirmari vno die.

Ad ſecundum reſpondendum eſt negatione conſequentiæ, diuerſitatis hæc eſt ratio, quod ad conſecrationem ex parte materiæ, nihil aliud requiritur, quàm vt ſit verus panis, at verò ad Baptiſmum, præter veram aquam, exigitur inſuper ablutio, verè & propriè dicta, quæ per vnam guttam moraliter nequit fieri, nam ad Baptiſm. requiritur contactus ſucceſſiuus aquæ, eiuſque quantitas tanta, quanta moraliter eſt neceſſaria, vt homo dicatur ablutus, at hæc in aquæ gutta non reperitur.

Quarta Aſſertio. *Etſi ad vitandum peccatum debeat ablutio, fieri in parte aliqua notabili corporis, non eſt id tamen ad Sacramenti valorem neceſſarium.*

Pars prima probatur, ablutio quæ hic eſt vſurpanda, ne peccetur, debet eſſe conformis ei, quæ adhibetur ab Eccleſia, & per quam homo, dicitur ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ lotus eſſe, at hæc exigit, vt corporis pars lota, ſit notabilis.

Deinde ad rationem ablutionis requiritur aquæ infuſio, ſupra eum, qui dicitur lauari, quod probant Suarez & Reginaldus, ex eo, quod aqua, in vaſe manens, non dicitur corpus lauare, quemadmodum nec vna gutta, quæ corpori adhæret, at non pars quælibet hominis, tam propriè ſedes eſt animæ ratione ſuarum functionum, quam alia, ergo nec tam propriè in vna parte lauari dicetur, quam alia.

Secundam partem defendunt Durandus in 4. diſt. 6. q. 1. Sylu. verbo Baptiſmus 4. q. 1. Vaſquez diſp. 146. num. 28. aſſerentes partem quamlibet ad Baptiſmum ſufficere, quia in ea inquiunt, eſt anima tota, ergo capax mundari vbilibet, à peccato originali, quod ei adhæret. Secundò quia homo vulneratus dicitur, etſi plaga ei tantùm in extremo digito adhæſerit, ergo à pari, dicetur baptizatus, ſi tantùm extremitas digiti, vel pedis eminentium ex vtero, lauetur.

Contraria tamen opinio admodum eſt probabilis, & ſecundum eam, dicendum eſt neque ex ſcriptura, neque ex traditione Eccleſiæ ſatis conſtare an digitus ſolus, pes, aut capilli, ſint partes eiuſmodi in quibus conferri Baptiſmus poſſit, ſane extra caſum neceſſitatis non eſſe ita conferendum ſcripſit Breſſerus lib. de conſcientia probab. cap. 10. remotoque periculo repetendum eſſe ſub conditione docet Laym. tract. 11. cap. 3. num. 3.

Secundo reſpondendum eſt, ad primum quidem, nihil ex eo probari, nam anima non eſt baptizanda ſed homo, ergo in hoc Sacramento ea neceſſaria eſt ablutio, per quam, homo dicatur lauari, ſed pro qualibet minima parte corporis, id ei non conuenit, vt vſus loquendi ſatis indicat.

Ad 2. Reſpondeo rationem eſſe diſparem, nam communis ratio loquendi habet, vt quis dicatur vulneratus, etſi pars tantùm extrema digiti, ſit læſa, quod locum non habet in lotione, vt patet experientia.

Sequitur ex dictis, ad Baptiſmum non ſufficere, ſi veſtes baptizandi reſpergantur aqua, quia non hæ, ſed homo lauari debet, iuxta illud Auguſt. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat.* Eademque eſt ratio ſi infans pelle ſecundina adhuc circundatus baptizetur propter periculũ. Nam ea pellis non eſt pars hominis, ſed habet ſe ad inſtar veſtis Zambrana de Bapt. dub. 3. n. 8.

Secundo patet ex dictis, non poſſe aliquem, citra neceſſitatem baptizari in parte aliqua exiguæ corporis, quia ablutio quæ eſt in Bapt. adhibenda, ad fugam culpæ, debet eſſe ei conformis, quam vniuerſa Eccleſia tenet, & per quam, homo ſecundum modum loquendi communem, eiuſdemque Eccleſiæ ſenſum, baptizatus eſſe dicitur, at hæc in more habet, caput, humeros, aut pectus lauare, cum baptizat, non vacat ergo culpa, qui eam, ſibi in hac praxi ſequendam, non putat.

Quare etſi pes, manus, aut digitus ſolus, in neceſſitate cenſeri poſſint, pars idonea, in qua baptizari quis poſſit, quemadmodum & capilli, ex ſententia probabili, eo quòd pars ſint integrans hominis, non quòd vita viuant eadem, qua cæteræ eius partes, ſed quòd ad illius integritatem exigantur, ſintque coniuncti naturaliter toti corpori, ſicut vngues, quod ſufficit, vt aſperſio in iis facta, denominationem baptizati ei tribuat, qui in iis, aqua ſuperinfuſa tinctus eſſet, licet inquam hæc ita ſe habeant, tamen vbi neceſſitas ceſſauerit, remotione periculi, quod timebatur, Baptiſmus erit repetendus ſub conditione, quia incertum eſt an collatus in alia parte, quam notabili vt capite, ſcapulis, & pectore valeat, cum id neque ex ſcriptura, neque ex Eccleſiæ traditione, ſatis conſtet, & Doctores de eius valore ambigant, dati alibi, quam in aliqua parte tali, hoc eſt notabili.

QVÆSTIO V.

Quæ ſit forma Baptiſmi.

HActenus de materia Baptiſmi tam proxima quàm remota, veniamus ad formam. Sub qua ergo verborum forma dari Bapt. debet vt ſit ratus?

Sub ea, per quam Sacramentum Bapt. quod ad invocationem Dei, & individua Trinitatis, videlicet, Patris, & Filij, & Spiritus sancti consecratur in aqua. Innocent. III. cap. firmiter de summa Trinitate: quod Trident. innuit, Sess. 7. can. 4. habent autem expressè Florentin. in decreto de Armenis Lugdunense sub Cardinali Tumonio, Santonense, de an. 1578. Parisien. sub Odone, his verbis. *Baptismus cum honore & reverentia celebretur, & cum magna cautela, sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. & caveat maximè baptizans in distinctione verborum, & in prolatione, in quibus tota virtus consistit Sacramenti, & salus puerorum, Ego te baptizo,* &c. Eadem habet totidem ferè verbis, Florent. *Forma huius Sacramenti est*, inquit, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Causa non alia, quàm diuina institutio, cuius testimonia ex sacris Libris peti possunt, aperta, & clara: *De Verbo enim veritas dicit, euntes in universum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Innoc. 3. cap. 5. de Bapt.

Nec abs re, nam cùm Baptismus sit Sacramentum fidei, de consecrat. dist. 4. can. regenerante, Sacramentorum principium, ingressus in Ecclesiam Christi, oportet in eius susceptione expressam fieri professionem fidei Christianæ: hæc autem, duo præcipua mysteria amplectitur, vnitatis Dei, & Trinitatis in personis, ergo eorum facienda fuit mentio in forma sub inuocatione Dei Vnius ac trini.

Secundò, cùm baptismus consecrari in aqua debeat per suam formam, secundùm illud Pauli 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.*, decet vt in eius forma, exprimatur illius causa tam præcipua, quæ est sancta Trinitas, quàm instrumentaria, Minister, scilicet, qui exterius confert Sacramentum, vtraque autem designatur in forma prædicta, Instrumentaria quidem, his duabus vocibus, *Ego te baptizo*, Principalis, sequentibus, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Quo de vocum numero, ne vnam quidem posse de forma eximi, quin Sacramentum pereat, credidere magni Theologi, ita loquendi causa, hæc illis extitit, quòd Baptismus mundet per fidem, in Deũ, Trinum, & Vnum, iuxta Concil. Tolet. 4. can. 4. *Videat in eo vnitatem diuinitatis, & Trinitatem personarum, vnitatem, dum semel mergimus, Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizamus.* Debet ergo Baptismi forma perfici, per verba quæ significent expressè hanc vnitatem naturæ, & Personarum Trinitatem, vtrumq; autem declarat forma allata: ergo si quid ex illa detrahatur, etiam leue, vt coniunctio copulatiua, *&*, vis eius omnis interibit: qua de re extat nobile testimonium Vigilij Papæ in epist. ad Eucherium, seu Eleutherium, quæ habetur tomo 2. Concil. verba quibus vtitur sunt talia. *Nos ratio euidenter docet, quia subducta una syllaba, personam Filij, & Spiritus sancti, vnam quodammodo designant.* Ex quibus sic argumentari licet.

Formæ falsitas, Sacramentum inane reddit, ac nullum, sed ablatione vnius syllabæ, Baptismi forma, falsa esse incipit, vt ex proximè citato Pontif. patet: ergo vt eius verbis locum hunc concludam, cùm non *dixerit Christus*, In nomine Patris, Filij, Spiritus sancti, *sed æqualibus distinctionibus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum infuerit nominari, constat illos omnino à doctrina Dominica deuiare, qui* A *aliquid voluerint huic doctrinæ derogare.* Hæc Pontifex.

Confirmatur. Est de essentia huius formæ, vt in ea nominentur expressè tres personæ Trinitatis, quatenus sunt inter se distinctæ, quia in lege Euang. omnis est spes salutis interdicta non habenti fidem expressam Trinitatis: sed Baptisma est Sacramentum fidei, & ianua Ecclesiæ, ergo est expressa in eo facienda mentio Trinitatis. D. Th. 3. par q. 66. art. 6. sed iuuat formæ verba singula examinare accuratiùs, sit ergo

Vnica Assertio. *Ad valorem formæ Baptismi non est necesse in ea exprimere personam baptizantis.* Diuus Thomas quæst. 66. art. 5. ad 5. Antoninus 3. parte. tit. 14. c. 13. §. 2. Probatur. Est Baptismus, quo B Græci vtuntur, validus, ex decreto Florentini de Armenis, ac in eo distinctè non nominatur persona Ministri baptizantis, vt patet ex his vocibus quas hi adhibent in baptizando. *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris,* &c. Non nego tamen eam aliquo modo significandam esse, nam forma Baptismi saltem implicitè, est expressiua actionis quæ proficiscitur à Ministro, sed talis esse nequit, si eum, saltem remotè non significet. Maior probatur. Sacramentum id significat, quod efficit, at Baptismus, animam lauat per gratiã: hanc ergo actionem implicitè exprimit, vt à ministro proficiscentẽ, hoc enim ipso, quo hic pronuntiat formã, & simul ponit ritum externum essentialem, significat effectum C conferri per Baptismi actionem, quam tunc exercet, sicut qui dicit, Do tibi decem aureos, his verbis indicat, transferre se dominium eius summæ in alium, quantum est in se: ergo à pari, dicendo, *Baptizo te*, ostendit baptizans, actionem regenerandi animam, à se oriri.

QVÆSTIO VI.

An expressio actus baptizandi, & personæ Sacramentum recipientis, ei sit intrinseca, & essentialis.

D QVidam expressionem hanc actus, essentialem Baptismo esse negant, quod in Bonau. in 4. dist. 3. art. 2. q. 2. num. 24. hæc legerint. *Si notitia seu invocatio Trinitatis, plena sit in corde, & in ore, tunc secundùm omnes plenum est Sacramentum,* sed actione abluendi non expressa, potest quis credere, & ore plenè inuocare sanctam Trinitatem, tresque personas diuinas, ergo & baptizare.

Qua in sententia sunt etiam Suarez, disp. 21. sect. 2. assert. 2. Sotus dist. 3 quæst. vn. art. 5. aiunt enim ad essentiam formæ non requiri vt in ea explicitè, aut implicitè significetur actio, prout à persona Ministri procedit, dummodò non excludatur, quod fiet, inquiunt, si dicatur, *Christus te baptizat.* Quis animi mei sensus sit super hoc quæstionis genere, E exponam sequentibus assertionibus.

Prima Assertio *Expressio actus abluendi per hanc vocem, abluo, baptizo, aut aquinalentem, formæ Baptismi, est essentialis.* De qua propositione, nulli facultas est inficiandi, post Concilium Florentinum, vbi hæc sunt scripta. *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum sanctissimæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Quare prudenter dicta sunt hæc ab Adriano, quæst. 6. de Baptismo, memb. 2. §. dico igitur, *Hæc habet fides matris Ecclesia, vt si per ignorãtiam omissum fuerit aliquid de*

Digitized by Google

ſubſtantialibus formę, puta expreſsio actus baptizandi vel perſonarum rebaptizetur infans : vt enim dixit Alexander, in cap. 1. de Baptiſmo. *Si quis puerum per aquis immerſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & non dixerit, Ego te baptizo, non eſt verè baptizatus.* Cuius rei hæc eſt cauſa.

Primò, quòd Sacramentum efficit quod ſignificat, & contrà denotat quod efficit, at Baptiſmus non ſignificat gratiam, per modum lotionis, cùm in eius forma, non eſt hæc vox, *baptizo*, aut ei æquiualens, ergo expreſſio iſtius actus, eſt de eſſentia formæ Baptiſmi.

Secundò, vocis vnius, aut plurium ſubtractio, detrimentum formæ affert, cùm ſenſus verborum integer non remanet: At demere verbum, à quo ſignificatur actus Miniſtri, eſt formæ Baptiſmi, ſignificatum ſuum tollere, quid enim hæc indicant, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quod ad effectum Sacramenti Baptiſmi explicandum pertineat? omnino nihil.

Secunda Aſſertio. *In Baptiſmo, exprimi debet perſona baptizanda, nomine proprio, aut per pronomen ſecundæ perſonæ, aut tertiæ*: Vt ſi dicatur, *baptizo Ioannem, aut te, aut illum qui mihi præſens eſt, vel baptizaris à me, vel baptizetur Ioannes*, &c.

Primo quia ex proximè dictis, Baptiſmus nullus eſt, niſi actus abluendi ſignificetur verbis, quibus miniſter in forma vtitur, at actus abluendi, pendet à ſubiecto, cui applicatur, conſiſtit enim Sacramentum Baptiſmi, in vſu, & applicatione materiæ, ad ſubiectum per ablutionem, quæ proxima eſt huius Sacramenti materia, at nec applicatio iſta materiæ ad patientem, nec ablutio explicari poſſunt, niſi ſubiectum exprimatur, ſi enim eſt lotio, ſi aquæ fit applicatio, haud dubiè, perſona, aliqua eſt, cui applicatur, ergo omiſſio perſonæ baptizandæ Sacramento Baptiſmi nocet.

Confirmatur. Non poteſt actus baptizandi ſignificari practicè, niſi aliquo modo exprimatur perſona, cui applicatur Bapt. nam ſi diceret miniſter *ego baptizo*, *In nomine*, &c. nec ſignificaret actum baptizandi determinatum, nec illum prout hic & nunc exercetur, quod tamen eſt neceſſarium, exprimenda eſt ergo perſona cui Bapt. tribuitur.

Secundo. Ita forma Baptiſmi efferenda eſt, vt cùm effectu, quem ſignificat, ſenſum habeat non vagum, & confuſum, ſed ſuppreſſio perſonæ baptizandæ, ſenſum formæ reddit confuſum, quid enim hæc innuunt, *Ego baptizo*, *In nomine Patris*, &c. niſi indeterminatè, & vagè, effundi aquam, abſque eo quod dicatur, vtrum qui eam recipit, homo ſit, an ſcamnum?

Tertiò. Baptiſmus terminatiuè eſt paſſio, at hæc explicari ſine paſſo non poteſt: ergo nullus eſt ſi perſona quæ baptizatur non exprimatur per pronomen *Te*, aut aliam vocem æquiualentem Viuald. de Baptiſm. num. 23.

QVÆSTIO VII.

An Baptiſmus collatus in nomine ſolius Chriſti ſit validus.

OCcaſio dubitandi duplex. Prima quòd ita baptizaſſe Apoſtoli dicantur. Secunda quod Baptiſmum ſic collatum, approbet Nicolaus primus, reſponſionum ad Bulgaros, cap. 3. & tit. 16. earundem, Cõciliorum tomo 3. & diſt. 4. de conſecratione can. à quodam Iudæo qui eſt 24. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. Steph. Papa apud Cypr. epiſt. 73. ad Iubaianum. Bernard. epiſt. 340. Beda in cap. 10. Act. Magiſt. in 4. ſentent. diſt. 3.

Nihilominus propè ad fidem pertinet vt quàm breuiſſimè loquar, baptiſmum collatum in nomine ſolius Chriſti non eſſe validum, ita authores qui ſequuntur Belarm. 1. de Baptiſmo cap. 3. Armacanus de quæſtionibus ſpecialibus Armenorum, q. 6. Canus 6. de locis Theologicis, Suarez ſection. 3. diſp. 21. &

Probatur authoritate Patrum Ambroſij imprimis qui lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. plenum eſſe Sacramentum aſſerit ſi Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum fateare. Baſil. epiſt. 64. ad Doctores Eccleſiæ Neocæzarianæ vbi hæc explicans, *Euntes docete omnes gentes*, &c. expreſſe negat à Chriſto traditum eſſe nomen commune tribus hypoſtaſibus, ſed præceptum datum coniungendi ac ſimul nominandi diuinas perſonas. Diuus autem Auguſt. lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 63. hæreticos baptizatos in inuocatione ſanctæ Trinitatis, cum ad Catholicam Eccleſiam redeunt, nullo modo vult rebaptizari; *Ne ſancta*, inquit, *Trinitatis inuocatio, vel confeſſio annuletur, & irritetur.*

Secundò probatur ex cap. firmiter de ſancta Trinitate & can. ſi quis Preſbyter 79. diſt. 4. de conſecratione, nam in priori dicitur Sacramentum Baptiſmi, ad inuocationem Dei, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, conſecrari in aqua, poſteriori autem improbatur Baptiſmus, datus in morte Chriſti, non enim (inquit canon) *dixit Chriſtus in morte mea baptizate, ſed euntes docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris*, &c. Et proinde reprobat Pelagius can. ſunt multi 82. eiuſdem diſtinctionis Baptiſmum datum in ſolo Chriſti nomine, & can. in ſynodo Anglorum eadem diſtinctione negat Zacharias baptizatos aliter quàm in Trinitatis nomine Chriſtianos eſſe. *Si lotus*, inquit, *in fonte Baptiſmatis quiſquis fuerit ſine inuocatione Trinitatis, perfectus Chriſtianus non eſt, niſi In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, fuerit baptizatus*, quos ſuis, ac propriis nominibus expreſſos, nominandos eſſe, quod id ſit inſtitutionis diuinæ, ſcripſit in decretali ſua ſecunda, Vigilius cap. 2. ad annum Chriſti 585. circiter, quod ab eo repetitum eſt, eiuſdem decretalis cap. 6. pœna addita ſecus facienti. *Si quis*, inquit, *Epiſcopus aut Presbyter iuxta præceptum Domini non baptizauerit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſed in vna perſona Trinitatis, aut in duabus, proiiciatur de Eccleſia Dei.*

Sanè iam tùm ab initio naſcentis Eccleſiæ, fuiſſe Baptiſmum collatum inuocatione trium perſonarum, docet Iuſtin. Martyr. in Apol. ad Antonin. Pium his verbis. *Super eum qui regenerari elegerit, ἐπονομάζεται τὸ τῆς πατρὸς τῶν ὅλων θεοῦ ὄνομα, καὶ τὸ ὀνόματος τῷ ἰησοῦ, καὶ τὸ πνεύματος ἁγίου ὁ προφήτης λέγει*, quæ Latinè reddita ſic habent.

Inuocatur nomen Dei, & abluitur illuminatus, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Eſt enim Baptiſmus, *Sacramentum* fidei, cap. debitum 4. de Bapt. *Fundamentum omnium Sacramentorum, ante cuius ſuſceptionem, non ſuſcipitur aliud Sacramentum quoniam vbi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt.* Innoc. 3. cap. veniens 3. de Preſbytero non baptizato, debet ergo eius externa profeſſio, correſpondere fidei internæ, At fides explicita Trinitatis, ingreſſuro in Eccleſiam eſt neceſ-

saria, ergo & professio. Quod pro certo verum est, quia *qui vnam personam, ex sancta Trinitate, confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest, qui enim confitetur Patr. & Filium, si Spiritum sanctum, confessus non fuerit, neque Patrem habet, nec Filium.* Zachar. Papa de consecr. dist. 4. can. 83. Quare *sicut credimus in Patr. & Filium, & Spirit. sanctum, sic & baptizamus, In nomine Patris, & Filij, & Sp. sancti* Basil. de Spiritu sancto cap. 12. *Nec dubitandum proinde, illos verum non habere Baptismum, in quibus, non solùm vtrumque prædictorum (id est aqua cùm invocatione Trinitatis) sed eorum alterum est omissum.* Innoc. in cap. 5. de Baptismo.

Tertio qui solum Christum in Baptismo nominat, tres personas diuinas non exprimit, nisi confusè, & implicitè, in quantum constituuntur hæ, & distinguntur relationibus, relata autem se inuicem tollunt, & ponunt, at ex Patribus initio citatis Pelagio, & Zacharia, dist. 4. de consecratione, Vigilio cap. 2. citatæ decretalis, debet in Baptismo inuocari Deus, vt vnus est in natura, trinus in personis, ergo collatus in solo Christi nomine, est nullus, dicit Pelagius in can. si reuera de consecr. dist. 4. quod qui tantum vnam personam de Trinitate nominat in Baptismo, eum non conficiat, vt idem tradit can. multi, eadem dist. quare nominans (inquit Clem. Papa 1. lib. 3. const. cap. 16. *In nomine Patris, & Filij, & Spir. Sancti baptizabis eos in aqua.*

Ad primam causam dubitandi petitam ex Scriptura, Respondeo, Apostolos dici ab Euangelista baptizasse in Christi nomine, vt intelligamus eorũ baptismum fuisse alium, ac distinctum à Baptismo Ioannis, & ita cùm dicitur, primos Christianos fuisse baptizatos in nomine Christi, sensus est, eos baptizatos esse Baptismo Christi, siue à Christo instituto, & non baptismo Ioannis, quo sensu Paul. ad Galat. ait omnes, qui in Christo sunt baptizati, Christum induisse, id est, qui in Christi fide, eiusque Baptismo sunt loti, forma tamen communi, & à Christo instituta, eius gratia renatos esse: vel certè dicuntur Apostoli baptizasse in Christo, non solo, & per exclusionem aliarum personarum, sed in eo simul, & in nomine Patris & Spiritus sancti, nam qui vnum dicit, non negat alium, quæ opinio est Cypr. in epist. 73. ad Iubaianum: explicans enim verba S. Pet. Act. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Domini Iesu*, hæc habet, *Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi omitteretur, sed vt Patri quoque Filius adiungeretur.* Scribit Ambrosius lib. 1. de Spiritu, cap. 3. in nomine, *Christus*, totam Trinitatem designari, Christus enim idem est ac vnctus; & sic qui dicit Christum, dicit Filium, qui vnctus est, Patrem, à quo est vnctus, Spiritum, quo est vnctus: eodem modo interpretatus est S. Basil. de Spiritu, cap. 12. dicens, *Christi invocatio totius est Trinitatis professio, quippe quia simul declarat Deum qui vnxit, Filium qui vnctus est, Spiritum sanctum, qui est unctio.* Addi potest quòd cum hac voce, *nomen*, significetur virtus, authoritas, & institutio, quo sensu iubentur infirmi vngi *in nomine Domini*, Iacob. 5. *Claudi ambulare*, à B. Petro in Actibus Apostolorum, *In nomine Christi surge & ambula*, id est, virtute, quemadmodum in superiori loco intelligitur de vnctione à Christo instituta, & eleuata in Sacramentum: addi, inquam, potest dici Apostolos in Christi nomine baptizasse, id est, in virtute, eiusque authoritate, seu adhibitis cæremoniis, quas in Ecclesia seruandas imperauerat. 4. dici potest cum Franc. Longo, ad can. 49. Apostolorũ SS. Apostolos baptizasse in nomine Christi, ex dispensatione, vt scilicet nomen illud, quod erat apud Iudæos exosum, esset hoc modo glorioſum.

Ad alteram causam dubitandi, Respondeo, non intendisse Nicolaum, definire, vtrùm Baptismus, in Christi nomine esset validus, vt Pontificem, sed vt priuatum Doctorem, cùm in suæ sententiæ confirmationem, aliquot Patres citet, in quibus videtur velle tantum inesse ponderis, & authoritatis, quantum suæ resolutioni: quare vt illi, rem de fide non fecere, ita nec ille.

Dicendum 1. Romanos Pontifices, cùm loquuntur è Cathedra, id est, tanquam Christi Vicarij in suis responsis, errare non posse, posse tamen vt priuatos homines. & in adiunctis, non pertinentibus ad intelligentiam rei sibi propositæ, quod in casu præsenti accidit: interrogatus enim Nicolaus à Bulgaris, an collatus Baptismus à Iudæis, validus esset, quæstioni satisfacit, respondendo iterandum non esse, si adhibita ab iis fuit forma, quæ responsio vera est, & de fide, quod autem addidit, talem formam esse eam, quæ fit in solo Christi nomine, vel Trinitatis, ad quæstionis resolutionem directè non pertinebat, cùm ab eo non quæreretur, quænam esset vera forma, quo fit vt hoc additum, non sit de fide, imò nullo modo verum, cùm à Pelagio, & Zacharia, contrarium sit definitum, canonibus proximè citatis, expressissimè autem can. si reuerà 30. dist. 4.

QVÆSTIO VIII.

An Baptismus collatus repetito baptizandi vocabulo (hoc modo) Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filij, ego te baptizo in nomine Spiritus sancti, sit validus.

COmitolus Responsionum lib. 1. q. 7. inanem ac nullarum virium esse respondet, quòd tres in eo sint ablutiones, cum tribus formis imperfectis, quæ cùm in vnam coire nequeant, ait iterandum baptismum sub conditione. Idem quoad repetitionem Sacramenti Laym. visũ, propterea quòd, inquit hic author, tali baptizandi modo, quo tres ablutiones fiunt, & forma ad singulas discriminatim sine particula copulatiua, *&*, pronuntiatur, non satis exprimitur vnius Deitatis essentia: sed pace eius sit dictum, res est eiusmodi, quæ dubitationem non ferat.

Primò, quòd implicitè forma continet, id expressè potest dici, ac conceptis verbis exprimi, sed habet vsitata Baptismi forma, tacitam professionem beneficij, quod à Patre, Filio, & Spiritu sancto, deriuatur in baptizatum, ope Sacramenti, cùm enim opera omnia, quæ sunt ad extra, personis omnibus sint communia, nam vt Pater baptizat, ita & Filius, & Spiritus sanctus: sanè id in forma ponere, non est Sacramentum nullum ac inane reddere.

Secundò, non est huius vocis, *baptizo*, iterata geminatio, Sacramento inimica, nisi quia illud impedit, aut (quod est contra eius honorem) iam positum iterat, at neutrum hîc accidit, non primum, nam Sacramentum non impeditur, nisi mutatione essentiali materiæ, aut formæ, vel defectu intentionis debitæ, quorum nihil in præsenti euenit, vt patet, non formæ quidem diuersus sensus, quia per repetitionem huius verbi, *baptizo*, non si-

gnificatur diuersitas in natura personarum, aut modo concurrendi earum ad Sacramenti gratiam, nec geminatæ vocis vis est in se alia, quam seorsim positæ, in orationis contextu, ac serie, non habet ergo Baptisma collatum, sub forma verborum, quæ est in titulo posita, vt sit irritum à mutatione formæ.

Nec secundum dici potest, nam iterari id nequit, quod non est factum can. solemnitates 16. q. 1. at Baptismus non est in his verbis solis, *Ego te baptizo, In nomine Patris*, cum Trinitatis inuocationem necessitate Sacramenti exigat, quæ completur tantùm appellato Sancto spiritu, ergo Baptismus sic datus, vt in titulo dicitur, non est vanus ac nullus.

Ad argumentum dicendum est, non esse tres formas, licet imperfectas ac mancas, sed vnicam tantùm, cuius tres sint veluti partes, ac membra, quæ diuisim, ac seorsim ab alijs, completè nihil significant. Deinde vt essent tres formæ incompletæ, quod non est improbabile, nego tamen, eas vnam perfectam non efficere, quæ enim est hic maior repugnantia quam in Extrema Vnctione, aut Ordine, quæ duo Sacramenta, vt materiis partialibus, ita & formis incompletis constant, quæ in vnam integram ac perfectam coeunt.

QVÆSTIO IX.

An particula, Et, *pars sit essentialis formæ Baptismi.*

SVppono primo esse de Baptismi essentia, vt exprimatur in eius forma actus, qui exercetur à ministro, cum inuocatione Trinitatis, vti iam ante probauimus.

Suppono secundo, coniunctiones à peritis linguæ Latinæ scriptoribus repertas esse ad distinguenda, & multiplicanda nomina, cum rebus, quæ illis significantur, cum enim dico à Petro & Ioanne, possideri multa agrorum iugera, & domos, tacite indico, Petrum alium esse à Ioanne, agrosque à domibus distinctos esse, quæ ambo ablata coniungente nota, denotari nequeunt, cùm sæpè vsu veniat, eundem cui nomen est Petrus, Ioannem quoque dici, nec nisi ridicule loqueretur, qui ablata coniunctione, hæc efferret, possidet hic multa agrorum iugera, domos, nulla eis voce alia addita, cum videatur eo sermone, velle non differre domos ab agris, quod est falsum, ab his se initijs, licet rudibus, quæstionis propositæ explicatio diffundet.

Dico ergo, *dictionem*, Et, *spectare ad formæ essentiam*. Ita mihi cùm multis magni nominis Theologis sentire impune liceat, quorum catalogum si texuero, culpandus non ero. Sunt hi, Maior in 4. dist. 2. q. vnica, in responsione ad 2. Scotus in 4. dist. 3. q. 2. §. de variatione secunda. Richardus in eandem distinctionem q. 2. num. 7. Sotus in eandem distinctionem q. vnica. Palùdanus in 4. dist. 3. q. 1. art. 3. Cùm enim asserant, quodlibet verborum, quibus forma componitur, esse per se, ad eius essentiam necessarium, consequenter existimant coniunctionem, &, ei esse intimam.

Tueri me cùm his tantis viris possum. 1. auctoritate Alexandri III. in decretali, si quis de Baptismo, & eius effectu, sancit enim ibi de re præsenti his verbis. *Si quis puerum ter in aquam immerserit,*

A *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Et non dixerit ego te Baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non est puer baptizatus.* Cuius orationis est hic sensus, vt sunt verba omnia formæ inserta, ei substantialia, sic omissione vel vnius, illam perdi, in quo patronos habet, Innocentium in eam decretalem, Panormitanum & alios.

Secundo tuetur se hæc opinio hoc argumento, Baptismus mundat per fidem in Deum, trinum, & vnum, iuxta Altissiodorensem 1. parte summæ tractatu 3. cap. 4. q. 4. debet ergo proferri verbis significantibus hanc vnitatem essentiæ, & personarum Trinitatem, vtrumque declarat forma allata, ergo si ex illa, quid dematur, leue, vt coniunctio
B copulatiua, &, vis eius omnis interibit, qua de re extat illustre Vigilij Papæ testimonium Epistola ad Eucherium cap. 1. vbi erroris eos arguens qui Filij & Spiritus sancti nomina inter orandum appellabant indistinctè, his verbis vtitur, *Nos ratio euidenter edocet quæ subducta vna syllaba Personam Filij, & Spiritus sancti vnam quodammodo esse designant.* quibus ex verbis sic argumentari possumus formæ falsitas Sacramentum inane reddit, ac nullum, sed ablatione vel vnius syllabæ, Baptismi forma, falsa esse incipit, ex proxime citato Vigilio, ergo vt eius verbis rem vniuersam concludam, *cum non dixerit Christus, In nomine Patris, & Filij, Spiritus sancti. sed æqualibus distinctionibus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum sufferit nominari constat illos om-*
C *nes à doctrina Dominica deuiare, qui aliquid voluerint huic confessioni derogare.* Hæc Pontifex.

Obiicies. *Et*, cum sit coniunctio, copulandi vim habet non distinguendi, cõiungendi, non distinguendi, ergo malè dicitur eam exigi ad declarandam personarum, Trinitatem in Deo.

Respondeo 1. coniungentes copulas vtrumque facere, & vt inter se res nectunt, ita & easdem, ab inuicem abstrahere, vt ex suppositione secunda patet.

Respondeo 2. vt ea Grammaticè vera essent, quæ in antecedenti propositione dicuntur, non tamen Theologicè, patet primo ex declaratione Vigilij loco citato, secundo, ex vsu & communi notione hominum, qui ea particula, seiunctionem
D personarum, à se se inuicem significari autumant, quare cùm omissio, quæ tollit intellectum primum, aut accommodatum sermonis, vitiet Sacramentum, substractio huius particulæ. *Et*, Sacramenti veritatem tollet, ac subtrahet. Hæc sunt in hac parte, quæ probabili mihi coniectura veri, videntur niti.

Habet tamen contraria opinio, fautores suos, nec vltimarum partium, placuit enim Comitolo, magnæ reconditæque eruditionis viro, responsionum lib. 1. quæst. 9. Adriano quæstione 1. de Baptismo, art. 3. membro 2. §. dico igitur. *Hæc habet* (inquit) *fides matris Ecclesia si per ignorantiam omissum fuerit aliquid ex substantialibus, forma puta expressio actus baptizandi, vel personarum,*
E *rebaptizatur, at qui omittit particulam* (&) *nihil substantialium omittit.* Hæc ille. Idem visum Layman. libro quarto, tractatu secundo, capite quarto, numero quinto.

QVÆSTIO X.

An eximi posſit è forma Baptiſmi, præpoſitio, in, *abſque eo quòd Sacramentum pereat.*

CRedidere magni Theologi non poſſe. Sotus in 4. diſt. 3. q. vnica, art. 5. §. collige, Gabr. in 4. diſt. 3. q. vnica, art. 3. dubio 3. eunt in eorum ſententiam. Maior in 4. diſt. 2. q vnica in reſponſ. ad 2. argumentum. Paludanus in 4. diſt. 3. qu. 1. art. 2. Comitol. reſponſ. lib. 1. q. 9. num. 9. Ab his tantis viris ſtare mihi laudi erit.

Dico ergo, *Baptiſmum, in cuius forma omittitur,* in, *ratum non eſſe.*

Primò, quia diminutio quæ tollit formæ ſignificatum primarium, aut ex accommodatione Dei, vel Eccleſiæ, Sacramentum deſtruit, ad cuius eſſentiam pertinet eſſe ſignum religioſum, ac ſacrum, at qui adimit, *in*, ſignificationem ſuam formæ adimit; ecquid enim eſt conferre Baptiſmum, *In nomine Patris*, &c. niſi in notitia, in fide, in confeſſione Trinitatis, ex ſententia Magiſtri in 4. diſt. 3. c. Ex his apertè & Alenſis in 4. parte q. 8. membro 3. art. 3. §. 2. quæſtiuncula 1. *in nomine*, interpretatur, in inuocatione, at Trinitatem non inuocat qui baptizat, dempta propoſitione, *in*, cùm baptizare nomine Patris, &c. idem ſit ac virtute, poteſtate, vel imperio, quod eſſe ſine inuocatione poteſt; nam quis dicat, à lictore, qui in reum manus iniicit, nomine Regis eum appellari? non ergo baptizat qui præpoſitionem, *in*, de forma baptiſmi ſubtrahit.

Secundò, eſt harum vocum, *baptizo te nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, eadem poteſtas, & ſenſus, ac harum, baptizo te per Patrem, aut cum Patre, per Filium, aut cum Filio, per Spiritum ſanctum, aut cum Spiritu ſancto, ſed interitum affert Sacramento hæc oratio, vt oſtendemus quæſtione proximè ſequenti, ergo & illa.

QVÆSTIO XI.

An Baptiſmus collatus hac forma Verborum, Baptizo te cum Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, *ſit ratus.*

COmitolus ratum eſſe aſſerit, Reſponſionum lib. 1. quæſt. 10. multiſque id argumentis conficere ſatagit, quæ quoniam firmitatis habent non ſatis ad fidem, communem mihi formam Eccleſiæ deferendam non credidi.

Dico ergo, *ita hæc verba*, in nomine, *pertinere ad neceſſitatem, & eſſentiam Sacramenti, vt eorum mutatio aut ſubtractio, Sacramenti ſit irritatio.*

Primò, cùm Sacramentorum formæ ſint à Deo, de iis nihil poteſt detrahi, ſine earundem certo interitu, niſi quod omittitur ſit ad ſignificationem ſuperfluum, aut ſi eſt neceſſarium, niſi ſuppleatur aliis æquipollentibus, ac paris poteſtatis in ratione ſignificandi, ſed formæ Baptiſmi author eſt Chriſtus, cuius pars demitur ablatione harum vocum, *in nomine*, quæ tamen non ſupplentur per alias in hac forma, *baptizo te cum Patre, & Filio, & Spiritu ſancto*, quaſi habentes eandem vim ſignificandi ac illæ, ergo, &c.

A Minor probatur. Si ſupplerentur aliis vocibus, iſtis maximè, *cum Patre, Filio, & Spiritu ſancto*, quibus ſignificatur Perſonarum Trinitas, quæ eſt, nomen Vnius, ac Trini, Vnius eſſentialiter Trini perſonaliter, ex quo conſequenter ſequitur, eum qui nominat tres Perſonas diuinas, Vnum etiam Deum confiteri in tribus Perſonis diuinis: at hæc ratio nihil efficit, alioquin vt ſublata voce, *in nomine*, tribui Baptiſmus poteſt, opinione Comitoli, ita & Perſonarum nominibus, retento ſolius Trinitatis, aut Dei, quod iura Canonum improbant Pelagius de conſecrat. diſt. 4. can. 82. Zacharias can. in Synodo Anglorum, diſt. 4.

Probatur. Vt in tribus Perſonis continetur implicitè diuinæ eſſentiæ vnitas, ita & in Deitate, Perſonarum Trinitas, cùm Deus eſſe nequeat niſi eſſentia eius diuina communicata ſit actu tribus Perſonis in identitate naturæ, quare vt eſt Baptiſmus in Trinitatis, aut Dei ſolius nomine collatus, inutilis, ac irritus, ita & qui datur cum Deo Patre, Filio, & ſancto Spiritu.

Secunda ratio. Si vox hæc, *nomen*, inſerta formæ Baptiſmatis, Dei vnitatem ſignificat, ambigere nemini licet, quin ſit eius rei expreſſa profeſſio, formæ huic intima, eſſentialis & intrinſeca, cùm eam vocem illi Chriſtus indiderit, nec ſine cauſa, at verum eſt prius, *vbi enim Vnum nomen audis*, inquit Auguſt. tract. 6. in cap. 1. Ioannis, *Vnus eſt Deus*, & 3. contra Maximinum cap. 32. *in nomine*, inquit, *non in nominibus, quia hi Tres Vnum ſunt.* D. Ambroſius libro ſecundo, de Sacramentis, *in Vno*, inquit, *nomine baptizamur, noli admirari, Vnum quippe nomen, Vna eſt ſubſtantia, Vna Diuinitas.* Et lib. 1. de Sacramentis cap. 7. *In nomine, id eſt in virtute, maieſtate, Deitate, & inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Eſt ergo opinione huius Patris inuocatio expreſſa Vnitatis Dei tam neceſſaria, quàm expreſſa Trinitatis. Filliuc. tom. 1. tract. 2. de Bapt. c. 3. quæſt. 10. Quare cùm hæc forma, *baptizo te cum Patre*, &c. expreſſam non habeat huius Catholicæ veritatis profeſſionem, ſed tantùm implicitam, Baptiſmus in hac forma, ad ſalutem infantis non adhibebitur.

Confirmatur teſtimonio D. Tho. hîc art. 6. nam ibi aſſerit non valere Baptiſmum, niſi retineatur in forma verborum, plena Trinitatis inuocatio, ipſaque verbis ſenſibilibus explicetur, at non eſt expreſſa ſignificatio, niſi dicatur ſingulariter, *in nomine*; vt enim in Deo Perſonarum eſt Trinitas, ita & Vnitas eſſentiæ, quæ deſignatur per vocem, *nomen*, ſingulari numero: *Sicut enim*, inquit, Auguſt. tract. 6. in Ioannem, *quia non ait in ſeminibus, ſed ſemine docere te voluit Apoſtolus, quia Vnus eſt Chriſtus, ſic & hîc cùm dictum eſt in nomine, non nominibus probatur Vnus Deus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus*: non eſt ergo in forma Baptiſmi, vt ſit ratus, prætermittenda hæc vox, *in nomine*.

Confirmatur. Pertinent hæ duæ voces, *in nomine*, ad formæ eſſentiam, quia per eas ſignificatur non tantùm virtus, ſed inuocatio, & profeſſio Dei vnius, ſicut docet Hieronymus in cap. 5. epiſt. ad Epheſ. at in hac forma, *baptizo te cum Patre, Filio, & Spiritu ſancto*, non fit hæc profeſſio, ergo non eſt cenſenda forma rata eſſe.

Tertiò, cùm Baptiſmus ſit Sacramentum fidei, cap. 1. de Baptiſmo, prima eius profeſſio, ac Sacramentorum ianua, cap. veniens extra de Apoſtatis, decuit in eo nos præcipua profiteri Religionis myſteria, qualia ſunt in Diuinis, Vnitas eſſentiæ, ac perſonarum Trinitas, ſed Vnitatem Dei oſtendit

ostendit, vox (*nomen*) Albertus in 4. dist. 3. art. 2. ad quæstiunculam 3. Altisiodor. in 4. tract. 3. cap. 4. q. 4. Personarum distinctionem, Patris, Filij, & Spiritus sancti nomina, in forma tradita, ergo si ab ea demptur, *In nomine*, Sacramentum erit nullum. A

QVÆSTIO XII.

An validus sit Baptismus collatus in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque.

VAriant auctores, de re Paludanus addubitat in 4. dist. 3. q. 3. art. 3. D. Th. hic art. 5. ad 7. & in 4. sententiarum dist. 3. art. 2. valere negat ei astipulantur Nugn. ib. & Candid. de Bapt. disquisit. 16. artic. 4. disp. 7. Scotus quæst. 2. versu. tertio de forma. B

Contrarium Caietano visum q. 66. art. 5. itemque Glossæ in can. multi sunt de consecrat. dist. 4. Victoriæ de Baptis. num. 3. rationem pro se habent vnicam, nempe quòd accidentalis mutatio in forma, aut materia Sacramenti, eius essentiæ minimè obsit, at cùm adhibentur in forma Bapt. nomina Genitoris, geniti, &c. non alia mutatio, in ea interuenit, quam accidentalis eo quod genitor, genitus, & procedens ab vtroque idem significatum habeant, ac Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ex quo sequitur quod cum formæ essentia in significatione sit sita, eademque sit quando constat verbis Genitoris, geniti, &c. collatus Baptismus sub hac forma validus erit. C

Quæ in vtraque parte sunt probabilia, indicabimus, sibi, de multis, quod erit magis ad stomachum, lector seliget.

Ergo lauacrum regenerationis, non adhiberi cum fructu, quando pro patre nominatur genitor, pro filio genitus, probant hæc argumenta.

Primum Sacramentum conferendum est per voces magis communes, & quæ significent proprietates substantiales personarum, seu personas ipsas, at eas propriè ac formaliter, non denotant Genitor, genitus & spiratus, sed tantùm materialiter, nempe ratione eius, quod subsequitur, scilicet ex eo, quod sit genitor, sequitur quòd sit pater, & ex eo quòd sit genitus, infertur quòd sit Filius, quod non sufficit, cum ex institutione Christi, termini formæ Bapt. formaliter, & propriè sint relatiui, nempe Pater, Filius, &c. ergo cùm primario & formaliter, Personæ diuinæ, prout in se sunt, significari debeant in forma Bapt. futurus est hic inualidus, si pro nominibus Patris, & Filij, adhibeatur genitor & genitus. D

Secundum. Genitor, genitus, & procedens ab vtroque, idem non significant quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus, illa enim ex vi propria significant origines, processiones, & actus notionales, hæc verò, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus ipsas eorundem hypostases, & proprietates personales. Ergo cùm sensus mutatio in forma, eius sit irritatio, Bapt. collatus sub nominibus Genitoris & geniti erit nullus. E

Est hoc in altera parte verisimile, quod hæc nomina, genitor, genitusque ex accommodatione vsus Ecclesiæ, idem modo significent, quod Pater, & Filius, patet ex Hymno sanctissimi Sacramenti, quem sic Ecclesia concludit, Genitori, genitoque laus & iubilatio, &c. quare cùm iis verbis fiat (inquiunt) professio explicita Trinitatis, ac inuocatio personarum eius, Bapt. valebit.

Duo sunt hic tamen de quibus lectorem volo admonitum, primum etsi modo, Theologis idem sit Pater, ac genitor, Filius ac genitus, his tamen abstinendum esse vocibus, in tribuendo Sacramento, quod ab vsu Ecclesiæ abhorreant, quem tamen singulis in agendo sequi est necesse, vt normam canonemque recti operis, ac laudandi in hoc genere.

Secundum peccaturum mortaliter, qui vteretur hac forma, vtpotè incerta, ac dubia, eique proinde incumbere iterato sub conditione Baptisma dare. Laym. lib. 4. tract. 2. cap. 4. q. 3. num. 3. Consulatur super hac quæst. Val. to. 4. disp. 4. q. 1. de Bapt. punct. 3. parag. fundamentum.

QVÆSTIO XIII.

An Baptismus in solo Trinitatis nomine collatus sit validus.

RAtum non esse docuere magni & multi Theologi. D. Th. in 3. parte q. 66. art. 5. & in 4. dist. 3. q. 2. art. 2. ad secundam quæstiunculam Albertus in eandem dist. art. 2. ad 1. quæstiunculam. Paludanus in eandem dist. q. 1. art. 3. Scotus in eandem dist. q. 2. art. 3. quod existimarent inuocationem personarum, suis, ac propriis nominibus, formæ essentialem esse, ac intimam, quæ opinio, placuisse quoque videtur Patribus, & Theologis aliis proxime citatis. *Notitia* (inquit Bonauentura in 4. dist. 3. art. 1. q. 2. *Trinitatis sine nominatio si sit plena in corde, & in ore tunc secundum omnes plenum est Sacramentum.* Et postea, *Qualitercunque Minister credat, si totam exprimat Trinitatem baptizatus est, si autem non totam, rebaptizandus est.*

Quid Patres? quid Concilia? narrat Ambrosius lib. de Spiritu sancto cap. 3. *Plenum esse Sacramentum si Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum fateare.* Gregor. autem Papa primus Epistola decretali ad Quirinum, & alios Hyberniæ Episcopos negat rebaptizandos Arianos, *Qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizati sunt, sed Vnctione Chrismatis, aut impositione manus aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ reuocari.* Eos autem hæreticos qui in Trinitatis nomine non baptizantur, cum ad Ecclesiam veniunt baptizandos, *quia Baptismus non fuit, quod in errore positi, sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt.* Quare dixere Concilia Lugdunense, sub Cardinali Turnonio, Xantonense anni 1280. *Quod verba, in quibus virtus tota Sacramenti consistit, & salus puerorum, sint hæc, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nullo dempto aut alio interposito.* Etiam in Romano Conc. statutum lego, vt Baptismus conferretur appellatis omnibus personis sanctæ Trinitatis, quarum si vel omittatur vnica, futurus est inualidus, can. in synodo Anglorum, & can. multi sunt de consecrat. dist. 4.

Huius rei est hæc ratio, quòd cùm Baptismus sit Sacramentum fidei, quo vnimur, & adiungimur visceribus matris Ecclesiæ. Gregor. Papa 1. Epistola decretali ad Quirinum cap. 1. *Et simus membra Christi.* can. ad hoc Baptismus de consecrat. dist. 4. necesse est integram eorum fidem, quorum virtute confertur Baptismus, in eius forma, conti- F

Digitized by Google

neri explicitè, at tres personæ gratiam conferunt cum operum ad extra, ex æquo sint causæ, quæ tamen non explicantur Trinitatis nomine, nisi implicitè, quod non sufficit, cum etiam singulæ Trinitatis personæ, implicitè alias designent, cum earum quælibet, duas alias contineat, & tamen constat Baptismum in vnius tantùm personæ nomine collatum, nullum esse, eo quòd, tùm demum quis Baptizatur. *ὅταν κ̃ πλῶ καιρίως φανλῶ, ἅπαξ βαπτισθῇ, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς ϗ τοῦ υἱοῦ, ϗ τοῦ ἁγίου πνεύματος*, id est, *Quando conuenienter vocis Domini, semel baptizatus fuerit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Balsam. in can. 47. Apostol. vnam enim deitatem credentes in tribus personis baptizamur, in vno baptismate per inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *μίαν θεότητα πιστεύοντες εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ἢ ὑποστήματα βαπτιζόμεθα βαπτισθέντας δὲ ὁπωσδήποτε πατρὸς υἱοῦ, πνεύματος.*

Quòd si quando secus aliquid canones asserant, ac Concilia, quo modo in canone à quodam Iudæo de consecrat. dist. 4 dicitur Baptismus in Trinitatis nomine, datus, conferre gratiam, ratusque esse, id est intelligendum de Trinitatis nomine, non in se, sed in suo significato, id est in tribus personis nominibus propriis expressis.

Patet ex dictis, Baptismo vim nullam esse, ad effectum Sacramenti proprium, cùm confertur sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine trium personarum.* Et proinde absolutè iterandum esse, quemadmodum & qui tribuitur in solo Trinitatis nomine, quo de dogmate insignis est eruditaque Vigilij Papæ sententia in Epistola decretali ante citata, Didimi item in lib. de Spiritu sancto, his verbis. *Si quis ita baptizare conetur, vt vnum de prædictis nominibus prætermittat, scilicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sine perfectione baptizabit.*

QVÆSTIO XIV.

An huius vocis (nomen) *in aliam quamdam mutatio, Sacramenti certa sit irritatio.*

FAciam operæ pretium si quid significetur hac voce (*nomen*) principio indicauero, de huius ergo vocabuli significatione omnium non est vnus idemque sensus. Paludanus apud Tabienam verbo Baptismus 3. §. 14. Magister in 4. dist. 2. huic voci eandem notionem subiectam esse tradunt quam inesse inuocationi credimus.

Victoria 2. de Sacramentis parte 6. cap. 2. per (*nomen*) fidem intelligit quam in sententiam discessionem faciunt D. Thom. in 4. dist. 3. q. 2. art. 2. Angelus verbo Baptismus 2. num. 7. *In nomine*, id est, *in professione, notitia, seu fide.* exponit Alensis in 4. parte 4. q. 8. membro 3. art. 3. §. item quæritur de hoc.

Placet aliis significari eo nomine diuinam potentiam. Psal. 19. *Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.* Actorum 2. *In nomine Iesu Christi*, id est virtute, auctoritate, *surge & ambula.* Hæc propria inquiunt videtur esse huius vocis acceptio in Baptismi forma.

Non vacat verisimilitudine quod scripsit Sotus in 4. distinct. 3. articul. 5. ad 6. præter supra dicta significari quoque hac voce (*nomen*) diuinam substantiam, quæ opinio, hoc mihi fit probabilior 1. quòd vt ante ostendimus hoc ipsum sonet Patribus Hyeronimo, Augustino, Ambrosio.

Secundò. Quod forma in alterutra notione de allatis dictisim sumpta, sit falsa: nam in eo est eius essentia, vt significet quod facit, at Baptismus sine vera in Deum fide, ac eius inuocatione esse potest: collatus enim ab infideli, ab extorri, ab alieno à sacris nostris homine, est Patrum Ecclesiæque sensu validus, & tamen, non est vllo modo verisimile in eo conferendo paganum cultum Dei principis quærere, non ergo fidem tantùm in Deum, ac eius inuocationem significat vox, *nomen*, in forma Baptismi.

Confirmatur. Si idem valet, *nomen*, in huius orationis contextu ac serie, *baptizo te in nomine*, ac baptizo te in fide, aut inuocatione sanctissimæ Trinitatis falsa loquuntur hæreticus & barbarus cum eam efferunt, nec proinde quidquam quod vertat in baptizati commodum vtiliter faciunt, at Patrum, at Conciliorum, at Ecclesiæ mens est alia alius sensus, alia opinio. Zachariæ est, hoc verbum ad Bonifacium Moguntinum. *Quicunque baptizatus fuerit ab hæretico, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt tua fraternitas bene compertum habet nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgari.* Caranza in summa Concil. pag. 357. Hæque est causa cur August. lib. de dogmatibus Ecclesiast. cap. 52. Beda homil. 36. in cap. 3. Ioannis, secundari collatum ab hæretico Baptismum noluit, quod tamen debuissent si à Pagano & hæretico impertiretur fructu nullo? maior probatur hæreticus & infidelis, fide carent, ergo si baptizare in nomine, idem est ac in fide, cum se in ea lauare ambo asserunt, falsa dicunt.

Patet hinc quæstionis solutio, nam si vox, *nomen*, mutatur in aliam quæ idem cum ea significet erit Baptismus ratus, quia vtriusque eadem erit sententia.

Confirmatur æquipollentes Sacramentorum formæ parem eandemque efficacitatem habent, at cùm dictio quæ substituitur isti, *nomen*, idem cùm ea significat, vtriusque formæ eadem est vis ac potestas cum verbi quâ tale est, vis ac natura sit eius significatio, quare cùm sit incertum ecquid virtus tantumdem valeat ac nomen, crederem Baptismum iterato tribuendum ei esse sub conditione, qui admotus esset sacris, ac salutaribus Baptismi aquis, his super eo prolatis vocibus, *Baptizo te in virtute Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, absolutè autem ac sine hypothesi, ei qui baptizatus esset cum hac forma, baptizo te in hoc nomine, quod est Pater, & in nomine quod est Filius, cum enim mutetur sensus formæ palam est, eam inanem esse ac nullam, enimuero hæc vox, *nomen*, in ea forma quam Christus instituit essentiam significat, vel aliquod attributum essentiale, hic verò personale siue notionale indicat, quæ duo haud dubiè ab inuicem differunt vt patet. Dices secus sentire Patres alios, vt Cyrillum & Basilium, cum enim scripserint, *nomine*, non intelligi nomen aliquod tribus hypostasibus commune, vt expressè Basilius Epistola 64. ad Doctiores Neocesarianæ Ecclesiæ, & Cyrillus in lib. de recta fide ad Reginas, consequenter asserunt dari Baptismũ posse in nomine proprio hypostaseon, & sic eum de quo hîc agimus esse validũ.

Respondeo in hac sententia, minimum iterandum esse sub conditione, cum & praxis Ecclesiæ sit contraria, nec satis constet, ecquid his verbis *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* non sit à Deo traditum nomen personis commune, sed præceptum duntaxat coniungendi Personas diuinas, ac eas simul nominandi, vt Basilius asserit loco citato.

Digitized by Google

QVÆSTIO XV.

An trina immerſio corporis in aquam Baptiſmo ſit eſſenialis.

DVbitandi cauſa multiplex. Prima quòd Apoſtoli eam exigãt in can. 50. corũ, quorũ dicuntur authores. 2. quod eam Chriſtus Dominus imperet, vt ad ſalutem neceſſariam. inquit Pelag. Papa in Epiſt. ad Gaudent. Epiſc. conſideremus eorũ verba. *Si quis Epiſcopus* (inquit canon 50. Apoſt.) *vel Presbyter non tria vnius myſterij baptiſmata perfecerit, ſed vnum baptiſmum, qui datur in mortem Domini, deponatur*, ſenſus eſt inquit Balſamon in eum locum : *διὰ τριῶν καταδύσεων τὸ μύστηριον ἐπιτελεῖσθαι τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, ἤγουν εἰς ὄνομα πατρὸς υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος*, id eſt, per tres immerſiones peragi oportere myſterium ſacri Baptiſmatis, ſcilicet, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, Baptiſmata enim pro immerſione accipienda ſunt, *βαπτίσματα ἐνταῦθα ἀντὶ καταδύσεων εἴρηκεν.*

Ab Apoſtolorum ſenſu, non diſcedit Pelag. in dicta Epiſtola, cum enim imbuiſſet ea opinio in populo, valere Baptiſmum, collatum in nomine Chriſti, per immerſionem vnicam, ad eam eximendam, ſubiicit, *Euangelicum præceptum, ipſo Deo & Domino ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto tradente, nos admonere, in nomine Trinitatis trina etiam merſione ſanctum Baptiſma tribuendum, dicente Domino diſcipulis ſuis : ite baptizate omnes gentes, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Dico primò. *Cum nullius modus peculiaris abluendi, Baptiſmo ſit intrinſecus trinam merſionem ad eius eſſentiam non exigi* : Et quidem, quod nullus talis modus, Baptiſmo ſit intrinſecus, patet primo quia modi ſunt extra rerum eſſentiam. 2. quia ad eſſentiam Bapt. tantùm pertinet vera ablutio, cum forma, quæ duo, non videntur certum vllum modum neceſſario exigere vt ſubſiſtant, nec proinde trinam merſionem. Equidem author eſt Cypr. epiſt. 76. ad Magnum, ægros aqua perfundi, ac aſpergi ſolitos, eamque ob rem dictos *clinicos*, quaſi lecto affixos. *Hancque aſperſionem aquæ, inſtar ſalutaris lauacri obtinere, & quando hæc in Eccleſia fiunt, vbi ſit & dantis, & accipientis fides integra, ſtare omnia, & conſummari, ac perfici poſſe, maieſtate Domini & fidei veritate.* Neq; mouere nos debet, quod vtatur hac voce (inſtar) quæ rei proprietatem in ſpeciem immutat. Hæc enim ab eo eſt adiecta, non cauſa tollendi effectus, proprij Sacramentorum qui eſt gratia, cum eam in aſperſis tantùm, & non lotis, aut immerſis agnoſcat, vt patet ex eius verbis ipſoque citatæ epiſt. contextu, ſed vt immerſionem proprie ſumptam remoueret. Sane fuit Baptiſmus ſemper idem in Eccleſia, quo ad eſſentialia, at hunc antiquis in vſu non fuiſſe, cum triplici immerſione, Cypr. epiſt. 76. memorat, ſed cùm aſperſione nuda, ac ſimplici, quam, in Eccleſia Lugdun. frequentatam, quemadmodum, & in Pariſ. habent ſtatuta ſynodalia Cardinalis Turnonij. & Odonis Pariſ. Epiſc. quæ ſummæ concil. per Caranzam ſunt adiecta, ſub finem.

Quare ſic exiſtimo, Baptiſmo, quo minùs ſit ratus, deeſſe nihil, dummodo ad verbum vitæ, id eſt formam, adiiciatur ablutio, quam non eſt neceſſe, per trinam immerſionem fieri, cum *nihil obſiſtat, baptizandos ſemel aquis immergere, quia dum in tribus perſonis, vna ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe non poteſt, infantem in baptiſmate, vel ter, vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus, perſonarum Trinitas, & in vna, poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari.* Gregor. Leandro Epiſcopo lib. 1. Epiſt. 41. Negari tamen non debet quin hunc trinæ merſionis vſum, diutiſſimè Eccleſia tenuerit, cum eam Leo primus Greg. item Papa, & Aug. vt laudabilem approbent, *ſignificatione myſterij duplici*, rectè enim, vt ſcribit Auguſt. hom. 3. & refertur diſtinct. 4. de conſecrat. ca. 78. fideles alloquens, *Tertio merſi eſtis qui accepiſtis Baptiſmum in nomine Trinitatis, rectè tertio merſi eſtis qui accepiſtis Bapt. in nomine Ieſu Chriſti qui die tertia reſurrexit à mortuis*, vel vt loquitur Greg. epiſt. 41. lib. 1. *tertio mergimus vt triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignemus, vt dum tertio infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur.* Idem habet Balſa. in can. 50. Apoſtolorum.

Quare ergo dicat aliquis, & vnde eſt, hæc in Eccleſiam inuecta diuerſitas rituum, in conferendi Baptiſmi modo ?

Primo à neceſſitate, quòd enim ſæpè ob ægritudinem immergi, ſeu intingi (quod eſt propriè baptizari) ægri non poſſent, aquâ perfundebantur hoc tantum, quem ritum Eccleſiæ occidentali placuiſſe ob teneritudinem infantium ſcribit Pammelius in citata epiſt. Cypr.

Secundo eſt hæc rituum in conferendo Baptiſmate varietas orta ab Epiſcoporum prouidentia, qui cùm nihil nobis cum hæreticis commune eſſe vellent, vt res, temporaque exigebant, ita huius Sacramenti cæremonias, fecere varias, quare cùm Eunomio viſum eſſet Bapt. peruertere, aſſerendo eum, in Chriſti morte conferendum eſſe, cum merſione tantum vnica, placuit Patribus, eam hæreſim profeſſione contraria tollere, itáque à modo, nemini in Eccleſiam aditum fore, per Baptiſmum, niſi qui cùm inuocatione Trinitatis neceſſaria, ter aquis immerſus eſſet, & quia, id toties Ariani factitabant, vt immuterent tres auguſtiſſimæ Trinitatis perſonas, quæ inuocantur, non vnius eſſe naturæ, ſtatuerunt Patres, vt ſemel tantùm mergendo, Baptiſmus fieret, ſic Epiſcopi Hiſpani in Conc. Tolet. 4. can. 5. *Ne hæreticis videamur conſentire, qui tertio mergunt dum eorum morem ſeruamus cautum eſt, ne in Hiſpania fiat Baptiſmus niſi in vna merſione.*

QVÆSTIO XVI.

An Baptiſmus collatus in nomine trium principiorum vel genitoris, geniti, & Spiritus ſancti, ſit validus.

DIco primo. *Neminem renaſci Deo poſſe per Baptiſmum, in ſolo trium principiorum nomine* : Quia illa voce non ſignificatur idem quod per Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum : proinde eſt vitanda in vſu Baptiſmi. *Nos enim Deitatem credentes in tribus perſonis baptizamur in vno baptiſmate per inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Balſam. in can. ſanct. Apoſt. ſanè eorum authoritate ac imperio. *Si quis Epiſcopus vel Presbyter ex ordinatione Domini non baptizauerit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Sed in trium principij expertium, vel trium filiorum, vel trium paracletorum deponi iubeatur.*

Dico ſecundo. *Probabile eſſe lauacrum regeneratio-*

nis adhiberi cum fructu, quando pro Patre nominatur genitor, pro Filio genitus: Quia hæ voces ex accommodatione vsus Ecclesiæ idem modo significant quod Pater & Filius, patet ex hymno sanctissimi Sacramenti quem sic concludit S. Doctor.

Genitori, genitoque, laus & iubilatio,
Procedenti ab vtroque, compar sit laudatio.

Quibus verbis, omnes qui Latinè norunt, intelligunt haud dubiè personas diuinas, & quantum est satis, iis earum proprietates exprimi, in praxi tamen esset graue peccatum, consueta nomina mutare, & sic baptizatus, esset rebaptizandus sub conditione, 1. quia non est omnino certum, vtrùm Baptismus collatus sub alia forma verborum, quàm quibus communiter vtimur, sit validus, argumento est, authorum de eo dubitatio, inter quos, plerique reperiuntur, qui cum D. Th. q. 66. art. 6. negant hanc formam valere, Baptizo te in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, aut vlla nomina dictis personarum nominibus indititui posse, etsi sint synonima 2. quia in re tanti momenti, quanti est salus animæ, tuta omnia sunt sequenda, nec est hæc temere exponenda periculo.

Dico 3. *non esse improbabile, has formas validas non esse, baptizo te in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, item baptizo te cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto*: Quia tales formæ non sunt synonimæ nostræ communi & vsitatæ, nam vox, *in nomine*, plura significat, quàm quæ indicantur his particulis *in*, & *cum*, priori enim denotatur vnitas essentiæ, posterioribus duabus, causa principalis ablutionis internæ, qui est Deus Trinus, etsi valdè obscurè, eo quòd certò non constet an vocula *in* idem sit quod *per*.

Dico 4. *Baptismi essentiam peruerti, cùm in eius forma, loco duarum vocum, quæ numero singulari in nostra efferuntur, numerus multitudinis ponitur*: Quia cùm dicitur, in nominibus, non significatur Vnitas essentiæ, quæ tamen est confitenda, quemadmodum Personarum Trinitas, eodem enim modo, inquit, sanctus Hieronymus super epist. ad Ephes. lib. 2. cap. 4. & refertur dist. 4. de consecrat. ca. eodem modo 81. *Et in Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum baptizamur, & ter mergimur, vt Trinitatis vnum appareat Sacramentum, & non baptizamur in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quod intelligitur Deus*, quare non videtur posse dari aliquod aliud nomen huic synonymum, & proinde Baptismus datus his verbis, *Ego te baptizo in Vnitate, vel, in authoritate Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, iterandus est sub ea conditione, de qua nos postea.

QVÆSTIO XVII.

An Sacramentum Baptismi iterari possit.

ITerari non posse, est S. Thom. opinio art. 10. q. 66. confirmata Patrum testimonio ac Canonum: Patrum quidem, vt Cypriani in tractatu de ablutione pedum, & ep. 77. ad Iubaianum. Augustin. in epist. 203. ad Maximinum Episc. Donatist. vbi *eorum consuetudinem hominum lugendam esse ait, qui cum Christiano nomine gloriantur, Christianos rebaptizare non dubitant: cùm enim rebaptizare hæreticum, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, sit peccatum, rebaptizare sanè Catholicum immanissimum est scelus*: hæc ille.

A Quare in Canone 47. Apost. *Episcopus vel Presbyter, eum qui verè habet Baptismum, si de integro baptizauerit, iubetur de gradu deiici*, hoc est, deponi, narratque Balsam. ad canonem 30 Synodi Carthagin. cui præfuit Aurel. Carthagin. Episcopus, imperante quidem Romæ Honorio, Constantinopoli verò Theodosio puero, cùm reperti quidam essent eo tempore qui vellent secundò baptizari, vt elueretur criminis macula, propter quam erant depositi, & sic in clerum reciperentur decreuisse Patres, μηδὲ τῶν γινόμενα, ὅτι ἐν βαπτίσματι πάλιν ἄμα μεθίστησι, id est, *ne hoc quidem fieri, quod vnum nobis baptismum facere traditũ esset diuinitus*, non plures, aut semel collatum iteratò conferre petentibus. Equidem quæ Patrum fuit ratio eo Concilio authore

B Pa. ad Ephes. quarto, nobis vnus est Dominus, vna fides, vnum baptisma, verum est ergo inquiunt in can. 61. baptisma, τὸ ἐφάπαξ παρασχεθὲν δόθαι, ἐπανα[illegible]θῆναι οὐ δύνασθαι, quod *debet semel dari, fas non esse iterum recipi*, ad id certe aliquem adigere, scelus esse inexpiabile scripsit Leo Papa Epist. 37. ad Leon. Episcop. Rauennat. cap. 1. quod eiusmodi facinori *Apostolica reclamet sententia, quæ nobis vnum prædicat in Trinitate Deitatem, vnum in fide confessionem, vnum in baptismate Sacramentum*, Hæc sane causa, Patres qui Trident. ad concilium venerant, impulisse videtur, vt anathema dicerent ei, qui postmodum assereret, *verum & rite collatum baptismum illi qui apud infideles fidem*

C *Christi negasset, cùm ad pœnitentiam reuertitur, iterandum esse.*

Prohibitionis causa præcipua videtur ex Christi institutione petenda, quæ tamen à rei natura non abhorret. Est enim Baptismus, quædam veluti regeneratio, ac natiuitas, de consecrat. dist. 4. can. 1. seu mortis Christi, ac resurrectionis eius, quædam consignatio, dist. eod. can. de trina mersione, 80. atqui non nisi semel nasci corporaliter homini est integrum, nec mori Christus pro nobis, quanquam esset eius charitas aduersus homines interminabilis, sæpiùs quàm semel voluit, ergo nec renasci per Baptismum cuique, quoties, & quàm sæpe placet, est licitum.

Secundò, est Baptismus à Christo institutus ad delendum peccatum originis, vt dicitur in canone,

D ex quo 6. can. Filius Dei 8. can. firmissimè 3 de consecrat. dist. 4. at vbi peccatum hoc semel desiit, iteratò redire quî potest? Enimuerò non nisi per generationem, ac propagationem ex parentibus contrahi est certum, hæc verò vnica est non multiplex, ergo & Baptismus. Equidem quæ tertia est ratio petita à Cypriano de ablutione pedum, num. 2. *Contumelia esset Spiritus sancti, si euacuari posset quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit, aut confirmat.*

Certa sunt tamen tempora, in quibus non tantùm impunè, sed etiam cum laude secundari Bapt. potest, de quibus quæstione sequenti.

QVÆSTIO XVIII.

An Baptismus iterari circa eos debeat qui se baptizatos nesciunt.

DE infantibus statuere Patres, qui Synodo interfuere sextæ in Trullo, canone 84. *Quoties non inueniuntur firmi testes, qui eos absque vlla dubitatione baptizatos esse dicant, nec ipsi propter ætatem*

de ſibi tradito myſterio apte reſpondere poſſunt, debere abſque vlla offenſione baptizari, ne forte eiuſmodi dubitatio eos purificationis ſanctificatione priuet. Idem in eorum quoque cauſa, faciendum eſſe declarant Epiſc. Africani in Conc. Carth. 5. can. 5. non aliter tamen quàm ſub conditione, qualis ponitur in cap. 2. de Bapt. *Si tu es baptizatus ego te non baptizo, ſi tu non es, ego te baptizo.* Ne quid tamen in eo peccetur ſollicita primum examinatione diſcutere, & longo tempore (niſi forte ſupremus dies immineat) indagare eſt neceſſe, vtrum penitus ſit nemo in prouincia, ciuitate, aut vico, qui teſtimonio ſuo, iuuare poſſit dubitantis ignorantiam Leo Papa, Zenoni Rauennati epiſt. 37. cap. 1. Alioqui metus iuſtus inerit peccandi mortaliter, in periculo, cui ſe tam rebaptizans, quam rebaptizatus exponent committendi ſacrilegij, quod non debet metui, quando eſt ad illud vitandum, adhibita præcautio neceſſaria, in examine præuio, *quoniam non poteſt in iterationis crimen venire, quod omnino factum eſſe neſcitur.* Leo Papa relatus de conſecrat. diſtinct. 4. ca. cum itaque 112.

Eum tamen qui inter Chriſtianos natus cum parentibus vixit, itidem Chriſtianis, vſque ad iuſtam aliquam ætatem, rebaptizandum non eſſe, etſi de eius Baptiſmate teſtimonia nulla ſuppetant, tradit Innoc. 3. de Preſbytero non baptizato cap. veniens 3. quia ob has circunſtantias, tam probabiliter præſumitur, quod fuerit baptizatus, vt hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec euidentiſſimis argumentis contrarium probetur.

Idem dicendum à potiori iure, de his qui cauſam iuſtam nullam habent ambigendi an ſint baptizati, fuerintne ſacris vndis admoti ex forma vſitata Eccleſiæ, ſed tantùm leues quoſdam ſcrupulos, cum quibus iterare Sacramentum, mortalis eſt culpa. Catechiſmus, conc. Trid. parte 2. cap. 2 de Bapt. parag. 43. Ratio eſt quòd iteratio Bapt. etiam conditionata, facta ſine iuſta cauſa, ſit tacita quædam Sacramenti irriſio, cum eſſentialiter poſtulet ſemel tantum conferri, at quando præter leues ſcrupulos, nihil eſt quòd Baptiſmum repetere ſuadeat, eius iterandi iuſta nulla cauſa ſubeſt, ergo talis reiteratio non fiet in hoc caſu niſi cùm iniuria Sacramenti.

Quod autem non ſit iuſta vlla cauſa dubitandi de Baptiſmo collato, cum his ſcrupulis, ſuadetur hoc argumento. Cum non eſt dubitandi de aliquo facto cauſa vlla probabilis, moraliter loquendo pro indubitato certoque haberi debet, alioqui vix vlla humana actio, poſſet dici certa, cum circa omnes, eiuſmodi ſcrupuli oriri poſſint, maneat ergo quod in quæſtione fuit poſitum, tempus nullum eſſe vnquam iuſtum reiterandi Baptiſmi, cum præter ſcrupulos quoſdam leues nil occurrit, propter quod de eius valore ac efficacia merito poſſit ambigi.

Dixi præter ſcrupulos, nam cùm iuſtam dubitandi cauſam de collato Baptiſmate conditio perſonæ baptizantis ſuppeditat puta quia rationem raro ad conſilium adhibet, quia vt eſt præcoci ingenio, temerè agit ac inconſultè multa, ſapienter ac conſideratè pauca, ob quàm cauſam non eſt improbabile eum intentionem ad Sacramentum neceſſariam non attuliſſe, aut peccaſſe in applicatione formæ ad materiam debitam, aut etiam, quia rationes ſunt vtrinque veriſimiles, quibus probari poſſit, tam eum non eſſe baptizatum, quàm eſſe, vel deſunt pro vtraque parte, vt ſi puer improbitate parentum nunquam ſatis damnanda pro merito, repertus eſt expoſitus temerè in via ſine vllo ſuæ diligentiæ, ac caritatis teſtimonio in ei procurando per Baptiſma culpæ primigeniæ remedio, nec aliunde conſtet Chriſtianis eum ortum parentibus, quibus curæ fuerit eum à peccato originis purgandum ſacerdoti offerre: tunc omnis eſt, non modo honeſta, ſed inſuper etiam neceſſaria ratio, Sacramenti ei iteratò dandi ſub conditione, quia *non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum, nec malè de Sacramento ſentitur, cum illud non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis repetit.* Innoc. 3. de Preſbyt. non baptizato ca. veniens 3. & eſt timendum ne propter dubitationem, ἀποστερῶσι οἱ ἀνθρωποι τὸ θεῖον ἁγίασμα, καὶ τῆς διὰ τοῦτο δεδομένης βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ τῆς τοῦ κυρίου φησὶν, id eſt, *ne homines ſacro baptiſmate & regno cœlorum quod per illud datur priuentur*, prout eſt vox Domini dicentis: *Niſi quis renatus fuerit.* Balſam. ad can. 84. ſynodi 6. in Trullo. *Si ergo nulla extant indicia inter propinquos, aut ſacerdotes, quibus ibi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt, vt renaſcantur, ne manifeſtè pereant, in quibus quòd non oſtenditur geſtum, ratio non finit, vt videatur iteratum.* Leo Papa ad Ruſticum epiſt. 90. cap. 16.

Modus autem quo hoc eis beneficium indulgeri debet, habetur in titulo de Bapt. & eius effectu qui eſt quadrageſimus ſecundus lib. 3. decretal. ibi enim Alexand. III. indicat cap. 2. eos de quibus dubium eſt an baptizati fuerint, baptizari oportere vt antea diximus, his verbis præmiſſis, *Si baptizatus es non te baptizo, ſed ſi nondum es baptizatus ego te baptizo, In nomine*, &c. quæ eſt etiam Odonis Pariſienſis Epiſc. ſanctio in ſtatutis ſynodal. cap. de Baptiſmo num. 4. modum hunc porro licitum eſſe cum eius adhibendi iuſta eſt aliqua cauſa, qualis eſt probabile dubium iuris, aut facti de veritate, aut valore Baptiſmi, ita vt veritas, humana diligentia cognoſci nequeat, præter Alexand. c. 3. loco ante citato docet Lugdunenſe Concil. ſub Cardinali Turnonio in hæc verba. *Si ſacerdos puerum repererit à laico baptizatum forma verborum neceſſaria comprobet factum, & ad fores Eccleſiæ oblato infante ſuppleat, quod deficit videlicet ſalis pabulum, & aurium linimen, exorciſmi tamen non dentur, ſupra verò Baptiſmi fontes, ea ſine aquæ inſperſione fiant, quæ peragi conſueuerunt, ſi verò dubium fuerit, ſub qua verborum ſerie baptizatus fuerit, hunc ſacerdos dicat immergens, ſi tu non es baptizatus ego te baptizo, In nomine Patris*, &c. prope ſimilia anno 259. circiter ſtatuta leguntur à Simone Cardinali Legato in Xantonenſi concilio can. 1. à Leone Papa 1. epiſt. decret. 90. ad Ruſticum Narbon. capitulis 16. & 17. tomo 2. concil. pag. 105.

Tunc autem eſt dubium iuris probabile, quando ob paria rationum momenta, & ſcriptorum auctoritatem, exiſtimantium opiniones oppoſitas de valore Sacramenti eſſe probabiles, mens in neutram partem inclinat, ſed ſuſpenſa remanet, an Baptiſmus ſub hac forma, aut materia collatus, aut in tali parte corporis ſit validus, vt in pede, aut digito ex vtero matris extracte. Dubium facti eſt cùm abſolutè incertum eſt, vtrùm Baptiſmus verè fuerit vnquam datus, puta quia puer expoſitus in via eſt, nulla ipſi adiecta ſchedula, quæ de Bapt. eius teſtificetur, in euentu vtriuſque dubij eſt hic iterandus ſub conditione, quod ſi tale dubium non ſuppetat, eſt Baptiſmi geminatio mortalis, vtpote ſacrilega, ſecundum D. Leonem & Auguſtinum.

QVÆSTIO XIX.

An Latinus possit baptizare sub forma Græcorum Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, &c.

DEdit ambigendi causam Innocentius, cap. 1. de Baptismo, vbi in Latina Ecclesia, Græcorum more datum, tradit nullum esse.

Sed habet aduersantes omnes Theologos, nec si quid intelligo, immeritò, nam quæ Sacramenta valent in Eccles. vna, rata quoque esse, ac firma in alia, certissimæ fidei est articulus, maximè verò Baptismus, cùm Paulo teste, vnus sit ad Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma*, quæ vnitas de specifica, ac essentiali intelligitur, non numerica, iuxta diuum Chrysostomum, in eum diui Pauli locum, Tertull. de Baptismo cap. 15. & patet ex iis locis in quibus Baptismus cum Christi morte confertur: ergo vt hæc vna existit, non plures, ita erit & Baptisma vnicum, non multiplex, at est validus Græcorum Bapt. vti sanxit Ecclesia in Florent. in decreto vnionis, ergo & Latinor. datus in forma Græc.

Et verò si vanus esset, nullos Græca Ecclesia Sacerdotes, nulla Sacramenta, abhinc mille annis haberet, cùm Baptismus, istorum sit ianua, Ordinisque sacri basis, quâ proinde corruente, instabili, aut nulla, ruere quoq; ac nulla esse oportet Sacramenta reliqua, quæ Baptismo vti columnæ suæ innituntur, ac hærent, credere autem, Græcos carere Sacerdotibus, Ordine, Pœnitentia, Vnctione, est diuinam prouidentiam vltrò lacessere, ac contemptæ Græciæ ream agere, quod est amentiæ non ferendæ.

Peccaret tamen qui Ecclesiæ nostræ, contempto modo, Græcorum sequeretur in baptizando, quia vnusquisque tenetur se suæ Ecclesiæ conformare in Sacramentorum administratione.

De qualitate peccati si interroges. Respondebo citra scandalum, non videri nisi veniale. Soto in 4. dist. 3. art. 5. ad 1. Syluestro autem, verbo Baptismus, 1. q. 12. haberi pro mortali, tanto viro eo libentiùs accedo, quo videtur mihi eius oratio, rationi propior, ac prudentiæ, hæc enim virtus cùm auditur, non temerè ritibus Ecclesiæ, nouus quispiam superinducitur, nec vsitatus abiicitur, quod cùm fit, fit sanè in re graui, nec proinde sine lethali.

Ad causam dubitandi respondendum est, Innocentium loqui vt priuatum aliquem hominem, nec eius orationi, maiorem fidem habendam esse, quàm cuiusuis è plebe, cùm sit apertè contraria Conciliis, sensuique communi Ecclesiæ.

QVÆSTIO XX.

An causæ partiales Baptismi esse multæ possint.

EXemplum est in iis qui non nisi diuisim Baptisma conferunt, nempe quia eorum vnus materiam suppeditat, formam alter, de quibus quæritur, ecquid verè baptizent., & cum effectu.

Vnica Assertio. *Sacramentum regenerationis non valet, cùm baptizantium vnus, materiam applicat, formam alter pronuntiat.*

Diuus Thomas hîc art. 6. D. Bonau. in 4. dist. 3. art. 1. Scotus dist. 6 quæst. 2. Richardus in 4. dist. 3. art. 4. qu. 1. ad 1. Gabriel in 4. dist. 6. qu. 1. art. 2. coroll. 2. & concluf. 6. Sylu. verbo Baptismus 3. q. 8.

Probatur. Cùm forma efficiat quod significat, vera esse debet, alioqui non faceret, quod innuit, at cum materia applicatur ab alio, quàm qui formam enuntiat, est hæc falsa, cùm verè non abluat, qui verba profert, *Ego te baptizo*, sed alius qui superinfundit aquam puero, ergo Baptismus ratus non est.

Confirmatur. Debet actus qui à Ministro proficiscitur, verbis formæ exprimi, vt in Florentino definitur, his verbis: *Si exprimatur actus qui per ipsum exercetur Ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum*: At non indicatur, cùm vnus idemque non applicat materiam, & formam pronuntiat, Ministri enim actio propria in Baptismo, est haud dubiè baptizandi ablutio, at huius origo, ac causa, non est, vt supponimus, is à quo effertur hæc oratio, *baptizo te*, sed alius, Baptismus ergo est nullus.

Dixi in Assertione, cùm Baptisma diuisim datur, vtroque scilicet aliquid faciente, & neutro totum simul, nec enim ambigo, quin plures eodem tempore, hoc homini beneficium conferre queant, si singuli debitam intentionem habeant, singuli verba proferant, veréque abluant. D. Thom. 3. part. q. 67. art. 6. causa est quòd tunc Ministrorum quilibet, per se ad baptizandum est sufficiens, omniaque ad id necessaria admouet, materiam, intentionem, formam.

Confirmatur. Non magis repugnat plures baptizare totaliter, neutro dependente ab alio, quàm consecrare, cùm Eucharistiæ competat Sacramentum esse, non minùs quàm Baptismati; at verè multi simul consecrant, cùm Sacerdotes fiunt, ergo & baptizant, quando ad intentionem Ecclesiæ, adiungunt materiam huius Sacramenti cum forma debita.

Quod vbi accidet, qui primus omnium, formæ finem imponet, is Sacramnetum efficiet, cùm illico sit, ac ponuntur à Ministro, quæ sunt ei essentialia, ac si fortè omnes simul verba proferant, corpusque abluant, Sacramenta quidem plura materialiter, ac physicè, proindeque impropriè efficient, quatenus plura sunt signa gratiæ, propriè tamen, ac moraliter, non nisi vnum, ratione tam principalis agentis, qui est Deus, baptizans, quàm primarij eius effectus, qui est gratia.

QVÆSTIO XXI.

An Baptismus collatus hac forma, Nos te baptizamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, *sit validus.*

QVæstionis sensus duplex esse potest: Primus, an priuatus aliquis loco huius vocis, *Ego te baptizo*, adhibere hanc possit numeri multitudinis, *Nos te baptizamus*, alter an plures id de se dicere valeant, cùm formæ materiam applicant ex intentione.

Dico 1. *Etsi de se quis loqui numero plurali baptizando valeat, stâque proinde baptizare validè, non potest tamen licitè.*

Prima pars probatur. In verbis formæ non tam est eorum sonus spectandus, quàm sensus, æquipol-

lentes enim formæ partem & eandem efficacitatem habent, at ex accommodatione & communi hominum vſu, idem eſt *nos te baptizamus*, dictum de ſe ſolo, ab vno quopiam, ac, *Ego te baptizo*. Reginaldus tomo 2. lib. 27. cap. 6. num. 49. ergo vt eſt Baptiſmus collatus hac forma, *Ego te baptizo*, validus, erit & ille in quo miniſter de ſe loquetur in numero plurali.

Confirmatur. Vel vox hæc multitudinis, *nos*, ponitur in Bapt. forma ad ſignificandum dignitatem perſonæ baptizantis, vel pluralitatem baptizantium neutro modo variatur, ſenſus huius formæ, *Ego te baptizo*, valet ergo & iſta, *nos te baptizamus*. D. Tho. 3. part. q. 66. art. 5. ad 4. Sylu. ver. Baptiſmus q. 19. Concl. 2.

2. Ad perficiendum Sacramentum nihil aliud requiritur, quam vt exprimatur actus exercitus, per miniſtrum, cum inuocatione Trinitatis. D. Th in 3. q. 66. art. 5. & in 4. diſt. 3. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. & 3. at tria hæc efficit baptizans, cum forma poſita, vt patet, ergo valide, & cum fructu.

Poſtremæ quæſtionis vera explicatio ad duplicem propoſitionem reuocari poteſt.

1. Propoſitio, eſt in ſenſu diuiſo, vera hæc forma, *nos te baptizamus*, poteſtque à pluribus, eundem baptizantibus, vere concipi. Poſterior, in ſenſu compoſito, adhibenda non eſt, adhibitaque Sacramentum inualidat, antequam vtriuſque concluſionis rationes afferam.

Notare placet, orationis quæ in numero plurali effertur, ſenſum tunc diuiſum eſſe, quando particulares enuntiationes ſub ea comprehenſæ, adhuc ſunt veræ, etſi ſeorſum, & per ſe, in plurali numero accipiantur, eo quod veritas vnius non pendet ab altera, verbi cauſa ſi quis dicat Chriſtiani ſumus, rationales ſumus, propoſitio eſt vera, in ſenſu diuiſo, quia idem ſonat ac ſi diceretur, ego ſum Chriſtianus, & ille eſt Chriſtianus, tunc autem formæ, ſeu enuntiationis in plurali numero cõceptæ, ſenſus eſt compoſitus, quando propoſitiones quæ ſub illa continentur, in veritate ſua dependent, vna ab altera, vt in præſenti materia accideret, ſi vnus aquam infunderet, & alius proferret verba formæ.

Iam ergo probatur prima propoſitio, plures eundem totaliter baptizare poſſunt, & ſi validè, non tamen licitè, ergo & de ſe quiſque id efferre multitudinis voce, *nos*.

Confirmatur. Si vnus tantum baptizaret, id verè de ſe, ac ſeorſum diceret, & cum fructu, ergo & cum alio, vacans huic miniſterio.

Secundæ propoſitionis eſt hæc ratio, quod formæ falſitas, interitum Sacramento afferat, at eſt forma falſa, cum plures ad Baptiſmum partialiter concurrunt, vno ſcilicet eius materiam, formam ſuppeditante alio, vt ante oſtendimus, ergo ſi hoc modo accipiatur hæc forma, *nos te baptizamus*, nihil efficiet.

Quod autem forma ſit falſa, oſtenditur. Huius propoſitionis, *nos te baptizamus*, idem eſt ſenſus ac iſtius, ego & ille te baptizamus, at id eſt veritati oppoſitum, vera ergo eſt maior, & ex conſequenti duos partialiter eundem baptizare non poſſe, nec aliud D. Thomæ fuiſſe propoſitum exiſtimo, cum in 3. parte q. 67 art. 6. & in 4. diſt. 6. q. 2. art. 2. aſſeruit, Baptiſmum quem plures conferunt irritum eſſe, nam eum valere, quando plures eum conferunt, non vt plures, ſed vt ſinguli, Sacramentum perficientes, nemo eſt qui ambigit.

Etſi non ſit negandum, eos in hoc genere peccare grauiter.

Primo, quia vnitas miniſtri, requiritur in hoc Sacramento, peræquè ac alius, excepto Matrimonio propter ordinationem Chriſti agentis præcipui. Scotus in 4. diſt. 6. q. 2.

Secundò, quia formæ mutatio etiam in accidentibus non vacat ſcelere.

Tertiò, quia cùm tempus incidere nullum queat, quo à pluribus, baptizari puerum oporteat, aut numerum ſingularem, quo miniſtri vnitas exprimitur, mutari in pluralem, *Nos te baptizamus*, nunquam non eſt vtrumque, cum contemptu Eccleſiæ coniunctum, aut magna temeritate, formam communem immutantis cum notabilis ſcandali periculo.

Ex dictis tam in hac quæſtione quam aliis manifeſtum fit, ex parte materiæ huius Sacramenti, requiri primo neceſſitate Sacramenti, vt conferatur in aqua pura, ſimplici & elementari. 1. quia exteræ aquæ, ſimpliciter non ſunt aquæ, ſed cùm addito ſcilicet ex roſis, ſulphure, floribus. 2. quia quotieſcumque aqua ſola in ſcripturis ſanctis nominatur, Baptiſma prædicatur, ſi quis ſitit, veniat, & bibat, &c. Cyprian. epiſt. 63. ad Cæcilium num. 5.

2. Patet ex parte materiæ propinquæ neceſſitate Sacramenti, poſtulari ablutionem per aquam, quia materia conſtitutiua Sacramenti, debet determinari ad ſignificandum per formam, at hæc verba quæ Baptiſmi formam componunt, *ego te baptizo*, &c. ſignificant & determinant non aquam ſecundum ſe, ſed quatenus eſt in vſu, ſeu ablutionem per aquam.

Infertur tertiò, etſi quæuis aqua, modo ſpeciem aquæ, & naturam retineat, neceſſitate ita cogente, ad Baptiſmum obeundum apta ſit ac idonea, non alia tamen ob maieſtatem Sacramenti vtendum eſſe quam nitenti ac munda, iuxta Apoſt. verba ad Hebr. 10. *Accedamus cùm vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda, à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda*, eſt hæc igitur mundities neceſſitate præcepti ſectanda in Baptiſmo.

Quartò, ſequitur eadem neceſſitate requiri, vt in ablutione corporis ſolemne ſeruetur cuiuſque Eccleſiæ, quare ſi aſperſione ſola, aut affuſione aquæ, Baptiſmus in ea confertur, non erit adhibenda immerſio, quia conſuetudo rationabilis & præſcripta, loco legis eſt habenda.

Quinto, ex antiqua, laudabili, diuturna ac generali conſuetudine, ab Apoſtolis ipſis, Spiritu ſancto duce nobis tradita, quaſi per manus, aquam quæ in materiam Baptiſmi aſſumitur, ſingulari religione, ac cæremoniis ab ea præſtitutis eſſe benedicendam, Baſilius de Spiritu ſancto c. 27.

Ad formam quod attinet dicendum eſt neceſſitate Sacramenti opus eſſe vt in ea, eius cauſa exprimatur, quæ eſt duplex, principalis vna, à qua virtutem habet quæ eſt ſanctiſſima Trinitas, & altera inſtrumentaria nempe miniſter, qui Sacramentum exterius confert S. Thom. q. 66. art. 5. Halenſ. in 4. pa. q. 13. art. 2. parag. 2. Vaſq. diſp. 143. Coninch. q. 66. art. 6. cauſa eſt quod forma eſt oratio practica, ſignificare ergo debet effectum procedere tum à Deo, vt cauſa principali, tum à miniſtro vt inſtrumentali.

Nec id modo eſt in ea neceſſarium, ſed inſuper vt actio vtriuſque cauſę ſignificetur per illam, quod verè fit, nã vt hæc proficiſcitur ab homine indicatur his verbis, *Ego te baptizo*, vt à Deo principali agente, eiuſque virtute, immediatè ſequentibus, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Tertiò, ex dictis antea patet neceſſitate Sa-

crementi in forma exigi, vt persona baptizanda exprimatur speciatim aut generatim. S. Thomas & Halensis locis proximè citatis. Sotus in 4. dist. 3. q. vnica, art. 5. Suarez disp. 21, sect. 2. asser. 3. Vasq. disp. 141. cap. 3. Ratio est, quòd forma significare debeat actum baptizandi, qui est ablutio, ergo & personam baptizandam, seu subiectum, quia ab eo actus baptizandi, seu ablutio determinationem suam accipit.

Quartò, est & id ex dictis, certum, inuocationem Dei Vnius, & Trini, formæ Baptismi esse essentialem, ac proinde necessitate Sacramenti, adhibendam; Vnitas significatur hoc vocabulo, *nomen*, Personarum Trinitas, appellatione Personarum speciali ac distincta.

Quæ non sunt formæ essentialia, hæc sunt necessitate præcepti, in Baptismi forma necessaria: nam etsi eorum omissio vim sententiæ debitam non tollat, aut Sacramentum irritum faciat, vitio tamen, peccatoque verti debet, maximè si est hæc ex negligentia orta. Ratio est, quòd in Sacramentorum ministerio, ac vsu, Ecclesiæ morem, ac solemne tenere, quemque oporteat, nec sit ei liberum pro arbitratu suo, quidpiam eis addere, aut demere.

Quòd si ob Latini sermonis imperitiam, aut aliud quoduis linguæ vitium, verba incongruè proferantur à baptizante, vt si hîc diceret, *Ego te baptizo in nomine Patr. & Filij, & Spirit. sancti*, Baptismus ratus erit non secus, modò sententia ipsa constet ac firma baptizandi voluntas adsit. Ratio est, quòd forma non tam à verbis, quoad sonum, & oris prolationem pendeat, quàm à significatione, quæ ex vsu accommodato ei competit: at quamuis oratio ineptè prolata, & corruptis syllabis expressa, nihil significet ex vera impositione hominum, valet tamen ex vsu accommodato: ab ea ergo vitium nullum trahit, quod eam ac Sacramentum vitiet.

Neque similiter ab omissione huius particulæ, *Amen*, hæc enim cùm de formæ non sit essentia, si prætermittatur, effectus Baptismi non propterea impeditur: peccat tamen baptizans qui eam omittit, vbi ab Ecclesia, in vsum est recepta, habet enim consuetudo vim legis, à qua discedere sine causa, nulli vnquam licet mortalium, nec licere potest sine culpa.

QVÆSTIO XX.

Quisnam sit Minister Baptismi.

Dico 1. *Quemuis, qui est sui, & rationis compos, siue mas sit, siue fœmina, esse posse Baptismi Ministrum, ad hoc vt valeat.* Ita Innoc. III. in Conc. Lateranen. generali. Et refertur in cap. firmiter de summa Trinitate, his verbis. *Sacramentum Baptismi quod ad Dei inuocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet, Patris, Filij, & Spiritus sancti consecratur in aqua, tam paruulis, quàm adultis, in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficit ad salutem.*

Assertionis hæc est causa, quòd Baptismus Christi voluntate medium sit ad salutem, in re vel voto necessarium, ergo decuit vt non alium eius Ministrum exigeret, quàm qui sui compos esset. Diuus Thomas 3. part. q. 67. art. 3. 4. & 5. Concil. Florent. in decreto Eugen.

Dico 2. *Peccare tamen, qui extra necessitatem baptizat, cui id ex propria officij sui functione non competit.* Diuus Thomas author quæst. 67. art. 3. ad 5. Tertull. lib. de Bapt. cap. 17. August. lib. 2. contra epist. Parmeniani, cap. 13. *Sed etsi nulla necessitate vsurpatur Baptismus, & à quolibet, cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis rectè dici possit illicitè datum.* Causa est, quòd ex directa intentione Christi, solus Sacerdos est per se institutus Minister huius Sacramẽti, ergo non est peccati futurus expers Clericus, aut laicus, qui baptizandi prouinciam sibi extra necessitatem assumet.

Dixi extra necessitatem, nam cùm mors timetur, Baptismum à quolibet etiam pagano & infideli, ægro conferri posse, habent Gelasius Papa, decretalis epist. ad Episcopos Siciliæ cap. 1. num. 9. Vrban. causa 3. q. 3. can. super quibus 4. can. in necessitate 21. can. constat 10. can. mulier 20. can. à quodam Iudæo 24. dist. 4. de consecrat. Meldensis Synodus sub Ludouico Iuniore, can. 48. Stephan. 2. in respons. cap. 10. Concil. Florentinum, in decreto de Armenis, vbi dicitur, *in causa necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus & mulier, imò & paganus, & hæreticus, baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit.*

Addidi à quolibet, vt indicarem me etiam hæreticos comprehendere, quos posse baptizare efficaciter, & validè narrat Augustinus tract. 6. in Ioannem, his verbis. *Sed*, inquies (Donatistas alloquitur, *habeo Sacramentum, verum dicis, Sacramentum diuinum est, habes Baptisma, & ego confiteor:* & tractatu 5. in 1. Ioann. *Non exhorreat columba*, id est anima Christiana, *ministerium malorum, respiciat Domini potestatem, quid tibi facit malus Minister, vbi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus praco, vbi benignus est Iudex?* & in Concilio Compendiensi sub Paulo II. *Si quis baptizatus est à Ministro [illegible] baptizato, & sancta Trinitas in ipso Baptismo est inuocata, baptizatus est:* quia vt habet Florent. in decreto Eugen. in casu necessitatis, non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imò etiam hæreticus & paganus baptizare possunt.

Assertionis duæ sunt causæ. Prima, quòd potest quilibet cum intentione debita, applicare subiecto materiam, formamque, super eo proferre, ergo & baptizare.

Secunda, cùm hoc Sacramentum necessitatis sit summæ, vt eius materia communis, & peruia esse debuit, scilicet aqua naturalis, sic oportuit eius collationem omnibus permissam esse in necessitate, extra quam, peccat, qui operam infidelis sibi, in hoc tam salutari ministerio postulat. Augustinus testis tract. 6. in cap. 1. Ioann. *Duo sunt quæ accepisti, & prater columbam, id est, Ecclesiam Catholicam accepisti, quod accepisti approba, quia foris accepisti, improba, tene ergo quod accepisti, non mutatur, sed agnoscitur, character est Regis mei, non ero sacrilegus, corrigo desertorem, non muto characterem.*

Dico 3. *Primò & per se, competere Episcopis, in re communi baptizare eos, qui sibi sunt subiecti.* Diuus Thomas qu. 67. art. 2. eius rei hæc est causa, quòd illis incumbat ex præcepto Christi, primò & per se, oues suas pascere, salutari Dei verbo, easdem cœlesti Sacramentorum pabulo reficere, Trident. Sess. 23. cap. 1. Adde 2. quòd ad eos pertineat, ante cæteros, aditum in Ecclesiam concedere postulantibus, quod cum per Baptismum fiat, erunt Romanus Pontifex, respectu quidem totius orbis,

orbis, Episcopi autem, respectu suæ diœcesis, proprij Ministri huius Sacramenti.

Dico 4. *Non conuenire presbyteris Sacramentum hoc conferre, proprio vlo iure, sed tantùm ex Episcoporum commissione.* Ita Concil. Vernense sub Stephano Papa 2. & Pipino Rege anno 755. canone 8. *Vt omnes Presbyteri qui in Parochia sunt sub potestate Episcopi esse debeant, & de eorum ordine nullus presbyter præsumat in illa Parochia baptizare, nec Missas celebrare sine iussione Episcopi in cuius Parochia est*: & Synodus Melden. can. 48. prohibet Presbytero, *ne baptizare præsumat, nisi causa ægritudinis, vel certè necessitatis*: similia habent Braccarense Concil. can. 51. vt refertur in can. omni tempore, dist. 4. de consecrat. Leo primus epist. ad Decentium cap. 3. Tertull. lib. de Baptis. cap. 17. *Dandi quidem*, inquit, *Baptismum habet ius, summus Sacerdos qui est Episcopus, debinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Ecclesiæ authoritate propter honorem.*

Assertionis hæc est causa. 1. Quòd Sacramentorum distributio, Iurisdictionis sit actio, quam Presbyteri vi suæ ordinationis, nullam habent in quemquam 2. Quia ad ouile, caulasque recipere, pastoris est, vel Domini, cùm concessio rei, aut vsus eiusdem, pars sit, aut effectus dominij in illam, at Ecclesia ouile est, Christiani oues, Ioann. 10. *Et ego cognosco oues meas*, & in persona Petri dictum est Episcopo Rom. *pasce oues meas.* Ioan. 20. quod assequitur prædicatione Verbi, & administratione Sacramentorum, maximeque Baptismi: ad eum ergo pertinet, primò & per se, illum conferre non ad simplices Presbyteros.

Dices, ante Bapt. nemo iuxta Trident. Sess. 14. cap. 2. subiectus est Ecclesiæ, ius ergo in Episcopis est nullum, illum administrandi præ Presbyteris. Negandа est consequentia, nam hoc ipso, quo Ecclesia, certa loca præstituit Episcopis, in quorum curam, salutemque inuigilent, iisdem quoque indirectè, ac secundariò subiicit, quotquot in iisdem locis degunt, in his quæ ad eorum spiritale commodum pertinent, vt est Baptismi receptio.

Dices secundò, haberi in decreto de Armenis, quod Minister huius Sacramenti sit Sacerdos, cui ex officio competit baptizare, malè proinde à nobis id negatum esse. Respondendum, vel nomine Sacerdotis, intelligi summum, hoc est, Episcopum, vel si more communi sumitur, sensum esse, ad Presbyteros spectare hoc ministerium ex officio, postquam eis est ab Episcopo commissum, vt enim per ordinem recipiũr potestatem, in verum Christi corpus, ita eiusdem ordinis ope ac beneficio fiunt idonei, quibus mysticum committatur, id est, fideles, qui Christi sunt membra.

Dico 5. *Baptizare non posse Diaconos, nisi ex commissione, aut in necessitate.*

Assertioni fides est à Patribus, Hieronymo, Gelasio, Isidoro, & Diuo Thoma, quorum postremus sic scribit, q. 67. art. 1. *Ad Diaconos non pertinet præbere aliquod Sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio, sed astare, & ministrare maioribus in Sacramentorum administratione*, quod ab Hieronymo, contra Luciferianos dictum video, *neque Presbyteri, neque Diaconi ius habeant baptizandi*: In id tamen incumbere posse, Episcopi voluntate, aut parochi, conuincunt primò illa verba quæ eisdem dicuntur, cùm Ordinem recipiunt, *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, prædicare.* Secundò. Eodem pertinent quæ in epist. ad Episcopos Lucaniæ scripsit Gelasius Papa, vt refertur can. Diaconos, dist. 93. *Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis Ordinibus longiùs constitutis, necessitas extrema compellat.* Causam reddit Isidorus, lib. 2. de Officiis, capite 24. nempe quòd communi iure, ac ex propria muneris sui ratione, solis Sacerdotibus, Baptisma sit tractandum, nec proinde eius mysterium, ipsis Diaconis explere sit licitum, absque Episcopo, vel Presbytero, qui cùm erit necesse, vti eorum opera poterunt, quam ad rem, duo tamen sunt necessaria, primum vt iustam aliquam causam habeant committendæ huiusmodi prouinciæ, qualis est, quæ ex necessitate petitur, non extrema illa quidem, quia tùm omnibus baptizare est licitum, sed moraliter notabili, cuiusmodi accideret, si Sacerdos omnibus baptizandis satisfacere ob multitudinem non posset, nec hi per negotia expectare possent in crastinum. Secundum, vt ea potestas ad certa tempora sit contracta, nam si daretur generalis & ordinaria, inter Diaconos & Sacerdotes, quoad hoc munus, discrimen nullum esset, quod penitus à vero abhorret.

Dico vltimò, *Baptizatum à quolibet homine extra necessitatis casum, rebaptizandum non esse.* Diuus Thomas 3. part. quæst. 67. art. 3. ad 1. quia talis est verè baptizatus, vt est probatum in prima Assertione: & confirmat Decretalis Nicol. Papæ, in can. à quodam Iudæo de consec. dist. 4. in qua asserit, baptizatum à Iudæo sub debita forma, iteratò lauandum non esse, quod ab eo fusè dictum ac generaliter restringi non potest ad casum solum necessitatis.

QVÆSTIO XXIII.

Dubia quædam explicantur de Ministro Baptismi.

PRimum, an Diaconus possit, absente Episcopo aut Parocho baptizare solemniter. Respondendum 1. id ei sine eorum facultate aggredi non licere, constat ex can. Diaconos 1. dist. 93. & 10. distinct. 4. de consecrat. nam ibi dicitur licitum illis non esse baptizare absque Episc. & Presbytero, id est, secundùm Glossam, absque eorum authoritate, seu commissione, ergo neq; solemniter.

Confirmatur, quia tali operi adiuncta est, Horsmisdæ Papæ 1. voluntate irregularitas: sic enim cap. 1. tituli de Clerico non ordinato ministrante. *Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* Quibus verbis indicat Pontifex, eum irregularem esse, qui baptizat solemniter, sine ordine ad id necessario, prout interpretatur Nauar. Enchir. 27. num. 242. ergo cùm ordo requisitus ad solemnitates Baptismi impertiendas, sit Episcopatus, aut sacerdotium, quo tamen caret Diaconus, has si inter baptizandum adhibuerit, irregularitatem contrahet

Respondendum 2. Diacono eam prouinciam ab Episcopo aut Parocho committi posse ex causa rationabili, quia iuxta Gelasium antè citatum, & Isidorum, baptizare potest Diaconus cum licentia Episcopi, aut Parochi, ex causa rationabili, etsi absolutè non necessaria: ergo cũ solemnitates, vtpote præceptæ ab Ecclesia, omitti nequeant sine graui necessitate, quæ omnem tollat peccati maculam, futuram, alioqui in violatione Legis Ecclesiasticæ, quæ illas adhiberi in Baptismo imperat, si

Digitized by Google

quando ab Episcopo, aut Parocho facultas indulgebitur Diacono baptizandi, ea non nisi de modo, quo id solemniter fiat, intelligi debebit ac poterit. Laym. de Sacram. Bapt. tract. 1. cap. 7. num. 3.

Dubium secundum, an Subdiaconus Baptismi minister esse possit, ex commissione.

Respondent aliqui esse non posse, quod Canones & Patres ante citati, Presbyteri & Diaconi meminerint, non alterius, sed pace eorum sit dictum, non facit ad rem hæc ratio, cum ex Patrum silentio, argumentum nullum etui certum queat, quod res implicet, nec enim negatio infert affirmantem sibi contrariam. Deinde quid repugnat, Subdiaconum à Papa, aut Episcopo deligi ad baptizandum suo nomine? quid enim habet hæc electio indecens? quid inuenustum? ac bonis moribus, B oppositum? nec enim fit Sacramento iniuria, vt patet, cum in necessitate possit dari à quolibet, nec Ecclesiasticæ legi, cum nulla sit, quæ id signatè ac disertè Subdiacono prohibeat.

Tertium, an sit etiam necessaria aliqua iurisdictio ad baptizandum, clam, & sine arbitris.

Dico primò. *Cum res urget, vt in extrema necessitate, facultatem particularem nullam, ab Episcopo, aut Parocho acceptam exigi: Eo quòd à laicis si necessitas urget, vt non illi, qui baptizati non sunt, in æternum pereant, licentia data est in hoc succurrere*; Stephanus Papa 2. in respons. 10. A quo verò est hæc (inquies) concessa cuique licentia?

A Deo, ac natura, qui hanc potestatem videntur non modo fecisse singulis, vt quacunque ope possunt, extremè miseros adiuuent, sed & imperasse, vt quod est tùm caritatis, ac prudentiæ, illis de remedio ad salutem opportuno prouideant.

Dico secundò. *Extra hæc tempora, permissum nulli esse baptizare, sine potestate iurisdictionis, & ordinis*: Quia vt dicetur postea, nemo extra casum necessitatis, baptizare domi debet, sine dispensatione, ergo nec sine iurisdictione, & ordine, conseq. probatur, ideo Baptis. publicè est conferendus, non domi, quod cùm solemni ritu, ac cæremoniis, ab Ecclesia præstitutis, dari debeat, At laicis in Ecclesiam progredi, ibique accingi ad Sacramentum eo ritu administrandum, quo id aggredi sacerdoti est permissum, per Ecclesiæ leges, iuraque non licet, sed soli Episcopo, ac Presbyteris, vera est ergo consequentia.

Dico tertiò. *Videri mihi eum peccare mortaliter, qui sine ordine, ac iurisdictione baptizat solemniter.*

Primò, quia per id fit irregularis, vt dicitur in titulo de Clerico non ordinat. ministrante, can. primo.

Secundò, quia cæremoniarum omissio, maximè solemnium, & quæ sunt in Sacramentorum administratione primæ notæ, est præcepti Ecclesiastici violatio, in re graui, ergo mortalis. Peccat item quilibet non sacerdos idque mortaliter, baptizans extra necessitatem non solenniter, quia in re graui vsurpat ius alienum Nugnus in 3. par. q. 67. art. 5. difficult. 3. conclus. 2.

A peratorum decreta, in priuatis priuatorum oratoriis, puerum Deo per Baptismum adiungere? præcise statuimus inquit Leo is qui sapiens est dictus, in Nouella 15. *Sicut de sacrificiis, ita etiam de sacro baptismate, vt id liceat peragere volentibus in omnium piorum loco.* Verùm enimuero exolenere hæ leges, nec in Ecclesiis vim habuere vnquam, repugnante loci antistite, nam si quis, κωλυθῇ παρὰ τοῦ ἰδιωτικοῦ ἀρχιερέως ἐκκλησίαν ἢ βαπτίσιμα ἐν οἴκοις ἢ ἕτερά τινα τοιαῦτά τι πραγματεύσηται, μὴ ἀπειλούσης, ἐκ τῶν νεαρῶν, quæ Latinè reddita sic habent, *Si quis ab eo qui regioni præerat, sacrificare, vel baptizare in oratorio prohibitus fuisset, si verò tale quid fecisset, deponebatur.* Balsam. in can. 31. synodi habitæ in Trullo & synodus ipsa expresè in can. 59. In æde oratoria quæ est intra domum Baptismus nequaquam peragatur, sed qui ab omnibus *sordibus alienæ illuminatione digni sunt, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illis munere perfruantur, si quis autem, quæ à nobis constituta sunt non seruare conuictus fuerit, si sit quidem clericus deponatur, si autem laicus segregetur.*

Duo tamen sunt tempora, in quibus id facere videtur esse cuique impunè, primum, cum baptizanti ab Episcopo eius rei potestas est, verbo, aut scriptis tradita, ita Ecclesia in can. 31. synodi paulò ante citatæ. *Clericos qui in oratoriis quæ sunt intra domos, ministrant vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere debere decernimus.*

Alterum est, cum Regum, aut Principum liberi C sunt baptizandi, aut talis *necessitas emerserit, propter quam, nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi.* Clem. V. in Conc. Vienn. & refertur lib. 3. Clementinarum titul. 15. de Baptismo; præter hæc duo tempora, non datur aliud, in quo, vllus extra Ecclesiam Parochialem loci, in quo natus est, baptizari debeat, Clem. ibidem, nisi baptizandus peregrinetur, vel certum domicilium non habeat, hoc enim casu, *aut in vicina sibi Ecclesia, aut in electa pro sua mentis baptizetur arbitrio.* Gelas. Papa in Epist. ad Fabian. Episcop. relatus 10. q. 3. can. nec numerus 10.

Quod ad tempora attinet conferendi Baptismi, fuere olim duo, ad hanc rem in Ecclesia, *Paschæ scilicet & Pentecostes à Romano Pontifice legitime præfixa.* Leo Papa in epist. 4. decret. tomo Concil. 1. D Syricius apud Grat. distinct. 4. de consecrat. can. 11. Concil. Moguntinum. sub Car. Magno can. 4. quare reprehensi à Leone Papa leguntur, eiusdem epist. cap. 10. *Qui Epiphaniæ festiuitatem, ob hoc existimabant priuilegium habere baptismatis quod in ea die Dominus ad Baptis. Ioann. accessisset.* Similiter reprehēsi sunt à Gallis Antistitibus, quotquot temerè contra Ecclesiæ antiquum morem, ad baptizandum, martyrum memoriæ sacratos dies, in Ecclesia sibi assumendos credebant, sic enim Concil. Cabilonense secundum can. 3. *Relatione quorumdam fratrum comperimus Christianos non obseruantes legitimum diem Baptismi per singulos dies, ac natales martyrum, filios suos baptizare, ita vt duo, aut tres reperiantur, in sancto Paschа, qui per aquam & Spiritum sanctum regenerentur, ideirco censemus, vt ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare.* E

Generale ergo Baptisma non nisi in sabbatho sancto Paschæ, & Pentecostes, celebrari olim solitum erat, de quo more Concil. Gerundense can. 15. & Gratian. multa, vt dist. 3. de consecrat. ca. celebritatem 5. eodem quoque, & dist. 4. can. non ratione, ca. duo tempora, ca. propriè, ca. de Catechumenis, ca. venerabilis, can. baptizandi.

QVÆSTIO XXII.

Vbi Baptismus sit conferendus & quando.

SI iura imperij, si leges, si morem Græciæ consulimus, causa planè est dicta, nam quis nescit, eius prouinciæ popularibus, fas olim fuisse per Im-

Neque tamen ea lege videntur comprehenſa esse neceſſitatis tempora, quæ tam ratio, quam Eccleſia ipſa excludit, *infirmis quocunque tempore conuenit Baptiſmum non negari.* Gerund. Conc. ca. 15. & proinde, vt habent Patres in Concil. Moguntino ſub Carolo Magno, quando duo tempora, id eſt, *Paſcha & Pentecoſte ad baptizandum præfixa ſunt, non eſt tamen interdicta licentia qua in Baptiſmo tribuendo quolibet tempore periclitantibus ſubueniatur. 1. quia inculpabile iudicandum eſt quod neceſſitas infert.* Ioann. 8. epiſt. ad Lemouic. Epiſcop. 2. quia vt habet Innoc. 3. de Preſbytero non baptizato cap. veniens. *Non malè de Sacramento, neque de Eccleſia, & eius præceptis ſentitur cum illud non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit*, non eſt ergo in vitio, Paſchæ & Pentecoſtes tempora ad baptizandum præſtituta ab Eccleſia non ſeruare, cum morbus aliquis vehementior, ex quo mors timetur, moras tantas non patitur, quæ quia omnibus, nunquam non molitur inſidias, maximeque præ cæteris, teneritudini infantium, ideo ſapientiſſimè fecit Eccleſia, dum quemlibet, quolibet tempore, ſacris admoueri vndis, eſt paſſa, ne quis eum caſus (qui in vita ſunt multi) ante opprimeret, quam Deo, & gratiæ, viuere inchoaſſet, & ita tam reſpectu adultorum, quam pueri, præceptum eſt de recipiendo Baptiſmo, primo quoque tempore.

De pueris res eſt aperta, cum eos corporis infirmitas nunquam non in apertũ ſalutis diſcrimen vocet. De adultis probatur Præcepto diuino tenentur omnes, ſalutaribus Baptiſ. aquis tingi, ſi locum ſibi eſſe velint inter electos, Deique amicos in cælo, Nam *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non introibit in regnum cælorum.* Ioan. 3. certum eſt ergo tempus quo impleri debet, non finis vitæ, ex Chryſ. ad cap. 7. Ep. ad Hebr. hom. 17. & refertur de conſecrat. diſt. 4. can. quando quis 128. Trid. ſeſſ. 7. de Baptiſ. can. 12. & verò eſt contra prudentiam, & amorem, quo ſe quiſque debet proſequi, ſe toto vitæ tẽpore priuare Sacramentorum fructu, vt facit, qui baptizari renuit, cum Bapt. ſit Sacramentor. ianua, non eſt ergo extrema vitæ periodus expectanda, ad Baptiſmum recipiendum, nec eius pars media, quia cùm certo neſciatur, qui ſint cuique viuendi fines præſtituti, nec de media eius parte conſtare vlli poteſt, quod ſi ignoratur, ergo in eam præceptũ nominatim non cadit cum eius implendi definita tempora eſſe debeant ad vitandum ſcrupulum, ſupereſt ergo vitæ initium, quod vt omnium aptiſſimum, voluit Eccleſia, inſignitum eſſe baptiſmate. Adultos ſanè diuino Chriſti ſeruatoris imperio teneri ad Sacramentum Bapt. ſuſcipiendum illico, ac poſſunt, Theologorum eſt opinio, vt Soti in 4. diſt. 5. q. vnica Vaſq. diſp. 149. cap. 4.

Ratio eſt, quod quiſque tenetur, cum poteſt, Deum colere, Sacramenta frequentare, Eccleſiæ, extra quàm ſpes ſalutis eſt nulla, nomen dare, at ad eam non niſi per Baptiſ. patet acceſſus, facit ergo contra Chriſti voluntatem, qui Baptiſmum in tempus futurum ſine neceſſitate reiicit, nec cum poſſet, eiuſque opportunitas foret non recepit.

Dico primò. *Ex parte ſuſcipientis adulti, requiri tanquam conditionem eſſentialem ad Baptiſmum, voluntatem illum recipiendi.* Hæc aſſertio tuetur ſe 1. authoritate Inn. 3. de Bapt. & eius effectu ca. maiores 5. paragr. verũ: ibi enim Pontifex, ait quod, *originale quidem peccatum quod ſine cõſenſu contrahitur, etiam ſine conſenſu per vim remittitur. Actuale verò quod conſenſu cõtrahitur* (qualia ſunt adultorũ) *ſine conſenſu minimè relaxetur*; & paragr. itẽ quæritur eiuſdẽ ca. hæc habet. *Ille qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti*, & paulò pòſt dicit eos qui contradixerunt Baptiſ. *Etſi ſic fuerint immerſi, characterem non ſuſcipere Sacramenti, ſecus autem ſi priùs Catechumeni extitiſſent & habuiſſent propoſitum baptizandi, vnde tales in neceſſitatis articulo Eccleſia conſueuit baptizare.* Innocentio addenda eſt ratio duplex.

Prima quòd Baptiſmus eſt profeſſio quædam fidei, ergo humana eſſe debet, at talis non eſt, niſi quæ voluntaria, ergo in adulto, ad effectum Baptiſmi, voluntas eum recipiendi eſt neceſſaria.

Secunda, eſt adultus, ſuorum actuum Dominus, ac proinde præcepta implere ſic poteſt, vt per ea mereatur vitam æternam, at extat præceptum de Baptiſmo, quod, vt quis voluntariè non poteſt impleve, niſi eius voluntatem actualem, aut virtualem habeat, ita nec illius impletio, eſt meritoria ſine ea voluntate, ergo conſenſus merentis exigitur.

Tertia, ad ſuauem Dei prudentiam pertinet, ſic ſe nobiſcum gerere, vt ad eius cultũ, obſequiumq; non cogamur. Quare cum de baptizando eo agitur, qui ſubito vi morbi, linguæ vſu eſt priuatus. *Sic debet baptizari*, inquit canon 12. Concil. primi Arauſic. *aut pœnitentiam accipere, ſi voluntatis præterita teſtimonium, aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.*

Dixi in adultis, quia nulla talis voluntas in paruulis requiritur, vtpotè qui illa careant, nec per ætatem eius ſint capaces, illam tamen habent interpretatiue, ex intentione Chriſti, & Eccleſiæ, cum ad Baptiſmum offeruntur, quem ex eorum voluntate, & præcepto recipiunt. *Ab vniuerſa namque ſocietate ſanctorum atque fidelium offerri rectè intelliguntur*, inquit Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifac. Epiſcop. *quibus placet quòd offerantur, & quorum ſancta atque individua caritate ad communicationem ſancti Spiritus abluantur, tota hoc ergo mater Eccleſia quæ in ſanctis eſt, facit, quia tota omnes, tota ſingulos parit.*

At ſæpè qui pro puero reſpondent, inquies à recta fide abhorrent, nec ad percipiendam ſpiritalem gratiam illum offerunt, ſed ob aliam aliquam cauſam. *Non intereſt, quia vt poſſit regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur conſecrandus facit hoc vnus Spiritus ex quo regeneratur oblatus, non enim ſcriptum eſt niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate ac offerentis, vel miniſtrantium fide, ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto.* S. Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum.

Ita patet reſponſionem Patrini & voluntatem actualẽ eiuſdem vt puer regeneretur, Baptiſmo eſſentialem non eſſe cum huic conferri validè queat ſine ſponſore, nam ſi per inobedientiam Adæ, peccatum originis contraxit, quidni per Chriſti obedientiam, ac voluntatem, reſpectu Baptiſmi, ei conferendi iuſtificari queat?

Obiicies, ſequi ex doctrina allata, voluntatem actualem in adultis, non eſſe neceſſariam, neceſſitate Sacramenti, quod enim in vno quopiam homine, hoc neceſſitatis genere, ac modo non exigitur, nec poteſt poſtulari in altero, cùm Sacramentã vbique ſint eadem.

QVÆSTIO XXV.

De ſuſcipientibus Baptiſmum.

QVæ conditiones ſint neceſſariæ neceſſitate Sacramenti ex parte ſuſcipientis, vt Baptiſmus ſit validus.

Maior eſt falſa, cùm enim res morales, cuiuſmodi ſunt Sacramenta, pro hominum conditione, ac varietate circumſtantiarum, mutari queant, cur non potuit Chriſtus, ad Baptiſmum adultorum, voluntatem eorumdem exigere? maximè cùm non deceat aliquem inuitum ſaluari, cùm qui fecit nos ſine nobis, non ſit iuſtificaturus nos ſine nobis, ſecundùm Auguſtinum, tractatu 72. in Ioannem: quæ ratio in pueris locum non habet; cùm enim tùm rationis vſu careant, velle cum prudentia, ac intentione, opera ſua, eorumque finem nequeunt, proindeque decuit Deum Eccleſiæ intentione contentum eſſe, & ita quod ſcripſit Auguſtinus de libero arbitrio, cap. 3. & refertur de conſecrat. diſt. 4. can. 7. *Piè rectèque credi poteſt paruulo prodeſſe fidem eorum à quibus conſecrandus offertur.*

A

Dico 2. *Sufficere tamen ad valorem Baptiſmi, vt conſenſus adulti voluntarius, quem neceſſarium eſſe diximus, neceſſitate Sacramenti, ſit præſens, aut præteritus, & non retractatus.*

B

Ita Innoc. III. in cap. maiores, §. item quæritur de Baptiſmo, vbi tria aſſerit. 1. Requiri in adultis conſenſum; quia ad ſuauem Dei prouidentiam ſpectat, ad ſacra Religionis myſteria inuitos non admittere, maximè rationis, ſinque compotes. 2. Non exigi conſenſu actualiter, & in ſe abſolutè præſentem, cùm Sacramentum ſuſcipitur, ſed ſufficere interpretatiuum, puta, quia in ſuſcipiente præceſſit eius recipiendi voluntas, quam poſtea non reuocauit, tunc enim morali æſtimatione cenſetur perſeuerare etiam in dormiente. 3. Sufficere conſenſum voluntarium quidem, ſed inuoluntario mixtum, qualis eſſet in eo, qui vi vel metu cogeretur ſacris Baptiſmi vndis perfui. Ratio Aſſertionis eſt 1. Chriſti inſtitutio, Traditione Eccleſiæ, eiuſque praxi firmata: Traditione quidem, quia eſt hæc hominibus à Pontificibus, Innoc. maximè, quaſi per manus tradita. Praxi autem, quia ſi quem eorum qui ſic ſunt baptizati, id eſt vi ac metu, & proinde voluntariè abſolutè, & inuoluntariè ſecundùm quid, à fide recedere contigerit, ad eam cenſuris ab Eccleſia reuocari ſolet, quod ſanè non faceret, niſi Baptiſ. in eo fuiſſet validus, nam cenſuris plecti non poſſunt, niſi ſubditi, Eccleſiæ autem ius in homines per Baptiſmum competit, fuit ergo hic metu, qui ex inuoluntario eſt mixtus, ab homine ſuſceptus, ratus, ac validus.

C

Dico 3. *Vt Baptiſmus recipi validè, & cum fructu queat, requiri, neceſſitate Sacramenti, vt recipienti collatus antè non fuerit.*

Cauſa eſt, quòd Baptiſmus Sacamentum ſit irreiterabile, ex Concilio Tridentino, Ergo, vt ſuſcipienti proſit, debuit antè ei non eſſe collatus.

D

QVÆSTIO XXVI.

Quæ conditiones requirantur in ſuſcipiente, neceſſitate præcepti, vt legitimè, & ſine culpa baptizetur.

E

PRima Aſſertio. *Neceſſaria eſt ex præcepto, adulto Sacramentum ſuſcepturo, eiuſque effectum, qui eſt gratia, & peccatorum remiſſio, recta in Deum fides. Iuſtitia* enim *Dei per fidem Chriſti*, ad Roman. 3. & ad Hebræos 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, & accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt.* Marci vltimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.* In puero autem ſufficit habitualis, quam cum Baptiſmo & gratia recipit, cùm ad huius Sacramenti effectum plura Deus ab eo non exigat, quàm ad eius concurrerunt ruinam: quare cũ Adã culpa ſola, præceps à gratia ruerit, ad Deum eſſe ei potent per Eccleſiæ fidem, in tenera adhuc ætate reditus.

Dixi in Aſſertione, ad effectum Sacramenti conſequendum, fidem eſſe neceſſariam, quia ſine ea Sacramentum eſt validum, eo quòd Baptiſmus non perficitur per virtutem, & fidem eius qui confert, aut ſuſcipit, ſed per virtutem Dei, can. Baptiſmus, de conſecr. diſt. 4. & cap. maiores, de Bapt.

Secunda Aſſertio. *Peccat qui adultum ad Baptiſmum, vi & metu cogit*: Quia vis & coactio, non abſunt ab Apoſtaſiæ periculo, cùm nihil ſit facilius, quàm eum qui impulſus eſt metu, ad hoc Sacramentum, relabi denuò ad antiquas idolorum cæremonias, iiſque implicari vt antè: Valet tamen Baptiſmus ſic collatus, vt quæſt. præcedenti oſtendimus, ſi modò ad eum coactus voluntatem attulerit.

Tertia Aſſertio. *Requiritur inſuper, ad vitandum peccatum, in ſuſcipiente, ſi adultus eſt, & extra neceſſitatem, vt habeat Sponſorem, quem aly Patrinum nominant, qui illum de ſacro fonte ſuſcipiat.* Id enim habet conſuetudo Eccleſiæ, cuius fit mentio, 3. q. 3. can. in multis, can. non plures, 101. diſt. 4. de conſecr. & can. in Catechiſmo, 100. eiuſdem diſtinctionis: quam conſuetudinem antiquiſſimam eſſe, ac ortam ab Apoſtolis tradunt Dionyſ. cap. 2. de Eccleſiaſtica Hierarchia, Clemens Romanus 13. Conſtitutionum Apoſtolicarum, Tertullianus de Baptiſmo, Diuus Auguſtinus 1. de peccatorum meritis, cap. 34. & epiſtola 23. ad Bonifacium. Ergo cùm ſit rationabilis, & præſcripta, proindeque vim legis habens, ne peccetur, eſt ſeruanda.

Eſt autem huic ſuſceptori, Patrini nomen, quòd baptizato eſſe debeat inſtar Patris, cùm eum inſtruere in fide & moribus Chriſtianis debeat, can. vos antè, de conſecrat. diſtin. 4. Et pueri loco, in Baptiſmo, & Catecheſi reſpondeat, ſe nuntium remiſſurum ſæculo, dæmoni, & carni, can. vos antè, citato, & can. 19. Arelatenſis Synodi, ſub Carolo Magno, ad annum 813. his verbis. *Vt parentes filios ſuos, & Patrini, eos quos de fonte lauacri ſuſcipiunt, erudire ſummopere debeant, illi quia eos genuerunt, iſti quia proles fideiuſſores exiſtunt.* Deeſſe huic muneri, peccatum eſt in Patrinis mortale. Diuus Thom. 3. part. q. 67. art. 8. niſi Parentes, Magiſtri aut alij, in id eorum loco incumbant.

Fuit & hoc in more priſcis ſæculis, nemo vt adultus tingeretur ſacris vndis, niſi benè de Religionis Catholicæ myſteriis inſtitutus. Auguſt. epiſt. 103. Matth. vltimo. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine*, &c. Ad eam inſtitutionem addenda erat & vnctio, decreto Patrum, in Concilio Conſtantinopolitano primo Oecumenico, can. vltimo, & Cabillonenſi 2. can. 3.

Quarta Aſſertio. *Requiritur inſuper in ſuſcipiente adulto, ne peccet, aliqua præcedentis vitæ deteſtatio, cum voluntate abſtinendi, impoſterum à culpa, & ſeruandi mandata Dei, & Chriſti legem.*

Eſt hæc Aſſertio fidei proxima, cùm Trident. Seſſ. 6. cap. 6. aſſerat, pertinere ad modum quo ſe quis ad iuſtitiam præparat, vt voluntatem nullam habeat peccandi, tendatque ad Deum, per odium & deteſtationem ſuorum ſcelerum: *Hoc eſt*, inquit, *per eam pœnitentiam quam ante baptiſmum agi oportet*, de qua Actor. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*, ad quam preces, ieiuniaque acceſſiſſe docet Iuſtinus in Apolog. ad Anto-

Digitized by Google

ninum, his verbis: *Qui crediderint vera esse quæ à nobis docentur, ac se posse ita viuere,* prius hi instruuntur ἐυχῇσι καὶ νηστείαις παρὰ τοῦ Θεοῦ παρεμπαρέσθαι ἀφεσιν, id est, *admissorum peccatorum remissionem, precationibus & ieiuniis à Deo postulare.* Astipulatur Iustino Tert. lib. de Baptism. cap. vlt. his verbis. *Ingressuros Baptismum orationibus crebris, ieiuniis & geniculationibus, & pernigilio orare oportet, & cùm confessione omnium delictorum.* quo nomine D. Th. 3.par.q.68.intelligit internam, *quia scilicet homo recogitans peccata sua de iis dolet, eaque Deo representat.*

Est ergo Pœnitentia in adultis necessaria ante Baptismum, cuius necessitatis causa prima est, quod sit malum ponere obicem gratiæ, qui effectus est primarius Baptismi, ponit adultus, qui Baptismo, Pœnitentiam non præmittit: est ergo eius omissio vitiosa.

Maiór est confessione omnium certa, est etiam minor verissima cùm sine Pœnitentia remaneat in adulto peccati conscio, volũtas peccandi habitualis, & auersio à Deo cum qua stare gratiam quis putet?

Secunda. Quia non decet eum, qui sponte, Deo, & gratiæ, peccando nuntium remisit, reditum ad eum sperare sine aliquo suo dolore, cum in redintegranda amicitia, cum his qui quempiam læserunt, sit hoc solenne vt testentur, se de admissis dolere, hancque esse causam existimo cur à Trid. sess. 14. c. 4. sit dictum omni tempore fuisse motum Pœnitentiæ necessarium, ad impetrandam peccatorum veniam.

QVÆSTIO XXVII.

Qualis esse debeat Pœnitentia adulti suscepturi Baptismum; vt consentaneè censeatur ad eum dispositus.

PRima sententia est Gab. in 4. q. 2. dist. 4. art. 2. post Magistrum in 4. dist. 18. exigentis in quolibet peccati mortalis conscio, tam pro Baptismo, quam Confessione, veram & propriam contritionem, id est perfectam, seu integram conuersionem ad Deum super omnia dilectum, à qua opinione non longè abit Nauarrus cum in Manuali cap. 1. num. 37. existimat, non alium dolorem sufficere, ad vim Sacramenti, quam qui putatur contritio, etsi in se & ex motiuo non sit nisi attritio.

Secunda est aliorum, priori opposita, ad effectum consequendum Baptismi, & Pœnitentiæ afferri posse solam attritionem etiam pro tali cogitam, id est, dolorem de commissis conceptum ex motiuo supernaturali.

Prima assertio. *Ad Baptismum sufficit attritio.* Ita D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. & in 3. par. q. 68. art. 4. & 79. art. 3. Henriquez 1. de Sacramentis cap. 22. num. 3. Suarez disp. 7. Sect. 4. §. occurrebat, Ægidius in 3. par. q. 62. de principali effectu Sacramentorum dub. 2. num. 24. &

Probatur, non alia dispositio, ad Baptismum requiritur, quam quæ exigitur ad remouendum peccatum in suscipiente, talis est attritio, est enim dolor de peccatis omnibus, qualis non cadit in eum qui iis afficitur, est ergo attritio sufficiens ad Baptismum dispositio.

Secundo, Baptismus ex sua institutione & per se, primam gratiam, ex opere operato, confert cùm nihil obiicitur quod ei moram faciat, & ideo dicitur à Theologis Sacramentum mortuorum. Id non accideret, si ei necessariò præmittenda foret contritio, cum hæc vtpotè vera ad Deum conuersio ac caritatis actio, iuxta illud Lucæ 7. Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum, esse non possit sine gratia, ac remissione peccatorum, & originalis inter cætera, quod nihil est aliud quam gratiæ priuatio non est ergo contritio necessariò præmittenda Bapt. ab adulto, tanquam requisita ad eum dispositio.

Nec negamus tamen posse aliquando cõferri primam gratiam sanctificantẽ homini extra Baptismũ, puta si eius receptionem antecedat contritio, sed cõtendimus esse hoc per accidẽs, cum à Deo sit Baptismus institutus, primo & per se ad dandam eam gratiam, quæ si per contritionem præuiam data baptizato fuerit, tum huic non prima gratia, sed eius augmentum conferetur per Sacramentum.

Secunda Assertio. *Attritio vt talis,* id est, *cognita, & putata, ad baptismum sufficit.*

Causa est quòd vnicuique sit liberum, sine culpa, per se & absolutè, intendere effectum Sacramenti, cuius causa est à Christo seruatore institutum: per hoc enim directè se illi conformat, at non potest suscipiens, intendere primo & per se effectum Baptismi, qui est prima gratia, si existimare debet attritionem quam ad Sacramentum affert, veræ contritionis, rem habere ac nomen, nec enim per actum aliquem efficaciter quis velle potest consequi effectum, quo iam est instructus, nisi sub conditione, ergo nec primam gratiam, nisi certò sciat se conscientia peccati teneri, sed contrarium ei probabiliter est credendum, qui se iudicat esse contritum: Ergo ad effectum Sacramenti Baptismi, non requiritur, vt attritio putetur esse contritio.

QVÆSTIO XXVIII.

An consensus parentum infidelium sit necessarius, vt validè eorum baptizentur liberi.

PRima Assertio. *Baptismus collatus liberis infidelium, parentibus inuitis licet & reclamantibus, est validus.*

Quia non eorum, sed baptizantium consensus, est de Sacramenti huius essentia, cum non baptizentur pueri secundum parentum voluntatem, sed Christi & Ecclesiæ.

Secundò applicatio materiæ ad formam, cum intentione Ministri, & habituali seu interpretatiua Ecclesiæ voluntate pro suscipiente, facit Baptismum, hæc tria in pueri infidelis causa reperiuntur etsi ei Baptismum dari parentes eius nolint, quę opinio est Gab. Vasq. disp. 154. cap. 6. Anton. 3. parte tit. 14. cap. 12.

Obiicies Baptismus non est validus collatus adulto, nisi consentiat, ergo nec infanti, nisi parentes assensum dederint.

Negandа est consequentia, causa est quod paruuli velle nequeant, vt adulti, quare instè exigi istorum consensus potuit, non illorum, eius loco sufficit interpretatiuus Christi, & Ecclesiæ secundum August. epist. 23. ad Bonifac. *Offeruntur* (inquit) *paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab vniuersa societate sanctorum & fidelium.*

Secunda Assertio. *Peccat qui filios infidelium, sibi non subditorum baptizat, iisdem repugnantibus.*

D. Thom. 22. quæſt. 10. art. 12. & in 3. par. quæſt. 68. art. 10.

Probatur, ſi baptizari pueri poſſunt parentibus iniutis, vel à Bapt. habito, ab eorũ poteſtate auocabũtur, vt in bonis moribus, fideque inſtituantur, & ita violabitur ius naturæ, & inferetur parentibus iniuria, illos priuando re ſua, vel relinquentur iiſdem, & ita Baptiſmo, & fidei irrogabitur iniuria, cum non ſecus, ac ſi nunquam baptizati fuiſſent, in infidelitate ſint educandi, conſequenter futuri Apoſtatæ, ac eripiendi Deo, cui ſunt per Baptiſmum conſecrati. Deinde, quamdiu filij vſu rationis carent, ſunt aliquid ſuorum parentum, tamquam res, & bona ipſorum, ergo eſt contra lumen naturæ, eos de ipſorum poteſtate ſubducere, ſi reſiſtant.

Obiicies. Licet ſine peccato, ſubtrahere filium furori Patris, cùm ei necem machinatur: ergo & cùm animæ eius, mortem inferre molitur, negatione Baptiſmi.

Neganda eſt Conſequentia, diſparitatis cauſa eſt, quòd primum, id eſt, mortem inferre innocenti, ſit apertè contra ius naturæ, iudiciumque rationis, non alterum, ſed tantùm contra legem fidei, quæ naturæ viribus, ac lumine capi nequit.

Deinde, puer aliter quàm per Baptiſmum, cùm adoleuerit, prouidere ſibi poterit, neceſſario remedio ad ſalutem, vt per contritionem aut amorem: quare, tanta non eſt eius ſpiritalis neceſſitas, extra caſum fati imminentis, quanta illius, cui à parente mors imminet.

Tertia Aſſertio. *Seruorum filij, ſi qui tamen adhuc ſunt vſpiam, poſſunt à Dominis vendi, & à cura parentum diſtrahi, qua ſeparatione facta, ſine eorum conſenſu baptizari poſſunt: idemque iudicium eſt de filiis eorum, quibus Chriſtiani iuſtum bellum inferunt.*

Probatur. Poteſt Dominus rem ſuam arbitrio ſuo dare, aut vendere; ſed liberi qui ex mancipiis Chriſtianis naſcuntur, ſunt iure quàm optimo Domini, poſſunt ergo eorum voluntate & imperio baptizari, viuunt enim ſub illorum cura, non parentum.

Quarta Aſſertio. *Licet Chriſtianis filios infidelium, non exemptos à cura parentum, baptizare, parentibus etiam inuitis, modò id fiat ſine ſcandalo, & ſit probabile, eos ſtatim à Baptiſmo recepto, aut ante vſum rationis, diem ſuum obituros.* Quia tum nec parentibus infertur iniuria, ſaltem notabilis, nec fidei. Non parentibus, quia cùm mors inſtet, non priuantur re aliqua, quæ ſibi ſit admodum futura vtilis, iniuria ergo, ſi quæ eſt, non niſi leuis eſt. Deinde, cùm maximum bonum puero detur, vtpote æterna ſalus per Baptiſmum, quam Pater velle liberis ſuis debet, ſubtrahi ſibi ideò queri prudenter non poteſt, ſaltem ad breue tempus. Non fidei, quia cùm puer, vt ſupponitur, verſetur in aperto mortis diſcrimine, periculum nullum imminet vllius abea Apoſtaſiæ.

Vltima Aſſertio *Infidelium ſubditorum filij baptizari poſſunt, ſi parentes conſenſerint.* Quia tunc deeſt iis querendi cauſa iuſta, nec periculum vllum eſt in prædictis liberis deſerendæ fidei, cùm de parentum voluntate Chriſtiani ſiunt.

Quid ſi tantùm alteruter parentum conſentiat? Reſpondendum ſatis id eſſe, quia iuſta ac laudabilis voluntas approbantis, Baptiſmum conferri filio eſt iniuſtæ alterius, ac illaudabili, quitepugnat, præferenda, in fauorem prolis innocentis, & fidei Chriſtianæ, vt colligitur ex cap. ex literis de conuerſ. infidelium, & can. Iudæi 10. cauſæ 28. q. 1. vbi expreſsè dicitur filios, qui ex coniunctione infidelis & Chriſtiani ſunt nati, matris conditionem ſequi, & in Conc. Toler. 4. can. 58. iubentur Iudæorum liberi, cùm ſunt baptizati, ſeparari à parentibus, ne eorum imbuantur erroribus.

QVÆSTIO XXVIII.

An fictio, Baptiſmi effectum impediat in adulto, & quid ei à Confeſſario, cùm ſciuerit ſuadendum.

POteſt hæc fictio oriri in ſuſcipiente ex duplici capite. Primò, ex eo quòd hic caret voluntate neceſſaria ad recipiendum Sacramentum.

Secundò, quia cum conſcientia mortalis culpæ animum ad illud applicat, ac proinde imparatus, & ad vtrumque quæſtionis ſenſum reſpondebitur ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio. *Fictio primo modo ſumpta, non modò Baptiſmi effectum impedit, ſed & ſubſtantiam.*

Cauſa eſt, quòd Sacramentum eſſe in adulto ratum nequeat, ſine eius recipiendi voluntate aliqua.

Secunda Aſſertio. *Fictio ſecundo modo intellecta Baptiſmum non impedit, ſed tantùm eius effectum.*

Probatur pars 1. Applicatio materiæ, cum prolatione formæ, & tam Miniſtri, quàm ſuſcipientis intentione debita, facit Sacramentum: At hîc concurrunt omnia, vt ſupponitur, cum his ergo ponitur Baptiſmus.

Secunda item probatur. Gratia eſſe non poteſt cum peccato, peccat adultus ſine pœnitentia, aut cum præpoſtera voluntate, affectuque ad peccatum, accedens ad Baptiſmum. 1. *Quia Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*, Sap. 1. Secundò, cùm pœnitentia ſit adulto ad iuſtificationem neceſſaria, ex dictis antea, eam omittere, eſt gratiæ obicem ponere, ergo & effectui Sacramenti, id eſt, gratiæ, cùm ſtare hæc cum peccato nequeat.

Quare eo ceſſante, ac vna quoque fictione, Baptiſmus prodeſſe baptizato incipit, Auguſtino teſte, lib. de Baptiſmo paruulorum, & Theologis, in 4. Sentent. diſt. 4. Cuius rei cauſa eſt diuino pacto, ac Sacramenti huius inſtitutioni, per Chriſtum tribuenda, cui placuit Baptiſmum, cùm ſit ſpiritualis regeneratio, ac peccati originalis abſterſio, ſublato obice remiuiſcere, Comitol lib. 1. Reſponſion. q. 19. num. 4. vel certè hic effectus Baptiſmum ſequitur, ſublato obice, eò quòd baptizatus characterem recipit, qui eſt forma ad quam remoto impedimento ſequitur gratia. Diuus Thom. in 3. part. q. 69. art. 10. & in 4. diſt. 4. q. 3. art. 2. quæſtiuncula 3. Patet hinc, remoueri obicem primò per actum fidei. Secundò, per pœnitentiam. Tertiò, per conſenſum ad Sacramentum, quæ tria cùm adſint, baptizatus gratiam Baptiſmi conſequitur, & plenam remiſſionem omnium peccatorum, quæ ad Bapt. attulerat, perinde ac ſi eum anteà ritè ſuſcepiſſet.

Obiicies. Auguſtinus eſt author, lib. de Baptiſmo, cap. 12. per gratiam Baptiſmi deleri peccata omnia, etiam odium, cum quo eum ſibi conferri eſt paſſus: falſum eſt ergo, fictione ſecundo modo ſumpta, præcipuum Baptiſmi effectum impediri, qui eſt gratia.

Neganda eſt conſequentia: & ad Anteced. reſpondendum, cum diſtinctione; Aut enim Auguſt. de Baptiſmo abſolutè conſiderato, loquitur, & ſe-

tundùm intentionem Dei, inſtituto ad ſpirituale bonum hominum, vel de eo agit, vt nos modò, reſpectiuè, ſcilicet, ad eoſdem, eorumque opera, quibus benè, vel malè affici poſſunt in ordine ad effectum eius conſequendum, ſi hoc ſecundo modo de eo diſputat, negandum eſt Antecedens, ob cauſam ante redditam, nempe quia qui fecit nos ſine nobis, nos ſine aliquonoſtro opere non iuſtificat, Auguſtino teſte in Ioannem, tractatu 72. ſi primo, concedendum erit, quia ex opere operato, & virtute ſibi data cœlitus, Bapt. peccata omnia expiat, deletque, niſi culpâ ſuâ baptizatus cœleſtem vim eius, diuinamque impediat, quod ſibi hîc, non Deo vertere debet vitio.

Obiicies ſecundò. Cauſa in eſſe cauſæ conſtituta cauſat, Baptiſmus, qui verè eſt talis, iuſtificationis eſt cauſa, quam in eo qualitatem non impedit fictio.

Diſtinguenda eſt Maior, qua parte, de cauſa loquitur, aut enim hæc tantùm eſt ſufficiens, aut efficax: ſi primum, non cauſat, niſi potentiâ: ſi ſecundum, actu quoque in effectum influit, ſed Baptiſmus non eſt cauſa efficax (quæ fuit minor) gratiæ in adulto, niſi tollat obicem, ſed tantùm ſufficiens, & ita Concluſioni poſitæ non officit obiectio.

Tertia aſſertio. *Cùm contritio extra confeſſionem, aut attritio ei iuncta fictionem tollat, ſuadendum eſt ei, qui eam ad Bapt. attulit, vt alterutra ſibi conſulat, id eſt, vera contritione, aut Sacramento cum dolore imperfecto.*

Probatur. Sacramentum illico producit effectum ſuum, ac obex tollitur, tollitur hic verò per contritionem: nam ponere obicem gratiæ, maximè actiuum, eſt ſecundũ Theologos ad peccatũ actu affici, ponere, negatiuum eſt illud per actum aliquem ſuum non deteſtari, vel ſine fide, ac diſpoſitione neceſſaria Baptiſmo tingi, quæ duo ceſſant dolore perfecto, cui nomen eſt contritio: vera eſt ergo Aſſertio.

Secundò, contritio conciliat homini gratiam ad ſalutem neceſſariam, at huius aſſequendæ ſpes nulla ſine Baptiſmo ſuppoſito præſenti rerum ordine, in quo Chriſto ita ſtatuente in cœlum aditus eſt nullus, non renato ex aqua & Spir. Ioan. 3. pendet hæc ergo à Baptiſmo in reuelato: reuiuiſcit ergo quoad ſuum hunc effectum & alios, ſublata fictione, per dolorem. Aſſertionis pars altera fuit per attritionem cum confeſſione eumdem quoque obicem tolli, cuius opinionis author Auguſtinus 1. de Baptiſmo c. 11. & 12. his verbis: *Tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegio perſeuerante, peccatorum ablutionem non ſinebat fieri.* Ab Auguſt. ſtant Sotus in 4. diſt. 4. q. 5. Adrian. in 5. q. de confeſſ. dub. 5. Durand. in 4. diſtinct. 4. q. 4.

Quid ſi eſt obex negatiuus duntaxat, nempe quia Sacramentum Baptiſmi ſuſcipiens, pœnitentiam, ac fidem ad eum non attulit, nec poſtea ſe peccato vllo mortali implicuit, ſolane attritio ſine confeſſione, ad redintegrationem baptimalis gratiæ ſufficiet? Scotus in 4. diſt. 4. q. 5. propoſ. 3. non exiſtimat. Secus quã illi ſentiũt, Sua. diſp. 18. ſect. 5. Henriq. lib. 1. cap. 4. cum Paludano in 4. diſt. 4. q. 5. & Ægyd. q. 62. dub. 6. num 92. res explicabitur Aſſertionibus ſequentibus.

Quarta Aſſertio. *Si accedens ad Baptiſmum ſine fide ac pœnitentia, exiſtimat probabiliter, eas ad illum non eſſe neceſſarias, vt remiſſus ſit, ſufficit attritio.*

Probatur. Per Sacramentum delentur peccata omnia, quæ illum præcedunt, niſi habitualiter, & intepretatiuè remaneant, quia ſic tantùm habent rationem obicis, ſed attritio facit, ne perſeuerent, nam tum manet peccatum homini habitualiter voluntarium, cùm per eius verum odium, aut ſaltem virtuale, ab eo non auertitur: Ergo à contrario tùm deſinet eſſe habitualiter voluntarium, cùm ab eo voluntas abhorreat, abhorret autem per attritionem, cùm pœnitere de admiſſis, id eſt, conteri, vel atteri, ſit ea odiſſe, odij autem eſt hoc proprium, abſtrahere voluntatem à re ſibi inuiſa, ſicut amoris eandem in illam impellere.

Quinta Aſſertio. *Si accedens ad Baptiſmum, intellexit ex præſcriptione Dei, naturaque ipſius reconciliationis adhibendam eſſe pœnitentiam, cum fide, nec tamen fecit, ſola attritio non ſufficit ei, ad effectum Baptiſmi recuperandum, ſed requiritur confeſſio attritioni iuncta, aut extra illam contritio.*

Quia omne peccatum admiſſum à membro Eccleſiæ, non remittitur niſi per claues, id eſt abſolutionem Sacramentalem, aut eius votum, ex Trid. Seſſ. 14. cap. 2. At omiſſio pœnitentiæ in ſuſcipiente Baptiſmum, eſt culpa, eaque membri Eccleſiæ, id eſt, baptizati propria, cùm de eo qui lauari voluit imparatus à pœnitentia dici poſſit, eum baptizatum eſſe, ſed indebitè, ac ſine diſpoſitione neceſſaria ad peccatum vitandum.

Secundò, ſi omiſſio pœnitentiæ, prout eſt culpabilis eſt Baptiſmo ſaltem naturâ poſterior, dici poteſt culpa baptizati, non alterius. Verum eſt Antecedens, nam tunc primùm adulto culpabilis eſt, cùm præceptum quo imperabatur, eſſe deſiit: non deſiit autem propriè niſi poſt inſtans, quo Baptiſmus completus eſt eſſentialiter, cùm ante illud pœnitentiæ ſit locus, adhibitaque ante hæc verba (Spiritus ſancti verbicauſa) tollat omnem culpam.

Confirmatur. Hæc fictio eſt accidens Baptiſmi, cùm ea poſſit deſtitui: at omne accidens eſt natura poſterius ſubiecto. Tertiò. illud eſt natura poſterius alio, à quo non valet retroargumentandi conſecutio: atqui ex eo quòd ſuſcipitur Baptiſmus, non ſequitur indignè percipi, ſequitur autem è contrà recipi, ſi detur, aut recipiatur indignè.

Quid ſi Baptiſmi gratia impediatur poſitiuè per peccatum mortale, vt furti, verbicauſa, aut alterius?

Sexta Aſſertio. *Si peccatum quod admittitur, dum ſuſcipitur Baptiſmus, præcedit inſtans, quo hic eſſentialiter completur, per ipſum dum reuiuiſcit, remittitur.* Ita Diuus Thomas, nam expreſsè q. 69. art. 2. aſſerit per Baptiſmum deleri peccata, quæ ſimul cum eo exiſtunt.

Secundò, hoc ipſo, quo peccatum prius eſt vltimo non eſſe Baptiſmi, cenſetur ante eum admiſſum: at peccata priora, Baptiſmo elui, eſt indubitata Doctorum opinio, ergo, &c.

Vltima Aſſertio. *Peccatum quod actu durat cum Baptiſmo, per illum, cùm reuiuiſcit, non remittitur, ſed per attritionem cum Sacramento, aut per contritionem extra illud.*

Probatur. Ea tantùm peccata per Baptiſmum condonantur, quorum cauſa, à Deo inſtitutus eſt in Eccelſia, tale non eſt admiſſum in eius ſuſceptione, ac cum eo continuatum: nam quis credat Baptiſmum à Deo ordinatum eſſe ad deletionem eius culpæ, quæ vim illius omnem tollit, quod hæc facit, quæ directè diſpoſitionem ad Sacramentum debitam impedit, quæ in actuali auerſione voluntatis à malo, eſt ſita, cui repugnat abſoluta in illo complacentia, qualis eſt eius, qui dũ baptizatur peccat.

Ex his facilis est probatio secundæ partis, nam si Baptismus solus ad remissionem huius culpæ non sufficit haud dubiè recurrendum est extra contritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ.

QVÆSTIO XXX.

Baptismi effectus qui sint ac quales.

PRimus est, hominem producere ad gloriam, renouare ad vitam, non corporis sed animæ Cypr. ep. 73. num. 6. *qui enim in nomine Iesu Christi baptizantur innouati iudicantur*, Baptismus ideo appellatur *innouatio*, ab August. lib. 2. de nuptiis, & concup. cap. 11. Balsamone in can. 9. Conc. Nicæni. *Natiuitas secunda*, à Cypr. epist. 73. *quia in Christo per lauacrum regenerationis nascimur.* ibid. Idque per gratiam, ac Spiritum sanctum, idem ib. num. 8. quæ gratia copiosè datur per Baptismum, *in quo homo vetus moritur, & nouus nascitur, & sic ad accipiendũ Spiritum sanctum factus est idoneus.* id. ib. *gratiam ergo vitæ cœlestis producit*, can. 4. dist. 4. de consecrat. *hominem de terreno cœlestem facit*, can. per aquam ibidem *corpori Christi mystico inserit*, can. ad hoc Baptismus, eadem distinct. idque per sanctificantem gratiam, quam, tam paruulis, quam adultis conferri in Baptismo definit Clem. in Conc. Vienn. & refertur Clementina 1. de summa Trinitat. parag. quibusdam. Confirmat D. Th. q. 69. art. 4. approbat Basil. in exhort. ad Baptismum. *Baptismus* (inquiens) *est animæ regeneratio, amictus splendens, character indeprehensibilis, cœlestis, regni cœlestis conciliatio, adoptionis gratia, sanctificatio animæ.* Cypr. epist. 55. ad Cornel.

Baptismi effectus secundus est delere peccata omnia, tam originis quam actualia. Cyprian. ep. 23. & 73. & de Bapt. Christi num. 4. de opere & eleemosyna num. 2. epist. 76. ad Magnum num. 7. De originali fit mentio de Consecrat. dist. 4. can. firmissimè, can. non potest can. filius Dei paragr. finali, can. nulla præter.

De actualibus ac originali loquitur August. tract. 5. in cap. 3. 1. Ioann. *Ecce accepit Sacramentum natiuitatis homo baptizatus, Sacramentum habet, & magnum Sacramentum, diuinum, sanctum, ineffabile, considera quale: vt nouum faciat hominem, demissione peccatorum.* Clarissimè de originali Cypr. in epist. ad Donatum 2. num. 2. *Sed postquam vnda genitalis auxilio, superioris aui labe deterſa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus Spiritu sancto, in nouum me hominem, natiuitas secunda reparauit, mirum in modum*, &c.

De actualibus Paulus, cum ad Ephesios, primo, ait nos electos in Christo, *vt essemus sancti, & immaculati, in conspectu eius*, quo modo autem id sit factum docet cap. 5. vbi ait. *Christus dilexit Ecclesiam & tradidit seipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* De vtrisque Florentinum in decreto de Armenis vbi ait, *huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro culpa debetur.* Quare damnati sunt olim hæreticos, qui negabant, recens natos infantes, baptizari in remissionem peccatorum, quod eos crederent iis teneri, ac infici peccatis non posse, quæ virorum sunt propria, quibus per ætatem, rerumque vsum nosse licet, quis sit in dictis factisque tenendus modus quod pueri priusquam nati maternaque adhuc inclusi aluo, facere nequeunt. Qua de hæresi his verbis Concil. Carthag. cui præfuit Cypr. Martyr. *Similiter placuit vt quicunque parnos, ac recens natos infantes, qui ex vtero matris baptizantur, neget in remissionem peccatorum baptizari, neque ex primi parentis Adam peccato, quidquam trahere, quod debeat lauacro regenerationis purgari sit anathema. Christus enim*, inquit, sanctus Fulbertus epistola prima, *ineffabilia nobis contulit Baptismi munera, per quæ superueniente primæ originis fine, ei commortui, & intra sacrum gurgitem consepulti de morte resurgeremus, vita emergente criminibus, vide quid egit misericordiæ artifex, tale tibi inuenit tumuli genus, quo sceret peccata sepelire, & peccatorem nescires obruere, vt descendente homine in fontem, tanquam in sepulchrum delictorum, reus exiret ad portum, & sola paterentur delicta naufragium.*

Similia habet Bern. in serm. de duplici Baptismo. *Scitis* (inquit) *quod in Baptismate abrenuntiantes diabolo Pater cœlestis adoptet, & in regnum filij claritatis suæ, de potestate transferat tenebrarum.* Concilium Carthagin. 4. can. 1. *Cum Episcopus ordinandus est examinetur, si in Baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam illa quæ voluntariè admissa sunt dimittuntur, credat. Fundamentum enim religionis Christiana est credere quod per Spiritum sanctum, in Baptismate fiat remissio peccatorum.* Concil. Parisiense lib. 1. cap. 1.

Tertius Baptismi effectus est, dare baptizato, cum gratia informante, virtutes omnes supernaturales, quia ab illa, separari hæ non magis possunt, quam proprietas à natura, cui est debita. Deinde vt habet Trident. sess. 6. cap. 7. id fit *in iustificatione impij, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret: vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem & charitatem.* Videnˇ vt gratiam consequantur fides, spes, caritas, at est de fide Baptismum producere gratiam in eorum animis quibus confertur ex forma rituque Ecclesiæ: dicuntur enim, hi in Conc. sess. 5. can. 5. excutere eius beneficio, veterem hominem, & nouum induere, qui secundum Deum est creatus, effeque per eum innocentes, immaculati, puri, innoxij, &c. habent ergo eiusdem ope, & beneficio, virtutes quibus hominem instrui est necesse, vt innocentiæ laude illustris, Deo placeat.

Quarto Baptizati per hoc Sacramentum ita Christo coniunguntur, vt filij eius sint & habeantur, Cypr. de orat. Dominica, hæredesque regni cœlestis August. epist. 108. ad Seleucianum de Bapt. Petri quia vt habet Cypr. loco proximè citato num. 8. *Quibus remissa peccatorum datur, eis filiorum nomen ascribitur, eis & æternitas repromittitur.*

Quinto ita Deo conciliantur Baptizati, vt in eo liberati ac redempti viuant, conseruentur, diuinoque illustrentur lumine, Rem miram narrat Cyprian. ep. 2. ad Donatum, factamque in seipso experientia certam. *Ergo postquam* (inquit) *vnda genitalis auxilio, superioris aui labe deterſa in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus Spiritu sancto, in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, faciliatem dare, quod prius difficile videbatur, geri posse, quod impossibile putabatur, vt esset, agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium viueret.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXI.

Quæ ſint Baptiſmi cæremoniæ.

PRimo omnium præmitti debet Baptiſmo, inſtitutio baptizandi in fide eiuſque myſteriis, can. ante Baptiſmum & ſequentibus diſtinct. 4. de conſecrat. eius inſtitutionis cauſæ multæ, præcipua, quod pro Catholico haberi non debeat, qui Symbolum & Orationem dominicam ignorat. *Ob eam cauſam, conſtitutum eſt à ſanctis Patribus, vt nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque à lauacro fontis alium ſuſcipiat, neque ad confirmandum coram Epiſcopo quenquam teneat niſi ſymbolum & Orationem dominicam memoriter tenuerit exceptis his, quos ad loquendum ætas minimè perduxit.* Synodus Conſt. 6. can. 7. Auguſt. hom. 3. ad Neophytos. *In hoc ergo fonte* (inquit) *antequam vos toto corpore tingeremus interrogauimus. Credis in Deum omnipotentem, & reſpondiſtis, Credo.*

Secundò catechiſmo exorciſmus eſt addendus, qui ritus etſi Caluino inſt. l. 4. cap. 18. ſect. 14. videatur eſſe ridiculus, eum tamen, perætque ac alia religionis Catholicæ inſtituta, vt antiquum, & pium, dilaudant Iuſtinus in dialogo cum Triphone, Tertull. lib. de corona militis & ad ſcapulam, Cyprian. epiſt. ad Demetrian. Auguſt. 10. de ciuitate cap. 22. de fide & operibus, cap. 6. lib. 2. de nuptiis cap. 18. Dionyſius Eccl. Hierarch. cap. 1. dum exſufflationis in dæmonem meminit quæ in exorciſmis exerceri ſolet. Lucius à Caſtrogalba in Concil. Carthag. cui præfuit Cypr. & Vincentius à Thibari: ibi enim negant hæreticos recipiendos in Eccleſiam, niſi exorcizati fuerint in Baptiſmo, ſunt enim exorciſmorum hi effectus in primis mirabiles, Arcere dæmones ne Sacramento moram faciant, eoſque ſi baptizandum eiuſque fortè membra occupaſſent fugare, ac procul pellere. De qua re conſulendus Cypr epiſt. 2. ad Donatum & 76. ad Magnum in earum vltima hæc habet. *Cum ad aquam ſalutarem atque ad Baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus & fidere quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus diuina indulgentia liberatur.*

Tertiò erat & hoc olim ſolenne baptizantibus, vt in os baptizati ter inſufflaretur, Aug. lib. 6. contra Iulia. cap. 2. & de Symb. lib. 1. c. 1. can ſi paruuli diſt. 4. & can. 6. eiuſd. diſtinct. 1.

Quartò poſt inſufflationem oſculum imprimebatur ori baptizandi cum his verbis, *Pax tibi*, Cyprian. lib. 3. epiſt. 8.

Quintò in Baptiſmi cæremoniis ponendus eſt aurium, ac narium contactus cum his verbis, *Ephetà*, quod eſt adaperire, vt ea tam voce, quàm opere baptizatus intelligat ſibi aures ad Dei verbum pandendas eſſe, nares autem nunquam non ad percipiendum æternæ fœlicitatis odorem, apertas oportere eſſe ac patentes Ambroſius lib. de his qui myſteriis initiantur cap. 1.

Sextò ſal in os pueri infertur primo, ad documentum ſapientiæ, qua cæteris gentibus præſtare Chriſtianum conuenit. Exinde ad exemplum innocentiæ, ac perennitatis, quibus laudibus doctrina Chriſtiana anteſtat ſectis hæreticis, per hanc enim. *Fœtor tabidæ carnis aboletur, & peruntia ſitu viſcera, aſperſo ſale in multam ſeruantur ætatem.* Ambroſius in cap. 22. Lucæ.

A Tertiò hoc ritu docetur puer, ſibi cùm adoleuerit ac vir inter viros erit, in id incumbendum eſſe, vt exemplo ſuo diſcat poſteritas, quam ſit ſuaue virtuti operam dare. Iſidorus lib. de officiis Eccleſiaſticis cap. 20. *Sal autem in myſterio catechumenis dandus à patribus, ideo eſt inſtitutus, vt eius guſtu, condimentum ſapientiæ percipiant, neque deſipiant à ſapore Chriſti, nec ſint fatui, & retro reſpiciant ſicut vxor Loth.* Baptiſmo autem præmittendũ eſſe, hunc ritum indicant Origenes & Concilium Carthag. primũ can. 5. cum negat. *Per ſolenniſſimos dies Paſchales, Sacramentum Catechumenis non dandum eſſe, ſed tantùm ſal ſolitum*: quo ſe cõditum eſſe iam inde ab vtero matris ſuæ, ſcribit Aug. lib. 1. Conf. cap. 11.

Septimò baptizando ſignum crucis imprimitur
B in fronte Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. Baſilius cap. 27. lib. de Spiritu ſancto. Auguſt. Confeſſ. 1. cap. 11. *Signabar*, inquit, *iam ſigno Crucis eius, & condiebar eius ſale iam inde ab vtero matris meæ.*

Octauò à baptizando exigitur, vt ſathanæ nuntium remittat, cuius conſuetudinis, ac cæremoniæ quam nouitiam eſſe mentiuntur hæretici, meminere Clemens capite 42. libro ſecundo conſtitutionum Apoſtolicarum Cyprianus epiſtola ſeptima ad Confeſſores & 54. & lib. de habitu virginum. Ambroſius cap. 2. lib. de his qui myſteriis initiantur. *Interrogauit te ſacerdos*, inquit, *abrenuntias ſathanæ, reſpondiſti abrenuntio, memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis.* Eſt autem abrenuntiare diabolo Tertulliano lib. de ſpectaculis, *idẽ quod contra illum eiuſque pompam eierare*
C Epiſc. Gallis, quod nolle cum eo quidquam commune ſibi eſſe, ſic enim illi in Concilio Pariſienſi can. 10. ſub Ludouico Imperatore & Lothario eius filio, *penitus eum reſpuere, ſpernere, reiicere, eique contradicere, ſeque, & vnumquemque ab eo alienare, pompa diaboli hæc eſt, qua eſt pompa mundi, id eſt ambitio, arrogantia, vana gloria, omniſque cuiuſlibet rei ſuperfluitas in humanis vſibus.*

Quare, *his paucis verbis* (inquit ſanctus Ephrem. interrogatione de abrenuntiatione in ſacro Baptiſmo facta) *cuncta quæ nominantur mala, quæque odit Deus, valere iubemus & abrenuntiamus*, valere dixi, in hac enim ſignificatione eo vocabulo Quintil. vtitur lib. 10. quæ eſt Græcæ vocis notio ἀποτάσσω, vſitatæ à Baſil. lib. de Spiritu, & Dionyſio,
D cum de hac renuntiatione loquuntur paſſim, nempè extremum vale dicere. At enim dicat aliquis quæ ſunt hæc dæmonis opera, quibus baptizandus renuntiat, *quæ vtique operibus ſalutaris contraria exiſtunt, primum ſuperbia quæ eum ex Angelo dæmonem fecit, cæteraque vitia, quæ ex radice prodeunt ſuperbiæ*, Concil. Pariſienſe citatum can. 10.

Habetque hæc abrenuntiatio pacti inſtar, hominem inter & Deum, verius ſponſionis ei factæ de fide religiosè ac ſanctè ſeruanda, cuius violatæ rei ſumus, quoties ad ſtudia vitæ prioris, turpi ac fœda mollitie animi relapſi, vitia virtuti præponimus Hieron. in cap. 5. Math. Et quanquam ſit hæc abrenuntiatio re vna & ſimplex, virtute tamen eſt
E multiplex, imprimis enim. *Aquam adituri* (inquit Tertull. de corona militis) *ſed & aliquanto prius in Eccleſia, ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo & pompæ, & Angelis eius.* Probabilius Hieronymus ad cap. 6. *Amos ei renunciamus*, inquit, *qui in occidente eſt, nobiſque moritur cum peccatis & verſi ad orientem pactum inimus cùm ſole iuſtitiæ, & ei ſeruituros nos eſſe promittimus*, ſicque, *conſtat* (verba ſunt Conc. Pariſienſis can. 9.) *vnumquemque fidelem Deo in Baptiſmate duarum pactionum*

H

nexibus se obligare, altera, qua abrenuntiare diabolo, A *& omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius, altera verò, qua se in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credere profitetur*, quòd conuersione sui in Orientē & Occidentē solem trino eius in Sathanam sufflamine tacitè efficit, his enim cæremoniis Baptismum conferri solitum colligitur ex his Dionysij Areopag. verbis, cap. 1. Eccles. Hierarch. *Deinde Occidentem versus conuersum, manus illuc obiectas habentem, atque protēdentem, insufflare illum ter in Sathanam iubet insuper, & τὰ πᾶσι ἀναντία*, id est quæ sunt abrenuntiationis, *profiteri, eique ter abrenuntiationis verbis propositis, cum toties verbis conceptis illud pronunciauit, ad Orientem transfert.*

Nonò, ad Baptismi ritum pertinet, quòd aqua B in qua tribuendus est, concepta prece, antè benedicta sit à Sacerdote. Basilius in Psal. 28. & lib. de Spiritu sancto, cap. 27. Cyprianus lib. 1. epist. 12. *Oportet ergo mundari, & sanctificari aquam prius à Sacerdote, vt possit Baptismo suo, peccata hominis qui baptizatur abluere.*

Decimò, puero nomen inditur, nec alterius, decreto Concilij Nicæni, can. 33. iuxta Turriani Versionem, quàm quod Christiani extitit: & quoniam nobis cum hæreticis communio esse nulla debet, Testamenti veteris nomina, quibus hi in liberorum appellatione vti solent, vitanda sunt Catholicis, nec quantum commodè potest, à Sacerdote, sponsorum prece, imponenda sunt puero quem abluit.

Vndecimò, baptizandus vngi debet, Iustinus in Responsion. q. 137. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27. *Consecramus aquam Baptismatis, & oleum vnctionis, praterea ipsum qui Baptismum accipit.* Faciendæ autem huius vnctionis, duo potissimùm sunt tempora, ac loca. Primum Baptisma antecedit, alterum, illud iam collatum subsequitur, prior simplici fit oleo, in scapulis, ac pectore, indicatque Christianum athletæ more, armari ad prœlia, inungi ad certamina, Chrysostomus, homilia 6. in cap. 2. ad Colossenses, Iustinus Martyr in dialogo cum Triphone.

Vt vt sit de materia, de re ambigi certè nequit, cùm eius meminerint Theodoretus, lib. hæreticarum Fabulatum, Ambrosius libro 1. de Sacramentis cap. 2. Augustinus tractatu 33. in Ioan. *Ideò autem nos vnxit*, inquit, *quia luctatores contra diabolum fecit.*

Præter hanc, adhibita quoque alia est in Baptismo vnctio, à priori diuersa, materia, loco, tempore; eius enim materia est Chrisma, locus, vertex capitis, tempus, illud ipsum quod Baptisma subsequitur: Chrismatis meminere Iustinus in Dialogo cum Triphone, August. sermone 26. de tempore, Cyprianus ep. 70. ad Ianuarium. Concilia Braccarense 2. can. 4. Arausicanum primum can. 1. in priore enim prohibetur, *Ne balsamum quod benedictum, pro Baptismi Sacramento per Ecclesias datur, amplius vendatur, ne fortè quod pro salute animarum per inuocationem Sancti Spiritus consecratur, venundari damnabiliter videatur.* In Arausicano autem primo, Sacerdotibus dicitur, ne in publicum baptizaturi prodeant destituti Chrismate ad vngendum, sic can. numero primus: *Nullus Ministrorum qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate debet vsquam progredi, quia inter nos semel placuit in Baptismate chrismari: de eo autem qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur, nam inter nos chrismatis vnius non nisi vna benedictio est, non vt praiudicans quicquam dico, sed vt necessaria habeatur Chrismatio repetita.* Significat autem hæc vnctio in vertice, vt ait Catech. Rom. p. 2. de Bapt. num. 57. *Baptizatum ab eo die Christo capiti tanquam membrum coniunctum esse, illudque eius corpori insitum, & ea re Christianum à Christo, Christum verò à Chrismate appellari*, Eodem pertinet hæc Cyrilli oratio catech. 2. mystagog. *Exorcizato oleo, à summis capillis, ad infimos vsque, perunctis estis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Iesu Christi: illud ergo exorcizatum oleum, symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, & quod omne vestigium diabolicæ operationis in nobis deletum est.*

Duodecimò, baptizato lac, mel, & vinum porriguntur, ad argumentum renouatæ animæ, sicut in flore primo ætatis, ac infantiæ, quo maximè tempore lactis est vsus, ad pueri vitam, quare baptizatos admonet Apostolus, vt quasi modo geniti infantes lac concupiscant Christianæ disciplinæ, ac gratiæ.

Eiusdem manibus Cereus ardens inseritur, qui authore Gregorio Nazianzeno, oratione in sanctum Baptisma. *Illius luminum gestationis figuram gerit, cum qua splendida & virgines animæ, splendidis fidei lampadibus, Christo sponso obuiam prodibimus, ne per Ignauiam, socordiamque dormientes, ne inscientibus nobis, is cuius aduentus expectatur, inopinato adsit, nec alimento & oleo, bonisque operibus carentes à nuptiali thalamo excludamur.*

Postremò, baptizatus veste candenti induitur, ad C indicandam animi munditiem, qua decorus est per gratiam. Dionys. Eccles. Hierarc. cap. 2. aut si fides est Ambrosio, lib. de initiandis cap. 7. *Vt fit indicium quod exuitur inuolucrum peccatorum, induitur autem innocentiæ casta velamina, de quibus dixit Propheta, Aspergis me Domine hyssopo*, &c.

EPITOME TRACTATVS PRÆCEDENTIS,

De Baptismo, cum probationibus petitis ex Conciliis, Canonibus, ac Patribus.

Cap. 1. EST Baptismus, *regeneratio ex aqua & Spiritu S.* Conc. Valentinum sub Lothario Imperatore & Benedicto III. can. 5. Melchia. in Ep. decretali ad Episc. Hispaniæ. *Obsignatio fidei.* Tertull. de Pœnit. *fons vitæ.* Cœlest. epist. 1. c. 12. *Sacramentum regenerationis*: ibid. *Visibile Sacramentum, in quo corpus abluitur*, dist. 4. de consec. can. 1. vel vt ibi ait Glossa: *Ablutio corporis exterior, sub forma verborum: Mors criminum, vita virtutum.* Cypr. epist. 2. lib. 1. ad Donatum. *Mentis illuminatio.* Valentinum canone citato, Sexta Synodus Constantinopolitana, can. 59. *Sacramentum in quo confertur animarum ablutio, & peccatorum remissio.* Cypr. tract. de Baptismo Christi *Magnum Sacramentum* Melchiades Papa in citata epistola, *Nati-*

Digitized by Google

uitas ſecunda. S. Fulbertus epiſt. 1. ad Adeodat. *Scimus, & verè ſcimus, in prima natiuitate pollutos ſecunda nauitate mundatos, prima natiuitate captiuos, ſecunda liberos, prima terrenos, ſecunda cœleſtes, per illam filios iræ, per iſtam filios gratiæ.* Vocatur item à Leone I. *Principale Sacramentum*: à Cypriano tractatu de ablutione pedum, *Fons gratiæ ſingularis, flumina creans in vitam æternam ſalientia, unctio medicinalis corruptionis primitiuæ, fermentum expurgans*, ibi. *vnda genitalis*, epiſt. 2. *lauacrum vitale*, ep. 73. ad Iubaianum, quod lauacrum à Confirmatione diſtinctum eſt, 1. materia, 2. effectu, 3. Miniſtro. *Si quidem in Baptiſmo regeneramur ad vitam poſt Baptiſmum verò confirmamur ad pugnam, in Baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur.* Melchiades in epiſtola allata, ex quibus apparet, *quòd Baptiſmus eſt maioris neceſſitatis, manus verò impoſitio maioris dignitatis ex Miniſtro*, idem ibidem.

Cap. 2. Vt in Altaris Sacramento tria ſunt, *Sacramentum', & non res, Sacramentum & res, tertium, res & non Sacramentum*, ſecundum Innocent. III. in cap. cum Marthæ 6. §. diſtinguendum, de celebrat. Miſſarum, ita & in Baptiſmo reperire eſt aliquid, quod eſt Sacramentum tantùm, vt ablutio exterior corporis, quæ eſt ſignum viſibile, inuiſibilis effectus, puta ablutionis animæ, per condonationem peccati contracti in Adamo. Eius porrò remiſſio internaque gratiæ effuſio, res eſt dicti Sacramenti, res eius & Sacramentum ſimul eſt character, quæ eſt qualitas quædam ſpiritalis, ex dictis antea.

Cap. 3. Baptiſmi effectus præcipuus eſt culpæ originalis abſterſio, Trident. Seſſ. 5. can. 5. can. ex quo 6. Fulbertus loco proximè citato. Gregor. lib. 4. Moralium, & refertur in can. autem 5. de conſecrat. diſt. 4. can. Filius Dei, can. vt oſtenderet, can. à paruulo, can. quiſquis, can. non ex quo, §. item meminiſſe, eadem diſt. & cap. 1. §. Sacramentum de ſumma Trinitate, dicitur *quòd tam paruulis quàm adultis, in forma Eccleſiæ à quocumque collatus proficit ad ſalutem, quia per Baptiſmum regenerantur ad vitam.* Melchiades in epiſt. citata, *Chriſto incorporantur, & eius membra fiunt*, diſt. 4. de conſecr. can. ad hoc Baptiſmus, per eum Diabolus vires amittit, ibid. Arridet mihi inter cæteras de re præſenti Cypriani ſententia de ablutione pedum, num. 4. *In originalibus corruptio naturæ abiicis, & exterminari meruerat, ſed quia non erat voluntas in culpa, prouidit Deus generali damnationi remedium, & ſuæ ſententiam iuſtitiæ temperauit, hæreditarium onus à ſobole removens, & miſericorditer ablutione & vnctione medicinali, corruptionis primitiuæ fermentum expurgans.*

Quare ſine eo, nec remitti culpa originalis, nec quis gratiam vitæ cœleſtis poteſt conſequi, de conſecrat. diſt. 4. can. firmiſſimè tene 3. can. Filius Dei, 8. §. finali eiuſdem diſt. niſi defectum ſuppleat eius votum, aut conuerſio cordis ad Deum, can. Baptiſmi vicem, can. ſic vt in Sacramentis, aut Deus non baptizato ſua benignitate ſuccurrat, *complendo*, inquit Auguſt. lib. 4. contra Donatiſt. cap. 22. *quod non ex voluntate defuit, & ita regeneratio ſeluat per ſe mox in pace beati ſæculi recipiendos.* Melchiad. in epiſt. citata.

Et quia per Baptiſma confertur gratia Clementina prima, §. 1. ad hoc, verſu verum, de ſumma Trinitate, quæ conuerſatione atque actu noſtro poſtmodum vel augetur, vel minuitur, de conſec. diſt. 4. can. nec quemquam 127. ideò homo per hoc Sacramentum è terreno cœleſtis fieri dicitur, A can. per aquam 9. eodem titulo, à Fulberto in epiſtola citata, *noua creatura*: & à Tertul. ano, lib. de Bapt. *Primis aquis præceptum eſt animas proferre, primus liquor quod viueret, edidit, ne mirum ſit in Baptiſmo, ſi aquæ animare nouerunt.* Similia habet Cypr. epiſt. 2. ad Donatum. *Difficile ac durum videbatur*, inquit, *pro illis tunc moribus, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renaſci denuò poſſet, vtque in nouam vitam lauacro Saluatoris animatus quod prius fuerat deponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret.* Eodem ſpectare videntur quæ à Paulo ſunt ſcripta ad Titum 3. *Baptiſmum videlicet lauacrum eſſe regenerationis & renouationis*: à Cypr. ep. citata *eſſe genitalem vndam.*

B Nec modò delet Baptiſma culpam originalem, ſed quamlibet aliam ante Baptiſmum contractam. Leo ep. 84. & can. non poteſt quis 4. de conſecr. diſt. 4. Trid. Seſſ. 7. cap. 7. Florent. in decreto vnionis. Auguſt. in epiſt. 1. Ioan. tract. 4. eſt hæc oratio. *Antequam nos debita noſtra addamus, de illa damnatione naſcimur. Nam ſi cum nullo peccato naſcimur, quid eſt quod cum infantibus, ab Baptiſmum curritur, vt abſoluantur*: & paulò poſt, opponens Chriſtum Adamo, ait ab'vtroque nos originem trahere, ſed diuerſo modo. Natiuitas quæ eſt ab Adamo, *trahit ſecum peccatum*, natiuitas cuius author eſt Chriſtus, *liberat à peccato.* De qua re plura idem in Enchiridio, cap. 43. & & lib. 6. contra Iulianum, cap. 5. Hieronymus epiſtola ad Oceanum, Gregorius Papa I. in epiſtola Decretali ad Quirinum 6. C cap. 3. his verbis, *Sic quippe omnes qui in ſancto Baptiſmate tinguntur eorum peccata præterita laxantur, quia eis velut Ægyptij hoſtes à tergo moriuntur.* Leo I. epiſtola Decretali ad Nicætam 84. *Lauamur igitur in Baptiſmo*, inquit Bernard. *quia deletur chirographum damnationis noſtræ, & gratia hæc nobis confertur, ne iam nobis concupiſcentia noceat, ſi tamen à concupiſcentia abſtineamus.* Bern in Cœna Domini de ablutione pedum & Baptiſmo. Cypr. de ablutione pedum. *De abdito & ſecretiſſimo Spiritus ſancti munere, huius gratiæ liquor emanat, ſic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula aliqua ſui poſt ablutionem illam, veſtigia derelinquat.*

D Cum ea autem pœnam quoq; diuino iudicio debitam Baptiſmus obliterat. Florentinum in decreto vnionis. Trid. Seſſ. 14. cap. 2. Ambroſius in caput 11. ad Romanos. Auguſtinus 1. retractationum, cap. 13. & epiſt. 50.

Cap. 4. Baptiſmus conſtat aqua cap. 1. §. Sacramentum, de ſumma Trinitate, cap. penultimo de Baptiſmo, can. neceſſarium, primo de conſecr. diſt. 4. can. per aquam 9. can. nunquam 10. eod. tit.

Aſtipulatur Leo ſerm. 4. & 5. de Natiuit. & Chryſoſt. hom. 25. in Ioan. vbi hæc habet. *Quod eſt mater embrioni, hoc eſt fideli aqua, ſiquidem in* E *aqua fingitur & formatur, ex quo autem Iordanis alueum ingreſſus eſt Chriſtus, non amplius reptilia animarũ viuentium, ſed animas rationales producit aqua.*

Quæ aqua modò naturalis, ac hominum vſibus ſit accommodata, materia eſt remota huius Sacramenti. Florentinum in decreto vnionis: proxima, eius applicatio ad corpus pueri. Sotus in 4. diſt. 3. art. 7.

Siue fiat per trinam merſionem, vt cauetur, can. poſtquam 78. can. ſi quis Presbyter 79. de conſecrat diſt. 4.

Siue per vnam tantum, vt à Gregorio primo

Leandro Hiſpalenſi cæteriſque Hiſpaniæ Epiſcopis permittitur lib. 1. Epiſtolarum Epiſtola 41. & refertur can. de trina 80. de conſecrat. diſt. 4. & in Conc. Tolet. 4. can. 5.

Siue per infuſionem vt poſſe fieri habent ſtatuta ſynodalia Lugdunenſis Eccleſiæ, ſub Cardinali Turnonio cap. 1. Modo tamen ſit hæc tam infuſio quam aſperſio tanta, hominum prudenti ſenſu, quanta exigitur vt quis dicatur lotus, quod cùm accidit. *Siue ſimplà, ſiue trina merſione cenſetur infans baptizatus, quia in illa trina merſione triduana ſepultura Sacramenta ſignificamus, vt dum tertio infans à Baptiſmo educitur, reſurrectio triduani temporis exprimitur, etiam & Trinitas deſignatur. In ſimplà verò merſione, vnitas ſubſtantiæ in Trinitate datur intelligi.* Conc. Tolet. 4. can. 5. Hanc poſtremam adhubebant Hiſpaniæ populi non priorem, quod nihil ſibi cum hæreticis commune eſſe vellent. *Ne tamen hæreticis videamur conſentire, qui tertio merguntur, dum eorum morem ſeruamus, cautum eſt ne in Hiſpania fiat Baptiſma, niſi vna merſione* concludunt. Epiſc. in Conc. Tolet. 4. can. 3. Quam eis mentem iniectam fuiſſe à Greg. 1. indicant hæc eius verba. *Sed quia nunc vſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertio mergebatur fiendum apud vos non cenſeo, nedum merſiones numerant diuinitatem diuidant.* Greg. in epiſt. ad Leandr. lib. 1. epiſt. 41.

Fuiſſe tamen Eccleſiæ Gallicanæ morem, ab iſto diuerſum, declarant quæ ſunt ſcripta à Fulberto in epiſt. 1. his verbis. *Requiritur ſanè in Baptiſmi Sacramento aqua propter ſepulturam, Spiritus ſanctus propter vitam æternam, illa ſimilitudinem mortis imitatur, iſte veritatem ſalutis operatur. Sed audi Apoſtolum an ignoratis quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus? & cùm dixiſſet conſepulti, magnificè adiecit. Si complantati factiſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Sicut ergo Dominus noſter Ieſus, tribus diebus, & tribus noctibus corporaliter, ſub terra ſepulchro conditus fuiſſe deſcribitur, & homo ita ſub cognato terræ elemento trina vice demerſus operitur, ac ſic vitalis imitatione myſterij dum demergitur, ſepelitur, dum educitur.*

Cap. 5. Forma Baptiſmi in his verbis conſiſtit, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vigilius Papa Epiſtolæ decretalis capitulo ſecundo, tomo Conciliorum 2. Xantonenſis Synodus can. 3 de Baptiſmo, Lugdunenſis ſub Cardinali Turnonio. Florentin. in decreto vnionis Armenorum. *Non tamen negamus*, inquit Eugen. ibi. *quin & per illa verba baptizetur talis ſeruus Chriſti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, verum perficiatur Baptiſma.* De hac forma detrahere quidpiam quod ad eius eſſentiam pertinet, eſt eam omnino perdere. Vigilius loco citato.

Maximè autem fieri in ea debet ſanctæ Trinitatis inuocatio, eaque expreſſa, ac diſtincta, can. ſi quis Presbyter 79. can. multi ſunt 82. can. item in ſynodo 83. diſtinct. 4. de conſecrat. & cap. primo §. Sacramentum de ſumma Trinitate. *Baptizamur*, inquit Damaſus epiſt. 1. *in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & non in Archangelorum nominibus ſicut hæretici.* Quia vt habet Leo epiſt. 4. cap. 3. *Dominus Ieſus diſcipulis ſuis, & formam & poteſtatem tradidit baptizandi dicens euntes docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Quare *perfectum Baptiſma non eſt*, inquit Didimus in lib. de Spiritu ſancto, *quod datur in nomine Patris, & Filij, ſine aſſumptione Spiritus ſancti, aut rurſus in nomine Patris, & Spiritus, prætermiſſo filij vocabulo.* Idem habet Ambr. lib. 2. de Spiritu ſancto. Quamobrem ſtatuit Vigilius, *quod ſi quis Epiſcopus, aut Presbyter iuxta præceptum Domini, non baptizauerit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſed in vna perſona Trinitatis, aut in duabus proiiciatur de Eccleſia Dei*, epiſt. 1.

Cap. 6. Non eſt item perfectum Baptiſma datum ſuppreſſa hac particula, *In nomine*, eo quòd forma indicare vnitatem Dei debeat, quæ tamen propriè, ac diſtinctè, non exprimitur alia voce quam iſta, *In nomine.*

Et quia Baptiſmus conſtat forma & materia, partibus duabus ſibi eſſentialibus. *Accedit*, enim, *verbum ad elementum & fit Sacramentum*, inquit Auguſt. Ideo Patres eum dixere aqua & ſpiritu fieri can. neceſſarium. 1. de conſecrat. diſt. 4. & clare S. Fulbertus epiſt. 1. *Proinde*, inquit, *aqua & Spiritus ſanctus ſociantur cauſis, ſed beneficiis ſeparantur, requiritur in Bapt. aqua propter ſepulturam, Spiritus ſanctus propter vitam æternam.* Dixere alij ſic conſtare verbo & aqua, vt deficiente eorum altero, Sacramentum deſinat cap. 1. §. Sacramentum, de ſumma Trinitate, cap. penultimo de Baptiſmo.

Cœtum autem fidelium regenerari ex aqua & Spiritu ſancto, ac per hoc Eccleſiæ incorporari, & iuxta Doctrinam Apoſtolicam in morte Chriſti baptizari, & in eius ſanguine ablui. Dixit Concilium Valentinum celebratum tempore Lotharij anno 955. can. 5.

Cap. 6. Quilibet Baptiſmi miniſter in neceſſitate eſſe poteſt, Gelaſius Papa primus in Epiſtola decretali, Concil. Lateran can. 1. Concilium Vernis habitum can. 7. Florentin. ſupra, ordinarius autem, & ex officio ſolus ſacerdos quod non impedit quominus baptizet in neceſſitate non baptizatus, can. ſolet 31. can. Romanus 23. de conſecrat. diſt. 4. Auguſtin. de vnico Baptiſmo lib. 7. cap. 53. Laicus item can. in neceſſitate 21. can. ſi quis neceſſitate 16. Gelaſ. epiſt. 1. cap. 9. Similiter & Iudæus can. à quodam Iudæo. de conſecrat. diſt. 4. ſecundum Florentinum ſupra, mulier, ac verò etiam hæreticus, aut quilibet alius à religione extorris Nicol. ad conſulta Bulgar. c. 16. quod etiam traditur can. ſi qui apud illos, can. ſanctum eſt can. Baptiſmus, can. cum baptizat, can. inter, can. quamuis, can. oſtenditur, can. hi de quibus 38. can. aliud eſt 39. can. nullus 40. can. non eſt aqua, can. cum tantum, can. ſiue hæreticus 51. diſtinct. 4. de conſecrat. & 1. q. 1. can. quòd quidam, item 24. q. 1. can. miramur §. obiicitur tamen. Scio in Concil. Iconienſi contra Cataphrygas habito anno 258. ſub Stephano, in Synnadenſi præterea in Carthag. 1. ſub eodem Carthag. 2. & 3. præſidente Cyprian. ſtatutum eſſe contrarium, ſed id decretum reprobauit Stephanus cum Eccleſia, ſtatuitque Baptiſmum à quolibet collatum cum vera forma & intentione, validum eſſe, vide Baron. ad ann. 258. à num. 27. vſque ad 38. Communiter tamen & ex officio, *Baptiſma ſolis ſacerdotibus eſt tractandum*, vt diximus habetque, canon Conſtat. 19. de conſecrat. diſt. 4.

Ex commiſſione autem *Diaconis explere myſterium eſt licitum, aut cùm Epiſcopo, vel Presbytero procul abſentibus vltima languoris neceſſitas cogit.* can. conſtat citato. Iuo Carnotenſis par. 1. cap. 252. Plures ſi per ſe integre vnum quempiam baptizent vnum Sacramentum conferunt.

Cap. 7. Quòd reiterari non debet cum fuit validum: Innoc. 3. in Concil. Later. can. 4. & cap. vltimo de Baptiſmo, idem ſtatutum eſt ab Apoſtol. can. 46. ab aliis diſt. 68. can. 1. & can. Presbyteri

Digitized by Google

Concil. Cabillonenſe ſub Carolo can. 27. Aurel. 3. A can. 30. African. can. 15. à Pontificibus 1. q. 1. can. hanc regulam, & de conſecrat. diſt. 4. can. non licet, can. rebaptizare, can. de Arrianis, can. cum itaque §. ſcimus quidem, can. quibus, can. eos quos, can. Romanus Pontifex 23. can. ſi qui apud 28. can. quamuis 29. can. oſtenditur 32. *& hanc regulam vt ſciatis ſeruandam, omnibus Eccleſiis prædicamus vt lauacrum ſemel initum nulla iteratione violetur, dicente Apoſtolo, vna fides, vnum Baptiſma.* Leo epiſt. 79. cap. 6. *Quicunque tale præſumpſerit, excommunicationis mucrone percuſſus, ab omni officio & beneficio deponatur.* Innoc. 3. in Conc. Lateran. can. 4. *eo quod is ſacrilegium egerit.* Toletan. 3. *Irriſerit crucem & mortem Domini.* Iuo parte 1. cap. 250. B decreta remque fecerit alienam à ſincera fide, & Catholica diſciplina. Carthag. 1. can. 1. Cui à militia Eccleſiaſtica reiecto, *ſatis eſſe debet quod in Catholicorum numero ſit receptus.* Fœlix III. in Synodo Rom. ca. 5.

Cap. 8. Porrò eſt, *neceſſarium viſibile Sacramentum aquæ ad ablutionem viſibilis corporis, ſicut neceſſaria eſt doctrina inuiſibilis fidei, ad ſanctificationem inuiſibilis animæ*, can. 1. de conſecratione diſtinctione quarta, proindeque eſt Baptiſmus neceſſitate medij in re aut voto neceſſarius, vt enim *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Ad Hebræos 11. Ita, *nec poteſt quis gratiam vitæ cœleſtis accipere, niſi prius purgatus fuerit ab omni ſordepeccati per pœnitentiæ confeſſionem, & per donum Baptiſmi ſalutaris Domini noſtri Ieſu Chriſti.* can. 3. de conſecrat. diſt. 4. *nec Catechumenum quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere ſine eo credimus, excepto martyrio.* can. catechumenum 37. eiuſdem tituli. C

Eſt huic neceſſitati, quæ eſt ex medio, coniuncta alia quam præcepti dicimus Math. vltimo. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Quo iure omnes aſtringuntur, etiam infideles.

Cap. 9. Conferendo Baptiſmati, tempora erant olim præſtituta duo, Paſchæ & Pentecoſtes, Concilium Moguntinum ſub Carolo Magno can. 4. & aliud eiuſdem nominis ſub Gregorio IV. Papa, & Ludouico Rege, præſidente Rabano can. 3. Altiſiodorenſe ad annum ſalutis 614. can. 18. Gratianus diſtinct. 4. de conſecrat, can. duo tempora 12. can. propriè 13. can. ſi quis 14. can. de catechumenis 15. eiuſdem tituli Concil. Pariſienſe ſub Ludou, & Loth. can. 7. & can. 33. *Cum hoc ſibi priuilegium apud nos, & apud omnes Eccleſias, dominicum, ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat, quibus ſolis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia Baptiſmatis tradi conuenit Sacramenta.* Syricius epiſt. 1. cap. 2. *Exceptis iis*, inquit Greg. 2. epiſt. 3. ad Clerum Thuringiæ, *qui mortis vrgente periculo, ne in æternum pereant talibus oportet remediis ſubuenire.* Idem à Sylueſt. decretum in ſynodo 224. Epiſcoporum can. 12. *Baptiſmum date omnibus infirmis ſanis autem in Paſcha & Pentecoſte.* Idem à Vormat. can. 1. Pariſ. ſub Ludouic. lib. 1. can. 33. Greg. VII. E in conc. Rom. can. 29. Leone in decretali ad Epiſ. Siciliæ cap. 5. ep. 5. & 6. verba eius ſunt iſta. *Non interdicta licentia, qua in Baptiſmo tribuendo, quolibet tempore periclitantibus ſubuenitur, ita enim ad has duas feſtiuitates connexas ſibimet, atque cognatas, incolumium & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus, vt in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis angustiis, in timore naufragij, nullo tempore hoc veræ ſalutis ſingulare ſubſidium cuiquam denegemus.* Quod & Gelaſio Papæ placuiſſe indicat eius epiſt. data ad Clerum & populum Tarentinum. Hoc porro periculum cùm ſit in pueris perpetuum, ob infirmam ætatem, non videtur eorum Baptiſma prorogari poſſe ad menſes, aut annos ſine cauſa grauiſſima, cuiuſmodi raram aut nullam eſſe poſſe credo. *Ne tempore quidem interdicti iis negandum eſſe* dixit. Calliſt. 2. in Concil. Rom. ca. 11. eodem die quo nati ſunt iis conferendum ſtatuit Gerundenſe Conc. can. 5.

Quare quæ de pueris ad Eccleſias Baptiſmi cauſa non deferendis, extra Paſchæ aut Pentecoſtes ſolennia tempora, imperata ſunt ab Altiſiodorenſi Concilio can. 18. modo non obligant, nec proinde Presbyter alio tempore, aut loco baptizans, B quam deſignatis, trimeſtri arcendus eſt à communione Eccleſiæ, vt dicta ſynodus præcipit.

Cap. 9. Nemo autem extra neceſſitatem domi eſt baptizandus, niſi fortè patre Principe, aut honorato inter ſuos homine, natus eſſet. Clementina 1. de Baptiſmo. *Aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam propter hoc acceſſus haberi.* Clem. modo citata. Itaque quiſque in Eccleſia eſt tingendus, non in æde oratoria quæ eſt intra domum. Sexta ſynodus Conſtantinopolitana can. 59. *In oratorio quod domi eſt Bapt. nullatenus peragatur, ſed qui digni habebuntur puriſſimi huius luminis ad Eccleſias accedant.* Tamen non quælibet Eccleſia eſt ad id apta, ſed ſolius Parochiæ, intra cuius terminos C quis eſt natus, nam non poſſunt Epiſcopus & Parochus aliena ſibi iura aſſumere 7. q. 1. can placuit, can. Epiſcopus, can. ſicut & 9. q. 2. can. 1. can. nullus primas can. Epiſcopum can. Epiſcopi, can. non inuitati 25. q. 1. can. quæ ad perpetuam q. 2. can. quæ in Galliarum, ergo nec baptizare, quod ad ius Epiſcoporum aut Parochi pertinet.

Si quis autē, inquit can. 59. ſextæ ſynodi Conſtantinopolitanæ, *quæ ab Eccleſia ea de re ſunt conſtituta, non ſeruare conuictus fuerit, ſi ſit quidem clericus deponatur, ſi autem laicus degradetur.* Eadem pœna baptizanti clerico in oratoria domo ſine licentia Epiſcopi inflicta eſt in Concil. Trull. ca. 31.

Quod de Eccleſia Parochiæ intra cuius fines quis eſt natus, à nobis eſt dictum, de tempore præ- D ſenti, non priſco debet intelligi, nam antiquis certa erant loca, extra quæ baptizari erat nefas. Sanxere Galli Antiſtites in Concil. apud Palatium Vernis can. 7. *Vt publicum Baptiſterium in nulla Parochia eſſet, niſi vbi Epiſcopus conſtituiſſet, cuius eſt Parochiæ.* In Concil. Meldenſi ſub Carolo Caluo ann. 845. can. 48. præſcribitur. *Vt nemo Presbyterorum baptizare præſumat, niſi in vicis & Eccleſiis baptiſmalibus, atque temporibus conſtitutis.* Erant autem ciuſmodi Eccleſiæ, loca ſacra, conferendo Baptiſmo, ab Epiſcopo addicta, quæ ab iis inſtaurari iubentur, in Concil. Pontigonenſi can. 11. quibus erant vſui, extra tales Eccleſias dari Baptiſ. non poterat, excipiendus eſt caſus, in quo baptizandus peregrinus eſſet, vel certum domicilium non haberet, nam tunc, in qua Eccleſia, erat ei placitum, E baptizari poterat 10. quæſt. 3. can. nec numerus 5. Secundo excipiendus eſt caſus infirmitatis, Conc. Melden. ſupra. *Nam ſi neceſſitas euenerit pro infirmitate, aut pro aliquæ neceſſitate, illi Presbyteri, quos Epiſcopus in ſua Parochia conſtituerit, in qualicunque loco euenerit, licentiam habent baptizandi.* Concil. apud Palatium Vernis can. 7.

Cap. 10. Et quanquam vbi eſt neceſſe in aqua communi, baptizari puer poſſit, valide & cùm effectu, ne tamen miniſter peccet, non alia, ad hoc Sacramentum vti poteſt, quam conſecrata, can. per

aquam 9. de consecrat. distinct. 4. can. deinde à sacerdote paragr. finali consecrari autem aqua debet, cum trina infusione chrismatis, crucis specie, consecrationis huius meminere Patres in Concil. Carthag. can. 1. S. Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 5. & refertur de consecrat. dist. 4. can. venit 71. Basil. de Spiritu sancto cap. 27. in hæc verba. *Consecramus aquam Baptismatis, & oleum Vnctionis, præterea ipsum qui Baptismum accipit, ex quibus scriptis? nonne à sacita secretaque traditione? ipsam verò olei mixionem, quis sermo proditus docuit? iam ter immergi hominem, vnde est traditum? reliqua item quæ fiunt in Bapt. veluti renuntiare sathanæ, & Angelis eius, ex qua scriptura habemus?* Similia habet Cypr. ep. 70. ad Ianuar. & cæteros Episcopos Numidas. *Oportet mundari, & sanctificari aquam prius à sacerdote, vt possit sub Baptismo peccata hominis qui baptizatur abluere.* num. 2. & postea. *Quomodo mundare, & sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est, & apud quem Spiritus sanctus non est?*

Huic cæremoniæ adiungendæ sunt & aliæ, baptizandus institui debet, ac erudiri de rebus fidei Conc. Laodicæn. can. 8. Carthag. 4. can. 11. ob eam causam in Capitulis Heraldi Arch. Turonens. cap. 55. habetur. *Vt nemo de sacro fonte aliquem suscipiat, nisi orationem Dominicam, & symbolum intelligat.*

Secundo baptizandus exorcismis est à potestate dæmonis eximendus, Dionys. cap. 2. de cœl. Hierarch. Ambr. 1. de nuptiis cap. 17. & 18. Cœlestin. Papa 1. cap. 12. *Sine parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniant lavacrum, non prius ad fontem vitæ adeunt, quam exorcismis, & exsufflationibus clericorum, spiritus immundus ab eis abigatur.* Ob eam causam datur exorcistæ cum ordinatur, liber exorcismorum, cum potestate super Energumenum, & baptizatum Concil. Carthag. 4. can. 7.

Adhibetur præterea exsufflatio, dist. 4. de consecrat. can. sive paruuli canone ante viginti, canone postquam, can. sicut nostis. Cum enim dæmone nihil sit post Christi mortem infirmius, decuit hanc eius imbecillitatem innui tali signo, quo homines communiter significant præfidentiam virium suarum, ac eius contemptum, quem exsufflant, consulendus August. lib. 1. de symbolo ad Catechumenos cap. 1. & lib. 1. de nuptiis cap. 20.

Tertio baptizandus abrenunciat dæmoni, eius pompis & operibus, Conc. Aquisgran can. 114. Vrbanus in epist. vnica, Basil. de Spiritu sancto cap. 27. Tertul. de corona milit. cap. 3. Clem. lib. 7. constitut. cap. 42. Gratian. de consecrat. dist. 4. can. 95.

Quarto super baptizando eius causa funduntur ad Deum preces Cyprian. epist. ad Ianuar. 70. can. exhinc, can. emerfisti de consecrat. dist. 4.

Quinto sal ori eius infertur Aug. 1. Conf. cap. 11. de consecr. distinct. can. 4. ex hinc, can. sal. cœlestis Concil. Carthag. 3. can. 5. quod fit ad significandam cœlestem prudentiam. Beda in Esdram. lib. 2. cap. 9. & vt baptizandus sale sapientiæ conditus, inicuitatis fœtore careat de consec. dist. 4. can. 64.

Sexto inungitur, canone à sacerdote, canone venisti, can. postquam, can. accepisti, can. si quis voluerit, can si quis de alio dist. 4. de consecrat. Concil. Carthag 4. can. 36. Tol. primum can. 2. Clem. epist. 3. Innoc. 3. Patriarchæ Constantinop. *Omnes*, inquit, *Christiani, bis ante Baptismum vnguntur oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter scapulas, & bis post Baptismum, sed chrismate sacro primum in vertice, demum in fronte.* Quare in Concil. Arausic. primo prohibentur, qui baptizandi acceperunt officium sine chrismate vsquam progredi. *Quot quot ergo baptizandi sunt*, inquit Bernard. serm. 44. in Cant *etiam corporaliter, Ecclesia oleo materiali vngere consuevit.* In scapulis quidem & pectore oleo catechumenorum ante Baptism. Ambros. 1. de Sacram. cap. 2. D. Cyrill. catech. 2. post Baptism. Chrismate, in vertice capitis, & fronte Tertull. de Bapt. cap. 7. Aug. de ciuit. lib. 15. cap. 26. D. Hieronym. in cap. 2. Threnor. *In vertice quidem vt sit paratus omni petenti se, de fide rationem reddere: in fronte, vt liberè confiteatur quod credit.* Innoc. 3. in ep. ad Patriarcham Constantin. meminit huius vnctionis Cyprian. in tract. de ablutione pedum, eamque medicinalem nominat & in ep. 70. ad Ianuarium & alios Episcopos Numidas. *Vngi*, inquit, *necesse est eum qui baptizatus sit, vt accepto chrismate, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.*

Septimò, auribus, ac naribus baptizandi salina imponitur, can. postea tanguntur de consecratione distinct. 4. *Vt per typicam salivam, & tactum sacerdotis, sapientia & virtus diuina salutem catechumeni operetur.* Rabanus lib. 1. de institut. Cleticor. capite 27.

Octauo aspergitur aqua benedicta, can. in Sabbato can. nec quenquam de consecr. distinct. 4. & signatur cruce in fronte & corde, can. postea signatur eadem dist.

Nono, interrogatur an in Deum & remissionem peccatorum credat Cypr. epist. 70. num. 2. *Sed & ipsa interrogatio, quæ fit in Bapt. testis est veritatis, nam cùm dicimus, credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum, per sanctam Ecclesiam intelligimus remissionem peccatorum non nisi in Ecclesia dari.* Idem iisdem penè verbis, scribit epist. 76. ad Magnum.

Decimo, baptizandi si adultus erat, pedes lauabantur à Clerico, aut sacerdote, Ambros. lib. de Sacram. 3. cap. 2. quam consuetudinem in Ecclesia Romana nunquam fuisse, aut si quando extitit, abrogatam esse docet August. epist. 119. cap. 28. damnatam autem ab Hispanis indicat canon Elibertini Concil. 48. his verbis. *Emendari placuit vt hi qui baptizantur, nummos, vt fieri solebat, in concham non mittant, neque pedes eorum lauandi sunt à Clericis aut sacerdotibus.*

Vndecimo. *Qui ad sacrum fontem accedit suum dare nomen præcipitur.* Hincmarus in Concil. Suession. 2. act. 1.

Duodecimo baptizatus veste induebatur candida, ad commendationem innocentiæ, qua cœlesti prorsus ac diuino beneficio, eius animus, aquis Baptismi lotus emicabat can. cum post Baptismum, can. accepisti de consecr. dist. 4.

Decimotertio. Lege Ecclesiæ præterea est necesse, vt baptizandus habeat qui eum ministro offerat tingendum vndis. D. Thom. 3. par. 467. art. 7. Patrinum nostrates ac antiqui Theologi nominant, Iurisperiti susceptorem, fideiussorem alij.

Ad id munus non quilibet idoneus, Episcopi in Concil. Metensi sub Carolo Caluo ann. 888. can. 6. ab eo remouent rerum nostrarum nescientes, ac ignaros, itaque iubent, *Vt nullus, alterius suscipiat à fonte infantem, nisi qui apprime signaculum id est abrenuntiationem diaboli, & professionem Catholicæ fidei tenuerit.* In capitulis Heraldi Archiepiscopi Turon. cap. 55. habetur. *Vt nemo à sacro fonte aliquem suscipiat, nisi orationem Dominicam, & symbolum, iuxta linguam suam, & intellectum teneat, & omnes*

intelligant pactum quod cum Deo fecerunt.

Secundo à ſuſceptione pueri, iure Eccleſiæ remouentur maritus & vxor 30. q. 4. can. 6. auctor huius legis Vrbanus II. qui etſi nulla anteceſſorum ſuorum lege, hoc ſuſceptoris officium, à marito ſimul & vxore obeundum, fateatur eſſe prohibitum. *Tamen vt puritas ſpiritualis paternitatis ab omni labe & infamia conſeruetur immunis, dignum inquit ducimus, vt vterque inſimul ad hoc aſpirare minimè præſumant.* Sed vſu contrario antiquatam hanc Vrbani legem, aut nunquam in Gallia noſtris receptam fuiſſe moribus, indicat prouinciarum praxis, maximè Campaniæ, vbi ſecus fit, & vtitur quàm hic decernitur.

Negari tamen non debet, quin Patri Filium, aut Filiam de fonte ſuſcipere, fuerit Gallis noſtratibus inhibitum, teſtes enim eius rei antiquæ extant Heraldi præſcriptiones, tomo 2. Conciliorum Patris Sirmundi, factum etiam Anſelmi Lemouicenſ. Epiſcopi indicat, à quo quidam nomine Stephanus, à coniuge ſeiunctus fuerat, quod filium ſuum in extremo vitæ poſitum, nec Baptiſmatis vnda lotum, abſentia ſcilicet ſacerdotum, neceſſitate cogente baptizaſſet, eumque ipſe propriis manibus retinendo ſuſcepiſſet, quare qui eum, hoc tempore, imitandum ſibi extra neceſſitatem crederet, cognationem ſpiritualem contraheret, nec debitum exigere ſine culpa poſſet, & conſequenter neuter ab altero, ſi vterque ſuſcepiſſet, reddere tamen, licet petenti quamuis illicite, Candidus de Baptiſmo diſquiſit. 14. Nicol. ad conſultationes Bulgarorum cap. 2. *Si enim*, inquit, *intereſt non contrahitur Matrimonium quos adoptio iungit, quanto potius à carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare, quos per cœleſte Sacramentum, regeneratio ſancti Spiritus vincit?* Hæc tamen cognatio ab illis non contrahitur in duobus caſibus. Primus eſt cum præter eos alius non eſſet qui baptizaret, aut ſuſciperet. *Quia inculpabile iudicandum eſt, quod neceſſitas intulit, nam baptizandi hoc opus, etiam laicis fidelibus, iuxta canonicam ſanctionem, ſi neceſſe fuerit facere libere conceditur.* Ioan. 8. in epiſt. 58. ad Anſelm. Lemouic. Epiſcop. *Quare cum Pater qui Filium ſuum corpore morientem aſpicit, ne animam morte perpetua pereuntem dimittat, ſacri Baptiſmatis vnda lauat, benefacere laudatur. Nos*, inquit, *Pontifex talem cum ſua vxore ſibi iam olim legitime ſociata impune quàdiu vixerint, iudicamus manere coniunctum, nec ob hoc contra præfatas authoritates diuinas ſeparari debere.* Hæc ille.

Alter caſus eſt, cum ab alterutro duorum, baptizatur puer, aut leuatur de fonte, in fraudem alterius, nempe, ne ei in re coniugali pareat, vt ab eo ſecubandi, aut ſe domo ſeiungendi occaſionem habeat, nam tunc in pœnam non violatæ quidem legis, ſed maritalis fidei, ac improbi animi, qui ſic baptizauit, iubetur manere cum coniuge, ita mihi ſentiendi cauſa à ſanctione Cabillon. Concil. ſub Carolo can. 31. his verbis.

Dictum nobis eſt quaſdam fœminas deſidioſe, quaſdam verò fraudulenter, vt à viris ſuis ſeparentur, proprios filios, coram Epiſcopis ad confirmandum tenuiſſe, vnde nos dignum diximus, vt ſi qua mulier filium ſuum deſidia, aut fraude aliqua, coram Epiſcopo, ad confirmandum tenuerit, propter fallaciam ſuam, vel fraudem, quandiu viuat, agat Pœnitentiam, à viro tamen ſuo non ſeparetur.

Tertio decreto Nicæni Concilij, canone qui eſt 22. eorum, quos Alfonſus Piſanus Societatis Ieſu collectos, tam ex epiſtolis Iulij primi Pontificis, quam Arabico codice, excudendos curauit, ſanci-

A tum video, *Vt viri non teneant in Baptiſmo puellas, aut mulieres, neque mulieres teneant maſculos.*

Quarto etſi ſacri canones concedant, vt religioſi curam animarum habentes, ſibi cõmiſſos, & in caſu neceſſitatis, quoſlibet baptizare quilibet poſſint, 16. q. 1. can. doctos, prohibetur tamen omnibus regularibus, etiam Prælatis, ne quenquam è ſacro fonte ſuſcipiant, diſtinct. de conſecratione 4. can. non licet can. Monachi, & quanquam nulla tunc coercendi pœna viſi ſint, qui ſecus quam quod eis imperatur, facerent, ſecutis tamen temporibus, delinquentes tam regulares, quàm Parochi, in multis ſunt Diœceſibus, à locorum ordinariis, grauibus pœnis coerciti.

B In Saliſburgenſi, *Vniuerſis religioſis tam viris quàm mulieribus, tam ſuperioribus quàm ſubditis cuiuſcunque nominis, gradus, ac dignitatis exiterint præcipitur, ſuperioribus quidem, ſub pœna priuationis dignitatum & officiorum ſuorum, ſubditis verò cæteris ad menſem, ne baptizandos è ſacro fonte illo modo, nec per ſe, neque per alios leuent.*

Quinto in compatrem ſeu Patrinum admitti nullus debet qui baptizatus, & confirmatus non ſit, can. in Baptiſmate de conſecr. diſt. 4. quive eodem anno confeſſus non fuerit, aut non communicauerit. Manuale Saliſburg. cap. de Bapt.

Sexto, etſi minus decens ſit vt duo coniuges, ſimul alienam prolem ſuſcipiant, vt conſtat ex can. vlt. cauſæ 30. q. 4. tamen id conſuetudine excuſari poteſt, teſte Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 57. num. C 5. & ſi fides eſt Nau. cap. 22. num. 39. Viualdo in Candelab. cap. vltimo num. 19. id modo non eſt illicitum, nec proinde cognationem ſpiritualem vllam contrahunt, & ſic ab inuicem non ſunt ſeparandi. Coninch. to. 2. diſp. 32. dub. 2. concl. 2.

Cap. 12. De ſuſceptorum autem numero, hoc habeo dicere, parem vbique non eſſe, nec fuiſſe Patrum noſtrorum tempore. Anno 888. ſub Odone Rege, placuit Gallis Epiſcopis in Concil. Metenſi can. 6. *Vt infantem nequaquam duo, vel plures, ſed vnus à fonte Baptiſmatis ſuſciperet, quia in huiuſcemodi fœdere, diabolo datur locus, & tanti miniſterij reuerentia vilefcit.* Cuius decreti immemor Odo D Pariſienſis Epiſcopus, permittit Parochis in ſtatutis ſynodalibus. *Vt ad eleuandum puerum de fonte tres, aut 4. ad plus recipiantur, quod enim amplius eſt, à malo eſt.* Idem permiſſum in ſynodo Burdegal. præſide Guill. de S. Brixio an. 1586.

Duos marem nempe & fœminam, ſiue puer, ſiue puella baptizetur, adhiberi poſſe, ad eius ſuſceptionem decretalis Bonifacij VIII. vltima de cognatione ſpirituali in 6. ſignificat præſcripta, his verbis. *Quamuis non plures quam vnus vir, vel vna mulier accedere debeant ad ſuſcipiendum de Baptiſmo infantem, iuxta ſacrorum canonum inſtituta, ſi tamen plures acceſſerint ſpiritualis cognatio inde contrahitur.* Nouiſſime, id eſt Patrum noſtrorum memoria, E ſancta ſynodus Tridentina ſtatuit, vt vnus tantum vir, ſiue mulier, iuxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus & vna baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius Patrem & Matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem & Matrem tantum, ſpiritalis cognatio contrahatur.

Et quoniam, à multis multa in hoc genere contra ſtatuta canonum, non ſine culpa fieri, viri boni dolebant, ſeuere eadem ſynodus Parochis ſub pœna ab Ordinariis infligenda præcepit, vt antequam ad Baptiſmum conferendum accederent, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitentur, quem, vel

quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte susci-
piant, & eum, vel eos tantum, ad illum susci-
piendum admittant, & in libro, eorum nomina des-
cribant, doceantque eos quam cognationem contra-
xerint, ne ignorantia vlla excusari valeant. Trid.
Sess. 24. cap. 2. de reform.

Cap 13. Ad Parochos item pertinet monere
eos, qui pro pueris, in Baptismate fidem profiten-
tur, aut professi sunt, à Deo pro ipsis, acceptos es-
se vades, quare illos ex fide data & promissorum
religione, debere eosdem infantes iam adultos, nisi
sint parentes, consanguinei, Ludimagistri qui id
præstent, edocere articulos fidei, precationem Do-
minicam, decem præcepta Decalogi, charitatis-
que ac iustitiæ officia. Arelat. Concil. sub Carolo,
can. 19. *Parentes filios suos, & patrini eos, quos de*
fonte lauacri suscipiunt, erudire summoperè studeant,
illi quia illos genuerunt, & eis à Domino dati sunt,
isti, quia pro eis fideiussores existunt. In eandem sen-
tentiam præcipit Moguntiacum, can. 47. *Vt vnus-*
quisque compater, vel proximi spirituales filiolos suos
catholicè instruant. Quæ ab his Conciliis dicta sunt
vniuersè, ac generaliter, magis speciatim ac pro-
priè, adnotata voluit Paris. sub Ludou. & Lothario
l. 1. can. 7. *Quicumque igitur viri, quæcumque mulie-*
res de sacro fonte filios spiritualiter susceperūt, agnos-
cant se pro iis fideiussores apud Deum extitisse, & ideo
necesse est, vt semper illis sollicitudinē veræ caritatis
impendant, admoneant, corrigant, atque corripiant,
vt castitatem custodiant, virginitatem vsque ad nu-
ptias seruent, & cæteris bonis operibus dediti sint.

Alij, Patrini partes has esse aiunt, id laborare,
vt is quem susscepit, *omni custodia muniatur, & tan-*
quam depositum quoddam rectori Ecclesiæ repræsente-
tur. Præterea, qui fidem respuit, quam promisit ab
illo à quo susceptus est, & qui fidei eius interuentor
extitit, debet reuocari. Nicolaus Papa ad consulta
Bulgar. cap. 18. quæ res Ecclesiam impulere, vt
hos susceptores, siue sponsores & fideiussores ad
sacram ablutionem adiungerent, vt ex his Cate-
chismi Romani verbis colligere cuique est facile.

Vt igitur postquam aliquis in hanc lucem editus est,
nutrice ac pædagogo indiget, quorum ope ac opera edo-
ceatur, ac doctrina & bonis artibus erudiatur, ita
etiam necesse est, vt, qui ex Baptismi fonte vitam sus-
cipiunt viuere spiritualem, alicuius fidei & pruden-
tiæ committantur, à quo Christianæ Religionis præ-
cepta haurire, ad omnemque pietatis rationem instituti
possint, atque ita paulatim in Christo adolescere, do-
nec tandem viri perfecti, iuuante Domino euadant.

Hæc mens, hic finis Ecclesiæ, aut Apostolo-
rum verius (nam ab iis Patrinos primò institutos
esse Dionysius Areopagita est author) in ascisceñ-
da ad Baptismum sponsorum opera, quos proinde
facturos officium ambigere nemo potest, si spirita-
les filios parentibus destitutos, aut aliis à quibus
doceri possint mysteria fidei, ipsi illos de ea, cæte-
risque, quæ ad benè beatéque viuendum sunt ne-
cessaria, instruant.

TRACTATVS

TRACTATVS TERTIVS, DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Confirmatio.

CONFIRMATIO, quæ à Dionyſio, cap. 4. de Eccleſ. Hierarch. appellatur τελειωτικὴ τῶν μύσεων χρίσις καὶ τελείωσις, *perfectrix vnctio & conſummatio.* à Clem. Rom. lib. 3. Conſtit. Apoſt. cap. 27. *Vnguentum, & Confirmatio vnctionis:* à Baſilio magno, lib. de Spiritu ſancto, cap. 27. ἔλαιον τῆς χρίσεως, *Oleum vnctionis:* ab Innocentio III. cap. vnico de ſacra Vnctione, *Chriſmatis frontis:* à Melchiade Papa, in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, cap. 2. *Confirmatio:* ab Vrbano, epiſt. 1. cap. 7. *Manus impoſitio:* à Paciano lib. 1. de Baptiſmate, *Chriſma,* à Cypriano in epiſtola ad Iubaianum, *Signaculum, & vnguentum ad ſanctificationem:* à Concilio Pariſienſi ſub Ludouico & Lothar. lib. 1. can. 31. *Traditio Spiritus ſancti:* à Conſtantino, *Conſignatio ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti.*

Confirmatio inquam eſt *Sacramentum Chriſmatis, quod in genere viſibilium ſignaculorum, ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 104. quo Sacramento, quia vires acquiruntur, vitæ ſpirituali neceſſariæ, à quibuſdã dicitur Baptiſmi, qui eſt veluti prima animæ generatio, *abſoluta conſummatio,* quod .n. eſt per eum ſanctè inchoatum, planè perficit, hominemque ad robur veluti perfecti viri adducit: quod innuiſſe videtur Melchiades, cùm hæc ſcribebat Epiſcopis Hiſpaniæ, *Spiritus ſanctus qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Bapt. regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam, in Baptiſmo abluimur, poſt Bapt. roboramur.*

Præ cæteris placet hæc mihi Confirmationis definitio, *Confirmatio ſacrum eſt ſignum, chriſmate ab Epiſcopo in fronte baptizati factum in crucis modum, quo* A *ad varia huius mundi prælia inſtruitur, munitur, & roboratur,* Manuale Salisburg. cap. de Confirm. *Eſt ſignum,* quia ritus eſt religioſus & ſacer, ad cuius præſentiam producitur à Deo gratia in ſuſcipientis anima. Fit hoc verò ſignum *in Crucis modum,* quia cùm in forma huius Sacramenti, Crucis mentio fiat, *Signo te ſigno Crucis,* neceſſe eſt ne falſitatis poſſit argui, vt ſigno Crucis conferatur, *Chriſmatis* nomen apponitur, quia ad Sacramenti naturam pertinet, vt propria eius materia, iſto chriſmate *frons* inungitur, quia cùm verecundia, timorque, in fronte maximè appareant, ſitque in B primis robur gratiæ neceſſarium, vt ſuperari affectiones hæ valeant, partem hanc corporis vngi præ cæteris oportuit, vt iſtiuſmodi oleo, cuius vis eſt præcipua in corroborando corpore, manifeſtum fiat quantum hoc Sacramentum ad Dæmonis victoriam conferat. Additur *ab Epiſcopo,* quod ordinarius eius Miniſter, nullaque commiſſione indigens, ſit Epiſcopus, vt dicetur poſtea.

QVÆSTIO II.

C

An Confirmatio ſit Sacramentum, & quando à Chriſto inſtitutum.

QVia olim Armeni, Armacano teſte, lib. 9. de erroribus Armenorum, cap. 10. Nouatus vt author eſt Optatus Mileuitanus, lib. contra Parmenian. & recenti memoria Caluinus, lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 4. Confirmationem expunxerunt è Sacramentorum numero, quam dicebant cæremoniam tantùm eſſe, ad examen eorum, qui cùm pueri eſſent, baptizati fuiſſent. Placet initio huius Tractatus, quærere, ecquid Confirmationi inter Sacramenta ſit locus.

Prima Aſſertio. *Eſt confirmatio verum & proprium Sacramentum.*

Aſſertionis huius veritas repetenda eſt ex Conciliis, & Patr. Et quidem ſic Cypr. ep. ad Iubaianum

Digitized by Google

Tunc demùm plenè ſanctificati, & filij Dei eſſe poſſunt ſi Sacramento vtroque (Baptiſmatis nempe & manus impoſitionis) *naſcantur.* Et tract. de Vnctione chriſmatis, num. 3. *Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta, quia ſanctificatis elementis iam non propria natura, ſed virtus diuina potentiùs operatur, & adeſt veritas ſigno, & Spiritus Sacramento, vt & ipſis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat: & interiori homini, quanta ex his datur auctoritas, deformi conuerſatione, & cæleſtibus moribus innoteſcat.* Cypriano aſſentiuntur Scriptores, tam Græci quàm Latini ferè omnes. Melchiades quidem interrogatus an Baptiſmo præferenda eſſet confirmatio, reſpondit. *Vtrumque magnum eſſe Sacramentum, & ſicut vnum à maioribus, id eſt, à ſummis Pontificibus, quod à minoribus fieri non poteſt, ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum eſſe*: de conſecr. diſt. 5. can. 3. Idem habet Euſebius in epiſt. 3. ad Epiſc. Tuſciæ. Idem Innoc. epiſt. ad Decentium Epiſc. c. vlt. nam ibi negat, *Chriſma dandum eſſe non pœnitentibus, quia genus Sacramenti eſt*: & vt eius rationem eſſe eandem, ac cæterorum oſtenderet, addit. *Quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi?*

Teſtimonia quæ petuntur à Conciliis, vim ad perſuadendum non minorem habent, quo enim ad ea, Epiſcoporum, quos tum diuino ductu agi eſt certum, numeroſior coit concio, hoc quoque eſt eorum authoritas credenda amplior. Confirmationem ergo Sacramentum eſſe, & quidem *ſecundum de 7. Florent. in decreto de Armenis*, aſſerit quòd quia adhuc videbatur nonnullis incredibile, tam in eos, quàm qui idem cum illis crederent, ni maturè errorem deponerent, ſaperentque, dictum eſt ab Eccleſia, anathema, in Trident. Seſſ. 7. can. 1. *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum, otioſam cæremoniam eſſe, anathema ſit.*

Facit cum Trident. Laodicænum, habitum circa annum 364. confirmatũ in ſexta Oecumenica Synodo, habita in Trullo, huius ergo Concilij ſunt hæc verba, can. 48. *Oportet baptizatos poſt Baptiſmum percipere ſanctum chriſma, & cœleſtis regni fieri participes*: Ex his enim verbis ſic argumentari licet, Non fimus participes regni cœleſtis, per nudas cæremonias, ſed per Sacramenta tantùm, at Confirmatio regnum cœleſte confirmato aperit, ex citato Concilio, ergo eſt Sacramentum, & de ea, vt tali, fit mentio in Arelatenſi primo, can. 8. Arelatenſi 2. can. 17. Elibertino, can. 38. & in Actis 8. & 19. Apoſtoli dicuntur per impoſitionem manuum, contuliſſe Spiritum ſanctum: quæ manuum impoſitio Sacramentum fuit haud dubiè, vtpote quæ cum vnctione coniuncta erat, Spiritus autem ſanctus, qui per eam confirmato dabatur, gratiam cuius ipſe eſt auctor, denotat. Hieron. lib. 2. contra Luciferianos. Cyprianus epiſtola ad Inbaianum: & quam largè confirmato communicat, non verò vt mentitur Caluinus, dona quædam externa, vt miraculorum, & linguarum, &c.

Accedit ad hæc teſtimonia ratio. Eſt confirmatio ſignum ſenſibile, & quidem gratiæ quam efficit: nam Actorum 8. & 19. dicuntur Apoſtoli, ad impoſitionem manuum, Spiritum dediſſe, cuius rei author Chriſtus, nam quis eos credat id facturos vnquam, niſi ab eo, Spiritus impertiendi causâ id facere iuſſi eſſent? Sanè eius ſolius eſt inſtituere Sacramenta, cùm id ad poteſtatem excellentiæ pertineat, qua præter eum alius nullus fuit ad hanc diem præditus: Quid? quòd ſolus Spiritũ ſanctum è Cœlum humanum pectus, inhabitandi causâ deuocat?

A Ioan. 14. *Cùm venerit Paracletus quem ego mittam*? quod in Concilio Senonenſi, ſub Clemente VII. can. 18. Moguntino ſub Paulo III. can. 17. tam hæc manuum impoſitio, quàm Sacramentum Confirmationis, dicantur eſſe inſtituta cœlitus ad vtilitatem Fidelium? quod & Auguſtinus 2. aduerſus Petiliani literas, cap. 104. aſſerat *Sacramentum chriſmatis in genere ſignorum viſibilium eſſe ſacroſanctum, ſicut eſt ipſe Baptiſmus*: ergo vt eſt hic à Deo inſtitutus in Eccleſia, gratiæ tribuẽdæ causâ mortalibus, erit & Confirmatio erga nos diuinæ beneficentiæ argumentum, diuinumque, vt cætera, Sacramentum. Auguſtin. in titul. Pſal. 26.

B At ne tenue eſt, inquiunt aduerſarij, huius Sacramenti inſtituti à Deo veſtigium, in ſacris paginis, vbi enim, quando, & quos, Chriſtus dum viuebat, vnctione ſibi gratos reddidit.

Reſpondendum, eos ſupponere omnium quæ fide diuina credi debent, aperta eſſe teſtimonia, in ſacra Scriptura, quod eſt falſum. Enimuerò certiſſimus eſt fidei articulus, *Beatam Mariam*, Virginem eſſe in partu, ante, & poſt, pueros item in vitæ limine, ac ingreſſu, baptizandos eſſe, de quo tamen, ne verbum vllum fecere Scripturæ: ſufficit ergo Eccleſiam, errare neſciam, quia omni tempore ei Spiritus ſanctus interfuit, id docere, ac tanquam fidei myſterium, credendum omnibus proponere, facit in præſenti materia.

Secunda Aſſertio. *Inſtitutionis huius Sacramenti, prima ſunt initia à Chriſto in vltima cœna poſita*: C Quia Chriſtus tum eſt Apoſtolis ſuis pollicitus vberem ac abundantem gratiæ copiam, illis communicandæ per hoc Sacramentum, quod enim abiturus ad Patrem Eccleſiæ vniuerſæ promiſit, fideles nempe qui in ea vitam degerent, *Spiritu S. non poſt multos hos dies* baptizatũ iri, Act. 1. quod Io. 14. Petro eiuſque ſodalibus facturum ſe apud Patrem receperat. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*: hoc ab eo ſub vitæ finem præternuſſum eſſe quis putet?

Sanè tùm Apoſtolos, docuit ritum conficiendi huius Sacramenti, cæteraque in quibus vis eius eſt poſita, Fabiano teſte epiſt. 2. ad Orient. cap. 1. nam tum ab eo inſtituti ſunt de modo chriſmatis conſecrandi, *quemadmodum*, inquit ille, *à ſanctis Apoſtolis, prædeceſſores noſtri acceperunt*, vnde cuiq; D argumentari ſic lubet: Vel Fabianus chriſma pro Sacramento Confirmationis accipit, vel pro eius materia, ſi primum, habetur intentum, nempe à Chriſto, Sacramentum Confirmationis tum fuiſſe inſtitutum: ſi alterum, iam tum ſanè erit initium huic Sacramento datum, quoad ſuam materiam, & ita vera erit Aſſertio.

Tertia Aſſertio. *Confirmatio quoad eum ſtatum in quo adminiſtrari poteſt, non eſt niſi poſt reſurrectionem inſtituta.* Suar. diſput. 32. ſect. 2. Soto in 4. diſt. 7. q. 1. a. 1.

Probatur 1. Hoc Sacramentum ſtatum ſuum tùm habuit, cùm eſt poteſtas confirmandi, Apoſtolis conceſſa, at ea inſtructi non fuere, niſi poſt reſurrectionem, tunc enim Patrum teſtimonio, plenè E & abſolutè, facti ſunt Sacerdotes, & Epiſcopi per poteſtatem tam Ordinis ſacerdotalis, quàm Epiſcopalis: ergo tum eſt inſtituta quoad ſuum ſtatum.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Quenam sit materia Confirmationis remota.

ASsertio prima. *Confirmationis remota materia, eaque essentialis, est chrisma.*

Huic assertioni fides est à Conciliis, Patribus, & ratione, quid enim in eam sententiam dici potest apertius, quam quod à Florentino, scriptis est traditum: *secundum Sacramentum esse Confirmationem, cuius materia est chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.*

Pro Florentino facit, Fabianus is, qui Maximini temporibus rexit Ecclesiam: sic enim in epist. sua Decretali. *Ipsa*, inquit, *lauatio pedum, nostrum significat Baptismum, quando sacri chrismatis Vnctione perficitur, & confirmatur.* Et postea causam reddens, cur quotannis in die cœnæ, renouanda sit chrismatis benedictio, hanc vnam profert quod sine chrismate esse nequeat. *Sancti chrismatis confectio, per singulos annos, est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda, quia nouum Sacramentum est, per singulos annos, & iam dicto die innouandum.* De consecrat. dist. 3. can. literis 13. quasi diceret, eam ob rem, in Ecclesia benedicendi chrismatis singulis annis vsum esse, vt Confirmationi quæ fidelibus non est neganda, nisi ex iusta causa, sua non desit materia.

Quid? quod Clemens Romanus, discipulus Petri, lib. 3. constit. cap. 16. imperat, vt *Episcopus baptizatos chrismate vngat*? Quod August. lib. 2. contra epistol. Petiliani cap. 104. *In vnguento Sacramentum chrismatis interpretatur, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacro-sanctum est?* Quod Patres in Concilio Arausic. 1. can. 1. Arelatens. 2. can. 17. visum sibi esse asserant, hæreticos qui sub finem vitæ Catholici esse desiderant, *Cum chrismate & manus impositione, in Ecclesia recipi oportere.*

Cyrillus quidem Hierosol. Catechesi 3. vnguento quidem visibili, corpus inungi asserit, sancto verò ac viuifico spiritu animam sanctificari, τῷ μὲν φαινομένῳ μύρῳ τὸ σῶμα χρίεται, τῷ δὲ ἁγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι ἡ ψυχὴ ἁγιάζεται. Quæ omnia indicant, Patribus prisci æui insedisse hanc mentem, vt crederent, sine vnguento Confirmationem non potuisse effici, proindeque materiam eius esse essentialem, ac necessariam, quod hę quoque rationes indicant.

Prima, est id in Sacramento quolibet, loco materiæ, ac partis essentialis & intrinsecæ, quod effectum eius significat, est enim Sacramentum signum visibile, inuisibilis gratiæ.

Sed *donum gratiæ, visibili significatur vnguento quo baptizandos vngit Ecclesia.* August. lib. de Trinit. 15. cap. 26. ergo oleum pars est essentialis huius Sacramenti.

Non absimilia habent Patres reliqui, Damas. lib. 4. de fide orthodoxa cap. 10. hoc nos ab Apostolis, in modo recipiendi sancti Spiritus distingui, ait, quod illis datus sit in forma ignis, nobis per oleum. *Oleum*, inquit, *ideo adhibetur quia Vnctionem nostram designat christosque nos efficit, ac Dei misericordiam, per Spiritum sanctum nobis pollicetur.* Iob Monachus in *opusculo de Sacramentis*, de Vnctione loquens. Δηλοῖ δὲ τὸ μὲν ἔλαιον τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος, silere non possum quòd Rabanus scribens de institutione clericorum retulit, *in cap. 30. lib. 1.* vt per opportunum ad fidem eius rei, de qua agimus, ibi enim cùm causas explicat, cur bis vngantur Catholici, primo in capitis vertice, secundo in fronte, hanc reddit inter cæteras, *vt priori quidem Vnctione significetur, Spiritus sancti super eos descensio, ad habitationem Deo consecrandam, in secunda autem, vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, ac scientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur.* Quòd quid ab eo dici potuerit planius, non video, esse ergo Vnctio extra Confirmationis essentiam non potest cum significet eius effectum proprium, qui est gratia.

Secunda ratio. Sacramento nomen non est, ab eo, quod ei est accidentale, ac extrinsecum, vt patet inductione facta per Sacramenta omnia, sed à re aliqua, quæ ei sit essentialis, & intrinseca, ita dicimus Baptismum, Sacramentum aquæ, de consecr. dist. 5. can. 1. Eucharistiam, *panis & vini*, August. serm. 2. de verb. Apost. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis c. 4. & dist. 2. de consecrat. can. 64. Pœnitentiam, Sacramentum confessionis, sed Confirmatio, *chrisma* dicitur à Patribus, Innoc. 3. *in cap. vnico de sacra Vnctione.* Basilio, loco citato. cap. 1. Oecumenio in hæc verba *epist. 1. Ioan. cap. 2. sed vos vnctionem habetis*, &c. vbi hæc habet quasi diceret, ἐλάβετε διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τὸ χρίσμα, τὸ ἐν ἡμῖν, id est, *accepistis per Baptismum, sacram Vnctionem.* August. contra litteras Petiliani, cap. 104. vbi Confirmationem nominat, *Sacramentum chrismatis*, Cypr. tract. de Vnctione, *vnguentum ad sanctificationem paratum*, quod ridicule non modo, sed inaniter fecissent, si sine chrismate, Confirmatio stare posset, cum eo remoto, cessaret hæc omnis eius appellatio, ergo non abhorret à vero, ad Confirmationis essentiam, chrisma exigi, vt partem eius alteram.

Tertia. Si ad gratiam in confirmati animo producendam Christus in hoc Sacramento, diuinum ac salutare oleum, vti partiale instrumentum adhibet, quin ei essentiale sit, ac intrinsecum, eiusdem voluntate ac imperio, nemo ibit (opinor) inficias, vt enim eorum, quæ Sacramento accidunt, nulla est ad effectum consequendum, qui ei cohærens est, ac proprius, necessitas, ita influxus hic, est tantum earum partium, quæ eidem Sacramento sunt intimæ, quas Theologi aiunt partialia signa esse ac symbola, nõ speculatiua vt loquuntur, sed practica, non quidem respectu omnis rei quam Sacramenta significant, cuius sunt partes, sed sanctificationis duntaxat, quam in ritè suscipientibus necessariò causant, ex instituto Christi. Sed producendæ gratiæ, in benè præparato Christiani pectore, vis est, ac potestas in chrismate, quod vnifica Antistitis dextera, fronti confirmandi imprimitur, Theodoretus author, in cap. 1. Cantic. his verbis, *sacri Baptismatis mysterium recordare, in quo, qui initiantur, post sathanæ abnegationem, & Dei confessionem veluti signo, ac nota quadam regia, spiritualis vnguenti chrismate inuncti sub ea visibili vnguenti specie, inuisibilem sanctissimi spiritus gratiam accipiunt.* Viden' vt huius authoris testimonio, Vnctio quæ tam recipientis, quàm intuentium sensibus vsurpatur, internæ sit index, eamque significando progeneret. Verè enim ab Oecumenio dictum est in cap. 2. 1. Ioannis, τὸ χρίσμα ἐκεῖ εἶναι ἡ διὰ τούτου, τὸ εἰς ἡμᾶς τὴν ἁγιαστικὴν ἐνεργοῦν πνεῦμα, id est, *Chrisma esse, eiusque ope Spiritum sanctum recipi, qui nos ducat in omnem veritatem.* Quæ omnia compleri ne-

queunt, ait Pacianus lib. 3. Bibliothecæ sanctorum Patrum, explicans hæc verba Ioann. 1. capitis. Quotquot autem receperunt eum dedit potestatem filios Dei fieri, *hæc inquam omnia complere nequeunt, nisi lauacri, & chrismatis, & Antistitis Sacramento, lauacro enim peccata purgantur, chrismate sanctus Spiritus superfunditur, vtraque verò ista, manu & ore Antistitis impetramus, atque ita totus homo renascitur & innouatur in Christo.* Qui Paciani ac Theodoreti sensus fuit, idem quoque Cypr. extitit, *ex hoc humore* (chrismate nempe nam de hoc erat ei sermo) *constat descendere omnes gratiarum diuisiones, quas Spiritus sanctus prout vult singulis distribuit, & largitur, ex huius Vnctionis beneficio, & sapientia nobis, & intellectus diuinitus datur, consilium & fortitudo cœlitus illabitur, scientia & pietas, & timor, inspirationibus supernis infunditur, hoc oleo vncti, cum spiritualibus nequitiis colluctamur*, &c. de Vnctione chrismatis num. 4.

Est ergo chrisma Confirmationi essentiale, & intrinsecum, accidentale nullo modo.

Contra dicta obiicitur primo, quæ sunt ex Florentino allata, ex mente non Concilij, sed Eugenij profecta esse, nec proinde videri eiusmodi, quæ erroris arguant, qui secus quam ille, de re præsenti sentiret.

Respondendum est, quæ sunt de fide Catholica, in eo decreto, per Eugenium Armenis tradita, hæc tum fuisse cõmuni suffragio Episcoporum omnium, qui Concilio intererant, approbata, ob eamque causam, appellari *synodale decretum.*

Deinde addo cùm in eo decreto explicetur Orthodoxæ fidei veritas, de his quę cõtinet, ambigere, vt dubiis, ac incertæ fidei, nulli esse à modo integrum, sic enim Concil. *Quibus benignissimè susceptis, sub quodam breui compendio, orthodoxa fides veritatem, quam Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacro approbante Concilio, ipsis etiam oratoribus, ad hoc consentientibus*, tradidit Eugenius Papa. Ob eam causam dixere multi, ac nouissimè Egidius de Coninch. in tert. part. S. Tho. q. 72. art. 3. dub. 1. concl. num. 29. esse de fide, materiam remotam huius Sacramenti esse chrisma, nec Catholicum vllum negare, quod ab eo (verbo absit iniuria) dictum credo consultè nonsatis, ac prudenter.

Dico postremo, quod in casu simili, scriptum video à D. Hieronymo, in dialogo contra Luciferianos. *Etsi non Concilij authoritas non subesset totius orbis, ac Ecclesia, in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret*, nam & alia multa, quæ per *traditionem in Ecclesiis obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.*

Obiicitur secundo, est Confirmatio manuum impositio. Innoc. 3. cap. vnico, de sacra Vnctione parag. per frontis chrismationem itáque appellatur ab Eusebio Pap. epist. 3. sub finem Melchiade in epist. ad Hispaniæ Episcopos, Oecum. in cap. 6. ad Hebræos, nec in scripturis, leguntur Apostoli, contulisse hoc Sacramentum, per Vnctionem, sed per nudam manuum impositionem, vt patet ex cap. 8. & 19. Actuum, non est ergo, isti Sacramento essentialis Vnctio, sed sola manuum impositio.

Respondendũ 1. Vsos *Apostolos cõmuniter chrismate in exhibitione huius Sacramenti.* secundũ D. Th. 3. part. q. 72. art. 2. ad 1. quod ipsum quoq; innuunt. Dionys. 4. Eccles. Hierarch. D. Clemens lib. 7. Constitut. Apostol. cap. 44. & 45. D. Fabianus epist. 2. ad Orientales, probatque duplex ratio.

Prima, quod alioqui tunc non contulissent idem Sacramentum, quod modo conferunt Episcopi, A quia materia, & forma fuissent omnino diuersæ, vnum autem, & idem Sacramentum, non potest constare diuersa materia, & forma essentiali.

Apostolis autem, & nobis, aliud fuisse Sacramentum, quam est id verò alienum à fide, Deique in Ecclesiam solita caritate?

Secunda ratio. Si in confirmandis Catholicis, Apostoli sola manuum impositione contenti, nullum ad id chrismatis vsum esse voluere, forma Sacramenti falsa fuit, aut si vera, aliam certè adhibuere à nostra, & ita, Sacramento, modo non vtetur eodem Ecclesia, quo illi, quæ omnia, cùm à veritate fideque abhorreant, negandum est obiectionis antecedens, quia cùm scriptura vnum memorat, aliud non excludit, argumento sunt quæ sequuntur, primum, quod 1. Pet. 3. dicimur saluari B *per Baptismum*; Ad Tit. 3. *per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti*, & tamen nemo inde prudenter, ac cùm laude inferret, contemnendae esse verba vitæ, quæ in eo Sacramẽto, sunt loco formæ.

Secundum, quod Actuum 8. & 19. dicuntur Apostoli baptizasse in nomine Christi, ab iis tamen Patrem, & Spiritum sanctum, in hoc tam sacro ministerio, præteritos esse, quis credat? Cum *Euangelicum præceptum ipso Deo, & Domino nostro saluatore, Iesu Christo tradente, nos admoneat in nomine Trinitatis, trinaetiam mersione sanctum Baptisma vnicuique tribuere*, dicente Domino discipulis suis, *Ite baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

C Respondendum 2. Impositionem manuum in Sacramento Confirmationis duplicem fuisse, vnam eius collationi præuiam, alteram ei cohærentem, ac intrinsecam, primamque Sacramento essentialem, non esse, sed secundam tantum, prima illa in eo duntaxat sita erat, vt Deus Confirmando propitius fieret, per Episcopi preces. Quam ob causam August. teste lib. 3. de Baptis. cap. 16. *Manus impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest, quid enim est aliud, quam oratio super hominem?* Quod de altera dici nequit, cum ad validitatem Sacramenti, oporteat Episcopum vngendo, ac signando, manus imponere.

Ita esse verò vt dicitur, indicat hoc argumentum, si præter eam impositionem manuum, quæ fit D signando datur alia, quæ sit de Sacramenti essentia, ad eius materiam pertinebit, aut formam, non secundum, quia ex institutione Christi, explicata per Ecclesiam, forma Sacramentorum, quæ in actione transeunte existunt, Matrimonio excepto, consistit in verbis. D. Tho. q. 60. art. 6. & Florentin. in decreto vnionis vbi ait, *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* At manus imponere capiti, non est loqui, cum omnis sermo sit vocalis, manuum ergo impositio, forma esse nequit in Sacramento, neque etiam est eius materia, quia cùm modo, nullus eius sit vsus in Ecclesia, præter quam in signatione frontis si esset es- E sentialis huic Sacramento, nostra Confirmatio, non eadem esset, quæ illius temporis, vtpotè destituta vna parte, quæ cùm erat de illius essentia, quod est contra rationẽ Sacramenti, cui intrinsecè conuenit, esse cæremoniam stabilem, certaque lege, ac perenni, à Deo ad sui cultum ac honorem positam.

Deinde vel tum fuisset eadem forma, quâ modo vtimur, vel diuersa, si secundum, recurrit prius argumentum si primum, falsa fuisset, proindeque Sacramentum nullum. Maneat ergo quod fuit in

Digitized by Google

l'eſponſione poſitum, Sacramento nullam aliam impoſitionem manuum eſſe intrinſecam, quàm quæ in obſignatione frontis cernitur, cùm nemo vngi poſſit, niſi tactu manus, eiuſque aliquali impoſitione parti vnctæ.

Dicendum 3. Apoſtolos ſola manuum impoſitione, interdum etiam oratione, Spiritum ſanctum communicaſſe iis, quos tangebant, aut pro quibus orabant, non fuiſſe id tamen, effectum Sacramenti Confirmationis, ſed Dei, abſque eo per viam extraordinariam ſanctificantis, vt iuſtificauit Apoſtolos, cùm ſub ignis ſpecie, formáque, Spiritus ſanctus die ſacro Pentecoſtes, in eos apertè & palam, eſt è Cœlo lapſus.

Reſpondendum 4. manus impoſitionem idem valere ac chriſmatis vnctionem. Innoc. III. author in cap. vn. de ſacra vnctione. *Per Frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.*

Aſſertio ſecunda. *Debet oleum quod balſamo immiſceatur, & ex quo fit chriſma, eſſe ex oliuis expreſſum.*

Argumento eſt, Primò, praxis Eccleſiæ totius, cuius meminere Auguſtinus tract. 13. in Ioann. Beda lib. 6. in Lucam, cap. 6. Secundò, ad fidem facit Innocentij III. authoritas: Interrogatus enim ecquid valeret Confirmatio, data in oleo, reſpondit cap. 1. de Sacramentis non iterandis, *ratam eſſe, nec proinde iterandam, ſed in cacauitè tantùm ſupplendum, quod fuerat prætermiſſum.*

Tertiò, quia oleum ex oliuis, ſimpliciter, & ſine addito eſt oleum, expreſſum enim à nucibus, aut amygdalis, oleum nucum dicitur, &c. Ergo cùm certum ſit ad eſſentiam huius Sacramenti requiri oleum, id non niſi de proprio, aut facto de oliuis, eſt intelligendum.

Obiicies. Ab Apoſtolis datus eſt Spiritus ſanctus, ſola impoſitione manuum, ergo vnctio eſſentialis non eſt huic Sacramento, ergo nec oleum.

Neganda eſt Conſequentia, & ad Antecedens dicendum, Primò, impoſitione manuum, idem in Scripturis ſignificari, ac vnctione chriſmatis, illamque, in hac includi, cùm nemo vngi poſſit, niſi tactu manus, eiuſque aliquali impoſitione parti vnctæ.

Secundò, dicendum, Apoſtolos ſola manuum impoſitione, interdum etiam, & prædicatione. Spiritum ſanctum communicaſſe iis, quos tangebant, aut quibus prædicabant, non tamen id fuiſſe effectum Sacramenti Confirmationis, ſed Dei ſine eo, per viam extraordinariam ſanctificantis, vt iuſtificauit Apoſtolos ſacro die Pentecoſtes. Ita D. Th. hîc art. 2. ad 1. & nos proximè præcedenti quæſt.

QVÆSTIO IV.

An ad ſubſtantiam Confirmationis pertineat, quòd oleum ſit benedictum, & ſi hoc eſt ei eſſentiale, cuius eſt benedicere, & an oleo balſamum addi oporteat.

SVppono 1. oleum, quod eſt Sacramenti huius materia, benedicendum eſſe, nam id Patres diſertè affirmant. Greg. I. in cap. 1. Cant. *Balſamo*, inquit, *cum oleo efficitur chriſma, per benedictionem Pontificis.* Eo antiquior Dionyſius, cap. 4. de Hierar. Eccleſ. conſecrandum eſſe aſſerit, ob quam fortè A cauſam Innoc. I. ep. decret. cap. 3. Cyril. Hieroſolimit. catech. 3. Optatus Mileuit. 2. contra Parmenian. illud appellant *ſacroſanctum*, & *ſanctum.*

Suppono 2. oleum hoc benedicendum eſſe tantùm ſacro die Cœnæ Dominicæ, decreto Eccleſiæ, in Concil. Vaſenſi, can. 3. Synodo Aquiſgran. ſub Ludouico Pio Imperatore, can. 8. *Statutum eſt*, inquiunt, *ibi Patres, vt ſemper in anno, in quinta Feria, quæ eſt in Cœna Domini, Vnctio ſancti olei per omnes Epiſcopos non negligatur*: quod ſancitum quoque reperio in Meld. ſub Carolo Iuniore, anno 845. can. 46. his verbis: *Vt nemo ſanctum chriſma, niſi in quinta Feria matoris Septimanæ, id eſt, in Cœna Dominica, facere præſumat*: additque Burchardus lib. 4. cap. 75. præceptum fuiſſe in eodem Concil. Presbyteris, vt in Cœna Domini tres ampullas deferrent, vnam ad chriſma, alteram ad Catechumenorum oleum, tertiam ad oleum infirmorum, ob eam cauſam, vt res ipſa loquitur, quod eo die conſecraretur ab Epiſcopo. B

Suppono 3. Quædam Sacramentis eſſe eſſentialia, qualia ſunt ea omnia, ſine quibus eſſe nequeunt, alia ſimiliter non ſubſtantialia, quæ etſi omitti ſine peccato nequeant, omiſſa tamen, Sacramentum non irritant, quo de genere hîc quæritur, an ſit olei conſecratio per Epiſcopum, idque ex Chriſti inſtitutione.

Negatiuam tenet Valentia, tomo 4. diſputatione 5. quæſt. 1. puncto 2.

Affirmatiuam Suarez, tomo 3. diſputatione 33. ſect. 1. dicto 4. Nauar. cap. 22. num. 8. Layman. de Sacram. tract. 3. de Confir. cap. 2. quæ priore mihi videtur probabilior. C

Dico 1. *Sacramentum hoc, exigere eſſentialiter, vt Chriſma, quod eſt eius remota materia, ex oleo balſamoque ſit confectum.*

Aſſertionis huius author D. Thom. q. 72. art. 2. approbatque Eugenius in decreto de Armenis, ac vtroque antiquior. Dionyſ. in Cœleſt. Hierar. cap. 4. his verbis. *Dicimus igitur vnguenti confectionem eſſe collectionem quandã ſuauiter ſpirantium materiarum, quæ in ſe magnam vim, & copiam flagrantium materiarum contineat*: paulò dilucidiùs, & ad fidem quæſtionis efficaciùs, Florentina Synodus in decreto. *Secundum Sacramentum*, inquit, *eſt Confirmatio, cuius materia, eſt Chriſma, confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ per Epiſcopum benedicto.* Cyp. de vnctione, num. 1. ait in die Cœnæ. *Sacrum chriſma confici, in quo mixtum oleo balſamum, regiæ & Sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem.* Qui præter oleum ex oliuis expreſſum, nihil in materia huius Sacramenti exigunt, opponunt contra, reſponſum Innoc. III. in cap. Paſtoralis 1. de Sacrament. non iterandis: cùm enim datis ad eum litteris, quidam doceri petiiſſet, vtrùm Confirmationis Sacramentum in eo deberet iterari, qui per errorem fuiſſet oleo, & non chriſmate delinitus, reſpondit, *quòd in talibus non eſſet aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*: ex quo ſic argumentantur aduerſarij. Si Sacramentum Confirmationis exigeret, neceſſitate Sacramenti, ad ſui complementum, balſamum, eo deficiente, repeti deberet, vtpote quod nunquam ex defectu partis ſibi eſſentialis, ac neceſſariæ collatum fuiſſet, ſed id negat Innocentius: ergo eius opinione, nihil eſt neceſſe admiſceri oleo balſamum, vt quoad ſua ſubſtantialia, ſtare poſſit hoc Sacramentum. D E

Reſpondendum eſt, cùm ex Innoc. III in cap.

Digitized by Google

veniens de Presbytero non baptizato, *non intelligatur iteratum, quod ambigitur factum*, rectè ab eodem dici, Confirmationem, quæ propter defectum substantialem fuit irrita, iterandam non esse, sed supplendam, id est, noua collatione, sic priùs vitium corrigendum esse. vt quæ priùs data non valuerat, valere incipiat, adhibendo materiam Sacramento propriam: sic enim suppletum iri, quidquid fuit culpæ admissum, in priori collatione, quæ defectu propriæ materiæ nulla fuerat.

Obiiciunt 2. Nomine chrismatis, non aliud intelligitur quàm vnctio, à χρίω, quod est vngo, at oleo peræque ac balsamo, vngi frons potest, est ik lud ergo, non istud, Sacramenti materia necessaria.

Ad maiorem dicendum est, chrismatis nomen, ex vsu, ac consuetudine loquendi Scriptorum Ecclesiasticorum, idem valere ac vnguentum, quod balsami mixturam habeat: quod sic ostenditur ex Fabiano, epist. 5. ad Orient. Episcopos, cap. 1. *Ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda*: diciturque in Carthag. Conc. 2 can. 3. Carth. 3. can. 36. Rom. 1. sub Sylu. can. 5. Hispal. 2. can. 7. Tolet. 1. can. 20. placuisse Ecclesiæ, *vt absque Episcopo nemo chrisma conficiat*, id est, vt ibidem dicitur, solus ei rei det operam Episcopus. At confectio mixturam habet, alioqui quid necesse esset id vetare Presbyteris, quos constat circa purum oleũ, moliri nihil posse, ratione cuius iusta sit eius conficiendi prohibitio, ergo, &c.

Dico 2. *Chrisma, quod est Sacramenti materia, benedicendum esse, idque à solo Episcopo.*

Partem huius Conclusionis primam disertè Patres affirmant. Gregor. I. in cap. 1. Cantic. *Ex balsamo*, inquit, *cum oleo efficitur chrisma, per benedictionem Pontificis.* Vormacience Concilium sub Adriano Papa, & Ludouico II. Imperatore can. 2. in hæc verba: *Nemo chrisma conficere præsumat, præter Episcopum, illi enim soli potestas hæc concessa est.* At hac sanctificatione, Episcopi facta voce, Confirmatio appellatur, ab Innocent. epist. 1. decret. cap. 3. Cyrillo Hierosol. cath. 3. mystagogica, *vnguentum sanctum*, ab Optat. Miluit. lib. 2. contra Parmenian. *Chrisma sacrosanctum*, à Dionysio, cap. 4. lib. de cœlest. Hierarch. θεουργὸν μύρον, *vnguentum deificum*, à Laodic. Concil. primo, can. 48. *Sacratissimum chrisma.*

Ad hæc argumenta addenda praxis Ecclesiæ continua, quæ oleo, quo facienda est Confirmatio, nunquam non benedictionem adhibuit, vt res ipsa indicat, & è Patribus citatus proximè Cyprianus, lib. epist. 1. epist. vltima, vel vt alij notarunt, 70. vbi vt diximus, inde colligit, hæreticis Sacramentum Confirmationis nullum esse, quòd oleum sanctificare nequeant, cuius argumenti vis nulla foret, si non esset hæc sanctificatio de necessitate Sacramenti. De ea sanè peræque ac de chrismate, quod ei est essentiale. Florent. in decreto loquitur, quod est indicio, credidisse Eugen. vtriusque parem esse necessitatem ad Sacramenti rationem. Carthaginense 217. Episcoporum, cui præfuit Aurelius, nam in eius canone prohibentur Presbyteri consecrare virgines, & chrisma conficere χρίειν τε καὶ μύρον ἐπιτελεῖν. *Chrismatis autem confectio sacri olei, ex mystico caremoniarum ritu consecratio est.* Zonar. Monach. in eum canon. Quæ res Cyp. in ep. 7. ad Ianuar. num. 3. causa asserendi extitit, apud hæreticos Confirmationis vsum nullum esse, quia apud eos olei creatura sanctificari non potest, qui nec Ecclesiam, nec altare habent, nec Episcopum à quo sanctificetur. At enim, inquies, non est in aliis Sacramentis materiæ ipsorum benedictio, de necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm, patet in Baptismo, qui conferri validè in aqua communi potest, nec sanctificata per Presbyterum, illis precibus, quæ in sabbatho super fontes Baptismi leguntur.

Respondeo, non sequi, quia id ex sola Dei voluntate pendet, quam ex Ecclesiæ traditione cognoscimus esse, vt in hoc Sacramento consecratio materiæ sit de Sacramenti necessitate, non autem in aliis, quamquam & huius voluntatis ratio reddi aliqua potest. Enimuerò cùm D. Thom. testimonio art. 3. Sacramentum hoc sanctificare debeat, fuit necesse, vt haberet eius materia, sanctificationem aliquam, sine qua non esset ad Sacramentum idonea, Christus autem quorumdam Sacramentorum materias per seipsum, & immediatè sanctificauit, eorum scilicet quorum materiis vsus est sacramentaliter, vt aqua in Baptismo, pane in Eucharistia, ideoque non videri esse de necessitate Sacramenti, vt adhibeatur alia sanctificatio, sed tantùm præcepti, & ad maiorem Sacramenti solemnitatem, cuius oppositum accidit in materiis quibus Christus non est vsus sacramentaliter, has enim Ecclesia sanctificat, sanctificatione quæ est de earum essentia.

Obiicies 1. Cui quod plus est, licet, eidem quoque & quod est minus, facere est permissum, Sed consecrare hostiam, quidpiam est illustrius, maiusque quàm chrisma conficere, Ergo cùm primum audere, Sacerdoti cuilibet sit in laude, erit & alterum. Maior est falsa, aliter sine Papæ licentia baptizare, confirmare, sacrare Altaria, velare virgines, quæ confectione Eucharistiæ, dignitate sunt infinitis interuallis minora, Sacerdos posset, quod tamen eum tentare Concilia prohibent.

Obiicies 2. De Iure tantùm est Ecclesiastico, benedici oleum, sacrari chrisma, est ergo authoritate Ecclesiæ talis benedictio mutabilis, ergo non vsurpanda necessariô, ad Sacramenti essentiam.

Negandæ est 1. vltima Consequentia, nam impedimenta Matrimonij, verbigratia, sunt tantùm de Iure Ecclesiastico, sunt tamen de necessitate Sacramenti seruanda, ita vt non possit cum illis validum esse Matrimonium.

2. Negandum est Antecedens. Nam vt scribit Fabianus antè citatus, à Christo sunt Apostoli modum conficiendi chrismatis edocti, id est, vt explicat Cathechismus Concil. Trident. & Balsamon, ad can. 9. Conc. Carthag. cui præfuit Cyprian. eius consecrandi, & adhibendi cæteros ritus, ad decentem Sacramenti collationem necessarios.

Et quoniam Dominus Iesus *postquam cœnauit cum Discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut à SS. Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) eos chrisma conficere docuit.* Fab. Papa suprà, non nisi in cœna Domini fieri modò placuit, quo tempore à Presbyteris recipi Concilia imperat, Vasen. 1. can. 3. Leptinen. can. 3. Meld. can. 46. quòd si id per valetudinem, aut iustam aliam causam facere vetabantur, de Clericorum numero, Diaconum sibi, aut Subdiaconum ad id munus subrogabant, qui chrisma aut oleum *chrismario imponeret, sicut Reliquiæ Sanctorum deportari solent.* Concil. Vasense 1. can. 3. Altisiodor. can. 6. pro quo quoniam Episcopi tremisses exigebant à singulis Parochis, visum est Patribus, Concil. Brac. 2. can. 4. turpe hoc facinus graui pœna interdicere, *Ne fortè quod pro salute animarum per inuocationem sancti Spiritus*

cõſecratur ſicut Simon magus donum Dei pecunia voluit A *emere, ita illi venundantes damnabiliter venundarentur.*

Ex dictis patet primo Chriſti Domini voluntate neceſſarium eſſe, vt materia huius Sacramenti ſit conſecrata, ab Epiſcopo, & non alio. Quare conſecrata? quia decet vt ſenſibilis materia antequam ad animæ ſanctificationem adhibeatur ſecernatur à vulgari & profano vſu per benedictionem. Quare ab Epiſcopo & non alio? quia Chriſti perſonam expreſſius repræſentat quàm quilibet alius Presbyter, decuit ergo, ab eo potiſſimum chriſma conſecrari, vt palam eſſet Sacramentorum vim omnem, ac virtutem à Chriſto eſſe.

Patet 2. de neceſſitate Sacramenti huius eſſe, B ex parte materiæ eius remotæ, primo, vt conferatur in chriſmate, confecto ex oleo & balſamo, Concil. Florent. ſupra paragr. ſecundum Sacramentum. D. Th. q. 72. art. 2. & 3. Infertur 3. eſſe eadem neceſſitate, neceſſarium vt prædictum chriſma, ſit cõſecratum, per orationes ſolitas Eccleſiæ rituſque, ab ea ad hanc rem præfixos, ſicque deſtinetur ad vſum Sacramenti, quo fiat vt poſt hac, vſibus profanis applicari non poſſit.

Infertur 4. Epiſcopum non poſſe in huius collatione Sacramenti vti oleo per ſimplicem ſacerdotem benedicto, Suarez tom. 3. diſp. 33. ſect. 2. paragr. in ſecunda petitur, Sotus in quarto, diſtinctione ſeptima, quæſtione vnica artic. 3. ratio eſt C quòd tale oleum, propria non ſit ac idonea Sacramenti huius materia.

Infertur 5. Pontifici integrum non eſſe, facultatem committere ſacerdoti ſimplici, conſecrandi huius olei, eo quòd iure diuino, ſint hæ partes Epiſcopi propriæ.

Infertur 6. pertinere ad eſſentiam huius Sacramenti, ac proinde eſſe de neceſſitate Sacramenti, vt Vnctio, Epiſcopi manu fiat in fronte, & in crucis figuram, Suarez diſp. 13. ſect. 3. & communis Theologorum opinio apud Ægid. art. 1. dub. 1. num. 50.

Septimo oleũ quod immiſcetur Balſamo, neceſſitate Sacramenti, eſſe debere ex oliuis expreſſum, non nucibus aut alia materia, cuius rei ratio eſt D à nobis reddita antea, nec hic repetenda.

Iam indagandum quæ ſint conditiones neceſſariæ neceſſitate præcepti ex parte materiæ remotæ Confirmationis ad vitandum peccatum.

Et dico *requiri* 1. *neceſſitate præcepti in hoc Sacramento, vt chriſma ſit nouum, & illius anni in quo datur.* Nam quidquid veteris remanet, id eſt conſecrati priori anno, authoritate canonum eſt vrendum, can. ſi quis de alio de conſecrat. diſt. 4. & can. litteris diſtinct. 3. qua de re clariſſimè Fab. Papa in epiſt. ad Orientales. *Ipſius*, inquit, *ſancti chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt facienda, & de anno in annum renouanda, & vetus chriſma in ſanctis Eccleſiis cremandum ſtatà ſanctis Apoſtolis, & ab eorum ſucceſſoribus accepimus vobiſque tenenda mandamus, hæc ſancta Romana Eccleſia, & Antiochena à tempore* E *Apoſtolorum cuſtodit.*

Secundo in eorum opinione qui aſſerunt Sacramento huic eſſentiale non eſſe, vt balſamum immiſceatur oleo, vt Caiet. 3. parte q. 79. art. 2. Victoria in ſumma nu. 40. de Vtuald. materia confirm. num. 2. *id ſaltem requiritur præcepti neceſſitate*, nam cùm Florentinum in decreto Eugenij ſtatuerit materiam huius Sacramenti eſſe chriſma ex oleo & balſamo confectum, omitti hæc mixtura non poteſt ſine culpa, in noſtra autem ſententia, ſine Sacramenti irritatione manifeſta, eo quòd vt eſt probatum antea ſit de eius eſſentia.

Tertio neceſſitate præcepti ex parte materiæ proximæ exigitur, vt Vnctio fiat pollice manus dextera, intincto in chriſmate, Suar. diſp. 33. ſect. 3. quia etſi fieret adhibito alio digito etiam manus ſiniſtræ, verè tamen fieret per impoſitionem manus Epiſcopalis, non tamen ſine peccato, quia eſſet contra conſuetudinem Eccleſiæ.

QVÆSTIO V.

Quæ ſit materia propinqua Confirmationis.

Aſſertio prima. *Materia proxima Confirmationis eſt Vnctio.*

1. Quia eius meminere Patres vt partis ad illius eſſentiam neceſſariæ, nam per eam Spiritum ſanctum infundi homini docuere, Dionyſ. Cyrillus Achanaſ. primus quidem cap. 4. Cœleſt. Hierarch. ſecundus Cathec. 3. poſtremus in epiſt. ad Serapionem, vbi Confirmatos nominat χριομένους, *inunctos*, σφραγιζομένους, *ſigillatos*, qua de re poſtea, modo dixiſſe ſufficiat, id in Sacramento tenere locum materiæ proximæ, quod ſignificatur per formam, at eiuſmodi eſt Vnctio in Confirmatione, vt patet ex his verbis *Confirmo te chriſmate ſalutis in nomine*, &c.

2. Chriſma abſolutè ſpectatum, non ſignificat gratiam, ſed applicatum: applicatur autem per Vnctionem, eſt hæc ergo adhibenda.

3. Eſt id Sacramenti materia proxima in quod cadit eius forma, quodque effectum Sacramenti ſignificat, & facit, talis eſt Vnctio, in Confirmatione cum Tertull. teſte de reſurrect. carnis cap. 8. *Caro vngatur vt anima conſecretur, caro inungatur, vt anima illuminetur.*

Dico ſecundo. *Vnctionem hanc in crucis formam, effingendam eſſe in fronte Confirmati, manu Epiſcopi.* De cruce eiuſque forma, hæc habet Ambroſ. lib. 6. de Sacram. cap. 2. *Vnxit te Deus, ſignauit te Chriſtus, quo modo? quia crucis ipſius ſignatus es forma, ad illius paſſionem, accepiſti ſignaculum, ad illius ſimilitudinem, vt ad ipſius formam reſurgas.* Cur autem eam in fronte adhiberi oporteat Auguſt. in Pſal. 141. ſic explicat. *Vſque adeo de cruce non erubeſco, vt non in occulto loco habeam crucem Chriſti, ſed in fronte portem. Noſtra Sacramenta aliter atque aliter accipimus, quædam ficuti noſtis, ore accipimus. Quadam per totum corpus, quia verò in fronte, erubeſcitur, ille qui dixit, qui me erubuerit coram hominibus, & ipſam ignominiam quodam modo, & quam Pagani irrident in loco pudoris conſtituit.*

Crucem ſanè in ea parte corporis formari ſolitam ab Epiſcopis Sacramentum hoc conferentibus, indicat 1. vſus ipſe Eccleſiæ, *qua omnia chriſma ſacerdotalia*, id eſt, *miniſterij ſacerdotalis, crucis ſigno perficit.* canone nunquid de conſecratione diſtinctione 4. quem morem ipſi quoque Patres ſignificant & approbant, Dionyſ. Eccl. Hierarch. c. 2. p. 2. Tertull. lib. de Præſcriptionib. cap. 40. & ab hoc ſigno Confirmationem appellatam eſſe video à Cypriano in epiſt. ad Iubaianum 73. num. 8. *ſignaculum Dominicum*, abſolute & ſine addito *ſignaculum*, ab Ambroſio lib. de iis qui initiantur cap. 7. Greg. Turonenſ. lib. 2. de geſtis Franc. cap. 31. Greg. Nazianz. in oratione ad ſanctum lauacrum, Cyrillo Hieroſolymitano Catech. quarta, my-

ſtagog. à Prudentio in Pſychomachia : A

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentum regale datum eſt, & chriſma perenne.

An autem iſtiuſmodi crucis in fronte expreſſio, formatioque, Confirmationi ſit eſſentialis, iam eſt videndum, ac miſſis ea de re ſententiis.

Dico tertio. *Eſſe de neceſſitate Sacramenti, vt ſignum crucis ipſa vnctione formetur.*

1. Quia Eccleſia circa ea quæ Sacramentis ſunt eſſentialia, errare non poteſt, at hæc præſcribit, vt ſignum crucis ipſa Vnctione efformetur, eſt ergo talis efformatio Confirmationi intrinſeca ac eſſentialis.

2. Eſt id eſſentiale Sacramento, quod per eius formam ſignificatur, ſed his verbis *ſigno te, ſigno crucis, & Confirmo te chriſmate ſalutis*, in quibus eſt vis B tota, eſſentiaque formæ ſignificatur crucem cùm Vnctione exprimi, ergo ne ſit falſa, cruce ſignari confirmatum neceſſe eſt, idque in fronte manu Epiſcopi.

De fronte res eſt extra controuerſiam, patetque ex vſu Eccleſiæ, ac communi Patrum & canonum ſententia, dicentium hanc ſignationem in fronte fieri, vt in Florentino, cum de Armenis agitur, & in can. 119. diſtinct. 4. de conſecrat. & ex cap. 3. epiſt. 1. Innocentij ad Decentium hæc refert, Gratianus *Presbyteros (ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizant) chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum paracletum.* 2. Gregor. Pap. 1. in eandem ſententiam ſcribit lib. 3. epiſt. 9. C ad Ianuarium Calaritan. Presbyteros poſſe quidem baptizatos vngere in pectore, non tamen ſacrare in frontibus chriſmate. Quod quidem propria manu Epiſcopos facere eſt neceſſe, alioqui forma eſſet falſa, cum hic inter vngendum actionem ſignificet cuius ipſe ſit cauſa, vt indicant verba ipſa formæ, *ſigno te ſigno crucis, & Confirmo te chriſmate ſalutis.*

Deinde eſt manuum impoſitio, eſſentialis huic Sacramento, at hæc ex inſtitutione Chriſti, non eſt alia, quam quæ fit vngendo, vt ante oſtendimus, & patet ex praxi communi Eccleſiæ, quæ enim præcedit prolationem formæ, hæc potius cæremoniæ rationem habet, quam materiæ, cuius rei argumento eſſe poteſt, quod talem impoſitionem, forma non D denotet, vt patet ex libro qui Romanus inſcribitur, vbi in officio Sabbathi ſancti legimus, *vt Pontifex* eleuata manu, & impoſita ſuper capita omnium, dicat orationem ſuper eos, cum inuocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti, atque in fine orationis dicitur ad Deum, *conſigna eos ſigno crucis Chriſti in vitam propitiatus æternam, Amen.* Quibus expletis Epiſcopus, tum demum tincto pollice, in chriſmate facit crucem in frontibus ſingulorum dicendo. *Signo te cruce*, &c. quæ omnia indicant huiuſmodi impoſitionem manuum ante Vnctionem Sacramento accidentalem eſſe, de eius eſſentia, nullo modo.

Confirmatur. Non eſt Sacramentum cum innocatur Spiritus ſanctus, ſed cùm datur, at hoc vltimum fit per Vnctionem frontis, cum adiectione E formæ *ſigno te ſigno crucis, & Confirmo te chriſmate ſalutis*, non eſt ergo prior manuum impoſitio, Sacramento huic intrinſeca, ſed accidentalis, aliud enim eſt oratio & ſancti chriſmatis exhibitio.

QVÆSTIO VI.

Quæ verba conſtituant formam Sacramenti Confirmationis.

EST Confirmationis forma in his verbis poſita, *ſigno te ſigno crucis, & Confirmo te chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Primo enim cauſam Sacramenti præcipuam ſignificant, quæ eſt ſancta Trinitas, ſpirituale robur tribuens ad Confirmationem fidei faciendam ſuo tempore, cuius myſterij fides quemadmodum in Baptiſmo, ita & in hoc Sacramento eſt fideli tenenda, ac profitenda cùm ſalus proximi Deique gloria exigent.

Secundo denotat gratiam, quæ datur per vnctionem viſibilem in hoc Sacramento, atque iis verbis exprimitur, *Confirmo te chriſmate ſalutis*, poſtremo ſignum militare, quod Confirmato imprimitur, vt per illud Chriſtianæ militiæ adiungatur, contineturque his verbis, *Signo te ſigno crucis*, quæ omnia ab Apoſtolo ſunt notata ſecundæ ad Corinth. 1. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, qui vnxit nos & ſignauit, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.*

Et verò cùm Eccleſia Sacramentorum vſum legitimum habeat ex cap. ad abolendam de hæreticis nec in iis errare poſſit, cum ſit fundamentum & columna veritatis teſte Paulo, ſi in adminiſtratione huius Sacramenti vtitur, ſemperque eſt vſa, verbis allatis, non poſſunt hæc non eſſe ei eſſentialia. At verum eſt prius, ex Florentino, & praxi antiqua ſæculorum omnium, & quoniam non eſt in more dicto Concilio, ponere alia verba, quam quæ ſunt eſſentialia, ſequitur verba hæc duo omitti non poſſe ſine Sacramenti periculo, ac iactura, cùm Eugenius eorum meminerit tanquam rei neceſſariæ, vt diſtincte exprimatur ſignum militare quo Confirmatus ornatur, ac eius menti altiùs imprimatur.

QVÆSTIO VII.

Quis ſit miniſter Confirmationis.

PRima Aſſertio. *Epiſcopus, ordinarius eſt huius Sacramenti miniſter.*

Ita Euſebius Pap. epiſt. 3. ad Tuſciæ Epiſcopos, Innocent. 3. cap. 4. de conſuetudine & in decretali quæ inſerta eſt tom. 3. Conciliorum : ibi enim morem arguit quem in Eccleſia corruptela temporum inuexerat. *Vt Corepiſcopi* (verba ſunt Pontificis) *vltra modum progredientes donum Spiritus ſancti per impoſitionem manuum traderent, & alia quæ ſolis Pontificibus conuenirent, præter fas agerent cum nullus ex 70. diſcipulis, quorum ſpeciem in Eccleſia gerũt, legatur donum ſancti Spiritus tradidiſſe per manus impoſitionem* Cyprianus in eandem ſententiam, ſcribit præpoſitis Eccleſiæ offerendos eſſe, qui confirmari volunt, ſic enim in epiſt. ad Iubaianum num. 8. *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ* (id. Epiſcopis ſecundum interpretationem Pamnelij in epiſt. 3. Cypr.) *offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur & ſignaculo dominico conſummentur.*

Equidem

Equidem de solis Apostolis legitur, quorum successores sunt Episcopi, quòd per manuum impositionem Spiritum sanctum dabant. Innoc. III. cap. vnico de sacra vnctione, quod officij genus Confirmatione demonstratur: hinc illa vox Concil. Trid. Sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis Ministrum, non esse Episcopum, sed quemuis Sacerdotem, anathema sit.* & in Conc. Brac. 1. can. 37. memorant Patres *placuisse sibi* (verba sunt Concilij) *vt si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit chrisma benedicere, ac proinde confirmare, à suo officio deponatur, cùm hoc antiqui canones vetuerint.*

Prohibitionis causa hæc fuit, quòd Sacramentum Confirmationis sacramentum sit perfectionis, communiter ergo non est eius administratio aliis attribuenda, quàm perfectis: tales sunt Episcopi ratione status sui, non Presbyteri.

Secundò, adscribere ad militiam, est Imperatorum tantùm vel Ducum, at Episcopi soli hoc sibi nomen in causa animæ, vsuque rerum ad salutem spectantium vindicant, ergo &c. Quare concludendum cum Florent. quòd cùm cæteras vnctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi ab Episcopis conferendam videri.

Secunda Assertio. *Loquuntur tamen Historiæ Patrum memoria, iustis admodum & vrgentibus de causis, simplicem Sacerdotem, dispensante Papa munus confirmandi exercuisse.*

Indicant Concilia, Flor. in decr. Senonen. can. 38. tom. 4. Conc. Regien. in Gallia, Sixto III. præside, ad an. 438. in eo enim Præsules de Presbytero sic statuunt, can. 4. vt *in Ecclesia in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmãdi neophytum ius habeat.* quod decretum in Arausic. 1. sub Leone, an. 440. renouari placuit his verbis can. 2. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholicos esse desiderent, si defit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate & benedictione placet consignari.*

Ad quæ Conciliorum decreta bina accedit factum Gregorij, qui vt est lib. 3. ep. 23. id olim Presbytero cuidam concessit in Sardinia: quod & Florent. in vnione Armenorum approbat, cùm ab Apost. Sede narrat ex rationabili causa cum Sacerdote olim dispensatum esse, vt baptizatos chrismate vngeret, quod & Trid. fieri posse tacitè innuit. Sess. 7. affirmãdo huius Sacramenti Ministrum ordinarium esse Episcopum: infertur hinc enim alteri extraordinariè committi hoc munus, & per commissionem ex rationabili, iustaque causa ab eo administrari posse, iustam dixi, quia vt hæc commissio sit licita, requiritur eiusmodi causa, non tamen vt sit valida. Henriq. l. 3. c. 6. n. 4.

Obiicies, si Sacerdoti committi potest hæc prouincia, quidpiam quod est diuini iuris, in Sacramenti huius ministerio, vsuque, mutabitur, nempe Minister, quo nihil esse, dicique potest absurdius.

Argumenti sequela est neganda, nam etsi Deo sit ita visum vt Episcopi huius Sacramenti ordinarij Ministri essent, tamen non prohibuit ne extraordinariè, & in casu necessitatis alij ab illis illud administrent, quod non mutat diuinam institutionem, sicut nec mutatur, cùm Baptismus datur in necessitate à Laïco, etsi Minister eius ordinarius & communis sit Presbyter.

Ita contra diuinam institutionem nihil aggreditur Pontifex, potestatem concedendo Sacerdoti chrismandi, sed in eo potius diuinæ volũtati obsecundat, cui placuit in necessitate, huius Sacramenti Ministrum esse alium à communi ac vulgari; ac cùm res temporaque exigunt, abesse Episcopum à prouincia, ad illud conferendum adhibere Presbyterum, tanquam Ministrum eius extraordinarium.

Tertia Assertio. *Non potest tamen Pontifex Diacono, nedum Laico confirmandi vllius potestatem facere.*

Primò, quòd in his, quæ diuini sunt iuris, Papæ dispensare non liceat, nisi iuxta modum ac mensuram ipso iure præstitutam: At institutionis est diuinæ, proindeque & iuris alterius ab humano, illoque longè maioris, quòd Confirmatio vulgo detur ab Episcopo, præter ordinem autem vsitatum, ac communem, ex eiusdem Dei voluntate, à Presbytero, vt Ecclesiæ antiqua praxis, diuinæ super hoc voluntatis interpres declarat, vt autem à Diacono, vel Laïco conferatur, nec per se, nec per Ecclesiam consentit, non per se, quia de tali consensu, nihil habent sacræ Litteræ, non per Ecclesiam, quia id illis in Concilij Toletani primi can. 2. prohibitum, legitur: ergo id illis à Papa concedi nequit.

Secundò, maius est quidpiam, præstantiusque frontem sacro linire chrismate, quàm Ecclesiæ per Baptismum adiungere, at hoc postremum non nisi in necessitate, & cùm extrema, dubiaque sunt animæ tempora, concessum est Diacono aggredi citra facultatem Episcopi, vel Parochi, cum ea autem quolibet alio tempore, ergo frontem inungere, vt solet in Confirmatione, nulla authoritate licentiaque potest.

Quæres quid sit quamobrem summus Ecclesiæ Romanæ Præses, possit ad hoc ministerium sanctum & nobile, Presbytero vti, non Diacono vel aliis..

Respondeo, accidere hoc ideo, quòd Presbyter beneficio sacri Ordinis, prouinciæ huius obeundæ sit capax, potentiam siquidem remotam habet, quæ accessione Pontificiæ voluntatis, eiusque designatione liberali ac gratuita, ad hoc munus fit sufficiens, completa & propinqua confirmandis fidelibus, non aduentu rei vllius veræ ac realis, quæ sacerdotali Ordini aut characteri ab hac commissione accidat, sed moralis tantùm, quæ ex institutione diuina, complet eam potestatem, quæ in Sacerdote ex vi suæ Ordinationis erat incompleta duntaxat, diminuta & inefficax. Qua potestate, cùm Diaconi, Laïcique careant, mirandum non est, si illis quasi substitutis operis, ad hoc munus vti nequeat.

De qua subrogatione placet hoc primum aduertere, eam non nisi à Romano Pontifice fieri posse. De Graphiis lib. 1. decision. aurear. parte 2. cap. 5. Reginal. tomo 2. lib. 28. cap. 4. num. 19.

Primò, quòd Confirmatio inanis sit ac nulla, quæ est ab alio quàm Episcopo collata, sine Papæ priuilegio, can. manus 4. de consecrat. dist. 5. cap. quanto de consuet. 4. Secundò, quòd Sacerdoti committi possit officium frontis vngendæ deifico ac salutari chrismate, effectus est in Romano Pontifice, non Ordinis, quem parem cum eo cæteri Præsules habent, sed Pontificatus summi, ac potestatis quæ in eo est maxima, quali carent cæteri Præsules, qua cum ei primò ac immediatè sit dictum in persona Petri, Ioannis vltimo, *Pasce oues meas.* Tertiò notare lubet, hoc esse discrimen, inter Episcopum confirmantem ex officio, & Sacerdotem, ex delegatione, quòd hic aliis Sacramentum impertiri nequeat, quàm quorum confirmandorum potestatem à Papa habet, cùm hæc sit definita, atque ad certam vrbem, ac prouinciam cohibita, restrictaque, cùm ex opposita causa, Episcopus quoslibet & vbilibet confirmare possit validè, etsi fortè non licitè: ratio est quòd Sacramenti

confectio, à charactere Episcopali pendeat, non à iurisdictione externi fori, legitimaq; vlla potestate in eos quibus Episc. hoc Sacramentum largitur. At enim, inquies, Ananias Actorum 9. Paulum impositione sacra manuum Spiritu sancto beatum effecit, quod idem ipsum erat, fœlici Apostolorum æuo, ac modo linire oleo, chrismare balsamo, Christi militem ad pugnam acuere, hortari, confirmare: hinc enim argumentari sic libet. Non fuit Ananias sacro vllo Ecclesiæ Ordine, nominatim præ Laicis inclytus, Clemente teste 8. Constitut. cap. vltimo. Cui rei fides quoque est à Paulo Actorum 22. vbi Ananiæ meminit, vt hominis, alia nulla laude speciatim commendandi præ plebe, quàm qtod magno impetu animi, virtuti daret operam, Deũ autem, qui vitæ fructus est longè suauissimus, impensè coleret, à quo cultu in paucis religiosus audiit, *vir*, inquit, *timoratus venit ad me*, quam ad laudem si aliquot accessissent honorum tituli, Presbyterij, Episcopatus, Magisterij, in Christianorum cœtu, non eos tacitè præteriisset, Apostolus, sed huic gloriæ, *Vir quidam timoratus*, adiunxisset & illam, quæ arcessita à gradu nimium quantum famam auxisset, ac prædicationem Ananiæ.

Responsio triplex, Prima, Manus Paulo ab Anania impositas, non confirmandi, sed sanandi causâ, iuxta illud Marci vltimo, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Quod autem de Spiritu sancto additur, id hunc habet sensum, eo Paulum complendum fuisse non immediatè, & pro eo instanti quo se Ananias ad eum missum narrabat, *vt impleretur Spiritu sancto*, sed suo tempore & loco.

Secunda, vt Christus potestate excellentiæ Sacramentorum ordinem peruertit, in Anania (nam si est hæc manuum impositio, idem ac Confirmatio, priùs oportuit hoc Sacramento donatum Paulum esse, quàm Baptismo) ita & potuit ad ea Ministris aliis, vti quàm ordinariis, proindeque & Anania, laïco homine, quod qui Pontifici Romano tribuere tamen honestè velit, & possit, non video.

Tertia, falsum esse, Ananiæ locum inter Episcopos nullum fuisse, talem enim nominat Dorotheus martyr in Synopsi, nec sine coniectura probabili. Enimuerò Sacerdos fuit, Augustino teste, lib. 2. Euangelicarum quæstionum, cap. 4. At qui primis Ecclesiæ nascentis temporibus, sacerdotio insignes erant, erant hi quoque communiter Episcopali charactere nobiles, testimonio Hieronymi in cap. primum ad Titum, & epist. 85. quæ si verè ab iis narrantur, dicta est causa, factum Ananiæ, Laïcis non potest prodesse.

natus, ergo Confirmationi præmittendus est Baptismus.

Quartò, prius est rem esse quæ debet perfici, quàm sit perfectio ei adueniens: at Confirmatio Baptismi gratiam perficit, *Spiritus enim sanctus*, inquit Melchiades in epist. ad Episcop. Hispaniæ cap. 2. *qui super aqua Baptismi salutifero descendit illapsu, in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam*, est ergo Confirmatio Bapt. posterior.

Secunda conditio essentialis confirmationi est, quòd ante recepta non fuerit, quia hoc Sacramentum est irreiterabile, ex Trid. Sess. 7. can. 9. August. 2. contra epist. Petiliani, cap. 104. can. dictum 8. can de homine 9., de consecrat. dist. 5. causa est, quòd Confirmatio characterem imprimat, at peccato non vacat confirmatum iteratò contra Dei Ecclesiæque decreta confirmare: neuter tamen incurrit irregularitatem, ex Couarr. in Clement. primam de homicidio, parte prima, numero 8. Ægidio de Confirmatione, art. 1. Ratio est, quòd irregularitas nunquam incurratur nisi in casibus iure expressis, cap. is qui in Ecclesia 18. de sententia excomunicationis in 6. sed nullo iure expressum est, tam eum qui se patitur denuò confirmari, quàm qui confirmat, irregulares esse, patet ex can. dictum, & can. sequenti de consecratione, dist. 5. vbi huius pœnæ nulla fit mentio, ergo pro tali tam confirmatus, quàm qui secundò confirmat, non sunt habendi.

Obiicit Navarrus. Irregularitas rebaptizantem ac rebaptizatum afficit, ergo & secundò confirmantem ac confirmatum scienter ac cum ratione.

Neganda est Consequentia. Primò, quia in pœnis argumenta à simili nullarum sunt virium, vt habet Reginaldus tomo 1. de legibus. Secundò, quia Baptismi & Confirmationis dispar est ratio, illius enim iteratio grauior est, quàm Confirmationis. Cùm enim Baptisma passionis sit, ac sepulturæ Christi imago & vmbra; non Confirmatio, geminare scienter Baptismũ, est velle tacitè indicare Christum non semel tantùm esse mortuum, sed sæpiùs, quod est falsum & contra fidem.

Tertiò, quia est irregularitas primò in odium Donatistarum imposita rebaprizantibus, postea communicata cum omnibus, qui eorum sequuti exemplum, adultos iuxta ac pueros iteratò sactis vndis lauabant. cap. 2. de Apostatis, quale nihil statuere Pontifices in eos qui Confirmationem secundò, ac tertiò frequentandam sibi, ad vberiores fructus gratiæ credebant.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit Confirmationi essentiale ex parte eius, qui illam recipit.

CONditiones essentiales Confirmationi ex parte suscipientis, sunt duæ.

Prima, est prævia Baptismi susceptio, 1. quia Baptismus Sacramentor. omnium est ianua. 2. Sine eo Sacramentum Ordinis non subsistit extra de Presbytero non baptizato, ergo nec Confirmatio. 3. Per Baptismum in Christo nascimur, Confirmatione crescimus, per Baptismum generamur, Confirmatione roboramur, can. Spiritus sanctus 1. de consecrat. dist. 5. At nemo roboratur, ac crescit, nisi

QVÆSTIO IX.

Quid ex parte suscipientis exigatur in hoc Sacramento, necessitate præcepti, ad vitandum peccatum.

ÆTas primò requiritur sufficiens, qualis est eorum, qui rationis, ac sui sunt compotes. Datur enim hoc Sacramentum fideli, ad pugnam pro Christi gloria capescendam constanter ac fortiter: sed ante vsum rationis ad eam quis est idoneus? Expectanda est ergo ad Confirmationem ratio, quæ ad eius susceptæ memoriam iuuat, hæcque ad fugiendam eiusdem iterationem.

Probabilis tamen est illiorum sententia, qui aiunt, vbi iusta est causa, conferri illico posse post Baptis-

mum, vt mos olim erat primitiuæ Ecclesiæ. Gloſſa in can. vt ieiuni de conſecrat. diſt. 5. Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 7. & 8. Rabanus lib. 1. inſtitut. Cleric. cap. 10. Graſius deciſionum par. 2. lib. 1. c. 5. num. 27. qui mos quoniam deſiit, ſeptimus ætatis annus modo ad eam ſufficit, nam cùm eo tempore pueri fidem ſuam puellæ obligare, validaque ſponſalia contrahere poſſint, ab hoc eos Sacramento, arcendos eo tempore, ob defectum rationis quis exiſtimet? Quid? quod eo tempore annumerari Clericis, & inter eos cooptari poſſint per Tonſuram, vt ait Gloſſa in cap. vltim. de tempor. ordinat. in 6. Palud. in 4. diſt. 7. q. 4. art. 2. ergo & ad Chriſti militiam per hoc Sacramentum.

Non eſt tamen hæc ætas ſeptennij, ita ſtata, ſtabilis, ac certa, vt eam ſeruari perpetuo ſit neceſſe. 1. enim Confirmari puerum poſſe antequam ad eam peruenerit ſi ratione ſit præditus, communis eſt Doctorum opinio. 2. ſi poſtmodum non ſit habiturus occaſionem recipiendi Sacramenti. 3. Si verſetur in extremis, & paulò pòſt, putetur moriturus. 4. Si conſuetudo Diœceſis habeat, vt ante dictam ætatem, Sacramenti huius cenſeatur capax eſſe. Et hæc de ætate.

Secundo requiritur Patrinus, non quidem de neceſſitate Sacramenti, cum ſine eo & ſtare, & ratum eſſe poſſit, ſecundum Innocentium in caput final. de Baptiſmo, ſed neceſſitate ſola præcepti nempe ne quid contra praxim formamque introductam ab Eccleſia peccetur, & hunc oportet eſſe alium ab eo qui baptizatum leuauit de fonte 30. q. 1. can. 1. 2. 3. 4. & 6. & 30. q. 4. can. ſi quis Syl. verbo Confirmatio num. 4. quia idem bis non generat eundem inquit de Graſſiis, ſed hæc ratio meo iudicio non probat, cum gratia quæ datur per confirmationem generationis inſtar non habeat. Quare recurrendum eſt ad præceptum Eccleſiæ id ſic ordinantis, quemadmodum quòd hic patrinus vnicus eſſe debeat non plures, can. non plures 101. diſt. 4. & can. in Catechiſmo can. 100.

Tertio Confirmatus debet frontem linteo tegere, tum ob reuerentiam chriſmatis, ne ſtatim deteratur, tum vt ſibi intelligat in id incumbendum eſſe, vt gratiam Confirmationis, illibatam ſeruet ac integram.

Poſtremo debet ſuſcipiens eſſe probabiliter in gratia, ne obicem ei, quæ eſt huius Sacramenti propria, ponat, quam opinionem vt honeſtè de ſe poſſit concipere, id laborare debet, vt peccata ſi quorum eſt conſcius dolore retractet, tui vt ad effectum gratiæ huius Sacramenti propriæ ſufficiat, habere eum debet probabiliter pro contritione, etſi in re non ſit niſi attritio ſecundum Gregorium de Valent. diſp. 5. q. 1. puncto 4. Regin. tomo 2. lib. 28. cap. 6. num. 34. Soto in 4. diſtinct. 7. q. vnica art. 7. Cauſa eſt quòd prius ſit eſſe ſupernaturaliter quàm creſcere & augeri, facit ergo contra inſtitutionem, & naturam huius Sacramenti, qui ab eo augmentum expectat gratiæ, antequam eam poſſideat, at poſſidetur per confeſſionem cum attritione, aut extra Sacramentum per contritionem veram, debet ergo Confirmandus credere dolorem ſuum talem eſſe, quando ſine confeſſione, accedit ad hoc Sacramentum.

QVÆSTIO X.

Quinam eſſe poſſint ſponſores Confirmati in hoc Sacramento.

NOn alij quàm qui ante Chriſto nomen dedere in Baptiſmo, fideique Chriſtianæ myſteria probè callent, cum enim iis confirmatum imbuere debeant, errorumque tenebras inſidentes eius menti veritatis clara luce diſpellere, etiam me tacente quiuis intelligit alienum à ſacris noſtris facere id non poſſe cum fructu, & commodo confirmati, vt ſponſorem tamen oporteret facere, non eſt tamen improbabile ſecundum Henriq. cap. 3. n. 3. à patrino Confirmationis, obligationem inſtruendi Cõfirmati non contrahi, cum id iure ſtatutum non reperiatur. Nominatim autẽ miniſterium hoc obire prohibetur vir reſpectu ſuæ vxoris, cum repugnet hunc iſti Patrem eſſe. Deinde cùm eam ſuſceptionem conſequatur ſpiritalis affinitas, ſicut in Baptiſmo, dare ambo liberis operam non poſſent, qua ſe poteſtate priuare, niſi ſuo magno incommodo, ac cùm periculo peccandi probabili nequeunt.

Sunt ab eo quoque reinouendi, pater reſpectu filij, hic illius, frater ſororis, quia expedit eiuſmodi officia plena charitatis ac beneuolentiæ, propagari per alios nullo ſibi propinquitatis vinculo inuicem cohærentes, vt ſic inter familias firmentur amicitiæ, creſcat virtus, ad bonarum rerum ſtudia accendantur animi.

Tertio ſuſceptorum munere fungi in hoc Sacramento, religioſi, & monachi nequeunt, ne cùm alienis negotiis, ab inſtituto vitæ ſuæ implicantur, pietatis fructum, ſine qua religioſi rem nomenque ſuſtinere nequeunt, turpi fœdoque facto amittant.

QVÆSTIO XI.

Qui ſint effectus huius Sacramenti.

PRimus ac præcipuus Sacramenti huius effectus eſt gratia ſanctificans, Theodoretus in 1. canticorum. *Sacri Baptiſmatis myſterium recordare*, inquit, *in quo qui initiantur poſt ſathanæ abnegationem, & Dei confeſſionem velut ſigno ac nota quadam regia ſpiritalis vnguenti chriſmate inunctis, ſub ea viſibili vnguenti ſpecie, inuiſibilem ſancti Spiritus gratiam ſuſcipiunt.* Cyrillus Hieroſolymitan. Catech. 3. Myſtag. ἐν τῷ φαινομένῳ μέρει τὸ σῶμα χρίεται τῷ ἁγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι, ἡ ψυχὴ ἁγιάζεται. S. Thom. q. 72. art. 1. & 7. eo alludens ait hominem, *In Confirmatione accipere quaſi quandam perfectam ætatem vitæ ſpiritalis.* Similia habent Cypr. lib. 2. epiſt. 1. D. Aug. in epiſt. Ioan. tract. 6. *Si vis noſſe* (inquit) *virum acceperis Spiritum ſanctum qui per manus impoſitionem nunc datur, interroga cor tuum ne fortè cum Sacramentum habes rem Sacramenti non habeas.* Dionyſ. Eccleſ. Hierarch. cap. 4. *Aduentum Spiritus ſancti conſummans vnguenti inunctio elargitur.* His enim authoribus idem eſt Spiritus ſanctus quod ſanctificans gratia, præcipuus eius effectus, quam qui negat per hoc Sacramentum conferri, eſt anathema ſecundùm Trident. ſeſſ. 7. canone 6. 7. & 8. Et verò eſt Confirmatio verum Sacramentum Trid. ibi can. 1. ergo ſignum latentis gratiæ quam

Digitized by Google

efficit, Antecedens ante est probatum consequentia quoque est certa, nam Sacramenta nouæ legis quod significant faciunt, cum sint signa practica.

Huic effectui agnati sunt alij, primus est, hominem perficere. Dionysius Eccles. Hierarch. cap. 2. *Perficiens illa Vnctio facit perfectum.* Tertull. de Baptismo cap. 7. *Sic & nobis carnaliter currit Vnctio, sed spiritaliter proficit*, & infra, *Deo non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem?* Quare Vrbanus ep. vnica Christianis Sacramenti huius vsum cõmendatum esse cupit, *vt plenè Christiani inueniantur*, eo quod vt tradit Miltiades epist. 1. *Ad Baptismi perfectionem pertineat vt tunc demum plene sanctificati & Filij Dei esse homines possint, si Sacramento vtroque nascantur.* Cypr. lib. 2. ep. 1.

A

Secundus Confirmat. effectus, est purgare mentis oculos, pectus sacrare Deo, illud ipsum munire ad pugnam. Tertullianus de resurrectione carnis cap. 8. *Caro vngitur vt anima consecretur, caro signatur, vt & anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur.*

B

Melchiades Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ 2. & refertur dist. 5. can. 2. *Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inuisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam post Baptismum roboramur, & confirmamur ad pugnam*, & paulò pòst. *Per Spiritum sanctum, quem in hoc Sacramento adipiscimur, dono sapientiæ illuminamur, erudimur, instruimur, confirmamur, vt illam sancti Spiritus vocem audire possimus, intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris.* August. tract. 33. in cap. 8. Ioann. *Ideo nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit.*

Tertius est dare ad resistendum dæmoni, hostibusque fidei necessaria auxilia, ita Gratianus ex Melchiade dist. 15 can. Spiritus sanctus 2. *& quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia, regeneratio per se saluat mox in pace, beatis sæculis recipiendos Confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos.* Innocentius capite vnico de Vnctione. *Per frontis chrismationem Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur.* Et quia Confirmationem, non modo antecedere Baptismus debet, sed & gratia, quod eam à viuis duntaxat recipi oporteat, Sacramenta enim sunt mortuorum duo tantùm, Baptismus & Pœnitentia, sic dicta, quod producendæ primæ gratiæ, ac delendæ culpæ mortali, instituta sint à Deo principe, originali quidem Baptismus, Pœnitentia autem lethiferis, ab eo Sacramento suscepto admissis, hinc est quod Confirmatione dicatur animus perfici, crescere in eo gratia, ac augeri, can. Spiritus sanctus 2. dist. 5. fit enim antiqua, accessione nouæ, quæ datur in hoc Sacramento, maior & auctior, ob quam causam, debent hi, quibus confertur, iusti esse, & immunes à mortali, saltem secundum opinionem suam, quod in peccati mortalis conscientia chrismari se sinentes sint sacrilegi, gratiæque Sacramenti ponant obicem.

Neque tamen hoc impedit, quin aliquando primam gratiam producat, per accidens nempe quando, qui ad confirmationem animum adhibet impiatum pectus culpa lethali gerit, cuius rei tamen laborat ignorantia probabili, nam si tum ad hoc Sacramentum dolorem afferat, imperfectum licet, cui nomen est attritio, non carebit pietatis suæ fructu, cum coniuncta Sacramento, tantundem in producenda gratia valeat, quantum vera, perfectaque contritio, factum inde Theologicæ istî parœmiæ initium, Sacramenta ex attritis, facere cõtritos, qua significatur, produci per ea cũ attritione gratiã, non secus ac per amorem, veramq; Pœnitentiam, quã Theologi contritionem nominant. Præter gratiam, Sacramentum hoc characterem etiam imprimit indelebilem, ratione cuius iteratò non potest accipi, est enim Confirmatio, Sacramentum perfectæ, & virilis secundum spiritum ætatis, at vnus idemque, dum viuit, exacta ætate non potest ad annos viriles regredi, cuai tempore labitur, fluitque vita, vt retineri nequit, ita cùm semel abiit, reuocari non potest, ergo nec spiritalis, Confirmatus itaque, secundo aut tertio ad idem vitæ spiritalis genus aspirare nec potest, nec debet, qua de re sic Petrus venerabilis. *Illa quæ ab Episcopis fit Confirmationis Vnctio, non iteratur, quia semel Christianus post Baptismum, armis Spiritus Dei per illam Vnctionem aduocatis contra sathana, mundique bella munitus, alio rursum spiritu & aliis armis, illa simplici Vnctione muniri non posse monstratur.*

C

D

E

QVÆSTIO XII.

Qui sint capaces huius Sacramenti, & quibus expediat illud ministrare.

DIco primò. *Baptizato cuilibet Sacramentum hoc conferri posse.* Quia Baptismus est ad religionem aditus, primaque ingressio, Sacramentorum autem vt aiunt ianua, dari ergo baptizato cuique potest Confirmatio: vis enim characteris, quem animæ Baptismus imprimit, in eo lucet maximè, quod ad Sacramenta recipienda Ecclesiæ, petendaque, passiuam homini potentiam tribuat: fit ergo Catholicorum quilibet eius beneficio ad Confirmationem idoneus.

Deinde vt robore animi omnes ad pugnam in hostes capessendam indigent proindeque gratia, quæ est Sacramenti huius effectus, Christo Domino pro cætera benignitate sua in homines ita visum est, quoslibet modo sibi per Baptismum ante deuotos ad hæc opima Sacramenti Confirmationis fercula admittere, cuius voluntatis ac animi interpres est Ecclesiæ antiqua praxis, nec est in beneficentiæ huius vsu vlla ætatum, sexuum, aut statuum distinctio, ad eum promiscue, & sine discrimine viris ætate grandibus, iuxta ac pueris, in primo adhuc vitæ limine positis aspirare licitum est, repulsæ nullo metu. *Omnes fideles*, inquit Vrbanus in epist. vnica, *per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent.*

Dico secundò. *Ægris in mortem imminentibus Sacramentum hoc indulgendum esse.*

Primò. Quia illis futurum est vtile in extrema lucta cum dæmone.

Secundò. Quia illis ad victoriam hostium, vitæque molestias leniendas prodent, si conualescãt.

Tertiò. Etsi horum nihil foret, plurimum tamen perficiendæ gratiæ per Baptismum collatæ conferet, qui vitæ fructus longè suauissimus contemptui nulli esse debet.

Dico tertio. *Mihi quoque probabile esse, amentes à primo in lucem aditu, huius Sacramenti commodis priuandos non esse.* Quia etsi animo non anguntur, non dolent, non premuntur, valet tamen hoc Sacramentum ad augendam Baptismalem gratiam, vt dicitur in can. Spiritus sanctus 2. dist 5. de consecrat. quo eos fructu non priuandos esse, bene in-

Digitized by Google

ſtimata charitas admonet, ne tanti boni negatio, videatur eſſe vitæ beatæ, fœlicitatiſque, quam cùm ea aſſequi potuiſſent, facta diminutio. Sanè vult Eccleſia in Conc. Laod. can. 48. *Baptizatos* (verba ſunt canonis) *poſt Baptiſmum ſacratiſſimum chriſma percipere, & cœleſtis regni participes fieri.* Scribitque Balſam. in can. 6. Concil. Carthagin. cui Cyprian. præfuit, *Neceſſe eſſe, eum qui baptizatus eſt ungi, vt accepta Vnctione, μύρου χάριν καὶ χρίσματος, particeps Chriſti fiat*, hic quidem per gratiam, in cœlo autem per gloriam, *Vngimur enim modo in Sacramento, & Sacramento ipſo præfiguratur quiddam, quod futuri ſumus.* Auguſt. in titulum Pſal. 26.

Dico quarto. *Locum inter confirmandos ei eſſe non poſſe, qui in virili aut adulta ætate, amens, ſuique impoſs eſt factus, niſi lucida habeat*, vt loquuntur, *interualla, in quibus ea de ſe, ac mentis ſuæ probitate, teſtimonia exhibeat, quæ cõfirmaturo Præſuli omnem de illo non bene ſentiendi ſuſpicionem adimant.*

Cauſa eſt in promptu, non ſunt Eccleſiæ Sacramenta inuitis aut imparatis danda, at de hoc homine qui de ſtatu mentis eſt deiectus, qua ante ad opera vitæ neceſſaria vtebatur, Epiſcopo conſtare nequit eum deſiderium huius Sacramenti præ ſe tuliſſe vnquam, hocque puncto temporis quo ad illud frontem, caputque offert, ſcelerum ſuorum dolore vero tangi, ergo quandudum tenebit hic morbus, nec vlla eius erit imminutio per lucida interualla, quibus intermittente vi mali de ſe, ac voluntatis ſuæ opinionem Epiſcopo commoueat, confirmare eum non poterit.

QVÆSTIO XIII.

An hoc Sacramentum reiterari valeat.

REſpondendum, iterato confirmari poſſe neminem, Conc. Tolet. 8. can. 7. Cabillonenſe 2. can. 27. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. Tarraconenſe can. 6. vt refertur tomo 2. Concil. pag. 527. his verbis. *Dictum eſt nobis, quod quidam de plebe bis vel ter, vel eo amplius Epiſcopis ignorantibus, tamen abeiſdem Epiſcopis confirmentur, vnde viſum eſt nobis eandem Confirmationem ſicut nec Baptiſmum iterari minime debere, quia bis, vel ter, vel amplius baptizatos aut confirmatos, non ſæculo ſed ſoli Deo ſub habitu regulari, vel clericali religioſiſſimè famulari decretum eſt*, nempè in pœnam violatæ legis, tam diuinæ quam Eccleſiaſticæ, de non iteranda ab vllo confirmatione temere.

Cur id verò liceat nemini, cauſa eſt à characterе repetenda, quem hoc Sacramentum confirmato imprimit, Trid. ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptiſmo ſcilicet Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde iterari non poſſunt, anathema ſit.* Nam cùm Sacramenta agentia ſint naturalia, proindeque quod poſſunt neceſſario faciant, ſi ſecundo trons inſigniretur ſacro Confirmatorum oleo, aut eius vis nulla foret, quod eſt non modo dictu turpe, ſed & cogitatu fœdum, aut cùm nulla ſit cauſa Sacramenti huius iterato conferendi, adhiberetur tantum ad iocum, & contra finem cuius cauſa eſt à Deo inſtitutum, quod immane eſſet ſacrilegium, geminare ergo hoc Sacramentum cuique eſt diuina lege prohibitum, Eccleſiaſtica ſimiliter in Cabillon. Conc. can. 4. *Viſum eſt nobis eandem Confirmationem, ſicut nec Baptiſmum minimè iterari debere.*

A Obiicies reperiri ſcriptum apud veteres manuum impoſitionem repeti poſſe. Reſpondendum eſt, id intelligi non de manuum impoſitione quæ fit in Confirmatione, ſed de re conciliatiua, quâ hæretici aut peccatores, iterum ab Eccleſia recipiebantur in gratiam, reuerſis enim ab hæreſi, ac verè pœnitentibus, ſi in nomine Trinitatis baptizati erant, manus imponebantur ſine Vnctione Sacramentali, vt teſtatur Greg. 1. lib. 9. indict. 4. ep. 61. eratque hæc manuum impoſitio, aliud nihil quàm oratio per quam Spiritus ſanctus reddebatur propitius ei ſuper quo fiebat vt colligitur ex S. Aug. lib. 5. de Baptiſ. cap. 23. Gennad. de dogmatibus Eccleſ. cap. 51.

B

QVÆSTIO XIV.

An hoc Sacramentum ſit ad ſalutem neceſſarium.

DIco primò. *Confirmationem ad ſalutem primo, & per ſe neceſſariam non eſſe*: Quia de ea frequentanda præceptum nullum extat, nec diuinum, nec humanum, quare non eſt eius omiſſio lethalis, contemptu ſublato, & ſcandalo, cum quæ culpa in Sacramentis non obeundis ineſt, hæc omnis vel à præcepto vel eius neglectu dimanet.

C Dico ſecundò. *Videri tamen hoc Sacramentum eſſe neceſſarium ſecundum quid, & ad melius eſſe, perfectiuſque*: Enimuero in id enitendum eſt homini Chriſtiano, quo eum ſuæ dignitatis, ac conditionis ratio vocat, at rem eius nomenque ſuſtinere non poteſt, niſi maximis virtutibus gratiaque, Chriſti in ſe ſpeciem figuramque exprimat, ergo cùm hæc, & illæ, adoleſcant fœliciter hoc Sacramento, vti ſalutari vnda irrigatæ, eius rationem non habere, nulli eſſe poteſt in communi vita laudabile.

Secundo certi nulli ſunt gratiæ virtutumque limites intra quos Chriſtiano ſit ſiſtendum, ire porro debet, ac quo modo lux creſcit ſolis orientis reditu aſtrorumque motu, ſic ſeipſo maior auctiorque in horas ſingulas momentaque fieri debet, hoc enim eſt mandato Chriſti obſequi. Math. 5. *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, vias D ergo cumulandæ gratiæ ei ingredi, ac eius augendæ modos omnes captare eſt neceſſe, vtrumque facit cum Baptiſmo confirmationem adiicit, per hanc enim Baptiſmalis gratiæ, munerumque cœleſtium, quæ cùm ea ſuperne influxere in animum diuinæ dotes, amplificantur & creſcunt, eſt ergo Confirmatio ad perfectionis Chriſtianæ numeros omnes obtinendos, cuique neceſſaria, cum haberi poteſt.

Manare hinc exiſtimo quòd Patres dicunt Sacramentum hoc ad plenitudinem, ſeu perfectionem Chriſtiani hominis exigi, vt Vrban. epiſt. 1. cap. 7. cuius effati eſt hic ſenſus, etſi habeat abundè Chriſtianus à Baptiſmo quod ad hanc laudem tuendam eſt opus, non tamen quæ hominem copioſè, ac E abundanter inſtruunt, & corroborant ad pugnam, quam enim in militiam per Baptiſmum aſcripti ſumus, eius partes muneraque omnia confirmati obire poſſumus, cum id in nobis Confirmatio faciat, non modo vt Chriſti milites ſimus & veri Chriſtiani, ſed ad conſerendas manus cum hoſte probe roborati. *Cùm enim Spiritus ſanctus infunditur*, inquit Vrban. loco citato, *cor fidele ad prudentiam & conſtantiam dilatatur.*

Dico tamen 3. *Non peccare qui extra ſcandalum & contemptum, ex mera tantùm negligentia, aut verecundia, confirmari etiam toto vit æ tempore deſinit.*

Quia peccatum omne alicuius eſt præcepti violatio, ex D. Thom. 3 parte q. 72. art. 8. ad 4. At de ſuſcipienda Confirmatione nullum tale exiſtit, quod ex Scriptura ſacra, aut traditione certò poſſit colligi.

Ex accidenti tamen poteſt eſſe veniale hoc ſibi ſpiritale beneficium non quærere. Primò, quia eius omiſſio ſpiritualis quædam eſt prodigalitas. Secundò, quia velle profiteri fidem, atque ad id ſe credere ſine hoc auxilio idoneum ac parem eſſe poſſe, eſt plus æquo ſibi, viribuſque ſuis credere, quod eſt temeritatis ac inſipientiæ.

Dixi extra ſcandalum, & contemptum, nam ſi alterutrum ex non ſuſcepta Confirmatione ſequitur (putà quia eam omittens credit inanem eſſe tantùm, vanamque cæremoniam, aut quia ſuſpicionem non omnino improbabilem, in animis hominum commouet, vacillantis ac infirmæ fidei) crederem eius omiſſionem grauem eſſe, in ſuoque authore mortalem.

Crederem eius rationem habitam idcirco eſſe, vt iam ex eo momento temporis, Chriſtum tam factis fortibus, quàm verbis, aſſueſcamus eloqui ſine pudore vllo ac metu. Ob eamque cauſam refert hæc vnctio crucis formam, teſte Dionyſ. Eccl. Her. cap. 2. Concil. Nicæn. 1. can. Arabico 55. Nazianz. orat. 40. de Baptiſ. vt in ea iam tum gloriemur, quæ eſt gentibus ſtultitia, Iudæis ſcandalum, niſi cum Dionyſ. Eccl. Hier. cap. 2. malis dicere adhiberi, vt organum perficiendæ menti idoneum, ac firmandæ contra terriculamenta hoſtium. Tertull. de reſurrect. carnis cap. 8. *Non perficiuntur Sacramenta Chriſtianorum niſi ſigno crucis.* Auguſt. tract. 118. in Ioan. & ſerm. 181. de tempore Chryſ. homilia 55. in Matth.

Quarta eſt ſponſoris vnius deſignatio. can. vocante, diſt. 4. de conſecr. can. ſi quis filiaſtrum 2. can. de his 30. q. 1. à quo qui confirmandus eſt offeratur Epiſcopo. D. Thom. 3. parte, q. 72. art 10. ad 3. quam prouinciam obire quoque fœminæ poſſunt, peræque ac viri. Reginal. l. 28. cap. 3. num. 16. quia in Chriſto *Ieſu non eſt maſculus neque fœmina*, ad Coloſſ. 3. nulla tamen eſt in ſponſore neceſſitas ſub mortali, inſtruendi confirmati, quia id iure nullo ſtatutum legitur, ſicut de Baptiſmo.

Quinta eſt pacis appreecatio confirmato per Epiſcopum, hac voce: *Pax tecum.* Cui, & alia quoque, peræque ac confirmato, præſtanda ſunt Eccleſiæ inſtituto.

Primò, vt non niſi ieiunus, hoc charitatis officium ſalutare ac Chriſtianum vlli exhibeat, can. vt Epiſcopi de conſecrat. diſt. 5. & in Concil. Pariſ. tomo Concil. 3. can. 33. his verbis: *Perlatum eſt ad nos, quod in quibuſdam prouinciis plerique Epiſcopi poſt perceptionem cibi & potus ſoleant per impoſitionem manuum ſolenniter tradere Spiritum ſanctum, quod tam excellenti miniſterio prorſus non conuenire, & ita deinceps non debere omnibus nobis viſum eſt.* Quod autem ab Epiſcopo Patres exigunt, id confirmatis omittendum non eſſe Gratianus admonet, can. vt ieiuni de conſecrat. diſt. 5. *Vt ieiuni ad confeſſionem veniant perfectæ ætatis, & moneantur prius confeſſionem facere, vt mundi donum Spiritus ſancti valeant accipere*: ſecus tamen facere ex iuſta cauſa tam Epiſcopo, quàm ſubditis confirmandis licere docet Henriq. cap. 3. num. 1.

Secundò, chriſmari non debet, niſi gnarus ſymboli, ac myſteriorum Chriſtianæ fidei, qua de re Concilij Conſtantinopolitani Oecumenici can. 7. ſanctio eſt talis: *Conſtitutum namque eſt à ſanctis Patribus, vt nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque à lauacro ſontis alium ſuſcipiat, neque coram Epiſcopo, ad confirmandum, quemlibet teneat, niſi ſymbolum & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minimè perduxit.*

Tertiò, dum frons chriſma plenè combiberit, faſciâ obuolui debet, quæ quamdiu ſit ſeruanda, res eſt in Doctorum opinionibus: quibuſdam dies ſeptem exigentibus, ternos aliis, cuiuſque loci ſpectandam conſuetudinem eſſe credo, quod hæc in præſenti materia, vt pleriſque aliis, legis vim habeat. Sanè non improbabiliter exiſtimat Emmanuel Sà, verbo Confirmatio, num. 17. inunctı frontem, abſtergi poſſe ab Epiſcopo illico, deterſamque lauari, quòd de oppoſito lex nulla obſtet ciuilis, aut canonica hac autem lota, abſterſaque, vitta amburi ſolet.

Poſtremò, confirmato infringitur alapa, in memoriam accepti Sacramenti, & vt intelligat ſibi pro Chriſto mortem, verberaque tolerandaeſſe magno auſu.

QVÆSTIO XV.

Quæ ſint cæremoniæ, rituſque huius Sacramenti.

PRima, eaque præcipua eſt manuum impoſitio. Concil. Arelat. 1. can. 8. *de Arrianis qui propria lege ſua viuuntur, vt rebaptizentur placuit, ſi in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto baptizati fuerint, vt manus eis imponatur, vt accipiant Spiritum ſanctum.* Concil Elibertinum, can. 38. *Peregrè nauigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem qui lauacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus baptizare, in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum, ita vt ſi ſuperuixerit, ad Epiſcopum eum perducat, vt per manus impoſitionem perfici poſſit.*

Secunda eſt certarum ab Epiſcopo precum recitatio ſuper confirmandum tam ante Sacramentum collatum, quàm poſt, quibus precibus Hieronymus aduerſus Luciferianos aſſerit ad confirmandi ſpiritale commodum, inuocari Spiritum ſanctum. *An neſcis, inquit, Eccleſiarum hunc eſſe morem, vt baptizatis manus poſtea imponantur, & ita inuocetur Spiritus ſanctus? Exigis vbi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum, etiamſi Scripturæ authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.* Concilium Nicænum primum, can. Arabico 55. *Signet eos ſigno crucis, & oret ſuper eos, & imponat manus ac benedicat.*

Tertia eſt vnctio confirmandi in fronte. Tertul. de præſcriptionibus cap. 4. *Signat in fronte milites ſuos.* D. Auguſt in Pſal. 30. conc 3. & in Pſalm. 141. Damaſus epiſt. 4. Innoc. III. extra de ſacra vnctione cap. vnico. Gregorius ad Ianuar. Epiſc. lib. 3. epiſt. 9. Et refertur de conſecratione diſt. 4. can. Presbyteri 120. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 3. myſtagogica. *Eſt chriſma Chriſti quod aduentu Spiritus ſancti per ipſius diuinitatem energiam habet, quo frons & alij ſenſus corporis tui ſymbolicè inunguntur, & corpus quidem viſibili iſto vnguento perungitur anima vero, ſancto, viuificoque Spiritu ſanctificatur*: Quæ pars corporis hoc nomine maximè inter cæteras eſt delecta, inquit idem Cyrillus ibidem. *Vt cum abſtergat à nobis pudorem, quem primus homo tranſgreſſor perpetuò circumferebat, ſimulque efficiat vt poſſimus vultu non velato gloriam Domini intueri.*

EPITOME TRACTATVS PRÆCEDENTIS,

Cum probationibus petitis ex canonibus, Conciliis, ac Patribus.

Cap. 1. CONFIRMATIO *Sacramentum eſt per ſingulos innouandum annos.* Fabianus Papa Epiſcopis Orientis epiſt. 2. Proinde *non Pœnitentibus conferri nequit, quia genus Sacramenti eſt: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi?* Innoc. 1. ad Decentium epiſt. 1. cap. vltimo, & hæc eſt ſententia fidei Catholicæ, definita in Trid. ſeſſ. 7. can. 1. contra Valdenſes qui Confirmationem, è Sacramentorum albo tollebant Ænea Syluio teſte, in hiſtor. Bohemica c. 35. quemadmodum & hæretici, noſtri temporis, ac Nouatiani, Theodoreto authore lib. hæreticar Fabular. Euſeb. lib. 6. c. 33. Sed Confirmationem *Sacramentum eſſe chriſmatis, quod in genere viſibilium ſignaculorum, Sacro-ſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus*, ſcribit Auguſt. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. Cyprian. in epiſt. 70. & tract. de Vnctione chriſmatis, proque tali illam habent Theologi D. Thom. ante cæteros 3. p. q. 72. art. 4. Vbi Confirmationem appellat *Sacramentum, quo vexillum Regis noſtri triumphantis, ac ſignum militare nobis traditur, & plenitudo Spiritus ſancti datur ad robur ſpiritualis pugnæ.* articul. autem primo eiuſdem quæſtionis appellatur ab eodem *Sacramentum plenitudinis gratiæ*, ab Auguſt. tract. 3. in cap. 2. 1. ep. Ioan. *Vnctionis Sacramentum.* A Conc. Aquiſgran. 1. parte 3. canone 5. *manus impoſitio* à Melchiade *Baptiſmi perfectio.*

Cap. 2. Materia Sacramenti Confirmationis eſt chriſma confectum ex oleo oliuæ, ac balſamo Innoc. 3. in cap. 1. de ſacra Vnctione D. Tho. 3. p. q. 72. art. 2. Fabianus epiſt. 2. ibi enim ait Apoſtolos à Chriſto ſeruatore pridie paſſionis inſtitutos fuiſſe de modo cõficiendi chriſmatis, poſtquam eis pedes lauit. Ab ea materia, id eſt, Vnctione huic Sacramento nomen Vnctionis eſt factum, ſic enim Aug. tract. 3. de cap. 2. epiſt. 1. D. Ioan. *Vnctio ſpiritalis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cuius Sacramentum eſt in Vnctione viſibili.* Appellaturque eo nomine ab Innocentio tertio, capite 1. de ſacra Vnctione. *Vnctio*, inquit, *inuiſibilis & interior, non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam Sacramentum, quia ſi digne ſumitur, vel agit, vel auget abſque dubio quod deſignat, ad exhibendum autem viſibilem & exteriorem Vnctionem, benedicitur oleum, & cõficitur chriſma quod ex oleo ſit & balſamo, myſtica ratione.* Idẽ habet Cypr. in tract. de Vnctione chriſmatis. *Hodie*, inquit, *ſacrum chriſma conficitur in quo mixtum oleo balſamum, regia & ſacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem. Oleo enim quod lumini alimentum ſubminiſtrat, & vires corporis, ſi perunctum illo fuerit, auget, optima cœleſtis gratiæ largitas, nitor conſcientiæ & ardor charitatis indicantur.*

A Inn. in cap. 1. de Vnct. *Balſamo autem*, inquit, *odor bonæ famæ exprimitur*, iuxta eundem, *ſuauitas vitæ ex legibus, ac præſcripto Dei, ſanctè ac religioſè traductæ.* Ab eadem cauſa nempe Vnctione quæ Sacramenti huius materia eſt proxima, chriſma, quod ad eam adhibetur, *genus Sacramenti appellatur*, à Concil. Arelat. ſub Carolo Magno can. 18.

Cap. 3. Debet autem oleum ex quo fit chriſma eſſe benedictum ab Epiſcopo, ita Concilium Romanum, ſub Syluestro canone quinto, Toletan. 1. can. 20. his verbis. *Quia quibuſdam in locis Presbyteri dicuntur chriſma conficere placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum chriſma conficere, & per dioceſim deſtinare.* Baſilius de Spiritu ſancto ad Amphiloch. cap. 27. *Aquam Baptiſmatis benedicimus & oleum Vnctionis, & eum qui baptizatur.*

B Ratio eſt, quod videatur è re eſſe, vt inſtrumenta, quibus ad animarum ſalutem, ac iuſtitiam, Deus vtitur, ſancta fiant, antequam ad id miniſterium adhiberi valeant, à profano autem, communique vſu ſecernuntur per Epiſcopi benedictionem ſecundùm D. Th. art. 3. decet ergo, vt tam chriſma quam infirmorum oleum, benedicantur, priuſquam ad Sacramenta adhibeantur, quæ benedictio non eſt permiſſa Preſbytero. *Si quis Presbyter auſus fuerit chriſma benedicere à ſuo officio deponatur.* Conc. Braccar. can. 37.

Præter chriſma & oleum, requiritur inſuper Vnctio. Bonifac. 8. cap. quoniam in Baptiſmo 19. de ſentent. in 6. Innoc. 3. in cap. 1. de ſacra Vnct. *Vnctio*, inquit, *viſibilis & exterior, ſignum eſt interioris & inuiſibilis Vnctionis.* D. Auguſt. tract. 3.

C in cap. 2. 1. epiſt. canonicæ D. Ioan. *Vnctionis Sacramentum*, inquit, *eſt virtus ipſa inuiſibilis, Vnctio inuiſibilis Spiritus ſanctus, Vnctio inuiſibilis charitas illa quæ in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit, quamuis accedente ſole arefcere non poteſt.* Et paulo ante. *Vnctio Spiritalis eſt ipſe Spiritus ſanctus, cuius Sacramentum eſt in Vnctione viſibili.*

Cap. 4. Forma huius Sacramenti eſt, *Ego ſigno te ſigno Crucis, & Confirmo te chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.* Qua Syluest. vſum eſſe, cum ſe hoc Sacramento impertiit, Conſtantinus Imperator gloriatur, his verbis. *Lauato me de venerabili fonte, induto veſtibus candidis, ſeptiformis gratiæ Sancti Spiritus conſignationem adhibuit, beati chriſmatis Vnctione, &*

D *vexillum ſanctæ crucis in mea fronte liniuit* dicens, *ſignet te Deus ſigillo fidei ſuæ, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, in conſignatione fidei* cunctuſque clerus reſpondit, *Amen.* Et adiecit præſul, *Pax tecum.* Quidam ante, *Amen*, adiungunt, *vt repleatis Spiritu ſancto, & habeas vitam æternam*, quæ verba tamen non ſunt de eſſentia formæ, ſed effectum Sacramenti ex parte exprimunt, & indicant.

Reliqua omitti nequeunt, alioqui Sacramentum inane eſſet ac nullum, & primò crux eſt efformanda: *Nam omnia chriſmata ſacerdotalis myſterij crucis figura perficiuntur.* De conſecrat. diſt. 5. can. nunquid 10.

E At vbi, & in qua corporis parte confirmandi, crux eſt ab Epiſcopo formanda?

In fronte Innoc. 1. epiſt. ad Decentium cap. 3. his verbis. *Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo cum baptizant, chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quòd ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum ſanctum.* Conſtantin. Imperator, de primitiua Eccleſia,

& de donatione Conſtantini.

Quare etſi Preſbyteris, per decreta Pontificum, liceat poſt Baptiſmum Chriſtianos vngere, Principes quidem *non in capite, ſed in brachio, ſine in humero, vel in armo, in quibus principatus congruè deſignatur, Chriſtianos autem bis ante Baptiſmum, primum quidem in pectore.* Gregor. 3. epiſt. 9. *Deinde inter ſcapulas, & poſt Baptiſmum.* Innocent. 3. in epiſt. ad Conſtant. Patriarcham, ſcilicet *chriſmate ſancto, in vertice.* Innocent. 3. cap. vnico de ſacra Vnct. Gregor. lib. 3. epiſt. 9. ad Ianuar. Calaritan. Tamen frontem eis ſignare erat prohibitum Damaſus epiſt. 4. quod hoc Epiſcopis ſolis ex inſtitutione diuina ſit debitum Toletan. 1. can. 20. Hiſpalenſe 2. can. 7. Leo epiſt. 86. his verbis. *Non licet Presbyteris Eccleſiam conſecrare, nec per manus impoſitionem baptizandis, vel conuerſis ex hæreſi Spiritum ſanctum tradere.*

Cap. 5. Epiſcopi enim duntaxat, non alij, Sacramenti hiuus ſunt miniſtri. Innocent. 3. in epiſt. ad Conſtantinop. Patriarch. ob eam cauſam *magnũ* appellatur à Melchiad. in epiſtola ad Epiſcop. Hiſpaniæ c. 2. quod proinde *ſicut vnum à maioribus fit, id eſt, à ſummis Pontificibus, quod à minoribus fieri non poteſt, ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum eſt.* Itaque prohibentur à Gregor. Papa 1. Presbytéri, *ne baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus chriſmate præſumant*, lib. 3. epiſt. 9. ad Ianuarium, prohibendi cauſa fuit, quod vt loquitur Euſeb. Papa primus in epiſt. 3. ad Epiſc. Tuſciæ, & poſt eum Innoc. 3. de conſuetud. cap. 4. *Sacramentum hoc ab aliis perfici nequeat quam à ſummis ſacerdotibus*, id eſt Epiſcopis, *nec ab aliis tempore Apoſtolorum quam ab ipſis Apoſtolis legatur, aut ſciatur eſſe peractum*, hoc enim ad eorum officium pertinebat, *nec vllus ex 70. diſcipulis quorum Corepiſcopi ſpeciem gerunt legitur donum Sancti Spiritus per impoſitionem manuum tradidiſſe.* Damaſ. epiſt. 4. Quare etſi ex commiſſione Romani Pontif. poſſit ſimplex ſacerdos Sacramentum hoc miniſtrare, vt habetur in Florent. in decreto Eugenij, & in can. peruenit diſtinct. 95. id ſuâ tamen, aut proprij Epiſcopi inductione, tentare ac aggredi, nec poſſunt, nec debent, non ſuâ, quia vt loquitur Leo epiſt. 86. ad Germaniæ Epiſc. *Id ſolis ſummis ſacerdotibus fieri authoritate canonum præcipitur*, Presbyteris autem ne id velint vetatur in Conc. Hiſpal. 2. can. 7. Carthag. 2. can. 3. Vormat. can. 8. Greg. lib. 3. epiſt. 9. ad Calaritan. Epiſcop. Collata à Presbytero ſimplici Confirmatio eſt nulla Damaſus epiſt. 4. Quare vt ſcribit Innocent 3. in cap. quanto 4. de conſuetud. *Licet non ſit hoc Sacramentum à fidelibus contemnendum, tutius tamen eſt illud ſine periculo ex neceſſitate* (quæ legem non habet) *omittere, quam vt ab his, quibus id conferre non licet ex temeritate quæ lege damnatur, non ſine graui periculo, inaniter conferatur.*

Similia habet Euſeb. relatus in can. manus 4. de conſecr. diſt. 5. Nec Epiſcopi poſſunt hanc confirmandi prouinciam, demandare ſacerdoti cuipiam, de iis, qui illorum ſunt poteſtati obnoxij. Qua cùm moris ſit in Eccleſia, vt non ab aliis, quam qui Apoſtolis ſucceſſerunt in eius regimine, Confirmatio perfici poſſit ac debeat, ſecundum Damaſum epiſt. 4. & Euſeb. loco citato, non videntur Epiſcopi ea authoritate præditi, vt impunè poſſint ac validè, Romano Pontifice inconſulto, tam antiquæ conſuetudini derogare. *Si aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur ac vacuum neque inter Eccleſiaſtica Sacramenta vnquam reputabitur.* Euſeb. 1. in epiſt. ad Epiſcopos Thuſciæ.

Cap. 6. Effectus huius Sacramenti primus eſt, larga ac liberalis donorum à Spiritu ſancto impetratio, quibus baptizati in fide Chriſti, maiori ac ſplendidiori lumine illuſtrantur, ad eius nomen confitendum, conſtantes redduntur ac fortes. *Regeneratio enim per ſe ſaluat, mox in pace beati ſæculi recipiendos, Confirmatio armat & inſtruit ad agones mundi huius & prælia reſernandos.* Melchiades in epiſt. ad Epiſcop. Hiſpan. c. 2. & in epiſtola. 1. *In Baptiſmo*, inquit, *regenerantur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmantur ad pugnam in Baptiſmo abluimur, per Baptiſmum roboramur.*

Rabanus vt refertur de conſec. diſt. 5. can. nouiſſimè 5. ait, *per manus impoſitionem paracletum tradi baptizato, vt roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipſe in Baptiſmo conſecutus eſt, per gratiam vita donatus æterna.*

Alter effectus, huius Sacramenti, eſt characteris impreſſio, à quo habet vt iterari ſecundo non poſſit, teſtis Gregorius 3. in epiſt. 4. habentque can. dictum eſt nobis 8. diſt. 5. & can. de homine 9. eiuſdem diſtinct. Accedit authoritas Conc. Cabillon. 2. ſub Carolo can. 27. cùm enim audiſſent Epiſcopi quoſdam ſæpius confirmari, ſtatuerunt *Confirmationem ſicut nec Baptiſmum iterari non debere.*

Tertius eſt impedire ne inter certas perſonas, confirmantem ſcilicet, & eum qui confirmatur, eſſe Matrimonium valeat, nam ex Confirmatione, ſeu frontis chriſmatione, ſpiritualis cognatio eiſdem modis contrahitur, quibus eam inducit Bapt. at hic Matrimonia impedit contrahenda, & dirimit contracta inter baptizatum, & eius patrinum Deus dedit in ep. ad Gordian. Epiſcopum, ergo & Confirmatio in pari gradu Bonifac. cap. nedum primo de cognat. ſpirituali. Diſerte Concil. Mogunt. can. 55. *Nullus ducat vxorem filiolam, nec commatrem, nec illam cuius filiam, aut filium ad confirmationẽ duxerit.*

Quartus ei communis cum Sacramentis aliis, eſt gratia: Spiritus enim ſanctus, qui ſuper aquas Bap. ſalutifero deſcendit illapſu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam Melchiad. epiſt. 1. Vrbanus epiſt. vnica relatus diſt. 5. de conſecrat. can. 1. quem effectum ſic cohærere huic Sacramento, vt eſſe ſine illo iſtud non poſſit, per quod Spiritus ſanctus ad augmentum datur & robur dixit Innoc. 3. in epiſt. ad Patriarch. Conſtantinop.

TRACTATVS

TRACTATVS QVARTVS, DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

POENITENTIÆ quadruplex eſt notio. Primo enim *Pœnitentiam*, inquit Tertullianus lib. de Pœnitentia, *hoc genus hominum, quod & ipſi retro fuimus, cæci & ſine Domini timore, norunt paſſionem quandam eſſe, quæ venit ex offenſa ſententiæ prioris*, quam quia de bonis factis concipiebant, ideo eam probari ſibi poſſe negat.

Secundo Pœnitentia Theologis idem valet ac pœna, quam de ſe ipſo peccator in vindictam admiſſorum exigit, aut quæ ei à confeſſario ſubeunda, in Sacramento imponitur.

Tertio, eſt Pœnitentia Theologis, ac Diuo Thomæ, virtus ſeu habitus, voluntatem hominis inclinans, ad Deum placandum eique ſatisfaciendum pro peccatis, ea deteſtando, ſumptaque hoc modo Pœnitentia diuiditur in internam & externam: Interna, quæ eſt actus quo quis ſcelera ſua execratur, duæ rurſus ſunt ſpecies, perfecta ſcilicet, & imperfecta, perfecta cui nomen eſt contritio, ad remiſſionem peccati extra Sacramentum ſufficit, qua vi caret imperfecta quæ attritio dicitur, ſeiuncta à Sacramento.

Prodit autem ſe, ac manifeſtat externa, precibus, maceratione carnis, ac lachrymis. *De ipſo enim habitu atque victu* (verba ſunt Tertuliani libro ſecundo de Pœnitentia) *mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit triſti tractatione mutare, cæterùm paſtum & potum, puranoſſe, ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lachrimari, mugire ad Dominum Deum dies noctesque, Presbyteris adgeniculari, omnibus fratribus legationis ſuæ preces adiungere.* Quæ omnia quia exoſa ſunt Caluino & Luthero voluptatum ſtudioſis, Pœnitentiam aiunt præter propoſitũ vitæ melioris nihil habere, quod eſt contra fidẽ.

Quarto idem valet Pœnitentia Theologis, ac externus quidam ritus in lege noua à Chriſto inſtitutus, *abſolutionem ſacerdotis ac certos Pœnitentis actus complectens, per quem ritum baptizatis, Chriſti merita applicantur ad obtinendam veniam admiſſorum poſt Baptiſmum*, & huic ritui varia video nomina à Patribus impoſita eſſe, vt *Exomologeſeos*, à Tertuliano 1. de Pœnitentia cap. 8. Cypr. lib. 3. epiſt. 14. Irenæo lib. 1. cap. 9.

Secundo. *Tabulæ ſecundæ poſt naufragium*, ab Hieronymo.

Tertio vocatur *peccatorum confeſſio* à Baſilio interrogatione 209. Chryſoſt. homilia 20. in Geneſim 13. in Ioannem Tertul. de Pœnitentia cap. 8. *Secunda* autem *Pœnitentia* à Clemente Alexandrino lib. 2. ſtromatum.

Quinto nominatur *reconciliatio* ab Auguſt. epiſt. 180. ad Honoratum, vltimo *manuum impoſitio*, ab eodem patre lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. Cypriano lib. 3. epiſt. 14.

QVÆSTIO I.

An Pœnitentia ſit Sacramentum.

NEgauerunt id olim Montaniſtæ cum Nouato, qui ſi fides eſt Auguſtino lib. de hæreſibus cap. 38. Ambroſ. lib. de Pœnitentia cap. 2. Socrati hiſt. lib. 1. cap. 2. etſi non omnem omnino ſpem tollerent obtinendæ veniæ, poſt Baptiſmum negabant tamen in Eccleſia poteſtatem vllam eſſe ſcelera relaxandi ſi eſſent grauia, vt ſunt adulterium homicidium, &c.

Eos ſequuti Caluinus & Lutherus de Sacramentorum numero Pœnitentiam expunxerunt, ac poſtmodum eorum aſſeclæ Melanchthon in locis communibus anni 1521. Kemnitius in examine Concil. Trid. ſeſſ. 14.

Sententia Catholica, ac fide certa eſt, quam ſequenti aſſertione explicabimus.

Vnica Aſſertio. *Pœnitentia verum eſt, ac proprium nouæ legis Sacramentum.*

Ita Florent. ſub Eugenio 4. in literis vnionis & Trid. ſeſſ. 7. can. 1. & ſeſſ. 14. can. 1.

2. Ad rationem Sacramenti tria tantum in genere requiruntur, primo signum aliquod exterum ac sensibile, secundo promissio gratiæ iustificantis conferendæ tali signo, tertio institutio & præceptum Christi de eo signo vsurpando, ad hunc effectum. Atqui hæc tria reperiuntur in Pœnitentia, nam primo est absolutio, secundo confessio Pœnitentis, quæ obitur à mutis quidem per signa, ac nutus, ab aliis scripto propter nimiam verecundiam, aut voce, quæ omnia vt patet sub sensus cadunt, quemadmodum & absolutio quæ quia vocalis est, aures ferit, estque proinde sensibilis. Secundo adest promissio gratiæ inclusa, his verbis. *Quorum remiseritis peccata*, Ioan. 20. Mathæi 18. *& reconciliamini Deo*, cum nec hominis cùm Deo reconciliatio, amissæque amicitiæ redintegratio, nec culparum condonatio ordinarie fiat sine dono gratiæ. Est præterea Christi institutio, cum mandato, de dicta cæremonia vsurpanda, quod Patres colligunt, ex Pauli verbis proxime citatis. *Posuit in nobis verbum reconciliationis, legatione fungimur pro Christo reconciliamini Deo* 2. ad Cor. 5. & ex his 1. Ioan. 1. vbi dicitur *si confiteamur peccata nostra fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra*, vbi cùm Apostolus dicit Deum fidelem esse, & iustum significat, hanc remissionem à Deo homini promissam esse, nec tamen cuilibet passim, ac sine discrimine, sed tantùm confitenti peccata, quod ex his verbis patet, *si confiteamur peccata nostra.*

Confirmatur, cùm errare Ecclesia nequeat, nec eius fides deficere Christi testimonio, *Et ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, si Pœnitentiam à primis eius fundatæ temporibus vsque ad hæc nostra habuit pro vero Sacramento, est hæc, in eo rerum ordine collocanda, at verù est prius, patet ex cap. 1. ad abolendã de hæreticis vbi Pont. Pœnitentiam Sacramentum nominat, quod fecit & Greg. lib. 1. de vita Mosis, his verbis. *Lapis ex quo Moses in deserto eduxit aquas declarat quale, & quantum sit Pœnitentiæ Sacramentum*, eo verò communicari animæ gratiam, scripsere Gregor. Nissen. in oratione ad eos qui durius, & acerbius alios iudicant, Chrys. lib. 3. de sacerdotio Origen. homil. 2. in Leuit. & alij: errant ergo hæretici cum Pœnitentiam, de Sacramentorum albo obliterant.

Obiicies at in ea nullum est symbolum, nullum signum externum gratiæ, ergo nec Sacramentum.

Antecedens est negandum, nam his verbis Christi Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata*, datur potestas sacerdoti non quæcunque, sed iudicialis, ligandi scilicet ac soluendi, hoc est dicendæ sententiæ de peccatis, causa cognita, at iudicis sententia quando est in fauorem rei semper datur certa forma verborum, quæ capi possit ab iis, qui foro interfunt, talibus ergo sacerdotem vti oportet in absoluendo Pœnitente, quæ quidem alia esse nequeunt quam hæc, *ego te absoluo*, quæ sunt sensibilia, & proinde ad ipsius Sacramenti essentiam pertinentia.

Secundo, vt possit quis absolui, eius peccata cognita esse oportet iudici, eumque signo declarare aliquo, ab iis velle se absolui, sicque tam per hanc voluntatem, quàm alium eius actum, ad recipiendam eorum remissionem disponi, debet ergo verumque signis prodere, cum quæ latent nobis sint incognita, fit id verò confessione & dolore de peccatis, quem ad eorum relaxationẽ ita constat esse necessarium, vt sine eo condonentur adulto nemini. Quod ipsum indicat Cyprian. in epist. 5. ad Clerum & Presbyteros cùm eos admonet pacem

A lapsis dandam non esse, *nondum Pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manus ab Episcopo & Clero imposita.*

Dices Pœnitentiam Sacramentum quidem esse, sed à Baptismo quidem non distinctum.

Respondendum contrarium esse de fide, vt determinauit Tridentin. sess. 14. can. 2. & cap. 2. & probatur quia materiæ & formæ horum Sacramentorum sunt diuersæ, ministri item differentes, nec enim is cuius est Baptismum conferre, iudex est, sicut est minister in hoc Sacramento.

Secundo, nec idem quoque est vtriusque Sacramenti effectus: nam in Baptismo remittitur tota culpa, & pœna, hic verò culpa, pœna tamen non semper integra. Quid? quod ad culpæ remissionem,
B perfectamque hominis nouitatem, præter absolutionem sacerdotis, opus sit, vt actibus quoque suis, dolore scilicet & confessione, viam sibi pœnitens ad eam faciat, ob quàm causam Pœnitentia appellatur à Patribus, *laboriosus Baptismus*, ab Hieronymo, *secunda post naufragium tabula*, quorum nihil simile Baptismus exigit, sed attritionem tantum in adultis, est hic ergo à Pœnitentiæ Sacram. diuersus.

QVÆSTIO II.

Quæ sit materia huius Sacramenti.

C PRima sententia est Scoti in 4. distinct. 14. q. 4. Iosephi Anglez de Pœnitent. disp. 2. Pœnitentiam, vt est Sacramentum supponere pro sola Absolutione, eamque duntaxat concurrere ad collationem gratiæ.

Vera sententia quæ est D. Thomæ hic q. 90. art. 2. & 3. Caietani ibidem Soti in 4. dist. 14. q. 1. Gregorij de Valentia disp. 7. de Pœnitentia q. 1. puncto 1. explicabitur sequentibus assertionibus.

Prima Assertio. *Materia circa quàm ac remota Sacramenti Pœnitentiæ est peccatum actu, & propria voluntate commissum post Baptismum.*

Primo quia non est absoluendus nisi reus eiusmodi, non est alius, quam qui post Baptismũ peccauit, est ergo Pœnitentiæ materia remota peccatum.

D Secundo vt peccati veniam pœnitens in Sacramento obtineat, de eo non tantum dolorem concipere, sed insuper sacerdoti illud debet exponere, & clauibus subiicere Ecclesiæ, at dolere de peccatis alienis, non est facilè, confiteri autem commissa ante Baptismum, non est in more, cum in ea scelera iurisdictionem non habeat Ecclesia, quæ Paulo teste 1. ad Cor. 5. *Non iudicat de his quæ foris sunt* Non est ob eam causam peccatũ originis materia huius Sacramenti, vt enim est Baptismus tempore prior Pœnitentiâ, it. quæ animæ inhæserat, omnis per eum abstergitur macula 2. de eo vtpotè non contracto voluntarie, nemo prudenter magis quàm de naturæ vitiosis affectibus dolere potest: quare tamen displicere homini ab eoque negatiue saltem haberi valeat odio causæ nihil esse
E video, quale odium est eius cui talis culpa non placet, ideoque Baptismum ad eius deletionem appetit, hoc enim ipso censetur, eam odisse, saltem implicitè ac negatiuè.

Secunda Assertio. *Materia Sacramenti Pœnitentiæ, remota ac circa quam, non necessariò debet esse culpa aliqua mortalis.*

Causa est quòd venialia post Baptismum admissa clauibus subiiciantur validè etsi non necessariò:

enimuerò cùm per ſacramentalia, vt inſperſionem aquæ benedictæ, actum contritionis deleri queant, non niſi liberè ſubmittuntur Sacerdotis arbitrio, non ſunt ergo neceſſaria huius Sacramenti materia, cùm condonari poſſint aliter.

Tertia Aſſertio. *Materia Sacramenti pœnitentiæ proxima, & adeuus ſubſtantiam ac integritatem neceſſaria, ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio.*

Probatur 1. Sacramenta omnia nouæ legis materia conſtant & forma: At ex Florentino in decreto vnionis, forma huius Sacramenti eſt abſolutio, pœnitentis autem actus, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, quaſi illius materia, Tridentini teſtimonio, Seſſ. 14. Ergo cùm materiæ & formæ nomina, partium ſint eſſentialium, aut integrantium nomina, de veritate Aſſertionis poſitæ, ſupereſſe mihi dubium poſſe nullum videtur.

Secundò, probatur authoritate Trid. Seſſ. 14. can. 41. vbi *dicitur anathema neganti* (verba ſunt Concilij loco citato) *ad perfectam remiſſionem peccatorum requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet confeſſionem, ſatisfactionem, & contritionem, quæ tres partes pœnitentiæ dicuntur.* Hinc enim argumentari ſic licet: ſunt hi tres actus, teſtimonio Patrum & Eccleſiæ, partes pœnitentiæ: ergo ſaltem ad integritatem ipſius pertinent: ita ergo certa eſt aſſertio, vt falſificatis, ſine temeritate argui nequeat, cap. enim 3 eiuſdem Seſſ. hæc leguntur Patrum. *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenam & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur: hac ratione dicuntur partes pœnitentiæ.*

Quarta Aſſertio. *Sacramenti Pœnitentiæ, eſſentialis materia ſunt actus pœnitentis duo, contritio & confeſſio, ſatisfactio verò integrans.* Ita eſſe de ſatisfactione ſic probatur.

Si remitti poteſt culpa, nulla ſatisfactione pœnitenti imperata, non eſt hæc Sacramento eſſentialis, verum eſt prius.

Maior probatur. Non condonatur peccatum per Sacramentum pœnitentiæ, niſi verè in ratione Sacramenti ſit tale, eiuſmodi non eſt niſi conſtet partibus ſuis eſſentialibus omnibus, abſentia enim vel vnius reddit illud mancum: vera eſt ergo Maior.

Minor oſtenditur. In mortis articulo abſolui poteſt homo deſtitutus ſenſibus, ac ſatisfaciendi incapax, nempe quia loqui nequit, quia ob inopiam non habet vnde reſtituat aut eleemoſynam tribuat: ergo ſine ſatisfactione remitti peccatum poteſt.

Secundò, pœnitens qui non ſatisfecit iuſtis Confeſſarij imperiis, non iubetur retexere confeſſiones antè obitas, quod tamen eſſet neceſſe, ſi eſt ſatisfactio pars Sacramenti eſſentialis, quid ita verò? quia peccatum nullum actuale remittitur niſi per claues, aut ordinem ad illas, id eſt, verum Sacramentum pœnitentiæ, cùm eius eſt facultas Trid. expreſsè Seſſ. 14. c. 4. vbi ait contritionem non iuſtificare, niſi vt votum confeſſionis includit: At ſatisfactionis omiſſio ſi ad eſſentiam Pœnitentiæ pertinet, Sacramentum facit irritum, ac nullum eſſentialiter non ſecus ac contritionis defectus.

Prima pars iam probatur. In actus prædictos quadrant omnia quæ ad materiam eſſentialem Sacramenti pertinent, ex ſe enim ſunt indeterminati ad ſignificandum & cauſandum gratiam, determinantur autem ab abſolutione tanquam à forma extrinſecus informante, quæ ſanè expreſſiùs multò quàm prædicti actus Sacramenti huius effectum ſignificat, qui eſt peccatorum remiſſio.

Secundò, ſi dari abſolutio validè ſine confeſſione peccatorum ac dolore nequit: erunt hi actus Pœnitentiæ eſſentiales haud dubiè, cùm ad Sacramenti naturam id pertineat, ſine quo eſſe nequit, ſed verum eſt abſolui poſſe neminem, niſi contritum ac confeſſum, datur enim abſolutio per modum iudicialis ſententiæ, communiter autem iudicium nullum eſt niſi rei accuſatio præceſſerit, quæ in præſenti inſtituto eſt pœnitentis confeſſio: eſt hæc ergo prærequiſita eſſentialiter abſolutioni iudiciariæ, per Sacerdotem datæ, aut dandæ. Idem de contritione dici debet, eſtenim inſtituta cõfeſſio, ad reconciliationem hominis cum Deo, reconciliari verò hic nequit, niſi admiſſa retractet formaliter, per verum dolorem qui ſit attritio vel contritio, aut virtualiter per amoris actum, qui vtrùm ſupplere dolorem poſſit, qui Sacramenti huius pars eſt eſſentialis, poſtea videbitur.

Obiicies, non appellari à Trid. hos actus materiam ſimpliciter, ſed quaſi materiam, ex quo ſequitur eſſentiales Sacramento non eſſe.

Triplex eſt reſponſio. prima, hac particula *quaſi* proprietatẽ reinon tolli, ſed augeri, aut certè ad eam declarandã adhiberi, vt Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius gloriã quaſi vnigeniti à Patre*: nec enim his verbis de Chriſti maieſtate, ac gloria, fideique veritate Apoſtolus detractũ quidquam voluit. Secunda, dici *quaſi* materiam, eo quòd propriè hi actus, materia non ſint, qualis eſt phyſica, quæ informatur à forma. Tertia, ea voce *quaſi* Concil. negare noluiſſe hos actus eſſentiales eſſe Pœnitentiæ, cùm cap. 3. eos ad remiſſionem culparum neceſſarios eſſe ex diuina inſtitutione aſſerat, ſed ea ſignificare voluiſſe eos tanquam partes intrinſecas ad hunc effectum concurrere.

Obiicies 2. Si pœnitentis actus intimi ſunt Pœnitentiæ, ipſe ſibi peccata remittet, quo quid abſurdius? maximè cùm ſit hæc laus Sacerdotis ſolius propria.

Reſpondend. 1. non incommodè dici poſſe pœnitentem per ſuos actus, quatenus ſubiiciuntur abſolutioni, concurrere ad ſui iuſtificationem, nec abhorrere à modo loquendi Scripturæ, quæ 1. ad Timoth. 2. remiſſionem peccati pœnitenti tribuit, his verbis, *Si quis ſe emundauerit ab his*, &c.

Reſpondendum 2. Maiorem eſſe falſam, nec enim alius propriè cauſa eſt totius artificiati, quam qui formam tribuit patet in ſtatuario, qui etſi cauſa non ſit materiæ, eſt tamen ſtatuæ, ergo cùm Sacramentum, quidpiam ſit artefactum, non alius propriè eius futurus eſt Miniſter, quàm qui ei formam dabit, quod ſoli Sacerdoti conuenit.

Obiicies 3. Vt pœnitẽtis actus partes huius Sacramenti dici poſſent, deberent inter ſe vniri, nec enim totum coaleſcit, niſi ex partibus coniunctis, quod in hoc Sacramento non accidit, cùm abſolutionem confeſſio tempore præcedat.

Reſpondend. vnionem aliam inter partes Sacramenti, quod eſt ens morale, non exigi quàm moralem, quam habent haud dubiè dicti pœnitentis actus, in hoc Sacramento, quos conſtat concurrere ad actum iudicialem, cuius partes non eſt neceſſe vniri inter ſe aliter quàm moraliter, nam accuſatio defenſione eſt prior, condemnatio autem vel abſolutio multo ſæpe tempore vtraque poſterior.

Obiicies 4. Eodem modo loquuntur Concilia de ſatisfactione ac aliis actibus: vel hi ergo Pœnitentiæ eſſentiales non erunt, vel id ſatisfactioni peræquè conueniet.

Respondend. ex modo loquendi Concilij contra nos inferri nihil posse quod Assertioni hîc positæ obsit: enimuerò cùm scirent Patres ambigere scholasticos ecquid in partibus huius Sacramenti essentialibus, adnumeranda foret satisfactio, de eo nihil sibi statuendum esse censuere, hoc tantùm contenti dicere, quod erat certum, tribus illis actibus, quasi ex materia coagmentari, addidere Theologi iisdem, si modò ad prædicti Sacramenti essentiam pertineant, produci gratiam.

Primò, quia Sacramenta nouæ legis signa sunt eius practica. Secundò, quia Sacramentorum forma ac materia, quæ duæ res, eis essentiales sunt & intrinsecæ, effectus sui producendi vim habent. Astipulatur Tridentinum, cùm enim Sess. 14. cap. 3. asserat in forma huius Sacramenti vim eius præcipuam sitam esse, confessioni quoque & dolori, duobus pœnitentis actibus, momentum innuit inesse ad gratiam, licet minus tamen præcipuum quàm absolutioni. At est omnis (inquies) absoluendi authoritas à clauibus, quæ solis tamen Sacerdotibus sunt datæ. Sunt ergo Pœnitentium actus omnes ad producendam gratiam superflui, ac inanes.

Respondend. potestatem absoluēdi ab his esse, vel dependenter ab illis, his autem actus pœnitentis subiici, & simul à Deo animi iustificando peccatori, & ita ab hac obiectione Assertioni nostræ præiudicium non fieri.

QVÆSTIO III.

Quænam sit forma huius Sacramenti, & in quibus præcisè verbis consistat.

PRima Assertio. *Est forma Sacramenti Pœnitentiæ in his verbis posita, quibus significatur peccatorum remissio, qui effectus est eius proprius*, qualia sunt, *Absolue te*, & æquiualentia. Trid. Sess. 14. c. 3. expressè, probaturque.

Id habet in Sacramento rationem formæ, quod clarè eius effectum significat, sed effectus Sacramenti pœnitentiæ, est peccatorum remissio, & hæc per hæc verba, *Absolue te*, aut æquiualentia, non obscurè innuitur.

Maior est certa, cùm enim sit formæ materiam determinare, hoc nomen ei maximè parti cōueniet, quæ comparatione facta ad materiam Sacramenti, eius effectū expressiùs significabit: Ratio enim essētialis Sacramēti est, etle signū visibile inuisibilis gratiæ, id ergo in eo habebit rationē formæ, quod clarè denotabit, id cuius est causa, vera ergo est Maior.

Minor probatur. His verbis, *Absolue te*, & æquiualentibus, declaratur iurisdictio Sacerdotis in peccata eorumque remissionem, & non nudum tantùm ministerium, quod Trid. can. 9. Sess. 14. exigit, cùm dicit anathema negantibus absolutionem iudicialem actum esse, sed tantùm ministerium nudum, per modum denunciationis, quòd culpas Deus pœnitenti remiserit.

Secunda Assertio. *Hæ duæ voces*, Absoluo te *sacramentaliter sumptæ essentiam componunt formæ Sacramenti Pœnitentiæ*. Soto in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. Sylu. verbo absolutio 6. §. 3. & 4. Caietanus in Summa, verbo absolutio.

Probatur. Illis solis verbis per se continetur forma Sacramenti, quibus significatur ipsius effectus, & simul actio sacramentalis, prout à Ministro pendet, huius modi sunt hæc duo, *Absolue te*, respectu effectus Sacramenti Pœnitentiæ, qui est peccatorū remissio, Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata.*

Secundò, si necesse est peccata exprimi in forma, maximè quia sunt materia Pœnitentiæ, aut quia nisi explicentur, absolutionis quæ datur natura ac qualitas, quantum est opus, non exprimitur. Non primum, nam quid est necesse in actu signato materiam Pœnitentiæ circa quam exprimi? Nec secundum, nam ex confessione rei & absolutione eiusdem à censuris satis superque indicatur absolutionem, quæ tunc datur, aliam non esse quàm de peccatis.

QVÆSTIO IV.

An absolutio data verbis deprecatoriis aut scripto sit valida.

PRima Assertio. *De necessitate formæ Sacram. Pœnitentiæ est, vt verba eius non sint deprecatoria.* D. Th. opusculo 23. Anglez l. 4. difficultate 4 conc. 3.

Huius doctrinæ percelebratæ assensor, & comprobator est Suarez, cum aliis, quorum est hoc opinio certior, quo à Concilio inter fidei dogma recensetur, sic enim Sess. 14. cap. 13. *Docet præterea sancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam in qua vis eius præcipuè est sita in illis verbis positam esse, Ego te absoluo, quibus de Ecclesia sanctæ more preces adiunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nunquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Hæc Concilium, pro quo facit & ratio.

Est Minister huius Sacramenti in causis animæ controuersis ac dubiis iudex. Trid. Sess. 14. cap. 6. Absolutio autem quæ per eum pœnitenti est data vel danda, iudicialis est actio, ex can. 9. eiusdem Sess. At iudicem oportet cum authoritate sententiam dicere, signate lictori præcipere, vt de nocente merita supplicia repetat, non orare, non ad preces descendere, vt in eum exemplum statuat. Sanè cùm sint Apostoli scelerum à Christo constituti arbitri, iis dictum memini, *quorum remiseritis peccata*, Ioan. 20. *quodcumque solueris*, Matth. 18. non autem, quibus postulabitis veniam, quod est argumento, non precando, sed iubendo peccata à Confessariis donanda esse.

Obiicies. Forma extremæ vnctionis verbis deprecatoriis constat, per eam enim supplices Deo fimus, vt *per suam misericordiam indulgeat ægro, quidquid peccauit*, per visum, verbicausā, &c. Eiusmodi ergo constare quoque poterit forma pœnitentiæ.

Neganda Consequentia, disparitatis hæc est causa, quòd effectus extremæ vnctionis à precibus quæ formæ vim habent, pendeat, vt praxis Ecclesiæ, forma ritualium & Scriptura indicant, Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis adducat Presbyteros, & oratio fidei alleuiabit infirmum, etsi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Cuius modi nihil est in Pœnitentia, vt loquitur tam eius institutio comprehensa his Christi verbis, *Quorum remiseritis peccata, quæcumque solueritis*, &c. quam praxis totius Ecclesiæ, quæ cùm initium non habeat, habenda est pro Apostolica traditione.

Obiicies 1. Cōsueuisse Græcos, in huius Sacramēti administratione, verba adhibere deprecatoria, nec alia, si fides est Marco Ægyptio & Nicol. Cabasylæ, indicatque hæc eorum oratio, quæ in Sacra-

mento Pœnitentiæ, illis eſt formæ inſtar dimitte A
ei, condona ei Domine, quid ergo vetat quo minus in Eccleſia Romana collatum Sacramentum, pari forma verborum ſit validum?

Antecedens eſt falſum, nam ad verba allata, quæ inuocationem haud dubiam habent, alia quoque eos adiicere ſolitos, à noſtris ſi ſono at ſenſu non diuerſa, ſcripſit Arcudius lib. 4. cap. 3.

Obiicies 3. ſcribere Leonem epiſt. 91. peccatorem non niſi ſupplicantis Presbyteri precibus indulgentiam conſequi, eſt ergo forma Sacramenti, per quàm conceditur, hæc remiſſio, inuocatoria.

Neganda eſt conſeq. ad Leon. autem reſpondendum, loqui eum tantùm de forma Sacramenti Patrum more, hoc eſt impropriè, à quibus forma Sacramenti, appellatur oratio, ideo quòd per eam implicitè inuocetur virtus diuina, vt ſecundum pactum cum Chriſto initum remittat peccata, ac in homine producat gratiam. B

Secunda Aſſertio. *Abſolutio verbis eſt data ſecus eſt nulla.*

In literis enim Eugenij eſt his verbis. *Sacramenta omnia conſtant verbis tanquam forma & rebus vel materia.* Ergo data abſolutio aliter, quàm verbis eſt nulla. Florentino aſſentitur Trident. ſynodus ſeſſ. 14. cap. 3. *Forma huius Sacramenti in his verbis miniſtri eſt poſita, Ego te abſoluo*, ſed propriè non alia miniſtri ſunt verba quam quæ ore prolata, quare contraria ſententia cuius authorem ſe præbuit Medine cod. de Pœnitentia tract. 2. q. 15. 4. quartum dictum, vt improbabilis & Concilij verbis contraria non eſt tenenda. C

Obiicitur contra 1. Confeſſio ſcripto poteſt fieri ergo & abſolutio ſic dari. Neganda conſequentia ideo enim confeſſio explicatur de ſcripto, quia id eſt vtile, ac ſæpe pœnitenti neceſſarium ad ſubſidium nimiæ verecundiæ, quæ non patitur peccata ſua palam eloqui.

Deinde quia voce ſingultibus interrupta, ac confuſa lachrymis Pœnitentis, ne trahat tempus, expedit ita illum peccata ſua explicare, quod non habet locum in abſolutione, quæ à quolibet poteſt facilè, vt commendari memoriæ, ita & proferri ſine pudore.

Obiicies 2. Abſolutio, iudicialis eſt actio ſed iudices ſententiam ſuam ſcripto ferre poſſunt, ergo, D
& ſacerdotes. Multiplex eſt reſponſio ad minorem. Prima tribunalium omnium conſuetudinem hanc eſſe, vt iudicum ſententia ſit vocalis. Secunda etſi forte alicubi ſcripto, detur, non id fieri tamen quaſi in ſcriptione vis eius ſit poſita, ſed quia propter infirmitatem animi in iudice, eiuſdē loquēdi difficultatem ac metū maximè, in cœtu populi, aut conſulum, iuuari debet eius memoria, formido minuenda tali ſubſidio, quod cùm ſit rarum, ac infrequens pro regula formaque capi non debere. Reſponſio tertia eſt, aliam fori externi, internique rationem eſſe: in hoc enim idem eſt teſtis, actor & reus, in extremo minime. 1. Pœnitenti fidem ſacerdos adhibet, tam pro ſe loquenti, quàm contra. 3. Non ſecundum probata, ſed allegata iudicat, quorum nihil ſit à iudice regio, cum alius eſſe debeat teſtis in foro cui præſidet, & alius accuſator, nec alteri eorum credatur ſine alio, cum non ſufficiat teſtis ſine accuſatore, quare non valet conſequentia ab vno foro ad aliud, cuius rei alia ratio afferri non poteſt, quam Chriſti Domini inſtitutio quam talem eſſe conſtat ex praxi Eccleſiæ, & traditione ſæculorum omnium. E

QVÆSTIO V.

An ſit de neceſſitate Sacramenti, vt abſolutio ſimpliciter detur, & abſolute, nulla ei conditione de futuro addita.

Aſſertio prima. *Abſolutio data ſub conditione de futuro, eſt inualida, & ſacrilega.*

Inualida quidem, quia ad validitatem Sacramenti requiritur, vt qui illud adminiſtrat intentionem habeat ſaltem implicitam, faciendi quòd facit Eccleſia, at ea caret, quiſquis abſoluit cùm conditione euentus futuri non neceſſarij. Quid enim eſt Eccleſiæ in Sacramentorum vſu propoſitum? Nempe vt hæc operentur conſentanee eorum eſſentiæ, quod tamen non accidit quando conferuntur ſub conditione de futuro, cum iſtiuſmodi conditionibus hoc ſit à natura inditum, ſuſpendere effectum ad tempus quo exiſtent, cum tamen Sacramenta agant neceſſariò quando ſunt.

Secundò. Forma eſt inualida cùm eſt falſa, quid ita? Quia in hoc verſatur eius eſſentia, vt id efficiat quod ſignificat, & contra, ſed hæc ſignificat de præſenti remiſſionem peccatorum, ergo illam efficit, quod tamen falſum erit, ſi conditio de futuro apponatur formæ, quia per eam ſuſpenditur effectus, nec enim ſacerdos vult abſoluere, ſed tunc tantum cùm ponetur conditio, quod tamen eſſe non poterit, eo quod non ſit tunc ponenda forma. Sic autem eſſe vt dicitur probatur, qui dicit, abſoluo te ſi reſtitues, aut ſi ad ſuperiorē ieueris, non intendit Pœnitentem liberare à culpis, cum hæc verba pronuntiat, ſed cùm iſte alienum reddiderit, cum ſuperiorem adierit, idem enim eſt ac ſi diceret, abſoluo te cùm id egeris, non ante, quod tamen eſt contrarium intentioni Eccleſiæ, & Sacramentorum eſſentiæ, quæ operantur neceſſario cum ſunt, non erit autem poſtea confeſſio nec abſolutio vt patet.

Ex quo ſequitur prædictam formam eſſe quoque ſacrilegam, quia ſacrilegium eſt, reddere Sacramentum ſua culpa inualidum.

Dixi ſub conditione de futuro, quia etſi abſolutio dari nequeat cum conditione quæ eſt de præſenti, aut præterito, eo quòd talis forma, ſit contra morem Eccleſiæ, data tamen cùm hoc modo, tenet, cauſa eſt, quod conditio iſtius generis, non ſit propriè conditio, lege, cum præſens digeſt. ſi certum petatur, nec ſuſpendit effectum, ob eamque cauſam addi formæ poteſt, & quidem licitè in tribus caſibus.

Primus eſt cùm dubitatur an qui confitetur habeat vſum rationis, vt ſi eſt puer, vel an habeat eum in actu confeſſionis, vel neceſſarium dolorem.

Secundus eſt cùm ſacerdos clare non agnoſcit an peccatum vllum ex illis quæ pœnitens explicat rationem venialis habeat, tunc enim poteſt dicere Abſoluo te, ſi quæ es confeſſus ſint peccata.

Conſultius tamen eſt, & in praxi ſemper ſeruandum, vt à pœnitente exprimatur confeſſio alicuius culpæ iam ante explicatæ, cui adueniens abſolutio gratiam in eo producat Sacramenti propriam.

A

QVÆSTIO VI.

Quenam hic requirantur ex parte formæ neceſsitate Sacramenti, & præcepti.

SVpponendum primo. Formam huius Sacramenti eſſe hanc, *ego te abſoluo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Trident. ſeſſ. 14. c. 3.

Supponendum ſecundò. Id eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſine quo ſtare, eſſeque abſolutum & integrum non poteſt.

Supponendum 3. Quinque eſſe in forma huius Sacramẽti perſonam ſcilicet abſoluẽtem, abſolutã, actum ipſum abſolutionis, id quo abſoluimur, hoc eſt peccata, & inuocationem Trinitatis, & de his omnibus dubium eſſe, an ſit neceſſe, ea neceſſitate Sacramenti exprimi, &

B Dico 1. *Non eſſe neceſſe hoc genere neceſſitatis mentionẽ facere perſonæ abſoluentis.* Nam forma Græcorũ eſt valida, & in ea tamẽ abſoluẽs non exprimitur vẽ patet ex his eorum verbis, *A ſoluatur ſeruus Chriſti.*

Dico 2. *Neceſſitate Sacramenti exprimendam eſſe perſonam quæ abſoluitur:* Quia in omnibus Sacramentis, præterquam Matrimonio, forma debet ſignificare aliquam applicationem quæ fiat ſubiecto, hæc autem ſignificari nequit quin explicetur ſubiectum quod ſit per pronomen, *Te*, aut aliud ei æquialens.

Dico 3. *Et id quoque exprimendum eſſe, quod in hoc Sacramento remittitur:* Ratio eſt, quod forma Sacramenti ſignificare debeat, quod efficit, ergo cùm in Sacramento abſoluatur pœnitens, eſt id in eius forma exprimendum. An autem peccatorum mentio fieri debeat, DD. ambigunt.

Affirmantem tenuere olim Palud. in 4. diſt. 22. q. 3. Pet. Sot. lect. 4. de Confeſſ. Negantem Sylu. verb. abſolutio 6. paragr. 4. & 5. Cajet. ver. Abſolutio Graff. cap. 31. num. 9. quorum ſententiæ ſubſcribendum puto ob rationes ſequentes.

Prima eſt, quod Tridentin. cum de forma huius Sacramenti diſputat meminerit harum vocum duntaxat, *Abſoluo te*, ſunt hæ ergo ſolæ Sacramento intrinſecæ, alioqui addendæ fuiſſent & aliæ, D ſi quæ fortè ei eſſentiales fuiſſent.

Secunda, ſi eſt neceſſe in forma huius Sacramenti peccata exprimere, cauſa repetenda eſt haud dubie ex harum rerum aliqua nempe quia ſunt materia Pœnitentiæ circa quam, aut quia aliter, non ſatis exprimetur abſolutionis qualitas. Non 1. quia nihil eſt neceſſe in Sacramentis eorum materiam in actu ſignato exprimi, vt patet inductione. Nec 2. quia ex confeſſione peccatorum, abſolutione à cenſuris quæ præcedere ſolet abſolutionem à peccatis, ſatis quiſque intelligit cuiuſmodi ſit illa, quæ tum datur, nempe à peccatis, quare probabile mihi eſt hæc verba (à peccatis) de ſubſtantia, ac integritate formæ eſſe, nec proinde ſine mortali omitti poſſe. 1. Quia ea Eccleſia adhibet. 2. Quia non conſtat clare an ſint eſſentialia prædictæ formæ, cum multi id aſſerant, quarẽ omitti non debere DD. eſt opinio.

Dico 4. *Inuocationem ſanctæ Trinitatis non eſſe formæ eſſentialem & intrinſecam:* Quia id nec ex ſcriptura, nec vllo Concilio colligitur, vt patet, eſt tamen hæc inuocatio de neceſſitate præcepti, quod ſecluſo ſcandalo, & contemptu obligat tantum ad veniale, ad nullũ autem quando ex cauſa omittitur.

QVÆSTIO VII.

Quid ſignificent hæc verba, Ego te abſoluo.

SEntentia Magiſtri in 4. diſt. 18. eſt eorum verborum ſenſum hunc eſſe, ego te oſtendo abſolutum, & ita ſacerdotem nunquam abſoluere pœnitentem, ſed tantùm declarare eum à peccatis liberatum eſſe beneficio contritionis, quæ abſolutione, ac Sacramento, eſt prior, & hæc opinio eſt hęreticorum noſtri tẽporis proindeq; non ſequenda.

B Exiſtimarunt Scotus in 4. diſt. 14. art. 4. Hugo à ſancto Victore 2. de Sacramentis cap. 8. ſignificari verbis allatis Pœnitentem per ſacerdotem liberari à reatu æternæ pœnæ, per Deum autem ſolum à culpa.

Veriſſima ſententia explicabitur ſequentibus aſſertionibus, quarum explicationi præmittendæ, ſunt notitiæ aliquæ. Prima in facerdote, nempe veram & propriam poteſtatem eſſe delendi peccata, rem de fide eſſe declarant verba Trid. Concil. ſeſſ. 14. can. 1. vbi ab Eccleſia remouendus eſſe dicitur. *Qui dixerit verba illa Domini ſaluatoris, accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, ac retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut* C *Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit.*

Secunda Sacramenti huius effectum proprium, eſſe peccatorum remiſſionẽ, eamque à ſacerd. fieri quia vt habet Flor. in decreto vnionis & Trid. per Pœnit. redimus cum Deo in gratiam ſeſſ. 14. c. 3. at ſacramentalis actio, eſt etiam miniſtri actio, quæ in facto eſſe, eſt gratia producta cõcomitãter, cõſecutiue autẽ peccatũ delet, ergo effectus huius actionis, eſt peccati remiſſio per miniſterium cõfeſſarij.

Prima Aſſertio. *A ſacerdote non tantùm reatus æternæ pœnæ, ſed etiam culpæ remittitur.*

Ita Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. & 4. Nam priori loco definitè ſanciunt Patres, rem & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, eſſe reconciliationem hominis cum Deo: poſteriori autem attritionem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, diſponere. Vnde ſic argumentamur. Reconciliatio D hominis cum Deo fit remiſsione culpæ, cum quanto tempore hæc eſt in homine, ſit hic Deo inimicus eiuſque hoſtis, ea autem deleta, per infuſionem gratiæ, incipiat amicus eſſe, at Deo reconciliatur homo per Pœnitentiam: ſupponit ergo Concilium deleri culpam beneficio Sacramenti, ergo & ope ſacerdotis, qui eius eſt cauſa ſaltem inſtrumentaria.

Secundò, ideo attritus, diſponitur per attritionem ad recipiendam gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ, quia hęc ab eo producitur, ergo & à ſacerdote, nam quòd eſt cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati, ſed ſacerdos eſt cauſa Sacramenti Pœnitentiæ, ponendo eius formam, ergo & gratiæ, ergo E & remiſsionis culpæ.

Tertiò, verba formæ Sacramenti id maximè ſignificant quod ab eo fit, & cuius cauſa eſt inſtitutum, illud non eſt pœnæ remiſsio, primo & per ſe, cum conſequenter tantum tollatur, ſed culpæ iuxta hæc Chriſti verba. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. non ergo pœna propriè, & immediatè, ſed culpa per Sacramentum Pœnitentiæ deletur.

Obiicies, ſi verba formæ, peccata remitti, ſigni-

Digitized by Google

ficant ſemel condonatæ, clauibus iteratò ſubiici non poterunt, ſicque confeſſionum generalium vſus in Eccleſia interibit omnis; nam quis eximi ſoluique vinculo velit, quo non tenetur ligatus amplius? Deinde ecquis verè, ecquis iuſtè conſtituere ſe reum peccati auſit, cuius macula non notatur: at confitendo generaliter, reum ſe fatetur eius culpæ, cuius pars ei nulla adhæret, ergo vel falſa forma erit, vel peccatum iam explicatum in confeſſione, & relaxatum, denuò Sacerdoti exponi non poterit.

Quidam ob hanc difficultatem aſſerunt, inclinationes quæ ex peccato ſunt reliquiæ, reales, ac veras tantùm remitti per confeſſionem repetitam culpæ iam ante remiſſæ. Ita Caiet. tomo. 1. Opuſc. tract. 5. q. 3. ad 2. ſed hoc eſſe nequit, cùm Sacramentum ad has reliquias delendas non ſit inſtitutum.

Aliis videtur peccatum, hoc nomine dici remitti, quod pœnitens per abſolutionem liberetur ab obligatione ſubeundæ pœnæ, quam peccando meruit, ſiue hæc ſit temporalis, ſiue æterna. Sed hoc ſimiliter non ſatisfacit, cauſa eſt quòd pœnitens poteſt actibus ſuis eum nexum ſoluiſſe, eam obligationem expunxiſſe omnem.

Dico ergo ſecundò. *Verba formæ ſeorſim ſumpta & ſine ordine ad alios actus pœnitentis ſignificare per ſe primò & immediatè remitti peccatum tam in ſe, quàm effectis ſuis, ſi aliquod, aut aliqua adhuc ſuperſunt abſoluenda.* Ita Ægid. de Coninch. diſp. 4. de Sacr. pœn. num. 9.

Probatur. Sacramenta faciunt quod ſignificant, ſed verba formæ primò per ſe & immediatè ſignificant remitti culpas, conſequenter autem infundi gratiam, vera eſt ergo Aſſertio.

Secundò, hæc verba, *Abſoluo te*, propriè ſumpta, ſignificant pœnitentem liberari à ſuis vinculis, at tam peccatum, quàm reatus pœnæ temporalis, aut æternæ, vel priuatio diuinorum beneficiorum, ſunt vincula, ac peccati effectus, vincula quidem, eo quòd hominem ad aliquid obligent, & ab aliquo impediant, metaphorâ ductâ à cathenis, quæ his inretitum ſiſtunt, moranturque ne multa faciat, aut obtineat, quæ conſequi aliter potuiſſet.

Quod autem reatus ad pœnam, & obligatio ad confitendum; ac priuatio diuinorum beneficiorum effectus ſunt peccati, patet, quia qui eo caret ad hæc non tenetur. Secundò, quo maiora ſunt peccata, eo maior eſt obligatio ad hæc omnia, etſi enim per gratiam culpa omnis deleatur, ea tamen remanet aliquo modò in effectu ſuo, nempe in turpitudine ac deformitate, quæ in hoc conſiſtit quod creatura infinitè vilis & indigna Deum offenderit, ratione cuius offenſæ fit, vt indignior ſit diuinis beneficiis, quàm qui in eius ſe amore ac cultu cõtinuit, vt videre eſt inter homines, quorũ vni, etſi Princeps illatam ſibi per eum iniuriam remiſerit, tamen idem ipſe, eius beneficentia ac amore minus eſt dignus eo qui nunquam eius mandata violauit, hæc autem indignitas eo ſemper fit minor, quo pœnitens Deo per gratiam fit vicinior, in Sacramento.

Ducta hinc ergo argumẽtandi cauſa, ſic agimus. Ad verificationem formæ, ſufficit pœnitentem ſolui vinculis, quibus tenebatur aſtrictus. At tam peccatum in ſe, quàm in effectibus ſuis, de quorum numero eſt obligatio tam ad confitendum, quàm ad pœnam temporalem ſubeundam, cum indignitate morali ad amicitiam Dei, & eius beneficia recipienda, vinculum eſt, ergo vt verificetur forma, ſufficit alterum iſtorum diſſolui, hominemque per abſolutionem, reddi ſaltem magis dignum diuinis beneficiis: At ſemper id fit, quia ratio in Deo, cur iis priuet hominem eſt offenſa, cum dedecore morali quod eius cauſa ab eodem homine recipit, ergo ratio recuperandi hæc beneficia, cum diuina amicitia, eſt cultus qui Deo exhibetur per cõfeſſionem, quæ quo frequentior erit, hoc quoque cultus iſte maior eſt futurus.

Dico tertiò. *Formam Sacramenti pœnitentiæ non ſignificare abſolutionem omnem hic & nunc conferri, quæ per eam dari poteſt, ſed aliquam ex his indeterminatè, ſiue ſit à culpa, ſiue à pœna, aut ab aliqua re conſequente ex peccato.* Ita Coninch. ſuprà Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 3. num. 7.

Quia de qualibet earum rerum verificari forma poteſt, & non eſt neceſſe eam de omnibus intelligi, cùm per quamlibet earum abſolutionum quas in Sacramento recipimus, non tollantur omnia noſtra vincula, nec enim omnis obligatio temporalis pœnæ ſubeundæ, quam peccando meruimus, per Sacramentum deſinit, quemadmodum nec cætera quæ peccatorum reliquiæ dici ſolent.

Aſſertio quarta. *Verba formæ vt componunt Sacramentum cum actibus Pœnitentiæ, ſignificant gratiam ſanctificantem, & conſecutiuè remiſſionem peccati.* Probatur. Sacramenta primò & per ſe ſignificant quod producunt, & conſequenter deſtructionem formæ ei oppoſitæ, vt patet inductione facta per omnia Sacramenta: Sed hæc producunt gratiam, & ex conſequenti, ſeu conſecutione quadam neceſſaria, remiſſionem culpæ: ergo vt illam primò & per ſe denotat, ita & hanc conſecutiuè.

Obiicies primò. Si hæc verba formæ, *abſoluo te*, ſignificant tolli à pœnitente vincula, de quibus facta eſt in Aſſertione mentio, forma ſæpe falſa erit, & maximè in caſu, quo nulla eiuſmodi in pœnitente ſuperetunt, quod accidere poteſt poſt longos, ac diuturnos cruciatus Dei cauſa toleratos.

Negandа eſt ſequela, quia etſi nullum vinculum in pœnitente reſiduum foret, eo quòd peccata alia ad confeſſionem non afferat, quàm quæ ſunt deleta in confeſſionibus præteritis, non ideo tamen falſa erit abſolutionis forma: ſenſus enim tam eius, quàm horum verborum, *Abſoluo te*, eſt, confero tibi gratiam ſanctificantem, ſuapte natura vim habentem remittendi peccata, non alia tamen quàm quæ, & quatenus in pœnitente ritè diſpoſito, ad eorum remiſſionem, inexiſtunt.

Obiicies ſecundò. Ad veritatem formæ neceſſe eſt, vt pœnitens vel vnum ſaltem peccatum Sacerdoti exponat, quod non ſit remiſſum, alioqui falſa eſſet forma maximè cùm ei adiungantur hæc duo verba, *à peccatis.*

Maior eſt falſa, ſi de culpa agitur, vera ſi de effectibus, cauſa eſt quòd Sacramentum neque ſecundum ſe totum, neque ſecundum aliquam ſui partem abſolutè ſignificet hîc & nunc aliquod peccatum, ſecundum quod habet rationem culpæ, adhuc exiſtere, aut remitti, ſed ſub conditione tantùm, quòd ſit delendum, ſi quod fortè remanet. Ægid. diſp. 4. dub. 8. num. 59.

QVÆSTIO VIII.

Quænam requirantur neceſsitate Præcepti ex parte formæ in hoc Sacramento.

PRimò requiritur vt remoueantur à forma abſolutionis omnes voces & modi loquendi, qui non ſunt ab Eccleſia approbati, ſed quorundam Confeſſariorum inſcitia introducti, quorum nonnulli ſunt ſuperflui, periculoſi alij. Superflui ſunt, *Abſolue te ab omnibus peccatis venialibus, mortalibus, & circunſtantiis eorumdem*: quia hæc omnia comprehenduntur hac voce, *peccatis*. Periculoſi ſunt, *Abſolue te ab omnibus peccatis, de quibus es contritus, aut de quibus libenter confiteris*: habet enim hæc forma loquendi multa, quæ doctis probari nequeunt. Primò quòd ad ſcrupulos aperiat aditum, cùm nemini conſtare certò poſſit, an eo dolore tangatur, qui ſit contritio.

Secundò, quòd abſolutio, non in ea modò peccata cadat, quorum ob Deum verè nos pœnitet, & de quibus eſt contritio, ſed etiam in alia, de quibus tantùm habetur attritio, imò & in multorum ſententia, de quibus ſufficiens non eſt conceptus dolor, modò id ſit pœnitenti incognitum. Quia quamuis in hoc poſteriori caſu non conferatur gratia, per abſolutionem, confeſſio tamen ſecundùm illos eſt rata, quam proinde repetere nihil ſit neceſſe, de quo nos poſtea ſuo loco pluribus.

2. Neceſſe eſt neceſſitate præcepti vt adhibeantur eidē formæ omnia quæ ſecundùm Eccleſiæ cōſuetudinē adhiberi ſolent, quorum nonnulla abſolutionem antecedūt, eam alia comitantur, ſubſequuntur alia. Tria ſunt quæ eam debent præcedere, primum eſt, vt ab eo ſatisfiat parti læſæ, ſi poteſt, qui iniuriam intulit, ſin minus, ab eo exigenda eſt cautio, fideiuſſor, aut pignus, quod ſi, ne id quidem, eſt in eius poteſtate, ſaltem iubebitur iureiurando aſſerere factum ſe illi ſatis, vbi ſe primùm commoda ad id occaſio offeret. Quod tamen de iis dumtaxat eſt caſibus intelligendum, in quibus ius, illud abſolutioni præmitti imperat: In aliis cauendum eſt ſedulo Confeſſario, ne de eo pœnitenti legem imponat, ſufficere ei debet, quod certum ſibi ſtatutum que eſſe dicat, ſatisfacere officio, reſtituere ablata, à læſo veniam offenſæ petere, in ſumma, ea exequi omnia, quæ religioſa Sacramenti lege facere tenetur. Sylu. Confeſſor. 4. parag. 7. Nauar. c. 26. num. 2. & cap. 27. num. 47. 48. & 73. Graphius cap. 36. Caſus autem in quibus ea cautio debet exigi, ſunt ſequentes. Primus, cùm qui abſolui debet, eſt notorius excommunicatus, cap. ex parte, de verb. ſignific. cap. ſolet de ſent. ent. in 6.

Secundus, cum infamia laborat incenſæ domus, agri, aut Eccleſiæ. Sic enim Innoc. II. 23. q. 8. ca. peſſimam 33. his verbis. *Si quis ſine pro odio, ſine pro vindicta ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus conſilium vel auxilium ſcienter tribuerit, excommunicetur, & ſi mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura, nec abſoluatur, niſi priùs damno reſarcito ſecundùm facultatem ei cui intulit, iuret ſe vlteriùs ignem non appoſiturum.*

Tertius caſus, in quo iuramentum aut cautio abſolutioni præmitti debet, eſt cùm is cui eſt impertienda, reus eſt violatæ Eccleſiæ, aut rapinæ manifeſtæ: ſic Eugen. 3. cap. ſuper eo, 2. de raptoribus. *Nam niſi priùs ablata reſtituat, ſi potuerit, vel emendandi firmam & plenam ſecuritatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei eſt negandum.* Idem de vſuranis manifeſtis ſtatutum eſt à Gregorio eius nominis X. fidem facit decretalis eius ſecunda de vſuris in 6. vbi eſt his verbis *Nullus manifeſtorum vſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſine ipſos abſoluat, niſi de vſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo, pro ſuarum viribus facultatum præſtent, vt præmittitur, idoneam cautionem.*

Secundū, quod abſolutionē debet præcedere, ſunt orat. quib. Deus pœnitenti placatur, cuiuſmodi ſunt, *Miſereatur tui, &c. & Dominus noſter Ieſus Chriſtus*, quem enim Sacerdos miniſterialiter, hunc Deus principaliter abſolut in Sacramento pœnitentiæ, quod vt facere dignetur ac velit, tam ſuā, quàm pœnitentis cauſa, precibus ipſi fuſis, impetrare ab eo ſupplices conamur, & quamquam non ſint hæ, Sacramento eſſentiales ac intrinſecę, non ſunt tamen temerè ac ſine cauſa omittendæ, eo quòd ſunt in Eccleſia vſitatæ, ab eaque vulgò receptæ.

Tertiò, abſolutioni à culpa, præmitti debet relaxatio à cenſura, ſi ea teneri pœnitentem conſtet, aut certè de ea eſt dubium, vel probabilis aliqua coniectura: res eſt ex praxi communi Eccleſię certa, ſicut & iſtud, remiſſionem cenſuræ, ad peccatorum abſolutionem, neceſſitate Sacramenti non exigi, fac enim pœnitentem ignorare culpā nullā ſuā, hoc ſe vinculo irretitum eſſe, de admiſſis autem ritè eum confiteri, ac abſolui, à Confeſſario, ſimiliter ignaro impedimenti eccleſiaſtici, quo prædictus pœnitens tenetur, rata erit abſolutio, nec vbi hic nouerit excōmunicatum ſe eſſe, facta priùs de peccatis confeſſio, ei neceſſariò iteranda erit. Caiet. in Summa, verbo Abſolutionis impedimentum, & verbo Confeſſionis iteratio cauſa eſt, quod vt ait Graff. lib. 1. Deciſion. cap. 18. num. 6. ritè iam ſit confeſſus, Sacramentum enim, omni adulto non ponenti obicem, gratiam confert, cùm eſt, at ignorantia cenſuræ, quæ pœnitentem afficit, eum à culpa excuſat, non confitentem tale impedimentum, quod ſupponitur neſcire: nam tunc tantùm eſt inualida abſolutio, ac coniuncta ſacrilegio, quando pœnitens non ſolùm intelligit ſe eſſe excommunicatum, ſed etiam nouit peccatum eſſe mortale, eam cum tali impedimento, procurare ac capere, ſic enim confeſſio non eſt integra. cùm accuſationem huius ſacrilegij non habeat, vt ſupponitur, & eſt præterea deſtituta dolore neceſſario, ad Sacramentum, cùm hîc ſtare nequeat vnà cum affectu ad culpam, qualis tamen eſt in eo qui excommunicationis ſuæ gnarus ac conſcius, Sacerdoti ſe offert abſoluendum à peccatis, nulla de cenſura ſua, mentione priùs habita. Graph. ſuprà nu. 5. Nau. cap. 9. num. 3. & cap. 26. num. 7.

Quòd autem ſit de neceſſitate præcepti priùs ab excommunicatione, quam peccatis abſolui patet. Quia qui ſciens patitur ſibi beneficium abſolutionis impendi cum cenſura, verè eſt ſacrilegus, cùm ad Sacramentum animum adiiciat, cum conſcientia mortalis culpæ, quod eſt malum, veréque ſacrilegum, vt probat Nauar. in parag. cautus, can. conſideret de pœnit. diſt. 5. Patet hinc erraſſe Angel. verbo confeſſor, 5. parag. 10. cùm ait probè facturum Confeſſarium, ſi pœnitentem, quem ab excommmunicatione abſoluere non poteſt, priùs à peccatis abſoluat, & deinde ad Superiorem remittat, ad habendam abſolutionem à cenſura, eſt enim hæc opinio falſa, niſi intelligatur de ea quæ eſt apertè iniuſta, & quæ tantùm vim habet in foro externo,

Digitized by Google

externo, vt probant argumenta ante allata.

Sciendum tamen cùm dicitur abſolutionem ab excommunicatione præmittendam eſse abſolutioni à peccatis, id de prioritate temporis intelligendum non eſse, quaſi ex vi præcepti huius, ſit neceſſe abſolutiones illas diſtinctis verbis fieri. Si enim confeſſarius dicat abſoluo te, intendens abſoluere ab omnibus vinculis à quibus poteſt abſoluere, ſiue illa ſint cenſuræ, ſiue peccata, modo non addat à peccatis, certum eſt, eum verè abſoluere tam ab excommunicatione, quàm peccatis, & non delinquere mortaliter, contra hoc præceptum, quo tenetur in forma abſolutionis proferre, hæc verba à peccatis tuis. Et hæc dicta ſunto de præmittendis abſolutioni, quæ datur per formam, & quidem vt vitetur culpa, iam dicendum videtur de his quæ prædictam abſolutionem concomitari debent.

Et primum eſt, manus eleuatio, ſeu impoſitio ſuper pœnitentem, quam de neceſſitate Sacramenti non eſſe docet D. Thom. q. 84. art. 4. nec tamen omittendam eſſe in his prouinciis, in quibus, ex conſuetudine obſeruatur, ex eo conſtat, quod ea cæremonia ſit antiquiſſima, & rationi valde conſentanea. Antiqua eſt, quia iam à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, eſt ſolita frequentari in Eccleſia, fidem faciunt teſtimonia, ex Concil ac Pontificum decretis petita, ordiar. à Conc. Sic enim Carthagin. 5. can. 11. *Confirmandum eſt, vt ſi quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua grauiori culpa conuicti fuerint, quâ eos à miniſterio neceſſe ſit remoueri, non eis manus tanquam Pœnitentibus; vel tanquam fidelibus laicis imponatur.* Et can. 63. diſt. 50. iubentur. *Pœnitentes tempore quo Pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium (ſicut vbique conſt. tutum eſt) conſequi.* In eandem ſententiam Auguſt. lib 3. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 6. ſcripſit manuum impoſitionem repeti poſſe, non Baptiſmum, quod originis culpa, vbi ſemel eſt abſterſa per Bapt. redire nequeat, & proinde non ſit neceſſe Baptiſmum qui eius delendæ causâ eſt inſtitutus, iterari ſæpius, quòd de culpis actualibus, dici cùm non poſſit, quod in eas ſubinde relabamur, eas per Pœnitentiam elui eſt neceſſe, quoties animam per eas inſici vitio aliquo ſuo, ac dæmonis mali inſtinctu accidit.

Eſt etiam hæc cæremonia rationi conſentanea, quod innuat pœnitentem de liberali Principis Dei dextera, magna quædam, ac diuina beneficia conſequi, ſub ea, quaſi ſub ala, aſyloque diuinæ eius prouidentiæ conquieſcere, ſint metu periculi, ac lapſus. Ad eam cæremoniam, additur crucis formatio, quæ nihilo ſecius quam prior, abſolutioni præmittitur quòd vt loquitur Stephan. can. nunquid 10. diſtinct. 5. *Omnia chriſmata ſacerdotalis myſterij, crucis figura perficiantur, nunquid baptiſmatis vnda, niſi cruce ſanctificata, peccata relaxantur? & vt cætera prætereamus, ſine crucis ſignaculo, quis ſacerdotij gradus aſcendit?* Non eſt tamen hæc cæremonia, neceſſitate Sacramenti vllo modo neceſſaria, ſed præcepti ſolius, cuius violatio, ſecluſo contemptu, ac ſcandalo, maculam non continet venali maiorem, quemadmodum nec precum omiſſio, quæ ſubſequi abſolutionem ſolent, nec enim ſunt hæc tanti, vt abſolutio ab iis pendere, aut in eam influere vim vllam ſint putandæ.

QVÆSTIO IX.

An abſolui poſſit, qui nutibus tantum ac ſignis, abſolui petit.

ABſolui non poſſe dixerunt Graffius lib. 1. deciſion. cap. 36. num. 25. Nau. in manuali cap. 26. num. 27. Canus in relect. de Pœnitent. parte 1.

Secus quàm illi opinati ſunt hi authores Sylueſt. ver. Confeſſor. 3. num. 16. Henriq. lib. 6. cap. 10. num. 7. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8. quorum ego opinionem ſequendam puto, ob cauſas quæ ſequuntur.

Prima, quod abſolutio dari poſſit ei, qui contritus peccata ſua ſacerdoti explicat, modo meliori quo poteſt, facit hoc vero, qui oppreſſus vi morbi, loqui nequit niſi per nutus & ſigna, quibus, in difficillimis ſuis temporibus, reconciliari ſe velle Deo indicat, hoc ipſo enim ſignificat ſe peccaſſe, deque eo, dolore ſe affici.

Secunda. Qui ſcit ſe mortalis culpæ reum eſſe, cuius tamen nominatim non eſt memor, ſatisfacit officio ſi confiteatur in genere ſe peccaſſe mortaliter, ignorare tamen in qua materia, ergo & qui linguæ, vociſque beneficio deſtitutus, mentem ſuam ac conſcientiam expromere non poteſt, debebit quantum eſt ad abſolutionem neceſſe cenſeri diſpoſitus ad hanc gratiam, ſi nutus, aut ſigna adhibeat, ad teſtandum dolorem ſuum, vnaque peccatum, cuius conſcientiam habet.

Obiicies 1. Abſolui non poteſt niſi confeſſus, at qui deſiderium abſolutionis præ ſe fert, & nihil aliud, confeſſionem de peccatis non inſtituit, cum nullum ſpeciatim explicet. Min. eſt neganda, ad Confirmat. dicendum eſt, confeſſionem eſse duplicem, generalem vnam, ſpecialem alteram, & vtraque ſatisfieri præcepto diuino de confeſsione, priore quidem, cum aliter non poteſt inſtitui, vt in neceſsitate, mortis articulo, aut morbo, quia vt habent Doctores, confeſsio peccatorum ſpecifica, & in individuo, non eſt de neceſsitate Sacramenti, ſed per ſe ac directe tantum de neceſsitate præcepti diuini, quod pœnitentem non obligat, niſi quatenus ſeruari poteſt, Laym. ſupra.

Obiicies 2. Vt eſt ſacerdos iudex in hoc Sacramento, ita & eius abſolutio iuridica eſt actio, ſed hæc non cadit niſi in peculiaria opera, quæ ſint ipſi iudici nota, ergo cum confeſsario, nihil innoteſcat ſimile, per confeſsionem factam nutu aut ſigno, abſolutionem impertiri hic non poterit, ei qui præter ſigna aut nutus, nihil habet.

Minor primo eſt falſa, nam quid impedit, eum contra quem nihil affertur, dignum morte aut cenſura, declarari iudicis ore, aut præconis, innocuum ac ſine culpa? Secundo dici poteſt aliam eſse huius fori rationem, & externi, etſi enim in multis conueniant, differunt tamen. 1. quòd in interno idem ſit teſtis, actor, & reus, non item in externo. 2. Nop poteſt reus, plecti capite, niſi conuictus de ſpeciali crimine, in interno foro, poteſt pœnitens, mulctari iuſta pœna, cum ſuo ore, aut teſtimonio, ſignis aut nutu exhibito, abſolutè, & in confuſo ſeu vniuersè tantum eſt nocens.

Obiicies 3. per claues directe aliquid, ac per ſe, ſemper deletur in Sacramento, nempe id, in quod primo & per ſe fertur abſolutio, at in caſu propo-

sito nihil est tale, nam in primis, non sunt speciales culpæ, à pœnitente admissæ, cum nullam earum nominatim explicet, nec communis aliqua ac generalis, cum nulla talis detur, quia actiones suppositorum omnes, speciales sunt, ac numericæ, vtpote existentes.

Neganda est min. & ad Confirm. quâ parte de offensa agit, in communi, dicendum est, eam esse obiectum absolutionis directum, vt patet in eo qui meminit se peccasse, oblitus tamen est, in qua materia, hic enim absolui verè potest, & tamen nullam in particulari culpam denotat.

QVÆSTIO X.

An pœnitẽs absolui possit, qui cùm loqui nequeat, pectus percutit aut in cœlum oculos attollit, præsente, & spectante Confessario.

NOn posse ea ratio suadere videtur, quod non sufficiat præ se dolorem animi ferre, contritionis argumenta edere, nisi sint hæc ad Sacramentum relata, quod fit petitione confessionis, aut desiderio sacerdotis, à quo mens expietur, peccata per absolutionem abstergantur. Huius opinionis patroni extitere Ioan. Franc. Suar. in Enchirid. casuum conse. lib. 5. verbo confessor paragr. petens confessarium Bonac. de Sacram. disput. 1. q. 5. sect. 2 punct. 2. parag. 4. Megala in palma par. lib. 1. cap. 11. num. 8.

Verùm enim absolutionem ei non negandam esse, qui alterutrum istorum facit quæ sunt exempli causa, in quæstione posita, cuncti affirmant Theol. qui sunt in hac quæst. versati vt Ruardus contra Lutherum art. 3. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4. Henriq. lib. 6. cap. 10. num. 7. Coninch. disp. 10. num. 97. Chapeaiulla tract. de Sacramentis ministrandis tempore pestis cap. 3. q. 11. verba eius in illa quæst. hæc sunt. *In casu extremæ necessitatis in quo versamur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis.* Et postea. *Idem est petere confessionem vel absolutionem verbis, vel signis contritionis, ac dicere absolue me à peccatis, quæ his verbis, vel signis contritionis, manifesto in genere meliori modo quo possum.* Hæc ille.

Ad hanc sententiam maximè veram firmandam, vti placet imprimis testimonio Ecclesiæ, in Concil. Arausic. can. 11. vbi præcipitur vt *Subito obmutescens* (prout statutum est) *baptizari aut Pœnitentiam accipere possit, si voluntatis præterea testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* 2. Qui destitutus vsu linguæ, signa contritionis adhibet, quantum potest, de peccatis ipse se suis accusat: ergo ea sacerdoti affert, quæ iuste ab eo possunt ad remissionem culpæ in Sacramento exigi. Antec. est clarum, nam non dolemus communiter, nisi de his quæ à nobis contra rationem, admissa fatemur. Cons. iam probatur, vt quis fructuosè, ac cùm laude redire possit cùm Deo in gratiam, per Sacramentum Pœnitentiæ, satis est, vt statum mentis, cum singulas eius noxas speciatim non potest, sacerdoti exponat, sic enim milites, sic meretrices, conscientiæ satisfacere creduntur, cum tempus notant ac annos, hæ quidem, quibus fine discrimine, corporis sui copiam fecere postulantibus. Illi, quibus Dei sanctissimum nomen, ac proinde non sine periurij manifesto discrimine, vsurpauerunt in communi sermone, valdè imprudenter ac temere.

A At sacerdos, per signa doloris, quæ pœnitens exhibet, cum loqui non possit, cognoscit pœnitentem peccasse, eumque de hoc dolere, & consequenter [illegible]m pœnitentis, eumque ad absolutionem sufficienter esse dispositum, ergo eam illi impertiri potest.

Obiicies primò. Sacramenta omnia materiam determinatam exigunt, at pœnitens nullam talem absolutioni subiicit, cum ad sacerdotem nihil adfert quam contritionis signa. Neganda est Min. nam dolor & confessio, quæ sunt materia intrinseca Sacramenti, sunt actus singulares, & determinati, & ad determinata peccata feruntur, ipsi Pœnitenti nota, quæ licet non exprimantur, Sacramenti tamen valorem non impediunt, eo quòd hoc ex institutione Dei, aliud non exigat vt sit validum ac
B ratum, quam vt administretur meliori modo quo potest, quod hic accidit, cum extra potestatem sit Pœnitentis, vtpote destituti linguæ vsu, aliter explicare peccata sua, quam per signa doloris ac Pœnitentiæ.

Obiicies 1. Non constat ea signa, ad sacerdotem dirigi, aut ad confessionem, ergo pars esse Sacramenti nequeunt, nec proinde via ac dispositio ad absolutionem. Antecedens est falsum, qui enim dolere se de peccatis indicat, tacitè quoque significat, se illis signis petere, quod non potest voce, qua si vti, illi esset tùm integrum, clarè diceret, confessionem se velle, eiusque desiderio teneri ac amore, quia tamen res est ambigua, ac metaphysicè incerta, debetque sacerdos in id incumbere, vt culpam
C vitet, quod tamen facere non potest, absoluendo eum, quem ad gratiam, nescit esse vtcunque per dolorem animi bene præparatum, author ei sum, vt non nisi cùm conditione, eiusmodi affectum hominem, dono reconciliationis, ac gratiæ impertiat, dicendo intra se, si tu es dispositus, ego te absoluo, secus, nolo, parem nobis sententiam expressit Sanctius in selectis disp. 44. num. 35. in fine, his verbis. *Sub conditione impertienda erit absolutio, quando ambiguitas intercedet, num signa sint ex dolore orta, vel ex angore, & angustia mortis, cum prodesse possit infirmo, & non obesse Sacramento, vitatur namque sacrilegij periculum conditione apposita.* Quid si æger signa doloris nulla ederet? Respondent aliqui eum absoluendum non secus, sed contra sentiunt Petr. du Fay, Coninch, & Bresserus de conscient. pro-
D babili cap. 8. dicto 4. enimuero consistere Pœnitentiæ Sacramentum non potest sine confessione aliqua, at nulla hic talis interuenit, quæ tanquam rei accusatio, prærequiritur iudiciali eius absolutioni, vt patet quia nec verbis vt supponitur, nec indicio vllo alio, peccatorem se æger fatetur. At à Clem. 8. absolutum aiunt quendam è summo S. Petri tholo labentem, in terram, cum certo vitæ discrimine. Respond. in eo Pontific. errare potuisse, eum id egerit non tanquam Pontifex, sed vt doctor aliquis priuatus. De Greg. 15. quod Diana profert, nihil opinionem contrariam promouet cum absolui ægrum velit duntaxat. *Si aliquis testetur eum ostendisse confitendi desiderium.*
E

QVÆSTIO XI.

An moribundus abſolui poſsit, qui confiteri ſe velle dixit, aut ſigna doloris, abſente ſacerdote edidit.

LAuorius tract. de indulgent. parte 2. cap. 10. num. 130. eiuſmodi hominem abſolui debere, ac poſſe negat, quia materiam ſacerdoti non ſuppeditat, in quam eius abſolutio cadere valeat. Stat ab eius partibus Didacus Aluarez in part. 2. D. Thom. q. 19. art. 6. diſput. 80. Ad eos accedit Turrianus de Pœnit. q. 9. art. 2. diſp. 32. dub. 4. quibus autem maximè argumentis freti hi authores in eam mentem venerint dicetur poſtea.

Sententia contraria videtur ſola poſſe defendi, quam ſacris canonibus definitam video, vt in Carthag. 3. ca. 34. ibi enim ſic habetur. *Vt ægrotantes ſi proſe reſpondere non poſſunt, cum voluntas eorum teſtimonium ſui dixerit, baptizentur, ſimiliter & de Pœnitentibus agendum eſt.* Et in Carthag. 4. can. 67. *Is qui Pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam, & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.* Concilij ſententiam tuentur D. Thom. opuſc. 65. paragr. de Extrema Vnctione, Maldonat. in ſummula caſuum q. 19 art. 14. Vaſq. in 3. par. to. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. Suar. to. 4. diſput. 23. ſect. 1. Laym. & Coninch. locis ante citat. de la Cruz in direct. parte 2. de Sacr. Pœnit. q. 3. dub. 8. concluſ. 2. Coriolan. de caſib. reſeruat. par. 1. tract. 9. difficul. 37. num. 6. Huius opinionis ratio eſſe poteſt, prima, quod confeſſio ad quam adhibetur interpres, vera ſit ac Sacramentalis, ſed qui aiunt Pœnitentem aduocaſſe ſacerdotem, vt ſibi confitenti aures daret, eius ſunt voluntatis interpretes, ac teſtes petitæ abſolutionis, ergo eorum teſtimonio fideque, dari ei poteſt.

Confirmatur, qui ſacerdotem accerſiri iubet confeſſionis cauſa, quam ſibi, ex ſignis doloris, ac Pœnitentiæ, quæ verbis, ac nutu exhibet, neceſſariam eſſe coram aſtantibus indicat, confeſſionem quodammodo inchoat, cum ea petitio, ac exhibitio ſignorum animi mœrentis, ac contriti, ſu peccatorum quæ admiſit ſaltem in genere, ac confuſe, tacita ac virtualis explicatio, ergo cùm hæc ſit Sacramenti materia, ſuperaddi ei abſolutio poteſt tanquam vera eius forma.

Confirmatur. Ad confeſſionem & dolorem, qui ſunt Pœnitentis actus, ac Sacramenti Pœnitentiæ, legitima materia, aduenire forma poteſt. Sed tam in petitione ſacerdotis, cui pœnitens peccata ſua exponeret, & de quibus eum dolere per ſigna mœroris, ac triſtitiæ, quæ ſuper eius vultu leguntur quam eius rei teſtimonio per aſtantes, continentur hi duo actus, confeſsio quidem, in relatione aſtantium, qui eam à pœnitente petitam tãquam eius interpretes narrant, contritio autem in eiuſdem lachrimis, tunſione pectoris, &c. ergo abſolui pœnitentem à ſacerdote nihil eſt quod impediat in hoc caſu.

Obiicies. Confeſsio ſacerdoti facta, & accuſatio peccatorum, eidem expoſita, propria eſt Sacramenti pœnitentiæ materia, ſed moribundus, A cum ſignificauit aſtantibus, velle ſe confiteri. & ideo curauit ſacerdotem ad ſe vocari, non huic, ſed his qui aderant, conſcientia ſe peccati teneri indicauit, quibus proinde ſolis, materiam ſubminiſtrauit Sacramenti, & non Preſbytero, ergo ab hoc abſolui, niſi quidpiam noui accidat, quod eum extra ſacrilegij periculum conſtituat, non poteſt.

Minor eſt falſa, nam hoc ipſo, quo qui morienti adſunt, ſacerdoti narrant ſe ab illo vocatum eſſe, vt ei conſcientiam ſuam explicaret, ipſius confeſsionem ad modum interpretum, ei declarant, quo fit vt ſacerdoti præſenti confiteri, cenſeatur, atque ita ſufficientem ei materiam abſolutionis ſuppeditare.

B Obiicies 2. Lege Pontificia Clement. 8. prohibetur Chriſtianis per literas, & nuntium de peccatis ſuis abſenti confiteri, nec valet eiuſmodi confeſsio pœnitenti, vt eum ſacerdos abſoluere queat, at in caſu, de quo præſens eſt quæſtio, non niſi abſenti peccata ſua moribundus explicat.

Neganda eſt min. quia relatio aſtantium, qui ſacerdotem aiunt à pœnitente vocatum ad expiationem animæ, eiuſdem eſt confeſsio, non ſuo quidem ac proprio ore facta, ſed alieno, qualis eſt eorum, qui ob linguæ vernaculæ, loci in quo degunt inſcitiam, interpretes animi ſui, ac conſcientiæ apud confeſſarium adhibent, quam tamen erroris, aut culpæ argui non poſſe, probabitur poſtea, cum de confeſsione.

C Sanè euentum hunc, de quo loquimur, ad Clement. decretum non pertinere, argumento ſunt quæ ſequuntur, primùm, quod vt oſtendimus, confeſsio abſenti propriè non fiat, Alterum, quod ipſemet Pontifex interrogatus, an moribundus in caſu concluſionis noſtræ, deberet Sacramentaliter abſolui, debere reſpondit, & ſe eum abſolutum, hunc que caſum nullo modo ſuo decreto comprehendi, vt ſcripſere Diana tract. 3. part. 3. Coninch. diſp. 7. de Pœnit. dub. 10. num. 105. Tertium, quod Romæ ea opinio inualuit, authoritate Pontific. firmata, omnem eſſe honeſtam rationem, eiuſmodi hominem, qui in extremis poſitus, loqui ob dolorem nequit, abſoluendi Sacramentaliter, ſi ſit qui aſſerat eum ante deliquium, aut iacturam vocis, præ ſe tuliſſe confeſsionis deſiderium, ideoque D dediſſe operam, præſto ſibi vt eſſet ſacerdos, apud quem peccata deponeret, ſic enim Rituale Romanum ann. 1615. editum. *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægri deficiat, nutibus, & ſignis conetur (ſcilicet ſacerdos) quoad eius fieri poteſt, peccata Pœnitentis cognoſcere, quibus vtcunque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit abſoluendus eſt.* Hæc ibi.

An autem ſit ad id obligatio, quæ violata, culpam afferat, iam eſt videndum, & omiſſis, quæ in hanc rem luculenter ac diſerte ſunt ſcripta à variis, cum his facio, qui ab affirmatiua ſtant ſententia, in his ſunt Vaſq. in 3. par. to. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. n. 58. E Coninch. diſp. 7. dub. 10. num. 106. Turrian. de Pœnit. q. 9. art. 2. diſp. 30. dub. 1. Filliuc. to. 1. tract. 7. cap. 5. num. 123. ante hos omnes. Suar. tom. 4. diſp. 23. ſect. 1. num. 15. Armacan. vt ſcribit Bellarmin. interrogatus enim à P. Leſſio quid de quæſt. propoſita ſentiret, reſpondit eam ſolam videri ſibi veram, proindeque de eo ſe Parocho, graues pœnas repetiturum, qui male affecto, ac morienti, à quo confeſsionem petitam eſſe conſtaret, abſolutionem negaſſet.

Fundamentum tam eius, quam aliorum eſt vni-

cum, nempe, quod tam caritas, quàm iustitia, eo maximè tempore sint in præcepto, quo salus proximi, aut magnum eius aliquod incommodum agitur, hunc enim, pari quo nos amore prosequi est necesse, ergo cũ ea omnes officia, expetamus ab aliis, quæ in dubiis nostris tẽporibus, ac afflictis, salutem nostrã in tuto collocent, hæc in aliorũ causa, iisdẽ negare caritas non sinit. At moribundi, periclitanti animæ, consuli non potest, quantum est necesse, ad gloriam, nisi absolutione, à culpis, quas in genere est confessus, cum copiam sibi sacerdotis, cui eas exponeret dari sibi expetiit, non est ergo ei neganda. ne quod reprehendit Vasq. perditæ animæ, salutisque alienæ neglectæ cùm infamia, macula eaque turpis contrahatur. Quam in sententiam scribit hæc Sancius in selectis disput. 44. num. 35. *Licet opinio negans posse per nutus & signa, pœnitentem in extremis constitutum absolui, ne videlicet irritum fiat Sacramentum, sit in eius fauorem, opinio autem affirmans absolui posse, sit in fauorem suscipientis, ex dictis duabus opinionibus semper est eligenda illa quæ faueat pœnitenti, cum Sacramenta instituta sint vt medicinæ suscipientium, vnde Sacramentum iuri suo cedit, & periculo irritationis exponi non agre fert, eo quòd salus spiritualis proximi magis tuta relinquitur suscepto Sacramento, quam si illud non ministretur, & vbi caritatis violatio imminet, aut Religionis, caritas est amplectenda.* Hæc Sancius, eo quòd existimet cum Gab. Vasq. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. num. 39. absolutionem in casu conclusionis positæ, absolutam esse posse, quia qui credit honestè se posse, ac sine suspicione culpæ, quidpiam agere, nihil est necesse, eum tali operi conditionem addere, quæ maculam, si qua forte ei adhæresceret, omnem deleat, at cùm sunt, qui tam argumentis quam authoritate ipsi suâ, rem aliquam probabilem faciunt, in ea, sine scelere occupari omnes, ac versari posse, non est improbabile, ergo & absolutè sine conditione.

Altera tamen sententia huic aduersa, verior existimari debet, expedire vt absolutio non detur, nisi cũ hac conditione, & hypotheticè, *Si tu es capax ego te absoluo, si secus, tecum vti gratia nulla volo*, ratio est quod confessarius, sic sibi, sic Sacramento, & pœnitenti consulit, sibi, quia apposita conditio eum à peccandi periculo eximit, Sacramento, quia cùm eo modo loquendi, nullus est metus faciendi sacrilegij, pœnitenti, quia cùm conditio retenta in mente sit de præsenti, non suspendit effectum, sicut ea quæ futurum respicit hæc me causa impellit vt existimem, absolutionem communiter, ac ordinariè, in casu præsenti non nisi cum conditione dandam esse.

QVÆSTIO XII.

An absolui possit, qui ob imperitiam linguæ explicare sacerdoti non potuit, nisi vnum peccatum de multis quorum est conscius.

CAusa dubitandi est, quod per pœnitentem non stat, quominus confiteatur omnia, sed ex inscitia linguæ, qua communiter vtuntur eius regionis incolæ, vbi confitetur, ex quo sequi videtur, quod absolutione priuari non debeat.

Assertio vnica. *Extra mortis articulum, aut nectum scandali, absolui non debet, qui de admissis, vnum aliquod duntaxat sacerdoti exponit, cæteris per ignorantiam linguæ suppressis.*

Primò. Quia confessio integritatem exigit, nisi aliqua iusta causa, à culpa eius defectum excuset, at nulla talis interuenit, cum scandalum non timetur, nec de vita periclitatur pœnitens, quia ad alium confessarium potest esse accessus facilis, aut tantillum expectari dum aliquem linguæ suæ peritum Deus, ac fortuna illi offerant.

Secundò. Est confessario, in id incumbendum maximè, vt ex æquo & bono, iudicium reddat, quod sit auditis æquale, proindeque rectum, esse id verò quo modo queat, non modo dicere, sed ne cogitare quidem est facile, si non nisi ex parte seipsum, suaque pœnitens detegat? ad ea ergo tempora remitti cum est necesse, quibus erit copia confessarij, linguæ suæ gnari ac scientis, cui libere acta sua explicet.

Tertiò. Causa ob quam in mortis articulo, sufficeit, peccatum confessario explicare vnum, cæteris omissis, est, quod pœnitenti luctanti cum morte, eiusque doloribus, non sit facile seriem, ac numerum texere omnium, & ad impossibile Deus & Ecclesia non obligent, sed in casu præsenti, nihil occurrit, quamobrem existimari debeat, esse extra pœnitentis potestatem, confiteri integre, quid enim est, quod eum impedit, gnarum linguæ suæ ac scientem quærere, cui conscientiæ sinus omnes, ac latebras aperiat? si ejusmodi aliquem in præsenti non habet ad manum, fortè occurret talis postea, vltro vel quæsitus, hunc expectet, cum eo, de salute communicet, ei peccata omnia sua declaret.

Huic quæstioni agnata est alia nempe an absolui debeat qui confitetur se peccasse, quomodo autem & in quo peccati genere non potest dicere.

Dico primò. *Etsi speculatiuè loquendo, quis non confiteretur aliter quàm est dictum, absolui posset validè, extra mortis articulum, modo sit attritus, in praxi tamen sine absolutione remittendum esse.*

Pars prima defenditur à Suar. disp. 23. sect. 1. Coninch. disp. 7. dub. 1. num. 6. Primò, quia peccatum mortale in genere, materia est sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ. Secundò, modus hic confitendi complectitur veniale aliquod peccatum, etsi confuse tantum explicatum, non distincte, at hoc sufficit, vt in illud tanquam in materiam Sacramenti necessariam, cadat absolutio.

Pars secũda probatur. Quia cùm sit incertum an is qui ne vnum quidẽ peccatum veniale in se aduertit, sufficienter sit instructus de fide, ac cæteris Religionis mysteriis, vt quòd Deũ verbi causa offenderit, nam si ei id esset peruium, haud dubiè culpa ei aliqua veniret in mentem, de qua interrogatus, responderet confessario, quod cùm non facit remitti debet tanquam absolutionis incapax, ac monendus hanc ei negari ob ruditatem ingenij, conscientiæ autem suæ relinqui, eo quòd materiam Sacramenti, ac absolutionis quantumuis examinatus dare nolit.

Confirmatur. Quia cùm talis non agnoscat se distractum fuisse, inter orandum, aut verbum otiosum aliquando dixisse, metuendum est, ne quid sit dolor ignoret, ac proinde eum in se non excitet, & ita ad absolutionem non sit dispositus.

QVÆSTIO XIII.

An ſacerdos, abſolutionem pœnitenti impertiri debeat contra ſuam opinionem.

DE Parocho, ſecus quam de alio ſacerdote quopiam, approbato tamen, ſentiendum eſſe nonnulli Doctores aiunt, & quidem putant Conradus in volumine de contractib. q. 100. concl. 3. Sylu. in verbo Confeſſor. 8. q. 7. parocho neceſſitatem impoſitam eſſe, abſoluendi pœnitentem, diuerſa à ſe in cauſa cõſcientiæ opinantem, at qui Parochus non eſt, facere id minimè debere. Alij inter vtrumque, diſcrimen eſſe quoad hac, nullum volunt, quid iudicij ſuper hac quæſtione habeam, pauculis aſſertionibus aperiam.

Prima Aſſertio. *Cum opinio pœnitentis aperte eſt falſa, vtpote canonibus aut Pontificum decretis contraria, nec is eſt, qui eruditione comparari confeſſario debeat, aut authoritate præſtet, quanta eſt neceſſaria, vt opinioni ſuæ pondus tribuat, maius quàm ſit in confeſſarij, mea eſt ſententia, huius ſequendam eſſe, nullo modo pœnitentis, qui ſi repugnet, aut nolit, abſolutione indignum eſſe.*

Ratio eſt, quod quæ doctrinæ in Dei Eccleſia receptæ, ſunt oppoſita, ambigua, aut falſa, hæc confeſſarius, non niſi imprudenter, ac temerè, calculo ipſe ſuo, approbare poſſit, ac debeat, ſed quæ à Conciliis aut Pontificibus ſunt damnata, doctrinæ receptæ in Eccleſia ſunt aduerſa, quæ autem ab ignaro, aut nihili homine, proferri ſolent, nullo ſolido nixa fundamento, hæc communiter falſa ſunt, aut incerta, ergo à confeſſario, nec probanda, nec ſequenda.

Aſſertio ſecunda. *Quando pœnitentis opinio eſt probabilis, abſolui à ſacerdote debet, etſi ſecus opinante, quàm ille ſentiat.*

Ratio eſt, quod quæ opinio eſt probabilis eadem quoque ſit prudens, at exigere quiſque poteſt ab alio, vt quæ ſunt prudentiæ, quæ rationis ac iudicij, hæc faciat, hæc ſequatur, ac dicat, ergo & à confeſſario pœnitens, vt ſe ex opinione doctorum probabili, abſolutionis beneficio non priuet.

Secundò, pœnitenti, qui ritè eſt confeſſus, nec eſt ad gratiam Sacramenti imparatus, abſolutio negari non poteſt, quia id inſtitutio Sacramenti exigit, illaque ipſa prouincia, quâ in Eccleſia confeſſarius Chriſti nomine defungitur, vt enim ei pœnitens obſequi debet, hæc aut illa opera, ſibi imperanti, ad ſatisfactionem culparum, ita & hic ab illo, poſtulare pro ſuo iure poteſt, vt quæ ei peccata expoſuit, horum ei veniam, authoritate quâ pollet, Chriſti vice largiatur, ita Sanchez tom. 1. in Decal. lib. 1. cap. 9. num. 29.

Sed qui in opinione minimè damnata hæret, ab eaque non vult recedere, quia à viris eruditis, ac piis non improbatur, non eſt ad abſolutionem indiſpoſitus, ergo eſt hæc ei à ſacerdote tribuenda, vt affirmant. Palud. in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1. Vict. de confeſſ. num. 177. Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. ar. 5. ad 5. Nau. Enchir. cap. 26. num. 4. Tolet. lib. 3. de Inſtruct. ſacerd. cap. 20. Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 5. in comment. lib. 2. Sanchez loco ante cit. num. 28. Suar. to. 4. in 3. pa. diſp. 32. ſect. 5. Breſſerus de conſcient. probabil. num. 92.

Aſſertio tertia. *Non minus quam Parochus, tenetur quilibet alius ſacerdos, pœnitentem aliter atque ipſe credit, de re quapiam opinantem abſoluere.*

Ratio eſt, quod tam hic, quam ille, ſequi teneatur inſtitutionem Chriſti, ac officio, vt oportet, defungi, at neutrum facit, qui confeſſum integrè, ac dolentem de peccatis, vti par eſt, ſyncere ob Deum, aut metum gehennæ, miſſum facit ſine abſolutione, ergo quoad hoc inter Parochum ſacerdotem, atque eum, qui proprius non eſt ſacerdos pœnitentis, diſcrimen non eſt vllum, proindeque vt illi non licet, ita nec iſti (hoc eſt non Parocho) pœnitentem, bene ad abſolutionem diſpoſitum, ea non impertiri, eo enim fine Chriſtus ſacerdotibus tanquam iudicibus poteſtatem contulit ligandi, ac ſoluendi, idque exigit recta iudicij ratio.

Aſſertio quarta. *Negare abſolutionem operanti ex opinione probabili culpa eſt de genere ſuo mortalis.* Suar. tom. 4. diſp. 32. ſect. 5. Vaſq. diſp. 62. cap. 7. Sanchez num. 29.

Ratio eſt, quod hæc negatio ſit cùm magna Pœnitentis iniuria coniuncta, iuſte enim queri hic poteſt, non modo caritatem lædi in cauſa ſuâ, ſed & æquitatem, negatione rei, quæ Chriſti voluntate, ſibi eſt debita, confeſſionem enim factam de peccatis integre, ac vt par eſt, cum vero dolore, ex inſtitutione Sacramenti, abſolutio ſequi debet, hæc ergo ſi negabitur, iuſta erit pœnitenti querendi cauſa, ea ſe re priuari, ad quam ius acquiſiuit confitendo. Excuſant à culpa mortali confeſſarium, 1. bona fides, 2. zelus ſerpa probabiliorẽ ſententiam, 3. leuitas materiæ, vt ſi pœnitens tantum peccata venialia eſt confeſſus quæ alteri explicare poteſt. Suar. Vaſq. & Breſſerus locis citatis.

Obiicies. Conſcientiam abiicere, aut contra eam agere ſemper eſt malum, at ab ea diſcrepat, qui opinionem, qua eſt imbutus, in operando non ſequitur, ſed alteram.

Reſpondendũ negando minorem, nam hoc ipſo quod aliqua opinio, eſt authoritate DD. aut ratione ipſa probabilis, eam ſequi cuique ſi minus eſt in laude, ſaltem eſt impunè, ex quo patet ſacerdotem contra conſcientiam non agere, aut opinionem propriam, hoc enim eſſet improbi animi, & rationem non amantis, quid enim eſt conſcientia? Ratio dictans aliquid bonum eſſe, ac proinde amplectendum, aut malum, & ideo fugiendum, at ab ea lege non abit, qui ex Theologorum communibus placitis, pœnitentem abſoluit, quem hi abſoluendum eſſe aiunt, nihil ergo ratio in eo læditur, nihil conſcientia quòd erat probandum.

QVÆSTIO XIV.

An abſolui poſſit qui eſt in proxima occaſione peccandi quam non vult omittere.

SCiendum eſt primo occaſionum alias remotas eſſe, proximas alias, ſunt illæ, quicquid homini, poteſt eſſe cauſa peccati. Iſtæ autem, id eſt proximæ, vt habent Nau. cap. 23. num. 14. Graff. primo deciſion cap. 28. num. 4. Sanch. tom. 1. moral. lib. 1. cap. 8. Sunt id ſolum, quod in ſe eſt peccatum mortale, vel quòd ex genere ſuo, ac natura, eſt tale, vt frequenter homines ſimilis conditionis, ad mortale inducat, & experimento conſtat, talem effectum in illis habere vt plurimùm, vnde confeſſarius, concludere prudenter poteſt, nunquam aut rarò tali occaſione pœnitentem vſurũ, ſine mortali culpa, habita ratione tam loci, quam temporis, &

aliarum circunſtantiarum, quæ ad peccatum inducunt, quo ſuppoſito.

Dico primò. *Regulariter abſoluendum non eſſe, qui eſt in occaſione peccandi proxima*: Ita Nau. & Graff. locis citat. ratio eſt, quod cùm voluntate peccandi, ſtare nequeat abſolutio, at qui hærere vult in peccandi periculo, actu peccat, nam qua lege odiſſe peccatum conuenit, eadem quoque, tenemur, omnes eius cauſas, ac faciendi occaſiones vitare, huic ergo officio quiſquis culpa ſua deeſt, tacite vult ac implicitè, ſeu in cauſa peccatum, eſt ergo eius admiſſi, aut admittendi coram Deo reus, ergo abſolutionis incapax.

Dixi regulariter, quia ex multorum ſententiâ, cuique licet exponere ſe periculo peccandi, cum de aliena ſalute, eaque promouenda agitur, ita Caſtrus Palaus in opere mor. tom. 1. tract. 2. diſp. 2. punct. 9. paragr. 3. num. 13. & 11. Salas in 2. part. D. Thom. tract. 8. diſp. vn. ſect. 5. num. 60. Baſil. Pont. de Matrim. lib. 5. cap. 35. num. 4. aiunt poſſe omnes, ad infideles expeditionem facere, vt conuerſioni eorum dent operam, cum manifeſto peccandi periculo, licere item ſingulis, lupanar ingredi, ad odium peccati ingenerandum meretricibus, etſi metus ſit, ac verò etiam veriſimilitudo non parua, eos peccaturos eo quòd, malo ſuo ſæpè ſunt experti, blandis ſe mulierculorum ſermonibus, ac illecebris, flecti ſolitos ad libidinem.

Quod etſi Lopez in inſtruct. parte 1. capite 21. Suar. de charitate diſp. 9. ſect. 2. num. 8. aliique non probent, hac maximè inducti cauſa, quod diuino oraculo Eccleſ. 3. qui amat periculum, in eo facturus ſit ſalutis ſuæ iacturam. *Cum in moralibus*, inquit Suarez, *idem ſit committere, & exponere ſe periculo committendi, quod maximè verum eſt, quando periculum eſt in determinata materia, in qua aliquis fragilem ſe eſt expertus. Si verò in confuſo, non poteſt certa regula tradi, ſed pro ratione neceſſitatis, & periculi, penſanda res erit.* Hæc Suar.

Etſi (inquam) in ea ſint opinione hi Doctores vt exiſtiment, nefas eſſe proximi iuuandi cauſa vltro ſalutem ſuam in diſcrimen vocare, nihilominus, eorum ego lubens ſubſcribo ſententiam, qui ſecus quàm illi opinantur. Hi ſunt Baſil. Pont. de Matrim. in append. cap. 6. Emman. Sa, verbo peccatum, D. Thom. 22. q. 10. art. 9. Armilla verb. periculum. Nau. in manu. cap. 3 num. 14. Graff. lib. 1. Deciſion cap. 28. Henriq. lib. 4. cap. 25. Caiet. in ſumma ver. periculum, qui omnes tradunt, mortale non eſſe, ex iuſta, ac vrgente causâ, peccandi cauſas, periculaque quærere. *Quia tunc* (inquit) Baſil. loco proximè citato, *hoc non eſt amare periculum, ſed ingens illud bonum, ad quòd peruenire non poteſt, ſine eo periculo*, quod proinde non eſt voluntarium, nec in ſe directè, nec in cauſa, vt patet, cum illud bonum, cuius cauſa ſe quis peccandi periculo exponit, non neceſſario ſit cùm eo connexum, nec cùm peccato, ad quod terminatur tale periculum. Sanè, cum quis eo proficiſcitur, vbi propter aſpectum, verba, illecebras, perſuaſiones, ac exemplum eorum, quos ibi offendet, probabile eſt eum offenſurum, eius peccatum, ſi fides eſt Caiet. in ſumma verbo periculum, mortale non eſt, ſed veniale tantum, *pertinens ad incautelam, ſeu imprudentiam, quando tale periculum, amatur, ac quæritur, ſine vrgens cauſa.* Quia vt loquitur idem ibid. ſemper eſt ei, qui ſe diſcrimini peccandi obiicit integrum, ſi velit, etiam inter occaſiones non peccare, bene ergo, ac prudenter, eſt in aſſert. dictum, regulariter abſolutionem ei negandam eſſe, qui eſt in occaſione proxima peccandi.

Dico ſecundò. *Pœnitentem, obligandum non eſſe, ad remouendas occaſiones remotas peccandi*: Quia id ſuperat eius vires, cum quidquid eſt vſpiam, cuilibet poſſit eſſe cauſa lapſus, nihilque ſit Auguſtin. teſte epiſt. ad Publicolam 154. & refertur 23. q. 5. canone de occidendis 8. in vſu hominum, vnde non poſſit ei pernicies creari.

Dico tertiò. *Eum qui eſt in occaſione proxima peccandi abſolui poſſe, ſi dolorem de præteritis habeat, firmumque propoſitum non peccandi in poſterum, & ſimul iuſtam cauſam non deferendi prædictam occaſionem.* Eſt hæc aſſertio Emman. Sa verbo Abſol. Philiarchi parte 2. lib. 2. cap. 32. Ludou. de Beia, parte 3. reſponſion. caſu 9. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 8. Candidi diſquiſit. 24. art. 27. dub. 9. Dianæ tract. 16. miſcell. 2. reſol. 47. Graff. lib. 1. cap. 28. num. 3. his verbis. *Bene poteſt Confeſſarius abſoluere pœnitentem, qui firmiter non proponit, & ſtatuit, peccati mortalis occaſiones propinquas euitare, concurrentibus quatuor circunſtantiis, prima, quod ſit vera pœnitudo præteritorum, ſecunda, verùm propoſitum nunquam redeundi ad illa, tertia, propoſitum ſemper cauendi, adiuuante Deo ne peccet ob eam, cum in ea ſe inuenerit, quarta, quod ſubſit aliqua notabilis cauſa non ſe abſtinendi.* Hæc Graffius, quæ eſt ipſe mutuatus à Nau in manuali cap. 3. num. 20. & Cord. ſumma.

Probatur autem aſſert. 1. Quia cùm eſt iuſta cauſa exponendi ſe peccandi periculo, pœnitens nec occaſionem vult expreſſe, & actu, nec peccatum ex ea conſequens, ſed commodum ſuum, nempe priuationem damni, in fama, honore, pecuniis, quo bono non frueretur, ſi occaſionem prædictam omitteret, aut vitaret.

2. Quia iuſta & rationabilis cauſa efficit, vt eam nolenti deſerere, non ſit plenè voluntaria, nec illi in culpam imputetur, cum naturali iure liceat cuique honorem ſuum defendere, vitæ, & ſtatui neceſſaria non omittere, ſecundùm Nau. in manu. cap. 3. num 21. cap. 14. num. 35. ergo talis occaſio defectu voluntarij vitioſa non erit.

3. Vel præceptum de euitanda occaſione, eſt affirmatiuum, vel negatiuum, ſi primum, in neceſſitate non obligat, ſi ſecundùm, non intelligitur vim habere, niſi in caſu, quo quis voluntariè ſe in eam occaſionem coniicit, quod non facit, cum iuſtam cauſam, eam non vitandi habet iuxta Laymanum ſuprà. Deinde, cum occaſio peccandi, nec ex ſe, nec omnibus ſit mala, ſed huic tantùm, non poteſt in claſſem eorum operum redigi, quæ ex naturâ ſuâ, & à quocunque fiant, ſemper ſunt mala, & nunquam admittenda & proinde non valet hoc axioma, in materia occaſionum, præceptum negatiuum obligat ſemper, & pro ſemper, cum in iis verſari liceat, ſecundùm Lud. de Beia proximè citatum, quando ratio, aut honeſta aliqua cauſa ſuadet, eas non vitare, cum præteritorum dolore, & firmo propoſito non peccandi iterum, quinetiam tradit Baſil. vbi ſuprà, occaſionem, primo & per ſe quæri poſſe, cum eſt aliqua cauſa, eam volendi, ob bonum noſtrum, aut proximi, tam temporale, quam ſpirituale.

Sequitur ex dictis primò, abſolui poſſe fœminam, quæ domi ſuæ virum excipit cum quo ſæpè peccat, ſi cum honeſtè, inde non poteſt eiicere, aut cauſam aliquam habet eum retinendi, dummodo firmiter proponat, ſe cùm eo ampliùs non peccaturum. Beia & Nau. loc. citatis.

Digitized by Google

Sequitur ſecundò, abſolutionẽ ſacerdoti negandam non eſſe, qui à confeſſionibus audiendis abſtinere non vult, in quibus, eum delectari turpiter, ac fœdè, multa pati accidit, quæ à culpa non ſunt aliena, dummodo certum habeat, eis, cum euenient, conſenſum non dare.

Sequitur tertiò, viro abſolutionem dari poſſe, qui ex aſpectu fœminæ, cum qua eum verſari eſt neceſſe (quia eſt eius affinis, domeſticus, propinquus, medicus, Oeconomius, aut quia communi lucro ac damno, res negotiaque inter ſe in eadem communique officina agunt) ſæpe polluitur licet non ſtatuat ab ea peccandi occaſione recedere dummodo præterita emendare, peccare autem in poſterum, nunquam animum inducat, & inſuper cauſam iuſtam habeat ab ea occaſione non abſtinendi. Candidus ſupra. Quia cum prędicta occaſio, per ſe, naturaque ſua, non ſit culpa, nec ciuſmodi quæ ſemper ſit fraudi, ea vtentibus, eos inducendo ad peccandum, occaſionis proximę rem, nomenque ſibi non vindicat, & cùm retineri laudabiliter ac cum ratione valeat, incommodi vitandi gratiâ, eam voluntas non cenſetur appetere, ſed commodum tantum temporale.

QVÆSTIO XV.

An ſit abſoluendus qui ſæpe eandem culpam iterat.

ABſolui poſſe negant hi authores Nau. cap. 3. manu al. num. 21. Suar. in 3. part. to. 4. diſp. 32. ſect. 2. maximè inquiunt ſi poſt multas abſolutiones nulla appareat emendatio.

Sententiam oppoſitam, quæ ſola vera eſt, tuentur Viualdus in Candelab. tit. de Abſol. paragr. caſus reſeruati Epiſcop. Sancius in ſelect. diſp. 10. num. 16. Laym. lib 5. tract. 6 cap. 4. num. 8. Petrus Nau. lib. 4. cap. 4. num. 77. Beia 3. par. reſponſ. caſu 3.

Aſſertio vnica. *Abſolutio ei negari non debet, qui per infirmitatem, aut aliter, ſæpe in idem peccatum recidit, modo ſit contritus, cum propoſito emendandi ſua in poſterum.*

Ratio eſt quòd reincidentia ex occaſione proxima, non impedit quo minus pœnitens veri de peccatis dolorem habeat, cum propoſito ea non admittendi de cætero, quod propoſitum tamen oblata occaſione eſt mutaturus, proindeque peccaturus, ergo ei non eſt neganda abſolutio, vt non negatur ei qui ſæpe idem peccatum veniale committit, & confeſſario abſoluendum proponit, quia de ratione contritionis non eſt, quod credat pœnitens ſe non peccaturum amplius, ſed quòd verum dolorem habeat, cum propoſito non relabendi, quorum primum, actus eſt intellectus, ſecundum voluntatis, quæ duo ſeparari poſſunt ab inuicem, vt patet.

Secundo probatur. Reincidentia, hominem abſolutionis incapacem non reddit, vt patet primo ex can. 78. Nicæn Concil. vbi ſtatuitur quòd ſi Diaconus in fornicationem labatur, *duobus ei vicibus peccatum condonetur, tertia verò deponatur*, & Petro interroganti Math. 18. quoties fratri ignoſcendum foret, reſponſum ei eſt à Chriſto, non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties quod notauit, Hier. in epiſt. 46. ad Ruſtic. vt refertur in can. ſepties, de Pœnitent. diſt. 3.

Tertiò, quia frequens peccatorum numerus, non occludit reditum ad Deum, quid enim impedit quominus cum eius gratia, is qui eorum eſt conſcius, ex animo, ea ſe commiſiſſe doleat? Pœnitentem autem, quando, & vbi, ab optatis diuinitatis amplexibus reiectum audiimus? nec enim quæ ſunt futura, ſed præſentia ſola, eiuſque ſtatum reſpicit Deus, cui mercedem, aut pœnam deſtinat, ergo cùm peccata odiſſe, ac ad ea reuerti nolle, Dei cauſa pœnitens poſſit, quare de iiſdem abſolui non queat, etſi crebro repetitis, non video.

Sancius in ſelect. diſp. 9. num 6. Lud. de Beia parte 3. caſu 9. exiſtimant peccantem ex conſuetudine, ac vt loquuntur ſæpe reincidentem, toties, quoties abſoluendum eſſe, modo habeat quatuor illas conditiones, quas cùm Nau. cap. 3. manualis Graff lib. 1. deciſion. capite 18. diximus neceſſarias eſſe pœnitenti vt abſolui poſſit. 1. eſt quòd verum de peccatis dolorem habeat. 2. quod propoſitum nunquam ad illa redeundi. 3. quod exiſtimet ſe cùm Dei gratia, non peccaturum amplius. 4. quod cauſam rationabilem habeat, non deſerendi talem occaſionem.

Obiicies, exponere ſe periculo peccandi mortaliter, mortale eſt, ſed qui eſt in occaſione peccandi proxima, tali ſe periculo obiicit.

Reſpondendum, ad maiorem cum diſtinctione, vel enim periculum de quo agitur, particulare eſt, aut commune, genericum, & vniuerſale, ſi primum vera eſt Maior, ſi ſecundum falſa.

Ad minorem dicendum eſt, cum qui habet iuſtam cauſam, non deſerendi occaſionem peccandi de qua confitetur, cum dolore & propoſito ab ea abſtinendi in poſterum, non ſe exponere periculo peccandi, qui enim eſt in eo periculo, tacitum affectum habet ad culpam, quo ex hypotheſi caret, qui cùm memoratis diſpoſitionibus confitetur.

Patet ex dictis 1. Peccatorem abſolui poſſe, qui confitetur ſe ſolitum eſſe fallere & mentiri, cum detrimento ementium, merces ſuas, nec cogendum à confeſſario, vt mercaturæ officium deſerat, quod ex natura ſua eſt licitum, ſed monendum, ne illo abutatur ad fraudem & perniciem inſontium: deinde vt cùm animo ſuo ſanctè ſtatuat nemini nocere in poſterum ſinguliſque redhibere omnia, ac ſingula, quæ mala eſt arte conſecutus ac fraudibus, nec enim eſt neceſſe cauſas peccandi generales vitare, quas ſupeditat officium, ars, aut magiſterium, quo licitè quiſque vti poteſt in Repub. etiamſi pro certò habeat inde ſibi immihere peccandi periculum, alioqui deſerenda eſſent humana commercia, cum vix ſit vllum, in quo animum, manuſque à culpa innoxias, diu ſeruare quis poſſit.

Infertur 1. quod etſi communiter neganda ſit abſolutio concubinario, eique cui imperatum eſt non ſemel aliena redhibere, vt illi, concubinam à ſe miſſam facere, & vtrumque ſine fructu, cum neuter paruerit, cum (inquam) vtriquè neganda ſit abſolutio communiter, eo quòd iuſta ſit ratio exiſtimandi, ambos ſine dolore ac vero emendationis propoſito confeſſos eſſe, eiſque impræſentiarum deeſſe, tam multa tamen tamque clara mutatæ voluntatis vtrumque ſigna dare poſſe, vt eorum acceptari promiſſio, ac ambobus dari abſolutio debeat. Ita Petrus de Nau. lib. 4. cap. 4. num. 10. ratio eſt quod etſi vitæ melioris ineundæ conſilia, ante ab vtroque concepta, fuerint inania, nihil tamen ſit cauſæ cur forte modo & chriſtianum, propoſitum cum Deo facere nequeant de, quo, eis affirmantibus credi debere, ſcribit Laym. ſuprà.

Quid si ex turpi fœminæ contuitu sæpe vir peccet? quid si colloquia cùm ea fœda misceat, indeque eum pollui accidat?

Respondendum. Si causa ei iusta nulla subest frequentandæ prædictæ mulieris, quia sine suo magno incommodo priuari ea potest, sine absolutione remittendum esse, quia eiusmodi familiaritas, vsus, ac congressus cùm ea ferè continuus, occasionis proximæ rationem habet, cum qua absolui nemo potest, nisi eius retinendæ causam aliquam vtilem aut honestam habeat, proponatque sibi cùm ea, commercij turpis ac prohibiti, à modo futurum nihil.

Ab hac quæstione non abhorrent quæ sequuntur dubia. Primum, *an habitus pro concubinario, licet reuera non sit, absolutionis sit capax, antequam fœminam ejecerit, quæ concubina esse à pop. creditur.*

Non esse mihi persuadet hæc ratio quod non à malo modo, sed etiam ab omni eius specie, abstinendum sit homini, iuxta Apost. 1. ad Thessal. 5. Innoc. 3. in cap. cum ab homine de vita & honestate, sanè absolui non potest qui scandalum proximis aliquo suo opere creat, nisi eo absistere animum inducat, at qui fœminam domi suæ alit, bonam illam quidem, ac pudicam, sed quæ opinione vicinitæ, ei est loco concubinæ, scandali materiam suppeditat, cum alienæ mulieris in aliena domo retentio, ad longum tempus, ex se, ac natura sua sit inductiua scandali, cum vix sit vllus quamlibet bene moratus, cuius animum ad conspectum eius fœminæ, suspicio non perstringat, eaque non ablona, illam, viro cuius in ædibus habitat, seruire ad libidinem, eam ergo domo prius sua abiget, quam confessario, peccata sua absolutionis causa in Sacramento explicet. Nau. in sum. cap. 16. num. 520. & seq.

Secundum, *An adolescenti qui grauia ad confessionem peccata affert maximè verò pollutiones crebras, ac tactus, impertienda sit absolutio toties, quoties.*

Omnino, si eum sincere præteritæ vitæ pœniteat, statuitque libidini frænos iniicere, ac amodo non peccare, ratio præter citatas antea, est, quòd nec lapsu in culpam frequenti, nec specifica ratione ipsius peccati, de quo agitur absolutione indignus censeri debeat, non primò, quam enim multos alit Ecclesia, qui se ferè in horas, ac momenta singula grauibus culpis commaculant, quibus tamè ad gratiam Deus redituũ absolutione non negat? Non secundò, quia ab infirmitate naturæ, leuitate ingenij quæ pueris est agnata, multum de grauitate culpæ detrahi est certum, nihil est ergo rationis, quamobrem toties, quoties hi eius pertæsi, ac certi de ea non iteranda, ad sacerdotis pedes aduoluti absolutionem ab eo sibi dari petent, illã non recipiant.

An autem differri absolutionem interdum expediat, res est in opinione Doctorum. Differendam censent Azor. tomo 1. lib. 5. instit. cap. 28. q. 18. Loppez 1. parte Instruct. cap. 182. versiculo sed quid si. Laym. suprà.

Dico ego mihi videri, rem committendam esse, iudicio confessarij, qui spectatis loci, temporis, & personarum circumstantiis, de re vniuersa statuet, prout ad Dei gloriam, ac pœnitentis bonum, expedire iudicauerit, & quidem, si aliquid operæ, studiique ad correctionem vitæ præteritæ pœnitens attulit, veroque dolore de peccatis tanpitur, hunc absoluendum illico, nec remittendum ad tẽpus futurum puto, quia verendum esset, ne ea prorogatio, noxæ ei foret, ac maiorum scelerum causam daret, videndo se reiectum ad tempus aliud, quod confessarió in primis est vitandum, cui pœnitentium salus, curæ esse debet.

Quid si sæpe admonitus, nihilominus non sapit? quid si de emendanda vita promissa non fecit? quid si in expurgando animo, tollendaque peccandi consuetudine, non laborauit? Indignum eum esse, cui ad gratiam aditus per absolutionem pateat, dixere Ledesma to. 2. summæ tract 1. cap. 9. Loppez 1. part. Instruct. cap. 182.

Vera sententia, eaque tenenda habet, ne tunc quidem absolutionem ei negandam esse, dummodo, dolore necessario instructus, ad confessionem, vitæ melioris concilium afferat, de quo sacerdoti, quantum fas est humanitus, ex signis, aut eius ore voceque constet. Sic Sanchez tomi primi moral. lib. 2. cap. 12. num. 45.

Tertium, *An absolui debeat, qui dicit à certis se culpis abstinere non posse.* Causa dubitandi duplex, prima, quod non videatur de peccatis suis mœrere, tantumque animo angi, quantum est necesse ad eorum veniam, habet enim hoc omnis contritio vt animam à culpis, ac earum voluntate, & amore auocet, quem tamen animi motum experiri se pœnitens negat, vt est in quæstione.

Altera petitur à cap. quod quidam 5. de pœnitent. & remissionib. vbi Alexand. 3. Bellouacensi Episcop. significat non esse eius confessionem respuendam, qui causatur à criminibus abstinere se non posse, sed recipiendam, & de cæteris, salutare ei consilium exhibendum, pro resolutione.

Dico primò. *Si pœnitens hac ode loquendi significes tantum, vereri se, ne ob infirmitatem animi, ac longam peccandi consuetudinem, non possit in posterum, sibi ab hac aut illa vlpa temperare, absolui nihilominus poterit, si tam dolea, quam reliquis, verum dolorem habeat.* Quia cùm hoc iudicio, quod est actus intellectus, esse potest confessio integra, ac cùm vero dolore coniuncta.

Dico secundò. *Si per ea verba significet pœnitens, se ea vitare nolle, de quibus est confessus, non est absoluendus*: Quia deest illi contritio, sine qua nemo in Sacramento capax est gratiæ.

Dico tertiò. *Si propositionis in quæst posita sensus est, pœnitentem, animo de peccato minimè cruciari, ac mœrere, nullo modo posse absolui*: Propterea quòd neque contritionem, neque attritionem ad Sacramentum afferat, quæ contritio seu attritio, est in actibus pœnitentis, hoc est in materia pœnitentiæ, pars ex institutione diuina omnino necessaria.

Ad authoritatem Alexand. Respondendum est, nolle Pontificem eiusmodi hominem absolui Sacramentaliter, sed confessionem eius posse recipi, vt inde sumatur occasio dehortandi eum à peccato, & eidem pœnitentiæ imponendo pro illo, cuius in tuitu, mereatur de congruo, auxilia ad conuersionem sui necessaria.

Ad alterum argumentum, facilis est ex dictis responsio, nam si nihil habet hic loquendi modus præter metum relabendi ad antiqua crimina, absolui pœnitens poterit, si defectum voluntatis ac animi in pœnitente connotet, ea non vitandi in posterum, indignus est censendus, cui absolutio tribuatur.

Quartum, *an absolui possit, qui dicit se dolere, quod de peccatis suis non doleat.* Franciscus Victoria in libello de Sacram. q. 158 negat à sacerdote, qui eiusmodi est, posse absolui, imo pœnitentem, peccatum sacrilegij peccare, si absolutionem petat, parique se sacerdotem obligare scelere, si annuat.

Victoriæ

Victoriæ refragantur Theologi, authoritate & doctrina ei non impares Scotus in 4. sentent. dist. 14. q. 4. art. 3. litera. E. Paludi. in 4. dist. 17. q. 1. art. 5. *A pœnitente*, inquit, *requiratur, si pœnitet & si dolor eius insufficiens est, an vellet dolorem sufficientem habere, & si non habet, hoc ipsum sibi displicet, & hoc sufficit.* Ratio est, quod dolere quòd de peccatis eum dolorem non concipias qui est necessarius, aut tantum quantum velles, actus sit amoris, si motiuum talis doloris, sit peccatum, vt est offensa Dei, super omnia detestabile, attritio autem, si feratur in peccatum, vt per illud meremur pœnas æternas, at vtrumque sufficit in Sacramento ad gratiam, ergo, &c. Probauit hanc sententiam Comitolus respons. lib. 1. q. 35. modo pœnitens voluntatem habeat satisfaciendi Deo, cum proposito vitandi in posterum peccata omnia quantum cum eius gratia fas erit.

Quintum, *An absolui debeat qui confitetur se spe veniæ obtinendæ peccasse liberius, quam fecisset si ea caruisset.*

Pro parte negante proferri hæc possunt, primùm quòd frustra legis auxilium implorat qui in legem committit, vt habetur in cap. dilecti de rescript. secundum, quod peccans in Ecclesia, non gaudeat immunitate illius, eo quòd spe veniæ deliquerit Glos. in cap. fin. de immunit. Ecclesiæ.

Contraria tamen sententia est tenenda primò, quod cùm tali spe quæ est præterita, stare possit dolor de peccatis eius causa admissis, cum proposito ea vitandi in posterum: ergo si pœnitens cæteras dispositiones ad Sacramenti gratiam necessarias adhibeat, absolui poterit. 2. Peccare sub spe veniæ, non est circunstantia mutans speciem, sed potius diminuens, cum sit de bono fine vt dicitur in can. non est 1. q. 1. ergo nihil est quamobrem de eo pœnitens absolui non queat. 3. Quia talis confidentia neminem absolutionis incapacem reddit, si verè pœniteat.

Ad adducta in oppositum. Respondetur, axioma illud locum habere in foro externo non pœnitentiæ, in quo tantùm spectatur dolor, qui est in pœnitente, tempore confessionis à se factæ, & absolutionis præstandæ. Ad 2. eodem modo est respondendum, & negandum peccantem intra Ecclesiam, absolui non posse, aliter careret remedio ad salutem necessario, quod est hæreticum.

Septimum, *An in aliquo casu concubinarius absolui possit antequam concubinam dimittat.*

Dico primò. *Quandiu concubina, vel pellex, cum amatore suo cõmoratur, communiter hũc Sacramentum percipere nullum posse.* Ratio est quòd neuter iis sit conditionibus ornatus, quas exigit gratia, hæc enim animum à culpa, eiusque affectu omni, ac occasione alienum postulat, quæ duo in concubinario domi suæ concubinam, habente, raro coeunt, nam si eum vitæ præteritæ dolor tangit, cur mali causam non rescindit? cur se vltro in eos laqueos induit, qui virtutem enecant? cur oculos, aspectum, & colloquia eius non declinat, quæ eum Angelis Deoque inuisum reddunt? quandiu ergo concubina eodem tecto, thalamoque vtetur quo concubinarius, erit à Sacramentis vterque prohibendus.

Dico secundò. *Quando sine infamia, scandalo, aut alio graui incommodo concubina eici non potest, concubinario Sacramentum negandum non esse.* Bonac. to. 1. tract. de Sacr. q. 4. punct. 14. Candid. de Confess. disp. 24. art. 27. dub. 7. ratio est quòd incommoda famæ, ac scandali quæ timentur, occasionem peccandi, quam frequens ac perpetuus viri cum muliere voluptatum cupida congressus parit reddunt inuoluntariam, tunc enim vt dictum est antea, non carnis illecebras, non peccandi materiam sibi in concubina quam domi retinet ambit, quæritque, sed honori suo consulere, sed famam seruare, quæ periclitaretur haud dubiè, ejectione inopina concubinæ.

Octauum. *An qui cùm ancilla aliquoties, vt ter, aut quater in anno congreditur, absolui possit ac debeat.* Posse docent Graff. lib. 1. decis. cap. 28. num. 13. Candid. supra, si eum ex animo peccatorum pœniteat, firmũque ea fugiendi in posterum propositum mente conceptum habet, causa est quòd à tali muliercula, non sit illi peccandi occasio proxima, cum raro, & infrequenter ea abutatur ad libidinem. Idem de filio familias sentiendum esse multi autumant, hunc enim, etsi domo concubinam, aut aliam, cum qua peccare solet è domo paterna non abigat, tamen absoluendum aiunt, si modo ad Sacramentum afferat cum dolore propositum amplius non peccandi, nec versandi solum cum sola, quia talis occasio proxima, non dicitur voluntaria respectu filij familias, qui non est sui iuris. Sa verb. Absolutio num. 15. Armilla ver. periculum.

QVÆSTIO XVI.

An serui & ancillæ, qui operam nauant concubinæ, aut meretrici absolui possint.

Dico primò. *Si sunt ea ministeria, in quibus meretrici, suam operam accommodant serui & ancillæ, de eorum genere, quæ de se, ac natura sua sunt illicita, absolui non debent, nisi iis abstineant.* Primò, quia occupari, in iis, quæ naturâ suâ sunt mala, malum est. 2. Quia cooperari alienæ culpæ, culpa non vacat, cum author Apost. *non modo qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sint morte*, ergo nisi iis abstineant, absolui non debent.

Dico secundò. *Exhibere ea officia peccantibus, quæ communiter præstantur à seruis Domino, vt non est peccatum, ita nec Confessario, iusta esse causa potest, absolutionis non impertiendæ seruo, ac ancillæ qui in iis occupantur.*

Primo quia cum his obsequiis exhibendis, aut exhibitis, stare potest confessio, iis omnibus instructa conditionibus, quibus eam ornatam esse oportet ad gratiam consequendam, ergo & absolutio, Antec. est certum, Conseq. probatur, forma Sacramenti, pronunciari potest super materiam debitam, nisi subiecti incapacitas impediat, at cùm est confessio eiusmodi, qualis describitur in Maiori, pœnitens capax est absolutionis & gratiæ, nam cùm integra explicatione suorum criminum, dolorem quoque affert ad eorum condonationem necessarium, vt præsupponitur quæ duæ res solæ, ad hunc effectum, ex parte pœnitentis concurrunt, vt patet, vera est ergo allati argumenti consequentia.

Secundò, etsi eiusmodi opera, ad malos vsus traducantur à peccantibus, non tamen eo fine exhibentur à famulis, quorum omnis scopus est in eo, vt ea Dominis exhibeant, quatenus, res quædam sunt, quæ ad ornamentum corporis, splendorem familiæ, vitæque commodum pertinent, quomodo Deus quoque iis cooperatur, non sunt ergo, ob eam causam præcisè, serui & ancillæ eiusmodi, quos ab absolutione oporteat reiici. Caiet. 22. q. 147. art. 5.

Digitized by Google

Tertio ſi miniſtrare meretrici, in rebus, quæ de ſe, ac naturâ ſuâ non ſunt malæ, vt ſunt condire cibos, lectum ſternere, parare veſtes, cubiculum ornare, & alia id genus, culpa eſt, eam ſanè contrahi eſt neceſſe directè, aut ex conſequenti, indirectè, ac implicitè, at neutro ex his modis peccare ſunt cenſendi, qui peccantibus inſeruiunt. Non primò, quia cùm ea opera, de ſe ſint ad bonum, & malum indifferentia, nec ſuppeditentur ex intentione praui finis, non cenſetur ea ſuppeditans velle directè prauum vſum, nec ad illum velle cooperari. Nec etiam indirectè, ſeu implicitè, quia cùm interſit famulæ, non male tractari à Domina, aut carere neceſſariis vitæ cõmeatibus, vel domo eiici, cum ignominia, non tenetur cùm magno ſuo detrimento & periculo incurrendi ſupra dicta incommoda, abſtinere iis operibus, quæ de ſe, ac naturâ ſuâ, non ſunt illicita, & eo ſolo fine, ne domina iis abutatur, alioqui quod ancillæ, idem quoque imperandum eſſet Mercatoribus, etſi in causâ diſpari, nempe ne quid vænale vlli exponerent, quod eo abuti quiſque poſſit in ſuam, aut alterius perniciem. Quod non probant Caiet. 22. q. 10. art. 4. Azor. to. 1. lib. 8. inſtitut. moral. cap. 21. q. 6. Barn. 22. q. 10. art. 11. Sanch. to. 1. moral. lib. 1. cap. 7. num. 5.

Dico tertiò. *Eſſe caritatis ac prudentiæ in Confeſſario, monere, ac quoad eius fieri poterit, ſuauiter, ac blande, famulos, & ancillas inducere, vt alios ſibi quærant Dominos, quam quorum vitâ eſt infeſta libidine.*

1. Quia vicinis, aliiſque quibus ſunt eorum noti Domini, operaque, ſcandalum creare poſſunt, opinantibus, ab iis tegi, aut iuuari ac prouehi eorum crimina.

2. Quia cùm in eorum oculos, multa incurrant, dictu, ac cogitatu fœda, in quibus occupantur quibus operam ſuam collocant, viri ac fœminæ, verendebent, ne vltro ſibi peccandi periculum accerſant, aut experiendi, quod non oporteret, tumultus carnis ac appetentiæ contra rationem, quod eſt ſapienti vitandum, ne tam ſuâ infirmitate, quam illorum impreſſione victus animus concupiſcentiæ det manus.

QVÆSTIO XVII.

An abſolui poſſit pœnitens, de cuius peccatis ſacerdos memoriam non habet.

Dico primò. *Confeſſionem, qua ob quemcunque defectum pœnitentis aut Cõfeſſarij ſunt irrita repetendam eſſe ſpecifice, & integre, ſi abſolutio petatur ab alio, quam qui primo eam excepit.* Ratio eſt, quod abſolutio, vtpote iudicialis actio, non detur cauſa incognita.

Dico ſecundò. *Si abſoluens ſit ille ipſe qui confeſſionem ante audiit, poſſe eum abſoluere pœnitentem, non repetita eorum confeſſione, de quibus hic ante eſt confeſſus, ſed non legitimè, dummodo dictus confeſſarius confuſè ſaltem recordetur ſtatus eius.* Ita Antonin. p. 3. tit. 14. cap. 10. Sylu. verb. confeſſio 1. q. 3. Nau. cap. 9. num. 19. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 9. Probatur ex praxi communi, nam ſi accidat, aliquem non poſſe finem confeſſioni ſuæ imponere, ante octidiuum, propter prolixitatem, aut iuſtam aliam cauſam, petitam ex morbo pœnitentis aut eius indiſpoſitione ad abſolutionem, hanc nihilominus impertiri ſoliti ſunt confeſſarij, etſi omnium eius peccatorum in ſpecie & indiuiduo non meminerint: vera eſt ergo aſſertio, poſſe pœnitentem abſolui, quando eius ſtatus eſt cognitus abſoluenti, ſaltem confuſe.

Contraria ſententia eaque probabilis eſt Suar. diſp. 22. ſect. 6. num. 7. Henrici quodl. 7. q. 23. & 25. pœnitentem abſoluendum non eſſe à confeſſario, qui auditorum memoriam non habet, niſi poſt repetitam confeſſionem eorundem, ſecundum ſpeciem & numerum.

Dico tertiò. *Peccatorum Confeſſarium, qui cùm ſtatus pœnitentis, ac peccatorum eius confuſe ſaltem memoriam non habeat, ſed tantùm quòd ſibi ſit confeſſus male, eum nihilominus abſoluit, abſolutionem tamen fore validam.* Pars prima probatur, Confeſſarius in tali caſu nec partes agit medici, nec iudicis, non medici, quia hic cicatrices non curat quas ignorat, non iudicis, quia prudenter hic ſententiam ferre nequit niſi de rebus ſibi notis, nec pœnam imponere, niſi pro culpis ſibi declaratis.

Pars altera patronos habet, eoſdem authores quos attulimus pro 2. aſſert. eandemque rationem, qua aſſertio prima, maximè ſequentis dubij nititur.

QVÆSTIO XVIII.

An abſolutio data à dormiente, aut ignorante ſit valida.

Dico primò. *Abſolutionem datam pœnitenti, qui bona fide confeſſus eſt peccata ſua dormienti Confeſſario, validam eſſe, ac eidem pœnitenti fructuoſam, ſi dictus Confeſſarius aliqua percepit.* Hæc aſſertio eſt de mente Henriq. lib. 5. cap. 14. num. 5. Laym. ſupra num. 5. quia eſſentia, & effectus Sacramenti pœnitentiæ, conſiſtere poteſt abſque integra & ſpecifica peccatorum omnium explicatione, maximè ſi id ſine culpa dicti pœnitentis accidat, quod in præſenti caſu euenit.

Contraria ſententia defenſores ſuos habet. Nauar. cap. 9. manual. num. 17. Sylu. verba confeſſio q. 3. Antonin. par. 3. tit. 17. cap. 15. eſtque probabilis, quia confeſſio, eſt accuſatio ſui ipſius, in ordine ad abſolutionem, eſt hæc ergo futura nulla, ſi illa non ſit audita.

Sed reſponderi debet ſupponi in argumento ne vnum quidem peccatum fuiſſe auditum à Cõfeſſario, quod cùm contingit, abſolutio haud dubiè eſt nulla, eſt id autem contra hypotheſim in aſſert. factam, quæ eſt tantum de quibuſdam non perceptis, & auditis in Sacramento.

Dico ſecundò. *Pœnitentem teneri iteratò ea peccata ſubiicere claui bus, quæ deprehendet à dormiente, aut diſtracto Confeſſario intellecta non eſſe*: quia quiſque obligatur peccata ſua mortalia omnia manifeſtare ſacerdoti, ſecundum ſpeciem & numerum, vt ab iis directe abſoluatur, quæ obligatio petitur à voluntate Chriſti, & inſtitutione Sacramenti, quæ duæ res, ſecundum communem Eccleſiæ ſenſum & DD. continentur, his verbis. *Quorum remiſeritis peccata, &c.*

Dico tertiò. *Abſolutionem ab ignorante ſacerdote datam pœnitenti, qui bona fide, eo Confeſſario eſt vſus, bonam eſſe, & validam.* Ita Henriq. loco ante citato, & probatur, quia potuit, & voluit, bene diſpoſito eam impertiri, ergo quod potuit, & voluit, hoc accidit. Ita Sanch. to. 1. ſum. lib. 1. cap. 10.

Digitized by Google

hu. 69. Diana de sacr. resolut. 121., *unde sequitur*, A inquit Bresserus loco proximè citato, *etsi constet Confessarium malè iudicasse de peccatis, pœnitentè non debere ea iterum explicare*, secus si cõstaret aliqua nullo modo intellecta esse, quia tum habenda essent quasi non dicta, & remissa tantùm essent indirectè, id tamen pœnitens non debet facilè credere.

QVÆSTIO XIX.

An valeat absolutio data ab eo, qui non habet titulum, quem tamen errore communi populi, habere creditur.

AFfirmant Molfesius in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 13. num. 21. Diana de Sacr. resol. 122. Negant Hamobonus, de bonis in examine ecclesiast. parte 1. tract. 5. cap. 3. q. 10 Reginaldus to. 1. lib. 5. cap. 8. dub. 9. num. 98. Sanchez lib. 3. disp. 22. q. 2.

Dico primo, *Absolutionem ab eo datam, qui non habet titulum saltem coloratum, esse nullam.*

Primò, quia absolutio est Iurisdictionis actio. Trid. sess. 14. can. 9. sed qui titulo caret, saltem colorato Iurisdictionem nullam possidet. Minor probatur. Iurisdictio non acquiritur nisi vi beneficij, quo quis donatus est ab Ecclesia, aut per delegationem Iudicis ordinarij, at ex hypothesi vtrumque deest ei qui titulum coloratum nullum habet; vt patet.

Secundò, idem probatur ex cap. dudum 54. de elect. in quo Gregorius X. asserit Parochum, qui post ablatum sibi titulum curæ à Superiore, absoluebat à peccatis, damnabiliter decepisse animas: at huius rei causa non est alia, quàm quia ad validitatem absolutionis, requiritur Iurisdictio, qua carebat parochus ille, cui ablatus fuerat suus titulus: ergo ad hoc vt absolutio valeat, requiritur cum titulo Iurisdictio, aliàs hæ animæ non fuissent damnabiliter deceptæ.

Obiiciunt aduersæ partis authores, vt validè absolui quis queat, sufficit sine titulo error communis populi, qui hîc supponitur non deesse.

Maior. negant Iurisp. in leg. priuatorum, cod. de Iurisd. omnim. iudic. his verbis, *Priuatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli præest iudicio.* Negant item Less. lib. 2. cap. 22. dub. 8. num. 65. Caiet. ver. absolutionis impedimenta. Nauarr. in can. placuit de pœn. dist. 6.

Et probatur ex can. 1. causæ 3 q. 7, vbi expressè fit mentio delegationis, vt sententia data per seruum teneat: *Verumtamen si seruus, dum putatur liber, ex delegatione sententiam dixit, quamuis postea in seruitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta, rei iudicatæ firmitatem habet.*

Secundò prob. ex lege Philippus Barbarius dig. de offic. Prætoris, ibi enim significatur valere acta ab eo homine qui conditione seruus erat, eo quòd populus Roman. à quo ad Præturam promotus E erat, potuisset ei hanc potestatem decernere.

QVÆSTIO XX.

An Sacerdos possit absolutionis Sacramentum ei impertiri, qui alienum non restituit.

DIco primo. *Si debitor est soluendo, non erit, inuito creditore absoluendus.* Ratio est quòd retinere alienum, domino rationabiliter inuito, sit iniquum: At absolui non potest, quisquis à peccato non vult abstinere, ergo nec qui habens vnde soluat, satisfacere creditori renuit, sed sine causa.

B Dico secundò. *Cùm debitor moræ suæ quidpiam potest honestè obtendere, cum à Sacerdote absolui posse, etsi ea alienum non soluat.* Ratio est, quòd tùm alieni retentio vacet omni vitio, lex enim naturalis ac diuina de restitutione facienda, eum dumtaxat obligatum habet, qui cùm potest, & dominus iustè exigit, ei non satisfacit, redhibitione rei debitæ, at nec postulare dominus prudenter, nec debitor rem alienam reddere potest, cùm ei suppetit aliqua iusta causa eam seruandi; impotentia enim quamdiu perseuerat, restitutionem remittit ac condonat. *Impotens* enim secundùm Caietan. in summa cap. 6. *est non solùm constitutus in extrema necessitate, sed etiam qui magnum incurreret damnum ex præsenti restitutione: nam impotens dicitur non solùm qui non potest, sed qui vix potest, in humanis autem huiusmodi vix posse, est cum magno damno posse*: quam rationem exponendi sequitur etiam Armil. ver. Restitutio, num. 28. concl. 1. à qua alij Doctores non abhorrent.

Dico tertiò. *Possessorem rei alienæ non tantùm absolui posse, cum necessitate premitur extrema, vel grani, qua fit naturæ, vitæ, aut corporis, sed qualibet alia longe minori.*

Affirmatio hæc est, Nauarr. in summa, cap. 17, Tabienæ in ver. Restitutio, num. 5. *Impotentia*, inquit Nauarr. *restituendi excusat à statim, & dicitur non posse, non solùm qui est in extrema necessitate, aut nullo modo potest, sed etiam qui commodè non potest*, lege Nepos Proculo, dig. de verb. significat. quare.

D Dico quartò. *In iure Confessarij esse, debitori dilationem restituendi concedere, quoties ei constiterit tam eius, quàm creditoris interesse, illam dari.*

Primò, quia sic rem creditoris, negotiaque salubriter agit, vt supponitur, nec enim vnquam fortè restitueret debitor, si vrgeretur, deinde caritatis est ac iustitiæ in creditore, velle restitutionem differri, cùm est hæc dilatio, tam sibi, quàm debitori fructuosa ac vtilis.

Quid si repugnet creditor? quid si reclamet? ac non consentiat? Respondeo consentire voluntate recta & Christiana, quia quilibet velle debet bonum suum absque alterius detrimento, & ita Confessarius potest de consensu virtuali creditoris debitori concedere, certum diem, ante quem non teneatur restituere.

Quod enim moraliter loquendo fieri nequit sine incommodo aliquo, reputatur impossibile: ergo cùm restitutionis necessitas articulum hunc excludat, id significare debitori, Confessori licitum erit; ergo & ei tempus designare aliud, quo eam commodo suo, ac creditoris magno bono faciat.

QVÆSTIO XXI.

An peregrini absolui possint in alieno Episcopatu, à casibus qui sunt reseruati in suo.

PEregrinis dum iter habent per alienam Diœcesim, licitum esse ex præsumpta Parochi sui licentia Confessario cuilibet de approbatis in illo Episcopatu confiteri, communis est Doctorum opinio. An autem similiter absolui à reseruatis per eosdem possint addubitari video.

Non posse dixerunt Nugnus tom. 2. q. 8. art. 4. dub. 10. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Comitol. Responsionum lib. 1. q. 28. num. 2. pro ratione, Bonifacij VIII. authoritatem proferunt in casi Episcopus de pœnitent. & remission. in 6. vbi Pontifex perspicuè negat Sacerdotem alterius Diœcesis, habere potestatem in casus reseruatos ei Episcopo, qui potestatem fecit peregrino, aut alteri, eligendi sibi Confessarij, ex quo inferunt, non posse hunc absolui per approbatos alterius Diœcesis, à casibus Episcopo suo reseruatis. *Si Episcopus* (verba sunt Pontificiæ sanctionis) *concesserit, vt sibi possit quis idoneum eligere Confessorem: ille, quem is elegerit, in casibus qui eidem Episcopo specialiter reseruantur, nullam habeat potestatem, cùm in generali concessione illa non veniant quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.* Addi potest huic argumento, & aliud petitum ex incommodo. Nempe quòd pœnitentes allecti spe remissionis obtinendæ de reseruatis suis, per Sacerdotes incognitos aliorum Episcopatuum, propriis Episcopis, & Parochis relictis, sæpe peregrinatum irent, quod non expedit, pro solutione quæstionis.

Dico primò. *Si casus qui est in Diœcesi peregrini reseruatus, sit quoque reseruatus in eo per quem hic transit, de eo à simplici Sacerdote absolui non posse.* Ratio est, quòd hic ex hypothesi potestate ad id necessaria careat. Secundò, quia peregrinus subditur legibus loci vbi versatur, tanquam adeptus incolatum quoad Sacramenta Pœnit. & Eucharist.

Dico secundò. *Cùm in Diœcesi, vbi peregrini confitentur, coram peccata non sunt reseruata, possunt ab iis absolui per quemlibet de approbatis in eo loco vbi confitentur.* Ita Suarez disp. 30. sect. 1. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 10. Homob. de casibus reseruat. p. 1. Henriq. lib. 6. cap. 14. num. 18. litera Q. ratio est, quòd per Episcopatum alienum transiens, ibique confitens iudicari debeat secundùm consuetudinem eius Episcopatus, ac modum, quo proprij eius incolæ iudicantur & absoluuntur, sed ex hypothesi, iudicantur hi, à quolibet approbato, de peccatis quæ peregrinus est confessus, quia non sunt in isto loco reseruata, ergo ab his, & hic quoque absolui poterit.

Secundò quia vt Nau. (qui sententiæ nostræ astipulator est ac fautor) loquitur in summa ca. 27. nu. 255. reseruata ab eo remitti possunt, cui à Superiore permittitur. At hic non improbat, ea peregrino suo subdito, condonari per quemlibet de approbatis, hoc enim, inquit Nau. debet velle Prælatus quilibet. vt ij qui in eius sunt Iurisdictione, quum absunt, possint à casibus reseruatis absolui, si apud eos Sacerdotes confiteantur, qui possunt pariter absoluere, à casibus suorum Ordinariorum.

Ad rationem quæ est primo loco allata, respondeti debet peregrinum non absolui præcisè, quia potestatem habet eligendi Confessarij, sed quia se habet tanquam incola Diœcesis, quamuis in ea perpetuum domicilium non contraxerit. Et patet, nam si peccata, de quibus dictus peregrinus est confessus, reseruata non essent in sua Diœcesi, essent autem in ea per quam transit, de iis tum ab Episcopo, aut alio de eius licentia absolui posset, quod est argumento, iudicari eum debere, secundum leges loci, in quo versatur & non aliter.

Ad secundum dicendum est, nobis in assert. sermonem de iis non esse, qui in fraudem legis peregrinationes inutiles, & non necessarias suscipiunt, eaque tantùm causâ, vt confiteri alteri possint quàm Parocho, nam his concedi per Episcopum suum, vt ab alieno Sacerdote absolui valeant, probabile non esse, grauium Theologorum est opinio, quàm enim est veri absimile, Episcopum Parisiens. maiorem tribuere potestatem Sacerdoti Bellouacensi, in suum subditum, quam suis Sacerdotibus tribuat? sed his cùm largitur potestatem confessionum audiendarum, hanc in fraudem Ordinariorum non vult esse concessam, ergo nec cum peregrinis vti alieno Sacerdote ad expiationem animæ annuit, id facit aut facere potest, cum Parochorum offensa & in eorum præiudicium ac fraudem.

QVÆSTIO XXII.

An danda sit absolutio confitenti, sæpe eadem peccata sine spe profectus.

NEgandam asserunt Azo. tom. 1. lib. 2. cap. 3. q. 4. Suar. tom. 4. disp. 32. sect. 2. Graff. lib. 1. decision. cap. 28. num. 23. Nauar. cap. 3. num. 11.

Contraria sentiunt Viualdus in Candelab. tit. de absolut. paragraph. casus reseruati, numero 43. Sancius in select. disp. 10. num. 16. Diana tract. 16. miscel. 2. resol 47.

Dico primò. *Etsi pœnitens consuetudinem peccandi habeat, inueteratam, aut aliud simile quid admittendi, contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, non est tamen ei neganda absolutio, si verè eum admissorum pœnitet, ac emendandi sui propositum habet.* Ratio est, quòd pœnitens post factam confessionem, cum dispositionibus ad gratiam necessariis, ius ad absolutionem habeat, non est hæc ergo ei neganda, alioqui fieret illi iniuria, nec differenda sine eius voluntate ac consensu.

Dico secundò. *Nec negandam, nec differendam ei, etsi emendationis futuræ spes nulla appareat.* Primò, quia cum defectu talis spei concurrere possunt omnia quæ ad absolutionem sunt necessaria, nempe confessio integra, dolor de peccatis, & propositum firmum ac stabile, ea vitandi in posterum.

Secundò, quòd quis culpam venialem, in quam sæpe labitur, non modò non corrigat, sed nec speretur correcturus, hoc non impedit quo minus dictus pœnitens ab ea possit absolui, quando ad confessionem afferet dolorem idoneum, cum proposito sufficienti: at eadem est ratio peccati mortalis quoad hoc, quæ venialis, ergo vt huius neganda non est absolutio, ita nec illius.

Maiorem admittunt aduersarij, quia relapsus in peccata venialia, non est signum, inquiunt, defectus propositi ad eorum remissionem necessarij cùm hoc possit contingere ratione frequentium occasionum peccandi, quas non ita tenemur vitare

in venialibus ac in mortalibus. Minor probatur, non minùs oportet pœnitentem de peccatis ſuis venialibus conteri, ac proponere ea vitare, quam mortalia, maximè ſi non confiteatur niſi vnum veniale, quia defectus alterutrius reddit Sacramentum inualidum ac inutile, ergo cùm ex aduerſariorum ſententia dari debeat abſolutio de veniali, quamuis occaſio eius admittendi non ſit præciſa, impertienda quoque eſt inquit Sancius ſupra, reſpectu mortalium, quando aderit dolor, & verùm propoſitum ea cauendi in poſterum, quia ius ad abſolutionem pœnitenti competit, & ad eam dãdam nihil neceſſe eſt Confeſſarium ſcire an pœnitens, ſit in occaſione peccãdi, nec ne, dato quòd eam vitare nequeat, eo quòd eum teneatur abſoluere, ſiue occaſionem cognoſcat, ſiue non.

A eaque ſacerdoti explicare tam integrè, ſincerè, & verè quàm eſt ad gratiam neceſſe, nihil eſt ergo in eo cauſæ, quamobrem hæreſi, à ſacerdote remitti non poſſint, ac debeant Dei nomine.

Obiicies primò. At hoc eum beneficio donari Eccleſia prohibet, ergo collatum contra eius imperium, inane erit ac nullum.

Conſequentia eſt neganda, quam enim multa vetita nouimus, quæ tamen facta tenent, exemplī cauſa, donare ſibi inuicem coniuges dum viuunt, ſuntque incolumes, ac ſani, legibus Imperatorum nequeunt, data tamen, natura non abrogat, nec accepta, niſi iudicum ſententia acceſſerit, reddere debent in conſcientia. Emman. Sa verbo Donatio. Si-

B militer nefas eſt legibus Eccleſiæ, excommunicatum vacare publicè precibus, quidquam in Diuorum religionibus, habere commune cum fidelibus, valent tamen rataque ſunt eius vota, nec horas canonicas, contra interdictum Eccleſiæ, ab eo in choro dictas, iterare eidem eſt neceſſe, item, eſt omnis donatio, quæ 500. ſolidorum ſummam excedit, quoad hunc exceſſum prohibita, & nulla, niſi cùm inſinuatione facta, lege penult. Cod. de donat. valere tamẽ, quoad effectum retinẽdi accepta, contra hanc legem, author eſt Lẽſſ. lib. 2. de iuſt. c. 18. num. 99. niſi à donatore, aut eius hæredibus repetantur, quia leges inquit hic author non intendunt obligare donatarios, vt ſponſæ reſtituant, ſed vt id

C faciant, cum iubebuntur à iudice, ad donantis preces, aut eius hæredum, quæ omnia indicant, non ideo aliquid eſſe inane, ac nullum quòd ſit prohibitum, ac proinde, non ſequi, Sacramentum non tenere excommunicato collatum, quod ab eius paſſiuo vſu, ac participatione, vt loquuntur, legibus ſit Eccleſiæ, ac Pontificum decretis ſemotus.

Obiicies ſecundò. At hic ei vſus interdictus eſſe nequit, niſi ſit Sacramenti recipiendi incapax. Reſpondendum cùm Beia par. 3. reſp. caſu 4. negatione maioris, nec enim excommunicatio aliud in

D præſenti efficit, quam vt Sacramenti cum ea ſuſcepti vſum, reddat illicitum, quæ hic ergo de incapacitate afferuntur, hunc habent ſenſum, quod excommunicatio, faciat, quidem vt abſolutio, recepta in eo ſtatu, ſit illicita, ſed non ipſo facto nulla.

Obiicies tertiò. Abſolutio ſine iuriſdictione in abſoluente eſt nulla, at hoc habet omnis excommunicatio, præſertim maior, vt excommunicatum à poteſtate confeſſarij ſubtrahat, ergo illi, ab iſto impertita, abſolutio futura eſt inanis, ac nulla.

Minor eſt falſa, alioqui excommunicatio pœna foret, non tam rei & excommunicati, quàm ſuperioris, habet hic ergo in illum iuriſdictionem ad abſoluendum neceſſariam, eo quòd excommunicatio poteſtate quidem priuet actiua in alios, non tamen ſubiectione paſſiua, ad ſuperiores ſuos, quod idem eſt, ac dicere Confeſſariis qui cenſura non ligantur, poteſtatem in excommunicatum non adimi qua de re Suar. plurib. diſ. 10. ſect. 3. num. 9.

Obiicies quartò. Excommunicatus non poteſt

E abſoluere quia eſt priuatus iuriſdictione actiua ad ferendam ſententiam, cap. ad probandum de re iudicata, ergo nec abſolui. Antec. eſt verum de excommunicato denuntiato, aut notorio percuſſore clerici, quia tales poteſtate carent ferendi iudicij, in animæ foro, vt quæ illis actu ſit adempta, decreto Innoc. 3. in cap. veritatis qui eſt 8. de ſententia do.o & contumacia, falſum autem, de his qui non ſunt denuntiati publicè, vel notoriè præciſi, quia quæ geruntur ab eiuſmodi, vtpote toleratis ab Eccleſia, ſunt valida, ratione publici officij, in quo

QVÆSTIO XXIII.

An abſolutio data bona fide à peccatis, & non à cenſuris, ſit valida.

DIco primò. *Peccare peccatum ſacrilegij Confeſſarium, qui ſciens ac cum aduertentia, excommunicatum prius à peccatis, quàm cenſuris eximit.* Primò, quia contra decretum Eccleſiæ, Sacramenta excommunicato diſtribuit, quod Greg. 9. C prohibet in decret. ſi celebrat de clerico excommun. miniſtrante.

Secundò, Communinioni excommunicatorum pertinaciter ſe ingerere, culpa eſt eaque mortalis, cum authoritate Greg. in decret. proximè citata, punienda ſit anathemate: at eſt Sacramenti miniſtratio in mortali, ſacrilega, vtpote honori, Deo ac Sacramentis debito, oppoſita, vera ergo eſt aſſertio.

Dico ſecundo. *Eſt tamen abſolutio à peccatis, data excommunicato, & ab eo ſuſcepta bona fide, ante ſolutionem à vinculo, quo tenebatur aſtrictus, valida, nec proinde iteranda.* Sententiam hanc tuentur Nau. in manu. cap. 4. nu. 4. Tolet. lib. 3. cap. 10. Laym. lib. 5. tract. 6. c. 12. num. 12. Coninch. de Sacram. D diſp. 8. dub. 3. concl. 4. num. 104. de cenſur. diſp. 10. ſect. 3. num. 9. Fundamenta huius opinionis ſunt.

Primum, quod nullo iure data abſolutio iſtiuſmodi hominum generi, ſit irrita, non diuino vt patet, nam quæ literæ, quæ ſcriptura, ex nouo, aut veteri, ſumpta inſtrumento, eam inanem reddit? Non Eccleſiaſtico, quia etſi excommunicatus, *à participatione Sacramentorum ſit ſemotus*, cap. ſi celebrat. de cler. excomm. miniſtrante, clericis autem & quibuſlibet fidelibus, iura prohibeant Eccleſiæ, res negotiaque cùm eo in humanis, aut diuinis habere vlla, nuſquam tamen, Sacramenta, quæ ei ſunt collata cum culpa, inania, nullaque eſſe iubent, habenda ergo ſunt pro validis, data ac ſuſcepta bona fide.

Secundum, tunc eſt abſolutio ſacerdotis, inanis E ac irrita, cum aliquid Sacramento deeſt, quod ſit de eius eſſentia, at cenſura quæ pœnitentem ligat, Sacramento nihil adimit, quod ad eius ſubſtantiam pertineat, nec in pœnitente, quid collocat ac ponit, quod eum abſolutionis incapacem faciat, tria enim ſunt duntaxat, quæ pœnitentiam coagmentant, Contritio, confeſſio, & abſolutio, at qui bona fide, vinculique quo ſtringitur ignarus, ad Sacramentum animum appellit, peccata deteſtari, ac odiſſe poteſt, ex motiuo ſupernaturali ac diuino,

occupantur, cum consensu tacito Ecclesiæ.

Ex dictis patet primò, eum qui ignorat inuincibiliter se excõmunicationis vinculo innodatum esse, aut ius ipsum, nempe excommunicato non licere ad Sacramentum accedere, accedit tamen, & de peccatis, quæ Confessario exposuit, absoluitur, verè absolui, nec ad iterato confitendum, vbi sua ei excommunicatio patuerit, teneri.

Secundò, absolui item validè, qui excommunicationis suæ conscius, proponit eam exponere Confessario, sed dum ei cætera peccata sua explicat, excidit animo & ita prius à peccatis, quam censura absoluitur, vtriusque corollarij hæc est causa, quod debite, id est integre, ac cùm vero dolore, & voluntate vitæ in posterum instituendæ religiosius, ea est confessus sacerdoti, qui voluit, & potuit, omnia, & singula, illi beneficio clauium condonare, vti verè fecit, causa ergo nulla est, quamobrem ea à pœnitente repeti secundo debeant, officio satisfaciet, si vbi censuræ meminerit, eam Confessario diiudicandam subiiciat.

Sequitur tertiò, eum qui de censura suâ reum se coram sacerdote constituit, ea opinione impulsus, quod crederet ignorantiâ tam iuris quam facti, ab illâ solui se posse, in eo non peccasse, nec si hanc ei relaxari contigerit à non potente, ante absolutionem à peccatis, ideo ad iterationem Cõfessionis obligari, ratio est, quod tam suâ, quam confessarij ignorantiâ, Sacramentum non desinat ratum esse ac validum, peccauit hic quidem excedendo limites suæ potestatis, sed eius erratum, pœnitenti noxæ esse non debet, maximè ignoranti, fidem faciunt quæ sequuntur, primum, quod si inuincibiliter id est, sine crimine, ignorans se excommunicatum esse, diuina faciat, non sit irregularis, *quia rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit*, de regul. iuris in 6 & cap. 2. de constitutionibus. Secundum, quia diuina celebrans ob ignorantiam similiter excusatur in cap. Apostolicæ de cleric. excom. ministr. Tertium, collatio beneficij facta ei qui probabiliter ignorat se excommunicatum, valet. Glossa in cap. Apostolicæ citatum, ergo & absolutio bona fide excommunicato data.

QVÆSTIO XXIV.

An absolui debeat qui peccatum suum confessario non manifestat de quo ipse constat pœnitentem nunquam esse confessum.

NEgant Henriquez lib. 6. cap. 20. num. 6. Syluius ad 3. partem q. 8. art. 2. concl. 3. affirmat. Megala in 1. p. lib. 1. cap. 2. num. 12. pro resolutione.

Dico primò. *Talem communiter absoluendum non esse:* Quia non est hoc beneficium impertiendum imparato, at non est ad Sacramenti gratiam paratus, qui confessionem diuidit, ac in eo negat se peccasse grauiter, contra quàm veritas patitur. Secundo impedit Sacramenti gratiam, qui Confessario imponit in re, quæ ad illud, eiusque integritatem pertinet, facit hoc verò qui mentitur à se factum scelus, cuius est coram Deo conscius.

Dico secundò. *Talem tamen absolui posse, si Confessarius dubium excutiat, quod expedit ferè semper eum facere.*

1. Quia confessarius, persuadere sibi potest, pœnitentem functum esse officio, negare autem culpam vllam à se admissam esse, quia eius conscientia non tenetur, nec vllius, opera sua argui posse credit.

2. Cum pœnitens excusetur in multis casibus à materiali integritate confessionis, quid est causæ, quãobrẽ Cõfessarius à quo ille interrogatur de peccato quod nõ fatetur non possit credere, eũ illud negare non quia non cõmiserit, sed quia se ad eius explicationem non teneri credit, non est ergo, tùm ei neganda absolutio, alioqui fieret ei iniuria, & quanquam id non esset, quid impedit eum sub conditione absolui, nempe si ad id beneficium omnia habet quæ tam canonica quàm diuina iura petunt?

QVÆSTIO XXV.

An absolutio data non subdito, cum ratihabitione de futuro valeat.

EST ratihabitio facti alicuius approbatio, ab eo cuius est consentire, vt valeat, & quòd cum eo est gestum, qui egit procuratorio nomine leg. fin. cod. ad Macedon.

Hæc autẽ est duplex, vna minus propria, propria altera, minus propria est, cùm quis aliquid approbat, nec eo nomine, nec causâ factum. Propria est cùm quis rem quamprimam, siue malam, siue bonam, tanquam suo nomine, ac consensu gestam approbat, de qua est regula iuris decima in hunc modum. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato, non est dubium æquiparari*, quæ etiam habetur in decretali Bonifac. 8. cum quis de sentent. excomm. Est hæc verò ratihabitio propria, iterum duplex, præsens, aut futura, Præsens, est de præsenti, & cùm fit actio, futura, non est, cum fit opus, sed speratur futura: quæstio ergo est, an absolutio ab eo qui potestatem non habet impertita pro valida & efficaci haberi debeat, quando datur cum præsumptione consensus superioris, futuri aut præsentis &

Prima sententia est sufficere ratihabitionem de futuro, quam defendunt Filliuc. to. 1. tract. 7. cap. 9. Nau. & alij.

Secunda opposita valere quidem collatum cum ratihabitione de præsenti, non autem de futuro, & eam docent Sylu. verb. confessor. 1. q. 6. Becan. de Sacram. cap. 38. q. 8. num. 3. Homobonus in examine parte 1. tract. 4. cap. 11. q. 105.

Tertia ne hanc quidem sufficere, cuius patroni sunt Nugnus in addition. ad 3. part. to. 2. q. 8. art. 5. dub. 2. Ægid. disp. 8. dub. 5. num. 35.

Dico primò. *Absolutionem datam cum solaratihabitatione superioris de futuro, nullarum esse virium.*

Probatur, absolutio cum sit iuridiciariæ potestatis actio, esse sine iurisdictione in eum cui datur, non potest, at hæc deest absoluenti, cum ratihabitione de futuro tantũ, cum absoluit, eam verò habiturus est postea per consensum quem daturus superior creditur, cum factum resciet, ergo vt quis validè absoluat, non sufficit vt præsumat Parocho gratum fore, vt sui subditi confessionem audiat.

Dico secundò. *Vt quis validè absoluat, non sufficere quod Parochus videat audiri confessionem sui subditi, nec reclamet.*

Primò, quia eius silentium, non est signum quod consentiat, nam potest fieri, vt non contradicat, quia non audet propter potentiam tam pœnitentis, quàm Confessarij.

Secundò, quia fortè existimat, etsi malè, vtrique id licere per Pontificẽ, aut Episcop. proprium.

Digitized by Google

Tertiò, per internum conſenſum non datur iuriſdictio, ergo cùm ſine ea, data abſolutio ſit nulla, talis ratihabitio de præſenti, eam non reddit validam. Antec. tanquam certum præſupponitur à Victoria de Conf. num. 163. Enriq. lib. 6. de pœnit. c. 13. Sanch. lib. 3. de Matr. diſp. 36. num. 8. & probatur. Vt donatio cuiuſcumque rei valeat, debet ab eo cui fit acceptari: At non poteſt, cùm ea in ſolo interno conſenſu hæret, nec ſe prodit ſignis, aut externo aliquo actu. Quæ nobis ſunt ignota hæc non acceptamus, talis eſt conſenſus internus, ergo, &c. quare commune eſt axioma Iuriſp. de quo Bartolus in leg. Barbarius, non valere quod quis agit, quando ignorat ſe iuriſdictionem habere.

Dico ergo tertiò. *Ad iuriſdictionem alteri tradendam, eſſe neceſſe primò vt qui eam tribuit, id ſigno aliquo externo ei ſignificet.* 2. *vt hic eam acceptet:* Quia voluntas humana non dirigitur ſufficienter ad aliquem, niſi per ſigna externa, nec hic eam acceptare poteſt, niſi cognitam, nec cognoſcere niſi beneficio externi ſigni: eſt ergo vtrumque ad collationem iuriſdictionis neceſſe.

Eſt nihilominus ſecunda ſententia de ratihabitione conſenſus de præſenti, probabilis, & tuta in conſcientia, ſecundùm quam dici debet, eum qui præſente Parocho aurem dat confitenti ſuo ſubdito, eumque abſoluit, validè vtrumque facere, quia id eum coram, ac in oculis ſuis pati vt fiat, eſt illud operanti eſſe velle impunè, non prohibere cùm poſſis facile eſt, ſilenter ac tacitè facultatem id audendi concedere, iuxta regul. 43. de regul. in 6. *Qui tacet conſentire videtur.*

Obiiciunt authores primæ ſententiæ, quòd in regula iuris 10. de regul. iuris in 6. dicatur, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari*, cuius regulæ hic eſt ſenſus, Superiorem cùm rem geſtam approbat, facere vt valeat, peræque ac ſi ſuo nomine imperioque acta eſſet ab initio, erit ergo abſolutio, inquiunt, data cum ratihabitione de futuro bona & valida.

Reſpondendum axioma iuris non niſi de iis actibus intelligi, qui vt ſint rati, pendent immediatè à ratihabitione alterius, vt fit in contractibus quos Procurator, aut Oeconomus non tam ſuo, quàm alterius, id eſt, Domini nomine celebrat, quorum nihil in præſenti materia accidit, non primum, quia Sacramentum à conditione futura contingenti non pendet, itaque datum eſt nullum, nec cùm fuit irritum, convaleſcit aduentu conſenſus Parochi, aut Epiſcopi, quia vt dicitur in regula 18. de regul. iuris in 6. *Quod ab initio non valuit, tractu temporis non corroboratur, nec de iure ſubſiſtit*, nec item ſecundum, quia cùm Sacramentum Parochi nomine ac auctoritate non detur, ſed Dei, qui præcipuus eſt abſoluens, Sacerdos autem miniſterialis tantùm ac ſecundarius præter Deum, ratam habere abſolutionem nemo poteſt, quia vt habet regula 9. iuris. *Ratum habere quis non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.*

A dit. ad 3. part. q. 9. art. 3. concluſ. 2. Filliuc. tom. 1 tract. 1. cap. 1. num. 14. Coninch. de Sacram. diſp. 6. dub. 1. concluſ. 3. num. 3.

Secus quàm illi opinantur hi authores, Vaſq. in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 4. dub. 4. num. 7. Villaloh. in ſum. tom. 1. tract. 9. diffic. 31. num. 1.

Dico primò. *Communiter abſolui non poſſe qui per ſcriptum, nutus, aut literas tantùm eſt confeſſus.* Ratio eſt, quòd abſolutio non ſit impertienda aliis, quàm qui animo ac volùtate à culpa abhorrent, ad eamq; affectu carent: at confiteri per nutus aut literas, peccatum eſt mortale, vt pote contra inſtitutionem Chriſti. Fagund. his verbis. *Extra neceſſitatem ipſa confeſſio, & accuſatio, ſemper eſt facienda ore, & peccat mortaliter ille, qui cùm benè poſſet, proprio ore confiteri, per ſigna, & nutus, & interpretem confitetur:* B ergo abſolui non debet qui eſt Sacerdoti, confeſſus vt in quæſt. dicitur, per literas tantùm ac nutus.

Dico ſecundò, *Incidere tamen poſſe tempora in quibus abſolutio ſit largienda confitenti per literas, ſans nutus, dummodo interrogatus an ea fecerit qua ſcripſit, feciſſe ſe reſpondeat.*

Primò, quia non ea vis eſt ac poteſtas huius diuini arcanique Sacramenti, vt hominum vitam, exiſtimationem, indolem ac naturam affligat ac perdat, ſed multò maximè, vt iſthæc omnia ſartatecta ad Dei gloriam, bonumque animarum retineat: at eſt tempus aliquod, in quo pœnitens, magnam naturæ ſuæ vim faceret, nec ſine periculo infirmandæ ſuæ valetudinis, ſi cogeretur ad explicationem ſuæ conſcientiæ vti verbis, vt cùm ea peccata fecit pœnitens, quæ præ pudore exponere non niſi ægrè poteſt, aut laborat morbo, qui præcluſis faucibus, tranſitum verbis negat, ergo &c. C

Confirmatur. Non eſt de eſſentia Sacramenti, vt confeſſio voce fiat: patet ex Conc. Carthag. 4. can. 76., vbi qui ex infirmitate, aut repentina vi morbi obmutеſcit, abſoluendus eſſe dicitur, ſi antè nutu aliquo indicauit confeſſionem ſe optare, ergo ſi erit neceſſe verba ſupprimere, aut vtile pœnitenti id facere, poterit Sacerdos confeſſum ſignis, nutibus aut ſcriptura, abſoluere, &c.

Confirmatur. Quòd confeſſio voce fiat, iuris eſt diuini naturalis, at quæ ſunt talia, violantur ſine culpa, cum iuſta aliqua cauſa, ac neceſſaria, eorum tranſgreſſionem excuſat, qualem hîc reperiri ſupponimus: Et hanc ſententiam ſubſcribit Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 6. num. 3. vbi caſum ponit, in quo æger propter gutturis angorem confiteri quidem voce, abſolutè poteſt, ſed non ſine labore, hinc enim illum à confeſſione vocali excuſari ſcribit, & à Sacerdote eius peccata ex ſignis, aut nutibus cognoſcente, abſolui poſſe, maximè ſi Sacerdoti ſignificet ſe de omnibus quæ ſcriptura continet, ſincerè conteri, eorumque coram Deo verè reum eſſe, quæ ſui accuſatio ſuccincta licet ac breuis, ſi deerit, abſolui hominem non poſſe ſcribit Nugnus, tom. 2. quæſt. 9. in additionibus, artic. 3. difficul. 2. Candid. de confeſſ. diſq. 24. art. 9. dub. 1. de qua re copioſiùs cùm de confeſſione diſputabitur. D E

QVÆSTIO XXVI.

An abſolui poſſit qui peccata ſua non eſt confeſſus niſi per litteras.

NOn poſſe ſcribit Fagundez præcept. 2. lib. 3. cap. 1. num. 8. cum eo ſentiunt Syluius in ad-

De Abſolutione caſuum reſeruatorum.

QVÆSTIO XXVII.

Quid ſit caſus.

NOmen caſus tribus modis vſurpatur, propriè, impropriè, maximè impropriè: impropriè idem eſt ac cenſura, quæ eſt peccati pœna, aut certè irregularitas, maximè impropriè, caſus nomine ſignificatur votum, bonorum incertorum reſtitutio, aliaque id genus: propriè id quod eſt peccatum, Nauar. cap. 27. num. 107. Sylu. verbo caſus, quare cùm Prælatus concedit poteſtatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, ea poteſtate non cenſentur comprehendi cenſuræ, niſi ſecus conſtet de voluntate Reſeruatoris, nec vota aut bonorum incertorum reſtitutio, nec ſecus credi oportere docent Sotus in 4 diſt. 18. q. 2. art. 5. ad 2. Comit. lib. 1. Reſponſ. q. 23.

Quòd autem caſus nomine, ſola peccata deſignentur à peritis iuris, colligitur primò ex Trid. ſeſſ. 14. can. 11. & cap. 7. ibi enim Patres aſſerunt pertinere ad *Chriſtiani populi diſciplinam, vt atrociora quædam & grauiora crimina, non à quibuſuis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotibus abſoluantur.* Sed ad hos non itur communiter, niſi pro reſeruatorum abſolutione, ergo caſus, & peccatum idem ſunt.

Confirmatur. Quod foro ſuo iudicioque cognoſcendum ſeruant Antiſtites, id eſt haud dubiè, quod caſus nomine Docti intelligunt, Sed *Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia tradita, cauſas aliquas criminum graviores peculiari ſuo iudicio reſeruant.* Trident. ſeſſ. 14. cap 7. ergo caſus, & peccata idem valent.

Secundò, ſi nomine caſus, cenſura notatur, nulla erunt peccata reſeruata, quæ pœnam adiunctam excommunicationis, aut alterius cenſuræ non habeant, at id falſum eſſe indicat Benedict. XI. extrauagans de priu. legius: ibi enim homicidium, & falſificatio quarumlibet literarum, numerantur inter crimina Epiſcopis reſeruata, quibus tamen cenſuram nullam annexam eſſe, clarius eſt, quàm vt probari debeat, non eſt ergo caſus idem ac cenſura.

Ex dictis ſequitur, caſum, eſſe peccatum quod communis Sacerdos remittere non poteſt ſine licentia, ac iuriſdictione habita ab eo, qui illius condonationem ſibi reſeruauit, aut eius Superiore, reſeruatio ergo, eſt ademptio poteſtatis neceſſariæ Sacerdoti, ad abſolutionem culpæ, quæ ademptio fit ab eius Superiore, iudice Eccleſiaſtico, ad motum diſciplinam, & adminiſtrationem eccleſiaſticam.

Reſeruari autem quælibet peccata nequeunt, non venialia, quia remitti poſſunt aliter, quàm per claues, non mortifera omnia, nam quæ in animi interiore receſſu latent, neque foras erumpunt, abhorret ab æquitate reſeruare, vt Sotus demonſtrat in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. nec quæ iam ſibi Apoſtolica Sedes reſeruaut, vt notauit Congr. S. Cardinalium, negotiis & conſultationibus præpoſita, de expreſſo S. D. N. mandato, promulgato die 9. Ianu. 1601. *Nec quibus eſt annexa excommunicatio maior à iure impoſita, cuius abſolutio nemini eſt reſeruata, niſi forte propter frequentiam, ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſam aliqui huiuſmodi caſus reſeruandi viderentur, neque caſus, in quibus abſolutio niſi cum reſtitutione, vel executione eorum ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur,* Congregat. Cardinalium, in epiſt. data ad Archiep. Neapol. 16. Nou. 1602.

Quænam ergo ſunt culpæ, quas ſiue ius, ſiue conſuetudo Epiſcopis, ac locorum Ordinariis reſeruare permittit? Non niſi graues, ac non ferendæ in hominum vita, vt abortus procuratio, paruulorum oppreſſio, incæſtus, violatió Monialium, vitium contra naturam, ſodomia ac beſtialitas, Piaſec in praxi, par. 2. cap. 1. vno verbo, quæcũq; culpæ conſideratis prouinciæ, cui præſunt, ac cuiuſque populi moribus, reſeruandæ videbũtur, has Epiſcopi ſubducere cognitioni Sacerdotum communium, ac ſibi ſeruare condonandas in foro conſcientiæ poterunt, Suar. de Sacram. diſp. 29. ſect. 1. num. 2.

Secus opinandum de Prælatis Religionum, quibus, etſi ſint Ordinarij, non licet tamen, præter vndecim illos caſus, deſignatos à Clem. 8. quorum meminit Capucinus in ſuo compendio, vllum alium ſibi reſeruare, niſi fortè in Capitulo Generali vel Prouinciali, ſi fides eſt Lud. Portelio in dubiis regularibus, verbo caſus reſeruati, num. 12.

QVÆSTIO XXVIII

Recenſentur caſus reſeruati Epiſc. Rom.

POntificia reſeruatio, caſus multos cõplectitur, qui omnes excommunicationem maiorẽ latam, annexam habent. Bulla cœnæ Domini, 10. continet, Decretum dũtaxat vnicũ, contra percutientes Clericũ, 17. q. 4. canone ſi quis ſuadente, vltra hunc, in corpore iuris, Clementinis & Extrauagantibus diuerſorum Pontific. reſeruationes aliæ reperiuntur plurimæ, ſeptem quidem in Decretalibus, quatuor in Clementinis, totidem in Extrauagantibus, præter eas, quas propriis ſuis ac diſtinctis conſtitutionibus edidere Romani Pontifices.

Caſus autem quibus eſt in Decretalibus adiuncta excommunicatio, ſunt ſequentes. Primus eſt contra non deſtruentes, aut reſignantes literas falſas intra 20. dies, quos inquit Innoc. III. de crimine falſi, cap dura paragr. adiicientes (*niſi fortè in mortis articulo*) *ſine ſpeciali mandato noſtro à quoquam nolumus relaxari, nec etiam (ſi præſumpta fuerit contra hoc) abſolutio quicquam habeat firmitatis.*

Secundus, proprius eſt eorum, qui manus violentas iniecere in Clericum, quos abſoluere ab excommunicatione, eamobrem incurſa, nulli Epiſcopo licitum eſſe voluit Innoc. 2. in Conc. Later. can. 15. *niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico præſententur conſpectui, & eius mandatum ſuſcipiant.* Nec legatis, qui de Romani Pontificis latere non mittuntur extra prouinciam ſibi commiſſam, niſi de ſpeciali gratia, hoc illis à Rom. Sede ſit conceſſum. Gregor. 9. *de offic. legat. cap. excommunicatis.*

Tertius, ad eos pertinet qui communicant ſcienter cum excommunicatis à Papa *cap. ſignificauit de ſentent. excom.*

Quartus incendiarios reſpicit, poſtquam ſunt denunciati, hi enim decreto *Clem. 3. in cap. tua nos 29. de ſentent excom. Ex quo ſunt per Eccleſiæ ſententiam publicati pro abſolutionis beneficio ad Sedem Apoſt. ſunt mittendi.*

Quintus eſt effringentium & ſpoliantium Eccleſias

cleſias cum declarati fuerint excommunicationem incurriſſe, *cap. Conqueſtus de ſentent excomm.*

Sextus caſus eſt eligentium in Senatorem Rom. Imperatorem Regem, Principem vel Comitem aliquem, & ſic electi ſeſe intrudentes in dictum officium ſine Papæ conſenſu, ſimiliter ſunt excommunicati. *cap. fundamenta 17. de elect. in ſexto.*

Vltimus, eſt tribuentium facultatem occidendi, capiendi perſonas, ſeu eorum res, ac bona, qui ſententias, excommunicationis, aut ſuſpenſionis protulerunt, ſeu quorum occaſione ſunt prolatæ. *Greg. 10. cap. quicumque de ſentent. excom. in 6.*

Quæ excommunicationes habentur in Clementinis, vt non ſunt omnium communes, ſed paucorum propriæ, ita non ſunt maximopere nobis curandæ.

Prima, contra inquiſitores eſt lata, qui, quod eſt muneris ſui, exequuntur per odium, fauorem, aut gratiam, vel quòd eſt, in primis euitabile, hæretici nomen affingunt inſonti. *Clementina multorum paragr. verum, de hæreſi.*

Secunda, Regulares afficit qui *Clericis aut Laicis Sacramentum Vnctionis Extremæ, vel Euchar. Matrimoniue ſolennizare, non habita ſuper his Parocialis Presbyteri licentia ſpeciali, aut qui excommunicatis à canone, præterquam in caſibus à iure expreſſis, vel priuilegiis ſedis Apoſtolicæ, eiſdem conceſſis, vel à ſententiis per ſtatuta prouincialia aut ſynodalia promulgatis, ſeu à pœna & à culpa abſoluere quenquam præſumpſerint Clementina prima de priuileg.*

Tertia, ad eoſdem pertinet, & incurritur, vt loquitur Clemens, *in Clementina cupientes de pœnis cap. 3. paragr. Sanè temerarios*, tam ab ipſis quàm quibuſuis clericis ſæcularibus, *cum aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducunt, vt ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel iam electam, vlterius immutent.*

Quarta, eſt eorum, qui diuina in loco celebranda curant, aut prohibent ne qui excommunicati ſunt, templo exeant dum miſſarum fiunt ſolennia Clement. Grauis de ſentent. excommun. & hos ab alio, quàm à Pontifice, præterquam in mortis articulo Clemens abſolui vetat, *Nullis priuilegiis, aut ſtatutis cuiuſcunque tenoris exiſtant, ſuper his valituris*, & hæc de cenſuris ſint dicta, quæ Papæ ſunt à Clemente reſeruatæ. Totidem, à diuerſis ſunt Pontificibus, Romanæ Sedi reſeruatæ in extrauag.

Prima eſt, incidentium cadauera mortuorum, vel coquentium, vt oſſa ſeparentur, transferenda alio. *Exir. 2. de ſepultur.*

Secunda, eſt eorum qui abſoluunt à caſibus comprehenſis in Bulla cœnæ, Simonia ſuper ordinibus, vel beneficiis aſſequendis, & aliis quos ſibi Pontifex ſpecialiter reſeruauit, *Paulus Venetus Pap. 2. in extrau. eſi Dominici de pœnitent. & remiſſionibus.*

Tertia, ad eos pertinet qui Simoniam committunt, in ordine, beneficio, vel religionis ingreſſu. *Paul. 2. in extrau. 1. & 2. de Simon.* qua pœna ſimiliter affici accipientes pro collatione, ſiue traditione poſſeſſionis beneficij partem fructuum, ſeu diſtributionum eiuſdem, ſtatuit Pius 5. in conſtitut. quæ incipit. *Durum nimis de anno 1570. calend. Ian.*

Quarta habetur in extrau. *Viam ambitioſe de Regularib. lib. 3. tit. 8.* & incurritur tam à tranſeuntibus ab ordine mendicantium, ad non mendicantes, ſine Papæ licentia (ordine Carthuſienſium duntaxat excepto) quàm à Superioribus, à quibus eos admitti contigerit. *Et à nemine*, inquit Martin. 4. huius Bullæ author. *niſi duntaxat à Rom. Pontifice, præterquam in mortis articulo excommunicati huiuſmodi, poſſint abſolutionis beneficium quomodolibet obtinere, & nihilominus ſecus facta non teneant, & nullius exiſtant efficaciæ vel momenti.*

Præter hos caſus, alij ſunt penè ſine numero, Cõciliis, Bullis & extrauagãtibus inſerti, quę quoniam nunquã innotuere populo, nec promulgatæ ab Epiſcopis, aut receptæ fuere à Clero, ideo quæ cenſuræ, ac caſus iis continentur, inter reſeruatos Pontifici non ſunt habendi, ſic vt de iis impertita à Parocho, aut ſimplici ſacerdote abſolutio, nullarum ſit virium, ac roboris.

QVÆSTIO XXIX.

Recenſentur caſus reſeruati Epiſcopis, ac locorum Ordinariis.

SEntit D. Antonin. in 3. part. tit. 17. cap. 11. exploratam doctrinam caſuum, ad Epiſcopos pertinentium, tradi nullam poſſe, cum ex eorum ſtatutis pẽdeant. Affirmat Armilla in verbo. Caſus nu. 5. non plures caſus eſſe, quam quinque, qui iuris ſint Epiſcopalis, ac fori, inter quos irregularitatem quoque recenſet, ſed neque irregularitas neque eius diſpenſatio, caſus vocabulo notari debet, ſi de caſu proprio loqui velimus, vt patet ex dictis.

Alij ergo nobis, in ineundo horum caſuum, numero, eligendi ſunt authores ac Duces, eos bipartitò diuidunt, Comitolus & Piaſecius, quoſdam enim iure, alios autem ſola conſuetudine reſeruari narrant.

Iure reſeruata ſunt peccata, propter quæ iniungenda eſt ſolennis pœnitentia, qualia communiter non ſunt niſi grauia & ſcandaloſa 26. q. 6. *can. 1.*

Secundo Epiſcopo reſeruatur incendium domorum, frugum, aliarúmve rerum, ex propoſito, ac odio factum, quinetiam & concilium ad id præſtitum, *can. ſi quis & can. peſſimam 23. q. 3.* quod ſi ad reſeruationem, excommunicatio quoque Papalis acceſſerit, eius abſolutio deuoluitur ad Papam. *cap. Tuanos de ſentent excomm.*

Tertio reſeruatur Epiſcopo, quodvis delictum clerici quod irregularitatem inducit Piaſec. de caſib. Epiſcop. reſeru. cap. 1. Nauar. in manu. cap. 27. num. 262.

Quarto reſeruatur Epiſcopo leuis in clericum manus iniectio, liquet *ex cap. peruenit de ſententia excomm.* quæ, an talis haberi debeat, & quando, diiudicari debet ex qualitate perſonæ percuſſæ, percutientis, modo percuſſionis, & circunſtantiis facti occurrentis, aliiſque, de quibus in tractatu de excommunicat.

Quinto reſeruatur abortus fœtus animati ex conſtitutione Gregorij 14.

Sexto excommunicationes omnes Papæ reſeruatæ, quarum abſolutio in certis caſibus permittitur inferiori ſacerdoti, quo nomine, non ſacerdos quilibet, ſed ſolus duntaxat Epiſcopus intelligitur. Nau. in manu. cap. 27. num. 262.

Septimo reſeruantur Epiſcopo, culpæ omnes, quas ſpecialiter fori ſui eſſe voluit.

Octauo excommunicatio, quam ipſe tulit, vel eius prædeceſſor, vel quæ lata eſt per ſtatutum Prouincialis aut Dioceſanæ Synodi. *cap. ad reprimendam cap. Paſtoralis de offic. ordin.*

De conſuetudine reſeruantur Epiſcopo caſus omnes, qui enumerantur in extrauaganti inter cunctas

de priuilegiis, & à Gloſſa in cap. 2. ſi Epiſcopus de pœn. in ſexto verbo reſeruantur.

Primus eſt, homicidium voluntarium, ſeu membri abſciſſio, vt eſt apud Nau. cap. 27. num. 161.

Secundus eſt crimen falſi, ſeu falſarij, aut falſitatis, quod crimen ad eos pertinet, primò, qui literas aut ſcripturas adulterant, ſecundò, ad teſtes qui non modo falſum dicunt, ſed & veritatem obtegunt, tertiò, ad eos qui vnius litigatoris tabulas, ſeu inſtrumenta alteri indicant. *lege 1. digeſt. ad leg. Cornel. de falſariis.*

Tertius caſus reſeruatus Epiſcopo de conſuetudine, eſt violatio immunitatis Eccleſiaſticæ, quæ accidit cùm Eccleſia læditur, cum onera perſonis Eccleſiaſticis, aut eorum bonis, ac beneficiorum prouentibus imponuntur Comitol. lib. 1. q. 25. nu. 4.

Quartus eſt ſacrilegium, ex ſententia Sylu. verb. caſus quæſt. 4. ſed contraria ſententia eſt probabilior, quam tenet Sa verbo ſacrilegium, ibi enim duo dicit, primum, ſacrilegium, vt idem eſt ac perſonæ ſacræ iuxuria, ab Epiſcopo in Sacramenti pœnitentiæ foro cognoſci non debere. Alterum, ſacrilegium, vt eſt idem ac peccatum, quo locus ſacer furto, ſanguine, aut ſemine violatur, in iure Epiſcoporum eſſe, nec à communi ſacerdote abſolui debere.

Quintus eſt ſortilegium, diuinatio, incantatio, magia, & ſimilia, cum enim talia crimina anathemati ſubiaceant vt dicitur 26. q. 5. *can.* 1. & propter ſui enormitatem ſub regula quinquennij iaceant, ſecundum gradus pœnitentiæ definitos, *vt habet can.* 2. *dicta quæſt.* collocari debent in numero enormium, qualia ſunt Epiſcopis reſeruata.

Sexto de conſuetudine reſeruatur Epiſcopis blaſphemia in Deum & ſanctos, liquet *ex cap. ſtatuimus 2. de maledicis*, vbi cùm eius authoribus publicam pœnitentiam imponi velit Gregor. eius nominis nonus, patet blaſphemiam de iis peccatis eſſe quæ & grauia ſunt, & publica puniri pœnitentia ſolent, ſuntque proinde reſeruata.

Poſtremo tradit Gloſſa cap. ſi Epiſcopus 1. de pœnitentiis & remiſſionibus reſeruari etiam Epiſcopis de conſuetudine, crimina oppreſſionis filiorum, tam ex propoſito, quàm caſu, periurij, incæſtus, corruptionis monialium, coeuntis cùm brutis, & his ſimilia.

QVÆSTIO XXX.

An præter caſus allatos dentur alij, qui regularibus ſint reſeruati.

DAntur, eſtque tota hæc reſeruatio, his vndecim caſibus comprehenſa. 1. Veneficia, incantationes, ſortilegia. 2. Apoſtaſia à religione, ſiue ab habitu dimiſſo, ſeu retento, quando eo peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu conuentus fiat egreſſio. 3. Nocturna, ac furtiua, è Monaſterio ſeu conuentu, egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis quæ ſit peccatum mortale. 5. Iuramentum falſum, in iudicio regulari ſeu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium, ad abortum faciendum, poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. 7. Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterij, aut Conuentus. 8. Furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. 9. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. 10. Occiſio ſeu vulneratio, aut grauis percuſſio cuiuſcunque perſonæ. 11. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum, à ſuperioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad ſuperiores. Si quod aliud præterea peccatum, videbitur reſeruandum ad bonum ordinis, aut priuati alicuius hominis, id Clementis decreto, fieri aliter non debet, quàm generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia maturo examine, ac conſenſu, Portelius in dub. regular. verbo caſus reſeruatus Ludouic. de Beia reſponſion. parte 3. caſu 9.

QVÆSTIO XXXI.

A caſibus reſeruatis, abſoluere quis poſſit.

DE quadruplici genere hominum quæſtio eſſe poteſt, Epiſcopis, Religioſis, Parochis, & ſæculanbus Presbyteris, & an his omnibus, ius ſit cũ relaxatione culpæ, tollendæ reſeruationis Pontificiæ, aut Epiſcopalis addubitant è Theologorum ſchola multi. Quid iudicij ſuper ea quæſtione habeam, exponam paucis, facto prius ab Epiſcopis, eorumque poteſtate, dicendi principio.

Dico primò. *Poſſe Epiſcopos abſoluere ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis, dummodo occultis:* Planum eſt ex decreto Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. eſt autem hoc loco Nau. animaduerſio in ſumma cap. 27. num. 255. digna, quæ hîc inferatur ad plenam rei, quæ eſt in quæſtione, claramque notitiam. Occultũ nẽpe cùm de diſpenſatione cenſurarum, aut abſolutione caſuum agitur, idẽ valere, quod non publicum, publicũ verò eſſe id quod eſt notorium, manifeſtum, & famoſum. Manifeſta ea dicuntur, quæ ſunt in maiori parte ciuitatis, collegij, aut vicinię cognita per famam, quæ à ſcientibus eſt orta. Famoſum idem valet ac id de quo eſt fama in maiori parte ciuitatis, orta ex vno ſciente, vel ex indiciis aut præſumptionibus illi æquipollentibus Henriq. lib. 14. c. 3. num. 1. Gloſſ. in canon. manifeſta 2. q. 1.

Notorium, diuiſum eſt in id, quod eſt tale notorietate iuris, aut facti, notorium per facti euidentiam, eſt quod nulla tergiuerſatione cælari poteſt, notorium notorietate iuris, quod eſt manifeſtum confeſſione rei in foro, aut ſententia iudicis in eum lata, quæque tranſiit in rem iudicatam quæ ergo peccata erunt occulta, etſi Pontifici reſeruata, ea relaxare Epiſcopis licitum iure nouo Concil. ſeſſ. 24. cap. 6. his verbis. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptis ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſuâ per ſeipſos, aut vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ, gratis abſoluere, impoſitâ pœnitentiâ ſalutari.*

Dico ſecundò. *De hæreſi abſolui per Epiſcopum poſſe omnes, qui eius ſunt poteſtati obnoxij:* Huius opinionis, quæ eſt probabilis, aſſertores ſunt & patroni, Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 8. cap. 8. num. 31. Putean. in 22. q. 11. art. 4. dub. 2. Lorca in eandem quæſt. diſp. 45. num. 10. Emm. Sa verb. Epiſcopus num. 37. Henriquez lib. 6. cap. 14. num. 7. Portel. in dubiis Regular. verbo Epiſcopus

num. 13. & in additionibus ad eam vocem num. 1. tuetur ſe hæc opinio.

Primò, authoritate Concil. loco cit. vbi hæc expreſsè Patres. Idem & in *hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ, eis tantùm, non eorum vicariis ſit promiſſum.*

Secundò, à quolibet Inquiſitore ſanctæ fidei, poteſt hæreſis vinculum, in vtroque foro abrumpi, Homobon. de examine eccleſ. tract. 12. ca. 2. q. 4. & alij apud Sanctarellum de hæreſi cap. 5. dub. 7.

Sed in Epiſcoporum eſt iure, vt eā ſibi laudem vendicent, inquirere de cauſis fidei, cùm res ac tempus exigunt, eas diiudicare, pœnas nocentibus imponere, vno verbo inquiſitorem agere, fidem faciunt petita ex Bonifacij VIII. & Innoc. III. decretis teſtimonia, & primò quidem ille in cap. 17. de hæretic. in 6. vult vt liceat Epiſc. & inquiſitoribus de eodem facto coniunctim vel diuiſim inquirere, c. autem Inquiſitionis negotium 18. eiuſd. tit. ſeuerè prohibet, ne præter Epiſcopum, & Inquiſitorem, de hæreſi quiſpiam quæſtionem exerceat: imperat autem Innocent. eius nominis III. Epiſcopis, vt ſuſpectos aut conuictos de eo crimine *ad ſe connocent, qui niſi ſe ab obiecto reatu purgauerint, vel ſi poſt purgationem exhibitam, in priſtinam fuerint relapſi perfidiam, canonicè puniantur. Si quis autem eorum, ſuper expurgando de ſua Diœceſi hæreticæ pranitatis fermento negligens fuerit, vel remiſſus, cùm id certis indiciis apparuerit, & ab Epiſcopali officio deponatur, & in locum illius alter ſubſtituatur idoneus, qui velit, & poſsit hæreticam confundere pranitatem.* Hæc Innoc. ca. 13. de hæret. ex quibus eſt planum, ſic cum Epiſcop. dignitate cohærere Inquiſitorum munera, vt his deeſſe nequeant, niſi vna quoque illi renuntient, ac proinde, ſi iſtis, licet hæreticos reconciliare Eccleſiæ, licere quoque Epiſcopis in foro conſcientiæ. An autem aliena poſſint interdum vti opera, ad hæc beneficia conferenda fidelibus, addubitari ſolet, & quidem

Opinio negans, Lorcæ placuit 22. diſp. 45. Gutierez in quæſt canonic. lib. 1. cap. 13. num. 29. Placuit hæc eadem ſententia Franc. Suar. de fide, diſp. 30. ſect. 2. num. 9. & 15. Molinæ de iuſtit. tract. 5. diſp. 18. num. 2.

Altera eſt ſententia, priori planè aduerſa, Epiſcopos deligere poſſe viros idoneos, qui pœnitentium ſacras confeſſiones audiant, & beneficium abſolutionis illis impertiant, in his caſibus, quos ius, aut Concilia, & canones, eorum iuriſdictioni reſeruant, quæ quidem ſententia, his probationibus eſt munita.

Prima, Ordinarius partes ſuas committere cuinis poteſt, modo idoneo: At Epiſcopus, reſpectu hæreſis, & caſuum occultorum, de quibus ſit in eo loco Trid. Concil. mentio, eſt Ordinarius, nam iuriſdictio competens ex Principis priuilegio, non perſonæ, ſed officio, aut dignitati, non eſt delegata, ſed ordinaria, talis eſt præſens, nam non eſt delecta ſpecialiter Epiſcoporum induſtria, cùm Concilium dicat ſeſſ. 24. cap. 6. poteſtatem iis facit abſoluendi tam ab omnibus caſibus occultis, quàm hæreſi, cùm enim hæc poteſtas Epiſc. futuris detur, non potuit Concilium rationem eorum perſonæ habere, aut induſtriæ, cùm hæc ei nota non eſſet, & committatur hæc facultas perſonis incognitis: veriſsimè ergo à nobis eſt dictum, in poteſtate Epiſcoporum eſſe, virum ſibi gnarum ac bonum ſubſtituere, qui cùm eſt opus, de hæreſi, ac aliis caſibus iuriſdictioni ſummi Pontific. reſeruatis, nomine ſuo abſoluat.

Ita verò ſentiendi, nobis ſunt authores, Emm. Sà verbo Epiſcopus, num. 37. Sanch. tom. 1. ſummæ lib. 2. cap. 11. num. 23. Manuel in Bulla Cruciatæ, parag. 9. num. 79. Nauar. lib. 1. Concil. tit. de conſtitut. Concil. 1. q. vlt. num. 89. & lib. 5. tit. de ſentent. excomm. Concil. 15. q. 2. & 3.

Verùm cum duobus modis fieri poſſit hæc ad abſoluendum delegatio, vno vt ſit abſoluta, generalis, & ad nullum caſum ſpeciatim reſtricta: altero, vt diem, perſonam ac culpam ipſam nominatim denotet, videamus vtro modo de duobus, an ambobus ſimul, committi poſſit, ab Epiſcopo authoritas abſoluendi ab hæreſi, ac aliis caſibus, qui ſunt occulti.

Et ſententia hoc tempore vera, eſt, ſpecialem ad hunc particularem caſum hæreſis, dari poſſe, generalem ad omnes non poſſe: ratio eſt quòd cùm iuriſdictio, quæ dignitati cohæret ac officio, & non perſonæ, vtpote ordinaria, Vicario ſpecialiter deputato delegari valeat, ea reſtrictio capienda eſt, inquit Sanch. ſuprà, quæ quàm minimùm iuri communi officit: at erit eiuſmodi, ſi quæ dicuntur à Concilio, de Vicario non adhibendo, ab Epiſcopo ad abſoluendum ab hæreſi, intelliguntur de deputatione vniuerſali ac generica, ad omnes hæreſis caſus, non autem ad hunc ſpecificè, ac in indiuiduo oblatum, hîc & nunc: poteſt ergo Epiſcopus talem committere certo homini relaxandum, cùm erit opus.

Contra dicta obiicitur primò, Bullam cœnæ, quæ quotannis legitur, ac authoritate Papæ, Romæ promulgatur, derogare Concilio, ergo ab eo mutuari poteſtatem abſoluendi ab hæreſi, Epiſcopi non poſſunt, ergo nec delegandi.

Antecedens eſt falſum, ratio eſt, quòd decreto Concilij, vim & pondus, Pontificia nulla ſanctio abrogat, niſi de eo ſpecialis ac propria fiat in illa mentio, vt habet expreſsè Honorij decretalis in cap. ex parte 3. de Capellis, his verbis: *Cùm autem id obuiet Lateran. Concilio de quo nulla mentio eſt in literis ante dictis, fraternitati tuæ breuiter reſpondemus, quòd huiuſmodi literas ab Apoſtolica Sede non credimus emanaſſe: quòd ſi per occupationem forſitan emanauerint; nolumus per hoc Concilio derogari ſupradicto.* Honorio ſubſcribunt Vuald. cap. de abſol. num. 13. Candid. de cenſur. diſquiſ. 22. art. 51. dub. 1. ergo cùm Bulla cœnæ, Concilij non meminerit, nec eius quoque authoritatem eleuauit ac pondus, manet ergo in Epiſcoporum iure, vt antè, poteſtas abſoluendi de hæreſi.

Atenim interrogatus Pontifex an Concil. decretū valeret adhuc in hæreticorum gratiam, reſpondiſſe dicitur, ei per Bullam cœnæ derogatum eſſe. Ita Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 30. ſect. 2. num. 12. quam in ſententiam iuiſſe Nauarr. cap. 27. manual. num. 275. Pennam & alios author eſt Sanch. tom. 1. lib. 2. ſummæ, cap. 11. ob eam maximè cauſam, quòd dicerent, ita declaraſſe Pium V. & Gregorium 13. quod & Clementem VIII. feciſſe narrat Suar. tom. 4. diſp. 30. ſect. 2.

Reſpondendum eſt cum Diana, part. 1. tract. de abſol. ab hæreſi, reſol. 2. Fagundez ſuprà de illis Pontificiis declarationibus non conſtare authenticè, & ſi conſtaret, eſſe tamen prouidentiæ & caritatis ſummorum Pontificum, de ea re hoc tempore, quid ſentiant, clarè & diſertè declarare, cum reipublicæ Chriſtianæ, noſtraque, qui adhuc viuimus, interſit plurimùm, noſſe, quæ ſit, in re admodum ancipiti, ac dubia, eorum opinio, quòd cùm non faciant, tacitè indicant, poſſe Epiſcopos, tam per

se, quàm alium ad id specialiter deputatũ, prout per Concil. permittitur, de hæresi occulta absoluere. Dixi per alium deputatum ad hunc casum specialem hæresis, quia Episcopus qui respectu hæresis & casuum occultorum concessione Concilij est ordinarius substituere sibi certum hominem potest, cui committat vices suas, quod etsi neget Suar. loco ante proximè citato. Asserunt tamen alij doctrina ac eruditione ei non impares, vt Henriq. lib. 6. cap. 14. num. 7. Nau. manual. cap. 27. num. 160. Viuald. in Candelab. part. 1. tract. de absol. num. 13. & 2. part. expositionis Bullæ, num. 141. Emm. Sà verbo Episcopus, numero 37.

Dico 3. *Episcopis item fas esse absoluere à casibus Papalibus, cùm ad Sedem Apostolicam, vel eius Legatum accessus non est facilis, ita habẽt cap. de cætero, c. quamuis, c. cognoscitur, c. quòd de his de sentent. excomm.*

Huius sententiæ certum ac firmum fundamentum est, quòd in eo casu Pontifex nolit reservationem vllam esse, aut si qua remanet, eius tollendæ facultatem, velit esse penes Episcopum, in fauorem pœnitentium. Causæ autem legitimæ impedientes iter Romanum ad Papam, sunt sequentes, paupertas, infirmitas, imbecilla valetudo, conditio sexus, vt muliebris, *cap. mulieres de sentent. excom.* Status, vt si excommunicatus non sit sui iuris, sed seruus, item grauis ætas, membrorum mutilatio, metus periculi incurrendi in via, quas causas persequitur latè Stephanus de Auila, de censuris, & post eum Piasecius in praxi part. 2. cap. 1. de casibus reseruatis, num. 4. vbi notat, imperandum esse impedito, vt sublato, aut cessante impedimento, sistat se Apostolico, absolutionis obtinendæ causâ super eo, pro quo excommunicatus fuit, quod nisi paruerit, *decernimus*, inquit Bonif. VIII. c. eos qui 22. de sentent. in 6. (*ne sic censuræ illudat Ecclesiasticæ*) *in eandem sententiam recidere ipso iure.*

Dico quartò. *Excommunicationes maiores, quæ in iure reperiuntur, & nemini sunt reseruatæ, per Episcopum remitti posse.* Ita Innoc. III. *in decretali nuper 29. de sententia excomm.* per parochum autem, & simplicem Sacerdotem, si non potest Episcopus consuli, eo quòd viæ v. c. sunt latronibus infestæ, quod excommunicatus sine periculo aperto capitis committere se itineri nequeat. Suar. de Censur. disp. 7. sect. 3. num. 23. Piasecius loco suprà citato, quia vt est in decretali citata: *Quando author canonis, censuræ absolutionem sibi specialiter non reseruauit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.*

Sunt autem censuræ, seu excommunicationes non reseruatæ quadripertitò diuisæ, quædam continentur in Decreto, & decretalibus, & hæ septem sunt numero: Aliæ in Decretalibus Bonifacij, & hæ sunt 17. tertij generis, reperiuntur insertæ Clementinis numero decem, in Extrauag. duæ, vltimę habentur in Concilijs, Lateranensi quidem duæ, in Trident. quinque.

Et primò quidem extat Ioan. 8. decretum contra *administratores dignitatum secularium, qui ad Ecclesiarum tuitionem constituti sunt*, & tamen rogati ab Episcopis, sibi vt opem contra vim apertam adferant, eorum querimoniis animum, aureisque occludunt. *Nam hi*, inquit, can. 26. causæ 23. quæst. 5. *si negligere post secundam & tertiam admonitionem inuenti fuerint, omni se nouerint communione vsque ad condignam satisfactionem priuatos.*

Secundò, qui Papatum vsurpat, non legitimè electus à duabus partibus Cardinalium, est excommunicatus, in cap. licet de electione, non est tamen hæc censura reseruata in eo can. cùm de ea nulla ibi fiat à Concilio mentio.

Tertiò, mouentur piorum cœtu Clerici, *qui per se truncationes membrorum faciunt, aut iudicant inferendas*: inhibet etiam ibidem Alexand. *Sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi secularis: si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat*, cap. Clericis 5. ne Clerici vel Monachi.

Quartò, excommunicantur qui se in Episcopatũ alterius ingerunt, priusquam à proprio ascisc antur Episcopo, & si nec sic resipuerint ab omni Ecclesiastico ministerio iubentur deponi, adhibito etiam (si necesse fuerit) brachio sæculari ad tantam insolentiam reprimendam, Innoc. III. in cap. quoniam in plerisque 14. de offic. Ordinarij.

Quintò, simili censura feriuntur, qui tributa personis Ecclesiasticis imponunt, cap. non minus de immunit. Ecclesiæ; sed hæc modò reseruata est in Bulla, quemadmodum & illa, quæ est contra facientes statuta, libertati Ecclesiasticæ contraria, cap. nouerit de sentent. aut rapientes bona naufragantium, cap. excommunicationi subdatur, 3, de raptoribus, *nisi ablata reddiderint.*

Sextò, excommunicantur Religiosi, qui Iurisprudentiæ, aut Physicæ extra claustra in publicis scholis dant operam, cap. super specula 10. ne Clerici vel Monachi, quam, inquit ibi Honorius ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos cantores, *& alios Clericos personatus habentes, nec non Presbyteros, nisi ab his intra spatium præscriptum destiterint, extendi vult, & mandat appellatione proposita, firmiter obseruari.*

Vltima, excommunicatio earum quæ habentur in Decretalibus non reseruatæ summo Pontifici. cadit in scholares Bononienses, conducentes hospitia in præiudicium ciuium Bononiensium, *Clem. 3. cap. 1. de locato*

Cæteræ quæ in sexto decretalium, Clementinis, Extrauagantibus, & Conciliis Trident. & Later. continentur, absolui similiter ac præcedentes, de quibus locuti sumus, tam ab Episcopo, quàm Parochis, & Presbyteris ad confessionem approbatis possunt, quæ autem illæ sint, quosque afficiant, scripsere Nauar. & Piasec. locis citatis, nobis breuitatis causa, eorum narratione supersedendum credimus.

QVÆSTIO XXXII.

An præter Episcopum sint in Ecclesia Dei alij, à quibus tam hæresis, quàm censuræ Pontifici non reseruatæ remitti possint.

Dico primò, *tam Parochum, quàm quemlibet alium Confessarium de approbatis, posse validè & cum fructu absoluere pœnitentes sibi subditos à censuris quas Papa sibi specialiter non reseruat.* Ratio est, quòd vt habet Innoc. III. de sent. excommun. cap. nuper 29. Papa cuilibet ius esse velit in ea peccata, hoc ipso quod illa ad forum suum tribunalque non euocat.

Dico 2. *Paroch. & Confessariis commun. permissũ non esse, quidquam in causa hæresis externa tẽtare ac aggredi*: Ratio est, quod absol. vtpote iuridicialis actio, iurisdictionem exigat in absoluẽte supra eos quibus

Digitized by Google

indulgetur, at ea carent communiter Parochus, & vulgares Presbyteri, ab iis ergo externa, ac conſummata hæreſis, remitti non poteſt. A

Dico tertiò. *Hæreſim quæ purè eſt mentalis, abſolui poſſe à quolibet approbato Confeſſario.* Ita Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. Caiet. in ſum. ver. hæreſis Suar. to. 4. diſp. 29. Sanch. to. 1. ſummæ lib. 2. cap. 7. num. 3.

Ratio eſt, quod hæreſis non reſeruatur Pontif. niſi ratione cenſuræ, ea hæreticus mentalis non ligatur, cum Eccleſia animaduertere in peccata occulta, eaque plectere cenſuris, aut aliis pœnis fori externi nequeat, eo quòd iuriſdictione in ea careat vt loquuntur Sanch. num. 2. cap. citati Sylu. ver. excommunicatio 7. Driedo de libert. Chriſtiana lib. 3. cap. 5. Quod autem hæreſis, non B ſit reſeruata niſi ratione cenſuræ, communis eſt DD. opinio, apud citatos authores, patetque ex Bulla cœnæ Domini, in qua expreſſe, qui eius ſunt conſcij, ac publicè, notorieque tales, feriuntur vt alij plerique excommunicatione latæ ſententiæ.

An autem Abbatibus, ac Religionum Superioribus idem in cauſa hæreſis liceat, quod Epiſcopis res eſt explicata non ſatis.

Prima ſententia negat Abbates licet iuriſdictione quaſi Epiſcopali præſtent, authoritate ad abſolutionem hæreſis neceſſaria, iure communi præditos eſſe, eâque, ad ſalutem ſubditorum ſuorum vti poſſe, ſi quando eâ illos irretiri culpa ſuâ acciderit, eius opinionis ſunt Suarez tomò 4. diſp. 30. ſect. 2. num. 6. & de cenſur. diſp. 41. ſect. 2. num. 7. Ledeſma 2. tomo ſummæ tract. 1. cap. 6. C

Ab his diſſentiunt Sanch. lib. 8. de Matrim. diſp. 2. num. 12. & to. 1. ſummæ lib. 2. cap. 11. num. 5. Manuel to. 2. ſummæ cap. 10. num. 6. concluſ. 6. Steph. de Aula de cenſur. parte 7. diſp. 10. concluſ. 6.

Dico primò. *Videri mihi probabilius, quod Abbates, & alij Prælati, qui Diœceſim non habent, & in ea iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, non gaudere priuilegio Concilij.* Trid. Seſſ. 24. cap. 6. nec proinde, poſſe illos, ab hæreſi occulta, ſubditos ſuos abſoluere, huius aſſertionis, fundamenta ſunt præcipua duo.

Primum, quod ea poteſtas Epiſcopis ſit conceſſa, ſic enim Concil. *Liceat*, inquit, *Epiſcopis in irregularitatibus omnibus*, &c. Sed vt Epiſcopi dignitas, ita nec nomen ad Abbates pertinet, quod ergo ille, ſibi vi Concilij vindicat, vt hæreſis crimine, in foro conſcientiæ, ſubditos liberet, hoc ſibi iſti arrogare iure non poſſunt. D

Secundum, quæ à iure communi recedunt, aut ab eo exorbitant (vt aiunt) hæc reſtringi debent, ac reprimi, non extendi, & communicari cum multis, at eſt contra ius commune, quod Epiſcopi, aut quilibet alij, diſpenſent in irregularitatibus, aut aliis cenſuris, ex delicto occulto prouenientibus cum id antiquo iure, ſoli debeatur Papæ, cuius leges, iuraque, abrogare inferiori, non eſt permiſſum, Nicol. Papa teſte in epiſt. ad Michael. Imperator. vt refertur diſt. 21. canone inferior. 4. Idem dici debet de hæreſi, quam in Bulla cœnæ, reſeruari ſibi Pontifex voluit, ſic vt nulli eam attingere, aut de ea cognoſcere eo non probante ſit cõceſſum, & quanquam id Confeſſariis liceret olim, antequam dicta Bulla emanaret in vulgus, hoc tamen tempore eſt, id omni modo illis prohibitum, quemadmodum & Abbatibus, Epiſcopali dignitate, graduque non conſpicuis. E

Abſolutionem autem hæreſis olim permiſſam fuiſſe Confeſſariis patet, quia etſi ei adiuncta eſſet excommunicatio, cap. ſicut de hæret. can. ſi quem forte 24. q. 1. can. Achatius ead. q. & cauſa, cap. ab Abolendam capite excommunicamus, capite non erit de ſentent. excommun. reſeruata tamen non erat & proinde, abſolui à quocunque ſacerdote Papæ conceſſione tacita poterat, cap. nuper 29. de ſentent.

Obiicies. Qui Abbatibus ſubſunt, peioris eos conditionis eſſe non oportet, quam qui parent Epiſcopis, at ab his iſti, poſſunt ab hæreſi occulta eximi, ergo & illi ab Abbatibus, qui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in eos obtinent.

Maior eſt neganda, ſi intelligant aduerſarij ſubditos Abbatum, ab his recipere debere ea beneficia, quæ alij conſequuntur ab Epiſcopis, concedenda verò, ſi aliud nolint, quam eos, qui Abbatum poteſtati ſunt obnoxij, poſſe ab hæreſi abſolui, ſicut & alios, quibus imperare pleno iure Epiſcopi ſolent.

Et à quo illi, id eſt Abbatum ſubditi, abſolutionis ab hæreſi beneficium ſperare debent? Ab Epiſcopo loci, ſeu Diœceſis, in qua eſt locus exemptus, ſeu Diœceſis, talium prælatorum exemptorum, quia vt habet Suar. Epiſcopi habent iuriſdictionem quoad omnes actus, in quibus illi prælati, & Abbates, non ſunt exempti, qualis eſt hic de quo agimus.

Quæſtioni huic affinis eſt altera, *nimirum an in iure Superiorum, ſit abſolutio eiuſdem hæreſis, contracta ab iis, quibus præſunt.*

Megala conſil. 21. num. 6. Nouarius in ſingul. concluſ. 3. num. 10. Portelius in dubiis regular. verbo Prælatus, & in ver. hæreſis Diana parte 1. tract. de abſolut. ab hæreſi reſol. 6. hanc eis poteſtatem adimunt, quod Romano Pontif. è re communi Eccleſiæ non videatur eſſe, tantum illis licere, quantum Epiſcopis, idque Sacram Congregationem, Concilij negotiis diiudicandis præpoſitam die 17. Nouemb. anni 1628. eiuſdem Pontif. imperio, Superioribus Italiæ mandaſſe.

Certant è contra pro Superiorum authoritate Rodriguez in Bullario fol. 920. & to. 1. qq. regul. q. 61. art 9. Candidus to. 1. de cenſuris diſquiſ. 22. art. 49. Sanch. 6. moral. cap. 15. num. 78. & de Matr. diſp. 2. lib. 8. Suar. in 3. par. to. 4. diſp. 30. ſect. 2. num. 7. triplex horum videtur eſſe fundamentum.

Primum, quod æquitati naturali alienum videtur, vt Regulares remedio ad ſalutem neceſſario careant, carerent autem, ſi lapſi reſurgere, ligati ſolui, excluſi per hæreſim ab Eccleſia, ad eam reuocari, ac admitti per ſuperiores ſuos non poſſent, oportuit ergo, hac eos authoritate præſtare, ne quid eis, ad commiſſæ ſibi plebis regimen deeſſet, quo hæc, eos priuatos eſſe, iure queratur.

Secundum, quod à Pio V. conceſſum ſit Prouincialibus præpoſitis, & Prioribus Ordinis S. Dominici, vt quòd Epiſcopi, conceſſione Concilij, in cauſa ſubditorum faciunt, hoc illis, cum fructu ac laude, ad ſuorum vtilitatem ac commodum, aggredi fas eſſet, in foro conſcientiæ, Rodriguez & Candid. ſupra ergo vt Epiſcopi, à ſuſpenſione, excommunicatione, & irregularitatibus occultis, ac non deductis ad forum contentioſum, abſoluere ſuos ſubditos poſſunt vigore Concilij, ita & hi Regulares ſuos, vi conceſſi ſibi priuilegij, quod eſt generale quoad omnes facultates ſecundùm Suar. de relig. to. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 20. & commune cùm Religionibus Mendicantium, & aliis, quibus Papæ indulgentiâ, ac beneficio, fas eſt in commu-

nionem gratiarum admitti, quæ ab eo, vni cuipiam eorum, ſingulari amoris erga illam argumento, conceduntur.

Nominatim autem, eſt indultum Abbatibus, Prioribus, Præſidentibus & aliis Prælatis congregationis S. Benedicti Valiſoletani. *Vt annis ſingulis prima die Lunæ Quadrageſimæ omnes & ſingulas perſonas Religioſas, ac Donatos & Eremitas præfatæ Congregationis ſub eorum cura exiſtentes, poſſint abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris, & pœnis pro tempore incurſis, etiam in caſibus*, &c. Rodriguez in Bullar. fol. 816. Huiuſcemodi autem priuilegij concedendi Regularibus cauſa hæc fuit, quod alioqui malè iis prouiſum foret, vtpote quibus euagãdi daretur occaſio, quod nõ oportuit. Sanè nouiſſimis his temporibus hoc ſuæ caritatis monumentum erga Societatem noſtram extare Greg. 13. voluit, vt eius Superiores, hoc eſt Generalis, & Prouincialis, abſoluere ab hæreſi occulta, ac eius relapſu ſubditos ſuos valeant, Cõpendium ſoc. ver. abſolutio parag. 3. 7. & 8. Ortiz in ſumma cap. 5. nu. 29. Peirinus de priuilegiis Minimorum, to. 1. conſtit. 4. Sixti 4. parag. 5. num. 10. docetque Suar. de Religione to. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 17. poſſe Prouinciales ex cauſa, vices ſuas alteri committere, in caſibus particularibus, non omnibus, niſi ad id facultatem à Generali habeant. Sed pace eius ſit dictum, non videtur hæc neceſſaria, nam quis neſcit, Ordinariis communi iure fas eſſe, ſubrogare ſibi idoneos homines, per quos quæ ſunt Officij ſui, prouinciæque obeant, at ab Ordinariorum numero Prouinc. Præpoſiti, remoueri nec poſſunt, nec debent, ergo in eorum eſt iure (niſi fortè cohibitum eſt ac reſtrictum à Generali) eius voluntate, ac licentia non quæſitâ, deſignare hominem, qui eius vice fungatur per totam Prouinciam, in abſoluendis ſubditis ab occulta hæreſi.

Tertium fundamentum, quæ per Concilium Epiſcopis facultas datur remittendi ſubditorum occultam hæreſim, huic per cœnam Bullæ Domini, non eſt derogatum, cuius ſententiæ approbatores ſunt ac authores Nugnus to. 2. addit ad 3. part. q. 8. art. 5. dub. 10. Ricciullus tract. de iure perſon. lib. 5. cap. 14. num. 9. Barboſa de poteſt. Epiſcoporum parte ſecunda allegatione 49. numero 21. Sed Regularibus à Pio quinto in perſona Prouincialium, ac Priorum Ordinis S. Dominici eſt conceſſum, benigne, ac perhumaniter vt agant cum ſuis ſubditis, impertiendo eis abſolutionem ab hæreſi, quæ non eſt nota, eaque demum facere legitimè vt valeant, quæ Epiſcopis eſſe permiſſa, in diſpenſationum materia, Concil. voluit ſeſſ. 24. cap. 6. ergo vt lus ab excommunicationis, & hæreſis vinculo, Diocœſanos ſoluere eſt licitum, ita & illis, liberare ſubditos ſuos ab eadem cenſura, & culpa hæreſis, eſt per priuilegia ſua permiſſum.

At reuocantur (inquies) quotannis à Pontif. hæc priuilegia in promulgatione Bullæ cœnæ.

Non probatur hæc oratio Portelio in dubiis verbis Abbas, num. 10.

Primò, *quia beneficium principis*, quale eſt priuilegium *decet eſſe, manſurum & perpetuum*, de regul. iuris ih 6. regula 16.

Secundò, quia non eſt credibile Pontificem Regularibus illudere velle, quod tamen faceret, ſi quæ priuilegia, cum ad Eccleſiæ gubernacula vocatur vult ad poſtulata Regularium rata eſſe, his vim omnem, ac authoritatem ablatam eſſe, illico cuperet, per promulgationem Bullæ cœnæ Domini.

Tertiò, quia vt notauit Portelius in dubiis regu- A lar. verb. Bulla cœnæ num. 2. Patribus Societatis Ieſu cõceſſum eſt à Greg. 13. ann. 1584. die mart. 18. vt per Bullam cœnæ conceſſiones illis factæ, minimè reuocatæ eſſe cenſeantur, Compend. ſociet. in verbo Bulla cœnæ paragr. 2. Suar. de Relig. to. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 20. num. 18.

Quarto, quia in Bulla prohibetur abſolutio caſuum, quos continet, non abſolute ratione priuilegiorum, ſed eorum prætextu duntaxat, at prætextus, color eſt quæſitus, Budæo interprete in leg. illicitas dig. de off. præſid. & lege ea ſub prætextu cod. de tranſact. & nemo dicitur rebus illis colorem dare, quas legitimè efficit, & cùm authoritate eorum, quibus incumbit eas abrogare, aut probare, B ergo cùm Regulares, approbante Pontif. abſoluant inferiores ſuos ab hæreſi, quæ non eſt cognita, non id agunt prætextu priuilegij, ſed cum poteſtate, & vt res, eſt legitimè.

Obiicies 2. nunquam in generali conceſſione caſuum, cenſetur comprehenſa hæreſis, niſi eius peculiaris mentio fiat, ſecundùm Sanctarell. in tract. de hæreſi cap. 5. dub. 1. num. 9. Sanch. in ſum. to. 1. lib. 2. capite 11. num. 7. at eius non meminit Pius in ſuo priuilegio, non eſt ergo vi eius, conceſſa Prælatis Religionum, illius in ſubditis ſuis abſolutio, Minor eſt falſa, cum in eo priuilegio dicatur tantundem licere Generali Ordinis S. Dominici, quantum eſt permiſſum Epiſcopis erga ſuos ſubditos, in Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. ergo cùm ibi Concilium expreſſe meminerit hæreſis, tacitè quo- C que, ac virtute, cenſetur ea comprehenſa in priuilegio, à Pio V. conceſſo Dominicani Ordinis Superioribus.

Deinde, non eſt Maior vniuersè vera, nam ſi Dianæ eſt fides, in tract. de hæreſi reſol. 6. in Iubilæo non exprimitur hæreſis, & tamen per facultatem quæ datur abſolutè abſoluendi à caſibus contentis in Bulla, licet cuilibet de approbatis, & tùm expoſitis, vt operam ſuam pœnitentibus nauent, in eorum reconciliatione cum Deo, eoſdè laborare ab hæreſi, ſi qua imbuti fuerint, modo non ſit cognita.

QVÆSTIO XXXIII.

D *An in iure Religioſorum mendicantium ſint caſus, quos Epiſcopi ſibi reſeruant.*

QVæſtio diſceptatur à Theolog. & Summar. ſcriptoribus, Soto in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. ad 2. Portelio in dub. regular. verbo Confeſſor. quoad ſecular. num. 22. & ver. caſus reſeruati numero ſexto, omniumque eſt hæc firma ac indubitata opinio, non ſubeſſe Mendicantes caſuum reſeruationi, quos Epiſcopi ſuos faciunt aut conſuetudine, aut ſtatuto ſynodali, vel etiam ſuo arbitrio ac voluntate, ſed de iis poſſe illos, quoties ad ſuum tribunal deferuntur, abſoluere.

E Altera ſententia priori plane aduerſa, à caſibus quos Epiſcopi ſuæ iuriſdictioni reſeruant, mendicantes nulla ratione abſoluere poſſe, niſi ab iis, vt facere ſecus illis liceat, ſit forte conceſſum, maximè verò ſi peccato reſeruato excommunicatio eſt adiuncta placuit hæc ſententia D. Anton. in 3. part. tit. 17. cap. 11. Gloſſæ Clementinæ dudum de ſepulturis, Comit. reſponſ. lib. 1. q. 25.

Dico primò. *Regulares omnes qui ſacras pœnitentium Confeſſiones excipiunt, poſſe ab omnibus caſibus abſoluere, quos vel ius, vel conſuetudo, ad Epi-*

Digitized by Google

ſcopos aliegat. Quia hoc ipſo quòd hi, caſus quoſdam eligunt, quos in tabulas reſeruationis digerunt, cenſentur cæteros ſacerdotibus concedere, vt colligitur ex cap. nuper 29. de ſentent. excomm.

Dico ſecundò. *Mihi quoque perſuaſum eſſe, caſuum reſeruationi, quos Epiſcopi ſuos faciunt, non ſubeſſe Mendicantes, approbatos ab ordinariis ad pœnitentium confeſſiones audiendas, ſed de iis, abſolutionis beneficium pœnitenti impertiri poſſe.* Rodrig. to. 1. quæſtionarij q. 61. art. 2. & in addit ad ſummam to. 3. cap. 12. concl. 1. Suar. de pœnit. diſp. 30. ſect. 2. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 18. Ratio eſt, quod eorum poteſtas, eadem ſit, ac Papæ, niſi quod huius ſit ordinaria, Regularium autem delegata, patetque ex eo, quod iſti facultatem à Pontif. habeant abſoluendi ab omnibus peccatis, & quibuſcunque, inde ſecundum iuris conſtitutiones reſultantibus cenſuris, ſententiis, pœnis Eccleſiaſticis, exceptis Bullaribus ergo & ab Epiſcopalibus.

Obiicitur primò, quod eſt in Clem. dudum de ſepultur. cap. 2. poteſtatem abſoluendi Regularium maiorem non eſſe, quàm Parochi, verba ipſa indicant. *Per huiuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus, perſonis ſeu fratribus ipſis, ad id totaliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel Parochialibus ſacerdotibus eſt à iure conceſſum.* Ergo cùm his non liceat remittere pœnitenti peccata quæ ſunt Epiſc. ſuo reſeruata, nec licebit Regularibus.

Conſeq. eſt neganda, quod hoc tempore maiora ſint Regularium priuilegia ſingulari Pontificum erga eos munificentia, quàm olim, vt patet ex antedictis, quare quod tùm non poterant, eis modo cùm fructu exequi eſt conceſſum.

Obiicitur ſecundò, Clementis 8. conſtitutio, in qua his verbis cauetur vt: *Ne vllo quidem caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, ſeu cùm noua, & ſpecialis ſanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum ſuorum, vel Ordinariorum, quoad caſus abſque eis tantum reſeruatos reſpectiuè impetrata ab ipſis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, abſolutionis beneficium de cætero impendere præſumat, qui ſecus faxint, ij pœna mulctentur excommunicationis, priuationis officiorum,* &c.

Reſpondendum, cum Portelio verbo caſus reſeruati, & Confeſſor. erga ſæculares num. 22. ea conſtitutione comprehendi duntaxat Italos, quod hæc verba declarationi Cardinalium inſerta, loquuntur, *Sacerdotibus tam ſæcularibus,* &c. *ad Confeſſiones audiendas probatis quàm Regularibus, per vniuerſam Italiam extra vrbem degentibus,* docentque Rodrig. in additionib ad ſumm. par. 2. ca. 18. concl. 18. Vega 1. parte verbo caſus reſeruati caſu. 1. & 15. Deinde, licet ad omnes pertineret hæc declaratio Cardinalium, quod nemo dicet, nego tamen, ea lædi Regularium priuilegia, cum hæc abrogare ſolus poſſit Pontifex non alius, quare *cùm ipſi fratres, etiam forenſium confeſſiones audire valeant, qui autem iis debite ſunt confeſſi conſtitutioni quæ incipit. Omnis vtriuſque ſexus, quoad confeſſionem ſatis feciſſe cenſeantur.* Leo 10. in Conc. Lat. conſtitutione quæ incipit, *ſacro approbante Concilio,* vt ante, ita & modo poſt hoc Cardin. reſponſum non modo fructuosè, ſed & validè pœnitenti dare poterunt: *Laicos tamen & Clericos ſæculares à ſententiis ab homine latis, nullatenus abſoluere poſſunt.* Leo 16. cæteris quæ ſunt à iure, peccataque item quæ ſibi Epiſc. reſeruant relaxare libere eos poſſe communis eſt Doctor. opinio dummodo ad poteſtatem conceſſam à Pontif. Ordini, accedat Superioris aut Capit. conſenſus, hac enim lege Pontifex Ordini vniuerſo facultatem concedit abſoluendi, vt eam poſtmodum, ſacerdotibus ſuis Regularibus, quos ad hoc munus idoneos iudicat, authoritate quâ valet, communicet, quare præter approbationem Epiſcop. opus eſt etiam conſenſu Prælati aut Capit. vt Regularis ſæcularem validè abſoluat cauſa eſt quod iuriſdictio ei à Pontif. in peccata ac cenſuras reſeruatas non detur, niſi cumdependentia à conſenſu & voluntate ſui Superioris.

QVÆSTIO XXXIV.

An in mortis articulo quilibet à quolibet abſolui poſsit.

Dico primò. *Eſſe perquam probabile, quemlibet ſacerdotem lege Eccleſiæ, poſſe in articulo mortis, quemuis à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere.* Piaſec. in praxi par. 2. c. 1. art. 2. num. 19. Sancius in ſelect. diſp. 12. ſitque ad planum ex verbis Concil. ſeſſ. 14. cap. 7. ipſa verba hæc ſunt. *Verum tamen piè admodum, ne hæc ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemperfuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideo omnes ſacerdotes, quoſlibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.*

Sed enim (inquies) quinam hic ſacerdotum nomine intelliguntur in Concilio? ſoli ne Catholici? iique cenſura nulla irretiti?

Ita credidit Nauar. cap. 26. num. 26. ſed palinodiam cecinit in capite 27. numero 272. affirmans ſecus ſcripſiſſe quod verborum Concil. eſſet immemor.

Fautorem huius ſententiæ quidam eſſe volunt D. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. ſed eum in contrariam, iuiſſe patet ex his eius verbis in 4. diſt. 20. q. 1. art. 1. *Quilibet ſacerdos, quantum eſt de virtute clauium, habet poteſtatem indifferentem in omnes, & quantum ad omnia peccata, ſed quòd non poſsit omnes ab omnibus peccatis abſoluere, hoc eſt, quia per ordinationem Eccleſiæ, habet iuriſdictionem limitatam, vel omnino nullam habet, ſed quia neceſſitas legem non habet, ideo quando articulus neceſſitatis imminet, per ordinationem Eccleſiæ non impeditur quin abſoluere poſsit.* D. Thomæ aſtipulantur Canus in relect. de pœnit. par. 3. Tabiena verbo abſolutio 1. num. 32. Angelus verbo Confeſſio 3. num. 2. de Coninch. & Layman. in tract. de pœnit.

Dico ergo 2. *Sacerdotis nomine, cuius ſit mentio in Concilio, intelligi omnes, qui characterem habent, licet ſuſpenſi ſint, interdicti, degradati, excommunicati, & hæretici:* Ratio eſt, quod ſi quis eorum, excluderetur ab eo caritatis officio, in mortis articulo, falſum eſſet, quod à Trid. dicitur, *Omnes ſacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere tum poſſe,* qui enim omnes dicit, neminem excipit, arguere autem Eccleſiam falſitatis, aut Concilium, quid eſt aliud, quàm diuino ſpiritui notam imprimere erroris, ac mendacij? quo quid eſſe poteſt ſceleratius?

Secundò, cum Deo cara ſit ſalus noſtra, eamque, Paulo teſte, velit, & non æternum animæ interitum, credibile non eſt, velle eum, cuiquam eripi inſtrumenta à ſe inſtituta ad eam conſequendam, ergo cùm Sacramentum pœnitentiæ, ſit de earum rerum genere, quibus ex Dei inſtituto, ſa-

lus continetur hominum, qui post Baptismum lapsi sunt in culpam lethalem, non est probabile, velle Deum, vt cuiquam in maximè necessariis, afflictisque suis tempotibus negetur, negaretur autem, si luctanti cum morte, agentique in extremis, interdictum esset lege Ecclesiæ, illud à præciso, aut suspenso, expectare, recipere, ac petere, ergo, &c.

Tertiò, Diuino, humanum ius cedere debet, quod autem res, commerciaque nobis nulla in humanis, ac diuinis, esse cum excommunicatis queant iuris est Ecclesiastici, Diuini autem, quòd sub finem vitæ in necessitatis articulo, peccata expurgare per confessionis Sacramentum oporteat, nam si vnquam, sanè tum maximè confitendi præceptum obligat, ergo ne quid contra Deum, eiusque legem tùm admittatur, instituenda erit ab ægro, peccatorum suorum confessio, ergo & recipienda à præciso, suspenso, aut interdicto absolutio.

Quid si ad manum est Parochus? quid si copia est alicuius alterius, non impediti vllo nexu? Respondeo, etiam tùm, præciso fas esse aurem ægro dare, eumque absoluere, Diana tract. 4. 3. part. resol. 57. quia facultas Concilij est vniuersalis, quam restringere, & coarctare ad hunc Presbyterum aut illum non decet, cùm verbis sit concepta vniuersalibus, particulaque hac, *omnes*, expressa. Quia tamen inducere Sacerdotem est malum, qui cum mortifera noxa Sacramentum administret, hæreticum autem, & excommunicatum maximis flagitiis pollutos esse, nemo Catholicorum addubitat, existimant è Theologis nonnulli, optandum esse, vt cùm est copia Parochi, aut alterius Sacerdotis, cuius vita non est suspecta de crimine, horum opera, æger vtatur potius, quàm cuiuslibet alterius, quem sua crimina remouerunt ab Ecclesia, quia hoc esset (inquiunt) eorum culpæ cooperari, quod est malum. Deinde velle absolui à Sacerdote, iurisdictione carente, est impium, cùm hoc ipsum esse sine sacrilegio absoluentis nequeat, cui assentitur pœnitens, cùm non tantùm patitur supra se ab eo formam Sacramenti proferri sine effectu, sed etiam eum ad id hortatur, in quo cum peccare contra religionem probat hæc ratio, quòd sit contra honorem Deo debitum, vti in Sacramentorum vsu, forma falsa: at hæretici aliam non adhibent, cùm enim illos Ecclesia pro suis non agnoscat liberis, eos potestatẽ eius concessione ad absoluendum necessariam habere quis credat? vel è ergo narrant falsa, quum aiunt eis le peccata condonare, in quos authoritatem sibi nullam vendicant.

Sed ad hæc argumenta respondere non est difficile. Ad primum enim est dicendum, non peccare pœnitentem agentem animam, cùm Sacramentum pœnitentiæ petit ab hæretico, aut præciso, quia remsanctam, sibique debitam postulat, vt enim ille lege caritatis astringitur, ad consulendum sibi necessario salutis remedio, quod est peccatorum confessio, ex hypothesi, quòd eius animum vera non pungat, tangatque contritio, ita illi necessariò tenentur iure, ei tale subsidium non negare. Quòd si in largiendo peccant, sibi imputent, non naturæ Sacramenti, aut postulantis precibus, quæ sunt iustæ, sibi (inquam) qui & culpas execrari suas, & virtutem, Deumque amare possunt, & ita dignè ac sanctè Sacramentum ministrare.

Ad secundum facilis item est responsio, nam negari debet hæreticum, aut præcisum, iurisdictione carere in pœnitentem, in eas redactum angustias, de quibus est hic sermo, quod antè ex Trid. planum fecimus, sess. 14. cap. 7. de casuum reserua-

A tione, vbi dicitur semper in *Ecclesia custoditum esse vt nulla esset reseruatio in mortis articulo*, indicatque duplex ratio.

Prima, quòd ab Ecclesiæ benignitate valdè sit alienum, quemquam priuare necessario salutis remedio: at est sacramentalis Confessio, humani constituto in mortis articulo, sæpè ad salutem necessaria, vt cum dolore alio nullo est instructus, quàm imperfecto, quique tantùm est attritio, quæ ad gratiam idonea satis, aptaque non est dispositio extra Sacramentum, ergo eius suscipiendi potestas illi relicta esse debuit, ergo & excõmunicatis & hæreticis illud conferendi, ac ægrum absoluendi, cùm præter eos sæpè alij sint nulli, qui hoc illi beneficium impertiri possint.

Secunda, quæ pro caritate sunt instituta, & ab illa initium ducunt, contra eam facere non debent, alioqui medicina in perniciem verteret, quod non oportet, sed censuræ vim suã àcaritate habẽt, nempe vt earum metu, cohibeatur peccator in officio, quæ haud dubiè ei noxiæ forent, si quo tempore maximè, recõciliari Deo debet, hæ ab eo illum beneficio arcerent, debuit ergo tùm potestas concessa esse Sacerdoti cuilibet, eas soluendi.

Dico tertiò, *non tantùm in mortis articulo, sed eius quoque periculo, quemlibet à quolibet Sacerdote absolui posse*, primò, quia iura periculum mortis, & articulum pro eodem capiunt. Secundò, quæ ratio facit pro mortis articulo, eadem quoque fauet eius periculo: etenim reseruatio tam casuum, quàm censurarum refertur ad salutem animarum: at his illa maximè fuisset noxia, si tunc cuiuis Sacerdoti vt paulò antè diximus, eas soluere non liceret, ergo qui potestatem fecit eas absoluendi in mortis articulo, eam quoque per illum, ad eius periculum extensam esse, perquàm est probabile: hac maximè causâ, quòd de contrario iura nihil præcipiant. Quid si tale periculum sit voluntarium, non coactum? Respondet Sanch. tom. 1. summ. lib. 2. cap. 12. num. 13. tum absolutioni consequendę à quolibet locũnon esse, sed tantũ quando contra voluntatem, ex causa vrgente, & moraliter necessaria in id discrimen vocatur. Sed cæteri Doct. de periculo quolibet loquuntur, tam necessario, quàm spontaneo, vt cum quis ad bellum volens proficiscitur. Secundò, causa cur in periculo mortis, absolui possit quilibet à quolibet, est, quod tunc omnibus iure tam naturali, quàm diuino incumbit, sibi ac saluti suæ consulere per confessionem: at valet hæc ratio cùm periculum est voluntarium, arcessitum, & spontaneum, ergo, &c.

Dico quartò, *eam potestatem non esse à iure diuino, sed Ecclesiæ, ex consensu Pontificis tacito.*

Primò, quia omnis iurisdictio saltem perfecta, & absoluta manat à Pontifice, vtpote cui dictum est in persona Petri, *Pasce oues meas.*

Secundò, quia ita innuit Trident. sess. 14. c. 7. cùm dicit in Ecclesia id semper obseruatum esse, vt nulla esset casuum reseruatio in mortis articulo, quis enim non intelligit, his verbis Concil. indicari tacitè, rem aliter ab ea potuisse transigi, proindeque facultatem quam nunc habent Sacerdotes, ab Ecclesia esse.

Dices, Posset ergo Papa sisic illi videretur, eã potestatẽ subtrahere Sacerdotibus? Omnino, id tamen nec fecisse hactenus, nec facturum vnquam, quia quę potestas est ei à Christo tradita, Ecclesię, & animarum, spirituale bonũ respicit, non exitium, earundem, at est contra hominũ commodum, & Ecclesiæ, Sacerdotes tùm priuari potestate absoluendi, non

est

eſt ergo credibile, Eccleſiam, quæ à Spiritu ſancto regitur, poteſtate hac ſuâ abuſuram in hominum & animarum interitum.

QVÆSTIO XXXV.

An qui in mortis articulo abſoluitur à cenſura, teneatur cùm conualuerit Superiorem adire, & ſi non facit, an vt ante, in eam reincidat.

DIco primò. *Tam peccata, quàm cenſuras, remotis abſolutè à ſacerdote, in mortis articulo, eiuſque diſcrimine*: Quia ad abſolutionem abſolutam duo tantum ſunt neceſſaria ex parte abſoluentis, voluntas & poteſtas, at hæ res, reperiuntur ambæ in ſacerdote, abſoluente in morte, ergo eius abſolutio eſt abſoluta.

Dico ſecundò. *Pœnitentem qui eſt integre de peccatis ſuis confeſſus in articulo mortis, vbi conualuerit, in ea non reincidere.*

Primò, quia peccatum ſemel per Sacramentum pœnitentiæ deletum, redire nullo modo poteſt, iuxta illud Pauli ad Rom. 11. ſine Pœnitentia ſunt dona Dei, pœniteret autem Deum remiſſi peccati, ſi poſt abſolutionem rediret.

Secundò, Abſolutio data pœnitenti, non pendet à conditione de futuro, alioqui falſa eſſet, Prob. Falſa eſt, ſi non efficit quod ſignificat, & contra, ſed hæc verba *Abſoluo te*, conditionem futuri, non connotant, ſed abſolutè peccata remitti, hic & nunc ſignificant, ſine vllo reſpectu ad tempus futurum, ergo, &c.

Dico tertiò. *Abſolutum à cenſuris in mortis articulo, in eaſdem reincidere ſi reſtitutus valetudini, Superiori, cui erant reſeruatæ, non ſe ſiſtat*: Huius aſſertionis probatio, mutuanda eſt à decretali Bonif. 8. titulo de ſentent. excomm. in 6. cap. eos qui 22. vbi eſt his verbis. *Eos qui à ſententia canonis vel hominis (cum ad illum, à quo alias de iure fuerint abſoluendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud legitimum impedimentum pro abſolutionis beneficio habere recurſum) ab alio abſoluuntur, ſi ceſſante poſtea periculo, vel impedimento huiuſmodi, ſe illi à quo his ceſſantibus abſolui debebant, quàm cito commodè poterunt, contempſerint præſentare, mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & ſatisfacturi, prout ſuadebit; decernimus, ne ſic cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ, in eandem ſententiam reincidere ipſo iure.* Hæc ille.

Dixi à cenſuris, quia peccata, quibus hæ, non ſunt annexæ, ſic per abſolutionem delinunt, vt ad ea non ſit reditus, vti probatum eſt, in aſſertione proximè præcedenti, Nec refert, quod ea peccata fortè ſint reſeruata Epiſcopo. Quia cùm textus citatæ decretalis, ſit pœnalis, non extenditur ad ea quæ ſunt diuerſi generis, ergo cùm cenſuræ, & culpæ, quæ ſunt Epiſcopis reſeruatæ, inter ſe differant, nec pro eodem capi poſſint ac debeant, quod de cenſuris ſtatuit Pontifex, ad caſus Epiſcopo, aut aliis Ordinariis reſeruatos trahi non debet, Antec. argumenti habetur in cap. ſtatutum de elect. & in lege cùm quidam digeſt. de liberis & poſthumis, quæ autem ex eo conſequentia trahitur, & clara eſt, & certa. Probaturque hoc modo, verba legis, propriè ſunt intelligenda, nec à germano ſuo ſignificatu, trahenda ſunt ad improprium, aut aliò detorquenda, quam velit legiſlator; de regulis iuris in ſextum regula vltima, his verbis. *Certum eſt quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* At nec cenſuræ nomen, ad caſus Epiſcopo reſeruatos pertinet, cum vtriuſque notio ſit diuerſa, nec Pontifici viſum eſt vnquam, decretali ſua eos complecti, vt patet, ſed eos duntaxat, qui ad confeſſionem attulere excommunicationem, à qua fuere abſoluti propter imminens periculum mortis, aut qui à Papa, vel eius Legato, poſt adeptum ab illis abſolutionis beneficium à quibuſuis ſententiis, iuſſi *vt Ordinariorum ſuorum, vel aliorum quorumlibet conſpectui ſe repræſentent, ab iiſdem ſuſcepturi Pœnitentiam*, cum primum poſſunt cõmodè, non parent qui caſus, ergo reſeruati Ordinariis, pœnitenti remiſſi erunt in mortis articulo, hi quaſi poſtliminio non ſunt cenſendi regredi, vt cenſuræ, ſi pœnitens, ſuo ſe Ordinario non offerat, vbi ſanus factus erit.

Dico quartò. *Pœnitentem, in eandem numero excommunicationem non reincidere, à qua fuit abſolutus, ſed propter inobedientiam & contemptum, excommunicari ipſo facto, excommunicatione, quæ priori eſt ſimilis, & eatenus dici reincidere.* Eſt Ludou. de Beia parte 2. reſponſ. moral. caſu 31. ratio primæ partis eſt, quod prior excommunicatio, abſolute fuit ſoluta, & remiſſa per Confeſſarium, habentem ad id facultatem idoneam, ab Eccleſia, ergo eadem numero non redit, cum non ſit amplius idem tempus, eædem circũſtantiæ à quibus habebat quod eſſet hæc, & non illa culpa.

Secunda eſt clara, ex his Papæ verbis in decretali eos qui 22. de ſententia, *Decernimus (ne ſic cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ) in eandem ſententiam recidere ipſo iure.*

QVÆSTIO XXXVI.

Quomodo ſe Confeſſarij gerere debeant in caſibus reſeruatis.

DIco primò. *Cum ad ſacerdotem pœnitentes veniunt caſibus reſeruatis impediti, hos ab eo remitti oportere ad reſeruatorem, ſi facile commeari poteſt*: nam ſic turbarum cauſæ ceſſant, ſic querendi, Superiori materia tollitur, ſic pœnitens tranquille, rem ſuam gerit, ſic ſalutem ſuam modis, quos Eccleſia præſtituit, in tuto ponit, ſic enim præcipit ritus Roman. Pij V. in cap. de ſacram Pœnit. eſtque hæc praxis approbata à Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis. *Sacerdotes cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis id pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & iudices pro beneficio abſolutionis accedant.*

Dico ſecundò. *Si pœnitens ad id induci nequeat, Superiorem à ſacerdote adeundum eſſe, ab eoque facultatem impetrandam, abſoluendi dictos caſus.* Quia charitatis eſt, ac prudentiæ, alienæ ſaluti ſtudere vt ſuæ, hoc facit Confeſſarius, cum pœnitentem ſuum, leuat onere adeundi Superioris.

At enim poteſt ne ſacerdos inferior interdum de reſeruatis, ſine ſcelere pœnitentem abſoluere?

Poſſe dixit Pharaon. de Sacram. pœnit. ſect. 18. & primo quidem, per ſe, ac directe in mortis articulo, quia tùm conceſſione Eccleſiæ, nihil eſt ſacerdoti clauſum, nihil eius poteſtati imperuium, Scio magnis ſummarum ſcriptoribus, ſecus videri, nec cùm aliquis, proprio ſacerdoti, peccata

ſua commode declarare poteſt, ei licere, ea in cuiuſpiam alterius auribus collocate, in quam ſententiam iuere. Maior in 4. diſt. 19. q. 1. paragr. ſed contra iſtud Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 4. Sylu. in verbo Abſolutio. 1. q. 10. Victoria in ſumma Sacram. q. 156.

Sed oſtendimus antea, teſtimonio Concilij, Eccleſiam, vt conſcientiarum libertati conſulat, poteſtatem facere in mortis articulo ſingulis, confitendi cui collibitum fuerit, neceſſitate remota, adhibendi ad eam rem Parochi, quod in praxi eſt ſeruandum, ne metus ſubeundæ apud Parochum infamiæ ex manifeſtatione occultæ culpæ, pœnitenti libertatem adimat, hanc ei exponendi, nec ſine animæ certo interitu.

Dico tertiò. *Non tantum mortis articulum, pœnitenti largiri, vt eum ſacerdos quilibet poſſit à quolibet peccato, etiam reſeruato, abſoluere directe, ſed eſſe inſuper tempora, ſeu caſus, in quibus hoc ei facere indirecte eſt permiſſum.*

Primus caſus eſt, cum pœnitens peccata quorſi meminit, ſacerdoti quidem explicat, ſed omittit ex ignorantia, aut obliuione reſeruatum vnum, aut plura, ea dicturus, ſi animo occurrerent, cauſa eſt, quod cùm pœnitens, ex ſe abunde ſit ad gratiam diſpoſitus, & aliundè Preſbyter voluntatem eum abſoluendi ab auditis habeat, ſi id agit, verè pœnitenti gratia dabitur, at hæc peccata etiam oblita delet, ergo & reſeruata.

Secundus eſt, cum pœnitens, conceſſione Romani Pontificis, ſibi hominem deligit, à quo de peccatis omnibus abſoluatur, nam ſi ex obliuione inculpabili, peccatum aliquod ſuum reſeruatum prætereat, cuius poſtea recordetur, de eo abſolui à quocunque alio ſacerdote ſimplici approbato, habente tantum iuriſdictionem ordinariam, etſi iubilæi, aut priuilegij tempus ſit elapſum, ratio eſt, quod vi beneficij Pontificij, ac gratiæ dicto pœnitenti conceſſæ, culpæ eius omnes, cenſentur eſſe communes, non reſeruatæ, ergo ſi bona fide pœnitens, diligẽtiam adhibuit, vt priuilegium illi ſuum eſſet vtile, cuius tamen fructu tùm excidit, ex ſola obliuione, ad quemuis de approbatis Confeſſariis, abſolutionis causâ accedere poterit.

Tertius eſt, cum quis reſeruata ſua omnia, Superiori explicuit, deque illis, liber eius beneficio per abſolutionem abiit, nam ſi poſtea intelligat, ſe inaniter, ac ſine fructu confeſſum eſſe, puta quia id non fecit integre, aut de admiſſis non doluit ſincere, ac vere, à quolibet abſolui de iiſdem poterit.

Cauſa eſt, quod Superior ideo peccata reſeruet, ſuique iuris eſſe velit, vt de iis iudicet, ac pœnam illis parem conſtituat, at hæc ex hypotheſi ſuperior iam præſtitit.

Quartus eſt, cum is qui reſeruata habet, ex causâ legitimâ Superiorem non conuenit, nam tunc ſi vrget tempus Confeſſionis annuæ, aut ei dicenda ſit Miſſa, à qua excuſare ſe honeſte non poteſt, poterit hic ex ſententia quorundam probabili ſacerdote quolibet de approbatis vti, ad reconciliationem ſui cum Deo, & tunc directe, à non reſeruatis abſoluetur, indirecte autem, & ex conſequenti ab aliis. Cauſa eſt, quod tunc pœnitens obicem gratiæ non ponat, nam primò abundè, & quantum eſt ſatis, peccata hic ſua vero ſinceroque dolore retractat, deinde eadem integrè, & planè explicat in Confeſſione, vthanc abſolutio excipiat, at tam hæc, quam gratia peccata omnia delet in anima, ergo cum non reſeruatis delebuntur & reſeruata.

In quibus tamen Epiſcopatibus mos inualuit, vt approbati, Sacramentaliter abſoluant de reſeruatis, cum onere ſiſtendi ſe Superiori, id ſacerdotes per ſe primo faciunt & directè, quia conſuetudo iuriſdictionem extendit, eamque non habenti tribuit, ergo & in huiuſmodi caſus, Caiet. verb. caſus reſeruati. Nau. cap. vlt. Ench. num. 161. at abſolutio quæ cùm poteſtate datur in perſonas, earumque culpas eſt directa, ergo, &c. Secus ſentiendum de caſibus Papalibus, quibus eſt annexa excommunicatio, nam cùm excommunicato non liceat conferre Sacramentum ante abſolutionem à cenſura, ſacerdoti inferiori abſtinendum erit ab ea, quæ eſt etiam à non reſeruatis.

QVÆSTIO XXXVII.

An Superior abſoluere poſſit Sacramentaliter à ſolis reſeruatis, pœnitente remiſſo pro cæteris ad Parochum aut alium ſacerdotem approbatum.

AFfirmant Caietan. in ſumma verbo cõfeſſion. condit. 10. Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 19. Palud. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. Emman. Sa verbo Abſolutio num. 14. Huius ſententiæ aſſenſor & approbator eſt D. Th. his verbis in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. q. 2. *Etiamſi ſacerdos de omnibus poſſit abſoluere, tenetur pœnitens ſibi omnia confiteri, & de illis de quibus non poteſt abſoluere, ad Superiorem remittat.*

Ab his authoribus diſſentiunt Gabr. in 4. diſt. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Graff. lib. 1. appendicis capite 7. Adrian. quæſt. 4. de Confeſſ. Sylu. verb. Confeſſor. 1. parag. 19. his enim omnibus placuit, Superiorem vnum peccatum Sacramentaliter audire non poſſe, ſine alio. Huius quæſtionis intelligentiam excutiam ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio. *Communiter non poteſt ſuperior pœnitentem à reſeruatis abſoluere Sacramentaliter, quin eum quoque de non reſeruatis abſoluat.*

Probatur, Confeſſionis integritas eſt iuris diuini, ergo ſine neceſſitate violari non debet, at nulla talis apparet in caſu præſenti, quia poteſt Superior tollere cenſuras à peccatis auditis extra confeſſionem, & pro iis ſalutari pœnitentia impoſita, pœnitentem remittere ad inferiorem, vt tam de dictis reſeruatis, quam aliis abſoluatur ab eo Sacramentaliter, data eidem licentia, abſoluendi eum ab omnibus.

Secunda Aſſertio. *In neceſſitate tamen morali tam ſuâ, quam pœnitentis, probabile eſt Superiorem, poſſe eum Sacramentaliter abſoluere à reſeruatis, caterorum tam abſolutione, quàm Confeſſione, dilatis in aliud tempus.*

Ita Suar. diſp. 31. ſect. 1. num. 6. Ægid. diſp. 7. dub. 9. num. 81. Quia quilibet in neceſſitate ſimili confeſſionem, & ſacerdos abſolutionem de auditis in ea, dimidiare poteſt ergo & Superior, quo in caſu, pœnitens directè abſoluetur à reſeruatis, ab aliis indirectè tantum.

Ratio eſt, quod vnum peccatum, abſolui nequeat ſine aliis, cum gratia, gratum faciens, quæ per abſolutionem recipitur per abſolutionem, omnibus peccatis ſit contraria, ergo neceſſitate conſequentiæ, & propter infuſionem gratiæ, peccata non reſeruata tollentur, reſeruatis per abſolutionem remiſſis.

Tertia Aſſertio. *Cum à Superiore auditis reſeruatis,*

Digitized by Google

quittitur Pœnitens ad inferiorem, vt eum de reliquis absoluat, tenetur ille eidem exponere tam reseruata iam remissa, quàm non reseruata. Ita Homobon. de Bonis in Exam. eccles. tract. 5. cap. 4. q. 25. Ledes. tom. 1. de Sacram. pœnit. cap. 20. D. Thom. his verbis in 4. senten. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 2. *Etiamsi Sacerdos non possit ab omnibus absoluere, tenetur sibi omnia confiteri, vt quantitatem totius culpæ agnoscat.* Huius Assertionis sunt ista fundamenta.

Primum, quod tenetur quisque, quantum potest, integrè confiteri, cùm ad hoc sit obligatio iuris diuini.

Secundum, quòd aliter status pœnitentis, dicto Sacerdoti plenè non possit esse cognitus, ad eius vulnera spiritualia sananda per pœnitentiam, & danda salutaria consilia, quod tamen est necesse, cùm Confessarius in Sacramento, sit non tantùm iudex, sed etiam medicus.

Obiic. Esse contra rationem, exigere iteratam peccati iam remissi confessionem à pœnitente. Conf. præterquàm quòd hoc onus sit intolerabile, negat Bened. XI. quenquam ad id teneri, & sanè prudenter, cùm reseruata quæ pœnitens ad Superiorem detulit, ab eo fuerint absoluta, & ab illo, eidem abundè explicata.

Respondendum est negando Antec. eò quòd confessionis iteratio sit necessaria ad cognitionem status pœnitentis.

Ad confirm. dicendum est, id esse per accidens, molestiam autem quæ est in repetitione eorumdem peccatorum, compensari magnis vtilitatibus, vt quod ea duplici narratione satisfiat Deo vberius, & quod remediis opportunioribus prouideatur pœnitenti.

Ad authoritatem Benedic. respondendum est, Pontificem loqui tantùm de casu, in quo quis integrè, & benè, vni cuipiam sua peccata confessus esset, nam tunc est contra rationem exigere ab eo, vt eadem peccata confiteatur alteri.

Ad tertium, dicendum est postulari confessionem iteratam reseruatorum, quæ iam sunt absoluta à Superiore, vt cognito statu pœnitentis, ex narratione tam illorum, quàm non reseruatorum, ei melius possit consuli à Confessario, tam appositione congruæ pœnitentiæ, quàm suasione medicinæ necessariæ, ad curationem morborum eius.

Quid si Superior adiri non potest, teneturne pœnitens pro obtinenda absolutione dictarum culparum, quas sibi ille sepposuit, euocandas ad suum tribunal, eas confiteri non habenti potestatem illas absoluendi?

Teneri aiunt, Soto lect. 10. de confess. Filliuc. tom. 1. tract. 4. cap. 7. num. 213. quod verum quoque esse asserunt Suar. tom. 4. disp. 31. sect. 3. nu. 6. Caiet. in summ. ver. absolut. impedimenta, in casu quo quis haberet peccatum reseruatũ, cui annexa esset excommunicatio, quia per eam non irritatur absolutio, dum se tenet ex parte non dantis, sed recipientis: Contrà sentiunt Vasq. tom. 4. tract. de excomm. dub. 4. num. 8. Megala in 1. par. lib. 5. cap. 19. num. 7. Ratio eorum præcipua est, quòd sublato fine, cessant quoque media ad illum: ergo cùm finis, cuius causâ instituitur confessio, sit peccati remissio, si eius cõsequendæ spes nulla sit super, non erit necesse, illud Confessario in Sacramento committere, absolutionis habendæ causâ, sed ab inferiore sperari non potest relaxatio censuræ, & culpæ, quam sibi Superior reseruauit: ergo non necessariò ambæ explicandæ sunt Sacerdoti, sed sufficiet contritionem de iis concipere, qua concepta, si tempus præcepti vrget, recipi Eucharistia poterit. Vasq. proximè citatus, & Diana tract. 4. de Sacramentis resol. 104.

Quarta Assertio. *Superior qui leui de causa audit tantùm casus reseruatos, & ab iis absoluit sacramentaliter, peccat mortaliter*, quia confessio debet esse iure diuino integra, Trident. sess. 14. cap. 7. nec dimidiari sine graui causa, qualis nulla esse asseritur. Contraria sententia est Suar. disp. 31. sect. 1. Coninch. disp. 7. num. 81.

Assertio quinta. *Quando Superior absoluit sacramentaliter pœnitentem à solo reseruato, probabile est eum absolui si benè dispositus fuerit.* Ratio est quòd ei in hoc casu sit impossibile confiteri integrè, & ex alia parte habet idem pœnitens propositum id faciendi si liceret per Superiorem, ergo isti imputanda est culpa omnis, non alteri.

QVÆSTIO XXXVIII.

Liceatne per literas & nuntium absenti confiteri, & si licet, an absolutio ab absente data valeat.

NOn fuisse absolutionẽ superfluã, aut verò nullã olim habendam, tradiderunt hi omnes. Palud. in 4. sent. dist. 17. q. 2. art. 1. Adrian. in 1. quæst. de Confess. parag. sed oritur. Medina cod. de rest. q. 15. & ante decretum Clem. 8. Comitol. vt Responsion. Moral. lib. 1. q. 16. de seipso narrat, in quo sequutum se ait Sylu. verb. Confessio sacram. q. 15. Pet. Soto in Instit. Sacerd. lect. 11. de confess. parag. tertium istud, & alios quos ibi citat, pro resolutione sit

Prima Assertio. *Absens inualidè absoluitur.* Probatur. Forma absolutionis est nulla, cùm est falsa: Sed talis est, cùm ad absentem dirigitur, ergo absenti data est inualida. Maior est vera, forma enim facere debet quod significat, quod non potest si est falsa. Minor probatur. pronomen *Te*, personæ secũdæ non nisi de re præsenti & demonstrabili intelligitur, ergo vt verificetur forma, absoluendus debet esse præsens.

Confirm. In Sacramentis omnibus, excepto Matrimonio, forma ex institutione Christi significat applicationem fieri subiecto, hæc autem indicari non potest, nisi monstretur præsens esse subiectum per pronomen *Te*, aut nomen tertiæ personæ, quod ex circumstantiis, intentione proferentis, ac modo loquendi, eundem sensum habeat, ac pronomen secundæ personæ, quo vtimur, ergo prolata absolutio super absentem nulla erit.

Assertio secunda. *Non licet per literas, seu internuntium, Confessario absenti, peccata sacramentaliter confiteri.* Est hæc Assertio firma, tam authoritate Patrum, quàm ratione, & Clem. VIII. testimonio.

E Patribus, pro ea duo faciunt Hesychius & Augustinus, ille in cap. 27. Leuitici in ea verba. *Homo qui domum suam aut agrum vendiderit, Euidentissimè*, inquit, *apparet sine confessione propriæ vocis, peccata non dimitti.* Augustini autem est hæc digna immmortalitate oratio, quæ extat in canone quem pœnitet, dist. 1. de pœnitent. *Præcepit*, inquit, *Dominus mundandis, vt ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda.* Hæc Patres, veniamus ad rationes.

Prima, quòd confessio sit secreta, quæ autem

neri poſſit, niſi ea ſint nota, nec hæc cognoſci valeant niſi explicata, cùm cuiuſque animum, ac reconditores eius ſinus, ſacerdotes non penetrent, eſt ergo eorum confeſſio ad reparationem amiſſæ gratiæ neceſſaria. *Cum audis hominem*, inquit Auguſt. ſerm. 2. in pſal. 101. *pœnitere peccatorum ſuorum, iam reuixit, cum audis hominem proferre conſcientiam, iam de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt, quando ſoluitur? quæ ſolueritis*, inquit, *in terra, erunt ſoluta & in cœlo, merito per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt, &c.* Et hoc eſt quòd ſecundo loco docet Eccleſia.

Docet 3. peccati peristaſes omnes, ac circunſtantias, ſacerdoti ſingillatim à pœnitẽte exponendas eſſe Conc. Tridentin. ſeſſ. 14. can. 7. Cabill. 2. can. 32. quo autem tempore in id incumbere hic maximè debeat, explicabitur poſtea.

At enim inquies quo iure maximè eſt confeſſio neceſſaria, diuino poſitiuo, an naturali? Non naturali, nam lex nulla eſt, diſtincta à diuina poſitiua, comprehenſa his verbis, *quorum remiſeritis peccata*, quæ ſuadeat peccata omnia, etiam occulta, ſacerdoti commemoranda eſſe, nec ea vis, aut poteſtas huius diuini, arcanique Sacramenti eſt, vt rationem affligat, eiuſque inſtinctum omnem euertat, At bene inſtituta ratio à promulgatione criminum abhorret, quæ ſunt occulta, vnde turpitudinem, ac exiſtimationis labem, oriri poſſe eorum authori metuit. Confirmatur ſi peccatorum diſtincta explicatio, ſacerdoti foret facienda, iure diuino naturali, vſus eius aliquis fuiſſet in lege veteri, cum quæ nunc ſunt hoc modo neceſſaria, fuerint etiam in vſu veteribus, at nullæ literæ confeſſionis auricularis meminere, non Pentatheucus, non Prophetæ, non Regum hiſtoria, non eſt ergo ad ius diuinum naturale referenda confeſſio.

Contra dicta de Confeſſionis neceſſitate,

Obiicitur 1. De peccato retento à ſacerdote, conteri quiſque poteſt, ſed dolore, quem contritionem nominant, ſic culpa deletur omnis, nullum vt eius veſtigium ſit reliquum, ergo pœnitenti, cauſa iuſta nulla ſubeſt exiſtimandi, peccata ſua à ſacerdote retineri poſſe. Minor eſt falſa, ſi de contritione agatur, ſine ordine ad confeſſionem, eiuſque votum, nam conteri peccator non poteſt, niſi ſacerdoti obſequi inducat animum, cum ad id, eum recta ratio obliget, at qui ſacerdoti morem gerere ſtatuit, votum habet adimplendæ conditionis, quam hic, ab eo poſtulat, vt neceſſariæ, ad remiſſionem peccati obtinendam, beneficio clauium, ſine qua non deſinerent eius vincula.

Obiicies 2. A Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo, vt ſcribunt Socrates lib. 5. cap. 13. Sozomenus lib. 7. cap. 17. Confeſſionem ſublatam eſſe, vna cum Sacerdote pœnitentiario, qui ei audiendæ præerat, omnibuſque permiſſum eſſe, etſi reis peccati lethiferi, vt ad ſacra myſteria accederent, modo cõtriti eſſent, quod ſanè non feciſſet Nectarius, nec Græci alij Epiſc. eius exemplo, ſi confeſſio eſſet iuris diuini, cum quæ ſunt talia, ab homine, abrogari nequeant, non eſt ergo iure diuino præcepta confeſſio.

Reſpondetur variè 1. Socratem & Zozomenum Nouatianos ſecta fuiſſe, ac cùm pœnitentiam odiſſent, exemplo Magiſtri ſui Nouati, à quo, de Sacramentorum albo expuncta fuerat, ab his quoque in illam, maleuolentiæ ſuæ vngues iniectos eſſe, ac proinde, illis in ea narratione, maiorem adhibendam fidem non eſſe, quam cùm aſſerunt alios Epiſcopos Græciæ, Nectarij factum imitatos, ſcriptum enim reliquit Gregorius Niſſen. Epiſt. ad Latorium Mytilenæ Epiſcopum Confeſſionis vſum, vtilem eſſe, & retinendum, quod & diſertè fecit Chryſoſt. Nectarij ſucceſſor, homil. 83. in Math. 33. in Ioan. & lib. 2. & 3. de ſacerdotio, ſermone 40. de Lazaro hom. de Dauid & Saule, & 3. de pœnitent.

2. Reſponſio eſt, quod etſi daremus, Socratem vera loquutum, non mentitum Zozomenum, vereque à Nectario motam fuiſſe pœnitentiam, non eſſe hunc tamen tantæ authoritatis, vt eius factum, cæteris pro exemplo eſſe oporteat, cum enim ſtuderet Nouatianis, iiſque perfamiliariter vteretur in rebus fidei, vt ex Socrate, loco citato colligitur, & ex Epiſtola Gregorij Niſſeni, dum grauiter cùm eo ex poſtulat, quod Arianis permitteret, vt impunè omnia Conſtantinopoli auderent, & facerent, quid mirandum ſi Confeſſionem, quam Nouatiani ferre non poterant, re ac verbis expugnauerit?

Reſponſio 3. eaque cæteris præferenda, ſublatum tantum per eum fuiſſe, vſum pœnitentiæ publicæ, nec exauthoratos ſacerdotes, qui priuatis Confeſſionibus audiendis operam dabant, vt oſtenderetur cum de publicis pœnitentibus ſermo erit, nos verò, vna cùm Eccleſia, hîc tantùm de Confeſſione, eaque priuata agimus, cui vnius cuiuſpiam hominis factum, præiudicare nec poteſt, nec debet.

QVÆSTIO II.

An ſit præceptum de Confeſſione obeunda in Eccleſia.

Eſſe, certa res eſt ac indubitatæ fidei, cum Patres in Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 8. ſacra Eccleſiæ fulmina contorqueant in negantes, teneri fideles præcepto confeſſionis annuæ, iuxta magni Lateranenſ. Concilij conſtitutionem. Quid? quod cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentiis, & remiſſionibus, moueantur Eccleſia, dum viuunt, qui huic præcepto non parent, mortui autem, ſepultura careant, quorum ſuppliciorum acerbitas, iuſtam Patrum voluntatem ac animum indicat, obligandi ſingulos, ad hanc religionem erga Deum, quotannis adhibendam ſub mortali: Quid, ſi culpa tali carere aliquem accidat, circa tempus paſchæ? Reſpondeo, ad eum non videri pertinere præceptum, primo quia non niſi peccati mortalis conſcios obligat, per ſe primo, etſi ex accidenti ad euitandam ſuſpicionẽ hæreſeos, aut peccati mortalis admittẽdi, violatione præcepti, de obeunda Confeſſione quotannis, etiam culpæ expertes ad eam aſtringi poſſint. Enimuero cùm ſint pauci admodum, quibus in ſe tantum ſit imperium, vt à cultu ſe numinis abſtrahi non ſinant per culpam aliquam, ad quã adhæreſcãt, merito ſuſpecti haberẽtur hæreſeos, ſi ſaltem ſe, ſuo paſtori, circa Paſcha non ſiſterent. Non eſt tamen opinione DD. præceptũ eccleſiaſt. de facienda exomologeſi, in Paſchate, mandatum, aliquod quoad ſubſtantiam nouum, ſed diuini duntaxat explicatio, aut vt loquuntur alij, modificatio, cum enim de frequentanda Confeſsione, in mortis articulo, ac fortè aliquoties in vita diuina lex eſſet, nec ſatis conſtaret, quo iſtud maximè tempore implendum foret, placuit Eccleſiæ, in Concilio Lateran. tempus illud ad vnius anni ſpatium contrahere, ex quo conſequenter, ab ea eſt ſublata præcepti diuini obligatio, præterquam in mortis articulo eiuſque pericu-

lo, vel potius ſuppleta, quemadmodum & ab ea, dempta eſt, vel certè aliundè compenſata neceſſitas ac obligatio naturalis alendi miniſtros Eccleſiæ per aſſignationem decimarum, quibus ex mutuo Parochorum & Eccleſiæ contractu, ſunt hi contenti ad vitam, eiuſque onera.

Dixi in mortis articulo, cum enim hæc obligatio iuris ſit diuini, & ſatis nota, credibile eſt, Eccleſiam, de illa nihil ſtatuere voluiſſe, alioqui qui ſemel confeſſus eſſet, ſi eodem anno in morbum incideret, ac in periculo mortis eſſet non teneretur iterum confiteri, quod eſt contra praxim & ſenſum omnium fidelium.

QVÆSTIO III.

Quinam teneantur hoc præcepto.

ADulti ſoli, iique fideles, illi quidem quia ſoli rationis ſunt capaces ergo & præcepti. De fidelibus expreſsè habet. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. Cum ait Sacramentum pœnitentiæ à Chriſto inſtitutum eſſe pro iis qui poſt baptiſmum peccarunt, ergo pro fidelibus, cum baptiſmus, eos quibus eſt collatus, fideles reddat, deinde eſt baptiſmus Sacramentorum ianua, vt dicitur in titulo de Apoſtatis, per quem baptizati Chriſto incorporantur, can. ad hoc Baptiſmus diſt. 4. de conſecratione, qui ergo non ſunt baptizati capaces non ſunt huius Sacramenti cum baptizato fides detur à qua & fidelis denominatur, ac dicitur, vera ergo eſt aſſertio.

3. Nulla eſt propria iudicis animaduerſio in eorum peccata qui illius authoritati non ſunt obnoxij, ius enim extra territorium dicenti, vtpote ſine iuriſdictione, impunè non eſt parendum, vt dicitur cap. animarum 2. de conſtitutionibus in 6. at infideles, quà tales, ſunt extra ius Eccleſiæ, iuxta Paulum in priore ad Corinth. *Quid mihi de his qui foris ſunt iudicare?*

Obiicies. Præcepto de ſumenda Euchariſtia etiam Infideles obligantur, ergo & Confeſsionis. Neganda eſt conſequentia, diſparitatis ratio eſt, quod præceptum Euchariſtiæ, obliget per ſe, & propter ſe, Confeſsionis non item, ſed tantùm ſuppoſito peccato, quod deleri poteſt, virtute clauium, ob quam cauſam ſacerdotis abſolutio, dicitur eſſe iuridicialis actio, in Trid. ſeſſ. 14. cap. de abſolutione, & can. 9. Ergo eſt ab eo exercenda tantum in ſubditos, tam quoad ſe, quàm quoad peccata, cuiuſmodi nemo Infideles eſſe dixerit, reſpectu admiſſorum ab iis ante baptiſmum, à quo ſic oblitetantur omnia, nulla vt eorum ſuperſit memoria.

2. Aſſertio. *Non adultus quilibet, ſed duntaxat, qui reus eſt, ſibique verè peccati alicuius actualis conſcius quod ſcit eſſe mortale, vel de quo probabiliter dubitat an ſit tale, obligatur hoc præcepto.*

Propugnat ſe hæc opinio 1. authoritate Tridentini ſeſsione decima quarta, c. 5. ſecundo his argumentis.

Primum eſt, obligatio præcepti de Confeſsione facienda, oritur tantùm ex neceſsitate gratiæ, & amicitiæ Dei, recuperandæ in hac vita, eſt enim ſecunda poſt naufragium tabula, cuius beneficio, ſuperatis vitæ fluctibus, ad portum euadere naufragus queat, ibique cùm Deo, redire in gratiam ac abſterſis vitæ præteritæ maculis ei reconciliari. *Legatione enim fungimur pro Chriſto reconciliamini Deo*, inquit Paulus, *& verè inſignis eſt pœnitentia; maxima ſalutis via, hoſpitij cælorum regni deſponſatrix, incorruptibilis vitæ Dux, Martyrcorum certaminum æquiparatio, cum Deo eſſe faciens, humani generis baculus, cadentium & lapſorum ſurrectio.* Taraſius in Epiſt. ad Ioannem Preſbyterum præfixa ſynodo Nicænæ 2. at nec propriè ruimus, nec à Deo, eiuſque amicitia, naufragium facimus, per veniale, cum gratiam homini non adimat, ſed mortale duntaxat, in hoc ergo duntaxat cadit obligatio præcepti, de Confeſsione annua.

Secundum in Lateranenſi Concilio non fuit inſtituta Confeſsio ſimpliciter, ſed tantùm facta determinatio temporis, quo cuique eſt, ex præcepto Chriſti inſtituenda, iuxta Trid. ſeſſ. 14. can. 5. ſed præcepto diuino, non alia tenemur confiteri, quam quæ mortalia, ergo nec Eccleſiaſtico.

Vltima Aſſertio. *Poteſt tamen cùm fructu vſurpari Confeſsio venialium & in duobus caſibus neceſſario.*

1. Pars probatur authoritate Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. 2. hac ratione qui maius poteſt, huic quoque minus in eodem genere vſurpare eſt conceſſum, ſed abſoluere ſacerdos poteſt à mortalibus, ergo & à culpis quæ humanæ ſunt ac veniales. 3. Venialia ſunt vincula: at ad ea ſoluenda data eſt ſacerdoti à Chriſto poteſtas, his verbis, *quæcunque ſolueritis*, &c.

2. Pars probatur à Nauar. Enchir. 20. num. 34. & eorum caſuum primus eſt, cum ad vitandum mortale, venialiũ confeſſio videtur eſſe neceſſaria, quia eadẽ obligatione proſequi media eſt neceſſe, qua finem. Secundus eſt cùm dubitatur de eorum aliquo, ecquid mortale ſit nec ne, cauſa eſt, quod pœnitens, non explicando peccatum de cuius natura ambigit, exponit ſe periculo peccandi mortaliter, contra præceptum diuinum, de integritate ſeruanda in Sacramento: hoc autem, vt notant omnes, malum eſt, ac culpabile, cum iuxta Auguſt. relatum in can. ſi quis autem de pœnitentia diſt. 7. in cauſa conſcientiæ, tenenda ſint quæ ſunt certa, fugienda ambigua: eſt autem dubitatio affectio animi, ac ad vtraque propendentis æqualis motio, quæ tum accidit, cum in neutram partem inclinat, ideo quòd ei probabilis ratio non ſuppetat, quæ eum ad alterutram determinet, quarum rationum, cum aliqua occurrit, etſi coniuncta ſit formidini de oppoſito, peccatum non eſt, venialia in Sacramento ſupprimere, & ſacerdoti non communicare. Tertius caſus eſt ratione profeſsionis alicuius regulæ ad hoc obligantis Syueſtr. verb. Confeſsio 1. quæſt. 13.

Obiicies. In ea tantùm peccata, Sacerdoti poteſtas eſt conceſſa, quæ ab eo retineri poſſunt, ſed eiuſmodi non ſunt venialia. Maior & Minor ſunt negandæ, Maior quidem, quia ſi data non eſſet Sacerdoti poteſtas in venialia, ea non eſſent abſolutionis idonea materia, contra vſum Eccleſiæ, cum ſolius Dei ſit determinare materiam tam remotam, quàm proximam Sacramentorum omnium: Minor autem, quia falſum eſt peccatum veniale retineri non poſſe, ſaltem quoad pœnam, quam vt imponere Sacerdos poteſt, ita & hanc ad integritatem Sacramenti, adimplere pœnitens debet, ſi peccati ſui veniam cupit obtinere, beneficio clauium.

Obiicies 2. in cap. omnis vtriuſque de pœnitentiis & remiſſionibus, iubentur ſinguli peccata ſua commemorare Preſbytero abſolutionis habendæ cauſa, ergo cùm vniuerſitatis nomine, quale eſt iſtud, *omnia* comprehendantur etiam leuia, tacenda non erunt.

Reſpondeo, ibi ſermonem tantùm eſſe de lethalibus, argumento eſt, quòd venialium omnium narratio ſit impoſſibilis, & tamen ibi iubentur omnia explicari, ergo peccati nomine, in eo canone non debent venialia intelligi.

QVÆSTIO IV.

Quando iure diuino facienda ſit peccatorum confeſsio.

CRediderealiqui conſcientiam illico per confeſſionem purgandam eſſe, ac eam peccati macula inficit: huius ſententiæ author Gull. Pariſienſ. tract. de Sacram. pœnitent. cap. 19.

Secunda ſententia eſt Bonau. in 4. diſt. 17. par. 2. art. 2. q. 2. Angel. verb. confeſſio 1. num. 31. Religioſos & Clericos cùm peccarunt, confeſſionem in craſtinum reiicere non poſſe, Laicis id permiſſum, niſi cùm metuunt ſibi poſtea defuturum Confeſſarium, peritia, ac virtute, æqualem ei, qui hic & nunc eſt illis ad manum.

Aliis placuit iure diuino cuique confitendum eſſe, cùm memoriæ diffidit, vereturque ne quia fallax eſt, ac lubrica, de multis, peccatum vnum aliquod, aut plura omittat. Ioan. Medina Cod. de pœn. tract. 2. q. 14. parag. 2.

Quarta ſententia nullum tempus agnoſcit præter mortis periculum, aut eius articulum, in quo diuina lege, ſuorum cuique texenda ſit exomologeſis ſcelerum, hancque defendunt ſcholaſt. antiqui penes omnes è recentioribus, Suar. diſp. 35. ſect. 3. Coninch. diſp. 15. de pœn. num. 32. & 38.

Prima Aſſertio. *Iure diuino præceptum confeſſionis de mortali obligat in mortis articulo, aut eius periculo, ex graſſante peſte, imminente naufragio, periculoſo partu.*

Quia tum, ſi quando, homini ad diuinam amicitiam reparandam, eſt adnitendum, cum fato functis, omnia intercidant, ſpes, honor, meritum. Confirm. ſi tunc non eſt confitendum homini, haud dubiè ſe exponet periculo probabili, nunquam confitendi peccatum mortale à ſe admiſſum cum tamen Confeſsio ſit tunc præcepta, iure diuino tanquam neceſſarium remedium poſt baptiſmum.

Aſſertio ſecunda. *Eſt etiam nihi valde probabile extra ea tempora, cuique in confeſsionem culparum ſuarum incumbendum eſſe.*

1. Quia extra mortis articulum, præcepta dilectionis & adorationis Dei, obligant, ergo & Confeſsionis integræ, cum non minus ſit hoc præceptum ad gratiam neceſſarium, quam alia.

2. Probabile eſt, Chriſtum ſic inſtituiſſe hoc Sacramentum, vt voluerit peccatores eo vti etiam extra mortis periculum, ob multas vtilitates, quas ſecum affert. 1. impedit ne in eadem peccata tam facilis ſit lapſus, ac ſi nunquã vllus eius vſus eſſet. 2. Confert homini gratiam, cuius hic ope adiutus, bene ac laudabilem vitam inſtituat. 3. à peccatis reuocat, in quibus, plurimi vitam finirent, niſi hoc remedium ſalutare, ad ſalutem animæ ſuæ adhiberent. 4. Iure diuino, non tantùm confiteri quiſque debet, ſed integrè quoque ac plenè; at eſt id moraliter impoſsibile, agenti in extremis, eſt ergo extra hunc articulum vſurpanda aliquãdo Cõfeſsio.

An autem mortis periculum ab eiuſdem articulo differat, iam eſt videndum.

Non differre tradunt magnarum partium Theologi Gabriel Biel. in 4. ſententiarum diſt. 17. q. 1. art. 3. Hic (inquit) articulus non ſolùm accipiendus eſt, cum mors certa imminet, ſed etiam cùm quis aggreditur actus arduos, in quibus, vt plurimum, aut veriſimiliter imminet mors, ſiue mortis periculum, vt in bello mortali, & in naufragio. Gabrieli ſe in propugnanda hac ſententia comites addunt Roſella in verbo abſolutio 1. num. 28. Comitolus lib. 1. reſponſionum q. 19. num. 2. Nauar. Enchiridij cap. 26. num. 31. in hæc verba iuxta præſens inſtitutum per articulum mortis non intelligitur ſolus ille, in quo quis moritur, ſed etiam ille, in quo mori probabiliter timetur. Aliorum eſt opinio, eaque probabilis, mortis articulum, à probabili eius periculo ſeparandum eſſe, ſic vt inter vtrumque, eadem ſit differentia, quæ eſt inter rem certò futuram, & probabiliter tantùm, articulus mortis, inquit de Graphiis deciſionum lib. 1. cap. 13. nu. 61. dicitur quando mors proximè inſtat per cauſam naturalem, vel violentam, puta cùm in ægroto, graui morbo laborante, potiùs mortis, quam vitæ ſigna apparent, Sotus mortis articulum definit fatum, quod eſt, etiam in fieri, & à cauſis naturalibus, vt morbo, qui propter violentiam diu durare non poteſt, vel ab extrinſecis & violentis, vt cum quis efflaturus eſt ſpiritum manu carnificis, vel hoſtis. Sanè mortis eſt periculum cum eſt probabile, metaphyſicè tamen incertum, breui affuturam iſtius euentus cauſam, vt cum ſuſcipitur periculoſa nauigatio, arduum cùm hoſte certamen, niſi fortè latendum periclitanti eſſet, in medio exercitu, quo probabiliter non eſt petiturus armorum impetus, ex quo patet, Authorum ſententia, differre à mortis articulo eius periculum, eodem modo quo id quod eſt moraliter certum, diſtinguitur à dubio, ac habẽte ambiguum exitum. Vtrobique tamen diuina lege, ſacra Confeſsionis officia frequentanda ſunt homini, nec niſi ſine culpa omitti poſſunt, eius obeundæ tempora aliquoties in vita, ſecundum probabilem Doctorum ſententiam. Probabilem dixi, quia non eſt etiam improbabile, præceptum Confeſsionis, per ſe non obligare extra articulum mortis, aut eius periculum, ac proinde ſi Eccleſia tempus non determinaſſet, quo facienda foret, lapſum in mortale, non fuiſſe obligandum ad eam inſtituendam, extra periculum mortis, ſi crederet ſe contritum eſſe, ita Suarez diſp. 35. ſect. 3. num. 6. Coninch. diſp. 5. dub. 2.

Aſſertio 3. *Præter tempora memorata, ſunt & alia in quibus per accidens præceptum Confeſsionis obligat.*

Primum eſt cùm Confeſsio creditur eſſe humanæ imbecillitatis ſubſidium, quia peccatori vſu experientiaque longa eſt cognitum, vix ſe iracundiæ, ac motibus odij, aduerſus alium parem eſſe poſſe, ſine Sacramento, Enimuerò loquuntur hiſtoriæ, veraque, ac non fallax ratio perſuadet, nihil eſſe ad ſui, Dæmoniſque victoriam, Confeſsione potentius: peccatorum enim mole mens depreſſa, euolare nequit ad ſuperos, indeque exoptata infirmitati ſuæ præſidia petere, quibus effecta robuſtior, ſe laceſſat, ac hoſtem. Non tamen, niſi raro accidere exiſtimo, vt præter exomologeſin, nulla ſint alia vincendi ſui, ac ſuperandæ tentationis ſubſidia, cum nulli non ſemper ſit ad manum, diuina gratia excitans, & adiuuans, qua fretus quiſque, nil non poteſt ad animæ ſuæ commodum, Deique cultum, Iuuat tamen hic notare, Confeſsionis tùm obeundæ obligationem, originem à præcepto diuino confitendi, non trahere, ſed tam à virtutis ſplendore, quam perdere iuſte quiſque metuit, quàm à præ-

ceptó, quo naturæ iure astringitur peccato occurrere, ad quod viam munit, eiusmodi tentatio, vt enim rectè, ac prudenter aduertit Reginaldus lib. 6. cap. 3. num. 29. quo quisque præcepto finem amplecti debet, eodem, ei quoque capessenda sunt media, ad illum necessaria, quare si quam labem habebit eorum omissio, hæc non est futura diuinæ legi, de Confessione obeunda contraria, sed priuatæ alteri, de honestate huius, aut illius virtutis amplectenda, culpa autem fugienda, quæ est ei opposita, ac in cuius periculum sciens se, ac volens induit, prædicta media omittendo.

Secundum tempus Confessionis frequentandæ, extra mortis articulum, aut eius periculum, est cùm sacra Eucharistia est susciplenda, nam nefas est ei, cui est ad manum sacerdotis copia quo ad sacras Confessiones vti possit, inexpiato appellere animum ad sacrificium, si est sacerdos Trid. sess. 13. cap. 7. aut cùm conscientia peccati mortalis, accedere ad sacram mensam, tunc est ergo animæ mundities, Confessione de peccatis quærenda.

Tertium tempus adhibendæ Confessionis, est in concupiscentiæ remedium, nempe cùm alicui est compertum sibi præter Confessionem ad fugam, & victoriam culpæ alicuius, nihil esse reliquum, quia iure naturæ tenetur quisque media capessere, sine quibus, excidere eum à gratia Dei contingit: at talis esse, supponitur Confessio, ergo videtur in hoc casu vsurpanda. Idem dicendum quando ad amouendas peccati occasiones prudentis viri consilio est opus, quod extra Confessionem petere non vult.

QVÆSTIO V.

Quo tempore, & anno obligare incipiat præceptum Ecclesiasticum, de Confessione annua.

DIco primò. *Omnes baptizatos culpæ mortalis sibi conscios, Ecclesiastico iure annua Confessionis teneri.* Est hæc sanctio præscripta ab Innoc. 3. in Concil. Lateranensi cap. omnis vtriusque de pœnitent. & remiss. & in Trid sess. 14. cap. 5. vbi rationis compotes, quales sunt qui discretionis annos attigerunt, peccata sua religiosè ac integrè confiteri Presbytero iubentur. 2. qui tenetur conscientia peccati mortalis post baptismum admissi, remedio à Christo in Ecclesia ad eius curationem instituto indiget, quale esse Exomologesin admissorum, dixit Leo Papa 1. in Epist. decretali 89. ad Theodor. Feroiulienſ. his verbis; *Multiplex misericordia Dei, ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm post baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ, & qui regenerationis donum violassent proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ prouidentiæ præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.* Ergo si est puer doli capax, id est rationis compos, peccatique conscius, illud sacerdoti explicare debebit, vt eius remissionem obtineat.

Dico secundò. *Ad pueros pertinere hoc præceptum peræque ac ad alios.* 1. quia antequã pubescere cœperint peccare possunt. *Quis enim audeat affirmare,* inquit Greg. relatus à Grat. cap. 1. *de delictis puerorum mendacia, & periuria peccata non esse? at his plena est ætas puerilis,* ergo de iis pueri, reos se facere coram sacerdote, in sacro tribunali conscientiæ poterunt.

At quando? & qua ætate? Sotus in 4. dist. 21. q. 1. art. 11. negat eos contineri hoc præcepto ante annos 12. impletos. Antonin. 2. p. tit. 9. cap. 8. paragr. 2. huius obligationis tempus aliquanto facit breuius, nam puellis de confessione cogitandum esse negat ante ann. nonum cùm medio, masculis non nisi decimo & semestri. Emm. Sa verbo. Confess. n. 3. progreditur ad pubertatis tempora, quæ in annum 14. incidunt, ante quem, si hoc Sacramentum pueri non frequentent, vacare eos culpa asserit, quæ sit mea opinio, explicabo sequentibus conclusionibus.

Dico ergo tertiò. *Pueros vbi primum ratione vti didicerint lege Ecclesiæ de Confessione annua teneri, si quidpiam admiserint eiusmodi, quod ab illis, in illa dici oporteat.*

1. Quia per decreta Ecclesiæ in generali Concilio quilibet vtriusque sexus cum ad annos discretionis peruenerit peccata sua sacerdoti semel in anno confiteri debet, ergo & pueri, cum eam ætatem attigerint, quæ quid virtutem inter, ac peccata, interfit, agnoscit. At id communiter accidit ætatis anno 7. ergo ante 14. & decimum, iisdem pueris est hoc Sacramentum obeundum.

2. Cùm sit præceptum Ecclesiasticum de Confessione, determinatio diuini, illo haud dubiè, astringitur quisquis tenetur diuino, sed Dei voluntate, quotquot sunt in Ecclesia, lethalis culpæ conscij, eius remedium, ac veniam, quærere à Confessione debent, ergo & pueri, si quam contraxere ante tempora, per authores supradictos definita.

Dico quartò. *Etsi communiter huius præcepti obligatio cadat in pueros circa septennium, certum tamen huius rei nullam esse regulam.*

Pars 1. certa est, ea enim ætate pueri intelligunt quid bonum, à malo differat, similiter, vitiosum esse mentiri, non parere parentibus, cum id metu virgarum facere sæpè reformident.

Pars 2. probationem item habet facilem: experientia enim eruditi sumus, vsum rationis tardiorem esse in nonnullis, in aliis celeriorem, cum enim omnium eadem non sit indoles, par ingenium, similis educatio, nec omnibus eodem se tempore ratio aperit, vnis celerius, tardius illucet aliis, verè ergo à nobis est dictum, tempora certa nulla esse definita, ac ítata, quibus Ecclesiastica lege, pueri peccata sua expiare debeant, ne eius violatæ sint rei.

At enim (inquies) quando ergo peccata sua, apud sacerdotem accusare, pueris erit necesse? Quo tempore plenè sui compotes erunt, quando de rebus bonis, aut malis, agitare consilia poterunt, vt has vitandas homini, sic illas sibi amplectendas nouerint, scire enim quid rationem deceat, quis in dictis, factisque tenendus sit modus, verecundari ob malefacta, signum est deliberantis animi, ac ratione vtentis, secundùm Nauarrum cap. 21. Enchir. num. 3. Maiorem in 4. dist. 17. q. 1. columna tertia.

Vt vt sit de tempore, sanè constat prohibendum omnibus morem illum, qui inueterauit in multis locis Galliæ, vt plurium simul puerorum Confessiones, vno, eodemque tempore audiantur. Angelus verbo Confessio §. 28. Richardus in 4. dist. 21. art. 1. q. 8.

Primò, quia Confessio secreta esse debet, quod non potest fieri, cum multorum auribus committitur.

Secundò

Secundo, quia est contra cap. omnis vtriusque de pœnit. vbi hac particula, *Solus confiteatur*, excluduntur conscij.

Tertiò, quia nihil est facilius quam pueros metu pudoris, à narratione integra vitæ suæ reuocari.

Quartò, quia peccatorum explicatio palam facta, non ad pudorem, & verecundiam, qui finis erat olim publicè pœnitentium in Dei Ecclesia, est suaptè natura, plena periculi, potest enim cursus eius interrumpi à formidine, iniecta illi, à quo instituitur, & eius author prodi: atqui enuntiata peccata, ingentium malorum semina esse quis nescit? 1. Sacramenti odium imprimunt, quod creditur eius notitiæ malique causa esse. 2. Virtutis opinionem pessundat, quam de liberis suis, parentes comprehensam animo habebant.

QVÆSTIO VI.

An qui habet casus reseruatos teneatur in Paschate eos confiteri ei, qui potestatem absoluendi non habet.

DIco primò. *Eum qui habet casus reservatos, aut peccatum, cui annexa est excommunicatio non teneri, de iis Confessionem instituere apud sacerdotem, qui ad ea absoluenda iure caret.*

Quia Confessio est inualida sine iurisdictione, ex hypothesi, sacerdosque pœnitens vtitur, ea caret, in dicta peccata, ergo non necessario tum ei sunt confitenda.

2. Nemo tenetur infamiam sibi creare sine causa, at confitens peccata de quibus absolui à parocho non potest, certam sibi infamiam apud eum conciliat, ergo ad id obligandus non videtur ita Vasq. tomo 4. tract. de excomm. dub. 4. num. 8. Dian. de Sacramento resol. 108.

Quid si cùm reseruatis, pœnitens etiam alia habeat non reseruata?

Suarez tom. 4. disp. 31. sect. 3. Nauar. cap. 9. man. n. 3. eum aiunt ad vitandum scandalum, hæc debere confiteri, quod Sancio in select. dis. 32. n. 10. non probatur, sed sine eorum Confessione, posse pœnitentem in tali casu, ad communionem accedere cùm actu veri doloris, ac proposito ea confitendi, cum erit opportunum.

Dico secundò. *Non licere ei qui habet casum cui excommunicatio est adiuncta; de non reseruatis absolutionem petere ab eo, cui primus ille casus est reseruatus.* 1. Quia peccatum est, excommunicato ministrare Sacramentum, ad quod concurrit, qui sciens, Parochum, aut alium Presbyterum, ad id inducit. 2. qui excommunicatum scienter absoluit à culpis suis, antequam à censura sit liber, peccat, vt habetur cap. si celebrat. de exc. minist. cap. sacris de his quæ vi, &c. ergo & qui eum ad id inducit, vera est ergo assertio.

QVÆSTIO VII.

An præceptum Ecclesiasticum Confessionis certum tempus habeat quo necessario sit implendum.

SEnsus quæstionis est vnde Confessionis annuæ initium, siue anni, quo quis de peccatis suis confiteri debet, sit sumendum. D. Antoninus in 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 3. tempus confitendi vult esse Pascha, quam opinionem, vt probabiliorem sequitur Medina cod. de Confess. q. 14. cap. vltimo.

Nauar. Ench. 22. num. 45. Reginal. tom. 1. lib. 6. n. 34. Sotus in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. Valent. de Confess. puncto 4. ducunt initium anni, ab vltima Confessione.

Prima Assertio. *Quolibet anni tempore potest satisfieri præcepto Ecclesiæ, de Confessione annua.*

Victoria q. 137. Anglez in floribus Theologicis de Confessione art. 3. Graphius decisionum lib. 1. cap. 9. num. 4. Vasquez in 3. partem q. 90. art. 3. dub. 1. num. 5. & 15. Henriquez 4. de Sacramentis cap. 4. num. 7. Suarez tomo 4 disp. 36. sect. 3. Azor. 1. par. institut. lib. 7. cap. 28. q. 7. 1. quia in canone *omnis vtriusque*, nullum certum Confessioni tempus est præscriptum, sicut Eucharistiæ, sed tantùm dicitur semel in anno confitendum esse. 2. quia etsi in Trid. sess. 14. cap. 5. Patres approbent laudabilem Ecclesiæ consuetudinem de purganda conscientia in quadragesima, eam tamen fieri tunc non præcipiunt, ergo liberum est cuique, huic præcepto quolibet alio tempore obsequi.

Dices 1. leges Ecclesiæ certæ esse debent, stata item esse tempora, quibus impleantur, quod non accidet, si cuiusque arbitrio relinquatur, quo die, & tempore libet, præcepto de Confessione obeunda satisfacere. Minor est falsa, nam annuum spatium, cuique ad hanc religionem erga Deum præscribitur, nec eam extra illud differre, aut eam reiicere ad aliud, vlli est licitum.

Dices 2. vt iudici Ecclesiastico incumbit pœnas repetere de his qui huic præcepto non parent, ita & tempus esse certum conuenit, quo intelligere hic possit, ecquid aliqui de subditis sibi populis, ab eo discesserint, quod tamen esse non potest, si à postrema Confessione, quæ cuique est arbitraria, anni exordium sit ducendum.

Neganda est Minor, nam si potest Episcopo constare, aut Parocho, in Paschate satisfactū esse præcepto Ecclesiæ, quid est, quod ab hac notitia assequēda eos quouis alio tempore cohibet? Nam tunc testes obsequiosæ voluntatis suæ, ac Ecclesiæ morigerantis, proferre Parocho pœnitens potest, ac per eos probare, à se præcepto Ecclesiæ satisfactum esse.

Obiicies. Est consuetudo prudens, ac iusta legis instar, maximè si est recepta, ac præscripta sufficienti tempore, at est hoc vbique terrarum, solemne fidelium omnium, vt peccata sua Confessione circa Pascha expient, est hoc ergo cuique seruandum religiosè & ex fide.

Ad Minorem dicendum fideles quidem esse solitos conscientiam suam explicare sacerdoti in quadragesima, negandum tamen id eos necessario facere ex præcepto vllo Ecclesiæ, aut consuetudine, quæ eius, aut fidelium voluntate, tempus annuæ Confessionis determinet, ad Paschale, sed quia est hoc tempus, aliis omnibus commodius ad satisfaciendum Ecclesiastico imperio, ob communionem, ad quam Confessio via quædam est, ac præparatio iuxta Trid. sess. 13. cap. 7. Equidem ex more quolibet, obligationem non nasci, etiam me tacente, periti intelligunt, nam quis nescit, bis de hebdomada religiosos multos Confessionis causa adgeniculari Presbyteris? Virós primarios larga & abundanti stipe, impertiri pauperes singulis mensibus, hebdomadis, aut diebus, quis tamen, & hos, & illos, ad retinendum hunc morem, teneri vlla

Digitized by Google

lege existimet? non ergo necessitas vlla, aut obligatio confitendi, circa festa Paschalia, inferri potest, ex solemni, & vsitato more fidelium id faciendi eo tempore.

QVÆSTIO VIII.

An detur informis aliqua Confessio, & si datur, an per eam præcepto Ecclesiastico satisfiat.

EST Confessio informis, quæ caret gratia, qui est Sacramenti proprius effectus quemadmodum fides dicitur informis, quæ est sine charitate, & baptismus informis qui ficte suscipitur, ac sine vlla dispositione.

Quærimus hic ergo, ecquid dari possit aliqua Confessio quæ partibus suis omnibus constet, nec tamen conferat gratiam. Dari posse negant authores qui sequuntur Nugnus in add. ad 3. part. to. 1. q. 6. art. 5. diff. 6. Faber de pœnit. in 4. dist. 17. disp. 30. ca. 3. Suarez to. 4. disp. 36. sect. 7. num. 3. Maior in 4. dist. 17. q. 1. de Confess. Durand. in 4. sentent. dist. 17. q. 13. & 14. Adrianus in 4. q. 5. de Confess. dub. 5. Bon. in 4. dist. 17. in 2. parte dist. Magister art. 2. q. 3. num. 91. vbi hæc habet. *Confessio est opus Sacramentale ad iustificationem institutum, vnde hæc Confessio, ad absolutionem est ordinata, concedo igitur, quod non est necessarium, nec obligatur quis confiteri ex charitate, sed tenetur confiteri, vel ex charitate, vel ex dispositione ad charitatem, disponente sufficienter, vel secundum probabilitatem, vel secundum veritatem, si secus fiat, tenetur iterum confiteri, quia Sacramentum irritum facit.* Hæc ille, cui assentiuntur è summistis Angelus in summa verbo Confessio 41. §. 14. Sylu. eodem 1. q. 22. Medina codice de Confess. q. 20. Caietanus in summa & in 2. tomo opuscul. tract. 50. q. 5. Victoria in lib. de summa Sacramentorum q. 132.

Pro informi Confessione pugnant hi scriptores Fagund. præc. 2. lib. 1. c. 4. n. 4. Sylu. verbo Confessio 4. nu. 3. aliique nec numero, nec doctrina & authoritate prioribus dispares. D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiuncula 1. Halensis in 4. part. q. 18. membro 4. art. 4. §. 7. Paludanus in 4. dist. 17. q. 7. art. 1. Nauarrus in summa cap. 9. num. 13. Couar. ad caput alma mater parte 1. relectionis §. 4. Reginald. tomo 1. lib. 6. capit. 1. parte 5. nu. 57. fundamenta huius sententiæ sunt duo 1. quod Ecclesia tantum præcipiat actum externum Confessionis, de interno autem, non cogitat 2. quod finis præcepti, non præcipitur ab Ecclesia. Quæ de re ardua, & difficili, mihi videbuntur esse magis vero consentanea, exponam sequentibus assertionibus.

Prima Assertio. *Non datur vlla Confessio, quæ sit vera & Sacramentalis, informis tamen.*

Quæ me argumẽta adigunt, vt id existimem sunt ista. 1. Quod Confessio nulla sit legitima, nisi quæ Sacramentalis, at quæ est talis, non est informis, ergo eiusmodi nulla est possibilis.

Maior probatur 1. quia præter eam alia nulla à Deo est præcepta. 2. quia Confessioni, adiuncta est obligatio sacri, ac religiosi sigilli, at hæc Sacramentalem tantum afficit, cum quæ secreto committuntur alteri, extra Sacramentum, hæc solo sint naturæ lure cælanda, non diuino, quare qui ea cum alio communicat, infidelis quidem est, non sacrilegus, sicut est Presbyter, qui audita in Confessione retegit.

Minor probatur, est Sacramentalis confessio, non mera admissorum narratio, sed accusatio sui tendens ad reconciliationem, nulla autem est talis nisi quæ procedit à dolore, qui sufficit ad remissionem peccati in Sacramento, ergo Sacramentalis confessio informis esse nequit, minor probatur; nam quicunque dolor alius, non est ad confessionem, & reconciliationem cum Deo idoneus, vt qui voluntatem, quantum est necessarium, à peccato non auocet, nam dolor naturalis, puta de Deo offenso, vt est naturæ author, ad ea se peccata non extendit, quæ sunt contra Deum, authorem supernaturalem gratiæ, & gloriæ; vt enim talis dolor; ea peccata censeretur virtute complecti, deberet animus ea posse auersari ac fugere, ob rationem illam naturalem, quæ eum, hic & nunc ad dolendum impellit, inefficaciter tamen ad gratiam, at hæc, vim ad hunc effectum sufficientem non habet. 1. Quia peccata multa sunt, quæ cùm Deo naturæ authore non pugnant, vt desperatio salutis æternæ, vt infidelitas, vt hæresis, &c. 2. cum quis peccata odit, inductus sola eorum infamia, ac repugnantia, quam habent cùm recta ratione, non videtur in se, ab infamia, quam peccando subiit motiua habere satis efficacia ad eorum fugam, quæ quia latent suntque occulta, esse non potuere dedecori suo authori. 2. Argumentum formæ falsitas, Sacramentum inane reddit ac nullum, cum eius essentia, intrinsece ac substantialiter, sit esse signum eius rei quam efficit, idque practicum, sed si ad Confessionem, dolor non addatur, qui est ad gratiam necessarius, erit Sacramenti forma mendax, & falsa, nam significabit aliquid fieri, quod re vera non fiet, id est pœnitenti peccata remitti, quæ non verè remittuntur. 3. Pœnitentis actus, qui sunt huius Sacramenti quasi materia, & partes, ad remissionem scelerum concurrunt, iuxta Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. his verbis. *Si quis negauerit ad integram, & perfectam remissionem peccatorum requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, Confessionem & satisfactionem anathema sit.* At peccatum ordinariè sine gratia non remittitur, ergo Confessio quæ informis esse dicitur, ac dolor ei additus, Sacramenti partes non erunt, aut gratia non carebunt, & sic nulla erit informis Confessio.

Secunda Assertio. *Non satis sit præcepto Ecclesiastico de Confessione, per eam quæ est informis.*

Quia Ecclesia Confessionem præcipit, quæ pars est Sacramenti, & per quam reconciliamur Deo, sed quæ Confessio est informis non est talis vtpote, quæ non informetur subsequente gratia, ergo cùm hæc formaliter, ac propriè sit hominis iustificatio, eiusdemque reconciliatio cum Deo, Exomologesi quæ sit informis, non est peccator rediturus cum Deo in gratiam, ergo nec satisfacturus præcepto.

Maior probatur, est præceptũ Ecclesiæ de obeunda Confessione, determinatio diuini, nec enim Ecclesia imperando confessionem, aliud intendit, quàm vt tempus diemque definiat quo præceptum diuinum, Dei voluntate, est implendum, sed informi confessione qualis est ea quam gratia non sequitur, siue id accidat culpa nostra, aut Presbyteri intentionem absoluendi non habentis, non satisfit præcepto diuino, quia vi eius, vsurpanda est confessio, vt peccata desinant non esse retenta, dicitur enim Ioannis 20. *Quorum retinueritis retenta sunt eis*, at non relaxantur confessione alia quam for-

thata per gratiam: non eſt ergo informis, de earum numero, quibus ſatisfit Eccleſiæ exigenti confeſſionem annuam.

Tertia Aſſertio. *Confeſſio quæ attritionem comitem non habet, aut perfectum dolorem, quo ex defectu informis eſt, ac ſine gratia, repetenda eſt.*

Primò, ex inſtitutione Dei peccatum nullum adulti remitti ſolet ſine clauibus, aut earum voto: at hæ nil operantur, earumque effectus nullus exiſtit cum pœnitentis vitio, aut Presbyteri intentionem non habentis, confeſſio eſt informis ac ſine gratia, ergo iteranda. Maioris veritas petenda eſt ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi dicitur contritioni, vim abluendæ animæ, eatenus ineſſe, quatenus coniuncta eſt voto, ea præſtandi omnia, quæ ſunt ad Sacramentum neceſſaria.

Secundò, colligitur eadem veritas ex cap. 5. can. 6. 7. & 8. eiuſdem ſeſſ. vbi confeſſio integra peccatorum omnium, quæ poſt examen accuratum ac diligens in memoriam veniunt, dicitur eſſe iure diuino neceſſaria.

Minor probatur. Peccata expiari nequeunt ſine gratia: at hanc non communicari homini, cùm ab eo confeſſio trahit vitium, etiam Aduerſarij agnoſcunt: ergo confeſsio quæ culpa eſt noſtra informis beneficio nullo impertitur à clauibus.

Tertiò, peccata quæ ſunt Sacerdoti per confeſſionem informem expoſita remitti aliquando pœnitenti debent. Quæro ergo cùm id fiet, an huius remiſsionis cauſa futura ſit præterita confeſsio, informis tamen, an noua aliqua ſubſequens: non primum, quia vt rectè argumentatur Comitolus lib. 1. q. 19. quod nihil eſt non poteſt eſſe actu alicuius rei cauſa, at cõfeſsionis primò obitæ, fructu tamen nullo gratiæ, communicato pœnitenti imparato, pars nulla eſt reliqua, cùm eſſe deſierit, nec cùm fuit, vim eius conferendæ vllam habuit, cùm ſupponatur informis, proindeque gratiæ dono vacua: nouæ ergo exomologeſi, tribuenda eſt remiſsio, tam præteritorum ſcelerum, quàm ſacrilegij admiſsi, confitendo ſine diſpoſitionibus requiſitis: eſt igitur quod probare nitebatur Aſſertio, noua confeſſio, ad remedium antiquæ & informis, pœnitenti vſurpanda.

Obiicies, Baptiſmus quamuis ſit informis repeti non debet, cum recedente fictione valere incipiat, & prodeſſe baptizato, Auguſt. teſte in lib. de Bapt. paruulorum, ergo nec Pœnitentia. Neganda eſt conſequentia, eo quòd non ſit eadem ratio Sacramenti pœnitentiæ quæ Baptiſmi. Primò, quia Baptiſmus relinquit in animo characterem, qui eſt forma ad quam ſequitur effectus, impedimento remoto, ſecundùm D. Thomam in 3. p. q. 69. art. 10. quod non efficit pœnitentia. Secundò, quia Baptiſmus non exigit contritionem tanquam partem ſui eſſentialem, ſicut Sacramentum pœnitentiæ, ex quo accidit vt illa informis eſſe poſſit, non iſtud, ex defectu mero pœnitentis.

Obiicies ſecundò. Fieri poteſt vt pœnitens ex ignorantia craſſa, proindeque culpabili exiſtimet attritum ſe eſſe, cùm tamen doloris eiuſmodi ſenſum in ſe nullum habeat: de hoc ergo homine quærimus, num præceptum de confeſſione impleuerit: Omnino, nec de eo dubitare quis poteſt, cùm id egerit quod Eccleſia præcipit, & tamen non eſt eius confeſſio coniuncta cum gratia, dari ergo informis aliqua poteſt.

Neganda eſt Minor, quia non ſatisfacit præcepto confeſſionis, niſi hæc ſit integra, & dolor quo pœnitens afficitur, diſponat ad gratiam: at hoc non facit attritio alia quàm quæ ex motiuo ſupernaturali eſt elicita: qualis non eſt vt dicitur ea quam pœnitens ex ignorantia craſſa, ad confeſſionem affert.

Ad argumenta primò allata, dicendum eſt Eccleſiam præcipere quidem actus externos primò per ſe & directè, indirectè autem internos, vt patet in Horis, & Sacro, quibus non ſatisfit ſine deuotione & reuerentia, & quia his & ſimilibus actionibus maximè Deo viuimus per gratiam & charitatem, dici poteſt indirectè ſub præceptum cadere finem præcepti, qui eſt cultus eius ac dilectio.

Quid ſi pœnitens ignorantia inuincibili laboret, aut probabili? inuincibili quidem, cùm diligentia ſua nulla, ſcire potuit quibus eum præſidiis ad gratiam inſtructum eſſe oporteret, quo eius attritio deberet notata eſſe charactere, qua conditione, ac modo, inſigniri dolor eius ad culparum remiſsionẽ: probabili autem cum aſſertione, ac teſtimonio Confeſſarij, ſua ſibi abundè diſplicere ſcelera audiit.

Nonnullis ſcholæ Magiſtris placet, eius confeſſionem ratam eſſe, gratiamque ei certò dandam, quo primùm tempore, tam de peccatis anteactæ vitæ, quã quæ tùm Sacerdoti in Sacram. explicuit, verum in ſe dolorem excitabit, ita Comitolus his verbis: *Qui ſua peccata non tantopere deteſtatur quantopere oporteret, nec declinandi à peccato tam acris voluntas eſt quam Deus exigit ad condonandum, crederet tamen pœnitens nihil abs ſe in ea parte prætermiſſi, hic quamuis à Deo veniam nullam delictorum impetraſſet, nihilominus cùm ſuum poſtea erratum cognoſceret, ſatis eſſet de eo ſe accuſare cum dolore præteritorum peccatorum confeſſione non repetita.* Hæc ille 1. Reſponſionum q. 19. num. 7. enuntiatione 4.

Sed habeo quod illi opponam, primò, ſi quando repetendæ confeſſionis tempus eſt vllum, maximè cùm quid eſt in ea vitij, at eſt informis omnis confeſſio vitioſa, cùm Deum homini non reconciliet, cùm iuſtas inter hunc, & illum, cauſas odij non ſopiat, cùm hominem ex hoſte amicum, ex inuiſo gratum, acceptumque Deo non reddat, repeti ergo debet.

Secundò Sacramentum quod eſt nullum eſt iterandum, ſed Sacramentum carens ſua materia, eſt nullum, quâ materia deſtituta eſt pœnitentia, cùm ad eam dolor non affertur natura ſua legitimus, ſed qui tantùm eſt bona fide, ac pœnitentis opinione talis: ergo repetendum eſt. Minor probatur. Non habent à credulitate hominum, eorumque ſenſu, res humanæ, vt ſint Sacramentorum materiæ, ſed ab inſtituentis Dei voluntate.

Deinde, ſi attritio naturalis, ob ignorantiam pœnitentis, bonamque fidem, ſufficit ad Sacramenti ſubſtantiam, ſufficiet quoque ad eius effectum, eſt enim hoc Sacramentorum nouæ legis, Dei beneficentia, proprium, vt certò ac infallibiliter, ex opere operato producant gratiam, cùm ſubſtantialiter ſunt perfecta, modo ne ponatur obex: at habet ex Aduerſariorum ſententia Sacramentum pœnitentiæ, vt ſit vi huius attritionis perfectum non erit ergo ſeparatum à gratia.

Tertiò, qui dolor eſt ad Sacramentum inſtituendum idoneus idem quoque ſufficit ad gratiam, nec enim plura requiruntur ad vnum, quàm alterum, ergo ſi attritio quæ ſufficere creditur ad integritatem Sacramenti adhibebitur, nihil ei ad eius effectum deerit, quod cùm ſit Aduerſariis improbabile, mihi quoque alienum à veritate videri ſolet, iterari, confeſſionem admiſſorum à pœnitente imparato ob defectum veri doloris, vſurpandum non eſſe.

QVÆSTIO IX.

An Confessio necessariò debeat ore fieri,

Dico primò. *Quando pœnitens habet copiam Confessarij idonei, & potest culpas suas explicare tenetur id facere.* Patet 1. ex facto Christi, qui leprosis à se mundatis præcepit, vt se Sacerdotibus sisterent, iisque indicarent ab illo se sanatos, cum obligatione eos adeundi. Secundò, sicut in cæteris Sacramentis, est certa & definita materia, sic & in isto quoq; eam decuit certam esse, at est difficile aliam determinare, quàm oris confessionem, ergo non est omittenda, nisi necessitas aliud exigat. Tertiò, patet ex vsu communi Ecclesiæ, qui cùm sit vbique receptus, habet vim legis grauiter obligantis, extra necessitatem: dixi extra necessitatem, quia si quis ob nimiam verecundiam, vel grauem difficultatem, enuntiare culpas suas ore non posset, ei tunc liceret nutu, aut scripto, ad eam rem vti, & sic confiteri. Ægidius disp. 6. dub. 1. num. 3. Valent. de pœnit. q. 11. puncto 1. Qua dicta consuetudo in tali casu non obligat, ex præsumpta voluntate Ecclesiæ ac Dei.

Dico secundò, *non esse de essentia huius Sacramenti, vt confessio voce fiat*, 1. quia vtiliter instituitur à mutis, & ægrotis, vocis ac linguæ vsu destitutis, vt patet ex D. Leone, epist. 91. Concil. Arausic. can. 11. & Carthag. 3. c. 34. vbi habetur absoluendum eum esse qui per nutus confitetur: hi ergo vicem vocis vtiliter in hoc Sacramento obtinent, quemadmodum & Scriptura in qua peccata, quæ pœnitens commisit, mandata sunt literis, ab his enim cùm hic dolere se, eaque à se facta, & de iis absolui velle, insinuat, ab his inquam, liberari posse, author est Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. parag. si verò An verò eum oporteat ad singula peccata quæ Sacerdos legit, annuere à se hæc facta esse, deque iis absolui velle: controuersum est inter authores. Ego ad eorum partem concedo, qui dicunt sufficere si pœnitens peccata descripta Sacerdoti tradat, nutu significans se de iis dolere, & petere absolutionem, nam per hoc indicat ea se fecisse. Ita Ægidius loco citato.

QVÆSTIO X.

An sit tempus aliquod in quo oporteat confessionem iterari.

Certum est primò, confessioni, quod vsu quoque venire solet rebus aliis quàm plurimis, labem inesse quandam posse, à qua corrupta vis eius omnis intercidat: Enimuerò pendet hæc à conditionibus certis numero, statisque, quas vt ponere, ita & tollere pœnitenti liberum est, planeque cùm vult, integrum.

Certum secundò, cùm ad expiationem animi, Sacerdotis exigatur opera, cui hoc concessum est diuinitus, vt plagas mentis, salutari linguæ suæ motu, voceque sanet, has ei iteratò pandendas ad remedium, cum ægri vitio, aut casu aliquo, non sunt curatæ, quod quo modo accidat, iam est ad Dei gloriam vulgandum, dicique hoc vniuersè potest, quidquid peccatur in hoc genere, vitio pœnitentis, aut Presbyteri peccari. A pœnitente quidem confessio maculam trahit, primò, cùm est manca, cum dedita eius opera, destituta est parte sua aliqua necessaria, ac essentiali, qualis est attritio, aut contritio, & vt procedamus ordine

Dico primò, *iterandæ Confessioni locum esse, cùm pœnitens, ad dolorem non attulit voluntatem vitæ melioris in posterum, vitandique peccati.* Ratio est, quòd defectu doloris, confessio sit nulla, ergo repetenda cum diuino præcepto de ea frequentanda nemo satisfaciat, nisi qui omnia adhibet diuina voluntate ad illam necessaria, quod non facit quem de mortalibus syncerè non pœnitet, aut qui ea declinandi, vitandique firmam nullam ac stabilem voluntatem habet. Sotus in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. Nauar. c. 9. Ench. nu. 20. de Graff. lib. 1. decisionum cap. 2. n. 15. & lib. 1. cap. 16. num. 1. vbi notat, ex parte confessionis, inane quoque Sacramentum esse, si pœnitens defectum hunc sibi cognitum, Sacerdoti, qui sibi est à confessione, non declaret, quod probat ex can. peccati venia, de regulis iuris in 6. & can. illud dist. 95.

Dico secundò, *esse quoque necesse confessionem repetere, cùm inest ei aliqua fictio.* Qualium fictionum genera multa distinguit Gerson. tract. 34. litera 1. *Prima est, inquit, permittosè mentiens. Secunda, dolosè dimidians. Tertia, patenter inficians* & quidem iterandæ confessionis, necessitatem esse, cùm pars tantùm peccatorum Sacerdoti narratur, cætatis aliis: vel hinc patet, quòd tunc confessio nulla sit, & inualida, cùm eius forma est falsa: verè enim id significare debet, quod efficit, quod esse nequit, cùm ei falsitatis aliquid inesse accidit, sed est absolutio, in qua ratio Sacramenti pœnitentiæ est posita veritati opposita, cùm peccata non explicantur omnia, sed eorum tantũ pars aliqua, nam in absolutione dicit Sacerdos se conferre gratiam per se sanctificatiuam, & ex consequenti remissiuam peccati, quod tamen non accidit, cùm pœnitens peccatum vnum mortale, aut plura cælat, aut aliquod, quod dubitat esse tale aut circunstantiam quæ speciem peccati mutat, aut mutare creditur, vel dubitatur an hunc effectum habeat.

Dico tertiò, *iteranda confessionis legem, etiam tum valere, cùm pœnitens diuinitùs iniectam sibi religionem, de necessitate dicenda culpæ alicuius lethiferæ, quæ tùm fortè eius animum tangit, facere id ante absolutionem negligit, aut in ea peccatum mortale omittit ex oblitione crassa, & negligentia in adhibenda diligentia sufficienti, ad discutiendam conscientiam:* Quia Sacramentum est nullum, quando suscipitur sine dolore: at eo caret qui culpam suam in confessione reticet, aut diligentiam non adhibet necessariam vt eius recordetur.

Notare hîc tamen lubet 1. cùm pœnitens eodem Confessario vtitur ad expiationem suæ conscientiæ, quem antè sibi ad eam rem adhibuerat, satis videri, si hic ei crimen cælatum aperiat, animique sui fictionem, reliqua autem ritè non confessa in genere hoc modo, accuso me de his omnibus quæ ante tibi explicui. Nauar. cap 6. Ench. num. 16. Syl. verbo confessio 1. q. 3. Grasius lib. 1. decision. cap. 16. num. 14. An autem sit opus vt Confessarius eorum meminerit, vel pœnitentiæ iniunctæ, vel certè status pœnitentis saltem in confuso, ac vniuersè, dicemus posteà.

Notandum 2. Cùm viris, ea sese spectanda offerunt, quæ cùm pueri essent, parui pendebant, vt minuta quædam, nec culpanda, ac quorum proinde nunquam se in Sacramento fecere reos, officio

Digitized by Google

eos facere ſatis, ſi ea ſeorſim ſacerdoti in confeſſione explicent, nulla aliorum, quæ ſunt eidem, olim, aut alteri confeſſi, mentione facta. Nauar. in tan. fratres num. 82. de pœnit. diſt. 5. de Graffiis deciſionum lib. 1. cap. 16. num. 15.

Dico quartò. *Ex parte miniſtri Sacramentum iterandum eſſe, cùm poteſtate caret neceſſaria ad abſoluendum, aut non eſt approbatus*: Quia abſolutio eſt iuridicialis actio, at hæc talis eſſe nequit, ſine poteſtate, qua de re nos poſtea. Quid ſi peccatis confeſſis, cenſura aliqua annexa, aut confeſſarius ipſe excommunicatus erat?

Dico quintò. *Si pœnitens bona fide, ac cenſura, qua tenebatur irretitus, notitia nulla, vera, aut probabili affectus, confeſſarium adeat, neceſsitatem ei nullam eſſe eius repetendæ, ad id autem cum teneri, cum ad hoc Sacramentum animum applicat, certò intelligens, ab eo, ſe excommunicatione retrahi, nec illi, quem ea nexum intelligit, ad Sacramenta acceſſum vllum eſſe, legibus Eccleſiæ.*

Pars 1. rationem habet non dubiam, cum enim eſt pœnitens in neſcientia probabili ſui vinculi, aut effectus eius, certoque eum latet, ſine culpa tamen vlla ſua, excommunicatum abſolui non poſſe, tùm ad Sacramentum affert neceſſaria omnia, in primis enim moralem pro captu ſuo diligentiam adhibet, vt confiteatur integrè, ac cùm dolore, qui ſaltem ſit attritio peccatorum omnium, quæ tam ſuo, quam prudentis viri arbitrio, ſufficiens eſt, idoneaque in Sacramento ad gratiam diſpoſitio, eſt etiam ſacerdos, vt ſupponimus ea inſtructus poteſtate, qua carere, nec debent, nec poſſunt, qui pœnitenti prodeſſe volunt, nam poteſt non reſeruata condonare directè; & proinde indirectè ac conſequenter alia, quæ ſibi Pontifex, ſepoſita eſſe voluit, cum nequeat mortale vnum remitti, ſine alio, quare valere quoque cenſenda eſt eorum abſolutio, cum confertur, et ſi enim non licitè detur, impertitur tamen à ſacerdote ei, quem excommunicatio à ſacris noſtris alienum facit, validè, ac cùm fructu, quando hic ſe bona fide, teneri non credit impedimento vllo, quod ab ea conſequenda cohibeat, quod ſi eſt confeſſio ſubſtantialiter valida, talis futura quoque eſt haud dubiè, quo ad effectum, cum ex quæſtione proximè præcedenti conſtet, confeſſionem validam nullam eſſe, quæ ſimul ſit informis.

Deinde eſt cenſura omnis, excommunicationis maximè, effectus Eccleſiaſticæ poteſtatis, at impedire Eccleſia non poteſt, quin Sacramentum ſit validum, quando ad eius ſubſtantiam, neceſſaria omnia concurrunt: at excommunicatio per ſe præcisè ſumpta, non efficit vt ſacerdos reum abſoluere nequeat, ſed potiùs vt licitè, & ſine peccato non poſſit, cum eius impertiendæ nulla eſt neceſſitas, nec enim habet ignorantia, aut excuſatio, locum in Presbytero, ſicut in pœnitente, cum illi eorum quæ ad ſuum ſtatum faciunt, neceſſaria ſit notio, eaque diſtincta, vel certè obſcura, quæ tamen homini, dubitandi cauſam afferat, hocque tẽpore, ac loco, abſolutionẽ differendã, dum peritos ad conſilium adhibet, dataque aliter, hoc eſt temere ac imprudẽter non vacat ſcelere, ita de Graſſiis expreſsè deciſionum lib. 1. cap. 18. num. 5. in hæc verba. *Abſolutio à peccatis data excommunicato priuſquam abſoluatur ab excommunicatione regulariter valet, ſiue ſit excommunicatio maior ſiue minor, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, inualida tamen erit abſolutio, & ſacrilegium cõmittit pœnitens, quando non ſolùm intelligit ſe eſſe excommunicatum, ſed etiam nouit eſſe peccatum mortale eam recipere vel procurare, non quia data eſt excommunicato ſcienti ſe eſſe excommunicatum, ſed potiùs quia confeſsio non eſt integra dum hoc Sacramentum conferuntur & quamuis eſſet integra confeſsio eſſet nihilominus inualida defectu debitæ contritionis, vel attritionis, quia peccat excommunicatus mortaliter dum facit, aut permittit ſe abſolui.* Nauar. cap. 9. num. 3. & cap. 16. num 7. hæc ille. Quibus quid poſſit addi, ad finem partis ſecundæ, quæ probanda nobis ſupererat non video. Pergamus porro.

Dico ſextò. *Ex parte miniſtri confeſsionem inſuper eſſe inualidam, ac proinde iterandam.* 1. defectu liberi vſus iuriſdictionis in pœnitentem, putà, quia non habet niſi caſus reſeruatos Epiſcopo in quos iure caret. 2. defectu intentionis neceſſariæ. 3. defectu ſcientiæ neceſſariæ, ac ſufficientis approbationis de qua poſtea; quia eius abſentia Sacramenti eſt interitus, ac ruina ex dictis de Sacramentis in communi. 4. defectu attentionis. Nauar. Enchir. cap. 9. num. 11. Sylu. verbo confeſsio num. 6. quia confeſsio, eſt reuelatio peccatorum, facta iudici ac medico, illi quidem ad remiſsionem obtinendam, iſti autem ad recuperandam valetudinem: at neutrum præſtare poteſt, non attendens ad ea, quæ ſibi ſunt dicta, eſt ergo ob hunc defectum, iteranda confeſsio à pœnitente. Victoria de Sacram. num. 169. Valerius tomo 1. praxis lib. 6. cap. 5. num. 146.

QVÆSTIO X.

An ab Eccleſia poſsit venialium Confeſsio præcipi, & de conditionibus ad eam neceſſariis neceſsitate Sacramenti.

NEgat Scotus, hoc maximè nomine quod ab Eccleſia præcipi actus interni non poſſunt, ſi non inopia poteſtatis, at argumentorum quibus eorum omiſſio probari poſſit, ac ob eam reus iuſtè puniri, ſed eſt peccatorum Confeſſio dolorosa & integra, actus quidam interior cum Eccleſiæ compertum eſſe non poſsit an quis ea confeſſus fuerit maximè clam & latenter admiſſa; præterea an pœnitens vero dolore ſit inſtructus, nec ne. Quid? quod Eccleſia Sacramenta (inquit) inſtituere nequeat, at poteſtatis eiuſdem eſt, ac æqualis, Sacramenta condere, & efficere, vt eorum vſus qui ante liber erat, de neceſsitate ſalutis eſſe incipiat.

Verùm etſi concedamus, non decere hoc ab Eccleſia præcipi, cum onus confitendi, ſit valde graue, ob quam cauſam, comparatur eius meritum Martyrio à Tharaſio, loco proxime ante citato, nec deceat, Eccleſiam coarctare viam ſalutis, probabilius tamen cenſeo, abſolutè id eam poſſe facere, nam quid vetat; Eccleſiam præcipere actus externos huius Sacramenti? Sunt enim eius poteſtati obnoxij, deque illis poteſt ferre iudicium, poſito autem tali præcepto, oriretur ex natura rei obligatio ad dolorem, & confeſsionem integram peccatorum, & quia deeſſent mortalia, ſaltem inſtituenda eſſet venialium aliquorum, ex vi præcepti naturalis, ac diuini, quo iubemur Sacramenta dignè, ac conſentaneè ſuæ inſtitutioni tractare, quod eſt dicere, etſi ab Eccleſia præcipi, actus interni Sacramenti nequeant, poſſe tamen indirectè, vt fit in Horis, & Sacro, cum enim illas legi, à clericis, iſtud audiri, à fidelibus mandat, licet directè actus externos iubeat, ex conſequenti tamen, & indirectè, imperat internos, in quantum externi illi, lectionis horarum, & auditionis ſacri, obiri digne nequeunt

sine deuotione, animique præsentia, ad ea quæ le- A
guntur, aut audiuntur, quare qui actus illos exter-
nos faceret quidem, sed non vt expedit, & oportet,
etsi non peccaret, committendo contra præceptum
Ecclesiæ, tamen delinqueret contra diuinum, quo
iubemur non orare irreligiosè, nec satis attentè: ita
à pari, qui de venialibus confitetur, lege Dei astrin-
gitur id facere cum dolore, quod Sacramenta, iure
diuino digne obiri debeant, quam ad rem necessa-
ria est admissorum contritio.

Patet hinc quid ad rationes Scoti responderi
oporteat. Nam ad primam dici debet non præci-
pere Ecclesiam actus internos directe, sed exterio-
res tantum, de quibus iudicare quoque potest, qui
quoniam recte fieri non possunt, sine internis, hos
quoque ex consequenti ab ea præcipi. B

Secundæ neganda est minor, nam vim alicui
conferendæ gratiæ tribuere, multo maioris est vir-
tutis, quam per vsum talis rei, facere vt ea sit ne-
cessaria, necessitate præcepti ad salutem, cum Ec-
clesia multa in præcepto possit ponere, non tamen
Sacramentum vllum condere. Confessionis autem
veræ conditiones, ac notæ sunt multæ, has est Ho-
stiensis complexus his versibus:

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis
Atque frequens, nuda & discreta libens verecunda
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, quæque est parere parata.

De quibus conditionibus agunt Doctores cum D.
Thom. in q. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiuncula 4. &
opusculo 54. Caietanus cùm reliquis summistis
verbo Confessio. Nauarr. in can. fratr. dist. 3. q 5. &
in manuali cap. 1. Antoninus 3. parte tit. 14. c. 2. §. 2.
Medina tract. 2. de Confessione.

Consistit autem simplicitas, in explicatione cla-
ra, & dilucida peccatorum, à pœnitente, vi cuius,
confessarius ea intelligat, quantum natura patitur,
quia sine eâ, nosse non potest sacerdos, statum pœ-
nitentis, quod tamen ad validitatem absolutionis
est necessarium, quare qui inter confitendum aut
demissè nimis loquitur, aut peccata sua, terminis,
vt loquuntur generalibus, disiunctiuis, aut minuen-
tibus obuelat, eorumque notitiam confessario adi-
mit, non confitetur validè, Nauar. in cap. citatum
num. 9.

Nuditas idem sonat ac veritas, quæ similiter est
necessaria, necessitate Sacramenti, in re graui nam
mentiri in eo rerum genere, impedit gratiam, fa-
citque, ne confessarius statum pœnitentis probè
perspectum habeat, quod tamen ad effectum Sa-
cramenti, & rectum de peccatis pœnitentis iudi-
cium est necessarium.

Postremo Confessio debet esse accusatrix sui,
debet enim sic instituì, vt per eam, se pœnitens
cum dolore de admissis accuset, at vtrumque con-
tinetur confessionis accusatricis nomine, quare ni-
hil facit qui confitetur tantum hypothetice, an-
nuendo capite, vel tacendo, ad interrogationem
sacerdotis, aut sermonem, sic loquentis, si iurasti,
si es mentitus, de mendacio, & iuramento, te co-
ram Deo accusas, quia talis locutio, non est peccati
manifestatio, aut admissi confessio, ita patet de con-
ditionibus ante allatis, aliquas necessarias esse ne-
cessitate Sacramenti, & proinde earum interitu,
interire Sacramentum: sunt hæ autem, veritas, &
simplicitas, in re graui dolor, integritas, suique ac-
cusatio.

QVÆSTIO XII.

An omne mendacium in Confessione eam irritet.

PRima Assertio. *Qui in confessione negat contra-
xisse se mortalis culpæ maculam, quæ tamen est in-
fectus, & debet hic, & nunc, sacerdoti tollendam of-
ferre, peccat mortaliter, & est eius confessio inualida.*

Ita Caiet. 1. 2. q. 69. art. 1. §. in responsione, pec-
care mortaliter indicat ratio sequens, facere in re
graui contra præceptum Dei & Ecclesiæ, culpa
est veniali maior, at facit qui culpam a se à dmissam
negat eo modo, qui est in assertione positus, nam
ex Christi imperio, vt ipsa Sacramenti institutio
indicat peccata lethifera sacerdoti integrè sunt
narranda, vt habet Florentin. in decreto Trident.
sess. 14. cap. 5. Innoc. in cap. omnis vtriusque Se-
xus de pœnitentiis & remissionibus at non exponit
omnia, qui aliquod negat, ac supprimit, quod quia
mortale est, sacerdoti tacendum non erat, Pars al-
tera de inualiditate Sacramenti, sic probatur

Sacramentum susceptum cum affectu ad morta-
le, est nullum, ob defectum perfecti doloris, & obi-
cem, qui gratiæ per eum opponitur, at concurrunt,
res hæ duæ in confessione falsa & mendaci, est er-
go nulla.

Secunda Assertio. *Confessio non redditur nulla,* C
*negatione alicuius venialis admissi, aut peccati mor-
talis iam confessi, vel cuius confitendi, nulla est ne-
cessitas propter causam aliquam, ex iis, quæ excusant à
Confessione obeunda integrè, de quibus postea.*

Huic sententiæ patrocinantur Sylu. verbo con-
fessio 1. q. 8. Ægidius disp. 6. de qualitate confes-
sionis Nauarrus Enchir. 21. num. 37.

Ratio pro ea afferri hæc potest quod tali men-
dacio, nec tollatur cognitio status pœnitentis, qua
oportet confessarium instructum esse, nec præiu-
dicetur iuri eius, cum nullum ei ad cognoscenda
venialia, aut mortalia iam antè per absolutionem
condonata, competat, nec est præterea contra bo-
num pœnitentis, cum ei, talis falsitas damno non
vertat, ex quo sequitur non teneri adulterum v. g. D
qui cùm firmo proposito abstinendi imposterum
confitetur, dicere Confessario, quandiu in eo pec-
cato perseuerauerit, si antea conscientiæ suæ, &
officio satisfecit, nisi fortè ea cognitio necessaria
esset ad remedium, aut peccatum quòd exponitur
tale fuit, vt eius iteratio argumentum esset non
contriti animi, ob quam causam ex probabili mul-
torum sententia absolui non debet, nisi facta priùs
restitutione, qui tertio, aut quarto, est confessus,
penes se esse rem alienam, cum promisso tum sa-
cerdoti facto, illam redhibendi Domino, nec ta-
men cùm poterat fidem impleuit.

Tertia Assertio. *Qui confitetur vnum mortale,* E
quod scit se non fecisse, peccat mortaliter.

Quia decipit Confessarium in re graui, eiusque
iudicium peruertit, facit enim vt pro inimico Dei
eum habeat, qui verè est amicus, quando sibi ve-
nialium duntaxat est conscius, non aliorum. Exci-
piendus est casus, in quo se quis de peccato eoque
graui, accusaret, non sacerdotis decipiendi causa,
sed ex scrupulo, quo sibi licitum esse, ac verò præ-
stare putat, maiorum se criminum reum facere
quam oportet, nam hunc non peccare mortaliter
authores sunt Nauarr. in ca. 21. man. numero 37.

Laym. l. 5. tract. 6. cap. 8. num. 15. Idem quoque dicendum eſt de eo qui dubia, bona fide explicaret vt certa, eo quòd partem ſequi vult tutiorem, ſicque liberare ſe à ſcrupulis. Sylu. verb. confeſſio 1. q. 8. *Non eſſet*, inquit, *mortale ſi quis probabiliter etiam plus iuſto aliqualiter ſe aggrauaret, ad tutamen conſcientiæ, quia illa præponenda eſt famæ.*

Quarta Aſſertio. *Confiteri veniale, vt admiſſum quod tamen nunquam eſt factum, non reddit confeſſionem inualidam, ſed tantùm, cùm præter illud, aut alia peccata nunquam admiſſa, de quibus fit confeſſio, nullum à pœnitente Sacerdoti exponitur.*

Pars prima ratione hac nititur, quod leuis tantùm Sacramento & Sacerdoti fiat per hoc, iniuria, Sacramento quidem, quia culpa venialis, effectum Sacramenti non impedit: Sacerdoti verò, quia nec eius turbatur iudicium in re graui, nec ipſe, in re ſimili decipitur. Pars altera confirmatur, qui alia narrat, quàm non admiſſa, etſi ſint venialia, peccat, quia facit vt forma ſit falſa, per applicationem ſui, ad materiam indebitam, ac nullam, quod eſt ſpecies quædam ſacrilegij, quo Sacramentum redditur nullum. Contraria ſententia eſt Fabri, tract. de pœnit. in 4. ſentent. diſt. 17. q. vnica diſp. 14. c. 3. eaque fortè non improbabilis.

Obiicitur. Falſitas formæ in Sacramentis ea reddit nulla ſed forma Sacramenti pœnitentiæ ex parte eſt falſa, cùm cadit in confeſſionem peccati venialis ab eo non admiſſi, qui illud cum aliis, in confeſſione expoſuit. Reſpondendum eſt ad Maiorem, eam duntaxat veram eſſe, cùm forma eſt falſa, ſecundum integrum ſuum effectum, & non autem ſecundùm aliquam eius partem, ſicut hic, quia in priori caſu, magna fit iniuria Sacramẽto, non item in ſecundo, in quo irreuerentia non eſt niſi leuis. Reſpondendum 2. formam Sacramenti huius, immediatè non ferri circa peccata in particulari, ſed circa pœnitentem, quem ſignificat generatim à peccatis ablui, quæ eſt confeſſus, non quidem abſolutè, ſed ſuppoſita eorum veritate, quæ explicuit ita Ægidius diſp. 6. dub. 3. num. 9.

Obiicitur 2. Qui cum hoſtia triticea conſecraret hordeaceam, peccaret, quia efficeret formam falſam, peccat ergo ſimiliter qui cum venialibus admiſſis, vnum quodpiam confitetur, non factum. Neganda eſt conſequentia, ratio diſparitatis eſt, quòd forma conſecrationis fertur immediatè circa omnes hoſtias conſecrandas, ſcilicet vt ſub iis, ac earum ſingulis, ſit corpus Chriſti, ex quo accidit, vt ſit falſa, ſi vel ſub vna, Chriſti corpus non reperiatur, quod de abſolutione dici non poteſt, cùm immediatè, vt diximus, pœnitentem reſpiciat, ac circa eum feratur, & non circa peccata ſingula in particulari.

QVÆSTIO XIII.

An Confeſsio debeat eſſe integra & quomodo.

PRima Aſſertio. *Debet pœnitens iure diuino, peccata ſua omnia, quæ ſunt mortalia, & quorum meminit, tam ſpecie, quàm numero diuerſa, Sacerdoti aperire, in confeſsione.* Itaque hæreſis eſt, aſſerere, quòd homini liceat ſciẽter peccatum aliquod omittere ſine cauſa rationabili. Sylu. verbo confeſſio 2. q. 2. Anglez de confeſſione, diffic. 2. Nauar. in can. quoniam pœnitet, diſt. 1. Medina de pœnitentia, tract. 2. q. 6. & ad eius fidem, facit impri-

A mis can. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentiis & remiſſionibus eo tranſlatus, ex Lateranenſi Concil. idem quoque adnotauit Trid. ſeſſ. 14. ca. 5. & can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento pœnit. ad remiſsionem peccatorum, non eſſe neceſſarium iure diuino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, etiam occulta, quorum memoria habetur, anathema ſit.* Ad hoc decretum accedit ratio duplex. Prima, tam latè patere debet confeſſio, quàm contritio & abſolutio, ideo enim illa inſtituitur, vt accedente ad eam abſolutione peccata deleantur, de quibus confeſſis conterimur: At tam contritio, quàm abſolutio, eſſe debent de omnibus mortalibus, ergo & confeſſio quam proinde fieri integrè, eſt neceſſe. Minor probatur. Cum peccato ſtare non poteſt gratia, B ergo nec ea, quæ datur beneficio clauium, cùm culpa, quæ eſt ſilentio inter confitendum ſuppreſſa, & cùm contritio virtualis ſit amor Dei, virtualem quoque voluntatem, votumque diuinæ amicitiæ, ac obſeruationis mandatorum omnium includit, de quorum numero eſt, culparum integra explicatio, in confeſſione, vt probant citati canones.

Secunda, Sacerdos in Sacramento agit medicum, & iudicem, ex Trid. ſeſſ. 14. at neutrum præſtare ei eſt integrum, ſi confeſſio diminuta ſit ac manca, nam vt medicus, morbis adhibere remedia, vt Iudex, pœnitentem plectere iuſta pœna debet, at nec iſta par peccatis eſſe poteſt, nec proinde æqua, niſi ſciantur, nec inualetudines animi omnes curari, C niſi ſint perſpectæ, vt ſit ergo confeſſio integra, eſt neceſſe, & vtroque hoc ſuo munere defungi Sacerdos queat medici & Iudicis.

Obiicies, ſi Confeſſarius ſtatus ſit, ac conditio pœnitentis cognita, ſufficit ei, in confeſſione actum peccati præcipuum detegere, non verò circunſtantiam ei ſtatui adiunctam, v. g. ſi cognitum ſit Sacerdoti, pœnitentem, qui confitetur coniugatum eſſe, vel profeſſum, in approbata religione, iſti ſatis erit, vt ſatisfaciat ſuo muneri, exponere fornicatum ſe eſſe, ex quo deinde, facile ſit Presbytero intelligere circunſtantiam, quæ actum illum ponit in ſpecie ſacrilegij aut adulterij, ergo pœnitenti ſufficit aperire Confeſſario, peccata quæ ſunt ei incognita, cælatis aliis quæ nouit extra confeſſionem, falſa eſt ergo Aſſertio, in qua dicimus, peccata omnia in ſacro tribunali conſcientiæ explicanda eſſe. D

Reſpondeo, conceſſo antecedente, vt à Nauarro quoque conceditur in can. conſideret, diſt. 5. num. 60. & Medina q. 8. conſequentiam negandam eſſe, nam qui peccati actum præcipuum Sacerdoti explicat, cui circunſtantia perſonæ eſt cognita, eam quoque confiteri implicitè eſt cenſendus, quod eſt ſatis. At in Aſſertione de eo fit mentio, qui nec explicitè, nec implicitè peccati ſe reum facit, ex quo ipſius ſilentio, fit, vt confeſſio eius reddatur inanis, ac manca, ſufficeret tamen, ſi poſt E confeſſionem vitioſam ac inutilem, defectu doloris, aut conditionis huius de qua loquimur, diceret, accuſo me de peccatis omnibus quæ heri, v. g. tibi narraui in confeſsione, ac inſuper confiteor in hac aut illa re, à me peccatum eſſe, quam ad rem tamen, ne ſit inutilis, ea narratio requiritur vt Confeſſarius peccatorum meminerit, aut certè ſtatus, & conditionis pœnitentis.

Quid ſi ob inueteratam peccandi conſuetudinem peccatorum numerus iniri non poteſt? Reſpondeo 1. pœnitenti laborandum eſſe, vt ea diligenti examine ſibi in memoriam reuocet. 2. Si hoc ei non eſt facile, ad peccati fugam, contra hanc integritatem,

satis esse reuocari ad hebdomadas, dies, horas, menses, dicendo, toties circiter peccatum esse, singulis diebus, septimanis, aut mensibus, quòd si est adhuc ea ratio pœnitenti difficilis, existimant aliqui, sufficere si voluntatem perseuerandi in peccato, Confessario indicet, cum consuetudine admittendi, quoties opportuna se eius dabat odcasio. Ita Anglez expresè de confessione, difficult. 3. quod in his maximè, qui odio proximi laborant, aut vitam duxere ab adolescentia libidinibus infestam, seruari expedit. Tamen quod de Graffiis asserit, eos qui peccatis longa consuetudine occalluerunt, statim absoluendos non esse, sed id beneficium ad mensem, aut spatium etiam aliquanto longius, viri prudentis arbitrio; protrahendum esse, ita tamen, vt septimanis singulis peccata sua iubeantur apud Sacerdotem deponere, vt sic per salutaria monita, opportunaq; remedia paulatim præparentur ad Sacramenti gratiam, quanquam quod de differenda absolutione dicit, non id vsquequaque mihi videtur esse probabile, nisi cùm metus est, ne ob longam peccandi consuetudinem pœnitenti desit necessarium emendandi sui propositum.

Quid si pœnitens incertum numerum, determinatum tamen pro certo est confessus, quem tamen subductis apud se rationibus repent maiorem aut minorē esse explicato? Si est hic excessus, aut diminutio modica, nihil est necesse de eo numero detrahere, aut ei aliquid addere in cōfessionibus sequent. v. g. confessus est quispiam se decies peccasse plus vel minus, & postea recordatur id se fecisse octies, vel duodecies, ad nihil obligatur, quia peccata illa duo, quatuor, aut pauciora, excluduntur à designato numero, aut in eo continentur: si autem notabilis est diminutio, si excessus magnus, vt si recordetur pœnitens vigesies se peccasse, vel sexies decies, vel ter tantùm, aut quinquies, ob contrariam causam in quorumdam sententia id explicare Confessario erit necesse, in mea nequaquam, quòd imminutio numeri peccatorum, de quib. quis est confessus, excusationis instar habeat, quæ cùm imperfectionem oleat, suadenda est nemini, secus sentiendum cùm ad explicata Confessario, multa adiicienda supersunt, quorum memoriam non habebat pœnitens, cùm ea primò est confessus.

Quæres 2. an qui tempus est confessus, quo in peccato perseuerauit, & postea numeri meminit, teneatur eum exponere. Respondeo, eius rei necessitatem nullam esse, cùm priori confessione, statum eius Confessarius abundè perspectum habuerit, quod sufficit iuxta Anglez, loco antè citato, de Graffiis num. 22. Neque id silendum, cùm peccata tam secundùm speciem, quàm numerum explicanda esse diximus, intelligi id oportere de peccatis, in genere moris, ac formaliter inter se distinctis, & non vt sunt entia physica, vnde necesse non est explicare species diuersas diuinationis, quibus est aliquis vsus, per aues, astra, somnia, &c. tanquam distincta specie peccata, quia hæc omnia eiusdem sunt speciei, in genere diuinationis & peccati, iuxta Caietan. verbo diuinatio in summa.

Notandum 2. cùm de integritate hîc agitur, de morali rem intelligendam esse, non mathemathica: erit mathematica, si pœnitens confiteatur omnia mortalia, nullo prætermisso, neque scienter, neque ex ignorantia, neque ex causa aut fine ea: est moralis, cùm omnia exponuntur quæ memoriæ post discussam conscientiam occurunt, & spectatis circunstantiis, iudicantur dicenda esse. Hoc ergo modo, non priore, confessionem integram esse oportere, probatur: Licet Superiori peccata reseruata excipere, inferiore ad Parochum remisso, pro non reseruatis, ægro similiter qui non potest ob infirmitatem omnia narrare Sacerdoti, vnū aliquod ei indicare sufficit, ab eoq; absolui de omnibus, quod est argumento integritatem mathematicā omnium peccatorum, non esse de necessitate Sacramenti: & quanquam sint hæc perspicua, lucis tamen, ac maioris intelligentiæ causa, explicanda quædam sunt dubia.

Dubium 1. An sit contra integritatem confessionis, confiteri vni mortalia, venialia alteri.

Nequaquā, causa est, quod nihil sit necesse, subiicere iudicio Confessarij venialia, ea ergo illius subtrahere notitiæ, Sacramento eiusque integritati non officit.

Confirm. Sunt quidem venialia Concilij & Doctorum opinione materia, ad absolutionem, sufficiens ac idonea, non tamen necessaria, ergo in cuiusque est arbitrio, ea si volet, declarare Confessario, si nolet, quid hic habet, quòd queri iustè possit, ac meritò, ea subduci foro suo, communicanda alteri? Scire deinde aueo, quæ literæ, qui Patres, aut Concilia, ea à confessione mortalium seiungi vetent? aut quando vni eidemque aperiri lege lata voluere? Errat ergo Sylu. confess. 1. num. 8. q. 6. cùm pœnitentem peccare mortaliter asserit peccato hypocrisis & mendacij, cùm duos sibi deligit homines, quorum vni committat mortalia, in hoc sacro conscientiæ tribunali iudicanda, quia sibi Confessarius imputet si se illudi sinat, temereque ac sine causa, pœnitenti suo, notam probitatis ac innocentiæ affingat. Suar. tom. 4. in 3. part. disp. 21. sect. 1. num. 12. Laym. lib. strac. l. 6. ca. 8. num. 14.

Dubium 2. An qui est confessus numerum certum, non dicendo plus vel minus, teneatur fateri postea peccata illa, quæ tali numero non sunt comprehensa.

Omnino, quia in priori confessione neque expresè, neque simpliciter fuere expressa, ergo in sequenti non sunt tacenda, Suarez suprà disp. 22. sect. 5. num. 38. causa est quòd mortalia omnia post Baptism. commissa, iure diuino, per se necessariò sint explicanda quoad species morales, & singillatim quoad numerum, quantum fieri potest humanitùs, Trid. sess. 14. can. 7. ergo si vnum vel plura, particulatim non sunt manifestata Confessario, eidem cessante impedimento sunt narranda, propterea quòd absolutio ab iis directè & secundum speciem data non sit, sicuti natura, seu institutio huius Sacrmenti postulat.

Dubium 3. Quænam integritas in confessione per se ac directè ad Sacramēti huius essentiam pertineat. Confessionis integritas est duplex, materialis vna, formalis altera: materialis est, cùm pœnitens omnia peccata mortalia secundum speciem & numerum ab vltima sua confessione admissa, Sacerdoti in Sacramento explicat: formalis est, cùm omnia confitetur, quæ moraliter hîc & nunc potest, & debet, multa enim sunt tempora, vt dicetur postea, in quibus omnis est honesta ratio pœnitenti, dimidiandæ confessionis, quæ tamen eius integritatem formalem non impedit.

Dico ergo, *ad essentiam Sacramenti huius non pertinere, quòd confessio integra sit materialiter.* Quia stare potest, etsi illa non omnia Sacerdoti singillatim quoad speciem & numerum explicentur. Requiritur ergo formalis integritas sola, cùm adest, sufficit: partis primæ hæc est causa, quòd hoc Sacramentum

mentum conſiſtere cum ſacrilegio nequeat, quia ad eius ſubſtantiam, per ſe requiritur ſaltem attritio: hæc autem cum peccato actuali, eſſe poſſe quis putet? vera ergo eſt Maior: ſed quæ confeſsio non eſt formaliter integra, eſt eadem quoque ſacrilega, nam præcepto diuino, tenetur quiſque confiteri de mortalibus omnibus, quorum meminit, niſi iuſta eum cauſa à tali confeſsione inſtituenda diſpenſet, à quo præcepto abit, qui non integrè formaliter confitetur, proindeque non ſine ſacrilegio, cùm talis præcepti trãſgreſsio indirectè redũdet in defectum Sacramenti, nempe, vt non ſuſcipiatur validè, verum eſt ergo, Sacramenti huius eſſentiam ruere, niſi formali confeſsionis integritate ſubſiſtat, quam ſufficere vt credam ab hac maximè inducor ratione. Quod aliam Chriſtus non exigat, quòd transgreſsio præcepti diuini, cuius eſt hic author, culpæ ſit expers, cùm eius violandi iuſta cauſa ſubeſt, vt enim eo ſanctius nihil eſt ac melius, leges ſuas cuſtodiri ab homine cum detrimento ac incommmodo aliquo non poſtulat, ergo nec præceptum de integritate in confeſsione adhibenda.

A

Dubium 4. Ab integrè confitendo materialiter, quid excuſet, & quos?

Faciendæ Confeſſionis integrè impedimenta ſunt tria, naturale, morale & legale, naturale ortum habet à cauſa naturaliter neceſſario operante, & ſub hoc impedimenti genere continentur tria, ignorantia vel obliuio, infirmitas, & linguæ, ſeu membri ad explicationem ſui neceſſarij priuatio excuſat ignorãtia, tam iuris quã facti inuincibilis, non craſſa & affectata, quia ignorantia tam legis, quæ Confeſsionem integram præcipit quam facti, puta quòd actio ſit mala, ac manifeſtanda Confeſſario, notitiam adimit, ſine qua, quid eſt voluntarium? quid deliberatum in rebus humanis? quid vitio tribuendum homini? ſi ergo abſque mortali negligentia, pœnitens memoriam non habet peccati commiſſi, fructuoſe Sacramentum recipiet, dummodo confiteatur reliqua.

Secundo excuſat infirmitas, confitenti ſuperueniens, & quidem talis, vt vſum ei rationis, aut linguæ adimat, tunc enim ſi vel vnicum peccatum veniale claui ſubiiciat, abſolui poterit.

Tertio, excuſat impotentia explicandi ſui, quod multis modis accidit. 1. ſi pœnitens eſt mutus. 2. ſi impeditæ ac balbutientis linguæ. 3. ſi ignoti idiomatis, Lopez par. 1. inſtit. cap. 27. Henriq. lib. 5. cap. 12. 4. ſi in phreneſim repentinam incidat, & ſit periculum ne breui moriatur. 5. ſi peſte laboret, ſi conflictus cum hoſte imminet, ſi metuitur naufragium, nec res moram patitur Coninch. diſp. 7. num. 74. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 9.

Impedimentum morale, eſt id omne quod in ratione vtilis, aut nociui, confeſsionem dimidiandam eſſe ſuadet, cuiuſmodi eſt damnum omne, tam corporis, quam fortunarum, & animæ, quod timetur tam ſibi, quam alteri, ex manifeſtatione peccati ſui facta confeſſario, Sylu. verbo confeſſ. 1. q. 8. Suar. diſp. 23. ſect. 2. ratio eſt, quod tunc lex poſitiua de Confeſsionis integritate, iuri naturali cedat, Chriſto ſeruatore permittente, ne metu futuri ſcandali, aut recipiendi alicuius incommodi ab obeunda confeſſione, loco ac tempore, neceſſario, auocari mortales accidat.

Impedimentum legale, eſt eorum, qui caſus reſeruatos habent, quòd ei nomen ideo inditum creditur, quod lege Eccleſiaſtica remitti illos oporteat, ab eo, qui hos iuris ſui, ſorique eſſe voluit, aut ſi ab alio, non niſi de eius licentia.

B

Dubium 5. An qui ex iuſta cauſa reticuit peccatum, teneatur ſtatim, oblata occaſione illud confiteri. Nequaquam, quia ea de re nullum eſt præceptum, nec diuinum, nec humanũ: non humanum, quia eius exequendi tẽpus proprium, lege Eccleſiæ, Paſchate eſt circunſcriptum, non diuinũ, quia nulla redeundi, cum Deo in gratiam per Sacramentum homini neceſsitas intercedit, ſimul ac peccato obligatum habet animum, ſed tantùm ſub vitæ finem, aut ex quorumdam ſententia aliquoties, dum eſt hæc ſuperſtes.

Confirm. Ad vitandum peccatum in hac materia, ſufficit ſua peccata ex forma Eccleſiæ, narraſſe Confeſſario in Paſchate modo meliori quem ratio patitur: at qui ex iuſta cauſa peccatũ aliquod in confeſsione tacuit, eius integritati morali fecit ſatis. Nugnus tom. 2. in 3. p. 6. art. 3. diff. 6. Candid. de conf. diſq. 24. art. 24. dub. 14. ei ergo confeſsionis tempus anni inſequentis anteuertere nihil eſt neceſſe, vt peccatum quod ex cauſa tacuit, Confeſſario explicet. Secus tamen de Sacerdote ſentiendum eſt, ei enim à Conc. præcipitur, ſeſſ. 13. cap. 7. *vt ſi neceſſitate vrgente abſque præuia confeſsione celebrauerit, quam primùm confiteatur*, non autem laicis, quòd ad eos duntaxat extendatur lex eccleſiaſtica, quorum meminit, nullo modo ad alios.

Dubium 6. An reticere peccatum aliquod pœnitenti ſit permiſſum, ne de eo Confeſſarius minùs probè ſentiat. Nequaquam, ita Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. §. ad quartum. Bonac. de Sacram. diſp. 1. q. 5. ſect. 6. punct. 2. §. 4. num. 12. Ratio eſt, quòd peccatorum explicatio, iacturam famæ neceſſariã habeat, cùm ex ea quaſi per ſe, & immediatè ſequatur apud Confeſſarium opinionis de probitate pœnitentis imminutio, & tamen eam non obſtante hoc incommodo Chriſtus integrè fieri voluit, ergo, &c. Addo ne quidem ob ſuſpicionem, aut metum leuem ſecuturæ infamiæ quidpiam in confeſsione cælandum, quia cùm præceptum integrè confitendi poſſideat, in dubio in ipſius eſt fauorem, iudicandum. Henriq. de pœnit. cap. 12. num. 5.

C

Dubium 7. Quinam gradus inceſtus in confeſsione explicari debeant. Eſt inceſtus vniuersè duplex, proprius vnus, improprius alius, ac non niſi analogicè, & per ſimilitudinem appellandus hoc nomine, proprius talis eſt ex parte rei, nempe quia peccatur cum conſanguinea, in gradu iure naturæ prohibito, improprius ortum habet, ex copula quæ legibus eccleſiaſticis duntaxat, eſt prohibita ſaltem ſub ea conſideratione, qua dicitur eſſe inceſtus, eiuſque ſpecies ſunt duæ, legalis vna, ſpiritalis altera, pro huius ergo quæſtionis intelligentia ſit

D

Prima Aſſertio. *In confeſsione non neceſſariò explicandus eſt gradus alius conſanguinitatis carnalis, quàm qui iure naturæ contractum matrimonij irritat.* Ita D. Thomas 2. 2. q. 164. art. 9. ad 2. Angelus verb. confeſſio 1. num. 30. Sà verbo confeſſio num. 19. Rodriguez lib. 2. ſummæ, caſu, 208. num. 3. Henriquez lib. 5. cap. 18. §. 1. litera F.

E

Probatur. Circunſtantiæ, quæ tantùm in eadẽ ſpecie aggrauant, non ſunt neceſſariò explicandæ in confeſſione: at gradus alij ab aſsignato, tales ſunt, gradus enim conſanguinitatis, in quibus contrahere Eccleſia prohibet, in hoc omnes conueniunt, quòd ſint contra eius prohibitionem, quod autem ſint hic aut ille 1. 3. 4. 5. ſunt circunſtantiæ tantum aggrauantes. Probatur, ratio ſecundi 3. aut quarti in ordine qui inter eos cernitur, non dat nouam naturam, & ſpeciem, ergo eſt tan-

tum accidens: accidentia autem, intra eandem ſpeciem, aggrauantia taceri in Confeſſione poſſunt ſine culpæ lethalis conſcientia, Contraria tamen ſententia eſt valdè probabilis, & in praxi tutior, quam defendunt Nauar. ca. 7. Enchir. num. 4. & cap. 16. Valentia tomo 3. diſp. 9. q. 3. puncto 3. Suarez tomo 4. diſp. 22. ſect. 4. num. 7. confeſſionem peccati admiſſi contra aliquem de gradibus citatis, videri ſibi neceſſariam, ſequendo tamen primam ſententiam ſufficit pœnitenti dicere, quod cùm conſanguinea copulam habuerit in gradibus ab Eccleſia prohibitis, in quo autem, vel quibus, nihil eſt neceſſe: accidentia enim quæ ſpeciem non mutant, non neceſſario explicanda ſunt in Sacramento, ac peccare cùm conſanguinea, in tertio, aut quarto gradu, merum eſt accidens, ergo, &c.

Secunda Aſſertio. *Non alius gradus, in conſanguinitate eſt prohibitus iure naturæ, quam primus, tam aſcendentium, quam deſcendentium, in linea autem tranſuerſali inter fratrem & ſororem.*

Henriquez lib. 5. Sanchez 7. de Matrimonio diſp. 52. num. 12. cauſa eſt, quod in aliis gradibus tranſuerſæ lineæ, diſpenſet Pontifex, facere id verò non poſſet, ſi de iure naturæ eſſet, Matrimonium in iis non contrahi.

2. (quod eſt argumentũ Sanchez loco citato) Innoc. 3. in cap. gaudemus de diuortiis ſtatuit ſeparandos non eſſe infideles tempore infidelitatis inter ſe coniunctos, per Matrimonium, in ſecundo gradu, & vlterioribus, ergo è contrario ſenſu, vult in primo lineæ tranſuerſæ, inuicem nexos, ſeparandos eſſe, eſt ergo contra ius naturæ, Matrimonium contractum in hoc gradu, non aliis.

Tertia Aſſertio. *Non neceſſe eſt perſonas nominare, cum quibus eſt peccatum patrem v. g. aut fratrem, vel contra, ſed ſufficit dicere filiæ, in primo gradu violaſſe ſe continentiam.* Ita Caiet. 2.2. q. 154. art. 9.

Quia aliena ſcelera, ſilentio ſunt premenda, ſi propria ſacerdoti exponi poſſunt, illis non vulgatis, nam conſorti nocere pœnitens non debet, alioqui lædi ſe charitas eiuſmodi narratione ſuperflua, ac inani queri poſſet, quod cuique eſt vitandum, ſed qui violatæ pudicitiæ cum propinquo, eſt reus, culpam ſuam confeſſario narrare aliter poteſt, quam nominando perſonam, cum qua eſt peccatũ, ſi dicat rem ſibi fuiſſe cum aliqua in primo gradu, eſt hæc ergo, accuſandi ſui amplectenda ratio.

QVÆSTIO XIII.

An circunſtantiæ peccatorum explicandæ ſint & quæ.

PEccati cuiuſlibet fere ſeptem ſunt circumſtantiæ:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando

Quis, perſonam ſignificat, *quid*, obiectum peccati, quantitatem, & qualitatem, *vbi*, locum, *quibus auxiliis*, media, ſocios, inſtrumenta, *cur*, finem *quomodo*, quibus artificiis, *quando*, tempus.

Eſt autem inter has circunſtantias differentia, quod earum quædam ſpeciem peccati mutent, vt eſt furtum in templo, aut rei ſacræ, aliæ tantum aggrauent, vt eſt furtum 100. aureorum, quod non diſtinguitur ſpecie, à furto vnius aurei. Nec id non noſſe conuenit, ad propoſitæ quæſtionis notitiam, circunſtantiam nobis ac Theologis dici, quod circunſtat admiſſam culpam, eiuſque ſubſtantiam ac naturam afficit, quod accidit variè.

1. Ita vt ſubſtantiam phyſicam actus, ex ſe indifferentem, in genere moris, conſtituat in aliqua ſpecie morali malitiæ, vt ſi ludus, aut cantus, quæ opera de ſe ſunt adiaphora, referantur à ludente ad oppugnationem alienæ pudicitiæ, ab hoc enim fine, trahit actio indifferens, luxuriæ malitiam.

2. afficit circunſtantia, ita vt ex actu bono moraliter, malum reddat propter ſcandalum, vel finem extrinſecum malum, ad quem refertur.

3. afficit circunſtantia, malitiam vnius ſpeciei, transferendo in aliam, quo modo fornicatio cum coniugata, non tantùm eſt fornicatio, ſed adulterium, vni nempe malitiæ, ſuperaddita alia.

4. afficit non mutando ſpeciem moralem actus, vel aliam ei ſuperinducendo, ſed illam augendo, minuendo, vel alio modo intrinſecè afficiendo, intra eandem ſpeciem.

Notandum 3. circunſtantias has vltimas propriè ſibi nomen vindicare circunſtantiæ, quæ enim principio ſunt poſitæ, rationem potiùs habent ſpecificantis principij & obiecti, quã circunſtantiæ.

Notandum 4. Circunſtantiarum quæ accidentaliter tantum, afficiunt intra eandem ſpeciem, actum malum, quatuor eſſe differentias.

Primum genus eſt earum, quæ peccatum tantum intra eandem ſpeciem venialiter aggrauant, vt eſt peccare liberius, ob ſpem veniæ impetrandæ.

Secundum eſt earum quæ culpam ſimiliter venialiter minuunt, vt quod quis ad peccatum illectus fuerit, pollicitis.

Tertium eſt earum quæ ſunt planè impertinentes, vt quæ nec augent, nec minuunt, vt quòd occiderit manu dextra, vel ſiniſtra, pugione, vel enſe, &c.

Quartum genus, eas circunſtantias complectitur, quæ intra eandem ſpetiem, notabiliter aggrauant, vt eſt quantitas, v. g. rei acceptæ in furto, iam ergo indagandum, an hæ circunſtantiæ omnes, an aliquæ tantum, narrandæ ſint confeſſario.

Prima Aſſertio. *Explicandæ ſunt circunſtantiæ omnes quæ ſpeciem mutant, aut nouam addunt ei, quæ petitur ab obiecto.*

Ita Doctores omnes qui conſuli poſſunt apud Suarem tomo 4. diſp. 22. ſect. 2. num. 3.

Cauſa eſt, prima, quod ſine earum notitia, nec pœnitentis ſtatus cognoſci, nec à iudice, pro merito ſententia condigna poſſit ferri.

2. Quod peccata ſpeciè differentia, ac numero, inſtituto Chriſti, ſacerdoti ad veniam obtinendam, exponi debeant, ergo & circunſtantiæ ſpeciem mutantes.

Secunda Aſſertio. *Nihil eſt neceſſe Confeſſario prodere circunſtantiam, quæ venialiter tantum auget, aut minuit malitiam, quæ actui ex obiecto conuenit.* Nauar. cap. 6. Enchir. num. 4. Quia eadem eſt iſtius circunſtantiæ ratio quæ peccati venialis, at hoc non neceſſario explicandum eſt confeſſario, ergo nec circunſtantia augens, aut minuens intra terminos culpæ leuis.

Tertia Aſſertio. *Circunſtantiæ quæ ſunt impertinentes omitti in Confeſſione debent.*

Quia cùm ad rem non faciant, bonum otium conſumere, non modo inutile eſt, ac turpe, ſed etiam Confeſſario graue ac ſæpe aliis pœnitentibus, qui expectant exitiabile, cùm non niſi ægrè, conſtantiam ac patientiam ſeruent ante Confeſſarium. Quid de aggrauantibus intra eandem ſpeciem, & id pluſquam vulgariter ſit dicendum, iam ſcrutari lubet.

Digitized by Google

Prima ſententia eſt Altiſſiodorenſ. lib. 4. ſumm. A tract. 6. cap. 3. q. 3. apud Sylu. confeſſio 1. q. 9. Soti in 4. diſt 18. q. 2. art. 4. Alexand. Halenſis 4. parte q. 77. membro 3. parte 2. art. 2. Caietan. in ſumma, confeſſio verb. confeſſio, conditione 15. Eas ſic manifeſtandas eſſe, vt vel vnius occultatio, ſit Sacramenti abrogatio.

Contrariam tenent D. Thom. in 4. diſt. 16. q. 13. art. 2. quæſtiuncula 4. Sylu. verb. confeſſio, q. 9. Medina de confeſſione, q. 7. Nauar. in can. conſideret de pœnit. diſt. 5. num. 6. Reginald. tom. 1. lib. 6. cap. 4. num. 133. & alij pro cuius explicatione ſententiæ ſit B

Quarta Aſſertio. *Ex vi præcepti de confeſſione obeunda integrè, nemo tenetur confiteri eas peccatorum circunſtantias, quæ malitiam peccati intra eandem ſpeciem augent, vel minuunt notabiliter, etſi ſe facere, & bonum ſit & laudabile.* Quia iure diuino nemo tenetur confiteri, niſi peccata mortalia, ſpecie, & numero differentia: ſed circunſtantiæ aggrauantes non ſunt peccatum, ſpecie aut numero diſtinctum à re. cuius ſunt circunſtantiæ. Maior eſt certa ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. Minor probatur. Peccatum eſt dictum, factum vel concupitum contra, vel præter legem Dei, ergo ſi aliqua circunſtantia ſpeciali præcepto non prohibetur, non eſt ſpeciale peccatum: ſed non datur ſpeciale præceptum, quo furtum 100. aureorum prohibeatur, diſtinctum ab C eo, quo furtum in materia graui vetatur.

Probatur 2. Intenſio actus, eiuſque duratio, circunſtantiæ ſunt de earum genere, quæ propriæ ſunt circunſtantiæ, malitiam actus augentes intra eandem ſpeciem, cùm haud dubiè maius ſit peccatum, ac demeritum eius qui per diem integrum hæret in odio actuali Dei, quàm eius, qui ei, momento tantum temporis acquieſcit, at nemo confiteri ſolet hanc circunſtantiam, nec de ea ſolemne eſt Confeſſarijs eruditioribus interrogare pœnitentes, vel ſi faciunt, non fit id ab iis, niſi vt ex duratione deprehendant, an peccatum mortale ſit, vt in delectatione moroſa, vel quia iudicant non ſatis poſſe aliter explicari numerum peccatorum, ex interruptione, vt cùm quærunt quandiu pœnitens latrocinium exercuit. D

Tertiò, cùm præceptum confeſſionis per ſe ſatis oneroſum ſit & graue, in eam obligatio induci nulla debet, quàm quæ ex eius inſtitutione, Chriſti voluntate, Conciliis, aut traditione colligi poteſt: ſed circunſtantiarum explicatio, onus eſt vix tolerabile homini, de cuius tamen neceſſitate nihil ſcripſere Patres, & Concilia, quin imò videtur Tridentinum monere, eas eſſe tacendas, quæ non niſi intra eandem ſpeciem aggrauant, cuiuſmodi ſunt ea de quibus in præſenti loquimur, cùm enim eatum meminerit, quæ actum in aliam ſpeciem transferunt, ac numeri peccatorum, quem vult explicari Confeſſario nihil tacitè innuit ad aliud nos obligari E hoc præcepto, alioqui id dixiſſet, vt dubitandi cauſam omnem tolleret.

Patet hinc non neceſſariò exponendam eſſe durationem culpæ, niſi eius explicatio ad eius iterationem cognoſcendam ſit neceſſaria, ſecundò nec neceſſe eſſe confiteri intenſionem operis, vt quo quiſque v.g conatu rem alienam occupauerit. Tertiò, nec tempus, vt quod quis die feſto ſit furatus. Quartò, nec locum in quo quis peccauit, vt ſi de aliena fama detraxit in templo. A qua tamen regula excipiendus caſus, in quo loci circunſtantia ſpeciem mutat, ſed tunc non tam cenſenda eſt eſſe circunſtantia dicti actus, quàm obiectum illud ſpecificans. Quintò, nec perſonæ circunſtantiam, vt quòd ſit Sacerdos, vel laïcus, niſi in caſu quo ab eius conditione traheret, admiſſa culpa, deformitatem ſpecialem, vt in materia luxuriæ, reſpectu Religioſi Presbyteri, aut Clerici maiorum Ordinum.

Obiicies 1. Non cognitis circunſtantiis augentibus intra eandem ſpeciem, non ſatis eſt Sacerdoti pœnitentis ſtatus cognitus, nec proinde niſi valdè imprudenter & temerè ei culpis ſuis parem poteſt pœnitentiam imponere.

Reſpondeo, negando Antecedens, Cognitio enim illa, quæ Sacerdoti eſt neceſſaria ad iudicandum de pœnitentis ſui ſtatu, non debet eſſe exactiſſima, ſufficit ſi ſit tanta, quantam obtinere poteſt Confeſſarius per confeſſionem peccatorum ſpecie & numero differentium, qualis hæc eſt, cùm pœnitens confitetur ſe admiſiſſe furtum mortale.

Obiicies 2. Qui hora vna non interrupta peccat, tam grauiter delinquit atque ſi idem peccatum bis aut ter illo tempore repeteret, ſimiliter qui furatur 100. aureos, vni tam peccat, quàm qui duobus aut tribus eandem ſummam auertit, ſed qui peccata numero vel ſpecie diuerſa admittit, tenetur ea Confeſſario exponere, ergo & circunſtantias intra eandem ſpeciem aggrauantes.

Neganda eſt Conſequentia, quia obligatio confitendi circunſtantiam & peccata, eſt à voluntate Chriſti nobis ſufficienter declarata, vt eruditè docet Reginald. tomo 1. lib. 6. cap. 4. num. 136. Ergo cùm talis voluntatis obligandi homines ad explicationem circunſtantiæ augentis intra eandem ſpeciem, argumentum nobis nullum ex Scripturis, Eccleſiæ traditione, vel ratione vlla firma, aut ſtabili ſuppetat, ad eam obligandi temerè non ſumus.

Obiicies 3. Ideo peccata ſpecie differentia ſunt explicanda Confeſſario, vt de iis ac ſtatu pœnitentis diiudicare queat, ac pœnitentiam iniungere illis vtcumque æqualem, at facit hæc ratio pro circunſtantiis augentibus intra eandem ſpeciem. Minor eſt neganda ob cauſam ante explicatam.

QVÆSTIO XV.

Quæ ſint circunſtantiæ peccati ſpeciem mutantes.

PRima Aſſertio. *Circunſtantia,* Quis, *mutat ſpeciem, proindeque eſt explicanda in confeſſione, quando peccans facit contra votum ſuum, aut Ordinem ſacrum, & ita ratione ſtatus ſui, aut voti, contra quod agit, reperitur in actu eius ſpecialis macula Sacrilegij.* Probatur. Ratio peccati conſiſtit in macula morali, quæ formaliter non eſt aliud, quàm priuatio rectitudinis quæ debebat ineſſe actui, ergo ſpeciale peccatum, eſt in ſpeciali macula, ergo circunſtantia, *quis*, tunc mutabit ſpeciem peccati, quando à perſona quæ illud admittit, propriam habet, ac diſtinctam maculam, qualem cenſenda eſt continere, cùm eſt contra votum, aut Ordinem ſacrum.

Secunda Aſſertio. *Perſona circunſtantia eſt explicanda, cum quidpiam admittit, aut facit, contra obligationem quæ eſt ex officio, aut contractu propria:* Qua tunc præter malitiam quam ab obiecto trahit, aliâ quoq; habet iuſtitiæ oppoſitâ. Ita milites prodentes ciuitatem duplex peccatum admittunt, & cuſtodes agrorum tenentur in confeſſione dicere, ſe contra fidem datam, ac iuſtitiam, permiſiſſe vaſtari

vineas, aut agros, eorum custodiæ commissos, fidem quidem, quia receperant se eorum curam habituros, iustitiam autem, quia ideo stipendia eis numerata habebant, à ciuibus, ad quos ea vineæ pertinent.

Assertio tertia. *Circunstantia* Quid *mutat speciem, quando ratione quantitatis, aut qualitatis obiecti circa quod peccatur, actio quæ alioquin venialis fuisset, propter exiguitatem materiæ intra obiectum, fit mortalis ob eiusdem grauitatem.*

Mutat item hæc circunstantia speciem peccati, cum obiectum habet specialem qualitatem, à qua actio, quæ circa illud versatur, specialem mutuatur malitiam, diuersam ab ea, quæ eidem conuenit à prædicto obiecto. Ita dicendum est pœnitenti, quod rem sacram sit furatus, quod Clericum, aut parentem percusserit, quod persona cum qua peccauit, votum castitatis emiserat, quia à qualitate obiecti, circa quod peccatur, actio specialem habet malitiam trahit.

Quarta Assertio. *Circunstantia* Vbi *mutat naturam peccati in duobus casibus.*

Primus est, cum actio directe repugnat sanctitati loci, vt si res dicata templo, aut ad illud delata, quo securior foret, capiatur, aut inde extrahatur, quia sic violatur locus sacer, vel potius Deus, cuius fidei & custodiæ, res commissa erat, in quantum loco religioso præsidet. *Eos sanè*, inquiunt Pat. in Conc. Arausic. *qui ad Ecclesiam confugiunt tradi non oportet, sed loco sanctæ reuerentia, & intercessione defendi*, can. 4.

Secundus casus, in quo, circunstantia *vbi* mutat naturam peccati, est, cum actio vitiosa ob locum, est prohibita speciali præcepto, vt est effusio sanguinis, & seminis, per quam locus religiosus polluitur, vt habetur in cap. significasti 5. de adulteriis, vbi Alex. 3. significat sacrum locum adulterio fœdatum per aspersionem aquæ benedictæ reconciliandum esse. Ita autem rem habere, vt dicimus indicat hæc ratio. Facere contra præceptum Ecclesiæ in re graui, est mortale, nec proinde tacendũ in Confessione. Sed ex hypothesi Ecclesia, speciali præcepto mandat haberi curam templi, ac reuerentiæ maioris causâ, nihil in eo fieri quo eius sanctitas lædatur ergo si secus fiat, peccabitur, cum obligatione explicandi talis peccati in Confessione.

Vltima Assertio. *Circunstantia finis, quæ explicatur particula* Cur *est explicanda, cum quis peccando finem aliquem intendit, qui continet malitiam distinctam à malitia medij.*

Vt si quis furetur vt habeat vnde oppugnet castitatem Virginis, si occidat, vt euiscerando mortuum, dæmonem consulat, ratio est, quia medium in hoc casu duas habet malitias, primam quæ petitur ab obiecto, alteram à fine, & ambæ sunt inter se diuersæ. Reliquæ sunt circunstantiæ duæ numero, de auxiliis, & modo, prima explicatur his vocibus, *quibus auxiliis*, altera, istâ, *quomodo*. Et prima speciem mutat, quando media, speciali sunt lege prohibita, ab ea, qua prohibetur finis, vel certe quando finis non prohibetur, sed media, vt accideret si quis incantationibus vellet ditescere, possidere enim plurima, non est peccatum ad id autem, niti superstitionibus, aut magia, vitiosum est ac turpe.

Altera, speciem item mutat, quando fit aliquid cum conscientia erronea, quod putatur esse mortale, cum tamen non sit, nisi veniale. Circa prædicta.

A Dubitatur primò. *An de his circunstantiis mentionem in Confessione fieri oporteat, quando hæ non fuerunt in actum redactæ, sed tantùm voluit v. c. consensit virgo interius ad stuprum, quod tamen consummatum non fuit, quæritur an teneatur in Confessione dicere se esse Virginem.*

Affirmat Nau. negat Sotus, & meo iudicio melius, quia vt dicemus alias, ratio stupri, violentiam exigit, quæ hic est nulla, quare communis est opinio, stuprum non admitti, cum vltro ac sponte, nec coacta, virgo in libidinem consentit. Less. lib. 2. de instit.

Dubitatur secundò. *An sacerdos qui in malo statu multos communicauit teneatur in Confessione exprimere numerum eorum quibus Euch. impertiit.*

B Certum est cum peccare mortaliter qui Eucharistiam mortalis peccati mortalis conficit. Quia conficiens Sacramentum tenetur se conformare Deo primo eius authori, secundum eam rationem, qua in eo operatur gratiam, insuper & Sacramento ipsi, quatenus sanctificat. Atqui vtrumque fit per sanctitatem, & gratiam, ergo consecrans sanctus similiter esse debet per gratiam, & vacuitatem à culpa.

Difficultas est, quando ministrans, Sacramentum non conficit, sed præsentes duntaxat communicat hostiis, quæ consecratæ antea fuerant, ab alio.

Et prima sententia est, eum tunc non peccare, quam tuentur Vasq. in 3. part. to. 2, disp. 136. cap.
C 3. num. 38. Crucius in direct. Confess. par. 2. q. 4. dub. 3. conclus. 1. Diana de circunst. resol. 41. Fundamentum eorum est, quod qui ministrat. Euchar. consecratam, minister non sit Dei ad iustificationem proxime, vt in aliis Sacramentis, sed tantùm applicans actiua passiuis.

Secunda contraria, eaque probabilior defenditur à Filliuc. to. 1. tract. 4. cap. 9. num. 271. Ægid. q. 64. art. 6. dub. 1. num. 35. & nititur hac ratione, quod ministrare Sacramentum impuris manibus, & mente corrupta per peccatum, sit contra sanctitatem & reuerentiam Sacramenti, quod non debet censeri culpa leuis.

An autem dictus Minister tot peccata committat quot personas communicat, disputatur à Theol.
D & affirmatiuam tenet Ægid. loco ante citato.

Alij vnum tantum esse aiunt in genere moris, cuius opinionis assertores sunt, simulque defensores Tanner. in 2. 2. disp. 4. q. 2. dub. 4. num. 56. Henriq. lib. 5. cap. 5. num. 6. Ratio eorum est, quod qui ad sacram mensam accedunt, sint instar vnius, omnesque collectim sumpti, habeant rationem vnius obiecti, non plurium, ex quo fit vt non sit nisi vnum peccatum mortale, illis omnibus Sacramentum Eucharistiæ distribuere. Qui secus sentiunt sic disputant, tot sunt peccata, quot sunt actus, quando actio versatur circa terminum definitum, & in eo consummatur, & finitur, sed actus communicandi habet suum terminum definitum, in quo
E perficitur & completur, ergo, &c. vtraque sententia est probabilis, tutior tamen prima.

Dubitatur tertiò. *An fur teneatur exponere summam pecuniæ quam est furatus.*

Affirmant Gab. Vasq. in 3. part. to. 4. q. 91. art. 1. dub. 3. Megala in 1. part. lib. 5. cap. 12. Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2.

Negant Fagundez de præceptis tract. 2. dub. 4. cap. 4. num. 2. Diana de Circunst. aggrauant. resol. 14. eorumque opinio mihi videtur esse verisimilior, causa est, quod ad impletionem officij, sit satis,

pœnitentem, culpas ſuas omnes mortales, ſpecie & numero differentes, exponere, id facit, qui ſacerdoti ſignificat, furatum ſe eſſe in ea quantitate, quæ ad mortale ſufficiat, ſic enim, hic ſtatum pœnitentis, quantum eſt ſatis, cognitum habet, ergo nihil exigere præterea ab eo poteſt, quod ſit neceſſarium, ad illum abſoluendum.

Obiicies. Circunſtantiæ ſpeciem mutantes, ſunt explicandæ Confeſſario, ergo & augentes. Conſequentia eſt neganda: Diſparitatis hæc eſt cauſa, quòd peccata pœnitentis omnia, tam numero, quàm ſpecie differentia oporteat eſſe cognita Confeſſario, ac proinde etiam circunſtantiam, quæ ſpeciem mutat, cùm ab ea mutatione habeat, vt ſit peccatum ab aliis diſtinctum, quod de circunſtantia augente intra eandem ſpeciem dici nequaquam poteſt, cùm non ſit peccatum, ab eo cui accidit diuerſum, nec proinde eiuſmodi, quod videatur neceſſariò eſſe exprimendum.

Sunt tamen caſus nonnulli, in quibus circunſtantia augens Confeſſario non eſt tacenda. Primus eſt, cùm peccatum ob quantitatem, aut aliam circunſtantiam quæ ei aduenit, eſt reſeruatum, vt ſunt ingentia furta, ædium incendia quæ in multis Prouinciis reſeruata ſunt Epiſcopis.

Secundus eſt, cùm de obligatione reſtituendi, imponenda furi, conſtare non poteſt, non cognita quantitate rei per eum ablatæ, aut ſi conſtat, non tamen de eius facilitate, aut difficultate.

Tertius, cùm Confeſſarius pœnitentem de eo interrogat ob iuſtam cauſam, puta, quia putat ſpiritale aliquod incommodum imminere pœnitenti, ex eius circunſtantiæ ſilentio. Sylu. verb. confeſſio 1. q. 9. Regin. tom. 1. lib. 6. cap. 4. num. 113.

Patet ex dictis. Sacerdoti qui peccauit cum fœmina, ſatis eſſe dicere, ſe teneri voto caſtitatis, reticendo, quòd ſit Religioſus, aut Sacerdos. Quia cùm votum ſolemne non diſtinguatur à ſimplici, ſatis peccatum ſuum explicat, exponendo, quòd voto caſtitatis obligatus hæreat.

Patet 2. nihil eſſe neceſſe Sacerdoti, qui ſtuprum pœnitenti ſuæ volenti intulit, circunſtantiam hanc exponere. Quia circunſtantia pœnitentis non mutat ſpeciem, ſed eam notabiliter aggrauat. Ita Pontius in impedim. Matrim. cap. 14. parag. 2. Sancius in ſelectis diſp. 11. num. 3.

Dubitatur 4. *An qui in peccato mortali confeſſiones excepit, teneatur exponere Confeſſario numerum pœnitentium, quos in tali ſtatu abſoluit.*

Affirmat Azor. part. 1. lib. 4. cap. 4. q. 6. Suar. 3. part. tom. 4. diſp. 22. ſect. 1. num. 55. & alij apud illos. nec ſine magna probabilitatis ſpecie.

Contraria tamen opinio in praxi eſt tenenda, quam propugnat Rodrig. in ſumma, to. 2. cap. 44. & prob. Quia in genere moris, omnes illæ confeſſiones, non faciunt niſi vnum peccatum continuũ, maximè quando inter eas non interiacet magnum interuallum temporis, tũc enim cenſentur eſſe continuæ, ac ab inuicem non diuiſæ, ſufficiet ergo in eo caſu dicere Confeſſario, ſe in malo ſtatu confeſſionibus audiendis dediſſe operam, abſque eo quòd ſit neceſſe indicare eorum numerum, quibus in eo genere accommodauit operam ſuam.

Dubitatur 5. *An pœnitens teneatur dicere opus ſe feciſſe, quod duplici lege erat prohibitum.*

Senſus eſt, an opus eſſe præceptum, aut prohibitum duplici lege, ſit circunſtantia explicanda in confeſſione.

Dico primò, *quòd res ſit à pluribus prohibita, circunſtantiam non eſſe, cùm prædicta res omittetur, quæ in confeſſione explicari debeat*: Quia actio non habet bonitatem, aut malitiam ſuam, à præcipientibus ergo nec ex eo quòd ſint plures, qui eam prohibent, aut imperant, multiplicem habet bonitatem, ergo nec malitiam, cùm omittitur contra eorum præceptum, qui illam fieri voluerunt, aut omitti.

Confirm. Tam iure diuino, quàm humano, furtum eſt prohibitum, & tamen non eſt niſi vnum peccatum, ergo quòd diuerſi idem præcipiant, aut vetent, peccatum non eſt multiplex.

Dico 2. *Cùm per præcepta imponitur diuerſa obligatio, etſi tantùm numero diuerſa, eorum facienda eſt in confeſſione mentio.* Quia facere contra diuerſas obligationes, non eſt vnum peccatum, ſed multa, patet in coniuge mœchante cum coniugata, quem duplex peccatum admittere, non eſt dubium, eo quòd obligatur, & huius marito, & ſuæ vxori, iniuriam non facere, & tamen hæ obligationes, non differunt, niſi ſolo numero.

Similiter, ſi Princeps vetet exportari arma extra prouinciam, ne proſint hoſtibus, & Magiſtratus huius præcepti ignarus, idem prohibeat, ne vrbs deſtituatur præſidiis ad ſui defenſionem neceſſariis, ſinguli tenebuntur id non facere, ex duplici obligatione, quia duplici præcepto res eſt prohibita, cùm tam Princeps, quàm Magiſtratus rationem iuſtam prohibendi, aut iubendi habeant, & qui contra fecerint, duplici peccato peccabunt, inobedientiæ.

Dico 3. *Quando ex motiuis diuerſarum virtutum, aut rectitudinum eiuſdem virtutis, idem præcipitur, aut vetatur, talium præceptorum faciendam eſſe mentionem in confeſſione*, quia eorum tranſgreſſio eſt in diuerſa ſpecie.

Sic iniuſta percuſſio Clerici, eſt contra Iuſtitiam, & Religionem, quia eius intuitu, lex Eccleſiæ, illam ſub pœna excommunicationis prohibuit, ſimiliter, iniuſta effuſio ſanguinis in templo, duplex peccatum eſt, ſacrilegij ſcilicet, & iniuſtitiæ: ſacrilegij quidem, quia Eccleſia Deo exhiberi cultum voluit, per abſtinentiam ab effuſione iniuſta ſanguinis, ſtatuitque ea profanari locum ſacrum, non aliis rebus: quare eum reconciliari oportet, antequam diuina in eo ritè & legitimè celebrari valeant.

Dubitatur 6. *An circunſtantia ſociorum, cum quibus crimen eſt commiſſum, explicari in confeſſione debeat.*

Senſus eſt, an qui fœminæ paratæ licet, auctor peccãdi extitit, teneatur id in cõfeſſione exprimere.

Dico primò. *Qui cauſa fuit, cur aliqui peccauerint, aut occaſio, huic incumbere, de eo Confeſſarium certiorem facere.* Quia tale peccatum eſt diſtinctum à cæteris, vtpote ſcandali actiui generalis, contra bonum proximi, ergo non debet in confeſſione ſileri.

Antecedens probatur. Eſt ſcandalum D. Tho. 2. 2. q. 43. art. 1. dictum vel factum minus rectum, præbens ruinæ occaſionem proximo, facit hoc qui alteri ſuadet facinus efficaciter, debet ergo hoc ipſum Confeſſario dicere in Sacramento.

Dico ſecundò, *Qui aliorum opera eſt vſus, ad perpetrandum facinus ad quod illi ipſi parati erant, ex probabili quorundam ſententia, de eo non neceſſariò illi quidquam narrandum eſſe Confeſſario.* Quia in eo nihil admiſit quod ſpecialem maculam habeat, nam in tali vſu, nec eſt ſcandalum, nec propria & moralis inductio, cùm voluntas iam ex ſe, & ſua ſponte ad peccatum eſſet diſpoſita. Ita Azor. par. 1. lib. 2. cap. 16. q. 5. Suarez in 3. part. tom. 4. diſp. 22. ſect. 4. num. 18.

Contraria ſententia eſt Caiet. 2. 2. q. 78. art. 4.

Sanch. lib. 1. in præcept. cap. 6. num. 14. Bonac. tract. de legib. disp. 2. q. 4. punct. 2. eaque tenenda in praxi.

1. Quia qui eorum operam postulat qui de se ad peccandum, sunt parati vt minimùm cooperatur malæ eorum voluntati, quod peccatum est haud dubiè diuersum ab eo quod admitteret, si tantùm peccaret, & non adiutus eorum auxilio, quibus ad id vtitur.

2. Petere ab aliquo parato, id quod sine culpa dare, vel facere non potest, quia est de se, ac natura sua malum, malum est, maximè si penes petentem ius est nullum, quo postulatum suum tueri possit, sed fornicari malum est, ac omni tempore cuilibet in id opus incumbere, est prohibitum, ergo & eius postulatio similiter est mala.

3. Concurrere ad hanc numero actionem malam malum est, sed hæc individua fornicatio pendet ab eo, qui illam consulit, aut causâ sua fieri exigit, quia etsi meretrix ad eam, sit parata, hanc tamen numero non admitteret, nisi hic & nunc, consulens ad eam induceret, vt enim fornicatio fuse sumpta, pendet à volũtate meretricis ad eam se determinantis, ita & hæc in individuo, à consilio huius in particulari, qui voluntatẽ meretricis ad eam prece sua, ac inductione inflectit, ergo peccati duplicis est reus, quisquis meretrici paratæ se prostituere cuilibet, auctor est, operæ suæ, sibi hic & nunc commodandæ ob libidinẽ eorum peccatorũ primum est scandali, seu inductionis ad peccatũ, alterũ fornicationis. Sanè peccat qui absque necessitate cõfessarium, paratum licet, sed vitiosum, adhibet ad expiationem animi, quia materiam ei suppeditat, ex qua hic & nunc occasionem peccandi sumet, quàm non est ergo veri absimile, insontem non esse, qui meretricem volentem, ac paratam comprimit? non est tamen ea circunstantia de genere earum quæ sunt declarandæ in confessione, quia ex iis quæ vt plurimum accidunt, Confessarius, satis intelligit dictam fœminam, ab eo qui se fornicatum dicit, ad id inductam esse.

Dubitatur 7. *An retentio diuturna rei alienæ sit circunstantia necessario explicanda Confessario.*

Dico 1. *Qui rem alienam sibi seruat, tandiu peccare, quandiu eam Domino redhibere animum non induxit.* Less. lib. 2. cap. 22. dub. 3. num. 11. Vasq. in 1. 2. to. 3. disp. 75. cap. 2. ratio est, quod continuo Domino noceat, eum contra fas, æquumque priuando vsu rei suæ, quæ læsio assidue procedit à libera voluntate non restituendi, aut eius voluntatis omissione, est ergo pro peccato actuali habenda, eo modo, quo est operis externi omissio, qua quis læditur, lethalis culpa.

Dico 2. *Hoc peccatum à prima acceptione distinctum non esse, nisi extrinsece:* puta quia restitutio omittitur, à qua omissione habet tale peccatum, vt priore accidentaliter sit grauius.

Dico 3. *Volitiones internas, quibus alieni retentio formaliter est volita, & renouata, postquam fuerat notabiliter interrupta, per formale propositum illud restituendi Domino explicandas esse in Sacramento.* Probatur, sic est Confessario, sua à pœnitente euoluenda conscientia, vt peccatum nullum de quo hæc eum redarguat, tacitus supprimat, at est pœnitens tot scelerum reus, quot ab eo fluxere opera, quibus est eius voluntas retinendi alieni, intercisa formaliter ac propriè, dabit ergo hic operam vt intelligat quam sæpe secum ipse statuerit non restituere, aut à voluntate fixa ac stabili, quam conceperat satisfaciendi Domino, abduci se ab insita mobilitate animi est passus, toties enim est censendus lethalem contraxisse maculam. 2. Peccata non tantum specie, sed etiam numero differentia exponenda sunt in Sacramento, sed volitiones sæpè repetitæ quæ retentionem rei alienæ, aut omissionem restitutionis faciendæ, pro obiecto habent peccata sunt eaque numericè à se inuicem distincta, quamuis prædictæ volitiones non sint intercisæ actu contrario, sed naturali duntaxat obliuione, somno, aut re alia simili, sunt ergo hæ volitiones interruptæ, ac repetitæ postea, confitendæ: Contraria tamen opinio non est improbabilis, nẽpe interruptionem hanc non necessariò in confessione explicandam esse, sed sufficere vt dicatur quandiu res retenta fuerit, quàm sæpe occasiones se obtulerint eius restituendæ Domino, & tamen fuerint omissæ.

Alij nec improbabiliter asserunt satis esse exponere durationem retentionis, quia omnes volitiones, non restituendi ordinantur (inquiunt) ad continuationem vnius actus externi, à quo habent illæ esse, censeantur esse vnum peccatum moraliter.

Dubitatur 8. *An circunstantia personæ cum qua sit delus est ad nissum retegi possit in Confessione.*

Nullo modo indicari posse dixerunt hi Theologi Marsil. in 4. q. 12. art. 2. Caiet. in summa verbo Confessio condit. 3. Nau. in summa cap. 7. num. 1. Pitigianus in 4. sentent. to. 2. disp. 21. q. 2. art. 8. conel. 1. Faber. de pœnit. in 4. sent. distinct. 17. q. vn disp. 24. cap. 5. num. 97. Malderus in 2. 2. tract. 7. cap. 1. dub. 4. Vega in summa to. 2. capite 8. casu 12.

Dico 1. *Ne socius criminis nominetur in confessione, obligari pœnitentem adire, cum licentia sacerdotem, cui ipse sit ignotus, si eius detur copia.* Ratio est, quod sic, tam sibi pœnitens, quam socio bene consulit, sibi quidem, ea tacendo, quæ manifestata religionem ei iniicere peccati possent, socio autem, eius famæ parcendo etiam apud sacerdotem vnicum. Henriq. lib. 5. cap. 9. P. Nau. l. 1. de rest. cap. 4. n. 263.

Dico 2. *Nec tùm etiam affinem delicti nuncupandum esse in Confessione, cum peccati nostri species intelligi potest eo tacito, aut ex eius indicio, & significatione, grane aliquod scandalum oriri.* Ita Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad 4. pars prima est certa. 2. probatur cum finis præcepti sit charitas, non est probabile, velle Deum, integre de peccatis confessionem institui, cum periclitatur amor erga proximum, aut eius honor, at vtrumque scandalo læditur, damnis autem, quæ timentur ex manifestatione socij, debita ei caritas violatur, quare si complicis fama grauiter est lædenda apud Prælatum confessarium, reticeri debebit peccatum quatenus erit necesse, ad prædicti complicis seruandam bonam opinionem, quia confessio quæ est instituta ad salutem hominum, cedere non debet in vllius damnum graue, aut tristitiam, vt accideret si socius pœnitentis, sciret peccatum suum, esse Prælato cognitum, aut ab eo cognoscendum.

Dico 3. *Quando nihil metuitur eorum, quæ in superiori assert. notauimus, sed tantùm leue damnum famæ apud confessarium, virum probum, & aliter confiteri integrè non possumus, personæ circunstantiam reticendam non esse.* Huius sententiæ quæ est verissima, author D. Thom. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 5. ad 5. Bonau. in 4. distinct. 21. art. 1. q. 3. Palud. in 4. dist. 16. q. 3. ar. 3. Richard. in 4. dist. 21. art. 5. q. 2. Nau. c. 7. manu num. 3. Alens. p. 4. q. 77. mem. 1. art. 1. Laym. lib. 5. Comitol. respons. lib. 1. q. 18. D. Thomæ tract. 6. c. 8. nu. 12.

Digitized by Google

Ratio hæc eſt, quòd cuique ſalute ſua, fama alterius poſterior eſſe debeat: at ſalus noſtra, pendet à iure confitendi integrè: ergo cùm hoc eſſe nequit, ſine euulgatione alienæ culpæ, ac auctoris eius, non eſt culpanda.

Addamus huic argumento & aliud. Si retegi in confeſſione confortem criminis, eſt malum, maximè quia retectum, infamiam ei apud Sacerdotem affert, at nullam creat, 1. quia, vt Thelogi primarum partium aiunt, non eſt dandum vitio alienum vitium, vni, aut duobus narrare, à quibus nunquam eſt euulgandum alteri. Leſſ. lib. 2. cap. 11. dub. 11. Pontius de matr. lib. 5. c. 18. Valer. tom. 2. Diana tract. 16. 12. Miſcellan. reſol. 22. quia cùm periculum eſt nullum manifeſtandi eiuſmodi criminis aliis, aut nullum, aut leue eſt famæ detrimentum, illud vni & alteri dixiſſe, quod pro ſua prudentia ad terno ſuppreſſuri ſunt ſilentio.

Secundò, vt eſt infamia famæ oppoſita, hæcque ſit multorum opinio de aliquo, ciuſque facinoribus, non eſt quis futurus infamis, niſi malè apud multos audiat, at hoc quis metuat, ex confeſſione apud vnum ſanctè & religiosè obita? Eſt enim Sacramenti pœnitentiæ forum adeo arcanum & tectum, vt in eo cognita peccata nullo vnquam tempore à quoquam vel minimo indicio proferri, aut ſignificari poſſint, quod monitum eſt Pet. Soti in lect. 10. & alterius Soti in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. & ita ſuſpicionem nullam habet, crimen in ſacra confeſſione enuntiatum, enuntianti allaturum infamiam, cùm ex ea notitia, nullum complici malum immineat, ſed bonum, vtpote pro cuius ſalute Confeſſarius ad orandum Deum inducatur.

Obiicit Malderus. At enim exiſtimationem, ac honorem ſocij, manifeſtatio admiſſi ab eo criminis affligit, ac perdit apud Sacerdotem, quod ipſum crimen eſſe, quis neget? Reſpondend. negatione Minoris. Primò, quia pro ſalute procuranda, & huius Sacramenti maieſtate retinenda, fama vnius aut duorum, magnopere non eſt curanda. Secundò, hoc ipſo quòd quis ſe decipi eſt paſſus, ac traſiit in ſocietatem criminis alieni, iure retinendæ famæ apud Sacerdotem ceſſit, cùm ignorare non potuerit, hoc ei per confeſſionem aliquando explicandum eſſe. Tertiò, crimen non eſt criminis ſocium nominare probo Sacerdoti, quia potiùs cuique ſua ſalus eſſe debet, cuius inſtrumentum eſt confeſſio, quàm alterius cuiuſpiam exiſtimatio.

Obuciit 2. Peccat mortaliter, qui temerè & ſine cauſa de alio iudicat in re graui, quia falſum ei crimen imponit, in quo famam eius vulnerat ac lædit: At idem efficit, qui conſortem culpæ ſuæ, apud Sacerdotem traducit. Neganda eſt Minor: diſparitatis hæc eſt cauſa, quòd per iudicium temerarium grauis fiat iniuria proximo, qui ex leuibus indiciis, falſi criminis arceſſitur, quod eſſe ſine culpa non poteſt, quorum nihil eſt ſimile in confeſſione culpæ, quam quis Sacerdoti religioſo explicat, qui eam ſilentio obiuet ſempiterno.

Dubitatur 9. *An interruptio actus interni, ſit circunſtantia neceſſariò explicanda.*

Certum eſt ex communi ſententia, & praxi Eccleſiæ, teneri ſingulos, peccata omnia mortalia, quorum recordantur, tam ſpecie, quàm numero diuerſa ſingillatim in confeſſione exprimere, alioqui quantum eſt ſatis non eſſet Confeſſario eorum ſtatus cognitus: difficultas eſt, quando quis diu in aliqua mala voluntate hæſit, quam & ſæpe interrupit, an & quomodo hæ interruptiones explicari in confeſſione debeant.

A Prima ſententia eſt, eas confitendas eſſe, quantumlibet ſint breues, & profectæ tam à cogitatione contraria non peccandi, quàm à natura i aliqua diſtractione. Ita Vaſquez in 3. partem tom. 4. q. 61. art. 1.

Secunda ſententia eſt, tales interruptiones, quamuis longas, explicandas non eſſe, quia cùm voluntas, nunquam conſenſum in rem malam, aut cogitationem turpem reuocauerit, cenſetur habitualiter ſemper in eo conſenſu permanſiſſe, & conſequenter omnes illæ cogitationes, aut volitiones malæ, habentur pro vno peccato.

B Tertia ſententia docet, tales interruptiones in confeſſione explicandas, quãdo ſunt notabiles, quia tunc facilè notari à pœnitente, & ab eo exponi Confeſſario poſſunt, non item quando ita ſunt breues, vt deſignari nequeant, quia tunc in ordine ad confeſſionem, & morale iudicium, ſunt vnus actus, & hanc ſententiam tenent Canus in relatione de Pœnitentia, p. 5. Crucius in Directorio conſcientiæ, p. 2. de Sacramento pœnitentiæ, q. 3. dub. 6. Ægid. diff. 7. dub. 7. num. 51. Suar. tom. 4. in 3. Homob. de Exam. eccl. par. 1. tract 5. cap. 13. q. 53. Salas tom. 2. tract. 13. ſect. 8. quam Lopes p. 1. inſtruct. q. 9. art. 2. diffic. 31. probabilem exiſtimat, & in praxi tutam. Primò, quia cùm vix poſſint ciuſmodi interruptiones nobis eſſe cognitæ, nec teneamur ad impoſſibile, ſatis videtur eſſe, in

C tali caſu dicere tempus, quo cogitatio, aut voluntas mala duraſſet, quia per hoc, quantum eſt ſatis, pœnitens ſtatum ſuum explicat. Secundò, quia cùm interruptiones illæ, valde ſint breues, & ſæpè indeliberatæ, vix variant iudicium morale Sacerdotis, circa actum malum cogitatum, aut volitum. Idem dicendum videtur de peccato, quod in actum externum prodit, nam vt dicatur interrumpi, quantum eſt neceſſe, vt ſit multiplex numero, debet tam actus externus, quàm internus ſimul deſinere, quandiu eorum alter eſt in actu, verèque durat, tandiu cenſetur peccatum continuari, & eſſe vnum numero. Ita authores citati pro tertia ſententia, iuxta quam dicendum eſt, eum, qui aliquò

D iter habet peccandi cauſa, etiamſi in via nonnunquam hæreat, cibi, aut quietis capiendæ cauſâ, vel alia omnia à ſcelere meditato, ac volito per naturalem diſtractionem cogitet, dummodo iter ſuum interim proſequatur, eius peccatum vnum eſſe, non multiplex. Primò, quia cùm quies & cibus ſint neceſſaria, ad confectionem itineris, ea faciens, cenſetur illud continuare & proſequi, cùm enim prior intentio reuocata non fuerit, cenſetur virtualiter perſeuerare in illa actione externa, itineris ſuſcepti ad occidendum.

Hæc quidem probabiliter omnia, perſpicuitatis tamen maioris cauſâ. Diſtinctione videtur mihi nodus hic poſſe expediri, cuius ego partes ambas in ſequentes Concluſiones includam.

E Prima Aſſertio. *Quoties actus interni mali, interrumpuntur actu contrario, vt ſi quem, verbi cauſa, peccati ſui pœnitet, ſi cognita eius fœditate ac macula, honeſtatem virtutis oppoſitæ amplecti ſtatuit, toties credendum eſt peccari, cum obligatione ea peccata confitendi, quæ numero tantum, à ſe ſunt diuerſa.*

Probatur voluntates illæ internæ, interruptæ & repetitæ, ſunt vera peccata, eaque numero inter ſe diuerſa, ergo in confeſſione non tacenda.

Secunda Aſſertio. *Quando voluntas interior interrumpitur per obliuionem, ſomnum, aut incogitantiam, & poſtea renouatur, probabile eſt, actus malos, vt deſideria, odia, imprecationes & ſimilia, in quibus*

uersatur, non necessario fatenda esse distincte, & in individuo.

Est authorum quos citauimus pro secunda sententia, qui omnes asserunt, quod voluntas faciendi aliquod peccatum externum, quandiu opere non completur, nec interrumpitur per actum contrarium, licet physice non continuetur, & postea renouetur, esse tantùm vnicum peccatum, ratio est 1. quod actus illi interni omnes referantur ad externum, vt media, & præparationes ad finem, qui cùm sit vnicus, & illa quoque talia sunt existimanda moraliter. 2. quod actus illi, modico temporis interuallo à sese sunt seiuncti, ergo non pro pluribus actibus, sed vnico moraliter sunt habendi.

Confirmatur, quandiu interruptio non fit per contrariam voluntatem, ideſt per pœnitentiam, vt loquitur Lopez ante citatus, in voluntate prima ea censetur quis moraliter perseuerare, ergo eam non interrumpit moraliter, donec habeat contrariam ergo licet sæpius eandem repetat absque prædicta interruptione censetur eandem voluntatem habere, ergo & idem peccatum committere hęc ferè, aut similia Lopez.

Tertia Assertio. *Quando plures sunt partiales actiones, siue internæ, siue externæ, quæ concurrunt ad vnam actionem integram constituendam, siue id faciant, vt partes integrantes, siue vt via, & præparationes, satis est illum integrum, & perfectum actum confiteri, vt fornicationem v. c. non memoratis tactibus osculis, & verbis impudicis quæ illam præcessere.*

Ratio est, quod illa omnia ad eam speciem luxuriæ ordinentur tanquam eius initia, complementa aut causæ. Candid. de Confess disq. 24. art. 22. dub. 10. Quid si tactus & oscula huiusmodi actum subsequantur? Existimant aliqui vt Candid. modo citatus non esse explicanda, quia sunt eius quasi complementa Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 5.

Ego contra non tacenda aio, ita asserendi causam habeo vnicam, nempe quòd tales tactus sint principia alterius copulæ. Bonac. de Sacrament. disp. 5. q. 5. sect 2.

Assertio 4. *Probabile est quod quando non potest sinis verisimilis numerus actuum internorum satis sit notare tempus, quo quis in peccato perseueranit.*

Quia iuxta auctores secundæ sententiæ, actus illi interni peccata non sunt plura, sed vnum continuum, quod componitur ex multis partialibus: tanquam ex partibus integrantibus, ordinatis ad vnum integrum, & perfectum externum, sed quia status vnus peccati distinguitur ab alio, explicandum est quanto tempore durauerit status eius hominis, qui eundem actum malum sæpe sibi repetendum credidit.

Assertio vltima. *Mihi tamen longè est probabilius eiusmodi actuum internorum inexndum esse numerum.*

Quia peccata tam specie, quàm numero distincta explicari in confessione est necesse, at quæ sunt in voluntate hæc, temporis interruptione, multiplicantur numero, ergo, &c.

Dubitatur 10. *An voluisse vno eodemque voluntatis actu furari mille, decem hominibus, sit circunstantia manifestanda Confessario.*

Negant Duardus in Bulla cœnæ lib. 3. q 2. nu. 2. Suar. to. 4. disp. 22. sect. 5. nu. 35. Megala in 1. part. pro ratione proferunt. 1. quod peccatorum vnitas ab vnitate petatur operis, & obiecti, at ambæ hæ res in præsenti reperiuntur causa, in primis, actus est vnicus voluntatis. 2. obiectum formaliter vnicum, nam etsi materialiter sit plura, in ea tamen tendit voluntas per modum vnius non pluriũ. 3. quia illa plura concurrunt ad vnam malitiam numero, quæ ad ea, substantialem proinde respectum habet.

Aduersaria sententia propugnatorẽ habet Gabr. Vasq. ad quam rem confirmandam non leuia confert argumenta, maiorum autem neruorum hæc videntur.

Primum quòd actus specificatur ab obiecto formali, at ei, qui in facultates plurium inuolare parat, plura obuersantur animo, eaque omnia rationi contraria, ac mala, habet ergo actio, qua molitur quis perniciem multis, malitias multas numero distinctas.

Secundum, tot sunt peccata in opere, quot cùm rectaratione repugnantiæ, specie aut numero diuersæ, est enim peccatum priuatio rectitudinis debitæ inesse actui.

At si consulitur ratio, si auditur prudentia, referet vtraque, nihil esse turpius, quam nocere proximo, aut fortunis eum euertere, ergo cùm hic non vnius, sed plurium res agatur, non vnam duntaxat actui, quo bona quis aliena auertere statuit, sed plures inesse fœditates, intellectus voluntati deteget. Sunt enim obiecta plura integrè materialiter, quorum quodlibet, ex se & independenter ab alio est aptum constituere vnum peccatum, sunt enim decem iniuriæ diuersæ numero, quæ fierent decem distinctis hominibus, proindeque & peccata decem numero inter se diuersa, vnumquodque enim obiectum dat malitiam suam actui numero diuersam.

Confirmatur, qui inducit aliquem ad homicidiũ, duplicem malitiam contrahit intra latitudinem homicidij, vnam respectu eius, quem vult interfici, aliam respectu eius quem inducit, ergo à pari, &c.

Probatur mihi hæc opinio, simulque eorum qui à numero hominum quibus quis actu voluntatis vnico, obesse destinat, aiunt hunc circunstantiam trahere, non tacendam in confessione, sunt enim peccata singula, tam quæ numero sunt, quam specie differentia aperienda confessario, at id facere non est facile, tacito eorum numero quibus malè consultum volumus, ergo narrari debet Confessario, planeque retegi.

Dubitatur 11. *An qui cognouit carnaliter monialem teneatur in confessione exponere qualitatem eius; & an sufficiat dicere se rem habuisse cum fœmina obligata voto castitatis.*

Assertio vnica. *Non necessario facienda est mentio monialis, sed satis est dicere se peccasse cum fœmina quæ tenebatur voto castitatis.*

Ratio est, quod professio publicè facta non differat à voto simplici, ergo satisfacit præcepto de confitendo integrè qui dicit se peccasse cum fœmina obligata voto castitatis; ita authores multi asserunt, & probabiliter apud Antonin. Dianam, de circunstantiis resolut. 3. & 4. sacerdoti, qui peccauit cum fœmina satis esse dicere se tenerivoto castitatis, reticendo quòd sit religiosus & sacerdos, quia sacerdotum, & religiosorum vota, solemnia à simplici non differunt, satisergo hi peccatum suum explicãt, dicendo se violati voti castitatis reos esse, similiter qui pœnitenti suæ vim intulit, talis eum circunstantiæ, meminisse in confessione non est necesse, nisi vbi est hæc luxuriæ species authoritate Episcopi inter casus reseruatos posita, causa est, quod circunstantia pœnitentis, non mutat speciem, sed notabiliter tantum aggrauat. Ita Basilius Pontius in tract. de impedimentis Matrimonij cap. 30.

Digitized by Google

cap.30. §. 2. Sancius in practicis disp.11.n.3.

Dubitatur 12. *An circunstantia recidiuæ sit confitenda.*

Teneri pœnitentem consuetudinem peccandi confiteri si à confessario interrogetur, tenent Vasquez. Henriquez lib.1.cap.8. quia consuetudo (inquiunt) peccandi arguit in pœnitente propositum infirmum emendationis, maximè, si hæc oritur ex proxima peccandi occasione, quam pœnitens tenetur resecare. Contrariù docet Sancius in selectis disp.9.n.6.& hæc opinio priore videtur esse probabilior, & sequenda in praxi. 1. quia confessarius, ius non habet interrogandi pœnitentem de consuetudine peccandi, nisi eius rei grauem causam habeat quæ raro accidit, deinde non est in eius iure afficere pœnitentem dedecore, cognita eius peccandi consuetudine, sed debet eum statim absoluere, si dolorem de præteritis concipit cum proposito futuræ emendationis. 2. Si pœnitens, teneretur aperire consuetudinem peccandi, teneretur quoque repetere peccata iam legitimè confessa, quod nulla ratio probat, nec de eo præceptum est humanum, aut diuinum.

Dubitatur 13. *An diuturnitas temporis, quo quis mansit in opere aliquo malo sit circunstantia necessario aperienda in Confessione.*

Affirmat Tannerus in 2. 2. disp. 4.q 6.dubio 14. n.425. Negant Zerola in praxi Episcopali cap.12. q.15. Vasquez tomo 4.q.91. de quorum mente.

Dico primò. *Durationem in se, ac præcisè spectatam, circunstantiam non esse, quæ necessariò debeat dici in Confessione*: Quia duratio circunstantia est de earum numero quæ aggrauant, & non mutant speciem, at circunstantiæ quæ sunt tales, ex dictis antea, non sunt necessariò detegendæ Confessario.

Dico secundò. *Durationem per accidens explicandam esse, quando pœnitenti constat actionem se malam interrupisse frequenter, & tamen de earum interruptionum numero certi nihil habet.* Quia quando de ea diuturnitate se accusat, confitetur quantum potest, ac debet integrè. Inferunt hinc Canus relectione de pœnitentia p.5. Crucius in directorio conscientiæ p. 2. de Sacramento pœnitentiæ q.3. dub.6. & alij apud Salas tomo 2. tract.13. voluntatem committendi actum aliquem externum, qui sit malus, quandiu opere non completur, nec interrumpitur per actum contrarium, licet physicè interrumpatur per somnum aut aliam occupationem, & postea renouatur, vnicum tantum peccatum esse, nisi inter ipsos voluntatis actus, multum temporis intercedat, quia tunc esset moralis interruptio, proindeque peccata diuersa numero, quod non accidit (inquiunt) prædicti authores, quando actus voluntatis renouantur circa idem obiectum, tunc enim moraliter sunt inter se continui, ob moram temporis exiguam, quæ inter eos intercedit, estque hæc opinio probabilis.

Inferunt. 1. Doctores, furem qui diu rem alienam retinuit, facere officium in confessione, cum se accusat de defectu in restituendo, nec à Confessario interrogandum esse, de diuturnitate, quæ est opinio Petri de Nauarra l. 4. cap. 4. num. 9. Antonini Dianæ de circunstantiis resol.58.

Dubitatur 14. *An fatenda sint circunstantiæ eius peccati cuius committendi periculo se quis exposuit.*

Respondeo. Affirmatiuè, quia vt ait Suarez tomo 5. disp. 18. sect. 3. n. 16. eiusdem est malitiæ, constituere se in periculo morali admittendi alicuius criminis, & illud admittere, quo enim præcepto tenemur crimen vitare, obligamur etiam ad A cauendum proximum illius periculum. Ita qui se exposuit periculo occidendi, aut mœchandi, id fateri in confessione debet, sicut peccata ipsa si completa forent.

Dubitatur 15. *An circunstantia delectationis morosæ circa species luxuriæ naturalis, sit necessario explicanda, vt quòd persona imaginationi obiecta, sit monialis, coniugata,* &c.

1. Sententia affirmat quam defendunt Villalobos tomo 1.tract. 5. dub. 3. Sanchez lib. 1. summæ cap.2. n.11. Less.4. de inst.cap.3. dub.15. num.123. Bonac. de Matrim. q. 4. pun. 8. pro resolutione sit.

Prima Assertio. *Non est necesse explicare in confessione personam, de qua quis est delectatus carnaliter, delectatione simplicis complacentiæ, sine affectu ad opus.* B

Ita Vasquez in 1. 2. tomo 2. disp. 112. cap. 2. & alij apud Reginaldum lib.18. c. 2. sect. 3. probatur, voluntas non fertur nisi in rem apprehensam,& sub ea consideratione qua apprehenditur, quia peccatum debet esse voluntarium, quale non est, non consideratis omnibus, in quibus est actio, sed intellectus in his delectationibus, de quibus est sermo, non apprehendit aliud, quam quòd est delectabile, secundum tactum, non autem iniuriam quæ fit marito v. c. per adulterium cogitatum, Deo per constuprationem virginis, ei dicatæ per votum. Confirmatur, voluntas in eiusmodi delectationibus, non versatur circa earum obiectum, v. c. C fœminam coniugatam, aut monialem, quatenus tale obiectum est iniuriosum alteri, nempe viro, cui fœmina iuncta est in Matrimonio, nec expressè, aut interpretatiuè approbatur, talis iniuria, cum nullo modo operans consentiat, ac feratur in opus externum, & reipsa exequendum, quo solo iniuria irrogatur.

Assertio secunda. *Quando delectatio consistit in voluntate efficaci ac desiderio operis externi, circunstantia personæ, in quam fertur, est explicanda Confessario.*

Quia cùm talis delectatio specificetur ab obiecto externo, in quod fertur, tanquam in finem, & terminum, sitque proinde semper eiusdem speciei cum illo, pro diuersitate obiectorum, diuersæ quo- D que sunt futuræ malitiæ, in tali delectatione, sed peccata specie distincta, explicari confessario debent, ergo & hæ delectationes efficaces. 2. delectari voluntate efficaci in re mala, vt exequenda, est in ea sibi complacere, eamque executioni mandare velle, sed hæ complacentiæ, pro diuersitate specifica obiectorum, sunt diuersæ specie, cum opponantur diuersis virtutibus, ergo & diuersa peccata specie, ergo explicanda confessario.

Dubitatur 16. *An sit necesse eum qui se iactauit de peccato mortali, explicare in Confessione speciem eius, quod de clerico percusso, v.c. aut adulterio, sit lætatus, gloriamque captauerit.*

Dico primò. *Quando qui se de peccato proprio aut alieno laudat, in eodem quoque sibi complacet, eius speciem explicandam esse.* Ita Manuel tomo 1.summæ E cap.53. concl.13. n.13. quia gaudere de peccato, sicut & illud desiderare, peccatum est eiusdem speciei cum peccato ipso, ergo eiusmodi quod taceri non debeat.

Dico secundò. *Etsi iactantia de peccato, sit sine gaudio de eo admisso, nihilominus, explicandam videri speciem peccati, de qua est talis iactantia*: Quia esse hæc nequit sine approbatione rei de qua laus quæritur; ergo cùm culpæ diuersæ, diuersas quoque

diocri diligentia olim vſos eſſe, vt debitè, & integrè animam per confeſſionem eluerent, quia confeſſio non eſt inſtituta à Deo, vt laqueos conſcientiis iniiceret, ſed vt præmiſſa morali diligentia, bonaque fide, peccata cognita explicaret confeſſario, ſemelque legitimè expoſita, æterna obliuione ſepulta manerent, quod non modo valet in ſcrupuloſis, quos, Emanuel Sa verbo dubium, Sanchez loco ante citato n 85. Ægid. diſp. 7 dub. 8. num. 68. aſſerunt non debere fateri, niſi quæ poſſunt iurare eſſe mortalia, ſeque ea nunquam falſos, ſed in quibuſcunque aliis, etiam admittendum eſſe, narrat Sancius, cius enim opinio eſt, pœnitentem poſt mediocrem diligentiam, in conſcientiæ ſuæ examine, non modo non teneri vlterius cogitare, de anteacta vita, ſed etiam cùm occurrit aliquid, quod credit nunquam explicatum fuiſſe in confeſſione, poſſe eum, ſibi perſuadere, illud ipſum dictum eſſe, ſed eius memoriam animo excidiſſe.

Obiicies exponere ſe periculo peccandi eſt malum, ſed iſtiuſmodi homines celando ea quæ putant nunquam dicta eſſe in confeſſione, tali periculo ſe obiiciunt. 1. maior eſt falſa abſolutè vt dicemus poſtea. 2. neganda eſt minor quia dubitatio in conſcientia ſcrupuloſi, habenda eſt pro morali certitudine, apud alios. 3. quia in iſto caſu, ex Chriſti diſpenſatione virtuali, nemo tenetur cum tanta animi anxietate, & periculo, perpetuo in ea hærendi, procurare omnimodam confeſſionis integritatem, cum ab ea, minores difficultates excuſent, vt notant Layman lib. 1. tract. 2. cap. 6. n. 2. Ægid. diſp. 7. dub. 8. n. 68.

QVÆSTIO XVII.

An peccata dubia ſint explicanda & quomodo.

LAyman in eam partem incumbit vt exiſtimet ad id pœnitentem iure nullo adſtrictum eſſe, eodem inclinat Ægid vbi ſup. n. 69. fauetque Henriquez l. 8. de Euchariſtia cap. 45. n. 5. ibi enim habet dubia fatenda eſſe, quando animus magis ad iudicandum propendet mortalia eſſe, aut non fuiſſe vnquam confeſſa. *At in dubio* inquit, *æquali, vt non tenetur quis ad votum & onus præcepti, ita nec ad confeſſionem peccati dubij*, quæ ſententia meo iudicio ſpeculatiuè licet ſit vera, tamen, quia hominibus è ſocietate prohibita eſt, ideo

Dico primò. *Cùm quis ſe peccaſſe, eſt certus, dubitat tamen an mortaliter, tenetur confiteri de re tanquam dubia, niſi conſcientiam ita fluctuantem exuat & deponat.* Ita D. Tho. in 4. diſt. 21. q. 2. art. 3. ad 3. Nauar. cap. 22. num. 34. Sa verbo confeſſio num. 7. Sanchez lib. 1. ſummæ cap. 10. nu. 66. tom. 1. Breſſerus lib. 4. de conſcient. cap. 18. quia cùm animus anceps eſt ac dubius, eique ſic dubitanti, poſſeſſio non fauet, ad eam partem eſt flectendus, quæ periculi, ac peccati eſt expers. Id enim & certæ Eccleſiæ ſanctiones identidem admonent, & Theologi præcipiunt, ſed longè tutius eſt, peccata dubia confiteri, quam ſilere, quia ea confitendo recipit gratiam Sacramenti, & nulli ſe exponit periculo peccandi, omittendo materiam neceſſariam, nempe peccatum, quod erat forte mortale, & ex alia parte poſſeſſio dubitanti non fauet, quia præceptum confeſſionis, in dubio poſſidet, cum ſtatim ac quidpiam minùs probè eſt admiſſum etſi de eius qualitate, ac natura ambigatur, & an ſit mortale aut veniale ſit dubium, de eo exponendo in confeſſionis Sacramento, ſit præceptum, nam Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. loquens de peccatis, quæ non ſunt materia confeſſionis neceſſaria, venialium duntaxat meminit, quæ nihil eſt neceſſe adducere ad hoc tribunal, vt remitti queant, quod cùm facit, tacitè iudicat, dubia explicanda eſſe, quia iuxta regulam iuris, communiter receptam, *Exceptio in non exceptis firmat regulam* lege, nam cùm liquidè, digeſtis de pecunia legata, & lege quæſitum 11, de fundo quæſito.

Confirmatur ad tribunal hoc conſcientiæ pertinet cognitio omnium peccatorum quorum pœnitens eſt conſcius, exceptis venialibus. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ſed ex hypotheſi pœnitens conſcientiam habet peccatorum dubiorum, ſunt hæc ergo recenſenda.

Dico ſecundò. *Qui dubitat an alicui peccato conſenſerit, vt deſiderio, aut delectationi moroſæ, teneri de eo confiteri.* Aſſertionis ratio repetenda eſt ex periculo peccādi mortaliter, cui ſe pœnitens exponeret, ſi tale dubium in Sacramento reticeret.

Dico vltimo. *Modum confitendi eiuſmodi dubia in eo eſſe, vt non quaſi certa dicantur, ſed dubia:* Quia confiteri rem dubiam, vt veram, ac certam eſt mentiri, idque in re graui, cum ſit circa Confeſſionis materiam, ac proinde peccatum mortale ſacrilegij. 2. quia eſt imponere ſacerdoti, ac per hoc, eum in fraudē inducere, falſumque de peccatis auditis, iudicium, ei imprimere quod eſt vitioſum 3. peccata eo modo confitenda ſunt, quo ſunt in conſcientiâ, in conſcientia autem ſunt dubia, ergo, &c. Excuſantur tamen interdum à culpa pœnitentes, qui dubia confitentur vti certa, eo quòd bona fide exiſtiment ſatius eſſe ſe reos facere peccati dubij, & incerti, tanquam certi, & admiſſi, quam parcere ſibi, non agnoſcendo niſi culpam dubiam proindeque ſæpe nullam. Breſſerus ſupa. num. 195. 2. excuſat à mortali materiæ paruitas, in ordine ad iudicium Confeſſarij, vt ſi quis confeſſioni mortalium interſerat vnum atque alterum, quod tanquam certum pœnitens confiteatur, cum ſit dubium, ratio eſt quod per hoc non notabiliter mutaretur iudicium ſacerdotis.

Obiicies primò. Concilium ſeſſ. 14. cap. 5. hoc tantùm exigit, vt ea peccata pœnitens exponat, quæ poſt diligentem ſui diſcuſſionem, aduertit eſſe mortalia, at dubia non ſunt talia: Maior eſt falſa, quia omnia peccata, præterquam venialia, ex inſtitutione Chriſti, & Eccleſiæ, vt in eodem concilio dicitur, cap. 5. ſeſſ. 14. explicari debent in Sacramento, ergo cùm dubia non ſint recenſenda inter venialia propriè, præcepto diuino de integritate in eo ſeruanda, ſatisfieri non poterit, niſi dicantur vt verè ſunt, ac concipiuntur, hoc eſt vt dubia.

Obiicies ſecundò. *Melior eſt poſſidentis conditio, quam non poſſidentis*, de regulis iuris in 6. regula 65. ſed pœnitens libertatem ſuam poſſidet, & famam, ergo non videtur cogendus, vt aliquid contra ſe agat in dubio, Maior eſt vera tantùm, quando dubitans obligatur ad aliquid, quod excedit fines ſui dubij, ſicut accideret in voto & debitis iuſtitiæ, in quibus, ſi quis cùm eſt eorum obligatio, dubia, cogeretur ad eorum præſtationem, haud dubiè exigeretur, aliquid ab eo vltra ſuum dubium, vnde accideret vt eius conditio eſſet deterior, quod in præſenti caſu non accidit, in quo, dubitans an peccarit mortaliter, tantum tenetur tale ſuum peccatum fateri ſub dubio.

QVÆSTIO XVIII.

A pœnitente & Confessario, confessionis integritas quid exigat.

PRimò, vt vni, eidemque, peccata omnia sua mortalia, pœnitens explicet 1. causa est, quod non alia ei Deus peccata condonet, quam, quæ eidem remittenda esse, sacerdoti vilum erit, si hic ergo non omnium, sed aliquorum tantum quæ ipsi pœnitens confessus erit, aliis cælatis, veniam indulgeat, neque omnia ipsi Deus remittet, sed aliqua tantum, quo nihil esse potest absurdius, cum omnibus ex æquo gratia bellum indictum habeat, eaque ex animo obliteret ac deleat.

Secundò, pœnitentem oportet, in discutienda conscientia, gnauum esse, ac sedulum, in quo si negligentiæ crassæ, ac culpabilis reus erit, Sacramentum culpa suâ reddet inutile, si leuis, proderit ei quidem, ad meritum, & fructum, sed non erit culpa ipse veniali vacuus, si fides est Adrian. in 4. de confessione q. 4. paragr. sed quid si crassa, vt hanc ergo vitet, dabit operam ne ad Sacramentum imparatus veniat, id quod facturus videtur si quod postulat Scotus in 4. dist. 17. q. 1. art. 1. parem in hac causa diligentiam afferat, ac cæteri mortales in procuranda familia, *quid est enim debere pœnitentis inquisitionem diligentem esse* (verba sunt huius auctoris) *secundum possibilitatem fragilitatis humanæ, qualem inquisitionem homo faceret, circa negotium arduum, quod ipsi multum cordi esset*, nisi in id incumbendum ei esse, vt qua cura, prouidentiaque rebus suis inuigilat, eadem & conscientiam, eiusque sinus omnes excutiat, ne vel pulusculus erati in ea sit reliquus, quem non exsufflandum sacerdoti offerat? pro quo est D. August. regula de vera & falsa pœnit. cap. 15. *Faciat pro recipienda vita animæ, in æternum victurus, quod faceret pro salute corporis moriturus.* Quæ etsi dicantur verissimè, mihi tamen non succensebit Scotus si minorē diligentiā, in examinãda conscientia satis esse dixero, ad Christiani hominis officium. Nam quis à sacerdote, aut Religioso, quorum est vita omnis in Diuorum religione, ac cultu occupata, horas aut dies, in conscientiæ discussione consumi velit? quare habendam in primis rationem personarum, exinde temporis & confessarij esse censeo, personarum quidem, à quibus frequentatur Sacramentum, nam quæ illud crebrò obeunt, minore videntur indigere examine, quam quæ raro, & semel tantum in anno, rudes, inopes, ac rustici, quam nobiles, ac qui commerciis, aut negotiis, cum occasione peccandi multiplici, sunt impliciti, ignari, quam docti, qui Confessario ad expiationem animæ erudito vtuntur, quam ignaro. qui sua in examinando diligentia, pœnitentis supplere negligentiam non potest, qui peccata, eorum naturam, ac species ignorant quam qui iuris controuersi apices, ac peccandi modos omnes callent. In summa, qui probabiliter existimat, ea se vsum diligentia, quæ sufficeret ad reuocandam peccatorum memoriam, sic vt quamuis se fortius, crebriusque excuteret, nihil ei tamen amplius, quam quòd Confessario explicuit, recurreret, huic quid desit, ad boni pœnitentis numeros omnes explendos, non video, ex quo sequitur. 1. quamlibet curam, etiam minimam, examinandi sui in rusticis, ac indoctis ciuibus sufficere,

A cum iis confitentur, à quibus iuuabuntur ad plenam, & absolutam, scelerum suorum exomologesim. 2. errare eos ac labi, qui tantam in ea paranda diligentiam postulant, quanta in oratore dicturo in concione frequenti hominum, aut Oeconomo requiritur, qui dati & impensi, auaro Patrifamilias rationem reddere parat. Hæc de pœnitente, eiusque examine, Confessarij verò sedulitas, ac in interrogando caritas quanta esse debet? quod fuit in 2. parte quæstionis positum.

Dico ergo à Confessario pœnitenti permittendum esse, vt ea, sibi explicet quæ dicenda habet, nam confessio non extorta quæstionibus, vt magis est libera, ita peccandi periculis, scandaloque minus peruia. Quid? quod sic Confessario ratio se
B facilior aperiat iuuandi pœnitentis, quod, ex eius confessione discat, quas illum partes in eo interrogando agere oporteat, sed de hac re postea.

QVÆSTIO XIX.

An præcepto Ecclesiæ de confitendo semel in anno satisfiat, quando pœnitens dolosè mortiferum aliquod peccatum occuluit.

EXistimant Halens. in 4. pa. q. 18. membro 4. art. 4. parag. 7. Paludan. in 4. dist. 17 q. 7. legi ab Ecclesia promulgatæ de annua confessione satis-
C facere eum, qui vitio suo Sacramentū inane reddidit ac nullum, modo eo animo ad sacerdotem adierit, vt Ecclesiæ legi obtemperaret.

Mihi tamen multisque aliis secus semper est visum, neque Christi neque Ecclesiæ præcepto morem gerere eum, qui vitiosa verecundia impeditus, aut quia negligenter anteactæ vitæ scelera recognouit, integrè non confitetur, causa est, quod præceptum Ecclesiæ de confessione non implet, qui diuinum non exequitur, cum illud istius, id est diuini sit determinatio, sed Christo, qui Confessionem præcepit, minimè satisfacit, qui ex parte tantum confitetur mortalia & non integre, quemadmodum est in Conc. Trid. definitum sess. 14. can. 7. his verbis. *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ*
D *ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cùm debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, anathema sit*, ergo nec Ecclesiæ præceptum implet, qui peccatum mortale vnum aut plura in confessione reticet. Deinde non est obeunda confessio iure Ecclesiæ, nisi ob reconciliationem nostri cum Deo, at is qui peccata tantum aliqua lethalia, non omnia ad sacerdotem defert, redire in gratiam cum Deo non potest, ergo nec Christi, nec Ecclesiæ imperio de confitendo
E semel in anno satisfacit. Atque pro hac verissima sententia decertant multi in D. Thomæ doctrina excellentes auctores, quare Paludani & Halensis, prorsus est repudianda opinio, nec vlli sequenda in praxi.

A

QVÆSTIO XX.

Quæ ſint conditiones in Confeſſione neceſſariæ, neceſſitate præcepti.

PRima, eſt puritas, quæ opinione Nau. in hoc verſatur vt Confeſſio ſuperflua repudiet, neceſſaria ad explicationem peccatorum adhibeat, præterea nihil, vel vt ſcribit Sylu. ver. confeſſ. 7. pura futura eſt, ſi ad fines præpoſteros, ac à voluntate Chriſti alienos non detorqueatur, à quibus Sacramento imminebit interitus, ſi hi mortaliter mali fuerint: eſt enim tunc inualidum, cum recipitur in B conſcientia mortalis culpæ, at qui finis, vitioſus eſt, ac malus mortaliter, animum lethaliter vulnerat ergo Sacramento ne ſit ratum, obicem affert. Dixi, ſi mortaliter ſint mali, nam à vana gloria, aut motiuo veniali tantum, confeſſio infructuoſa non eſt ac inutilis quoad fructum operis operati, nec repetenda proinde, dummodo cum intentione ſpeque fiat conſequendæ veniæ.

Secunda conditio, hoc neceſſitatis genere neceſſaria, de qua agimus, eſt vt ſit fidelis. Tertia, vt ſit diſcreta, hoc eſt prudens: in verbis, rebus & modo, prudentiam adhibebit in confitendo pœnitens, ſi peccata verbis explicet quæ munditiem oleant, ſi non alia, nec aliter, nec pluribus exponat, quam eſt ad intelligentiam ſui ſtatus neceſſe. C

Quartâ, vt ſit libens, non coacta, non metu pœnæ aut infamiæ totaliter, aut certè magis principaliter expreſſa, quæ enim inuiti facimus, non ſponte, hæc merito carent, ac laude, nec ſacrificia ſuperis alia, quam quæ ab offerentis gratuita, ac liberali volunt ate manant, accepta ſunt & grata. *Bona voluntas omnibus eſt charior, totum habet, qui bonam voluntatem habet, ipſa eſt quæ poteſt ſufficere, ſi cætera non ſint, ſi autem ſola deſit, nihil prodeſt quidquid habitum fuerit.* Auguſt. lib. 50. Homiliar hom. 8.

Conditio vltima, eſt vt ſit fortis, hoc eſt difficultatum omnium victrix, maximeque pudoris ac verecundiæ, quibus rebus imbecilles, ac puſillæ mentes, à virtute reuocantur, peccat enim pluſquã D vulgariter, qui animo adeo fracto eſt ac demiſſo, vt præ verecundia, culpam lethalẽ aut eius circunſtãtiam aliquã confiteri abnuit. Quæ de diligentia ad hoc Sacramentum afferenda adduntur, conſilij ſunt, non præcepti, cum lege Eccleſiæ, frequentandæ pœnitentiæ illico poſt patratum facinus, nulla ſit mortalibus neceſſitas impoſita, ſatis eſt eam vſurpare in Paſchate, ſæpius quam ſemel annis quibuſlibet, non eſt neceſſe.

DE MINISTRO Pœnitentiæ.

QVÆSTIO I.

Quid ſit neceſſarium neceſſitate huius Sacramenti ex parte miniſtri.

PRIMA Aſſertio. *Iure diuino requiritur Iuriſdictio in Miniſtro.*

Eſt hæc propoſitio de fide ſancita in Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis; *Quoniam natura iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe hac ſynodus confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos, in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam iuriſdictionem non habet.*

Confirmatur. Sententia non profertur aliter, quam obligando per modum imperij, quo vrgetur executio impoſitæ pœnitentiæ, aut imponendæ, quæ obligatio, inferri tantùm ſubditis poteſt à ſuperiore; at habere ſubditos, eſt iuriſdictione ornatum eſſe. Quid eſt enim iuriſdictio? poteſtas gubernandi, regendi, puniendi, ecquos autem? ſubditos, nam alienis ius dicere, eos in officio metu pœnæ continere ſe poſſe quis putet? iuriſdictione eum inſtructum eſſe conuenit, qui exercet in alios imperium ergo ſine ea Sacramentum adminiſtrari validè non poteſt, quam rationem confirmant Concilia, & Pontifices. Hi quidem, in capite omnis vtriuſque ſexus de pœnitentiis, vbi ſcribit Innoc. 3. abſolutionem nullam eſſe niſi datam à proprio ſacerdote, aut alio de eius licentia, & cap. ſi Epiſcopus de pœnit. & remiſſ. in 6. habetur conſuetudine fieri nulla poſſe, vt à non ſuperiore, aut alio ſine eius licentia impertita abſolutio valeat, nulla item conſuetudine præſcribi poſſe, vt quis ſine ſuperioris facultate cõfeſſarium ſibi queat eligere, cuius rei hæc eſt cauſa, quod præter ſuperiorem, aut alium ab eo ſubſtitutum, iure diuino iuriſdictionem ad abſoluendum, neceſſariam nullus habeat, eſt hæc ergo ad Sacramenti validitatem ex Chriſti inſtitutione, & non voluntate vlla hominum neceſſaria, alioqui contra eam præſcribi poſſet, cum ex veriore ſententia, ius humanum, præſcriptione tolli valeat.

Ab hac aſſertione excipiendi ſunt tres caſus, in quibus ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine quilibet iuriſdictionem obtinet. 1. eſt in quo pœnitens venialia tantum clauibus ſubiiceret. 2. in quo mortalia iam olim remiſſa. 3. eſt in mortis articulo de quo nos antea.

Secunda Aſſertio. *Nulli præter ſummum Pontificem, competit iure diuino, abſoluta & independens iuriſdictio ad abſoluendum omnes fideles, tam in foro externo, quam interno.* E

1. Quia ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. conſtat Epiſcopis & ſacerdotibus ius eſſe nullum extra mortis articulum, in caſus quos ſibi Papa reſeruat, quod apertè falſum foret ſi ſuam hi ſibi poteſtatem, vt à Deo immediatè traditam poſſiderent, non à Pontifice, ſi hanc ſibi iure diuino, eamque abſolutam, & perfectam in omnes, eorumque peccata, vindicarent, quia in tali caſu prohiberi, per Eccleſiam

Digitized by Google

non possent quo minùs collata ab illis absolutio valida foret, sicut nec impediri possunt Presbyteri quo minus verè consecrent, ordinent autem Episcopi, quod in his quæ sunt iuris diuini, eorumque vsu, ab homine aut Ecclesia non pendeant.

2. Soli Petro Ioan. 21. dictum est, *Pasce oues meas*, quo nomine non intelliguntur modo Laici, sed & Clerici, ergo tam his quam illis vitę spiritualis pabula distribuere pro authoritate Papa poterit, cũ volet, ergo & peccata absoluere, quibus irretiti hærent: nam in earum rerum numero, quibus spiritaliter pascimur, ponenda est pœnitentiæ administratio, hanc ergo Papæ conferre vbique licet, non autem Episcopis, sed in his duntaxat prouinciis ad quas eorum est restricta authoritas, ab eo ergo tam in hos quam Presbyteros, omnis eorum est Ecclesiastica duntaxat iurisdictio, ac potestas.

Confirmatur. Absoluendi potestatem omnem præterquam in mortis articulo Pontifex admit excommunicatis denuntiatis, & notoriis clericorum percussoribus, hæc ad illos ergo iure Ecclesiæ, non diuino pertinet Valent. disp. 7. q. 10. p. 2. Suar. disp. 26. sect. 5.

Confirmatur. Si Pontifici Romano ius dicere Prælatis, eorumque subditis in vtroque foro licet, si cognoscere de eorum causis, si vocare in partem solicitudinis Clericos, si definitam illis potestatem tribuere, verum quoque est, Papæ iurisdictionem in omnes, absolutam esse, non contractam, Episcoporum autem ad certa loca cohibitam, & cuiusmodi Papæ placuit, ac istorum omnium, nihil erroris, mendacique reprehendi potest; nam primo potestatem Papa exercet in omnes Christiani orbis Præsules, eorumque subditos, vt dicitur in cap. finali de foro competenti, cap. nunquam de priuilegiis. 2. de eorum causis cognoscit, can. antiquus, can. aliorum, can. cuncta per modum 9. q. 9. idque ex officio, cap. vnico, extra vt beneficia sine diminutione conferantur, ideo ad eum appellatur 1. q. 6. can omnes Episcopi 5. can. ad Romanam 6 & 8. eiusd. causæ & quæst. cum Episcopis partem suæ curæ, atque potestatis communicat, cap. honorem 4. de authoritate & vsu pallij, & hoc vt eidem est libitum, can. decreto 11. causæ 2. q. 6. ibi enim dicitur, Ecclesiam Romanam, *sic vicem suam aliis impertisse Ecclesiis, vt in partem vocata sint sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*, sanè si fides est Innocent. 3. in cap. ad honorem 4. de authoritate & vsu pallij, *eo semper & vbique Roman. Pontifex in missarum solemniis vtitur, quoniam assumptus est in plenitudinem potestatis quæ per pallium significatur, alij autem nec semper, nec vbique, sed in Ecclesia sua, in qua iurisdictionem acceperunt, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Verissime ergo à nobis est dictum in Papa iurisdictionem integram & absolutam residere, in Prælatis aliis diminutam, nec aliam quam quæ illis est ab eo liberaliter ac benefice est concessa.

Confirmatur Pontificis Romani par est, eademque potestas, ac Petri, cui succedit in regimine Ecclesiæ, can. in nouo dist. 21. can. omnes, dist. 23. cap. 1. de translatione Episcopi, sed Petrus absolutam, & perfectam potestatem in vniuersam Ecclesiam habuit. Matth. 16. tibi dabo claues regni cœlorum, ergo & Papa.

Dixi in assert. absolutam iurisdictionem, & independentem in omnes solius esse Papæ, nam postquam alicui cura Parochiæ, aut Episcopatus demandata fuit à Papa, iure diuino Episcopus & Parochus habent ordinariam iurisdictionem in suas oues Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. Candid. disquis. 24. de Conf. art. 66. dub. 123

Obiicies 1. Episcopi esse sine iurisdictione nequeunt, ergo cùm diuini sit iuris esse in Ecclesia Præsules, à quibus regatur, erit eorum quoque iurisdictio diuina, non humana, ergo eiusmodi quæ restringi per Papam, nec possit, nec debeat, Antecedens est falsum, vt patet in degradatis, priuatis suo Episcopatu, & Titularibus, quos constat verè esse Episcopos, & tamen iurisdictione carere, cuius rei est hæc ratio, quod Episcopi nomen sit non dignitatis tantum, ac superioritatis in alios, sed etiam ordinis, cum ex multorum sententia, in consecratione characterem recipiat, qui à sacerdotali est distinctus.

Deinde conseq. est falsa, quia etsi iurisdictio Episcoporum, ac Parochi ordinaria in suas oues, sit iuris diuini, in eius vsu tamen pendet à Papa, qui eam proinde restringere, aut laxare poterit, vt ei visum erit expedire.

Obiicies 2. A quolibet sacerdote, absolui Papa potest, à quo tamen iurisdictionem eum accipere, quis credat? cum eam in se nemo obtineat, est hæc ergo, illi immediatè à Deo respectu dicti Pontificis concessa, ergo & aliis, cum illius, & aliorum eadem sit ratio.

Respondendum sacerdotem eo ipso à Pontifice iurisdictionem accipere, quo se illi subiicit, dixere id Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 7. Anton. in summa 3. part. cap. 6. parag. 11. Enimuerò etsi Papa, vtpote sacrorum princeps, Ecclesiæque supremus arbiter, à nemine possit cogi, subiicere se tamen alteri potest, vt vsu venit principibus sæcularibus, qui nonnunquam suorum se subditorũ arbitrio in causis forensibus, ac pecuniariis iudicandos, pro animi sui demissione submittunt.

Respond. 2. Pontific. etiam in seipsum habere potestatem maximè cum de re fauorabili agitur, vt est peccatorum absolutio, quia tunc personas duas sustinet, Superioris, ac subditi, diuerso tamen respectu, ob quam causam, idem indulgentias sibi tribuere, earumque fieri particeps potest, quod autem absoluere se nequeat, id fit, quia Christo Domino placuit, vt minister huius Sacramenti, ab eo, cui confertur distinctus esset, patet ex dictis pronunciatum illud. Qui Pontificem Romanum absoluit, immediatè à Deo potestatem accipit, falsum esse, quia in Ecclesia, duæ esse primæ potestates, absoluendi nequeunt, quarum vna ab altera, non pendeat, hoc enim Monarchiæ, & Ecclesiasticæ aduersatur Hierarchiæ, quæ exigit vt vna potestas sit prima, à qua vt à capite reliquæ dimanent, cuius oppositum accideret, si sacerdos, cui Papa sua peccata explicat, immediatè à Deo potestatem in eum caperet, vt enim hic à sacerdote, quo tanquam confessario vtitur, non pendet, quo ad vsum suæ potestatis, ita nec iste ab illo penderet quoad vsum iurisdictionis quam in eundem Pont. Dei beneficio obtineret, & ita potestates essent duæ, eæque primæ.

QVÆSTIO II.

An præter potestatem quæ confertur Sacerdoti cùm ordinatur, alia quoque ei sit ad confessiones audiendas necessaria.

NEgatiuam partem propugnat Armacanus lib. 2. de quæstionibus Armenorum cap. 2. vbi asserit Sacerdotes omnes in ordinatione accipere iure diuino iurisdictionem, ad absoluendum sacramentaliter, quosuis pœnitentes, ideoque tolli non posse, nec suspendi ab Ecclesia, & proinde si quemquam absoluant, facere id eos validè, cum peccato tamen, contra præceptum Ecclesiæ. Nauarrus cap. 4. Enchir. & in can. placuit de Pœnitentia dist. 5. num. 45. potestatem absoluendi duplicem constituit, vnam habitualem, actualem alteram, & illam vult à Sacerdote recipi, vi ordinis, non postremam, sed tantùm, cum attributione subditorum, fit idoneus ad absoluendum, quas duas potestates, hoc à sese inuicem differre asserit, quòd illa impediri nequeat, cùm à charactere fluat, possit autem altera, subtrahendo ei subditos, aut negando.

Prima Assertio. *Præter potestatem Ordinis, quæ datur Sacerdoti in ordinatione, necessaria est insuper iure diuino, ad validitatem actionis, & alia quæ appellatur potestas iurisdictionis, tam in personas, quàm eorum peccata.* Ita D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. ar. 3. quæstiunc. 4. Sotus ibid. dist. 18. q. 4. art. 2. Finellius de casibus reseru. cap. 2. Suar. disp. 16. sect. 3.

Primò, quia testimonio Flor. Concil. *Minister huius Sacram. est Sacerdos habens authoritatem absoluendi vel ordinariam, vel ex commissione*, ergo præter potestatem Ordinis, & alia quoque est in Ministro necessaria ad absoluendum. Sanè in Trid. sess. 14. can. 11. infligitur anathema negantibus, in Episcopo potestatem esse, prohibendi Sacerdotibus ne absoluant à reseruatis, quod est indicio, præter potestatem Ordinis, & aliam ad validè absoluendum exigi, cùm illa restringi, aut ab agendo impediri vi vlla humana nequeat.

Secundò, habere iurisdictionem, est præesse aliis, nactum esse subditos, curam habere animarum, in foro conscientiæ, sed hæc nemo sibi vendicat vi Ordinis, alioqui quilibet, pastor esset, cuilibet subesset orbis, quo quid ridiculum magis esse queat, non est explicare cuiquam facile.

Tertiò, si datur iure diuino iurisdictio in Ordinatione, non potest hæc suspendi per Ecclesiam, sicut nec potestas consecrandi, Consequens est falsum, vt vetera Conciliorum decreta indicant. Hispalense quidem in can. 7. his verbis *Statuimus coram Episcopo non licere Presbyteris introire in baptisterium, nec præsente Antistite infantem tingere, aut signare, nec pœnitentes sine præcepto Episcopi sui reconciliare.* Suession. sub Pipino Principe, habitum anno 744. *Statuimus, vt superuenientes Episcopi & Presbyteri ab aliis regionibus non suscipiantur in ministerium Ecclesiæ, nisi priùs fuerint probati ab Episcopo cuius parochia est.*

Quartò, absolutio essentialiter sumpta est actus iudicialis, qui à Sacerdote, vt à Iudice verum iudicium exercente proficiscitur: at Iudicis sententia sine iurisdictione est nulla, vt dicitur cap. ad nostrum 3. extra de consuetudine, & in Trid. sess. 14. can. 7. dicitur absolutionem sine iurisdictione nullius momenti esse, ergo cùm tam statuto Ecclesiæ, quàm iure diuino necessaria sit ad absoluendum iurisdictio, quæ tamen Sacerdoti non datur, cùm inter Presbyteros cooptatur per Ordinem, ad potestatem quæ illi tunc tribuitur, accedere quoque aliam est necesse, vt absoluat validè.

Quid sit autem hæc potestas iurisdictionis, & in quo distinguatur à potestate Ordinis, inter auhores non constat. quidam hanc ab illa differre aiunt. Placuit Reginaldo potestatem iurisdictionis, habitualiter, seu aptitudine, eandem esse, cum potestate Ordinis, à qua in hoc tantùm differret, quòd illa potestati Ordinis actualiter superaddat applicationem materiæ, circa quam exerceatur, seu subditos in foro conscientiæ absoluendos. Huius sententiæ patronus est, ac fautor Sotus in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. columna penultima, cùm sic loquitur: *Potestas clauium non dicit nisi potentiam meram, iurisdictio autem non est propriè potentia, sed applicatio materiæ ad agens, vt dicatur actio, nempe applicatio subditorum ad Sacerdotem: vt sequatur absolutio quæ scilicet non sequeretur, sicut nec fieret consecratio corporis Christi, sine pane, nec in vacuo fieret calefactio, quānis ignis in eo existens vim haberet calefacēdi, quia ei materia non esset admota.* Hæc ille, quæ ab eo dicta puto verissimè: Enimuerò Sacerdoti vi Ordinis character datur non multiplex, sed vnus tantùm, quo ei potestas confertur, eaque vna, realiter in se, virture tamen multiplex, & quæ per respectus ad diuersa officia, dicitur esse plures potestates, nempe vna conficiendæ Eucharistiæ, altera administrandæ Pœnitentiæ, ac per illam in Sacramento remittendæ culpæ, pro solutione sit

Secunda Assertio. *Sacerdoti datur in Ordinatione sua iurisdictio, sed confusa, remota, indeterminata, & imperfecta, extendens se ex Christi institutione ad omnium fidelium peccata remittenda, iuxta verbum Christi*, Quorum remiseritis, *Ioan. 20 sed quæ per se in actum exire non potest, postmodum autem completur, & perficitur, subditis ei attributis per Christum, aut Ecclesiam.* Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 1. Nauar. in can. placuit de Pœnitentia, dist. 5. num. 45. & 48.

Primò, Sacerdos cùm ordinatur per hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris*, &c. inchoatè fit iudex: at talis esse nequit sine potestate saltem confusa remittendi peccata, atque adeo sine iurisdictione aliqua, ergo eam tùm recipit.

Secundò, est absolutio, iurisdictionis actio, quam se Sacerdos exercere ait in persona Christi, his verbis: *Et ego authoritate ipsius licet mihi indignissimo concessa*: ergo cùm è populi fæce, transfertur in familiam Dei, & Sacerdotum, per ordinationem, iurisdictionem aliquam à Christo accipit, quæ non est haud dubiè nisi confusa & inchoata, attributione subditorum complenda, & ex imperfecto statu, traducenda ad perfectum.

Obiicies, frustra est potestas absoluendi sine iurisdictione, ergo aut nulla Sacerdoti datur, cum initiatur, aut datur ad absoluendum sufficiens, vtraque propositio est neganda, neganda item quæ in consequentia sunt posita, primum quidē eius membrum, quia per hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum*: Sacerdoti potestas in peccata tribuitur, sed incompleta, alterum item, nempe quod ea non perficiatur ab Ecclesia, subministratione materiæ, id est, subditorum, quos, hoc ipso, quo quis fit Episcopus, aut Parochus, accipit, vnaque iurisdictionem in eos necessariam, quæ etsi iure communi sit debita, procedit tamen à Papa, per tacitum eius, aut expressum consensum, aut per eumdem communicatur aliis, vt accidit cùm Parochus plebem sibi at-

Digitized by Google

tributam tradit alteri regendam, qui modi hoc à ſeſe inuicem differunt, quod priori, acquiratur iuriſdictio ordinaria, poſteriori delegata tantum; illa enim reſidet in iis, qui ſunt Paſtores, quibus ex officio incumbit, alienæ ſalutis procuratio, hæc verò ad eos ſolos pertinet, quibus verbo, aut ſcripto eſt commiſſa. Nulla ergo (inquies) ſacerdoti iuriſdictio competit, ab Eccleſia, nam ſi cùm ordinatur fit iudex, tanta ſanè ad abſoluendum authoritate pollet, quanta ad id eſt opus, reliqua ergo eſt nulla, quæ ei communicetur ab Eccleſia. Conſequentia eſt falſa, ad hoc enim vt abſolutio valeat, ab eo dari debet qui iuriſdictionem perfectam habet, non confuſam, cum hæc in perſonas determinatas, & certas cadat, hanc, aut illam, & non aliquam, aut omnes in communi, ergo cùm prior iuriſdictio id eſt perfecta, oriatur ab Eccleſia, confuſa autem, quæ ſola, per ſe eſt manca, & non ſufficiens, ad abſoluendum, originem ducat ab ordine, malè dicitur, nihil accipere ſacerdotem ab Eccleſia, vnde eius abſolutio pœnitenti poſſit eſſe vtilis ac fructuoſa.

QVÆSTIO III.

An qua explicantur alia quæ ſunt ex parte miniſtri neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

PRima Aſſertio. *Requiritur neceſſitate Sacramenti in miniſtro, vt ſit ſacerdos.*

Rem fecit de fide Eccleſia in Trid. ſeſſ. 14. can. 6. & 10. contra Wiclefum de quo Waldenſ. tomo 2. can. 135. & contra Lutheranos, aſſerentes à quolibet quemlibet abſolui poſſe validè, quod eſt erroneum, *ius enim ligandi, & ſoluendi ſolis ſacerdotibus eſt permiſſum ad quos ab Apoſt. eſt tranſmiſſum.* Ambr. lib. 1. de pœnitent. eadem habent Hilar. & Hier. in illud Math. *Quod cunque ligaueris.*

Probatur autem aſſertio. 1. hoc argumento. Eſt abſolutio ex Trident. ſeſſ. 14. can. 9. iuridicialis actio, ſed hæc laïcis, in Eccleſiam, eiuſque membra, diiudicanda in interno, ac pœnitentiali foro, non conuenit, eſt enim iuriſdictio, vnius cuiuſpiam perſonæ prælatio, ſuper multitudinem, aut certum de ea hominum numerum, vt ab ea regantur, iuſque eis ex præſcripto legum dicat, qua poteſtate, in rebus animæ ſalutiſque, munitum eſſe Laïcum quis credat? otiis enim eſt, quam parere oportet, non paſtor, cui regere, & ad paſcua ducere conuenit.

Confirmatur, remitti culpæ nequeunt, ſine poteſtate conceſſa diuinitus, at hæc ſolis eſt Epiſcopis data, ac in eorum perſona ſacerdotibus, ex Tridentino & Scriptura Matth. 18. & Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, &c. Quibus verbis ſignificauit Chriſtus non omnibus conceſſam eſſe facultatem remittendi peccata, ſed iis tantùm qui per ſpecialem ordinationem & Spiritus ſancti gratiam, ad id deputantur, cuiuſmodi ſacerdotes eſſe ſemper Eccleſia credidit ergo hi ſoli ea relaxare poterunt, non Chriſtiani cæteri, ad quos proinde ex mente Trid. ſeſſ. 14. verba hæc, quæcunque ligaueritis, extendi non debent, vtpote qui ſacro non ſint initiati ordine. At enim inquies Diaconis olim licuit peccata corrigere, ea confitenti condonare, vt ſcripſere. Cypr. ep. 17. lib. 3. Orig. & Theodoſ. in hæc verba, quæcunque ligaueritis. Cyprian. eſt hæc oratio:

A *Si Presbyter reperius non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque, exomologeſin facere delicti ſui poſſint, vt manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace.* Quid? quod Tiburienſe Concilium, vt refertur in cap. 2. de furtis, communione fures impertiat, qui crimen ſuum Presbytero, aut Diacono ſint confeſſi, non ſolis ergo ſacerdotibus ius tribuendum eſt clauium.

Reſpondendum eſt Cyprianum, loqui de abſolutione à cenſura, cuius inferendæ, vt poteſtas omnibus committi poteſt, etiam laicis, ſic & ſoluendæ, vt patebit ex dicendis tractat. de excommunicatione. Eſt ſanè, etiam hoc tempore, vſitata Archidiaconorum abſolutio ab excommunicatione, etſi ſint in ſolo Diaconatus ordine conſtituti, cuius infligendæ poteſtatem eos quoque habuiſſe conſtat
B ex lib. 8. Conſtit. Apoſtolicar. Clementis.

Secundo dico agere Cyprianum de abſolutione à pœna, non culpa. Ita Soto in 4 diſtinct. 18. q. 4. Pammel. in eam epiſt. Origenes & Theophy. quod ſpectat ad Concilium dicendum videtur, loqui Patres in eo de condonatione iniuriæ, quæ à ſingulis impertienda eſt deprecantibus, aut abſolutione à cenſura non ergo niſi metaphoricè, ac vt loquuntur in ſenſu morali, peccata Diaconi abſoluebant nempe in effectu cuius ſunt cauſa, non autem literali, & proprio, quem tamen ſpectant Theologi. Quid ſi ſacerdotum nulla ſit copia ecquid poteſt laicus in neceſſitate maximè, vt in naufragio, ad hoc miniſterium admoueri? Poſſe cenſuere Magiſter in 4.
C diſt. 17. art. 3. & alij à Grat. relati in can. quem pœnitet 88. de pœnitentia diſt. 1. vbi hæc leguntur. *Tanta vis Confeſſionis eſt, vt ſi deſit ſacerdos, confiteatur proximo, & ſi ille cui confitebitur, poteſtatem ſoluendi non habet, ſit tamen dignus venia, ex ſacerdotis deſiderio, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis.*

Secunda Aſſertio. *Confiteri laico Confeſſione Sacramentali non licet.*

Nam eo tantùm ad confeſſiones vti Sacramentaliter eſt permiſſum, cui ius eſt, poteſtaſque conceſſa abſoluendi, at ea caret laicus, quare eius abſolutio non modo eſt nulla, ſed etiam vitioſa, & coniuncta irregularitati ex cap. ſi quis de clerico, non ordinato miniſtrante, quam incurrit laicus abſoluendo, & ſic actum ordinis exercendo de quo non
D eſt inſtructus. At enim inquies confeſſionem commendant Patres ad quam in neceſſitate adhibetur laicus, de vera & falſa pœnitentia cap. 10. Beda in hæc verba cap. 5. epiſt. canonis Iacobi. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, æqualibus*, inquit, *confiteamur leuia, ſacerdoti verò quæ ſunt grauiora.*

Reſpondendum confeſſionem, laico factam vſurpatam nunquam eſſe, ad abſolutionem Sacramentalem, ab eo obtinendam, ſed vt pœnitens à narratione peccatorum ſuorum, publicum de iis dolorem concipiat, ac pudorem. Deique erga ſe miſericordiam, hac de ſe nobili victoria, triumphoque commoueat, quare non eſt in præcepto talis confeſſio, ſed quia ſalubriter poteſt inſtitui, in laude atque conſilio. Qua de re conſulendus Bonau. in
E 4. diſt. 17. par. 3. art. 1. q. 1. *A quo diſcet eis qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, ſacerdotem quærendum eſſe, ſcientem ligare ac ſoluere, ne cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam ſtultus euitare noluit.* Auguſt. de vera & falſa pœnit. cap. 10.

Tertia Aſſertio. *Vt abſolutio à ſacerdote collata ſit valida, non eſt ſatis cum iuriſdictione præditum eſſe, ſed*

ſed inſuper eſt neceſſe, vt eius vſum liberum habeat, & non impeditum per cenſuram ſuſpenſionis, ab Ordine, & officio, vel excommunicationis denunciatæ, à legitimo Superiore, vel incurſæ per percuſſionem violentam Clerici, extra Gallias: Quia quo ad actionis efficaciam, idem eſt, vt ad eam omni carere, & illam impeditam eſſe.

QVÆSTIO IV.

An vt valida ſit confeſſio oporteat Confeſſarium ab Ordinario approbatum eſſe.

DIco primò, *Reconciliare pœnitentem fuiſſe olim Sacerdoti prohibitum, ſine conſenſu proprij Epiſcopi.* Concil. Carthag. 2. can. 3. & can. 4. additur, eum, qui ſub vitæ finem reconciliari vult Deo & diuinis eius altaribus, audiendum quidem, ſed ſi Epiſcopus abſens fuerit, eum à Presbytero conſulendum, & ſic periclitantem eius præcepto reconciliandum eſſe, non aliter. *Presbyteri*, inquit Euariſtus, *de occultis peccatis, iuſſione Epiſcopi, pœnitentes reconcilient, infirmantes abſoluant & communicent*, 26. qu. 6. can. 4. *cùm enimuis ſummopere ſit attendendum, vt nihil abſq; proprij Epiſcopi licentia agant, non vtique Miſſas ſine eius licentia in Parochia dicant*, Clem. ep. 3. quàto magis ne abſoluant, ſceleraque pœnitenti remittant?

Dico ſecundò, *Confeſſionem nullam eſſe, proindeque iterandam, factam Sacerdoti non approbato ab Ordinario.* Ita Piaſecius p. 2. praxis cap. 1. art. 2. nu 2. Capeauilla de caſibus reſeruatis, c. 3. q. 1. Nititur aſſertio, primò reſponſione Cardinalium ſacræ Congr. ad Examinatores Leodienſes, de anno 1580. ab his enim illi conſulti ſuper hoc cùm eſſent, reſponderunt confeſſionem factam Sacerdoti non approbato, nullam videri, proindeque iterandam. Accedit Concil. teſtimonium, ſeſſ. 23. cap. 15. ibi enim ſtatuitur, *nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari niſi aut beneficium Parochiale habeat, aut ab Epiſcopis per examen præuium, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium aut alias idoneus iudicetur*, quod Concil. decretum confirmauit poſtea Pius V. ſpeciali diplomate ea de re dato ad Superiores Mendicantium, anno 1581. illic enim magna verborum ſeueritate imperat ne quem ſuorum ad confeſſiones audiendas admoueant, quantalibet Theologiæ doctrina conſpicuum, niſi priùs ab Ordinarijs approbatum: *Decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Confirmatur, actio quæ ſit ab eo qui per Eccleſiæ ſtatuta eſt ad illam inhabilis, eſt nulla, vt patet in matrimonio clandeſtino, quod Eccleſia declarat inualidum, quia contrahitur ab iis, quos eàdem Eccleſia vult eſſe ad contrahendum inhabiles, ſed Eccleſia ſignificat, eum qui approbatus non eſt, eſſe inidoneum ad abſoluendum, & inhabilem: ſi ergo ad id ſe opus accingit, aliter quàm Concil. præſcribit, facit irritè & ſine fructu.

Confirmatur. Duo hæc verba (non poteſt) in aliquo ſtatuto poſita, præciſam neceſſitatem inferunt, actumque contra geſtum, omnino nullum reddunt, vt multorum teſtimonio probat Sanchez 6. de Matrimonio, diſp. 38. ſed lex Concilij quia iubentur Presbyteri confeſſionibus audiendis vacaturi, vt approbari ſe curent, verba allata continet: erit ergo confeſſio eiuſmodi facta Sacerdoti non approbato, nulla. Sancius in ſelectis diſp. 48. n. 51.

A Quid ſi Confeſſarius ſit incola alterius Diœceſis ab ea, in qua moratur ſecularis Presbyter, qui ei conſcientiam ſuam euoluit, etiamne eſt iſtius confeſſio futura rata & valida?

Omnino, 1. quia Concil. nihil præter approbationem in Sacerdote exigit, ad validitatem abſolutionis quam eſt daturus. 2. quia ante Concil. licebat Presbyteris cuiuſquemodi, ac diuerſarum Diœceſeon, mutuam ſibi in confeſſionibus dare operam, quam iis facultatem ab eo ademptam non eſſe, docent de Beia 4. p. caſuum, caſu 5. Viuald. in Candel. tit. de confeſſ. nu. 28. Nau. in can. placuit de pœn. diſt. 6. quare cùm à iure antiquo, & conſuetudine
B non ſit recedendum, niſi quatenus id inuenitur expreſſum in nouo, cap. 2. de tranſlat. Prælator. vt ante Concil. ſic & modo, licebit Presbyteris ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ Diœceſis, ſe mutuò in confeſſione audire, dummodò ſint approbati.

At enim à quo eſt hæc petenda approbatio.

Ioa. Gallo Profeſſor Theol. in Academia Salmant. P. de Ledeſ. de Sacr. pœnit. cap. 12. conclu. 5. Crucius in direct. conſc. p. 2. de Sacram. pœnit. q. 5. diſp. 6. concl. 2. Lud. de S. Iuan q. 7. art. 2. de pœn. diſt. 12. crediderunt eum à quo requirenda eſt approbatio, eſſe Parochum, & ita ab eo ſimplicē Sacerdotem, ab Epiſcopo non approbatum, audien-
C dis ſuorum confeſſionibus, exponi poſſe.

Sed hanc ſententiam non ſequendam docuere Cardinales præpoſiti Conc. controuerſiis dirimēdis vt habet Fay in addition. ad 3. p. D. Th. q. 8. ar. 5. diſput. 1. & re ipſa falſam eſſe tradunt, Fagund. præc. 2. li. 7. c. 2. Zanard. in direct. par. 1. de Sacra. pœnit. c. 26. pro quibus facit & ratio ipſa, nā Concil. eſſ. 23. c. 15. expreſsè Epiſcopi meminit, à quo dicta approbatio ſit petenda, quod nomen, cum re, per illud ſignificata, nunquam ſibi aſſumpſere Parochi. Quare pro ea ad Epiſcop. recurrere, aut eius Vicarium in ſpiritalibus eſt neceſſe.

Quem illum autem? Sacerdotis, an pœnitentis? Solius pœnitentis, adeundum eſſe, docet Laym. li. 5. tract. 6. c. 11. quod ad eum duntaxat, prouidere
D populo, ſibi ſubiecto, de neceſſariis ad ſalutem, & Sacramentorum adminiſtrationem, quæ pertineat ſententia in praxi eſt tuta, & probari hinc poteſt.

Primò, quod vagi & peregrini ſint ſubditi illius Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt: ergo & Sacerdos qui in ea moras agit, ergo vt talis approbari ab eo poterit.

Secundò, non ſunt exempti ſubditi Epiſcopi, & tamen, quia in eius Diœceſi moras trahunt, ab eo approbantur: nihil eſt ergo cauſæ, quamobrem alienigena ei ſe non ſiſtat approbationis cauſa.

Contraria tamen opinio magis facit ad animum, Epiſcopum ſcilicet, cuius iudicium ac conſenſum
E communiter haberi ad confeſſiones oportet, eſſe proprium eius Sacerdotis, qui ſibi facultatem ad confeſſiones dari poſtulat: ratio eſt, quòd approbare, actus ſit iuriſdictionis, hæc autem cui propriè competit niſi Ordinario, reſpectu ſui inferioris, ac ſubditi? iam hoc quæro, an propriè Sacerdos Superiorem alium quàm Epiſcopum, domicilij ſui, originis, aut beneficij habeat? ſi eſt hic ſolus, cui obſequium ac honorem negare Sacerdos non debet, vt Superiori ſuo ac Prælato, ab eo certè, renuntiari debet, dignus eſſe, qui confeſſionibus det operam, ad vtilitatem & commodum plurium. Dixi *communiter*, quia ſi hic cum pœnitente commune domiciliū habet, tum ab eius loci Epiſcopo, tanquam ab Ordinario, approbari quin poſſit nō repugno.

Digitized by Google

A suo autem approbatus Antistite, ecquid alibi, quam in Diœcesi, sola Parochorum voluntate, ac delectu confessiones potest excipere licite? A

Dico primo. *Approbatum in vna Diœcesi à proprio suo Episcopo, censeri idoneum ad Confessiones audiendas in quacunque alia, si non est eius approbatio restricta ad certum locum.*

Ægid. disput. 8. dub. 7. num. 63. P. Fay supra disp. 3. Concil. 4. Regin. lib. 6. c. 16. q. 4. Port. in dubiis verbo Confessor regular. eiusque præsentatio num. 3. p 3. tr. 4. resol. 110.

Causa est quod Concilium, vnius duntaxat approbationis meminerit plures ergo frustra quis postulauerit, in vna ergo Diœcesi qui est approbatus, à Parocho suorum confessionibus audiendis adhiberi, absque noua Episcopi sui facultate, aut examine poterit nisi expresse hoc ab illo fuerit ei prohibitum. B

Confirm. qui pro vno tantùm est oppido approbatus ab ordinario, potest virtute Bullæ cruciatæ à quocunque in confessarium eligi, vt ab eo tam à censuris quam peccatis absoluatur à Costa in explicatione dictæ Bullæ q. 19. falsum est ergo tot ad Confessiones audiendas validè, approbationes exigi, quot sunt Prouinciæ diuersis subiectæ Episcopis, ad quas penetrare sacerdoti est integrum. Sanè cùm hunc approbari ab Ordinario sit quoddã odium & grauamen, restringi illud oportet iuxta regulã iuris, *odia sunt restringenda, fauores ampliandi*, restringetur autem approbatio quæ à Concilio postulatur, si ad vnam reuocabitur. C

Secunda Assertio. *Vt approbatus validè in alio Episcopatu, quam suo absolnæ debent ei dari subditi, in quos potestatem clauium exerceat.*

Ratio est quòd absolutio data à non habente iurisdictionem, nullarum sit vtrium. At ea caret, cui cùm approbatione, non assignantur subditi, quid est enim approbatio? actus animi in Episcopo, aut eius Vicario, quo secum ipsi statuunt, idem postea dicturi aliis, examinatum, ea esse eruditione præditum qua oportet, vt à Parocho, ad Confessiones audiendas, assumi queat, quod cùm facit, præcisè, subditos approbato non assignat, vera est ergo Assert. Ex dictis fit planum, in Parochi iure esse, sacerdotem de cuius ad Confessiones approbatione per Ordinarium, certum habet argumentum, aduocare in partem suæ curæ, eique oues suas absoluendas committere, nam qui iure ordinario, potest Confessiones excipere vt Ordinarius, vices quoque suas in hoc ministerio legare potest idoneo ad id sacerdoti, vt docet Ann. ver. absolut. n. 15. Candid. disq. 14. art. 65 dub. 10. 8. & 7. sed Parochus respectu suorum Parochianorum est ordinarius, habet autem approbatus ab Episcop. quicquid iura, administrationem huius Sacramenti idoneam, postulant. Patet ex Trident. sess. 23. cap. 15. vbi non alij ad nauandam fidelibus operam in expiatione animæ admittuntur, quam *qui Parochiabeneficium, habent, aut alias per examen ab Episcopis, vel aliis idonei iudicantur*, erit ergo in audienda Confessione, officij proximo exhibendi capax, qui ab Episc. testimonium doctrinæ erit consequutus. E

Quid si Parochus, nondum sit sacerdotij charactere insignis? Non interest, facit quidem defectus potestas ordinis, in Parocho, vt absoluere nequeat, quia tamen est in eo potestas iurisdictionis, beneficio annexa, hanc alteri modo approbato, & ad Confessiones exposito committet validè, & cùm fructu.

Quid si à Pontif. aut Episcopo concessum est alicui, vt vbique ad se Sacramenti causa accedentes reconciliet, etiamne ad hanc facultatem addendus est necessario Parochi consensus?

Nequaquam, quia habet Episcopus in sua Diœcesi iurisdictionem omnimodam, ac independentem à Parocho, non est ergo eius consensus de rigore iuris, sed tantùm ex quadam æquitate ei, quem pro tota Diœcesi approbauit Episc. ad Confessiones necessarius Cand. de conf. disq. 24. art 5. dub. 5. Et quia Romani Pontif. ius ac potestas est in vniuersam Ecclesiam, nullo circunscripta limite, nec ab humana pendens potestate, Regularibus facultatem dare potest, omnium, qui vbique sunt fidelium, Confessiones audiendi, qua vti in eorum bonum, Deique gloriam vt queant, nulla est Episcopi aut Parochorum in quorum Diœcesi, aut Parochia, eorum subditis suam operam nauant, licentia necessaria, alioqui sicut notauit auctor proximè à nobis citatus dub. 9. iis sanctæ sedis concessio, foret inutilis, inane priuilegium, ac sine fructu, cum absque eo, de Episcopor. licentia, huic vacare possent muneri. Quid? quod ea peritio, veniæ ab Episcopo, aut Parocho, per Regulares facta, tacita sit quædam veluti Confessio, defectus, ac impotentiæ in Papa, ad concessionem talis licentiæ, à quo omnes iudicio, sensuque abhorrere (si peccare nolint) est necesse.

QVÆSTIO V.

Quinam ordinariam potestatem absolnendi habeant, ac eam alteri delegandi.

Dico primò. *Eam Papa eiusque Vicario, competere in omnes Christianos: hanc enim in persona Petri accepit*: vt dicitur 24. q. 1. canone quodcunque. D

Dico secundò. *Conuenire etiam Episcopis*: habent enim in foro animæ plenam in subditos suos, eorumque culpas iurisdictionem, cap. Deus qui de pœnitentiis, ipsisque principaliter incumbit cura animarum suæ Diœcesis, vt habetur causa 10. q. 1. can. quæcunque & 32. q. 1. can. præcipimus, ita quòd alij Presbyteri sine eorum licentia in Diœcesi absoluere nequeant 16. q. 1. can. cunctis fidelibus.

Dico tertiò, *Parochos item ea potestate præditos esse, & proinde esse ordinarios suorum Parochianorum, quos cùm est necesse committere possint absoluendos approbato alicui*: Habetur in Trid. sess. 23. ca. 15. & 16. q. 1. can. quicunque de pœnitentiis cap. omnis vtriusque: & probatur quia sunt ordinarij Pastores eorum, qui sunt in Parochia cui præsunt, non autem in alia eiusdem Diœcesis aut alterius quia pro ea non censentur approbati, præcisè ex eo, quod fuerint de beneficio Parochiali prouisi, sic censet Guttieres libro primo, canonicarum quæstionum c. 27. numero 21 Dixere eandem sententiam Cardinal: interrogati enim an prouisi de Parochiali Ecclesia, censendi essent approbati tanquam idonei audiendarum Confessionum ministri tota Diœcesi: responderunt, vt refert Piasec. 2. par. praxis cap. 5. art. 2. n. 4. *Non videri nisi intra duntaxat cimiterium, vel oppido vbi sita est Parochialis non autem passim per totam Diœcesim.* Potuerunt tamen de licentia Parochi in cuius Parochia versa

buntur audire confeſſiones eorum qui opera ſua ad id vti volent, non modò intra eandem Diœceſim, ſed etiam in confinio alterius, quia ad id ambo Parochi tacitè conſentiunt, quod multis rationibus ex iure antiquo, maximè ex can. placuit de pœnit. diſt. 6. probat Suarez diſp. 18. de Sacramentis, ſect. 4. num. 17. & inſuper conſuetudine, *quam*, inquit, *ſcimus eſſe inter nos, vt Parochi mutuò ſe iuuent ex ſolo ſuo conſenſu, non ſolùm intra eandem Diœceſim, ſed in confinio diſtinctarum.*

Dico quartò. *Qui ordinariam habet poteſtatem abſoluendi, poſſe eam delegare alteri Sacerdoti.* Habetur cap. 9. omnis vtriuſque de pœnitentiis, ibi enim dicitur, quòd quiſque confiteri debeat proprio ſuo Sacerdoti, qualis eſt Papa, Epiſcopus, Parochus, aut alteri de eius licentia: hanc ergo proprius Sacerdos dare poteſt, ergo & delegare, quod fuit probandum.

Dico vltimò, *licere etiam Vicario, ideſt, ei cui officium Parochi abſentis eſt commiſſum, aut nondum initiato ſacerdotio, cùm illud ſolus explere non poteſt cõmittere partem eius alteri, maximè verò audiẽdi confeſſiones, accedente tamen voluntate actuali, aut præſumpta Ordinarij & delegantis Parochi.* Partem dixi, quia ei non eſt permiſſum, Vicarium Parochiæ facere, ſed tantùm cooperatorem ſuum in hoc aut illo exercitio iuriſdictionis, aut Paſtoralis officij. Ita Syluester, verb. Vicarius, q. 5. Nauar. in can. placuit de Pœnitentia, diſt. 6. Ratio eſt, quòd Vicarius facultatem ad id habere videatur à Superiore delegante, ſaltem tacitam, cùm enim non poſſit perpetuò domi eſſe, ac etiam ſæpè ſit neceſſe eum ab ea abeſſe, & à Parochia, ratio exigit, vt tunc ei permittat Parochus, ſuo loco alium ſubſtituere, ſaltem ad breue tempus, ne interim Parochiani Sacramentis careant, in maxima ſua neceſſitate ſpirituali.

QVÆSTIO VI.

Quinam habeant iuriſdictionem delegatam tam à iure quam ab homine.

PRima Aſſertio. *Quilibet Sacerdos etſi non approbatus validè quemlibet abſolut tam à caſibus reſeruatis, quàm excommunicationibus, in mortis articulo, eiuſque periculo.* Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. eiſque hæc poteſtas de iure communi, cùm Sacerdotibus concedatur à Conci io: rationes, quibus hæc opinio nititur, ſunt ſequentes.

Prima, quòd ius diuinum humano impediri non debeat: ſed quilibet iure diuino in mortis articulo confiteri debet peccata ſua Sacerdoti, ergo ſi tunc nullus alius occurrat, niſi præciſus aut hæreticus, illis quoque confiteri debebit.

Secunda eſt, quòd ab Eccleſiæ benignitate abhorreat, aliquem in eo articulo priuati neceſſario præſidio ſalutis, priuaretur autem, ſi interdictum foret agenti in extremis, confiteri hæretico, aut præciſo, ſeu excommunicato in mortis articulo, quia fieri tunc poteſt, vt æger ſit tantùm attritus, proindeque ad gratiam extra Sacramentum indiſpoſitus, quare & ſalutis conſequendæ incapax, quibus malis occurritur per Sacramentum, cuius beneficio pœnitens ex attrito redditur contritus.

Secunda Aſſertio. *Ita mortis articulus, pœnitenti largitur, quemlibet vt Sacerdotem poſſit deligere, à quo abſoluatur, vt etiam id illi ſit permiſſum, præſente proprio Sacerdote.* Ita Emman. Sà, verb. abſolutio, num. 4. Comitolus Reſponſ. lib. 1. q. 22. Huius aſſertionis ratio petenda eſt ex Trid. ſuprà, vbi PP. volunt reſeruationem in dicto mortis articulo ceſſare, ergo & reſeruatorem.

Secundò, voluit Concilium illo ſuo decreto libertati conſcientiarum, & ſaluti confitentium conſulere in illo articulo, vt patet ex eius verbis, ſed vtique multum officit obligatio confitendi proprio Parocho, cùm multi, authore D. Thom. in 4. diſt. 19. q. 3. art. 4. reperiantur tam infirmi animi, vt malint ſine confeſſione mori, quàm proprio Sacerdoti confiteri: ergo non eſt improbabile à Concilio ſublatam eſſe neceſſitatem ei tunc confitendi.

Quarta Aſſertio. *Delegatam iuriſdictionem habent, reſpectu omnium Chriſti fidelium ſe illis ſubiicere volentium, etiam in Paſchate, Religioſi, qui ſunt de Ordine Mendicantium, quo nomine etiam intelliguntur hi, qui eorum priuilegiis, Papæ benignitate potiuntur.* Habet hæc Aſſertio fidem à Bullis Pontificum, vt Clem. V. in Concilio V. quæ incipit dudum de ſepult. Clement. 8. data contra Parochos Flandriæ, anno 1593. Bonifac. VIII. in extrauag. ſuper Cathedram de ſepultura, vbi monentur Superiores Religionum, vt quos iudicauerint ex ſuis aptos ad confeſſiones audiendas, eos Epiſcopo offerant approbandos, pro quibus & petant facultatem, quam ſi dicti Epiſcopi negauerint nos inquit Pontifex, *Ipſis vt confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè ac licitè audire valeant: & beneficiũ abſolutionis impertiri gratioſè cõcedimus de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ*, quam gratiã illidem quoq; indulſit eius ſucceſſor Benedict. XI. in extrauag. inter cunctas de priuilegiis, & Ioann. 22. in extrauag. vas electionis de hæreticis, vbi contra Ioannem de Poliaco, docet eos qui confitentur in Paſchate Religioſis, non teneri magis ad peccata eadem iterùm confitenda Parocho, quàm ſi ei confeſſi fuiſſent, quibus adiungi poteſt hæc ratio, Quòd præcepto Eccleſiæ ſatisfiat, cùm peccata exponuntur proprio Sacerdoti, aut alteri, de eius facultate, vt habetur cap. omnis de pœnitentiis: at Papa proprius eſt Sacerdos, cùm ſine temeritate, dici non poſſit ei prohibitum eſſe vacare confeſſionibus audiendis fidelium, ergo accedente eius conſenſu, confeſſio peccatorum fieri poterit Religioſis, tanquam eius delegatis: vt hæc autem ſit valida, non debet excipi niſi ab approbato, & examinato ab Ordinario, Clementina dudum de ſepulturis, Leo X. in Conc. Latera. Conſtitutione quæ incipit, dùm intra mentis arcana, quam innouauit Pius V. diplomate ſpeciali, de anno 1581. quæ Ordinatio reuocata non fuit per reductionem priuilegiorum regularium ad terminos Concilij factam à Gregorio XIII. vt declarauit ſacra Congregatio Concilij, referente confectore in forma priuilegiorum Mendicantium, titul. 15.

QVÆSTIO VII.

Quinam ex conſuetudine habeant iuriſdictionem in peccata.

PRima Aſſertio. *Ex conſuetudine Sacerdotes omnes poteſtatem habent abſoluendi venialia aut mortalia iam remiſſa:* Cauſa non eſt alia quàm tacita Eccleſiæ conceſſio, quæ iuſtè dictis Sacerdotibus negari non debuit, cùm eorum explicatio ſit libera.

At ſine iuriſdictione cõcidit abſolutio, ea verò Sa-

cerdotes omnes, etiam non approbatos, præditos esse quis putet?

Respondendum Sacerdotes ea non carere, hanc autem eos accipere participatam à Rom. Pontifice, vt colligitur ex consuetudine, quæ semper fuit ea de re in Ecclesia, consulantur D. Tho. 3. part. in addit q. 8. art. 3. Nugnus ibi dub. 1. solutione ad octauum argument. Candid. disq. 24. de conf. art. 56. dub. 12.

Secunda Assertio. *Ex consuetudine introducta, ac per tacitum Episcoporum consensum firmata sacerdos quilibet, modo approbatus absoluere potest à mortali quemlibet alium sacerdotem.*

Sa verbo confessio num. 1. Suar. disp. 27. sect. 3. num. 3. facultatis huius concedendæ causa fuit, quod olim sacerdotes tanta essent vitæ integritate, vt crederentur in peccata mortalia non labi, prudentia verò tanta, vt non nisi pios ac eruditos sibi confessarios eligerent.

Tertia Assertio. *Approbatus quilibet habet ex consuetudine iurisdictionem in vagos, id est eos, qui nusquam stabilem sedem habent.*

Sa verbo confessio. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 7. Nugnus tom. 2. in 3. p quæst. 8. art. 3. quia quod certo homini explicare peccata oporteat in Pascha te, id oritur ab Ecclesia imperante, ne id fiat alteri, quàm proprio sacerdoti, aut alteri de eius licentia, sed vagorum nullus est proprius sacerdos, ergo certo nulli confiteri debent homini, possunt ergo approbato cuilibet, quod autem vagi Parochiam non habeant, sic ostenditur. Parochia acquiritur ratione domicilij, aut habitationis, sed domicilium vagi nullum habent, nec propriè in vrbe, vbi versantur pro tempore, habitant, sed hospitantur tantum, ergo, &c. Quæ autem vagorum, eadem est quoque ratio mercatorum, mercenariorum, non habentium domicilium in vrbe, in qua eos degere, tempore Paschatis accidit, quare vt illi confiteri possint in Parochia, approbato cuilibet, ita, & isti.

Suar. aliter visum, negat enim, vagis ius esse eligendi alterius, apud quem confessionem deponant, quam Parochi, sed vt ex dictis hæc affert. est planum, nulli proprie eos subdi, ac proinde isdem integrum esse, quilibet vti de expositis in Parochia, ad expiationem animæ.

Quarta Assertio. *Sacerdos qui est expositus ab Episcopo, peregrinantes audire licet in eo loco, ad quem deuotionis causa veniunt.*

Ita Caiet. verbo absolutio, ex parte absoluentis Sylu. verb. Confessor. 1. q. 11. quia Ecclesia vsum illis Sacramentorum, quatenus, & qualis est ad salutem & profectum animæ necessarius, tacitè permittit, ergo & id. sine quo, hæc frequentari vtiliter, ac fructuosè nequeunt, huiusmodi est absolutio Sacramentalis peccatorum per Presbyterũ, ergo ex tacita Ordinationum voluntate per consuetudinem confirmata, licet peregrinus ad quemlibet sacerdotem de expositis, Confessionis causa accedere, & ab isdem etiam in Paschate, Sacramentum Eucharistiæ suscipere. Laym. supra num. 9. Sylu. verbo Confessor. 1. q. 11. Sa eodem verb. num. 2. Suar. disp. 25. sect. 2. parag. 4.

QVÆSTIO VIII.

Cui facienda sit Confessio in Paschate.

NOn hîc repeto quæ ex instituto proximè sunt dicta de ministro pœnitentiæ, tantùm quæro an facta Confessio alteri quàm Parocho, in Paschate, sit valida sine eius licentia. Dubitandi ratio petitur ex verbis canonis, omnis vtriusque sexus, vbi quisq; sistere se proprio sacerdoti iubetur, qualis est (inquiunt) contrariæ sententiæ authores Parochus, & non alius, ex quo inferunt quod illi soli, aut alteri de eius licentia facta Confessio, sit valida, quid sentiendum sit, exponam aliquot assertionibus.

Prima Assertio. *Proprius sacerdos non est is tantum cui proximè animarum cura est commissa, ideſt, Parochus.*

Probatur. Si proprius sacerdos esset solus Parochus, sine eius facultate facta Confessio Papæ, aut proprio Episcopo nulla esset, cum in can. iubeantur fideles confiteri sacerdoti, aut alteri de eius licentia: at hoc dicere, vt nihil grauius dicam, minimùm ridiculum est: nam cui iurisdictio ordinaria absoluendi competit is independenter à quocunque alio validè potest absoluere. Tales sunt Papa, Episcopus, cum sint pœnitentium superiores in foro conscientiæ: illis enim dictum est, Pasce oues meas, primò, & per se, & secundariò tantùm Parochis, qui non sunt illorum nisi substituti. Ita apparet ex Nauarro in can. placuit de pœnit. dist. 6. n. 134. Syluestro verbo Confessio 1. q. 1. tres propriè, proprios cuiuslibet esse sacerdotes, Papam, Episcopum & Parochum, quibus Primas & Archiepiscopus adduntur à nonnullis, sed immeritò. Nam vt ait Sotus art. 2. Anglez q. 8. de Confessione non habent ordinariam iurisdictionem in foro conscientiæ, in subditos sibi Episcopos, ac eorum Diœcesanos, quia Episcopi immediatè sunt subiecti Papæ: ob quam causam, appellantur in iure Prælati immediati, & exempti, habent tamen Archiepiscopi, tam in illos, quam eorum subditos, externam potestatem, cum visitant eorum Diœceses, quia & illos arguere, & indulgentias concedere possunt, vt habetur in cap. nostro de pœnit. & remiss. & cap. finali de censibus in sexto.

Ex his patet solutio argumenti allati initio, cuius minor est neganda, proprius enim sacerdos est idem, ac habens iurisdictionem ordinariam, ex Gabriele in 4. dist. 17. q. 2. art. 2. Medin. cod. de confessione facta fratribus priuilegiatis.

Secunda Assertio. *Potest summus Pontifex validè dare facultatem cuilibet sacerdoti absoluendi fideles, vbilibet existentes.*

Tuetur se hæc assertio 1. authoritate Clementis IV. in Bulla quæ incipit, quidam temere, vbi ait erroneum esse dubitare, an Pontifex, huiusmodi facultatem dare possit. 2. ratione. 1. est talis, iuris canonici concessu, potest Ordinarius quilibet, authoritatem suam cùm altero communicare, dummodo per eam communicationem, communicantis vtilitati, ac populi consulatur, nec vllius violetur authoritas, at hæc in præsenti causa, concurrunt omnia.

Est enim Roman. Pontifex Ordinarius omnium fidelium, cui soli conuenit principatum iurisdictionis habere, eamque immediatam à Christo Domino, in vniuersa Ecclesia can. fuit semper can.

Digitized by Google

cuncto 9. q. 3. can. est aliud, 24. q. 1. cæteris autem Episcopis communicatam per Papam, & dependenter ab ipso, can. ita Dominus, dist. 19. nec est istiusmodi priuilegij communicatio Papæ noxia, aut alteri, sed potiùs vtilis, cùm eius beneficio Parochi alleuentur onere confessionum audiendarum, subditis autem eligendi Confessarij libertas detur, quo nihil ad pacem conciliandam animæ, videtur efficacius, nullius est ergo eiusmodi priuilegiorum concessio, damnosa, aut inutilis.

Secundò, fidei Catholicæ dogma est, Pontificem Romanum, ab iis delectum, quibus ius est eius eligendi, receptumque ab Ecclesia, verissimum esse Christi Vicarium, quo supposito: sic disputo. Quæ Christò Domino fuit, cùm in terris adhuc nobiscum ageret, in procuranda salute hominum, regendaque Ecclesia, commissa à Deo Patre authoritas, hæc eius charitate, ac indulgentia, est eius attributa Vicario, dixit enim Petro, & Apostolis, *Sicut misit me viuens Pater*, soli autem Petro, *tibi dabo claues regni cælorum*, &, *Pasce oues meas*, Ioan. 2. qua oratione significat Christus amplissimam fore, Papæ in animarum, ac Ecclesiæ procuratione potestatem, sed nemo ambigit, qui modò sit Catholicus, quemlibet audiendis confessionib. fidelium posse à Christo, cũ iurisdictione, ac authoritate necessaria præfici, ergo & à Papa, alioqui quæ Christi, eadem non esset istius in administranda Ecclesia authoritas.

Tertiò, quod est à Pontifice olim factum cum laude ac approbatione omnium, & nunc quoque ab eo fit honestè, & validè, nam vt errare in fide non potest, ita nec in moribus, causaque animæ, vt faceret si ab eo data facultas confitẽdi alteri, quàm proprio Sacerdoti vitiosa foret, aut inutilis, cùm infiniti, qui retroactis sæculis ea sunt vsi, malè periissent, quod est improbabile: at tale priuilegium quibusdam de facto est datum à Pontificibus, vt constat ex extrauaganti Benedicti XI. quæ est prima de priuilegiis Bonifacij VIII. Ioan. 22. quæ incipit, vas electionis de hæreticis. Ergo si hoc tempore datur à Pontifice, dari quoque validè est necesse, sæcula ergo præterita, nostraque, repetamus memoria, & num Pontificum, ea amoris erga nos monumenta; in concessione gratiæ ad absoluendum necessariæ extent, quæ, & qualia dicimus, tantisper animi causa videamus.

Lubet ordiri ab Innocent. IV. qui anno 1244. Religiosis è S. Francisci disciplina, profecturis ad infideles, & barbaros, facultatem benignè impertiit, quandiu in eorũ prouincijs morarentur, Christianos, si quos in iis reperissent, reconciliandi Deo, & Ecclesiæ, censurarum, si quibus innodati forent, relaxatione gratuita, ac liberali, *Authoritate*, inquit, *Præsentium vobis indulgemus, vt cùm in Saracenorum, Paganorum, aliorumque infidelium terra fueritis, liceat vobis Christianis ibidem commorantibus, confessione suorum peccatorum audita, salutarem pœnitentiam iniungere, & ipsis, si aliquibus excommunicationis sententijs, sint astricti, iuxta formam Ecclesiæ, absolutionis beneficium exhibere.*

Innocentio successit Alex. IV. à quo indultum est Mendicantibus, an. 1258. vt de licentia Legatorum Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij locorum, liberè possent prædicare populis, audire confessiones, pœnitentias iniungere, Bulla 24. Cùm olim temerè. Innocentium imitati sunt Clemens IV. in Bulla, Quidam temerè 10. & Martinus IV. ambo Pontifices, ille anno salutis 1268. hic 1281. qui pati eos gaudere iure voluere, dummodo ad eam prouinciam administrandam, sola Superiorum authoritate, non suâ venirent.

Par prioribus, in amore erga Regulares; Bonifacius Papa VIII. extitit, indicant hæc eius verba petita ex Bulla, cui initium, super cathedram de sepulturis in extrauagantib., *Vt de eorum* (id est, Episcoporum) *licentia, gratia, & beneplacito in ciuitatibus & Diœcesibus eorumdem, huiusmodi personæ, sic electæ confessiones sibi confiteri volentium audiant.*

Bonifacio successit Benedictus eius nominis XI. cuius, quis de præsenti quæstione sensus fuerit, loquitur eius extrauag. inter cunctas, de priuilegiis, ordine prima, quæ quia est ad manum, nihil hîc ex ea transcribam, est in tit. 7. lib. 5. extrauag. inde, si erit animus, peti poterunt, quæ in rem præsentem faciunt, decretis Innoc. & Clem. consentanea. Longum esset ire per singulos, quare misso Clem. V. de quo postea, Ioann. 22. in extrauag. vas electionis. Nicol. V. Bulla 2. Sixto IV. Bulla 11. & 14. Leone X. Bulla 22. & 45. lubet rem vniuersam duorum aut trium testimonio conficere. Ordinem ducet Eugenius eius nominis VI. Bulla 22. cui initium commissum nobis cœlitùs. *Quicunque* (inquit.) *deputati Confessores idonei, quorumcunque vtriusque sexus fidelium, confiteri volentium, quotiescunque ipsis placuerit confessiones audire, & licitè possint, ac valeant*: Pauli IV. ac Pij V. idem extitit aduersus Regulares amoris sensus, quẽm iste posteris, anno 1567. testatum esse voluit motu proprio, in quo est his verbis: *Per totum orbem omnium vtriusque sexus fidelium, deputati Confessores, confessiones etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos Fratrum, audire possint authoritate Apostolica decernimus.*

Agmen claudet Clemens VIII. hic enim cùm audisset turbas contra Religiosos cieri à Belgij Parochis, iniuriam sibi ab iis fieri querentibns, quod non petita priùs, ac impetrata à se licentia, quoslibet promiscuè ad confessiones admitterent, eas authoritate sua, ac sermonibus sedandas credidit: datis ergo ad Episcopum Tricoricensem litteris, eum primò officij, Parochosque Belgas paternè admonet, exinde tanquam ex tripode locuturus oraculum, quod verteret in consequentium ætatum commodum, *Præsenti*, inquit, *nostro decreto sancimus, sæculares Christi fideles vniuersos, tam Fratribus Prædicatoribus & Presbyteris Societatis, quàm aliis priuilegiatis, idoneis tamen, ab Ordinario approbatis, peccata sua etiam Quadragesimali & Paschali, & quouis alio tempore confiteri licitè posse.* Vera est ergo argumenti Consequentia, vera Minor: producamus alia.

Tertium argumentum. Quod potest inferior, potest & validè facere Superior, in eo in quo est Superior, cùm ab isto in illum deriuetur authoritas: sed Curatus potest sibi substituere Vicarios, Episcopus Pœnitentiarios, per quos hic & ille suorum confessiones excipiant, vt praxis indicat: ergo & Papa, qui est Episcoporum Episcopus, ac eorum Superior.

Quartum. Non magis est eximere aliquem à potestate subiectiua Parochi, quoad confessionem ei faciendam, circa Pascha, quam Religiosos, à receptione Sacramentorum de eorum manu, qui sunt illorum, de iure communi Ordinarij, at hoc secundum validè facit Papa, non obstante canone, omnis vtriusque, ergo & primum.

Tertia Assertio. *Non videntur vnquam peccare fideles, vtendo priuilegiatis, etiam in Paschate, ad reconciliationem sui, cum Deo, per absolutionem.*

confitenda proprio Sacerdoti, quem dicebat Parochialem ſolum eſſe Curatum; id enim quod hæreſim ſaperet, quod à ſacra doctrina alienum foret, à Catholicorum animis, ac ſenſu eliminandum, decreuiſſe ſe de Cardinalium Concilio Papa narrat, in Bulla, vas electionis de hæreticis, doctrinam autem contrariam, veram, ac Catholicam eſſe, ſcilicet quòd illi qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterùm, quàm ſi aliàs confeſſi fuiſſent, eorum proprio Sacerdoti, iuxta Concil. Generale.

Et verò quod eſt ſecundùm Aſſertionis noſtræ firmamentum. Qua confeſſione ſatisfit præcepto diuino, eadem quoque impletur Eccleſiaſticum, cùm hoc ſit tantùm diuini determinatio; ſed illi ſatisfit per confeſſionem peccatorum, factam ei, qui directè ab illis poteſt abſoluere, ergo & illi, id eſt, Eccleſiaſtico: Sed ex conceſſione Alexand. IV. & Clementis IV. priuilegiati directè poſſunt abſoluere à culpis, etiam non petito conſenſu Parochorum, vt dicitur in dictis priuilegiis, quorum meminere, monumenta Minorum, fol. 26. & Rodrig. tom 1. q. 60. art. 8. Maior eſt certa: Minor probatur. Præceptum diuinum non obligat ad confeſſionem peccatorum, niſi in ordine ad effectum conſequendæ eorum veniæ, ſed eam obtinet, qui à peccatis ſuis abſolmitur, ab eo qui poteſt: ergo per quam confeſſionem abſoluetur quis à culpis ſuis, eadem ſatisfiet præcepto diuino, & Eccleſiaſtico de ea aliquando facienda.

Obiicies 1. Nulla priuilegia valent in Gallia, niſi quæ ſunt recepta, eademque fauorabilia: at quæ dantur Regularibus, ad excipiendas confeſſiones ſæcularium, non ſunt admiſſa, nec fauent Parochis. Maior & Minor ſunt falſæ: Maior quidem, quia ad poteſtatis Eccleſiaſticæ functionem, vſumque, in remiſſione peccatorum, nulla eſt neceſſaria publicatio, vt patet in Vicariis, Subſtituiſque, per Parochos, qui nuſquam ſunt viſi, nec auditi publicè, multò minùs de loco ſuperiore, fideles de facultate ſua certiores facere.

Secundò, quia ſubſtitutio Religioſorum per Pontificem non eſt priuilegium, ſed actio iuris communis, cùm in canone *omnis*, dicatur fidelibus licere, proprio Sacerdoti, aut alteri, de eius licentia confiteri: at Papa proprius Sacerdos eſt, etſi nõ immediatus, Regulares autem, eius ſubſtituti, atque Vicarij in hoc munere. Minor ſimiliter eſt falſa, quia Religioſi cum ſuis priuilegiis, eorumque libero vſu, recepti ſunt in Gallia à Regibus, eorumque Parlamentis, reſ ipſa indicat, alioqui eorum opera vti, in repurganda conſcientia nulli impunè foret, quod tamen experientia falſitatis arguit.

Obiicies 2. *Conceſſum alicui priuilegium, intelligendum eſt ſine præiudicio tertij, vt dicitur in cap. paſtoral. extra de priuil.* At quæ ſunt à Pontifice data Mendicantibus, Parochis nocent. Minor eſt neganda. Primò, quia magno leuantur onere Parochi, cùm quæ ipſos oportebat facere, nec ſine magno eorundem incommodo, Religioſi in Sacramentorum miniſtratione obeunt, de quo eiſdem à Parochis agendæ ſunt gratiæ. Secundò, non præiudicatur tertio ſine læſione iuris ei debiti: at prætexere Parochi contra Pontifices, ne per ſe, aut priuilegiatos, fidelium peccata abſoluant, iuſtè quì poſſunt? Tertiò, indulta beneficia in detrimentum tertij non cadunt, quãdo per ea nihil adimitur ei, cui fieri præiudicium dicitur: at ius audiendi Parochiam non eſt Religioſis, ipſorum causâ conceſſum, ſed fidelium, quibus vtilis eſt hæc conceſſio, Deo verò, ac Pontifici glorioſa, Parocho autem nullo modo noxia, non eius ſaluti, non famæ, non nomini aduerſa, eſt ergo allati argumenti Minor falſa.

Obiicies 3. Derogari nequit iuri cõmuni per priuilegium, quòd autem Regulares de iure conſcientiæ in Sacramento reſpondeant, eamque per abſolutionem emaculent, priuilegium eſt, iuris autem Ordinarij, ac communis, quòd ſinguli confiteantur Parochis.

Maior eſt falſa, patet *ex cap. 5. cùm ordinem de reſcriptis*, vbi Ciſtercienſes liberantur à decimarum ſolutione, de terris, quas per ſe aut aliòs colunt, quarum tamen penſitatio eſt de iure communi, & ex iuſtitia, niſi aliunde compenſetur, debita Parocho. 2. Nego hoc priuilegio derogari iuri communi, quid enim imperat? quid iubet? confeſſionem annuam proprio Sacerdoti fieri, aut alteri de eius licentia, habet id verò hîc locum, cùm à Papa Paſtorum Paſtore, priuilegiatis demandantur hæc munera.

Obiicies 4. In extrauaganti Martini V. ad vbera, quam refert Medina ſuprà, præcipi vt *qui Fratribus Mendicantibus fuerint confeſſi, teneantur nihilominus Sacerdoti Parochiali ſemel in anno confiteri, prout in Concilio Lateranenſi eſt inſtitutum.*

Reſpondeo 1. ea verba in extrauaganti non legi, proindeque nihil nobis, nihil veritati hac obiectione noceri. 2. at eſſent dictæ extrauaganti inſerta, eis tamen derogatum eſſe à Martini ſucceſſoribus, quorum extant in Religioſos, ſuper re de qua agimus, priuilegia, ſine reſtrictione vlla, multa & illuſtria. 3. Addi poſſe Martin. non abſolutè loqui, ſed ex hypotheſi alicuius peccati admiſſi, poſt factam confeſſionem Mendicantibus, quod haud dubiè confiteri Sacerdoti proprio, ante Communionem, aut alteri debent, cum eius facultate, niſi ad priuilegiatos redire eius rei causâ velint.

Obiicies 5. Prou. 27. dici paſtori, pecoris ſui agnoſcendum eſſe vultum, idque fieri propriè explicatione vitæ ſuæ in confeſſione, eſt ad eam ergo adhibendus Parochus, pœnitentis verus Paſtor. Reſpondendum, ibi de cognitione interna animæ, per pœnitentiam non agi, ſed de externa tantùm, ac membrorum: argumento eſt, quòd à Chriſto, inſtituta non ſit confeſſio, niſi multis poſt Salomonem ſæculis, ergo ei de ea re ſermo nullus eſſe potuit, aut ſi fuit, probari id cupimus loco aliquo Scripturæ, qui fidem mereatur, & non coniecturâ aliqua vana, ac inutili. Deinde ſcire de Parochis cupio, an per Vicarios, & alios, quibus annuerint vacare audiendis confeſſionibus, in ſua Parochia, melius id poſſint aſſequi, quam per Regulares, ſi nequeunt, cur inaniter tumultuantur? cur turbantur & turbant?

Obiicies 6. nullam in canone *omnis*, mentionem Regularium nullã conceſſi illis priuilegij fieri. Reſpondendum 1. nullum hîc eſſe priuilegium, ex dictis anteà. 2. de Regularibus mentionem fieri ſaltem implicitè, cùm iubentur fideles confiteri proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia, quod facit quiſquis ad reconciliationem ſui cum Deo, priuilegiatos adhibet, cùm poteſtatem ad id nullam habeant niſi concedente Papa.

Obiicies 7. Papa communis eſt Sacerdos Parœciarum omnium: at proprium, & commune cùm opponantur, non erit Papa proprius vllius loci Parochus, ergo nec licentiam poterit ad confeſſiones neceſſariam facere. Reſpond. cum D. Thom. Opuſc. 19. contra impugnantes Religionem, proprium ſumi 1. prout opponitur communi, & ſic Religioſus

cum iis in omni irregularitate, excepta ea quæ ex homicidio voluntario oritur, bigamia, & mutilatione membri. Portelius de dubiis Regular. verbo Confessor erga Fratres, num. 15. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 19. idque sine Superioris venia. Suares ibid.

A

Dubitatur 2. *An de omnibus absolui possint ab ordinario Confessario domus.* Nequaquam, quia iudicari quisque debet, ac absolui, iuxta facultatem Iudici suo traditam: at ordinarius communiter eam non habet à Prælato suo, absoluendi à reseruatis: ergo non ordinarius, sed Prælatus, est, eius rei causâ, ab inferiore adeundus.

Dubitatur 3. *A quo de reseruatis in Religione, impetranda sit eorum absolutio, ab his qui illis tenentur implicati. A Generali, Prouinciali, aut Guardiano Conuentus, vbi manet qui eo beneficio indiget*, à Generali concedi potest omnibus, qui sunt in Ordine à Prouinciali Fratribus suæ prouinciæ, aut hospitibus, ad eam declinantibus: A Guardiano, aut Priore, omnibus, quos domi, disciplinæ suæ alumnos habent, aut casu ad eam de via deflexerunt, vt hospites, oportuit enim hos omnes ea potestate præditos esse, sine qua mancum esset eorum imperium, regimen imperfectum, eiusmodi hanc esse, de qua hîc agitur, vt ipse non dicam, satis intelligunt, qui benè, qui placidè, ac tranquillè, homini esse non posse sciunt, quandiu eius animus culpæ alicuius lethiferæ conscientia mordetur.

B

Est hæc potestas insuper per commissionem in Confessariis ordinariis domus, quando illis est, ab eorum alterutro, de quibus est dictum initio huius dubij, data liberaliter ac benignè, quod possunt ipsi facere, eo quòd iurisdictio, quæ est ordinaria, sit delegabilis, vt aiunt: at quæ competit Superioribus Ordinis, est talis, manat enim ex officio, quod in Religione obeunt, & ex priuilegio perpetuo, cuius sunt hæc verba: *Concedimus Magistro Generali* (Prædicatorum scilicet) *vt singulis Prioribus de Conuentualib. Fratribus eiusdem Ordinis ibidem constitutis, nec non & Fratribus aliis eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus, vndecumque absolutione, & dispensatione indigentibus, absolutionis beneficium, vt possint impertiri*, sic Gregor. X. fuit quoque eadem gratia concessa Minoribus à Clem. IV. vt notauit de la Cruz, lib. 1. de voto obed. cap. 6. dub. 11. Rodrig. q. 21. art. 3. qq. Reg.

C

D

Dubitatur 4. *An absente Superiore, Guardiano, aut Rectore, possit qui in eorum regimine vices agit, dare potestatem absoluendi à reseruatis.*

Posse censent Pierinus in priuil. Minim. tom. 1. Constit. Sixt. 4. §. 6. Homob. in Exam. ecclesiast. par. 4. tract. 5. c. 4. q. 21. causas ita sentiendi duas habent, primam, quòd eiusmodi Vicarij, domui præsint, cùm ab ea Superiores abesse accidit, sunt ergo ea potestate præditi, ex tacita concessione Ecclesiæ, Pontificis, ac Superiorum Ordinis, alioqui malè prouisum esset Fratribus, eorumque saluti, ac paci, si de commissis absolui auctoritate Vicarij non possent. Causa altera est, quòd æquitas postulet, vt qui oneris, idem quoque & honoris sit particeps: at præesse, alterius tantùm loco, & nomine, onus est, posse autem benè mereri de subditis, concessione facultatis passiuæ, vt à reseruatis absolui queant, prærogatiuæ instar habet: hanc ergo negare Vicariis nec decet, nec oportet.

E

Vt ea autem vtantur validè, tria concurrant est necesse, scilicet permissio Ordinis, saltem tacitâ, diuturna Superioris absentia, & bona fides absoluendi. Permissio quidem, nam si per statuta Ordinis prohibitum esset istis Vicariis, quidquam in fauorem pœnitentium, absente Superiore, aggredi, facultas ab iis data, aut danda Regularibus sibi subiectis, ad absolutionem consequendam de peccatis suis reseruatis, inanis foret, ac nulla, & si eo die rediturus esset Superior, vel in fraudem debitæ ei reuerentiæ, ad diem, quo sciebatur abfuturus à Monasterio, distulisset absolui à reseruato, potestas eis à Vicario neganda esset, recipiendæ absolutionis ab eo, qui cum facultate destinari ad similes casus est solitus.

Dubitatur 5. *An si Religiosus habens casum reseruatum, eò appellat vbi non est, de eo absolui possit à quolibet, de expositis in eo Cœnobio.*

Respondendũ posse, est ausae quòd in absoluendo, leges quisque suæ Prouinciæ, Cœnobij, aut Episcopatus, sequi debeat, & non alterius, ergo si in eo Conuentu ad quem ex itinere Regularis deflexit, peccatum cuius est ipse conscius, non est de numero reseruatorum in eo Cœnobio, de eo à Confessario quolibet qui auctoritatem ad cætera remittenda communem habet, absolui poterit, etiamsi deditâ operâ, eo prædictus pœnitens venisset, ne se Superiori petendæ veniæ causa cogeretur sistere.

Dubitatur 6. *An Regulari liceat confiteri Sacerdoti sæculari, aut Religioso alterius Ordinis sine licentia.*

Respondendum negatiuè ratio est, quòd communiter, id per statuta Ordinũ singulis Regularibus sit prohibitũ, præterquàm in itinere, Portelius de dub. Regul. verb. Confessor erga Religiosos, num. 12. quia tunc ad id ex tacito Superiorum consensu facultatem habẽt, cùm eam in tali casu negari æquitas nõ sinat, vt enim si Regularis est Presbyterij Ordine initiatus, eum non decet diu abstinere Sacrificio, sit autem in eo caritatis, ac prudentiæ, si est duntaxat minorum Ordinum Clericus, sacræ mensæ ad exemplum sæcularium, suæque pietatis testimonium aduersus Deum, frequenter accumbere, nefas sit autem animo culpa lethali sordidato, de eo consilium capere, nedum exequi consulta, ac facere, fuit iustum illis per Superiorem, vt liceret quoties, quàm sæpè esset necesse, peccata sua apud aliquem de approbatis deponere, maximè verò mortalia, quia hic valet diuinum & ecclesiasticum præceptum confitendi, quod positiuo Religionis, de non adhibendo ad eam rem Sacerdote extraneo, prævalet: si essent tamen casu aliquo reseruato impliciti, de eo, ab huiusmodi Sacerdote absolui non possent, vtpote qui potestate ad id necessaria careat, cùm hanc sibi reseruator, qui est dictorum Regularium Superior, non dederit. Scio quidem à Martino V. indultum esse Patribus Hieronymitis, sibi, vt è multis vnum eligant, vt à quo cùm iter faciunt, absolui de peccatis possint, quorum domi suæ ab Ordinario remissionem sine alia Prælati venia consequi solent in Sacramẽto, Compend. dicti Ordin. verb. absentes à Monasterio.

Scio insuper & hoc iisdem Fratribus concessum esse vt habetur §. 10. ver. absoluere, §. 2. à quolibet Sacerdote, etiam sæculari, de omnibus censuris, & quibuslibet casibus Episcopo reseruatis absolui valeant, sed nego id illis similiter permitti vt faciant in casibus reseruatis Prælato Ordinis, primò, quia de eo nulla fit in priuilegio supradicto mentio, secundò, quia à simili, ad æquale, aut simile, non valet illatio.

Dubitatur 7. *An si cum Superioris sui licentia proficiscuntur peregrè, & cum facultate confitendi cui volent, absolui à reseruatis queant.*

Affirmat Peregrinus in compend. priuilegior. tom. 1. ver. abſolutio quoad fratres parag. 2. eo quòd in ea facultate, tacite comprehendatur, & iſta, abſolutionis ſcilicet conſequendæ de reſeruatis à Confeſſario quem ſibi eligit.

Sententia contraria, in praxi eſt tenenda, quia generalis conceſſio, ea non complectitur quæ ſi ſpecialiter eſſent petita, fuiſſent à Prælato negata poſtulanti, at id de quo præſens inſtituitur quæſtio, eſt huiuſmodi, vt enim non expedit quæ Regulares ſæpe dictu fœda, cogitatu turpia contra Deum, eiuſque cultum improbe faciunt, hæc promiſcue, ac delectu nullo vulgari in populo. *Sic nullo modo eſt credendum, quod quiſpiam ſanæ mentis Prælatus, ſic indiſcriminatim ſuam authoritatem concedat ſibi ſubdito, vt abſoluatur à caſibus reſeruatis, non enim conuenit peccata grauia, aliis extra ordinem propalare.* Miranda in manu. Prælatorum to. 2. q. 33. art. 6. concl. 2. eiuſdem ſunt opinionis Fagund. præc. 2. lib. 8. num. 12. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 10. nu. 20. Homobonus de caſib. reſeruat. par. 1. cap. 2.

Dubitatur 9. *Quomodo oporteat Confeſſarium ſe gerere cum eo, cui facultatem abſoluendi à caſu reſeruato ſuperior denegat.*

Vera multorum eſt opinio, ac tenenda, eum, à Confeſſario approbato & expoſito, in quo nihil eſt labis, aut cauſæ quamobrem hanc ei licentiam ſuperior deneget, pro ea vice à reſeruato abſoluendum eſſe ſi communicandi tempus vrget, aut dicendi ſacri, cui deeſſe pœnitens ſine ſcandalo, ac multorum offenſa nequeat, opinionis huius auctor Paulus V. quem id Naldus in ſumma verbo Religioſus ſtatuiſſe aſſerit, dummodo ſit is cui abſoluendi facultatem ſuperior impertiri noluit pœnitentis, aut Regularium Confeſſarius, ſic Tamburinus de iure Abbatum to. 2. diſp. 13. q. 8. num. 3. *Si Confeſſarius* (inquit) *non habens facultatem pro reſeruatis, illam ab Abbate pro aliquo caſu peteret, & Abbas concedere negaret, poſſet nihilominus Confeſſarius pro illa vice tantum pœnitentem Regularem, etiam facultate non obtenta abſoluere, vt conceſſit Paulus V. in decretis generalibus pro Regularium reformatione editis.*

At enim data pœnitenti abſolutio, ſine iuriſdictione inanis eſt, ac nulla, ſed Confeſſarius, cui per Prælatum poteſtas abſoluendi à reſeruatis negata fuit, iuriſdictione caret in illa. Minor eſt neganda, quia quòd confeſſario deeſt ex defectu conſenſus ſuperioris ordinarij id ipſum ſuppletur à Prouinc. Generali & Eccleſia, quibus, cum ſibi ſubditorum ſalus ſit cordi è re communi eſſe, ſuàque exiſtimant, Confeſſario facultatem tùm dare iuuandi ſubditos ſuos, per condonationem eius culpæ, inquam, ei ius nullum erat, quem conſenſum dare hoc ipſo cenſentur implicitè, interpretatiuè & virtute, quod non reclament.

Dubitatur 10. *An ex præſumpta Superioris voluntate poſſit quis abſolui.*

Affirmat Peregr. in comment. ad conſt. Clericor. regul. p. 1. c. 9. littera C. parag. 3.

Negat Diana dub regul. tract. 2. reſol. 11. quia præſumptio, ſi non fúdatur in aliquibus ſignis, quæ ſufficienter, indicent præſentem voluntatẽ ſuperioris, concedendi facultatẽ, abſoluendi ea hæc ad eius facultatis cõceſſionẽ non ſufficit, ſic enim eſt tantũ exiſtimatio, ſeu opinio de futuro conſenſu ſuperioris, quæ cùm ratihabitione de futuro coincidit quam ad abſoluendum idoneam non eſſe docent. Becan. de Sacram. c. 28. q. 8. n. 3. Homob. in exam. Eccleſ. p. 1. tract. 4. c. 18. q. 105. Fagundes parte 2. lib. 7. c. 2. n. 71. Villalob. tract. 9. diff. 51. n. 2. & nos ſupra.

Dubitatur 11. *Domeſticorum Regularium quis ſit Parochus.*

Dico primò. *Seculares qui in cœnobio laborant, in eoque vt famuli habitant, poſſe ſi velint recipere Sacramenta Confeſſionis, & Euchariſtiæ in Paſchate à Regularibus quibus famulantur, & in morte Extremam Vnctionem, ſi dicti Regulares priuilegio Minorum gaudeant.* Habetur expreſsè in compendio dictorum fratrum verbo familiares fratrum paragr. 4. quod ipſum confirmat Portelius de dub. Regul. verb. Sacramentorum adminiſtratio n. 9. & Diana de regul. tract. 2. vſuſque ipſe omnium ferè Monaſteriorum, Ordinis S. Bernardi, in quibus non eſt alius Parochus, pro famulis domeſticis, ac Sacramentis illis in Paſchate, aut morte conferendis, quam è familia Religioſus aliquis.

Dico ſecundò. *Poſſe ſimiliter è famulis eos, qui vxores duxere, noctuque extra cœnobium dormiunt, tam ad confeſſionem annuam, quam communionem in Paſchate, vti opera Regularium, quibus ſeruiunt, in morte autem poſſe ſimiliter recipere Extremam Vnctionem, ſi tùm intra Monaſterium eos eſſe contigerit.* 1. Quia ſunt eorum commenſales. 2. Quia ita habet compendium loco citato, parag. 10. 3. Quia cùm id ſit conceſſum à Nicolao eius nominis 5. conuentui de Gadalupe, S. Hieronym, & à Iulio 2. vt refertur in compendio fratrum S. Hieronymi, verbo Euchariſtia, parag. 2. & 6. poſſunt quilibet alij, idem ſibi ius ſumere, qui in priuilegiis, Regularibus conceſſis communicant.

Dubitatur 12. *An oporteat Confeſſarios qui ad audiendas Confeſſiones Regularium exponuntur, tempore Iubilæi, eſſe approbatos ab Epiſcopo.*

Affirmant Naldus in ſum. verbo indulgentiæ n. 9. Molfes to. 1. art. 7. c. 16 n. 27. Henriquez lib. 3. de pœnit c. 6. n. 4 in Gloſ. littera K. & de Indulg. c. 22. n. 5. Homobonus in tract. de caſib. reſeru. part. 1. c. 6.

Dico primò. *Quando in Iubilæo ad validitatem Confeſſionis, & conſecutionem gratiarum, quæ in illo dantur, habetur, quod Confeſſarius eligendus, debeat eſſe approbatus ab ordinario, non eſt neceſſe, Regulares ad illum effectum alterius opera vti, quam qui eſt à Prælato, ad iliam rem deſignatus pro fratribus.* 1. Quia ordinarius Regularium, eorumdem eſt ſuperior, ſatisfiet ergo Bullæ Iubilæi, ſi ad illud conſequendum, Regularis, Confeſſarium Ordinis, à Prælato ſuo deſtinatum ad eam rem pro fratribus adhibeat. 2. Cum quæ ſunt Ordinis hæc Papa communiter non attingat, ſed ſuperiorum prudentiæ, ac diſpoſitioni relinquat, aut ſi ea moderanda ſibi exiſtimat, expreſſam de eo mentionem faciat, in litteris ſuis Apoſtolicis, credibile non eſt cum nomine Ordinarij, reſpectu Regularium, alium intelligere, quam eorum Prælatum, maximè, cum ea de re, mentem ſuam non explicat, vt oportuiſſet, ſi aliud ei in mentem veniſſet, & ita nobiſcum ſentiunt Zanardus in direct. par. 1. de Sacrament. pœnit. c. 21. q. 32. Coriolanus de caſibus reſeruatis parte 1. ſect. 3. art. 16. Valerus in different. vtriuſque fori verbo abſolutio diſt. 1. n. 13. Sanè ſi his ſolis indulgentias Iubilæi conſequi fas eſſet, qui conſcientiam ſuam aperiunt in Sacramento, approbato quidẽ, ſed ab Epiſc. duntaxat, pauci, aut verius nulli, earum eſſẽt in cœnobijs participes. Quid ita verò? nẽpe quid in iis ſæpe non ſint alij, quam qui à Prælato Regulari fuere ad Confeſſiones approbati quẽ id autẽ à vero abhorreat, mitto dicere. Quare cùm

monentur Regulares, vt consequendi Iubilæi causâ, vitæ suæ, ac culparum, sibi assumant vnum alium de approbatis ab Episcopo, in eum finem, id sensum habet, quòd non tantùm ab eo qui est audiendis eorum confessionibus ordinariis præpositus, absolui queãt, sed & ab aliis tam sæcularibus, quàm Religiosis, quos ad eam rem approbare Episcopo est visum, his ergo ad consequendum Iubilæum facta sua commemorare Regulares est necesse, non priuatiuè, perinde ac si præter eos non alii forẽt idonei, sed cumulatiuè in sensu à nobis allato.

A

Dico 2. *Liberum Regularibus esse, confiteri alicui de approbatis ab Episcopo*: Quia hoc illis Papa permittit, vt patet ex serie Bullæ: an autem de eo quoque, licentiam à suo Superiore habere debeant, videndum est.

Dico 3. *Posse Regulares sine facultate sui Superioris, confiteri in Iubilæis sæculari Presbytero, cùm est in Papæ diplomate, licere omnibus confiteri cui volent ex approbatis.* Ita Portelius in dubiis, verbo Confessor pro Iubilæo. Primò, quia in tali casu, censendus est Superior tacitè hoc eis concedere, cùm opponere se iustæ Papæ voluntati honestè non possit, nec debeat. Secundò, quia cùm Papa Abbatem dignitate superet, eius facultas sufficit, nec est quærenda Abbatis. Tertiò, lex qua redîtur ad ius antiquum, vt est fauotabilis, ita est amplectenda, cùm de præsari agitur: at facultas eligendi Confessarij, etiam sæcularis, est fauorabilis, cùm vtile sit Religiosis, alio Confessario, ad expiationem conscientiæ, vt iquam communi, & ordinario, & præterea per potestatem Regulari factam, eligendi sibi Confessarij, redîtur ad morem antiquum, cùm Christiani olim conscientiam suam Presbyteris sæcularibus euoluerent, Regularibus, non item, quæ me rationes impellunt vt credam in Regularium iure esse ad sæcularem, confessionis causâ, in Iubilæis accedere sine alia Prælati facultate, estque hæc sententia quam Nauarr. lib. 5. consilior. titulo de pœnit. & remissionib. consil. 19. & Portelius tuentur ac probant, tuta ac sequenda.

B

QVÆSTIO IX.

An Episcopi possint quoties illis videtur reuocare approbationem Regularibus datam ad audiendas confessiones.

NEmo qui vel mediocri literatura sit tinctus, dubitare cum ratione potest, an Religiosos approbari ad confessiones oporteat, id enim postulat Ecclesia in Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. Leo X. in Concil. Lateran. Constitut. quæ incipit, *Dum intra mentis arcana, Clem. 5. Clement. dudum, §. statuimus, de sepulturis.* Pius V. in constit. sua anni 1581. cuius est hoc initium *Romani Pontificis prouidentia.* Nec vlli potest esse ambiguum, hanc approbationem posse ad certum locum & tempus siue generaliter, & indistinctè, dari, an autem ad arbitrium dantis reuocari valeat, & cùm lubet, res est in Doctorum opinione. Et quidem posse tradunt hi authores, Turrianus de Pœnit. q. 8. cap. 1. disp. 26. dub. 1. Sancius in select. disput. 48. n. 23.

Dico 1. *Mihi videri esse contra rationem, ac prudentiam, omnibus simul vnius Conuentus Confessariis, facultatẽ ab Episcopis, & locorũ Ordinariis, adimi confessiones audiendi*: Quia fieri vix potest, vt hæc sine populi scandalo, magnaque animarum pernicie accidant, cùm non sit probabile, omnes vnius domus, ac Monasterij Regulares, ignaros, aut malos esse, quare ne eis omnibus, interdicere amodò, confessionibus audiendis, Episcopi, & locorum ordinarij possint, sacra Congregatio Cardinalium, qui negotiis Regularium & Episcoporum præsunt, vetuit anno 1615. 20. Nouemb. his verbis. *Cùm sacra Congregationi Cardinalium, negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum innotuerit, Confessarios Regulares graviter conqueri, quod ab Archiep. Episcopis, & locorũ Ordinariis iisdem, omnibus simul Conuẽtus Confessariis facultas confessiones audiẽdi adimatur, Illustrissimi eiusdem Congreg. Patres rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re maturè perpensa, statuunt, & decernunt Arch. & Episc. aliisque locorum Ordinariis Confessarios regulares alias ab ipsis approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere posthac minimè licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum interdictum.*

C

Dico 2. *Videri mihi esse extra potestatem Episcopi reuocare licitè, cum iusta reuocationis causa nulla subest, approbationem, quam Regulari ad confessiones excipiendas tradidit.* Ita Portelius de dub. Regul. verbo Confessor regularis, eiusque præsentatio. Henriq. lib. 3. de Pœnit. c. 9. num. 6. ratio est, quòd Regulari in fauorem Religionis: cuius pars est, ac membrum, à Papa tribuatur sua iurisdictio, mediante tamen Prælato proprio, simulque prædictæ approbationis confirmatio, eam ergo licitè, ac validè reprobare Episcopus non potest.

D

Dico 3. *Probabile mihi quoque esse, reuocationem concessæ Regularibus licentiæ audiendi confessiones, nullam esse, cùm iusta causa non sistitur, proindeque posse illos vt antè, impunè, ac sine scelere confessionibus audiendis vacare.* Ita Suar. in 3. part. tom. 4. disp. 28. sect. 3. disp. 7. Ratio primæ partis est, quòd Regulares quos Episcopus approbauit, vt idoneos, ab eo amplius non pendeant, in vsu potestatis absoluendi, sed à solo Pontifice Rom. à quo iurisdictionem suam habent, reuocari hæc ergo ab Episcopo non potest nisi inualidè, ac sine effectu. Secundò, reuocatio iustæ sententiæ, ac iuris per illam acquisiti sine causa, non modò est iniusta, sed etiam nulla, eo quòd sententia quæ data est per regulas iustitiæ, sit irreuocabilis, sed approbatio alicuius ad confessiones, est instar iustæ sententiæ, cum tali approbatione iudicetur ad eas idoneus, & sic per eam ius ad eas audiendas approbato acquiratur, ergo si tollitur, tollitur iniustè, ac sine effectu, & proinde poterit Regularis, cui per eam reuocationem videtur fieri iniuria, confessiones excipere, vt priùs, ita Peirinus de priuil. Minimorum tom. 1. Constitutione 26. Leo X. §. 6. num. 7.

E

Obiicies. Quod ad beneplacitum datur, potest ad libitum concedentis reuocari: sed ab Episcopo, manat ad Religiosos potestas audiendarum Confessionum. Maior est distinguenda, nam id quod conceditur, merum est beneficium, aut sententia, si primum, vera est maior, si secundum falsa. Ad Minor. dicendum est approbationem, licentiam non esse, sed sententiam, seu declarationem, quòd examinatus dignus sit, qui ad confessiones audiendas applicetur.

Dico vltimò. *Quia nostræ sunt partes, sæcularibus, exemplo esse ad virtutem, author sum Regularibus parendi Episcopis, si quando eorum ope vti, ad suorum confessiones noluerint*: Quod ipsum Sancius in selectis, disp. 48. & Zuardus in Directorio, p. 1. de Sacram. pœnit. c. 24. illis quoque suadent, tanquam quidpiam ad pacem necessarium.

QVÆSTIO X.

An Regulares posſint ad examen reuocari à ſucceſſore eius Epiſcopi, à quo ſunt approbati.

NEgat Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. n. 6. tract. 5. probatque authoritate Clem. V. in Clementina dudum de ſepulturis & Benedicti XI. in Extrauag. inter cunctas de priuilegiis, ſed pace eius ſit dictum, mirum eſt de re præſenti in vtraque conſtitutione ſilentium, etſi enim ambo Pontifices, poteſtatem abſoluendi Regularibus tribuant, hoc ipſo, quod accidit ab Ordinariis eos reprobari à Confeſſionum audiendarum munere, ad quod à ſuis ſuperioribus deſtinantur, nihil tamen de ſecundo examine habent, inſtituendo à ſucceſſore defuncti Præſulis.

Quocirca dico primò. *Regulares ad audiendas in ciuitate & Diœceſi ſæcularium Confeſſiones, ſemel ab Epiſcopo præuio examine approbatos, iterum ab eius ſucceſſore examinari poſſe.* Tuetur ſe hæc aſſertio authoritate Pij V. in conſtitutione quapiam ſua de anno 1581. cui initium eſt *Romani Pontificis* confirmata poſtmodum à ſacra congregatione Cardinalium, vt habet Piaſecius in praxi Epiſcopali part. 1. cap. 1. art. 2. tract. de iuriſd. fori pœnitent. in hæc verba. *Congregatio Conc. cenſuit regulares ad audiendas in Diœceſi, & ciuitate Confeſſiones ſemel ab Epiſcop. præuio examine approbatos iterum ab eodem Epiſc. non eſſe examinandos, cæterum à ſucceſſore poſſe vtique examinari iuxta conſtitutionem ſanctæ memoriæ Pij V. datam 8. Idus Auguſt. Pontif. ſui anno 6.* Idem tamen, Capitulo ſede vacante non licere, per priuileg. Clement. IV. auctor eſt Miranda in manuali Prælator tom. 1. q. 45. art. 7. Fagund. præcept. 2. l. 7. c. 2. n. 28.

Dico ſecundò. *Dictos Regulares, à quouis ordinario, remoueri, aut ſuſpendi poſſe, ab audiendis Confeſſionibus, ex noua aliqua, iuſtaque cauſa, ad Confeſſiones pertinente, aut ob non ſeruatum interdictum, ab ipſo ordinario poſitum.* Probatur 1. quia reuocatio eorum, quæ in Sacramentorum adminiſtratione male fiunt, ad Epiſcopum pertinet, ergo & facultatis ab eius prædeceſſore conceſſæ excipiendi Confeſſiones, quando ea eſt alicui noxia, aut cùm Eccleſiæ coniuncta ſcandalo 2. poteſt Epicop. approbatos à ſuo deceſſore, ſecundo examinare quando, è re communi eſſe, aut priuata pœnitentium, aut Confeſſarij judicat: id autem eſſet inutile, ſi approbatum ex iuſta aliqua ſuperueniente cauſa, à confeſſionibus remouere non poſſet. vide Suar. diſp. 28. ſect. vltima.

QVÆSTIO XI.

An Regularis poſsit audire Confeſsiones, quando Epiſcopus eum non approbat, licet capacem & dignum.

DIco primò. *Admodum eſſe probabile non peccare Regularem, qui ſine cauſa reiectus ab ordinario, & non approbatus, de licentia ſui ſuperioris, Confeſſiones excipit.* Opinionem hanc defendit Peitinus de priuilegiis Munimorũ to. 1. & de Religioſo ſubdito to 1. q. 1. c. 21. Portel. in dub. regul. verbo confeſſoris poteſtas num. 2. Laym. li. 5. tr. 6. c. 11. n. 4. Finellus de caſ. reſeruatis c. 3. n. 3. Miranda in manu. Prælator. to. 1. q. 45. art. 6. fidem habet aſſertio à Clementina dudum de ſepulturis paragr. ſtatuimus & ab Extrauag. inter cunctas, quæ eſt Benedicti XI. ibi enim id expreſsè ab his duobus Pontificibus dicitur, à Benedicto quidem his verbis, *quod ſi denegent, vel intra triduum non concedant, ex tunc iidem fratres nihilominus authoritate eadem huiuſmodi officium exequantur.* Id ipſum eſt à Leone 10. ſtatutum in Bulla cuius initium. *Sacro approbante Conc.* (vt enim ſicut ibi decernitur) *poſſunt regulares per Epiſcopos & Prælatos ſuper ſufficientes literatura, & aliqua ſaltem huiuſmodi ſaltem Sacramenti peritia duntaxat examinari, ita talibus præſentatis admiſsis, vel etiam recuſatis indebitè cõſitentes, conſtitutioni quæ incipit omnis vtriuſque ſexus quoad Confeſsionem duntaxat, ſatisfeciſſe cenſentur.*

Dices conſtitutiom horum Pontificum derogatum eſſe à Concilio per clauſulam generalem, *non obſtantibus priuilegiis*, inſertam ſeſſ. 23. c. 15. & ita Regulares ſine graui offenſa pœnitentibus aurem dare non poſſe.

Reſpondendum clauſula generali derogatoria, ſpeciale priuilegium, quod eſt in corpore iuris, non tolli, Miranda in manu. Prælatorum to. 1. q. 45. art. 6. Fagund. præc. 2. li. 7. c. 2. n. 15. & num. 78. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 11. n. 4. *quia correctio iurium eſt vitanda, inraque iuribus ſunt concilianda maxime, ſi ob ſpecialem rationem videatur tale priuilegium exceptum.* Laym. ſupra qualem hic cerni, periti iuris ſuper conſcientia ambigui, non negant.

Reſpondendum ſecundò. Ius confeſſionum audiendarum, quod Papæ munificentia Regularibus competit, hoc ipſo, quod eos præſentatos ſuis ſuperioribus, & manifeſte idoneos Epiſcopus ſine cauſa reprobat, priuilegium non eſſe, quia quod eſt in corpore iuris, lex eſt ordinaria, proque tali habenda. Villal. in ſum. tom. 1. tract. 9. diffic. 51. num. 3. de la Cruz de ſtatu Religioſorum lib. 2. c. 6. dub. 1.

Dico 2. *Contrariam ſententiam eſſe probabilem ad tollenda diſsidia, remouenda ſcandala quæ ſequutura eſſent, ſi contra voluntatem Epiſcopi mendicantes Confeſsiones in ſua Diœceſi exciperent*: Et in hac opinione ſunt Ægidius Koninchi diſp. 8. dub. 7. n. 58. Suar. to. 4. diſp. 28. ſect. 1. num. 5. Syluius in add. ad 3. part. q. 8. art. 5. & alij apud Reginal.

QVÆSTIO XII.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum iis qui myſteria fidei ignorant.

LVdou. de Beia 4. parte caſuum, caſu 1. exiſtimat Confeſſarij partes eſſe eiuſmodi homines docere ea quæ neſciunt, aut ab eorũ audiendis confeſſionibus abſtinere, dicti ſui cauſam hanc habet, quod eorum ignorantia mortalis ſit culpa, aut ab eius contrahendæ periculo non abiuncta, ex quo conſequi ait eiuſmodi homines audiendos non eſſe eo quòd ſint in malo ſtatu, aut docendos, vt eum relinquant & nouum ſuſcipiant, qui ad gratiam ſufficiat, ac diſponat.

Dico primò. *Mihi videri probabile, ſaluo tamen Eccleſiæ Romanæ iudicio, cui me meaque ſubmit-*

Digitized by Google

ri, non requiri ad validitatem Confessionis, vt pœniteas explicitè, & distinctè mysteria Trinitatis, ac Incarnationis Iesu Christi Domini nostri credas. Ratio est, quia vt quis confiteatur validè, ac fructuosè, satis sit, si omnia, quorum meminit, Confessario cùm dolore vero exprimat, ac sine obice peccati, sed vtrumque facere potest, qui explicitè, & distinctè, prædicta mysteria non credit. 1. Quia dolor de peccatis, non pendet à fide Trinitatis, sed Dei, vt authoris supernaturalis vitæ. 2. Quia ad dolorem verum, sufficit auersari peccata, vt contraria Deo, qui est summum bonum, cum voluntate ea non iterandi de cætero, quod cùm fide solius Dei, vt est vnus in natura, sine personarum exclusione fieri potest, vt patet. Quod autem ignorans dicta mysteria non culpabiliter, gratiæ Sacramenti, obicem non afferat, iam probatur, Obex gratiæ Sacramentalis, ex parte pœnitentis, est sola eius culpa, eaque mortalis, at ignorantia dictorum mysteriorum, in multis non est culpabilis, quia sunt hi tam rudi ingenio, vt vero conceptu, ea apprehendere nequeant, ac consequenter credere explicitè, idem dicendum de mutis, & surdis à natiuitate, à quibus mysteria Trinitatis, & Incarnationis vero conceptu apprehendi, & credi, vix est credibile, nisi ad miraculum confugiatur. Quare talem fidem, non esse adultis, necessarium medium ad salutem, docent Tannerus in 22. disp. 1. q. 7. dub. 1. n. 4. Laym. l. 2. tract. 1. c. 8. n. 5. Sa verbo fid. n. 1. Villal. to. 2. tract. 1. diffic. 3. n. 6. & 7. Dia. 3. part. tract. 5. resol. 46.

Dico secundò. *Eis qui prædictos articulos, ac alios, qui symbolo continentur ignorant, cum aliqua sua culpa grani, ac proinde mortali, absolutionem negandam non esse.* Ita Sanchez to. 1. sum. c. 3. n. 21. Az. to. 1. li. 8. instit. moral. c. 7. q. 3. & c. 8. q. vltima. 1. quia illos pœnitere potest suæ negligentiæ, proponere autem eos quid vetat diligentiam se in addiscendis iis mysteriis allaturos, quanta est ad viri boni officium necessaria? Conf. non videtur peior esse istorum ratio quam eorum, qui ab infirmitate naturæ, mobilitate ingenij, aut suâ ipsi sponte, mali Dæmonis inducti illecebris, eadem peccata crebro iterant quos tamen toties quoties, vt loquuntur absolui posse cõmunis est omnium Doctorũ opinio. 3. impossibilium nulla est obligatio, de reg. iuris reg. 6. sed moraliter est impossibile rusticis, tam ob ingenij hebetudinem, quam Doctorum à quibus instruantur, inopiam, ac raritatem, habere maiorem fidei, ac mysteriorum notitiam, quam qua sunt à parentibus in pueritia, & postea in virili ætate instituti à Parochis. Quare concludit Sanchez supra in praxi nunquam, aut rarissimè denegandam iis esse absolutionem ob Christianæ doctrinæ, ac Catechismi ignorantiam.

Dico tertiò. *Confessarium teneri saltem proponere rusticis, sibi confitentibus, aut aliis, nostrorum mysteriorum ignaris, articulos de Trinitate, & Incarnatione Christi, eosque illis explicare, vt potest, tum ab iis sciscitari, ecquid iis à se pro tempore breuiter expositis non credant, ecquid de præterita suâ negligentia in addiscendis Christiana Religionis mysteriis non doleant.* Quia sic eos disponunt ad gratiam per dolorẽ de admissis. 2. quia sic ex quorumdã sententia impletur præceptum de explicita fide Trinitatis, & Incarnationis habenda, cùm explicitè credere secundùm Azorium loco citato & Sanch. n. 18. aliud non sit, quam assentiri expresse alicui rei, sibi dictæ, vel quæ cogitatione concipitur, scire autem explicitè sit, rationem eorum reddere, quæ sciuntur, quod non est necessarium ad salutem.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum rusticis, aut pueris qui nunquam sunt Confessi, integrè, quia ignorabant ad id se teneri.

DIco primò. *Pueros & rusticos qui non sunt aliqua peccata mortalia confessi quæ bona fide non credebant, esse talia, ad aliud non teneri, vbi de eorum qualitate, ac natura illis constiterit, quam ad eorum explicationem nudam, & apertam, aliis non repetitis, quæ sunt verè, ac legitimè confessi.* Nauar. cap. 11. Enchir. Bea. part. 1. cas. casu 9. causa est quod de confessis, absoluti fuere fructuosè, & validè, non sunt hæc ergo iterum subiicienda clauibus, sed ea duntaxat, quæ per ignorantiam sunt omissa. 2. non est repetenda ab huiusmodi hominum genere Confessio, si vitiosa non fuit, at hæc defectu omni caruit, cum ignorantia eos à culpa exemerit, nec nisi per accidens, materialiter & inculpabiliter fuerit eorum Confessio dimidiata, & non integra, non autem per se formaliter, & culpabiliter ob defectum voluntarij. Nau. in summa ca. 9. n. 12. Candid. de Confes. disquis 14. art. 22. dub. 4. voluntarium enim esse non potest sine notitia obligationis ad confitendum, & qualitatis culparum suarum, quali prædicti pueri & rustici caruerunt, vt supponit assertio: ergo. Dices iuris diuini ignorantia, à culpa non excusat, ergo nec pueros rusticosque ab obligatione repetendiæ confessionis quæ ab iis mutila, & per partes tantum est facta.

Antecedens est falsum, quam enim multi multa, culpa nulla sua, ignorant, quæ sunt iuris diuini, maximè cùm sunt obscura, cum ambigua, cum subtilia, de quorum numero cum sit Confessionis integritas, ac distincta peccatorum explicatio secundùm speciem, ac numerum, iuxta Ludou. de Bea loco citato, quid mirandum, si ea inculpabiliter rustici, aut pueri nesciant?

Dico secundò. *Probabile esse, rusticos satisfacere officio, ac quantum est satis, supplere defectum Confessionum præcedentium, cum circa Pascha, confitentur ea, qua toto anno admiserunt.* Ita Fagund. 2. præcept. li. 3. c. 2. n. 13. & cap. 4. n. 10. Diana de Sacramentis resolut. 89. Laym. l. 5. tract. 6. c. 11. n. 3. quia cùm rustici eundem vitæ modum ferè semper teneant, eadem sectentur studia, opera quoque quotannis, ac diebus similia pene exerceant, ex vnius anni confessione, ex confessione instituenda circa Pascha, post expleta anni tempora, confessario colligere erit facile quoties in eadem peccata incurrerint, quoties offenderint, & in quibus. Ad hanc notitiam, adiungenda est ex parte pœnitentium, confessio peccatorum confusa, saltem & generica, quæ dum pueri erant, non sunt per ignorantiam, aut inaduertentiam confessi, modus autem sacræ huiusce ac diuinæ narrationis instituendæ, in hoc est. 1. vt confessarius pœnitentem interroget, ecquid multa non admiserit his similia de quibus est confessus, respondenti feciſſe, seque de olim admissis, cum adhuc puer esset, nec tamen in confessione expositis, accusare, absolutio erit ei conferenda, tam de his quam aliis, quorum se reum à postrema sua confessione fecerit. 1. quia sic quantum potest, & sufficit peccata sua secundum speciem, & numerum exponit, cum propter infirmi-

tatem ætatis puer, tarditatem autem ingenij homines rui innutriti, ad dispositionem perfectiorem hîc & nunc, nec ille, nec isti adduci queant, vt supponitur, & ex alia parte, cùm propter status sui, & peccatorum vitæ præteritæ ignorantiam non crassam, & affectatam, absolutionis sint capaces, hæc eis negari non debet, vt enim detur validè, & sine culpa, sufficit quòd Confessario status pœnitentis sit cognitus, vt in casu præsenti accidit. A

QVÆSTIO XIV.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cùm absoluit quem non poterat. B

DIco primò. *Si absoluit ab excommunicatione quem non poterat, quia carebat iurisdictione in eum necessaria, tenetur eam postea sibi petere ab Episcopo, aut alio à quo dari debet.* Primò, quia aliter pœnitentem in fraudem impelleret, fingendo eum absolutum à censuris esse, quibus tamen verè adhuc irretitus perseuerat. Secundò, quilibet tenetur quantum potest reparare errata sua, reparat Confessarius, cùm potestatis defectum supplet, petitione nouæ, & necessariæ ad actum, qui defectu eius nullus fuit.

Dico 2. *Vbi Confessarius nactus erit potestatem ad absoluendum, tenebitur pœnitentem etiam absentem, à censura sua absoluere.* C

Pars prima clara est, Secunda probatur, quia absolutio à censura, præsentiam rei, aut vllâ in eo attritionem, aut statum gratiæ non exigit. Quid si Confessarius à reseruato pœnitentem sine iurisdictione absoluerit, eritne similiter ei integrum absoluere absentem habita priùs ad eam rem facultate ab eo, cuius est eam concedere?

Ita quidem affirmant aliqui, & vt à peccato Confessarium eximant absolutionem ei sub conditione dandam esse, nempe si tũ est pœnitens dispositus, si dolore vero peccatorum suorum tangitur, &c. quia Confessarius ita absoluendo, quantum potest consulit pœnitenti, & sibi, pœnitenti quidem, quia D ei condonat peccatum, quod ob defectum potestatis remissum ei non fuerat nisi indirectè: sibi autem, quia per eam conditionem, periculum peccandi mortaliter euitat, conferendo Sacramentum indigno.

Addunt tamen id Confessario tentandum non esse, nisi cùm pœnitentem præsentem habere non potest, & proinde laborandum ei esse, vt ille sibi se sistat, ad quod induci si non poterit, tum Confessario omnem futuram honestam rationem, eundem absoluendi absentem licet, modò cum conditione, de qua in Assertione.

Dico 3. *Cùm Confessarius aliquid peccauit, in ministrando Sacramento, quod corrigi ab eo oporteat, pœnitenti quantùm honestè poterit, author erit, vt se iterum confessionis causa commeniat, quam ad rem si ille si non poterit, rem totam Deo committet, absentem non absoluet:* Quia absolutio Sacramentalis, absenti dari non potest, nisi inualidè, eo quòd verba formæ, diriguntur ad præsentem, vt patet ex pronomine, *Te*, quo significatur Sacerdotem, præsentem alloqui, ergo vt hæc verificentur, præsentiam absoluendi exigunt.

QVÆSTIO XV.

Quomodò cum Concubinariis gerere se Confessarius debeat.

PRima Assertio. *Publici non sunt absoluendi antequam concubinas à se suas ableguerint.* Primò, quia, quandiu pellex cum amatore suo commoratur est in statu peccati, cùm non tollere causam scandali, quando licet, & potest commodè tolli, sit peccatum. Secundò, quòd absolui nequit qui actualem habet affectum ad culpam mortalem, talem habent publici concubinarij, cùm abstinere nolint ab eo opere, quod proximo & sibi spiritalem affert interitum. Tertiò, exponere se periculo peccati, & illud admittere, vnum idemque sunt, sed concubinarij publici, sunt in perpetuo eius periculo, vtpote in proxima eius faciendi occasione, ergo cum illi consensum dare, in id sponte labi, ac voluntariè, culpa sit, eaque lethalis, absolui dicti concubinarij non poterunt: est hæc Conclusio Soti in lectione 8. de confess. quæ ab omnibus admitti debet, hic enim qui sic accedit ad Sacramentum confessionis, non est in numero pœnitentium, & contritorum.

Secunda Assertio. *Occulti absolui possunt; si eos pœniteat vitæ præteritæ, cum proposito verè eam emendandi, seque primo quoque tempore à concubinis segregandi.* Nauar. c. 3. man. num. 19. c. 15. ratio est, quòd in tali casu, omnia afferant ad absolutionem necessaria, scilicet confessionem integram, dolorem de peccatis, cum proposito ea non admittendi amplius, & ita esse vt narrât, iustè persuadere sibi Confessarius potest, quæ tria ad absolutionem eorum, qui in proxima peccandi occasione versantur, sufficere tradit Nauar. cap. citato num. 15. Contraria sententia est Ægid. disp. 18. dub. 17. n. 133. eaque probabilis, huiusmodi homines, extra casum grauis necessitatis, absoluendos non esse, antequam separentur, etiamsi parati essent iurare, se in posterum castè victuros, quia valde probabile est, eos promissi sui fidem non facturos, vt habet Alexand. III. c. 3. de cohabitatione Clericor. & mulier. qui eam ob rem, *eos qui publicè tenent concubinas, ad eas abiurandas non vult compelli, ne in eandem fornicationem instinctu diabolicæ fraudis redeuntes, periurij reatum incurrant.*

QVÆSTIO XVI.

Quid faciendum cum iuuenibus & aliis, qui frequenter peccant ex occasione proxima quam ad id habent. E

DIco 1. *Nunquam absoluendos esse eos qui Necromantiæ ac superstitionibus eiusmodi, sunt dediti, nec qui cambia vsuraria, contractus illicitos faciunt, nisi penitus ab illis abstineant:* Causa est, quòd hæc exerceri sine peccato nequeant.

Dico 2. *Etsi qui sunt in occasione peccandi proxima, regulariter absolui non debeant, nisi priùs eam re, aut voto deseruerint, frui tamen hoc beneficio poterunt,* inquit Nauar. cap. 3. mathu. num. 15. & post eum Graff. lib. 1. Decision. cap. 8. cum his conditionibus. Prima, vt verum dolorem de peccatis habeant.

Digitized by Google

2. firmum propoſitum eà vitandi de cætero. 3. non Peccandi cum ſe illis occaſio obtulerit iterandi ea, quorum illos modo pœnitet. 4. vt iuſtam cauſam habeant vitandæ occaſionis, quæ illis olim cauſa peccandi extitit, ratio eſt, quod actio à tali cauſa habeat, vt non ſit voluntaria, quatenus mala eſt, & culpabilis.

Dico tertiò. *Iuuenes & quoſcunque alios qui ſunt in proxima occaſione peccandi abſoluẽdos non eſſe, cum cauſa illis nulla ſuppetit, in ea manendi niſi ſpondeant eam ſe dereliƈturos, cum poterunt.* Ratio eſt, quod in ea occaſione implicitè ſit volita malitia, cuius prædicta occaſio eſt cauſa, & ad quam inducit, Ex quo

Infero 1. Viros & fœminas qui occaſione eiuſdem domicilij, quo vtuntur, ſæpe peccant contra leges caſtimoniæ, abſoluendos non eſſe, niſi ſe contubernio, ac domo ſeparent. 1. quia cùm vt ſupponitur, certum illis exitium à tali cohabitatione immineat: in ea volita, ac retenta, ſine notabili, ac magna cauſa, cenſendi ſunt prædicti viri & fœminæ interpretatiuè, ac virtute in illud conſentire, ac proinde peccare. 2. velle perſeuerare in ea occaſione eſt carere dolore neceſſario ad Sacramentum, quare ſi quis confiteatur, nec ſtatum peccati relinquat, nec occaſiones, quas experientia didicit proximas eſſe, etiamſi abſoluatur, illa eſt fictio, quæ facit confeſſionem nullam, cum ſacrilegio nouo, *ſatisfaƈtio enim pœnitentiæ, eſt peccatorum cauſas exſcindere, nec earum ſuggeſtionibus aditum præbere de pœnit. diſt. 3. can. ſatisfaƈtio.*

Si tamen ancilla ac ſeruus commodè mutare domicilium, ac ſeiungi ſine ſcandalo, aut ſuſpicione aliqua mali, à ſeſe inuicem non poſſent, nec filius ſimiliter relinquere domum parentis, in qua ſæpe cum ancilla, aut ſorore peccat, nihilominus abſolui poſſent ſecundùm Ægid. ſupra & Graff. cap. 28. lib. 1. n. 12. ſi ex animo pertæſi ſuæ libidinis, dicerent confeſſario, ſibi certum eſſe nunquam amplius peccare, ſponderentque, ſe ſolos nunquam in eodem cubiculo, aut loco, cum criminis ſui conſorte futuros, eſſet etiam conſultum, dictis iuuenibus, aut puellis, imperare, crebro vt confiteantur, eoſque hortari, ſeſe vt mutuo ad hæc & alia Chriſtianæ pietatis officia inducant, vt qui auxilio ſibi, & exemplo, fuere ad culpam, ſint etiam Dei benignitate ad gratiam.

QVÆSTIO XVII.

An artifici neganti artem ſe ſuam exercere poſſe iuſtè, & ſine fraude proximi, ſuadere oporteat, vt eam deſerat tanquam ſuæ damnationis cauſam.

OCcaſio dubitandi eſt, quod talis ars videatur ei eſſe occaſio proxima ruinæ, ac culpæ, proindeque vitari debere. Nihilominus

Dico 1. *Id ei imperandũ non eſſe.* 1. Quia ars, qua pœnitens fatetur ſe malè vti, ex ſe, & natura ſua non eſt mala, & illicita. 2. Quia nullus tenetur occaſiones, fugere quarũ ars aut officiũ, quo quis licite vti poteſt, eſt cauſa, alioqui omnia cõmercia deſerẽda eſſent, relinquẽda officia, in quibus eos aliquãdo peccare cõtigit, quod nemo dicet, ſic enim breui interirent Reſpublicæ, ſublatis è medio earum commerciis, ac negotiationibus, non cũ exteris modo, ſed domeſticis, etiam ac ciuibus. 3. probatur aſſertio, hoc maximè nomine, quod ars quæ eam exercenti eſt noxia, ſit de earum occaſionum genere, quæ ſunt remotæ, non proximæ, quare cùm eas effugere, non ſit in præcepto, nec erit ſimiliter, neceſſario illam artem non facere, quæ authori ſuo damnoſa eſt, ac mala. 4. etſi peccare nunquam liceat, fas tamen eſt cuilibet, ad id reuerti, quod ei ſuppeditauit peccandi materiam, quando eum ſincere dolet de præterito, cum propoſito & voluntate amplius non peccandi, vbi ſe eius rei locus, tempus, & occaſio offerent, maximè ſi iuſtam cauſam habet, dictam occaſionem, non relinquendi, ſed his conditionibus inſtructus eſſe poteſt, qui in ea verſatur arte in qua ſæpe peccat, ergo, &c.

Ad argumentum initio propoſitum reſponderi debet, talem artem, non cenſeri, eam facienti eſſe occaſionem proximam peccandi, quia nec eſt peccatum formaliter, nec talis naturæ, vt ferè ſemper faciat peccare eos, qui in ea occupantur, quod tamen eſt ad rationem occaſionis propinquæ, peccandi, neceſſarium ex Nauar. c. 3. manu & Graff. ſupra citato.

Dico ergo ſecundò. *Satis eſſe Confeſſario, pœnitentem qui de culpis ſuis in exercitio artis ſuæ queritur, admenere, vt de iis dolorem concipiat propter Deum ſummè dilectũ cum propoſito eas euitandi, quantum per humanam imbecillitatem fas erit, quod facere ſe, ſi aſſerat, poterit abſolui.* Ratio eſt clara, quia tũ affert omnia ad abſolutionẽ recipiendã neceſſaria.

QVÆSTIO XVIII.

An Superiores poſſint ſibi eligere Confeſſarium extra Religionem.

POſſunt de iure communi Abbates, Priores, Guardiani, & alij, qui vniuerſæ familiæ religioſæ, curam habent, eligere ſibi confeſſarium, ſecundùm Vill. tom. 1. tract. 9. diff. 47. n. 4. & Gregorium nonum, in cap. vltimo de pœnit. & remiſſ. dummodo inquit Nugnus in 3. p. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 2. id illis per ſtatuta ordinis non ſit prohibitum. Notarunt tamen Regin. tom. 1. lib. 1. cap. 4. ſect. 2. n. 36. Laamas in method. par. 1. cap. 5. §. 5. dictum priuilegium, eligendi Confeſſarij extra Ordinem, eſſe pro generalibus duntaxat, & non Guardianis, Rectoribus, Prioribus, quod ab iis gratis dici patet, ex cap. ne pro dilatione citato, quare ad eos ſic vniuerſim, & generaliter ſpectatos, facultatem hanc extendit Villalobus loco citato, additque Diana confeſſarium, quem ſunt electuri, poſſe eſſe de numero non approbatorum ab ordinario.

QVÆSTIO XIX.

An Superiores immediati poſſint ſubditis ſuis dare licentiam confitendi extra ordinem.

POſſunt, *ſecluſa conſtitutione, vel ſtatuto Religionis in contrarium.* Villalob. tom. 1. tract. 9. diff. 49. n. 11. quia licet ordinariis poteſtatem ſuam delegare alteri, *hi enim quibus ex officio certis caſibus, competit illos abſoluere qui pro violenta manuum iniectione incidunt in canonem ſententiæ promulgatæ*

licet aliis absolutionem huiusmodi committere, cùm visum erit expedire. Greg. 9. cap. his quibus 10 de officio Iudicis ordinarij: sed Guardiani, Priores & Rectores, suorum sunt subditorum Ordinarij, potestatem enim suam, occasione officij, quod gerunt, & à lege canonica habent, quæ Prælatis ritè electis dat iurisdictionem competentem suo officio. Molfesius in summ. tom. 1. tractat. 7. cap. 14. n. 10. Ledesm. tom. 1. de Sacram. c. 38. q. 7. nu. 3. Dare ergo facultatem hanc Religiosis, quibus imperant, nihil est quod vetet. Dico Sixt. IV. Innoc VII. Clement. VII. Leo X. concessere Regularibus, vt cum potestate suorum Prælatorum confiteri externis Sacerdotibus possint, cùm peregrinantur: signum est ergo id eis facere extra ea tempora permissum nō esse. Respondendum cum Laamas in method. part. 1. c. 5. parag. 3. sæpe Religiosis minùs concedi per priuilegium, quàm quod illis iure communi licebat: deinde dicendum, priuilegia dari nonnunquam Regularibus, de rebus, quæ sunt illis iure communi licitæ. Patet hoc exemplo restitutionis faciendæ obligatio interit, cùm obligato deest vnde restituat, & tamen habet Societas nostra priuilegium, eximendi ab hoc onere Religiosos, quos natura ipsa à restituendo liberat ob inopiam.

QVÆSTIO XX.

An Episcopi extra Diœcesim possint sibi eligere Confessarium de non approbatis ab Ordinario.

PRima sententia negat, quam defendit Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 28. sect. 4. num. 7. Megala in 3. part. lib. 1. c. 10. num. 18. Riccius in praxi, tom. 1. resol. 470. Secunda affirmat, eiusque propugnatores sunt, Vill. tom. 1. tract. 9. diff. 55. n. 4. Valerus in differentiis vtriusque fori, verbo, iurisdictio, diffic. 14. nu. 2. Coriolanus de casibus reseruatis, p. 1. sect. 1. art. 21. nu. 5. pro resolutione

Dico 1. *Episcopos extra Diœcesim positos, posse sibi eligere Confessarium quemlibet, etiam non approbatum.*

Primò, quia iure antiquo, id erat eis licitum, vt patet ex cap. ne pro dilatione, vlt. de pœnit. & remiss.: & per Concilium id priuilegium non fuit illis ablatum, quia lex de nouo instituta, non reuocat ea quæ sūt in iure inserta, nisi de illis fiat expressa mentio, vt docet Io. de la Cruz, de statu Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1. Miranda in manuali Prælator. tom. 1. q. 45. art 6. Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. nu. 16. Cuius rei est hæc ratio, quòd cùm Papa, iura omnia *habere censeatur in scrinio cordis*, vt Bonifac. VIII. loquitur, cap. 1. de constit. in 6. *ipsis per constitutionem à se nouiter editam, nisi expressè caueatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare* Derogauit verò, dicet aliquis, per hæc verba Concil. sess. 23. cap. 15. non obstantibus priuilegiis. Sed contrà, per clausulā generalem non derogatur, priuilegio inserto in iure, vt docēt Decius Cnoc. 65. Diana tom. 1. de dubiis Regul. resol. 3. At est priuilegium, vi cuius licere Episcopis dicimus eligere sibi Confessarium vnum aliquem de multis corpori iuris insertum, ergo, &c.

Obiicies 1. Per Conc. sess. 23. c. 15. reuocari tale priuilegium, his verbis, *non obstantibus.* Respondendum 1. id esse falsum, vt patet ex ratione in assertione posita. Secundò, dicendum est, cum Ioa. de la Cruz, loco proximè citato, quæ habentur in iure, priuilegia dicenda non esse, sed leges communes.

Obiicies 2. Non possunt Episcopi, nec Prælati, confiteri alteri, quàm idoneo: at talis nemo est nisi per approbationē. Respondendum est ad Maiorem, cum distinctione, si enim eius sensus est, de tali idoneitate iudicare non posse Episcopum, qui Presbyterum simplicem adhibet ad confessionem suam audiendam, neganda est ob rationem, secundo loco allatam in Assertione.

QVÆSTIO XXI.

An Nouitij possint confiteri validè, cuilibet etiam sæculari.

NEgat Peregrinus in Comment. ad Constitut. Regularium, parte 2. cap. 5. litera K. Nititur constitutione Clement. VIII. cuius meminere Megala in 1. parte, lib. 1. cap. 8. num. 2. Tamburin. de iure Abbatum, tom. 2. disp. 6. q. 6. Quia in decreto prædicto, prohibet Clemens, ne alius operam det audiendis confessionibus Nouitiorum, quàm quos ipse in suo decreto designat sub pœna nullitatis Sacramenti.

Dico ego, *Non peccare Nouitios, cùm peccata sua Confessario alteri explicant, quàm designato per Superiorem*, quia non tenentur statutis Religionis, antequam per professionem publicam fiant eius membra, à quibus proinde si abeant, eaque non seruent, non sunt censendi esse mortalis vllius culpæ rei Secundò, cùm non sint verè Religiosi, non tenentur asperitates Ordinis, & mandata Prælatorum lege coactiua, sub pœnis peccati mortalis obseruare, sed tantùm tenentur ad pœnam electionis à Religione, si ea non custodierint.

Dico 2. *Eorundem confessiones sæculari Confessario factas, sine licentia sui Prælati, ratas quoque esse, ac validas.* Ita Molfesius, in summa tom. 1. tract. 7. cap. 14. num. 81. Portel. in dub. Regular. verbo Nouitij absolutio, num. 36. ratio est, quòd Nouitij ante Professionem, sint instar sæcularium, ergo ab iisdem, à quibus illi, absolui quoque poterunt, nec enim vspiam, contrarium videtur expressum, & ideò, reseruatis in Monasterio, aut Ordine, cuius sunt Nouitij, eos non ligari, docuere Sa, verbo casus num. 8. Homob. de casibus reseruatis, part. 1. cap. 31.

Quid si in casus reseruatos inciderint? etiámne de his absolui à Confessariis communibus poterunt, approbatis tamen in Ordine?

Dico 4. *Approbato quolibet in Ordine, vti posse Nouitios, ad reconciliationem sui cum Deo, post peccatum aliquod mortale ab iis admissum.* Ratio est, quòd Nouitios peioris conditionis esse non oporteat, quàm Professos, maximè cùm in materia fauorabili, vt loquuntur, intelligantur Religiosorum nomine: sed hi absolui solent, ac debent à peccatis suis lethalibus, à Confessariis, quos ad confessiones excipiendas Fratrum in Conuentu Superior constituit, ergo & Nouitij.

DE

DE SIGILLO CONfeſſionis.

QVÆSTIO I.

Quo iure indicta ſit ſacerdoti obligatio ſacri ſigilli, & quid ſit.

EST ſigillum religioſa obligatio celandi quæ ſunt audita in confeſſione, metaphora ſumpta à rebus humanis quibus tum bene prouiſum putamus, cum ſunt munitæ ſigillo Principis, & vt literæ Regio obſignatæ annulo, reſignari nequeunt, eaque legi quæ in iis continentur, & aliis manifeſtari, ita nec declarari, quæ ſunt in confeſſione audita, aut ad eam pertinentia. De ſigillo ergo erit in hoc ſenſu præſens omnis diſputatio, quam perſpicuitatis gratia in quæſtiones & enuntiata quædam diſtribuam.

Aſſertio prima. *Iure naturæ, obligatur Confeſſarius ad ſecretum.*

1. Quia natura prohibet cuiquam creari infamiam, maximè in re notabili, ſed publicatio rerum, quæ ſunt à Confeſſario in confeſſione cognitæ, maculam pœnitenti affert ac notam, ſunt hæ ergo naturæ iure celandæ.

2. Ius naturæ ſingulos ad præſtanda promiſſa obligat, vt dicitur c. 1. de pactis, at tacita quædam pœnitentem inter & Confeſſarium, intercedit pactio, quod hic quæ ſibi ſunt in confeſſione dicta perpetuo ſilentio premet, cum hac lege peccata ſua confiteatur ei pœnitens: eorum ergo ſuppreſſio ad ius naturæ pertinet.

3. Is cuius fidei aliquid eſt commiſſum ſub ſecreto, tenetur naturæ lege illud ſeruare alioqui contra fidem datam peccat, & ſi quod iniuſta eius violatio damnum afferat, illud reparare debet integrè, at peccata quiſque ſua Confeſſario explicat hac lege, vt ea celet, ergo ſi reuelet, naturæ ius lædet.

Aſſertio ſecunda. *Iure quoque diuino & Eccleſiaſtico ſeruandum eſt ſigillum*, pro iure diuino faciunt hæ duæ rationes.

1. Id iuris eſt diuini, quod vel immediatè imperatum eſt à Deo, vel certè eſt eiuſmodi, ſine quo præceptum diuinum impleri non poteſt, tale eſt ſigillum, nam ſi licet audita detegere in hoc ſacro tribunali, ſi narrare, quæ ibi ſunt cum pudore à pœnitente dicta Confeſſario, vſus Confeſſionis tolletur omnis, nam quis conſcientiam amodo explicare Confeſſario, quis anima ab eo poſtulare volet ad luctam cum dæmone, motibuſq; iræ, ac concupiſcentiæ, ſi hic animam, ſi eius plagas, ac vulnera, ſi quæ in illa latent, ſolaque Confeſſione pœnitentis nouit, retegere ei eſt impune, eſt ergo ſecreti ſacri in hac materia obſeruatio iuris diuini, quia odium Confeſſionis quæ eſt ad ſalutem neceſſaria in re vel voto, malum eſt quolibet alio deterius quod motui poſſit ex eo quod peccata non reuelentur, in nullo ergo caſu eſt eorum declaratio licita.

2. Cum confeſſio diuini ſit iuris, ad idem quoque credendum eſt pertinere omnia ſine quibus eam tolli eſt neceſſe, qua enim lege finis præcipitur, eadem quoque imperantur, & media, ſed ſigillum eſt tale reſpectu Confeſſionis, cum eam obiturus ſit nemo, ſi ſciat, aut verò etiam in ſuſpicionem veniat futuræ euulgationis ſcelerum, quæ eſt confeſſus, eſt ergo obligatio ſecreti ſeruandi in hac materia, diuina lege confeſſariis impoſita.

Quod autem ſit etiam de iure Eccleſiaſtico patet ex cap. omnis de pœnitentiis, vbi Innoc. 3. Confeſſarium admonet ne audita in Sacramento, verbo aut ſigno manifeſtet. Declaranti graues imponuntur pœnæ, vt depoſitionis è gradu, perpetuæ pœnitentiæ, ac peregrinationis cum ignominia: ſic enim Greg. in can. ſacerdos de pœnitent. diſt. 6. *Sacerdos ante omnia caueat de his, quæ ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis neque quod abſit, pro aliquo ſcandalo: nam ſi hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ, ignominioſus peregrinando pergat.* Eſt tamen hæc pœna modo mutata in eam, quæ eſt recluſionis perpetuæ in Monaſterio. Nugnus tom. 1. in 3. par. q. 11. art. 1. Candid. de Confeſſ. diſquiſit. 24. art. 48. dub. 10.

QVÆSTIO II.

Quænam cadant ſub ſigillum.

PRimò. Mortalia omnia tam pœnitentis quàm ſocij eius, ac conſortis in culpa, quia eorum reuelatio à Confeſſionis vſu mortales omnes auocat.

Secundò, cadit hæc obligatio in venialia, quia ex manifeſtatione cuiuſcunque culpæ etiam leuis, Confeſſio onerosa redditur, odioſa, & grauis, quare ſigilli violati reus foret, qui diceret pœnitentem ſibi eſſe de veniali mendacio confeſſum. Ægid. de ſigillo dub. 3. quia in hac materia non datur paruitas excuſans à lethali, ſemper enim ex fractione ſigilli, fideles arcentur ab vſu Sacramenti Sotus in 4. diſtinct. 18. q. 4. art. 5. Non peccaret tamen ſacerdos, qui diceret pœnitentem ſibi venialia confeſſum eſſe, quia cum hic confiteri nequeat niſi ſubmittendo clauibus Eccleſiæ, venialia aut mortalia, nulla fit ei iniuria, cum remotione mortalium, tollitur ab eo ſuſpicio magnæ improbitatis, qua vacare non poteſt qui reus eſt culpæ lethalis; crediderim tamen confeſſario etiam ab eo modo loquendi abſtinendum eſſe, propter periculum odij confeſſionis imprimendi pœnitentibus.

Tertiò, extendit ſe ratio huius ſecreti, ad defectus naturales pœnitentis, quia cùm eorum explicatio ſæpe, ſit ex opinione pœnitentis neceſſaria ad integritatem confeſſionis, vt ſi mulier dicat ſe ceruicoſam eſſe, redderetur hæc ſanè odioſa, grauiſque, ſi poſtea licitum ſacerdoti foret loqui de eo vitio. Et verò ſunt aliqui qui peccata ſua manifeſtari mallent, quam huiuſmodi naturæ vitia, vt patet in militibus, & nobilibus, qui ſæpe malunt haberi libidinoſi, quam timidi, & imbelles, quod indicat notitiâ talium defectuum, ingenerari in laïcis Sacramenti odium, ſunt ergo defectus naturales pœnitentium cogniti per Confeſſionem tegendi.

Quartò, includuntur ſub ſecreti ſacri obligatione, peccatorum circunſtantiæ, tam neceſſario, quàm voluntariè expoſitæ, quia cùm ad ſubſtantiam actus vitioſi pertineant, earum manifeſtatio certa eſt ſigilli ſacri violatio.

Quintò, ſecreta eſſe debent omnia, quæ directè, aut indirectè in genere, aut ſpecie manifeſtata, eum detegunt qui peccatum quodcunque eſt confeſſus,

Digitized by Google

pignori traditur, ita vt ad quencunque perueniat, A hæc cùm ſuo pignoris, iure & onere tranſeat.

QVÆSTIO V.

Quibus modis peccetur contra ſigillum.

VNiuerſim duobus 1. eſt directus, indirectus alter, directus habet expreſſam & propriam reuelationem criminis in Confeſſione auditi. Indirectus ea narratione caret. Fitque 1. cum auditis multorum confeſſionibus, de vno illorum, confeſſarius enuntiat, quod mortali culpa vacet, aut cùm multis fœminis abſolutis, de vna earum dicit, quod ſit Virgo, habet enim hæc commendatio Virginitatis in fœmina, probitatis autem ac innocentiæ in viro, tacitam fidem, ac ſuſpicionem luxuriæ in reliquis fœminis, vitij autem alicuius letiferi in aliis viris, quos ſimiliter non laudat. Nau. c. 8. num. 9. Laamas 2. parte methodi c. 4. Beia part. 3. can. 15. probatur, hic modus loquendi idem ſonat, ac iſte, hæc ſola fœmina eſt Virgo non aliæ, hic homo Deo eſt gratus, non alij, quòd eſt indirectè reuelare confeſſionem, non illius quem laudat, ſed aliorũ de quorũ probitate, ac innocentia non loquitur. 2. probatur. *Quod de vno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur*, can. qualis 4. diſt. 25. ergo ſi è multis quæ vni eidemque ſunt confeſſæ, de earum vna confeſſarius aſſerat, quod ſit Virgo per neceſſariam ſequelam contrarium affirmat de aliis.

Secundò, reuelatur indirectè confeſſio cum palam conſulto viro docto ſuper difficultatibus obuiis in confeſſione pœnitentis, confeſſarius ſubito ad eum abſoluendum redit, hoc enim eſt argumentum non leue, peccati non vulgaris ab eo admiſſi ob quod conſuli virum doctum oportuerit.

Tertiò, violat ſigillum indirectè confeſſarius cum inter loquendum vtitur modo dicendi, qui ſiniſtram opinionem de pœnitente ingerat, vt ſi dicat eum ſibi moleſtum ſæpe eſſe minutiſſimis ſuis peccatis: tacitè enim indicat eum ſcrupuloſum eſſe. Ægid. de ſigillo dub. 1. n. 11.

Quartò, reuelatur indirectè confeſſio, quando confeſſarius coram aliis vitat cõgreſſum eius quem ex ſola confeſſione ſcit eſſe excommunicatum, non autem ſi clam, quia fuga eius, & declinatio, quo antea confeſſarius vtebatur familiariter, ſuſpicionem in eorum animo, quibus eſt id cognitum, non improbabilem creat, quidpiam ab eo admiſſum, illudque per eius confeſſionem fuiſſe cognitum, quamobrem dicto confeſſario, non liceat amplius cum eo verſari.

Confeſſario cauendum ſimiliter, ne ſiniſtram de alio opinionem generet dicendo, v. c. moleſtiam ſibi, à tali, vel tali, minutiſſimis ſuis culpis creari ſolitam, hac enim oratione ſignificat, vt paulo antè oſtendimus, puſilli eum animi eſſe, ac ſcrupulis E inquietari, qui loquendi modus ſigillum violat.

QVÆSTIO VI.

An ſit contra ſigillum dicere in aliqua vrbe committi grauia peccata, vel ad erudi tionem alterius dicere, ſe occurriſſe tali & peccato, tali remedio.

AD primum reſponderi debet negatiuè. Primò, quia nemini fit iniuria in particulari, cũ de nomine nemo appelletur, nemo vllius culpæ arguatur, nemo notetur. 2. ſigillum non obligat, niſi ratione iniuriæ, quæ per illius violationem infertur B pœnitenti. primò & per ſe, & ſecundario ſacramento, quod eſt tam pœnitenti, quam aliis futurum contemptui, ſi ſciant peccata ſua, euulgari impunè poſſe, à Confeſſario, at in caſu propoſito non nominatur, vllus pœnitens. Longè tamen eſt conſultius, ab huiuſmodi narratione ſibi temperare, etſi de nullo ſpeciatim ſermo fiat. Ita Nauar. cap. 8. num. 16. Henriquez lib. 6. cap. 21. num. 6. 1. quia per eam infamatur communitas. 2. etiam nocetur confitentibus ſaltem indirectè, cum enim eos communitas, vti corpus membra ſua contineat per eius latus, vt ſic dicã hãc tranſuerberari, ac in ſuſpicionem magnorum criminum, vocari nemo ambigit: itaque à frequentando Sacramento reuocari. 3. quia minus eruditos in populo, talis offendit oratio cum per eam confeſſionem detegi exiſtiment. C Quid ſi Confeſſarius, de ſuperiori loco dicat? quid ſi inuehendo in crimina, ſcire ſe aſſerat certo grauia in ea vrbe committi? Ludou. de Beia reſponſ. par. 3. caſu 15. exiſtimat eum non peccare, etſi dicat certũ id ſibi ex confeſſione eſſe. 1. quia ideo prohibetur peccatorum reuelatio, ne veniatur in notitiam eius à quo ſunt commiſſa, ſed peccatorum reprehenſio, ac cenſura in communi facta, neminem notat, nulli iniuriam irrogat, dummodo ea adhibeatur cautio, vt eorum auctor agnoſci nequeat, ergo ceſſat tùm ſigilli ſacri non reſignandi obligatio. 2. viros conſtat, eruditione iuxtâ, ac virtute claros, ſæpe exempli cauſa, ea producere ſcelera, quæ in regionibus procul diſſitis ſibi ſunt à pœnitentibus in confeſsione expoſita, quos tamen nemo D propterea ſacrilegij, nemo fracti ſigilli arguit, non eſt ergo peccatorum manifeſtatio, quæ ſunt audita in Sacramento, perſonis non notatis, contra eius ſanctitatem & reuerentiam.

Scimus ſanè, à Confeſſario quodam ſignificatam fuiſſe Innoc. 3. *Mulierem in pœnitentia ſibi fuiſſe confeſſam, quod timens ne viri poſſeſsio, deuolueretur ad alios, quarundam herbarum ſuccum potauit, & ſic venter eius intumuit, & inde grauidam ſe oſtendens, ſibi partum ſuppoſuit alienum timenſque maritum nolnerit facinus ipſi detegere.* De quo tamen, nulla ei ſacerdoti, per Pont. fuit iniecta religio, vt fuiſſet neceſſe, ſe reuelare peccata audita in confeſsione, E cum non timetur ne perſona, cognoſcatur, culpa eſſet, non eſt id ergo ſanctitati Sacramenti, ac naturæ ſigilli aduerſum.

Fugiendum tamen, quia peccata non videntur exponi poſſe publicè, ſine periculo ſcandali, Quàm enim futuri tunc ſunt pauci, qui non credent, malè tamen, Confeſsionem detegi? quæ eos opinio falſa licet, & inanis, à Confeſsione texenda integrè de omnibus admiſsis probabiliter eſt moratura in poſterum, cum iuſta eis videatur cauſa eſſe metuendi, ne peccata ſua, quæ grauia eſſe norunt,

Digitized by Google

ac plurima euulgentur, ſine prudentia, ac cautione neceſſaria, quod cùm in detrimentum Sacramenti cedat, quod tali narratione graue ac odioſum redditur, ab ea eſt, quanta maxima diligentia poteſt, abſtinendum. Per hanc ſanè ſigillum cuerti, ſecretum tolli dixit Panorm. in can. *omnis vtriuſque*, etſi inſtitueretur tam prudenter, vt metus nullus eſſet cognoſcendi auctores dictorum ſcelerum, quod probat, 1 quia in cit. cap. nulla fit hominis, ſed peccati tantùm eius auditi mentio, verba ſunt iſta: *Quipeccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.*

Sed reſponderi debet, in eo cap. non prohiberi reuelationem peccati confeſſi abſolutè & ſimpliciter, ſed in ordine, & reſpectu ad eum, qui illud eſt confeſſus, nempe quando ex eius notitia ad perſonæ cognitionem deueniri poteſt.

QVÆSTIO VII.

An ſit reuelare confeſſionem, pœnitentias, aut ieiunia, pœnitenti imponere, quæ ab eo fieri nequeunt niſi publicè.

ITa exiſtimant Nauarr. Enchir. num. 17. & in can. Sacerdos de pœniten. num. 113. Reginaldus lib. 3. c. 2. num. 21. quia ſunt tales pœnitentiæ argumentum ſaltem implicitum, inquiunt, grauium culparum, quæ acerbitate pœnarum huiuſmodi puniri debent, maximè ſi ſtatim ſunt implenda poſt confeſſionem, & ab eo qui non ſolet eas exercere, tunc enim aliud ſuſpicari non licet, quàm eas ob peccata imperatas eſſe: hæc authores illi.

Contraria tamen ſententia probabilitate non caret, quam defendit Henriq. l. 6. c. 24. Primò, quia aliter Confeſſarij valdè profectò anxij forent ſuper qualitate pœnitentiarum imponendarum pœnitentibus, à quo onere leuandi ſunt quantum licet, ſalua tamen conſcientia. Deinde contra conſuetudinē ſæculorum omniū maximi culpis onerato nulla poſſent imperari ieiunia, non ſodalium, aut occaſionum declinatio, cùm ex his ſuſpicari liceat graue aliquid admiſſum eſſe ab eo, cui hæc commendantur, aut eſſe periculum ne admittatur. Tertiò, quia aliam ob cauſam, quàm pœnitendi de peccatis admiſſis, poteſt quis ieiunare, orare, &c. vt ſuo exemplo teſtatum reliquerit Chriſtus. D. Ioan. & Elias: non ſunt ergo hæ pœnitentiæ teſtimonia certa culparum, quas pœnitens per eas pœnitentias expiari velit.

QVÆSTIO VIII.

An quando crimen auditum in confeſſione vergit in damnum Reip. aut priuatæ perſonæ, dici poſſit tam Prætori vrbis, quàm eius cuſtodibus, vt ſibi caueant.

AFfirmant Ægidius dub. 1. num. 17. & 18. Layman cap. 14. lib. 5. tract. 6. & alij ab eo citati. Contraria ſententia mihi videtur probabilior, & tenenda in praxi Primò, quia notitia per confeſſionem habita ad regimen aliorum, vti Confeſſario non eſt lege Eccleſiæ permiſſum, ergo nec ad præcauendum damnum quod timetur. Secundò, quia Prætor & cuſtodes in eam mentem certò venient, vt credant, id à Confeſſario per confeſſionem coniuratorū ſciri, quod haud dubiè in damnum ſigilli cadit, quare à tali narratione abſtinendum eſſe, nobiſcum dicunt Fagundes de præceptis Eccleſiæ, lib. 6. cap. 19. n 9. Antoninus Diana tract. de Sacramentis, reſolutione 86.

QVÆSTIO IX.

An Confeſſarius faciat contra ſigillum, negando teſtimonium confeſſionis auditæ ei, quem ob iuſtam cauſam aliquam non abſoluit.

REſpondeo facere, quia negatio dicti teſtimonij, eſt tacita manifeſtatio delicti ab eo admiſſi, ſeu cauſæ ob quam abſolui non potuit.

Confirmatur. Qui directè, vel indirectè ſignificat ſe pœnitentem non abſoluiſſe ob indiſpoſitionem, confeſſionis ſigillum violat, ſed hoc ipſum Confeſſarius ſignificat, quādo aliis ſchedulam dat teſtimonij, & huic negat, ergo ſigillum violat indirectè ſaltem Confeſſarius, quando litteras, ſeu teſtimonium confeſſionis ſibi factæ poſtulanti pœnitenti negat. Confirmatur, qui Euchariſtiam dare nollet ei quem ſcit ex confeſſione, illa indignum eſſe, haud dubiè confeſſionem indirectè ſaltem detegeret: at idem in re facit, qui ſchedulam teſtimonij, quam dat omnibus, poſtulanti pœnitenti denegat. Ne verò mendacij in eo Confeſſarius poſſit argui, dicat tantùm eum, cui eiuſmodi literas, aut teſtimonium præbet, confeſſum eſſe, de abſolutione autem taceat, monitūq; ne ad ſacram Euchariſtiā imparatus, aut non abſolutus accedat, ad interitum animæ ſuæ, dimittat, nam ſi monenti non paruerit, culpa ipſius erit, Sacerdotis nullo modo.

QVÆSTIO X.

An teneatur ſigillo qui chartam reperit, in qua memoriæ cauſa pœnitens peccata ſua ſcripſerat.

TEneri affirmant Fagundes, lib. 6. c. 5. n. 16. Delrio diſquiſit. Magicar. lib. 6. c. 1. ſect. 2. Homob. in exam. par. 2. tract. 5. c. 21. q. 115. Negant Suarez tom 4. diſp. 23. ſect. 4. Henriq. de pœnit. lib. 6. c. 20. num. 2. quæ ſententia priore mihi videtur eſſe probabilior. Primò, quia talis ſcriptura ſacramentalis non eſt confeſſio, ſed aliquid ad eam ordinatum, etſi per accidens. Secundò, peccata quæ talis ſcriptura continet, non ſciuntur primò, & immediatè ex Sacramento confeſſionis, ſed ab extimſeco, ergo ad ea celanda ſacro & religioſo ſecreto nulla eſt obligatio.

Tertiò, obligatio ſigilli confeſſionis, dependet ex inchoata confeſſione, & ex his quæ pœnitens Confeſſario aperuit, cū intentione ſe accuſandi, ſed notitia quam quis ex lecta confeſſione alterius, animo impreſſam habet, nec ex confeſſione inchoata prouenit, nec ex his quæ pœnitens Confeſſario aperuit, tenetur tamen eiuſmodi ſchedulæ repertor non legere quæ in ea ſunt ſcripta, ſecus facere eſt peccatum mortale, ſi grauia & diffamantia peccata

Digitized by Google

conſulto legat item, ſi lecta aliis euulget, quia etſi talis ſchedula, non ſit Sacramentalis confeſſio, eſt tamen via ad eam, cedit q; in iniuriam Sacramenti, ſi quis ab eius vſu auocetur, occaſione talis lectionis, ſi tamen qui eam reperit certo ſciret, ea non contineri niſi peccata leuia, & non infamantia, & ideo eam ex curioſitate legeret, culpam veniali maiorem non admitteret.

Obiicies etſi talis ſchedula non ſit Sacramẽtalis Confeſsio, eſt tamen via ad illam, & quaſi quædam Confeſsio inchoata, ergo quæ illa continentur ſunt celanda vt res ſacra.

Reſpondeo negando antec. qua parte in eo dicitur, ſchedulam eſſe Confeſsionem inchoatam, id enim eſt falſum, vt patet, niſi inchoatio ſumatur ab aduerſariis pro diſpoſitione ad Confeſsionem, quod non ſufficit ad ſacri ſigilli obligationem.

QVÆSTIO XI.

An ſit contra ſigillum, remouere aliquem ab officio quo ſcitur ex eius confeſsione, indignus eſſe, aut ei cùm fit electio, ſuum ſuffragium negare in capitulo.

NEgant Caſtellinus de electione cap. 5. n. 113. Portel. in dub. regularib. num. 9. Guttieres n. 9. c. 90. Henriquez 3. de pœnitentia c. 23. n. 16. firmantque hi authores ſuam ſententiam his argumentis. Primo quod ſacerdos ratione ſigilli ſolùm obligatur audita in Confeſsione tegere, at remouendo aliquem ab officio, aut ei negando ſuffragium, nemini reuelat eius peccatum non facit ergo contra ſigillum. 2. ſi cui extra Confeſsionem notum eſſet vitium eligendi, poſſet eum, non eligere, at hoc iure præciſe non priuatur, ex eo quod eius Confeſsionẽ exceperit, ſunt & argumenta alia quæ etſi firma eſſe videantur, his tamen in præſenti nulla eſt habenda fides ob decretum Clement. VIII. omnibus prohibitum eſſe voluit.

Quare contraria ſententia quam defendunt Fagundez ſupra Malderus de ſigillo c. 14. Coninch. diſp. 9. dub. 4. Bann. 22. q. 33. art. 8. tenenda eſt hoc tempore. 1. quia ſic Clementi VIII. placuit, à quo ſuperioribus omnibus vetitum conſtat per motum proprium de anno 1594. ne notitia quam de aliorum peccatis ſibi per confeſsionem compararint, ad exteriorem eorum gubernationem, vti velint. Decretum ſic habet. *Tam Superiores pro tempore exiſtentes quam Confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioris gradum fuerint promoti, caueant diligenter, ne notitia, quam de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.* 2. eſt id contra ſigillum quo pœnitens ab vſu pœnitentiæ, reuocari aut eam odiſſe poteſt eiuſmodi eſt hic ſenſus quem ex opinione cõtraria formare ſibi poteſt quilibet, ſe ſi conſcientiam omnem ſuam, peccataque ſincere explicauerit, dignitatibus ordinis priuari, aut magiſtratibus quos in eo gerit poſſe, cum dedecore exui, eſt hæc ergo opinio vitanda, ſequenda noſtra, vt eam ſub grauì pœna à Superioribus ſocietatis ipſo vſu obſeruari, & à profeſſoribus publicè doceri præcepit Claudius Aquauiua eiuſdem præpoſitus Generalis an. 1602. 2. ſigillum ſacrum non modo Confeſſarium in ordine ad alios, ſed etiam ad pœnitentem obligat, nempe ne ille, ullo peccatum ſuum ex confeſsione notum exprobret, aut in memoriam reuocet, accidit hoc verò ſaltem virtute, ac implicitè cum ille indignum, ac pro tali per confeſsionẽ cognitum officio, ſpoliat, quid enim pœnitenti in mentẽ venire tùm poteſt niſi id à ſuperiore propter peccata quæ confeſsus eſt fieri. Dixi ex confeſsione cognitum, nam ſi aliunde Confeſsarium non lateret magiſtratus pœnitentem ac officij incapacem eſſe, quia non eſt ea ætate, ac moribus quos lex canonica in Prælato exigit, non putarem quidquam eum facturum contra officium, ſi quod ratio imperat, quod ſuadet, caritas, prudentiaque, alium ab illo ad gubernacula domus cœnobiique calculo ſuo euehere.

QVÆSTIO XII.

An ſit contra ſigillum loqui de peccatis pœnitentis cum aliis quibus ea probè nota ſunt.

DIco primò. *Si ea Confeſſarius aliunde nouit quam ex confeſsione de iis loqui poſſe ſine ſigilli fractione*: Quia Confeſſarius non priuatur iure ſuo per hoc præciſè quod confeſſionem pœnitentis audierit.

Dico ſecundò. *Quia omnia etiam tuta ſunt timenda in hac materia, animique mortalium maximè ſunt proni ad ſuſpiciones, qui & audita frequenter ſecus explicant quam oportet*, placet mihi conſilium Victoriæ tract. de Sacramentis num. 186. vt de peccatis eiuſmodi, quæ omnibus ſunt nota confeſſarius non loquatur, niſi priùs venia impetrata ab eorum authoribus, hoc eſt publicis peccatoribus, quando & quatenus ad Dei gloriam, eorum honorem, ac proximi vtilitatem neceſſe videbitur, ſecus facere eſt exponere ſe periculo frangendi ſigilli. 1. quia talia colloquia pœnitentibus ſunt ingrata. 2. quia eos ac eorum ſimiles à confeſſione auocant. Et ita ſentit Henriquez lib. 6. c. 20. Suarez diſp. 23. ſect. 3. Patet hinc quanto ſint in errore, qui inter ſe de peccatis iocando conferunt, dicendo, v. c. miles mihi hodie inter confitendum, hæc & illa narrauit, quædam mulier hæc mihi eſt confeſſa, nam etſi iſti confeſſarij, perſonas non nominent, facile tamen eſt his, qui audiunt, in eorum deuenire notitiam, ſi de iis, qui eo die fuerunt in templo inquirant, qui, & quæ, huic & illi, ſunt tum confeſſi.

QVÆSTIO XIII.

An iudici interroganti de crimine rei, auditi in Confeſsione reſpondere Confeſſarius debeat.

REſpondere non poſſe aliud, quam ſe nihil de eo noſſe, etſi ante iuramento affirmaſſet vera ſe dicturum, ſcribit D. Thomas in 4. diſt. 21. q. 3. art. 1. ad 3. 1. quia vt iudici ius nullum eſt interrogandi niſi de eo, quod eſt extra confeſſionem cognitum; ita nec ſacerdoti obligatio eſt vlla naturalis, aut diuina reſpond. 2. cum iudex confeſſarium interrogat non niſi de ſcientia communi, & modo, quo res humanitus cognoſci ſolent, inſtituitur ab eo quæſtio, ſed Confeſſarius explicata ſibi in confeſſione non cognoſcit, vt homo & communiter, ſed vt miniſter Dei, ac eius Vicarius, ergo contra eam interrogationem nihil peccat, reſpondendo ſecus quàm iudex interrogat. 3. ad mentem iudicis nemo

tenetur respondere, nisi cùm iuridicè interrogat, quod Iudex non facit, cùm iniquè, vt in materia proposita, iura tam humana, quàm diuina violat, aut de his quæ non sunt sui fori, quæstionem contra formam iudiciorum exercet, quæ accusatorem, & testes exigit, Negabit ergo Confessarius, sibi peccatum, de quo interrogatur, notum esse, quod etiam, si opus erit, iuramento firmabit, intelligendo se non scire tanquam personam priuatam ad reuelandum, etsi sciat tanquam Dei Minister, & Vicarius ad reticendum. Ita Gabr. in 4. dist. 21. qu. vn. art. 1. Medina q. 45. in confessione. Nauarr. cap. 8. num. 19.

QVÆSTIO XIV.

An Confessarius non absoluens pœnitentem, ob iustam causam, teneatur ad sigillum.

OMnino, quia peccata quæ audiuntur à Confessario, in ordine ad absolutionem de iis recipiendam, sunt cælanda, etsi hæc ob indispositionem pœnitentis non detur. Addo amplius, etsi sine intentione absolutionis obtinendæ, pœnitens ad confessionem accederet, eius tamen euulgare scelera fas non esset, si accusandi sui causa, aut se subiiciendi Presbytero, in illo foro prout potest, vel satisfaciendi Ecclesiæ confessionem imperanti in Paschate, ea Sacerdoti narrasset, Nugnus tom. 2. in 3. part. q. 11. diffic. 1. Ratio est, quòd talis peccatorum explicatio, quam tamen ex causa non est sequuta absolutio, inchoata quædam est confessio. Candid. disq. 24. art. 48. dub. 7. est ergo eius, ac auditorum in illa facta manifestatio sacri sigilli resignatio cum sacrilegio.

QVÆSTIO XV.

An qui finxit se Sacerdotem esse, cùm non esset, aut habere iurisdictionem qua carebat, teneatur ad sigillum.

TEneri, pro certo credi debet, quia etsi absolutio confessionem non sequatur ex defectu characteris, in non Sacerdote, aut iurisdictionis in non approbato, fuit tamen ex parte pœnitentis talis confessio sacramentalis initiatiuè, nempe quia est animo accusandi sui à pœnitente instituta, & cum voto, seu voluntate, absolutionis consequendæ à Confessario. Secundò si sine culpa fas esset laico, qui se Sacerdotem est mentitus, aut Presbytero iurisdictionem non habenti, ponere ob oculos audientium, quæ ex confessione didicerunt, eius vsus paulatim obsoleesceret in pop. paucis eam sibi frequentandam existimantibus, cum periculo manifestandi sui, ac peccata, de quibus confessi essent, quod est vitandum. Nugnus tom. 2. in 3. p. q. 11. art. 3. diffic vnica.

QVÆSTIO XVI.

An qui ex confessione sponsi, aut sponsæ nouit inter eos impedimentum aliquod esse matrimonium dirimens, teneatur obligatione sigilli, illud non reuelare.

TEnetur, & ex consequenti, ambos ad celebrationem matrimonij admittere, quia audita in confessione, quæ naturâ sua sunt mala, & vt talia, eius materia, ac Sacerdoti exposita, vt ea exponenti remitteret, vi clauium, aut certe sunt ad peccandum via, & sic indirectè confessionis materia, hæc inquam omnia sunt tacenda: sed id quo matrimonium impeditur, est tale, nam si nulla eius ratione habita, vir & fœmina illud contrahant, peccabunt haud dubiè plus quàm venialiter: loqui ergo de hoc impedimento per confessionem tantùm cognito, aut eius solius occasione, eorum matrimonio interesse nolle, est sigillo vim & iniuriam facere.

Dixi *in confessione*, vt innuerem, tale impedimentum declarandum esse ab eo cui sub secreto est commissum, extra confessionem. Candid. disq. 24. art. 48. dub. 8. asserit. Secunda causa est, quòd charitas in id cuique incumbere suadeat, vt mala aliena, peræque ac sua oderit, eaque omni qua potest arte impediat, non est autem leue incommodum, virum & fœminam peccare in leges Ecclesiæ, ergo cùm secretum naturale seruari non debeat, quando vergit in damnum commune aut personæ cuiuspiam tertiæ, secundùm D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. Cand. supra dub. 4. assert. 1. qui aliquos extra confessionem intelliget propinquitatis inter se nexu cohærere, aut impedimento quopiam simili à contrahendo legibus Ecclesiæ reiici, quamlibet id sub secreto naturali acceperit, tenebitur tamen efferre foras, eique, cuius interest illud nosse, indicare, vt pro caritate sua ac prouidentia illi recurrat.

QVÆSTIO XVII.

An sit contra sigillum negare Euchar. ei qui tam ex confessione propria, quàm communi fama scitur eo beneficio indignus.

VT domi suæ quispiam publicè, & in oculis ciuitatis, multos annos alnit, alitque modò, vsuras similiter quas exercuit, etiam nunc vrbe tota conscia exercet, de quo sæpe à Confessario admonitus, non sapuit tamen, de hoc homine quæritur, an sine fractione sigilli, à Sacramentis possit vt indignus reiici?

Respond. posse, quia cùm hic communi hominum opinione habeatur pro improbo, non fit iniuria Sacramento, cùm eius vsu repellitur, nec enim causari verè tùm potest, Euchar. ideo negari sibi à Confessario, quod ei animæ suæ, mentisque dispositio per confessionem duntaxat sit nota, cùm enim in ore sit omnium, oculisque eius peruersitas, iustè sibi, ac cum ratione persuadere nequit, eam soli Confessario ignotam esse. Sanè etsi eum absoluisset, à sacra tamen Mensa reiici posset, si ab eo causæ necdum scandali sublatæ forent, quanto magis si illum Confessarius sine absolutione à se, mis-

sum fecit? Et ita sentiunt Alensis 4. pa. q. 78. q. vlt. A Adera in 4. de sigil. Conf. Maior in 4. dist. 17. q 3. argum. 5. & 6.

DE CONTRITIONE.

QVÆSTIO I.

Quid sit & quomodo differat ab attritione.

EST contritio *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Trid. sess. 14. cap. 4. B hoc est actus voluntatis, quo peccatum mortale super omnia detestamur, quæ odio haberi possunt, quia est offensa Dei super omnia dilecti, idque cùm proposito, illud de cætero non admittendi, ac confitendi, vbi erit commodum. Maior in 4. dist. 14. q. 1. de contritione loquens ad hunc modum scriptum reliquit, *Pœnitentia purgativa, culparum est displicentia, siue detestatio, seu nolitio præteritorum, quamvis nullus sequatur dolor, seu fletus*, quem loquendi modum sequuti sunt primarum partium Theologi D. Th. Bonau. Richard. & Alensis, hic enim in 4. par. q. 17. memb. 4. art. 4. contritionem nominat, *dissensum in parte rationali animi nostri, à peccato commisso*, Concilium C sess. 14. cap. 1. *odium & pium animi dolorem.* D. Th. in 4. sent. dist. 17. q. 2. art. 1. quæstiuncula 2. *displicentiam.* Qui autem dolor imperfectus est, eo quod non expleat partes, ac numeros quos ad remissionem peccati extra Sacramentum Deus exigit, huic nomen est. Attritio & definitur voluntatis actus quo dolemus de peccato propter gehennæ metum, aut peccati turpitudinem ex fide notam. Tridentinum sessione decima quarta, cap. 4. qui dolores ambo, in eo conueniunt quod sint actus supernaturalis ex motiuo superante naturam eliciti. 2. quod sint dohũ Dei, de attritione declarant Trident. his verbis. *illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, declarat non solùm non facere hypocritam, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat*, sess. 14. c. 4.

Differunt autem attritio, & contritio, primum ex parte obiecti formalis, nam istius obiectum, est peccatum, vt displicet Deo præcisè, ac vt malum est super omnia odibile, attritionis autem, est idem quidem peccatum fugiendum ex gehennæ metu, aut motiuo quopiam alio reuelato, & Catholica fide percepto.

2. Differunt ex parte causæ, contritio enim ex E amore filiali existit, vel potiùs eum includit. Attritio ex seruili, Dicunt alij dolorem qui est contritio ex amore Dei super omnia dilecti procedere, actumque esse elicitum caritatis, attritionem autem ex amore sui, ordinato tamen tam in naturalibus quam supernaturalibus.

3. Differunt ex parte effectus, illa enim vbi occupauit animum, gratiam in eo producit, omniaque quantũlibet sit parua scelera abluit vt docent Principes Theol. D. Thom. in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. Alens. in 4. par. q. 17. memb. 1. parag. 3. quorum nihil simile, operatur in homine attritio cum extra Sacramentum non iustificet.

4. Contritio nunquam est informis, vtpote quæ à charitate seiungi nequeat, quod non habet attritio, vt patet.

QVÆSTIO II.

An vt vera sit contritio oporteat pœnitentem elicere hunc actum, volo non peccasse an potius, vellem.

PRima Assertio. *Si consideretur peccatum vt est præteritum, non potest pœnitens absolutè & efficaciter velle vt non sit, nec perinde dicere determinatè volo non peccasse, sed vellem si fieri posset.*

Quia absoluta voluntas fertur tantum in id quod est possibile, at quod est præteritum non est tale, cum ex hypothesi, quod præterierit non possit, non esse præteritum. Contritio ergo non est actus voluntatis in pœnitente absolutus, quo peccata sua detestatur, sed conditionalis, explicandus proinde hoc voce, vellem.

Secunda Assertio. *Si peccatum spectetur, vt habitualiter permanens in anima per consensum*, vt vocant, *virtualem, quem peccator tandiu habere censetur quamdiu non resipiscit, necesse est in eo voluntatem esse efficacem & absolutam, qua exprimatur hoc actu*, volo *destruere peccatum, volo ab eo resurgere.*

Nam contritio est actus perfectæ amicitiæ, at hæc stare nequit sine voluntate plena & perfecta euitandi quod amico displicet, vt est haud dubiè voluntas inclinans ad culpam, debet ergo contritio ferri in peccatum destruendum hoc modo quo diximus: idemque asseri debet de peccatis futuris, circa quæ voluntatem absolutè ferri oportet & efficaciter, pœnitente statuente cum Dei gratia in posterum non peccare. Ex his patet solutio huius quæstionis, nempe an detestatio peccati in qua essentia pœnitentiæ consistit, sit voluntas absoluta absentiæ peccati, an tantum conditionata. Ad eam D enim responderi potest talem detestationem quatenus respicit præcisè peccatum præteritum, secundum se, esse tantum actum simplicem, & inefficacem ipsius displicentiam, quia impossibile est vt quis velit nunquam peccasse, cum hoc sciat ex hypothesi peccati olim admissi esse impossibile, est tamen hoc desiderium tale, quod efficaciter efficeret, vt peccatum nunquam fuisset, si hoc esset possibile; si autem consideretur talis displicentia prout respicit peccatum præsens habitualiter adhuc perseuerans in anima, sic est voluntas efficax absolutè illud expellendi.

QVÆSTIO III.

An certum aliquod tempus exigatur quo contritio durare debeat ad remissionem culpæ.

PRima sententia est Scoti, Comitoli in responsionibus moralibus, & aliorum apud illum, Deum non iustificare illico peccatorem, atque eum pœnitet admissorum, sed eius iustificationem differre ad tempus aliquod nobis incognitum.

Digitized by Google

Contraria aliorum eſt, & tenenda, iuxta quam Dico 1. *Certum nullum eſſe tempus, quo ad remiſſionem culpæ tam in Sacramento, quàm extra, neceſſariò durare contritio debeat.*

Primò, quia vt dicitur in can. menſuram, diſt. 1. de pœnitentia, *Apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris.* Secundò, quia Ezechiel. 18. dicitur, impio ab impietate ſua nihil timendum eſſe, quocunque die ad Deum redire induxerit animum, quod verum non eſſet, ſi duratio aliquanti temporis requireretur ad hunc actum, quia diei nomine Patres intelligunt momentum quodlibet temporis, ſic vt loci illius ſit hic ſenſus, quandocunque, & cùm primum peccatorem vitæ ſuæ pœnituerit, ſicut explicat Victoria, de contritione, num. 115. patetque ex his verbis Cypriani, de cœna Domini: *Nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec vitæ enormitas, ſi vera fuerit contritio, excludit à venia, ſed in amplitudine ſinus ſui, mater charitas, prodigos ſuſcipit reuertẽtes.* Huic teſtimonio addamus & rationes. Prima eſt, quòd contritio quælibet etiam minima, perfecta ſit hominis à peccato auerſio, eiuſdemque ad Deum reditus ac conuerſio, eſt enim actus ſpiritualis, & indiuiſibilis, ſine partibus, ac qui proinde in inſtanti, apprehenſo obiecto, perfectè poteſt elici, ſicut actus amoris, eſtque ſecundùm Dei miſericordiam, non modò ſufficiens, ſed & vltima diſpoſitio ad gratiam, ex D. Thom. q. 89. art. 1. ad 2. indicatque Cyprianus, his verbis: *Non ſupernacuæ mendicant lacrymæ, nec vnquam patitur cordis contriti holocauſtum repulſam*: at poſita diſpoſitione vltima, ſecundùm Philoſophos, ſtatim eodem momento acquiritur forma.

Confirmatur. Simul ac quiſpiam à Deo per peccatum mortale ad res terrenas auertitur, ei inuiſus eſſe incipit, ac exoſus, ergo ne Deus plus ſeueritatis habere videatur, quàm benignitatis ac miſericordiæ, tempus doloris nullum certum præſtituet, ad reconciliationem ſui cum homine.

Tertiò, Conuerſio in Deum per contritionem in primo inſtanti ſui eſſe, æque bona eſt, ac laudabilis, ac poſtquam aliquandiu duranit, ergo aut nunquam, aut iuſtificabit illico ac erit.

Quartò, ſi eſſet aliqua temporis mora ad contritionem neceſſaria, maior pro peccatis pluribus adhibenda foret, quàm pro vnico; & ita ſi quadrante vno, v. c. conteri oportet pro vnico peccato, pro duobus exigetur duplo plus temporis, quod nemo dicet, cùm ſit de fide, momento quolibet poſſe hominem conuerti ad pœnitentiam, Deum item, facienti quod in ſe eſt, non negare gratiam: At ſi vera eſt ſententia noſtræ oppoſita, erit tempus, in quo ad Deum non patebit homini reditus, nempe ſi ſpatium quod illi vſque ad mortem ſupereſt, longè eſt breuius, quàm ſit neceſſe, ad eam durationem, quæ Aduerſariorum opinione, ac ſenſu, ad veram contritionem exigitur.

Obiicies. Forma poſterior eſt tempore accidentibus, quæ ei in ſubiectum iter muniunt: ſed contritio via eſt ac diſpoſitio ad gratiam. Maior eſt vera in iis diſpoſitionibus, quæ ſucceſſiuè in ſubiectum inducuntur, in his autem, quæ inſtanti, de quarum numero eſt contritio, reſpectu gratiæ, nullo modo.

Obiicies 2. Vt læſo ſatisfiat, mora eſt aliqua temporis neceſſaria, plus quàm inſtantanea: at Deo Principi per contritionem ſatisfacimus pro culpa, ſeu iniuria ei allata: ergo, &c. Reſpondend. Si ſatisfactio idem ſonat ac reditus ad Deum, quæ propria videtur eſſe notio huius nominis *Satisfactio* in maiori, abſolutè eſt neganda. Ideo enim ſatisfit Deo per contritionem, quia per eam homo auertitur à peccato, & ad eum conuertitur, quod habet in quolibet intentionis gradu, & qualibet eius duratione, eo quòd id illi ex propria naturæ ſuæ ratione, vi, & efficacitate conuenit.

QVÆSTIO IV.

An contritio debeat eſſe ſumma in intenſione graduum ad effectum remiſſionis culparum.

ACtus quo voluntas peccatum deteſtatur, duobus modis dici poteſt eſſe maior quolibet alio. Primò, intenſiuè, quia voluntas fertur in eius odium, maiori feruore, conatu, ac vehementia, quàm in quodcunque aliud malum, & ita intenſiuè contritio ſumma erit, quam homo, magno, & toto conatu ſibi poſſibili eliciet.

Secundò, ſumma eſt comparatiuè, quia nempe odium quo quis peccatum proſequitur, maius eſt, acriuſque quolibet alio, vt ſi peccatum magis oderit, quàm infirmitatem, opprobrium, iacturam bonorum: & id accidere poteſt 1. quoad teneritudinem actus, 2. quoad firmitatẽ. 3. quoad æſtimationem & iudicium: iudicium quidem, cùm ſecum animus ipſe ſtatuit, quòd res amata, id eſt Deus quamlibet aliam, illi bonitate ac pretio oppoſitam ſuperet, ſic quidem, vt melius ſit, ac homini fructuoſius deteſtari peccatum, quàm malum quodlibet aliud: Quoad æſtimationem autem, cùm voluntas luce perfuſa intellectus ac animi, mauult eo malo carere, quàm alio quolibet, ſubire, & pati quidlibet potius, quàm illo coinquinari. Iam ergo videndum eſt, vtro de his modis oporteat contritionem eſſe ſummam.

Prima Aſſertio. *Contritio ad remiſſionem culpæ non neceſſariò debet eſſe ſumma, phyſicè, entitatiuè, & quoad intenſionem graduum.* Primò, quod contritio, in quorumdam ſententia, formalis ſit iuſtificatio, in aliorum autem, certa ad eam diſpoſitio, id habet præcisè ex natura ſua, non autem ab his, quæ illi extrinſecùs aduenium: at gradus quilibet contritionis, vera eſt contritio, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, cætera autem, quæ ei accidunt extrinſecè, tantùm eius naturæ adiacent: non debet ergo contritio ſumma eſſe intenſiuè vt iuſtificet.

Secundò, ſi talem eam eſſe ad abſterſionem culpæ, productionem autem gratiæ eſt neceſſe, maximè quia oportet voluntatem in peccatorum odium ferri, quanta maxima intentione poteſt, vel quia decet, ac expedit, contritionis actum reſpondere in intentione, integro habitui gratiæ, qui ei poſt iuſtificationem præſupponitur, at neutrum dici poteſt. Non primum, quia dari nequit vlla tam perfecta contritio, qua non ſit poſſibilis maior ac ardentior.

Primò, quia voluntas in ea elicienda potentiæ obedientiali Dei ſubeſt, qui eam quoties, & quando eſt collibitum, eleuare poteſt per gratiam præuenientem, ad actum, qui noua ſemper perfectione ſe ſuperet. Deinde, quia nullus datur actus charitatis, quo maior elici non poſſit, cùm de nobis, reſpectu illius, verum ſit dicere, *qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſemita iuſtorum tanquam lux ſplendens creſcit*, ergo nec contritio vlla perfecta datur, qua perfectior dari nequeat. Non ſecundum, alias

ſequeretur

eum, qui cùm habitu gratiæ intensæ, vt 12. eliceret actum doloris vt tria, non iustificatum iri, iustificandum autem, qui cùm gratia vt vnum actum contritionis eliceret, intensionis eiusdem, quod est absurdum.

Secunda Assertio. *Contritio non necessario summa esse debet quoad teneritudinem animi, aut firmitatem in retinendo proposito seruiendi Deo.*

Pars 1. Probatur 1. quia non est in potestate hominis facere, vt magis peccato, ac iactura gratiæ, eius occasione facta tangatur, quam re quapiam alia. 2. quia sic valdè salus esset sæcularium dubia, quos sæpe interitus liberorum, ac amissæ fortunæ, vehementiore doloris sensu pungunt, quam Deus, amissaque per peccatum gratia, ob infirmitatem animi, resistentiam appetitus, habitudinem corporis, propensi magis ad hæc caduca fortunæ bona quam ad Deum, eiusque gratiam. 2. Pars probatur non potest pœnitentia esse summa quoad firmitatem, nisi hæc nos longius in peccati odio, Deique amore conseruet, quam cuiusliber alterius mali detestatio: at pœnitentia non tribuit per se primò hãc homini constantiam, sed Deus, quem certum est pœnitenti, non semper ea dare auxilia gratiæ, quæ eum in gradu retineant, ne cadat, in amore erga Deum corroborent, ne ruat, Dæmonis appetitiones omnes, ac insultus obtundant, ne perdant, non debet ergo esse hoc modo summa contritio.

Tertia Assertio. *Etsi ad rationem veræ pœnitentiæ, non requiratur intensio magna, vel maxima entitatiua & physica, requiritur tamen intentio quædam moralis maxima, quæ consistit in appretiatione, & æstimatione Dei super omnia bona, & in detestatione, peccati super omnia alia mala.*

Ita auctores, antequam probetur, Notandum est appretiationem in actu voluntatis, sitam esse, ita tamen vt alium connotet intellectus, iudicantis id quod, amandum esse dicitur, magis quam alia appretiatiuè, præstare omnibus aliis, in ratione boni, ex quo consequitur, vt voluntas bonum illud, firmius amet, ac potentius per maiorem sui in eo adhæsionem, non intensiuam, illam quidem, sed appretiantem, nam cui est ignotum, res quasdã, etiam sine peccato, magis intensiuè amari posse, quam alias quæ appretiatiuè magis diliguntur.

Notandum 1. hominem peccatum appretiatiue magis odisse, quam quidlibet aliud, quando ita est animo comparatus, vt illo carere malit, quam malo quolibet alio.

Ita apparet comparationem hanc actualem, non esse ad rationem veræ pœnitentiæ necessariam, cum fieri nequeat, sine aliqua mora temporis, quam non exigit vera contritio, cum momento possit concipi.

Secundo etsi de dispositione animi sui, ac statu, interrogare se viri probè possint, ac debeant, exemplo Pauli ad Romanos 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi*, &c. vt sic se nempe ad amorem actuant, ac conceptum dolorem de peccatis nutriant, id tamen à sæcularibus maximè coniugatis, expetendum non esse ob periculum.

Apparet 3. Deum appretiatiue amare, aliud non esse, quam pluris eius amorem, quam cuiusuis alterius rei facere, quatenus vi æstimationis quam de illo anteceptam animo amans habet, ita est affectus, vti damna pati omnia malit, quam Deum offendere, ratio est, quod charitatis laus sit hæc propria, facere, vt is cuius animum possederit, Deum pluspuam semetipsum, diligat: ergo cùm præ se, ideſt comparatione sui cætera omnia contemnere debeat, iuxta illud Christi. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur*, &c. ille amor ab amante, id est Dei sui possessore, exprimet, vt hæc sibi, quam Deum, eiusque amicitiam, subripi tollique malit, & quia id à singulis exigit, recta ratio, vitam vt suam cruciatibus ordinariis ac communibus redimant, iuxta illud *pellem pro pelle & omnia dabit homo*, quam tamen, si charitatem aduersus Deum habent, illi, eiusque gloriæ postpositam volent, rectè sequitur amorem appretiatiuum, in hoc consistere, vt malit homo, omnia perpeti, dictu licet, ac toleratu immania, vnaque omnia perdere, quam Deum, eiusque gloriam.

Ita declarata assertio probatur. Actus diuini amoris summus esse debet appretatiue, ergo & contritionis: Antecedẽs est certum, nam amoris est velle potius priuari rebus omnibus, quam Deo, eius offensam magis timere, quam cuiuslibet alterius, at hoc est eum appretiatiuè summè diligere. Consequentia probatur, regula odij, ac mensura, amor est boni oppositi malo, quod odio prosequimur, cum pro illius magnitudine, istius crescat odium, ac detestatio, verissime enim dixit Valerius to. 1. l. 5. c. 3. num. 29. *Ita comparatum esse, vt quantum quid est amabile, verequeamatur, tantum illud quo amittitur odio habeatur, & odibile iudicetur.*

Secundo probatur assertio vt contritiõ iustificare possit talis esse debet, vt virtute illius, homo auertatur à peccato, & perfectè adhæreat Deo, hoc autem fieri non potest, nisi summa sit contritio appretiatiuè, vt patet, cum affectus ad rem malam, malus sit.

Obiicies 1. Contra ante dicta, Scriptura, & Patres cùm de pœnitentia disputant, aiunt debere esse summam, quod de appretiatione tali non videtur intelligi, sed ea, quæ intensione quemlibet dolorem alium superat.

Respondeo quòd à Patribus & Scripturis de pœnitentia dicitur consilij esse non præcepti, quia præceptum non est nisi de re possibili moraliter autem, summè intensiuè dolere de peccato est impossibile, cum qualibet pœnitentia assignata dari possit alia intensior.

2. Cum natura sua remissi sint pœnitentes, ac lenti, valdè est metuendum ne si verè sibi, ac culpis omnibus bellum non inferant, aut in execrando scelere Dei causa, connatum pluspuam communem non adhibeant, nullum veri doloris actum exerceant; & ideo causa iusta Patribus extitit eos admonendi de summa vi ac conatu afferendo in pœnitentia, vel certè loquuntur Patres, de contritione, vt æstimatiuè doloribus omnibus est maior.

Obiicies 2. Non potest contritio summa esse appretiatiuè, nisi vna quoque intensiuè, sit talis, Enimuerò cum in intellectu sit intensio saltem ex parte, nihil ad adhæsionem voluntatis confert, nisi in ea quoque crescat conatus, eiusque contentio in agendo. Antecedens est negandum, quia cùm contritio essentialiter ordinetur ad peccatum, vt est offensa Dei super omnia amati, consequenter illi conuenit, vt illud essentialiter detestetur magis, quàm quidlibet aliud, vel saltem id ab ea oritur, tanquam propria quædam passio, essentiam ipsius concomitans.

Digitized by Google

QVÆSTIO IX.

Ad ad rationem contritionis requiratur, vt sit de omnibus peccatis mortalibus.

NOtandum posse quem conteri de peccatis vniuersè, vt si quis in genere cogitet se peccatorem esse. 2. si in memoriam ea speciatim, reuocet tùm de illis vno actu doleat. 3. Si singulis peccatorum speciebus, singulas contritiones applicet. 4. Si singulis in individuo singulas, id autem vtrum ad iustificationem tam in Sacramento, quam extra obtinendam per contritionem, fieri oporteat, hic videndum est.

Prima sententia fuit Soti in 4. dist. 17. art. 2. q. 2. Valent. 3. parte disp. de contrit. puncto 6. Philiarchi de officio sacerdot. p. 2. lib. 2. de pœnit. cap. 20. non posse quem iustificari per contritionem generalem de peccatis, si hæc eliciatur eo tempore quo præceptum obligat, vel certè cum nullum impedimentum occurrit quo minus peccata singula reuocentur in memoriam, quæ opinio fuit etiam S. Th. 1. 2. q. 113. art. 5. ad 3. & 3. p. q. 87. art. 1. vbi ait ad remissionem peccatorum requiri, *vt homo diligentiam adhibeat ad rememoranda singula peccata mortalia, vt singula detestetur.*

Secunda contraria, Victoriæ tractatu de pœnitentia n. 116. Petri Soto de Confessione. Ledesm. 2. parte art. 2. D. Thom. q. 28. de verit. art. 5. Caiet. in summa verbo contritio Henriquez lib. 4. cap. 27. num. 9. Graphij, cap. 5. lib. pro solutione sit.

Prima Assertio. *De peccatis omnibus mortalibus, aliquo modo est necessaria contritio.*

Quia quandiu voluntati culpa placet, condonari nequit homini, at tamdiu placet, habitualiter saltem, quandiu per contritionem voluntas ab eo non deducitur, ergo de peccatis omnibus, aliquo modo pœnitendum est homini.

Secunda Assertio. *Non potest de vno peccato mortali quis conteri, quin vna quoque auersetur cætera, saltem implicitè.*

Probatur. Causa detestandi peccati formalis, ac motiua est quod animum diducat à Deo, summo bono, eumque ad amorem sui rerumque quæ patent, abiiciat, seu quod sit offensa Dei supra omnia dilecti; at valet hæc ratio in mortalibus omnibus, nequit ergo quis de vno mortali conteri, quin virtute quoque ei cætera displiceant.

Confirmatur. Quia ratio assentiendi fide diuina articulis fidei, est diuina reuelatio, non potest quis vni assentiri ob formalem hanc causam, quin assentiatur reliquis. Ergo à pari, nec detestari peccatum vnum voluntati erit integrum præcisè, quia à Deo summo bono distrahit, nisi cætera quoque oderit, quorum idem est effectus.

2. Qui absolutè bonum amat, & perfectè, etiam naturali quadam consequentiâ auersatur malum ei oppositum, vt patet in intentione finis, quem certum est, efficaciter appeti non posse, sine auersione saltem virtuali, eius termini à quo destruitur, at peccatum est destructiuum boni, quod est obiectum voluntatis, vt agentis supernaturaliter per amorem, aut spem, videlicet diuinæ amicitiæ, aut gloriæ æternæ, quibus duabus rebus priuamur per mortale, ergo cùm prius natura, voluntas alterutrum de duobus bonis appetat, quam mala eis opposita, prosequatur odio, cuiusmodi sunt peccata, cuiuslibet eorum odium, virtualis futura est cæterorum detestatio.

Tertia Assertio. *Potest quis iustificari tam extra Sacramentum quàm in eo, per contritionem generalem, de peccatis generatim & confusè apprehensis.*

Quia ad rationem veræ detestationis, quæ est pars Sacramenti, nihil aliud requiritur quam vt sit vera contritio, talis est, etsi non feratur in omnia, & singula peccata distinctè, sed in vnum aut plura specificè, aut numericè considerata, sub motiuo generali pœnitentiæ, quatenus scilicet sunt offensa Dei, super omnia dilecti, ergo cùm vera contritio, non sit sine gratia iustificante, illaque possit concipi, peccatis tantum apprehensis generatim, & confusè, consequens est quod ad iustificationem consequendam de peccatis omnibus, sufficiat vnus simplex dolor contritionis de omnibus peccatis.

Confirm. si esset de peccatis specialibus, specialis contritio necessaria, iustificari quolibet momento tẽporis, homo non posset, quod est contra scripturam, asserentem nunquam diuinæ benignitatis fontẽ clausam esse pœnitenti, in quacunq; enim hora, id est puncto temporis, ad Seruatoris genua accidit, peccatorum veniam postulans, sic obliterantur omnia diuina eius manu, horum vt ne vmbra quidem, memoriaque supersit vlla.

Sequela probatur momento vno non potest excuti facilè vitæ præteritæ memoria, aut consuli de omnibus, quæ vnquam retroactis annis sunt gesta, exigit enim hæc recordatio discursum, animique æstum contentionemq; valde magnam. Nihil est ergo necesse, obtinendæ culparum veniæ per contritionem eas reuocari omnes in memoriam, illico enim ac quis dolorem de vna illarum quapiam concipit Deo gratus esse incipit, hũc autem ab expressa, ac actuali vitæ præteritæ memoria pendere, quis putet? vera est ergo Assertio.

Patet hinc hominem ex præcepto contritionis non obligari ad peccata sua reuocanda in memoriam, quia sine tali recogitatione, per contritionem, potest hic temporis momento ad Deum perfectè conuerti, & iustificari. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 3.

Quarta Assertio. *Cùm in memoriam peccata reuocantur, vt confessario explicentur, satis est in ea ferri actu vnico odij.* Suar. disp. 20. sect. 4. n. 28.

Quia per illud homo quantum satis est, ad Deum conuertitur: deinde si pro singulis culpis, singulæ contritiones essent necessariæ, quo quis plures admisisset, hoc in eo plures, & contentiores essent necessariæ, quod est contra praxim confessariorum, qui vnica sunt contenti ad perfectionem Sacramenti.

Debet tamen actus ille odij, seu doloris, concipi ex motiuo generali, nempe quòd peccatum ad cuius destructionem tendit, sit offensa Dei super omnia dilecti, sic enim virtute ad omnia se peccata extendit.

Obiicies amor Dei, implicitam, ac virtualem voluntatem omnium bonorum operum, non continet, ergo nec vnius peccati odium, virtuale aliorum, Neganda est consequentia. Causa disparitatis est, quod bona opera, non sunt omnia, conseruando diuino in nobis amori necessaria, vt patet, cum ad eam rem nemo abiudicatis sæculi curis, teneatur Religionem ingredi, nemo abstinere quotidie in pane, & aqua, cuius oppositum, de omnium peccatorum odio respectu diuini amoris est sen-

tiendum, nam hunc illibatum retinere, ac integrum, sine eorum displicentia, fugaque, non est facile, sanè amore in Deum ferri, & voluntate in peccata, res est eiusmodi, in quam vno, eodemque simul tempore incumbere, nulli sit mortalium possibile. A

Obiicit. Valentia præcepto diuino pœnitentiæ ad omnium, & singulorum peccatorum dolorem, obligantur homines, hoc autem fieri quî possit, nisi reuocentur in memoriam, non est expeditum dicere cum oporteat obiectum voluntatis, secundum eam rationem qua voluntati ab intellectu proponitur cognitum esse, alioqui elumbis, sine opere maneat est necesse trunci instar absque motu sensuque vllo. Neganda est minor, etsi enim contritione, quam generalis tantum, lateque spectata peccatorum notio præcesit, non tam formaliter, ac propriè contemur de peccatis singulis, ac si ea nota forent, fit id tamen, quantum est satis, consequendæ eorum veniæ, in quantum si liceret, fierique præterita tempora sinerent vellemus propter Deum summè dilectum, ne semel quidem peccasse, hæc enim voluntas, quæ propria est pœnitentiæ, virtute ad peccata cætera extenditur. B

QVÆSTIO X.

An contritio necessaria sit necessitate medij ad salutem.

C

PRima Assertio. *Adulto ad remissionem culpæ mortalis quolibet tempore tam legis naturæ, & veteris, quam gratiæ necessaria fuit necessitate medij, & finis extra vsum Sacramenti, pœnitentia formalis, vera scilicet & perfecta contritio.*

1. Quia saluti locus est nullus, sine exacta mandatorum Dei custodia, iuxta illud. Matth. 9. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Sed præceptum est de pœnitentia. Math. 4. Apoc. 2. Ergo perfecta adhibenda est ad reconciliationem sui cum Deo extra Sacramentum, ergo vt impletio illius præcepti, certa est consequendæ salutis, ratio, sic omisio, eiusdem est destructio.

2. Eodem modo loquuntur scripturæ de contritione extra Sacramentum, ac de amore Dei super omnia, nam vt de eo 1. ad Corinth. dicitur. 13. *Si charitatem non habuero nihil sum.* Ita & de illa. *Si pœnitentiam non egeritis omnes simul peribitis.* Et in Eccles. *Si pœnitentiam non egerimus, in manus Dei incidemus.* Sed amor Dei est adulto ad salutem extra Sacramenti vsum necessitate medij necessarius, ergo & pœnitentia sine qua. *Cane pejus* (inquit Augustinus Epistola 48. *quemquam à peccato sine parvo, sine magno transire ad fructum, fuit enim quondam tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius, & in homine post Bapt. lapso, ita demum præparat, ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit.* Trident. sess. 14. cap. 4. D

Assertio secunda. *Quouis tempore per se loquendo, pœnitentia formalis, seu vera contritio extra vsum Sacramenti necessaria fuit necessitate præcepti.* E

Probatur. Quicquid est ad salutem necessarium necessitate medij, est etiam necessarium, necessitate præcepti, dummodo sit in nostra potestate positum, sed contritio potestati humanæ subest, estque necessitate medij necessaria, ergo, &c. Ita D. Th. 2. 2. q. 79. art. 3. ad 2.

Tertia Assertio. *Contritio non est in lege Euangelica adulto, simpliciter necessaria necessitate medij ad salutem, etiam supposito peccato.*

Quia illud dicitur necessarium necessitate medii ad salutem sine quo saltem de via Dei ordinaria obtineri hæc non potest, sed contritio non est eiusmodi, cum sine illa possit quis per attritionẽ quam contritionem existimat, cum Sacramento gratiam & salutem consequi, quod & de Martyrio similiter est dicendum, qua de re alias.

Adulto dixi & supposito peccato, quia in pueris diem suum obeuntibus post baptismum ad vitam beatam non exigitur vlla pœnitentia, nec in iustis cum, *non egeant qui sani sunt medico, sed qui malè habent, nec Deus iustorum, posuerit pœnitentiam iustis.*, Abraham, Isaac, & Iacob 2. Paralipomenon cap. 2. Addidi in lege Euangelica, nam Iudæis mortali aliquo peccato sordidatis, absolute fuisse necessariam, cum sacrorum Codicum authoritas, tum ratio non fallax suadet, quam enim est homini cum peccat, parcendum ob infirmitatem animi, tam est turpe, cum admissa in Deum non retractat, Sanè filio suo ad amicitiam, quam peccando perdidit, reditum nullum esse parentes volunt, nisi expiata ante per pœnitentiam, & lachrymas offensa, quam contraxit, quod si id iustè hi agunt, & honestè, est impudentiæ credere, peccatorem Deo gratum & acceptum fore, dolore prius non concepto de admissis, contra eius honorem & gloriam, *nec enim respicit nisi ad pauperculum, contritum corde & trementem sermones suos.* Isaiæ 55. Quare cupienti ne sit sibi iniquitas in ruinam, suscipienda est in remedium pœnitentia, ac proinde verum est Iudæo, conscio culpæ mortiferæ, pœnitentiam ad salutem fuisse necessariam.

QVÆSTIO XI.

Quando obliget præceptum diuinum de contritione.

OBligare hoc præceptum illico post admissum peccatum dixere aliqui, alij ei parendum aiunt, quoties peccata occurrunt memoriæ practice tanquam quid agibile, ac detestabile. Ita D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiuncula 4. Halensis 3. parte q. 68. Paludanus in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. Sylu. verbo dominica q. 6. dicto quarto.

Credidere plerique eius rationem in primis habendam esse, quoties Sacramenta suscipi diuina lege debent, aut Ecclesiæ, & de Sacramento quidem pœnitentiæ sentit Scotus, de Sacramento baptismi Nauar. Omitti sine culpa non posse in graui necessitate Ecclesiæ, & ad quam depellendam oratione est opus, scripsit Adrianus in 4. q. 4. de Confessione.

Probabilius loqui videntur, qui pœnitendum homini dicunt. 1. in periculo mortis. 2. cum metus est incidendi in peccatum nouum nisi de commissis doleatur. 3. in graui necessitate Ecclesiæ, cuius opinionis defensor est, de Valentia, de pœnitentia puncto 4.

Addit Henriquez videri verisimile, hoc præcepto teneri mortales, quoties de eliciendo dolore, ac retractandis peccatis, graues, ac frequentes stimulos è cœlo immitti sibi sentiunt.

Caietani opinio est in opuscul. tract. 17. q. vnica, hoc præceptum quà est negatiuum, obligare

Digitized by Google

ſemper, & pro ſemper, quod veriſſimè ab eo dicitur, cùm nulla ſint tempora, quibus probari homini culpa queat, quà affirmatiuum autem, non obligare, niſi certo tempore, nempe quando expreſsè peccator non vult conteri, ſed in peccato permanere. Quid in tanta opinionum varietate ſit tenendum, docebunt axiomata ſequentia,

Prima Aſſertio. *Nulla eſt obligatio ſub mortali dolendi de peccatis ſtatim ac ſunt admiſſa.* Ita Scotus in 4. diſt. 17. q. 2. art. 6. &

Probatur. Eſt præceptum contritionis affirmans, ergo non obligans niſi more aliorum præceptorum, quæ ſunt affirmatiua: at hæc non niſi pro certo & determinato tempore obligant, ergo nec præceptum de contritione.

Secundò, ſi dolendum eſſet de peccatis illico ac ſunt admiſſa, ſequeretur eam peccaturum, qui hoc non faceret, nec modò tunc, ſed momentis ferè omnibus, quibus eſt compos ſui, ac iſtiuſmodi obligationis memor, præceptum enim, ſuppoſito, quòd obliget, executioni mandari debet, & quidem eo tempore quo obligat: at ex hypotheſi toto illo tempore obligat, quo quis ſe in peccato eſſe aduertit, ergo, &c.

Secunda Aſſertio. *Nulla eſt neceſſitas præcisè vi contritionis ac præcepti de illa eliciendâ, dolendi de peccatis practicè memoria occurrentibus*: Quia nemo Confeſſariorum pœnitentem interrogat, quoties ſibi, ac officio defuerit, non dolendo de peccatis, quorum memor extitit, quod tamen eos oporteret facere, ſi peccatum nouum eſſet, contra præceptum de contritione, non conteri eo tempore.

Secundò, cùm ſit hæc obligatio grauis induci ſine fundamento non debet: atqui nullum eſt tale, aut ſi eſt aliquod: proferatur, petitum ex Scripturis, ratione, aut Conciliis.

Tertia Aſſertio. *Permanentia in peccato habituali, non eſt circunſtantia ita peccatum aggrauans, vt hoc ſit grauius, quo eſt illa diuturnior.*

Alioquin ſequeretur teneri toties hominem ad dolorem de peccatis ſuis concipiendum, quoties hæc practicè in memoriam veniunt, quod eſt falſum. Sequela probatur, qui quod debet, & poteſt facere præterit, peccat peccato omiſſionis, ſed qui ſuorum pecatorum practicè meminit, de illis conteri poteſt, & debet, in ſententia quam impugnamus: quo ergo diuturnior futura eſt in illis mora, hoc quoque erit eius culpa, qui illa à ſe per contritionem non excutiet, grauior.

Quarta Aſſertio. *Peccat formaliter ac propriè, contra præceptum diuinum de contritione, qui in impœnitentia formali moritur.*

Quia præceptum de contritione, primò & per ſe extra Sacramentum, maximè in articulo mortis, obligat, cùm eo elapſo, ſaluti locus nullus ſit amplius, quam tùm videtur contemnere, qui ſciens, mori vult in offenſa Dei, explicitè quidem, ſi dicat ſaluari ſe nolle, implicitè autem, cùm habens ad manum, cui in eo articulo peccata ſua explicet, eius opera in hoc caritatis officio, vti negligit, quia id agere eſt exponere ſe manifeſto periculo damnationis æternæ, & perſeuerandi in inimicitia Dei, quod periculum, lege charitatis, tam erga ſe, quàm Deum, tenetur quiſque vitare ſub peccato.

Quinta Aſſertio. *Probabile mihi quoque eſt, tenere hominem ſub peccato mortali, aliquoties in vita conteri.* Ita Henriq. 4. de Sacramentis, ca. 6. num. 6. Suar. de pœnit. diſp. 15. ſect. 6. num. 3. quia omiſſio pœnitentiæ ad multos annos, arguit in homine ſummam ſalutis, ſuique profectus ſpiritalis incu-

A riam, diuinæ autem amicitiæ contemptum virtualem, ac implicitum, cum re, quam magni ducimus, diu carere nolimus: at contemptus diuinæ amicitiæ vix eſſe poteſt ſine magna Dei iniuria, & quæ proinde ſit lethifera.

Secundò non vacat culpa, qui Deũ aliquoties non amat in vita, nec ergo futurus eſt innocens, qui peccatũ, pro viribus ſua, aliquoties nõ execrabitur in vita.

Confirmatur. Eſt contritio, in eo qui peccauit mortaliter, diſpoſitio per ſe ad gratiam, ſed velle totâ vitâ eſſe ſine gratia, culpa eſt, eaque lethifera, ob periculum damnationis, cui ſe obiicit, qui cum Deo redire in gratiam pœnitendo negligit, cuilibet ergo eſt neceſſe, ad fugam culpæ de peccatis ſuis aliquoties in vita dolere. Deſignare verò
B tempus, quo elapſo, peccatum incipiat admodum eſt difficile, ſcribit Henriq. loco citato, citra mortale, differri vltra quadriennium non poſſe. Candid. diſq. 14. art. 16. de Conf. Sacram. poſt Nugn. tom. 2. in 3. part. q. 2. in addit. art. 3. dub. 3. tempus extra quod trahi contritionis actus nequeat, ac differri, ſemeſtri definit, aut ſpatio octo menſium ad ſummum, in quo ſi de peccatis non doluerit actu veri ò contritionis, de eo monendum eſſe Confeſſarium tanquam de peccato mortali admiſſo in violatione præcepti de pœnitentia. Rem ego vniuerſam prudentis viri iudicio committendam puto.

Sexta Aſſertio. *Per accidens quoque tenetur pœnitens extra tempora præcedenti aſſertione aſſignata conteri, nempe cùm in aliquo opere verſatur, quod poſtulat fieri ab homine grato, nec tamen eſt ad manum vllus*
C *Presbyter, cui confiteatur, acquirendæ gratiæ cauſa, & tamen ex alia parte timetur ſcandalum, ſi relinquatur communio, vt aut alia ſimilis aliqua pietatis in Deum actio, vt eſt Sacramenti adminiſtratio.*

Probatur, non poteſt Sacerdos ſine peccato Sacramentum conferre in mortali peccato, ergo ſi deerit quem ad reconciliationem ſui cum Deo adhibeat, omittere contritionem non poterit eius beneficij aſſequendi certam viam.

Aſſertio ſeptima. *Per ſe, & ex vi propria præceptum contritionis obligat in mortis periculo, aut perpetuæ amentiæ.* Cauſa eſt quòd contritio obligat, cùm ſalus animæ, extremaque eius neceſſitas agitur, ſed ſi quando, maximè in mortis periculo, de
D peccatis conteri eſt neceſſe ob damnationis periculum, ſecundùm Sotum in 4. diſt. 17. q. 2. ar. 6. ergo in id incumbendum.

Octaua Aſſertio. *Probabile mihi eſt non peccare contra præceptum ſpeciale de pœnitentia, qui eam non exercet in articulo mortis, ſi eſt attritus, & confeſſus.* Henriq. lib. 4. cap. 16. num. 5. Suar. diſp. 15. ſect. 4. Ægid. diſp. 3. dub. 1. num. 4. quia præceptum de pœnitentia finem habet reconciliationem hominis cum Deo: ſed hæc obtinetur per Sacramentum pœnitentiæ, cui coniuncta eſt attritio. Maior eſt certa, ideo enim tenemur conteri, vt Deo per nos, omni ratione qua licet, ſatisfiat pro illata iniuria, ſimulque reditus nobis ad eius amicitiam pateat, id
E autem per attritionem cum Sacramento conſequi hominem ſic oſtenditur.

Modus quo ſatisfieri ſibi Deus exigit, ab eius voluntate pendet: ſed ad hanc rem ſola attritione cum Sacramento eſt contentus. Enimuerò ſatisfit Deo, cùm pro viribus, iniuriã eius expungimus lachrymis noſtris, ac dolore, ſicque ei reconciliamur, & ex hoſtibus amici, ex inuiſis eius bonitati grati euadimus, ſed Deus ad hoc aliam diſpoſitionem cum Sacramento nõ exigit, quàm attritionem. Ex alia parte veriſimile eſt peccare contra charitatem ſibi de-

bitam, qui ſciens in articulo mortis non conteritur, quia lege charitatis ſinguli tenentur conſulere ſaluti ſuæ meliore modo quo poſſunt, maximè eo tempore, quo elapſo, ſpes nulla amplius ſupereſt eam procurandi, & quanquam moraliter ſit certum ſacerdotem omnia afferre ad abſolutionem neceſſaria, cum nemo malus præſumi debeat niſi aperta improbitatis ſuæ indicia dederit, eſt tamen prudentiæ ſibi conſulere, maximè cum ſit Metaphyſicè incertum, an ſacerdos functus ſit ſuo officio.

Obiicies. Contra dicta 1. qui famam alterius læſit, aut rem eius abſtulit, viri boni partes non explet, niſi ambas illico reſtituat, non eſt ergo immunis à culpa, qui per pœnitentiam, tantum honoris Deo, non exhibet, quantum ei peccando auertit. Vtraque propoſitio eſt falſa; prima quidem, quia paupertas, ignorantia, ac impotentia, à reſtitutione liberant, vt ſi ſit neceſſarium rem retineri ab eo qui abſtulit, aut ſi neſciatur quis eius ſit Dominus, aut ſi ſine ſcandalo, fieri reſtitutio nequeat, falſum eſt ergo præceptum de reſtitutione implendum eſſe illico, ac eſt peccatum contra iuſtitiam, verùm quidem eſt, nulli vnquam eſſe licitum velle alienum non reddere, quia talis voluntas mala eſt intrinſece, falſum autem mora nulla interpoſita, ſemper, & in omni differentia temporis redhibendum eſſe. Eſt item falſa propoſitio altera, nec ſatis ex propoſitione quæ eſt in Antec. poſita, cõſequens elicitur nã per retentionẽ alieni Domino infertur vera & perfecta iniuria, retinere enim & furari eiuſdem ſunt malitiæ in ratione damni, cum per retentionem perinde, ac per acceptionem Dominus priuetur re ſua, quæ priuatio, negatiuo præcepto vetatur, quod ſemper, & pro ſemper obligat; at per peccatum nullum propriè Deo detrimentũ irrogatur, cum re vlla ſua, ac neceſſaria, non priuetur. Enimuerò rerũ eſt omnium Dominus, ac ſeipſo beatus, nullius rei extra ſe indigens, quare quod de reſtitutione honoris, per contritionem, Deo illico facienda dicitur, homini reſpectu Dei, non competit.

Obiicies 2. At prohibent ſcripturæ ne vel puncto temporis hæreamus, in culpis quarum nos humana imbecillitas reos fecit. Eccleſiaſt. 5. Non tardes conuerti ad Dominum. Et 17. Ne demoreris in conſuetudine impiorum. Et 21. Quaſi à facie colubri fuge peccatum.

Reſpondeo. Ea verba non habere præceptum, ſed conſilium tantum, vel ſi quod continent, ſingulare de contritione non eſſe, ſed præceptorum omnium obſeruatione contineri.

Obiicies 3. Si hærere in peccato circunſtantia non eſt illud augens, ergo licet cuique illud fouere in ſe, ac ſeruare, licitum enim eſt quod præcepto nulli repugnat.

Reſpondeo. Licitum eſſe hoc ſenſu quod non committatur nouum peccatum, quia præceptum nullum eſt de culpa auerſanda illico, ac eſt commiſſa, aut certo aliquo tempore poſt lapſum in illam. Nego tamen ideo ſimpliciter hoc eſſe licitum hoc ſenſu, quod id ſit bonum & laudabile: eſt enim id falſum, cum ſemper ſit malum remanere in culpa ſaltem habituali, ſed hæc non eſt diuerſa ab ea quæ fuit primò admiſſa.

Obiicies 4. Eſt præceptum de contritione non modo affirmatiuum, ſed etiam negans, nam tenemur non eſſe extra gratiam Dei, & nullo modo eſſe in peccato, cum id ſit intrinſece malum, ergo præceptum eſt de contritione, illico poſt patratum ſcelus, adhibenda ſibi in eius remedium. Antecedens verum eſt de peccato actuali, nam verè nunquam licet peccare actu, aut priori culpæ nouam adiungere, quia id præcepto negatiuo de nunquam peccando prohibetur, at verò præceptum de deſtruendo peccato habituali per pœnitentiam, affirmatiuum eſt tantum, proindeque non niſi certo tempore adimplendum.

Dico vltimo. *Cùm eodem præcepto teneatur quis ad non continuandum peccatum, quo obligatur ad illud non committendum, nullum eſſe præceptum peculiare quod directè, primo & per ſe obliget ad ſtatum peccati habitualis relinquendum.*

Obiicies. Peccat mortaliter qui non adhibet remedium damno graui ſibi illato, ex quo ſequutura eſt mors corporis, at peior eſt mors animæ morte corporali, quæ tamen ex peccato conſequitur.

Reſpondeo. Diſparem eſſe rationem. Primò, quia nullo præcepto ſpeciali obligatur quis, ad non inferendum damnum ſpiritale animæ ſuæ, ſed generali tantum omnium præceptorum, ſecus autem eſſe de vita corporali, cuius vt non eſt Dominus, ita ſpecialem habet deformitatem eam non modo, non curare, ſed etiam abiicere. 2. Quia corporis mors damnum eſt irreparabile, & ideo quando periculum eius imminet, lex charitatis obligat, vt ei ſtatim occurratur. Mors autem animæ quandiu, non eſt cum corporis morte coniuncta, ſanari poteſt, & ideo non videtur lex pœnitentiæ, ſtatim obligare, nequidem in morbo qui periculoſus non creditur.

Sufficere hæc quidem poſſent, ad rei de qua agitur qualemcunque notitiam ne cui tamen, defuiſſe videamur officio, quæſtionibus ante expoſitis adiicienda eſt dubiorum quæ in materia præſenti, occurrere ſolent, quamlibet breuis, tamen enucleata explicatio.

QVÆSTIO XII.

An contritio Confeſſionem præcedere debeat.

Dico primò. *Ad valorem Sacramenti ordinarij exigi, vt dolor internus, aliquo modo Confeſſionem præcedat.* Cauſa eſt, quod confeſſio quæ eſt pars Sacramenti non eſt, quælibet peccatorum narratio, ſed doloroſa, ergo eam dolor præcedere debet non ſubſequi.

2. Confeſſio habet pro fine reconciliationem ſui cum Deo, id ſine dolore admiſſorum contra eius honorem, ac gloriam eſſe nequit: debet ergo confeſſio dolorem habere ſi minus ducem, at certe comitem.

Dico ſecundò. *Conſtare tamen Sacramentum poſſe, etſi contritio confeſſionem non præcedat, ſed ſequatur, ante abſolutionem tamen.* Ita Suar. num. 31. his verbis. *Licet peccatorum narratio, quatenus tempore anteceſſit contritionem, non habueris confuſam rationem accuſationis, tamen quatenus poſtea informatur, per conſequentem contritionem, & vt ſic informata ſubiicitur clauibus, ab ipſomet pœnitente poſtulante, vel expectante abſolutionem, ſufficienter conſummatur in ratione Sacramentalis accuſationis.* Aſſertionis eſt hæc cauſa, quod Sacramentum pœnitentiæ, vt ſit ratum, ex parte confitentis, non exigat niſi confeſſionem peccatorum integram, eamque doloroſam, at in cauſa præſenti hæ duæ res coeunt, vt ſupponitur, dolet enim pœnitens de admiſſis quod

etsi faciat posterius tempore, quam est confessus habet tamen ab eo dolore, prior confessio, sui ipsius vt sit accusatio, eaque dolorosa, ratio est, quod peccatorum confessio, quæ fit ore, & altera, quæ gestu corporis & habitu se prodit, moraliter non sint nisi vna confessio, at hæc postrema informatur à dolore, quem fert præ se pœnitens, humiliando se coram sacerdote, & absolutionem petendo, ergo & prior.

Sibi tamen & pœnitenti, Confessarius vt consulat, veræ contritionis motum in corde eius, superis auxiliantibus eliciet, ardentique eum cohortatione vrgebit, vt propter Deum, peccata admissa execretur omnia, velitque in posterum ea vitare, quæ si illa se odisse, ac in reliqua se vita osurum, propter solum Deum asseruerit, tunc demum illum fidenter absoluat.

QVÆSTIO XIII.

An in Confessione dolor peccatorum, virtualis sufficiat.

DOlor duplex est, actualis seu formalis, & virtualis seu implicitus, formalis est qui actu elicitur, virtualis qui verè, expressè, & de facto non concipitur animo, conciperetur autem si tunc cum elicitur, occurreret peccatorum memoria, & talis peccatorum displicentia, virtualis tantùm & implicita, appellatur dilectio Dei super omnia, quam peccatorum detestatio, haud dubiè exciperet, si eorum pœnitens meminisset, cum in illum vt summum bonum amore fertur, quo præsuppositio

Dico primò. *Sacramentum non conferri ei, qui pœnitentiam, ad Sacramentum non affert, nisi implicitam*: Quia Sacramentum destitutum sua propria materia, qualis est quæ ex Christi voluntate, ac instituto, Sacramento essentialis est ac intrinseca, non est ratum, sed caritas, Deique amor, pœnitentiæ Sacramentum, Dei voluntate, ac instituto non constant, vti pars eius materialis altera, sed dolor qui est contritio, vel attritio Trident. sess. 14. cap. 4. ergo cum cùm Dei amore, qui est dolor virtualis, ac implicitus, nequit Sacramentum esse validum.

Secundo est contritio pars actualis Sacramenti ex Trid. sess. 14. cap. 31. at quæ virtute tantùm sunt, actu non sunt, ad huius ergo Sacramenti substantiam non sufficit contritio virtualis.

Non peccat tamen, qui bona fide ex ignorantia inculpata, ac inuincibili, aut inaduertentia, dolorem ad Sacramentum non adhibet, nisi virtualem & implicitum, causa est, quod à verisimilitudine abhorreat, culpæ affinem esse, qui Deum sibi, rebusque sæculi, vero ac supernaturali amore præfert, facit id verò, qui cùm dolore virtuali, ac implicito, id est dilectione Dei super omnia, ad Sacramentum accedit, culpa ergo omni vacare est credendus, qui sic affectus Sacramentum suscipit.

QVÆSTIO XIV.

An cùm dolore sufficienti ad hoc Sacramentum stare possit metus, aut opinio in pœnitente, quod in peccata vitæ præteritæ relabetur.

DIco primò. *Pœnitentem culpandum non esse cum metuit, ne eum se offeret opportunitas, iteratò in eadem peccata recidat.* Primò, quia in laude est, sibi, viribusque suis diffidere, vt enim securitas mater est otij, otium ignauiæ, præfidentia superbiæ, ita sibi ingenioque suo non inniti, pars est humilitatis non vltima, humilis autem quisquis est, magna habet ad gratiam præsidia, maiora ad gloriam, fortissima ad diuinam sibi demerendam beneuolentiam, vt merito beatum eum Sapiens dixerit, *qui semper est pauidus, timor enim hominis honor est Dei*, inquit Tertull. de pœnit. quid ita verò? *quia locum præparat caritati, cum cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum, quantum illa crescit, ille decrescit, & quantum illa sit intensior, timorem pellit foras.* Augustt. tract. 9. in epist Ioan.

Secundò, est timor filialis cuique appetendus, quia bonus, D. Thom. 22. q. 7. Theol. in 4. sentent. dist. 34. sed metuere iteratos casus, iterata naufragia, metuere ne nos ea à Deo retrahant, eiusque gratia est eum timere, timore qui sit filiorum proprius, secundùm D. Th. citatum: est ergo metus relabendi in peccata, laudabilis ac bonus.

Dico secundò. *Proposito efficaci & absoluto in confessione, non peccandi amplius, minimè repugnare metum, de quo est hic sermo.*

1. Quia de ratione contritionis non est, quod pœnitens pro certo habeat, se non peccaturum amplius, sed quòd proponat, id se in posterum non facturum: proponere enim, actus est voluntatis, existimare autem se facturum, quod voluntas proponit actus est intellectus, qui ex tali proposito non consequitur necessario, Nau. in Ench. c. 1. de contrit. num. 3. Valent. to. 4. disp. 7. q. 8. punct. 6.

QVÆSTIO XV.

An contritio includat in se motiuum ad detestandum omnia mortalia.

DVobus modis, potest displicentia peccati, esse vniuersalis, primò formaliter, secundò virtute, est formaliter vniuersalis, quando quis peccata omnia sua actu expresso odit, tam quorum, vt sunt distincta, memoriam distinctam habet, quam confusam tantum. Virtute dolor est vniuersalis, quando etsi de particulari sit culpa, ratio tamen sub qua voluntati displicet, est eiusmodi, vt eam ad cæterorum odium possit inflectere, nam qui detestatur homicidium, v. c. quia est offensa Dei super omnia dilecti, eum quoque à cæteris abduci est necesse, cum per illa Deus offendatur peræque, ac per quodlibet aliud, hoc ergo præsuppositio.

Dico 1. *Contritionem de peccatis omnibus mortalibus virtualiter vniuersalem esse.*

Causa est quod quæ ratio suadet homini, peccatum certum aliquod, propter Deum summe di-

lectum execrari, hæc eidem cæterorum omnium odium imprimere valeat: est ergo talis ratio vniuersalis virtualiter. Antecedens est certum, causa abominandi peccati dolore vero & perfecto, qualis est contritio, est consideratio grauis offensæ, & iniuriæ Deo factæ: sed omnia grauem iniuriam, Deique offensionem continent. Consequens probatur. Tunc ratio detestandi peccati est virtute vniuersalis, quando vbique est similis, & in omnibus peccatis, eiusdem rationis: at ita res habet, vt paulò ante est ostensum, ergo contritio licet sit de peculiari peccato concepta, virtute est vniuersalis de omnibus peccatis commissis, & nunquam per pœnitentiam retractatis. Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 3. sect. 8. num. 1. 2. & sequent.

A

B

QVÆSTIO XVI.

Quid sit attritio.

EST attritio actus voluntatis supernaturalis, quo dolemus de peccato propter gehennæ metum, aut peccati turpitudinem. Trid. sess. 14. c. 4. bonus est ac laudabilis, & dispositio ad gratiam, de pœnit. distin. 2. can. Sæta 17. vbi respectu gratiæ vis eadem illi tribuitur, quæ sætæ respectu fili, vt enim per illam, filum introitum habet faciliorem in corium, ita & per attritionem gratia in animam, *Sicut sæta introducit linum, sta timor introducit charitatem, charitas minuitur, minuitur timor, & è conuerso.*

Ad hoc tamen conditiones quæ sequuntur, sunt necessariæ, prima, vt prædicta attritio voluntatem omnem peccandi excludat Trid. sess. 14. c. nam si cum ea affectus ad malum remaneat, aut sic de peccatis suis quis doleat, vt nisi metus pœnarum intercederet, de iis sensum doloris nullum caperet, talis dolor non disponit plenè ad gratiam, can. si propterea 29. can. si cui 30. de pœnitentia dist. 1. Nam remitti culpa nõ potest, quandiu eius amore, ac illecebris voluntas capitur, à malo ad virtutem traduci illam oportet, per verã sui conuersionem ad Deum, ac peccati odium, quo tamen non tenetur qui sic comparatus est animo, vt de eo dolendum sibi non crederet, si gehennam non timeret.

C

Secunda, debet attritio esse coniuncta cum spe veniæ, hoc est, talis esse, vt eam pœnitens bona fide credat sufficere ad veniam, quia peccatorum remissionem sperare is non potest, cui constat deesse sibi dolorem ad eorum veniam impetrandam, & tamen spes, qua peccator in Deum dirigitur, fidens sibi eum fore placabilem propter Christum, est necessaria dispositio ad gratiam & iustificationem peccatoris ex Trid. sess. 6. c. 6.

D

Circa dicta, Notandum 1. dolorem qui est de peccato, ob temporales pœnas, inflictas à Deo, vt authore gratiæ, ac gloriæ, ac per eas, vitæ præteritæ dedecora vindicante, & inchoante æternum supplicium, nisi hæc mutetur in melius, bonum esse & in hoc Sacramẽto partis eius numeros explere posse, quia talis dolor est supernaturalis, vtpote ex motiuo supernaturali cõceptus, & ex fide in Deum, vltimum finem nostrum, & cruciatus perpetuos, quorum notitiam, eius beneficentiæ, ac reuelationi soli debemus acceptam.

E

Notandum 2. dolorem qui habet pro motiuo peccati turpitudinem, etiam supernaturalem esse, cùm hæc peccati turpitudo consideratur vt priuans nos gratia supernaturali, quæ est supernaturalis quidam decor, quo exuti, indigni sumus amore Dei, & cælesti gloria, cuius causâ facti sumus, hæc enim cùm sint supernaturalia, talis quoque futura est attritio, quæ peccatum auersabitur, vt habens turpitudinem, cum qua stare nequit gratia, hoc est, prout repugnat Deo fini nostro vltimo, virtutibus infusis, & gratiæ.

Tertia conditio necessaria in attritione, ad consequendum effectum Sacramenti confessionis, est, vt sit supernaturalis, causa est, quòd dispositio, & forma ad quam illa disponit, debent esse eiusdem ordinis: sed gratia iustificans, quæ est forma ad quam disponit attritio in Sacramento pœnitentiæ, est supernaturalis, ergo & attritio. Minor probatur, ex Trid. sess. 14. cap. 4. ibi enim dicitur attritionem *esse donum Dei, & impulsum Spiritus sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam sibi parat ad iustitiam.* Cuius opinionis est Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 20. sect. 4. num. 6. Vasq. in 3. p. q. 92. sect. 2. dub. vn. D. Thom. 3. p. q. 84. art. 1. ad 2. ibi enim asserit, actus pœnitentis originem ducere ex inspiratione interna, *quia in hoc Sacramento materia non exhibetur à Ministro, sed à Deo interius operante*, ex quo sequitur, attritionem supernaturalem esse in substantia, cùm à Deo per speciale auxilium hominem mouente, & operante fiat.

QVÆSTIO XVI.

An attritio fieri possit contritio.

SENsus est, vtrùm attritio transire possit in naturam veræ pœnitentiæ, vel eundem habere effectum cum illa, pro cuius quæstionis solutione sit

Prima Assertio. *Attritio non potest vera fieri contritio.* Quia differt essentialiter ab ea, ex obiecto, & motiuo formali: at impossibile est vt vna species manens eadem, & talis, fiat alia, nam hoc ipso, quo est talis, differt ab altera per suam differentiam specificam: quare si attritio mutaretur in contritionem, ab ea differret, & non differret, quod implicat: At ex attrito fieri contritus quis potest? ergo & attritio fieri contritio.

Neganda est Consequentia, quia illud primum significat tantùm hominem à statu imperfecto transire ad perfectum, quod non repugnat, alterum autem, formam vnam fieri alteram, quod est impossibile.

Secunda Assertio. *Attritio in Sacramento habet eundem effectum, quem contritio extra Sacramentum.*

Primò, quia attritio sufficit in Sacramento ad gratiam consequendam, ex Trid. sess. 14. cap. 4. ergo quod facit contritio extra Sacramentum, hoc in eo præstat attritio.

Secundò, quia vt habet commune axioma Theologorum Sacramenta ex attritis faciunt cõtritos, id est, peræque qui cum attritione Sacramẽta recipiũt, consequuntur gratiam in illis, ac si extra ea, verè contererentur: ergo attritionis vis est eadem in Sacramento quæ contritionis extra illud.

Assertio tertia. *Potest attritio participare extrinsecè honestatem contritionis, per relationem extrinsecam.*

Probatur. Imperare sibi quis potest ex intentione placendi Deo, & conciliandi ei honorẽ, vt summo bono, eique satisfaciendi odium peccati propter pœnas inferni: at tunc per relationem istam extrinsecam,

extrinſecam, extrinſecè honeſtatem contritionis participat, habet enim intrinſecè honeſtatem ab obiecto, ſuo peccato ſcilicet, quod odio habetur ob gehennæ tormenta, qui actus eſt ſpei ſupernaturalis, extrinſecè autem aliam quæ eſt propria charitatis imperantis.

Quarta Aſſertio. *Nec Sacramenta, nec vllum agens creatum, vim habet faciendi, vt homo ex attrito fiat contritus formaliter.*

Probatur 1.° Ab experientia, nemo enim cum ad Sacramentum attritus tantùm accedit, experitur ſemper in eius ſuſceptione ſe formaliter conteri. Ergo hic non eſt Sacramenti effectus, qui enim eſt talis ſemper eſt certus. 2. Quia Sacramentum non habet eam vim, vt mutare poſſit obiectum voluntatis. Ergo nec facere, vt qui attritus tantum eſt, verum & proprium dolorem animo de peccatis ſuis concipiat.

Quonam ergo ſenſu fieri dicitur ex attrito pœnitens vi Sacramenti contritus? Non quod attritio in contritionem euadat, eſt enim id impoſſibile, vt dictum eſt antea, ſed quia talis pœnitens contritum eſt habitualiter, à vi enim Sacramenti recipit gratiam, & cùm ea infuſas virtutes omnes, de quarum numero eſt pœnitentia, quæ eſt forma ſufficiens ad tribuendum eam denominationem pœnitenti, licet nunquam de peccatis, dolorem contritionis vllum in ſe formauerit.

QVÆSTIO XVIII.

Quomodo contritio differat ab attritione.

CONuenit cùm attritione contritio. 1. in eo quòd ſit actus ſupernaturalis, concipitur enim ex gehennæ, & pœnarum metu, vel ex iactura beatitudinis & gratiæ, per peccatum facta, quod obiectum cum naturam ſuperet, actum quoque qui ſit eiuſdem rationis, ac naturæ terminat: deinde talis actus diſponit ad gratiam, ſecundùm Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. ex quo conſequitur quod cum diſpoſitio, & forma ſint eiuſdem ordinis Attritionem ſupernaturalem fore, ſicut & gratiam, ad quam iter munit animæ. Quid ſi attritio concipiatur ob fœditatem naturalem peccati?

Reſpondeo ſupernaturalem eam fore non ſecus, ſi excludat omnem voluntatem peccandi, fiatque ſpe conſequendæ veniæ à Deo, per fidem ſupernaturalem cognito. Nugnus 3. par. in Addit. q. 1. art. 2. dub. 2. ratio eſt quòd attritio, ex turpitudinis peccati conſideratione concepta, ſit donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus, quatenus autem ex ſpe veniæ elicitur, eſt ſupernaturalis obiectiuè, vt dicetur poſteà, ergo & entatiuè, ac ſubſtantialiter eſt talis, in quo eſt contritioni ſimilis.

Secundò eſt attritio donum Dei. Trid. ſeſſ. 14. can. 4. quod & contritioni conuenit ex Concilio Mileuit. & Trid. ſeſſ. 6. c. 3. vbi declaratur exordium noſtræ iuſtificationis à Dei, per Ieſum Chriſtum præuenientem gratia, ſumendum eſſe.

Differunt autem attritio & contritio, primum ex parte obiecti formalis, nam iſtius, id eſt, perfectæ pœnitentiæ obiectum, eſt peccatum, vt diſplicet Deo præcisè, ac vt eſt malum ſuper omnia odibile, quare contritio ſumma eſt appretiatiuè, ex parte ſui obiecti; attritionis autem obiectum, eſt idem peccatum fugiendum propter pœnas inferni, aut eius turpitudinem per fidem cognitam; nec enim eſt neceſſe, vt is qui atteritur, apprehendat peccatum, vt ſummum malum, & licet illud ſibi ſic repræſentaret, voluntas tamen illud per attritionem, ſic non refugit, ſed vt eſt gehennæ, ac æterni cruciatus cauſa.

1. Differunt attritio & contritio ex parte cauſæ, hæc enim oritur ex amore filiali, vel potiùs eum includit, illa autem ex ſeruili.

Tertiò, differunt ex parte effectus, nam illa ſemper gratiam generat, non item hæc, ſed tantum in Sacramento, ad cuius valorem, nulla poteſt ſufficere, quin vna quoque ad eius effectum ſufficiat.

Quod eſt contra aſſerentes, dari poſſe confeſſionem veram, & bonam, ſed informem, id eſt expertem gratiæ, ſeu per quàm ex defectu diſpoſitionis in pœnitente legitimæ, non detur cum abſolutione peccatorum, gratia.

Nam 1. ideo ſecundùm Trid. ſeſſ. 14. c. 3. requiritur contritio, vt pars altera huius Sacramenti, quod ex inſtitutione Dei, ſit neceſſaria, ad condonationem peccatorũ. Ergo quoties erit hic dolor eiuſmodi, vt per eum homo, diſponi ad obtinendum à Deo peccatorum veniam nequeat, nec eſſe quoque Sacramenti pars poterit.

2. Non quilibet dolor pars eſt Sacramenti pœnitentiæ, ſed qui eſt hominis cum Deo reconciliatio, ſaltem diſpoſitiuè, ergo cùm amoris redintegratio cum Deo, fiat per gratiam, non alius dolor erit pars huius Sacramenti, quam qui illam conciliare poterit, ergo quæ attritio ſufficiet ad valorem Sacramenti, ſatis quoque erit ad eius effectum.

Obiicies. Ad rationem Sacramenti pœnitentiæ, non alius dolor eſt neceſſarius, quam qui facit vt confeſſio, ſit accuſatio ſui ipſius, ſed talis poteſt eſſe dolor naturalis, qui tamen ad gratiam non ſufficit, cum diſpoſitio & forma debeant eſſe eiuſdem ordinis. Maior eſt diſtinguenda: duplex enim eſt accuſatio ſui, vna quæ tendit ad recuperandam Dei amicitiam, alia minimè, ſi de prima agatur, concedenda Maior, neganda Minor; quia præceptum Eccleſiæ de obeunda confeſſione, diuini tantum eſt determinatio, At huic propoſita eſt reconciliatio hominis cum Deo pro fine ex Paulo. *Legatione fungimur pro Chriſto, reconciliamini Deo*: Ergo cùm Deo reconciliari, non ſit facilè homini, niſi beneficio ſupernaturalis pœnitentiæ, ab ea debebit confeſſio procedere, & ſic falſum eſt quod in Minori dicitur, dolorem naturalem, partem eſſe poſſe Sacramenti pœnitentiæ.

QVÆSTIO XIX.

Quodnam ſit obiectum, materiale attritionis quod pœnitentiæ, ſeu contritionis.

DIco primò. *Obiectum materiale actus pœnitentiæ, eſſe peccatum liberè à pœnitente commiſſum, quod aliquo modo, vel ratione maculæ, habitualiter perſeuerat, vel pro quo nondum eſt omnino ſatisfactum.*

Quia actus pœnitentiæ tendit in peccatum abolendum in nobis, per modum reſipiſcentiæ, nempè quia vita noſtra nobis diſplicet, ergo pœnitentia eſt de ſolis commiſſis liberè ab eo in quo eſt. Conſequentia probatur. Reſipiſcere nemo poteſt niſi reſpectu ſui, & rerum ab eo dependentium, at aliena

peccata ab eo non pendent, nec quantumuis ipſe ſapiat, per hoc præcisè alius reſipiſcit, vel contra, vera eſt ergo conſequentia.

Dico 2. *Obiectum formale actus pœnitentiæ eſt multiplex.*

Quia ob diuerſas conſiderationes, & conſequenter per actus diuerſarum virtutum, quilibet peccata ſua deteſtari poteſt, eſt ergo eius obiectum formale, non vnum, ſed multiplex.

Confirmatur. Peccatum quodlibet diuerſas in ſe malitias continet, ob quas eſt deteſtabile, & earum quælibet, cum modo tendendi in eius odium, formale eſt obiectum actus pœnitentiæ, quo quis eam deteſtatur, ergo cùm modus quo in peccati odium ferri voluntas poſſit, varius ſit, ac multiplex, actus quoque pœnitentiæ, formale obiectum, varium erit ac multipex.

Rationes autem ſub quibus conſiderari peccatũ poteſt, ſunt. Prima, quòd ſit oppoſitum huic aut illi ſpeciali virtuti. Secunda, quòd ſit contra rectam rationem. Tertia, contra honorem Dei, ac repugnans eius amicitiæ, noſq; inimicos eius cõſtituens. Quinta, quòd ſi malum Dei, & priuet vita æterna, quare qui peccatũ deteſtatur ſub his omnibus cõſiderationibus, aut earum aliqua, diuerſarum quoque virtutum actus elicit, & primò quidem qui illud execratur ob primam malitiam, actum exercet illius virtutis, cui peccatum opponitur. Si ob Secundam, erit actus amoris honeſti in genere, qui ob tertiam, iuſtitiæ, qui ob quartum charitatis, ad quam pertinet bonum Dei, quà tale eſt amare, odiſſe autem omne malum, quà ſimiliter eſt tale, ſiue deteſtari quicquid ei diſplicet. Ratio eſt, quòd pro diuerſitate rerum, quas amore proſequimur, diuerſos quoque exerceamus virtutum actus. Sed multiplex illa deteſtatio peccati ſub illis variis conſiderationibus, quas notauimus, oritur ex multiplici affectu ad virtutes diuerſas, ergo deteſtationes illæ memoratæ ſpecie differunt.

Dico 3. *Solum dolorem de peccato, quatenus eſt malum Dei, remittere peccatum mortale extra Sacramentum pœnitentiæ*: Quia hic ſolus actus eſt charitatis, hominem Deo reconcilians, ſecundùm Trid. ſeſſ. 14. c. 4. non tamen ſine voto Sacramenti.

Dico 4. *Obiectum habitus virtutis pœnitentiæ, primò & per ſe eſſe bonum, cui peccatum eſt oppoſitum.*

Probatur. Illud eſt obiectum habitus, in quod facultatem inclinat: at pœnitentia vt virtus eſt, inclinat in bonum, cui peccatum eſt contrarium, ex conſequenti in odium peccati, tam quod eſt proprium, quàm quod alienum, tam quod apprehenditur vt præſens, quàm abſens, verum eſt tamen quòdquando conſideratur vt præſens, excitat deſiderium abſentiæ, inefficaciter quidem, quando omnimoda eius derelictio, ac priuatio concipitur vt impoſſibilis, efficax autem prout cogitatur poſſibilis.

QVÆSTIO XX.

An dolor qui eſt pars Sacramenti pœnitentiæ naturalis eſſe poſſit.

QVi confeſſionem informem dari volunt, dolorem quoque naturalem in actibus pœnitentis ac Sacramenti materia, poſſibilem eſſe aiunt, etſi enim ad eius effectum conſequendum, dolorem & attritionem ſupernaturalem requiri aſſerant, non tamen ad illius valorem, & eſſentiam. Ita Bonac. tom. 1. hoc de Sacram. diſp. 5. q. 5. de Sacram pœnit. ſect. 1. punct. 3. num. 11. Eam opinionem etiam defendit Halenſ. in 4. par. q. 18. memb. 4. art. 4. §. 7. *Quamuis*, inquit, *ab homine non contrito expleatur præceptum, vt eſt ab Eccleſia, ſed non expletur quatenus eſt ſacramentalis & ſatisfactoria.*

Contraria tamen ſententia eſt tenenda, quia diſpoſitio debet eſſe eiuſdẽ ordinis ac naturæ, cum forma, ad quam eſt diſpoſitio: ſed dolor ſacramentalis, præparatio quædam eſt ad gratiam, ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ergo, &c.

Secundò, ideo dolor eſt Sacramenti huius quaſi materia, quia ad remiſſionem peccatorum eſt neceſſarius, ex Trid. ſeſſ. 14. can. 3. ſed talis eſſe nequit, niſi ſit ſupernaturalis, ex Trident. ſeſſ. 14. canone 3. vbi anathemate feriuntur, qui quemquam ſine præueniente Spiritus ſancti gratia, pœnitere poſſe exiſtimãt, prout expedit, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: ſed præueniens Spiritus ſancti gratia, non datur niſi ad actus, qui ſunt in entitate ſupernaturales: dolor, ergo qui eſt pars huius Sacramenti naturam ſuperet, eiuſque limites omnes eſt neceſſe. Patet hinc peccatori iuſtificationem contingere non poſſe communi lege, niſi eius liberum arbitrium præparatum fuerit motu doloris, qui ſit conceptus ex motiuo rei alicuius, quæ per fidem ſit cognita, nec proinde ſufficienter ad valorem & effectum Sacramenti dolere, qui peccata ſua deteſtatur ex timore alicuius incommodi huius vitæ tantùm, qualis eſt amiſſio rei familiaris, honoris, &c. exilium, verbera, patibulum: quia cùm metus iſte ſit naturalis, ac fideli communis cum Ethnico, non eſt idonea ſatis ad gratiam præparatio. Dixi ex timore incommodi temporalis tantùm, quia ſi talis dolor voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ peccatorum conſequendæ, cuius etiam causâ ſuſcipiatur Sacramentum, ſufficiet ad valorem Sacramenti, & ad iuſtificationem, in ſententia Candidi, diſquiſ. 24. de confeſſ. Sacram. art. 11. dub. 3. Suar. tom. 4. in 3. part. diſp. 5. ſec. 2. num. 5. Ratio eſt, quòd timor faciendæ iacturæ in bonis temporalibus, dolorque de peccatis ob ea amiſſa conceptus, cum voluntate ſuſcipiendi Sacramenti, ad conſequendam peccatorum veniam, humanus non ſit ac naturalis, ſed diuinus, & ſupernaturalis, quia ſperare hanc veniam per Chriſti merita, non noſtra, & cum fiducia in Dei bonitate & clementia, actus eſt ſupernaturalis, tam obiectiuè, quàm effectiuè, obiectiuè quidem, quia eius obiectum, puta culparum remiſsio per Chriſti merita, ſupernaturale eſt, effectiuè autem, quia ad eius exercitium ſpeciale Dei auxilium eſt neceſſarium.

QVÆSTIO XXI.

An attritio ſupernaturalis, quæ talis eſſe ſcitur, ſufficiat ad Sacamentum.

SVfficere dicunt Theologi eruditione præſtantes, Nugnus tom. 2. in 3. par. in addit. q. 2. ar. 3. dub. 4. Vaſq. tom. 4. in 3. par. q. 92. art. 1. dub. 2. num. 15. Fernandez par 3. cap. 6. parag. 5. Argumenta, quibus firmatur hæc opinio, quam pro vera habeo, ſunt iſta.

Primum, quòd Conc. ſeſſ. 14. cap. 4. dicat at-

Digitized by Google

tritionem *donum Dei esse, & Spiritus sancti impul-* A
sum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mo-
uentis, quo pœnitens aditus viam sibi ad iustitiam
parat, postea autem addit attritionis vim in eo esse præcipuam, *quod pœnitentem ad Dei gratiam in Sa-*
cramento pœnitentiæ impetrandæ disponat: Eam ergo cùm vera est, & supernaturalis, adhibere quiuis potest ad Sacramentum, tanquam eius partem alteram.

Secundum, est attritio, quæ putatur à pœnitente contritio, sufficiens dispositio ad gratiam cum Sacramento, aduersariorum iudicio, ergo & quæ cognoscitur esse attritio. Consequentia probatur. Habent humani actus vim suam, & efficaciam, ad effectus sui productionem, ab entitate sua, & natura, non autem ab opinione hominum, ergo cognita, vt est talis, hoc est attritio, afferri à pœnitente ad compositionem Sacramenti poterit. B

Tertium, si oportet accedentem ad Sacramentum instructum esse dolore, qui est & appellatur contritio, eius non modo vsus, sed & institutio, futura est inanis, infructuosa & inutilis. Quorsum enim, & quamobrem institutum est Sacramentum? consequendæ gratiæ causa, ac reparandæ amicitiæ cum Deo, quæ per peccatum est amissa, at si attritione quam talem esse quis nouit, contentus esse non potest, sed eius loco contritionem offerre Confessario debet, Sacramenti ad iustitiam, & reconciliationem cum Deo influxus, vis, ac efficientia, nulla est futura, cum à vera perfectaque pœnitentia, nunquam sit seiuncta gratia, nunquam C
separata charitas & ita Sacramentum, erit à Deo institutum ad effectum, quem supponet semper factum, quod non dicam asserendum, sed ne quidem cogitandum esse.

Quid si dolore alio pœnitens non tangatur, quam qui hæret intra naturæ limites, quem tamen supra eos esse, vimque naturæ omnem excedere existimat, etsi falsò.

Dico primò *Eiusmodi hominem etsi dolore vero vacuum, omnis tamen in Sacramenti vsu, culpæ ex-*
pertem esse. Ratio est quòd bona eius fides, quod opinio solido nullo, licet nixa fundamento, notitiam mali omnem adimat, sine qua tamen quid deliberatum esse potest, quid consultum, quid voluntarium? D

Dico secundò. *Eum tamen, Sacramentum cum hoc*
dolore, non recipere: Quia attritio quæ est pars Sacramenti supernaturalis est actio, Deique donum, ergo cùm Sacramentum esse sine materia sibi essentiali nequeat, collatum ei, qui ad illud, dolorem alium non affert, quam quem natura suppeditat, non est ratum.

Confirmatur, quia vinum de vite est Eucharistiæ materia, si eius loco infunderetur aqua calici, quæ tamen inuincibiliter crederetur esse vinum, non fieret in ea consecratio, quia ab opinione humana non pendet Sacramentorum materia, sed à Christi institutione, ergo nec attritio, quæ cùm sit naturalis putatur tamen ad Sacramentum idonea, pars eius esse poterit. E

QVÆSTIO XXII.

An ad valorem contritionis necesse sit, vt fera-
tur circa omnia venialia de quibus,
quis est confessus.

Dico primò. *Ad effectum Sacramenti recipien-*
dum, non est necesse pœnitentem detestari om-
nia venialia de quibus est confessus. 1. Quia non impediunt gratiam. 2. Quia contritio potest esse cum affectu actuali ad aliquod peccatum veniale, hæc enim aduersatur eis tantum, quæ sunt amicitiæ Dei contraria, quo de genere non est veniale. 3. Quia peccata venialia, non sunt materia Confessionis necessaria, sed omitti possunt, nec clauibus subiici, ergo & licebit de iis omnibus non conteri.

Dico secundò. *Sufficere proinde ad Sacramenti*
validitatem, si pœnitens de vno tantum peccato ve-
niali doleat. Quia per hunc dolorem confessio fit Sacramentalis quantum est necesse, cui cùm absolutio additur, Sacramentum partibus suis omnibus constat. Quare cùm ad substantiam Sacramenti, dolor aliquis verus, & supernaturalis simpliciter sit necessarius, qui venialia confitebitur, de eorum vno saltem dolorem suscipiet, vt eius confessio, non sit historiæ narratio, sed accusatio delicti dolorosa.

Dico tertiò. *Etsi propositum vitandi omnia ve-*
nialia, non sit necessarium ad consequendam Sacra-
menti gratiam, ad eam tamen exigi propositum vi-
tandi illud de quo pœnitens est contritus. Prima pars probatur, de eo tantùm esse potest propositum quod est homini possibile, at cùm gratia Dei ordinaria, peccata omnia, venialia vitari nequeunt sicut mortalia. 2. Pars est clara, propositum enim, est pars contritionis, aut affectus, cum ea necessario coniunctus, ergo vt sine dolore aliquo, exponi peccata non debent Confessario, ita nec sine proposito illud fugiendi saltem, de quò fuit attritio, alioqui eius, & aliorum, futura est sacrilega confessio. Consulendus Vasq. tom. 4. in 3. par. q. 91. art. 3. dub. 5. num. 9.

QVÆSTIO XXIII.

Quinam sint effectus pœnitentiæ.

Scire hic volumus, quæ sint ea quæ tam Sacramentum, quam pœnitentia in eo producunt, quem peccasse pœnitet, cum proposito faciendi, vitandique, quæ ab eo, quem desiderium tenet, redeundi cùm Deo in gratiam, omitti nequeunt.

Dico ergo primò. *Pœnitentiæ vim tantam, ac*
tam efficacem esse, nullum vt sit facinus, cui delendo
non sufficiat: De pœnitentia vt Sacramentum est, ambigere eorum est tantum, qui sacerdotum potestatem nesciunt, quam ad vnum aliquod peccatum restrictam non esse indicat Christi oratio. Math. 16. & 18. & Ioan. 20. de peccatis numero multitudinis, ac vniuersitatis concepta, his verbis. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quo-*
rum retinueritis, &c. quibus vt patet, omnia, non vnum quodpiam, Petro, nobisque diiudicandum attribuit, quare de pœnitentia cum scribunt Pa-

Digitized by Google

tres, mirum quantis laudibus eius potentiam, vimque aduersus culpas, animorum certas pestes deprædicent. Eam Origenes hom. 2. in Psal. 37. læsæ valetudinis reparatricem nominat, quod enim his accidit, quos phlegma, humoresque opprimunt, vt eorum emissio, stomachi sit releuatio, ita & iis vsu venit, qui peccarunt, nam vt culpæ occultatio, certa est animi, ab eius venenata lue suffocatio, sic & valetudo, cùm ipse sui est in Sacramento accusator, vt enim primùm Confessario, qui medicus est, vulnus panditur, erumpit omnis sanies, *Seipsum enim cùm accusat pœnitens, & confitetur, euomit delictum, atque omnem morbi digerit causam, tantumque* auctore Tertullian. libro de pœnitentia cap. 8. *releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat, vt enim est hæc contumaciæ consilium*, Tertul. loco citato sic est, *confessio, delictorum abolitio.* Chrysost. hom. 33. in Ioan. Quæ enim baptismatis, eadem est reconciliationis causa, inquit Augustinus lib. 1. de adult. coniug. cap. 28. quare vt salutaribus intingi aquis ei est necesse, quem sua salus tangit, ita & Sacerdotum genib. aduolui, ita & iisdem crimina sua confiteri: *Ergo cicatricem tuarum arbiter Dei vice Dominus adhibeatur Presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipse exhibebit antidotum reconciliationis.* August. lib. 2. de visitatione infirmorum cap. 40.

Patrum testimonijs accedit & hæc firmissima ratio. Quin peccata aliqua remitti à Presbyteris queant, authoritate sibi diuinitùs à Christo commissa, nemo est sanioris paulò animi, qui negare velit, aut audeat, pro iis enim stant, Scripturæ, Concilia, Ecclesia: at hæc condonari ex parte nequeunt, omnia, vel nullum deleri per Sacramentum oportet.

Primò, quia tam contritio, quàm qui dolor ex pœnarum inferni metu concipitur, sine quorum alterutro, stare non potest confessio, virtute peccatis omnibus opponuntur, cùm, quæ est homini ratio vnius sui peccati per pœnitentiam auersandi, fugiendique, hæc illi suadeat odium omnium.

Secundò, quia instituto Christi Domini, peccatum homini in Sacramento non remittitur nisi per gratiam, quam in eius animum benè præparatum, ac subactum immittit: at est hæc culpis omnibus aduersa, cum iis enim bellum indictum habet, quare aut fugat omnes, aut fugatur ipsa, aut perit, vel perdit, cunctas dissipat, vel nullam. Sanè non est reconciliatio vlla hominis cum Deo, quæ dimidiata sit ac manca, qualem eam esse tamen necesse foret, si peccatum vnum, non omnia delerentur per pœnitentiam, nam est hic gratiæ effectus proprius, Deum homini adiungere, hunc ei acceptum, gratumque reddere, ex hoste amicum facere, quæ beneficia constare nequeunt, offensa, non remissa, ergo cùm gratiam Sacramenta pariant, censendum est cum Ecclesia, bonisque omnibus, in Sacramento pœnitentiæ, hominem, nisi imparatum ad illud pectus afferat, Deo plenè restitui, ac gratiæ, suorum remissione scelerum, integra ac perfecta.

Hæc de Pœnitentia, vt est Sacramentum: iam de ea vt virtus est, agere libet, hæc autem peccata omnia aboleri ac destrui colligere cuique promptum est ex Scripturis, Ezech. 18. Isa. 1. Ierem. 18. Lucæ. 7. vbi Magdalenæ scelerum expiatio amori tribuitur vt causæ: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: at pœnitentia, hoc est contritio, Dei amor est ac dilectio, quod ergo amori conceditur, hoc non negandum contritioni.

A Equidem si Beato Effremio est fides, tractatu de diuinis mysteriis, *Sanitas est anima, illuminatio mentis, compunctio, Iesum vnigenitum faciens in cordibus nostris habitare.* Quare Chrysost. hom. 8. in primam ad Corinthios, hoc maximè nomine pœnitentes in Ecclesia laudandos narrat, quod pœnitudine offensi numinis, animi ægritudines, morbosque sanent, est enim contritio, Cyprianо sermone de ablutione pedum, *Lauacrum quotidianis excessibus institutũ, iugis retractatio vsque ad nouissima veniens*: qua vti spiritali quodam ense confectus animus, grata Deo cæloque fit hostia, bonis dives, cum martyrio contendens de gloria, qua de laude sic Cyprianus serm. de cœna, quàm breuiter tam eruditè & grauiter, *Latrocinium damnationem meruerat, & mortem, sed cor contritum mutauit in martyrium, & sanguinem in baptismum*, quo quid vlli præstabilius accidere possit ad gloriam non video: Verùm enim verò de pœnitentiæ laudibus, vique admirabili ad cœlestes fatus recipiendos in animo, dicendi non est hic locus, quod est instituti, quod præsentis negotij, id tantùm narro, videri mihi nullam pœnitentiæ cum peccatis mortalibus agnationem esse posse, proindeque quo funere (vt sic loquar) eorum alterum, eodem quoque efferenda esse ex animo reliqua omnia.

B

Est contritio securis cælestis ac sacra, quæ in pœnitentis iniecta manus, peccatorum substructionem ac molem, impetu vno euertit ac dissipat. *Si enim cùm fœda fis*, inquit August. in hæc verba Psal. 103. (*confessionem & decorem induisti*) *tibimetipsi displices, pulchro iam places, Conuerti namque ad Dominum certissima vita est, & pacem offensi quærere, certa salus.* B. Prosper Epigramm. 72.

C

Nec hic tu mihi anteactæ vitæ dedecora, numerò infinita genere disparia, turpitudine horrenda memora. *Nam nec quantitas criminis*, inquit Cyp. de cœna Dominica, *nec brevitas temporis, nec hora extremitas, nec vitæ enormitas, si vera fuerit contritio, excludit à venia, sed in amplitudine sinus sui mater Charitas prodigos suscipit reuertentes.*

D

Cuius effati causam hanc Patres habuisse existimo, quòd viderent Christi merita valoris infiniti esse, ex quo inferebant nullam scelerum copiam tantam esse posse, quæ eorum vi, & efficacia, cùm eorum authori applicantur, deleri non posset: at constat hæc applicari homini in Sacramento pœnitentiæ, vel extra illud, per veram contritionem: fatendum ergo nullum in rerum natura facinus esse posse tantum, ac tam multiplex, quod expiare pœnitentia nequeat.

At enim, inquies, admissum in Spiritum sanctum, Deum nunquam propitium reperit ac placabilem, cùm ei viæ omnes ad vitam intercluſæ sint, & obseptæ, tam in hoc, quàm in futuro sæculo. Math. 12. Marc. 3. Luc. 12.

E

Respondendum, dici remitti non posse, non quòd naturâ sua, aut institutione Dei principis, clausos habeat aditus ad indulgentiam, sed quod verè, ac re ipsa, peccantium improbitate, ac culpa, non condonabitur.

Primò, quia hi Spiritum sanctum peccando oppugnant, corda sua obdurant, eius afflatus, monitaque repudiant, salutis recuperandæ vias, mediaque non ineunt, sic desperata ægri valetudo dicitur, sic tam hic, quàm puer, medicum pati ac ferre nescij, curari nequeunt, qui odio quodam veluti inciti, nefando ausu pharmaca respuunt, coëuntem iam plagam irata manu diducunt.

Secundò relaxari non posse dicitur, culpa in Spi-

Digitized by Google

ritum commissa, quia nihil habet quo Deus, adversus authorem suum, inflecti possit ad clementiam, nec enim, vt peccata cætera, fit mobilitate quadam animi, aut naturæ impetu, quæ ad id sæpe quod adest, quodque præsens est, consilio se nullo eiicit, quæ magnæ Deo sunt benignitatis in hominem exercendæ illecebræ.

Tertiò dicuntur admissa in Spiritũ non remitti quod non nisi id ægrè fiat, ac multo labore Chrys. hom. 42. in Math. D. Th. 3. parte q. 82. in moralibus enim vocari id solet impossibile quod est difficile; Enim verò cum peccata contra Spiritum, deliberata sint ac consulta, nimium quantum Deum aduersus hominem commouent, quæ ei est causa, iusta illa, ac æquitatis plena, in pœnam istius improbitatis, ac audaciæ, eidem auxilia multa denegandi, quibus adiutus, facilitate maiore resurgeret, quàm faciet; quanquam nihil est ei vnde iustè queri possit, cum sufficientia nunquam sibi desint, quibus ad diuinos amplexus amicitiamque si volet, aspirare queat.

De quo autem peccato, ibi Christo Domino, sit sermo inter Patres, est quæstio, cui soluendæ etsi neget August. sermone 11. de verbis Domini patem se esse, tamen in libro de fide ad Petrum cap. 3. Et libro de vera & falsa pœnitentia cap. 4. & sermone 11. de verbis Domini, peccatum in Spiritum sanctum, credit esse finalem impœnitentiam, cum nihil sit tam diuino spiritui contrarium, quam spontaneus animæ interitus, quem certo creat impœnitentia, vtpote gratiæ ac peccatorum remissioni aduersa, quæ duæ res homini communicari sunt à Spiritu sancto solitæ. In Enchiridio autem ad Laurentium cap. 83. negare in Ecclesia potestatem esse remittendi peccata, & cùm hoc errore, ex hac vita excedere, peccatũ definit esse in Spiritum sanctum. Bonauentura peccatum in Spiritum sanctum statuit esse desiderium diuinæ vituperationis, & odium Dei, alij aliud, mihi rem ad Euangelij canones reuocanti videri solet, cum August. in quæstione, de vtroque testamento q. 102. D. Th. in 2. 2. q. 14. art. 3. peccatum in Spiritum sanctum, peccatum Iudæorum esse, aut resistentium veritati, inspiratione Spiritus sancti agnitæ, ac miraculis confirmatæ, aut Christi miracula ac opera calumniantium, ac dæmoni tribuentium, *quod peccatum remissionem*, inquit Comitolus responsionum lib. 4. q. 9. num. 21. *non habuit in hoc sæculo, quia eius authores à Romanis sunt necati, nec in altero, quia æterno sunt supplicio mactati.*

QVÆSTIO XXIV.

An peccatum vnum mortale possit sine alio deleri per pœnitentiam.

PRima Assertio. *Peccatum mortale, ita pœnitentia tollitur, vt vnum potentia saltem communi, & ordinaria remitti sine alio nequeat.* Ita D. Th. 3. parte q. 85. art. 3.

Argumenta quibus pro fide huius assertionis soliti sunt vti Theologi, non vnusmodi sunt omnia, seligam pauca de multis, quæ mihi ad rem præsentem fidem maiorem habere visa sunt.

Primum communiter non remittitur peccatum mortale, nisi per gratiam quæ gratum faciat, at hæc sic lethalibus est omnibus aduersa, vt ne vnius quidem societatem & aspectum ferat, ergo vno dempto cætera quoque per eam detergi est necesse. Maiorem propositionem definitè sanxit Trid. sess. 6. can. 11. his verbis; Si quis dixerit hominem iustificari sola imputatione iustitiæ Christi, non autem per gratiam infusam, & inhærentem anathema sit. Minor æque propè est certa, cum sess. eadem cap. 15. statuat Ecclesia, quodlibet peccatum repugnare gratiæ eamque destruere, habet hæc ergo argumentatio verisimilitudinis non parum.

Secundum de lege Dei ordinaria peccatum nullum remitti potest absque pœnitentia, sed hæc si est perfecta, peccatis omnibus est contraria, consistit enim in eorum odio, vt Dei sunt offensa, quæ ratio communis est omnibus, nequit ergo mortalis vna culpa, aboleri sine alia.

Tertium fit per gratiam humanus animus ad gloriam idoneus, nam in quo hæc habitat, huic Christi Domini testimonio tribuit, *vt in eo fiat fons aquæ salientis in vitam æternam.* Certum est aliunde hunc perpetua manere supplicia, quem mortalis aliqua culpa inquinat. *Omnis enim iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem*, ergo si cui mortalium, indulgeri posset id beneficium, vt dolore suo, maculam suam vnã aliquam aut plures expungeret, reliquis in anima hærentibus, simul laude dignus esset ac vituperio, cœlo æterniſque cruciatibus, quo quid absurdius? cum authore Paulo ad Rom. 8. *Nil ſi: damnationis iis qui ſunt in Chriſto Ieſu.*

Secunda Assertio. *Cùm his sentio qui culpam vnam homini relaxari posse, diuina potestate asserunt, insolutis aliis.*

1. Quia etsi habeat hominis iustificatio, vti fit, hoc tempore, annexam gratiam, nihil est tamen causæ, quamobrem res accidere secus non valeat. Quid enim impedit quominus à Deo imputari mihi culpa vna nequeat, cæteris remanentibus quarum sum conscius, cum vniuerso suo debito? id autem est haud dubiè peccatum vnum condonari sine alio, cum condonatio culpæ, sit eius non imputatio authori suo, nec eiusdem ad pœnam suppliciaque repetitio, Ecquid enim à Principe condonari potest reo homicidium, morsque, quam per illud est commeritus, non autem æs sibi debitum ob malè rem suam, ærariumque administratum, ergo peccatum vnum similiter remitti potest à Deo sine alio.

Secundò. Si vi diuina culpa vna eximi homo non potest, remanentibus aliis, maximè quia gratia repugnat omnibus, eaque natura sua dissipat, fugatque. At id est falsum, nam gratia formaliter, & intrinsecè non includit priuationem peccati, sicut nec istud gratiæ carentiam.

Primò, quia datur aliquod medium inter peccatum, & gratiam, vt puta naturæ status.

Secundò, quia non est culpa essentialiter aliud quam rectitudinis priuatio.

Tertiò, quia est quidpiam tantum morale, macula nempe inhærens animæ, quæ boni viri iudicio, cessat per eam, minus grata splendidaque esse, Dei, ac hominum oculis, quàm erat ante illam commissam, quibus rebus nihil in se habet gratia formaliter oppositum, est enim spectata physicè, physica quædam entitas, esse physicum spiritale, ac supra naturam id homini tribuens verè, quo intrinsecè ius acquirit ad gloriam, fitque obiectum proportionatum amoris supernaturalis Dei, cum quo stare tamen culpa potest saltem diuinitus, quemadmodum cùm habitu charitatis naturalis, auersio per peccatum à Deo authore naturæ.

Dixi vi diuina, nam vt sunt modo tempora, in-

Digitized by Google

fusa in animam gratia, delentur scelera, ob eam causam, quòd ex voluntate Dei in statu præsenti, peccatis omnibus opponatur formaliter, cùm præter vim physicam, physicè conuertendi hominis ad Deum, moralem aliam diuino beneficio habeat delendæ culpæ, in quocumque reperta erit hærere: quare vt hanc vim modo ex diuino pacto habet, ita & Dei voluntate carere posset, cùm res vniuersa ab eo pendeat, sitque donum eius, quod ad aspectum, & præsentiam gratiæ peccatorum omnis turba fugam capiat. Exemplo explicari res potest: Quod nota impressa manui serui, cum libertate in quam Regis beneficentia asseritur, ius det annonæ perpetuæ, ex pacto inter eum ac regni publicanos, & quæstores inito, id totum eius est regali munificentiæ tribuendum, cùm eam vim habere natura sua nota illa nequeat. Iã quæro ecquid non sit in eiusdem Principis potestate situm, vt beneficium hoc omne tollere, sic & eius partem? Omnino, cùm libertatis sit merx, de suo seruos alere, ac manumittere: At par est Dei causâ, peccata condonantis, quæ Regis, mancipia ab ei gastulis emittentis in libertatem cum commeatu, perpetuando dum viuet: ergo vt isti dona definire sua ac contrahere est licitum, aut seruo negare, ita & Deo: quare cùm lubebit, facere poterit, vt gratia quæ modò cunctis est peccatis aduersa formaliter ac propriè, vi hac, facultateque careat, sola potestate conuertendi hominis ad illum, physicè, ei relicta.

QVÆSTIO XXV.

Quomodo remittantur venialia.

SVppono 1. peccata venialia non esse gratiæ, formaliter ac propriè opposita, sed facili tantùm, expeditoque exercitio, seu praxi amoris diuini, qui humanis noxis imminutus, seipso redit iteratis illis actionibus auctior, adeò vt quàm hunc peccata deterunt, tam illum tenouet, reparetque, voluntatis per amorem in Deum incitatio.

Suppono 2. reapsè non semper communicari animæ gratiam, cùm culpa ei venialis remittitur, quia gratia, ex probabili sententia, augerur tantùm per actus intensiores charitate, qua quis est ornatus: at potest fieri vt actus quo veniale deletur, remissior sit habitu, qui eius est causa, non est ergo culpæ venialis condonatio, gratiæ infusæ, aut infundendæ certa testificatio.

Suppono 3. hoc esse commune culpæ veniali cum lethifera, quòd sit perinde ac ista, Dei offensa, ac macula, cuius vis in eo videtur esse posita, quòd sit non gratiæ priuatio, sed magna quædam in bona temporalia propensio.

Dico 1. *veniale non remitti communiter in hac vita homini sine pœnitentia saltem virtuali.* D. Tho. 3. part. q. 87. art. 1.

Probatur. Est peccatum veniale, declinatio, seu vitiosa quædam voluntatis ad res creatas conuersio, ex qua aliqualis in eam redundat macula: peccant enim qui nimiam, qui immodicam, qui iusto acriorem habent rerum creatarum appetentiam, si non contrà, sanè præter Dei legem, quæ appetitio, conuersioque, etsi charitatem, non oppugnent, eius tamen actum plerumque impediunt, vim eius, feruoremque circa aliqua obiecta minuunt, familiaria cum Deo colloquia tollunt: est ergo communiter iis abolendis, pœnitentia aliqua, voluntatisque retractatio necessaria: hæc enim deordinatio, ac macula mentis conuersæ ad bonum creatum, etsi actualiter cessaret in otioso, ac nihil agente, aut dormiente, manet tamen habitualiter, & secundùm voluntatem interpretatiuam, donec retractetur per actum contrarium, hic autem est actualis pœnitentia, aut virtualis, est hæc ergo necessaria tollendæ tali inordinationi ac maculæ, & ex consequenti culpæ veniali.

Vulgò dixi, ac ordinariè, nam quid impedit Deum dormienti, aut nihil agenti condonare noxam venialem? nec enim, vt supponitur, dormiens affectum ad eum ullum habet, cùm somno sit obrutus, nec in eo perseuerat actio mala venialiter aliter quàm habitu, remitti ergo poterit nihil agenti, si ita Deo videbitur.

Dico 2. *Etsi per actum contritionis aut amoris, deleri in nobis veniales culpæ possint, non tamen quolibet, sed eo duntaxat, qui est virtualis, implicitaque pœnitentia.* Ita Bonauentura in 4. dist. 21. art. 1. Sotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. de Graphiis decisionum aurearum, lib. 1. cap. 6. num. 7. & sequenti, his verbis: *Igitur ad remissionem venialium duo requiruntur. Primum, vt nulla sit complacentia, aut propositum, nullum enim peccatum veniale remitti potest, stante eius complacentia.* Sylu. verb. peccatum, q. 6. *Secundum, vt præter absentiam complacentiæ, sit actus contrarius peccato veniali, hoc est, quòd ita feratur in Deum, vt si illius peccati cogitatio mentis occurreret, displiceret ei, & doleret se commisisse.* Hæc Graphius, quæ opinio est etiam Suaris, disp. 11. Coninch. num. 123. & Laym. lib. 5. tract. 6. ca. 4. num. 13. his enim placet contritionem aut amorem ad omnia peccata virtute se extendere, quando pœnitens his actibus absolutè se Deo subiicit, volens ei in omnibus actionibus placere, & obtemperare, & consequenter detestatur omnia peccata grauia & leuia, quatenus Deo displicent.

Præcipuum, & maximum huius sententiæ firmamentum est, quòd sit certum extra Sacramentum, remitti posse venialia, cùm causa nulla sit, cur horum sit condonatio difficilior, quàm lethalium, quæ tamen indulgentur homini, cum ordine ad claues: ergo datur actus aliquis hominis, quo id sibi beneficium conciliare diuina benignitate potest, non amoris simpliciter, & absolutè, ac in se spectati, cùm fieri possit, vt quis ardentissima in Deum charitate feratur, qui tamen affectum ad veniale aliquod habeat, quem affectum, certum est eius remissionem impedire, non denique perfectæ pœnitentiæ, ac doloris, qui sit contritio.

Primò, quia cum eo, & proposito amandi Deum super omnia stare affectus potest ad veniale aliquod, vt mendacium, vtpote illi formaliter non oppositus, sed lethiferis tantùm, eius enim obiectum est culpa, sub ea formali ratione, qua est offensa Dei super omnia amati, gratiam destruens, eiusque amicitiam in homine perimens, quod non habent communes, ac quotidianæ noxæ.

Deinde, vt concedam eas deleri pœnitentia, nego tamen ad hunc effectum eam necessariò adhibendam esse, quia non nisi mortalibus, actualis maximè, & explicita, ex Dei præcepto, opponi debet, cùm de venialibus curandis, hoc remedio, mandatum non sit vllum. Sit pro argumento, quòd omittenti contritionem, cruciatus æterni sint debiti, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*: at his affici nequeunt, quos culpæ, præter vulgares, ac leues, aliæ nullæ reos agunt:

de his ergo vero, ac proprio dolore expugnandis, nullum eſt homini præceptum, à Deo poſitum, & tamen delentur, ergo per implicitam, ac virtualem aliquam pœnitentiam. Continetur hæc vero in actu amoris acri, ac feruido, vi cuius, ita pœnitens eſt affectus, vt ſi venialia obuerſarentur animo, hæc deteſtaretur, ac fugeret, quia per eum affectum, actualem ſcilicet, ac expreſſum, voluntas à peccato, implicitè auertitur, ac virtute, nihil eſt ergo quamobrem Deus illud homini, ſic parato non condonet.

Aſſertionis pars altera fuit, culpas veniales, non deleri in homine per actum amoris, qui eſt eorum virtualis, & implicita pœnitentia. Probatur

Actus ille amoris, remittit venialia, qui eſt illis contrarius, at talis eſt, qui eſt eorum virtualis & implicita pœnitentia, ſecundùm Sotum & Candidum diſquiſ. 24. art. 36. dub. 7. aſſert. 10. qui enim ſic eſt comparatus animo, vt peccata venialia odiſſet, ſi ei occurrerent animo, actum habet illis contrarium, at hunc affectum homini tribuit Dei amor, qui eſt venialium virtualis & implicita pœnitentia, vera eſt ergo aſſertio.

Obiicies. At propoſitiones hypotheticæ, nihil ad laudem, aut vituperium conferunt, quam enim ſunt multi vbique gentium, diſperatè licet improbi, quibus ſi ſe ſubeundi Martyrij locus daret, eum haud dubiè capeſſerent, quos tamen ab hac præparatione animi, meliores eſſe quis putet?

Reſpondendum, propoſitiones iſtiuſmodi hypotheticas cum abſolutè, & in abſtracto ſpectantur, nullarum eſſe ad gloriam, meritumque virium, vt probat argumentum, non tamen cum ſumuntur moraliter, ſimul cùm præſenti affectu, feruoreque voluntatis, quo in Deum hæc fertur, aut res diuinas, cum propoſito reiiciendi quicquid ab eo, & illis, ſimulque ab amoris abſolutione auocat, quo eum diligi conuenit, ſi animo, tunc occurreret aliqua, de ea re cogitatio, aut obligatio.

Obiicitur 2. Quolibet actu doloris, qui eſt perfectus, veraque contritio, delentur omnia mortalia. ergo & venialia.

Neganda eſt conſequentia, diſparitatis cauſæ ſunt multæ, potiſſima eſt quòd contritio immediate opponatur mortalibus, quatenus ſunt grauis Dei offenſa, non autem venialibus, cum hæc non aduerſentur gratiæ & charitati, ſicut mortalia, ex quo ſequitur hæc per contritionem deleri omnia debere, ne qui eam elicit, ſimul & ſemel, auerſus ſit à Deo, & ad eum conuerſus, quod repugnat.

Obiicitur 3. Qui poteſt maius, poteſt & minus ergo cum contritio expellat lethalia, delebit & venialia.

Neganda eſt conſequentia, quia contritio lethalibus opponitur, non item aliis. 2. Antec. eſt falſum aqua enim calida, verbi cauſa, vt quatuor expellit è ſubiecto frigiditatem, vt quatuor, & tamen quintum gratum non poteſt, qui tamen eſt minor quatuor primis gradibus.

QVÆSTIO XXVI.

An præter virtualem illam diſplicentiam venialium, ſint aduerſus illa aliqua in Eccleſia remedia.

AFfirmant hi omnes D. Thom. 3. parte q. 87. art. 3. Palud. in 4. diſt. 16. q. 1. art. 2. concluſione 4. Hoſtienſis in ſumma tit. de pœnit. & remiſſ. Gab. in 4. diſt. 16. q. 5. art. 3. dub. 3. Maior diſt. 23. q. 2. Regin. tomo 1. lib. 5. cap. 4. De Graſſis deciſionum lib. 1. cap. 6. num. 10. eaque ſacramentalia nominant, quæ etiam ſeptenario comprehendi numero fere omnes affirmant, eſt autem Sacramentale, eorum ſenſu, res ſacra, vel actio, qua obtinetur remiſſio venialium, quæ ab auctoritate remittendi peccata, quam Eccleſia habet, ad id eſt inſtituta. Et horum Sacramentalium

Primum eſt oratio, de qua eſt Aug. teſtimonium in Enchir. ad Laurentium cap. 71. his verbis. *De quotidianis breuibus, leuibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit, eorum enim eſt dicere, Pater noſter qui es in cœlis, qui iam Patri tali regenerati ſunt ex aqua, & Spiritu ſancto, delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata, ergo quia quotidie, vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidie, & hanc orationem effundere in conſpectu Dei debemus.* Idem habet Concil. Tolet. 4. can. 9. idem & canon tres ſunt de pœnit. diſt. 1.

2. Eſt eleemoſyna, de qua textus eſt de pœnitentia diſt. 1. can. medicinam, & apud Theodulph. ad Preſbyt. Aurel. cap. 36.

3. Epiſcopalis benedictio diſt. 1. q. 1. can. dictum eſt.

4. Digna Euchariſtiæ ſumptio, de conſecratione diſt. 2. can. cum omne crimen.

5. Eſt ieiunium & pectoris deuota tonſio.

6. Aquæ luſtralis vſurpatio, can. aquam de conſecrat. diſt. 3.

7. Publica peccatorum confeſſio, can. quotidianis de pœnit. diſt. 3. quæ pœne omnia, eſt hac oratione complexus Auguſtinus ſermone 41. de ſanctis. *Quibus operibus peccata minuta redimantur pleniusque vobis inſinuare deſidero, quoties infirmos viſitamus, in carcere clauſos, & poſitos in vinculis requirimus, diſcordes ad concordiam reuocamus, indicto Eccleſiæ ieiunio, ieiunamus, pedes hoſpitibus abluimus, ad vigilias frequenter conuenimus, eleemoſynam ante oſtium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis noſtris quoties petierint veniam indulgemus, iſtis enim operibus, & his ſimilibus minuta peccata quotidie redimuntur.* Addit & modos tres alios delendæ in ſe culpæ venialis Theodulph. ad Preſbyt. Aurel. c. 36. *Primum ſi remittat quis peccanti in ſe peccata ſua, iuxta illud dimittite, & dimittetur vobis. Secundum ſi per prædicationem ſuam quis, & per bonorum exercitium, alios ab errore reuocauerit. Tertium per caritatem. Quartum per pœnitentiam.*

De modo verò quo hæc, remittendæ culpæ vim habeant agit Suar. tomo 4. diſp. 12. ſect. 1. Nolo quæ à varus variè ſunt ſcripta pro cuiuſque indole, perſequi, neque tamen de nonnullis rebus, quæ ad hoc genus ſunt affectæ, celabo animi mei ſenſum, quod Confeſſarium, quem hic inſtruimus, certum ac fixum hac de re iudicium, habere oporteat.

In quibus igitur veri conſtitutio verſari videtur, hæc in pauca enuntiata concluſiuncula.

Prima Aſſertio. *Propriè per ſe & immediate non delent hæc Sacramentalia, venialia culpas ex opere operato.*

Primò, quia poteſtas clauium operatur tantum in Sacramento pœnitentiæ ad noxarum remiſſionem.

Secundò, quia commune axioma eſt, ſcelera extra Sacramentum maximè in adultis, non remitti, niſi per motum proprij arbitrij, adiuti Dei gratia.

Secunda Assertio. *Non modò opera bona, de quibus est facta mentio, venialia non obliterant ex opere operato, seu per se, & immediatè, sed nec per actus detestationis, humilitatis, aut virtutis, à charitate diuersa*: nam hi actus voluntatem à culpa veniali non abalienant, ergo nec ad eius condonationem adiuuant. Nec sacramentalia similiter, quia non est in potestate Ecclesiæ extra Sacramenti collationem, etiam venialia remittere, secundùm reatum culpæ, cùm hæc internam hominis renouationem exigat, quam posse Ecclesiam per se, & immediatè producere quis credat? Sacramentalia ergo ad remissionem venialium valent, quia contritionis ac amoris actus in nobis vi precum Ecclesiæ excitant, quæ opinio Doctorum est ferè omnium. Diuus Thom. ante cæteros, sic enim ille tertia. parte, quæstione 87. articulo primo. ad 3. cùm ait dicta reindia causare peccatorum venialium remissioneme in quantum inclinant animum ad actum pœnitentiæ, siue ad peccati detestationem explicitam, vel implicitam, quæ virtualis detestatio sufficit, quia veniale, non est auersio à Deo, & ideo non exigit formalem detestationem, & ad Deum conuersionem, vt deleatur, sed virtualem, quæ est in primo motu amoris Dei, quo quis vult ei in omnibus placere. Secundò, in actu contritionis, quo propter illũ pœnitẽs detestatur omnia peccata tam mortalia, quã venialia. Tertiò, in actu virtutis, qui est aliquo modo oppositus peccato veniali, modò ad eum exercendum operans moueatur ex dilectione Dei.

Secundò iuuant Sacramentalia ad remissionem venialis culpæ, remotè in quantum per preces Ecclesiæ homini præueni entis gratiæ auxilia impetrant, quibus adiutus, ab ea voluntate, ac animo auertitur.

Tertiò, prosunt ad hunc effectum, quatenus supernè eidem obtinent dona exteriora plurima, vt sanitatem corporis, dæmonis compressionem, sui ipsius, motuumque animi victoriam, conseruationem à periculis, his enim rebus mens corroborata magno se impetu ad Dei amorem, fugamque omnium quæ ei non placent, immittit, vnde in ea sequitur, culparum omnium displicentia, ac odium.

Contraria sententia patronos habet, ac defenso, res, Nugn. tom. 2. in 3. part. q. 87. 3. diffic. 3. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 4. punc. 4. Candid. disp. 24. art. 35. dub. 1. his enim placet, primò Sacramentalibus vim auctoritate quam habet Ecclesia, inesse remittendi venialia, per se immediatè, & ex opere operato. Secundò, quantum est de se delere omnia, cùm abest actualis, aut virtualis complacentia ad illa, quia sunt, inquiunt, Sacramentalia per se instituta ad delenda omnia venialia, quòd & faciunt ex opere operato, ergo si nihil erit quod hunc effectum impediat, cuiusmodi est actualis, aut virtualis ad illa complacentia, abstergent omnia, ac remittent, si modò, inquiunt, actus reuerentiæ ac deuotionis, quoad prædicta Sacramentalia, pugnet cum venialibus omnibus actu, aut virtute.

Assertio tertia. *Deleri peccatum veniale per attritionem, seu dolorem de eo conceptum, propter pœnas Inferni, aut Purgatorij, non est improbabile.* Ita Candid. loco proximè citato. Suar. sec. 3. num. 11. de Coninch. disp. 2. dub. 14. conc. 5. Rationes, quibus se hæc tuetur opinio, sunt duæ.

Prima, quòd tali actu, voluntas quantum est satis, ab eo auertatur, ergo nec actu, nec habitu remanet, ergo deletur, cùm eius nullum superstes amplius in anima vestigium. Tolli autem hanc culpam venialem actu, & habitu per attritionem, patet, nam voluntas dolendo de ea admissa, seipsam leuitatis & inconstantiæ in diuino obsequio arguit, quod est eam habitu tolli, cùm ad illam tali retractatione propendere desinat: actu etiam cessat, quia per talem dolorem à bono temporali se reuocat, & ad incommutabile se amore ac desiderio conuertit: cessant ergo, ac delentur tali dolore veniales culpæ.

Secunda, actu quolibet laudabili, ac bono, quisquis Deo acceptus est, & gratus, fit ei gratior, maiorique eius amicitia dignus: at ad amicitiam maiorem pertinet cessatio ac remissio venialium, ergo cùm attritio, de qua est in Assertione mentio, bona sit ac laudabilis actio, vtpote supra naturam, & ab homine cum diuino elicita auxilio, ea homo merebitur apud Deum, vt peccati sui venialis memoriam nullam amplius retineat, ac conseruet, & ita illud deleat.

Hunc tamen effectum, attritio vt habeat, requiritur primò, vt eliciatur ab homine grato, quia actus peccatoris, nihil habent valoris apud Deum, pro remissione culpæ, ideoque numquam venialis remittitur, mortali priùs non remissa. Fernandez part. 4. cap. 1. parag. 1. num. 13. quod probatur. Nunquam illa remittitur, nisi simul infundatur gratia sanctificans, quæ sit eius quasi remissiua, vt docent Bonau. in 4. dist. 21. par. 1. art. 2. q. 2. Halens. par. 4. q. 65 mem. 3. art. 4.

At gratia sanctificans, eiusque augmentum non dantur alteri quàm iusto, talem ergo eum esse oportet, cui per attritionem fit culpæ venialis remissio extra Sacramentum.

Secundò, ad hunc remissionis effectum producendum in homine, requiritur, vt prædicta attritio propositum includat, fugiendi in posterum tale peccatum. Ratio est, quòd malum peccati, verè ac seriò detestari nemo valeat, si in posterum ab eo abstinere nolit.

Dixi, *tale singulare peccatum*, quia cùm à venialibus vita nostra esse libera nequeat, propositum fugiendi omnia diuisim ac collectim, non est necessarium, cùm vnum remitti possit, remanente altero, tam secundùm habitualem, & non retractatam voluntatem, quàm secundùm actualem affectum, seu peccandi propositum.

DE SATISFACTIONE.

QVÆSTIO I.

Quid sit satisfactio, & quotuplex.

HVius vocis multiplex est significatio, latè sumpta idem sonat ac debiti præstatio, nam qui alienum domino rehibet, ei satisfacit, qui conceptam de se opinionem, præclaris suis factis egregiè sustinet, hunc alienæ quoque de se expectationi satisfacere, dixere Authores classici. In contractibus autem satisfacit debitor, quando creditoris desiderium implet. l. 1. §. qui satis dare cogantur, idque præsenti pecunia. authent. si quando, cod. de constitutione pecuniæ. Rebuff. in leg. 6. tit. de verb. signific. aut aliter, prout creditori lubet.

Satisfactio

Satisfactio verò Theologis idem valet ac compenſatio, quæ Deo fit pro iniuria, per peccatum ipſi illata, idque quantum eſt homini, in hac mortalitate licitum ad æqualitatem iuſtitiæ: Enimuerò habet hoc omnis iniuria vt neceſſitatem ſatisfaciendi ſecum ferat, per eam enim fit alteri, quod omitti recta ratio non ſinebat, aut contra omittuntur, quæ erant officij, nec prætereunda erant, ex quo offenſa ſequitur, & naturali quadam conſequentia inæqualitas inter lædentem, ac læſum, operantem quæ non decent, & alium, cui talia opera non poſſunt non eſſe grauia.

Eſt porrò iniuria duplex, altera quæ à parte rei læſo nocet, oppugnatione iuris alicuius, ei proprij, puta rei familiaris quæ tollitur, honoris qui adimitur, famæ, quæ contumeliis perditur, venerationis, & obſequij quibus priuari Patres à liberis, Domini à ſeruis, à ſubditis ſibi gentibus Reges nequeunt ſine offenſa.

Alterum iniuriæ genus, perſonas pro obiecto habet, non res, aut fortunas, ideoque & illis extrinſeca, talis iniuria dici poteſt, cum enim illis in nulla ſua re, aut iure à parte rei intrinſece incommodet, aut quid eis adimat, vel detrahat, ſed irritet tantum ac offendat, rectè eo nomine appellatur, & hic modus eſt hominum in abalienando à ſe principe Deo, nec peccatum, nam quid ei obſunt? quod auferunt, cum ſe eius amantiſſimis obſequiis peccando eximunt? dæmoni ac carni dedunt, ſeipſo enim eſt beatiſſimus, ac nullius rei à ſe indigus.

Et ab hac varietate iniuriæ, habent ſatisfactio, & alieni redhibitio, vt differant, iſti enim, id eſt reſtitutioni, prioris generis obiectæ ſunt iniuriæ, quas verè ad æqualitatem reparat, famæ enim vulnera curat, rei domeſticæ illata dedecora purgat, reddendo honoris tantum, ac gloriæ infamato, quantum contumeliæ detrahendo eſt illatum: reſtitutio enim in rebus conſiſtit, quia per eam res alicui ablata, numero eadem, aut æquiualens redditur, quod non fit per ſatisfactionem, cui obuerſantur iniuriæ poſtremi generis, id eſt extrinſecæ, in perſonam factæ, quas dicta ſatisfactio contrariis actionibus compenſat, vt petitione veniæ, ſubiectione, exhibitione honoris, exactione pœnæ, ab homine, quanta propitiando ſibi numini eſt neceſſaria, nam quemadmodum eſt apud D. Thomam in 4. ſentent. diſt. 15. q. 1. art. 5. quæſtiuncula 1. ad primum quamuis ambæ iniuſtitiam corrigant, & ad æqualitatem adducant, non eandem tamen inæqualitatē emendant. *Reparatio enim* (inquit D. Tho.) *inæqualitatis exiſtentis in rebus, reſtitutio dicitur, reparatio autem inæqualitatis, exiſtentis in actionibus, & paſſionibus, ſatisfactio nominatur, & ſatisfactio propriè locum habet in iniuria, & contumelia, reſtitutio verò in rerum externarum ablatione.* Hæc D. Thom. Pergamus porro, & an vniuſmodi ſit omnis ſatisfactio videamus.

Antiqui Theologi fecere bimembrem, ſic tamen vt partis cuiuſque, ſit & alia diſtributio, ſatisfactionem enim vniuerſim ſumptam, diuidunt in imperfectam, & perfectam, & illius ſpecies eſſe duas aiunt, quarum vni nomen ſit Sacramentalis, non Sacramentalis alteri: ſatisfactio eſt perfecta, cum inter illatam iniuriam, eaque, quæ ſatisfaciendi cauſa dantur, vera intercedit æqualitas, cuiuſmodi reperiri tum omnes intelligunt cum honor, par eſt datæ iniuriæ, tantumque cultus, ac reuerentiæ læſo lædens defert, aut amplius, quantū probri, aut dedecoris, ei irrogaſſe ſe meminit.

Imperfecta, paritatem inter iniuriam, & actionem, aut paſſionem, qua ei ſatisfit, non habet, cum quo interuallo, perſonæ lædens, ac læſa, dignitate ſe ſuperant, eadem accepta in honore vulnera, curationeque illis appoſita, per petitionem veniæ, aut cultum, in multorum oculis exhibitum, ab inuicem differant, ſit eius rei exemplum. A filio pater peſſimè audiit, quem in amicorum cœtu, palam & aperte probris, nec ſemel proſcidit, cum auaritiæ nimiæ, ſeueritatis autem in familiam non ferendæ, tam fœde, quàm malitioſe, indidem accuſando, huic adoleſcenti parens iniuriam ſi condonet, ſola eius deprecatione contentus, ſatisfactionem non niſi mancam ac claudicantem, ab eo recipiet, non abſimilem oblatæ à fure, qui pro mille aureis auerſis Regi, mille aſſes, de iſtius voluntate, in ærarium publicum inferret, vim habet ergo imperfecta ſatisfactio, magis à pacto, benignitate, ac acceptatione recipientis, quam à dignitate datæ rei, aut dantis, deque hoc genere ſatisfactiones humanas eſſe, reſpectu Dei, vt ipſe non dicam, ſatis pro ſe veritas loquitur, cum enim quidquid ſumus, quidquid poſſumus, de Dei munere poſſimus & ſimus, quod in pœnam admiſſorum ei vltro, volenteſque offerimus, eius ſunt beneficia & dona, etſi meritis noſtris maiora, tamen præ culpis noſtris, morumque turpitudine ac obligatione per illas contracta, parua, vilia, propeque nulla, quæ cùm ſit ſumma (nec enim quidquam poteſt eſſe fœdius quam fruſtum hominis, natura ſua abiectum, vita autem ſæpe turpi, ac libidinoſa fœdum, peccando bellum Deo, indicere) niſi hic de iure ſuo remitteret, niſi parceret, niſi liberali manu inopiam noſtram ſuppleret, ac quantulacunque opera noſtra è cœlo placidus reſpiceret, ac acceptaret, ſatisfaciendi poteſtatem non haberent, nec nos, voluntatem offerendi illi aliquid, impar licet ſarciendis iniuriis, quibus æternæ eius gloriæ ſplendorem, ac lucem, peccando obſcuramus. Non eſt ergo alia hominum ſatisfactio, in hoc Sacramento quam manca, quam imperfecta, quam meritis debilis, cui in cœlum aſſurgere non datur, niſi ſuſtentatæ cœleſti manu, vt quæ tota nitatur Dei donis, eiuſque acceptatione, vt narrant Theologi.

Quanquam vna non eſt, eademque, vis ſatisfactionum omnium, non Sacramentali, præſtat Sacramentalis, in hoc laudis genere, eſt illa vero, hoc eſt non Sacramentalis, quæ à quolibet, inductione ſola animi ſuſcipitur, ſponte ac ſine cuiuſquam imperio, Sacramentalis quæ à ſacerdote pœnitenti iniungitur inter quas eſt hoc diſcrimen.

Primò, quod hæc, pœnam remittat peccatis debitam, aut eius partem aliquam, ex opere operato, illa autem ex opere operantis tantum.

Secundò, quod Sacramentalis hoc eſt à Confeſſario impoſita, magis ſit cæteris paribus ſatisfactoria, quam quæ propria ſponte ſuſcipitur, primò propter meritum obedientiæ in obſequendo alteri. 2. propter virtutem clauium Chriſtique merita, quorum maior vberiorque copia per Sacramenta tribuitur homini, quam extra.

Tertiò, differunt quòd Sacramentalis communiter à ſolo pœnitente ſit implenda, non item alia, nam quid vetat vnum ſatisfacere pro alio, applicando illi bona opera ſua ſatisfactoria, vt ieiunia orationes? &c. Ecquid enim pro defunctis orat Eccleſia? ecquid eorum cauſa vitronea licet, acerba tamen Paulus dum viuebat, ſibi depoſcit ſupplicia? *Vt quid enim baptizamur* (inquit) id eſt affligimur, *ſi non eſt mortuorum reſurrectio?* vt enim

parte q. 80. artic. 2. vbi his verbis eſt loquutus. *Recompenſatio ex parte pœnitentis primo quidem conſideratur, vt eſt voluntas compenſandi, quod ſit per contritionem, ſecundo quòd ſe ſubiiciat arbitrio ſacerdotis, loco Dei, quod fit per confeſſionem, tertio quòd recompenſet ſecundum arbitrium miniſtri Dei, quod fit per ſatisfactionem, & ideo contritio, confeſſio, ſatisfactio ponuntur partes pœnitentiæ.*

QVÆSTIO III.

An ſatisfactio, poſsibilis ſit, & præcepta, & ſi eſt per quæ opera fieri debeat.

SVpponendum initio, culpæ cuilibet pœnam ignatam eſſe, ac proinde, quo primum tempore, abiudicatis æternæ vitæ curis, in vitia, pronus ſe quis abiicit, cum Deo quem negligit, vna quoque tranquillitatem animi perdere, ac temporalis alicuius pœnæ, in hac vita, aut alia ſubeundæ, obligationem trahere, hinc illa Africanæ Eccleſiæ monita ſaluberrima in Carthag. 3. can. 31. pro culparum varietate multiplici, reis aſſignata ad pœnitendum tempora, Epiſcopo moderanda eſſe, peccatori autem, pœnitentiam imploranti, leges præſcribendas eſſe, puniendi ſui, Carthag. 4 can. 74. quo in genere miranda eſt Patrum in Conc. Trid. oratio: volunt enim vt æternorum cruciatuum hoſtiam, Chriſtique Domini hoſtem, *habendum eſſe eum, qui poſt acceptam iuſtificationis gratiam, cuilibet peccaturi pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſsit.* Trid. ſeſſ. 6. can. 30.

Equidem plenæ ſunt hiſtoriæ, pleni libri pœnitentium eorum, qui caſus ſuos lachrymis expiantes, commendauere poſteris modeſtiam, ſingulis erga Deum venerationem neceſſariam, ad quem enim Achabi factum non appulit? 3. Reg. 21. *Itaque cùm audiuiſſet ſermones iſtos Achab ſcidit veſtimenta ſua, & operuit carnem ſuam cilicio*, quem non Pauli in comprimendis naturæ motibus, digna admiratione ſedulitas non pupugit? *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* 2. Cor. 9. quis non Danielis, immortalitati commendandam vocem, merita laude non extulit? *quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum*, vt iam dubitandi cauſa, præcluſa ſit cuique, ecquid poſt condonatum diuinitus peccatum homini, pœna ei ſuperſit aliqua luenda, quid enim, & in quo Paulus peccauerat, ex quo à Iudaiſmo in Eccleſiam penetrauerat? graſſatur tamen in corpus innocens. *Caſtigo corpus meum*, &c. nec longùm fuit, cum Adamo & Euæ, abſtinentiæ læſæ reis, peccatum pepercit Deus, & tamen fœlicibus hortis exacti ambo, gemuere plurima ſæcula, terra fructus non niſi malignè, ac parcè ſuppeditante obſtinatis eorum conatibus. Gen. 3. *Quia audiſti vocem vxoris tuæ maledicta terra, in opere tuo ſpinas, & tribulos*, &c. nec eſſe quenquam exiſtimo, qui quod eſt rationis ac prudentiæ, non intelligat, Deum, vt eſt natura p. onus ad veniam, Iſraëlitis culpam ſuam deprecantibus condonaſſe, & tamen *loquutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens vſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me? querelas filiorum Iſrael audiui, die ergo eis, venio ego dicit Dominus, ſicuti locuti eſtis, audiente me, ſic faciam vobis, in ſolitudine hac cadent corpora veſtra*, tanti illis conſtitit, diuina improbaſſe conſilia, tanti contempſiſſe iuſta Moſis imperia. Quæ ſi à me ſola dicerentur, iam opinor omnes intelligerent quod principio eſt poſitum, culpam à pœna ſeiunctam non eſſe, quo enim iure Deus deſæuit in aliquos, eodem premere debet ſingulos, alioqui peccatorum acceptor eſſet, quo nihil à veritate poteſt eſſe remotius. His ſcripturæ teſtimoniis addamus argumenta.

Primùm, vt eſt Deus gentis humanæ amans, nihil non efficit quo nos aſtrictos ſibi ſubditoſque habeat, nihil non tentat, quo à ſe, per culpam auerſos reuocet, ſui ac bonarum artium auidos reddat, at iſtarum rerum ſtudia, inprimis nobis quis non videt, ſi admiſſæ culpæ, pœnas adiunctas, quaſi infixos aculeos habent, cum quibus, earum authores luctari, quoſque pati ſit neceſſe? Sæpe enim quos virtus, quos amor, quos præmia retinere non potuerunt in officio, his honeſtas placuit, his turpitudo improbi facinoris inuiſa fuit, quod in his pœnis hærere metuerēt, quæ in Repub. bene temperata, magna obruere ſolent ſcelera, non eſt ergo alienum à vero, ſtatuiſſe Deum Principem, vt malè ſibi conſcios, non tantùm premerent à tergo vltrices furiæ, quod Poëtæ fingebant, ſed ſupplicia quoque hic, aut poſt vitam toleranda, ab eo, quem culpa mortalis inquinauit, etſi hæc, eiuſque obſcœnitas, pulchritudine gratiæ, receptæ in Sacramento, aut extra ſit abſterſa.

Secundùm, fidem ſuperat, peccata quæ aliena voluntate ſunt contracta, plecti grauius, quam quarum authores ſumus, at illa capite noſtro, animoque luimus, ecquid enim peccati ſtipendium mors? aut non naſcimur parentum vitio deſtituti gratia? iræ filij, virtutibus inopes, malis, hoc tantum, morbiſque diutes? quam non eſt ergo probabile, vitioſos, vbi Dei beneficio, cum eo rediere in gratiam, impunè feciſſe virtuti bellum, Pati debent, meritaſque pro admiſſis, pœnas ferre, hic, aut in purgatorio igne. *Si Dauid* (inquit Iuſtinus Martyr in dialogo contra Tryphonem circa finem) *tanto viro non eſt priùs noxa dimiſſa, quam pœnitentiam egit, & tum demum tantopere fleuit, & res tantas fecit iſte magnus Rex, & vnctus & propheta, quam tandem impuri iſti, & nullius mentis, compti homines? καὶ μὴν δρηνῆσαι καὶ κόψασθαι, καὶ μετανοῆσαι ἱκανὰ ἐχειν δίκαιον, ὅτι οὐ μὴ λογίσηται αὐτοῖς κύριος ἁμαρτίαν*, id eſt, *niſi lamentati fuerint planxerint, & pœnitentiam egerint ſpem habere poſsint Dominum non imputaturum illis peccatum.*

Notandum hic verò, pœnam quæ remiſſa culpa ſupereſt luenda homini in purgatorio, ab ea non differre ſpecie, quæ eidem, ſi diem ſuum obiiſſet in peccato, toleranda fuiſſet in inferno, ſed tantùm accidentaliter, in quantum diuino munere, ac conceſſu quæ ferenda eſt in flammis purgantibus, terminos certos habet, quibus claudatur, non autem damnatorum in inferno.

Notandum 2. naturam hoc exigere, vt pro peccatis quiſque ſuis, etiam poſt obtentam veniam Deo ſatisfaciat, nec enim eſt benignitati eius conſonum, vt de quoquam pœnas repetat, quas non eſt meritus, at viros pios, at poſt habitam gratiam, ſibi gratos Deus punit, non facit ergo iuſticatio ex rei natura, vt quis indignus ſit pœna, eamque non mereatur, quod ergo hic eam pati debeat, quod de ſe repetere, id non voluntati ſolius Dei, ſed multo maximè, tribuendum eſt naturæ rerum.

Iam ad quæſtionem, eſt ne in poteſtate hominis,

diuina hæc nomina expungere, & pœnarum tantùm Deo dependere, quantum est peccando demeritus? vno verbo, est ne satisfactio pro peccatis, possibilis?

Assertio prima. *Qui adeptus est gratiam, potest per bona opera, pœnam temporalem eluere, quæ post abstersam peccatis maculam, ei diuino iudicio soluenda manet*: Quia est finita, quia est certis temporum spatiis clausa, quæ enim æternùm duratura erat, si hominem extrema sua, ac decretoria hora, in mortali peccato oppressisset, fit Dei beneficio temporaria. Iam hoc quæro, ecquid tanta & tam iterata virtutum opera, de eorum maximè genere, quibus in homine emaculari culpæ solent, cuiusmodi sunt, amor, & cõtritio Deo offerri ab isto queant, vt eorum beneficio, in eius ære planè esse desinat? quod si est id extra hominis potestatem, si hic placare Deũ nequit, si pro offensa ei satisfacere? Aueo scire cur eum hortantur Patres, cur sacræ Litteræ, cur Scriptores, ad satisfaciendum Deo, eique dependendum, quod peccatis suis commeruit? Qui si illico iram ponit, ac audendi proteruiam in nobis plectimus, sanè culpandi sumus, qui Inferorum cruciatus, cogitatione sola formidabiles ictibus, ac temperatis huius vitæ non reddimus: At Deo in hominem nihil est propensius, cùm salutis ipse suæ appetens, peccata in se tua, mitti manu vindicat, Item. 18. *Si pœnitentiam egeris gens à malo tuo, agam & ego pœnitentiam à malo, quod cogitaui vt facerem ei*, inquit *Altissimus*, 1. ad Corinth. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino, dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*. Quæ verba Aug. Enchi. cap. 69. de pœnis temporalibus explicat, quibus iusti puniuntur in hac vita, ne quid acerbius illis accidat in altera: nam vt habet Tertull. lib. de pœnitentia, cap. 9. *In quantum non pepercerist tibi, in tantum mihi crede Deus parcet.*

Ad hoc tamen est gratia necessaria, nam ea vacui ad beatæ vitæ immortalitatem, vtile moliri quid possunt? aut offerre Deo, quo ei pro commissis iustè satisfaciant, & ad æqualitatem illatæ iniuriæ? Quare *apud Deum Patrem, per Christum Iesum, nostra tantùm videre satisfactio dicitur*, in Trid. sess. 14. cap. 9. quibus verbis, Doctores significari aiunt, gratiam non actualem tantùm, & extrinsecùs adiuuantem, sed habitualem, ac iustificantẽ, sine qua, merito in homine, locus est nullus. Pro qua opinione facit hæc ratio, Est omnis nostra satisfactio planè nulla, nisi Deo probetur, cùm non sit ad æqualitatem iustitiæ: sed quicquid hæc ad eũ mitigandum potest, id vniuersum eius munificentiæ debeat, acceptationi & pacto: at communiter accepti esse superis hi nequeunt, quos corrupta vitiis vita, vt facit vltimos esse mortalium, ita Deo inuisos: *Dona enim impiorum non probat Altissimus*, Ecclesiast 34. *Et victimæ impiorum abominabiles*, Prou. 14. Est ergo gratia sanctificans, homini necessaria, vt eius satisfactio, Deo sit accepta & grata.

Assertio 2. *Opus omne meritorium secundùm proportionem, & dignitatem sui, est satisfactorium.* Primò, quia est æquualens offensæ leui, & pœnæ temporali. Secundò, quæ ab amico offeruntur alteri, hæc eius iram mitigant, ac vt offerenti propitius fit, atque placabilis, impetrant.

Assertio 3. *Non modo actio, sed & passio qualibet, Deo disponente aut permittente inflicta, si patienter feratur est satisfactoria.* Trid. Sess. 14. cap. 9. & can. 13. ad cuius authoritatem, quæ non potest non esse in hoc negotio magni ponderis, cùm rem de fide faciat, ad hanc, inquam, authoritatem accedit quoque ratio.

Prima, qui mala à causis naturalibus illata, Dei causa, aut in pœnam admissorum, forti animo patitur, v. g. frigus calorem, sectionem per ea pro illis satisfacit, ergo & qui Deo punienti ceruices subdit.

Secunda, magnum est patientiæ præmium, maxima laus, singulare ad vitæ beatæ possessionem momentum, quo enim incommoda, malaque naturam magis aduersantem habent, hoc est, hominis, in iis ferendis, vis, ac victoria illustrior: at quibus operibus mereri cœlum possumus, iisdem, & pro peccatis satisfacimus, valet ergo eorum cruciatuum tolerantia, quibus scelera nostra, iratum numen vlciscitur, ad satisfaciendum pro ipsis, si sit hæc voluntaria, si patientiæ coniuncta.

Assertio quarta. *Quæ corpori sensum aliquem doloris imprimunt, vt ieiunia, preces, cilicia, fletus, eleemosynæ, hæc præ cæteris Deo satisfaciunt*: Quia sic pœnitens, asperitate vitæ, mollitiem anteactæ discutit, dolore corporis, voluptatem quæ in sensis, per peccatum, eiusque illecebras influxit, temperat, & corrigit. Quare Patres cùm de satisfactione disputant, ad eam non nisi acerba quæque, ac grauia adhibenda memorant.

Fletuum meminit Cypr. ep. 3. lib. 5. *Quorum saluti, non adulatione composita, sed sincera fide prospicimus, vt vera pœnitentia, & gemitu, & dolore plenè Dominum deprecentur, quia scriptum est, memento vnde excideris, &c. ingemiscere autem & agere pœnitentiam quomodo possunt, quorum gemitibus, & lachrymis, intercedunt quidam de Presbyteris?* Epist. autem 12. eiusdem lib. hæc habet: *Crebri pœnitentium gemitus audiuntur, & iterum fideles ex oculis lachrymæ profunduntur, vt illi ipsi oculi, qui malè simulachra conspexerunt, satisfacientibus Deo fletibus deleant, quæ illicita cõmiserũt.* Similia habet Aug. l. 50. homil. hom. 4. *Non sufficit*, inquit, *mores in melius commutare, & à malis factis recedere, nisi etiam de his facta quæ sunt satisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitũ, per contritionis sacrificium, cooperantibus eleemosynis* Addit Basil. ad lachrymas, noctes vigiliis precibusque intentas: sic enim in Commentariis, in hæc verba, *Attende tibi. Magnum est & graue peccatum? multa opus habet confessione, lachrymis amarulentis, peractis contentione vigiliarum, indinulso & continenti ieiunio, leuis est? nec intoleranda offensio? huic quoque exæquatur pœnitentia*: quo in genere mirabilis est Ambrosij oratio, ad virginem lapsam, cap. 8. *Lugubris tibi est accipienda vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda, amputentur crines, qui per vanam gloriam luxuriæ occasionem præstiterunt, defluant oculis lachrymæ, qui masculum simpliciter non aspexerunt, pallescat facies, quæ quondam virtute impudicè, denique totum corpus, iniuriis & ieiuniis macereturr, cinere aspersum, & operitum cilicio perhorrescat, quia sibi malè de pulchritudine placuit, talis vita, talis actio si fuerit perseuerans audebit sperare, etsi non gloriam, certè pœnæ euacuationem, peccator si sibi non pepercerit, à Deo illi parcitur* Hier. l. 2. in illa verba Leuit. cap. 6. *Quidquid tetigerit carnes hostiæ pro peccatis, sanctificabitur: carnes pœnitentiæ*, inquit, *intelligimus ieiunia, vigilias, cilicium, cum lachrymis, orationem, eleemosynam, in his enim consistit pœnitentia, quam qui sangit, sanctificabitur.*

Pars quæstionis altera fuit, ecquid de satisfactione Deo facienda in hac vita, sit aliquod præceptum.

Assertio 5. *Seclusa Confessarij imperio, nemo lege Ecclesiæ, aut Dei tenetur, vltro sibi, ac sponte, pro condonatione pœnarum, quas est peccando commeritus, supplicia vlla deposcere dum viuit.*

Primò, quia id nusquam præcipitur in scriptura, nusquam ab Ecclesia, nihil est ergo rationis, quamobrem credendus sit peccare mortaliter, qui modo pœna breui, longas & acres purgatorij, sibi redimendas non putat.

Secundò, cum debito, ac obligatione sustinendæ pœnæ pro admissis, stare potest diuina amicitia, ergo nil est necesse vlli tale debitum tollere, ne à gratia excidat.

Tertiò, si pro commissis satisfieri Deo debet, quæro an integre in hac vita, an tantùm ex parte, non primum, quia constare certò nulli potest, quanta cuique culpæ, & quàm grauis pœna sit debita, quantum de ea bonis nostris operibus, ac maximè contritione detrahatur, ergo *cùm impossibilium nulla sit obligatio*, de regula iuris in sextam. Et aliunde constet, Dei Ecclesiæque præcepta de re esse tantum certa, ac determinata, dici nequit diuina nos, aut Ecclesiastica astringi lege, ad spontaneam earum rerum tolerantiam, quibus plenè & integrè satisfiat Deo pro pœna peccatis debita. Non 2. quia causa nulla proferri potest cur in pœnarum expiatione, aut culparum, ex quibus nasci solet obligatio, eas expungendi in hac vita, aut alia, per satisfactionem congruam, culpæ aliquæ ac correspondentes eis pœnæ, per eam potius tollantur, quam aliæ.

Obiicies. Atenim Christus imperat Math. 3. vt in id incumbant omnes, dignos vt pœnitentiæ fructus agant, quibus verbis, mandat sibi satisfieri, perpessione sufficienti ac congrua. Neganda est hæc Minor, nam ibi Christus non agit, nisi de remissione culpæ per contritionem, ad quam, iure naturali ac diuino tenentur omnes.

Obiicies 2. Id charitas qua se quisque prosequi debet, exigit, vt minimis cruciatibus, ac facile cuique ferendis, graues redimat, & acres, at qui sunt parati in igne purgante, acrimonia superant infinitis partibus, quos quisque sibi, sponte, dum viuit, inferre potest, peccat ergo, nisi hos eligat, vt grauiores alterius vitæ subterfugiat.

Maior & minor sunt veræ, ad Conseq. Respond. peccare proinde, qui sibi non consulit, electione minoris pœnæ, ac supplicij, præ graui, tale tamen peccatum mortale non esse.

Primò, quia pœnæ tolerandæ in Purgatorio de se non sunt malę, & si forent, non eiusmodi sunt tamẽ, vt iis se exponere, aut experiri eas velle sit mortale.

Secundò, quia iuste, & honeste, argui mortalis culpæ nequeunt, ægri, ac senes, cum de curanda valetudine sua solliciti, benigne se ac perhumaniter habent, supplicia nulla, aut pauca, sibi pro ætate præterita inferunt, & tamen fieri potest, vt ea multis contaminata vitiis fuerit.

Assertio 6. *Præceptum tamen est de satisfactione recipienda, & implenda, quæ est Sacramentalis.*

Ita Doctores ingenio & doctrina clari Richard. in tract. de potestate ligandi & soluendi D. Th. in 2. 2. q. 67. art. 1. & in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. q. 2. excerentiorib. Nugnus in 3. part. to. 2. q. 15. art. 1. & q. 13. art. 2. diffic. 2. concl. 1. Suar. in 3. part. to. 4. disp. 58. sect. 7. num. 2. Coriolanus in tract. de casib. reseruat. par. 1. sect. 3. concl. 16. num. 3. & hoc præceptum obligare sub mortali tradunt Valent. to. 4. disp. 7. q. 14. punct. 4. Sylulus in 3. part. q. 18. art. 3. dub. 3. Sanctar. tract. de blasphemia cap. 7. dub 1. & alij apud Comitol. lib. 1. responsion. quæst. 35. qua de re quæst. sequenti.

QVÆSTIO IV.

An audiendi sint qui dicunt, in arbitrio pœnitentis esse, hic aut in Purgatorio pœnam persoluere, quæ cuique est debita pro suo scelere.

Ita sentiunt non contemnendi Doctores Scotus, in 4. sent. dist. 17. q. vnica Greg. Ruiz in controu. super. 4. sentent. controuers. 94. Nau. in man. cap. 20. num. 26. Raph. de Cæsare in consolat. animæ dialogo 8. cap. 26. Beia 3. parte responsion. casu 3.

Ab eorum partibus ne faciam, abducor tam authoritate D. Thomæ quam ratione. Cypriani est hæc oratio epist. 16. lib. 3. *Cùm in minoribus delictis, quæ in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iusto tempore, & Exomologesis fiat, inspecta vita eius qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem veniri quis possit nisi prius manus ab Episc. & Clero fuerit imposita, quanto magis in his grauissimis delictis.* Idipsum confirmat ratio eaque duplex.

Prima, quod pœnitens obedire debeat Confessario tanquam suo iudici, ac Superiori legitimo, nihil enim rationis habet, vt magnorum rei criminum, teneantur ea præstare, quæ ciuilium, capitaliumque causarum iudices, eis præcipiunt, & detrectare pœnitens possit eorum imperium, qui Dei personam sustinent, in eo præsertim iudicio, in quo de conscientia agitur.

Altera ratio, petitur ex natura tam offensæ in Deum, quam satisfactionis ei exhibendæ, Enimuero non pars vna duntaxat hominis, peccando à recto, abit totus ipse, quantus est, præcepta violat, in Deum eiusque legem peccat, ergo totius est hominis satisfacere, non animæ solius, aut corporis, sed in purgatorio, non versatur totus homo, sed eius anima tantum, ergo ad eum locum cruciatuum, reiici satisfactio non debet, ab eo, qui secundum omnes sui partes, est reus, dum vita superstes est, fieri debet, alioqui non compensaretur iniuria, nisi valdè imperfectè, ac exiliter, cum quæ pars in homine (nempe corpus) maiori digna est pœna, ob sensuum voluptatem, quibus offendendo indulsit, ab ea foret, in purgatorio libera.

QVÆSTIO V.

An Presbyter imperare pœnitenti possit, & debeat aliquid pœnitentiæ loco.

Dico 1. *Posse*: Nam Christi testimonio ligare potest. Math. 18. *quæcumque alligaueritis super terram*, &c. qua eum facultate vti est certum, absolute quidem, & in genere, quoad culpam, cum pœnitentem ad gratiam non paratum, sine absolutione reiicit, vt ea indignum, quoad pœnam autem, cum certam ei pœnam subeundam imperat, si culpam sibi condonari desiderat.

Secundò est sacerdos confessionum arbiter, veruſque causarum animæ in interno foro iudex, at quis nescit à iudice puniri reum, iustum ei, ab eodem, cum res temporaque exigunt, supplicium

inferri? Quare, *si quis dixerit* (infert Ecclesia can. 15. sess. 14. *Claues Ecclesiæ esse datas tantùm ad soluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clauium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quod virtute clauium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exoluenda remaneat, anathema sit: Mediator enim Dei & hominum*, inquit S. Leo epist. 91. ad Theodorum, *hanc præpositis Ecclesiæ potestatem tradidit, vt & confitentibus, actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.*

Quod ab eo, vt cætera, institutum est diuinissimè, facit enim, hæc in primis Sacerdotum potestas imponendæ pœnitentiæ pœnitentibus, ad eorum maiestatem, & gloriam.

Secundò, ad fidelium commodum, quos pœnitentiæ metus, cogit haud dubiè, vel inuitos, ad officium, ac culparum quæ illis tanti constant, vtile ingenerat odium.

Tertiò, etsi hæc non essent, est tamen istud maximè pœnitenti, in hac parte optabile, quod incitatum ad turpia, naturæ impetum, hac qualicumque pœnarum tolerantia, quasi fræno cohibet, quas ideo Patres in Trid. sess. 14. cap. 8. adhiberi volunt, non ad curationem tantùm animi, ac vulnerum, quibus peccando malè confectus pœnitens iacuit, sed insuper ad infirmitatis humanæ præsidium, ac contra dæmonis impressiones firmamentum. Hæc de prima quæst. parte, videamus alteram, nempe.

An Sacerdos teneatur sub culpa pœnitentiam aliquam pœnitenti indicere.

Dico 1. *Sacerdotem lege tam Ecclesiastica, quàm diuina, obligari ad pœnitentiam pœnitenti suo imponendam.* Ecclesiastica quidem, quia hoc ei præcipitur in Conc. Remensi 2. can. 12. sub Carolo, an. 813. in Paris. can. 32. sub Ludouico Pio, an. 829. meminit & Ecclesiasticæ huius legis Trid. sess. 14. cap. 8. his verbis: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere* Cabillonense Eugenij tempore, can. 8. *de pœnitentia peccatorum, quæ est medicina animæ, vtilem esse censemus, & vt pœnitentibus, & Sacerdotibus, facta confessione indicatur pœnitentia*: Diuina quoque lege imponendam esse, argumenta hæc indicant.

Primum, quòd teneatur Confessarius Sacramentum integrum facere: sed ad integritatem Sacramenti, requiritur pœnitentis satisfactio, cùm eius sit pars, vt docet sanctus Doctor, 3. parte qu. 90. art. 2.

Secundum, quod ad instar Medici, curare vulnera pœnitentis Sacerdos debeat, vt iudex autem, æqualitatem inter Deum, & hominem ponere, ab isto, pœnarum tantùm exigendo, quanta humana patitur ih firmitas, læsaque per eum æquitas postulat, id verò, fieri quî potest, si pœnitenti nihil præcipitur, quo peccata præterita luat, pœnamque iis commeritam soluat? ergo, &c.

Tertium, claues Sacerdotibus sunt datæ, non tantùm ad soluendum, sed etiam ad ligandum, ligat autem propriè per pœnitentiam impositã, cùm ad eam, id est, opus imperatum, pœnitentem obligat: ergo ne abutatur clauibus, aut eas inanes reddat, & inutiles, pœnitentem è sacro confessionum tribunali abire sine pœnitentia non sinet.

Dico 2. *Hanc obligationem per se loquendo esse ad mortale.* Ita Nugnus tom. 2. in 3. part. q. 13. art. 2. diffic. 1. Candid. de confess. disquisit. 24. art. 31. Ratio est, quòd impositio pœnitentiæ, res sit grauis, & in primis curanda Sacerdoti, ad cuius officium pertinet, Sacramentum perfectum reddere.

Dico 3. *posse tamen secus accidere & absolui pœnitentem posse in certis casibus, nulla ei satisfactione imposita.* Caiet. tom. 1. Opusc. quæst. 2. art. 2. Nau. cap. 26. num. 20.

Primus est, si opinione prudenti hominum, eam ex equi illi non sit facile, vt si captus lingua membrisque omnibus, affixus lecto inhæreat, vnde peccata à se admissa, nutibus, aut signis, quia lingua nequit, præsenti Presbytero exponat, nam ad impossibile nemo est adstringendus temerè, & sine sufficienti ratione.

Huic euentui addendus alius, nempe cùm argumenta Sacerdoti suppetunt, quibus in eam mentem cum prudentia veniat, vt existimet, pœnitenti peccata sic sua remissa esse, vt pars ei pœnæ ferendæ, nulla supersit amplius, nimiùm, quia diu se antea asperè, acerbéque, in victu, cubitu, omnique vitæ genere habuit, aut tanto, tamque acri commissorum dolore afficitur, quam maximo percelli quis potest, eius enim, cùm est summus, vis est tanta, vt per eum condonetur tam culpa, quàm pœna, verùm, quia id non nisi rarissimè, vlli constare potest, mea est ideo opinio, etiam tùm, pœnitentiam cuique imperandam aliquam esse, etsi modicam, vt nomina IESV & MARIA, efferenda saltem corde, si per morbum ore non li cet.

Huius enũciati quoad primam sui partem hæc est causa, quòd non sinat æquitas, puniri eum, qui quod in se puniat, non habet, quia iam planè satisfecit, & integrè, ergo si Confessario, certò constabit, à suo pœnitente Deo satisfactum plenè esse pœnitentiam ei iniungere, non erit necesse, quia satisfactio iniũcta, aut iniungenda à Confessario, ordinatur per se ad remittendam pœnam, ergo si tota est remissa, cùm sit impossibile vt remittatur per satisfactionem, Sacramentum erit perfectum, etsi nullam Confessarius præcipiat. Nugnus suprà.

Tertius casus est cùm pœnitens, morti proximus, non putatur eam posse implere propter vim morbi, quia impossibilium nulla est obligatio, de regul iur. in 6.

QVÆSTIO VI.

Quando imponenda sit pœnitentia, & an ante absolutionem necessariò.

Dico primò, *in Sacerdotis esse potestate, pœnitentiam absolutioni postponere iam datæ.*

Primò, quia de eius indicendæ tempore, nihil commemorant sacræ Litteræ, nihil Patres aut Concilia.

Secundò, cùm pœnitentia sit pars integrans Sacramenti, parum refert eam præmitti, aut postponi absolutioni, cùm quocumque modo imperetur, Sacramentum sit futurum integrum.

Dico secundò, *consultum esse tamen in hac re, vt cæteris, Ecclesia solenne sequi, quam scimus, extra inualetudinis tempora, aut magnæ necessitatis, nemini manus reconciliationis causa imponere, nisi multato prius, Sacerdotis arbitrio, aliquanta pœna, in satisfactionem admissorum*, in quo est eius prudentia laudabilis: Enimuerò absolui nec debet, nec potest,

Digitized by Google

qui obſtinata mente, pœnitentiam omnem reſpuit, vepote quem ſcelerum ſuorum dolor, nullus afficit. At priuari non poteſt hoc beneficio pœnitens, cum poſt acceptam abſolutionem patere Confeſſario pœnitens renuit, cum quæ illi ſunt collata diuina munera, virtutum & gratiæ, hæc reuocari humana vi nequeant, eſt ergo pœnitentia, communiter abſolutioni præmittenda.

Secundò, materia formam ſuam antecedit, actus pœnitentis, de quorum numero eſt ſatisfactio, ſunt quaſi materia Sacramenti pœnitentiæ, forma autem eſt abſolutio ergo hanc, præire illa debet.

Tertiò, cum tribunal pœnitentiæ, inſtar habeat iudicij, quæ in exteriori ſeruantur, à iudice, hæc quoad eius fieri poteſt, in interno non ſunt prætereunda, ſed iudex, grauatum ære alieno non liberat à vinculis, priuſquam hic illud expunxerit, aut expungendi cautionem dederit, nec in reum ſententiam dicit, antequam meritam eius ſceleribus pœnam decreuerit, ergo nec Confeſſarius de abſoluendo pœnitente cogitationem ſuſcipiet, antequam ei pœnam temporariam impoſuerit, cùm obligatione eius exequendæ in tempore, priſci æui exemplo Patrumque Africanæ Eccleſiæ, per quos nulli liber erat ad Eccleſiam reditus, antequam irato Deo per pœnitentiam feciſſet ſatis teſtis Cypriani Epiſt. 10. iuxta Pamm. editionem. *Ibi enim ait peccatores agere pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad Exomologeſin venire, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri communicationē accipere.* Quid eſt enim pœnitentiam facere ante manus impoſitionem niſi ante abſolutionem, receptam implere?

Dico tertiò. *Si cauſa nulla ſubeſt abſolutionis differendæ, ſacerdoti non eſſe integrum, pœnitentiam, in vinculis peccatorum obligare, vt pœnitentiam prius impleat, quam abſolutionem recipiat.*

Primò, quia hoc eſt contra praxim vſitatam Eccleſiæ, deinde cùm eorum quilibet, qui ad Sacramentum applicant animum, ad illud vera contritione ſemper inſtructus non veniat, ei præcipere, vt de commiſſis pœnam ante à ſe exigat, quam cùm Deo in gratiam redierit, eſt hominem in aperta pericula coniicere nihil merendi, implendo pœnitentiam in eo ſtatu, neque tamen nego ſecus interdum poſſe accidere, nam quid vetat, Presbyterum qui hic medicum agit, ferrum ante medicinã, vulneri imponere, & à pœnitente pro ſuo iure petere, vt pro peccatis, ſicut ante iuſſus fuit, ſatisfaciat, ac omiſſas pœnitentias impleat, quam de modo expoſitis, per abſolutionem liber abeat, ad cum enim pertinet, per vim coactiuam, quam habet in hoc iudicio reſpectu pœnitentis, eius bono proſpicere, ac ſi eſt opus illum, ad id vice Dei impellere.

Sanè primis Eccleſiæ temporibus non abſoluebantur ab Epiſcopis poſt lapſum, niſi qui Deo & Eccleſiæ prius ſatisfeciſſent. Cypriani verba hæc indicant epiſt. 14. lib. 3. *Cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad Exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri ius communicationis accipiant nunc eodo tempore*, &c. Ex his enim verbis apparet pœnitentiam confeſſioni præmitti ſolitam, hanc autem abſolutioni, quod eſt illud ipſum quod erat probandum.

QVÆSTIO XII.

An teneatur pœnitens ſub peccato mortali pœnitentiam iniunctam ſuſcipere, & ſuſceptam dependere.

CRedidere non vltimæ notæ Theologi, nihil eſſe neceſſe Pœnitenti conſtitutam ſibi pœnam à confeſſario admittere, admiſſamque exſoluere, ſic ſenſere Scotus in 4. diſt. 17. quæſt. vnica & diſt. 18. & 19. Gab. in 4. diſt. 16. quæſt. 1. dubio 1. Medina codice de confeſſ. quæſt. 41. Raphaël de Cæſare in conſolatione animæ dialogo 8. c. 26. Beia in reſponſ. caſu tertio part. 3. Sylueſt. verbo confeſſio 1. parag. 26. Nauar. in Enchirid. cap. 3. num. 26. Reginal. l. 7. c. 2. num. 15. Zerola in praxi cap. 25. q. 9. de la Gruz in directorio parte 2. de pœnit. q 4. dub. 3. Conc. 1. Petigianus in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art 3.

Iuere in contrariam ſententiam, viri eruditione iuxta ac virtute celebres, D. Thom. in 4. diſt. 18, quæſt. 3. art. 3. quæſtiuncula 3. & in tertia parte quæſt. 80. art. 2. vbi de hac re ſic loquitur, *requiritur ex parte pœnitentis, primò quidem voluntas compenſandi, quod ſi per contritionem, ſecundò quod ſe ſubiiciat arbitrio ſacerdotis loco Dei, quod fit per confeſſionem, tertiò quod recompenſet ſecundum arbitrium miniſtri Dei, quod fit per ſatisfactionem, & ideo contritio confeſſio, ſatisfactio ponuntur partes pœnitentiæ.* Diuum Thomam ſequuntur alij, vt Durandus in 4. diſt. 17. quæſt. 3. Dominici Soto diſt. 20. q. 2. art. 2. Henriq. l. 2. cap. 2. Sanch. to. 3. diſp. 38. ſect. 7. Coriolanus de caſibus reſeruatis part. 1. ſect. 3. concluſ. 16. hanc opinionem vt Conciliorum ſanctionibus, ac rationi conſonam, tuendam cuique cenſeo.

Primò Sacramenti finem peruertere, cum ſit Chriſti decreta oppugnare, malum eſt ac turpe, ſed pœnam pœnitenti non imponere, pœnitentiæ nomine, aut à ſacerdote, claue non errante inflictam, non ſoluere, eſt facere contra Sacramenti inſtitutionem, & finem, nam qui pœnam imperat, is Chriſto obſecundat, iubet enim Concil. Trid. ſeſſ. 19. can. 15. *à ſacris eum retici, qui dixerit claues Eccleſiæ eſſe datas, tantum ad ſoluendum, non etiam ad ligandum, & præterea ſacerdotes dum pœnam inſtigunt agere contra finem clauium, & contra inſtitutionem Chriſti.* Ergo à contrario ſenſu, Chriſto repugnat, ac Sacramenti inſtitutionem debilitat, qui ſine pœnitentia, pœnitentem à ſe in Sacramento dimittit, ergo & qui eam rencit.

Probatur vltima conſequentia, vbi non eſt parendi obligatio, ibi nulla præcipiendi vis eſſe poteſt, & contra, cum eſt authoritas in ſuperiore ad præceptum ferendum, eſt quoque in ſubdito parendi obligatio, cum hæc ab illa, vt effectus à ſua cauſa dimanet, ſed ſacerdos, laborare debet, vt pœnitens, pœnæ peccatis ſuis meritæ, partem ferat, ob eamque cauſam, ei pœnitentiam imponere, ex dictis quæſt. præcedenti, ergo & iſte, conſtitutam recipere debet, & confeſſario obedire, ſicut ſignificat Concil. Lateranenſe, in ca. *omnis vtriuſque*, de pœnitentiis & remiſſionibus Florent. in decreto Eugenij Leo Papa Epiſtola 91. ad Theodorum relatus in canone multiplex de pœnit. diſt. 1.

Confirmatur habet in hoc Sacramento ſacerdos, ius vt ſoluendi, ita & ligandi, at ſi eſt ſatisfa-

ctiò, sic relicta in pœnitentis arbitrio, vt eam respuere sine culpa possit, sacerdoti non erit integrum ligare, id est obligare ad opus pœnitentiæ implendum, cum ei pœnitens parere, in eo non teneatur, vt supponunt aduersarij, quod Cyprianus ep. 40. secundùm correctionem Pammelij, schisma redolere Fœlicissimi asserit, qui lapsis author erat, *vt non rogetur Deus, nec qui Christum negauerat eundem quem negauerat deprecetur, & post culpam criminis, tollatur pœnitentia, nec per Episcopos & sacerdotes satisfiat, sed relictis Domini sacerdotibus, contra Euangelicam disciplinã, nona sacrilegæ institutionis traditio exurgat.*

Tertiò, sacerdos in hoc Sacramento fungitur officio iudicis, cum quæ ab eo datur absolutio, iuridicialis sit actio, ex can. 9. sess. 14. Conc. Trid. sed iudex, coercendi rei potestatem habet, & hic, isti iusta imperanti, obligationem obtequendi, ergo vt isto, pœnitentiam potest sub peccato faciendam præcipere, sic eam reo suscipere est necesse.

Contraria tamen sententia ob doctorum authoritatem est probabilis, quamuis mihi non probetur, nam posita institutione Sacramenti pœnitentiæ, ad eius integritatem pertinet, Deo pro peccatis admissis, imperio sacerdotis satisfacere.

Ad id autem, quod aduersarij opponunt, liberum esse singulis, expectare, dum eos vita defecerit. Respondeti debet, id falsum esse; nam posito, quod se quis sacerdoti iudicandum, in conscientiæ tribunali, sponte submittat, ac vltro, eius imperia, plena rationis, & prudentiæ, detrectare nequit, ac proinde ne peccato se graui inficiat, eius sunt partes, collum Ecclesiæ iugo supponere, sancteque, ac piè exequi, quæ ei imponuntur loco pœnitentiæ.

Secundò, dicendum est pœnitentiam non imponi tantum vt per eam, pœna deleatur, peccatis debita, sed in infirmitatis humanæ remedium, culparumque, in quas cuique pronum est labi, efficax antidotum, quo carere velle pœnitens non potest, multoque minùs illud odisse, ac oblatum respuere, sine Principis Dei offensa, in cuius iniuriam redundat, quod quæ ad curationem animi, vulnerumque eius, Pharmaca, parata habet, in Ecclesia, vilis homuncio negligat: Enimuero instar medicinæ est pœnitentiæ Sacramentum, idque à Christo Domino institutum, vt ad manum Christiani haberent, vnde morbis suis, salutaria remedia promerent, vulnera curarent, vt enim contraria, contrariis oppugnari, ars medica præcipit, necesse est, si salui esse volumus, vt quantum naturæ dedimus, quantum eius corruptis moribus, quantum amori nostri, contra Dei voluntatem indulsimus, tantum ei de charitate solita detrahamus, tantum ob Dei amorem eius repugnemus affectionibus, fit id verò per opera satisfactoria, ad animæ bonum fructuosè, & vtiliter, cum enim languidis, parumque ad Dei cultum propensis, difficile sit & arduum in genua procumbere, precibus vacare, Auaro de suo Eleemosynam inopi largiri, delicato ac voluptatum amanti, parce viuere, odisse epulas, appetitum frangere, domare membra, quas eis plagas, nimius sui amor imposuit, has pœnarum acerbitas, ac exequendæ pœnitentiæ, quæ iniuncta fuit, difficultas, atque molestia, redintegrat, curatque.

QVÆSTIO VIII.

An teneatur pœnitens sub mortali implere pœnitentiam, sibi pro venialibus impositam.

TEneri aiunt Sancius in selectis disput. 15. nu. 14. Fagund. præcepto 2. l. 9. c. 3. nu. 13. Henriquez l. 5. cap. 20. Nugnus to. 2. q. 13. art. 2. concl. 4. Alij cùm distinctione respondent aiuntque imperatam pro mortali, cum est grauis, præstandam esse sub mortali, sub veniali autem cum est leuis, & data pro venialibus.

Dico primò. *Debere, pœnitentem implere quod est in satisfactionem peccatorum iussus à sacerdote facere.*

Quia non modò impudentiam redolet, sed etiam peruersitatem in homine parum dignam, iusta sui iudicis imperia defugere, eis sine causa parere nolle, *cum quæ sunt à Deo, sint ordinata, quique ordinationi resistit, Dei ordinationi resistat*, ergo si de pœna, quam in hoc Sacramento, Presbyter de Pœnitente Dei loco, ac imperio, iuste repetit, reus ipse aliquid detrahat, aut claue non errante, recuset, peccat, & quidem lethaliter, inquit Ludou. de Beia respons. parte 3. casu 3. quando per contemptum, aut negligentiam notabilem eam non implet, eo enim pertinere hæc verba septum. Deuter. *Homo quicunque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morte morietur*, scribit Cypr. epist. 40. secundùm Pammel.

Quare eum quoque à sacris remouendum altaribus, Ecclesiaque, ac fidelium cœtu ait, quo supplicio digni non videntur alij, qui culpæ sunt grauis, lethiferæque rei. *Si quis pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectans, ad Fœlicissimi & satellitum eius partes concesserit, & se hæretica factioni coniunxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire, & cùm Episcopis, & Christi plebe, communicare non posse*, quæ in materia præsenti, vera sunt maximè, cum pœnitens, imperatam sibi à Confessario pœnitentiam acceptare renuit, aut acceptatam non facit, quia tùm ad eam est obligatus, tanquam à vero iudice

Confirmatur immutare Sacramenta, aut de eorum substantia quidquam subducere, scelus est, opinione Magistrorum in Theologia, non commune, at est satisfactio, Dei voluntate pars pœnitentiæ, ad plenam, perfectamque destructionem peccatorum requisita, vt dicitur in Trident. sess. 14. cap. 8. idque ideo, quod diuina institutione, eius sit quasi materia; quare cùm eius omissio, sit aperta Sacramenti violatio, illiusque, quod à Christo est conditum, in aliud immutatio, esse nequit pœnitentis hæc actio, destituta peccato, & ita docet. Fagundez de præcept. Eccles. l. 2. cap. 3 num. 18. Bellarm. de pœnitentia l. 4. c. 13. Filliucius to. 1. tract. 8. c. 2. q. 8. num. 53.

Sanè sacerdos tenetur obligatione sacra, & religiosa satisfactionem imponere cur non & pœnitens implere? & sic, ad Sacramenti integritatem concurrere?

Obiicies. Quod peccati sit pœna aliqua hic ferenda, & à sacerdote pœnitenti infligenda, fit id totum in dicti pœnitentis commodum, at commodis quisque suis potest cedere, cum sit in libertate cuiusque, hæc aut illa amplecti, quæ rem suam promouent,

Digitized by Google

promouent, ergo ad ſatisfaciendum, ſubſequentis vitæ tempora, expectare poterit pœnitens, etſi cruciatu minori, fructu autem, ac vtilitate maiori, id hiſ obire poſſit. Minori reſpondendum eſt, non ſemper eſſe, in poteſtate eius cui aliquid eſt vtile, eius poſſeſſione, & vſu, ſponte decedere, ſed tantum, cum eius vſurpatio non eſt in præcepto, patet in confeſſione, baptiſmo, & Euchariſtia, quibus abſtinere nemo in perpetuum poteſt, ſine peccato, quia de iis recipiendis, eſt præceptum diuinum, ad mortale obligans.

Obiicies 2. Si eſt ſatisfactio neceſſaria, nunquã erit, nequidem in mortis articulo omittenda ſacerdoti, quod tamen viri graues improbant. Neganda eſt Maior, nam præceptum non obligat, niſi cùm commode impleri poteſt, at homini redacto in eas anguſtias, vt abire breui vita debeat, non eſt facile pœnam vllam à ſe, de admiſſis repoſcere, cum mens oppreſſa morbo, erigere ſeſe ad Deum, cœleſtiaque cogitando nequeat; ergo nec ſacerdoti videtur eo tempore neceſſe eſſe, exhalanti animam, pœnæ loco aliquid in Sacramẽto præcipere. Quamquam ſi pœnitens loqui poteſt, aut audire, omnino id ei mandandum eſſe à Præſbytero, mea eſt, ac Magiſtrorum opinio, cuius rei duplex eſt à nobis quæſtione præcedenti reddita ratio.

Obiicies 3. Ezechielis 18. Deus pœnitenti ſpondet æterna ſe obliuione, eius peccata omnia tecturum, ſi illorum pœnitentiam egerit, at ſi addolorem, qui ſit vere contritio, addi pœna debet, Deum eorum adhuc recordari eſt neceſſe.

Reſpondendum eſt ad maiorem, Deum peccati obliuiſci, poſt conceptum de eo dolorem ab homine, hoc ſenſu, quod eum non oderit, vt ante, quod ei gratiæ ſuæ ornamenta non deneget, quod inferorum cruciatibus non addicat, id tamen non obſtare, quominus pro eodem, pœnas adhuc aliquas ab eius authore repetat, finiendas cum tempore, vt ſic ſapere diſcat, ſic amentiæ ſuæ modum ponat, ſic diuinæ aduerſum ſe Clementiæ, documenta præbeat.

Obiicies 4. Sublata cauſa, effectus perit, at cauſa infligendæ pœnæ, eſt macula, cuius tamen, ne vmbra quidem vlla, poſt ſuſceptum Sacramentum in anima reſidet.

Reſpondendum eſt Maiorem abſolutè falſam eſſe, etenim Architecto demortuo, domus, cuius author fuit, non neceſſario corruit, nec cùm parente ſuo, liberi extinguntur, nec cùm teſtatore teſtamentum emoritur, ſed viget tum maximè, ac quæ illo ſuperſtite latuerant, decreta eius vltima valere incipiunt, ergo de effectu producendo, quique (vt aiunt) eſt adhuc in fieri, eſt hoc Theologorum effatum capiendum, & non de effectu producto, ſeu in facto eſſe, hunc enim cum eſt, lucemque iam vidit, quid impedit remanere ſublata cauſa?

Dico 2. *Videri mihi tamen probabile, peccatum non eſſe pluſquam veniale, pro venialibus impoſitam pœnitentiam, etſi ſit grauis non implere.* Ita Suar. diſp. 38. ſect. 7. nu. 4. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 15. nu. 7. Nau. Ench. cap. 21. nu. 43. Regin. lib. 7. cap. 7. num. 77.

Cauſa eſt, quod à ratione abhorreat, per ſe teneri poſſe quemquam, ſub mortali, pro ea culpa ſatisfacere, quam ei erat liberum in confeſſione non dicere, per ſe dixi, nam ex accidenti, naturæ lege ad id videretur adigi poſſe, nempe ſi ad Dæmonis victoriam, aut appetitionum quæ animum impetũt, & de ſua ſede deturbare ſatagũt, pœnitẽtiæ præſtatio vtilis eſſet, ac neceſſaria, nam tunc omitti ſine culpa, eaq; graui non poteſt, eam ob rem maximè, quod qua lege ſtudere virtuti, bonas artes amplecti vitiaque odiſſe, homini eſt neceſſe, ne cœlites infeſtos habeat, eadem teneatur inſequi, ac fugere pro virili ſua omnia, quæ æquiſſimis ſuis in cœlum, ac virtutem conatibus ſunt aduerſa.

2. Pro peccatis, leuibus, leuis tantum pœnitentia imponi debet at à leuitate materiæ, habet eius omiſſio, vt leuis tantùm ſit culpa, ergo & omiſſio pœnitentiæ datæ pro venialibus.

Sepæ tamen excuſat à culpa mortali, omiſſionem pœnitentiæ etiam pro mortali impoſitæ, ignoratio obligationis grauis, ſub qua eſt imperata à Confeſſario, cauſa eſt quod omiſſio, & actio, vitium non habent niſi cum ſunt plenè liberæ, at tam obliuio quam ignorantia, libertatem tollunt, vna cùm notitia, tam malitiæ quam bonitatis, quæ tam actui, quam eius omiſſioni ineſt, ſine qua tamen notitia, quid liberum eſſe poteſt? quid voluntarium?

Excuſat 2. Leuis hanc pœnitentiæ omiſſionem à mortali, leuis in ea facienda negligentia, ratio, eſt, quod pœnitentia quæ omittitur ex negligentia, non eſt volita niſi implicite in ea, tanquam in cauſa eam non faciendi, ergo eius omiſſio non erit vitioſior quam ſit eius cauſa hoc eſt negligentia, at hæc cùm eſt leuis, venialis eſt, non mortalis, ergo nec omiſſio pœnitentiæ.

Excuſat 3. A mortali omiſſio pœnitentiæ licet ſit grauis, intentio Confeſſarij ad illam obligare nolentis ſub mortali, quia legis vis ac anima, eſt Legiſlatoris voluntas, nec enim agentium moralium actus, & opera ſe efferunt extra id quod iis eſt placitum, ergo ſi per Confeſſarium, pœnitenti non eſt iniuncta pœnitentia, niſi ſub veniali, eius omiſſio labem non eſt habitura veniali maiorem.

Excuſat 4. Leuitas materiæ imperatæ in pœnitentiam, ratio eſt, quod cùm de obligatione ad mortale agitur, negant Summarum Principes, eam cadere in aliam materiã, quam quæ par ſit & æqualis huic nexui. At quinquies Pater & Aue, verbi cauſa, materia non ſunt ad obligationem mortalis culpæ ſufficiens, ergo etſi cauſa illa indicendi ſit grauis, puta mortalia plurima, non eſt tamen eorum omiſſio lethifera.

Dico tertiò. *Speculatiuè mihi videri probabile, teneri pœnitentem ſub mortali, pœnam perſoluere, quæ ſibi à ſacerdote clauo non errante eſt inflicta pro veniali culpa.*

Hanc ſententiam eſt amplexus D. Tho. in tract. de poteſt ligandi & ſoluendi cap. 8. his verbis. *Pœnitentem à debito damnationis Deus abſoluit ſub tali conditione, vt cum oporteat, prout poteſt, ſacerdotis abſolutionem quærere, & ad eius arbitrium debito modo ſatisfacere, nam ſi facere neglexerit, periculum æternum non euadit.* Probatur

1. Quia culpa ſua reddere Sacramentum vna ſui parte mancum, res eſt grauis, quia finis clauium, & Chriſti inſtitutio exigit, vt pœnitenti imponatur pœnitentia, quam & ipſe exequatur, Confeſſarij imperio, hanc ergo Chriſti inſtitutionem peruertere, pœnitenti non licet.

2. Quia etſi ſalutatio angelica, ſecundum ſe, res ſit leuis, tamen vt eſt pars pœnitentiæ, cenſenda eſt grauis, ſicut deglutire aquam, eſt quidpiam leue in ſe, tamen poſt eius ſorbitionem Euchariſtiam ſumere, graue eſt cùm per eam violetur præceptum graue, & in re graui, de non profanando Sacramento, ita Sancius in ſelectis: ſententia tamen prior, vt dixi, eſt probabilis, & in praxi tuta.

QVÆSTIO IX.

An ſatisfactio eſſe poſsit de opere præcepto.

DIco 1. *Opera pœnalia omnia, quæ ſolent ieiunij, eleemſynæ, & orationis nomine intelligi, pœnitentiæ poſſe præcipi, inſuper & qualibet alia, modò ſint ex obiecto bona.* Primò enim obedientiæ & manſuetudinis meminit Cyprian. ep. 18. lib. 3. *Pœnitentiam ille agit qui diuinis præceptis mitis & patiens, & Sacerdotibus Dei obtemperans, obſequiis ſuis, & operibus iuſtis Dominum promeretur.* In patientia autē humilitate, & modeſtia, vim ad ſatisfaciendum præcipuam ineſſe dicit, epiſt. 12. lib. 5. *Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere conſueuit, ſed pudor, ſed modeſtia, ſed patientia, ſed diſciplina, ſed humilitas atque ſubiectio, ſed alienam de ſuo ſuſtinuiſſe ſententiam, hoc eſt, quod pœnitentiam probat, hoc eſt quòd vulneri impreſſo inducit cicatricem, hoc eſt quod ardentem delictorum æſtuantium vaporem, reſtringit & ſiſtit.* Ante alia autem omnia valent ad ſatisfaciendum opera pœnalia, cuiuſmodi ſunt ieiunia, preces, & eleemoſynæ, his enim tribus operum generibus, priuamus nos vſu totidem bonorum, ad quæ alia omnia referūtur. Eò etiā ſpectant pœnæ omnes, diuinitùs immiſſæ mortalibus, quæ tùm ſunt ſatisfactoriæ, cùm acceptantur à iuſtis, & ſunt beatæ vitæ meritoriæ: nam quid vetat neceſſitatem in rationem vertere? ac quæ verbera euitari nequeunt, cùm ſupernè in humeros, tantum non reluctātes depluunt, acceptare grata mente? quare cùm ſit hæc acceptatio, patientis actio, & à charitate profluens, non poteſt Deo non eſſe chara, & abolendæ pœnæ peccatis debitæ opportuna.

Dico 2. *virtutum opera, quamuis aliunde iam debita, in ſatisfactionem ſacramentalem imponi poſſe.*

Habeo ita ſentiendi duces, D. Thomam, in 4. diſt. 19. q. 2. art. 1. Henriq. in ſumma lib. 5. c. 19. §. 5. litt. O. Viuald. in Candelab. aureo, cap. de ſatisfactione, num. 10. Nau. Enchir. 16. num. 24. quorum argumentis, placet hæc addere, ad maiorem fidem.

Primum, opera quæ ex obiecti ſui dignitate, vitæ beatæ ſunt meritoria, ſunt quoque tam in Sacramento, quàm extra, ſatisfactoria, pro pœna peccatis debita, cùm maius ſit, mereri ſempiterna præmia, quàm actione aliqua ſua redimere ſupplicia, hic aut in purgantibus ignibus luenda: At ex eo præcisè quòd aliqua actio ſit præcepta, non deſinit eſſe meritoria: nam quis credat, ieiunium inane eſſe? ac coram Deo, nullarum virium, ad ſubſequentis vitæ perenne gaudium? quis in amore, quis in cultu Dei principis, meriti vim, & momentum nullum eſſe, ad optata cœlorum præmia? & tamen ſunt de his rebus præcepta, tam diuini, quàm humani iuris, quæ omitti nequeunt, niſi vnà quoque intereant viri boni officia, nihil ergo habent à præcepti ratione bona opera, quod ea impediat eſſe ſatisfactoria.

Secundum, vt operi ſatisfaciendi vis inſit, duo ſunt tantùm neceſſaria, nihil amplius. Primum, vt cedat in honorem Dei: Enimuerò per ſatisfactionem ei honor redditur, ſi non illatæ par iniuriæ, at certè cuiuſmodi humanæ vires, id eſt, fractæ, imminutæque ferunt: Alterum, vt ſit pœnale, hoc eſt, ſenſibus moleſtiam inferens, quæ ſit loco voluptatis, quam peccando, quæſiſſe ſe, pœnitens meminit, quia pœna Purgatorij compenſatur ſatisfactione præſentis vitæ, ſed recta ratio exigit, vt pœna vna, compenſetur alia, ergo vt opus aliquod ſit ſatisfactorium, pœnale eſſe debet.

Secundò, qui Deo ſatisfacit, bono ſe aliquo, vtili, ac iucundo, eius causâ priuat: at id pœnam habet, eſt ergo ſatisfactio omnis, pœnalis.

Sanè, vt plus æquo, ſibi, ac naturæ annuit, qui libidini caſtimoniam, virtuti ſcelus, temperantiam, oris, ac gulæ petulantiæ, poſtponit, ita corrigi hæc vitia, ac reprimi, acerbitate mordicantis alicuius ſupplicij, iuſti tamen, eſt neceſſe, vt quantum delictum fuit, tanta quoque ſit pœna, non quidem perfectè, & ad æqualitatem iuſtitiæ, cum Deo planè & ad rigorem ſatisfieri à nobis nequeat, ſed ad aliqualem, & imperfectam, quæ magis amicitiæ, ac miſericordiæ, rationem habeat, quàm iuſtitiæ: At ſunt in quolibet opere bono, & laudabili, rationes hæ duæ, in primis facit ad Dei gloriam, cùm ei non poſſit non honori eſſe, quòd addictos ſibi homines habeat, ac cultus ſui peramantes, deinde moleſtia non vacat, bellum ſibi mouere, ſenſibus, ac naturæ, vim facere, ſit hoc vero, quolibet virtutis opere, cùm in corruptela naturæ, ac animi tanta, quantam ſentimus omnes, non ſit facile, ſine labore, ac reclamantis naturæ motu, virtuti operam dare, quæ mala, etſi longa vincendi ſui, ac benè operandi aſſuetudine, in multis ſint nulla, aut ſi aliqua non niſi leuia: tamen quia ex natura rei, & obiecto ſunt talia, vt difficultatem habeant, vtpote quæ cum mortificatione ſenſuum, verſentur circa arduum, & ſenſualitati repugnent, vt communiter loquuntur, ad ſatisfactionem, non parum in oculis Dei, momentum habent ac pondus.

Obiicies. Eadem ſummâ non ſatisfacit pluribus debitis, quorum ſingula eam exæquent, ergo nec pro pœna ſatisfiet, per illud opus, quod eſt alio nomine debitum. Neganda eſt Conſequentia: diſparitatis eſt hæc cauſa, quod vt vtrique debito, ſumma pecuniæ, par eſſet, deberet, debitis non tantùm ſingulis, diuisè, ſed omnib. etiā collectiuè ſumptis, quibus ſatisfieri ex æquitate oportet æqualis eſſe, quod tamen non habet. Ex oppoſito cuilibet operi bono & laudabili ineſt, vnde debita plura ſoluantur. Sit pro exemplo ieiunium, quo prout eſt ciborum abſtinentia, præcepta ab Eccleſia, implemus eius mandatum de ieiunando ſtato tempore, eodem etiam ieiunio, vt eſt actio, aut quaſi actio, digna laude, plenaque meriti, quia ab homine grato ſuſcipitur, æterna conſequimur præmia, & vt eadem actio ieiunandi eſt laborioſa, ardua, moleſta, commerita culpis noſtris ſupplicia expungimus, Deo debitam pœnam dependimus: hoc ergo differt actio bona, & prædicabilis, à pecunia æquali æri contracto, multo, & vario, diuiſim, non collectim ſumpto, quòd iſta, tota quanta eſt, ſic æquetur cuilibet debito, vt ab eo exhauriatur vniuerſa, ac integra, non autem bona actio, quæ etſi in ſe, ſit vna, virtute tamen, ob formalitates ſuas multiplices, multiplex eſt, ac varia, vt exemplum de ieiunio allato indicat.

Obiicies 2. Eſt ſatisfactio poſita in adæquatione rei, per quam ſatisfit læſo, cùm iniuria ei illata, quod ſit reſpectu Dei, non modò, cùm honoris ei tantùm peccator exhibet, quantum eidem peccando abſtulit, ſed inſuper, cùm tantum ſibi, tantum ſenſibus ſuis, ac naturæ tormentum infert, ac dolorem, quantum hæc ſenſerunt iucunditatis, ac voluptatis, malè agendo, quod fiet, ſi læta triſti-

bus, amaris dulcia commutet, ſi ſenſus illos, quos cœpit amor, ac impura rerum delectatio, caſtiget pœna pari delictis, quantũ fieri humanitus poteſt. Quare iuſta ſatisfactio, res amplecti duas debet, reparationem honoris læſi, hoc primum, exinde punitionem, ſeu coërcitionem hominis, priuatione rei, ſibi commodæ, ac vtilis, vt qui contra prudentiam in res, *creatas ſe effudit, ab earum ſe amore parcendo retrahat, mentem enim & corpus, quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio, debet reducere ad veniam.* Concil. Cabill. habitum ſub Carolo Magno anno 813. can. 36. ſed hæc, operi cuilibet bono, ac commendabili non competunt, nam quodlibet, non afficit moleſtia hominem, cum eum non priuet re ſibi grata, & vtili, quia id ſit tolerantia pœnæ, quæ ipſa de ſe, ac natura ſua, tantum eſt boni vtilis, aut iucundi carentia, ergo adhiberi cum fructu non poteſt opus quodlibet ab homine, in ſatisfactionem vitæ ante actæ, in culpis, ac ſcelere.

Reſpondend. 1. Maiorem tantum veram eſſe, de perfecta ſatisfactione, qualis hominem inter, & Deum nulla intercedit, cum enim dignitate, & merito, opera noſtra, futura nunquam ſint paria fœditati culpæ, per nos admiſſæ, nec tantùm honoris, per ea, vnquam Deo exhibebimus, quantum ei dedecoris, peccando intulimus, quare ad amicitiam magis, quam ad iuſtitiam pertinet omnis noſtra ſatisfactio, cum quæ perfectam habet æqualitatem iuſtitiæ, in eo ſit, vt ſatisfaciens, non modo nihil de alio amplius habeat, quam eum poſſidere ſinit æquitas, ſed inſuper requiritur, vt de ſuis bonis, non alterius, nomina ſua diſſoluat, alterique ſatisfaciat, tantum reddendo, quantum abſtulit, quod de ſe, in hoc negotio, nullus polliceri poteſt, ob infinitam noſtri, à Deo diſtantiam, cui ſanè, minus accidit honoris & gloriæ, quantulacumque noſtra virtute, quam fuit ei probri, contemni ab homine, ex natura ſua ſummè vili.

De meritis autem nihil attinet dicere, *quia ſi quid eſt boni, parui, vel magni, Domini Dei eſt, & noſtrum, non niſi malum.* Auguſtinus Soliloq. cap. 13. *nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum, ſi quid autem homo habet veritatis, ab illo fonte eſt, quem nos debemus ſitire.*

Dicendum 2. Id nos hic non agere, vt ſibi cuncti perſuadeant, in ea nos mente eſſe, vt credamus, religioſo quolibet noſtro opere, ſic obliterari pœnam, culpæ debitam, vt eius veſtigia nulla ſint reliqua, nec enim ignoramus, hoc facere hominem efficacius, quo eſt opus ei à ſacerdote iniunctum acerbius. Quorſum ergo ſpectat omnis hæc noſtra diſputatio de bono opere, ad ſatisfaciendum idoneo & vtili? nempè vt omnes intelligant, eo, partem tantum pœnæ deleri, cum eius, vt ſic loquar, pœnalitas, integro debito non eſt æqualis, quare, quo erit minus moleſtiæ in opere, minus quoque pœnæ debitæ, operanti remittetur, quo hæc maior erit, plus quoque & amplius condonabitur.

Dicendum 3. Supponere in argumento aduerſarios, quod nunquam euincent, per ea duntaxat opera ſatisfieri Deo quæ ſunt difficilia, quæ dura, quæ pœnalia, nam quis neſcit religioſis hominibus, plus ſapere ieiunia quàm epulas? (vſq; adeo aſſueta longo virtutis vſu natura miteſcit) quos tamen eiuſmodi rerum vſu, quas ſenſus oderunt, non ſatisfacere Deo, quis aſſerat? non eſt ergo vis operum ad ſatisfaciendum, petenda neceſſario ab eorum moleſtia, ſed illius ſibi partem vindicat, eorumdem dignitas, meritum, honeſtas, quæ tam à virtute, à qua manant, quam ab obiecto eorum materiali, & formali, hoc eſt motiuo ſunt petenda, quod indicat hæc ratio.

Opere bono, ac gloriabili, cœlum poſſumus mereri, eiuſque gloriam, ergo & remiſſionem pœnæ, cuius ſubeundæ obligatio, quamdiu durat, ad vtrumque aditus non patet, antecedens eſt de fide.

Conſequentia probatur 1. quia minus eſt, aliquid tenuis, exiguæque pœnæ expungere, quam immortalia beatæ vitæ præmia ſibi emere.

2. Quia in cuius poteſtate eſt finem obtinere, & hic quoque media ad illum finem conducentia poteſt accipere, ſed remiſſio pœnæ, peccato debitæ, via eſt ad Diuorum ſanctimoniam, quam tamen mereri poſſumus, ergo & relaxationem ſupplicium omnium, etſi quòd raro accidit operi illi noſtro, quo id à Deo beneficium conſequimur, pœnalitas nulla annexa foret.

QVÆSTIO X.

Quantæ pœnitentiæ imponi peccatori debeant.

INuoluta hæc quæſtio, & à multis, impedita haberi ſolet, in qua de quantitate pœnæ peccatori infligendæ agitur, itaque eam difficillimam, & inter doctores vix enodatam quæſtionem nonnulli appellant, ego quid de ea iudicij habeam, paucis exponam.

Dico ergo primò. *Etſi iure definita non ſit pœnitentiæ quantitas, ſed Confeſſarij arbitrio relicta, eam tamen prudentiæ æquitatiſque lege moderandam eſſe.*

Eſt pars prima eiuſmodi, quæ probatione non indiget, cui enim vnquam, dum eſt confeſſionibus dictus arbiter ab Epiſcopo, deſignata ſunt pœnarum genera, quibus oporteret peccata, ab eo amodo cohiberi in Sacramento? nec qui olim antiquis, modo quoque nobis ſunt in vſu, libri pœnitentiales, ſic dicti, quod pœnam culpis ſingulis, à Confeſſario, pœnitenti imperandam indicerent, (quamquam eos in Gallia, Gallis, nunquam fuiſſe probatos, indicant Gallorum Antiſtitum edicta, contra eos frequentia, vt in Concil. Cabillon. ſub Carolo Magno anno 813. can. 38. Pariſienſi ſub Ludouico; & Lothario eius filio, can. 32.) non ſunt hi inquam libri, ſacerdotibus ad reorum pœnam modo cogniti, nec quæ maximis ſceleribus ſupplicia, tum inferebantur lege Eccleſiæ, modo ſunt in vſu mortalibus, quare quidquid pœnitens, vi Sacramenti, pati pro admiſſis debet, id totum ſacerdotis eſt arbitrio prudentiæque commiſſum. Mea hæc non eſt, ſed Epiſcoporum opinio in Conc. Aurel. 4. can 16. vbi his verbis mentem ſuam exprimunt. *Quiſquis homicidium voluntariè commiſerit, ita vt occidere audeat Innocentem, ſi à principibus, aut à parentibus quacumque re ſe reddiderit abſolutum, modus pœnitentiæ diſtringendæ in ſacerdotis poteſtate conſiſtat.* Similia habet Vormacienſe ſic enim can. 25. *Pœnitentibus ſecundum differentias peccatorum ſacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernantur.* Et in Toletano 4. can. 11. habetur quòd tempore expleto ſatisfactionis impoſitæ, *Pœnitens communioni reſtitui poterit ſicuti ſacerdotalis contemplatio probauerit.* In Carthag. 4. can. 74. *præcipitur ſacerdoti, vt pœnitentiam imploranti pœnitentiæ leges iniungat.* Eſt hæc tamen, in imponendis pœnitentiis, abhibenda cautio, Confeſſario, quæ eſt pars Aſſertionis altera.

Digitized by Google

Ne grandia ſcelera, pœnis breuibus puniat, parua magnis, communia inſolitis, iudicem enim Sacerdos hic agit, iuxta Trid. ſeſſ. 14. cap. de Abſolut. at hunc quis non arguat, iniquè punientes? quis non à iuſtitiæ præſcripto diſcedentem? facit id Sacerdos, qui longè minora meritis ſupplicia, de pœnitente repetit. Equidem (quod eſt Sacerdoti valdè gloriabile) *eſt hic Chriſti in Sacramento Miniſter, ſic nos exiſtimet homo vt Miniſtros Chriſti*, ad Corinth. ergo aliter quàm ad eius nutum, motumque agi non debet: at quis exiſtimet, à Chriſto ius reis dici aliud, quàm quod eſt prudens, quod honeſtum, ac temperans? De pœnitentis ergo pœna arbitrari Sacerdoti non licet, niſi quod ſuadet æquitas. Itaque canones, ſic benignitatem erga pœnitentes Presbytero commendant, vt laxam, vt fluentem, vt mollem, non ſeueritate conditam improbent: *His enim Medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter perſonæ acceptionem, his quos ſanare cupiunt, cauterio aut ferro parcunt, multo magis idem ſeruandum eſt eis, qui non modò corporum, ſed animarum medici exiſtunt.* Cabill. Conc. ſub Caroio Magno, can. 34. Quare Presbyteri imperiti (fas mihi ſit verbis vti Pariſ. Concil. ſub Ludouico & Lothario habiti) *Solerti ſtudio ab Epiſcopis ſuis ſunt inſtruendi, qualiter & confitentium peccata diſcretè inquirere, eiſque congruum modum, ſecundùm canonicam authoritatem, pœnitentiæ nouerint imponere, quoniam baſilenus eorum incuria, ex ignorantia, multorum flagitia remanſerunt impunita, & hoc ad animorum ruinam pertinere non eſt dubium.*

Dico 2. *Solius Dei eſſe determinare qua pœna exaquet grauitatem peccati.*

Quia ſciri id nequit, niſi certò conſtet Confeſſario. Primò qualis ſit & quanta pœnitentis contritio. Secundò, quanta Chriſti meritorum portio conficienti applicetur in hoc Sacramento. Tertiò, quanta cuiuſque peccati ſit fœditas, quanta turpitudo, & enormitas. Poſtremò, quid poſſit erga Deum vnaquæque pœnitentis actio, quanta pro ſingulis culpis ſatisfactio eſſe debeat: at hæc noſſe ſolius eſt Dei, cui peſpectæ ſunt animi humani latebræ, non alteri, non noſtrum eſt ergo, ſed ſolius Dei, æquare plenè pœnas culpis.

Dico 3. *Fieri tamen id à Sacerdote, quantum fas eſt in hac mortalitate hominis facere, cùm pro grauitate criminis, pœnam quoque grauem pœnitenti ſubeundam præſcribit:* Quia ſic vt poteſt, ſeruatur æqualitas inter iniuriam pœnamque Purgatorij, quæ per impetratam in Sacramento tollitur.

Confirmatur, Cùm gradus pœnæ, pro vnoquoque peccato luendæ, in Purgatorio, nobis ſit incognitus, quemadmodum quantitas pœnæ tolerandæ in hac vita, quę ſic ei ſit commenſurata, vt ad ipſam totam redimendam ſufficiat, ratio commodior æquandæ pœnæ culpis, eſſe nequit, quam ſi dicamus, vt grauiora ſunt ſcelera, ita pœnas quoque maiores pœnitētis eſſe pro illis oportere. Equidem, quod Concilia arguunt, Mogunt. ſub Rabano, can. vltimo, Pariſien. ſub Ludouico & Lothar. can. 32. & can. 38. *Qui pro peccatis grauibus leues quaſdam, & inuſitatas, imponunt pœnitentiæ modos conſuūt puluinos ſecundùm prophetici ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas.* Cabillon. 2. can. citato ſupra. Itaque pœnitenti de Confeſſarij ſeueritate conquerenti, proponenda eſt. Auguſtin. orat. in ſerm. 12. lib. 50. homiliar. *Quando Sacerdos arguit, quando clamat, quando auſteriùs ſanat, miſeretur, & totum illud de miſericordia, patientia eſt, non de ſanitate inimici, non vult te teneri ſub peccato, magis amat, quia ſecat, ferrum profert, ſed nolis timere, nolis paueſcere, medicum, eſt ferrum, non contra te, fertur ferrum, ſed contra vulnus tuum.*

Dico 4. *Neceſſe non eſſe pro peccatis ſingulis, pœnitentiam ſeptennio continuandam imponere, aut minorem, quæ quotannis, menſibus, aut diebus recurrat.*

Primò, quia de ea re nihil præcipit Eccleſia. Secundò, quia qui canones olim exigebant vt ſeptennio toto pœnitens, pro peccato admiſſo, de ſe Sacerdotis imperio, ſupplicia merita repoſceret, hi obſoleuere vſu contrario, nec obligauerunt vnquam, ſi fides eſt Hieronymo & Leoni, epiſt. 77. de qua re extat canon 86. d iſt. 1. de pœnitentia præſcriptus, his verbis. *Menſuram autem temporis in agenda pœnitētia, ideirco non ſatis apertè præfigunt canones, pro vnoquoque crimine, vt de ſingulis dicatur, qualiter vnumquodque emendandum ſit, ſed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis, relinquendum ſtatuunt, quia apud Dominum, non tam valet menſura temporis, quàm doloris, nec abſtinentia tantùm ciborum, quàm mortificatio vitiorum, propter quod ipſa tempora pœnitentiæ, pro fide, & conuerſatione pœnitenti abbreuianda præcipiunt: & pro negligentia protelanda.*

Deinde eſt Sacerdos in hoc Sacramento, pœnitentis ſui curator, ac medicus, vt indicant crebræ eius ſollicitudines, curæ, ſtudia, prouidentiæ, cæteraque quæ tam linguâ, ac voce, quàm ſalutari dexterâ, illi ad ſuarum cicatricum remedium, animique curationem admouet, quo de genere medicinæ, Concilium loquitur, cùm ſeſſ. 14. cap. 8. *eum meminiſſe iubet, ſatisfactionem quam impoſuit, non eſſe tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam.*

At Medici cùm ægrisomnib. non eandem perſonā induunt, vt affecta ſunt corpora, vt animi, ſic iis medicamenta attemperant, & quanquam, cùm lenta ſunt, ſciant, reſtituendæ valetudini diuturniora exigi tempora, tamen ſi pharmaca acria, ſi aſpera, & mordicantia ab ægris timeri vident, hæc commutant leuibus, ac paratu, hauſtuque facilibus, ita & cum pœnitente ſuo, Sacerdotem facere eſt neceſſe, nam ſi erit ad amorem ſui pronus, ſi rerum, quæ ſenſus titillant auidus, ſi pœnarum metuens, aut *præſumitur* (verba ſunt Regnal. lib. 7. cap. 4. num. 37.) *propter debilitatem corporis, aut animi, ſpiritusque langorem, & teporem, non impleturus pœnitentiam condignam, iniungenda eſt ei, quam libenter admittet, etiamſi eſſet vnius Pater, aut Aue, aliudue modicum potiùs, quàm ſinendus, vt recedat afflictus, vel deſperatus, ob pœnitentiæ difficultatem.* Hæc ille.

Stant quoque pro hac opinione pariter, & alij viri, eruditione conſpicui, D. Anton. 3. part. tit. 7. cap. 2. Sotus in 4. diſt. 2 q. 2. art. 3. de Graphis, deciſionum lib. 1. cap. 30. nu. 9. Eandem confirmat Leo I. his verbis, in epiſtola ſua decretali 77. ad Nicætam, cap. 6. *Tempora pœnitudinis habita moderatione, tuo conſtituente iudicio, prout conuerſorum animos perſpexeris eſſe deuotos, pariter habeto, ſenilis etiam ætatis intuitum, & periculorum, aut ægritudinum reſpectum.* Idem ſtatutum eſſe video ab Innoc. III. in epiſt. decret. ad Epiſcop. Liuonenſ. in cap. 6. titul de pœnitent. ibi enim ait, *pœnitentiam non tam ſecundùm qualitatem exceſſus, quàm pœnitentis contritionem, per diſcreti Sacerdotis arbitrium moderandam eſſe penſata qualitate perſonarum.*

QVÆSTIO XI.

Quid in imperanda pœnitentia ſacerdoti ſit vitandum, quid ſequendum.

PRimò vitare debet nimis effuſam, prolixamque aduerſus pœnitentem indulgentiam, vbi nulla eſt eius adhibenda neceſſitas, Concil. Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario can. 32. Moguntinum ſub Rabano, can. vltimo, ne eum leuitate inflictæ pœnæ ad iteranda antiqua ſcelera videatur illicere. *Non ſit minor medicina, quam vulnus eſt, non ſint minora remedia quam funera, vt quo modo qui ruerunt, ob hoc ruerunt quod cæca temeritate animi incauti fuerunt, ita qui hoc diſponere nituntur, cõſilij moderamine vtantur, ne quid, vt non oportet factum, tanquam vtilitũ iudicetur.* Clerus Rom. ad Cypr. ep. 30.

Secundo ſacerdotem abijs pœnis imponendis abſtinere conuenit quibus parere nequit pœnitẽs, ſine alterius incommodo, quia eius imperia nulli nocere debent, ita ridicule, fœminam ad profuſas eleemoſynas adigeret, quæ niſi maritus author ſit, aut approbet, Deo non probantur, nam marito neſciente, bene mereri de nemine, fœmina poteſt præterquam in paruis rebus, quas ſui ſimilibus fœminis dare licet, ſine maritorum conſenſu.

Tertiò, cauendum eſt ſacerdoti, ne pœnitentem ſuum, vocet in ſuſpicionem admiſſæ alicuius culpæ grauis, iniunctione pœnitentiæ, quam obire tantum ſoleant rei magnorum ſcelerum, cuiuſmodi ſunt diuerberationes publicæ, crebra ieiunia, humi cubationes, & alia, quæ horum inſolentibus, minus prodeſſe, quam nocere ſolent, apud homines qui quod agere nolunt, culpant in aliis, tanquam argumentum magni ſceleris, quare in eo, Confeſſarium contra ſigillum confeſſionis religioſum & ſacrum facere, ſcripſere Nau. in can. ſacerdos de pœnit. diſtinct. 6. nu. 105. Reginal lib. 7. cap. 4. num. 32. de quo diſputandi futurus eſt alias locus, opportunior, quod eſt inſtituti, ac temporis, hoc tantum in præſentiarum, aſſero, oportere, (verba ſunt ſextæ Synodi Conſtantinop. can. 102.) *Oportere* (inquam) *vt qui ſoluendi, & ligandi facultatem à Deo receperunt, peccati qualitatem ſpeculentur, & peccatoris promptitudinem, & reuerſionem, vt ſic medicamentum admoueant ægritudini aptum.* Quibus verbis ſignificant Patres, Confeſſario pœnitentiam iniuncturo, duo maximè ſpectanda eſſe, ne erret, primo admiſſorum grauitatem, & numerum, ſecundo diſpoſitionem, mores, ac ſtatum, eius cui imperatur, quæ opinio Epiſcoporum fuit in ſynodo Hibern. ſub Leone III. de peccatis enim eorumque turpitudine, ac numero ſic loquitur. *Hoc in omni pœnitentia, laicalis non ſolùm, ſed etiam ſacerdotali ſolerter eſt intuendum, quanto quis tempore, in delicto remanſit, qua eruditione imbutus, quali impugnatur paſſione, & qualiter compulſus eſt peccare, grauitate, aut neceſſitate.* De pœnitentibus eorumque præparatione ad gratiam, Vigilius in Epiſt. ad Arelatenſ. Archiepiſc. Innocent. I. in Epiſt ad Decent. cap. 7. *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt indicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem.* Diuus Fulbertus, Guidoni Epiſcopo Epiſt. 36. *In veſtra eſt*, inquit, *ſitum manu, eius pœnitentiam breuiare, vel protelare, iuxta quod, eum in pœnitendo diligentem, aut negligentem videritis.*

Ex quibus apparet, ſacerdoti modum in infligenda pœnitentia, hunc tenendum eſſe, quem ei præſcribunt prudentia, æquitas, canones, Concil. Cabillon. ſub Carolo Magno cap. 38 his verbis, *modus enim peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut ſanctarum ſcripturarum authoritatem, aut per Eccleſiaſticam conſuetudinem imponi debet.* Et quidem præſtat adoleſcenti, ad libidinem, & amores propenſo, pœnæ nomine hebdomadariam Exomologeſin præcipere, eorum qui ei ad facinus authores ſunt, ac ſocij, fugam perpetuam, librorum impura tractantium carentiam, Principi cuius magnæ ſunt opes, copioſas eleemoſynas, militi, laborum, quibus eſt eius vita implicita, tolerantiam iucundam, ac fortem pro Chriſto, delicato inediam, intemperanti abſtinentiam. *Deliciis indulgens, in morbum laſſus eſt?* inquit Gregorius Nyſſ. oratione in eos qui alios acrius iudicant, *cùm ieiunus, & media cura, animus laborat, incontinentia? adhibeatur temperantiæ medicamentum, multiplici, ac nimia pecuniæ cupiditate, in febrim incidiſti? liberalitate & eleemoſyna depellatur, hæc enim eſt mimum expletæ mentis curatio. Ecquis te verum alienarum diuitiũ? Quæ rapta ſunt, ad proprios Dominos reuertantur*, quid eſt enim pœnitentia niſi diſſolutio præteritorum, quæ vel re, vel cogitatione ſunt admiſſa? in ſumma, videre ſacerdos debet, quid cuiuſque ferre poſſit humeri, quid vires, quid animus, ac pro cuiuſque ſtatu, voluntate, conſtantia, patiendi aſſuetudine, pœnitentiæ minuendæ erunt, aut augendæ. Inexercitato autem, molli, languido, cuiuſmodi vix alios nouit hoc tempore Eccleſia, preces præſcribere pauculas ſufficit, primò, quia leuiora eſſe debent remedia, quæ infirmo dantur ad valetudinem, quam quæ valenti, at habet animus ſuos morbos, ac vlcera, quibus debilitatur, quodque dolendum eſt, ad ea toleranda conſtanter, vt hominem decet, ac fortiter, pauci ſunt vires à natura, eiuſque authore Deo, pares nacti, quod ergo medico vſu venit, in curatione corporis, exeſi longa tabe, aut aduſti febre, vt quòd vis morbi abſtulit, hoc mitia duntaxat, ac benigna pharmaca reparent, id in cauſa pœnitentium, ſingulis fere ſacerdotibus ſequendum eſt, hoc tempore, vt eos verborum lenitate magis, quam acerbitate ſanare apparent, ac ſi de pœnitentiæ grauitate conqueri eos ex probabili, aut iuſta aliqua cauſa acciderit, de eius ſeueritate, ac acrimonia, tantum prudentia ſua detrahent, quantum è re eorum eſſe credent, Nau. in commen. de pœnitentia, diſt. 1. num. 9. qua in re, eſt illuſtris ſententia in hoc genere Graſij & Reginaldi lib. 7. cap. 14. num. 50. Caietani in verbo ſatisfactio, vltimi ſunt hæc verba, *Pœnitenti, bene præparato, & robuſti animi, ſatisfactio, quam meretur imponenda eſt, debiliter autem diſpoſitis, danda eſt ſatisfactio parvula, iuxta debilitatem ſui animi, vt parvitas ignis foueatur, appoſita pale, ne ſuffocetur appoſitis lignis magnis deſuper*, hæc ille. *Tutiuſque eſt*, ait Gerſon parte 2. operum in regulas moral. *cum parua pœnitentia, quæ ſponte ſuſcipitur, & veriſimiliter adimplebitur, ducere confeſſos ad purgatorium, quam cùm magna non implenda, præcipitare in infernum.*

Laborandum tamen eſt ſacerdoti ne leues pœnas ſine iuſta cauſa pro libito magnis peccatis inferat, eſſe id enim ſine peccato non poteſt. Trid. Concilium teſſ. 14. cap. 8. aut certè periculo cooperandi culpæ pœnitẽtis, qui benignitate Confeſſarij illectus, ac fœlicitate pœnæ ſibi impoſitæ, peccata eadem iterabit, magno ſuo ac aliorum damno,

quibus, suo exemplo author erit audendi similia. Sanè eiusmodi pœnitentias, peccatis in confessione expositis, inæquales, & dispares, Greg. VIII. falsas nominat in can. falsas de pœnitent. dist. 5. non quòd ex pœnitenti non sint vtiles, aptæque, tollendæ parti pœnæ, quæ ei par sit & æqualis, sed quia à benignitate Confessarij, quo est vsus ad expiationem animæ, causam habet existimandi se ita plenè expunxisse debita, nihil vt ei esse reliquum possit, quod Deo soluat in Purgatorio: falsa est ergo eiusmodi pœnitentia ab effectu, errore scilicet, in quem pœnitentem certo impellit.

Quid? quod mitiore manu tractare Dei inimicos, ac hostes, quàm suos, parum benè, erga eum affectæ mentis sit signum? quis ferret se placari sola petitione veniæ? aut iniurias graues illas, ac non facilè cuique tolerabiles sibi contra ius, falsque irrogatas, elui crederet, conuersione leui mentis ad Deum, recitatione orationis dominicæ, aut salutationis Angelicæ? quæ tamen nostræ sunt vtplurimùm pœnitentiæ, precesque, quibus diuinum fulmen à ceruicibus nostris auertimus: hæ ergo etsi non sint damnandæ, quia salutares, quia bonę, non sunt tamen communiter, ac sine causa imperandæ, vt per eas pœnæ pro commissis luendæ in Purgatorio redimantur, quid ita? quia vt habet canon 28. effusæ 3. q. 4. *Si is qui prælatus est, debitori Dominico culpas impunè dimittit, non mediocriter offendit, qui debita cælestis Regis, & Domini, sua præsumptione resoluit.* Sunt tamen multæ causę, ob quas leuior pœnitentia, quàm deceret, iniungi possit. Prima est, personæ qualitas. Secunda spiritalis eiusdem infirmitas. Tertia doloris, cum qua venitur ad confessionē magnitudo, ac quantitas. Quarta, fracta ætas, vt in sene. Quinta, sexus imbecillitas, vt in muliere. Sexta voluntatis contrarietas, vt in eo qui imperata facere renuit. Septima, Papę liberalitas, vt in Iubileis, per quæ Christi, ac Sanctorum meritis, pœna omnis peccatis debita, aut pars eius maxima remitti solet, tunc enim non tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam nisi leuem, quę se habeat per modum medicinę, ad tollendas peccatorum reliquias. Octaua, iniunctio bonorum omnium, quæ per se, aut alium, pœnitens facturus creditur, quę quoniam multa sunt, ac copiosa, sicut & mala, quę quis sustinet, ob eam causam Confessarios excusari à peccato, cùm pœnitentias iusto minores imperant: Docuere Ludou. de Beia, 3. part. respons. casu 1. Bonau. de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 2. Fullicius tom. 1. tract. 8. c. 2. Reginal. l. 7. cap. 3. num. 26. Homobon. in Exam. parte 1. tract. 5. cap. 15. q. 94.

Dices opera bona, pœnitentię iniunctę vicem habere non posse, nisi fuerint imperata in eam rem, à Confessario: at talis imperij nulla fit hîc mentio.

Respondendum iniunctionem esse duplicem, puram vnam, & absolutam, hypoteticam aliam: fit illa, dum disertè, ac clarè præcipitur, vt pars sacramentalis: altera, quæ est conditionata, fit cùm Sacerdos ad nullum quidem speciale opus pœnitentem obligat, generatim tamen per potestatem clauis applicat satisfactioni peccatorum, omne opus benè factum, & faciendum à pœnitente, qua applicatione sacramentali, habent illa bona sic generatim sumpta, vt sint magis satisfactoria, quàm quæ sponte sunt suscepta: illa enim sunt Sacramentalia, ex applicatione Confessarij, vim habentia sacramentalis satisfactionis, ista, id est, voluntate propria, ac ex deuotione facta, aut facienda, nequaquam, quare, facilè culpę non est vllius arguendus Confessarius, cùm pauca quędam, eaque toleratu facilia, ad expiationem pœnæ, pro peccatis commeritæ, pœnitenti præscribit. Enimuero, quod ad æqualitatem deest inter vtrumque, videtur suppleri posse, per ea bona, quæ vtplurimùm fiunt, à singulis, vel mala quæ iidem subeunt, maximè si sunt in satisfactionem imposita, quæ etsi sint vera, seque Sacerdos cupere indicet, vt bona pœnitentis omnia, sint ei loco pœnitentiæ, his verbis: *Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Sanctorum omnium quicquid boni feceris, & mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum, & augmentum gratiæ, amen.* Tamen vt ei benè vertat, quidquid vnquam egit, aut pertulit, expedit ad eius spiritale commodum, exaggeratius, hæc illi, ac clarius, à Confessario pœnitentiæ nomine indici.

QVÆSTIO XII.

An quem culpa aliqua grauis irretitum tenet, Deo satisfacere pro pœna possit.

POsse censuerunt Scotus in 4. dist. 18. q. 2. & alij, quòd crederent in satisfaciente dispositionem nullam exigi præter tolerantiam: quare vt Iudici, vt Reipub. vt vrbi reus satisfacit, cùm de se à lictore sinit supplicia repeti, quæ tamen non nisi inuitus, ac dolens patitur, sic & Deo Principi, inquiunt, pœnas quas est commeritus, dependere peccator potest, modò immissas, volens nolens toleret, antequam explicem quid de proposita quæstione iudicem.

Notare placet satisfactionem, quæ est meritoria, oportere his insignitam esse characteribus, primò enim de se naturaque sua turpis esse non debet ac illaudabilis. Secundò, nec ab eo offerri principi Deo, quem vitia multa, ac grauia, grauem cœlo reddunt ac inuisum, *victimæ enim impiorū Domino abominabiles*, Prou. 15. quæ si vera sūt, colligere, cuique pronum est, ac obuium, quis de præsenti quæstione, animi mei sit sensus, qui tamen vt sit notior. *Dico cum conscientia mortalis alicuius culpæ, nemini esse facile, Deum sibi, ac peccatis suis placare, ac contracta per ea nomina, pœnasque exsoluere*: effati præcipua sunt hæc fundamenta.

Primùm, Talis nostra esse debet satisfactio, Trident. testimonio, sess. 14. cap. 8. *vt sit per Christum Iesum, nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possimus ex cooperante, qui nos confortat, omnia possumus, ita non habet, omnis homo vnde glorietur, sed omnis gloria nostra, in Christo est, in quo viuimus, & satisfacimus.*

Sed quæ impius cogitat, quæ molitur, ac facit, hæc Christo non probantur, nec ab eo Deo Patri, in solutum criminum offeruntur, cùm impiorum munera horreat, ergo emaculandus est ante omnia animus, vt Deo, puritate sua gratus, liberos ad eum, & faciles reperiat aditus.

Secundum nullum est sine gratia, & amore meritum, Paulo teste, 1. ad Corinth. cap. 13. *Si distribuere in cibos pauperum*, &c. *Charitatem autem non habeam nihil mihi prodest*. ergo nec sine ea valere satisfactio potest, cùm à dignitate operantis, tam hæc, quam meritum, pretium habeant, ac momentum.

Tertium, est relaxatio pœnæ debitæ, effectus diuinæ erga hominem beneficentiæ, at ad amicos tantum effert se beneuolentia, ergo & pœnarum indulgentia, sed Deo, nos amicos efficit gratia,

Digitized by Google

plenaque mandatorum eius obſeruantia, ergo vitioſi ſatisfactio, quamdiu perſeuerat talis, inanis eſt ac nulla.

Quartum, cum inter Deum, & hominem, intercedere iuſtitia nequeat, nec habeant humana opera, ex ſe, naturaque ſua, quo propitiare nobis Deum, æternamque eius fœlicitatem, mereri poſſint, niſi quæ pro incredibili ſua erga nos caritate, ac beneuolentia, hæc in eum finem acceptat. *Ipſe enim homo, vt velit miſericordiam Dei, ab ipſo, greſſus hominis diriguntur, nam ſi Dominus non dirigeret greſſus hominis, tam prani eſſent, vt ſemper per prauia irent, & ſemitas curuas ſequendo, redire non poſſent.* Auguſt. in Pſal. 30. *Dei enim eſt, omne quod poſſumus, inde viuimus, inde pollemus, inde ſumpto, & concepto vigore, hic adhuc poſiti, futurorum iudicia expectamus.* Cypr. epiſt. ad Donatum 2. lib. 1. *quæ enim bona noſtra facta præceſſerunt, vt Deus nobis gratiam ſuam daret? nunquid inuenit iuſtitias quas coronaret, & non delicta quæ donaret?* At impij, at peccatoris opera, Deo non ſunt accepta, *Dona enim iniqua non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum*, Eccleſ. 43. facta ergo extra caritatem, & gratiam, pœnitentia, Deum non placat, multo minus, vitæ æternæ dona, meretur. Equidem Chriſtianæ fidei articulus eſt, ſatisfactiones noſtras, vim ſuam omnem à Chriſto habere, à quo Deo Patri offeruntur, Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. at quis credat, Chriſtum, non dicam influere ſpiritum vitæ, ac meriti, in opera mala, ſed hæc ab eo ſpeciali influxu eſſe, nedum Deo Patri offerri, vt victimam, ſacris ſuis altaribus imponendam? non eſt ergo pœnitentia obita ab homine, ob culpam aliquam mortalem indigno, quem Deus poſt hanc vitam impertiat beata ac fœlici, idonea, ad abſtergendum animum, pœnaſque eluendas, quæ peccatis pœnitentis ſunt debitæ.

Obiicies. Si nihil prodeſt ad meritum, & gloriam, præſtatio pœnitentiæ in peccato, refrigeſcet multorum ad virtutem contentio, quotus enim eſt quiſque qui frænare iram, compeſcere auaritiam, legem ſibi, ac appetitionibus ſuis dicere, peccata ſua punire, mores corrigere, inducet animum? ſi ſunt hæc, facta ſine gratia, & in malo ſtatu inania, nullius ad gloriam & expiationem pœnarum, quas peccando ſumus meriti, valoris, ac momenti? ne ergo impetus animi, contendentis ad magna ſuis operibus, retardetur ac frigeſcat, ſententia noſtra explodenda eſt, ſequenda altera.

Maior eſt falſa, nam qui intelliget ſine Deo, auxilioque gratiæ, nihil ſe ad veram laudem, gloriamque poſſe, dabit operam, vt amiſſam recuperet, illata ſibi per peccatum vlcera ſanet, damna reparet, ne cùm iactura operum ſuorum, vitæ fructum omnem perdat.

De miſericordia extollenda, quod ab aduerſariis additur.

Reſpondendum eſt, eam quidem ſuſpiciendam eſſe, ob infinita Dei in nos merita, neque tamen, quidquam de eius iuſtitia detrahendum videri, pari enim paſſu, ambæ in hominum regimine incedunt, ſibique inuicem, auxiliatrices ad id dexteras porrigunt.

At Nabuchodonozori ſuaſum olim à Daniele narrant ſacræ paginæ, vt peccata ſua eleemoſynis redimeret, quem tamen eſt veriſimile, iuſtum non fuiſſe.

Reſpondendum eſt, Regem prius à Daniele fuiſſe admonitum, de purganda conſcientia ſua lachrymis, veroque in primis dolore, de offenſo numine, quo placato, tùm demum iniuriam quam peccando, ei intuliſſet, abolendam eleemoſynis.

QVÆSTIO XIII.

An pœnitentia facta in mortali, ſit ſufficiens, & ſatisfactoria, ſic vt eam iterari non ſit neceſſe.

Dico primò. *Per pœnitentiam, quæ Confeſſarij imperio eſt ſuſcepta, ſic eius voluntati fieri ſatis, vt eam repetis non ſit neceſſe, quamuis in ſtatu peccati ſit facta.* Rationes quæ pro fulcienda hac enuntiatione faciunt ſunt ſequentes.

Prima, quod Confeſſarius de modo implendæ pœnitentiæ, nihil ſtatuit, ſed eam abſolutè fieri voluit, non præſcripto modo pœnitenti, quo ea executioni mandanda eſſet.

Secunda, præcepta humana, Principum, Eccleſiæ, Magiſtratuum, ſubſtantiam præcepti pro obiecto habent, non modum, quo ſunt implenda, aut finem, cuius cauſa dantur populo, hoc eſt vt bene, & laudabiliter fiant, & cùm gratia, D. Th. 22. q. 44. art. 1. & 1. 2. q. 92. art. 1. nec enim humana lege, aſtringi quis poteſt, niſi ad id, quod eſt in eius poteſtate ac arbitrio ſitum, at gratia, non eſt de numero earum rerum, vtpote quæ naturæ vim, limiteſque excedit omnes, & à Dei ſolius voluntate, bene erga hominem affecti pendeat, ad eam ergo extendere ſe ac efferre Confeſſarij iuſſa nequeunt, cum pœnitentiam, pœnitenti in Sacramento præſtituit

Tertia, vt Eccleſiæ mandata quis faciat, nihil eſt neceſſe eum à culpis eſſe vacuum, aut Deo gratum, quia ad præſtationem officij ſufficit, quod rem imperatam, quoad ſubſtantiam actus, & præcepti impleat, ſic non peccat, qui diebus Dominicis, aut feſtis, ſacro intereſt, in malo ſtatu, aut qui epulis abſtinet, ſine fructu, ac merito, quia culpis ſcatet. Ergo à pari Confeſſarij præcepto ſatisfacit, qui pœnitentiam ſibi ab eo datam in peccato explet, ſicque Sacramentum, partibus ſuis integrum, reddit, cum ad eam rem ſit ſatis, quod dictus pœnitens Confeſſario morem geſſerit Sylu. verb. Satisfactio num. 7. Candidus de Confeſſ. diſquiſit. 24. art. 30. dub. 16.

QVÆSTIO XIV.

An pœnitentia facta in mortali reuiuiſcat ad meritum recuperata gratia.

Dico 1. *Opera ſatisfactoria, in quibus ſponte, ac iniuſſu Sacerdotis verſamur, impediti culpa aliqua lethali, non reuiuiſcere ad tollendum debitum pœnæ, per peccatum commeritæ.*

Primò, quia talia opera, non reparantur ad meritum, ergo nec ad extinguendum pœnæ debitum.

Secundò, quę peccatores, id eſt, inuiſi Deo homines agunt, aut tolerant, hęc Theologorum opinione, de eorum ſunt operum genere, quę illi mortua vulgò appellant, ſic dicta, quòd vim, ac motum, à diuino amore nunquam hauſerint: At ſatisfactio in mortali obita, nunquam vitam habuit à gratia, ergo cùm reuiuiſcere, connotet in opere vitam, qua pœnitentia facta in mortali, nunquam

ſe animatam vidit, reparari hæc ad fructum beatæ vitæ, & tollendum pœnæ ſubeundæ debitum, non poteſt.

Dico ſecundo. *Pœnitentiam quæ eſt Sacramentalis, aduenientegratia, reuiuiſcere, & effectum ſuum ſortiri, quoad remiſſionem pœnæ peccatis debitæ.*

Ab hac opinione ſtant Theologi Paludan. in 4. diſt. 15. q. 1. concluſ. 4. Capreol. ead. diſt. Sylueſt. verbo ſatisfactio num. 7. Nau. Ench. cap. 3. num. 5. Regin. lib. 7. cap. 7. q. 4. Beia parte 3. reſponſionum caſu 2.

Probatur. Quæ ex opere operato aliquid efficiunt, vbi ceſſant, quæ eorum effectui, moram ponebant, hæc vim ſuam obtinent, eumque producunt, at Sacramentalis ſatisfactio, ex opere operato, gratiam in Sacramento acceptam amplificat, alioqui ab alia qualibet, vi & efficacitate non differret, nec cauſa vlla eſſet, eam appellandi Sacramentalem, potius quàm communi nomine, vulgatæ pœnitentiæ, ac profanæ.

Deinde etſi ſit ſatisfactio, pars Sacramenti tantum integrans, tamen eſt pars, ergo vt cæteræ, ex opere operato, productiua gratiæ.

Tertio ſatisfactio quæ eſt Sacramentalis, eſt opus Dei, ergo ceſſante culpa, redeunte gratia, valebit ad ſolutionem pœnæ debitæ.

Confirmatur Baptiſmus, recedente fictione incipit valere, ac baptizato prodeſſe, vt affirmat Auguſt. in lib. de Bapt. paruulorum, habeturque de conſecr. diſt. 4. can. valere, & in 4. ſentent. diſtinct. 4. & ratio eſt, quod Sacramenta opus non ſunt hominis, vt ait D. Thom. in additionib. q. 14. art. 3. ad ſecundum, ſed Dei, ergo vt Baptiſmus, ſublato obice gratiam, ita & ſatisfactio, remiſſionem pœnæ producet, impedimento fictionis ceſſante. Ita præter authores citatos Caiet. in ſumma verbo ſatisfactio, paragr. quarto, Nugnus tom. 2. in 3. part. q. 14. Henriq. lib 5. de pœnit. cap. 20. num. 7. cauſa eſt, quod cùm pœnitentia opus ſit Dei, ex ſe viuum eſt, licet quodammodo mortificatum, per peccatum ſuperueniens, ergo vt opera bona noſtra mortificata per culpam, ea ſublata reuiuiſcunt, ita & ſatisfactio Sacramentalis, illa enim, ex vi operis operati, & virtute clauium, natura ſua, vim habet remittendi pœnas, quem effectum illico ſortitur, ac tollitur peccatum, à quo impediebatur eum producere, nam etſi pœnitentia, facta in peccato veniali, humanum ſit opus, habet tamen prout eſt Sacramentalis, diuinum aliquid, quod diuinum, ab ea eſt inſeparabile, & ideo ratione huius diuini reuiuiſcit, & ſortitur ſuum effectum, per aduentum nouæ gratiæ.

Obiicies. Pœnitentia in mortali facta eſt opus mortuum, ergo non reuiuiſcit.

Diſtinguendum eſt Cõſequens, nam ſi in eo agitur de reditu pœnitentiæ ad meritum gloriæ, verum eſt, eam non reuiuiſcere. Si autem agitur de reditu eiuſdem, ad relaxationem pœnæ debitæ, eſt id verò negandum, quia hoc habet pœnitentia, ex vi, & natura Sacramenti, cuius eſt pars, & quamuis non ſit ex præcipuis, tamen eſt pars, quæ per claues Eccleſiæ eſt iniuncta, & quam pœnitens exequitur, non arbitrio ſuo, ſed vt iuſſus eſt ab Eccleſia, & aliquo modo eius miniſter.

Obiicies ſecundò. Pœnitentia poteſt eſſe ſine ſatisfactione, cum in abſolutione conſummetur, ergo reditura non eſt ceſſante culpa, quoad effectum remiſſionis pœnæ debitæ.

Antecedens eſt falſum, nam ſatisfactio, pars eſt materialis Sacramenti, eaque neceſſaria, quia peccata abſolui nequeunt, ſine contritione, nec hæc eſſe, ſine propoſito, ſaltem virtuali ſatisfaciendi pro illis, ideo hi tres actus, Cõfeſſio, Cõtritio, Satisfactio, partia'iter concurrunt ad producendum effectum Sacramenti, cum forma, hoc tamen diſcrimine, quod ſatisfactio, non tantum concurrit ad eum effectum, in propoſito ſuo, & acceptatione eius à pœnitente, ſed multo magis cum fit, quo tempore, perficit primo datam gratiam, ex vi clauium, per quas iniungitur, & ideo habet hæc ſatisfactio, vt eſt pars Sacramenti, vt ſit remiſſiua pœnæ debitæ.

Obiicies 3. Suſcepta à pœnitente, ſacerdotis imperio, opera, Sacramentalis pœnitentiæ nomine, ei non proſunt, quandiu culpæ lethalis conſcientia tenetur, non eſt ergo ſatisfactio, quæ corrupto vitiis animo, obitur à pœnitente, pars Sacramenti.

Neganda eſt conſequentia, quia etſi ſatisfactioni factæ, in ſtatu peccati, meritum nullum debeatur, qua parte, actio eſt puri hominis, cum ſic ab eo, vim ad ſatisfaciendum nullam habeat, vtpote qui careat gratia, quæ eſt fons meriti, vt tamen eſt pars Sacramenti integrans, vim à Chriſto habet ad remiſſionem pœnæ, quam tamen non exerit, quandiu pœnitens peccato tenetur, eo quòd propter eius indiſpoſitionem id prohibeatur facere

QVÆSTIO XV.

An data & à pœnitente acceptata pœnitentia, tam à pœnitente, quàm Confeſſario mutari poſſit in aliam.

ENuntiatio prima. *Non poteſt pœnitens per ſe primo & directe pœnitentiam ſibi à Confeſſario iniunctam mutare in aliam.* Henriq. 1. parte Theologiæ moralis lib. 5. cap. 20. parag. 5.

Enuntiati huius eſt hæc cauſa, quod ad eam mutationem pœnitens iuriſdictione neceſſaria careat, nec enim ius ſibi dicere poteſt, aut ſe iuſta pœna plectere, per ſententiam, ergo cùm pœnæ inflictio ſit iudicis actio, qualis reſpectu ſui non eſt pœnitens, pro iniuncta ſibi pœna à Confeſſario, non poterit eligere aliam, ſuſtinendam quando videbitur.

Obiicies. Liberum eſt cuique, votum in rem euidenter meliorem mutare, ergo & pœnitentiam.

Neganda eſt Conſequentia, diſparitatis hæc eſt cauſa, quod votum à vouente proueniat, non autem à pœnitente pœnitentia, ſed à Confeſſario, quare nulli mirabile videri debet, ſi cum aliquis, ſe per votum aſtrinxit, hoc commutare poſſit in melius, cum hic abundè Deo ſatisfaciat, cui, de ea commutatione, iuſta nulla conquerendi cauſa eſſe poteſt, vtpote qua debitum exoluatur ei copioſius, quam per rem primo promiſſam. At pœnitentiæ eadem non eſt cauſa, quæ voti, illam enim non ſibi ipſi pœnitens, ſed Confeſſarius, vti ſuperior, legitima ad eam rem authoritate præditus impoſuit, qualem nullam habet pœnitens in ſeipſum.

Enuntiatio 2. *Ex iuſta cauſa, minui poteſt à Confeſſario, iniuncta pœnitenti ſuo pœnitentia.* Nau. Ench. cap. 26. num. 22. Ludouic. de Beia, tom. 1. Reſponſ caſu 13. Ita ſentiendi, his authoribus ratio multiplex.

Prima quòd ea poteſtate præditum eſſe Confeſſarium deceat, quæ ad tranquillitatem mentium, ſalutemque,

ſalutemque, eſt neceſſaria, talis eſt facultas minuendæ pœnitentiæ. Enimuerò, cùm plerumque tempora incidant, quibus eam exequi pœnitenti non ſit facile, ne culpâ ſua redigatur in eas angustias, vbi angi, aut mœrere, aut peccare, ei ſit neceſſe, quis non videt æquitatis eſſe, hanc Chriſti Domini voluntate poteſtatem ineſſe Confeſſariis, vt rogati, id beneficium pœnitenti annuant?

Secunda, quòd ſit maius pœnitentiam integram tollere, quàm partem: at primum, ex cauſa iuſta Confeſſario eſt licitum, ergo & vltimum.

Tertia, quòd Iudex reo, hoc quoque Sacerdos, pœnitenti concedere ſuo poteſt, quandiu eius cauſa adhuc pendet, cùm hic, Dei Legatum agat, ac Iudicem, at ab iſto pœnam leniri poſſe, ſupplicia minui, quæ tam lege regni, quàm ſua ſententia reo perferenda erant, nemo rerum forenſium vtcunque gnarus, non intelligit, inconſulti ſunt ergo, diuinique iuris inſcij, qui facultatem Confeſſario adimunt, pœnæ minuendæ, cuius fuit auctor.

Quarta, vt ligare Sacerdos poteſt, ita & ſoluere: at laxare partem aliquam pœnitentiæ, eſt eam imperfectè diſſoluere, negari id ergo Sacerdoti non poteſt, ſine errore.

Dixi, ex cauſa, quia cùm deeſt, videtur id non poſſe ſine ſcelere. Ratio eſt, quòd à lege aliena eximere aliquem, & cum eo diſpenſare, ſine cauſa, eaque rationabili, ſit malum: at pœnitentiam pro delicto imponere, eſt priuato homini legem dicere, ergo eius mutatio, cauſam habere iuſtam debet, ac rationabilem, pro fundamento: talis futura eſt, ſi pœnitens bona fide, putet ſe eam implere non poſſe, aut non ſine difficultate. Neceſſitas ergo, aut notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis, in præſtanda pœnitentia, cauſæ ſunt iuſtæ, commutandæ pœnitentiæ ei iunctæ. Sotus in 4. diſt. 20. q. 2. art. 3.

Enuntiatio 3. *Pœnitentiam tam qui iniunxit, quàm qui eius eſt Superior, ex iuſta cauſa, mutare poteſt in aliam.* Primò, quia in præceptis ſuis diſpenſare quilibet poteſt, aut ea mutare, ac tollere: at quod pœnitenti ſit hæc pœna, aut illa ferenda, voluntatis eſt humanæ, cùm diuerſam Sacerdos imperare potuiſſet, nam quanquam non ſit ei liberum, pœnitentem ſuum à Sacramento ſine pœnitentia dimittere, cùm ſatisfactio pars ſit eius integrans, quam demere, eſt illius maieſtati, ac reuerentiæ iniuriam facere, tamen imperandæ tantæ, nulla erat neceſſitas, ſicut nec eſt implendæ in pœnitente, cùm eius rei ſit illi poteſtas à Confeſſario.

Secundò, ſi ex iuſta cauſa non licet commutare pœnitentiam, id accidere neceſſe eſt, ex harum rerum aliqua, aut omnibus, nempe, quia pœnitens fidem de ea præſtanda datam fallere, aut quod Sacerdos conceſſæ ſibi facultatis terminos exiret, non primum, quia pœnitens, interpretatione communi iuris, poteſtatem ſibi relictam eſſe voluit, petendæ alterius pœnitentiæ, ſi accideret, vires ſibi pares non eſſe illi faciendæ, quæ eſt imperata. Nec ſecundum, quia decuit talem poteſtatem Confeſſario à Chriſto concedi, in commodum pœnitentis, & Eccleſiæ.

Enuntiatio 4. *Non modò qui impoſuit pœnitentiam, aut eius Superior, eam mutare poſſunt, ſed & alius quilibet ex approbatis.* Eſt contra Nugnum in 3. p. tom. 2. q. 13. dub. 4. Ledeſma in ſum. tom. 1. tract. de pœnit. ca. 23. concl. 8. dub. 2.

Pro nobis autem faciunt Beia tom. 1. Reſponſ. caſu 15. Sàlu. verb. Confeſſio 6. num. 4. Coninch. diſp. 10. dub. 12. num. 100.

A Primò, quia etſi par in parem auctoritatem non habeat, in cauſa iam iudicata, & ita Confeſſarius diſtinctus ab eo, qui pœnitenti pœnitentiam impoſuit, efficere non poſſit, ne abſolutio valeat: poteſt tamen de cauſa recens exorta cognoſcere, at quòd pœnitens, imperata Confeſſarij prioris, facere non poſſit, nec ob eam rem, illa adhuc impleuerit, cauſa eſt de nouo orta, ergo eiuſmodi, de qua Confeſſario arbitrari ſit licitum, ergo & quam, ſi res exigit, immutare valeat.

Secundò, quilibet cenſendus eſt, tacitum ad id conſenſum Confeſſarij prioris habere, nam cùm hoc iſte, negare nequeat, vtpote ad bonum pœnitentis neceſſarium, credi ſanè debet, id eum tacitè concedere cuilibet.

B Confirmatur hoc ipſo, quòd pœnitens ſubdit ſe abſoluendum Confeſſario, ſanè cauſam ei omnem, ſuorum peccatorum iudicandam committit, & ideo ſtatim ac confitetur, ſe pœnitentiam non impleſſe, facit eum huius rei iudicem, ergo pœnitentiam ei poterit imponere, Ergo & mutare antiquam.

Obiicies. Par in parem poteſtatem non habet, vt dicitur lege, ille à quo, digeſt. ad Senatuſconſ. Trebonianum, & in can. placuit, de pœnit. diſt. 6. haberet autem ſecundus Confeſſarius in primum, ſi pœnitentiam mutare poſſet, ab iſto impoſitam: Neganda eſt minor, nam Confeſſarius ſecundus nihil habet quod agat, cùm priore Confeſſario, ſed tantùm cum pœnitente, ad cuius bonum per-
C tinet quod pœnitentiæ prioris loco, alia iniungatur.

Obiicies ſecundò. Ad infirmandam ſententiam vnius iudicis, ſuperior eius adiri debet, & conſuli per viam appellationis, quia æqualis, id facere non poteſt ex cap. dilectus 2. de reſcriptis & capite debitus honor, de appellationibus: ſed mutare pœnitentiam, eſt reuocare ſententiam prioris Confeſſarij. Minor eſt neganda, quia Confeſſarius mutando pœnitentiam, ſententiam ſuam tantùm profert, non mutat alienam, cùm iudicium non inſtituat, ad derogandum priori Confeſſario, ſed ad conſulendum pœnitenti, in cuius fauorem, iteratio iudi-
D cij conceditur, neque id fit per modum appellationis, ſed iudicij noui, quod eſt præcedenti æquale, quorum iudiciorum neutrum aduerſatur alteri, ſed illud in ſua integritate relinquit.

QVÆSTIO XVI.

An iterari peccatorum confeſsio debeat, vt pro iis impoſita ſatisfactio, commutari poſsit.

NEgatiuam tenent Nauarr. in Ench. cap. 26. num. 22. Toletus lib. 3. c. 11. num. 5. Victoria de Sacramentis, num. 211. Ludou. de Beia, to. 1. caſuum, caſu. 15. Raphaël de Cæſare, in Conſolatione animæ, dialogo 26. Sà verbo ſatisfactio, num. 5. Viuald. de ſatisfact. num. 30. Ioann. Valerius, in differentiis fori vtriuſque, verb. Iuriſdictio, differ. 1.

Affirmant Suarez, tomo 4. diſp. 38. ſect. 10. n. 8. Sotus in 4. diſtinct. 10. q. 2. art. 3. Reginal. cap. 8. num. 93. Fagundez tract. 2. lib. 9. cap. 4. num. 15. Ægid. diſp. 10. dub. 12. Peſantius in addit. ad 3. partem, q. 18. de ſatisfactione, diſp. 2. concl. 3. Ægid. diſp. 10 dub. 12. Pro reſolutione ſit

Prima Enuntiatio. *Probabilitate non caret, poſſe Sacerdotem quemlibet, directa poteſtate, rationabili de*

cauſa, pœnitentias ab alio datas mutare, in æquipollentes, etiam Confeſſione pœnitentis non repetita, dummodo id in Sacramento fiat.

Primò, quia id poteſt ſacerdos, qui eam impoſuit, etſi peccatorum, quorum cauſa eſt impoſita, non meminerit, ergo & alius, cum omnium vna ea demque ſit ratio.

Confirmatur, vt Confeſſarius, culpa vacet in hac materia commutationum, ſatis eſt, ſi reo, id eſt pœnitenti ius dicat cauſa cognita, atqui ad id, non eſt neceſſaria peccatorum explicatio, ſufficit pœnitentis petitio, ſecundum quam, ac præſentem eius diſpoſitionem Confeſſarius iudicet, prout magis ei expedire videbitur.

2. Quia nihil eſt neceſſe peccata, quæ quis ritè ſemel eſt confeſſus, iteratò ſacerdoti exponere, cum priori abſolutione ſint remiſſa.

3. Si pœnitentiæ minuendæ, aut mutandæ cauſa, repetenda eſſet confeſſio, in qua eſt inflicta, ideo maximè, quod de eius cauſa, ſacerdoti conſtare debeat, at eam, quantum eſt ad rem neceſſe, intelligit in effectu ſuo, pœna ſcilicet, quam de ſe pœnitentem repetere prior Confeſſarius voluit, nec enim vero, eam iniuſtam, ac meritis imparem cenſere debet, aut cùm errore præſcriptam, ſed à re nata, fortuito redditam impoſſibilem, arduam, factuque non facilem, ideoque modo mutandam.

Enunciatio ſecunda. *Debet tamen hæc pœnitentiæ mutatio, fieri in Sacramento non extra.* Vaſq. to. 4. q. 94. art. 2. dub. 3 n. 9. Suar. to. 4. diſp. 38. ſect. n. 8. Ægid. diſp. 10. dub. 12. Conc. 3. num. 101. huius enunciati firmamenta præcipua ſunt duo.

Primum quòd in foro pœnitentiali, eadem ſit poteſtas ſoluendi, ac ligandi, at ligare, id eſt pœnitiam indicere extra Sacramentum nemo poteſt, ergo nec indictam tollere, aut mutare. Deinde, eſt ſatisfactio Sacramentalis, actus iuriſdictionis clauium, in foro pœnitentiali: ergo extra confeſſionem non poteſt imutari.

Secundum mutare, abrogare, minuere pœnam, quæ reo à Confeſſario antiquo imperata fuit, actus eſt iudicis, at hanc perſonam, Presbyter actu non agit, extra Sacramentum, cum tunc, deſit ſui accuſatio, id eſt Confeſſio, quæ ad iudicium exigitur, tanquam pars eius eſſentialis & intrinſeca, eſt ergo mutationi huic præmittenda.

Contraria ſententia eſt Dianæ tract. 15. miſcell. 1. reſol. 35. Portellij in addit ad dub. regul. Verbo pœnitentia Sacramental. num. 8. Nauar. Enchirid. cap. 26. num. 22. dummodo inquit hic author inflicta fuerit, ob peccata, à quibus, qui commutat, abſoluere potuiſſet. Eorum vnica eſt ratio, quod Confeſſarius poſſit de cauſa pœnitentis, iuxta eius diſpoſitionem iudicare, etſi eius Confeſsionem non audierit.

Obiicies. Mutatio hæc, de qua loquimur, fieri debet per actum iudicialem, in foro pœnitentiali, ſed hic actus eſſe non poteſt, niſi explicatis culpis, ob quas imperata fuit pœnitentia, ſunt hæ ergo iterum repetendæ à pœnitente, & explicandæ Confeſſario.

Negandæ eſt Minor, quia ſufficienter cenſetur Confeſſarius exercere iudicium, cum in Sacramento cognoſcit de pœnitente, ſe pœnitentiam, quam iuſſus eſt facere, à Confeſſario priore, non impleſſe, nec poſſe impoſterum, ei, vt eſt neceſſe ſatisfacere.

Quid ſi fuit impoſita pro reſeruatis?

Dico primò. *Si fuit ſublata reſeruatio, per Confeſſarium priorem, nihil eſſe cauſæ cur ſacerdos quilibet de approbatis, pœnitentiam pro iis impoſitam, mutare nequeat.* Ratio eſt, quod abſolutio per eum data, cui reſeruata ſuberant, ea in numerum redigit, non reſeruatorum, ex quo fit, vt remitti à quolibet de approbatis valeant, ſi iteratò ad eius forum deferantur, ergo vt ceſſat eorum reſeruatio, ita & pœnitentiæ.

Confirmatur. Si quæ pro reſeruatis, pœnitenti iniuncta fuit pœnitentia, mutari nequit, hæc vna dumtaxat eſt cauſa, quod eam Confeſſarius, ſic ſui fori eſſe voluerit, vt in eam, ius omne cæteris ademerit, ſibique ſoli reſeruauerit. At hoc hactenus nuſquam viſum eſt, aut auditum, etſi tentare Confeſſarius aut aggredi animum induceret, vt indignus officio, quod obit in Eccleſia, explodendus eſſet, nec à pœnitente audiendus.

Dico ſecundò. *Quorum peccatorum reſeruatio, non eſt ſuperioris authoritate, aut alterius, qui poteſt, adempta, præſcripta pro iis pœnitentia, à priore Confeſſario, commutari non poteſt à ſecundo.* Ratio eſt, quod mutatio pœnitentiæ ſtare nequit peccatis adhuc manentibus, nec remiſſis, at his tamdiu innexus peccator inhæret, quamdiu ad ea ſoluenda ſuperioris benefica manus, aut alterius qui poteſt, non accedit.

Huic quæſtioni affinis eſt & altera, an ita ſit neceſſe, pœnitentem ad confeſsionis tribunal ſe ſiſtere, pœnitentiæ eius commutandæ cauſa, vt facta extra illud mutatio, ſit irrita.

Reſponſio expedita eſt, ſuccincta & facilis, vel enim, idem ſacerdos, quo primò eſt vſus pœnitens, ad reconciliationem ſui cum Deo, adhibetur ad hoc iudicium, vel alius, ſi ſecundum rata. non erit hæc mutatio, alibi facta quam in Sacramento, ratio eſt, quod tam ſolutio, quam ligatio, actus ſunt clauium, qui neceſſario requirunt Sacramentum.

Scio ſecus quàm nos ſentire Victorellum in notis ad Emanuel Sa, verbo ſatisfactio, num. 5. Valent. to. 4. diſp. 7. q. 14. puncto 4. ſed pace eorum ſit dictum, non eſt eorum opinio, de illarum numero, quæ veri, aut probabilis ſpeciem vllam habent, ſequenda ergo noſtra, niſi fortè, ab eo ipſo qui impoſuit pœnitentiam hæc mutanda foret, idque paucis poſt diebus, quam eſſet præſcripta, vt tridui, aut quatridui, nam tunc extra Sacramentum, ab ea eximi pœnitens poſſet. Henriq. lib. de pœnit. cap. 21. parag. finali, Valerus verbo iudex differentia 23. num. 5. Diana tract. 15. miſcellan. 1. reſolut. 53. Aſſertionis hæc eſt cauſa, quod tantilla temporis intercapedine, iudicium prius non cenſeatur interruptum moraliter, ſed vnum, idemque perſeuerare, in opinione hominum.

QVÆSTIO XVII.

An ſatisfaciat pœnitentiæ, qui eam implet in re, quæ iam præcepta erat.

EXemplum eſſe poteſt in eo, cui cùm ſit imperatum ieiunium in pœnam ſuorum ſcelerum, vnum de præſcriptis ab Eccleſia, quatuor præcipuis anni temporibus ſibi deligit, quo ſacerdotis imperio, officioque ſatisfaciat, & de hoc homine quæritur, an verè præceptum impleat.

Reſpondent Grafius lib. 1. deciſion. cap. 31. nu. 21. Nauar. cap. 24. non implere, cuius ſententiæ, quæ vera eſt, ac tenenda, hoc vnum eſt, ſed ſtabile, firmumque præſidium. Quod tale ieiunium, ei non

sit à Confessario præscriptum, sed aliud sit, pro argumento. Primò, quòd hic pœnitenti suo liberum esse noluerit hoc ieiunium, sed ad illud eum speciali lege astrictum esse voluerit. Secundò, quòd communiter, nisi aliud Confessarij significent, pœnitentias, quas inferunt, impleri velint per opera aliunde ex præcepto non debita.

QVÆSTIO XVIII.

An pœnitentia possit pœnitenti imponi, quæ relinquatur faciendæ eius arbitrio.

POsse scripserunt hi graues authores, Suar. tom. 4. disp. 38. Fagundez præc. 2. lib. 9. cap. 3. nu. 11. Villalob. tom. 1. tract. 9. diffic. 77. num. 2. Filiuc. tom. 1. tract. 8. c. 2. num 37.

In contrariam sententiam deducti sunt Turrianus de pœnit. disp. 35. dub. 2. Petrus de Fay de pœnit. in addit. ad 3. part. q. 13. art. 1. disp. 4. quæ sententia, apud me plus valet, argumentorum pondere, & auctoritate Ecclesiæ, quàm prior.

Est quidem in hoc Ecclesiæ auctoritas commendabilis, quod nusquam legatur in arbitrio pœnitentium posuisse, quia pœna, Deo penderent, quòd eum offendendo, erant meriti.

Secundò, est de ratione pœnitentiæ, quæ Sacramentalis dicitur, vt liget, quia eius iniunctio, iudicialis est actio, obsequendi necessitatem in eo inferens, cui imperatur: at quæ alienæ voluntati exequenda committitur, non est necessaria, cùm sit in potestate eius cui præscribitur, illam obire, vel omittere, non est ergo censenda astringere, ac ligare pœnitentem.

Tertiò, differt sententia à concilio, quòd illa vim coactiuam habeat, est enim, vt Theologi affirmant, legis applicatio ad singulare factum, à qua vt abire sine peccato non licet, ita nec à sententia: Consilium autem coactionem non inferat, cùm qui consilium dat, eius qui consilium petit, causa det, quare faciliùs à mandato, quàm à consilio recedi solet, vt Iurisperiti aiunt, sed pœnitentiæ iniunctio, instar est sententiæ, quæ ipsa iusta est, nec fallax, ergo facienda, ergo pœnitentis arbitrio minimè committenda, quod fuit probandum.

QVÆSTIO XIX.

An moribundis imponi pœnitentia debeat & quæ.

DIco 1. *Morientibus pœnitentiam negandam non esse, sed eorum desiderijs annuendam, qui obitus tempore, hoc animæ suæ remedio cupiunt subueniri*, primò, quia *salutem homini adimit, quisquis mortis tempore speratam pœnitentiam denegat.* Cœlestin. in epist. 2. ad Episcop. Galliæ. Secundò, si tunc est neganda, sanè idcirco, quòd Christus ad vota periclitantis, eo tempore recluſas aures habeat, vel quia, ob mortis propinquitatem, ac viciniam, non libera eiusmodi pœnitentia videatur, sed coacta. Non primum, quia Deus ad subueniendũ paratissimus, inuitat ad pœnitentiam & promittit: *In quacunque die conuersus fuerit peccator, peccata eius non imputabuntur ei.* Nec secundum, *quia vera confessio in vltimo tempore esse potest*, 26. q. 6. can. 12. *vera-que ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius est æstimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter asserente, Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Cœlestinus in epist. 2. ad Episcop Gall. non est ergo vllo tempore, deneganda pœnitentia postulanti, 26. q. 6. can. 13.

Dico 2. *Si vis morbi est eiusmodi, si tam vehemens, acuta, ac grauis, vt infirmum, cuius vita est in desperatis, non sit passura, cum tunc sine probabili periculo, aut valetudinis incommodo, præstitutam sibi pœnitentiam implere: definenda erat alia, quam obeat, vbi conualuerit*, habetur apud Authorem, de visitatione infirm. lib. 2. sub finem, & Theodorum Cantuarien. in suo Pœnitentiali, his verbis. *Ab infirmis in mortis articulo positis, per Presbyteros, pura est inquirenda confessio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studijs pondus pœnitentiæ sublenandum: Et si diuinitùs ab eo periculo ereptus conualuerit, pœnitentiæ modum, sibi à Sacerdote impositum, diligenter obseruet.* Gratian. 26. q. 7. can. 1.

Dico 3. *Si salus est desperata, nec spes est vlla recuperandæ valetudinis, sufficiet imperare ægro, pœnitentiæ nomine, Iesu nomen, aut motum aliquem animæ, aut oblationem ipsius infirmitatis, ac mortis, in satisfactionem vitæ præteritæ.* Ratio est, quòd ad fugam culpæ, sufficiat aliquid pœnitenti præcipere, *quod tempora pœnitudinis, habita moderatione, constituenda sint, Episcopi iudicio, prout conuersorum animos perspexerit esse deuotos, pariter etiam habens ætatis senilis infirmitatem, & periculorum quorumcunque, aut ægritudinis respiciens necessitatem.* Leo Papa ep. 56. ad Nicætam, cap. 6. ergoò si e redactus erit pœnitens vi morbi, vt ab eo sperari non possit, magna operum, aut precum quantitas, quibus Deo, partem pœnæ, peccatis suis commeritæ exoluat, Sacerdos explebit officium, si quicquam tale, quale proximè notauimus, ei in pœnitentiam præstituat: iuuerit etiam tùm quod adnotant Fagundez præcep. 2. lib. 9. cap. 5. num. 11. si impotenti aliquid facere, imponat pro pœnitentia, quidquid tali hebdomada, aut mense, boni fecerit.

QVÆSTIO XX.

An pœnitentia cum pœna quam ex opere operato remittit, gratiam quoque producat.

DIco 1. *Pœnam aliquam ex opere operato pœnitenti remitti per pœnitentiam, quæ ei suis à Confessario imposita.* Colligitur ex Conc. Florent. in decreto Eugen. Trident. sess. 14. cap. 3. Ratio est, quòd ex Christi institutione, virtute clauium, satisfactio eleuatur tanquam pars Sacramenti integralis, ad destructionem integram, aut imperfectam peccati, quoad pœnam ei debitam, & quæ eo deleto per gratiam supereſt luenda in Purgatorio.

Dico 2. *Plus pœnæ per satisfactionem sacramentalem remitti, quàm qualibet alia non sacramentalis, priori in mensura, tempore, ac numero precum ac ieiuniorum æquali, quam sponte ac propria voluntate pœnitens susciput.* Ratio est, quòd sacramentalis vim suam trahat, non ab obiecto tantùm, quod commune habet, idemque cum ea, quæ à pœnitente sponte suscipitur, sed virtute clauium, Christique Domini institutione, ac merito, cuius est opus. Ita Paludanus in 4. distin. 20. q. 2. Beia parte 3. casuum.

casu 3. Candidus de Confess. disquisit. 24. art. 30. dub. 3. Nugnus to. 2. in 3. part. q. 23. art. 5. diff. 1. paragr. tota ergo difficultas.

Dico tertiò. *Iustos, cum satisfaciunt sacerdotis imperio, exequendo quæ sibi sunt pœnitentiæ nomine iniuncta, de condigno satisfacere, pro pœna luendain purgatorio.* Ita D. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. Durand. in Cand. disq. 24. q. 1. Molina disp. 715.

Ratio est, quod supposita Dei promissione, & acceptatione, opus bonum, quod viator in statu merendi, ac satisfaciendi existens, exhibet, est aliquo modo æquiualens pœnæ, in altera vita soluendæ, Laym. tract. 6. cap. 15. de Sacram. pœnitent. num° 3.

2. Est satisfactio authore D. Thoma in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. *Reparatio inæqualitatis, existentis in actionibus, & passionibus*, at hæc operibus iustorum tollitur, quæ hi Deo offerunt pro pœnitentia sibi iniuncta.

Minor probatur. Tantum Deo, ad condonationem pœnæ iusti exhibent, quantum exigitur, vt hæc illis concedatur, nam eorum opera, quæ ideo sunt Sacramentalia, quia pars sunt Sacramenti, & à Confessario præcepta, infinitatem quandam extrinsecam habent, vt à Deo iunt ac pendent, ergo per ea, vt sic tollitur infinitas quæ pœnæ inesse deberet qua parte Deum, æsum respicit, & cui satisfieri oportet, ergo si aliunde pœnitentia reliqua habeat, æquiualēs Deo à pœnitente offerri poterit pro satisfactione. Hæc tamen non est de rigore iustitiæ, quia non est de bonis propris, sed receptis à creditore offenso, nempe Deo, cuius est quidquid sumus, quidquid possumus, fac enim, mortalibus eius dona subtrahi, quid merentur? negari gratiam, quid illis fiet?

Dico quartò. *Pœnitentem, qui in statu peccati mortalis, sacerdotis imperata facit Deo satisfacere, non de condigno, sed congruo tantum.* Nam vt decet Deum satisfactoria opera acceptare, in recompensationem pœnæ, peccatis remissis per Sacramentum Confessionis debitæ (quod est, pœnitentis opera, satisfacto, ita esse de congruo) ita expedit, ea vim condignam non habere, eum placandi, quia condignitas operis pendet à gratia, qua pœnitens caret, cum quæ sibi pro pœnitentia sunt iniuncta, præstat in peccato.

Dico quintò. *Per satisfactionem quæ verè est Sacramentalis, produci gratiam ex opere operato.*

Probatur. Est satisfactio, pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, ergo eiusmodi cui ex opere operato, correspondeat gratia, gratum faciens, tanquam effectus eius proprius.

Consequentia probatur. Remitti scelera communiter nequeunt sine gratia, ex Dei institutione, sed hæc obliterat deletque satisfactio, sic enim Concil. sess. 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti, ipsi pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.*

Obiicies. Vt Sacramentum absolutione completur, ita & gratia, quæ ei ex Christi Domini institutione correspondet, tùm omnis producitur, ergo nulla reliqua est futura, quæ fiat per pœnitentiam.

Ad Anteced. Respondendum est, Sacramentum absolutione quidem compleri essentialiter, cum in ea cōsummetur, sicque quoad essentialia sua integrum sine pœnitentia, eiusque præstatione à pœnitente, male tamen ex eo Antec. inferri, in hac Sacramenti parte, de qua est modo quæstio, vim ad productionem gratiæ, nullam esse: peccata enim, quæ sunt in Confessione exposita, dolorem sine quo deleri à Sacramento non possunt, connotant, vnaque propositum satisfaciendi, super quæ fertur absolutio, & ideo hi omnes tres actus, sunt Sacramenti materia, qui partialiter ad productionem gratiæ concurrunt cum forma, secundùm Trident. sess. 14. can. 4.

At enim (inquies) effectus in actu, requirit causam in actu, sed remissio peccati, gratiæque productio, effectus est in actu, ergo eius causa debet esse in actu, at nondum est satisfactio cum vterque producitur, ergo, &c.

Confirmatur. Quod nihil est, non potest esse causa alicuius rei, sed satisfactio non est, cum profertur absolutio, quo momento maximè temporis fit gratiæ productio.

Respondendum. Satisfactionem concurrere ad gratiam tam in proposito eius exequendæ, quam ipsamet eius exequutione, licet diuersimodè, nam priori modo concurrit tātum dispositiuè, & ex opere operantis. 2. ex opere operato & efficienter, in eorum sententia qui volunt Sacramenta suum effectum producere in eo genere causæ. Atque hæc mens fuit Ludouici de Beia respons. parte 3. casu 2. vbi loquitur, his verbis. *Hinc est quod satisfactio, non solum confert gratiam prout est in proposito, sed etiam auget eam in exercitatione, quatenus vi clauium iniuncta à Confessario, peculiarem quendā modū habet ex opere operato augēdi gratiam, tanquā pars Sacramēti*, vt idē Sotus fatetur in 4. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 3. parag. at forsan quis. Idē censuisse videtur Candidus, tam disquisit. 24. art. 31. dub. 16. Assert. 30. loquens de eo qui amissa gratia, proindeque infectus culpa lethifera satisfacit, hūc ita satisfaciēdo alterius peccati conscium, reumque fore negat, quam venialis. *Quia gratia* (inquit) *quæ confertur in satisfactione, est minima, & quæ non respondet principaliter Sacramento*, eo quòd omnis fuit ante producta, per absolutionem, nec alia per satisfactionem producitur, quam pars eius quædam, per quam prior illa, quæ Sacramenti est propria, incrementum capit.

QVÆSTIO XXI.

An pœnitentia facta in mortali, iterari debeat.

Dico primò. *Præcepto Confessarij satisfieri, per pœnitentiam, quæ est impleta in statu peccati, & proinde ad eam iterandam pœnitentem, nulla teneri lege.* Ratio est, quod à Confessario solius operis substantia iubeatur, & non modus, quo debet, aut potest fieri.

2. Finis præcepti non cadit sub præceptum, ergo pœnitentia obita in mortali non est repetenda.

Consequentia probatur. Finis cuius causa iubetur pœnitentia, est, vt per eam tollantur nomina contracta peccando, pœnaque in primis toleretur aliqua, per quam soluatur alia, pœnitenti post hanc vitam, in purgatorio subeunda, & proinde, cum gratia, sine qua merito nullus locus, ergo cùm id quod legislatori, Confessario, ac Principi, in scisscenda lege, aut imponendo aliquo opere, loco pœnitentiæ, propositum est tanquam finis, eorum mandato, ac lege non censeatur comprehensum,

Digitized by Google

cùm ſit quaſi quid extrinſecum operi præcepto, ab eoque alienum, non obligabit ad ſui obſeruantiam.

Dico 2. *Satisfactoria opera, quæ platando numini, ſunt à pœnitente, Confeſſarij imperio oblata, pro pœnitentia, facta in mortali, tamen ad meritum vitæ æternæ, & gloriæ, nil deeſſe.* Cauſa eſt, quòd eius opera, qui eſt alienus à gratia, Deo non ſint accepta, vt qui peccatorem, cæteraque ad eum ſpectantia oderit.

Dico 3. *Etſi repetenda non videatur pœnitentia, quæ quia eſt executioni mandata, cum mortalis culpæ conſcientia, ad ſalutem, ac ſanctitatem non prodeſt, per eam tamen non remittitur pœna peccatis debita, ac ſoluenda in Purgatorio.*

Primò, quia per opera noſtra, nulla fit pœnæ, aut culpæ remiſsio, niſi in virtute paſſionis Chriſti: at hæc exiſtenti in peccato mortali, non applicatur, vtpote membro mortuo, quod etſi per fidem, Chriſto capiti, ſit vnitum, non illi tamen communicantur capitis vitalis influentiæ.

Secundò non facit ad promerendam relaxationem ſupplicij commeriti, ſatisfactio, niſi vt oblata Deo Patri per Filium, à quo vim habet, & cuius intuitu à Patre acceptatur, ſecundùm Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. Iam quæro, an veri ſpeciem vllam habeat, ã Chriſto, puritatis amantiſſimo, Deo Patri oblatum iri opera, quæ fœditate ſua, ac turpitudine, nauſeã certo ſunt illi allatura? Quòd ſi ea tam Deus Pater, quàm Filius reſpuunt, vt ſibi ingrata ac exoſa, per ea profectò non tolletur, aut minuetur pœna, quam peccatori infligi æquitas poſtulat, hîc aut in Purgatorio. Huius ſententiæ author D. Thomas, in 4. diſt. 15. q. 1. art. 3. Approbator, & comes D. Bonau. diſt 13, q. 2. Ad eandem accedunt Adrian. in materia de ſatisfact. 9. ex his dico. Sylu. verb. ſatisfactio, q. 2. B ia 3. parte Reſponſ. caſ. 2.

Contrariam arripuit Scotus, in 4. diſt. 15. eiuſdem ſententiæ comprobator eſt Nauar. in can. qui vult, de pœnit diſt. 6 num. 46 ſed nullo ſolido firmamento nixi ambo in eam mentem venille videntur, propterea non ſunt ſequendi.

QVÆSTIO XXII.

An vnus alterius loco ſatisfacere valeat.

Dico 1. *Poſſe aliquem pro alio ſatisfacere, modò ſit vterque in gratia.*

Probatur. Eſt Eccleſia inſtar corporis myſtici, cuius fideles ſunt membra, Chriſtus caput, ſed membra prodeſſe ipſa ſibi poſſunt mutuò, ergo & pro ſeſe inuicem ſatisfacere.

Secundò, Deus ſatisfactionẽ ex caritate profectã, conſentaneè eius naturæ, ac conditioni acceptat: at hęc, vt mutuæ amicitiæ communicationem exigit, ita & officiorum, ergo ſe his mutuò demereri fideles poterunt, ergo & pro ſe mutuò Deo ſatisfacere.

Confirmatur. Quiſque ſuæ ſatisfactionis, quemadmodum & operum quæ facit, dominus eſt, nihil ergo eſt rationis, quam ob rem eam à ſe abdicare, & in alium transferre non poſſit.

Dixi (ſi vterque ſit in gratia) quia licet iuſtorum opera impus, de congruo prodeſſe poſſint ad impetrationem gratiæ actualis, qua diſponantur ad habitualem, non tamen ad abſolutam pœnæ temporalis remiſſionem, quandiu manent impij, quia cùm reatus, id eſt, pœnæ, hîc aut in alia vita ſubeundę obligatio, culpæ ſit annexa, eius ſolutio, ad perfectam iſtius culpæ condonationem, & ad reconciliandam integrè amicitiam cum Deo pertinet, quod non ſit ſine gratia.

Dico 2. *Satisfactionem iuſti vnius pro altero, qui ſimiliter ſit iuſtus, eſſe de condigno.*

Ratio eſt, quòd per eam, principi Deo oblatam, vt quę ſunt ei ab altero debita, ſoluantur, tolli poſſit omnis inæqualitas quæ inter illum intercedebat, & alium, cuius causâ ſatisfit, ſtam ſuppoſita acceptatione Dei, eiuſque remiſſione, actio mea, tanti valere poteſt, quanti aliqua, quæ ab eo, cuius nomine ſatisfacio, Deo offerretur in eum finem: at nemo negat hunc Deo plenè, integrè, & de condigno ſatisfacere pro tota pœna peccati, aut eius parte, nec hæc ergo, operi meo poteſtas eſt deneganda.

Dico 3. *Pœnitentiam quæ à Confeſſario iniungitur, & eſt ſacramentalis, communiter non poſſe adimpleri per alium.*

Primò, quia obligatio perſonalis, per ipſum eſt implenda, cui imponitur.

Secundò, quia Sacramentorum omnium actiones, ſunt perſonales: nec enim quis baptizari, aut confiteri poteſt pro alio.

Tertiò, quia pœnitenti eſt præcepta pœnitentia, non alteri, quo in præcepto diſpenſare ipſe pœnitens non poteſt.

Quartò, ſatisfactio non tantùm in pœnam, & vindictam peccatorum imponitur, verùm etiam & in remedium, quo ſe fine, priuare nemo poteſt conſultò, ac prudenter.

Hanc ſententiam tuentur Vaſq. Martin. Ledeſ. Turrian. de pœnit. dub. 35. num. 3.

Pro oppoſita, eſt Fagund. præcep. 2. lib. 9. cap. 4. num. 12. & 13. Filliucius citatus ab Antonino Diana, tract. 4. de Sacram. reſolut. 82. aiunt enim hi Authores, pœnitentiam à Confeſſario pœnitenti præſcriptam, per alium impleri poſſe, *ſi Confeſſarius conſentiat, ex iuſta cauſa, & tunc ſuum effectum ſortiri in eo pro quo impletur ex opere operato, quia ingruunt, ſemper hoc modo intelligitur actus perſonalis pœnitentis poſitus, quatenus ad illius preces, & petitionem fit, & vt ſic poteſt eſſe ſuo modo pars Sacramenti ſuſcepti, debet tamen id fieri à principio, & in actu confeſſionis.* Hæc Diana.

Sed noſtra opinio vt tutior, ita quoque eſt in praxi præ alia ſequenda, quid enim æquius, quàm vt qui peccauit, imprudentiæ ſuæ pœnas, Deo læſo dependat ſi poteſt. Quòd ſi præ teneritudine corporis, imbecillitate animi, vi ac acerbitate morbi, hoc erga ſe caritatis officium præſtare, ei non ſit integrum, tunc Confeſſario omnis erit honeſtæ ratio, permittendi pœnitenti, aduocare in ſubſidium officij, in exequenda pœnitentia ſocium Guido de monte Rocherij, in manipulo Curatorum, tract. de pœnitent cap. vlt.

Dico vltimò, *poſſe pœnitentem, aliena ope raptim in præſtatione pœnitentiæ ſibi iniunctæ, quando eſt hæc in operibus, quæ cum eadem bonitate, fieri poſſunt per alium, vt eſt traditio eleemoſynæ.*

Ratio eſt, quòd ſic ſatisfiet intentioni Confeſſarij: Quid enim hic ſpectat hoc præcepto? nempe alienę inopiæ opem ferre, erogatione pecuniæ in pauperes, reum punire, Deo ſatisfacere, pœnam repetere de pœnitente commeritam, ob culpas in confeſſione expoſitas. At id abundè efficit, quiſquis alieno ad id miniſterio vtitur, ſic enim Regibus, ſic Epiſcopis eſt in more, bene mereri de paupere, ſic Confeſſario eleemoſynas imperanti obſe-

qui, ſic in redimendis peccatis, ſacerdotis opera vti, cui ideo nomen eſt eleemoſynarij, ſic eius manu, fideque, pecuniam præceptam à Confeſſario diuidere pauperibus.

QVÆSTIO XXIII.

An peccati reus ſit cenſendus, qui pœnitentiam differt.

DIco primò. *Id non videri.* Primo, quia eius in craſtinum reiiciendæ aut alium diem, iuſtæ eſſe poſſunt cauſæ. Secundò, quia de ea facienda illico, nullum eſt præceptum, humanum aut diuinum

Poteſt tamẽ, in periculo eam ex obliuione omittendi, aut negligentia faciendi, peccatum interuenire veniale, quæ eſt opinio Thomæ à Ieſu in Tribunali conſc. tract. 3. cap. 2. dub. 9. eaque vera.

Sanè exiſtimant Fernandez in inſtruct. Confeſſ. parte 1. documento 7. paragr. 2. num. 2. Diana 2. par. tract. 15. Miſcellaneo 1. reſolut. 53. paragr. ſed hæc dicta ſufficiant, eam ſine culpa mortali per annum differri poſſe, quod non probant Bonac. tr. 1. diſp. 5. ſect. 3. punct. 4. Sairus de Sacr. pœniten. cap. 38. Candid. diſq. 24. art. 30. dub. 9. aſſert. 11. nam eam illico, ac eſt iniuncta, implendam aiunt, ſub mortali, ſi ſit grauis, & eius differendæ cauſa iuſta nulla ſuppetat, & tempus ad quod reiicitur, ſit notabile.

Quid ſi Confeſſarius diem præſtituat, quo eam fieri oporteat? quid ſi opus aliquod, aut quid ſimile, vt ieiunium, verbi cauſa, in honorem ſancti, cuius feſtus dies inſtat, à pœnitente in ſatisfactionem exigat?

Dico ſecundò. *Si tùm ob morbum, aut iuſtum aliquod impedimentum, Confeſſarij mandatum, facere pœnitens non poſſit, non tenetur, dare operam, vt alio ei die pareat.*

Ratio eſt, quod abſtinentia, quod preces, quæ ſunt in honorem ſancti, pœnitenti imperatæ, videantur ex intentione Cõfeſſarij ſic adhærere diei, in quem incidit ſancti memoria, vt eo elapſo, de iis ſuſcipiendis, nulla reliqua ſit obligatio. Secus ſentiendum, quando res abſolutè præcipitur, nec dies notatur, aut hora, qua fieri debeat, aut ſi indicatur, indicatur ſine reſpectu ad celebritatem ſancti, vt accidit, cum à pœnitente Confeſſarius exigit, vt cuiuſque hebdomadæ diebus Mercurij, aut Lunæ, oret certas preces, aut ieiunet, nam tunc, ſi non paret, ſi vtrumque, aut alterum, ex obliuione, aut negligentia non facit, ex quorundam ſententia negligentiam ſuam emendare, ac certum eiuſdem hebdomadæ diem eligere debet, in quo, omiſſa reparet. Ita ex Nau. & Sylu. docent Fagundez præced. 2. lib. 9. cap. 4. num. 5. Diana parte 3. tract. 4. reſolut. 92.

Ratio eſt, quia præceptum Confeſſarij directè cadit in ſubſtantiam operis, in tempus autem tanquam in circunſtantiam accidentalem. Ita Caiet. verbo ſatisfactio, parag. 1. Suar. tom. 4. in 3. part. diſp. 38. num. 6. ſect. 7.

Deinde quis non videt, preces, & ieiunia, pœnitenti non præſcribi die Lunæ, aut Mercurij, ad celebritatem eius diei maiorem? ſicut vſu venire ſolet, cum præcipiuntur ab Eccleſia, in feſtorum vigilia. Quorſum ergo, & quamobrem, ea pœnitenti imperare, Confeſſario placitum? nempe, vt Deum placatum habeat, ei pro pœnis, ſatisfaciat, quas peccando in caput ſuum accerſiit, ac demum, offendere dediſcat, nec in eaſdem culpas recurrat, in quibus ætatem contriuit, at hæ cauſæ, tranſacto præſcripto tempore, adhuc perſeuerant, ergo in pœnitente eadem remanet obligatio, quæ ante, quare niſi ſuppleuerit aliquo die eiuſdem ſeptimanæ, quod non ſine culpa aliqua ſua prætermiſit facere, non vacabit omni crimine. Nauar. in manu. cap. 12. num. 52.

QVÆSTIO XXIV.

An qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ, teneatur iterum confiteri, vt ſatisfaciat præcepto Confeſſarij.

DIco primò. *Pœnitenti iteratò confitendum eſſe, quando ſciens & volens ad alia animum deflexit, ne audiret quæ ſibi à Confeſſario, iubebantur Dei nomine.*

Probatur, eſt ea pœnitenti Confeſſio iteranda, quæ non fuit integra, dimidiata enim eſt nulla, eò quòd integritas ſit de eius ſubſtantia, ſed qui ſponte, & cùm culpa aliqua ſua, ſacerdoti pœnitentiam præſcribenti, aures non attulit, peccauit, qua de culpa, ante datam abſolutionem, reum ſe non conſtituit, eam explicando Confeſſario, non fuit ergo eius Confeſſio integra.

Dices, in eo quidem à pœnitente peccatum eſſe, ſed venialiter tantum, eo verò peccati genere, conſtat Confeſſioni iniuriam non fieri, nec proinde eam oportere repeti.

Antecedens eſt falſum. Quia cùm pœnitens Confeſſarij iuſſa exequi ſub graui culpa debeat, vtpote iudicis, qui poteſtate ſibi ad id cõmiſſa cœlitus, eum ligare poſſit, id eſt ad ea facienda ſub peccato cogere, huic eſt, in id incumbendum ſedulo, vt quæ ſibi à Confeſſario, in cauſa animæ præſcribentur, intelligat, cum fieri nequeant, ſi ignorentur, ſitque eorum omiſſio implicate volita, in negligentia ea audiendi, ac diſcendi, eaque voluntaria, & huius opinionis approbator eſt de Beia reſponſ. par. 3. caſu 2. dub. 2.

Dico ſecundò. *Non videri mihi iuſtam vllam eſſe cauſam aſtringendi pœnitentis ad iterationem Sacramenti, quando ex negligentia, contemptu, aut obliuione culpabili, non ſatisfecit iniunctæ ſibi pœnitentiæ.*

Ita ſentiendi mihi, author Caiet. in ſumma verbo Confeſſio iteranda, paragr. ex ſatisfactionis, cui ſe, in ea opinione tuenda, comites præbuere Soto in 4. diſt. 20. q. 2. art. 2. Beia loco proximè citato.

Et probatur. Non eſt iteranda Confeſſio, niſi quæ irrita fuit, inanis, ac nulla, cum authore D. Thoma quodl. 1. art. 12. & in 4. diſt. 16. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 5. ad 4. nulla lege quis, ad ea peccata confitenda poſſit adigi, quæ integre, & vt erat neceſſe, ſacerdotis arbitrio diiudicanda, in ſacro conſcientiæ tribunali tradidit.

At in hoc genere ſibi, & officio ſuo pœnitens non defuit, vtpote qui nudum & perſpicuum ſacerdoti animum ad Confeſſionem attulit, cælata re nulla, quam cum ſcire oporteret, ab eo ergo Confeſſionẽ eorundẽ peccatorũ fieri nihil eſt neceſſe.

Dico tertiò. *Satis eſſe pœnitenti, vt ſe non culpa non inquinet, ſi contractam, omiſſione iniunctæ pœnitentiæ, ex negligentia, aut obliuione culpabili, expianat Confeſſario abſoluendam in Sacramento.*

Quia ſic emaculat animum, ſic ſe Sacerdoti volens ſubiicit, ad pœnitentiam recipiendam per Sacramentum, pro peccato à ſe admiſſo.

Si tamen crederet Sacerdotem eſſe memorem pœnitentiæ à ſe datæ, teneretur eum adire, ſi poſſet commodè, & ab eo reſcire quid fieri imperauerit, præſertim ſi eſt pœnitentia, impoſita pro mortalibus, eaque grauis. Nugnus tom. 2. in 3. part. q. 18. art. 3. dub. 3. Coninch. diſp. 10. de ſatisfact. dub. 9. num. 86.

QVÆSTIO XXV.

An pœnitenti identidem ad Sacramentum redeunti, noua ſemper pœnitentia imponi debeat.

DIco 1. *Cùm pœnitens noua aliqua peccata adfert, id eſt, ante non expoſita Confeſſario, & in præſenti, ſoluenda, pœnitenti præſcribendum aliquid eſſe in pœnam.*

Ratio eſt, quòd Sacramentum mancum eſſe, ac parte vna ſibi eſſentiali deſtitutum, Sacerdotis culpa, ſit vitioſum ac malum.

Dico 2. *Quæ pœnitenti cùm primo eſt confeſſus, imperata eſt à Confeſſario pœnitentia, in ſatisfactionem culparum, hanc ſecundò eidem intra horam, aut breue aliquod tempus, iterùm confitenti, iniungi non poſſe.*

Ratio eſt, quòd diuerſa Sacramenta, partes quoque diſtinctas habere debeant, alioqui diuerſa non eſſent, niſi ſecundùm quid: At Sacramenta hîc non ſunt eadem, nam peccata noua ſunt ad Sacerdotem allata, noua item contritio, ad eorum curationem adhibita, diuerſa item abſolutione ſunt remiſſa, quæ omnia indicant horum ſacramentorum diſtinctas eſſe materias numero, formas item differentes, nec eaſdem abſoluendi intentiones, oportet ergo ſatisfactionem, quæ eſt pars ad eorum integritatem neceſſaria, eandem non eſſe.

Probatur. Cuiuſque Sacramẽti, pr opriæ ſunt partes, ergo & ſatisfactio, non poteſt ergo vna eademque pluribus Sacramentis aptari: danda eſt ergo toties pœnitentia, quoties à pœnitente Sacramentum iteratur.

Secus quàm nos ſentiunt Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 20. num. 6. Bonau. tom. de Sacram. 1. diſput. 5. q. 5, ſect. 3. punc. 2. num. 3. ob eam maximè cauſam, quòd opus præceptum, ac aliunde debitum, offerri Deo poſſit in ſatisfactionem admiſſorum, maximè ſi Confeſſarij mandatum accedat, virtuſque clauium, ergo & ſatisfactio, quæ ab eodem, pœnitenti ante fuit iniuncta. Sed Conſequentia eſt neganda, eo quòd vnumquodque Sacramentum, vt ſit integrum, & perfectum, ſuas proprias, ac peculiares partes integrales, habere debeat.

QVÆSTIO XXVI.

An quando pœnitenti aliquod opus pro pœnitentia imponitur, intelligi debeat de aliquo, aliunde non debito.

CAuſa dubitandi eſt, quòd iniungi ea pœnitentia ſæpe poſſint, quæ aliàs præceptò diuino, aut humano ſunt debita, Coninch. diſp. 10. de ſatisfact. dub. 8. num. 68. Henriq. lib. 5. de pœnit. capite decimonono, numero quinto, cuius rei cauſa hæc reddi debet, quòd quolibet opere bono, licet debito, ius nobis nouæ gratiæ, gloriæque apud Deum acquirimus, at maius eſt gratiæ dona, gloriæque mereri, quàm pœnam remitti: nihil ergo eſt cauſę, cur hoc ſibi à Deo beneficium, quilibet benè operando, à Deo mereri non poſſit: ſi poteſt, ergo & ei præcipi à Confeſſario, vt tale aliquod in pœnitentiam ſuſcipiat, agatque.

Nec refert, quod vnica ſolutione ſatisfieri pluribus creditoribus, quibus tantundem debetur, nequeat, nam cùm in debitis realibus, quorum ſolutio ad iuſtitiam commutatiuã pertinet, ſpectetur æqualitas rei, ad rem, nec vna ſolutio, pluribus debitis poſſit æqualis eſſe, mirum non eſt, ſi per eam ſummam pœnuiæ, quæ vni eſt debita, extingui debitum aliud, par priori nequeat, quod locum non habet in debitis legalibus, ex voto, præcepto Dei, aut Eccleſiæ, vel iuramento, eo quòd hęc pendeant, vimque omnem ſuam ab intentione Legiſlatoris habeant: at hæc in vnum, & idem opus voti, v. c. & pœnitentiæ, poteſt tendere: vnde, quod eſt aliunde debitum, ac faciendum ex præcepto, poteſt pœnitenti iniungi in pœnitentiam à Confeſſario, quo præſuppoſito,

Dico nihilominus 1. *Operaeiuſmodi, communiter imperanda non eſſe pro pœnitentia.*

Cauſa eſt quòd ſic refrigeſcunt animi, ſic lenteſcunt ad bonarum artium ſtudia, ſic aduerſus Deum religio minuitur.

Secundò, quòd pœnitentiæ loco ſuſcipitur, acre eſſe debet, vehemens, atque difficile, puniendiſq; peccatis, actimonia ſua idoneum, ſed quod cuiqi faciendum eſt ex officio, aut præcepto Dei, vel Eccleſiæ, id quâ parte, pro ſatisfactione mandatur, non eſt graue, fieri enim debuiſſet, etſi Sacerdoti, viſum non fuiſſet, illud pœnitenti, in expiationem pœnę ſoluendæ in Purgatorio præſcribere, ergo cùm tale opus, nouæ difficultatis, pœnæ, ac grauaminis, nihil habeat, rationem punitionis ac ſupplicij non induit, ergo nec ſatisfactionis propriè ſumptæ.

Dico 2. *Cùm pœnitenti aliquid abſolutè imponitur pro pœnitentia ſacramentali, ſi aliud apertè ex mente Confeſſarij non colligitur, id de opere ſupererogationis, aliaſque indebito capi debet.* Ratio eſt, quòd ex communiter accidentibus, ac natura ſatisfactionis ſit, vt pœnitentia in dubio non intelligatur iniuncta, niſi de operibus voluntariis. Nauarr. in ſum. cap. 26. num. 24. nam probabile eſt, Confeſſarium pro ſua prudentia, ac caritate in Deum, voluiſſe cum eius cultu, impoſitione pœnitentiæ, pœnitentis promouere ſpiritale commodum, ſit id verò longè copioſiùs, opere ſponte ſuſcepto, aut certè in ſatisfactionem impoſito, quàm aliunde iam debito, lege Dei, aut Eccleſiæ, quia quo plura bona opera facimus, hoc eſt, meritum noſtrum amplius, Deique cultus in nobis, cæteriſque qui nos ſpectant, prouectior, at cùm ad præſcriptum opus à Confeſſario, in ſatisfactionem ſcelerum, accedit & aliud, non vltrò ſuſceptum, ſed ex præcepto debitum, plura à nobis prodeunt opera, quàm ſi alterum eorum duntaxat fieret, vera eſt ergo Aſſertio.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXVII.

An Indulgentia ſummi Pontificis, pœnitentia tolli poſsit, aut minui à ſacerdote, pœnitenti iniuncta.

Dico primò. *Minui poſſe.* Probatur ideo neceſſaria eſt homini ſatisfactio, vt Deo pro culpis, per toleratiam pœnæ, fiat aliqua compenſatio, at ſit hæc, licet inæqualis debito, cum id agitur, quod conſequendæ indulgentiæ cauſa, Papa præcipit, ergo per eam minui pœna poteſt.

Secundò maius eſt momentũ in Chriſti meritis, ac Sanctorum ad ſatisfaciendum, quam noſtris, at Deo, per nos ſatisfieret, ſi ei tantum de noſtro offerremus, quantum nomine noſtro, à Pontifice, de aheno tribuitur per indulgentiam, quæ nihil eſt aliud, quam remiſſio temporalis pœnæ, debitæ peccatis actualibus pœnitentis, à Prælato Eccleſiæ facta, virtute paſſionis Chriſti, ac Sanctorum, ergo vt eſt Papæ liberalitas maior, aut minor, in conceſſione indulgentiæ, ita ſunt tempora pœnitentiæ, quæ à nobis fieri debuiſſet, futura breuiora, aut magis producta.

Dico ſecundò. *Qui ſcit ſe moraliter præſtitiſſe omnia, quæ Papa ad indulgentiam plenariam conſequendam exigit, hic ab impienda pœnitentia ſibi iniuncta eſt liber,* aſſertionem probant argumenta quæ ſequuntur.

Primum ceſſante fine, ceſſant ea quoque, quæ eius obtinendi gratia, natura peperit, aut inuenit humana induſtria, ſed finis, cuius cauſa, pœnitenti pœnitentia in Sacramento præcipitur, eſt, vt ſoluat pœnam peccatis ſuis debitam, quæ tamen nulla amplius, poſt indulgentiam plenariam dependenda ei ſupereſt, ergo eius exequendæ poſt obtentam indulgentiam plenariam, obligatio nulla eſt ſuper.

Secundum, qui tantum Dei cauſa pateretur, quanti ſunt Chriſti, ac Sanctorum cruciatus, hic ſanè pro culpa ſua Deo pleniſſimè ſatisfaceret, cum plus Deo Patri honoris, ac gloriæ, à Chriſto patiente acceſſerit, quam ei ſit dedecoris à peccante homine illatum, ſed per indulgentiam plenariam, Chriſti, ac Sanctorum paſſio peræque imputatur homini ad fructum, ac ſi hæc eius eſſet, quare indulgentiarum conceſſio, vocatur à Lud. de Beia tom. 1. caſuum caſu 38 abſolutio, & ſolutio, abſolutio quidem, quod is, cui conceduntur, eximatur à pœna perſoluenda, ſceleribus ſuis debita, non ex ſuo, ſed alieno, ſolutio autem, quod à Chriſto, pro illo offeratur, Deo Patri, quantum æquitas, ad ſatisfaciendum exigit, imò innumeris partibus amplius, cum quælibet Chriſti actio, infiniti fuerit valoris ad merendum.

Dico tertiò. *Poſſe proinde Papam extra Sacramentum ſacramentalem ſatisfactionem minuere, abrogare ac tollere.*

Primò, quia nihil eſt neceſſe, indulgentias Exomologeſi peccatorũ cõiungere, huic enim cum illis quænam intercedit neceſſaria coniunctio? quaſi verò ac ſi omnibus, confitentibus aures Pontifex accommodaret quos in partem meritorum Chriſti Domini per indulgentiam aduocat? id verò, quis niſi expers prudentiæ, ac conſilij exiſtimet?

Secundò, quòd hæc, aut illa, obire pœnitentiæ nomine pœnitentem oporteat, humani eſt iuris, cum pœnarum indictio, Confeſſarij relicta ſit arbitrio, vt diximus antea: at quæ leges, ab hominis voluntate vim habent, ſi ſunt Eccleſiaſticæ, aut ad bonum pertinent animæ, has antiquare, ex cauſa iuſta, ac prudenti, Pontifici Romano eſt licitum, cum nos, noſtraque, ab eo, vti Parente, ſummoque Moderatore, ac Principe pendeant, ergo & mutare, aut refigere pœnitentiam, quæ priuatæ inſtar legis eſt, priuato homini dictæ.

Dices, ſic Sacramentum euadet patte ſui altera mutilum.

Nequaquam id vero, primò, quia communiter Papa ad conſequendam indulgentiam, opus aliquod homini imperat; deinde, quia ſic Chriſtus adhiberi ſatisfactionem ad integritatem Sacramenti voluit, vt tamen caſum hunc exement, quo præ cæteris, ſua aduerſus homines beneficentia, ipſe pœnitentis vices ſuppleret, proque eo ſatisfaceret Deo Patri.

Dico quartò. *Quando indulgentia dantur abſolutè, pœnitens non tantum à pœnitentijs olim à Confeſſario iniunctis eximitur, ſed etiam ab iniungendis.* Ita D. Thomas q. 25. art. 1. additionum, Maior diſp. 20. q. 2. paragr. dubitatur, Sylu. verb. Indulg. q. 2. Ioan. Medina de indulg. diſp. 4. cap. 13. Corduba de indulgentiis q. 7.

Ratio eſt quod iuris diſpoſitio, tantum eſt extendenda, quantum verborum proprietas patitur, ſed indulgentiarum abſoluta conceſſio, iuxta propriam ſignificationem verborum, æque comprehendit pœnas iniunctas, atque non iniunctas, ergo ad priores reſtringi hæ non debent, quis enim id iure poſtulet, ſeueriores vt ſimus, quam lex ipſa? vetus enim eſt iuriſperitorum axioma, cuius meminit Gloſſa in canonem Conſuluiſti 2. q. 5. *Quæ ius indefinite ſtatuit, ac ſine reſtrictione, hæc coercenda, ac limitanda non eſſe.*

Confirmatur. Romæ anno Iubilæi, non ſolent pœnitentiæ à Confeſſarijs præſtitui, niſi perexiguæ Paludano teſte, ſignum ergo eſt, velle Pontifices, per indulgentias à ſe conceſſas, à pœnitentis tam iniungendis, quam iniunctis, pœnitentes poſſe eximi.

Quare ſentio non peccare pœnitentem, ſi quod eſt iuſſus pro pœnitentia exequi, Iubilæi tempore, volens omittat. Ratio eſt, quod ceſſante fine, ea quoque ceſſare ſit neceſſe, quæ ad eum, natura ſua, aut voluntate operantis tendere ſolent, ac dirigi, at cùm eſt indulgentia, Papæ beneficentia, plenaria vt aiunt, nec ad ſeptimanas, aut dies reſtricta, pœna nulla homini luenda ſupereſt, hic aut in purgatorio, cuius tamen expiandæ ac ſoluendæ gratia, imponitur à Confeſſario pœnitentia, ergo ſi eſt expiata, ſi ſoluta, vt ſupponitur, à pœnitente non eſt implenda.

Dico vltimò. *Si indulgentiæ, ſunt ad certos dies renouatæ, ſi ad hebdomadas, aut annos, poſſe pœnitentem, totidem dies, annos, aut hebdomadas, à Confeſſario iniunctas omittere, ſi probabiliter credit ſe non amplius coram Deo debere, quam ipſi ſit iniunctum.* Ita Gabriel in ſupplemento diſt. 45. q. 3. art. 2. E re tamen eſt pœnitentium, vt tradit S. Th. in addit. q. 25. art. 1. ne tunc quidem. pœnitentias imperatas in Sacramento omittere. 1. Quia ſæpe hi plus debent, quam eis ſit remiſſum, aut remittendum per indulgentiam. 2. Quia noua quotidie debita dicti pœnitentes contrahunt. 3. Quia ignorant ecquid ea verè impleuerint, ac vt oportebat, quæ conſequendæ, indulgentiæ erant à Papa præſtituta.

QVÆSTIO XXVI.

An fuerit vnquam talis vlla pœnitentia, & quibus peccatis imponi ſolita.

PRæter pœnitentiam priuatam, & aliam in vſu fuiſſe fidelibus magnorum criminum reis, communis eſt Doctorum opinio, teſtata Conciliis, & rationibus.

Prima harum rationum congruentia quadam nititur: nam vt qui alterum induxit in fraudem, vt culpam ſuam diluat, tantùm benè viuendo ei prodeſſe debet, quantum peccando nocuit, & quemadmodum qui mentiendo, alienæ famæ lucem infecit, hanc culpæ propriæ confeſſione, aut petitione veniæ, coram, ac in eorum oculis, quos audaciæ ſuæ in detrahendo teſtes habuit, detergere debet, vt ſic alieno nomini inſperſa à ſe labes, ac audientium circumfuſa animis deſinat, ſic qui non ſibi modò, ſed & Eccleſiæ vniuerſæ dedecori, peccando fuit, quam turpi ſuo facto plagam intulit, hanc publicè reparare pœnitendo debet, vt ſic quos probroſis operibus ſubruit, hos ſpontaneis cruciatibus, aut aliena voluntate ſuſceptis, erigat: ex quo manifeſtum eſt cuique, quòd pœnitere coram & publicè, non modò ſit ad exemplum vtile, ſed etiam interdum neceſſe.

Secundò, ſuadet ratio, vt in via morum, & ſalutis tot difficultatibus, ac periculis circumſeſſa, ea ſibi quiſque ſalutis præſidia capiat, quibus fretus vitare culpam, amplecti rerum magnarum ſtudia valeat. Ateſt publica pœnitentia, de earum rerum genere, quæ voluntatem, iniecto quaſi fræno cohibent in officio, ac abalienant à peccato, cùm nemo ſit tam ſui parum amans, qui cenſuram non metuat, ea quibus in contemptum, odiumque venit hominum, non horreat, cuiuſmodi ea eſſe, quæ publicè argui, publicè notari, & puniri ſolent ab Eccleſia, nemo, opinor, ibit inficias. Quod cùm Hiſpani Epiſcopi intelligerent, ſcirentque multos vbique, tam facilitate humani ingenij, ad eadem peccata tenoluí, quàm Sacerdotum, ad quos pœnitentiæ cauſa, aditus habebant quocumque tempore liberos, è re communi, tam Eccleſiæ, quàm priuata fidelium eſſe cenſuerunt, in Concil. Tolet. 3. circa Pelagij tempora, prohibere reconciliationem cum Deo, quàm non præceſſiſſet publica pœnitentia: abs re non erit hîc verba apponere Concilij: ſic ergo canone 11. *Quoniam comperimus, per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis, homines agere pœnitentiam, vt quoties peccare libuerit, toties à Preſbyteris ſe reconciliari expoſtulent, & ideo pro coercendam exectabilis præſumptione, id à ſancto Concilio iubetur, vt ſecundùm formam canonum antiquorum, detur pœnitentia, hoc eſt, vt priùs eum quem ſui pœnitet facti, à communione ſuſpenſum faciat, inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere.* Valet ergo Patrum iſtorum teſtimonio, pœnitentia, quæ ſit coram & in oculis Eccleſiæ: ad ingenerandum animis peccati odium, eiuſque fugam: ob eamque cauſam eam frequentare, antiquis erat in more. Eſt hoc Leonis I. plenum prudentiæ decretum, in epiſt. decretali 90. ad Ruſticum Narbon. cap. 18 *Vt qui idola adorauere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem non admittantur, niſi poſt pœnitentiam publicam.*

Datur ego aliqua eiuſmodi, Leonis opinione, quæ eſt etiam Patrum, in Conc. Piſtenſi, can. 2. Toletano 1. can. 2. Troſſetenſi, can. 4. Tolet. 16. canone 4.

Ab ea miſſionem impetrari ſola impoſitione manuum potuiſſe, habet can. 78. Concil. Carthag. 4. quam à ſolo Epiſcopo dari ſolitam, aut à Presbytero de eius tantùm facultate expreſſa, vel tacita, vt cùm abeſt, ſcriptum reperies can. 21. Concil. Carthag. 3.

Et quoniam loco erant, ac claſſe, in Eccleſia diſtincti pœnitentes à cæteris fidelibus, iuxta Bellarmin. lib. 1. de pœnitentia, cap. 22. de illis ideo ſcripſere Patres, vt de hominibus à reliqua turba fidelium ſeiunctis: *Catbecumenis*, inquit Pacianus in paræneſi ad pœnitentiam, *ne in hoc tranſeant, & fidelibus ne in hoc redeant prouidendum eſt, ipſis verò pœnitentibus, vt celeriter, ad huius operis fructum perueniant, laborandum*: nempe quia Eccleſiæ aditu prohibiti, extra eam in veſtibulo culpas ſuas gemere, aut ſi quando ad eam admittebantur, concionis audiendæ cauſâ, inter audientes conſiſtere iubebantur, inde egreſſuri, cùm ſacra inchoabantur Myſteria. Equidem Auguſt. lib. 5. Homiliarum, hom. 49. competentes, & fideles à pœnitentibus ſeparat, quos certum gradum, ordinemque obtinuiſſe in Eccleſia, indicant hæc verba Conc. Arauſicani I. can. 3 *Quòd ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem, cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.*

Facilis mihi iam, expeditaq; videtur eſſe quæſtionis ſecundæ explicatio: nec enim potuere in ſententiâ Eccleſiæ pœnitentes relici, non inter vltimos cenſeri, non priuari ſacra ſinaxi, niſi ob culpâ aliquam, eamque non vulgarem. Quæro ergo, quæ fuere ſcelera canonicis olim legibus eluenda publica pœnitentia?

Non niſi fœda, non niſi turpia, non niſi humanis, ac communibus maiora, qualia ſunt Leoni Papæ, Epiſtola decretali 90. ad Ruſticum Narbon. cap. vltimo, *homicidium, idololatria, fornicatio.* Africanis autem Epiſcopis, in Concil. Carthag. 3. can. 3. *Vulgata, ac à cunctis cognita.* Hiſpanis in Toletano 1. can. 2. *grauiſſima. Eum pœnitentem dicimus, qui poſt Baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus, grauiſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, ſub cilicio, diuino reconciliatus fuerit altari.* Patricidij meminere Epiſcopi in Synodo Mogunt. ſub Rabano, ca. 20. fratricidij in Vormacien. ca. 30. Idololatriæ in Nannet. can. 20. his peccatis. Braccar. Concil. 2. annumerat adulterium, periurium, falſum teſtimonium. Eliberinum, hæreſim, librorum ſacrorum traditionem. Cyp. in ep.

QVÆSTIO XXIX.

Quæ cuique peccato pœna publice imponi ſolita.

LOngũ eſſet ire per ſingulas: quare quæ ad rem magis pertinent, & ſciri debent, curſim tantũ, ac quam licebit breuiſſimè, aperire mihi hîc animus. Et primò, dici id vniuersè poteſt, in peccata ſingula publica, ſeptennem pœnitentiam fuiſſe canonicis legibus inflictam, teſte Gratian. in can. 44. diſt. 50. & in can. *hoc ipſum*, §. 1. cauſa 33. q. 2.

Eiuſdem annorum numeri fit mentio in Concil.

Digitized by Google

Illerd. canone 2. Mogunt. ſub Rabano can. 11.

Dixi publica, nam quis credat, latentia in foro animæ, tanta & tam acri pœna potuiſſe plecti? aut parem culpis omnibus lethiferis, annorum numerum à ſacerdote exigi in earum pœnam? *Sane*, inquit Nauar. Ench. cap. 26. numero 17. *inceptè imponeretur pœnitentia ſeptennis pro vno quoque peccato, ei qui mille confiteretur.* Quid? quod ibidem ille, & in can. falſas. de pœnitent. diſtinct. 1. & poſt eum Reginaldus lib. 7. cap. 5. num. 48. aſſerant, pœnas in tribunali, foroque conſcientiæ, nunquam non fuiſſe liberas, nunquam non Confeſſarij prudentiæ, arbitrioque creditas? quod earum certa, definitaque quantitas, fuerit in externo tantum foro ſeruanda? Nauar. Enchir. 26. num. 17. in quo ſolo vim habuere de pœnitentia collecti à Gratiano canones num. ſex. & quadraginta, præter quos, & alij ſparſim ſunt, vt res poſtulabat, à Conciliis editi.

Ordiamur ab hæreſi, aduerſus quam, *Conc. Epaunenſe can.* 29. incarcerationē biennij ſtatuit. *Conditione* (inquit can.) *inſita ſcripta obſeruationis, vt præſcripto biennio, tertia die, ſine relaxatione, qui eius ſunt conſortij ieiunent, & Eccleſiam ſtudeant frequentare, in pœnitentium loco ſtando, & orando humilitatem nouerint obſeruandam.* Cui pœnæ addit Agathenſe primum, ieiunium biennio duraturum, & locum extra templum cum Cathecumenis.

Proxima hæreſi, eſt Idololatria: hanc expurgari exilio, & remotione à ſacris, ſeu excommunicatione voluit Eccleſia Hiſpanica, in Concil. Tolet. 12. can. 11.

Raptor Virginis Deo conſecratæ aut denuptæ, aut ei vim inferens à communione Eccleſiaſtica repellatur, ait can. 16. Concil. Aurel. 3. *vſque ad vitæ exitum, viatico tantùm ei reſeruato in infirmitatis periculo.* Quod & Gregorio Magno placuiſſe video in Concilio Romano 2. canone 10. & 18.

Quid cæteri? ſeruum proprium ſine conſcientia iudicis opprimens, excommunicatione, ac biennij pœnitentia plectitur, In Agathenſi 1. can. 62. Aurel. 1. can. 11. Vormacienſi ſub Adriano ſecundo Papa, & Ludouico ſecundo Imperatore, *can.* 38.

Grauiore longè ſupplicio puniuntur in Matiſcon. Concil. qui ſcientes vim proximo inferunt: ibi enim hæc habentur. *Si quis homicidium fecerit, ſi Epiſcopus eſt 15. annos pœniteat, & deponatur, canonesque quoque vitæ ſuæ dies peregrinando finiat. Presbyter 12. annis pœniteat, tres ex his in pane & aqua, & deponatur ſuperioris ſententia. Diaconus 10. annis pœniteat, ex his tres in pane & aqua.* Occidens caſu, 5. annis pœnitere præcipitur in Conc. Ancyrano, can. 22. & in Eliberitano can. 5. qui ſcienter & voluntariè, decem annis in Concil. Romano ſub Gregorio, *can.* 14.

Fur autem è clericorum ordine, à communione Eccleſiaſtica reiicitur, ſola peregrina ei relicta. Agathenſis 1. can. 5. ac ſi vino ſinebat ſe obrui, corporali ſubdebatur ſupplicio niſi malebat communione priuari 30 dierum ſpatio, ibidem *canone* 41. qui autem in alienam famam faciebat impetum, dicens, quod verum non eſt 7. dies iubebatur in pane, & aqua ſequeſtratus à fraterno concilio exigere. Agathenſe primum in canonibus additis.

Male conceptos fœtus ex adulterio, aut editos, manu vel potione enecans 7. annis à ſacris remotus altaribus, domi ſuæ ſpiritalibus deſtitutus eſcis, viuebat in tenebris, quibus exactis, *ſta tribuebatur ei communio tamen, vt omni vitæ tempore fletibus, & humilitatis inſiſteret, miniſtrandi verò officium, ſi clericus erat, ei recuperare non licebat.* Illerdēs. Conc. can. 2.

In fornicarios clericos incredibile eſt quantis cruciatibus, & quam aſperis ſæuierint priſci Galliæ Antiſtites, placet iuſtam eorum ſeueritatem agnoſcere, manu ſua depictam in ſynodo Francica ſub Carolomanno an. 742. *Statuimus vt quiſquis ſeruorum Dei, vel ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, vt in carcere pœnitentiam agat in pane & aqua, & ſi ordinatus fuerit Presbyter, duos annos in carcere pœnitentiam faciat, ſi autem clericus, vel monachus, in hoc peccatum ceciderit, poſt tertiam verberationem, in carcerem miſſus, vertentem annum ibi agat.*

Quæ autem vaſa ſacra diripientibus pœna debeatur, quæ interfectoribus ſuarum coniugum, quæ matricidæ, habetur in reſcriptis Nicolai primi, *tom. Concil 3. titulo 17. num. 1. 3. & 4.* quæ incendiariis, templorum maximè, *17. q. 4. can. ſi quis Eccleſiam*, quæ aliquem iniuſtè accuſantibus ad mortem, cap. accuſati, de accuſationibus.

QVÆSTIO XXX.

Quotuplex fuerit pœnitentia publica.

OMnino duplex, ſolennis & publica. Publicæ fit mentio in Moguntina ſynodo ſub Rabano, can. vltimo in Cabillon. Concil. ſub Carolo Magno, can. 36. in cap. innotuit. 1. de maledictis & 2. eiuſdem tituli. Solemnem Auguſtinus Humillimam nominat Epiſtola 54. quam à priori fuiſſe diuerſam indicant coniecturæ ſequentes: prima quod clericis imponi pœnitentia publica poterat, non autē ſolennis Publicam agnoſcunt Clem. III. & Patres in Conc. Arauſic. 1. can. 4. *Cùm eam clericis deſiderantibus aſſerit non negandam*, maximè ſi eſt vt Clemens tertius, loquitur in capite ſeptimo, de pœnitentiis, eorum crimen multis notum. Equidem ſcimus Natalium, eum qui à Theodoto, & Aſclepiodoto hæreticis ſeductus, tandem in viam, bonamque frugem Angelo admonente rediit, publico pœnitentiæ argumento multa feciſſe digna laude. Nam ad Zephirim ſepedes lachrymis perfuſus abiecit, ab Eccleſia veniam delicti petiit contuſione pectoris, humi cubatione, Pontificis & Eccleſiæ ſententiam præuenit. De Philippo Imper. eiuſque publica pœnitentia ſcribit his verbis Euſeb. lib. 6. cap. 27. *Fama eſt hunc* (Philippum ſcilicet) *cum precationum in die poſtremæ vigiliæ Paſchatis, vnà cum multitudine in Eccleſia vellet fieri particeps, non priùs ab Epiſc. permiſſum eſſe intrare, quàm ſe confeſſus fuiſſet, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumque pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſponte collocauiſſet, Epiſcopumque dixiſſe, &c.* Videns vt qui reus erat multorum criminum, inter pœnitentes locum ſibi publicè delegit, vt prioris vitæ facta tam confeſſione, quàm dolore, diluit.

De Theodoſio itē hæc ſcripta video apud Theoretum, lib. 5. Hiſtoriarum cap. 17. *Quoniam tu quidem*, inquit Ambroſ. *iudicium iracundiæ permittis, neque ratio, ſed furens animus ſententiam pronuntiat, ſcribito legem, qua iracundiæ ſuffragia irrita, & ſupernacua reddantur, tresque dies 30. præſcriptæ ſententiæ cadium, & publicationum bonorum operientes indicationem rationis*, quæ nemini contiuio, cùm facturum ſe Imperator ſanctè eſſet ac religioſè poſ-

Digitized by Google

licitus: *Tam enimuerò*, addit Author, *D. Ambroſius vinculis ipſum exoluit, & templum introire auſus fideliſſimus Imperator, non ſtans, neque flexis genibus Domino ſupplicabat, ſed pronus humi ſtratus, Dauidicam vocem emittebat, agglutinata eſt pauimento anima mea, viuifica me ſecundùm verbum tuum, manibus capillum vellens, & frontem percutiens, ac guttis lachrymarum pauimentum rigans dari ſibi veniam petebat* quæ ab eo facta eluendæ culpæ causâ, ac in pœnam admiſſæ, Ambroſiique monitu, neminem ambigere arbitror, cùm interroganti, quam pœnitentiam oſtendiſſet, poſt factam imperio ſuo cladem Antiochenſium, aut qua medicina curaſſet grauiſſima animi ſui vulnera, reſpondent, *Meum eſt, vis quæ fuerint à te adhibita, vis.* Non abibo ergo à vero, ſi dixero, quidquid hîc eſt pro commiſſis factum à Theodoſio, factum eſſe à pœnitente publicè, non tamen ſolenniter, id totum Ambroſij geſtum eſſe imperio. Enimuerò hîc cilicium nullum, nulla veſtis lugubris, nulla capitis eraſio, nulla comæ ſectio, quibus tamen rebus vti inſignibus conſpicuus, qui ſolenniter pœnitebat, procedebat in publicum.

Quid? quod iſti, id eſt, ſolenniter pœnitenti, certa tempora præſtituta erant, quibus cum extra templum hærere erat neceſſe, in ſqualore & lachrymis, quibus exactis ſedebat cum Catechumenis, vt Nicol. primus in reſponſis, tit 7. num. 1. & 4. aſſerit, quorum nihil factum hîc video à Theodoſio, cuius pœnitentia eodem quo incœpit die, finiuit, ſic enim ex Theodoreti verbis colligo: *Cùm*, inquit, *iam tempus aduenisſet, quo ad ſacram menſam munera offerrentur, ſurrexit ſimiliter plorans, & ad ſacrarium acceſſit, & poſt oblationem, vt conſueuerat, intra cancellos reſtitit.* Fuit ergo publica pœnitentia diſtincta à ſolenni.

QVÆSTIO XXXI.

Qui fuerint eius pœnitentiæ, quæ ſolennis dicitur, ritus ac cæremoniæ.

SOlennis pœnitentiæ, quæ publicè certis perſonis, & cæremoniis adhibiti fiebat, ritus omnino extitere varij.

Primò, qui ſolenniter pœnitebat, proprium ſibi ac peculiare indumentum habuit colore atrum. Agathenſe 1. ſub Symmacho Papa III. anno 506. can. 15. quod Ambroſ. ad virginem lapſam, cap. 8. diſtinctum fuiſſe ait à communi cæterorum, & colligitur ex Aurel. III. can. 14. illic enim: *qui pœnitentiæ benedictione ſuſcepta ad ſæcularem habitum, militiamque reuertitur, viatico conceſſo uſque ad exitum, excommunicatione plectitur.* E pœnitentium autem numero abiicitur qui veſtimenta non mutat, canone pœnitentes, diſt. 50. quod non accederet, ſi iſtorum, & non pœnitentium, eadem veſtiſſet.

Ad veſtem addebatur cilicium, Pacianus in paræneſi ad pœnitentiam, quod Agathenſe 1. can. 15. ait ab Epiſcopis ſolitum pœnitenti tradi, & eius capiti imponi, ſaccum nominat Hieron. in epiſtola ad Oceanum de obitu Fabiolæ. Tertull. de pœnitentia, cap. 9. *De ipſo quoque habitu atque victu, mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit triſti retractatione mutare.* Ac ne quid eſſet, quod pœnitentem in ſuo ſqualore delectaret, crinem ponebat. Concil. Toletanum 3. can. 15. Ambroſ. ad virginem lapſam, cap. 8. his verbis: *Lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens, ac membra ſingula digna caſtigatione puniendæ, amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt, deſinant oculis lachrymæ, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt, palleſcat facies, quæ quondam virum impudicè, totum corpus iniuriis ac teſtiuis maceretur, cinere & cilicio opertum perhorreſcat.*

Quæ vt ei, benè omnia, proſperéque ad animæ commoda, Deique gloriam verterent, Epiſcopus proſtratus in terra cum lachrymis, pro eius abſolutione ſeptem Pſalmos pœnitentiales decantabat, quibus abſolutis, manuque ſuper eius caput impoſita, oratione lugubri, crebriſque interciſa ſuſpiriis, denuntiabat homini, quòd ſicut Adam proiectus fuit de Paradiſo, ita & ipſe de cœtu communi populorum extrudebatur vt putre membrum, ac tabidum in locum pœnitentibus affectum, quo dicto, illum eius imperio Miniſtri, templo nec ſine dedecore cogebant egredi, Clero proſequente cum Reſponſorio: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.*

At vbi, & quo loco reſidere pœnitentes, canonicæ iubebant leges?

Duorum meminit Concilium Nicænum 1. can. 12. & 14. quorum alter orantibus attributus eſſet, audientibus aliis. Enimuerò, qui ad antiqua prioris vitæ ſtudia redibant, militiæ maximè, intermiſſa pœnitentia, cui ſe, probante Epiſcopo publicè mancipauerant, ὅτι δεκα ἐτη τῶν τριετῶν ἀκροάσεως, id eſt, *bi decem annis poſt trienny tempus, quo inter audientes erant in aſſiſtione permaneant.* can. 11. ὅσοι χωρὶς μετανοίας πίπτουσι ἐν ἀκροωμένοις πίπτουσι οἱ περὶ ἡμᾶς ἐπὶ ἐτη δέκα μετὰ τὸν τρίτον ἐν χωρὶς προσευχῆς κοινωνοῦσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν, qui veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, ſeptem omni ſe contritione deiciant, duobus autem ſine oblatione populo in oratione communicent: Eadem habet can. 14. περὶ τῶν καταχουμένων ἠ, παραπιστάντων ἰδίᾳ τῇ ἁγίᾳ ἡ μεγάλῃ συνόδῳ ὥστι τριῶν ἐτῶν ἀκροωμένους μόνον μετὰ τοῦτο τυγχάνειν μετὰ τῶν κατηχουμένων, id eſt, *de Catechumenis, & lapſis ſancto & magno Concilio placuit, tribus annis ſint inter audientes tantummodò, poſt hæc autem cum Catechumenis orent.*

Nicolaus primus in reſponſis ad Bulgaros tit. 17. num. 1. & 4. ad priora duo loca alia adiicit, eaque ambo extra Eccleſiam, Pontificis ſunt hæc verba. *De quibus ſi ita eſt iubemus, cum ad pœnitentiam quandoque reuerti accelerauerint, vno anno extra Eccleſiam Dei conſiſtere, ſecundo anno ante fores Eccleſiæ, ſine communione maneant, tertio Eccleſiam Dei ingrediantur, & inter audientes aſtent ſine oblatione.* Ita quòd notauit Greg. Neocæſarienſis in Epiſtola Photij canonibus adiuncta, loca quatuor pœnitentibus addicta erant, priori poſito extra portas Eccleſiæ, à lachrymis, & fletu quibus erat celebris, nomen erat προσκλαυσις. Secundò quòd pœnitentes aduoluerentur intrantibus Eccleſiam eorum genua prenſarent, preces peterent, nomen inditum ὑποπίπτοντες. Tertiò, ἀκροᾶσθαι, quod cum Catechumenis audiendi causâ in Eccleſia ſtarent, vnde cum iis ad vocem Diaconi quando ſacra myſteria inciperent, egredi iubebantur, ſicut præſcribit canon 37. Conc. Agath. in hæc verba *In pœnitentium loco ſtandi, & orandi, humilitatem ita nouerint obſeruandam, vt etiam ipſi, quum Catechumeni egredi commonentur, abſcedant.*

Quartò, nomen fuit προσευκτήριον, à loco quo Chriſtiani ad orandum, aut ſacrificium audiendum frequentes coibant, & in quo pœnitentes reconcilia-

tioni proximi consistebant tam orationis quàm sacrificij gratia, quas ego quoque res ex parte à Patribus, Cypriano, & Tertulliano Conciliisque expressas video, ecquid enim pœnitentes soliti Tertuliani sæculo, *ingemiscere, lachrymari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris aduolui, cæris Dei adgenicolari omnibus fratribus suis, suæ deprecationis preces iniungere?* Tertul. de pœnit. cap. 9. quæ quia rarò erant irritæ, raro inanes, ac sine effectu ad Deum fuſæ, exclamat Cypr. serm. de lapsis. *Ecquid pœnitentis, operantis, rogantis, clementer princeps Deus ignouit? Ecquid in acceptum refert, quidquid pro talibus, & petierint martyres & fecerint sacerdotes? vel si quem plus satisfactionibus suis mouerit.* Quare Cypr. hortantur Clerici Romani, vt iunctis inter se votis, ac precibus, lapsos adiuuent. *Oremus* (inquiunt) *vt qui ceciderunt reseruntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam, neque præproperam desiderare medicinam.* Cypr. epist. 31. iuxta Param. editionem quod facere sua causa, & nomine, fideles vt vellent, ipsi pœnitentes, demissa prece lachrymisque in atrio templi positi, supplicabant. Earum precum non est inelegans, inuenustaque Clericorum vrbis Romæ, ea de re, cæteroque pœnitentium apparatu, oratio.

Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non vtique vt transiliant, castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant, se desertores fuisse, resumant precum suarum tubam, sed qua non bellicum clangant. Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa, mittant legatos pro suis doloribus lachrymas. Aduocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis, & pudorem, imo si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescunt, si pectoris sui & conscientiæ lethalem plagam tractant, erubescant & petere, nisi quia maioris est periculi, & pudoris auxilium pacis non petisse. Quàm etsi se impetrasse dum viuerent, pro certo non haberēt, quod quæ clausa sint oculis (vt est remissio culpæ) Deo soli sint peruia, cognitaq; certè constat statutū à sacro Nicæno Conc. 1. vt qui dolore, lachrymis, patientia, bonis operibus, rebus ipsis denique conuersionem suam, non turpi, impiaque simulatione animi demonstrassent post, impletum auditionis tempus, fidelibus in oratione iungerentur, sanctio Concilij, est his verbis præscripta canone 12. ὅσοι μὲν γὰρ ἐν φόβῳ, καὶ δάκρυσι, καὶ στεναγμοῖς, καὶ ἀκροατηρίοις πλὴν ὁπισεγρίων ἦσαν, καὶ χρόνον ἐπιδεδώκασι, οὗτοι τῶν εὐχῶν κοινωνήσουσι. Fuit ergo quo se pœnitentes reciperent, vbi gemerent, vbi squalore suo ac lachrymis oculos, ac animos prætereuntium ad misericordiam inflecterent.

Iam quæ quemque pœnitendo facere, quæ vitare esset necesse, indicare non erit inutile.

Et primò prohibitum erat pœnitēti carnibus vinoque vti Cabilon. concil. can. 35. Moguntina synodus sub Rabano can. vltimo, multo magis indulgere deliciis, quas in mantis, lex diuina coniugij tolerat, vt culpa liberas, Leo Papa I. epistolæ 90. ad Narbon. Episcop. capitulo 12. his verbis. *Quare qui timens lapsum incontinentiæ, iuuenilis copulam uxoris eligit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter coniugem, nullam omnino cognouerit, in quo tamen, non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus, nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit qui pœnitentiam gerit, quam castitas perseverans mentis, & corporis.*

Tertiò, stipendia in acie facere, militiæ in præsidiis A vrbanis operam dare, aut arma tractare, non erat pœnitenti lege canonū licitum, peccans in eo genere, decennio integro pœnas authoritate Patrum in Nicæno primo eaſque peracerbas de se iubetur exigere, can. 12. sacris Ecclesiasticis eorumque vsu carere in Epaunensi tempore Gelasij Papæ I. can. 23. Venetico can 3. Turon. 1. can. 8.

Quartò, etsi honesta lucra negotiando quærere, culpa vacet, *quia tamen pœnitenti vtilius est etiam dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi, quia difficile est inter mercimonia, vendentisque commercium, non intervenire peccatum.* Leo I. in epist. decret. 50. ad Rusticum capitulo 10. ideo pœnitens ex mercimoniis sectari lucra, ex commerciis augere sua, ac suppellectilem cultiorem B reddere non sinebatur.

Quintò, nec ad sacram synaxim accedere, *id sacro concilio iubente, vt secundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc est vt prius eum quem sui pœnitet facti, à communione Episcopus suspensum faciat, inter reliquos pœnitentes ad manuum impositionem crebro recurrere.* Toletan. 3. can. 11.

Quæ pœnarum genera, taliaque complexi sunt Episcopi in Conc. Vormacienſi can. 30. his verbis. *Statuimus vt patricidæ, & fratricidæ, per vnius anni curriculum, ante fores Basilicæ, orantes Domini clementiam perseverent. Completo autem anni curriculo introducantur in Ecclesiam tamen inter audientes, vsque dum vnius anni spatium finatur, stent cum ad* C *missarum solennia, vel alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in iis conspicitur, corporis & sanguinis Domini nostri Iesu participes fiant, vt desperantiæ non inhæderentur caligine, carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, & ieiunent vsque ad horam nonam diei quotidie, exceptis festis diebus, atque dominicis. Abstineant à vino, medone, atque cerusia mellita, tres dies per hebdomadam. Arma gerere non audeant, vel sumere, nisi contra paganos, & vbicunque iremalverint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem huius pœnitentiæ in Episcopor. ponimus arbitrio, vt secundum conuersationem illorum eam extendere, aut minuere valeat.*

D

QVÆSTIO XXXII.

An vt Ecclesia publicam pœnitentiam priscis sæculis in vsu habuit, confessionem quoque eius generis aliquam agnouerit.

NOn postremarum partium Theologi asserunt eiusmodi nullam Apostolis, nullam eorum posteris fuisse cognitam, verum, quorum maior est authoritas & numerus, eorum verior, imo sola vera nobis debet esse sententia.

Primo enim è Patribus Origen. hom. 2. in Psal. & August. hom. vlt. intra 50. absolutè aiunt lapsis E in peccatum mortale, Confessionem esse necessariam apud eum, qui absoluendi potestatem habeat, hunc autem oportere esse prudentem, vt dispiciat an illud sit eiusmodi quod scandalum adiunctum habeat, publicamque satisfactionem exigat.

E recentioribus, Canus summus Theologus in relectione de pœnitentia, parte 6. ait adhibendam ab eo in mortis articulo, quem non pungit aceba latis, ac vehemens admissorum contritio, quorum veniam obtinere tamen nullam potest, ni si eius, aut Confessionis ope, huic enim inquit confitendum

eſt, etſi nequeat audiente, ſolo Confeſſario, quia A tenetur quamcunque iacturam poſtponere iacturæ æternæ ſalutis ſuæ.

Abit in eandem ſententiam Reginaldus, lib. 6. de ſacramentali confeſſione, num. 78. & 79. cæterique, qui eam non auricularem, & ſecretam à Nectario ſublatam memorant, quorum nomina, quia trita, quia communia, ac multorum commentariis inſerta, vltrò prætereo, & vt de eo nil dicerent, rem tamen, pro illorum ſeueritate temporum, haud incredibilem ſuaderent, quæ ſcripſere Patres, & Concilia. Cypr. ep. 10. *Cùm in minoribus peccatis, agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem, ad exomologeſin veniunt, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri communicationis ius accipiunt*, &c. Eadē ferè alibi in hæc verba *Ante actam pœnitentiam, iam ante exomologeſin graviſſimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo, & Clero in pœnitentiam impoſitam.*

Quid eſt enim exomologeſin facere, niſi delictum ſuum confiteri, ab ipſa vocis ſignificatione ἐξομολόγησις, nam ἐξ præpoſitio, idem eſt quod foris, & ὁμολογία, quod confeſſio, ſecundùm Suidam ſic dicta à verbo ἐξομολογεῖσθαι, hoc eſt, foris dicere, in qua ſignificatione, ea voce vſus Tertull. de Orat. cap. 9. *Exomologeſis*, inquit, *eſt petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur*: eſt his verbis præſcripta Toletani 4. ſanctio, can. 53. *Hi qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm ſe peccatores eſſe prædicantes, huiuſmodi ſi reualuerint, poſſunt etiam pro morum probitate ad gradus Eccleſiaſticos peruenire, qui verò ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod mortale peccatum ſe perpetraſſe publicè fateantur, ad Clerum vel honores Eccleſiaſticos peruenire nullatenus poterunt, quia confeſſione ſe propria notauerunt.*

Antiquius eſt quod ſequitur, Carthagin. 3. can. 32. vult ante apſidem notiſſima ſcelera abſolui: ergo & publicè explicari: *Cuiuſcunque pœnitentis*, inquit can. 32. *publicum, & vulgariſſimum crimen eſt, quod vniuerſam Eccleſiam commouerit, ante apſidem, id eſt atrium Eccleſiæ, manus ei imponantur.* Hinc enim diſputandi mihi ſeſe hæc commoda offert ratio, cùm fidei Catholicæ certiſſimus ſit articulus abſolutionem Sacerdotis, actum eſſe iudicialem, ex can. 5. ſeſſ. 14. Concil. Trid. Eſt hoc quoque perſpicuum tribui hanc niſi confeſſo non poſſe, nec enim prudentis eſt iudicis ac iuſti, ius de ignotis dicere, aut non accuſatum, & conuictum damnare: at publicè abſoluebantur rei magnorum criminum, ex Conc. Carth. citato, ergo & confitebantur. Maior eſt eiuſmodi cui nullus refragabitur, non praua animi contentione proiectus. Minorem autem confirmat ius pontificium, in quo manus imponere, eandem vim habet ac abſoluere à culpa vel pœna, vt dicetur poſteà, præcipua duntaxat in eam rem teſtimonia ſeligam, in capitulo 6. epiſt. decretalis ad Nicætam Aquileiens. Epiſcop. quæ eſt 77. ſic Leo Papa I. *His de quibus dilectio tua ſimiliter nos credidit conſulendos, qui ad iterandum baptiſmum, vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & nunc ſe contra fidei ſacramenta, egiſſe cognoſcunt, ea eſt cuſtodienda moderatio, qua in ſocietatem noſtram non niſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem manus Epiſcopalis*, id eſt abſolutionem, *communionis recipiant vnitatem*: in Concilio autem Toletano 3. hæc ſunt can. 11. *cum quem ſui pœnitet facti, à communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes crebro ad manus impoſitionem recurrere*, id eſt, abſolutionem: hanc enim manuum impoſitione impartiri ſoli- B tam, non tantùm ex his dictis colligitur, ſed ex eo etiam, quod Cyprian. in lib. de lapſis ſic ſcribit: *Confiteantur quæſo ſinguli delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit, in ſæculo eſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata eſt* De eadem ſic quoque Hieronymus: *Sacerdos imponit manum ſubiecto, reditum Spiritus ſancti innuens, atque eum qui traditus fuerat Satanæ, in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus fieret, indicta in populum oratione altario reconciliat*: non eſt ergo hæc cæremonia, ſed vinculi alicuius relaxatio. Patet, ex eo quòd in Conc. Arauſicano anni 441. can. 3. dicitur manuum impoſitio eſſe pœnitentibus, adviaticum, ſub, vitæ finem ſumendum, neceſſaria, quod de pura dictum cæremonia falſum eſſet.

Sanè author eſt Leo, per eam purgari animum, & ad Sacramenta diſponi, ſic enim ille epiſtolæ decretalis ad Ruſticum 90. capitulo 18. *qui conſuetis Gentilium, & eſcis immolatitiis vſi ſunt, poſſunt ieiuniis, & manus impoſitione purgari, vt deinceps ab idolothytis abſtinentes Sacramentorū Chriſti poſſint eſſe participes*: quæ cùm in nobis cæremonia facere non poſſit, nec ſoleat, ſed ſolutio alicuius nodi, ad eam, hæc quæ de impoſitione manuū dicuntur hîc à Concil. & Pontifice, pertinere, nulli non eſt meo iudicio veriſimile, qualis autem fuerit hæc abſolutio, & an ſacramentalis, dicetur poſteà, interim Patres audire placet, ſed paucos, ne moleſtiam copia afferat, ſic ergo Origenes in Pſal. 37. hom. 2. pag. 262. *Poſt alia circunſpice diligenter, cui debeas confiteri peccatum tuum, &c. deinde ſi intellexeris & præviderit talem eſſe langorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè curari multa hac deliberatione, & ſatis perito medici conſilio procurandum eſt.* C

Quid eſt autem ætatis errata in conuentu exponere, quàm ea confiteri publicè? quid curari? quàm his exui, illis priuari, coire beneficio abſolutionis datæ, ac receptæ vulnera animi? quæ quandiu hiant valere nequit, hiant autem, patentque, quandudum hæc ſordes non ponit, quamdudum per abſolutionem in gratiam cum Deo non redit. Quare dum in conuentu peccata exponenda eſſe Origenes aſſerit, vt curentur, tam eorum confeſſionem publicam, quàm abſolutionem indicat, quod & factum ab Hieronymo exiſtimo, cùm de obitu Fabiolæ hæc ſcribit ad Oceanum. *Quis hoc crederet, vt Fabiola poſt mortem ſecundi viri in ſemetipſam reuerſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes iugo ſeruitutis excuſſo, agere ſe liberiùs, adire plateas, ſaccum induere? vt errorem publicè fateretur, & tota vrbe Romana ſpectante ante diem Paſchæ, in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio ſtaret in ordine pœnitentium, Epiſcopo ſparſum crinem, ſqualidas manus ſordida colla ſubmitteret.* Etenim fateri publicè errorem eſt agere ſe culpæ ream, colla Epiſcopo ſubmittere, vt nos Presbyteris facimus, cum confeſſionis cauſa ad eorum genua accidimus, eſt ab iis, per manuum impoſitionem aliqua impertiri gratia. Teſtimonia alia non minus illuſtria addi poſſent, ſed his ſuperſedere eſt prudentiæ, cùm tam explanatæ Conciliorum voces, quales ex Carthag. & Toletano deprompſimus, præſidia alia non deſiderent. D E

QVÆSTIO XXXIII.

An quæ inſtituebatur publicè maiorum criminum Confeſsio ſacramentalis eſſet.

CErtum eſt hunc olim in Eccleſia ſeruatum ordinem, vt primum fieret Confeſſio criminum quam pœnitentia exciperet, ſequeretur poſt modum exomologeſis, cum impoſitione manuum. Pammelius in Tertull. lib. de pœnit. notab. 53. an hæc autem Sacramentalis eſſet, non conſtat, talem eſſe dixere è veteribus aliqui freti his argumentis.

Primò, quod qui conceſſione Eccleſiæ, pœniteret publicè, poſt exactum tempus pœnitentiæ ſuæ, per Epiſcopum, aut eo abſente, per Presbyterum Deo reconciliaretur, impoſitione manuum, loquuntur hæc verba Arauſic. Conc. can. 3. ſub Leone I. Papa. *Quod ſi ſuperuixerint ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem, cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* Sed reconciliari Deo, eſt, ex hoſte, amicum eius fieri, quod fit per gratiam, ac peccatorum remiſſam, fides ſit ab hoc can. qui eſt 11. Concil. Toletan. 3. *quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundum canones ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, vt quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent*, id eſt abſolui, ac eorum ope, beneficioque cum Deo redire in gratiam, *vt qui omis iam fuerat, hanc onem abalienatam & errabundam, in ouile ſuum paſtor recipiat.* Cypr. ep. 71. ad Quintum, fuit ergo hæc tam abſolutio quam Confeſſio Sacramentalis quod confirmat Sozomenus in hiſtor. Eccleſ. lib. 7. cap. 16. his verbis. *Priuatim deinde ſponte ſua quiſque* (inquit) *vel ieiuniis, vel lotionum, ciborumque abſtinentia, vel aliis quibus iuſſus eſt, ſemetipſum affligens tempus expectat quantum Epiſcopus conſtituit, elapſo demum præfinito die, pœna, iam quaſi debito quopiam exſoluta, à peccatis abſoluitur, & populo in Eccleſia coniungitur, hæc Romani ſacerdotes ab ipſo inde exordio etiam vſque ad noſtram memoriam cuſtodiunt.* Subſiſte hic lector, & aduerte antiquæ ritum Eccleſiæ, quod enim pœnitens in atrio ſubſiſteret, & remoueretur à ſacro vſu ſinaxis, iuxta Toletanum 3. expreſſe, can. 11. dicebatur excommunicari, Moguntina ſynodus ſub Rabano can. 31. *qui publicè peccat, oportet vt publica multetur pœnitentia, & ſecundum ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur & reconcilietur.* Coniungi autem populo in Eccleſia, quando de conſenſu Epiſcopi, quaſi per gradus ad antiquum dignitatis ſuæ ſtatum redibat, facta à loco Cathecumenorum, inter quos admittebatur ad audiendum & orandum, migratione, ad eum in quo populo, ſacro Miſſæ ſacrificio intereſſe erat licitum, reconciliari verò cum *poſt expletionem conſtituti temporis* (verba ſunt Moguntinæ Synodi citatæ can. vltimo) *recipiebat remiſſionem facinoris*, & hæc quidem pro parte affirmante dici poſſunt probabiliter, quæ tamen ſolutionem habent non difficilem.

Reſponderi enim debet reconciliationis vocabulum, duobus modis ſumi, primo pro remiſſione culpæ, ſecundo pro relaxatione pœnæ, priori modo ſumpta reconciliatio nunquam eſt ſine gratia, poſteriori eam non exigit, vt patet cum abſolutio à cenſura gratiam non ſupponat, & in hac ſignificatione vſurpari reconciliationis vocabulum aio locis in argumento allatis, habeo pro probabili eius rei fide, quod cùm de abſolutione à peccatis agitur, nomen pœnitentiæ, reconciliationi adiungatur quod tamen non fit in canonibus citatis, adiungi autem reconciliationi pœnitentiam cum de remiſſione culpæ ſermo eſt videre licet in Carthag. 4. can. 76. *Dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem.* Leo 1. ep. 91. ad Theodor. *ſi aliqua ægritudine ita fuerint prægranati, vt quòd paulo ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.*

Secundò, dico reconciliationis nomine, in citatis canonibus relaxationem à cenſura intelligi, non à culpa, coniectura ſecunda mea eſt, quod qui in neceſſitate mortiſque periculo Sacramenta pœnitentes acceperant, ſi conualeſcebant, iubebantur reconciliationis gratiam ab Epiſcopo petere, quod in peccatis iam condonatis fuiſſet ſuperfluum, ad ea ergo non pertinet reconciliatio, ſed ad cenſuras tantum. Habeo huius effati teſtimonia in Concilio Nicæno can. 13. Carthag. 4. can. 78. vbi ſic habetur. *Pœnitentes qui in infirmitate viaticum acceperunt Euchariſtiæ, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione* (id eſt oratione deprecatoria, ad cenſuræ remiſſionem) *ſi ſuperuixerint*, & hic verus eſt ac germanus ſenſus can. 3. qui ex Arauſic. primo eſt productus in argumento.

Dico tertiò. Reconciliationis nomine intelligere Patres reſtitutionẽ pœnitẽtis ad omnia quibus ante impoſitã ſibi pœnitentiam fruebatur in Dei Eccleſia, vt ſunt cõmunio, oratio, communicatio cum fidelibus. Ita ſumitur ab Innoc. 1. in ep. 3. ad Exuperium cap. 2. *Nam cùm illis temporibus* (inquit) *crebræ perſecutiones eſſent, ne Communionis conceſſa facilitas, homines de reconciliatione* (id eſt redintegratione ſui in antiquum ſuum ſtatum) *ſecuros non reuocaret à lapſu, negata merito communio eſt conceſſa pœnitentia, ne totum penitus* (id eſt omne ſalutis remedium) *negaretur.* Ita patet ex reconciliatione pœnitentis, poſt peractã pœnitentiam ſibi impoſitam, non poſſe euinci, Confeſſionem eius publicam, Sacramentalem fuiſſe.

Quod autem haberet omnis pœnitentia publica, cenſuram excommunicationis adiunctam, res ipſa loquitur, quid eſt enim excommunicatio? pœna Eccleſiaſtica, qua quis à Sacramentis, eorumque vſu, ac communi fidelium ſocietate, ac congreſſu, remouetur vt indignus, at habebat hoc omnis pœnitentia publica, cum pœnitenti quamdiu hæc durabat, ſacra menſa tẽplique interioris aditus, interdictus eſſet: vt oſtendunt hæc verba. *Qui publicè peccat*, inquit Synod. Mogunt. ſub Rabano can. 31. *oportet, vt publica multetur pœnitentia, & ſecundum ordinem canonum, pro merito ſuo excommunicetur.*

Mitto alia eiuſcemodi teſtimonia, multa & varia, vt quid iudicij ſuper quæſtione propoſita habeam, paucis indicem.

Dico ergo primò. *Nihil mihi ex Theologiæ principiis petitum occurrere, quamobrem talis Confeſsio ſacramentalis eſſe non poterit.*

Primò, quia tam pœnitens quàm Confeſſarius omnia ad Sacramentum neceſſaria afferre poterant, pœnitens quidem dolorem cum propoſito, & integritatem Confeſſionis, non materialem illam quidem, ſed formalem quæ ſola eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti: Confeſſarius autem, cum

voluntate abſoluendi prolationem formæ.

Secundò confeſſionem publicè fieri, nec malum eſt, nec inſtitutioni Sacramenti contrarium. Non malum, quia factam in *vindictam ſuorum ſcelerum, ſui humiliationem, aliorum exemplum, & Eccleſiæ offenſæ ædificationem* Trident. approbat ſeſſ. 14. cap. 5. Nec eſt ſimiliter contra Sacramenti inſtitutionem confiteri publicè, quia in periculo naufragij, id fit à nautis & vectoribus vtiliter & cum laude, talis ergo confeſſio ſacramentalis eſſe potuit.

Maximum aduerſæ rationis fundamentum eſt in epiſtola Leonis 80. capite 2. vbi hanc publicè profitendorum criminum conſuetudinem, tanquam Apoſtolicæ doctrinæ contrariam, & animarum incolumitati noxiam, è Catholicorum morib. eliminandam memorat. Verùm enim, nulla eſt id ratione ſolida firmatum, cùm è Leonis oratione non obſcuris indiciis eruatur oppoſitum: contendo enim Pontificem id hac epiſtola ſpectaſſe tantùm, vt quod nulli non eſt cognitum, Sacerdotum animis altè defigeret ſcelera, quæ ſunt occulta, nec reuelanda eſſe à Confeſſariis, nec neceſſariò explicanda illis eſſe publicè à pœnitente, *cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſoli Sacerdoti indicare confeſſione ſecreta*, quod non negamus. Hanc quoque Leonis mentem duntaxat eſſe ſcribit Buſæus in tract. de ſtatu pœnit. cap. 2. Nego proinde huic Pontif. de hoc quæſtionis genere, de qua præſens eſt diſputatio, ſecus quid quàm Theologis omnibus, nobiſque viſum eſſe. Indicat hæc eius oratio, quâ de pœnitentia publica intelligi certò ſcio, meum non eſt tantùm, ſed Doctorum omnium iudicium *modis omnibus conſtituo, ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta confeſſio publicè recitetur.* Erat hæc ergo in vſu, dum Leo hæc ſcriberet, alioqui quid neceſſe fuiſſet eam inhibere tam ſeuerè? Iam ergo quæro, quid in ea fideles quærerent, quid ſpectaret Eccleſia? haud dubiè non aliud quàm Dei gloriam, ac pœnitentis ſpiritale commodum. Tamen etſi *plenitudo fidei videretur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium eiuſmodi ſunt peccata, vt ea quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, remoneatur*, inquit Leo, *tam improbabilis confuſionis, &c. nonnulli à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis facta ſua reſerare, quibus poſſunt legum contritione percelli.*

Hinc enim argumentari ſic placet. Si ideo reuelanda non ſunt ſcelera, quia non eadem ſunt omnium, ergo fuere aliqua Leonis iudicio, quæ publicare nefas non fuit, cuiuſmodi nemo non videt extitiſſe communia, ac in multorum oculis facta, de quibus hic duntaxat, Theologis, nobiſque eſt ſermo. Deinde etſi de ſingulorum peccatorum genere, confiteri publicè non ſit licitum, quis id tamen promiſcuè de omnibus, ac ſine diſcrimine aſſerat? Tertiò, ideo Confeſſario tacenda ſunt quæ audiunt, iudicio Leonis, quòd pœnitentes facta ſua, reſerari inimicis nolint, ne ab illis deferantur ad iudicem, & ab iſto legum conſtitutione percellantur? At hæc ratio ceſſat in publica pœnitentia, vtpote quæ præcepta tantùm erat ob crimina conſciis multis admiſſa, quorum proinde teſtimonio peragi apud iudicem poterant, ac reuinci: quia tamen eſt hæc euulgatio peccatorum publicè facta, plena periculi, iuſta fuit Leoni cauſa eam prohibendi, tanquam non neceſſariam, *ſufficit enim illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precatur accedat, tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

Dico 2. *videri mihi probabile confeſſionem, quæ fiebat publicè, ſacramentalem non eſſe*: Quia *ab initio ſanctæ Eccleſiæ, confeſſione ſecreta vſa ſic dicitur*, in Trid ſeſſ. 14. cap. 5. vt præter eam, ſacramentalem aliam non agnouerit.

Secundò, ſi fuit aliqua publica huius generis, vel inſtituta fuit ac præcepta à Deo, vel ab Eccleſia: non primum, vt loquitur Trident. loco citato, nec ſecundum, quia *non ſatis conſultò humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda* Trid. loco citato. Et ſi de ea re extat præceptio aliqua Eccleſiæ, quæro vbi, à quo, & quando eſt ſignificata mortalibus?

Loca conſule: ſatis nobis fuerit, exempli cauſâ, pœnitentias hîc minus communes, ac contritas indicaſſe, dicturi de cæteris in epitome huius tractatus, copioſiùs, ac pleniùs.

EPITOME TRACTATVS PRÆCEDENTIS,

Cum probationibus petitis ex canonibus, Conciliis, ac Patribus.

Cap. 1. POENITENTIÆ tam apud Patres, quàm Scripturam, multiplex eſt, eaque diſtincta ſignificatio.

Primò enim *pœnitentiam hoc genus hominum, quod & ipſi retrò fuimus, cæci, & ſine Domini timore, nouunt paſſionem animi quandam eſſe, quæ venit de offenſa ſententiæ prioris*, Tertull. de pœnit. Quod ipſum quia pœnam habet, dixere veteres, pœnitentiam Deam eſſe, quæ à corruptore animo, malè admiſſorum pœnas repeteret.

Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nam quòd pœniteat, ſic Metanoea vocor.

Ab iis nomen illi factum, indicant hæc verba, *Pœnitentia appellata eſt, quaſi punientia, eo quòd ipſemet homo, in ſe puniat pœnitendo, quod malè admiſit.* Iſidorus lib. 6. etymol. cap. vlt. *Pœnitere enim eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe, vlciſcendo quod commiſit peccando.* Auguſt. in lib. de vera & falſa pœnit. cap. 8.

Secundò, idem eſt pœnitentia, ac vitæ præſentis tolerantia, venturæ autem, vehemens ac incitata cupiditas. *Altera verò pœnitentia* (verba ſunt Auguſt. in lib. 50. homil. hom. vltima) *cuius actio, per totam iſtam vitam, quam in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt. Primò, quia vitam æternam, incorruptibilem, immortalemque nullus deſiderat, niſi eum vitæ huius corruptibilis pœniteat.*

Tertiò, pœnitentia idem valet, ac deteſtatio peccatorum, propter Deum ſummè dilectum: *eſt etiam pœnitentia bonorum, & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes, Di-*

mitte nobis debita noſtra. Auguſt. loco proximè memorato, in quo ſenſu frequens eſt eius vſus apud Cypr. epiſt. 52. *Si eundem poſtmodum viderit reformatum, & ad innocentiæ diſciplinam pœnitentiæ dolore correctum, & gaudet, & gratulatur.*

Quartò pœnitentiæ nomen ad ſatisfactionem refertur: *Pœnitentia*, inquit Aug. de vera & falſa pœnit. cap. 8. *eſt quædam dolentis vindicta puniens in ſe quod dolet commiſiſſe*: & in lib. 50. homil. hom. vlt. *Tertia actio pœnitentiæ eſt, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apoſt. dicit, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. In hac ergo pœnitentia, maiorem quiſque in ſe ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Domino.*

Cypriani in eandem ſententiam ſunt hæc verba, cùm de lapſis loquitur ep. 52. *& ipſis pœnitentia conceditur, & lamentandi ac ſatisfaciendi ſpes relinquitur*, de quo cùm quererentur Nouati diſcipuli factum excuſat, his verbis. *Quorum ſi pœnitentiam reſpuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiæ, ſtatim cum vxore, cum liberis quos incolumes reſeruauerant, in hæreſim rapiuntur.* Epiſt. 52.

Quintò, transfertur hoc nomen, ad Sacramentum, quod & ipſum vocatur pœnitentia, à Florentin. in decreto Eugen. *Nouæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia.* Et poſtea. *Quartum Sacramentum eſt pœnitentia,* Clariſſimè Trident. ſeſſ. 14. can. 1. *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia, Pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum, anathema ſit.* Cabillon. canone 8. *De pœnitentia peccatorum, quæ eſt medela animæ, vtilem omnibus hominibus eſſe cenſemus, & vt pœnitentibus, à ſacerdotibus facta Confeſſione, indicatur pœnitentia, vniuerſitas ſacerdotum noſcitur conſentire.* Leo 1. in epiſtola ad Epiſcop. Campaniæ 78. cap. 2. loquens de Confeſſione publica. *Quia non omnium hominum eiuſmodi ſunt peccata, vt ea, qui pœnitentiam poſcunt* (id eſt Sacramentum pœnitentiæ) *non timeant publicare, remouetur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta referare.*

Cap. 2. Pœnitentia verò ſumpta generaliter ac fuſe, eſt prioris ſententiæ conuerſio, Græcis eam ob rem dicta μετάνοια, id eſt, mentis mutatio, vt interpretantur Tertullian. lib. 2. contra Marcion. & Concil. Toletan. 8. can. 2. his verbis. *Quamlibet Dei natura ſit impaſſibilis, atque immutabilis, eiuſdemque Deitatis, licet ſint dicta firmiſſima, crebro tamen leguntur eius iuramenta & pœnitentia, iurare namque Dei, eſt à ſeipſo ordinata nullatenus conuellere, pœnitere verò, eadem ordinata cum voluerit immutare. Sic per Hier. dicit, ſi pœnitentiam egerit gens illa, ſuper malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt faceram ei, ſi erga noſtra conuerſio, ſic diuinam mutat ſententiam, cur miſerorum tantæ lachrymæ, vel preſſuræ, tam crudam non temperent ex miſeratione vindictam?*

Communiſſima pœnitentiæ, in peccatis retractandis definitio eſt Ambroſiana, relata à Grat. de pœnit. diſtinct. 3. can. 1. *Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Dixi (in retractandis peccatis) vt oſtenderem loqui Ambroſ. de pœnitentia, vt eſt virtus, quæ eius opinione duo complectitur, dolorem internum, & eius ſignum in ſenſus incurrens, planctum ſcilicet ac lachrymas. Similis eſt illa definitio S. Greg. in Regeſt. lib. 9. cap. 39. quæ habetur de pœnitent. diſtinct. 3. can. pœnitentiam 6. *Pœnitentiam agere, eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*, quæ omnia ad contritionem pertinent. Vt ad ſatisfactionē quæ ſequitur petita definitio ex Aug. de vera & falſa pœnit. c. 8. *Pœnitere, eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vltiſcendo, quod commiſit peccando, & Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe*, de pœnit. diſtinct. 3. can. pœnitentia 4. Hæc de natura pœnitentiæ, vt eſt virtus.

Vt autem eſt Sacramentum, definitur. *Signum ſenſibile, ſeu imago ſacræ rei, videlicet remiſſionis peccatorum, cuius cauſa eſt, per ſenſibilem contritionem, confeſſionem & abſolutionem.* Viguerius in inſtitut. Theologic. cap. 16. parag. 1. de pœnit. Ab Hieron. in epiſt. 50. ad Pammach. & Ocean. 8. ad Demetriadem; & Tertull. lib. de pœnit. cap. 4. *tabula ſecunda*, poſt Baptiſmi gratiam lapſis, ſeu naufragium paſſis, ad laboriosè emergendum neceſſaria. *Eam* (pœnitentiam ſcilicet) *tu peccator ſtatim nade, ita amplexare, vt naufragus alienius tabulæ fidem.*

Definitur ab aliis *Sacramentum inſtitiæ, contra peccatum mortale, poſt Baptiſma perpetratum.* Dicitur iuſtitiæ, ad differentiam Bapt. quo Deus miſericorditer omnem culpam delet, ac pœnam remittit. Fit mentio peccati mortalis, vt oſtendatur, quod tale tantummodo ſit eius materia neceſſaria: venialia quidem, poſſunt exponi cum fructu, ſed ad id pœnitentem vrgere quid poteſt, cum eorum, ſibi veniam impetrare poſſit dolore, qui ſit attritio, aut Sacramentalibus, inſtitutis ab Eccleſia in eum finem.

Additur *perpetratum poſt Baptiſma*, vt intelligatur, commiſſa ante Baptiſmum, ſub Sacramentum Pœnitentiæ non cadere.

Abſolutiſſima eius definitio, vt eſt Sacramentum, concepta legitur, his verbis à Fœliciano Ninguarda in manuali Saliſburg. *Pœnitentiæ Sacramentum eſt, quo ſacerdotalis abſolutio à peccatis, quæ quis deteſtatus, riteque confeſſus fuerit, impenditur.* Sacramenti nomen, generis vicem obtinet, reliqua differentiæ, & primo quidem, indicantur actus, qui ſunt eius quaſi materia, nempe deteſtatio peccatorum, eorumque Confeſſio: ſecundo ex parte Miniſtri, abſolutio, ad quam huius Sacramenti forma refertur, quam ſacerdotalem eſſe oportet, eo quòd remittendi peccati facultas non alteri quam ſacerdotibus conuenit, quibus dictum eſt. *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ioan. 20. *Quæ ratione*, inquit Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 56. *diuinæ naturæ dignitatem, ac poteſtatem diſcipulis largitus eſt: quia abſurdum non eſt, peccata remitti poſſe ab illis, qui Spiritum ſanctum in ſeipſis habeant. Nam cùm ipſi remittunt, aut detinent, ſpiritus qui habitat in eis, per eos remittit aut detinet. Erit autem id per eos, duobus, vt arbitror, modis primum Baptiſmo, deinde Pœnitentia.*

Cap. 3. Quod autem ſit hoc Sacramentum, vnum de ſeptem, docent cùm Concilia, ipſaque ratio. Concilia quidem, Florentinum in decreto vnionis, his verbis. *Nouæ legis ſeptem ſunt Sacramenta Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia,* &c. Et paulò pòſt. *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia.* Tridentinum ſeſſ. 7. de Sacrament. & 14. can. 1. Fauet. & ipſa ratio.

Sacramentum res duæ coagmentant, ceremonia ſacra, ſeu ſenſibile ſignum gratiæ, eiuſque promiſſio, facta à Chriſto Domino: at hæ ambæ reperiuntur, in Pœnitentia. In primis eſt ſignum, & illud externum ac patens, nempe abſolutio, cuius

Chriſtus

Christus author, his verbis. *Quorum remiseritis*, ex parte pœnitentis contritio, seu dolor de peccatis commissis, cum emendationis proposito, qui dolor, foras erumpit, aut verius se prodit oculis, per Confessionem, non quamlibet, sed veram, integram & ad obediendum sententiæ iudicis paratam. *Si infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere, atque emendare fategerint, dimittentur eis, neque enim sine Confessione emendationis peccata queunt dimitti.* Nec deest gratiæ promissio legitimæ absolutioni annexa, nam per eam delentur culpæ. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, ergo beneficio gratiæ, cum earum remissio, non fiat communiter ac ordinariè, sine eius auxilio. *Accedat* (inquit August. in Psal. 103.) *gratia illuminans, & dealbans, primo nigra fuisti, sed facta es alba ex gratia ipsius. fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Est ergo pœnitentia, verum & propriè dictum Sacramentum.

Cap. 4. Eius materia duplex, remota & propinqua. Remota, & circa quam, prædictum Sacramentũ versatur, est omne peccatum actuale hominis baptizati, huc spectant crebræ Patrum adhortationes, ad frequentem vsum pœnitentiæ. *Reparemus nos per pœnitentiam, & confessionem, & eleemosynam, vnusquisque secundùm possibilitatem suam, & quantum quisque recognouit se à Deo aruisse per culpas, tantùm bibat compunctionis suæ lachrymas.* Conc. Pisten. can. 1. *Si forte timor alicuius eor, vel infidelitas, vel aliquod malum irrepserit, non erubescat qui animæ suæ curam gerit, confitendi hæc huic qui præest, vt ab eo per verbum Dei, & consilium salubre curetur* Clem. 1. epist. 2. & 2. ad Corinth. 11. *Non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.* Quæ scelera ergo, à se, quisque auertere, & expiare per confessionem conatur, remota sunt Sacramenti materia.

Propinqua verò, & ex qua Sacramentum constituitur, sunt tres actus pœnitentis, *Contritio, Confessio, & Satisfactio*: nec enim absolui decet, nisi quẽ peccasse dolet, de quo cùm constare certò nulli possit, nisi ipsiusmet qui dolet, testimonio: eam ob rem est necesse, sua vt maleficia Sacerdoti, lugubri voce explicet, quæ explicatio sit doloris, quo verè & ex animo tangitur, indicium, & quia quolibet scelere Deus, eiusque honor violatur, quod absque eius iniuria esse nequit: exigat autem æquitas reparari damna, sarciri iniuriam, ideò pœnitentem oportet, diuinæ satisfacere iustitiæ, per pœnitentiam, quæ illi pro varietate scelerum quæ commiserit, maior, aut minor imponetur à Confessario, ex quibus pœnitentis officiis, totidem consurgunt actus, qui Pœnitentiæ partes sunt, & quasi materia, sicut scriptis tradidit Trident. sess. 14. cap. 3. his verbis: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti pœnitentiæ, ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur.*

In eandem sententiam scripta hæc sunt à Floren. in decreto vnionis.

Quartum Sacramentum est pœnitentia, cuius quasi materia, sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est, cordis contritio, ad quam pertinet vt deleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet vt peccator, omnia peccata, quorum memoriam habet, sic Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis, secundùm arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, eleemosynam, & ieiunium, quæ tria videntur comprehensa à Chrysost. in homil. de pœnit. cuius initium est: *Prouida mente*, habenturque in can. 40. distinct. 1. de pœnit. *Perfecta, inquit pœnitentia cogit peccatorem omnia sufferre, in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas*, de qua quoniam alius differendi locus est futurus, plura hîc dicere non habeo.

Cap. 5. Ad formam, quò me tractationis huius ordo vocat, pauculæ hę voces ex Euangelio exceptæ pertinent, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, imò ad eius essentiam sufficerent hę duæ, *te absoluo*, nam reliquæ ex his duabus satis superque intelliguntur, pronomen quidem *ego*, in verbo *absoluo*, res autem ipsa quæ tùm geritur, persona quæ est ad Sacerdotis genua, habitus, gestus, color, totaq; vultus conformatio, tam pœnitentis, quàm Presbyteri absoluentis loquitur, eius absolutionem, super peccata cadere, eorum ergo mentionem fieri ad Sacramenti essentiam, non est necesse, sicut nec pronominis, *te*, quod suppleri potest hac particula *vos*, aut nomine appellatiuo personæ, quæ absoluitur, dicendo, *Absoluo Petrum, aut personam quam coram habeo*, ratio est, quòd formæ essentia, quemadmodum & verborum, quæ eam componunt, in significatione est posita: At est hæc eadem, cùm loco pronominis numeri singularis, *te* vox substituitur ista, numeri multitudinis *vos*, aut alia tertiæ personæ, quæ pœnitentem denotet, nomine proprio, appellatiuo, aut circunstantiis eiusmodi, quæ cadere non possint in alium.

Quæ etsi sint vera, videre tamen debet Confessarius primò, ne quidpiam in forma mutet, transferat, aut apponat, quia solenne Ecclesię, in Sacramentorum administratione sequi eum oportet, à quo sponte discedere, temeritatis est, ac audaciæ, in Christano non ferendæ.

Secundò, nec si sapit, eorum quidpiam, in pronuntiatione dictæ formæ relinquet, quod Ecclesia in eius vsu adhibet, causa est, quod ab eius moribus abire non debet. 2. quod quanquam necessaria forma pœnitentiæ contineatur his verbis, *te absoluo*, pronomen *ego* exprimi tamen debet ex præcepti necessitate, sicut & sanctæ Trinitatis inuocatio, cui ex consuetudine Ecclesiæ, adiungendum est signum Crucis, quòd cum eo Sacramenta omnia administrentur, vt author est August. tract. 118. in Ioann. Chrysost. hom. 13. in epistol. ad Philipp. Nec est omittenda illa precatio, absolutioni præmitti solita, *Misereatur tui, &c.* aliaque item non minus ad rem pertinens, quæ proximè subiungitur *Dominus noster Iesus Christus, qui est summus Pontifex ipse te absoluat, & ego authoritate ipsius, &c.*

Et quoniam à Christi morte, Sacramenta vim habent producendæ gratiæ, ac delendæ culpæ, vt est apud Apostolum, 1. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato*, decuit eius mentionem fieri, vnaque modi, quo humanæ saluti, dolore suo maximo consultum volnit, fit id verò his verbis. *Passio Domini nostri Iesu Christi & merita B. Virginis, &c.*

Cap. 6. Neque tamen est putandum, etsi Christi Domini merita, multitudine sint numeroque, infinita, prodesse hæc omnib. ad quos ea Sacerdos deriuare per formam huius Sacramẽti nititur: vt enim hæc sit illis fructuosa, & vtilis, in Ecclesia vixisse, debent, aut saltem viuere, dum absoluuntur. Primò, quia bona sua, cum alienigenis vtpote Christi ho-

ſtibus, communicare iuſtè, ac honeſtè non poteſt, quod ad ea parati, vt oportet, non veniant, quod ad ea fidem, ac dolorem de commiſſis, aut veneratio-
A nem erga Deum, non afferant.

Secundo, quod Eccleſia, legitima ſacramentorum diſpenſatrix, & adminiſtra, iis duntaxat hominibus ea præbeat, qui ſacris Bapt. vndis loti, myſteria frequentauere Catholica, atque in eius foro, notitiaque verſantur. Sanè conſtat, contrahendi Matrimonij, quod ſacramentorum eſt vltimum, Iudæis, aut alienis à Religione Catholica, cum Chriſtiano, aut Chriſtiana, legibus Eccleſiæ, ius non eſſe. *Chriſtianis omnibus interdicimus, ne Iudæorum coniugiis miſceantur, qui ſi fecerint, vſque ad ſequeſtrationem, quiſquis ille eſt, communione pellatur.* Aurelian. 3. can. 13. *Si quis Iudaicæ pranitati, ingali ſocietate coniungitur, & ſeu Chriſtiana Iudæo, ſiue Iudæus Chriſtianæ conſortio miſceatur carnali, à Chriſtianorum cœtu, & à communione Eccleſiæ, cuius ſociatur hoſtibus, ſegregetur.* Aruern. can. 6. Meldenſe Concil. can. 73. quis cuiuſque, de reliquis Sacramentis, ſenſus eſſe debeat, cum in omnium infimo, tam religioſe ſeueri, fuere Franciæ Epiſcopi in omnium opinione relinquere malo, quam his commentariis inſerere.

Secundo, rata non eſt validaque abſolutio, per literas, aut nuntium data abſenti, huius ſententiæ, quæ eſt veriſſima. Argumenta ex decreto Clement. VIII. fide Doctorum, & ratione peti debent. *Dicendum eſt*, inquit Alex. Halenſ. in parte 4. q. 18. art. 5. *quod nulli habenti vſum ſenſuum, & copiam ſacerdotis ſufficit confiteri per ſcriptum, aut nuntium*, tantum excipit mutum, cui poſt decretum Clementis VIII. non eſt locus.

Idem prorſus & iiſdem verbis quibus Alexander ſcripſit Antoninus 3. parte tit. 14. cap. 19. parag. 17. *Debet ſecreto*, inquit, *confiteri, & ſecreto imponi pœnitentia.* De quo dubitãdi, poſt decretum SS. Domini noſtri Clement. VIII. cauſa nulla reliqua, eſt autem perſcriptum, his verbis.

Propoſita quæſtione, vtrum liceat per literas, ſeu internuntium, Confeſſario abſenti, peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere. Sanctiſſimus noſter, auditis votis Patrum Theologorum, & re, cum Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus, maturè, ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet, licere per literas, ſeu internuntium, Confeſſario abſenti, peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente, abſolutionem obtinere, ad minus vt falſam, temerariam, & ſcandal ſam, damnauit, ac prohibuit præcepitque, ne deinceps iſta propoſitio, publicis, priuatiſve lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, neue vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur.

Pœna non obſequentium, eſt excommunicatio latæ ſententiæ, ipſo facto incurrenda, & à qua, abſolui non poſſint, præterquam in articulo mortis, ab alio, quam à Romano Pontifice, pro tempore exiſtente. Ad hanc Clementis vocem, quid addi poſſit, non occurrit, quare etſi tam hæc quam decretum ab eo interpoſitum, multis iiſque non inanibus argumentis firmari poſſent, iis tamen ſuperſedendum breuitatis cauſa exiſtimo, vnicum erit inſtar omnium.

Nempe quòd nullo vnquam tempore, fas ſit ſacerdoti, certo ſe diſcrimini obiicere peccandi, facit hoc verò, quiſquis abſentem, Deo per abſolutionem reconciliat, quid ita vero? quia fieri poteſt, vt qui abſens abſoluitur, quo tempore in id ſacer-
A dos incumbit, formamque effert, aut ſcribit, amplius non ſit in viuis, aut ſi adhuc vita eſt ſuperſtes, rem peſſimam verſet animo, quorum altero, & multo magis ambobus, eſt abſolutio ſacrilega & nulla, Sacrilega quidem, quia impertita imparato, ac peccati lethiferi conſcio. Nulla autem, quia falſa, vtpote indicans eum abſolui, qui non poteſt, quandoquidem nec mortuo, nec ſcelus meditanti in animo, quandiu in ea voluntate perſeuerat, peccatorum venia, abſolutioque dari nequit.

Ita Palud. in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1. Medinæ cod. de Confeſſ. q. 15. Pet. Soti de Confeſſ. lect. 11. exploſa eſt, opinio. *Quod ſi peccator non poteſt Confeſſarium adire, nec eum ad ſe accerſere, probabile eſt,*
B *poſſe per internuntium, & literas abſenti confiteri, & ab eodem per literas Sacramentaliter abſolui.*

Ex dictis inferendum, Sacramenti huius formam, neceſſario, & eſſentialiter in verbis conſiſtere, neque aliis ſignis, nutu, aut ſcriptura, exprimi poſſe, D. Auguſt. in lib. de vera & falſa pœnitent. cap. 10. *Præcepit*, inquit, *Dominus mundandis* (ſic enim legitur in can. quem pœnitet 88. diſtinctionis 1. de pœnitentia) *vt oſtenderent ora ſacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcripturam manifeſtanda.* Et poſtea, *qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis.* Heſichius in cap. 27. Leuit. in ea verba. *Homo qui domum ſuam aut agrum Deo vouerit. Euidentiſſimè*, inquit, *apparet, ſine Confeſſione propriæ vocis, peccata non dimitti.*
C

Firmiora ſunt, quæ petuntur ex Conciliis, Tridentini eſt hæc veriſſima oratio. *Docet ſancta ſynodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe ego te abſoluo*, eadem fere, & iiſdem verbis leguntur in Florentino, quæ quia breuitati ſtudemus, volentes omittimus, hoc dixiſſe contenti, eo ſpectare Patres cum ſupplicationum mentionem faciunt, nam cùm hæ ſint vocales, ſi ad remiſſionem ſcelerum ſunt neceſſariæ, ſanè non niſi verbis, eiſque expreſſis, ac propriis dari abſolutio poterit, earum autem meminere Pontifices Leo & Clemens, ille in epiſt. 89. his verbis. *Sic diuinæ bonitatis, præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri: mediator enim Dei & hominum, Deus & homo Chriſtus, hanc*, &c. Et in epiſt.
D 78. cap. 2. ad Epiſcopos Campaniæ, loquens de Confeſſione publica quam in Eccleſia frequentari oportere negat. *Sufficit*, inquit, *illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tùm etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* Clementis autem, eſt hæc oratio, in epiſtola 1. *Si in alicuius cor, liuor, infidelitas, aut aliquod malum latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ curam gerit confiteri hæc huic, qui præeſt, vt ab ipſo per verbum Dei, & ſalubre conſilium curetur.* Viden' vt verbi meminit Clemens, vt conſilij, quod non niſi vocale poteſt eſſe in hac materia, ne ſcripto prodatur Confeſſio. Nec refert, quod tale verbum diuinum nominet. *Nam cùm Preſbyteri remittunt, ac detinent peccata, ſpiritus qui habitat in eis, per eos remittit, ac detinet.* Cyrill. Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 36.
E

Tertiò, vt abſolutio valeat, proferri debet ab eo, qui iuriſdictionem habeat, D. Antonin. 3. par. tit. 15. parag. 2. cap. 2. Richardus in 4. diſt. 18. art. 9. q. 3. ratio eſt, quod *Abſolutio ſacerdotis, alieni beneficij ſit diſpenſatio*, nempe gratiæ, *nec nudum ſit miniſterium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus iudicialis, quo ab ipſo, velut à iudice, ſententia pronuntia-*

nunciatur. Trid. seſſ. 14. cap. 6. ſed hic ſine poteſtate iuris dicendi, ac puniendi rei, accepta à Principe, ludit operam, cùm eorum alterutrum moliri tentat, aut vtrumque ergo, &c.

Quartò, non quælibet iurisdictio vim abſolutioni tribuit, ſed omnimoda, id eſt, in perſonas, earumque culpas. Ratio eſt, quòd humano iure, quædam ſunt Papæ, & Epiſcopis ſepoſitæ, in quæ Sacerdoti ſimplici, ius nullum competit, vt Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. definiuit. Confirmat autem decretalis Innoc. III. in cap. Omnis vtriuſque extra de pœnit. & remiſſion. Benedict. item XI. in Extrauag. inter cunctas de priuileg. Vt ergo ab iis eximi, ſoluique pœnitens poſſit, Sacerdotem vtraque inſtructum poteſtate eſſe oportet, id eſt, tam in perſonas, quàm eorum peccata, iuriſdictionem nactum eſſe.

Cap. 7. Sacerdotem dixi, nam huic ſoli, à Chriſto claues cœli commiſſas eſſe, indicant hæc eius verba, Petro, qui tum Eccleſiæ vniuerſæ perſonam gerebat, dicta Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ & in cœlis.* Eodem ſpectant & illa, quib. Apoſtolis abſoluendi ab eo eſt poteſtas conceſſa, Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Item, Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, &c.*

Quare falſa, & à veritate Euangelij penitus aliena cenſenda eſt doctrina, *quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes, clauium miniſterium pernicioſè extendit, putans verba illa Domini, Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlis, &c. & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt ad omnes Chriſti fideles, indifferenter & promiſcuè, contra inſtitutionem huius Sacramenti, ita fuiſſe dicta, vt quinis poteſtatem habeat remittendi peccata publica, per correptionem, ſi correptus acquieuerit, ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem.* Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 10.

Sane cum de remittendis peccatis, ac reconciliando homine cum Deo, Concilia differunt, meminere Epiſcopi duntaxat, ac Sacerdotum, Carthagin. 4. can. 74. *vt Sacerdos pœnitentiam implorantis, abſque perſonæ acceptione, pœnitentiæ leges imponat,* & can. 80. *Omni tempore ieiunij, manus pœnitentibus, à Sacerdotibus imponantur.*

Pœnitentibus, inquit Vormacien. can. 7. *ſecundùm differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ imponantur.*

Presbyteris imperiti ſolerti ſtudio, ab Epiſcopis ſuis inſtruendi ſunt, qualiter & confitentium peccata diſcretè inquirere, eiſque congruum modum, ſecundùm canonicam auctoritatem, pœnitentias moderate imponere. Concil. Pariſ. ſub Ludou. & Lothar. lib. 1. ca. 32, & in monitis Heraldi, Turon Archiep. monito 88 eſt his verbis: *vt Presbyteri regulariter pœnitentias imponant, & in iudicando æquitatem teneant, & inde munera non accipiant*, idem præſcriptum, etſi verbis diſparibus, in Conc. Cabillon. habito an. 813. conſentiente Carolo Magno, can. 33. nec vſquam laici, tanquam ad abſoluendum idonei, fit mentio, niſi apud Auguſt. de vera, & falſa pœnit. cap. 10. Ibi enim cùm dubia ſunt, afflictaque tempora, vt in periculo probabili, aut penè certo mortis, nec habet pœnitens Sacerdotem ad manum, cui conſcientiam ſuam euoluat, tunc vicini opera ad eius expiationem vti cum poſſe ſcribit his verbis.

Tanta vis confeſſionis eſt, vt ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proximo, ſæpe enim contingit, quòd pœnitens non poteſt confiteri coram Sacerdote, quem deſiderauit, nec locus, nec tempus offert, & ſi eius confitebitur, poteſtatem non habet ſoluendi, ſit tamen dignus venia, ex deſiderio Sacerdotis, qui ſacro confitetur turpitudinem criminis, de pœnit. diſt. 6. can. 1.

Sed de ſacramentali confeſſione, ea verba Auguſtini intelligi non poſſe, docent D. Bonau. in 4. diſt. 17. p. 3. art. 1. q. 1. Abbas in cap. quanto num. 12. de conſuet. Nau. in can. 1. diſt. 6. de pœnit. quare non eſt talis confeſſio in præcepto, Laym de Sac. Pœnit. cap. 10. ſed conſilio tantùm, ad ciendam maiorem de peccatis contritionem, ac verecundiam in eo, qui tum peccata ſua Laïco exponeret.

Cap. 8. Et quanquam ſint Sacerdotes omnes ſibi in Ordinis poteſtate pares, nego tamen, auctoritate pollere omnes remittendi peccata, nam eorum plerique iuriſdictione carent, quam tamen iure diuino neceſſariam eſſe in Sacramento confeſſionis, certum eſt apud omnes Theologos, inſtar omnium, vnus ſit S. Thom. qui in. 4. diſt. 18. q. 1. art. 1. ad quæſt. 1. *affirmat in Ordinatione ſacra recipi clauem, ſed non exercitionem, neque actum clauis quæ indiget materia: hæc autem eſt, inquit, plebs ſubiecta.* Similia ſcripſit Guido de monte Rocherij in manipulo. *Iſtæ claues, inquit, dantur cuilibet Sacerdoti in ſua Ordinatione, ſed non poſſunt exire in actum, donec Sacerdos habeat materiam in qua liget, & hoc per commiſſionem curæ animarum*, quam immediatè à Chriſto recepit Petrus, cùm ei præcepit, *Paſce oues meas*, alijque Apoſtoli, quando iis largitus eſt Spiritum ſanctum, Ioan. 2. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Cæterorum nemo eam immediatè à Chriſto, præterquàm Chriſti Vicarius, Petrique ſucceſſor, recipit, huic enim in perſona Petri, Chriſti oues, ab eodem Chriſto traditæ ſunt, & commendatæ: itaque in eo, tanquam in fonte, & capite, iuriſdictio omnis reſidet, in alios tanquam in riuulis, quos ficcari breui, & arere oporteret, niſi ex fonte perpetuo aquas caperent.

Scimus quidem poteſtatem Ordinis, ex Chriſti ſeruatoris inſtituto, atque voluntate, ad omnia ſe fidelium peccata extendere, iuxta verbum Chriſti, *Quorum remiſeritis peccata*, ſed negamus, eam aliam eſſe, quàm remotam, indefinitam, ac veluti mortuam, quæ in actum per ſe exire non poſſit, niſi cùm ei additur altera, quæ iuriſdictionis dicitur, vel in omnes, vel in aliquos, eaque propria, qualem hi habent, quibus ea ex officio, ac commiſſa ſibi cura animarum, competit. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. aut permiſſa ab his, qui concedere iure poſſunt, vt Epiſcopi, Archiep. Parochi. Sine tali poteſtate data abſolutio irrita ſit, ac inanis, eſt neceſſe. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. Quod Concil. Florentinum confitetur, his verbis *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, habens authoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris*: hinc enim ſequitur, quòd ſi quem Presbyter abſoluere aggreditur, qui fidei ſuæ, tanquam Paſtori, non ſit creditus, aut in quem auctoritatem non habeat, ex eius permiſſione, qui eſt illius Paſtor, abſolutionem vanam fore, & illicitam: Illicitam quidem, quia contra leges Eccleſiæ dabitur; indicant hæ voces petitæ ex can. placuit de pœnitent. diſt. 6 *Placuit vt deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti, ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu cui ſe priùs commiſit, niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens priùs confeſſus eſt*: Nullam autem, quia ſine iuriſdictionis poteſtate eſt collata. Ita Trid. Sanctio ſic habet ſeſſ. 14. cap.

7. *Synodus hæc confirmat, nullius momenti, abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem* & ſeſſ. 23 cap. 15. *Quamuis Presbyteri in ſua Ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta Synodus, nullum etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis, per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat.*

Cap. 9. Ex dictis perſpicuum eſt, patenſque, vt quis huius Sacramenti, verus & idoneus Miniſter eſſe poſſit, quatuor exigi, poteſtatem Ordinis, Iuriſdictionis, eius poteſtatis vſum, non impeditum, ac liberum, Epiſcopi approbationem.

Prohibetur hic vſus excommunicato, ac ſuſpenſo, non tolerato, ac denuntiato, in cap. vlt. de Clerico excomm. miniſtran. Cùm enim Sacramenta, eorumque diſtributio Eccleſiæ ſit commiſſa, mirum ſanè videri nulli debet, ſi hæc indignis, eorumque vſum adimat. Et quanquam ſit Baptiſmus ab eiuſmodi homine, quem hic deſcribimus, collatus, ratus, ac validus, non tamen omni culpa in conferente vacuus: nulla tamen eſt abſolutio, ab eo pœnitenti data.

Valere Baptiſmum extra neceſſitatem ab excommunicato collatum, ratio ipſa indicat: Nam Sacramentorum ſubſtantia, vis, & valor tribus rebus perficitur, materia, forma, & intentione Miniſtri ſecundùm Florent. in decreto de Armenis: at hæc tria ad Baptiſmum afferre excommunicatus poteſt: Peccabit tamen, quia temerè, & contra præceptum Eccleſiæ, ad rem ſacram, ſibique permiſſam, animum applicat. Quòd ſi in pœnitentiæ Sacramento, id quoque faciat, præter culpam, ſuam quoque ludet operam. Ratio eſt, quòd ſine iuriſdictione data abſolutio, ſit vana: at eam eiuſque vſum adimit Eccleſia excommunicato, quem pro tali habendum è publico, id eſt ſuperiori loco, fidelibus edixit. ergo collata ab eo abſolutio eſt irrita, præterquàm ſi publicus error facti cum titulo præſumpto interuenit, Laym. lib. 1. tract. 5. parte 1. cap. 22. num. 9.

Requiritur inſuper approbatio, id eſt iudicium Epiſcopi, vel Ordinarij, de capacitate eius qui audiendis confeſſionibus præficitur, ſine quo confeſſio futura eſt inanis, ac nullarum virium Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. expreſsè. Itáque reſponſum fuiſſe à S. Congregatione Concilij, anno 1580. teſtatur Capeautilla de caſib. reſerv. cap. 3. q. 1. & poſt eum Piaſecius in praxi Epiſc. par. 2. cap. 1. art. 2. num. 2. Quare Sacerdos quilibet, non Parochus, Epiſcopo ſuo, id eſt, loci, vbi traxit originem, ſiſtere ſe debet, ad examen eius ſubeundum, quia hic propriè eſt eius Ordinarius, non autem qui Diœceſi præſidet, ad quam caſu aduenit, & in qua commoratur, & confeſſiones excipit.

Secus quàm nos opinantur Guttier. lib. 1. canonic. quæſt. cap. 27. num. 21. Laym. tract. 6. cap. 11. ſed opinio noſtra eſt tuta, nec eius fidem minuit, quòd Epiſcopi locorum, vbi audiendæ ſunt confeſſiones, nolint cuiquam id licere, ſine ſua venia, & approbatione, quia in eo, operari illos ex contraria ſententia nemo non intelligit, quod non arguimus: deinde, cùm ex officio, ſaluti commiſſæ ſibi plebis proſpicere debeant, per quam ſapienter agunt, cùm eas commendatas nolunt aliis, quàm perſpectæ fidei, doctrinæque hominibus, ob quam cauſam, approbantis Epiſcopi Succeſſor, ſi res poſtulauerit, A poterit ab eo olim approbatos reuocare ad examen, eoſque ſi merebuntur, approbare denuò, ſecus reprobare, ſi ob eorum inſcitiam, ita erit neceſſe. Miranda in Manuali Præl. quæſt. 45. art. 7.

Dixi ob inſcitiam, quia ſine iuſta aliqua cauſa reiici ab Epiſc. non poſſunt, eo quòd approbatio, iuſtitiæ ſit, non autem benignitatis ac beneficentiæ actio: mihi enim, ſi ob doctrinam id iudicium mereor, debetur ab Epiſcopo, nec negari ſine iniuria, famæque meæ detrimento poteſt.

Quare ſtatuit Clemens V. in Clement. dudum de ſepulturis §. ſtatuimus, huic vt incommodo obuiam iret, Epiſcopis ne amodo liberum eſſet ac integrum, Regulares manifeſtè idoneos, ſibique præſentatos reiicere, alioquin, inquit, *Si iidem Prælati præfatis Fratribus, ad confeſſiones audiendas electis, huiſmodi licentiam exhibere recuſarint, nos ex nunc, ipſis, vt confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè licitéque audire valeant, atque eiſdem beneficium abſolutionis impertiri gratiosè concedimus, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis,* B

Sunt ergo cenſendi approbati Regulares hoc ipſo, quòd ab Epiſcopis à ſalutari audiendarum confeſſionum miniſterio reprobantur, cui tamen, vt vacent, illis inuitis, aut certè minimè probantibus, authores non ſunt. Suar. diſp. 28. ſect. 5. num. 11. Coninch. diſp. 7. de Miniſtro Pœnit. num. 28. nec ego, ob eam cauſam maximè, quòd obſequi Epiſcopis præſtet, quàm cum eorum offenſa, benè mereri de proximo, ac lucrum quamuis magnum, ac C nobile, animarum facere in populo.

Sanè conſtat, ſine commeatu Epiſcopi, eiuſque facultate, antiquis Eccleſiæ legibus, nemini fas olim fuiſſe, operam dare audiendis confeſſionibus: cuius rei confirmandæ cauſâ, Concil. Carthag. 3. can. 32. addit hoc decretum. *Presbyter inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, vltima neceſſitas cogat.* Clementis quoque eſt hæc Sanctio ep. 3. *Cunctis fidelibus, & ſummoperè omnibus Presbyteris, Diaconis, & reliquis Clericis attendendum eſt, vt nihil abſque proprij Epiſcopi licentia agant, non vtique Miſſas, ſine eius iuſſu, quiſquam Presbyterorum in ſua Parœchia agat, non baptizet, nec* D *quidquam abſque eius permiſſu faciat.*

Poteſt nihilominus ſi res cogat, nec huiſmodi Sacerdos Confeſſarius in promptu eſſe queat, cui per Epiſcopum liceat obire hoc miniſterium, Pœnitentiæ Miniſter eſſe Sacerdos quicunque, etiam quoquo modo poteſtatis vſu priuatus. Fœlicianus Ninguarda in Manuali, tract de Pœnit. Palud. in 4. diſt. 17. q. 3. ar. 2. Capreol. diſt. 19. Quam ſententiam tuentur & hi authores, Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 4. Canus in relectione de Pœnit. part. 3. Tabiena in verbo Abſolutio 1. num. 32.

Præcipua huius opinionis firmamnta ſunt. Primum, *quòd humanæ legi non ſit ſubiecta neceſſitas*: ergo nec Eccleſiaſticæ, de vitando excommunicati miniſterio, in Sacramentorum vſu, caſus ille, in quo ob imminentis fati periculum, confiteri cuique eſt E neceſſe.

Confirmatur. Tunc diuina lege tenetur quiſque confiteri de ſuis ſceleribus: at ei legi obſequi non poſſumus, ſi in articulo neceſſitatis, ea præciſo, & excommunicato exponi nequeunt, cùm nullius alterius Sacerdotis habetur copia: ergo cùm diuinæ legi ſit parendum potiùs quàm humanæ, vinculum, quo per iſtam, ligatur poteſtas abſoluendi in præciſo, neceſſitate mortis impendente ſoluetur: eſtque hæc D. Thom. ratio in reſponſ. ad quæſtiunculam, his verbis. *Quilibet Sacerdos, quantum eſt de*

Digitized by Google

virtute clauium, habet poteſtatem indifferentem ad A *omnes, & quantum ad omnia peccata, ſed quod non poſsit omnes ab omnibus peccatis abſoluere: hoc eſt, quia per Ordinationem Eccleſia habet iuriſdictionem limitatam, vel omnino nullam habet, ſed quia neceſsitas legem non habet, ideo quando articulus neceſsitatis imminet per Eccleſiæ ordinationem non impeditur, quin abſoluere poſsit.* Hæc Sanctus Doctor.

Secundum, cùm Sacramentum pœnitentiæ lapſis ſit, poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium ſecundùm Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. non oportuit pœnitenti tùm negari ea, ſine quibus periclitaretur eius ſalus, ergo nec ſacerdoti ea, quæ ad eam diſcrimini eximendam ſunt neceſſaria, de hoc numero eſt poteſtas eum abſoluendi in neceſſitate, ergo hanc, B Eccleſia, illi tùm negatam eſſe velle non debuit.

Cap. 10. Eſt autem hæc poteſtas iuriſdictionis, omnino duplex, Ordinaria, & delegata, Ordinaria, ratione dignitatis, aut officij cõpetit homini. Delegata, non niſi aliena, id eſt Ordinarij voluntate. Prioris generis, habent Papa per totum orbem, & Epiſcopus in ſua Diœceſi cap. Deus qui de pœnit. & remiſſ. 8. quia eſt ordinarius rector & Confeſſor ſuæ Diœceſis Angel. verb. Confeſſio 3 nu. 3. ipſique principaliter incumbit cura animarum 10. q. 1. can. quæcunque & 12. q. 1. can. præcipimus 24. vbi Apoſtoli aiunt animas hominum, quæ multo ſunt, ſæculo precioſiores, cæloque ipſo, illi eſſe creditas.

Tertiò, iuriſdictionem habet Archiepiſcopus, in Coepiſcoporum, ac ſuffraganeorum ſuorum ſubdi- C tos, dum eorum diœceſes luſtrat.

Quartò, Pœnitentiarius Epiſcopi, eiuſque Vicarius Generalis per totam Diœceſim.

Quintò, Parochus, in tota Parochia ſua, hoc ipſo enim, quodquis ei legitimè præficitur, dummodo ſit ſacerdos, nec impeditur cenſura vlla, omnium, quos curæ ſuæ commiſſos habet, confeſſiones audire poteſt, 16. q. 1. can. vbicunque Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. non aliorum, qui ſibi non ſunt ſubditi, Dionyſius Papa in Epiſt. 2. ad Seuerum Epiſc. & refertur 13. q. 1. can. 1. *Eccleſias ſingulas, ſingulis Preſbyteris dedimus, parochias, & cœmeteria eis diuiſimus, & vnicuique ius proprium habere ſtatuimus, ita videlicet, vt nullus alterius Parochiæ terminos, aut ius inuadat.*

Ratio eſt in promptu, eaque ad intelligendum cuique obuia, nam præter ſacerdotalem poteſtatem, quæ & ordinis dicitur, requiritur alia, iuriſdictionis ſcilicet, cum approbatione Epiſcopi, harum altera ſi deerit, vana eſt futura peccatorum abſolutio, vt enim nullum eſt Sacramentum Pœnitentiæ, quando quis ſacerdotio non præditus, aliquem abſoluit, ita cùm ſacerdos, aliquem non creditum ſuæ fidei, Deo reconciliat, irrita ſit, ac inanis, illa abſolutio, eſt neceſſe. At ex hypotheſi, Parochus autem dat confitentibus aliis, quam ſib. ſubiectis, nec eſt ad alia loca Diœceſis approbatus, per collationem Parochialis beneficij ſibi factam, Guitierrez lib. 1. canonic. quæſt. cap. 27. num. 21. ſuper quo conſulta congregatio Concilij reſpondiſſe quoque fertur in hæc verba.

An prouiſus de Parochiali Eccleſia per concurſum, cenſendus ſit approbatus idoneus miniſter, ad audiendas Confeſsiones in illa Diœceſi, in qua illam Parochiam obtinet. Congregatio cenſuit, cenſeri duntaxat in ea ciuitate vel oppido, vbi ſita eſt Parochialis, non autem paſsim per totam Diœceſim. Poteſt tamen Parochus ſuos Parochianos tam in proprio, quam alieno territorio abſoluere. Sylu. verbo Confeſſor.

Sextò, ordinaria prædita poteſtate iuriſdictionis cenſendi ſunt, Prælati Regulares, in omnes vtriuſque ſexus religioſos, ſibi commiſſos, Ludouic. Portelium in dub. regularib. verbo Prælatus Rodrig. to. 1. q. 70. art. 2. quare eam cum eſt neceſſe delegare poſſunt, cui videtur, Sa in Aphoriſmis verb. Delegare num. 1. Rodrig. tomo 1. q. 22. art. 11. Notauitque idem author in Bullario folio 920. Priorẽ in familia S. Dominici, cæteroſque, qui in priuilegiis illius Ordinis Papę beneficentia cõmunicant, tantum poſſe in conſcientiæ foro, ad bonum & commodum ſubiectæ ſibi plebis, quantum eſt permiſſum Epiſcopis, per Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. proindeque, hunc Priorem, & cæteros ſuperiores, per ſe, abſoluere poſſe à caſibus reſeruatis, occultis tamen, nec deductis ad forum contentioſum, ſuos ſubditos, & cum iiſdem, diſpenſare in irregularitate, idque ex conceſſione Pij V. & Gregor. XIII. facta Religioſis S. Bernardi in Hiſpania, habet eorum compendium verbo abſolutio quoad fratres, parag. 11. & quanquam hæreſim, & homicidium, diplomate ſuo comprehenſa Gregorius noluit, eorum tamen abſoluendorum facultatem Pius quintus Priori Dominicanorum tribuit.

Septimò, ordinaria poteſtas, ac iuriſdictio in pœnitentes competit Vicariis perpetuis qui ſi ſoli explere officium commiſſum non poterunt, partem eius aliquam, aut verò etiam integrum communicare cum altero poterunt, quod ex præſumpta voluntate Ordinarij, id eſt Parochi abſentis, aut non- C dum ſacerdotis, facere quoque poterit, qui non niſi ad tempus Vicarium agit in Parochia, Sylu. verbo vicarius num. 5. Nauar. in can. placuit, de pœnit. diſt. 6. num. 69.

Ratio eſt quod eiuſmodi Vicarius, videatur ad id facultatem habere tacitam, à ſuperiore delegante, cum enim ille poſſit, ac debeat, interdum abeſſe à Parochia, ratio exigit, vt hic, id eſt Parochus ei permittat alium ſuo loco ſubſtituere, ad breue tempus, ne interim Parochiani, Sacramentis careant, in maxima ſua neceſſitate ſpiritali.

Præter hunc, poſſunt quoque & cæteri, quibus ordinariam in ſuos poteſtatem exercere licet, eam committere aliis, aut integram, aut ex parte, de Epiſcopo Bonifac. VIII. extat ſanctio in decretali cum D Epiſcopus 7. de Offic. Ordinarij in 6. concepta, his verbis. *Cùm Epiſcopus in ſua tota Diœceſi, iuriſdictionem Ordinariam noſcatur habere, dubium non exiſtit, quin in quolibet loco Diœceſis non exempto, per ſe, vel per aliam poſsit pro tribunali ſedere, cauſas ad Eccleſiaſticum forum ſpectantes audire, perſonas Eccleſiaſticas* (cum earum exceſſus exegerint) *capere ac carceri deputare, nec non & cætera, quæ ad ipſius officium pertinent libere exercere.* Parochorum autem ius in hac parte, par eſt ac ſimile, Enimuero in canone 1. Omnis vtriuſque qui eſt 21. Concil. Later. Oecum. ſub Innoc. III. iubentur ſinguli ad purgationem animi ſui, proprij Parochi opera vti, quod ſi interdum alteruis expeti caritatẽ oporteat, id agendum non eſſe, *niſi prius à proprio ſacerdote impetrata venia, quoniam aliter ille, ipſum non poteſt abſoluere, vel ligare.* Innocent. can. Omnis.

De Papa dicere nihil attinet, cum clam ſit nemine, eius in Regulares omnes, præclara amoris, ac beneficentiæ extare monumenta, in largitione iuris ad Confeſſiones audiendas vtilis, ac neceſſarij, ſunt hæc commendata literis, in Clement. dudum de ſepulturis in extrauag. 1. eod. titulo quæ eſt Benedic. 11. & extrauag. vas electionis de hæretic. quæ eſt Ioan. 22.

Cap. 11. Est autem potestas delegata duplex. Prima datur immediatè Confessario, altera mediatè tantùm, eaque in fauorem pœnitentis, cui per Romanum Pontificem facultas eligendi sibi Confessarij conceditur, vtraque autem altero de his tribus acquiri solet, ab homine nempe, à iure, à consuetudine.

Immediata quidem habetur ab homine, cùm qui potest, eam indulget non habenti. A consuetudine, cùm ab omni hominum memoria, Sacerdotes, quibus quis in officio, aut beneficio succedit, peccata venientium ad se fidelium, repugnante nemine relaxare sunt soliti. A iure, cùm id legum concessu ac facultate, assumere sibi quisque potest cum laude. Quibusnam autem mediatè demandetur hæc potestas, iam est videndum.

Primò quidem, habent Reges, iisque in potestate æquales Principes, cuiusmodi sunt omnium iudicio habendi, qui nulli parent, nulli vectigal aut obsequium debent, sibi vt vnum de multis, virum doctrina iuxta, ac potestate insignem, modo approbatum eligere possint in Confessarium. Laym. tract. 6. cap. 10. num. 3.

Secundò, Episcopis, cæterisque id genus Prælatis, eadem iure concessa est authoritas: fidem facit decretalis Greg. IX. ne pro dilatione vltima tituli de pœnitentiis & remissionib. *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiã præter sui Superioris licentiam, prouidum & discretum sibi possint eligere Confessorem.*

Eodem gaudere iure Parochos, adnotarunt Em. Sà in Aphorismis, verbo Confessor, num. 1. Coninch. disp. 8. dub. 8. concl. 3. quòd autem quemlibet, nullo discrimine Sacerdotem sibi deligant in Confessarium, nihilque pensi habeant, vtrum Episcopo, necne sese literit approbandum, non probo, abire enim eos à legibus Concilij sessione 23. cap. 15. & consuetudine communi Ecclesiæ, quis probet? quare author essem Parochis, si me super eo consultum vellent, vt apud eum duntaxat conscientiam deponerent, qui industriam suam, scientiamque, Episcopo per præuiũ examen probasset.

In eandem classem cum Parochis, cogendi Sacerdotes omnes sæculares, quibus Ecclesiarum ferè omnium consuetudine permittitur, approbato quolibet, & exposito, confessionis causa vti. Angelus verb. confessio 3. paragr. 30. Gabr. in 4. dist. 17. q. 2. dub. 6. & lectione in can. Missæ. Enimuerò, cùm eos, siue pietas, siue necessitas, locum de loco subinde mutare cogat, ac obire templa sacrificandi causâ, deceat autem eos, non nisi expiatos, beneque per confessionem ad Sacramenti gratiam dispositos, animum ad sacrificium appellere, fuit è re eorum, hanc illis facultatem tacitè à Prælatis concedi, quod faciunt, cùm hunc in Ecclesiis suis morem tolerant, cum Sacerdotibus passim vbique sine culpæ vllius formidine confitentibus cuilibet de expositis, ac ab Episcopo approbatis, non repugnant: nam qui tacet, cùm eum reclamare, ac loqui oporteret, consentire creditur. Sed de hac re Nauar. plurib in can. placuit dist. 6. de pœnit. numero 28.

Quintò, vagi, homines, qui nullibi sedem fixam habent, ac stabilem, nec habere, animum inducunt, eius loci, in quo versantur Parochum, aut quemlibet alium de his qui cùm Episcopi facultate, conscientiarum sedent arbitri, adhibere possunt ad impertiendam sibi absolutionis gratiam. Henriq. lib. 6. cap. 8. num. 3. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 25. num. 5. Caiet. verbo absolutio, cap. 2.

Ratio est, quòd cùm Parocho careant, quem confessionis causâ conueniant, metuendum non est, ne queratur se lædi, cum relicto suo tribunali genus hoc hominum, perpetuo circumcursantium, aliud, super dubio conscientiæ suæ iure adit.

Et quanquam ab iis peregrini, ac quasi incolæ in multis differant, nusquam enim illis stabilis est, ac stabile domicilium, quo peregrinus non caret (hoc enim nomine DD. intelligunt eos, qui familiam, domumque habentes alibi, certo in loco morantur, sine animo ibi remanendi perpetuò, ac dum viuent) Licet, inquam, in eo, vt plerisque alijs, à vagis peregrini differant: tamen his, in potestate, iureque eligendi Confessarij, cum illis, id est, vagis conuenit: nam ex tacita voluntate Ordinariorum, per consuetudinem confirmata, possunt hi, à quocunque Sacerdote exposito, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum, etiam tempore Paschali suscipere, si in propria Parochia nequeunt. Caiet. ver. absolutio cap. 2. Sylu. verb. Confessor 1. q. 11. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. Causa est, quòd cùm nulla possit esse ratio, quare magis sub huius quàm illius sint imperio, à quouis Confessario delegato, secundùm communem Diœcesis, in qua fuerint, consuetudinem, à peccatis absolui suis poterunt.

Quæ vagorum, eadem quoque est causa periclitantium de vitâ, & eorũ qui nulli specialiter Sacerdoti sunt subiecti, aut qui præter venialia, vel mortalia iamantè remissa, nulla alia ad confessionem afferunt. Periclitantes quidem de capite, quouis modo, dummodo periculum non sit improbabile, & de propriis Sacerdotibus, illis scilicet, qui in Parochia, de consensu Episcopi, pœnitentes peccatorum vinculis laxare, & ab admissis flagitiis absoluere solent: Si de propriis, inquam, Sacerdotib. nemo adsit, cuius auxilio, operaque ad Deum redire valeant: Periclitantes, inquam, non modò ab omni nefario scelere, sed à quacunque etiam excommunicatione, si quâ fortè irretiti fuerint, à quocunque Sacerdote absolui possunt. *Prè enim admodùm, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei, custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque idem omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.* Trid. sess. 14. cap. 7.

Mortis autem articulum non in eo solùm ponimus, à quo propter vim morbi, aut latæ sententiæ seueritatem, extremus dies, horaque decretoria non abest, sed in eo etiam, quod vtplurimùm vitæ nocet, mortemque homini afferre solet, cuiusmodi sunt oppugnationes vrbium, in quibus vi, ferroque eminus, ac cominus res geritur, nauigationes longæ atque difficiles, transitus per loca latronibus infesta, à quorum manibus, ac iniuria, cauere sibi sit difficile. Atque ita de quamplurimis rebus, quæ his sunt perquam simillimæ, est intelligendum, à quibus habent Sacerdotes cuiusquemodi, etiamsi excommunicati sint, atque à sacris nostris, fideque alieni, vt hæretici, quoius vt pœnitentes audire, & à quouis peccato & censura eos absoluere possint, quod & pœnitẽtes velle debent: seque prædictis præcisis in apertovitæ suæ discrimine offerre, vt cũ Deo, eorum opera, in gratiam redeant, veteremque hominem cum actibus suis per absolutionem exuant. Ratio est, quòd se quisque tueri, ac quantum humanitùs licet, eximere discrimini certæ mortis, ac præcipuæ æternæ, charitatis lege debeat: At vltrò se ac voluntariè, periculo damnationis æternæ, pœ-

Digitized by Google

nitentes exponerent, ſi in dubiis ſuis, maximeque periculoſis temporibus, opem ſacerdotum, non implorarent, nam quis neſcit difficile admodum eſſe, corpore ægro, animo autem imminentis fati terroribus anxio, tantum dolorem de peccatis concipere, quantus ſine Sacramento ad ſalutem eſt neceſſarius.

Ad periclitantes, adiungendi videntur, qui ſui ſunt iuris, ac nulli ſacerdoti ſubiecti aut præter venialia, peccata non habent vlla, Confeſſario exponenda; his enim eligendi, cui confiteantur ius habent. Ita Papa quòd in nullius ſit poteſtate, à quouis ſacerdote, quem ipſe acceſſerit, abſolui poteſt, vagi item, & qui certo nulli ſacerdoti, ſunt ſubiecti, Viatores ſimiliter, quique mercimoniis faciendis ſtudent, ob eamque cauſam ad diuerſa emporia, cum mercibus & oneribus commeant, cui rei confirmandæ, accedit Eugen. 4. decretum, quo ſtatuiſſe dicitur, vt vbicunque hi fuerint, eo tempore, quo dies feſtos Paſchatis Chriſtiani agunt, more incolarum illius loci, ſacerdotibus illius regionis confiteri poſſint, abiiſque abſolui à caſibus Epiſcopo proprio reſeruatis, ſi accidat ea non eſſe reſeruata in Diœceſi in qua confitentur.

Ratio eſt, quod peregrinus iudicetur, & abſoluatur, ſecundum conſuetudines eius Epiſcopatus, in quo, iudicio ſe ſubmittit, cum tacito conſenſu ſui Epiſcopi, quem quia non deeſſe ſcholaribus, ſtipendiariis, ruſticis, in confinio diuerſorum Epiſcopatuum habitantibus, conſtat, eos ſine religione, vti poſſe, ſcholares quidem, Mercenarios, & milites ſtipendiarios, Parocho loci vbi degunt, aut aliis, ab eo ſubſtitutis. Ruſticos autem, qui in vicinia commorantur alterius Diœceſis, Parocho qui regit Eccleſiam, proximè ſuæ adiacentem, ſed diuerſæ Diœceſis à ſua, cauſa eſt, quod ex pacto, ac conuentione tacita, Parochi mutuas ad id operas ſibi ſpondeant, ſuoſque ſubditos de propria Parochia, ad vicinam confeſſionis cauſa migrare ſinant. Nam ſi hanc conſuetudinem norint, ac taceant, aut diſſimulent id ſibi diſplicere, hoc ipſo, poteſtas ac licentia, ita confitendi illis permittitur.

De Contritione.

Cap. 1. CONtritionem, variis nominibus, à variis effectibus, quos ſancte, ac fructuoſè in animo bene præparato parit, affecere Patres ac Theologi, Eam Cœleſtin. epiſt. 2. cap. 2. *conuerſionem* nominat, eadem voce vſus Clem. epiſt. 5. *Tam iuuenes quam ſenes oportet de conuerſione valde eſſe ſolicitos. Pœnitentiam*, dixere Greg. lib. 9. regiſti epiſt. 39. Auguſt. & Ambroſ. de pœnit diſt. 3. can. 41 & conſequentib. Toletan. Conc. 10. can. 6. *In die ſexta feriæ paſſionis Domini oportet myſterium crucis prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum præſtolari, vt pœnitentiæ compunctione mundati, venerabile feſtum Dominicæ reſurrectionis remiſſis iniquitatibus ſuſcipere mereamur.*

A Theologis his vocabulis ſignificatur, *Abominatio peccati, deteſtatio peccati, odium peccati, nolitio peccati, diſplicentia peccati.* Deteſtationem dicit Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. Diſplicentiam peccati Maior in 4. diſt. 14. q. 1. D. Thom. ead. parte, & diſtinct. q. 1. articul. 1. Diſſenſum in parte rationali animi, à peccato commiſſo, Alexand. Halenſ. in 4. parte q. 17. memb. 4. art. 4. Quæ ſola ſi proferrentur, ſufficerent, ad contritionis naturam, ſubiiciendam vtcunque noſtris mentibus.

Expreſſiora ſunt tamen, quæ ſequuntur petita ex Patribus & Conciliis. Atque vt ab illis fiat initium, dicamus cùm Ambroſ. *Pœnitentiam, eſſe mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, de pœnit. diſt. 3. can. 1. Cum Aug. in lib. de vera & falſa pœnit. cap. 8. *eſſe quandam dolentis vindictam, quæ in ſe punit quod dolet commiſiſſe.* Peccata enim mala ſunt tam Deo, tam virtuti, tam nobis aduerſa, vt ea iuſta ſatis pœna plecti nequeant, hæc ſanè vt obliteretur in homine, non quemuis dolorem, ſed vehementem, & ad planctum vſque, hoc eſt ad lachrymas, ſuſpiriaque, requirunt. *Ille enim pœnitentiam dignè agit, qui quæ commiſit, præterita mala ſic deplorat, vt futura non committat*, de pœnit. diſtinct. 6. can. 9. Lachrymis addendæ pœnæ, eæque continuæ. *Pœnitere enim*, Auguſt. teſte loco proxime citato, *idem eſt ac pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vltriſcendo, quod commiſit peccando*, de pœnit. diſtinct. 3. can. pœnitentia.

Paulo aliter Concilium, de cõtritionis natura diſſerit verba quibus in eam rem vtitur ſunt ita. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt, de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Seſſione 14. cap. 4. Appellatur deteſtatio, vt ſciamus peccati odium, nolitionem, ac diſplicentiam, pertinere ad contritionis eſſentiam, deteſtationi *dolor* additur, iſque *animi* nempe vt intelligamus, dolorem hunc, ſi tantùm in vultu, ſi in labris, ſi in oculis pectoriſque tunſione hæreat, virtutem non eſſe, requiri inſuper vt ab animo, tanquam à capite & fonte, proficiſcatur ab eo enim vt malum, vt vitium, vt operum noſtrorum turpitudo, ac fœditas, ita & eorum pulchritudo ac bonitas, dimanat, quare vt laudem, meritique vim dolor hic habeat, ex intimo animo, peccatique odio, proficiſcatur oportet.

Mentio fit inſuper propoſiti, id eſt certæ, id eſt ſtabilis, ac firmæ voluntatis, non peccandi amodo, nempe ne nos lateat, non quoduis leue propoſituin, ad placandum Deum ſatis eſſe, ſed omnino debere eſſe forte, conſtans, & efficax, vt ad peccata, in poſterum redire nolimus. *Inanis enim eſt pœnitentia quam ſequens culpa coinquinat, vulnus itera um ſanatur tardius, frequenter peccans, & lugens, vix veniam meretur, nihil proſunt, lamenta, ſi replicantur peccata, nihil valet veniam à malis poſcere, & mala denuo iterare, perſiſte ergo in Confeſſione, eſto in pœnitentia fortiter confiſus, vitam bonam, quam acceperis, tenere non deſinas, propoſitum bonæ vitæ, conſeruа iugiter.* Auguſt. apud Gratian. de pœnit. diſt. 3. can. 12. Qui illud erripi ſibi per ſummam infirmitatem animi patitur, veri pœnitentis eſt nomine, ac laude indignus, in quo quoniam multi ſibi, officioque deſunt, ideo eorum quos verè peccatorum pœnitet, tam rara tenuiſque eſt copia, vt nulli potius, quàm aliqui, ea laude præſtare ſint cenſendi.

Cap. 2. Bipertito ideo contitrionẽ Patres diuidunt, Adamantius in veram & ſyncerам, ac falſam, Iſychius lib. 2. comment. in Leuitic. in veram & ſimulatam. *Vera veniam promeretur ſimulata Deum irritat quia Spiritus ſanctus diſciplinæ, effugiet fictum*, Iſychius loco citato.

Vera eſt, quæ peccata omnia Dei cauſa deteſtatur ac odit. Falſa quæ non niſi aliqua, vera præterita corrigit, falſa vt ante, iis immoratur, ac quieſcit, *vbi enim emendatio nulla, pœnitentia neceſſario vana.* Tertull. lib. de pœnit. Sincera mala ſua, ac vulnera medico ſananda aperit, ſimulata obtegit, *vult Moyſes peccati vacuam reperire animam, vt*

excusas erroris deponat, & culpæ nuda, sine sui pudore discedat, sed irrationabilis impetus præuenit, & flamma celerrimi motus, animam depascitur, & excutit eius innocentiam. Adamantius apud Grat. dist. 3. can. 34. Væ illi qui peccata excusat, negat, aut confiteri reformidat. *Inquinari non pudet, & pudet absolui?* ait D. Bernard. *si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus detegas tuum.* Boetius de consol. Philos. lib. 1. *Si enim quem serpens Diabolus occultè momorderit, si tacuerit qui percussus est, nec vulnus suum fratri, & magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit.* Hieronym. in capite 10. Eccles. *Nam quid est peccatorum Confessio, nisi quædam vulnerum vectio? quia peccati virus salubriter aperitur in Confessione, quod pestifere latebat in mente.* Greg. homil. 40. in Euang.

Est & hoc veri pœnitentis symbolum, meminisse vitæ præteritæ, *peccata sua agnoscere, eorum memoriam perseueranter retinere.* Chrysost. hom. 31. in cap. 12. epist. ad Hebr. *Hoc enim est solum quod à nobis exposcitur, vt semper recordemur mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his, supplicemus Deo.* Chrysost. de compunct. cord. magnum enim eorum odium, ingenerat animo hæc recordatio, diuinique amoris flammas vehementes, & acres, in pectore excuscitat, Greg testis in Pastor. par. 3. admonit. 25. his verbis. *Sæpe nonnulli ad Dominum post peccata redeuntes tanto ardentius se in bonis operibus exhibent, quanto damnabiliores se de malis vident, alij innocentiam cum minus se habere respiciunt, quod defleant, plene sibi sufficere vitæ innocentiam putant, atque ad feruorem spiritus, nullis se ardoris stimulis inflammant, & fit plerumque Deo gratior ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia.*

Hac se memoria, acuebat August. ad lachrymas, ad fletus, ad supplicia, de se, pro peccatis vitæ præteritæ repetenda alacriter, lubet audire de se humilia sentientem ac loquentem. *Recordari volo transactas fœditates meas, & carnales voluptates, corruptiones animæ meæ, non quod eas amem, sed vt te amem Deus meus: amore amoris tui, facio istud, recolens vias meas nequissimas, in amaritudine recogitationis meæ, vt tu dulcedo mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix, & secura, & colligens me à dissipatione, in qua frustatim discissus fui, dum ab vno te auersus, in multa euanui,* lib. 2. confess. cap. 1.

Quid simile Augustino quidem simules in culpa homines, dissimillimi in Pœnitētia, seipsos nec norunt, nec nosse volunt, peccata autem sua si quando in memoriam reuocant, gloriandi, non dolendi causâ faciunt, ac si erunt eiusmodi, vt authori suo detestanda, omnibus autem quibus sunt nota, merito culpanda videantur, eorum eleuare grauitatem, minuere turpitudinem, suam excusare ætatem, diaboli actus, ac improbitatem accusare, non verentur, quo quid iniquius? *Quidam*, inquit S. August. *dolere quærunt nescere iniquitatem suam, id est, non ex animo agunt, inuenire, & odisse, sed quia in ipsa inquisitione dolus est, in inuentione, defensio iniquitatis erit, cum enim inuenerit iniquitatem impius, etc etiam manifestum est illi, quia iniquitas est, non odit, sed excusat, & defendit. Quid enim dicit? Quam multi hoc faciunt? & quis hoc non facit? & nunquid omnes perditurus est? aut certè hoc dicit, si nollet Deus illa fieri, viuerent homines qui ista committunt?* Huic ego hominum generi, qui ex alieno casu, iacendi, non resurgendi, cum possunt, causas petunt, respondendum puto, quod in simili causa, Theodosio cauA santi Dauidem adulterum & homicidam fuisse, dixisse fertur Ambrosius. *Qui sequimur ex errantem sequere pœnitentem. Peccauit Dauid, quod solent Reges, sed pœnitentiam gessit, fleuit, ingemuit, quod non solent Reges, lapsus communis, sed Specialis Confessio, in culpam incidisse naturæ est, deleisse virtutis.* Ambr. in Apolog. Dauid. cap. 4. *Es tibi, non cadendi exemplum propositum est, sed si ceciderit, resurgendi.* Aug. in Psal. 50.

Postremo est pœnitentia vera, non fallax, humilis, ad obsequendum parata: simulata autem, superba, ac arrogans, flecti indocilis, patere nescia, honoris amans, contemptus, ac ignominiæ impatiens. Notis ergo Saül veri pœnitentis caruit. Dixit quiB dem (inquit Rupert. in cap. 2. Apocal. loquens de eius pœnitentia 1. Reg. 15. *Dixit* (inquam) *peccaui, sed non humiliter dixit, ait enim, sed nunc, honora me, honorem ergo, vel gloriam, non Dei, sed suam, ista confessione mercari voluit.* In quo quoniam (quæ est naturæ humanæ, temporumque peruersitas) eum est imitata posteritas, mihi mirabile videri non solet, si paucos, atque adeo, ne vnum quidem de mille, veri pœnitentis dignum nomine reperiri posse dixerit Augustin. *Abundant*, inquit, *hic pœnitentes, quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus, orate pœnitentes, & eunt orare pœnitentes, & quæro vnum pœnitentem & non inuenio.* Serm. 144. de temp. Nimirum, pauci in viam redeunt, pauci se, moresque corrigunt, pauci sibi C quæ recta sunt, quæ honesta placere: inuisa autem esse quæ Deo, ac rationi sunt aduersa, opere, ipsoq; vitæ genere ostendunt. *Ideoque quicunque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si cupis grauioribus irretitus, ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius iniuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat se veram pœnitentiam agere non posse, per quam ad æternam vitam, valeat peruenire, nisi negotium derelinquat, vel officium deferat, odium ex corde dimittat, bona quæ iniuste ablatuit, restituat.* Gregor. VII. in synodo Rom. ann. 1708. can. 6. refertur autem de pœnit. dist. 6. can. falsas 6.

Cap. 3. Operantem talia, vereque, & ex animo, peccata sua, Dei causa detestantem, diuina D implet gratia, Diui Hieronymi elegans est hoc verbum. *Nullum in medio spatium, mors & vita sibi contraria sunt, & tamen pœnitentia copulantur.* Commentar. in hæc Math. cap. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum*, & paucis interpositis. *Si cadit* (inquit) *quomodo iustus est, si iustus est, quomodo cadit? Sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit*, cum enim iustitiæ vis sit eadem in scripturis, quæ gratiæ, quam & Paulus eo nomine appellat. Ad Rom. 3. *Iustificati gratis in sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ suæ in hoc tempore*, sensus est nos Dei beneficentia donis gratiæ cœlitus auctos esse, *ad ostensionem iustitiæ*, id est, vt omnes nossent iustitiam, hoc est gratiam, eius donum esse non hominum Ad Rom. 1. *Iustitia Dei reuelatur ex fide in fidem*, hoc est interprete Chrys. E serm. 3. in eam epist. nosse nos per Apostolos, eorumque magisterium, rationem consequendæ gratiæ, in eo esse, vt Deo credamus. Abac. 3. *Iustus autem meus ex fide viuit*, id est authore Chrysost. ser. 2. in epist. Paul. ad Rom. adultum, per fidem munire sibi viam ad gratiam, quæ est vita animæ. Ad Galat. 2. *Quod autem nunc viuo in carne, in fide filij Dei viuo.* Cùm inquam iusti nomen id. m valeat, ac qui Deo est acceptus, iustitia, ac quæ supernè infunditur animæ gratia, ad meritum æternæ vitæ,

negari

negari non poteſt, quin, qui iuſti, contritionis opera, ſecundùm Hieronym. cuadimus, Deo quoque eiuſdem virtutis ope ac beneficio grati ſimus: *Si cùm fœda ſis tibimet ipſi diſplices pulchro places*, Auguſtinus in Pſal. 103. vitaque viuis ſpiritali, ac gratiæ.

Conuerti namque ad Dominum, certiſſima vita eſt,
Et pacem offenſi quærere, certa ſalus.
Qui terret, parcit, qui percutit, ipſe medetur,
Viuere vis? illi ſubdere, quem metuis.

Proſper epig. 72.

Secundus effectus priori affinis & agnatus, eſt reparatio animæ ruit enim per peccatum, iacetque fœdè ad ludibrium, reſurgit autem per dolorem ad gloriam: quare, *ſi peccatis pœniteat te, & reſuſcitat te Dominus*, Auguſt. tract. 49 in Ioan. contra quàm multis eſt in more, *volunt enim cadere cum Dauid, & nolunt reſurgere cum Dauid, cùm tamen non ſit illis cadendi exemplum propoſitum, ſed ſi ceciderint reſurgendi.* Auguſt. in Pſal. 50. quod in eorum eſt poteſtate, momento quolibet temporis, ſi volent aſſequi: *Qui enim peccat, & continuò corrigitur, citò reminiſcit.* Auguſt. tract. 49. in Ioan.

Tertiò, quòd aliis virtutibus, quòd conſcientiæ à culpis vacuæ, Scripturatribuit, vt homini quietem & pacem impertiat, Angelicæ propè parem, hoc Patres pœnitentiæ negandum non putant, *feſtiuitas enim pulchra eſt, & diuina pœnitentia cum lachrymis.* B. Effren. de diuinis myſteriis & feſtis, traditque Chryſoſt. in Pſal. 7. cum quem verè, ac ſincerè peccaſſe pœnitet, turbas neſcire, tumultus corruptæ, ac corruptricis animæ, non ſentire, in pace ac otio quo fruitur, ſecuri portus, quo procellæ, ventique penetrare nequeunt, imaginem præ ſe ferre ἐ χει λιμένος γαλινοῦ πῶν ψυχὴν ἄμεινον, πάντα ἐκβάλλων τὰ πάθη, πολλῆς πυθμένος ἐυορμοτέρης, qua præſtare laude, impiis prohibitum, quos ſuæ culpæ vt furiæ, in diuerſa trahunt, lancinantque omni tempore, quæ ſi nullæ forent, non pœnitere, iuſta nihilominus turbarum cauſa foret ψυχὴ ἀπολήπτως ζῶσα, μυρίοις σχίσμασι πάθων, Chryſoſt. in Pſal. 7.

Quartò, pœnitentia tenebras diſcutit, animi oculos ad diuina aperit, mentem à terrenis auocat, ad cœleſtia traductam Deo vnit, ac copulat, *ſanitas animæ eſt illuminatio mentis, eſt compunctio, Ieſum vnigenitum facit in cordibus noſtris habitare.* Effren. de extremo iudicio cap. 5. viden' vt illuminandis animis, vt eorum viribus reparandis, quæ peccatorum attritæ mole erant, ac pondere, contritio Effremi iudicio conferat? Nec id modò, ſed Deum homini conciliet, eumque cœlo, in eius pectus, cũ omnimoda diuinarum opum ſuppellectile deuocet? ex quo conſequitur morum, ac vitæ in eo digna Deo conuerſio: *Quoniam*, inquit Auguſt. lib. 10. cap. 2. *gemitus meus teſtis eſt, diſpliceremihi, tu reſulges, & places, & amaris, & deſideraris, vt erubeſcam de me, & abiiciam me, atque eligam te.*

Effectus contritionis quintus in eo eſt, quòd peccata deleat: *O pœnitentia*, inquit Cæſarius Arelat. hom. 39. *quæ peccata remittis, & Paradiſo reſeruas, omnia aduerſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas: O pœnitentia miſericordiæ mater & magiſtra virtutum.* Cypr. in ſerm. de ablut. pedum, eam nominat *lauacrum quotidianis exceſſibus inſtitutum.* Chryſoſtom. hom. de pœnitent. *medicamentum peccatum extinguens.* Taraſius in ep. ante 7. Synod. ſalutis viã, hoſpitij regni cœleſtis diſpenſatricem. *Pœnitentia*, inquit, *inſignis eſt armatura, magna ſalutis via, hoſpitij regni cœlorum diſpenſatrix, incorruptibilis vitæ dux, martyricorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans, & cum ipſo, nos eſſe faciens, humani generis baculus, cadentium, & laſſorum ſurrectio.* Quare *qui poſtquam peccauit, vſus eſt pœnitentia, non eſt dignus qui lugeatur*, οὐ τῶν δικαίων χῶρον κατέχει, vt qui *in iuſtorum locum migrauerit, ſi autem poſtquam peccauit, eſt impudens, non eſt tam miſerabilis, eo quòd ceciderit, quàm quòd iacerat cùm ceciderit.* Chryſoſt. hom. 11. in ep. 2. ad Corinth. cùm enim in eius ſit poteſtate reparari ad gratiam, aſſurgere pœnitendo ad gloriam, Deique amicitiam, quam peccando perdidit, tanti boni priuatio, eius eſt inertiæ tribuenda non impotentiæ, quid enim facilius, quàm damnare præterita, culpare vitia, de admiſſis tangi pœnitentia, proponere meliora? Hoc qui facit, vt debet, Dei cauſâ, diuina non caret gratia, quæ eius animo, maculæ inhæſerant, abſterſæ ſunt omnes, deletæ culpæ, nulla, ac minima quidem earum, ſi vera adfuerit charitas, veſtigia remanent: *Peccauit quis, triſtatus eſt, peccatum deleuit, diſſoluit delictum, nam aptam morbo applicuit medicinã.* Chryſoſt. hom. 5. ad populum, adeo verum eſt, *primum gradum fœlicitatis eſſe, non delinquere, ſecundum, peccata cognoſcere, illic curris innocentia integra, hic ſuccedit medela quæ ſanet* Cypr. ep. 18. lib. 1. ad Cornelium de hæreticis.

Cap. 4. Vt autem contritio iuſtificet, debet his ornata eſſe conditionibus. Prima, ex Dei amore procedat eſt neceſſe. Auguſt. ſerm. 3. in Natiu. Domini: *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei*: Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ eſſe debent, veræ contritionis motum in corde pœnitentis ciere, ex eo motiuo, nempe vt propter Deũ peccata execretur, velitque in poſterum cuncta vitare. Sic Cypr. *Iugis retractatio ſcelerum, vſque ad nouiſſima veniens, debet opera omnia, & cogitatus ſingulos perſcrutari, & affectus per vitia diſcurrentes, vagam, inſtabilemque animam per inania euehentes, corrigere.* Cyp. in ſer. de ablut. pedum. Sic eſt hæc ſecundùm Deum triſtitia, quæ ex ſancto amore procedens, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Chryſoſt. hom. 5. ad populum.

Secundò, non vnum, aut duo, ſed omnia peccata odiſſe debet, affici eorum aliquo, ac capi, imperfecti doloris certum eſt, minimeque fallax argumentum: *Quando ſic pœnites, vt tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente, tam tunc benè ingemiſcis.* Auguſt. ſerm. 3. in Natiuit. Domini.

Tertiò, quia *vera eſt pœnitentia, quando ſic conuertitur quis, vt non reuertatur, quando ſic pœnitet, vt non repetat.* Auguſtinus ſuprà; pœnitenti in id omni incumbendum eſt cura, vt commiſſa non iteret, mores emendet, affectus ad rectam rationem reuocet, in dictis factiſque modum teneat, quem benè inſtituta ratio præſcribit, ac docet, quos enim adhuc peccare iuuat, quos priſco ſuo more viuere, id eſt, vt ante indulgere naturæ, ſectari otium, voluptatibus operã dare, his inter pœnitentes locus eſſe nullus poteſt: *Pœnitentiam enimuerò agere, eſt commiſſa flere, ſed iterùm plangenda declinare* Greg. lib. 9. Regiſtri, epiſt. 39. ad Theodiſtam. Ex quo patet errare eos, qui ſe pœnitentes eſſe aiunt. *Et tamen adhuc illos, delectat peccare, profeſſio eſt, non emendatio, accuſatur anima, non ſanatur, pronuntiatur offenſa, non tollitur.* Auguſt. ſerm. 3. in Nat. Domni.

Quartò, cùm ſpe conſequendæ veniæ, contritio omnis noſtra coniuncta eſſe debet, qui de diuina deſperat miſericordia, Deum non placat, ſibi de peccatis ſuis aliunde, ex cauſa offenſum exulcerat.

Digitized by Google

Audaciter pronuntio, quoniam cumulatius delictum est desperatio, quam qualiscunque humanæ fragilitatis offensio. Augustin. lib. 2. de visitat. infirmor. *Cùm enim hoc sit proprium numinum, liberales venias, & concessiones habere gratuitas.* Arnob. lib. 7. aduersus gentes, iniuriam illis irrogat, qui de eorum indulgentia, ac bonitate desperat. *Nec pudere quenquam oportet iteratæ valetudinis, iteranda medicina est, gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris, offendisti, sed reconciliari adhuc potes.* Tertull. de pœnit.

Quintò, etsi animi cõtriti partes sint, vitium insequi, execrari, odisse, sibi cùm eo amodo, cõmune nihil esse velle, ad eius tamen ruinam, ac odium, conspirare partes omnes corporis debere dixit Ambr. in tract. ad Virgin. lapsæ. & cùm eo Patres in Trosleiano Concil. can. 15. his verbis. *Si ex toto corde conuersi ad Dominum, veram pœnitentiam fructusque dignos pœnitentiæ fecerimus, crebris & sanctis instantes ieiuniis, vigiliis & orationibus, salso lachrymarum imbre perfusis, cum eleemosynis, cæterisque misericordiæ, & caritatis operibus, atque profiteamur nos ad pristina impietatum scelera nunquam redituros, iuuante eius gratia, satisfacientes Deo, & Ecclesiæ de præteritis peccatis, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, & per contriti cordis sacrificium, citò eius qui cor contritum non spernit misericordiam consequemur. Qualis enim vita* (nihil autem est in homine, quo hic per summam improbitatem animi, ad ignominiam Deique contemptum non abutatur) *qualis inquam vita, talis si fuerit actio pœnitentiæ perseuerans, audebit sperare, si non gloriam, certè pœnæ euacuationem.* Ambros. in tract. ad Virgin. lapsæ. cap. 8.

Sextò, exigit idem Pater, vt contritio quolibet sit alio dolore intensior, *Grandis enim plaga, alta & prolixa opus est medicina, grande scelus, grandem habet necessariam satisfactionem.* Ambros. supra c. 8.

Septimò, debet esse continua, ac quantum per vires animæ, Deique auxilia licitum, trahi ac produci ad vitæ exitum, breuior, si fides est Ambros. Deo, superisque non placet. Quare. *Inhære*, inquit, *pœnitentiæ, vsque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humano die, veniam dari, quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit.* Ambr. tract. ad virg. lapsæ. cap. 8. *Quis enim non infirmatur in carne? quis non fordescit in puluere.* S. Leo serm. 5. de Quadr. est hic ergo puluis excutiendus, pœnitentia sanandus animus. *Sanctis enim lugent, non solùm ob huius vitæ mutabilitatem, ignorantiam, miseriam, sed etiam propter ipsum pulnerem huius mundi, qui ambulantium viam huius vitæ, pedibus adhæresit.* Augustin. lib. 50. homil ho. 50. *Vt ergo nitor mentium ad Dei imaginem conditarum à fumo vanitatis, ac sordibus fuscatur, ita semper indiget expediri.* S. Leo serm. 5. de Quadragesi.

Cap. 5. Neque tamen est existimandum, stare contritionis naturam non posse, nisi cùm prædictis est ornata conditionibus. Scio quidem Patres id velle, lego apud Cypr. de lapsi. epist. 31. necesse esse, *vt quam magna deliquimus, tam grauiter deflcamus, alto vulneri*, inquit, *longa & difficilis medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit, non sit minor medicina, quam vulnus est, non sint minora remedia, quam funera.* Memini Ambrosij inculcantis lapsæ virgini, *secundum molem conscientiæ, exhibendam esse magnitudinem pœnitentiæ, Deum autem, si creditur* Augustin. *in ignoscendis criminibus respicere mensuram doloris, & cordis contriti.*

Est tamen quod respondeam, Patres, non semper ad Theologiæ amussim, ac regulam, verba sua exigere. Vt volebant, virtutis amorem, ac studium, in animis audientium, imprimere, dum dicebant ad populum, ita & peccati odium, quam in rem conferte cum viderent, iudicij futuri metum, læsique Numinis iras, Enimuero, summa omnia in pœnitente postulabant, dolorem, planctus lachrymas, vt & illius seueritatem effugere, & huius id est Dei, vindicem oculum placare, fletibusque suis ad misericordiam posset inflectere.

Est enim dolor quilibet, Dei causa susceptus, quamuis exiguus, propeque in intensione nullus, si modo est de peccato, vt repugnante summo bono dilecto, ac per fidē cognito, vera est contritio, & ad remissionem cuiusque peccati lethiferi, vera idoneaque dispositio: At peccata contritione detergi, Theologorum est, Ecclesiæque, fide certa opinio. *Cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, iam reuixit*, Augustin. in Psalm. 101. Conc. 2. & cap. 72. de Ecclesiast. dogmatib. tom. 3. *Pœnitentia*, inquit, *aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in vltimo vitæ spiritu, admissorum pœniteat.* Sanè cùm de pœnitentia loquuntur Patres, & absolutè, ac sine addito, relaxandi peccati, vim illi tribuunt, certæ in ea intensionis gradus non exigunt. Ex his Patrum verbis, de re ipsa iudicium fiet. *O felix pœnitentia, quæ furentem Dei sententiam, confesso errore mutat.* Hieronym. in epitaphio Fabiolæ. *Pœnitentia est medicamentum peccatum extinguens, donum cœlitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans.* Chrysost. hom. de pœnit. Non est ergo contritio, de earum rerum genere, quarum natura, agendique vis, ac potestas, à graduum certo numero pendeat. Qualiscunque est futura, parua, vel magna, remissa aut fortis ac intensa, quia natura sua culpis mortalibus est aduersa, ab iis animum eximet.

Quam ad rem, mora temporis certa nulla est necessaria, quia vt dicitur in can. mensuram de pœnitent. dist. 1. *Apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris.* S. Leo epist. 91. ad Theodorum. *Misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire apud quem, nullas patitur venia moras, vera conuersio.* Concil. Paris. sub Ludou. & Lothario lib. 1. can. 46. *Pœnitentia, non in multitudine annorum, sed potius in contritione cordis, & corporis est æstimanda.* Idem, iisdem prope verbis, scripserat antea Cœlestin. in ep. 2. cap. 2. *Vera ergo conuersio ad Deum, in vltimis positorum, mente potius est æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente, cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Ratio est, quod dispositione vltima posita, illico, hoc est eodem momento temporis formam poni sit necesse. At est contritio, ex Dei voluntate, præparatio, ac vt loquuntur Philosophi, vltima ad gratiam dispositio, ergo cum hæc, facta apprehensione obiecti, momento possit elici, tempora ad eam certa nulla, ac definita, erunt necessaria.

Nec item prævia peccatorum omnium, quæ sunt vnquam admissa, aut aliquorum in particulari memoria exigitur, secundum Bonau. in 4. dist. 19. p. 1. art. 4. q. 2. Caiet. ver. contritio & alios.

Cap. 6. Secus opinatum esse B. Bernardum indicant verba, quæ sequuntur petita ex sermone 16. in Cantica vbi de vnguentis spiritualibus deuotionis pietatis & contritionis. *Est ergo vnguentum, quod sibi conficit anima, multis irretita criminibus, si cùm incipit cogitare vias suas, colligat, congerat conterat-que in mortariolo conscientiæ, multas ac varias species peccatorum suorum, & intra æstuantis pectoris ollam, simul omnia coquat, igne quadã pœnitentiæ, & doloris.*

Et poſtea addit hoc vnguentum, *tantò minus vile, diuinis apparaturum conſpectibus, quanto ſibi plus illa vilueris, in recordatione peccatorum ſuorum.*

Sed repugnant Theologi, doctrina iuxta, ac pietate conſpicui. Victor. de confeſſ. num 115. Nau. cap. man. 1. num. 1. Binsfeldius in Enchirid. de Confeſſ. Laym. tract. 6. cap. 4. num. 5. Suaderque ipſa ratio.

Illico ac quis de peccatis conteritur, de reo innocens, de improbo iuſtus efficitur, *cor enim contritum ſanatur, eliditur elatum* Auguſt. in Pſal. 146. tom. 8. At ea deteſtari quiſque poteſt appretiatiuè, ſupra omne malum, repugnans ſummo bono dilecto, & per fidem cognito, etſi vnum tantùm memoriæ occurrat, aut ſi plura, non tamen apprehenſa in particulari, ſed ſub ratione duntaxat communi mali, & ſummè execrandi: ergo quod Bernardus ait, peccata ſingula deteſtanda eſſe, ideoque reuocanda in memoriam, vt contritionis natura eſſentiaque conſtet: quod pace eius ſit dictum, firmum nullum habet ac ſtabile fundamentum.

Equidem vt eſt in Ezechiele, cap. 18. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die*, id eſt, quandocunque, & quamprimùm, ſicuti explicat Victoria de Confeſſ. num. 115. *conuerſus fuerit ab impietate ſua*: At quis exiſtimet, tantillo tempore, id eſt, momento temporis, quo maius nullum poſtulatur, vt cum Deo rediri poſſit in gratiam, peccata ſingula diſtincta per capita, reuocari poſſe in memoriam? Notanda ſunt tempora, loca deſignanda, perſonæ, earum dicta, factaque velut in vnum colligenda faſcem. Quis omnium qui vbique viuunt hominum, quamlibet acri ſit, ac vegeto prædituſ ingenio, per hæc omnia ire animo poteſt, eaque luſtrare recordando momento vno? Ergo cùm quacunque hora ad Deum ingemiſcimus, iuſti ſimus, nec relegi, ac retractari culpæ omnes, tantillo tempore valeant: conſequens eſt, ad contritionem, eiuſque eſſentiam id per ſe non exigi, nec ex præcepto, quo ad eam, quiſque obligatur poſt culpam.

Per ſe dixi, & ex præcepto. Nam cùm diuina lege, explicare in confeſſione peccata ſingula oporteat, eorum meminiſſe eſt neceſſe, ob eamque cauſam relegenda vita præterita, notandæ maculæ, ſi quæ ei inhæſerint, ac Confeſſario detegendæ omnes, vt eas detergat, ac emaculet. Nec eſt tantùm hæc peccatorum retractatio, ad confeſſionis integritatem vtilis, ſed & ad alia pleraque. Primò, vt de ſua quiſque diligentia in diſcutienda conſcientia ſit certus. Secundò, vt peccata ſua deteſtetur acriùs, fitmiſiſque. Tertiò, *vt propœna temporali, eo plenius ſatisfaciat, quo magis peccata commiſſa, dolenda in ſe putat.* Quartò, *vt animum ad vitæ emendationem tanto magis confirmet, quo firmiùs eſſe ſolet propoſitum particulare, & expreſſum, quàm generale & implicitum.* Laym. tract. 6. cap. 4. num. 5.

Cap. 7. Sufficit tamen tale propoſitum implicitum ad iuſtificationem, tam extra, quàm intra Sacramentum. Suar. diſputatione 4. ſect. 5. & diſp. 20. ſect. 4. num. 32. Coninch. diſp. 2. dub. 6. concluſ. 5. quia poteſt quis ferri in Deum amore vehementi, item & peccatum, ex motiuo ſupernaturali odio proſequi, non cogitando de vita melius inſtituenda in poſterũ, de hoc homine quæro, ecquid Deo non ſit gratus? Eſſe negari non poteſt, cùm verè Deum ac ſincerè amet: vbi autem eſt caritas, ibi culpa mortalis eſſe nulla poteſt. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & qui diligit me, diligetur à Patre, & ego & Pater ad eum veniemus*, &c. Quod ſi eum carere culpa mortali, gratiaque præditum eſſe, conteſſerint aduerſarij, cauſa eſt dicta. Propoſitum actuale ſeruandi mandata Dei, & abſtinendi à peccatis, ad contritionis naturam, non eſt per ſe, ac neceſſariò requiſitum, cùm hic de quo eſt quæſtio, eo careat.

Cap. 8. Similiter de eo cenſeri non debet, qui peccata ſua deteſtatur, propter aliquod huius vitæ cõmodum, cuiuſmodi eſt amiſſio rei familiaris, iactura honoris, exilium, verbera probra, patibulum.

Ratio eſt, quòd dolor qui ex huius vitæ malis naſcitur, idonea non ſit diſpoſitio ad gratiam. Quid ita? Nempe eſt caritas diuina virtus, gratiaque vim naturæ ſuperans, ergo ad eam peruenire ſine præueniente Dei auxilio, non datur. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Sed odiſſe poteſt quilibet culpas ſuas, ſine ſpeciali gratia, ex motiuo purè naturali, cuiuſmodi eſt iactura temporalis alicuius commodi, tali ergo diſſenſui, diſplicentiæ, & nolitioni peccati, non eſt adiuncta gratia, cùm ad eam non ſit diſpoſitio idonea.

Qualis demùm eſt futura, ſi ſit ex obiecto reuelato, & Catholica fide percepto, neque Deus excludatur. Comitol. lib. 1. Reſponſ. q. 32. num. 5. cui tamen aſſentiri non poſſum, aſſerenti certam quandam menſuram à Deo præſcriptam eſſe dolori, quo ad eum reditur, infra quam, dum manet, negat peccatori iuſtificationem poſſe contingere. Nam ad omnia ſcelera abluenda, parum contritionis eſſe ſatis, ſcribunt Principes Theologi: D. Thom. in 4. diſt. 17. q. 2. art. 5. Alexand. in 4. p. q. 17. memb. 1. §. 1.

Enimuerò, cùm caritas bellũ acre, & acerbum, culpæ lethali indictum habeat, nec ambæ hæ res vnquã inter ſe ſocietatem concordiæ ineant, dextraſque iungant. Sit autem contritio, id eſt, dolor peccati, proprer Deum ſummè dilectum, caritatis actio, nempe id conſequatur, quod paulò ante diximus, eſt neceſſe in dolore menſuram nullam exigi, quolibet modo oriatur, & exiſtat, ex obiecto ſupernaturali, Deumque reſpiciat, peccata remitti, gratiam infundi, dari iuſtitiã. Chryſ. ſcripſit homil. 6. in Matt. *In ſæcularibus*, inquit, *iudiciis quantumlibet poſt acceptam iniuriam lamenteris, & lugeas, non tamen effugies ſtendo iudicium: hic verò ſi tota corde ingemueris ad Deum, ſoluiſti repentè ſententiam, veniamque conſequutus es.* Eodem ſpectant hæc Aug. tract. 49. in Ioan. *Si peccaſti, pœniteat te, & reſuſcitat te Dominus.*

De Confeſſione.

Cap. 1. OMnibus nouę legis Sacramentis commune eſt, vt materia & forma conſtent, pœnitentiæ verò Sacramento proprium, quod non externę quædam res vt in cæteris Sacramentis, ſed actus noſtri ad materiam eius aſſumantur.

Inter eos locum primum obtinet Contritio, *cuius motus, quouis tempore fuit ad impetrandam peccatorum remiſſionem in homine poſt Baptiſmum lapſo neceſſarius: ita verò demùm præparat ad remiſſionem peccatorũ, ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.*

Declarat itaque ſancta Synodus, etſi contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu

ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem, ipſi A *contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ. Declarat hæc ſancta ſynodus non ſolum, non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam Dei donum eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, & quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen ad Dei gratiam, in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.

Et hic actus dolotis tam qui perfectus eſt, & vocatur contritio, quam qui imperfectus, & nominatur attritio, principem locum tenet inter eos, qui B ad Sacramentum hoc pertinent, vt eius materia. Alter eſt oris Confeſſio, eaque integra peccatorum omnium, quam vniuerſa ſemper Eccleſia, ex quo, à Chriſto Domino fundata eſt, frequentandam cenſuit. Ordiamur ab Apoſtolis, narrat Abdias lib. 3. Leſbium proconſulem, B. Andreæ peccata ſua confeſſum eſſe, Chriſtianos item ſui temporis, Lucas, Actor. 19. *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos* Apoſtolis, eorumque opera vſos indicat, ad ſuorum expiationem ſcelerum, idem à Chriſtianis qui fuere ſuppares Apoſtolis, factitari ſolitum, ex Dionyſio colligere cuique facile eſt, ac obuium. Sic enim ille epiſt. 8. ad Demophilum. *Tu verò vt tuæ literæ indicant,* C *procidentem ſacerdotem ſacerdoti, impium* (vt ais) *atque peccatorem, neſcio quo pacto, contra diſciplinæ ordinem, aſtans, calce abieciſti, ac repuliſti, cum ille quidem verecunde faceretur ſe ad peccatorum remedia quærenda veniſſe. Neque exhorruiſti inſuper, & ſacerdotem optimum lacerare conuiciis, miſerabilem eum dicens, qui pœnitentem, atque impium iuſtificaſſet.* Hæc ille, ex quibus, duo mihi videntur in primis colligi poſſe, quæ ad rem præſentem faciant.

Primum eſt, valere Confeſſionem ad curationem animæ, eamque ab eius ævi hominibus adhibitam, tanquam morborum, quibus vrgeretur, antidotum, *ſanè Deus confitentes ſanat*, ſeipſos punientes, in ſe ſeuerum iudicium exercentes, vt poſſint eſſe illius miſericordiam ſentientes. Auguſt. in Pſal. 146.

Alterum eſt, à ſacerdote, pœnitentem gratia, doniſque cœleſtibus impertiri, quorum ope ad diuinam aſpirare amicitiam, iuſtique nomen, amiſſo peccatoris, & impij, vindicare ſibi valeat. *Cùm audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum iam venisſe, cum audis hominem confitendo proferre ſententiam, iam de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus, à quibus ſoluitur? Quorum remiſeritis peccata.* Aug. ſerm. 2. in Pſal. 101.

Exortus eſt anno Chriſti 156. circiter Pio, Papa primo regente Eccleſiam, è fæce inferorũ fœtidus homuncio, cui Cerdoni nomẽ erat, hic cùm à ſe turbas impie contra Eccleſiam concitatas, ſeminaque bonarũ artium, quæ Seruator Chriſtus dum viueret, in animis hominũ vbere prouentu fecerat, doleret ſi non à ſe euerſa, ac erroribus, quos vbiq; peſtilente manu, linguaque ſparſerat elanguida, facti pertæſus impij, veniam deprecanti ſibi donari ab Eccleſia petiit, eamque ob rẽ ſæpe exomologeſim feciſſe commemorat Irenæus lib. 3. cap. 4. idemque à Rhodanenſibus fœminis, quæ eiurata hæreſi ad Eccleſiam redibant, factum tradit lib. 1. cap. 9. facturus quoque exomologeſim fuiſſet haud dubiè Marcion, niſi morte præuentus, impeditus fuiſſet. Tertull. de præſcript.

Quid? quod Fabianus Papa 1. in Eccleſiam Philippo Imper. aditum ante liberum eſſe noluerit. *Quam ſua*, inquit Euſeb. lib. 6. cap. 27. *peccata confeſſus fuiſſet*, quod Zephirinus eodem authore lib. 5. c. 27. Natali hæretici exomologeſim recepiſſe, eumque Eccleſiæ reconciliatum, à peccatis abſoluerit, ecquid eſt rei, de qua præſens inſtituitur quæſtio, argumentum probabile, propeque certum?

Ad facta, addamus & teſtimonia, omni exceptione maiora, Orig. hom. 2. in Leuitic. loquens de modis, quibus contractæ culpæ ab homine eluí poſſunt. *Adhuc*, inquit, *& ſeptima, dura licet, & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lauat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & cùm non erubeſcit ſacerdoti Domini, peccatum ſuum prodere, & quærere medicinam.* Tertull. de pœnitentia cap. 8. de Confeſſ. loquitur in hæc verba. *Tantum relevat Confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat, Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ: huius igitur pœnitentiæ ſecunda, & vnius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, vt non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur.* De eadem item Confeſſione peccatorum, in Eccleſia fieri ſolita ſcribit Cypr. epiſt. 12. 15. 52. & 62. & in libro de lapſis cum ait.

Confiteantur ſinguli quæſo delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit, in ſæculo eſt, dum admitti Conſeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per ſacerdotes, apud Dominum grata eſt. Et ad Cornel. epiſt. 54. *Ipſe* (inquit) *permiſit, qui legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cœlo ligata eſſent ſolui autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia, ſoluerentur.* tract. autem de lapſ. hæc habet, *quanto & fide maiores, & timore meliores ſunt, qui quamuis nullo ſacrificij, aut libelli facinore aſtricti, tamen quoniam vel hæc cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei, dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ ſuæ faciunt.*

De S. Ambroſ. Paulinus eius diaconus ſic ſcribit in eius vita. *Quotieſcunque illi aliquis, ob percipiendam pœnitentiam, lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita* D *flebat, vt & illum flere compelleret, videbatur enim ſibi cum iacente iacere: cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem interecedebat, loquebatur.*

B. Auguſt. in Pſal. 66. explicans hæc verba confiteantur tibi populi omnes. *Ipſa cantatio confeſſio eſt, confeſſio peccatorum tuorum, & virtutis Dei, tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere. Si non confeſſus lates, non confeſſus damnaberis, times confiteri, qui non confitendo, eſſe non potes occultus, damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus.*

Cap. 2. Confeſſio porro duplex eſt, auricularis ſeu ſecreta. Publica altera, publica, fiebat in facie Eccleſiæ, audiente & ſpectante turba. Illa arbitrum præter ſacerdotem neminem habet, priuatim fit, ac ſecretò, criminis in ea expoſiti, conſcio præter E ſacerdotem nemine, fuitque hoc Confeſſionis genus in Eccleſia, iam inde à primis eius naſcentis primordiis, vſurpari ſolitum.

De ea Tertull. in hunc modum loquutus legitur in lib. de Bapt. cap. 20. *Ingreſſuros Baptiſmum, orationibus crebris, ieiuniis, & geniculationibus, & pernoctigiis orare oportet, & cùm confeſſione omnium retro delictorum, vt exponant etiam Baptiſmum Ioann. Tingebantur* (inquit) *confitentes delicta ſua, nobis gratulandum eſt, ſi non publicè confitemur iniquitates no-*

ſtras aut turpitudines, nempe res in eo tota eſt, quòd publica peccatorum confeſſio baptiſmum præcederet, ex qua redundare quia poterat in pœnitentem, quod in eius infamiam verteret, quæ confeſſionis ratio, moduſque, cùm à Chriſtianis non poſtularetur, ſed ſecretus, ideo ſibi, iiſque gratulandi cauſam iuſtam eſſe. Tertullian. eo loco memorat.

Expreſſiora ſunt quæ ſequuntur, petita à Leone Papa I. ac relata ab Hincmaro, in epiſtola ad Rodulfum Bituricen. & Frotarium Burdigalenſ. data nomine Concilij habiti apud Tuſiacum, an. Chriſti 860. regni Caroli Calui 21. in cauſa nuptiarum Stephani, & filiæ Regimundi Comitis. Sic igitur Leo in ſuis ad Epiſcopos per Campaniã, Samnium, & Picenum: *Magna indignatione commouer, quòd quoſdam ex vobis compert, Apoſtolicæ traditionis oblitos, & ſtudio ſui erroris intentos*: & poſt aliquanta, *De pœnitentia ſcilicet, quæ à fidelibus poſtulatur, cùm reatus conſcientiam ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta: quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea, qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, remoueatur improbabilis conſuetudo, ne multi à mediis pœnitentiæ arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt, inimicis ſuis, ſua facta referari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium, precator accedit.* Hæc Leo, ex quibus fit manifeſtum, ac euidens, præter confeſſionem publicam, dari & auricularem, & hanc ſolam eſſe ſacramentalem: Cui rei confirmandæ prodeſt mos Chriſtianorum antiquus, prouoluendi ſe ad Sacerdotum genua, cuius meminit Tertull. lib. de pœn. c. 9. his verbis: *Cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras*: Ex quo calumniæ in Chriſtianos anſam ſumpſiſſe paganos author eſt Minutius Fœlix in Octauio, cùm dicerent, ipſos Sacerdotum virilia adorare ſolitos, eò quòd profuſi ad eorum genua, ſua illis peccata confiterentur humili, ac ſummiſſa voce. Qui modus, inquit Origen. hom. 2. in Leuitic. ſeptimus eſt de iis, quibus ex diuinæ ſcripturæ præſcripto, peccata remittuntur, nempe, *cùm non erubeſcit pœnitens, Sacerdoti Domini, indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundùm eum, qui ait, Dixi pronuntiabo aduerſum me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.*

Et quoniam, eſt id cuique laborioſum, ac difficile, quòd vulnera ipſi noſtra, quod cicatrices ac plagas notas eſſe nulli volumus, totus eſt B. Aug. aut quiſquis eſt alius, author libri de viſitatione infirmorum, in exhortandis fidelibus ad verecundiæ victoriam, ex huiuſmodi narratione naſci ſolitæ. *In muro ciuitatis æternæ apponendus eſt lapis viuus, in cuius ædificatione non auditur ſtrepitus, aut malleus, hic perferendus eſt ſtrepitus, hic adiciendus eſt lapidi malleus, hic conterendum eſt totum lapidis quadrandi ſuperuacaneum, ſtrepitus ſit peccatorum tuorum recordatio ſuper quibus perſtrepet in aure Sacerdotis humillima confeſſio, iuxta illud Iacobi, Confitemini alterutrum, malleus ſit pœnitentia cordis, plus quàm percuſſio pectoris.* Auguſt. lib. 1. de viſitatione infirmorum, cap. 2. & lib. 2. *Nolo vt ipſe decipiaris opinione, quatenus confunderis confiteri coram Domini Vicario, tabeſcens præ rubore, vel cernicoſus præ indignatione, nam ipſius humiliter eſt ſubeundum iudicium, quem Dominus non dedignatur habere Vicarium, ergo roges ad te venire Sacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum participem*: & poſt pauca: *Ergo cicatricum tuarum arbiter, Dei vice, Domi us adhibeatur presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipſe tibi exhibebit antidotum reconciliationis.* Similia habet Hieronym. in cap. 10. Eccl. *Si quem ſerpens Diabolus momorderit, occultè, & nullo conſcio, eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit, qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri, & magiſtro vulnerit confiteri, magiſter qui linguam habet, ad curandum prodeſſe ei non poterit: ſi enim erubeſcit vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.* Augu. de ead. confeſſ. ſecreta, hom. 49. *Nemo ſibi dicat occultè ago, nouit Deus qui mihi ignoſcet, quia in corde ago: ergo ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolueritis ſuper terra, ergo ſine cauſa claues datæ ſunt Eccleſiæ, fruſtraneum Euangelium Dei, fruſtranea verba Chriſti.*

Cap. 3. Eſt porro hæc omnium peccatorum mortalium reuelatio, particulatim facienda Sacerdoti, iure diuino neceſſaria. *Quia Dominus Ieſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo, pro poteſtate clauium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuntient: conſtat autem Sacerdotes iudicium hoc incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.* Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Quod autem Sacerdotes poteſtatem acceperint à Chriſto, vt tanquam Iudices, ac Miniſtri peccata remittant, & gratiam iuſtificantem eius nomine conferant, loquuntur Patres ac Concilia. Trident. quidem can. 3. & 7. ſeſſionis 14. Cabillon. ſub Carolo, can. 33. *Confeſſio itaque quæ Deo fit, purgat peccata, ea verò quæ ſacerdoti fit, docet quemodo ipſa purgentur, Deus namque ſalutis auctor, & largitor plerumque hanc præbet ſuæ potentiæ, inuiſibili adminiſtratione, plerumque medicorum operatione*, id eſt, Sacerdotum abſolutione: *quod enim per Sacerdotes ſuos facit Deus, ipſius poteſtas eſt*, inquit Pacianus in ep. 1. ad Sympronian. Nouatian. *Et licet homo ſit qui audit confitentem, Deus eſt tamen, qui per ſe conuertit, & condonat, ſicut Dauid per Nathan.* Neque tamen eſt Sacerdotum inutile miniſterium, inanis labor, otioſa præſentia in hoc Sacramento. Verè enim pœnitentem à peccatorum fæce ſordidum, prece ſua lauant, Deo ob infinita anteactæ vitæ dedecora, varia, & grauia iuſtè ſibi infenſo reconciliant, peccata condonant gratiam, vt miniſteriales cauſæ, Deique in hoc negotio adiutrices tribuunt.

De quo Patrum extant teſtimonia, multitudine prope infinita, perſpicuitate ſua ac luce certiſſima. *Noſmetipſos examinemus*, inquit Athan. in illud Euang. *Profectò in pagum quidam aduerſo, Num ſoluta ſint noſtra vincula, vt in melius proficiamus, quòd ſi nondum ſunt ſoluta, tradas teipſum diſcipulis Ieſu, adſunt enim qui te ſoluant poteſtate ea quam à Saluatore acceperunt: Quæcunque ſolueritis*, &c. Eadem prope ac iiſdem ferè verbis ſcripſit Aug. in Pſal. 101. ſuper his verbis, *vt ſoluat filios cõpeditorum. Meritò per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt, ſuſcitari antè ipſe mortuus non poteſt niſi intus clamante Domino.* Claudam hunc locũ Ambr. teſtimonio de Spiritu ſancto, l. 3. c. 19. *Homines*, inquit, *in remiſſionẽ peccatorũ miniſterium ſuũ exhibent, non ius poteſtatis alicuius exercent, negi enim in ſuos ſed in Patris, Filij, & Spiritus ſancti nomine peccata dimittunt, iſti rogant, Diuinitas donat, humanum enim obſequium, ſed munificentia eſt ſupernæ poteſtatis.*

Cap. 4. Ea tamen frui pœnitens nequit, ſi con-

feſſio eſt manca, ſi ſuis partibus, aut earum aliqua deſtituta, ſi peccata mortalia non complectitur omnia, ſed duntaxat aliqua, qui enim ſcienter aliqua retinet, nihil diuinæ bonitati, per ſacerdotem remittendum proponit: quid ita verò? Quia culpæ mortali commercium eſſe nullum poteſt cum gratia, & reus eſt offenſi Numinis, & quidem, quia in re graui, grauiter, qui peccatum, vnum lethale, ſuum, aut plura ſciens in Confeſſione diſſimulat, tacet, præterit, aut ſacerdoti de eo ſciſcitanti, fœdè negat, ac turpiter. Secus enim facit, quam eſt iuſſus à ſeruatore Chriſto, & quidem in re magni momenti, deinde iudici ſuo imponit in cauſa conſcientiæ, quam hic cognitam plene, ac perſpectam habere debet. *Et ita dum erubeſcimus confiteri, quæ commiſimus, Deum minus quam homines reueremur, hæc eſt confuſio adducens peccatum.* P. Damian. in ſerm. 2. de S. Andr. Apoſtol. *Quantum enim releuat Confeſſio delictorum, tantum exaggerat diſſimulatio, Confeſſio enim, ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ.* Tertullianus de pœnitent. capite 9. Sanè ſic Apoſtoli, eorumque in ſacerdotio ſucceſſores, ſic à Chriſto conſtituti ſunt iudices, ac veluti præſides Eccleſiæ, vt ab iis, eorumque abſolutione, criminum veniam pendere voluerit. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, *&c.* eam ergo recuſat, ac abnuit, qui crimen cælat vnum, aut plura, ſuique hoſtis, ac propriæ ſalutis, gratiæ Sacramentali impedimentum obiicit: cum enim hæc ſubſiſtere, vna cùm culpa lethali nequeat, in quam tamen pœnitens, vltro, ac ſponte ruit, cum conſcientiam ſuam plenè & perfectè Confeſſario non aperit, mortale ſcelus eum cælando, conſequens eſt, eum obicem apponere gratiæ, & ita mortaliter delinquere.

Equidem ex hac poteſtate, Apoſtolis à Chriſto data, cognoſcendi de cauſis conſcientiæ, eiuſque laxandi vincula, colligit 1. Tridentin ſeſſ. 14. cap. 5. *Oportere à pœnitentibus, omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum aduerſus duo vltima decalogi præcepta commiſſa.*

Secundò, infert eos qui ſcienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per ſacerdotem remittendum proponere. *Si enim erubeſcit ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina nõ curat.* Aug. ſupra.

Tertiò, infert Trid. confeſſionẽ venialium neceſſariam non eſſe, *tacere proinde poſſe citra culpam, multiſque aliis remediis expiari.* Verbi gratia, oratione Dominica, humili tunſione pectoris, aſperſione aquæ benedictæ, de quibus Alenſis parte 4. quæſt. 77. art. 1.

Quare Chriſti verba. *Quorum remiſeritis*, &c. vtpote fauorem continentia, extendenda ſunt ad venialia, quia ſunt idonea abſolutionis materia, non tamen proximè ſequentia. *Quorum retinueritis retenta ſunt eis*, cum vt habet Concil. aliis remediis expiari poſſint: quo priuilegio, cum mortalia careant, quandoquidem ſine poteſtate clauium, aut ordine ad illas remitti nequeunt, dicendum eſt, ea ſola poteſtate clauium concludi ac retineri poſſe.

Quartò, ex Chriſti verbis, quibus ſacerdotes ſui ipſius Vicarios conſtituit, tanquam præſides, ac iudices, ad quos crimina omnia mortalia deferri oportet colligit Concil. loco proxime citato, eas circunſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ *ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis, peccata ipſa, neque à pœnitentibus exponantur integrè, nec iudicibus innoteſcant, & fieri nequeat, vt de grauitate crimi-*

num recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere.

Cap. 5. Ad integritatem adiungendæ ſunt & aliæ conditiones, quarum aliquæ ad Sacramenti eſſentiam pertinent, aliæ minime, vt de iis iudicium fieri queat, iubet paucis eas attingere, ſunt hæ verò duobus his verſiculis incluſæ

Integra, pura, humilis, verecunda, ac præmeditata
Veraque ſit ſemper, quum ſit Confeſſio ſacra.

Vera erit Confeſſio, ſi opera omnia noſtra opera eius ſint, & confiteantur ei. Bernard. in ſerm. de Vigilia natiuit. Secundo lit. C.

Vera erit ſi nihil falſi, prudenter ac ſcienter, etiam ſub humilitatis ſpecie ei inſeratur, *verbum enim mendax iuſtus deteſtatur.* Prouerb. 13. *& omne mendacium ex veritate non eſt.* In quæ verba D. Aug. tract. 3. in epiſt. canon. Ioan. *Quid eſt*, inquit, *Chriſtus? veritas, omne autem mendacium non eſt ex veritate, omnes igitur qui mentiuntur non ſunt ex Chriſto*, & hæc eſt cauſa, quamobrem vbique, in verbis noſtris, veritatem ſectari, maximè verò in hoc Sacramento, ſit neceſſe, cùm enim mendacij Chriſtus approbator eſſe non poſſit nedum author, in malis poni debet, ac proinde omni cura, ſtudioque vitari.

Quod fiet, ſi certa pro indubitatis ac certis, dubia quaſi dubia proferantur in medium, Confeſſario autem nihil dicatur quod non ſit factum, nihil occultetur quod ſit admiſſum: ſecus facere in re graui, & quàm interſit eum noſſe, peccatum eſt mortale, Sacramento iniuriam faciens, ac gratiam, qui effectus eius eſt proprius, ne producatur impediens.

Huic verbo, cum (*integram*) confeſſionem eſſe debere dicimus, iſta ſubiecta notio eſt, vt peccata omnia mortalia quorum memineris, aut ſi quando oblitus ea fueras cõfiteri, ac modo in mentẽ veniũt, integrè, nullo prorſus omiſſo confitearis. *Quod ſi qui piam confiteri confundatur, id quoque vnde compungatur, talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conſcientia perdit, quando malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus, obſtruſo labiorum oſtio, non permittit exire, cum eum exemplo Dauid, dicere potius oporteat, & labia mea non prohibebo Domine tu ſciſti.* B. Bernard. ad milites templi cap. 12. de Bethfage.

Neque peccant hi modo contra Sacramenti dignitatem, qui mala ſua diſſimulant, tacent, aut præ pudore obuelant, ac cælant, ſed etiam imprudentiæ ſibi notam inurunt. *Vidi licet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, perinde etiam Deum cælabimus? adone exiſtimatio hominum, & Dei comparantur, & melius eſt damnatum latere, quam palam abſolui?* Tertull. de pœnit. cap. 9. *Deus confitenti, tanquam in apertum ſinum indulgentiam paratus erat dare: excuſas, claudis ſinum, includis peccatum, excludis indulgentiam peccati.* Auguſt. hom. 12. lib. 50. homil. quo quid ad infamiam, eſſe poſſit efficacius, non eſt facile dicere.

Primò, ſuam ſibi felicitatem eiuſmodi genus hominum inuidet.

Secundò, Sacramento cuius ſanctitatem turpi, ac ſacrilego mendacio fœdè inquinat, debitum honorem non exhibet.

Tertiò, ſibi in futurum non prouidet: quæ enim modo tenebris, ſilentioque inuoluit, quæ vnius cuiuſpiam hominis ſubducit oculis, hæc in extremo iudicij die patebunt cunctis, *quantaſcunque enim tenebras falſis noſtris ſuperſtruimus. Deus lumen eſt.* Tertull. ſupra. Quare nihil non illuſtre, clarum, &

Digitized by Google

ſpectabile, tunc eſt futurum, clareſcent cuncta, quantæ ergo eſt impudentiæ, quantæ temeritatis, ac veſaniæ, vulnera ſua, dedecoraque ab infinitis nota eſſe malle, poſt hanc vitam, quàm hic abvno quopiam admedelam, & poſtmodum ad ſempiternam gloriam? *Ego ſanè rubori huic locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro* Tertull. de pœn.

Primò itaque *Miniſtros verbi Sacerdotes cautè neceſſe eſt, ad vtrumque vigilare ſollicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris, & contritionis inſtigant, quatenus eos nequaquam, à verbo confeſſionis exterreant, ſic corda aperiant, vt ora non obſtruant, ſed nec abſoluant etiam compunctum, niſi viderint & confeſſum.* Bernar. ad milites templi, cap. 12. de Bethfage.

Secundò, in id quoque eos incumbere eſt neceſſe, vt pœnitentes ſuis interrogationibus, ad plenam, integramque ſuorum peccatorum confeſſionem adiuuent. *Cùm enim interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccetur, ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, vt ex vtriſque plena ſit confeſſio, ſcilicet vt ea confiteamur quæ per corpus geſta ſunt, & ea quibus in ſola cogitatione delinquitur.* Concil. Cabillon. 2. ſub Carolo Magno, an. 813. Addit Theodulphus in Capitulari, cap. 31. pœnitentem interrogandum eſſe, *quomodo, aut qua occaſione, peccatum perpetrauerit, quod peregiſſe ſe confitetur, & iuxta modum facti pœnitentiam ei indicendam eſſe. Debet etiam ei perſuaderi, vt de peruerſis cogitationibus faciat confeſſionem, & de octo principalibus vitiis, & nominatim ei debet Sacerdos vnumquodque vitium dicere, & ſuam de eo confeſſionem accipere.*

Tertiò, videre debent Confeſſarij, ne pœnitens ex verecundia, ac pudore ſubruſtico, partem vnam confeſſionis vni, alteri alteram dicat, quia hoc eſt confeſſionem diuidere, ac mutilare, quod nullo modo fieri debet. Inſuper pura eſſe debet confeſſio, & hæc puritas ſecundùm D. Damian. in ſer. 2. de S. Andr. in eo eſt, *quòd non eſt pars peccatorum dicenda, altera reticenda.* Secundùm alios ad quos accedo, quòd hæc Sacerdoti ſine vlla excuſatione aperienda ſint, miſſis ambagibus, ac longis verborum circuitionibus, quibus ea aliquo modo tegi ac cælari poſſunt. *Manifeſta facinora, nihil obſcurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens, nullis circuitionibus, quod verum eſt, operiens.* Auguſt. lib. 2. de viſitatione infirmorum.

Fidelis, *vt confitearis inſte, de indulgentia penitus non diffidens, ne tuo te ore non tam iuſtifices, quàm condemnes* Bernard. in ſerm. 16. ſuper Cant. *Cain & Iudas purè & humiliter confeſſi ſunt, ſed nequaquam fideliter, nam alter eorum deſperans ad laqueum accurrit, alter illud grande ſcelus enomuit. Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Petrus Damiani in ſerm. 2. de D. Andr.

Humilis, *vt idem ſit*, inquit P. Dam. vbi ſuprà, *in corde, quod ſonabit in ore*, vt ad confeſſionem, demiſſo corpore, & animo pœnitens veniat, de ea gloriam ac laudem non quærat: *qui enim peccata, quaſi dolendo, & pœnitendo rememorat, & gloriam in intentione captat, commiſſa ſua non diluit, ſed ſeipſum illudit: eſt enim confeſſio eo periculoſius noxia, quo ſubtilius vana, cùm ipſa etiam inhoneſta, & turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles ſumus, ſed vt eſſe putemur. Appetere autem de humilitate laudem, humilitatis eſt non virtus, ſed ſubuerſio.* Bernar. ſer. 16. in Cantica.

Præmeditata erit, ſi pœnitens priùs quã ad genua ſe Confeſſarij prouoluat, conſcientiam ſuam examinet, dicta, factaque omnia ad memoriam reuocet, nam ſi imparatus ſuo ſe Confeſſario ſiſtat, nec hic per interrogationes accommodatas, eius negligentiam ſuppleat, periculum eſt, ne operam ipſe ſuam ludat, bonumq; otium, fructu nullo conſumat.

Poſtremò, confeſſionem eſſe oportet verecundam ac ſimplicẽ. Verecundam, vt obſcœnitas vitetur in verbis, audacia in factis, vt non impudenter, & inuerecũdè, ſed quanta maxima modeſtia, ac verecundia fieri poterit, flagitia explicẽtur, & præſertim carnis. Simplicẽ autem, vt cuncta narrẽtur, non modò ſtylo aperto, ſimplici, & nudo ab omni artificio, ſed etiã ſine excuſatione infirmitatis propriæ, aut accuſatione alienæ. *Oportet eſſe ſimplicem, non intẽtionem (fortè quia homines latet) excuſare delectet ſi ſit rea, nec leuigare culpam, quæ grauis eſt, nec aliena adumbrare ſuaſu, cùm inuitum nemo coegerit, primum illud, non confeſſio eſt, ſed defenſio, non placat, ſe prouocat, ſequens monſtrat ingratitudinem, & quo minor reputatur culpa, eo minuitur gloria indultoris.* Bernard. hom. 16. in Cantica.

Cap. 6. Ex dictis patet, quatuor eſſe, vt notauit P. Damiani, loco ante citato, quæ confeſſionem impediunt, eique, ne Deo accepta ſit, & grata, efficiunt, timorem ſcilicet, eumque duplicem, pudorem, ſpem, & deſperationem: fit enim ſæpe, vt multi, metu pœnitentiæ maioris, quàm ipſi ſubire velint, arceantur à narratione integra eorum quæ fecerunt, aut vt inuiti, ad eam animum applicent, & neutra Deo eſt acepta, *quia exorta confeſſio non eſt, ſed confuſio: Confitendum eſt enim*, inquit idem ibidem, *more Danid, Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, iniuſtitiam*, ait, *non alienam, ſed meam: aduerſum me, id eſt, me arguens vides, quia non timore alterius, vel ad alium accuſandum, aut ſe excuſandum ſanctus Dauid confitetur.*

Sunt quos à confeſſione pudor reuocat, nempe recordantur adoleſcentiæ, quam libidini, quã amoribus, ac obſcœnitati vndequaque patere voluerunt, etiam redeunt in memoriã contempti Numinis, cùm ad ſe eos reuocaret in bonam frugem, fructu tamen nullo, non vitio vocantis, ſed ſuo. Enimuerò hæc Confeſſario exponere, cùm præ pudore non audeant, leuia confectantur, nævos, aut ſi quæ maculæ adhæreſcunt animo, amoueri faciles, has ei indicant, vulnera ac cicatrices, quæ pridem vetuſtate ſuam callum obduxere, ſananda non offerunt, quid mirum, ſi confeſſio quæ eſt inſtituta ad curationem animæ, iis in noxam vertat? Quibus ſanari ſi volent, ſancta hæc & ſalubris eſt ſuſcipienda cogitatio, non ferendum eſſe, vt quem peccare non puduit, culpam fateri ſuam præ pudore metuat: At cui? Deo, cuius oculis non poteſt abſcondi, cui? Sacerdoti eius Vicario, quí eam lachrymis abſterſam æterno ſilentio obruet, malis ipſi noſtris Confeſſarij condolent, his peræque ac ſuis vulnerati, mœrent. *Quidergo conſortes caſuum tuorum, vt plauſores fugis? non poteſt corpus de vnius membri vexatione lætum agere, condoleat vniuerſum, & ad remedium conlaboret eſt neceſſe, in vno & altero Eccleſia eſt, Eccleſia verò Chriſtus, ergo cùm te ad genua protendis, Chriſtum exoras, æque illi, cùm ſuper te lachrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus Patrem deprecatur, & facilè ſemper impetratur, quod Filius poſtulat, grande ſcilicet emolumentum occultatio delictis pollicetur, videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, perinde etiam cælabimus Deum* Tertull. lib. de pœn. cap. 9.

Ita ridiculi ſumus, *quos peccare cogit infirmitas inuitos, & confiteri prohibet confuſio cognata peccati, malum facere pudor non eſt, & pudor eſt confiteri.* Chry-

solog. serm. 34. *Timemus dicere, quod committere non timemus*, Chrysol. ibid. Quam hoc vero in Christiano illaudabile, quam non ferendum in homine. *Si pudor est, vni eiusmodi cuipiam, & peccatori, peccatum tuum exponere, quid facturus es, in die iudicij, vbi omnibus expositura tua conscientia patebit?* Bernar. in sententiis quæ quoniam ad spei, vitiique illi oppositi victoriam, valere possunt, mitto dicere, quæ à P. Damiani, loco citato, proferuntur ad eam rem opportuna remedia, vt à quibus, & quando, videatur iteranda confessio, eadem, qua reliqua breuitate, significem.

Cap. 7. A quibus ergo repeti confessionem est necesse? à pœnitentibus, non aliis. Quando verò, & quo tempore? cum irrita fuit ac inanis, quod accidit ex parte pœnitentis tribus de causis.

Prima est, cum eius culpâ confessio manca fuit, id est dedita eius opera, ac scienter, aliqua sua parte destituta, itaſi dolore legitimo caruit, si voluntate vitæ melioris, cum peccati fuga, virtutumque acri cura ineundæ imposterum, iterandæ Confessioni locus erit.

Ratio est, quod doloris inopia, Confessio sit nulla, ergo repetenda, cum diuino præcepto de ea frequentanda nemo satis faciat, nisi qui omnia adhibet ad illam diuina voluntate necessaria, quod non facit, quem de mortalibus sincere non pœnitet, aut qui firmam nullam, stabilemque voluntatem habet ea declinandi. Sotus in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. Nau. cap. 9. n. 10. Graff. lib. 1. decis. c. 2. num. 15. quare eiusmodi Confessio potius est quædam cum fraude dissimulatio, quam vera, ac sincera, malefactorum suorum enumeratio, coniuncta sacrilegio, tam eius, qui eiusmodi facta confessione, absolutus fuit, quam qui absoluit, si pœnitentem sciebat vero nullo dolore suorum scelerum affici.

Secundò, necesse est confessionem repetere, cum pœnitens vnum, vel plura peccata mortalia pudore, vel ex proposito, aut supina quadam obliuione ac negligentia præterit.

Ratio est, quod tunc Confessio sit inualida, ac nulla, cum eius forma est falsa, verè enim id significare debet, quod efficit, quod non potest, cum ei falsitatis aliquid inesse accidit, sed est absolutio falsa, cum peccata non explicantur omnia, sed eorum tantum pars aliqua.

Nam cùm gratiæ ac peccato, bene inter se conuenire nequeat, quæ res culpæ dabit initium in homine, hæc certò allatura est interitum gratiæ. At quæ culpa sacerdoti absoluenda non panditur, hac pœnitens non exoluitur, cum iudex non nisi de cognitis iudicium exerceat, dono ergo gratiæ pœnitentem non impertit, cum hic, sciens reconditiores animæ suæ sinus illi non recludit, aut ei peccatum vnum, aut plura, volens obtegit, & tamen, ab omnibus absoluere se eum asserit: vsurpanda ergo est secundo eorum Confessio, cum quæ primo facta est, inanis extiterit ac nulla.

Tertiò. Tum etiam lex iterandæ confessionis valet, cum pœnitens ad hoc Sacramentum animum applicat, censuræ Ecclesiasticæ macula aspersus, quam eluere confessarius potestatis suæ virtute non potest, idque pœnitens intelligit, simulque ei, quem censura aliqua irretitum tenet, legibus Ecclesiæ ad Sacramenta accessum nullum esse.

Ratio est, quod tunc confessio est inualida, vtpote non integra, cum de peccato hoc suo, pœnitens mentionem nullam faciat, estque doloris insuper expers, cum hic voluntatem omnem excludat, ac affectum peccandi, in eo quem sanctè ac religiosè afficit: est enim contritio dolor de peccato, cum voluntate non peccandi in posterum, qua tamen carere eum est necesse, qui non modo excommunicatum esse se intelligit, sed præterea culpam esse, ad Sacramentum in eo statu accedere.

Ex parte Confessarij, quadrupliciter confessio est iteranda.

Primò, si potestate Ordinis, ac Iurisdictionis in pœnitentem non fuerit instructus, puta, quia alterius est Diœcesis, aut Parochiæ, aut non habet nisi casus reseruatos Papæ, vel Episcopo, in quos ipse Confessarius ius nullum habet.

Secundò, ex parte ministri confessio est inualida, ac proinde iteranda, defectu intentionis necessariæ, quia eius absentia, Sacramenti est interitus, ac ruina, ex dictis de Sacramentis in communi.

Tertiò, defectu approbationis, aut scientiæ necessariæ, vt si Confessarius tam ignarus fuerit, vt quid mortale, à veniali differret, aut formam pronunciare nescierit, eumque pro tali cognitum, nulla cogente necessitate pœnitens adierit.

Quartò, defectu attentionis Nau. Enchir. cap. 9. num. 9. Syluester verbo Confessio 1. num. 6. Ratio est, quod confessio, sit manifestatio peccatorum, facta iudici, ac medico, illi quidem, vt de iis, quæstione prius habita, statuat, ecquid ea remitti, ac relaxari, an retineri oporteat. Isti autem, vt morbis animi idonea pharmaca applicet, eosque sanet: at neutrum præstare potest, qui pœnitentis verba non percepit, quia peregrinabatur animo, aut somno erat oppressus, dum hic sua illi vulnera, plagasque detegebat: fuit ergo confessio, ob hunc defectum nulla, ac proinde repetenda, cum erit pœnitenti cognitus.

De Satisfactione.

Cap. 1. SAtisfactio pars est Sacramenti tertia, non essentialis, quia ex causa omitti à Pœnitente, & à Confessario, ei in extremis vsu linguæ & aurium destituto potest non præcipi, quod est argumento, satisfactioni locum quidem esse inter partes Sacramenti pœnitentiæ, sic tamen, vt ipsa ad eius essentiam non pertineat, sed integritatem tantum.

Neque tamen, id sibi sacerdotes possunt iure assumere, vt eam pœnitenti non præcipiant, cum eis incumbat dare operam, ne culpâ suâ, Sacramentum mancum sit, ac mutilum, idque illis enixe ac seuere iubeatur à Trid. Concilio in sess. 14. cap. 7. Remensi 2. sub Carolo Magno ann. 813. can. 12. Metensi, in cap. 21. Capitularis Episcoporum recens à P. Sirmundo editi. *Vt cuncti sacerdotes omnibus illis confitentibus eorum crimina, dignam pœnitentiam cum summa vigilantia ipsis indicant.* In quo cùm multi ignorantia iuris, ac turpitudinis, quæ cuique culpæ inest, officium suum requiri sinerent, statuere Galli Antistites in Concil. Paris. 6. sub Ludou. Pio ann. 829. canone 32. *Vt Presbyteri imperiti, solerti studio ab Episcopis suis instruerentur, qualiter & confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum modum pœnitentiæ secundum canonicam authoritatem, nouerint imponere, quoniam hactenus eorum inuria, & ignorantia, multorum flagitia remanserunt impunita, & hoc ad animarum ruinam pertinere, dubium non est.*

Ex quo patet peccare sacerdotes, cum liberum à suo tribunali, ac sine pœnitentia abire pœniten-

tem

tem ſinunt, nam quis eos exiſtimet innocentes, quis culpæ expertes, cum ſuperiorum imperia non faciunt? cum Sacramento iniuriam inferunt, partem eius vnam, cum poſſunt, & licet, contra Chriſti inſtituta, ac Conciliorum iuſſa non ponunt? *De pœnitentia peccatorum quæ eſt medela animæ, vtilem omnibus eſſe cenſemus, & vt pœnitentibus, à ſacerdotibus facta confeſſione indicatur, iubemus.* Cabillon. Concil. tempore Eugenij P. can. 8.

Cap. 2. *Vt autem digne quis pœniteat, neceſſe eſt vt ad fidei recurrat originem, & quòd in Baptiſmo promiſit, diabolo ſcilicet, pompiſque eius abrenunciare, in Deum credere, mandatis ipſius obedire, ſollicitus ſit vigilanter cuſtodire. Quicunque ergo taliter pœnituerit, quoniam aliter ſimulatio dici poteſt non pœnitentia, illi Apoſtolica freti poteſtate, peccatorum ſuorum remiſſionem largimur.* Gregor. lib. 7. regiſt. epiſt. 10.

Hæc igitur prima ſit Confeſſarij cautio, vt intelligat, ecquid à poſtrema ſua Confeſſione pœnitens ſibi vim aliquam, ac naturæ intulerit, an modum peccandi fecerit, vitam emendauerit, mores correxerit. *Remitti enim culpa de præterito poteſt, correctione ſine dubio conſequente, quod ſi deinceps ſinitur manſura perueꝛſitas, non eſt benignitas remittentis, ſed conſentientis aſſenſio.* Gelaſius in commonitorio ad Fauſtum.

Secunda, vt cùm de alicuius famæ, aut bonorum reſtitutione agitur, non prius abſoluat reos furti, aut violatæ charitatis, detrahendo, quam alienum reſtituerint, ſi in alia, vel aliis confeſſionibus promiſerint reſtituere, & non impleuerint, cum poſſent, ſine ſuo vllo incommodo.

Quod ſi antea nunquam hoc confeſsi fuerint, nec ſit facilè ſatisfacere conſcientiæ, reſtitutione rei alienæ quam poſsident, quia eſt amiſſa, aut quia in præſentiarum non eſt vllius alterius copia, ei æquiualentis in pretio, quæ poſsit ſubſtitui eius loco, aut abſunt, quibus eſt reſtituenda, aut timentur ſcandala, ſi in poteſtatem Domini abſque mora redeat, ſatis erit extorquere ab iis promiſſum præſtandi, vbi primum ſe offeret commoditas, id ad quod tenentur, ac cùm reſtitutione rei alienæ, quam penes ſe habent, ſatisfaciendi pœnitentiæ iunctæ, aut iniungendæ.

Cap. 3. Fuit autem hæc olim duplicis generis, quædam enim publicè, priuatim ac ſecreto fiebant aliæ, illæ ob crimina imponebantur grauia, cunctiſque nota, fidem facit canon 26. Concil. Arelat. 6. ſub Carolo Magno ann. 813. in hæc verba, *vt qui publico crimine conuicti ſunt, rei publicè iudicentur, & publicam pœnitentiam agant ſecundum canones.* Aſſipulatur Innoc. capite 7. epiſtolæ decretalis ad Decentium, vbi quæ crimina haberentur grauia, quæ pœnitentia publica digna, declarat, his verbis. *Eum verò pœnitentem dicimus, qui poſt Baptiſmum, aut pro homicidio, Idololatria, aut pro diuerſis criminibus, grauiſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, reconciliatus altario fuerit.* Carthaginenſe tertium can. 32. crimen vulgare, & quòd ſcandalo fuit vniuerſæ Eccleſiæ, graue nominat, dignumque pœna, quæ in oculis toleretur ciuitatis, conſciis omnibus, ignaro nomine. *Cuiuſcunque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum [illegible]en eſt, quod vniuerſam commouerit Eccleſiam, ante ipſi dem manus ei imponatur.*

Quod cùm ad terrorem, odiumque peccati, imprimendum in animis fidelium, nimium quantum facere, Galli Antiſtites probè noſſent, renouandum hunc morem, qui paſsim vbique exoleuerat, cenſuere eſſe è re Eccleſiæ, ac proinde orandum, vt ad id operam quoque ſuam, ac induſtriam afferre ne grauaretur.

Pœnitentiam agere, iuxta antiquam canonum conſtitutionem, in pleriſque locis, ab vſu receſſit, & neque excommunicandi, neque reconciliandi, antiqui moris ordo ſeruatur, vt à Domino Imperatore (is tùm erat Carolus Magnus) *impetretur adiutorium, qualiter ſi quis publicè peccat, publica multetur pœnitentia, & ſecundum ordinem canonum, pro merito ſuo excommunicetur & reconcilietur.* Concil. Cabill. 2. can. 25. ſub Carolo Magno anno 813. Quid apud eum precibus ſuis promouerint incertum, eas tamen irritas non fuiſſe, ac inanes, Ludouici Pij, eius in imperio regnoque ſucceſſoris ſanctio indicat: enimuero, de conſenſu Clericorum, qui Concilio interfuere, quod eſt habitum in villa Ingilenheim anno 826. *Statuiſſe legitur, vt qui publicè infra regnum rapinam feciſſet, aut cuiquam eius ſubdito vi aliquid abſtuliſſet, publicam inde ageret pœnitentiam, iuxta ſanctorum canonum ſanctionem.* Qui mos pœnitendi publicè in Eccleſia Gallicana diutiſſimè cum laude, fructuque tenuit, eſt enim Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, decretum hoc graue iuxta, ac ſeuerum, aliis ſuperadditum quæ Coepiſcopis, Suffraganeis, ac Preſbyteris ſuæ diœceſis obſeruanda tradidit Epiſcopatus ſui anno 11. Chriſti autem 952. *Vt vnuſquiſque ſacerdos maximam prouidentiam habeat, quatenus, ſi fortè in Parochia ſua publicum homicidium, aut adulterium, ſiue periurium, vel quodcunque criminale peccatum, publicè perpetratum fuerit, ſtatim, ſi auctorem facti, vel conſentientem, adire potuerit, hortetur eum, quatenus ad pœnitentiam veniat, coram Decano & cum Preſbyteris ſuis, & quicquid ipſi inde inuenerint, vel egerint, hoc comminiſtris noſtris, magiſtris ſuis, innoteſcat, vt infra quindecim dies, ad noſtram pœnitentiam publicus peccator, ſi intra Parochiam noſtram fuerimus, veniat, & iuxta traditionem canonicam, publicam pœnitentiam, cum manus impoſitione accipiat.*

Quanquam non hæc Gallorum tantum laus propria, ſed Romanorum, ſed Afrorum, ſed totius Eccleſiæ, quæ peccatum nullum priſcis ſæculis impunitum eſſe voluit, ac ſine pœna. De Romanis teſtantur Euſeb. lib. 6. cap. 27. & Cypr. epiſt. 31. vbi ſanctus Martyr ſignificat, ſibi à Clero Romano ſcriptum eſſe, lapſis, in Eccleſiam, Romæ reditum non oportere concedi more maiorum, niſi poſt expiatâ culpâ ſuam ſatisfactione cõgrua. *Nec nunc ſuper hoc nobis conſilium cogitatum eſt, nec hæc apud nos aduerſus improbos, modo ſupernenerunt repentina ſubſidia, ſed antiqua hæc apud nos ſeueritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua.* Et certè quidem, nam de Fabiano Papa, haud ita pridem defuncto, recens exemplum præceſſerat, qui Philippum Imperatorem ad ſatisfaciendum adegerat, nec prius illi communionem Eccleſiaſticam eſt impartitus, quam confeſſione peccatorum, pœnaque conuenienti, ac congrua, Deo ſatisfeciſſet. Euſeb. loco citato rem eſt vniuerſam, vt erat geſta, proſequutus verbis quorum ante meminimus. Nec quidquam ab Italis, de hac Chriſtiana, ac laudabili ſeueritate, poſtea remiſſum eſſe, annorum lapſu, aut corruptela temporum, Cyprianus grauis author narrat in ep. 31. Nam de Afris dicere nihil attinet, cum conſtet eos in hac parte, plus fortè ſeueritatis attuliſſe in caſtigando ſcelere, iuſtaque de eo pœna repetenda publicè, quam Chriſtiana ferret humanitas. Pleni ſunt libri, plenæ hiſtoriæ, eorum, qui ſuam ad Deum conuerſionem celebrem fecere lachrymis, orationibus, planctu, ieiuniis.

Cap. 4. Neque tamen, omnium vna erat, eademque pœnitendi forma, decreto Fœlic. 3. in Synodo Rom. ca. 1. *Seruata discretione peccantium, non eadem cuncti, qui lapsi sunt, lance sunt pensandi, iuxta peccatorum differentiam, Episcoporum iudicio, pœnitentiæ tempora decerni iubentur.* In Carthag. 3. can. 31. vult Ancyran. vt *secundum conuersationem pœnitentium, Episcopi, pœnitentiæ modum & extendere possint tardantibus, & minuere festinantibus.*

Ætatis, valetudinis, ac virium, in primis habendam esse rationem ait Leo epist. 77. insuper cuiusque indolem, mores, ac conuersionem spectare præcipit, vt erunt conuersorum animi, ad virtutis, studia, magis aut minus incitati, hoc quoque, plus aut minus, eis ad pœnitendum spatij ab Episcopo oportere concedi. *Pariter etiam habens senilis ætatis infirmitatem, & periculorum, aut ægritudinis respiciens necessitates, in quibus, si quis ita graniter vrgeatur, vt dum pœnitet, de salute ipsius desperetur, Episcopus ei per sacerdotalem sollicitudinem subueniet.* Leo epist. 77.

Secundum differentiam peccatorum decernendas esse pœnitentias dixere Episcop. in Conc. Vormatiensi can. 7. proindeque ad officium Episcopi pertinere, *in pœnitentia danda, singulorum causas, singulatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemitusque delinquentium, diligenter examinare, manifestoque cognoscere, temporum etiam, & personarum, locorum quoque, & ætatum, qualitates inspicere, vt etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate criminum, ac gemituum vnuscuiusque delinquentis, à sacris regulis, oculos non reflectat.*

Quæ autem sint hæ regulæ, quæ statuta, in iniungenda pœnitentia, sacerdoti sequenda, tam huius Concilij decreto quam Carthag. 4. can. 76. & Cabillon. 2. sub Carolo Magno can. 38. constabit ex dicendis postea, cum quæ cuique culpæ pœna, per canones, Concilia, ac decreta Pontif. statuta esset, significabimus.

Interim lubet aduertere, eas modo in vsu vix esse, & quanquam peccatis æquales esse oportere, quoad fieri potest humanitus, Concilium Trident. sess. 14. cap. 7. statuat, nihilominus secus accidere posse, culpa nulla sacerdotis, vt existimem, in causa est Vigilij Papæ responsum: interroganti enim Theodeberto Regi, cuiusmodi pœnitentia & quali, plectendus esset, qui vxorem fratris sui, sibi contra ius fasque coniugem asciuisset, Cæsario Arelatensi Episcopo respondit in hæc verba. *Caritatem tuam bene nosse confidimus quia modus pœnitentiæ, præsentium potius sacerdotum inspectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum, veniæ quoque possit indulgeri remedium, tuæ hoc potius æstimationi credimus relinquendum.* Idipsum totidem pene verbis ab Innoc. 1. scriptum legitur, epistolæ eius decretal. ad Decentium cap. 7. *Cæterùm de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus corrigentis, & tùm iubere dimitti, cum viderit satisfactionem.* Quapropter etsi sit consultum pœnitenti optimè affecto, eas pœnas in foro conscientiæ irrogare, quæ salutem afferant, & cum delictorum multitudine, ac generibus, proportione quadam adæquentur, secundum illud, *pro mensura delicti, erit & plagarum modus*, quod ipsum quoque Trident. sess. citata sacerdotibus in primis curandum admonet, ne facilitate nimia, ac pœnarum lenitate iter ad culpam pœnitentibus struxisse videantur, nihilominus, quod Concilia, quod Pontific. quod Patres, scripsere, Cõfessario in iniungẽda pœnitentia, non vitiorum modo, sed peccantis etiam rationem habendam puto, vt senex ne sit, an adolescens, diues an pauper, robustus, an debilis, & alia id genus personarum adiuncta, quibus diligenter consideratis, delectuque habito, eam quæ confitenti conducere videbitur, pœnitentiam præscribat, vt seueritate non nimis grauem, ac asperam, ita nec facilitate leuiorem, quam æquitas ratioque postulãt, ne quod est timendum, si iusto rigidior esset, eam deserat, si leuior, mitiorque, per nimiam Confessarij, in eum indulgentiam, maior peccandi licentia, ac libertas consequatur. *Quod si in alteram partem sit peccandum, satius est, si se dulcem potius lenitate præbeat, quam seueritate grauem, quod apud Deum potior sit misericordiæ, quam austeritati locus.* Fœlicianus Ninguarda in manuali cap. 19. de Sacram. Pœnit.

Cap. 5. Abire tamen à solenni more Ecclesiæ, in iniunctione publicæ pœnitentiæ, Episcopo integrũ non erat, quod hæc voluntate Romanorũ Pontificũ, ac decretis Conciliorũ imponenda esset, *aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum authoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem, repudiatis libellis, quos pœnitentiales vocant.* Concil. Cabillon. 2. can. 38.

Et quoniam non erant Episcoporum eadem vbique iudicia, non eadem ratio, modusque, puniendi crimina, placuit, eadem amodo omnibus vt esset præstituta forma indicendæ pœnitentiæ. *Nam quoniam* (inquiunt Galli Antistites) *variè ab aliquibus sacerdotibus, & indiscrete, hæc iudicia proferuntur, ideo necessarium videtur nobis, vt cùm omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cuius antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.* Concil. Turon. 2. can. 22. quanquam, quod de libris pœnitentialibus hic dicitur, eorumque in pœnitentia præscribenda regulis, ac mandatis, diu in Ecclesia Gallicana non valuit, cum constet eos authoritate Concilij Paris. 6. sub Lothario & Ludouico can. 36. & Cabilonensis 2. sub Carolo Magno ann. 813. sublatos esse, eo quòd *eorum certi essent errores, incerti authores, de quibus dici potest, mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuebant qui dum pro peccatis grauibus, leues quosdam, & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consurgunt pulullos, sub omni cubito manus, & faciunt cernicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.* Cabillon. 2. can. 38.

Age ergo, pœnitentiæ publicæ inchoandæ, quæ perficiendæ, forma olim esset, veteri canonum instituto, Ecclesiæque more, videamus. Hanc autem, ex Pammelio, Rhenano, & aliis, repetere non erit absonum. Ecquis est ergo, eorum de repræsenti sensus? quale iudicium? *Dicimus* (inquit Pammelius comment. in Tertull. lib. de pœnit. notab. 53.) *ex eiusdem* (nempe Cypriani) *sanctissimi martyris scriptis, hunc olim in Ecclesia seruatum ordinem, vt primum fieret Confessio criminum coram sacerdote* (publica de publicis, secreta de secretis vt idem author adnotat, in eodem commentario notab. 1.) *hanc sequebatur pœnitentia, quæ & præcesserat, pœnitentiam excipiebat exomologesis, quam subsequebatur impositio manus Episcopi, aut Cleri.* Hæc ille. Est autem exomologesis, (quo nomine satisfactionem ac pœnitentiam intelligi, ait cum Pammelio Baron. tom. 1. ad ann. Christi 56. Petri 12.) *Prosternendi & humilificandi hominis disciplina, conuersationem misericordiæ illicem iniungens.* Tertul. de pœn. c. 9.

quæ ſecundum formam antiquorum canonum datur, cum Epiſcopus, prius eum quem ſui facti pœnitet, à communione ſuſpenſum, facit, inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere. Toletan. 3. can. 11.

Secundò, id operam Epiſcopus dare debebat, vt cùm manus impoſitione, cilicium capiti pœnitentis imponeret. Concil. Agath. can. 11. *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput à ſacerdote ſicut vbique conſtitutum eſt conſequantur.*

Tertiò, ad cilicium, adiungenda erat mutatio veſtium, aſperſio cinerum, & depoſitio crinium, *Quicunque ab Epiſcopo vel Presbytero, ſanus pœnitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus ſeruet & Presbyter, vt ſi vir eſt, ſiue ſanus ſiuè infirmus, prius* B *eum tondeat, aut in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat.* Toletan. 3. can. 12. *Quod ſi comas non depoſuerit, aut veſtimenta non mutauerit abiiciatur.* Concil. Agath. can. 11. Cum Fœminis tamen actum aliquanto lenius, his enim decreto Conc. Tolet. 3. can. 12. ſatis erat mutare habitum, aut velatas, ne agnoſcerentur, pœnitentium partes explere, ac munera.

Modo qui publicè ad exemplum, aut culparum ſuarum ſolutionem, pœnas pro iis debitas Deo dependunt, in capite ieiunij, hoc eſt die cinerum, qui primus eſt Quadrageſimæ, Epiſcopo ſe, ac ſacerdotibus in Eccleſia præſentes ſiſtunt. Ille primo aſpera oratione eos increpare, admiſſorum grauitatem oſtendere, pœnarum minis quæ apud infe- C roſ improbis ſunt conſtitutæ à ſceleribus eos deterrere.

Deinde vbi eos commotos videt, leniſſimis vti verbis, ad conſolandum, ſpemque oſtendere impetrandæ veniæ, ac ſempiternam beatæ vitæ fœlicitatem polliceri, ſi quo par eſt odio vitia proſequantur, amplectantur virtutem, Deum colant, digne ac cum laude pœniteant. Ita animatos cilicio induit indutoſque extra Eccleſiam eiicit, choro pſallente *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Geneſ. 3. ad quam, eis admitti orationis cauſa cum cæteris nefas, ante diem cœnæ: ad communionem autem nullo modo, niſi reconciliatis per Epiſcopum, aut eo abſente, per Presbyterum, cui eæ partes ſint D commiſſæ, qua de re extat canon. 64. diſt. 50. præſcriptus, his verbis. *In capite Quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ, ſe repræſentent Epiſcopo ciuitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demiſſis, reos ſe eſſe, ipſo habitu, & vultu proteſtantes, ibi adeſſe debent Decani, id eſt Archipresbyteri Parochiarum, & Presbyteri pœnitentium, qui eorum conuerſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ, per præfatos gradus pœnitentiam iniungere. Poſt hæc eos in Eccleſiam introducant, & cùm omni clero ſeptem Pſalmos pœnitentiales, in terra proſtratus Epiſcopus, cum lachrymis pro eorum abſolutione decantet, tunc reſurgens ab oratione, iuxta quod canones habent, manus eis imponat, aquam* E *benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat, & cum gemitu, & crebris ſuſpiriis denuntiet eis quod ſicut Adam proiectus eſt de paradiſo, ita ipſi pro peccatis abiiciuntur, poſt hæc iubeat miniſtris, vt eos extra ianuas Eccleſiæ expellant, clerus verò proſequatur eos, cum reſponſorio in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.*

Cap. ſextum. Ei autem, quandiu Eccleſiæ, per impoſitionem manuum Epiſcopi, reconciliatus non erat, ſacros ordines aſpirare nefas erat, Toletan. 1. can. 2. coniugem ducere Arelat. 2. can. 21. militiæ operam dare, Aurel. 3. can. 19. cum veſte ſeculari in publicum procedere Aurel. ibid. adhibere ad epulas vinum & carnes Cabillon. 2. can. 36. Quinetiam prohibitum ei erat quenquam, de ſacri fontis baptiſmate ſuſcipere, aut ad percipiendum ſancti Spiritus donum, alterius patronum exiſtere coram Pontifice, donec per dignam pœnitentiæ ſatisfactionem, reconciliationem eſſet meritus. Concil. Pariſ. 6. ſub Ludouico & Lothar. lib. 1. cap. 54.

Pœnitentes autem quæ defuncto viro aliis nubere præſumebant, vel ſuſpecta, aut interdicta familiaritate, ſe cùm extraneo iungebant, cum eodem ab Eccleſiæ liminibus arcebantur quod etiam de viro, in pœnitentia poſito, placuit obſeruari. Arelat. 2. canone 21. Toletan. 7. can. 8. Ita decernendi Epiſcopis, qui vtrique interfuere Concilio cauſa hæc vna extitit, *quod ſecundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam geſſit, quam caſtitas perſeuerans mentis & corporis.* Leo epiſt. 90. cap. 11. ad Ruſticum Narbon. Epiſc.

Qui quondam Monachi, poſtea relicta ſingularitatis profeſſione, ad militiam vel ad nuptias deuoluuntur Papæ Leonis decreto, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandi ſunt. Concil. Vernenſe ſub Car. Caluo ann. 844. can. 4. ſacerdos qui fornicatur pœnitentiam annis 10 agere præcipitur in Concil. Hybern. relato in can. Preſbyter diſt. 82.

Clericus falſum teſtimonium dicens priuatur honore ſuo ac gradu, *ſi Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut falſum teſtimonium dixerit, ab officij honore depoſitus, in monaſterium detrudatur, & ſi ibi diu vixerit laicam tantum communionem accipiat.* Agath. Conc. can. 33.

Qui ſanctimonialibus illicitè miſcentur, & ſacrilega fœdera cum eis faciunt nuptiarum, eos Innoc. Papæ cenſura, à communione iubet ſuſpendi, & niſi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Concil. Vernenſe 2. ſub Carolo Caluo can. 5.

Ipſa autem ſanctimonialis, decreto Conc. Tolet. 1. can. 16. iubetur extra Eccleſiam eiici niſi peccare deſierit, ad quam recipienda dicitur, ſi pœnitentiam egerit aptam, annis decem. 27. quæſt. 1. can. deuotam 37.

Clerici Eccleſiam non frequentantes in pœnam contumaciæ, ac modicæ religionis in Deum, aut verè nullius, priuantur clericali communione, peregrina ſola illis relicta in Conc. Agath. canone 1. *Si autem diebus ſolennibus ab Eccleſia ſua defuerint ideſt Natiuitate Domini, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte, conuenit vt triennio à communione ſuſpendantur, ſimiliter Diaconus vel Presbyter, ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit, huic damnationi ſuccumbat.* Can. 39. eiuſd. Concil. Clericus peruirus biennio communione priuatur in Conc. Aurel. 3. can. 5. Diaconi votum violantes loci & ordinis dignitate priuantur. *Si deinceps Epiſcopi detecti fuerint, execrabilibus flagitiis, cum quibuſdam fœminis pollui, ac familiari peculiaritate verſari, loci & ordinis dignitate priuentur, Diaconi vero & Presbyteri, ſi omnino coerceri nequiuerint, vſque ad exitum vitæ ſuæ Monaſteriis deputati, diſciplinis monaſticis maneant omnino ſubiecti, hoc idem ſtatuimus de ſubdiaconis.* Concil. Toletanum 8. can. 6.

Sacerdos celebrans abſque ſumptione Sacramenti per annum pœnitentiam agat, & interim à communione abſtineat de Conſ. diſt. 2.

Si per negligentiam aliquid de ſanguine Domini

ſtillauerit in terram, lingua lambatur, & tabula radatur, & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat, ſi ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, quatuor diebus, ſi vſque ad tertium, nouem diebus pœniteat, ſi vſque ad quartum, viginti. de Conſec. diſtinct. can. 27.

Palla altaris mortuum inuoluens, ſi Diaconus erat, triennio, ſexque menſibus à Dominico erat alienus altari, grani percuſſus anathemate: quòd ſi Clericum Presbyter non commonerit, decem annis & ſex menſibus excommunicatus maneat. Clem. Papa ep. 2. ad Iacob refertur, diſt. 1. can. nemo 40.

Clericus cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus, à ſeniore ita coercendus erat, vt 30. dierum incluſione detentus, aqua tantùm, & modico pane diebus ſingulis ſuſtentaretur. Matiſcon. Conc. can. 5.

Si Monachus in Monaſterio adulterium committebat, aut peculiare habere præſumebat, aut furtum facere, & hoc Abbas per ſe non emendaret, aut Epiſcopo, aut Archidiacono, non intimaret, ad pœnitentiam agendam in Monaſterio retrudebatur, pane & aqua contentus. Concil. Altiſiod. can. 23.

Quicunque minus quàm 12. Pſalmos ad matutinum dicebat, ieiunabat vſque ad veſperà, panem cum aqua manducabat, & non erat illi altera, in illa die, vlla refectio, & qui hoc facere contemnebat, vna hebdomada, panem cum aqua manducabat, & ieiunabat omni die, vſque ad veſperam. Turon. Conc. 2. can. 19.

Sacerdos qui clandeſtinæ deſponſationi intereſt, per triennium, ab officij ſui adminiſtratione amouetur, ca. finali de clandeſt. deſpõſatione. Lege autem noua Conc. Trid. eſt ſuſpendendus ab Ordinario. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. nec eius ſuſpenſionis futurus alius finis, quàm qui eidem Ordinario videbitur. Trid. ibid.

Si quis Abbas mulierem in Monaſterio ingredi permiſerit, aut feſtiuitates aliquas ibi præſtare præceperit, tribus menſibus in aliquo Monaſterio retrudatur, pane & aqua contentus. Altiſiod. can. 16.

Sacerdos, quem conſtat multorum teſtimonio, fornicatum eſſe, cùm fœmina, quæ ei peccata ſua eſt confeſſa, aut quam trinæ merſionis vocabulo mergendo, vel ſuſcipiendo, vnda ſacri baptiſmatis regenerauit, *ab officio deponi debet, & peregrinando duodecim annis pœnitere, hiſque exactis in Monaſterio cunctis diebus vitæ ſuæ Deo ſeruire, fœmina autem ſi laica eſt, omnia ſua derelinquat, & conuerſa in Monaſterio, Deo vſque ad mortem ſeruiat.* 30. q. 1. can. ſi quis 9. & can. non debet 10.

Quo maior eſt, ac illuſtrior virginum dignitas hoc etiam, ſi per imprudentiam, aut animi procacitam, ſponte cadant, turpior eſt earum peruerſitas, quam proinde plectendam ad exemplum, ac terrorem cæterarum magni viri, ſuaque eruditione conſpicui dixere. De hoc genere vna quæpiam, cũ ſeduci ſe paſſa eſſet, in eam ſeueritate magna pœnarum animaduerti Gregorius Papa I. voluit: nam *hanc poſt competentis ſeueritatem vindictæ in diſtrictius Monaſterium virginum redigi oportere ſtatuit, vt illic ieiuniis & orationibus vacaret, & hic pœnitendo proficeret*: eum autem, qui cum eiuſmodi fœminis fœdè epiſſet, ac turpiter, à communione remouendum eſſe, ſi ſit laicus, ſi Clericus priuandum officio, ac in Monaſterium, pro ſuis exceſſibus continuò lugendis compingendum ſcripſit ad Ianuar. Calarit. Epiſc. lib. 3. epiſt. 9. & refertur 27. quæſt. 1. can. 28.

Qui diuinos olim honores Diis exhibebant gentium, aut in eorum templis veſcebantur, cum idololatris, in pœnam admiſſi criminis iubebantur annum integrum ſubſiſtere inter audientes; tribus aliis proximè conſequentibus, quæ pœnitentium ſunt propria, exequi. Concil. Ancyran. can. 4. & 5.

De mulieribus, quæ fornicantur, & partus ſuos necant, ſed & de his quæ agunt fœtum, vt vtero conceptui excutiant, antiqua quidem definitio eſt, eas vſque ad exitum vitæ ab Eccleſia remoueri, humanius nunc definimus, vt eis decem annorum tempus tribuatur. Concil. Ancyr. can. 21. triennio tempus illud diminuit Illerdenſe, can. 2.

Qui in ciuitate poſitus tres Dominicas Eccleſiam non acceſſerit tanto tempore abſtineat. Elibertin. can. 21.

Viduæ quæ caſtitatem defunctis maritis erant profeſſæ, Deo datam fidem de ea religiosè ſeruanda, ſi violabant, communione fidelium carebant. Carthag. 4. can. 104.

Incendiario pœnitentia detur, vt Hieroſolymis, aut in Hiſpania, per annum integrum in ſeruitio Dei permaneat, inquit Innoc. II. 23. quæſt. 8. can. peſſimam 33.

Sanctimoniales duæ ex Monaſterio S. Petri Metenſis, quæ cum Diacono peccauerant, ex eodem fuerunt eiectæ ſine velamine.

Sed iuxta ſacros canones conſtituit Synodus, vt velamina illis redderentur, & intra Monaſterium in ergaſtulo ponerentur parco pane & aqua breui, cum abundantia diuini verbi, vſque ad ſatisfactionem ſtruerentur. Concil. Metenſe ſub Odone Rege anno 888. decreto Conc. Aurel. 4. can. 18. fœmina, quæ cum Clerico deprehenſa erat, eiiciebatur è ciuitate.

In Conc. Illerdenſi can. 4. ſtatuitur, *vt qui ſe inceſtus pollutione commaculant, queuſque in ipſo deteſtando carnis contubernio perſeuerant, vſque ad Miſſam tantùm Catechumenorum in Eccleſia admittantur, cum quibus, nec cibum ſumere Chriſtianorum vllum oportet.* Ita cum anno 860. regnante Carolo Caluo, ſparſa fama eſſet Teutbergam Lotharij coniugem, flagitium olim ab Huberto fratre paſſam fuiſſe, Epiſcopi qui Aquiſgranum ad Concil. Lotharij imperio conuenerant, *lugendam inceſti pollutionem, in publicum exhalatam, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandam decreuere.* Conc. Aquiſg. can. vnico.

Conſultus à Frotario Burdegal. Archiep. Nicolaus Papa anno circiter 867. qua pœnitentia plectendus eſſet Burgandus, qui res Eccleſiæ nefando auſu vindicare ſibi præſumpſerat, ac in vſum ſuum ſacra Dominici corporis & ſanguinis vaſa, quaſi vilia conuertere, reſpondit, *velle ſe, cum cùm ad pœnitentiam veniret, vno anno extra Eccleſiam Dei conſiſtere, cuius ſacratiſſima vaſa extra ritum fidei Chriſtianæ diripienda auferre non dubitauerat, ſecundo verò anno ante fores Eccleſiæ, ſine communione (inquit) maneat, tertio verò anno Eccleſiam Dei ingrediatur, inter audientes aſtet ſine oblatione non manducans carnem, neque bibens vinum præter Natalis & Reſurrectionis Dominicæ diem, & vſque ad ſeptimum annum tribus in hebdomada diebus, ſine eſu carnium, & vini potatione maneat pœnitens.* Nicol. in epiſt. ad Frotarium.

Qui ſponſam alienam accipit *quia non poteſt vnquam fieri eius legitima vxor, 40. dies in pane & aqua (quod carinam vocant) cum ſeptem ſequentibus annis pœniteat.* De ſponſa duorum cap. 2.

In Illerdenſi Concilio can. 7. ſtatutum eſt, ve periurus *vno anno à communione Corporis & Sanguinis Domini ſegregatus, reatum ſuum eleemoſynis, & quantis poſſet ieiuniis abſolueret.* A Fabiano verò

Papa, vt habetur ſexta q. 1. can. quicunque 18. *vt 40. dies in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos pœniteat, & nunquam in teſtimonium recipiatur.* Eadem pœna iuſſi ſunt à Pio Papa plecti, qui aliis authores ſunt tam vi, quàm prece, vt peierent, 22. q. 5. can. qui compulius.

Qui ſcienter contrahit, aut coit cum duabus ſororibus, vel cùm matre & filia, vel cùm patre & filio copulam habet carnalem, vel cùm duobus fratribus, pœnitentia ei præſcribitur annorum octo, 30. q. 4. can. ſi pater 2.

Qui alienum rapuerat quadruplum iubebatur reddere, duplum Eccleſiæ & annis 7. in pane & aqua pœnitere 17. q. 4. can. pecunia 16. quod ſi res auerſa vilis erat, pretiique parui, ſatis erat ieiunare in pane, & aqua anno vno, modo redderetur proximo, ſi reddi non poterat, ad annum illum, duos addi oportebat 3. q. 4. can. ſi quis 17. In Concilio Nannetenſi pœnitentia trium annorum imponitur fornicanti, adultero autem 7. annorum, ei autem qui cum ſolutus eſſet peccauit cum adultera, aut contra, 5. annorum tantum. Concilij Ancyrani eſt hæc ſanctio. *Si quis adulterium commiſerit, ſeptem annis in pœnitentia completis, perfectioni reddatur ſecundum priſtinos gradus.*

Occidenti ſacerdotem Diacon. aut Monachum pœnitentia 12. annorum imponitur in Conc. Moguntino ſub Rabano can. 24. perpetua in Nannetenſi vt dicitur expreſſe can. 17. & 17. q. 4. can. qui occiderit 28. nam homicida talium perſonarum, ibi retrudi iubetur in Monaſterium, nunquam ad ſæculum reuerſurus, ſed perpetuo famulaturus ibi Domino. *Si quis autem*, inquit Concilium Nannet. can. 18, *caſu non volens homicidium perpetrauit, 40. diebus in pane, & aqua pœnitentiam agat, quibus peractis biennio ab oratione fidelium ſegregetur, non communicet, non offerat, abſtinentia ciborum in arbitrio ſacerdotis maneat.* Secus aliquanto Patres Ancyrani Concil. & Aurelian. 4. can. 6. his enim viſum eſt, diſtringendæ pœnitentiæ modum Epiſcopi arbitrio committere, cum homicida, à Principibus aut à parentibus occiſi, abſolutus abire ſinitur: illis autem, id eſt Ancyranis de antiquæ rigore pœnitentiæ, detrahere annos aliquot placuit. Decretum ſic ſe habet in can. 22. *Eos verò, qui non voluntariè, ſed caſu homicidium fecerint, prior quidem regula, poſt ſeptem annorum pœnitentiam communioni ſociauit, ſecundum gradus conſtitutos, hæc verò, humanior definitio, quinquennij tempus tribuit.*

Qua lege, vt cæteris, quæ in Conciliis ſeruandæ fidelibus præſcribuntur, Pontificem non teneri, præter alia, factum Nicolai indicat.

Ad eum venerat Vimarus, vt pœnitentiam ſibi pro perpetrato trium filiorum homicidio, temperare Apoſtolica authoritate dignaretur, petitioni hic quidem hominis paruit, ſed ita, vt de antiquorum ſeueritate canonum detractum nihil vellet: Sic enim ſtatuit, *vt ante fores Eccleſiæ pro peccatis ſuis oraturus triennio cõſiſteret, & deinde inter Auditores quadriennio permaneret, vt ſeptem annorum curriculo, abſque communione corporis & ſanguinis Dominici duceret, ita quidem vt omnibus diebus vitæ ſuæ carnem non mãducaret, & in iſto ſeptennio vinum non ſumeret, niſi diebus Dominicis & feſtiuitatum, abinde quinquennio tribus diebus per ſeptimanam à vino abſtineret, vt ſic duodecim annis quantitas pœnitentiæ extenderetur.* Nicol. epiſt. 5. ad Ruioladrum Epiſcop.

Qui filiam ſuam ſpiritalem, vel ſororem ſpiritalem ducit in Matrimonium, aut qui conſentit, pœnitere debet 7. annis can. non oportet 30. q. 2.

Si quis viuente marito coniugem illius adulteraſſe accuſatur, & eo in proximo defuncto, eandem ſumpſiſſe dignoſcitur, omnimodis pœnitentiæ publicæ ſubigatur, de quo etiam, præfata ſi expedierit ſeruabitur regula. Meldenſe Concil. ſub Carolo Caluo an. 845. canone 69.

Coniugem ſuam qui perimit, pœnitentiæ publicæ ſubiicitur 30. q. 2. can. quicunque 7. & canone admonere te 8. eiuſdem quæſt. & cauſæ.

Qui peierat, & alios ſciens in periurium ducit, quadraginta dies pœnitere præcipitur in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos, & nunquam eſſe eum oportet ſine pœnitentia, nec qui tanti criminis fuere conſcij 22. q. 5. can. ſi quis 4. Matiſcon. Conc. 1. can. 17. eum communione priuat vſque ad vitæ exitum.

Dans communionem hæretico ignoranter, aut ab eo recipiens, annum vnum pœnitere debet, ſi ſcienter quinque, quod ſi neſciens permittit eum in Eccleſia celebrare, diebus 40. ſi reuerentiæ cauſa, vno anno, ſi ad fidem euertendam annis 10. 24. q. 1. can. ſi quis dederit.

Quæ autem pœnitentia iniungi debeat iis, qui patiuntur ſe rebaptizari, habes de conſecrat. diſt. 4. can. qui bis ignoranter, & can. eos quos eod. titulo, qui excommunicato communicant 11. q. 3. can. de illis, qui in excommunicatione celebrant, ac ſacra myſteria peragunt 11. q. 3. can. cum aliquis, aut Diuinos conſulunt 26. q. 5. can. qui diuinationes, & can. non liceat, paragr. ſi quis autem, in priori enim canone, qui ſecundus eſt quæſt. allatæ. Qui Magos, aut Diuinos, *in domos ſuas introducunt, exquirendi aliquid arte maleficâ, aut expiandi cauſa, ſub regula quinquennij conſtituuntur, ſecundum gradus pœnitentiæ definitos*, quod fit ſimiliter in can. liceat 3. in 5. autem qui eſt Concil. Tolet. quarti vigeſimus octauus, ab honore dignitatis ſuæ ſuſpenſi, Monaſterij curam ſuſcipere, ibique perpetuæ pœnitentiæ intendere iubentur, Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, cæterique ex Clericorum Ordine, qui conuicti fuerint conſuluiſſe Magos, aut artem exercuiſſe magicam.

Et hæc, de priſca Eccleſiæ, in pœnitentiis imponendis diſciplina, dicta ſunto, quæ quanquam exoleuere ex parte, nec ſint vlli imperandæ facile, cum hoc tempore ſint omnes arbitrariæ, tamen non fuere omittenda.

TRACTATVS QVINTVS.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

QVÆSTIO I.

Explicantur nomina, quibus appellatur Eucharistia à Patribus & Scriptura.

HABET hoc Sacramentum, ob excellentem ipsius dignitatem, nomina varia, à Sotere in epist. ad Episc. Italiæ, vocatur *Eucharistia*, hoc est, authore S. Thoma, *bona & salutaris gratia*, quia nimirum in hoc Sacramento, non vulgarem tantùm ac communem quandam gratiam, vt in reliquis, sed eius authorem, fontemque incredibili bono nostro recipimus.

Solet etiam à Tertull. lib. contra Marcion. vocari *gratiarum actio*, quia ea ad posterorum exemplum vsus est Christus in hunc finem, cùm hoc Sacramentum instituit, vt est apud Luc. cap. 22. *Accepto pane gratias egit.* Vel sanè eam ob rem appellatur *gratiarum actio*, quòd ea vtendum nobis maximè cum diuinis beneficiis impares, in naturæ nostræ imbecillitate, animique inopia tanta, quantam scimus, occurrit nihil, quod Deo pro singularibus ac diuinis eius meritis rependamus, tunc enim Deũ filium Patri, ad testificationẽ grati animi, offerre in hoc Sacramento, opus est non modò laudabile, sed meriti quoque, gloriæque plenissimum, frequentatum à prisci æui Patribus, quos audimus, & legimus cum Dauide, *calicem Salutaris* Deo obtulisse supplices in solutum gratiarum, quibus eos supernè quanquam immerẽtes, larga manu cumulauerat.

Secundò, vocatur hoc Sacrament. à Cyp. in tract. de cœna Domini, nu. 2. *cibus inconsumptibilis, panis supersubstantialis*, n 3. *portio vitæ æternæ*, à Chrys. hom. 9. *magnus panis, qui replet mentem, non ventrẽ. Panis*, inquam, qui secundùm August. tract. 25. in Ioan. *interioris hominis esurient quærit*, quod *sicut panis quem quotidie edimus, vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animæ, & sanitas mentis.* Cypr. de cœna Domini. Idem sentit Cyrill. in Ioan. lib. 4. cap. 14. & ad Calosyrium, nam ibi Sacramentum hoc nominat *vim vitæ, corpus vitæ, semen vinificum*, eo quòd Christi corpore ad beatam immortalitatem alimur, educamur ad gloriam, firmamur ad constantiam. *Panis* enim est, inquit Cyprianus loco proximè citato *propter nutrimenti congruentiam, sanguis propter vinificationis efficientiam, caro propter assumptæ humanitatis proprietatem.* Ioan. 6. *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, panis enim verus est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo*: Ea ratione Ignat. Eucharistiam *panem Dei* nominat: *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ, panem Dei volo, panem cœlestem, quæ est caro Christi.*

Tertiò, appellatur *Communio*, quòd Christo nos hoc Sacramentum vniat, *non vsque ad consubstantialitatem eius, sed vsque ad societatem germanissimam.* Cyp. de cœna Domini num. 6. eodem spectat illud Athanasij contra Apollinar. *Communio Dominici corporis in Eucharistia, est primitiæ futuræ Communionis, panis ἐπιούσιος in cœlis*, quo beneficio frui aliquando egressi de corpore dum speramus, *Corpus hic eius effecti, Sacramento, & re Sacramenti Capiti nostro connectimur, & vnimur, singuli alter alterius membra, ministerium dilectionis pro inuicem exhibemus, communicamus charitate, participamus sollicitudine, eundem cibum manducantes, & eundem potum bibentes, qui potus & cibus est Dominus Iesus.* Cyp. de cœna, num. 8.

Quartò, appellatur *Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini*, à Sotere ep. 2. ad Episcopos Italiæ.

Viaticum ab Ambrosio, in oratione sua prima, præparatoria ad celebrationem Missæ. *Manducet te Angelus pleno ore, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico*, quo nomine Eucharistiam vocari aiunt, quòd malè affectis, iam iamque morituris, dari soleat, vt ea muniti, ad Diuorum religionem recto tramite, pedeque inoffenso iter ineant.

Digitized by Google

Sextò, appellatur à Theodor. ἐπίκλησις inuocatio à Marco & Paulo εὐλογία, *benedictio*, à Cypr. epiſt. 63. ad Cæcilium num. 39. *ſanctificatio* ab Ambr. lib. 4. de Sacrament. D. Auguſt. ep. 59. *conſecratio*, in qua ſigni vſum vetuſtum eſſe probat ipſum ſanctificationis nomen apud Apoſt. 1. ad Tim. 4. cùm dicit *ſanctificatur per verbum & orationem*, quam ſanctificationem D. Auguſt. de peccatorum meritis cap. 26. fieri per ſignum crucis aſtruit.

Sed plura de hac materia, ac Sacramenti huius nominibus poſtea, in Epitome huius tractatus.

QVÆSTIO II.

Quid ſit Euchariſtia, & quale Sacramentum.

ESt Euchariſtia, *corpus Chriſti, & ſanguis.* Cypr. de cœna Dominica num. 5. Theologis qui rerum naturas penitius intuentur, *eſt Euchariſtia Sacramentum, verum reale, ſubſtantiale, atque integrum Chriſti corpus, cum ſanguine anima & diuinitate, ſub vna quaque ſpecie panis, & vini conſecrati continens, ad ſpiritualem animorum refectionem diuinitus inſtitutum.*

Sacramentum eſt omnium dignitate primum, nobilitate & fructu nulli æquandum, quod duobus potiſſimum argumentis probari poteſt, quorum primum à re ipſa petitur, quam cõtinet. Enimuero, porrigitur in eo mortalibus immortalitatis poculum, in eo Chriſti natura, quam angustæ terrarum regiones capere nequeunt cùm humana tùm diuina, inexplicabili modo datur ad cibum homini, animæ autem ad propriæ infirmitatis remedium, quorum nihil eſt in aliis Sacramentis ſimile: Sunt hæc quidem inſtrumenta gratiæ, ſunt diuinæ cuiuſdam caritatis erga hominum genus nunquam ſatis vlli deprædicanda teſtimonia, non ſunt tamen eiuſmodi, quæ diuinitatis in iis abſconditæ ac latentis religioſa ſunt ſymbola, diuina ſunt quidem & ſacra, extrinſeca vt loquuntur, habitudine tam ad Deum, cuius ſunt efficiendæ gratiæ organa, quam ad ipſam, cuius ſignificandæ, pariter ac producendæ cauſa ſunt, à Deo inſtituta, ſed nego in iis contineri cœleſte numen, vt eſt in Euchariſtia, *vbi virtutis diuinæ, inuiſibilis efficientia, probat adeſſe præſentiam.* Cypr. de cœna, illico enim, ac Chriſti verba ſunt prolata. *Panis, ac vinum, & aqua per ſancti Spiritus inuocationem, & aduentum, mirabili modo in Chriſti corpus, & ſanguinem vertuntur.* Damaſc. lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 14.

Secundum argumentum ab huius Sacramenti fine ducitur, quæro ergo, quid in eo inſtituendo Chriſtus ſpectauerit, aut quis ei propoſitus, in hoc tam cõmendabili myſterio relinquendo mortalibus ſcopus fuerit? *Nempe vt coleretur ingiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium, vt, quia quotidiana, & indefeſſa currebat, pro omnium ſalute redemptio, perpetua eſſet redemptionis oblatio, & perennis victima illa viueret in memoria, ac præſens ſemper eſſet ingratia, vera, vnica, & perfecta hoſtia fide æſtimanda, non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu.* De conſecr. diſt. 2. can. quia corpus aſſumptum 35.

Sic ergo iam diſputo, vt virtutum quas morales nominant, nulla eſt religione præſtantior, ita nec operum, quæ multa variaque ab iis prodire ſolent, nullum eſt merito, ac natura par & æquale ſacrificio, ſed Euchariſtia holocauſtum eſt, inſtitutum à Chriſto, ne in Eccleſia, cui initium dabat, *videretur interiſſe religio, cui nequaquam victima vlla eſſet.* D. Cypr. de cœna num. 4. ergo, *&c.*

Confirmatur. Plus eſt haud dubiè, ſplendoris atque dignitatis in fine, quam mediis, quæ ad eum tendũt, ſed Sacramẽta cætera, Euchariſtiam, quaſi nobiliſſimum munerum ſuorum ſcopum ſpectant, ad eamque referuntur vt patet, concludendum ergo, nullum Euchariſtia Sacramentum eſſe, aut genere ipſo ſanctius, aut nobilitate ſublimius, aut dignitate præſtantius, aut ſplendore auguſtius, aut vtilitate denique eſſe ſalubrius.

QVÆSTIO III.

An Euchariſtia ſit Sacramentum, & ſi eſt, an in vſu tantum ſit ſitum.

PRima Aſſertio. *Euchariſtia Sacramentum eſt.* Rem de fide fecere Concilia duo ſub Innoc. 3. in canone firmiter. Trident. ſeſſ. 7. c. 1. & 13. c. 1.

Aſſertionem probat hæc ratio quæ cæremonia à Chriſto eſt inſtituta, ad promouendam religionem, ea ſi eſt ſenſibilis, ac promiſſionem gratiæ habet, verè ac propriè eſt Sacramentum: hæc enim tria tantum ex tractatu de Sacramentis in genere, ad Sacramentum ſunt neceſſaria. Senſibilitas ſigni, inſtitutio Chriſti, ac promiſſio gratiæ: ſed talis eſt Euchariſtia. Nam in primis eſt cæremonia religioſa inſtituta à Chriſto, cum mandato, vt in ſui memoriam exerceatur, Lucæ 22. Matth. 26. Marci 14. & 1. Corinth. 11. Eſt inſuper ſenſibilis: nam ſpecies conſecratæ, prout ſub illis eſt Chriſti corpus, & ſanguis, percipiuntur oculis: auribus autem conſecratio, quæ profertur tanquam ex inſtituto Chriſti, ad conuerſionem panis, & vini, in eius corpus & ſanguinem, tertio habet promiſſionem gratiæ. Ioannis 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*: Et ibidem. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, quæ omnia his verbis eſt complexus Cypr. tract. de cœna num. 2. *Non iam ad elaborata impenſis, & arte conuiuia, populi inuitantur, ſed immortalitatis alimonia datur à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam.*

Secunda Aſſertio. *Euchariſtia Sacramentum eſt diſtinctum ab aliis.*

Primò, quia vt tale recenſetur à Trid. ſeſſ. 7. capite 1.

Secundò, quorum Sacramentorum diuerſa eſt materia & forma, ea inter ſe diſtingui eſt neceſſe: ſed materia & forma Euchariſtiæ differunt à forma & materia cæterorum Sacramentorum, eſt ergo ab iis diſtincta.

Tertia Aſſertio. *Non conſiſtit Euchariſtia in actibus pure tranſeuntibus, vt ſunt vſus & ſumptio.*

Eſt de fide contra hæreticos in Trid. ſeſſ. 13. can. 4. Vbi dicitur anathema aſſerenti Euchariſtiam conſiſtere tantum in vſu, & non remanere Sacramentum in particulis, aut hoſtiis aſſeruatis.

Confirmatur. Communi apud omnes phraſi dici ſolet Sacramentum in Eccleſia conſeruari tranſacta iam conſecratione, nec adhuc peracta ſumptione, aliud eſt ergo Sacramentum quam conſecratio & ſumptio.

Probatur 2. Diaconi iubentur Euchariſtiam diſtribuere in abſentia Sacerdotum, vt eſt apud Nicephorum lib. 1. cap. 14. quod eſt argumento hoc Sacramentum eſſe permanens, ac ſeruari ſolitum: cùm certum ſit Diaconos non poſſe illud conficere. Et in Later. ſub Innoc. 3. c. 20. iubentur Chriſtiani ſeruare Euchariſtiam in templis ſub fideli cuſtodia, adhibitis clauibus: non eſt hæc ergo in vſu, adminiſtratione, ac ſumptione poſita.

Tertiò, illicò atque verba conſecrationis ſunt prolata, Chriſti corpus ponitur ſub ſpeciebus, alioquin eſſent falſa, cùm id ſignificet hæc locutio, *hoc eſt corpus, hic eſt ſanguis*, quam Chriſtus Dominus protulit ſine vlla conditione futuræ ſumptionis: ſed hæc verba, *hoc eſt corpus*, & alia conſecrationis Calicis prolata ſunt ante ſumptionem.

Quartò, natura cibi eſt vt ſit res permanens, eſt vt priùs ſit quàm comedatur: At Euchariſtia datur nobis per modum cibi: ergo prior eſt ſumptione.

Obiicies 1. Eſt huius Sacramenti vis ac natura omnis in his poſita quæ Chriſtus fecit, fierique iuſſit: at Euchariſtiam diuidi, ſumique voluit, *diuidite inter vos, manducate, & bibite.*

Reſpondeo non conſiſtere in omnibus quæ Chriſtus fieri iuſſit: ſed duntaxat in conuerſione vnius ſubſtantiæ in aliam.

Obiicies 2. Illud eſt Sacramentum, quod producit gratiam: talis eſt manducatio. Minor eſt falſa: Nam gratia producitur à Chriſti corpore, & ſanguine, ſub ſpeciebus, quam in rem tamen exigitur manducatio tanquam conditio ſine qua gratia non produceretur.

Obiicies 3. Eſt Euchariſtia ob vſum tantùm inſtituta, vt indicant hæc verba: *Accipite, diuidite, manducate.* Ergo in eo conſiſtit, & non in re alia qualibet.

Vtraque propoſitio eſt falſa. Antecedens quidem, quia Euchariſtiæ initium eſt à Chriſti charitate in Eccleſiam, quam ſine ſacrificio eſſe noluit, quòd offerretur Deo Patri in remiſſionem culparum, ac ſpirituale noſtrum commodum, ſecundùm Cypr.

Conſequentia itē eſt falſa, quia cùm prius rem eſſe oporteat, quàm in vſus humanos cedat, priùs Euchariſtiam eſſe neceſſe eſt, quàm detur vtenda hominibus: ergo in Sacramenti ratione, ab vſu non pendet.

QVÆSTIO IV.

In quo conſiſtat Sacramentum Euchariſtiæ.

PRima Aſſertio. *Nec ſpecies ſolæ, nec Chriſti corpus ſolum, ſed vtrumque ſimul*, id eſt, *conflatum ex ſpeciebus panis & vini, Chriſti corpore & ſanguine formaliter & intrinſecè eſt Sacramentum.* Sic Patres, & inter eos Damaſcenus his verbis, quia compoſiti ſumus, inquit lib. 4. c. 19. ex duplici natura, datus eſt nobis cibus, qui eſt Dominus noſter, & ſub ſpeciebus panis nobis proponitur, quæ duæ ſunt partes, quibus Irenæus libro 4. contra hæreſes, cap. 34. venerabilem Euchariſtiam conſtare aſſerit, quarum altera ſit cœleſtis, terrena alia, per hanc intelligens ſpeciem panis: per illam autem Chriſti corpus, qui ſenſus eſt canonis, hoc eſt 48. de conſecratione, diſtinctione 2. vbi dicitur Sacramentum Euchariſtiæ, *id eſt, ſacrificium Eccleſiæ duobus conſici, duobus conſtare, viſibili ſcilicet elementorum ſpecie, & inuiſibili Dei noſtri carne, & ſanguine, ſicut perſona Chriſti conſtat, & conficitur Deo & homine.* Huc ſpectant iſta Cypr. tract. de cœna. Ex conſueto rerum effectu, fidei noſtræ adiuta infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt viſibilibus argumentis, ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri. Ipſe enim panis, & caro, & ſanguis, idem cibus, & ſubſtantia, & vita, factus eſt Eccleſiæ ſuæ. Et n. 6. *Sicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita Sacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infudit ſubſtantia*: ex his enim eius verbis patet paria illum nobiſcū, & cum Theologis ſenſiſſe, ſcil. Sacramentū Euchariſt. panis viſibili ſpecie, Chriſtique corpore conſtare; quæ Chriſtiana veritas probatur argumento duplici. Primum eſt, Trid. teſtimonio, ſeſſ. 13. cap. 3. hoc commune eſt Euchariſtiæ cum Sacramentis cæteris, vt ſit *rei ſacræ ſymbolum*, proindeque ſenſibilis. At talis non eſt niſi per ſpecies. Sunt hæ ergo ad compoſitionem Euchariſtiæ neceſſariæ. Idem dicendum de corpore, quia Sacramentum Euchariſtiæ, vt dicitur ſeſſ. 13. cap. 5. debet adorari cultu latriæ: at hæc deferri non poteſt ſpeciebus niſi mediante corpore, cui apprehenduntur vnitæ. Ergo Chriſti corpus ad Sacramentum hoc pertinet.

Secundò, ſpecies de ſe, & ſublato Chriſti corpore, quod informant extrinſecè, nec ſanctificant, nec producunt gratiam, cùm ſacroſancta eius humanitas, immediatum ſit & proprium diuinitatis organum, ad eius productionem, ſed id quod Sacramentum eſt, illam & ſignificat, & producit: ergo nec ſpecies ſolæ, nec Chriſti corpus ab iis ſeiunctum, ſed vtrumque eſt Euchariſtiæ Sacramentum. Quid? quod Patres, vt Ambr 4. de Sacram. cap. 4. Auguſt ſerm. 28. de verbis Domini, dicunt, ex pane & vino confici hoc Sacramentum per verba Conſecrationis, quod verum eſſe nequit, niſi corpus & ſanguis ſint realiter ſub ſpeciebus, eo quòd tranſſubſtantiatio, in qua formaliter conſiſtit confectio huius Sacramenti, ſit conuerſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

Secunda Aſſertio. *Conſecratio ſpecierum non eſt Sacramentum.* Ratio eſt, quòd hoc Sacramentum in eo à cæteris differat, quod non in actione quadam tranſeunte & ſucceſſiua, ſed in re potius permanente conſiſtat, ſed conſecratio, actio quædam eſt tranſiens. Deinde eſt de fide, vt habetur in Trident. ſeſſ. 13. cap. 6. Sacramentum in Eccleſia conſeruari, tranſacta iam conſecratione: aliud eſt ergo Sacramentum, quàm conſecratio.

Tertia Aſſertio. *Etſi verba conſecrationis, Euchariſtiæ non ſint eſſentialia in conſeruari, vt tamen ſunt practica & ſignificatiua, de eius ſunt eſſentia in fieri, & ſecundùm eſſe tranſiens.*

Pars prima nititur hac ratione. Corpus Chriſti & ſpecies conſecratæ naturâ ſuâ ſunt permanentes, ergo verba non ſunt eſſentialiter neceſſaria Euchariſtiæ, vt conſeruetur in ratione Sacramenti. Pro ſecunda parte habeo hanc rationem, quòd forma ad Sacramenti eſſentiam pertinet: ſed conſecratio, actus eſt formæ huius Sacramenti: ergo cùm id verba non habeant ſecundùm eſſe aliquod permanens, id eis in fieri, & ſecundùm ſuum eſſe tranſiens conueniet. Antecedens eſt certum ex ſuppoſitis in tractatu de Sacramentis in genere, vbi teſtimonio Eccleſiæ, Conciliorum, ac Patrum oſtendimus Sacramenta omnia cōſtare verbis tanquam forma, elementis autem vti materia.

Eſt

Est tamen nonnulla differentia inter hoc Sacramentum & alia, nam illa in actione transeunte consistunt, Eucharistia verò in re permanente, in ea igitur considerandum est, vt loquuntur Philosophi esse, & fieri, sicut in rebus naturalibus permanentibus. Contingit autem alia esse principia in fieri, alia verò in facto esse, in fieri sunt tria, materia, forma, priuatio, in facto esse duo tantum, materia & forma. Simile omnino contingit in hoc Sacramento, nam panis & consecratio ad essentiam eius pertinent in fieri, in facto verò esse, species & corpus Christi.

Obiicies 1. Forma expresse significare debet effectum Sacramenti cuius est forma: at verba consecrationis non id agunt: nam non denotant spiritualem animi refectionem per modum cibi & potus, qui proprius est effectus huius Sacramenti. Minor est falsa, Christum enim directè & immediatè significat, atque adeo cum illo, donorum cœlestium gratiæque infinitæ copiam multiplicem, sub speciebus latere abditam, quam cùm verba ipsa formæ in ordine ad spiritualem animi refectionem, significent & faciant, verum est dicere, eam per verba consecratoria significari saltem mediate.

Obiicies 2. Non est consecratio, cum Sacramentum est: ergo hæc ei non est essentialis. Ad Antecedens respondeo consecrationem esse moraliter quantum est satis per relationem ad verba, quibus confecta est Eucharistia. Nam si paries dicitur visus à visione, etsi esse desierit, quid impedit Eucharistiam dici consecratam per verba licet præterierint? hæc enim relatio in moralibus ex institutione Christi sufficit, vt patet in absolutione, quæ dari potest vno aut altero die, ac verò pluribus à facta confessione, eo quòd hæc moraliter adhuc censeatur manere, proindeque & vniri, cum sua forma quantum est satis.

Obiicies 3. Christi corpus, sensus latet, ei ergo Sacramenti nomen, nec potest, nec debet tribui. Neganda est consequentia, ad rationem Sacramenti sufficit, quod, prout speciebus rerum visibilium cõtinetur, sensibus percipiatur, id est sit sensibile per species, quemadmodum exemplum est in contritione, quæ pars est Sacramenti pœnitentiæ, etsi non per se, sed per peccatorum confessionem tantum, sit sensibilis. Deinde addo, in Sacramentis substantiam materiæ, seipsa non esse sensibus obuiam, sed per species & accidentia naturalia, quo omnino modo, Christi corpus se habet ad species excepta inhærentia.

Obiicitur 4. Corpus Christi continetur in Sacramento, ipsum ergo Sacramentum non est. Neganda est consequentia. Quia denominatio Sacramenti interdum datur vni eius parti, non exclusis reliquis, vt exemplum est in Pœnitentia, quæ sæpe appellatur Sacramentum Confessionis.

Secundò, dicendum est, Consequentiam ex Antecedente non sequi, quid est enim Christi corpus contineri in Sacramento? nempe tanquam rem significatam & contentam, denotari à significante, id est specie, vel certè Christi corpus partem esse totius Sacramenti, quas res cum ratione stare Sacramenti quid vetat?

Assertio vltima. *Sumptio à Sacramenti Eucharistici essentia, non potest excludi.*

Ratio est, quod Sacramentum omne, sit rei sacræ signum, ac sanctificantis, at Eucharistia non sanctificat sine sumptione, neque ergo ea exclusa est Sacramentum.

Confirmatur. Cuilibet Sacramento essentiale est, facere quòd significat, quia est signum practicum, ergo cùm Eucharistia signum sit gratiæ, debet eam producere: Non producit nisi sumatur, est ergo hæc sumptio quidpiam extrinsece ad essentiam Eucharistiæ pertinens: est enim Sacramentum de genere earum rerum, quarum essentiæ absolui dicuntur non rebus absolutis componentibus, vt sunt in physicis materia & forma, sed correlatiuis, & terminis quibusdam quos respiciunt, ergo cùm Eucharistia sit ante sumptionem, non potest hæc, vt ipsum cõstituens, pertinere ad ipsius essentiam, quia tamen Sacramenti rationem non habet quatenus rem sacram, vt iustificantem significat, quod exclusa sumptione non contingit, ad illam, essentiali ratione Sacramenti refertur.

QVÆSTIO V.

An Sacramentum Eucharistiæ sit vnum.

CAusa dubitandi est quod in hoc Sacramento varia sint symbola externa, vtpote panis, & vini species, varia item verba, ad consecrationem vtriusque speciei necessaria, ex quo sequi videtur Sacramenta quoque diuersa esse, cum distinctio formæ & materiæ distinctionem in Sacramentis afferat: res explicabitur sequentibus assertionibus.

Prima Assertio. *Sacramentum Eucharistiæ materialiter sumptum est multiplex.*

Probatur Sacramentum cuius partes physicè differunt, materialiter est multiplex, sed talis est Eucharistia. Nam sunt duæ materiæ, panis & vinum, quæ in ratione entis à sese inuicem differunt, duæ item formæ verborum, sensu & significatione differentes, quarum vna, vi sua significat Christi corpus tantum, & non sanguinem, qui tamen per concomitantiam sub specie panis ponitur: alia autem vi sua significat tantum sanguinem, & non corpus, diuersa item sunt vtriusque speciei accidentia, quæ nihilominus gratiam in hoc Sacramento significant. Et hoc sensu intelligendi videntur esse patres, Cyprianus sermone de cœna Domini. Ambrosius de Sacramentis lib. 4. c. 1. & alij apud Gratianum de consec. dist. 2. c. 1. 8. & 23. cum de Eucharistia sermonem in numero multitudinis instituunt, quemadmodum & Ecclesia, cum in Missa ait, sumptis Domine salutaribus Sacramentis.

Secunda Assertio. *Sacramentum Eucharistiæ formaliter sumptum, est vnum, non quidem vnitate naturali, & materiali, sed morali, & specifica in specie completa, & integra.*

Probatur. Vnitas specifica Sacramenti, petitur ex vnitate signi, & non rerum illud componentium. Sed Eucharistia est tantum vnum signum gratiæ producendæ per modum integræ & perfectæ refectionis. Non enim homo, solo pane reficitur: sed etiam vino. Ergo vtrumque symbolum eandem habet significationem, & proinde vnum Sacramentum constituit.

Secundò. Artefacta vt vnum sint specie, sufficit vt inter eorum partes, vnitas sit ordinis & finis: multæ enim partes etiam diuersæ vt lapides, cæmenta, ligna, vnam domum efficiunt vnitate ordinis in genere entis artificiosi. Sed Sacramentum est ens artificiale, ergo sufficit partes vniri inter se

vnitate ordinis & finis, quod hîc reperitur.

Tertiò, illud eſt Sacramentum ſpecie infima vnum, quod ſignificat gratiam vnius ſpeciei infimæ: gratia enim eſt terminus formalis & ſpecificus Sacramenti: ſed Euchariſtia ſub accidentibus panis & vini non aliam ſignificat gratiam, quàm quæ ſub accidentibus ſolius panis indicatur, nec plus de hac qualitate recipit, qui ſub vtraque ſpecie communicat, quàm qui ſub vna, ergo, &c.

Eſt ergo hoc Sacramentum perfectum, & vnicum, vnitate morali ratione effectus, videlicet gratiæ ſanctificantis, quam in vtraque ſpecie per modum ſpiritalis refectionis ſingnificat, ſecundùm analogiam refectionis, quæ non modò cibo conſtat, ſed etiam potu.

QVÆSTIO VI.

Ex parte materiæ in Euchariſtia quid ſit neceſſarium neceſſitate Sacramenti.

VT cæterorum Sacramentorum, ita & Euchariſtiæ duplex eſt materia, proxima vna, remota alia. Proxima eſt ſpecies vtraque, cum Chriſti corpore, & ſanguine: remota, & ea qua conficitur Sacramentum, eſt panis & vinum. Quod probatur 1. ex cap. 26. Matth. & Marci 14. vbi dicitur Chriſtus pronunciaſſe verba ſuper pane & vino, vt in iis faceret corpus ſuum & ſanguinem, quod item repetitur Luc. 22. *Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec veniat regnum Dei.* Patetque ex voce calicis, quæ ſemper in ſcriptura ſignificat vas vini plenum, vt Pſal. 22. *Et calix eius inebrians quàm præclarus eſt*: nec enim hunc effectum habere poteſt vacuus, aut *non vino mixtus, neque enim aqua inebriare poteſt.* Cypr. ep. 63.

Accedit definitio Florentini in vnione Armenorum, §. tertium, Tridentini ſeſſ. 13. c. 4. & can. 2. Lateranenſis in canone firmiter, de S. Trinitate. Inſtituti autem Sacramenti in hac materia, potiùs quàm alia, rationes plures Theologi afferunt, poſt B. Cyprianum, ep. 63. Bedam in prioris ep. ad Corinth. cap. 10., quæ ſunt apud eos legendæ, & D. Thom. 3. parte quæſt. 74. art. 1..

Prima Aſſertio. *Exigit huius Sacramenti neceſſitas, vt panis in quo fieri debet, ſit ex tritico, ſeu frumenti, non cuiuslibet, ſed tritices farina, aqua naturali admixta confectus.*

Eſt hæc Aſſertio fidei proxima, ſancita in Carthaginenſi 3. cap. 24. his verbis: *Vt in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum, nec amplius in ſacrificiis offeratur quàm de vuis & frumentis.* Eadem habet Florentinum in literis Eugenij. *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vitè.* Docuitque S. Hieron. in cap. 62. Iſaiæ: *Triticum, inquit, de quo panis cœleſtis efficitur, illud eſt de quo loquitur Dominus, Caro mea eſt cibus*: Nec mirum, quia, vt ait D. Thomas 3. par. q. 74. art. 3. ad Sacramentorum vſum ea accipitur materia, quæ apud homines in tali ſit vſu: at inter omnia ciborum genera, primas partes tenet panis, tam quia cæteris omnibus eſt communior, quàm quod eſt fructu, ac ſauuitate ipſa gratior, quod cùm de quolibet verè dici poſſit, maximè de triticeo, qui ſolus in menſam infertur ditiorum, ac honoratiorum inter ſuos populares: auena enim equis, hordeum pauperibus, aut animalibus, aut ibus ſeruatur milium. Ex quo patet in iis ſubſtantiis, id eſt, pane ex illis compoſito, fieri corpus Chriſti non poſſe: quemadmodum nec in amigdalis: vt enim hæc à tritico ſpecie differunt, ita & panis qui ex illis eſt coagmentatus, nimium quantum à tritico, alendi ac recreandi poteſtate differt, quare perquàm ſapienter eſt à Chriſto ſeruatore inſtitutum, vt propria huius Sacamenti materia ſub ſpecie cibi ſit panis triticeus.

Sequitur 2. multo minus reperiri Chriſtum poſſe in pane ex oriza, piſis, faba, caſtaneiſque confecto, quia hæc triticum non ſunt, nec qui ex illis contritis panis conficitur, hominum eſt vſibus accommodatus, niſi in defectum triticei.

Quid ſi ſit ſiligineus, aut ex farre? Negant Angel. Roſella, & Richard. apud Sylu. in ver. Euchariſtia 1. § 3. eum materiam conſecrationi idoneam eſſe, quia far, ſpelta & ſecala non ſunt, eorum opinione, veræ & propriæ frumenti ſpecies.

In contrarium abeunt D. Thom. quæſt. 4. art. 3. Sotus in 4. diſtinct. 9. quæſt. vnica, art. 3. Victoria in Summa, num. 55. Syluester loco proximè citato. Nec habẽt quo ſe tueantur aliud, quàm quòd allatæ ſpecies frumenti, vtpote far, & ſiligo à tritico ſpecie non differant: deinde, quòd panis in huiuſmodi granis, eorumque farina & aqua ſubactus, multis locis ſit vſuarius & communis hominum, qualem eſſe Sacramenti materiam idoneam dixit Damaſc. lib. 4. de fide cap. 14. de quo quid aſſeram certi nihil habeo, vt aliarum rerum, ita rei frumentariæ ignarus.

Dico hoc tantùm 1. peccare contra reuerentiam Sacramento debitam, ex ſententia valdè probabili, qui pane ſiligineo ad conſecrationem vtitur, cùm eſt in loco vbi fit conſecratio tritici copia, vel aliunde poteſt haberi facilè, quia dubia materia, extra neceſſitatem, nunquam eſt adhibenda in Sacramentorum confectione & vſu, & ſi non eſt dubia, ſaltem haberi poteſt & candidior, & purior, quod Sacramenti dignitas poſtulat.

Secundò, dico probabile quibuſdam tamen videri, etſi ad materiam huius Sacramenti requiratur panis triticeus, nihilominus ſi quæ alia frumenta, ex tritici granis, in reproba terra ſeminatis, naſcantur, vt aliquando contingit de ſiligineo, quæ in huiuſmodi arenoſo, ac ingrato ſolo ex tritici grano producitur, in his vti materia idonea Sacramenti, Chriſti corpus poſſe confici, de quo poſtea.

Tertiò, non probari mihi ſententiam Gabr. lect. 35. in can. Miſſæ, Argentinæ, in 4. diſt. 2. q. 2. art. 1. affirmantium hordeum, & ſimiles fruges, quæ ariſtas habent, eſſe poſſe huius Sacramenti materiam, cùm ſint quædam frumenti genera. Quæ mihi hanc mentem indidere, cauſæ ſunt duæ. Prima, quòd ſecundùm Florentinum, materia huius Sacramenti *ſit panis triticeus, & vinum de vite.* Secunda, quòd qui ex his frugibus fit panis, communi vulgo hominum, non ſit in vſu.

Quartò, modica alieni frumenti admixtione, veram ac propriam Sacramenti huius materiam vitium nullum trahere. Primò, quia rarò reperiri poteſt farina triticea pura, quæ alterius frumenti admixtionem non habeat, niſi grana magno ſtudio, diligentiaque ſeligantur, quod eſt difficile. 2. quia modicum abſorbetur à plurimo. 3. illud modicum non ſoluit ſpeciem ac naturam eius cui aduenit. Quartò, farina tritici, cui alia in exigua quantitate adiicitur, non deſinit verè eſſe farina talis, id eſt, tritici: quare ſi hæc admixtio ſit mo-

dica ad multo maiorem quantitatem præiacentis tritici, in ea corpus Christi fieri poterit, non autem si mixtio partium sit æqualium, aut quasi æqualium, nam tunc species tritici mutatur, fitque noua quædam alia.

Secunda Assertio. *Necessarium est necessitate Sacramenti ex parte materiæ, vt panis qui consecratur fuerit aqua elementari subactus.*

Est contra Emmanuelem Sa verbo Eucharistia, Caietanum in articulum 7. quæstionis 74. qui duo authores, probabile esse asserunt panem ex aqua rosacea factum, cõsecrationi esse idoneum, quia talis panis (inquiunt) abaliis essentialiter non differt.

Sed contrarium expresè docet D. Thomas loco proximè citato Angel. verbo Euchar. num. 7. Arm. eod. num. 6. Sylu. q. 2. Sotus in 4. dist. 9. q. 1. art. 6. cum scholasticis omnibus, quia tam differt aqua rosacea ab elementari, quàm farina non triticea, ab ea quæ est talis. Ergo vt variatio farinæ idoneæ, consecrationi officit, ita & variatio substantialis liquoris, quo farina in hoc Sacramento miscebitur.

Confirmatur. Succus herbarum, aut florum in fornace expressus vi ignium non est aqua nisi similitudine, & cum addito, dicitur enim aqua rosacea, verbi causa, & non simpliciter aqua. Deinde etsi aqua rosacea specie physica essentiali non differret à naturali saltem distinguitur forma artificiali, & vsuali, quod in Sacramentis sufficit.

Tertia Assertio. *Requiritur necessitate Sacramenti ex parte materiæ, vt panis non ita sit corruptus, vt in aliam speciem transierit.*

Quia tali transitu, in naturam aliam, definit esse panis: ergo & materia ad consecrationem idonea, cuius oppositum dici debet, cum minor est corruptio, nec proinde tanta, à qua panis penitus euertatur.

Tunc autem soluitur panis species, cum continuitas tollitur, sapor, & color, aliaque accidentia sic mutantur, vt eadem, hominum opinione, & sensu, desinat esse panis substantia.

Quarta Assertio. *Etiam necessitate Sacramenti ex parte materiæ, requiritur vt hæc dum consecratur, sensibilis sit in se aut in alio.*

1. Quia Sacramenta omnia sunt signa sensibilia.

2. Quia debet demonstrari per pronomen, *hoc*, aut *hic*. At quod sensibile non est, non est demonstrabile.

Dixi *in alio*, quia ad consecrationem, non videtur esse necesse, vt materia cõsecranda actu percipiatur, causa est quod ex vsu Ecclesiæ sit certum, vinum calice contentum, etsi propter suppositam pallam oculis non cernatur; consecrari tamen posse, quemadmodum & hostias pixide inclusas, quia incuria sacerdotis, obliuione aut incogitantia cum deberet, non aperiuntur, aut verò sic super corporali latent subaliis, vt non videantur, nec verè ad illas sensus oculorum physicè pertenire valeat. Satis est ergo materiam in alio percipi, eoque loco esse vbi sentiri possit, nam & cæcus consecrare potest validè, & contentum cum continente reputatur, vnum & moraliter præsentatur.

Quinta Assertio. *Vt materia consecretur valide debet esse præsens, vnde consequens est hanc materiarum præsentiam necessitate Sacramenti necessariam esse in hoc Sacramento.*

Ita Soto in 4. distinctione 11. art. 2. Vialdus de Eucharistia numero 50. ac Theologi omnes, probaturque.

Primò. Non consecrantur materiæ nisi forma quæ super illas cadit, sit vera: efficit enim quod significat & contra, non facit quod non denotat. At talis non est forma, vti eam esse oportet, nisi materia sit præsens, quia *hoc* & *hic*, pronomina demonstratiua non verificantur nisi de præsenti.

Secundò, si præsentia moralis materiæ consecrandæ necessaria non esset, posset consecrari panis qui à sacerdote scitur Romæ esse in certo loco, quod tamen nemo dicet. Ergo requiritur necessitate Sacramenti ex parte materiæ, vt ea sit præsens.

Quam in rem duæ sunt conditiones necessariæ. Prima, vt aliquo modo sit coram, quod fiet si circa illam exerceri aliqua actio possit, ratione cuius de illa ita fas sit loqui, ac si coram esset. Ita quæ sunt ad latus, aut digito, vel nutu oculorum possunt indicari, satis censentur esse præsentia, vt designentur pronominibus, *hoc* & *hic*, quia id ad quod potest esse conuersio, præsens censetur esse conuertenti se. Peccaret tamẽ grauiter qui super pane hoc modo præsente, verba proferret, quia tum eius consecratio non videretur fieri vi solius pronominis, *hoc* & *hic*: sed ratione alterius signi coniuncti, quæ res quia dubia est & incerta, ac contra praxim Ecclesiæ, vitanda est vt peccato sacrilegij expositа.

Secunda conditio est, vt materia consecranda non sit nimis distans; alioqui res infinite patens in Christi corpus conuerti posset, vt si supra infinitam panum multitudinem, qui se inuicem subsequuntur, ac tangunt, forma consecrationis proferretur, exigua eorum parte visa, quod tamen nemo dicet, quia pronomina *hoc* & *hic* ex communi modo loquendi, significant tantum rem præsentem seu adiacentem moralitet ea efferenti: at loquendum est sacerdoti dum consecrat more communi & plurium.

Obiicies 1. Pronomina *hoc* & *hic* dici possunt de re quæ non est præsens nisi per intellectum.

Respondeo 1. maiorem veram esse. 2. ex ea nihil inferri contra assertionem, cum ad rationem Sacramenti non sufficiat quod res aliqua sit præsens intellectui, cum natura sua sit signum sensibile.

Obiicies 2. Matrimonium celebrari potest inter absentes, ergo & consecrari materia, quæ est loco à consecrante dissita. Neganda est consequentia. Causa disparitatis repetenda est primo ex voluntate Christi, qui Matrimonium iniri posse voluit ab absentibus, non autem panem absentem consecrari, de qua Christi voluntate, certos nos faciunt tum Patres, tum communis praxis Ecclesiæ. 2. disparitatis ratio petitur à diuersitate formæ in vtroque Sacramento à qua sumitur, vt vnius materia præsens esse debeat, non alterius: nec enim in Matrimonij forma continentur pronomina demonstratiua, *hic & hoc*, necessariò, vt ea Eucharistiæ forma exigit.

Sexta Assertio. *Non modo admistio aquæ naturalis est de necessitate Sacramenti, sic vt panis qui frumento, & aqua factitia, seu rosarum, concretus esset, consecrari nequeat, sed insuper, panem hunc oportet calore furni coctum esse.*

Primò, quia panis quo communis hominum vita sustinetur, ita coctione eget, vt sine ea panis natura cohærere non possit: massa enim, quæ ex farina, & aqua est subacta, antequam in concalefacto furno conglutinata fuerit, & firmata, non est panis, sed massa tantum: à Christo autem, panem, quo fere vescuntur homines, in suum sanctissimum corpus consecratione versum esse, dubitare non est licitum.

Secundò, quòd Apostoli qui Christo consecranti adfuerunt, vt Matth. cap. 26. Lucas cap. 22. Marcus 14. Euangelistæ ambo, scribant Christum pane, qui absolutè talis esset, in consecratione vsum fuisse.

Tertiò, quòd Christus ad consecrationem adhibuerit panem azimum, & cuius in Paschate, vsus erat apud Iudæos: at qui panes erant azimi, iidem quoque cocti erant, nec in mensam communem hominum massa inferebatur ad victum, sed panis, cuiusmodi tantùm est coctus, ergo præter eum, alius, legitima non est, idoneaque Sacramenti huius materia.

Septima Assertio. *Est etiam necessitate Sacramenti necessarium, vt Sacerdos materiam consecrandam determinatè cognoscat, & intendat.* Suarez disp. 43. sect. 6. Vasq. disp. 171. cap. 1.

Ratio est, quòd Sacramentum esse nequeat, si formæ subsit aliqua falsitas: at vera esse Eucharistiæ forma non potest, si consecrans materiã consecrandam determinatè non cognoscat, & intendat, nam vi formæ designari hæc debet, alioqui pronomina *hoc* & *hic* quæ ponuntur in forma, falsum dicerent, cùm si eorum naturam, & communem loquendi vsum spectes non nisi in rem certam, designabilem & designatam cadant: vera est ergo Assertio.

Quòd autem id non sit de necessitate Sacramenti, patet: nam materia sufficiens, & necessaria Eucharistiæ, est panis triticeus: at tam fermentatus quàm azimus est talis: De fermentato est clarum, quia simpliciter vocatur panis, quo etiam vtimur in communi victu. De azimo, dubitandi nulla causa. Primò, quia eodem nomine appellatur ac noster. Secundò, quia vt est apud Matth. 26. Lucam, cap. 22. Marcum 14. *Accepit Christus panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, qui tamen alius non fuit quàm azimus, nam primo azimorum die, vt dicebam paulò anteà, Christus Sacramentum instituit, quo tempore ex præscripto legis nefas erat Iudæis alio pane vesci quàm azimo, vt habetur Exodi 12. *Diebus septem azimos comedetis, in primo non erit fermentum in domibus vestris.* Secundò, necessitate præcepti exigitur in hoc Sacramento ex parte materiæ, vt panis sit mundus. Tertiò, non affectus dispositionibus ad corruptionem, quia in eo cõsecrare esset cõtra venerationem Sacramenti facere: itaque peccaret mortaliter, qui pro Sacramenti huius materia adhiberet panem mucidum, à vermibus, aut muribus, corrosum, fœtentem, aut lutulentum. Quartò, est de eadem necessitate, vt hostia sit rotunda, ac debitæ magnitudinis: nam etsi magnitudo aut paruitas non obstent quo minus per se loquendo validè consecretur materia, non licet tamen Sacerdoti in quãtalibet magna quantitate, aut modica, id facere ob ingentia incommoda, certaque peccandi pericula, quibus talis actio exposita patet.

QVÆSTIO VII.

Quid sit necessarium necessitate præcepti in hoc Sacramento ex parte materiæ.

PRimò, requiritur ex parte panis consecrandi in Ecclesia Latina, sub mortali, vt sit azimus, in Græca, fermentatus, habetur in cap. literas de celebratione Missarum: & in Florentino, ibi enim iubẽtur Sacerdotes sub graui pœna seruare in consecratione, Ecclesiæ suæ consuetudinem. Latini quidem, Latinæ, Græci, Græcæ.

Deinde, quia in Sacramentorum administratione, ac vsu cõsuetudines Ecclesiæ suæ, ac ritus retinere quisque debet, quando eos Pontifex Romanus, aut Vniuersalis approbauit Ecclesia, vt sanxit Concil. Trident. in sess. 7. can. 13. de Sacramentis in genere. Sed Græci, id est, Orientalis Ecclesia, vno omnium tam Papæ Eugenij, quàm Antistitum, qui Florentinæ Synodo aderant. consensu, panes fermentatos libant, nos autem, id est, Occidentalis Ecclesia azymos: ergo tam illis, quã nobis, secus audere, & facere illicitum. Itaque non sunt Græci vt notauit Caietanus, in hac re schismatici, etsi sit ritus quem Ecclesia Latina sequitur, nempe consecrandi in azimo, alio magis idoneus, cùm ob alias causas, tùm ob has maximè 1. quòd Christus, vt est apud Matth. cap. 26. Lucam 22. eo sit vsus, vt multis probat Eminentiss. Bellarminus tom. 2. Controuersiarum, tomo 4. de Eucharistia, cap. 8. Prima enim die Azimorum, qua nihil fermentati Iudæis domi suæ esse oportuit, hoc Sacramentum est institutum. 2. quia panis azimus magis refert Christi corpus sine corruptione conceptum, quàm azimus. 3. quia id est Christianorum sinceritati magis consonum, sine qua dignè satis sacris participare mysteriis nequeunt, ad quam eam ob rem inuitantur à Paulo, 1. ad Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.*

QVÆSTIO VIII.

Quænam requirantur in hoc Sacramento ex parte solius materiæ calicis, tam necessitate Sacramenti, quàm præcepti.

PRima Assertio. *Ex parte materiæ calicis, necessarium aliud nihil est necessitate Sacramenti, quàm vt sit vinum de gemma vitis*: Quia ista est materia calicis, vt dicitur de consecratione, distinctione 2. canone in Sacramentis, canone non oportet 4. & in canone firmiter de sanctæ Trinitate, quod postmodum confirmauere Patres in Tridentino, sess. 13. c. 3. & in Florent. in decreto vnionis Armenorum.

Vinum de vite dixi, hoc enim magis quàm quodlibet aliud potabile effectui huius Sacramenti conuenit, quæ est lætitia spiritualis: quare liquor omnis ab eo diuersus, consecrationi vtilis esse nequit, quantumcumque inebriare possit. Itaque in ceruizia succoque ex malogranatis expresso, solaque aqua, calicis consecratio esse nequit. Non in aqua, quia calicem sub die passionis suæ accipiens benedixit, & dedit discipulis suis, dicens, *Bibite ex eo omnes vnde apparet Sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, & quomodo de creatura vitis, nouum vinum, cum Christo, in regno Patris bibemus, si in sacrificio Dei Patris, & Christi, vinum non offerimus, nec calicem Domini Dominica traditione miscemus?* Cypr. ep. 63. ad Cæcilium numero 6.

Quòd autem Christus sub specie vini vitis, hoc Sacramentum instituerit, Euangelistæ testimonium perhibent, cùm aiunt, *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes, & dico vobis, non bibam amodo de hoc geniminis*

ne vitis vsque in diem illum, cum bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei, concludit hinc Cypr. vinum esse calicis materiam, eamque necessariam, qui solus Christi sanguinẽ potest exprimere.

Quæstionis pars altera fuit, de his quæ sunt in hoc Sacramento ex parte materiæ calicis, necessaria necnecessitate præcepti, &

Dico primò. *Exigi vt aqua vino misceatur, calicem enim Christus dominus, exemplo magisterij sui, vini & aquæ coniunctione misceri.* Cyprian. epist. 63. num. 6. & 7. quare eam mixtionem negligendam non esse admonent Concilia Carthag. 3. can. 24. Trullense can. 32. Tribur. can. 19. Braccar. 3. can. 1. Equidem probabilitate non caret Christum discipulis suis potionem propinasse, quali vtebantur Iudæi, eo tempore in conuiuiis: at hi vinum mensis non inferebant nisi aqua dilutum. Eo sensu Irenæus lib. 4. cap. 54. Iustin. apolog. 2. Clem. Alex. lib. 2. pædag. cap. 2. calicis diluti seu aqua temperati meminerunt quibus consentit Florentin. in decreto: ibi enim asserit vinum esse materiam Eucharistiæ, cui modicissima aqua admisceri debet. Vbi verbum, *debet*, præcepti necessitatem indicat non Sacramenti, vt colligere licet ex canone 31. Synodi Constantinopolitanæ, & ex his Cypr. verb. ep. 63. num. 3. *Inuenimus non obseruari à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit & nos faciamus, & calicem Domini pari ratione miscentes à diuino magisterio non recedamus.*

Ad ea testimonia addenda est ratio nempe quod id habeat vniuersalis Ecclesiæ cõsuetudo, quæ quia à prudentia & ratione non abhorret, habet vim legis, quæ lex quoniam est diuina ad sui obseruationem obligat sub mortali. Syluester verbo Euchar. 1. quæst. 4. Paludanus distinctione 11. quæst. 1. art. 6. conclusione 1. quia est de re magni momenti. 2. quia eius author est Christus. Florentini testimonio & Patrum quorum meminere Bellar. lib. 4. de Euchar. cap. 10. Suar. disp. 45. sect. 2. excusat tamen in hoc genere ignorantia, aut inconsideratio inuincibilis, vel leuis negligentia, si tamen vlla esse potest in sacerdote iuris aut facti, tolerabilis.

Aquæ autem admiscendæ in calice causæ afferuntur variæ, prima, quia est ex institutione Christi Conc. Carthag. 3. can. 24. 2. Florent. in decreto paragr. *Tertium Sacramentum.*

Secunda, quia *de latere eius in passione sua profluxisse legimus.* Alexand. Papa in epist. 1. ad Orthodoxos, vt esset symbolum plenæ ablutionis nostrorum peccatorum per Christi merita.

Tertia, vt significetur Christo populum adunari, & credentium plebem, ei in quem credidit copulari & coniungi, Concil. Bracc. 3. can. 1. Iulius Papa post B. Sylu. secundus de consecr. dist. 2. can. cum omne. Triburiense Conc. can. 19.

Hanc porro mixtionem aquæ cum vino de necessitate Sacramenti non esse, indicant argumenta sequentia primum quod aquæ omissio ex incuria non culpabili Sacramento non obsit ex Cypr. in epi. 60. ad Cæcilium & refertur in canone scriptura 3. de consecratione distinctione 2. & apud Innocentium lib. 4. de officiis Missæ cap. 32. dicit enim Cypr. loco citato ei qui ignoranter, aut simpliciter secus fecisset quam Dominus nos exemplo & magisterio suo docuit, de indulgentia Domini simplicitati eius dandam esse veniam.

Secundum argumentum quo probatur aquæ mixtionem non esse de Sacramenti necessitate, est, quod in ea cæremonia dispensare Papa potest.

Tertium, quia particula qua iubetur adhiberi in Florentino, necessitatem præcepti indicat, non Sacramenti, vt patet ex dictis tractatu de legibus, vbi probauimus has voces, *debet*, *oportet*, indicare in superiore volũtatem obligandi & præceptum, cuius dictæ particulæ sunt indices.

Obiicies. Si Christi sanguis, esse sub speciebus vini nequit, aqua calici non infusa, erit hæc haud dubiè huic Sacramento necessaria necessitate maiori quam præcepti. Verum est prius tam ex Conc. Braccar. quam Cypr. locis citatis: in priori enim hæc leguntur. *Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque simul misceatur.* In altero autem ista. *Quæ copulatio, & coniunctio aquæ, & vini, sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa non possit ab inuicem separari.* Respondendum agi tantum iis locis de significatione plena, & integra Sacramenti, non essentiali tamen, sed accidentali & secundaria, quæ esse non potest, nisi aqua vino sit mixta. *Quia videmus*, inquit Iulius, *in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi*, sine qua absolutè potest esse Sacramentum quod est essentialiter signum refectionis spiritualis per modum cibi & potus.

Dico secundò. *Necessitate præcepti infusionem aquæ faciendam esse calici quo tempore mysteria sacra peraguntur, aut inchoantur & maximè ante oblationem.* Quia alio tempore facta, caret significatione, cuius causa adhibetur ab Ecclesia, nempe indicandæ vnionis Christi cum populo Christiano, ac duarum eius naturarum, in vna subsistentia. Quare huic præcepto non satisfacit qui præter aquam, quam secum domo in calice ad templum attulit, aliam in sacro non apponit, quia scit fuisse appositam dolio ab eo, qui vinum vendidit, aut calici, quia vt dicitur de consecr. canone 1. ea mixtio debet inter Missarum solemnia fieri. Deinde est aqua Christi voluntate infundenda vino calicis, at hic eo ante sacrum erat vacuus, dixi dum inchoantur, vel peraguntur mysteria, quia in hac re seruanda est consuetudo regionis, in qua quisque versatur: cum enim sciente, & non reclamante Præsule vsurpetur, non potest, non esse rationabilis, vtpote eius iudicio ac consensui & approbationi innixa.

Tertia Assertio. *Aqua calicis non nisi modica esse debet.*

Ita præcipit Florentinum paragr. tertium Sacramentum, nam ibi habetur satisfieri officio si sit modicissima, putatque Alensis quæstione 22. sufficere vel minimam guttulam quæ à suo toto separari potest. Ratio est quòd aqua in vinum prius conuerti debeat, quam Christi sanguinem fieri: id verò non posset si magna aquæ quantitas infunderetur calici, quam enim non est probabile tam breui eam tempore in vinum conuerti posse? cum sit eius actio sæpe propter debilitatem valdè exigua: Non est id tamen de necessitate Sacramenti, modo plus, vel tantum aquæ, quam vini non infundatur: si enim id fieret, aut aqua vinum in se conuerteret, aut si ei vini liquor obsisteret, ex vtroque fieret tertius aliquis distinctus ab vtroque, atque adeo forte consecrationi inidoneus. Sanè Archiepiscopum Ablasensem Innocent. in sua decretali 13. de celebrat. Missarum arguit, *quod in maiori quantitate de aqua in sua diœcesi poni in sacrificio sineret, quam de vino cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus sit in ipso de vino quam aqua ponendum.* Pœna non infundentis aquam in calicem, est beneficij possessi priuatio Innoc. cap. litteras 14. de celebrat. Missarum, deiectio de gradu, officioque quo fungebatur in Ecclesia

Iulius in decret. ad Epiſc. per Ægyptum, habeturque in can. cùm omne crimen 7. de conſecrat. diſtinct. 2.

Fortè dixi, quia mihi valde eſt probabile etiam tùm conſecratum iri vinum, ſi actione aquæ non tranſierit in aliam ſubſtantiam.

Quid? ſi conſecretur, nec dum facta totius aquæ in vinum conuerſione:

Reſpondeo, ſecundùm communem ſententiam, ſolum vinum conſecrandum, aquam autem, quæ poſt eius conſecrationem, per conuerſionem illius naturam ſuſcipit, in ea manere, nec vnione ſui cum ſpeciebus conſecratis, fieri Chriſti ſanguinem. Sed de hac re dicendi locus futurus poſteà.

Dico vltimò. *Requiritur neceſſitate præcepti ex parte materiæ calicis, certam, & determinatam quantitatem, quam tamen Sacramenti neceſſitas non exigit.*

Ita D. Thom. quæſt. 74. art. 2. & in 4. diſtinctione 11. quæſtione 2. art. 1. quæſt. 3. vt probatur.

Ad rationem Sacramenti tantùm requiritur materia idonea præſens, vinum ſcilicet de vite, cum prolatione formæ, & intentione debita: at hæc duo ſtare poſſunt cum quantalibet quantitate in magnitudine, aut paruitate: nam vinum quantumcumque in magna ſit quantitate, au paruat, vinum tamen eſt: ergo ad conſecrationem idoneum.

Secundò, de fide eſt ſub qualibet hoſtia, etiam minima, in infinitum, totum & integrum Chriſtum contineri, ſiue ante, ſiue poſt diuiſionem hoſtiæ in partes, vt cum Florentino definiuit Trid. ſeſſ. 13. can. 3. Et probatur, Chriſtianæ fidei certum eſt dogma, ante diuiſionem Chriſtum fuiſſe in qualibet parte hoſtiæ, certum item non ceſſare eſſe ſub ea, niſi per mutationem factam in ſpecie, vi cuius fuiſſet ſubſtantia panis, aut vini corrupta: At pars homogenea per ſui diuiſionem à continuo non corrumpitur niſi fortè eſſet eiuſmodi, quæ minor eſſet minimo naturali, cùm ex hypotheſi poſt talem diuiſionem acceperit quoddam eſſe in quo conſecrari panis nequit.

Confirmatur. Determinatio quantitatis materiæ ſumitur ex relatione ad finem: At finis Euchariſtiæ nullam determinatam quantitatem exigit. Ergo nec ad eius conſecrationem vlla certa eſt neceſſaria. Maior eſt certa, Minor probatur. Finis Euchariſtiæ eſt eius perceptio, & vſus à Chriſtianis, non qui tantùm ſe offerunt, ſed offerre poſſunt, quolibet tempore: At numerus ille eſt incertus & indeterminatus: ergo & quantitas materiæ conſecranda.

Obiicies 1. Verba conſecrationis cùm ſint quid creatum, habent certam ſphæram actiuitatis: ergo ſunt ad conſecrandũ quamlibet materiæ quantitatem inidonea: certam ergo & determinatam exigent, vt in eam cum effectu agant. Negandum eſt conſequens, quia verba Sacramenti non agunt propria vi & virtute ſibi inhærente, ſed quatenus ſunt diuinæ potentiæ, inſtrumenta, quo modo ſumpta nonhabent ſphæram actiuitatis determinatam.

Obiicies 2. Id poteſt tantùm conſecrari quod manducari & bibi poteſt: atqui particula panis ac vini minima edi ac bibi nequit, cùm vt ſic nec alat, nec refrigeret. Maior eſt falſa, quia non eſt neceſſe, vt ſpecies ſacramẽtales per ſe nutriant, quoniam poteſt tùm hoſtia in 7. partes aut plures diuidi, & totidem hominibus dari, quos tamen certum eſt per eam primò & per ſe non nutriri.

Reſpondeo 2. ad Minorem cum diſtinctione. Duplex enim eſt manducatio, propria vna, impropria alia: propria conſideratur in ordine ad refectionem, impropria per relationem ad traiectionem per os ad ſtomachum rei quæ ſumitur. Iam ergo dico Minorem veram eſſe, ſi intelligatur de manducatione propria, falſam autem ſi de impropria. Enimuerò quælibet pars panis, aut gutta vini etiam minima, cùm ſint verè panis & vinum, poſſunt per os in ſtomachum traici, & ita impropriè comedi ac bibi.

QVÆSTIO IX.

Explicantur dubia aliqua facientia ad intelligentiam huius Sacramenti.

DVbium 1. *An Sacramentum confici poſſit in pane cocto ex farina lolij?* Nequaquam, primò quia, etſi in illud, triticum malignitate ſoli defecerit, panis qui ex eo coagmentatur, verè non eſt triticeus. Secundò, quòd in diiudicanda materia idonea habenda nulla ſit ratio præteriti, ſed præſentis tantùm, nec quæ, aut qualis, olim materia fuerit, inueſtigatur, ſed quæ & qualis modò ſit, canone vndecunque diſtinctione 5. Sanè cùm triticum tranſiens in lolium, naturam mutet, & verè triticum eſſe deſinat, vt Zarabella adnotauit in Clementinam 1. §. tranſitus de Reliquiis & veneratione Sanctorum, patet in eo Sacramentum eſſe non poſſe.

Dub. 2. *An vinum recens quod muſtum communiter appellant, materia ſit calicis in hoc Sacramento.*

Omninò, quia muſtum eſt verum vinum formaliter, idque potabile, etſi non defœcatum. Ita Iulius Papa de conſecratione, diſtinctione 2. canone cùm omne crimen 7. vbi habet racemum exprimi in calice poſſe, in eiuſque ſucco ſanguinem poſſe confici. 2. quia etiamnum mos quarundam eſt Eccleſiarum, certo vt die anni, vuæ exprimantur in calice, deque illis ſic expreſſis fiat conſecratio, quem tamen Scholaſtici improbant, vt alienum à cultu Sacramento huic debito. Enimuerò cùm muſtum non niſi ruſtici, aut è vulgo rudi ac impolito homuli ac fœminæ, & quidem delibandi tantùm causâ, bibant, nempe quia impurum, quia turbidum, quia fœcibus plenum, ab eo, cuique eſt, ob Dei ac Sacramenti reuerentiam abſtinendum, citra grauem neceſſitatem, vt ſi vinum deeſſet, nec haberi aliunde die feſto poſſet, quo fidelibus ex præcepto incumbit intereſſe ſacro Miſſæ officio.

Dub. 3. *An ſi vino conſecrato adhibeatur alius liquor non ſacer, Chriſtus eſſe ſub ſpeciebus conſecratis deſinat vi talis mixtionis?*

Ita ſentit D. Tho. maximeque opinionem hanc ſuum locum habere ait, cùm qui profanus liquor admiſcetur, par eſt, æqualiſque quantitate, Sacramento. Cauſa ei ita ſentiendi eſt vnica, nempe quòd in hoc euentu non eædem ſpecies numero remaneant.

Contraria mihi videtur habere plus rationis. Quare, quod pace tanti Doctoris ſit dictum, exiſtimo primò Chriſtum eſſe præſentem ſpeciebus, quamlibet magna iis ac ingens infundatur liquoris alicuius copia, cuius tamen natura à vino non ſit diuerſa, quia tantùm Chriſtus deſinit eſſe ſub ſpeciebus, quando illæ ita immutantur, vt corrumperetur vini ſubſtantia, ſi ſub illis eſſet, ſed gutta, verbi cauſa, vini conſecrati appoſita dolio

Digitized by Google

eiuſdem ſubſtantiæ, minimè conſecratæ, non corrumperetur, cum nihil deſtruatur niſi à ſuo contrario; & ſi D. Thomæ ratio valeret, dicendum foret non remanere ſanguinem, ſi ſpeciebus conſecratis, aliæ item conſecratæ adderentur, etſi eædem diuiderentur, id eſt vnius, & eiuſdem calicis, ingendæ ſibi paulò pòſt, vt ante, quia per eam vnionem, & coniunctionem diuerſarum ſpecierum, aut partium vnius ac eiuſdem, fit quantitas à prius diuerſa, quam eſt id vero alienum à ſenſu communi?

Ex dictis 2. Si liquor admixtus alterius ſit ſpeciei, & apponatur in maiori quantitate quam ſint ſpecies conſecratæ, ſub iis deſinere Chriſtum eſſe, quia talis liquor quantitate ſpecies conſecratas ſuperans, conuerteret in ſe vinum, ſi adhuc ſub ſpeciebus illis eſſet; non tamen eſſe illico ſub illis ceſſat, ac facta eſt prædicti liquoris admixtio, ſed poſt alteratas ab eo vini ſpecies, ea alteratione quæ vini ſubſtantiam corrumpere potuiſſet, ſi ibi fuiſſet, idem dicendum ſi in æquali quantitate miſceatur, quia ſi ibi ſubſtantia vini eſſet, verque liquor conuerteretur in aliquem tertium.

Dubium quartum. *An vinum congelatum materia ſit calicis.*

Eſſe dicunt Sylueſter in verbo Euchariſtia 2. numero 15. Angelus verbo Miſſa numero 25. Soto in 4. diſtinctione 3. quæſtione 1. art. 5. Suar. hic diſput. 45. ſectione 1. Probatur primò vinum frigore concretum, habet materiam & formam tali ſubſtantiæ propriam, ergo verum eſt vinum. 2. vis frigoris quamlibet ſit magna, communiter tamen loquendo, non ita vinum aſtringit, vt illud deſtruat, aut propria eius accidētia & diſpoſitiones euertat. Ergo nec vini ſubſtantiam. Conſecutio patet: nam naturaliter nulla forma deſtruitur, aut perit niſi euerſis ante diſpoſitionibus quæ illam materiæ conſeruabant affixam. Antecedens probatur, ſi frigus vini qualitates perimit, Chriſtus illicò, ſub ſpeciebus eſſe deſinet, ac eas congelari accidet, cum certum ſit iiſdem corruptis non manere.

At hoc falſum eſſe patet ex praxi Eccleſiæ, quæ ſpecies poſt conſecrationem coli imperat, & ſumi tanquam verum Sacramentum, vt in miſſali Concilij dicitur.

Obiicies. Vinum congelatum non eſt potabile. Ergo nec eiuſmodi quod inſeruire valeat conſecrando calici.

Reſpondendum ad Antecedens vinum congelatum per ſe, & natura ſua eſſe potabile, ex accidenti autem duntaxat, externaque vi frigoris impediri ne ſit tale.

Obiicies 2. Aqua congelata ad baptiſmum adhiberi nequit. Ergo nec vinum congelatum ad venerabile Sacramentum. Neganda eſt conſequentia, diſparitatis ratio eſt in eo, quod aqua baptiſmi debeat eſſe fluida, vtpote quę lauare baptizandum debeat, confertur enim baptiſmus applicatione materiæ ad ſubiectum, eiuſdemque lotione: hanc autem fieri non poſſe niſi aqua per membra fluere, ac duci valeat, quis non videt? at verò Euchariſtia in re tranſeunte non eſt poſita, ſed ſtabili, ac permanente, cum verè eſſe non deſinat, etſi nulli ſit vtilis, nulli in cibum, aut potum cedat.

Dubium quintum. *An panis ex farre, ſpelta, zea, ac ſiligine in Catholica liturgia & Euchariſtiæ conſecratione adhiberi poſſit?*

Eſt de hac quæſtione maxima Doctorum hæſitatio. Victoria in libello de Sacramentis q. 55. non recipit niſi triticeum. Albertus in 4. diſtinctione 12. Speltam ait in conſecretionis materiam aſciſci poſſe, cui aſſentitur Sotus in 4. diſtinctione 11. quæſtione vnica art. 3. Durandus in 4. diſtinct. 11. quæſtione 4. numero 8. idem de farre aſſerit, zea tamen excluſa, quam tamen vt veram conſecrationis materiam agnoſcit Alexand. in 4. parte membro 4. art. 1. quemadmodum & ſiliginem Toletus in 2. libro cap. 25. de inſtructione ſacerdotum quod ante eum ſcripſerat Sotus in 4. diſtinctione 9. quæſt. vnica art. 30. Hæc ſententia eſt probabilis propter auctores qui eam defendunt.

Verum enim ſententia quæ ſequitur retineri debet, præter panem triticeum, in ſacroſanctis myſteriis alteri locum non eſſe, inſtitutione Chriſti, traditione Apoſtolica, ad hanc diem conſeruata in vtraque Eccleſia, Latina & Græca.

1. Quia quilibet alius panis ſine addito, panis non dicitur, & qui vænalem ex ſpelta, aut farre proponeret, teneretur indicare materiam qua conſtat, ne eius ignoratio emptores in fraudem inſduceret. Cum enim iſtarum rerum minus ſit pretium quam tritici, peccaret qui tantum pro pane iſtiuſmodi exigeret puta è farre, aut ſpelta, quantum qui pro triticeo quem vendit.

2. Quia nuſquam legitur cum alicubi magna eſſet rei frumentariæ inopia, ab Eccleſia permiſſum eſſe, Chriſti corpus in eiuſmodi materiis fieri.

3. Quia ſunt hæc ſemina, belluarum magis, quam hominum cibaria propria.

4. Quia non alio pane quam qui eſſet è tritico vſus eſt Chriſtus in cœna, vt definiit Florentinum in fidei regula tradita Armenis.

Dubium ſextum. *An conſecratio vnius partis materiæ, in hoc Sacramento, non modo ſit ſine altera valida, ſed etiam licita?*

Dico 1. Non eſſe licitam, quia ſacerdotibus, his verbis, *Hoc facite* cap. 22. Lucæ imperatum eſt à Chriſto, vt faciant in ſui commemorationem, quod ipſe fecit, dum viueret. Tridentinum ſeſſione 22. can. 2. At vtramque materiam conſecrauit, non vnam tantum, quo ex facto Chriſti, ac Tridentini verbis, in canone citato, infert Suarez in 3. parte diſputatione 43. ſectione 2. concluſ. 3. vtramque partem materiæ huius Sacramenti ex diuina inſtitutione eſſe de ſubſtantia, ac integritate ſacrificij incruenti à Chriſto Domino inſtituti, & proinde vt dicitur canone *comperimus* de conſecratione diſtinctione 2. diuiſionem vnius eiuſdemque myſterij, ſine grandi ſacrilegio eſſe non poſſe.

2. Quia ad perfectionem huius Sacramenti pertinet, vt conſecratio fiat ſub vtraque ſpecie, cum in vna ſola, nec perfectum ſacrificium conſiſtat, nec Sacramentum, ex dicendis tractatu de ſacrificio, ſed quis credat velle Chriſtum vtrumque imperfectum confici, ac mutilum? Ergo contra præceptum diuinum eſt ſpeciem vnam conſecrari ſine altera.

Dico ſecundò. *Conſecrari tamen validè vnam materiam ſine alia.*

1. Quia Eccleſiæ praxis communis habet, vt non expectata conſecratione calicis, Chriſti corpus ſub ſpeciebus conſecratis latens, proponatur adorandum populo, quod eſt argumento ſpeciem vnam poſſe conſecrari validè ſine alia, ſimulque de neceſſitate Sacramenti non eſſe, vt vnius conſecratio neceſſario coniungatur alteri.

2. Forma calicis non dependet à forma corporis, nec hæc, vice verſa ab illi, vt ſupra debitam materiam prolata ſortiatur ſuum effectum. Ergo ſi proferatur ſola, per eam ponetur Chriſti ſanguis

Digitized by Google

quod fieri non posset, si vtraque materiæ consecratio, ad positionem corporis sub specie panis, aut contrà, fieri deberet, cùm si per inaduertentiam accidat non consecrari calicem, remaneat tamen Christi corpus integrũ sub speciebus panis.

Ex dictis sequitur primò, quòd licèt interdum sine peccato accidat Sacramentum in vnica tantùm specie confici, propter impotentiam physicam, vel moralem, implendi præcepti, vt si quis ignoret, vel non aduertat inculpabiliter, se proferre verba consecrationis super aqua, quam tamen bona fide putat esse vinum, & postea consecrato pane vinum reperiri nequeat, aut si potest, non tamen sine vitæ periculo, sanè sub vna materia sacrificium inchoasse, ac fecisse Sacramentum non est peccatum, quia vt sic consecratio vnius materiæ, non est voluntaria in ratione culpæ, cum consecranti nunquam constitutum fuerit, sacrificium integrum, non facere, sed potiùs oppositum.

Deinde nemo tenetur ad impossibile: ergo cùm post consecratam vnam materiam, impotẽtia physica, aut moralis interuenerit, respectu alterius materiæ consecrandæ, ad eam non videtur Sacerdos sub obligatione mortalis culpæ teneri, sic enim non intendit formaliter, directè, primò & per se mutilare sacrificium, quod ipsum est intrinsecè malum, ac tale quod fieri benè nunquam possit, cùm sit contra præceptum negatiuum, sed permittit tantùm, vt mancum remaneat, & vt suppono, ob causam iustam,

Sequitur 2. Sacerdoti moriendum priùs esse, quàm obsequendum imperanti, vt ad viaticum ægri, materiam vnam consecret sine altera, quia esse hoc nequit sine voluntate directa in Sacerdote mutilandi sacrificij contra diuinum præceptum: At hoc semper est malum, vtpote directè diuinæ voluntati contrarium, quam præceptum de consecranda materia duplici, declarat esse pro semper. Plura habet Suarez disputatione 43. sect. 2.

Sequitur 3. ex dictis inferri ideò sub vna tantùm specie communicare laicum, quod Sacramenti tantum vsum habeat, Sacerdotem autem sub duplici, eo quòd sacrificet, ac inchoatum sacrificium consumat, de cuius integritate est vtriusque speciei sumptio.

QVÆSTIO X.

Eucharistici Sacramenti quæ sit forma, & quid ea exigat, necessitate tam præcepti, quàm Sacramenti.

PRima Assertio. *Forma, seu verborum complexio, quæ in huius Sacramenti consecratione, in Christi persona enunciatur, super panis materia, est hæc*, Hoc est Corpus meum. S. Thom. q. 78. art. 1. & traditur in cap. cum Marthæ 6. de celebrat. Missarum, can. quia corpus 35. can. reuera 69. can. accessérũt de consecrat. dist. 2. in priori enim hæc habentur. Quæsiusti quis formæ verborum, quam ipse Christus expressit, cùm in corpus & sanguinem suum, panẽ transsubstãtiauit, &c. Sit sensus Inn. III in decret. ad Arch. Lugdu. quæ Patrum ac Pontificum responsa, ex perpetua Ecclesiæ traditione, ac praxi sic firmantur, vt de iis, eorumque veritate dubitare sit nefas.

Assertio 2. *Essentialis forma verborum, quibus sanguis Christi per se conficitur, in his solis verbis consistit, Hic est Calix sanguinis mei.* Nam ea plenè, ac sufficienter significant, conuersionem vini in sanguinem Christi eiusque realem, ac permanentem præsentiam, ergo eandem etiam efficiunt, iuxta axioma Theologorum commune, Sacramenta quod significant faciunt.

Infertur hinc primò, particulam *enim*, quæ in forma consecrationis calicis, eidem essentialem non esse, nec has item, *Noui Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ad prædictæ formæ essentiam, & Sacramenti necessitatem non pertinere.

Infertur 2. idem esse oportere iudiciur de forma corporis, ad cuius essentiam, & sacramenti necessitatem, sola hæc verba pertinere, *Hoc est corpus meum*, quia per ea, quantum est ritis, transsubstantiatio explicitè significatur.

Assertio tertia. *Exigit præcepti necessitas, primò vt in forma addatur particul* Enim, quia ea Christus vsus dicitur ab Inno. III. in cap. cum Marthæ 6. de celebr. Missarum. Secundò, quia ab Ecclesia verbis formæ est adiuncta, ergo non tollenda facilè, cuiusquam auctoritate propria. Tolet. lib 2. cap. 26.

Secundò, eadem necessitate requiritur, vt hæc quæ antecedunt consecrationem corporis, *Qui pridie quàm paterentur*, eidem præmittantur. Ea contra vsum Ecclesiæ, vel ex crassa negligentia, aut deditа opera prætermittere, est mortale. Fernandez in Examine, parte 3. cap. 4. parag. 6. num. 1. causa est, quòd ab Ecclesiæ solenni more in Sacramentorum administratione discedere, non modò sit turpe, ac in politicis singularis imprudentiæ, sed etiam in moribus graue.

Eadem est istorum ratio in forma calicis, *Noui & æterni Testamenti*, quia cùm sit dubium propter varietatem opinionum, an sint ei intrinseca, nemo sapiens præsertim post præceptum, vsumque communem Ecclesiæ, ea prætermittat vt inania, aut certè non necessaria.

QVÆSTIO XI.

Quæ sint necessaria necessitate præcepti ex parte Ministri in Eucharistia.

PRimò, requiritur probitas, id est, priuatio culpæ mortalis, quæ tamen ad validitatem sacrificij non esse necessariam docent Doctores cum D. Thoma, quæst. 82. cùm enim Christus sit principalis offerens ex Tridentino, sess. 22. cap. 2. & patet ex eo quòd Minister eius personam sustineat, & in ea loquatur, dicendo, *Hoc est corpus meum*, planum est effectum semper sequuturum, si Minister proferat verba sacramentalia super materia debita cum intentione necessaria. D. Thom. sup. art. 7. & de degradato docet expressè Syl. verb. degradatio q. 7. Nauarr. de pœnit. dist. 6. Couar. 1. Resol. cap. 10. num. 8.

Cuius rei hæc est causa, quòd ratio tam sacrificij Eucharistiæ, quàm Sacramenti, tota essentialiter, constet & perficiatur consecratione corporis & sanguinis Christi Domini: At veri Ecclesiæ Presbyteri, quandiu sunt & viuunt, consecrare possunt, sin minus licitè, saltem validè: potestas enim consecrandi manat à caractere, qui cùm sit indelebilis, eorum quoque in Christi corpus potestas est perpetua.

Secundò,

2. Requiritur vt miniſter ſacrificium non offerat pro excommunicatis nominatim, hæreticis, & ſchiſmaticis, quia cùm talibus, omnis eſt legibus Eccleſiaſticis interdicta communicatio tam in humanis, quàm diuinis: quod tamen non niſi de oratione publica per collectas, & in qua eorum nomen vſurpetur, intelligendum exiſtimo. Nam priuatim commendari Deo eorumque fieri mentionem poſſe in ea parte Miſſæ quæ à memoria appellatur, Memento, author eſt Suarez quæſt. 83. art. 1. ſect. 2.

3. Tenetur Presbyter eſſe capite diſcooperto cum ſacrificat, de conſecratione diſt. 1. can. nullus, ſecus facere ſine iuſta cauſa, eſt mortale. Colligitur ex pœna, qua qui in eam legem peccant puniuntur, priuatione ſcilicet à communione quo nihil homini religioſo poteſt eſſe grauius.

Iuſta cauſa eſt capitis infirmitas. Nauarrus lib. 3. Concil. de celebratione Miſſæ Concilio 48. Quæ ſi apertè talis erit, nulla eſt neceſſaria diſpenſatio, ſi dubia, impetranda erit ab Epiſcopo, amictus autem ſacerdotis, non eſt in its operculis, quorum vſus eſt prohibitus. Nauarrus ſupra.

4. Curandum ſacerdoti ne ſacrificium imperfectum faciat, ac aliqua parte ſui mancum, vt oblatione tam panis & vini ante conſecrationem, quam ſumptione Chriſti corporis & ſanguinis poſt illam. Nam alterius omiſſio niſi excuſet inaduertentia, aut indeliberatio, opinione mea eſt mortalis.

5. Nec de Miſſa poteſt arbitratu ſuo ſacrificans, demere aliquid, quod ſit notabile.

1. Quia in ea omnia ſunt eiuſmodi quæ ad religionem, Deique cultum, maximopere faciant, hæc ergo authoritate ſua qui tollit, Dei cultum perimit.

2. Scandalum ſpectantibus, ac conſciis, temeritatis ſuæ, creat.

3. Quæ ſumma veneratione cenſentur, vel minimo præſumptionis actu ſolui non oportet, vt eſt in can. 16. cauſæ 7. q. 1. cum ad hoc tantum fieri ſint iuſſa, ne noſcantur interrupta, vel omiſſa Concil. Tolet. 7. can. 2.

Minui porrò Miſſa poteſt, duobus modis, primò excedendo de altari antequam ſuis ſit partibus abſoluta, quod ipſum ſine iuſta cauſa facere, eſt mortale, quia canone nihil. 16. 7. cauſæ q. 1. iubetur eiuſmodi excommunicari. Verba Concil. Tolet. 7. can. 2. ſunt iſta. *Nullus abſque prouentu patentis neceſſitatis, aut miniſter vel ſacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumat relinquere, ſi quis hæc temerare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit*, & can. Omnes fideles 62. diſtinctionis 1. de conſecratione dicuntur priuandi communione, *qui non perſeuerant in communione, vſque dum Miſſa peragatur*, ergo cùm à grauitate pœnæ, eo infligendæ, aut inflictæ, de grauitate culpæ iudicium fieri oporteat, hanc nemo leuem iuſte dixerit, quæ cenſura coercetur, aut priuatione Euchariſtiæ. Sine cauſa dixi: nam ſi aliqua ſuppetit Sacri non abſoluendi, talis ceſſatio culpa vacabit omni Sylu. verbo Miſſa.

Eiuſmodi cenſeri debet infirmitas repentina, ac ſuperueniens ſacerdoti, cui tum de adiutore prouidendum erit, à quo etiam non ieiuno terminabitur ſacrificium per conſecrationem inchoatum. Cauſa eſt quod præceptum de perficiendo ſacrificio magis obliget, cum ſit diuinum, quam de ieiunio ad communionem ſeruando, quod tamen præcipitur ab Eccleſia. Sotus diſt. 13. q. 3. art. 6. Nauarrus capite 25. numero 86.

Quid ſi præter laïcum paratum ad communicandum, aut ſacerdotem excommunicatum, alij nulli ſint ad manum, à quibus ſpecies conſumi poſſint?

Reſpondeo ne tum quidem laïco conceſſum eſſe, ſupplere quod ad ſacrificij abſolutionem adiici eſt neceſſe, quia eius partes non ſunt conſumere ſacrificium, nedum communicare ſub vtraque ſpecie: Idem de præciſo ac concubinario publico arbitrandum cenſeo, quia facere id vix poſſunt ſine ſcandalo, præceptum autem de eo vitando, cum ſit naturale & diuinum, ſtrictius eſt, ac religioſius, quam de conſumendo ſacrificio. Excipiendus caſus in quo periculum eſſet ne quid ab infidelibus fieret, quod in apertum Euchariſtiæ dedecus damnumque verteret: nam tum ab excommunicato ſumi poſſet, quia maius oriretur ſcandalum ex profanatione Euchariſtiæ, quam eius ab illo ſumptione.

Secunda cauſa iuſta non perficiendi Sacrificij eſt præſentia excommunicati, nolentis abire è templo: nam ſi non ſit inchoata conſecratio à ſacerdote repetenda eſt illico ſacriſtia, quod ſi erit incepta, continuabitur vſque ad cõmunionem incluſiue, reſeruando reliqua, id eſt Poſtcommunionem, & orationes, dicendas priuatim, ac voce ſubmiſſa in ſacriſtia. Sotus diſtinct. 22. q. 1. art. 4.

Ratio eſt, quod præceptum de vitandis excommunicatis, minus obliget cum ſit Eccleſiaſticum quam de conſumendo ſacrificio quod eſt diuinum.

Secundus modus quo peccatur contra integritatem celebrationis, eſt cùm non recitantur aliqua verba Miſſæ, quæ quidem ſi erunt in notabili quantitate, erit eorum omiſſio mortalis, venialis, ſi in modica: erit hæc autem notabilis reſpectu celebrantis, quæ talis quoque reſpectu audientis eſt cenſenda.

Exiſtimat Nauar. lib. 8. Conciliorum de celebratione Miſſæ, Concilio 2. preces recitari ſolitas à Preſbytero dum ſe induit, eſſe partem talem, vt eius omiſſio faciat peccatum mortale: ſed in eo propter ſcueritatem nimiam mihi audiendus non videtur.

Sane crediderim vel vnius verbi voluntariam omiſſionem in forma conſecrationis, mortalem eſſe, potiſſimum ſi ſit de eius eſſentia. Pauciora item de canone Miſſæ, vltro ac ſcienter præterita, turpiorem habent maculam, quam multa oblationi præmitti ſolita, per accidens tamen ratione ſcandali, mihi eſt admodum probabile, Epiſtolam aut Euangelium in Miſſis publicis præteriri non poſſe, ſine culpa mortali.

Sexto requiritur neceſſitate præcepti ex parte miniſtri certus locus extra quem ſi celebrauerit, peccabit moraliter, talis eſt conſecratus ab Epiſcopo, vel benedictus, de conſecratione diſt. 1. can. Miſſarum 11. & can. ſicut 10. & can. nullus eadem diſtinctione, vbi ſecus faciens iubetur priuari ſuo ſtatu, quæ pœna cum grauis ſit, indicat voluntatem in legiſlatore obligandi ad mortale.

Certi tamen ſunt caſus quibus in loco non ſacro licet operari.

Primus eſt priuilegij, quale conceſſum dicitur patribus Franc. ac Dominicanis etiam extra neceſſitatem, cap. in his de priuilegiis.

Secundus eſt vrgentis neceſſitatis, de conſecratione diſt. 1. can. concedimus 30. qualis eſt frequente populo, quem locorum anguſtiæ templo excludunt, & ita in proceſſionibus Paſchalibus

propter eius concurſum abundantem & copioſum, ſacrum ſit in cemeteriis. *In itinere quoque poſſimus ſi Eccleſia defuerit, ſub dio, vel in tentoriis, ſi tabula altaris conſecrata, cæteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia ibi aſſuerint, Miſſarum ſolennia celebrari concedimus.* Concil. Tribur. 1

Tertius eſt cum ad id obtenta eſt facultas ab Epiſcopo: quam etſi ante Conc. Trid. concedere poſſet cuilibet, modo haberet altare portatile, tamen poſt eius promulgationem, hæc eius poteſtas eſt reſtricta ad caſum neceſsitatis moralis, qualis eſt morbi, pietatis, religionis, nimiæ diſtantiæ à templo, quo pueri & fœminæ ire ſine magno ſuo incommodo nequeunt, & tunc certus domi locus deſtinandus erit, factus ad modum ſacelli, qui huic rei inſeruiat. Et quanquam in oratoriis Miſſa dici poſſit, non ſunt tamen in eam rem omnia idonea, ſed tantùm non polluta, cap. ſi Eccleſia de conſecratione Eccleſiæ, & cap. 150.

Polluitur autem Eccleſia multis modis.

Primò per homicidium voluntarium, & iniurioſum, quæ duæ particulæ ſunt additæ, prima quidem vt excludatur caſuale, ortumque ab amentia. Secunda, vt conſtet factum cum moderamine inculpatæ tutelæ, id eſt, ad ſui defenſionem, non comprehendi hac lege.

Secundò, violatur Eccleſia effuſione qualibet iniurioſa ſanguinis, can. ſi Eccleſia, de conſecr. diſt. 1. ioco facta, aut leuis, nihil Eccleſiæ ſanctitati præiudicat. Nec ſi plaga imponitur extra templi ambitum, aut cum in rixa pueri ſibi mutuò de naribus ſanguinem eliciunt. Nauar. c. 27. num. 256. vict. de Euchariſt. num. 99. Ægydius de Coninc. q. 83. dub. 1. num. 128. læderetur tamen Eccleſia ſuſpendio iuſto rei per authoritatem Iudicis, idem qui ſupra Ægydius num. citato.

Tertiò, polluitur per ſepulturam excommunicati nominatim aut notorij percuſſoris Clerici, can. conſuluiſti, de conſecratione, diſt. 5. non autem alterius, quia poſt Concilium Conſtantienſe non tenemur vitare mortuos, quos non vitauimus viuos, ſed excommunicati tolerati poſt Conſtantienſe non ſunt vitandi viui: ergo nec mortui.

Quartò, violatur etiam Eccleſia per ſepulturam infidelis aut pagani, quæ in ea fieret, canone Eccleſiam 1. & 2. de conſecratione diſt. 1. quo nomine intelligendi etiam ſunt pueri ante Baptiſmum mortui. Sylu. ſuprà.

Quintò, deſtructione parietum, aut eorum combuſtione perit Eccleſiæ ſanctitas, ſi modò totalis ſit, quia ſi paulatim reparentur alioquin caſuri, Eccleſia non erit iteratò conſecranda, modò pars quæ additur, eam magnitudine non ſuperet, quæ eſt reliqua, quia pars remanens trahet ad ſe additam. S. à verbo benedictio.

Quid ſi tectum ruat, hoc tantum, parietibus ſtantibus? Templũ nihilo ſecius conſecratum perſeuerat, quia quæ ſacris ſemel ſunt addicta Religionibus, ex præſcripta forma Eccleſiæ, pro talibus ſunt habenda, quandiu in rerum natura, immutata manent, ſed parietes ſoli conſecrati erant, non tectum, nam illi duntaxat ſacro illinuntur oleo, inſigniuntur crucibus, &c.

Sextò, polluitur templum effuſione publica, & illicita humani ſeminis in eo facta, non autem in eius cubiculis, caueis, turribus, aut campanili, quia Eccleſia de occultis non iudicat. Syluester verbo conſecratio 2. Nauarrus capite 27. nu. 256. ergo ſi latebit effuſio ſeminis, per eam non profanabitur locus ſacer: erit autem publica, primò, per iuridicam confeſſionem eius qui peccauit, aut probationem ſufficientem accuſatoris. Secundò, per notitiam partis aliquantæ Paroeciæ: nec enim ſufficit duos aut tres eſſe conſcios, niſi fortè factum euulgent in publicum. Suarez diſp. 81. ſect. 4.

Reconciliabitur autem Eccleſia, ſi eſt conſecrata à ſolo Epiſcopo proprio, aut alio de eius licentia: ſi autem tantùm eſt benedicta, à quolibet ſimplici Sacerdote aſperſione, aquæ benedictæ, & exorciſatæ, can. vltimo, de conſecratione Eccleſiæ, & capite ſignificaſtis, de adulteriis & ſtupris.

QVÆSTIO XII.

Quis ſit Miniſter Euchariſtiæ ordinarius, quis ex commiſſione.

DE Euchariſtia vt conficienda per verba ſacroſancta, nobis hîc nulla eſt quæſtio. Conſtat enim nullum alium ad id, tam auguſtum, tam ſanctum ac venerabile miniſterium, cenſeri idoneum, quàm Presbyterum. Conc. Nic. can. 14. Lateran. ſub Innoc. III. c. 1. Trident. ſeſſ. 13. c. 8. canon peruenit de conſecrat. diſt. 2. Cyp. de vnctione chriſmatis. *De omni tribu & gente, & lingua, quos dignos & idoneos diuina electio, ſecundùm vitæ, non generis meritum, ſtatuit Sacerdotes, quibus calicem ſanguinis ſui inexhauſta plenitudinis abundantia refertum conſecrandum tradidit.*

Equidem ſi eſſet, vt loquuntur hæretici, in poteſtate cuiuſcunque, etiam ſacrum Ordinem non habentis, modò verba Dominica proferat, Sacramentum altaris conficere, & ſalubriter accipientibus miniſtrare, primò, ex abundanti, vt diximus, conſtitutus eſſet in Eccleſia Ordo ſacerdotalis & Leuiticus, quòd aliquem arbitrari eſt impium. Secundò, parùm iuſtè tanta, & tam acri pœnarum acerbitate plecterentur in Eccleſia, qui id ſibi munus non vocati tanquam Aaron, & ad illud à Prælatis non initiati, arrogant, quis autem id credat? Legitur in Leuitico, quòd Nadab & Abiu filij Aaron, cum acceptis thuribulis poſuiſſent ignem, & incenſum deſuper offerentes coram Domino, ignem alienum, quod non erat eis præceptum, egreſſus eſt ignis à Domino, & deuoraut eos. *Quid eſt autem*, inquit Iuo ep. 124. *ignem alienum ſacrificio apponere, niſi Sacerdotij opus, ſine legitima Ordinatione, ex ſui Spiritus præſumptione vſurpare? Quare ſicut diuina virtus Sacramenta huius temporis, à legitimis Sacerdotibus miniſtrata, inuiſibiliter conficit, & in veritatem Chriſti corporis, & ſanguinis transformat, ita præſumentium hoſtias, non tantùm habet irritas, verùm etiam præſumptores interim cæcitate interiore condemnat, in futuro quoque eis, irremediabiles pœnas parat.*

Sacramenti huius, ergo Miniſter alius eſſe non poteſt, quàm qui Sacerdotij ſacris, eſt ritè, ac catholicè initiatus, ſi veram tamen ac debitum conſecrandi intentionem habeat.

De Euchariſtia ergo vt conſecranda, & à quo nobis hîc nullus eſt ſermo, ſed de diſtribuenda tantũ: & petimus à quo hanc populo dari oporteat.

Conſtat primis Eccleſiæ temporibus hoc munus propriũ fuiſſe Diaconorũ: Sic enim Iuſtinus Martyr in Apol. ad Anton. pium, his verbis. Poſtquam ergo qui præeſt Euchariſtiam perfecit, &

populus omnis acclamauit. *οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασι ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τῆς εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι*, id est. Qui à nobis dicuntur Diaconi cunctos præsentes, consecratorum, per gratiarum actionem, panis & vini, & aquæ, participes faciunt, atque ad absentes deferunt.

Ne tamen in eo tam salutari, diuinoque ministerio, Diaconi peccarent, illud obire non tam suâ, quam sacerdotis inductione, imperioque debebant. Fidem facit can. 38. Conc. Carthagin. 4. his verbis, *vt Diaconus præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi, populo, si necessitas cogat, iussus eroget.* Ex quo patet, etsi diuino iure, ad solum Sacerdotem pertineat Sacramenti huius confectio, ei enim soli per ordinationem confertur potestas, & officium conficiendi corpus & sanguinem Christi, posse tamen ab alio, eiusdem sacerdotis voluntate, populo distribui. Voluntate dixi, nam Eucharistiæ ministratio, iure diuino, ex officio soli sacerdoti competit, ex Christi institutione.

Ratio est 1. quod illi soli à Christo est dictum, in persona Apostolorum, *Hoc facite in meam commemorationem.*

2. Quod eius solius sit, dona, & sacrificia Deo offerre pro populo, & ad eundem referre dona sanctificata à Deo, iuxta Paul. dictum 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

Sanè docet Concil. Trident. sess. 13. capite 8. *Semper in Ecclesia Dei morem fuisse, vt laici à sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes, seipsos communicarent*, hunc que morem tanquam ab Apostolica traditione deficendentem, retinendum esse.

3. Quod ei iure diuino potestas competit conficiendi Christi corporis, ergo & ministrandi, cum hoc, altero sit longè dignitate, ac fructu inferius.

Posse tamen sacerdotem, cum vrget necessitas, iure diuino committere dispensationem Eucharistiæ Diacono, opinio est communis Doctorum Suar. in 4. q. 82 disp. 72. sect. 1. parag. Dico ergo de Coninc. q. 82. art. 3. n. 18. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 7.

Probaturque 1. ex vsu Ecclesiæ, in qua teste Clem. Rom. lib. 8. Const. cap. 34. etsi Diaconus non baptizabat, tamen *non offerente Episcopo, vel Presbytero, ipse dabat populo, non veluti sacerdos, sed veluti ministrans sacerdoti*, talem se fatebatur olim Laurentius, cum vt est apud Ambros. lib. 1. Officior. cap. 41. Xistum Pontific. rogabat, ne se desereret, ac incomitatus ad mortem iret, in se, animi tantum esse, quantum ad eam Christi causa magno ausu perferendam esset necesse. *Experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.*

2. Quia etsi Ecclesia Sacramentorum substantiam, euertere nequeat, potest tamen, *ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicat*, non est ergo contra ius diuinum, committere dispensationem Eucharistiæ Diacono, cum est id vtile fidelibus, aut necesse. *Sacerdotes enim sibi Dominus elegit, vt sacrificent ei, & offerant oblationem Domino, Leuitas quoque sub eis esse iussit, in ministeriis eorum.* Fabian. Papa ep. 2.

Necesse dixi, quia tanti Sacramenti reuerentia exigit, vt non administretur nisi per personas, quæ publica authoritate, ad hoc sunt diuinitus institutæ. Quare, vt hoc tempore, delegari Diacono possit à Presbytero, corporis Christi dispensatio, requiritur 1. moralis aliqua necessitas, patet ex Carth. 4. can. 38. 2. causa aliqua rationabilis, vt si præter Diaconum, nullus alius esset qui id dignè posse facere, puta quia Parochus est æger, & præter eum nullus alius est in Parochia Presbyter, vel quia abest, nec expedit tamen ægrum decedere sine viatico.

QVÆSTIO XIII.

An voluntarie, & ex deuotione communicanti, possit sacerdos quilibet ministrare Eucharistiam.

MInistrari non posse, sine Parochi facultate, dixere Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 7. assert. 3. Vasq. disp. 219. cap. 2.

Aduersaria sententia probata est. Ludouico de Beia parte 4. casu 14. & aliis, & probatur, ideo ægro à proprio Parocho, impartienda est Eucharistia, in mortis articulo, quod aliter fieret ei iniuria, at periculum eius est nullum, cum qui sacræ mensæ accumbit, à simplici sacerdote pascendus, viuifico pane firmis est viribus, quia vt extra mortis articulum, nemo iure diuino tenetur communicare, ita nec eius causa adire proprium Parochum.

Confirmatur. Si peccarent fideles, sumendo à non Parochis, ex deuotione hoc Sacramentum, causæ nihil erat, cur Ecclesia omnibus præciperet, vt in Paschate, & mortis articulo, vterentur ad eam rem, eorum opera, cum in aduersariorum sententia, nullus alius, ad impertiendum illos hac gratia, sit idoneus, quam Parochus, ergo cùm vnius inclusio, alterius sit exclusio, clare satis videtur ex præcepto supradicto colligi, cuilibet sine culpa mortali integrum esse, alterius manu, quàm Parochi, recipere sacram Euchar. extra Paschа, & mortis articulum.

Confirmatur 2. Vsus & consuetudo, vim legis habent, can. diuturni mores 6. distinctione 12. quare ab iis recedendum non est facile, can. 7. & can. illa, 11. eiusd. distinct. & cap. ad Apostolicam 42. de Simon. at vbique gentium, vsus inualuit, vt qui primitias Deo offerunt, omnes qui se illis, reficiendos augustissimo Dei corpore exhibent, admittant ad sacrum epulum, non est ergo sacerdoti simplici, nec fideli vlli dandum vitio, isti quidem, si illius manu, extra Paschа, & mortis periculum communicet, illi autem, si postulanti communionem, non deneget.

Obiicies. Dispensatio Sacramentorum, & maximè huius, iurisdictionem in dispensante exigit, est enim proprium munus pastoris gregem pascere, quod fit in Sacramẽto spiritaliter, at id vsurpare nemo potest citra iniuriam, sine eius consensu expresso, aut tacito, falsum est ergo, in potestate esse simplicis sacerdotis, communicare fideles, cum eius rei desiderium præ se ferunt, extra Paschа, aut mortis articulum.

Ad maiorem Respondeo, iurisdictionem in administratione Eucharistiæ, non esse de substantiâ actus, sed tantum requiri quoad debitum ordinem & modum, cuius modi, ordinisque violatio, non est culpabilis, cum adest consensus superioris præsumptus, quem hic non deesse Doctores asserunt

tempora, quibus fidelibus per confeſſionem expianda eſt conſcientia, de communione hæc habet.

Omnis vtriuſque ſexus fuſcipiat reuerenter ad minus in Paſcha Euchar. Sacramentum, niſi proprius ſacerdos, ab eius perceptione duxerit abſtinendum. Et in Trid. ſeſſ. 13. canone nono, intentatur in eos anathema, qui negant *omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate ad communicandum, iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ.*

Pœna in tranſgreſſorē huius præcepti decreta, à Conci. Lateran eſt, vt viuens arceatur ab Eccleſia, mortuo autē negetur Eccleſiaſtica ſepultura: Non eſt pœna hæc tamen, ſententiæ latæ, ſed ferendæ, & quidem non à Parocho, quia iuriſdictione omni caret in foro externo, ſed ab Epiſcopo, aut eo conſentiente, vel iubente, ab alio, quanquam ea de re, certi nihil poſſit ſtatui, cum pro diuerſitate Epiſcopatuum, diuerſa quoque ſit ratio procedendi, contra tranſgreſſores huius decreti.

Circa hanc legem, de communione, notandum eſt, tempus Paſchale, quo impleri debet, iure communi dies quindecim complecti, qui ſunt à Dominica Palmarum, incluſiue vſque ad Dominicam in Albis, ſicuti ex declaratione Eugen. 4. refert Nauar. cap. 21. num. 45. ex priuilegio autem continere Quadrageſimam integram, vt Mediolani, Monachij verò in Bauaria ſeptimanas quatuor, quarum duæ Reſurrectionem antecedant, eandem ſubſequantur duæ aliæ. Laym. libro quinto tract. 4. capite. 5. numero 8. quæ Eugenij declaratio, quia Panormitan. & alios quoſdam latuit, aliter atque nunc oportet, ſcripſerunt de tempore, quo ex Eccleſiæ præcepto, eſt Chriſti corpus ſuſcipiendum, ſed de his quindecim diebus, non ſe cus numeratis, quam nos facimus, teſtantur, Caiet. in verbo communio paragr. 3. Armilla eod. tit. num. 3.

QVÆSTIO XVI.

An qui non communicauit in Paſchate, teneatur illud primo quoque tempore facere.

PArum conſpirantes inter ſe, de hac quæſtione, Doctorum ſunt ſententiæ. Nugnus in 3. part. to. 1. q. 80. art. 11. diff. 2. concl. 3. Laym. l. 5. tract. 4. cap. 5. n. 8. de Lugo diſp. 16. de Sacr. ſect. 4. n. 67. Suar. to. 3. diſp. 70. ſect. 2. Syluius in 3. par. q. 80. art. 11. quæritur 4. conſtanter aſſerunt, communicandum eſſe, vbi primum, ſeſe commoda offerent tempora.

Qui hoc præceptum, ſic tempore Paſchali affixum aiunt, vt cùm eo elabi quoque, ac fluere neceſſitatem communicandi aſſerant, ſunt hi authores, Sylu. ver. Euchar. 3. q. 15. de la Cruz in direct. conſc. par. 2. de Sacr. Euch. q. 5. dub. 7. concluſ. 4. Emm. Sa ver. Euchariſt. n. 7. Valent. tom. 3. diſp. 6. q. 8. pun. 4. Anton. Dia. tract. 4. de Sacrament. reſolut. 41.

Vt de re tota, quid ſit ſentiendum, compertum eſſe poſſit, quæ dicenda ſunt in duas concluſiones conferam.

Prima Concluſio. *Cum eſt Paſchalis communio, Confeſſarij conſilio dilata ad tempus aliquod, ex iuſta cauſa, illico ac licebit, ſumenda erit.* Ratio eſt, quod præcepto ſit parendum, quandiu durat eius obligatio, at perſeuerat, dum à Confeſſario, præſtitutum tempus, ad illud implendum, nondum eſt elapſum, ſicut accidit, cum pœnitenti ſuo diem præfigit, ad quem ex cauſa rationabili communionem differre valeat, hoc enim ipſo tacite ei præcipit, vt eo elapſo communicet iuxta præceptum Eccleſiæ, quod tunc reſpectu eius vigere incipit, ſicut antea viguit reſpectu omnium, quibus à Confeſſario nulla fuit ad illud implendum, conceſſa dilatio.

Secunda Concluſio. *Probabile eſt eum qui non communicauit in Paſchate, non obligari amplius ad communicandum eo anno.*

1. Quia obligatio præcepti non amplius perſeuerat, patet, quia eſt affixa tempori Paſchali, non alteri, ergo ſicut qui negligentia ſuâ, culpâque, Miſſæ non interfuit die Dominico, non tenetur ſequenti id eſt Lunæ eam audire, quia præceptum in diem Dominicum cadit, ita nec qui communicauit in Paſchate, hanc negligentiam ſupplere debet noua communione, hoc eſt facienda primo quoque tempore.

2. Non eſt inducenda obligatio ad aliquid ſub peccato, ſine ſpeciali præcepto, at nullum eſt tale, de non differenda communione, quando non eſt facta in Paſchate, ergo dilatio communionis, non affert nouam culpam, ergo non neceſſario eſt tollenda, quando in Paſchate non eſt obita.

Obiiciunt authores contrariæ ſententiæ. Primò quod in can. omnis vtriuſque 21. Conc. Lateran. non fiat mentio Paſchæ, tanquam termini, in quo ſolo, præceptum debeat impleri, ſed vt vltra illum, communio minimè differatur, ergo ſi primum obſeruari ex cauſa non poterit ad ſecundum, nempe vt non protogetur communio, erit obligatio. Ita Suar. diſp. 70. ſect. 2. Vaſq. de Pœnit. q. 90. art. 3. dub. 2. de Lugo. de Sacram. Euchariſt. diſp. 16. ſect. 4.

Antecedens eſt falſum, vt patet ex verbis Concilij, *& ſuſcipiat reuerenter ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum.* Quæ cùm ſint imperatiui modi, vim præcepti habent, quoad tempus determinatum Paſchæ: cuius ſpeciatim Concil. meminit, in eo canone.

Obiiciunt 2. Quando lex plura præcipit, vnum quidem primario, ſecundario alterum, qui primum non poteſt exequi, implere ſecundum debet, & contra: ergo cum præcepto Eccleſiaſtico de communione duo iubeantur, primum vt fiat, alterum vt ad Paſcha, qui hoc tempore definito, ac ſtato eam frequentare per impedimenta, aut inualetudinem non poterit, non illico ab ea recipienda cum licebit, liber erit.

Antecedens eſt verum, cum primum eſt in præcepto independenter à ſecundo, hoc eſt à tempore, vt ſi alicui imperatur ieiunare in pernigilio ſancti alicuius, ſi impediatur eo die id facere, non tenebitur alio, quia ieiunium eſt onus diei, ſimiliter ſi à pœnitente Confeſſarius exigat, vt in pœnam admiſſorum audiat ſacrum ſaltem die Lunæ, ſi parere deſignato die negligit, non tenetur alio negligentiam ſupplere, quia de eo non fuit à Confeſſario admonitus, ergo nec ſi omittitur communio in Paſchate, erit reparanda alio die talis omiſſio, cum eiuſmodi reparatio non ſit in præcepto, ſed ſola communio tali die, ac tempore, hoc eſt in Paſchate.

QVÆSTIO XVII.

An qui præuidet sibi circa Paſcha non fore integrum communicare, tempus hoc anteuertere debeat.

DE hac quæſtione controuerſantur authores, qui præueniendum aiunt ſunt hi qui ſequuntur Vaſq. to. 4. q. 90. de pœnitentia art. 3. dub. 2. Syluius in 3. p. q. 80. art. 11. quæritur 3. Nugnus 3. part. q. 80. art. 11. diffic. 2. Fagund. lib. 3. de præc. cap. 6. num. 3. de Lugo diſp. 16. de Sacram. Euch. ſect. 4. num. 75.

Secus quàm illi ſentiunt Suar. ſect. 2. parag. tertium dubium Laym. lib. 5. tract. 4. c. 5. Azor. to. 1. lib. 17. cap. 41. q. 13. Pitigian. in 4. ſent. to. 1. diſt. 9. q. 3. art. 9. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quod nemo actum præceptum occupare debeat, niſi per eum obligationi præcepti ſatisfaciat, at qui initio Quadrageſimæ, ſacræ menſæ accumberet, quia ſe impediendum exiſtimat circa Paſcha, non eſſet à communione tùm iteranda liber, ſi eo tempore nihil eſſet, quod eum ab illa diuerteret, quia cùm lex abſolute præcipiat tali die communicare, & id poſſit fieri facile, ei obſequi eſt neceſſe, ſi obſequendum eſt, nulla remanet haud dubiè obligatio ex vi legis, ad anteuertenda communionis Paſchalis tempora.

Confirmatur. Nam id praxis Eccleſiæ non habet, nec eſt vllus eorum, qui audiendis confeſſionibus dant operam, qui pœnitentibus ſuis ſit author, anticipandi tempus præcepti, ieiunandi, verbi cauſa, die Iouis, ſi præuideat id inſequenti die, nempe Veneris, integrum ſibi non fore, cur ergo in materia Euchariſtiæ, id potius ſit neceſſe, quam quauis alia, dicere mihi non eſt expeditum, ac facile.

QVÆSTIO XVIII.

An ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico de communione, per indignam, & factam in mortali.

NOn ſatisfieri docent Syluius in 3. part. q. 80. art. 11. quæritur 2. Nugnus ibid. q. 8. c. 1. art. 1. diffic. 2. dub. vlt. quod exiſtiment idem ab Eccleſia præcipi Chriſtianis, quod iiſdem à Chriſto ſeruatore, fuit iniunctum, cum negauit, partem illis vllam vnquam, in Beatorum ſanctimonia, ſecum ac cum Angelis futuram, niſi ſe, viuifico ſanctorum pane alerent, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*, at qui corrupto culpis animo, communicat Chriſti corpori, hic non alitur ad vitam, ſed mortem, vt enim pia, & religioſa communio, hominem cœleſtium bonorum copia implet, ita mala, ita cùm peccati lethalis conſcientia obita, gratia ſpoliat, ſacrilegio turpi ac infami mentem fœdat, ergo cùm Chriſtus illam, id eſt religioſam, ac vtilem imperauerit, iſtam damnauerit, priore ſatisfiet præcepto Eccleſiæ, non ſecunda.

Habet hæc opinio probabilitatis plurimum, oppoſita tamen ſequenda in praxi, propugnatores habet viros authoritate, & doctrina magna præditos

A Pitigian. in 4. to. 1. diſt. 9. q. 3. art. 10. Azor. to. 1. lib. 7. cap. 41. q. 12. Suar. in 3. par. tom. 3. diſp. 70. ſect. 2. Villalob. in ſum. to. 1. tract. 7. diff. 42. n. 6. & probatur, cum Eccleſia de ſtatu animæ non iudicet, abunde ei ſatisfit, cum actus imperatus exercetur, vt patet, conſideranti, præcepta omnia Eccleſiæ, ergo (ſi quod hæc præcipit) communio fiat in Paſchate, ſatisfiet eius imperio, licet non adſit ea diſpoſitio, in ſuſcipiente, quam gratia poſtulat.

Ad argumentum primæ ſententiæ reſpondendum eſt, præcipere quidem Eccleſiam, communionem, quæ eadem ſit quoad ſubſtantiam cum ea, quam à fidelibus frequentari Chriſtus voluit, ſed non quoad modum, cum Eccleſia primo, per ſe, ac directè, actus interiores non iubeat, nec proinde puritatem conſcientiæ neceſſariam accedenti ad
B ſacram menſam, vt hæc ei ad Beatæ vitæ gloriam fructuoſa ſit ac vtilis.

QVÆSTIO XIX.

An præceptum impleat Eccleſiaſticum, de Communione recipienda in Paſchate, qui illam die ſacro, Dominicæ cœnæ, dari ſibi voluit à Religioſo, in Oratorio domeſtico, aut templo Regularium.

EST hæc quæſtio trimembris, in priori eius parte
C quæritur, an ſit contra præceptum Eccleſiæ, pro communione Paſchali, vti Religioſi opera. In ſecunda, an locus, ad communionem annuam idoneus, ſit Oratorium, in tertia, an loco Paroeciæ, eligi ædes ſacra Regularis poſſit, ad Euchariſtiam percipiendam, aut alia Parochia quam propria.

Ad primam quæſtionem. Reſpondeo ex magnorum Doctorum decretis, Religioſum mendicantem, idoneum miniſtrum eſſe dandæ Euchariſtiæ, eam poſtulanti, alio die, quam Paſchæ, ratio quæ me in hanc mentem impellit eſt hæc vnica. Nempe quod Leo 10. omnibus è Franciſcana familia regularibus, aliiſque, religioſum inſtitutum profitentibus, in aliquo Ordine mendicantium, facultatem miniſtrandi ſæcularibus Chriſti
D corpus conceſſit, omnibus diebus, præterquam Paſchæ, & articuli mortis, vel eius periculi, quam à Pio V. renouatam in conſtit. 38. declarant hæc eius verba. *Ipſique fideles, Sacramentum Euchariſtiæ (reſurrectionis Dominicæ feſtiuitate excepta) ſumere, eiſque illud, per fratres huiuſmodi, ſcilicet Mendicantes, adminiſtrari valeat, nec ad illud faciendum per locorum ordinarios, aut Eccleſiarum Rectores, ſeu alios quoſcunque, illorum licentia minime requiſitâ, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, aut aliis pœnis, cogi vel compelli poſſint.* Quod & à Paulo eius nominis 4. eiſdem Regularibus conceſſum eſſe, anno 1557. patet ex eius bulla cuius eſt hoc initium, *ex clementi ſedis Apoſtolicæ prouiſione.* Ergo cùm exceptio, in non exceptis firmet regulam, dig. de milit. teſtam. parag. fin. ſequitur præfatos Pontifices, ex-
E cludendo ſolum diem Paſchæ, in ea opinione fuiſſe, vt crederent, alios omnes eiuſmodi eſſe, quibus Euchariſtiam fidelibus portigi à Regularibus nihil repugnet.

Et tunc ſatisfieri præcepto Eccleſiaſtico, de communione quot annis recipienda, circa Paſcha Probatur. Per communionem factam aliquo die de iis, qui continentur hebdomada, antecedente Paſcha, aut altera, quæ illud ſubſequitur, impletur

præceptum, confeſſionis annuæ, non poſſunt ergo honeſtè, ac licitè, cogi ſæculares, qui die cœnæ, cõmunicarunt in aliqua Mendicantium Eccleſia, vt iterum id faciant in ſua Parochia, die ipſo Paſchæ.

Obiicitur. Cum dies Paſchatis in citato priuilegio intelligi debeat non materialiter pro ſolo Reſurrectionis, ſed formaliter, pro toto tempore, quo lex Eccleſiaſtica, de communione percipienda impleri poteſt, hoc eſt à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè, vt declarauit Eugen. 4. tenetque Suar. in 3. par. diſp. 82. ſect. 2. male à nobis eſt dictum, quolibet die, excepto Paſchæ, poſſe fideles, intra duas hebdomadas citatas ad effectum ſatisfaciendi præcepto de communione annua, communicare in Eccleſiis mendicantium.

Reſpondend. 1. Falſum eſſe, *Paſchæ* nomen, in Bullis Pontificum, extendi ad totum tempus, quo lege Eccleſiæ, ſatisfieri debet præcepto de communione, ita de Beia parte 4. caſu 4. & ſic non ſequi fideles poſſe communicare die Paſchæ in Eccleſiis Mendicantium, etſi poſſint die cœnæ.

Dici etiam poſſet nullum ab hac obiectione fieri doctrinæ noſtræ præiudicium, cum conceſſione Nicol. 5. facta Religioſis Beatæ Mariæ de Guadalupe anno 1458. Pontificatus eius quarto, liceat omnibus Chriſti fidelibus de eorum manu, ac in illorum Eccleſia, ſacro pane refici, die Paſchæ, abſque Epiſcopi, aut Parochi licentia.

Additum à Paulo tertio, huic priuilegio & aliud, quo cœnobitis prædicti Monaſterij fas eſſe voluit, admittere ipſo die Paſchæ ad Euchariſticum epulum, quotquot ad eos, eius cauſa commearent, tam intra, quam extra ſepta Monaſterij, modo ne hi ſacrum alibi, quam in templis, aut Oratoriis facerent, quæ ipſis ſubeſſent. Compendium Ordinis D. Hieronym. parag. 2. & 6. Rodrig. in quæſt. regul. to. 1. q. 56. art. 3. Quare cùm quæ licent vni ordini, Pontificis indulgentia, cenſeantur hoc ipſo indulta, ac conceſſa Mendicantibus, vt habetur in compendio priuilegiorum eorundem ordinum, verbo communicatio, ob quam cauſam Peregrinus in Compendium priuilegiorum ordinis Clericorum S. Sylueſt. de vrbe, parte 2. tit. Conſummatio priuilegiorum parag. 4. dictos Clericos, aſſerit gaudere priuilegiis omnibus, & ſingulis, quæ conceſſa ſunt, & concedentur poſtmodum Societati Ieſu, & non ſolum ad inſtar, ſed æque principaliter, non videtur negari poſſe fideles ſatisfacturos præcepto de communione annua, cum eam quocunque die à Dominica Palmar. ad Dominicã in albis, in Eccleſiis Mendicant. accipient, ſed id ego, illis vt faciant non ſum auctor, ob ſcandalum.

Obiicitur 2. Sublatum eſſe hoc priuilegium Mendicantium, tam per Concil. quam non vſum, cum nunquam reperiantur qui ſacro die Paſchæ, communionem dent fidelibus, in ſuis, hoc eſt Mendicantium Eccleſiis, & inter Catholicos, pauci ſint, aut nulli, qui exiſtiment ſe conſcientiæ ſuæ facturos ſatis, ſi tali communione contenti forent, factaque in eo loco.

Reſpondendum eſt primò. Supponi falſum in Antecedenti, nempe Religioſorum priuilegia abrogata eſſe per Concil. quia priuilegium in cuius reuocatione certa forma exigitur, non cenſetur reuocatum ea non ſeruata, Antonin. Dian. tract. 2. de dub. Regul. reſolut. 68. ſed Societati Ieſu conceſſum eſt à Gregor. 13. ſummi beneficij loco, & conſequenter omnibus Regularibus qui communicant eius priuilegiis, vt hæc antiquata, imminuta, aut ſublata per Pontificem cenſeri nunquam poſſint, niſi dictæ Societatis Patribus, authoritate eiuſdem Pontificis ea reuocatio iuridice innotuerit, ita Flauius Cherubinus in Compend. Bullar. tom. 2. conſtit. 1. Greg. 13. Scholio 2. & ante illum M. Anton. de Amatis deciſione 17. At de hac reuocatione, quando, quid, & per quem, Religioſis dicti ordinis, voluntate S. Sedis vnquam innotuit? Nihil ergo eis per Concil. eſt ablatum, quo ante illud, gauderent indulgentiâ Pontificis.

Ad non vſum quod attinet. Reſpondeo 1. Benedictinis conceſſum eſſe per quandam Bullam, ne indulta eorum Ordini priuilegia, per non vſum interirent, ante centum annos.

Reſpondendum 2. De iure communi 40. annorum ſpatium exigi, vt contra priuilegia præſcribatur, per non vſum, aut contrarium, Cord. in compend. verbo Abſolutio quoad ſeculares 2. paragr. 19. Dico amplius Benedictinis, priuilegia ſua non perire per non vſum, aut contrarium, niſi poſt 100. annos, Ioan. de la Cruz lib. 2. cap. 3. dub. 2. concl. 2. Rodrig. to. 1. q 8. art. 2. & to. 3. q. 51. art. 5. imo ne interirent vnquam, per aliquem, aut plures actus oppoſitos, vllo etiam longiſſimo tempore, ſed vt iis arbitrio ſuo vti ſemper poſſent, licet obſita longo ſitu, peneque emortua viderentur per non vſum, iiſdem ſancti Benedicti diſcipulis è congregatione S. Iuſtinæ in Italia indulſit Eugenius Papa 4. teſtimonio Ludouic. Portelij in additionib. ad dubia Regul. verbo Priuileg. Diana tract. 2. de dubiis regular. reſol. 88.

Reſpond. 3. Vt non vſus, ſit indicium renuntiationis priuilegij, quæ voluntaria eſſe debet, tria ſunt neceſſaria ſecundum Panormitan. in cap. cum acceſſiſſent. de Conſtit. Ludou. de Beia & Portelium locis proximè citatis, primum, vt qui non vtuntur priuilegio, ſciant ſe eo gaudere, illo tamen vti nolint, quia renuntiatio, eſt expreſſa voluntas abdicandi à ſe totum ius, & facultatem priuilegij, id autem eſſe quî poſſit, ſine eius notitia, cum voluntas, vtpote facultas cæca, non feratur in incognitum, explicari facile non poteſt: nam conſenſus non fertur ad ignorata, ergo nec deſitio iuris voluntaria, ad non cognita.

Secundo, ad iacturam priuilegij voluntariam, requiritur, vt aliquoties ſeſe obtulerit occaſio, eo vtendi, quæ tamen fuerit neglecta. 3. vt fuerit in non vtente facultas, eaque non impedita. At contendo nil iſtorum contra Religioſos facere, non primum, quia cùm Romani Pontifices, ſimul ac ſederunt in clauo Eccleſiæ, gratias, priuilegia, immunitates, cæteraque, illis à ſuis prædeceſſoribus conceſſa renouent, ac confirment, & priuilegium de Paſchali communione in Monaſteriis ordinis B. Mariæ de Guadalupe, ſecularibus adminiſtranda, ſit per communicationem, & nouam conceſſionem, ita eiſdem Mendicantibus attributum, ac ſi ſpeciatim fuiſſet illis conceſſum, dici ſane nec poteſt, nec debet, eius vim interiiſſe omnem, decurſu totius illius interualli, quod ad præſcriptionem centenariam contra ea priuilegia, Papæ poſtulant.

Deficit item ſecunda conditio, quæ eſt voluntas renuntiandi tali priuilegio, nam contendo, id Religioſis nunquam veniſſe in mentem, plurimos autem, ac verè ferè omnes neſciiſſe, ſe Papæ benignitate, potuiſſe die ipſo Paſchæ ad communionem in ſuis Eccleſiis ſæculares admittere, quod cùm ipſos, in præſenti non lateat, poterunt ſi volent, in ſuum, ac fidelium commodum, vti Papæ beneficentia, & ita ſingulos domi ſuæ in Paſchate, ſic

impartiri Eucharistia, vt eam, hi iterum non teneantur suscipere in Parochia, quod tamen, si me audient non facient.

De occasione vtendi hac facultate, hoc habeo quod dicam, eam non defuisse Regularibus, in praxim tamen reuocatam non esse, quod se posse nescirent, aut si sciebant, expedire non credebant, quod ego quoque censeo.

QVÆSTIO 2. fuit, an Religiosi, possint in oratorio domestico, ac priuato, communicare, seculares in Paschate, sic vt non teneantur, id iterum facere in Parochia.

Respondeo posse, cum enim Patres S. Francisci, quererentur apud Paul. quartum, de iniuria quam aiebant sibi à Parochis inferri, quod extra domos, ac Conuentus, Sacramentum Eucharistiæ ministrarent, in Paschate, respondit Paulus. *Quod de cætero, per totum orbem omnium vtriusque sexus fidelium, pro tempore dicti fratres, à suis superioribus deputati Confessores, Confessiones etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorundem fratrum, audire, eosque absoluere, ac omni tempore, præterquam in die Resurrectionis dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ, tam illis, quàm quibusuis personis, ministrare possint, Apostolica auctoritate concedimus.*

Quo, quid esse potest ad fidem rei, quæ nobis præ manibus versatur, apertius, non occurrit. Præter Paulum, fuerunt & alij, qui de Mendicantibus bene merendi cupidi, idem iisdem quod ille, permissum esse voluere, nempe Nicolaus V. Sixtus IV. Leo X. quos citat Suar. to. 4. de Relig. lib 9. cap. 3. Portel. in resp. sionib. parte 3. casu 39. Est ergo in responsione verissimè positum, Religiosis ius esse Papæ priuilegio, communicandi fideles, in oratoriis, omni tempore, præterquam in die resurrectionis, & mortis articulo.

Quid si Episcopus id vetet? quid si Parochus repugnet?

Respondend. 1. Posse quidem ex iusta causa, ac rationabili Episcopum prohibere suo subdito ne communicet in oratorio, posse item, in pœnam delicti, illum priuare facultate quam prædictus Episcopus ei in eam rem dederat. Quia multare nocentem, pœna commerita, res est laudabilis, ac bona, & cùm concedendi oratorij, iustam aliquam causam esse oportuit, ita & cum talis se offert reuocari poterit iuxta regulã iuris, *per quas causas quid ponitur, per easdẽ tollis potest de regul. iuris in 6. reg. 1.*

Respondendum 2. Non esse in Episcoporum iure, interdicere Regularibus, ne quem in oratorio, aut templo, extra domum suam, ac Conuentum, sacra Eucharistia impertiant, quia id illis licet per Romanum Pontificem, ac benefacta Principum, coli quidem possunt ac suspici à subditis, abrogari nequaquam, ergo id sibi si Episcopi assumant, vt prohibendum existiment Mendicantibus, ne quem è sæcularibus, domi suæ in oratorio dignentur pane sacro, inualide vetabunt.

Confirmatur. Superiorum acta, leges, ac priuilegia, rescindi ab inferiore nequeunt, quod antiquatio decreti cuiuslibet authoritatem exigat in eo qui refugit, supra eius authorem ac Principem, qua tamen caret Episc. in Pontificem, si quid ergo ille, moliri contra Mendicantium priuilegia, id est, acta Pontificis tentauerit, conatu faciet inani, ac irrito.

Si Episcopus, inquit Suar. loco proximè citato, *prohibeat subdito, non quidem communionem simpliciter, sed ne illam à nostris sacerdotibus* (Societatis scilicet Iesu) *recipiat, talem prohibitionem non obstare, hanc facultati, quia illa supposita, præceptum est iniustum, & directè pugnans cum priuilegio Pontificis.* Esset enim ea prohibitio, tacita quædam reuocatio priuilegij, concessi Religiosis, hanc autem facere quis credat in Episcopi potestate esse? moram ergo, charitati Regularium, in distribuenda communione sæcularibus, iussis suis Episcopus, non iniiciet, ne videatur Papæ voluntatem, ac in Regulares beneuolentiam summè laudabilem, imperio hoc suo retardare, aut culpare velle.

Obiicitur. In priuilegio concesso Societati Ie su à Paulo 3. super re præsenti, est apertè, quod eius alumnis facultas quidem conceditur distribuendæ Euchar. sæcularibus, dummodo id fiat, *sine alicuius præiudicio*, quod non accidit, cum in oratoriis sit res diuina, aut astantibus datur Eucharistia, Parocho inscio, ac sæpe etiam repugnante, & inuito, cum enim oratorium pars sit Paroeciæ, vtpote intra eius limites positum, in eo rem diuinam facere, aut communicare postulantem, nesciente Parocho, est in eius Parochia administrare Sacramenta, contra rationabilem eius voluntatem proindeque cum iniuria, ac præiudicio, quod tamen prohibet Pontifex.

Respondendum. Si quod est Parochi præiudicium, cum à Religiosis diuiditur Eucharistia sæculatibus, extra suum Monasterium, tam leue id esse, vt non videatur curandum. Deinde cum à Pontifice tale priuilegium emanet, valere debebit, quamlibet cum tertij præiudicio sit coniunctum, eius enim est Parochorum potestatem laxare, aut restringere, cum videtur fore, è re publica Ecclesiæ, aut priuata fidelium, quod facit, quoties, & quando, ex iusta causa eos patitur aduocare Regulares, viros industrios ac graues, qui in oratorio, pane sæ vitæ, ad beatam immortalitatem recreent, sic enim eos, pro solita sua caritate in omnes, à frequentanda Parochia communionis causa, liberat, quod etsi vergere videatur in damnum Parochi, causa tamen ei querendi iusta nulla suppetit, cum id authoritate fit eius, cuius est in Ecclesiam, eiusque membra omnia, summa potestas, ita à pensitatione decimarum Monasteria integra eximit, non sine aliquali Parochorum detrimento, ac iactura, quam immunitatem nemo tamen arguit vt inanem, ac nullam, aut iniustam, cum sit penes illum, quos vult, propriis sibi deuincire priuilegiis, ac beneficiis, & quod de decimis non soluendis Parocho per Monasteria hic dicitur, similiter asseri debet, de communione danda à Regularibus, in priuatis sæcularium oratoriis, valere scilicet priuilegium, quo illis id licet, quia datum est ab eo qui potest, & cùm scientia secuturi præiudicij, quod aut nullum aut non nisi exiguum, ac leue est timendum.

Obiicitur 2. Vetare Clementem eius nominis quintum, ne aliquis Religiosus ministret Eucharistiam sæculari, sine speciali licentiâ Parochi. *Nullo etiam Religiosis eisdem super hoc suffragante priuilegio.*

Respondetur, quod tunc tentare Religiosis nefas fuit, id illis licere modo, concessione Pauli 3. cui Clemens prohibere non potuit, ne id per eum, Regularibus liceret vnquam, cum par in parem potestatem non habeat.

QVÆSTIO 3. explicationem habet, expeditam ac facilem.

Dico ergo primò. *Nulli fas esse in aliena Parochia, de manu simplicis Presbyteri, aut verò Parochi, qui ei præest, suscipere communionem in Paschate, sine licentia*

Digitized by Google

licentia proprij. Ita Innoc. III. in can. 21. Lateran. Concil.

Dico 2. *Regularibus interdictum quoque esse in Ecclesiis non suis, Communionem Paschalem administrare, absque Parochi licentia.* Quia etsi Regulares per priuilegium Nicol. V. Sixti IV. possint quoslibet, tam in propriis quàm alienis Ecclesiis, extra Paschæ tempus corpore Christi, ac sanguine pascere prout habetur in compendio priuilegiorum, verbo communicare, id illis tamen aggredi nefas in Paschate, ob prohibitionem Leonis papæ, & aliorum Pontificum, qui communionem de præcepto, voluerunt, non alibi à Regularibus dari, quàm in propriis eorum Ecclesiis: quare qui ab illis eam reciperet in Paschate, in aliena Ecclesia, nequaquam præcepto satisfaceret.

QVÆSTIO XX.

Sitne permissum Sacerdoti Religioso, suppeditare Eucharistiam pro viatico, ei cuius vita est desperata.

MInistrari posse aiunt hi. Sotus in 4. sent. dist. 23. q. 2. art. 1. Angelus in verb. excommunicatio 5. casu 12. Armilla eod. in 49. Fulciri posset hæc sententia hac ratione. Quod ægrotus ille duntaxat attritus esse possit, qui status animi cùm non sit ad salutem sufficiens, talis esse incipit, cùm sanctissimum Christi corpus à Sacerdote accipitur, quod beneficium ægroto non videtur negandum, ne eius negatio, certa sit ipsius ruina, salutisque euersio.

Aduersaria sententia probata est his authoribus. Ludo. de Beia Responsionum parte 4. casu 4. Portelio in Responsa casu 39. & in additionib. ad dubia regularia, verb. Sacramentor. administratio. Sylu. in verb. excommunicatio 7. num. 33. dub. 4. Nau. in summa cap. 27. num. 102. Comitolo in Responsa. lib. 1. Responsa. 44. Probatur auem

Primò, quia Religiosi nullum habent priuilegium, de communione, per modum viatici fidelibus administranda, vt patet ex eorum priuileg. dare eam ergo non debent.

Secundò, quia id illis inhibetur à Clemente V. in Clement. quæ incipit Religiosi de priuilegiis, vbi Clemens in Conc. Viennensi excommunicat omnes Religiosos, qui sine speciali licentia Parochi, Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis ministrant, tam Cleticis, quàm laicis, à qua excommunicatione solus Papa absoluit, nec Pontifici Romano, Patribusque illius Concilij difficile fuisset casum illum mortis excipere, si licere voluissent Regularibus, aut alteri ministrare Eucharistiam per modum viatici, hominibus in eo articulo positis.

Sanè ex eorum silentio trahi potest argumentum, ad confirmationem propositæ sententiæ non infirmum, cùm enim Pontifices Communionē Paschalem Mendicantibus concesserint, & non expresserint eam, quæ sit per modum viatici, videntur hanc noluisse concedere, expressio enim vnius, est exclusio alterius, & in exorbitantibus à iure communi, non datur extensio, sed casus omissi, in dispositione iuris communis remanent, vt ex Doctoribus in leg. commodissimè Digest. de liberis & posthumis, tradit Ludouicus loco proximè citato, sub finem casus: ergo cùm Clemens V. Clement. de priuileg. cap. 1. Regularibus interdicat ne communionem Clericis aut laicis in mortis articulo administrent, sine Parochi licentia, nec postea facta sit in eorum priuilegiis vlla mentio dicti articuli, dicendum est, legi communi, de non dando viatico sine facultate, Religiosis omnibus standum esse, de quo Religiosos Ordinis Societatis Iesu, admonitos esse voluit. Paul. III. cùm in priuilegio illis concesso, vt fideles communicare possint, nominatim excepterit communionem viatici in mortis articulo, vt notat ex Suar. & ex priuilegio dicti Ordinis, idem qui suprà de Beia.

Ad argumentum initio pro contraria sententia propositum, Responderi debet, nec ægrotum posse Euchar. Sacramentum postulare cum attritione cognita, nec Sacerdotem posse illi præstare, quia cùm Eucharistia, sit viuentis animæ nutrimentum, quod vitam gratiæ requirit in anima, sicut cibus corporis, vt ei prosit, vitam exposcit in corpore, sacrilegium est in ægro eam petere cum attritione, quæ gratiam homini extra Sacramentum non conciliat, & in Sacerdote, par scelus, eam malè dispositò præbere, at alteri cum salutis propriæ periculo, consulere tenetur nemo: ergo nec Sacerdos dare Euchar. attrito tantùm, nisi fortè palam posceret, & peccatum poscentis esset occultum, tunc enim Eucharistia non esset ei deneganda.

Quid si Regularis hæc duo Sacramenta, Euchar. scilicet & Extremæ vnctionis ministraret ex ratihabitione Parochi, seu proprij Sacerdotis? Ludouic. de Portel. in dubiis regular. verb. Sacramentorum administratio sic scribit num. 4. *A prædicta censura, & peccato excusatur primò, si infirmus est in periculo mortis, & Parochus abest, tunc enim poterit licitè*, Rodriguez tom. 1. q. 16. art. 5. *Secundò excipitur, si Parochus adsit, sed iniustè dare facultatem nolit, tunc enim idem est, ac si Parochus abesset.* Hæc ille, quæ mihi videntur esse vera, etsi iis contradicant Nauar. cap. 27. num. 102. Comitol. Responsa. lib. 1. q. 44. Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 55.

Quæ me ab his viris auocat, vna duntaxat est causa, nempe quòd non videtur Clemens tam seuerè, ac tam strictè agere voluisse cum fidelibus, vt iis negata vellet, necessaria salutis subsidia, vt facere tamen eum fuisset necesse, si omni modo pascendi pane vitæ morientes, aut eosdem inungendi ad extrema certamina ineundā, cum Dæmone fortiter, facultatem Regularibus ademisset.

Addit Portelius vbi supra, ea de re extare priuilegium, à Sixto IV. concessum Minoribus in quo eis permittit, administrare Vnctionem extremam morientibus, cùm hanc eis Parochus denegat. Compendium Minorum, verb. communicatio parag. 6.

Quæstiuncula 2. *An facultas à Parocho vniuersè ac generaliter Regulari data non nominatis iis, qui sunt inungendi aut reficiendi corpore Christi, satis sit ad culpam euitandam.*

Sufficere respondent Portelius & Comit. locis citatis. Ratio est, quòd concessio vniuersalis, ac generica, speciales comprehendat, & qui à Parocho Parochianos suos iuuare permittitur, credere prudenter ac honestè non potest, aliquem ea concessione exclusum esse.

Quæstiuncula 3. *An Regularibus peræque ac laicis, & Clericis, lege Clementis V. sit inhibitum, alterius Ordinis Religioso vti sub finem vitæ, ad Sacramenta Vnctionis & Eucharistiæ recipienda de eius manu.*

Reſpondeo non eſſe, quia Clementina, de Parochianis duntaxat, ac Clericis, in ſæculo commorantibus decernit, ob præiudicium Parochi, at Religioſus Parocho non ſubeſt. Quid? quod lex pœnalis, ad ſimiles caſus non extenditur, quod complecti alia non ſoleat, quam quæ verbis legis, in propria ſignificatione acceptis, denotantur, ergo cùm clericorum nomen, multoque minus laicorum, ad Religioſum non pertineat, quæ de illis ſcripſit Clemens, trahi ad hos ſimiliter non poterunt.

QVÆSTIO XXI.

Quid ſit neceſſarium neceſſitate præcepti ex parte ſuſcipientis Euchariſtiam.

PRimo requiritur conſcientiæ puritas, nam vt habet Leo in ſerm. 5. de Quadrag. *oportet ſollicitudine magna præcaueri, ne quid in noſtris animis incompoſitum, ne quid inueniatur immundum. Quid enim turpius* (inquit Pet. Damiani in ſerm. de vigilia Nauitat.) *quam vt Virginis Filium, in Veneris templo quis ſuſcipiat, vt arcam Dei, iuxta Dagon colloces? quid Petro cum Mago? quid Chriſto cum Antichriſto? quid virgini & libidini? quid puritati, & impuritati? qua fronte, qua conſcientia accedit ad ſanctum Sanctorum cuius fama contemptibilis, vita notabilis, ſermo reprehenſibilis habetur? Quid enim,* inquit Bernard. ſerm. 46. in Cantica, *Lectulus non eſt floridus, magis autem & putidus, & tu illuc Regem gloriæ trahis? contritio vetat illum intrare ſub tectum ſuum, propter indignitatem, cuius tamen fides vedolet in vniuerſo Iſraele, & tu ad te compellis intrare, tantorum ſordens ſpurcitia vitiorum? Dicit Apoſtolorum Princeps exi à me Domine, & tu dicis intra ad me quoniam ſanctus ſum.* Equidem eſt hoc Sacramentum, cibus viuorum, id eſt, eorum qui ſunt in gratia, & à Deo inſtitutum, vt ei homines copulet, quam ob cauſam vocatur à Paulo, inquit Theoph. in hæc verba Pauli 1. ad Corinth. 11. non κοινὸν, ſed κοινωνία, id eſt communicatio, at hanc vnionem impedit peccatum mortale, vtpote quod hominem auertit à Deo, vt habet Macarius hom. 1. ſuper hæc verba Math. 5 vos eſtis ſal terræ.

Secundò, requiritur in ſuſcipiente ne peccet, vt alium in Paſchate à Parocho ſuo, aut priuilegiato non adhibeat, ad impertiendum ſe communione, quia vt eſt ſimplici ſacerdoti prohibitum, fideles ſalutari Chriſti corpore, & ſanguine paſcere, proprio Parocho non probante, aut inuito, ita quoque ſuſcepturo Euchariſtiam, in vitio erit, vti ad eam rem, dicti ſacerdotis opera, maximè imparati. Quia eſſe id nequit, niſi ei, culpæ ſit author, aut cooperator.

Tertiò, vt recipiens Euchar. culpam vitet, neceſſe eſt, vt ab omni cenſura ſit liber, habetur cap. penult. de ſentent. excomm. & vlt. de clerico excommun. miniſtrante vbi prohibetur excommunicatis, ne abſque iuſta neceſſitate, Sacramenta petant, aut ſuſcipiant Confirmationis, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Ordinis, Matrimonij, Extremæ Vnctionis, quia illis, omnis eſt interdicta communicatio cum fidelibus tam in ſacris quàm politicis. Iuo Carnot. ep. 81.

Quartò, ſuſcipiens ieiunus eſſe debet, inſtitutione tam Apoſtolica, quàm canonum. Apoſtolica quidem, quia à primis Eccleſiæ fundatæ incunabulis, mos vbique terrarum fuit, vt non niſi ieiuni, ad Sacramentum accederent, eius moris meminere Patres, Auguſtinus, ante cæteros, his verbis epiſt. 118. ad Ianuar. *Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti, prius in os Chriſtiani, corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi, nam ideo per vniuerſum orbem mos ille ſeruatur*, cuius rei fidem faciunt Concilia. African. can. 8. Matiſcon. can 6. Toletan. 7. can. 2. Altiſiodor. can. 19. his verbis. *Non licet Presbytero, aut Diacono, aut ſubdiacono, poſt acceptum cibum, aut poculum, Miſſas tractare.* Et in Conc. Carthag. 3. can. 29. *vt Sacramenta altaris, non niſi à ieiunis celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo cœna Domini celebratur.*

Poſtremo requiritur in ſuſcepto Euchariſtiam ne peccet, vt ſi fortè peccati mortalis conſcientia tenetur non niſi confeſſus, animum ad eam applicet, habetur in Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. *Eccleſiæ conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullius ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione, ad ſanctam Euchariſt. accedere debeat.* Et poſtea can. 11. adduntur hæc verba. *Et ne tantum Sacramentum indigne, atque adeo in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat: ipſa ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

QVÆSTIO XXII.

Explicantur quædam dubia circa præcedentia.

DVbium primum. *An ſit licitum poſt ſumptum cibum, ſæpius Euchar. recipere pro viatico.*

Perſeuerante eodem morbo, id facere ægrotũ poſſe dixere Laym. de Euch. c. 5. n. 4. Sa verbo Euch. n. 5. Suar. diſp. 66. ſect. 5. ratio eſt, quod non videatur Eccleſiæ priuare velle ægrum, cũ eſt infirmus ſolatio, quo ſanus fruebatur, aut frui poterat: At antequam hic æger eſſet, accumbebat ſacræ menſæ, ſeptimanis ſingulis, aut etiam crebrius, ergo, &c.

Dices id ei, per leges Eccleſiæ, tùm prohibitum non fuiſſe, ægro autem, cum non eſt ieiunus, interdictum eſſe, pluries quàm ſemel, communicare pro viatico. Minor eſt falſa, quia in Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 13. abſque limitatione, *caſus infirmitatis aut alterius neceſſitatis, à iure, aut Eccleſia conceſſus, vel admiſſus*, excipitur à præcepto ieiunij præmittendi, non limitando ad vnam, aut plures communiones, quare cum amplificanda ſint beneficia, non debet iſtud ad vnicã tantum cõmunionẽ reſtringi.

Dubium 2. *An communio data pro viatico debeat ei, qui à die quo eſt factus ægere, ex deuotione ſæpe communicauit.*

Dico primò. *Id non eſſe neceſſe.* Quia quantum eſt ſatis, æger communicando, vt dicitur, ex deuotione, ſatisfecit officio, Denique & Eccleſiæ præcepto, de communione ſumenda, quoad ſubſtantiam.

Quin imo, tradunt Caiet. verbo communio. Armil. eodem num. 4. Sa verb. Euchar. eum non peccare mortaliter, qui ſub vitæ finem non com-

municat, ſine contemptu tamen & ſcandalo, quia id in Paſchate, vt legem impleret Eccleſiæ, fecit quanta maxima religione potuit.

Dico 2. *In ægri poteſtate eſſe, communicare ſub vitæ finem pro viatico, hoc eſt, non ſeruato ieiunio, etſi à morbi principio, ſæpe ſit Chriſti corpore, ſanguineque refectus.* Patet ex praxi communi Eccleſiæ, quæ neminem ab hac religione tùm prohibet, habetque benè moratarum Religionum vſus firmatus conſuetudine, quæ memoriam omnem ſuperat, vt ægros, ſi quos habent, communicare ſeptimanis ſingulis ſinant, aut etiam ſæpius, tùm demùm illis non ieiunis, cùm in mortem imminent, daturæ viaticum, qua de re qui illis ſcrupulum moueret, aut illas culpæ in eo reprehenderet, hactenus nemo extitit: ſumpta ergo ex deuotione Communio, non impedit, quo minùs perſeuerante eodem morbo, recipi poſſit pro viatico.

Dubium 3. *Quantum intercedere temporis ſit neceſſe, vt intra eandem infirmitatem, poſſit iterum dari Communio non ieiuno.*

De eo, vnus idemque Doctorum, non eſt ſenſus, Villalob. in ſumm. 1. par. tract. 7. dub. 38. iteratò Euchariſtiam dandam eſſe negat infirmo non ieiuno, niſi poſt dies 30. à prima communione exactos. Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 80. art. 8. Suar. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. Henriq. lib. 8. cap. 5. Fagundez de præcept. trac. 3. lib. 3. cap. 5. num. 10. Diana, tract. 14. de celebr. Miſſar. reſol. 77. de Lugo de ſacr. Euchar. diſp. 15. ſect. 4. num. 65. non plures dies exigunt quàm 8. aut decem.

Armilla verbo communicare, num. 18. Tabiena eod. num. 48. Zambran. in deciſion. caſuum conſc. tempore mortis cap. 3. dub. 5. Poſſeuin. de offic. Curati cap. 8. num. 21. exiſtimat ſex dierum interuallum, iuſtum eſſe ſpatium, ad iterum communicandum in morbo periculoſo abſque ieiunio.

Fieri id poſſe die à communione tertia dixit Ludouic. de S. Ioanne in ſum. tom. 1. q. 7. art. 10. diffic. 4. de Sacram Euchar.

Omnium optimè ſentire eos exiſtimo, qui cenſent ob iuſtam cauſam ægroto Euchariſtiam dandam eſſe in viaticum, luce ſequenti, quàm eam acceperit. Ita Paulus Layman. in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 2. his verbis: *Quinimo exiſtimo ob iuſtam cauſam, puta ſi aliquis aſſuetus frequenter communicare, aut ſacrificare propter deuotionem, ac deſiderium, difficilè abſtineat, permitti ipſi poſſe, vt alterò die S. Euchariſt. è manu Sacerdotis accipiat, non ieiunus, dummodò mortis periculum inſtare videatur. Adde ſecundò, quòd ob eandem cauſam mortis probabiliſſimè imminentis, Sacerdos ſacrificare poſſit non ieiunus, ſi aliunde ſacram Euchar. habere nequeat*, ſicut docet Zambran. cap. 3. dub. 6. num. 1.

Dub. 4. *An puritas cum qua accedendum eſt ad Euchariſtiam priuationem venialium exigat.*

Optandum quidem eſſet, vt ad ſacram Euchariſtiam animum afferremus, non modò à culpa mortali vacuum, ſed & à venialibus: curis enim ſuperfluis, ac de vita, aut ſtudiis, tunc implicari, fas non eſſe, dixerunt Bern. in ſerm 27. in Cantica, & Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Corinth. his verbis: *Non hominis regium puerum, ſed vnigenitum Dei Filium accipis, & non horreſcis, & omnium rerum ſecularium curam abiicis?* Multo ergo minus paterentur hi Patres cum venalibus, ad eum aliquem arrepere, ac proinde minus reuerenter ac religiosè. Calceos deponere iubetur Moſes, vt diuinis dignus eſſet obtutibus: τὸ γὰρ ὕποδημα τῶν παχυτέρων καὶ γεωδεστέρων ἐστὶ τῶν περὶ τὰ ἐπίγεια πραγματευομένων ἄγαν. Damaſc. de Sabb. ſancto: ibi enim, vt verba ipſa indicant, Euchariſtiam ſuſcepturo de rebus terrenis curas omnes abiiciendas ait, idque calceorum detractione Dei iuſſu facta ſignificari innuit.

Nihilominus dicendum eſt, peccatis venialibus, dignam huius Sacramenti ſumptionem, eiuſque effectum non impediri. Ita S. Thom. q. 79. art. 8. Et probatur. Sacramentum effectum ſuum confert ex opere operato ſuſcipienti, quãdo non ponit obicem. Sed effectus Sacramenti Euchariſtiæ, eſt gratiæ habitualis augmentum, & remiſſio venialium, quibus non obeſt venialis vlla culpa, vtpote quæ ſtare poſſit cum ſanctificante gratia, & cum remiſſione aliorum venialium: ergo non ſunt hæc peccata de genere eorum, quæ excludunt munditiem ad hoc Sacramentum neceſſariam.

Negari tamen non debet, quin is noui venialis, id eſt irreuerentiæ, ac ſacrilegij ſit reus, qui cum peccato veniali actuali, aut eius propoſito & affectu communicat. Ratio eſt, quòd ſit contra huius Sacramenti reuerentiam, illud ſuſcipere, cum re, quæ eius fini, & inſtitutioni eſt aduerſa. Facit id verò, qui actu venialibus afficitur, aut eorum aliquod admittit, inter ſumptionem Euchariſtiæ. Enimuerò, Sacramenti huius finis, effectuſque ſecundarius, eſt animam cæleſti quadam ac ſacra voluptate complere per modum cibi: At venialia hunc effectum impediunt, hoc ipſo quòd actualem charitatis feruorem & deuotionem minuunt, ergo, &c.

Dub. 5. *An præceptum de præmittenda Confeſſione ſacræ Euchariſtiæ, ſit humanum.*

Conſcientiam purgandam eſſe per confeſſionem peccatorum maximè mortalium, priùs quàm accumbatur ſacræ Menſæ, dixere è Patribus Auguſtin. ep. 118. cap. 3. Author lib. de dogm. Eccl. apud eund. Aug. to. 3. cap. 53. Cyp. lib. 3. ep. 14. S. Leo ep. 91. cap. 2. *Mediator*, inquit, *Dei & hominum, hanc præpoſitis Eccleſiæ dedit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad cõmunionem Sacramentorum, ad ianuam reconciliationis admitterent.*

Qua autem lege teneantur, qui peccati mortalis ſibi ſunt conſcij, illud confeſſione eluere, antequam communicent, vnus idemque omnium, non eſt. ſenſus.

Humanam eſſe credidere Nauar. de pœnit. diſt. 5. in 3. par. Gloſſæ. Ioann. Medina, cod. de Confeſſ. q. 17.

Diuinam eſſe voluerunt reliqui, Suar. Vaſq. Ægid. quibus ne aſſentiar facit Concilij authoritas, vbi cùm de munditie animi ad hoc Sacramentum neceſſaria diſputans, habet, eam cordi eſſe oportere fidelibus, ideò maximè, quòd illa verba, plena formidinis apud Apoſtolum legamus. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Quare communicare volenti, reuocandum eſt in memoriam eius præceptum, Probet autem ſeipſum, &c. Eccleſiaſtica autem conſuetudo, declarat eam probationem neceſſariam eſſe.* Hinc enim argumentari ſic libet.

Quæ ab homine, vim ſuam habent ac originem, iuris ſunt humani, non diuini: at quod Euchariſtiæ præmitti confeſſio debeat, præceptum eſt Apoſtoli, ſecundùm Concilium, vt hæc eius verba, citato loco indicant. *Reuocandum eſt in memoriam eius præceptum*: cuius? Apoſtoli ſcilicet, non Chriſti. Exiſtimant ergo Concilium, non diuina, ſed

humana lege, Confessionem communi præmit- A
tendam esse.

2. Quòd probatio, ab eo adhiberi debeat, qui est communicaturus, consuetudinis est Ecclesiasticæ, vt habet Concil. At quæ in mores irrepsere hominum, consuetudine quæ sit vsu aliquanti temporis, firmata, humanam vim habent, non diuinam: ergo quòd Confessio, Eucharistiam præcedere debeat, iuris est humani, non diuini.

Obiicies 1. Obligantur hoc præcepto fideles, qui vbique terrarum positi Deo cultus causâ supplices accidunt, at fidem omnem superat, potuisse Paulum, legibus suis, quantum est vbique hominum stringere, non est ergo hoc præceptum humanum, ac Apostolicum, sed diuinum.

Minor est falsa, tam enim late, legislatiua Apo- B
stoli potestas patuit dum viueret, quàm directiua, vt loquuntur: ergo cùm Paulus pro Apostolica authoritate qua erat præditus, diuini verbi sementem in singulis prouinciis facere, reos absoluere nocentes excommunicatione multatæ, baptizare infideles posset, iis etiam ordinem præscribere potuit, ac legem condere, quæ pertineret ad omnes, excluso nemine.

Obiicies 2. *Esse contra legem Euangelij.* Vt Cyprian. loquitur epist. 11. *ante actam pœnitentiam, ante exomologesim grauissimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo, & clero in pœnitentiam impositam, offerre lapsis pacem*, & Eucharistiam dare: ergo cùm quæ sunt cõtra scripturæ legem, ac obseruationẽ à Deo datam, iuri diuino repugnent, non confiteri, ante sumptam Eucharistiam, peccatum erit, non humanæ legi, sed diuinæ contrarium. C

Respondendum est ad Anteced. in eo Cyprian. loqui, de excommunicatis, cum quibus rem, negotiaque habere fideles prohibentur lege Dei, & canonum, Dei Math. 18. vbi pro ethnicis & publicanis haberi iubentur, qui Ecclesiam non audiunt, Canonum autem, in Aruern. vt refert Ino Carnot. in epist. 130. vetatque Calixtus Papa 1. in Epist. 2. decretali ad Episcopos Galliarum *excommunicatos à sacerdotibus, ab aliquo recipi, ante vtriusque partis iustam examinationem, & ne cum eis, in oratione, cibo, aut potu, aut osculo quis communices, nec ave eis dicat, seuere mandat.* Quare cùm lapsi de quibus ibi agit Cypr. excommunicati censerentur in foro externo, propter externam negationem fidei, iusta fuit ei causa affirmandi, esse contra le- D
gem Euangelij, eos ad pacis osculum, colloquiaque admittere, multo magis ad Eucharistiam ante absolutionem, eis ab Episcopis indultam.

Vt vt sit sanè de præcepti huius qualitate, ac natura, constat, non nisi à mortali labe, expiato animo, accedendum esse ad sacrum epulum Hieronym. epist. 28. ad Lucinium, *Eucharistiam absque condemnatione vestri, & pungente conscientia accipite.* Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 16. explanans quæ à sacro Euangelista scribuntur ca. 6. nempe ad quinque hominum millia postquam Christi imperio discubuissent, eiusdem munifica manu plenissimè pastos esse. *De viris*, inquit, *mentionem fecit* E
ænigmatice monens, omnibus qui viriliter probitatem ac fidem amplectuntur, non imbecillibus ac mollibus, cœlestem à salvatore cibum præberi. Ἀφ' ὧν τῆς βασιλείας τὸ δεῖπνον, μόνοις ἁγνοῖς, τῇ παρθένῳ δεῖπνον ἑτοιμάζεται. Damasc. de Sabbato sancto, *impius ad Deum liber non est aditus*, sed sanctis, sed Innocentibus, sed ab omni mundis macula, vt merito sint culpandi qui affecti aliter, Deo se in Sacramento sine ore offerunt, vt ante ex Bernardo ostendimus.

QVÆSTIO XXIII.

An & quando liceat Eucharistiam, Confessione non præmissa recipere.

LIcere colligitur ex Trident. sess. 13. cap. 7. vbi habetur, his verbis: *A christianis omnibus etiam ab iis sacerdotibus, quibus animarum cura incubuerit, & ex officio celebrare, hæc sancta synodus perpetuo seruandum esse decreuit, modo non desit illis copia Confessoris, quod si vrgente necessitate, sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur.*

Licet ergo nonnunquam ad Eucharistiam accedere, sine præuia Confessione. Quo verò tempore? 1. cum Confessarius non est ad manum. 2. cum est necessitas communicandi. Tunc autem censetur deesse Confessarius, quando qui adest, non est ad confessionem audiendam idoneus, puta quia est mutus, quia surdus, quia ab eo charitatis opere exhibendo alienus, quia est excommunicatus, aut iurisdictione ad absolutionem impertiendam postulanti destitutus, si ad absentem, spectatis circunstantiis personæ, itineris, &c. facilis non est accessus. Si præsenti, explicare peccata sua pœnitens nequeat, sine interprete, aut periculo grauis iacturæ, vt est reuelatio culpæ auditæ, malum aliquod, à Confessario inferendum, & illud graue.

Circa quæ, petitur 1. quæ, & qualis sit hæc necessitas, quæ ab instituenda confessione ante communionem, excuset. 2. quanta esse locorum distantia debeat, vt censeatur non esse Confessarij copia.

Ad primum respondetur, necessitatem, quæ facit ad præsens negotium, reuocari ad duo capita, primum est, instantis mortis, alterum infamiæ, aut detrimenti cuiuspiam, subeundi ab eo qui tum, non communicauerit. Sanè vt ei, Eucharistia non est neganda, qui loqui non potest, quia ex attrito fiet eius ope, ac beneficio contritus, proindeque Deo charus, ita nec ratio suadet vlla, ab ea excludi debere, qui male audiet, nisi cùm communicet, aut in fortunis noxam capiet, nisi cum aliis, sacræ mensæ assederit. Ratio est, quod cùm duo præcepta concurrunt, quæ ab eodem simul, obseruari eodem tempore nequeant, maius, & strictius, præponendum est alteri. Sed eiusmodi est præceptum de vitanda in famia: nam est naturale, alterum de confessione ab eo Eucharistiæ præmittenda, qui sibi dedecus aliquod metuit, positiuum tantum ac humanum, ergo, &c.

Infertur ex dictis 1. laico, qui peccati mortalis meminit cum sacræ mensæ, vtroque nixus genu adest, non necessariò inde confessionis faciendæ causa recedendũ esse, si periculum metuit contrahendæ infamiæ, si notæ alicuius apud præsentes, nam cùm hic eo loco, audiri à Confessario nequeat, nec sine suspicione leuitatis, aut grauis alicuius, admissi facinoris eum adire, sufficit sitùm sibi consulat, vero dolore, qui sit contritio.

Infertur 2. Sacerdoti licitum simul et esse absque confessione celebrare, cum in die festo Missa dicenda est populo: non licere vero si nõtæ periculum non subest, aut ei tùm non incumbat, vt Parocho aut eius Vicario sacrum facere, docent Suar. disp. 66. sect. 4. de Lugo disp. 14. sect. 5. nam ex

Digitized by Google

officio prouidere debet ſubditis de Miſſa, multorum eſt opinio, eaque probabilis, poſſe eum ac debere, etſi periculum nullum ſit infamiæ, ſacra ſine confeſſione operari: eſt etiã ea opinio veriſimilis, quæ cuilibet Sacerdoti ſimplici tũ permittit ſacrum facere, ſi aliud non ſuppetat, cui interſit populus. Ita Diana cum multis aliis quos refert tract. 14. de celebrat. Miſſarum, reſol. 63. qui addit reſolut. 43. poſſe etiam id facere, vt alij Miſſam audiant in die feſto, alioquin non audituri.

Ad alteram difficultatem, de diſtantia, quod ſpectat, dici debet, de ea vix ſtatui certi quidquam poſſe. Quod enim vni breue eſt iter, alteri eſt longum: itaque reperire eſt pleroſque, quibus multo eſt facilius, leucas plures, pedibus conficere, quam vni vel breuiſſimum milliare: illis ergo, quibus eſt ob vires corporis, facilis & expedita ambulandi ratio, author ſum, vt expiandæ conſcientiæ cauſa, non parcant itineri vnius milliaris, & medij, maximè ſi eſt via patens, ac plana, ſi cœlum ſerenum, ſi iam aliquoties, cum conſcientia culpæ mortalis rem diuinam fecerunt: Nam etſi authore Corduba, lib. 1. q. 16. ante finem: *Non teneatur Sacerdos quotidie ire, ad quærendum Confeſſorem, & ita poſſit ſine cõfeſſione, vno aut forte duobus diebus, maximè diebus feſtis, non tamen pluribus celebrare debet.* In ſumma, habenda eſt ratio circunſtantiarum, perſonæ, loci, temporis, difficultatis, de quibus cùm æſtimare ſit prudentis, rem vniuerſam, eius arbitrio committendam cenſeo.

QVÆSTIO XXIV.

An Euchariſtia peccatori publico ſit adminiſtranda.

DIco 1. *Peccatori publico, ſeu notorio, notitia iuris & facti, tam publicè, quàm occultè denegãda eſt Euchariſtia.* Ita Cyp. lib. 1. ep. 7. Chryſoſt. hom. 33. in Matth. vbi Diaconum alloquens hæc habet: *Si Dux quiſpiam, ſi diademate ornatus, indignè adeat, cohibe, & coerce, maiorem tu illo poteſtatem habes.*

Ratio eſt, quòd vt habet Ludou. de Beia, Reſponſion. parte 3. caſu 14. peccator publicus ius non habeat petendæ Euchariſtiæ: neque re ipſa, neque externa ſpecie, & ex altera parte, ad Sacerdotis officium pertinet non dare ſanctum canibus.

Peccatorem autem, publicum tùm eſſe Doctores aiunt, cùm crimen publicè, eſt confeſſus, aut de eo per iudicis ſententiam eſt damnatus, quod eſt, eſſe notorium, notitia iuris, quòd ſi crimen admiſerit in platea, ſi loco patenti ac publico, ſi ſpectantibus tam multis, vt nulla tergiuerſatione negari poſſit: tùm dicetur notum eſſe, notitia facti, & vtroque modo crimen cùm eſt cognitum, eius authorem à communione prohibet tam priuata, quàm publica.

Dico 2. *Si peccatum eſt occultum, & ſoli Sacerdoti cognitum, eius authori Euchariſtiam publicè indulgendam eſſe.* Primò, quia ius habet petendi Sacramenti in publico, cùm cauſa ſit nulla timendi exinde ſcandali. Secundò, quia cùm crimen non pateat, vnique tantùm Sacerdoti ſit notum, ei obiici non poteſt à Sacerdote ſine infamia, à qua ei eſt abſtinendum, ne peccet.

Dico 3. *Mortale eſſe Euchariſtiam ei concedere priuatim, qui ſcitur à Sacerdote, peccati reus eſſe.*

Ratio eſt, quòd in occulto, vbi non timetur infamia, ius diuinum vim ſuam obtineat, *ne ſanctum detur canibus*, tunc enim non concurrit aliud, cui diuinum cedere oporteat. Si tamen Presbytero non conſtaret de crimine, cuius cauſa reo neganda eſt communio, niſi per confeſſionem recens auditam, exiſtimant hi authores, Palud. diſt. 9. quæſt. 4. Henriq. lib. 8. cap. 59. concedendam ei tum eſſe, quia ad id duplex eſt obligatio, vna iuris diuini poſitiui, de ſeruando ſigillo, altera iuris naturalis de non exprobrando alteri ſuo peccato, cùm ſit tantùm vnica, de non porrigenda Euchariſtia peccatori, fundata in eo quòd ſancta non ſint obiicienda canibus, ergo cùm iura duo vni præualeant, ne detur occaſio vlli querendi, tã confeſſioni, quã ſibi fieri iniuriam, replicatione culpæ in ea auditæ, cõfeſſo non tamen emendato, dari debet communio, etſi ſit eius vita, digna contemptu, ac odio, ob peccata, quibus ſcatet, ſoli Presbytero, à quo Euchariſtiam poſtulat, nota. In quo magna eſt differentia inter hunc hominem, qui communiter non habetur à populo malus, & peccator, & alium qui publicè eſt talis, quod priori, à Parocho cui ex officio incumbit adminiſtrare Sacramentum, peccatum occultum obiici nequeat, ſecundùm Ludou. de Beia Reſponſ. parte 3. caſu 14. qui pro ea ſententia citat D. Thomam, quodl. 1. art. 2. Nau. in c. ſi Sacerdos de pœnit. diſt. 6. num. 84. alteri autem, id eſt, peccatori publico, opponi poſſit, non vt auditum in confeſſione, ſed vt publicè necdum emendatum: modus autem eſſe talis poſſet. Non licet tibi Euchariſtiam petere, nec mihi concedere, quia necdum te culpæ nuper admiſſæ pœnitet, aut ſi doles, non apparet, nec ex vultu, nec ex lachrymis, operumque retractatione, quibus Deum læſiſti ac proximum.

QVÆSTIO XXV.

Quinam ſint peccatores publici, quibus denegãda ſit Communio.

INfideles in primis, ac hæretici omnes. Primò, quia cùm ad eam non veniãt inſtructi fide, illam iis offerre, quid eſt aliud, quàm iiſdem peccandi anſam dare, aut peccantibus operam ſuam commodare? quod eſt malũ: *Cùm enim ſecundùm Apoſtolum ſatis ſit ad damnationẽ peccatis alienis conſentire, cur non magis ſufficiet, eadem fouere & defendere.* Iuo Carnot. ep. 8.

Secundò, cùm creare inſonti ſcandalum turpe ſit ac vitioſum, ab eo abſtinendum eſt ſingulis, ne ad eos pars maledicti Euangelici pertineat: *Væ homini per quem ſcandalum venit.* At quis Catholicorum paulò religioſior æquo ferat animo, Deum in Euchariſtia hæreticis ad ludibrium porrigi?

Tertiò, inter publicos peccatores ponendi ſunt vſurarij publici, quos in Concilio generali Lugduni habito, communi decreto Patrum, qui ei intererant, placuit ad confeſſionem non admitti, vſuris non ſolutis, aut de iis redhibendis cautione non præſtita. Cũ ergo ad cõmunionem recipi non debeant niſi confeſſi, iſtoque beneficio vſurarij manifeſti ſint indigni, indigni quoque erunt omnium maximo, quod eſt corporis ac ſanguinis Domini communio.

Quartò, Hiſtriones, & Magi à Sacra menſa

ſunt remouendi. Cyp. teſte ep. 10. *Pro dilectione tua*, inquit, *conſulendum me exiſtimaſti, quid mihi videatur de Hiſtrionibus, & Mago illo, qui apud vos conſtitutus adhuc in artis ſuæ dedecore perſeuerat, an talibus ſacra communio cum cæteris Chriſtianis debeat dari? Puto nec Maieſtati diuinæ, nec Euangelicæ diſciplinæ congruere, vt pudor, & honor Eccleſiæ, tam turpi, & infami contagione fœdetur.* Hæ ille.

Quintò reponendi ſunt inter manifeſtos peccatores, concubinarij, meretrices, rerum alienarum notorij detentores, aut in odiis, ac diſſenſionibus, plenis ſcandali perſeuerantes, de his enim ac ſimilibus, à communione prohibendis, ſic ſcribit Chryſoſt. hom. 83. in Matt. *Non parua vobis imminet vltio, ſi quenquam vllius culpæ conſcium, huius menſæ participem eſſe conceditis, ſanguis eius, de manibus veſtris exquiretur, ſiue quis dux militiæ ſit, ſiue Præfectus, ſiue Princeps diademate coronatus indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo poteſtatem habes.*

QVÆSTIO XXVI.

An non tantùm peccatoribus, ſed etiam de crimine ſuſpectis deneganda ſit Euchariſtia.

QVæſtionis ſenſus duplex, primus an ſuſpecto de crimine, id eſt, ei qui in ſuſpicionem eius vocatur (hoc tantùm) communio præberi debeat, an negari. Alter, an ſit danda, ad purgationem culpæ, & oſtenſionem innocentiæ, vtrique ſatisfaciendum eſt in præſenti, & primò quidem, primo loco poſitæ.

Dico ergo, *arceri à ſacra menſa, ſine culpa non poſſe, qui de crimine non ſunt conuicti, ſed ſuſpecti tantùm.* Ratio eſt quòd quilibet, hoc ipſo quòd eſt Chriſtianus, ius ad ſacram menſam habeat, quo priuari honeſtè, ac iuſtè, non poteſt niſi ex cauſa manifeſta. Præterea cùm quis famam, ac opinionem ſibi viri boni, præclaris ſuis factis parauerit, de eius poſſeſſione deiici, ac deturbari non debet ſine culpa aliqua ſua: at ſuſpicio, opinioque criminis admiſſi, crimen non eſt, alioqui pauci, aut nulli, in communi vita forent innoxij, cùm vix vnus è mille, improbitatis ſuſpicionem, ac notam, euadat in ſæculo.

Deinde, vt quis ob delictum, coram & publicè, tanquam eius aut alterius cuiuſpiam reus, priuetur Euchariſtia, debet hoc eius delictū eſſe notorium titia facti aut iuris, id eſt per confeſſionem, ſententiam, aut talem rei euidentiam, vt nulla poſſit tergiuerſatione cælari, quæ non cadunt in eum, qui tantùm ſuſpicione, & non facti laborat infamiâ.

Tertiò, fieri poteſt, vt qui ante vocabatur in inuidiam facti alicuius, illud lachrymis, ac confeſſione diluerit, cuius famæ proinde noceretur non parum, ſi ob argumenta leuia, aut coniecturas etiam graues, de eo commiſſo, repelleretur à ſacra menſa, cum enim eſſe hæ falſæ poſſint, cum mendaces, ac vanæ, non niſi temerè, ac imprudenter, ob eas notari poteſt, ac damnari de crimine & propter illud priuari cœleſti pane. Eum ergo pro munere ſuo Parochus, tanquam diſpenſator publicus, qui non ex opinione priuata, ſed ſecundum publicam ſcientiam, debet ſe in hoc miniſterio gerere, ſacra Euchariſtia impertiet, cùm poſtulabit, & hæc de prima quæſt. parte dicta ſunto.

Ad alterius intelligentiam via præmunienda eſt duabus animaduerſionibus Prior eſt, antiquos olim ſolitos, comprobare innocentiam ſuam Monomachia, ferri candentis, aquæ calidæ, vel frigentis attactū.

Meminit Monomachiæ Iuo epiſt. 74. ad Guillelm. nobilem & 283. ad Leiſiardum Sueſſionenſ. Epiſcop. eamque à Nicolao Papa damnatam eſſe in cauſa Tribergæ, & Lotharij narrant hiſtoriæ. Enimuero cùm hic propter ſuſpiciones violatæ ab ea fidei coniugalis exigeret, qui eius nomine ſecū ad ſingulare certamen deſcēderet eius audaciā, his verbis coercendam Nicol. putauit. *Monomachiā in legem non aſſumimus, quam præceptam fuiſſe non reperimus, cum hæc, & huiuſmodi ſectantes, Dominum ſolummodo tentare videantur.*

De purgatione per feruentem aquam, aut ferrum, agitur in can. conſuluiſti cauſa 2. q. 4. & tit. de purgation. canon. cap. vlt. in lege Salica tit. 76. de antruſione, vbi ænei calefacti fit mentio, ab Amoino lib. 5. cap. 34. Iuone Carnot. epiſt. 74. 91. & 283. & in Concil. Tribur. can. 22.

Conſecrari autem hæc duo erat neceſſe, antequam adhiberentur ad fidem faciendam innocentiæ eius, cuius probitas anceps, dubiaque erat, Auentinus lib. 4. hiſt. Boiorum, qui & conſecrationis formam, cauſamque recitat, nempe vt contactu aquæ, vel ferri, declarare Deus vellet palam & in omnium qui aderant oculis, nocens an innocens eſſet, qui ad ea manum promebat, benedictionis hæc erat forma. *Exorcizo te creatura aquæ, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt ſi hic homo, manum in te miſſurus, eſt innocens, vnde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum, & ſi, quod abſit, culpabilis eſt, & præſumptuosè in te manum mittere auſus fuerit, eiuſdem omnipotentis virtus ſuper eum hoc declarare dignetur, vt omnis homo timeat & contremiſcat nomen ſanctum gloriæ Domini Dei noſtri.* Hæc de aqua, & ferro, erat & aliud in vſu iudicium, *per crucem* ſcilicet, de quo lege 26. & 33. Longobard. qualiter ſe quis defendere debeat, & *per corpus & ſanguinem Chriſti*, cuius Sigibert. in chronico meminit, & Theodorus Balſamo ad can. 61. ſynodi ſextæ in Trullo, & Baron. ad ann. 868. quo tempore iuſſus eſt ab Adriano II. Lotharius per Chriſti corpus & ſanguinem iurare, ſibi nec tùm eſſe, nec poſtmodum commercium vllum fore cum Valrada pellice: de quo nos poſtea.

Et quanquam quibuſdam viſa ſint olim hæc ferri, & aquæ feruentium, iudicia licita, propiora mihi tamen vero ſentire ſemper ſunt viſi, qui ea reprobanda, malaque putant. Pars prima fidem habet ab authoritate tam Concil. Triburienſis, quàm Iuonis, & Euſebij: & vt à Concilio fiat exordium in eius 22. can. hæc leguntur: *Qui infamia laborat, permittitur vt per ignem candentis ferro purget.* Iuo, nis autem ad Gilbertum Pariſienſ. Archidiacon. eſt hæc oratio in ep. 251. *Si tamen teſtes in aliis ſunt honeſti, & ex eorum accuſatione fama crebreſcit, & fœdus rumor infirmorum conſcientias percutit, cogenda eſt mulier, vt ad arbitrium præſidentium, de obiecto crimine, probatarum perſonarum teſtimonio ſe expurget, vel ſi id facere non poterit, candentis ferri examinatione, innocentiam ſuam comprobet, ſi hæc cauſa apud me tractaretur ita eam ventilari vellem.*

Paria cum eo ſenſit, ſcripſitque Eugenius: Nam cùm incidiſſet quæſtio de modo iudicij exercendi, quo Epiſcopi, & Comites vterentur in imperio, eum improbaſſe non legitur, qui per ignem & aquam fieret, quod eſt argumentum, licitum ei tùm ac honeſtum viſum eſſe.

Digitized by Google

Pars tamen altera, quæ illum tanquam turpem, A
ac coniunctum cum aperto ſcelere aſſerit, ſequenda eſt, vt verior.

Dico ergo, *examinationem ferri candentis, aut aquæ, è moribus Chriſtianorum, vtáque exterminandam eſſe.* Primò, quia talis examinatio, certa eſt, ac indubitata in Deum tentatio, *eo quòd*, vt ſcribit Iuo ep. 254. *poſtpoſito ordine iudiciario, requiritur per examinationem candentis ferri, vel aquæ diuinum teſtimonium*, vide Stephanus Papa Leuberto Moguntino Epiſcopo, *Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confeſſionem extorqueri à quoquam, ſacri non cenſent canones, & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum.*

Secundò, talis probatio eſt incerta, plena pe- B
riculi ac fallax, *cùm occulto Dei iudicio multos videamus nocentes liberatos, multos ſæpe innocentes damnatos.* Iuo ep. 74. quare eſt ab Alexandro Papa prohibita, vt ex Iuone ep. 91. refert Gratian. can. ſuper, diſt. 4. eique cum *probatarum perſonarum teſtimonium deeſt, ſubſtituenda eſt diuinæ Maieſtatis atteſtatio* dicente Apoſt. *Omnis controuerſiæ eorum finis, eſt iuramentum.*

Dico 2. *Etſi olim in more, vſuque Eccleſiæ foret, dare Euchariſtiam, vt Deus inuſitato ſigno oſtenderet, veráne an falſa narraret, nocens eſſet an innocens, qui communicabat, ab eo tamen modo abſtinendum eſſe.* Pars ſecunda probationem habet facilem: eſt enim diuinæ tentationis quædam ſpecies, per contactum ſacri panis, ac calicis vſum, de oc- C
cultis, quæ relinquenda ſunt Dei iudicio, doceri velle.

Altera aſſertores habet Sigibertum in Chronico, Theodor. Balſam. ad can. 6. Synodi 6. in Trullo, ibi enim commemorat, Sacerdotem quendam ſuo tempore accuſatum, conuictum, atque depoſitum quod Feria 5. Paraſceues, ſanctũ panem viris iuxta ac mulieribus promiſcuè obtuliſſet, vt eius beneficio noſſe poſſet ad quem pertineret culpa furti, recens facti, quantumque arbitrari fas eſt homini ex iſtius forma iudicij, per Chriſti corpus & ſanguinem, ſcripta à S. Eugenio, mandato Ludouici Imperatoris, conſtat Sacerdotem dicere ſolitum, cùm iudicandos communicabat: *Corpus hoc & Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſit tibi ad probationem hodie.* D

Dico 3. *Dari poſſe Euchariſtiam, iuramenti firmandi causâ, ad oſtenſionem innocentiæ, fidemque veritatis, quæ putatur ambigua, anceps, & incerta.* Patet ex facto Adriani II. de quo Baronius, & alij Hiſtorici, ad ann. Chriſti 868. ad eum enim cùm veniſſet Lotharius, eique ſciſcitanti, an Valradam pellicem, & adulteram ſuam abieciſſet, vt cum iuramento facturum ſe Nicolao Pont. paulò antè ſpoponderat, dixiſſetque, fideliter, præſtitiſſe ſe omnia, adiecit illicò Pontifex. *Si verbis tuis veritas ſuffragatur, reſtat fili, vt ad confeſſionem S. Petri accedas, ibi hoſtiam ſalutarem pro tua incolumitate immolabimus, ex qua nobiſcum oportet te participare, vt per hanc membris Chriſti, vnde abſciſſus videbaris, merearis incorporari.* Finitis ergo Miſſæ ſolennib. accepto in manibus Domini corpore, eũ denuò ſic alloquutus eſt. *Si innoxium te agnoſcis, ab adulterij ſcelere, & fixa mente hoc ſtatuum habes, Valdradæ pellicis tuæ, à te repudiatæ, nunquam nefario concubitu miſceri, accede fiducialiter, & ſacramentum ſalutis æternæ, ad remiſſionem peccatorum tuorum ſuſcipe. ſin autem conſcientia accuſat, & lethalis vulnere ſauciatum proclamat, aut ſi iterum mente diſponis in mœchiæ voluptabrum redire, accedere non præſumas, ne tibi cedat in iudicium, quod ad remedium fidelibus diuina prouidentia præparauit.* Hæc ille. E

Verùm, enim eſt hæc conſuetudo, ob pericula periurij, magna & ferè perpetua è finibus Eccleſiæ, ac Chriſtianorum moribus eliminata, nec proinde à quoquam vſurpanda hoc tempore: conſuli poteſt Laym. l. 5. tract. 4. cap. 6. num. 9. Gabr. in 4. diſt. 1. q. 2. art. 3. dub. 5.

DE SVSCIPIENTIBVS Euchariſtiam.

QVÆSTIO I.

A quibus recipi debeat.

Aſſertio prima. *Non ſolùm eſt conſilium de ſumendo Sacramento Euchariſtiæ, ſed præceptum.* Probatur, ex his Chriſti verbis, *Accipite & comedite, & in mei commemorationem facite:* His enim verbis, Apoſtoli non ſolùm Sacerdotes noui Teſtamenti ſunt conſtituti, iiſque ac eorum ſucceſſoribus mandatum eſt, vt Chriſtum Deo Patri offerrent in ſacrificium, ſed etiam fidelibus, vt illum in cibum ſumerent: quare Trident. ea verba explanans ſeſſ. 13. cap. 2. ſic loquitur: *Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris, velut effudit, memoriam ſuorum mirabilium faciens, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam Spirituales cibum, quo alantur, & confortentur viuentes, vita illius qui dixit, Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Colligunt hinc Doctores, præceptum communicandi, iuris eſſe diuini, proindeque obligare independenter à voluntate Eccleſiæ: iam ergo inquirendum, quos maximè, & qua ætate, ad implectionem ſui obliget.

Aſſertio 2. *Hoc præcepto ſumendæ Euchariſtiæ, obligantur etiam infideles.* Ita Suar. tom. 3. in 3. par. quæſt. 80. diſp. 69. ſect. 2. dub. 1. Ratio eſt, quòd verba Chriſti, imponentis præceptum, ſunt generalia, Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij*, &c. nec ad Apoſtolos ſolos reſtricta, vt patet ex contextu capitis citati, vbi Iudæi eum de multis interrogant, rogantibuſque vt ſibi panem daret de cœlo verum, ſubiecit: *Ego ſum panis vitæ*, & cætera quæ ad futuri Sacramenti œconomiam, inſtitutionem, & vſum ſpectant: quare cùm inter eos, infideles multi eſſent, qui tamen, Chriſti legem ſorentis, poteſtati ſuberant, quin ad eos quoque præceptum pertineat ſumendæ Euchariſtiæ, mihi non eſt dubium: itáque eos duplicis peccati reos eſſe ſub vitæ finem, narrat loco citato Suar. quorum peccatorum primum ſit, omiſſi Baptiſmi, alterum non ſuſcepti Sacramenti, contra præceptum Chriſti, *Niſi manducaueritis*, &c.

Contraria ſententia viſa eſt probabilis Thom. Sanch. tom. 1. ſummæ lib. 1. cap. 12. n. 15. Soto, in 4. diſt. 18. q. 1. art. concl. 1. ad eius fidem: vnam hanc rationem habent, quòd præcepta Sacramen-

torum, dempto Baptiſmo, vtpote nouæ legis propria, ſolos baptizatos obligent. Sed qua facilitate id ab iis ſine probatione aſſeritur, eadem à nobis negatur. A

Aſſertio 3. *Catechumeno Euchariſtia non eſt danda*: Quia eius, eſt ante Baptiſmum ſuſceptum incapax: nam eſt hic Sacramentorum ianua, quæ cùm ſint gratiæ inſtrumenta, bonaque Eccleſiæ propria, non videntur aliis communicanda, quàm qui ſunt eius membra, non tantùm per fidem & charitatem, vt Cathecumeni, ſed etiam per Baptiſmi ſuſceptionem.

Secundò, cùm Euchariſtia ex inſtitutione Chriſti, eiuſque voluntate *ſumatur tanquam ſpiritualis animarum cibus quo alantur & confortentur viuentes, vitaillius, qui dicit, Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Tridentinum ſeſſ. 13. c. 2. his duntaxat dari debet, qui ſunt nati: at Catechumeni Deo necdum ſunt per Baptiſmum geniti, de quo tamen Ioan. 3. dicitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, &c. Non ſunt hi ergo Euchariſtico donandi pane. B

Obiicies. At poſſunt Catechumeni in Epiſcopos eligi, ergo & Euchariſtia reſici. Antecedens eſt falſum, ſi de via communi, & ordinaria agitur: Scimus quidem Ambroſium, ex Catechumeno, diuino præſagio ad Epiſcopi dignitatem promotum eſſe, ſed vt ſcribit Nicol. Papa, *non id inſtinctu hominum ſed diuina vocatione, per miraculorum prodigia eſt factum.* Quare non debet ab hoc exemplo præiudicium fieri legi communi Canonum, qua vetatur, ne quis ad Epiſcoporum faſtigium aſpiret, niſi priùs per Eccleſiæ gradus omnes induſtriam ſuam ac virtutem probauerit. Itaque graui oratione Phocium reprehendit Papa Nicol. quod contra ſacrorum Canonum ordinem, Sacerdotium vſurpaſſet, cũque ſe facto Nectarij tueri vellet, audiit, vti iuſque cauſam eſſe diſſimilem: *Illum enim ſancta Synodus non ob aliud, ad Sacerdotalem dignitatem eligere, atque ordinare ex laicali ordine voluit, niſi quia magnæ neceſſitatis contritione anxiabatur, eò quòd in Conſtantinopolitana Eccleſia, nullus Clericorum inueniri poterat, qui peſſimæ hæreſeos nimboſa nube non eſſet impeditus, quod autem contra Patrum, & Canonicas inſtitutiones fieri per neceſſitatis euentus comprobatur, non in authoritate tenendum eſt.* Conc. Conſtantinopolit. generale 8. actione 4. C

Reſpondendum 1. negando conſequentiam, longè enim diſpar eſt communionis, & electionis ratio, illa ex inſtitutione Chriſti in qua nemo diſpenſare poteſt, dari poſtulat nato ac viuenti, quo de hominum genere non eſt Catechumenus.

Hæc autem, id eſt, electio, de eorum voluntate, ac conſenſu, quorum eſt eligere, eſſe poteſt de quolibet, etiam extraneo, ac extra cœtum, corpuſque eligentium poſito: communiter tamen, ac ſpectato iure Canonum, eligi ad dignitates Eccleſiæ nequeunt Catechumeni, ac Laici. Sanè cum Ioanne & Benedicto Cardinalibus, Romanæque Eccleſiæ Vicariis queritur. Iuo ep. 36. quòd poſtpoſita Canonum obedientia, Beluacenſes *Clericum quendam alearum ludo, & cæteris mundi lenociniis vacantem, procul à ſacris Ordinibus inuentum, pro voluntate Regis & contubernalis ſuæ, in Epiſcopum aſſumpſiſſent*, quod eſt indicio, Epiſcopalem miniſtrationem, canonicis legibus, committi nec poſſe, nec debere alteri, quàm qui probè, rebus Eccleſiaſticis informatus, in inferioribus Eccleſiæ miniſteriis, ac gradibus eſt verſatus. D E

QVÆSTIO II.

An Euchariſtiæ capaces ſint infantes.

DIco 1. *Euchariſtiam infantibus, ac perpetuò amentibus, neceſſariam non videri.* Tuetur ſe hæc Aſſertio primò, authoritate Trid. in ſeſſ. 21. cap. 4. & can. itidem 4. vbi hæc leguntur: *Si quis dixerit paruulis, antequam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit.*

Secundò, ratione. Eſt Euchariſtia ideò inſtituta in Eccleſia, vt eſſet nobis in cibum ſpiritualem, quo repararentur attritæ vires animæ, tam per motus internos concupiſcentiæ, quàm appetitiones mali Dæmonis, ac inſultus multiplices: At non ſunt in infantibus timenda hæc mala: *Siquidem per Baptiſmi lauacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Trid. ſeſſ. 21. cap. 4.

Deinde, in inſtituenda Euchariſtia, hoc Chriſto Seruatori propoſitum fuit ante cætera, vt eſſet malorum antidotum, contra peccata quotidiana pharmacum. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. *Medicamentum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens.* Cyp. de cœna Domini, num. 3. *Sic vt penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid eſſet intus ſibi durum effugaret, & renouaret, ſanaretque, quidquid morbi, carni vel Spiritui, veteris vitæ adhuſit corruptela.* Idem ib. num. 8. Sed infantes, quia rationis ſunt expertes, labi nequeunt, vt quid ſit honeſtum, quid turpe, quid appetendum, aut vitandum neſciunt, ita nec in alterutrum voluntate ferri poſſunt, quantum eſt ad laudem, aut vituperationem, culpam, aut virtutem, neceſſe.

Sit ita verò, dicat aliquis, Euchariſtiâ infantes carere poſſint ſine detrimento ſalutis, non ſit illis ad remedium concupiſcentiæ, victoriamque Sataniæ neceſſaria, at vtilis iiſdem erit, & ad incrementa gratiæ fructuoſa, pro ſolutione

Dico 2. *Euchariſtiam paruulis datam, prodeſſe illis ad augmentum gratiæ, receptæ per Baptiſmum.* Ita Suar. diſp. 62. ſect. 4. Vaſq. diſp. 212. cap. 2. & alij apud illos. Ratio eſt, quòd Euchariſtia, in benè præparatis animis, gratiam Sacramenti propriam producat ex opere operato: At infantes cum ea ætate, ob defectum rationis, peccare neſciant, benè ſunt, ad effectum Euchariſtiæ recipiendum diſpoſiti, ergo, &c.

At Sacramentum (inquiunt Aduerſarij) vt proſit, effectumque ſuum, ei cui datur, conferat, voluntatem, ac conſenſum poſtulat, & quidem proprium in adultis, alienũ autem, & Eccleſiæ, in paruulis: At pro his neutra voluntas facit, non propria, vt patet: nam vt hi naturã Sacramenti non norunt, eius effecta, conditiones, ac cætera quæ in recipiente exigit, vt ei poſſit eſſe vtile, ita nec velle poſſunt: deeſt ergo in paruulis, Baptiſm. recipiendi voluntas, eaque propria: deeſt & communis Eccleſiæ, quæ propriam recipientis ſuppleat, ſit argumento, quòd hæc cum Miniſtris non concurrat, vtpote quæ reſiſtit, ac prohibet ne iſtiuſmodi paruulis Euchariſt. præbeatur ad cibum.

Reſpondendum eſt, reperiri hîc quantum eſt ſatis, intentionem Eccleſiæ. Primò, quia Miniſtro, qui paruulo Sacramentum confert, eſt id ante omnia

omnia propoſitum, ei vt proſit, indeque hic aliquod ſpiritale commodum referat, acceptat ergo Miniſter Sacramentum paruuli nomine, vt illi commodum afferat: At hæc intentio, eſt illa ipſa quam habet Eccleſia, cùm velle non poſſit, vt Sacramenta non proſint recipientibus. A

Secundò, hoc ipſo, quòd Miniſter conſecrat hoſtiam, implicitè vult, & virtute, cauſare per eam, omnem eum effectum, quem ex deſtinatione Chriſti, apta eſt in eo producere, qui ad illam accedit ſine obice: at hæc Miniſtri intentio, eſt illa ipſa, quam in confectione Sacramentorum habet Eccleſia: falſum eſt ergo, paruulum ſine eiuſdem voluntate Euchariſtiam recepturum.

Reſpondendum 1. cum diſtinctione: Nam nomine Eccleſiæ intelligitur ipſum totum corpus, cui hoc nomen competit, aut eius caput, vel perſona aliqua, quæ ſit membrum eius. Si primum, neganda eſt Maior: nam vt validè, & cum fructu conferatur paruulo Euchariſtia, non amplius aliquid requiritur, quàm vt ei proſit, at hunc effectum habet, etſi Eccleſia non concurrat, ſed reclamet, vt faceret, ſi prohiberet Baptiſmũ conferri alicui, contra ſuam, & parentum eiuſdẽ baptizati voluntatem. Si ſecundum aſſeritur, neganda erit Minor, quia vt vidimus, Miniſter dando paruulo Euchariſtiam, virtute illam eius nomine, ac proprium illius effectum acceptat, cùm alio fine eã non communicet, quàm vt gratiam Sacramenti propriam habeat. B

Dices, Eccleſiam vetare, ne infantes communicent, ac proinde nolle eorum nomine, conſenſum ad id dare. Neganda eſt ſequela, quæ ex Antecedenti propriè non ſequitur, ſed tantùm Miniſtros id non facere licitè, quod tamen non impedit, quominus validè, & cum effectu prædicti paruuli Sacramentum recipiant. C

QVÆSTIO III.

An iis danda ſit Euchariſtia, qui poſt vſum rationis inciderunt in amentiam.

COmmunis eſt opinio Doctorum, D. Thom. q. 80. art. 9. Suar. ibi. diſp. 69. ſect. 1. dandam eſſe, ſed in mortis articulo tantùm, idque ſi æger, paulò ante quàm in amentiam incideret, eam petiit, aut eius voluntatem habuit. D

Pro iis Concilia duo faciunt, ac inſuper ipſa ratio. Concilia quidem, Arauſican. 1. can. 11. & Carthag. 4. can. 76. his verbis: *Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.*

Ratio autem cur id fieri deceat, eſt, quòd iſtiuſmodi homines ad Euchariſtiam ius habeant, quo priuari non debent, ſine aliqua ſua culpa, quali amens nulla laborat.

Deinde, quæ Baptiſmi, eadem quoque videtur eſſe Euchariſtiæ ratio: ſed ille non eſt negandus amenti qui eius deſiderium vehemens & acre præ ſe tulit, antequam eum amentia de ſtatu mentis deiiceret, ergo nec Euchariſtia.

Dixi in mortis articulo. Quia cùm à reuerentia, huic Sacramento debita abhorreat, amentem eius participem fieri, eam abſtergi à neceſſitate conuenit: at dari maior nulla poteſt, quàm mortis, contra quam potentiora nulla ſunt arma, nulla firmiora ſubſidia, quàm Sacramentorum, ac Euchariſtiæ præ cæteris: eo ergo tempore, quòd à Conc. Tolet. 2. can. 11. appellatur *inenitabilis neceſſitas*, ſuſcipienda eſt Euchariſtia, nec amenti neganda. Zambr. in deciſ. caſuum, cap. 3. dub. 6. num. 8. E

Quæres, qualis ſit hæc voluntas, quæ præcedere amentiam debet? Quidam actualem, & expreſſam poſtulant, ſed ſolida nulla ratione freti, alioqui eam proferrent, à qua tamen abſtinent: Alij virtuali ſola ſunt contenti, vt Nau. cap. 26. num. 27. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 4. qualis eſt eorum qui catholicè vixerunt in Eccleſia, & cum aliquanta ſalutis ſuæ cura, in ea enim cum contineatur implicitè Sacramentorum amor, vſuſque, præſumi debet, hoc eos deſiderio, ac voluntate, tùm non carere, ac proinde Euchariſtiæ capaces eſſe.

Excipiendi ſunt ab hac Regula, caſus qui ſequuntur. Primus eſt, cùm conſtat eos amentes factos, quando culpæ lethalis conſcientiâ tenebantur obſtricti. Secundus, cùm infirmitas eſt tanta, vt eos non patiatur aliquid ſorbere ſine vomitus diſcrimine. Tertius, cùm eſt ſpes eos breui ſanatum iri, ac valetudinem, vſumque mentis, quo eos ægritudo exuit, recuperaturos, ſicque maiore cum fructu ac reuerentia, Sacramenti participes futuros. Vide Coninch. 4. art. art. 9. num. 74.

QVÆSTIO IV.

An amentibus perpetuis, dari Communio poſſit extra mortis articulum.

DAndam eſſe quotannis in Paſchate, docuere Anglez in 4. ſenten. & Villab. in ſum. pa. 1. tract. 7. dub. 4. num. 3. quam tamen parum prudenter (quod eorum ſit pace dictum) ſequens ratio indicat.

Nobiliſſima, vt ſic loquar, gemma eſt Euchariſtia, tolerabili tamen, & temperanda ſaltem induſtria eius qui illam recipere ambit, paranda quæ induſtria ſi defuerit, ſi in excolẽdo animo, ſi ad eam præparando diligentia, laborque Dei maieſtati ac perſonæ in ea contentæ, vtcunque par & æqualis, quis eius negligentiam culpæ arguendam non putet? At quis credat amentes ad Euchariſtiam afferre poſſe eas virtutes, quibus excultum illum eſſe conuenit, qui diuinæ Chriſti Menſæ particeps eſſe appetit? *Non oportet*, inquit Cypr. in ſerm. de cœna Domini, *fermentarios eſſe noui Teſtamenti Miniſtros, puras, ſinceraſque mentes ſanctum quærit conuiuium, in vero crucis boni odoris aſſationem exceo quens*: quare qui ex hoc Sacramento non pœnitendos fructus colligere deſiderant, munire ſibi iter ad illud non debent, niſi bonis operibus, *longus enim ſaltus eſt & arduus*, inquit Bern. ſerm. 3. in Cant. *de pede ad os, ſed nec acceſſus conueniens, quid enim recenti adhuc reſperſus puluere, ora ſacra contingeſt heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præſentatus, per manum tibi tranſitus ſit, illa priùs te tergat, illa te erigat.* At amentes, vt peccare, ita rectè, ita prudenter, ac ſanctè, operari neſciunt, quis in dictis factiſque tenendus ſit modus, quid in iis vitandum, quid amplectendum, non norunt: de eorum ergo remouendi ſunt numero, qui præclaris

fuis facinoribus propitiare Deum, ac ad eius epulas, præparatum meritis pectus afferre possunt.

Deinde, si sunt amentes, quot annis reficiendi cœlesti pane in Paschate, vt dicunt Authores allati, de illis scire aueo quid erit causæ, cur eo beneficio frui non possint, quoties & quàm sæpè eis visum erit? id autem eos posse, fidem omnem superat, vt res ipsa loquitur, ergo & alterum, eos nempe, communionis annuæ capaces esse, idque in Paschate. Sequela Maior. probatur, Tam susscipientis, quàm Sacramenti, par vtroque tempore, idemque est status, hominis quidem, clarior illustriorque non est hodie ratio, quàm heri, non animus ad rerum intelligentiam apertior: Sacramenti autem natura stata semper est ac stabilis, ergo qui semel est in anno ad eius receptionem idoneus, & ad plures esse quin possit, nemo prudens dubitauerit.

Obiicies. At sunt amentes exeunte vita capaces Eucharistiæ, ergo & sæpiùs dum sunt sani. Neganda Consequentia, quia vt tunc vi morbi natura deficit, ita sunt eius mitiores impetus, vis remissior, quàm cum amentium firma erat & integra valetudo, ac proinde minus est periculi, ne quid tùm agant, contra Sacramenti dignitatem, reuerentiam, ac honorem, quàm cùm erant sano valentique corpore. Deinde, vt omnia essent paria, ex parte amentium, non sunt tamen ex parte Sacramenti, ac rationis: Sacramenti quidem, nam eius maiestas postulat, ne sine graui causa, ac necessitate aliis detur, quàm his, à quibus dignè potest recipi, cuiusmodi necessitas, præterquam in mortis articulo, nempe ne amentes diem suum sine viatico obeant, apparet nulla. Rationis autem, quia hæc in necessitate locum minori reuerentiæ erga Sacramentum esse patitur, quàm cùm nulla occurrit, in quo nihil ab eo peccatur, qui sic accedit, cùm eius minor præparatio gratiam habitualem non impediat. Zambra. in decis. cas. cap. 3. dub. 6. num. 8.

An autem Communio phrenetico dari queat, etiamsi eam antè non petierit, aut semifatuo, iam est videndum. Hanc autem neutri horum negandam esse aiunt, præter auhores ante citatos, D. Thom. in 3. part. q. 80. art. 9. Sancius in select. disp. 38 num. 10. Zambr. in decisio. casuum tempore mort. cap. 3. dub. 4. num. 1. & 7. Coninch. de Sacram. q. 80. art. 9. n. 74. Diana tract. 14. de celeb. Missar. resol. 78.

Quid si ex quo phreneticus in morbum incidit, nullum præ se tulerit signum contriti animi, nullum desiderij confessionis, aut Eucharistiæ?

Zanard in direct. confess. par. 1. tract. de Euch. cap. 7. negat eum in tali casu Eucharistia cohonestandum esse. Opinio contraria, vt mitior, ac ægrotis ad salutem, animæque pacem opportunior, est tenenda, nempe nulli de numero fidelium qui non sit notorius excommunicatus, aut publicus (vt aiunt) peccator, etsi pœnitentiæ nulla signa edat, dummodo constet, eum antequam de statu mentis excideret nullius culpæ lethalis affinem fuisse, ac conscium, Eucharistiam sub vitæ finem negandam esse, quòd tunc censeatur interpretatiuè illam petere.

Ita Sancius in select. disp. 38. num. 10. ei ergo tùm dabitur, nisi euidenter, ac certò constiterit, illum cùm in statu peccati esset, lapsum in amentiam, aut sine irreuerentia, periculoque vomitus, communionem sumere non posse, cuius rei argumentum erit petendum ab experientia: nam si formam vnam, & alteram non consecratam seruare poterit, & sorbere, indicium hoc erit, periculum non subesse vllum irreuerentiæ, si consecrata ei dabitur, timendum autem, si stomachus cibum omnem respuat.

De Semifatuo, id est, obtinente debilem, & imperfectum rationis vsum, facilis est, & expedita responsio: nam si hic tantũ lucis habeat, quanta est necessaria ad opera humana moralia, vt benè per eum fiant, ac cum laude, aut vituperio, non video, cur ei ad hanc Mensam aditus non pateat: qui enim peccare, idem quoque nosse potest quid interfit inter cibum sacrum, & profanum, & ita cum apparatu decenti, ac congruo, ad eius se vsum accingere, ac parare: quàm rarò autem, aut quàm frequenter ei indulgeri oporteat, sapientis erit Confessarij statuere, illius autem, id est, semifatui, obedire, & obsequi.

QVÆSTIO V.

An surdi & muti à natiuitate, Eucharistiam recipere valeant,

NOn posse ostendunt argumenta. Primùm, istiusmodi homines principio carent, quo ab inferenda iniuria Sacramento retineri valeant, nempe fide præsentiæ Christi in Euchar. Est hæc ergo illis neganda, ne eam expuant, conculcent, aut indecore habeant.

Secundùm, Sacramentum ei dari nequit, de quo est incertum, an eius sit capax, maximè si consistat in re aliqua permanenti, quia in dubio melior est conditio possidentis: at pro Eucharistia stat possessio, Matth. 10. *Nolite sanctum dare canibus.* Et 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum*, &c. His enim verbis præcipitur obseruantia erga Sacramentum, & talis, vt scienter ac vltrò, communicari indigno non debeat, iuxta illud Chryso. hom. 33. in Matt. *Si dux quispiam, si diademate ornatus, indignè adeat, cohibe, & coerce, maiorem tu illo potestatem habes*: ergo cùm iusta sit causa ambigendi, ecquid surdi & muti iis sint præditi virtutibus, fideque ante reliquas, quibus ornatos esse conuenit, qui ad sacra aspirant mysteria, mea est opinio hæc, iis sine culpa ministrari non posse.

Contraria sententia defenditur à Pet. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 4. num. 5. vbi ait, non tantùm Baptismi, sed Eucharistiæ quoque, ac Pœnitentiæ capaces esse surdos ac mutos à natiuitate.

Sed hæc opinio non videtur probabilis, qua parte est de Eucharistia: Ratio præter allatas est, quòd eiusmodi homines vi sola humanæ mentis nosse nequeant, sub speciebus panis & vini latere verum corpus Christi, & sanguinem, absque eo, quòd antiquæ eorum substantiæ, pars vlla sub iisdem inclusa maneat: ergo cùm sine fide præsentiæ Christi in Euchar. nemo eius sit capax, eaque surdi ac muti à natiuitate careant, ad illam non videntur esse idonei.

Interim notare placet Energumenis, id est, obsessis à Dæmone, Eucharistiam, si ab his susscipi sine irreuerentia, & dari à Sacerdote potest absque scandalo, negandam non videri. Ita D. Thom. 3. par. q. 80. art. 9. ad 2. Sotus lib. 4. sent. dist. 12. q. 1. & Conc. Elibertin. can. 37. his verbis: *Eos qui à Spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet, si verò fuerint fideles, dandam eis esse Communionem.*

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

An poſt actum coniugalem Euchariſtia peti poſsit ac recipi.

DIco primò, *Coniugibus interdictum non eſſe, quo die dederunt procreandis liberis operam, communicandi conſilia capere, eaque exequi.* Ratio eſt, quòd illis ſolis ſit prohibitum ad altare accedere, qui culpæ lethiferæ ſibi conſci j, confeſſionem non præmittunt Euchariſtiæ, vt conſtat ex Trid. ſeſſ. 13. Ergo cùm coniuges in vſu coniugij culpa vacent, ad Euchariſtiam animum appellere, eo die erit illis liberum, quo matrimonio fuerint vſi honeſtè, ac vt Catholicos decet, intra temperantiæ terminos, ſanctè ac modeſtè.

Dico 2. *Laudabile tamen eſſe, ac vero optandum videri, vt quo die coniuges ſunt congreſſi, à communione abſtineant*, quia, vt ſcribit Hieron. in quodam ſermone de eſu Agni, & refertur can. ſciatis, 33. q. 4. *Quicunque vxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus Agni comedere debet.* Equidem non eſt facile, vt animus corporis illecebris irretitus, aut earum memoria adhuc plenus, cogitationem de Deo, eiuſque cultu vllam ſuſcipiat cœlo dignam: quare *ſi panes Propoſitionis ab iis qui vxores ſuas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his, qui coniugalibus paulò antè haſerunt complexibus, violari, atque contingi?* Hæc Hieron. loco antè citato.

Sanè eos olim à Concil. Eliberitano admonitos video, ſibi vt à Communione temperandum crederent, totis diebus octo, aut quatuor, à copula habita: *Omnis homo, ante ſacram Communionem à propria vxore abſtinere debet, tribus, aut quatuor diebus*, de Conſecrat. diſtinct. 2. can. omnis homo 21. Si tamen ea ſibi conſilia ſeruanda non putant, ſed motum, quo ad Communionem trahi ſe ac impelli ſentiunt, ſinendi erunt ſequi Spiritus ſancti afflatum, aut ſuum, maximè ſi prolis causâ, & non libidinis, rei coniugali dedere operam. Ratio eſt, quòd ſoboles futura, qui finis eſt matrimonij, indecentiam abſtergat omnem, quæ ex complexu mutuo corporum, ac voluptate ei cohærente, redundat, & in hunc ſenſum capienda ſunt verba Greg. relata à Gratia. in can. vir cum propria, 33. q. 4. *Si quis ſua coniuge, non libidine captus voluptatis, ſed ſolùm liberorum creandorum gratiâ, vtitur, de ſumendo corporis Dominici, ſanguiniſque myſterio, ſuo eſt relinquendus arbitrio, quia à nobis non debet prohiberi accipere*, id eſt, vt explicat Gloſſa, diſſuaderi.

An autem peccet, qui poſt copulam, alio fine, quàm liberorum causâ, extortam à coniuge, ad ſacram Euchariſtiam accedit, diſputant authores, & omnium vna fermè eſt, eademque reſponſio, id eum tentare non poſſe, ſine veniali culpa; niſi iuſtæ cum cauſæ excuſent. Peccare venialiter, probat hoc argumentum, quòd voluptas quæſita, perceptaque in congreſſu maris & fœminæ, nimium quantum mentem à diuinis auocat, & recordatione ſui, eam fœdè implicat, ne ſe ad Deum erigere cogitando, amandoque facilè queat, diuina autem tractare myſteria, aut ea ſumere, animo curis ſæcularibus, vel voluptatis præteritæ titillationibus adhuc impedito, quis in laude ponat? Si in eo de-

A cori ratio non habetur, ſi honeſti, ſanè negari non poteſt, quin eius omiſſio omittenti danda ſit vitio, quòd quia præter indecentiam culpabile nihil habet, leue ſit oportet hoc vitium, ac proinde tantùm veniale.

Cauſæ autem quæ hanc indecentiam tollunt, aut minuunt, ſunt hæ. Prima, feſti celebritas, quam ſine Communione abire, non patitur pietas. Tabiena ver. Commun. q. 37. parag. 43. Secunda, deuotio, magnaque ad Euchariſtiam voluntatis inclinatio. Tertia, metus ſcandali, aut ſuſpicionis admiſſæ culpæ, in aliorum animis concitandæ, puta, ſi mulier, quæ octauo quoque die communicare ſolet, poſt inſtitutam confeſſionem ab eo religionis opere abſtineat. Quarta, dies ipſa, conſequendis Indulgentiis à Pontifice aſſignata, quæ ſi fortè ſine Communione præteriri ſinatur, obtineri hæ non poterunt.

Quare, cùm culpa coniuges vacent, ſaltem mortali, ſitque inter multos Doctores ambiguum, num culpa aliqua ſaltem veniali notari debeant, cùm poſt copulam accedant ad Euchariſtiam, non putarem facilè eximendas eſſe mulieres à reddendo maritis ſuis debito, quo die communicaturæ ſunt, aut pridie. Sanch. lib. 9. diſp. 13. Laym. tract. 4. lib. 5. cap. 6. quia vt ius ad id mariti habent, ita & mulieres obligationem obſequendi, à qua nuſquam exemptæ leguntur.

Secundò, quia ex negatione rei ſibi debitæ, mariti ſe ſæpe læſos putant, vnde frequenter accidit, vt parùm ſe propitios, ac fauentes vxoribus ſuis, exhibeant, non raro autem earum religioni, erga ſacratiſſimum Sacramẽtum contrarios, vt quam auerſari ſoleant, vt cauſam ex qua earum coniuges occaſionem petant negandi illis debiti, quod ſine Sacramenti irreuerentia eſſe non poteſt.

Neque tamen, eius vſu interdicendæ ſunt fœminæ, neceſſitate compulſæ, maritis ſuis debitum reddere, quia eis obſequi in hoc rerum genere, opus eſt iuſtitiæ: ſi tamen animo nimis eſſent diſſipatæ, ideoque minùs ad Euchariſtiam, benè ac religioſè capiendam præparatæ, non abſonè facerent, ſi ab ea, ſibi illo die abſtinendum crederent.

QVÆSTIO VII.

Quo tempore, ac ætatis ſuæ anno, pueri teneantur communicare.

DE eo certi nihil poteſt ſtatui. Sotus in 4. ſent. diſt. 12. q. 1. art. 11. nullis ait eos præceptis teneri, ante ætatis annũ duodecimũ. Caiet. in 3. part. q. 80. art. 9. ad decimum, obligationem hanc reuocat. Laym. l. 5. tract. 4. cap. 6. negat eos ad Communionem aptos eſſe ante quartũ decimum, quòd tùm tantum rationis vſum, & ſpiritualium rerum intelligentiam aſſequantur ad communicandum, vti par eſt, idoneam.

Sancius in ſelectis diſp. 26. Anton. Diana par. vlt. tract. 6. reſol. 87. affirmant ad id eos obligari illicò, ac ſe in iis ratio aperit, quanta ad meritum exigitur, aut peccatum, quod cùm circa 7. ætatis annum accidat, pueros teneri aiunt ad communicandum, eo tempore, nec diſtinguendum eſſe inter tempora Confeſſionis & Communionis, cùm eodem modo, de vtraque præceptũ detur in Concil. Later. can. 21. vt enim *Omnis vtriuſque ſexus omnia ſua peccata, cùm ad annos diſcretionis peruenit*

confiteri semel in anno debet. Ita quoque ei præcipitur, *vt suscipiat reuerenter, ad minus, in Paschа Eucharistiæ Sacramentum, nisi proprius Sacerdos ab eius perceptione duxerit abstinendum.*

Eiusdem quoque opinionis sunt Tabiena, verbo communicare, num. 3. D. Antonin. 3. par. tit. 9. cap. 8. parag. 2. & par. 3. tit. 14. cap. 12. parag. 5. Paludan. in 4. sent. dist. 12. 14. Castrus Palaus in opere morali, tom. 1. tract. 3. disp. 1. punc. 24. parag. 2. num. 7.

Rationes, quibus in hanc mentem venisse videntur, sunt duæ. Prima, quod quisque, id operam dare debeat, vt contra peccata, quibus impugnatur, à Confessione, & Eucharistia, remedia petat ad eorum victoriam opportuna.

Secunda, quòd plus rationis, ac lucis confessio postulet, quàm Communio: vt enim illa obiri cum fructu valeat, non tantùm oportet nosse peccata, sed eorum naturam, circumstantias, ac speciē, insuper in quo veri doloris ratio sit posita, quomodo, & quando, ad curanda animę vulnera sit hic adhibendus, quorum omnium vsus, ac notio, longè est haud dubiè difficilior, quàm venerationis, ac studij, quo prosequi Eucharistiam est necesse, ex quo inferunt, Eucharistiæ & Confessionis vsurpandæ, eadem esse tempora, lege Ecclesiæ.

Hæc opinio verisimilitudinis habet non parùm, in praxi tamen, rem vniuersam, prudenti Confessariorum arbitrio committendam reor. Sanè admonent Nav. cap. 21. Ench. n. 57. Sa verbo Euchar. num. 12. pueros quamuis ritè dispositos, interdum excusari authoritate parentum, prohibentium sanctam Communionem, ipsos autem parentes, ob loci consuetudinem, quæ non patitur pueros reperire sibi locum inter communicantes ante 12. annum, & in multis locis ante quartum decimum, quæ cùm probabili ratione nitatur (nempe quòd plerique ante illud tempus, non satis habeant prudentiæ, ad discernendum cibum profanum à sacro) existimat Chapeauilla: de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, cap. 4. q. 9. prædictos pueros, ante dictam ætatem, ne quidem in mortis articulo, ad sacram Communionem teneri.

Ego, vt dixi paulò antè, non ætatis modò, sed aliarum quoque rerum, rationem habendam in primis puto, vt ingenij, educationis, indolis: hæc enim tria cùm concurrunt, sunt pueri septennes, sæpè ad Eucharistiam recipiendam ea ætate aptiores, quàm puberes, quod cùm Confessarius intelligit, hanc illis permittere poterit, circa nonum ætatis annum, probabilis est enim Suaris sententia, asserentis, pueros non obligari ad Communionem, nisi post vnum, aut alterum annum, ex quo facti sunt doli capaces, ac proinde ad Eucharistiam idonei, idque *tam propter reuerentiam Sacramenti, quàm propter maiorem fructum recipientium, si melius dispositi accedant.* Laym. cap. 4. tract. 4. lib. 5.

QVÆSTIO VIII.

An liceat sæpè communicare.

LIcere nemo ambiget, qui secum ipse reputabit antiquum morem Ecclesiæ: in ea enim Apostolorum instituto laudabili, fideles *erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*, Act. 2. & paulò post: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos, panem sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis*, quos secuti Græci, & Latini, Eucharistiam quotidie sibi sumendam putabant. Cyp. testis in tract. de Orat. Dominica, *hunc quotidie panem dari nobis postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie in cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abstenti, & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Ac ne quis hæc à Cypriano de solis Sacerdotibus dicta crederet, scribit Hieron. in ep. ad Lucinium 28. fideles omnes Romæ & in Hispania quotidie communicare solitos, eos quidem, qui sacro Episcopi intererant, sub pœna graui, ad id pietatis officium astrictos esse Anacletus I. voluit, vt quæ sequuntur incicāt, petita ex Decretali eius prima in to. Conc. 1. *Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat, & plures, quàm alius Sacerdos, cum quo peracta consecratione, omnes Ministri communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere limimbus. Sic Apostolis statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.*

Quid cæteri? Chrysost. in hæc 1. ad Corinth. 5. *Itaque epulemur*, &c. vult epulandum spiritaliter, non quia Pascha est, aut Pentecoste, sed quia omne tempus est epulis aptum, quam ob causam, dies singulos Christianis *feriatos* esse aiebat Papa Sylu. Clem. autem septimo Stromatum, *percelebres, ac festiuos*, in quibus quia illis refici cælesti pane, erat solenne, iisdem author erat Hieron. ep. 28. ad Lucin. vt eum quotidie sumerent, *Eucharistiam absque condemnatione vestri, & pungente conscientia, semper accipite, & audite, gustate, & videte*, &c.

Si enim quotidianus est panis, inquit Aug. serm. 18. de verbis Domini secundùm Lucam, *cur post annum illum sumas? accipe quotidie, quod tibi quotidie prosit, sic vive, vt quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Eucharistiam frequentare, est ergo laudabile, an id etiam consulere oporteat, iam est videndum.

Assertio. 1. *Gratissimum est Deo, vt illi sæpe communicent, qui rarò aut nunquam in peccatum mortale ruunt, venialia autem sic declinant, vt sponte, volentesque, nulla nisi ex incogitantia, aut ira committant.* D. Thom. q. 80. art. 10. D. August. serm. 28. de verb. Domini. Ambros. 1. de Sacram. cap. 4. Trid. sess. 22. cap. 6. cùm cupere se significat, *vt in singulis Missis fideles astantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent.* Ratio est, quòd hoc Sacramentum, cibus sit animæ. Ioa. 6. *Ego sum panis viuus*, &c. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. At cibo, eoque frequenti, vires calore imminutas, reparandas esse quis negat?

Secundò, etsi abstinere Eucharistia, maximè ex reuerentia, laudem habeat, at longè minorem tamen, quàm quæ est ad eam crebrò accedenti ex deuotione debita: hic enim concurrunt, amor, religio, fides, gratiarum actio, ac in Deum certa fiducia quarum virtutum nulla reperitur in recessu ab Eucharistia, sed tantùm humilitas, & timor, quibus carere similiter non debet, qui deuotione impulsus, creber est in ea frequentanda.

Assertio 2. *Laici in vsu huius Sacramenti, adhibebunt ad consilium Confessarium prudentem ac piũ, qui meminerit ab homine luteo puritatem non exigendam Angeli, sed hominis.* Sufficiet ea probatio, qua de præteritis seriò doleat, emendationem proponat, consilia vitæ melioris suscipiat: nec est necesse

vt deuotionem actu ſentiat, ſatis eſt ad officium viri boni, ſi ſe ad eam excitet, eamque agat, quæ ad concipiendum diuinum hunc ignem, pietas ſuadet.

EPITOME TRACTATVS PRÆCEDENTIS,

Cum probationibus petitis ex canonibus, Conciliis, ac Patribus.

Cap. 1. EVCHARISTIA, ratione Sacerdotis, qui eam Chriſti verbis conficit, *ſacrificium, & hoſtia* dicitur, ab Innoc. III. can. 1. Concil. Later. *Vna eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia, in qua idem Sacerdos, & ſacrificium Chriſtus Ieſus.* Sacerdos eſt, quia ſua ſe manu, voceque Deo Patri, iterùm cauſa noſtra, hoſtiam exhibet, pro noſtrorum remiſſa ſcelerum, ob eam cauſam dicta quoque eſt Euchariſtia *oblatio. Si quis iudicat à Presbytero coniugato, vt qui offerre non poteſt, oblationem ſumi non poſſe, anathema ſit.* Gangr. Conc. can. 4. *De Diaconis quos cognouimus multis locis offerre* (id eſt ſacrificare) *placuit minimè fieri debere.* Arelat. 1. can. 15. & in Conc. Nicæno 1. can. 14. prohibetur Diaconis ne Sacramenta Preſbyteris porrigant. *Hoc enim*, inquit Concil. *neque regula, neque conſuetudo tradidit, vt qui poteſtatem offerendi ſacrificij non habent, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant.* Sequuta tantorum hominum exemplum Eccleſia, Sacramentum hoc nominat in Canone Miſſæ, *Sacramentum, Sacrificium, immaculatam hoſtiam*, & *Oblationem.*

Secundò ab effectis, quæ ſupra naturam, ac ſenſum operatur in nobis, vocatur à S. Fulberto, ep. 1. *Sacramentum vitæ*, ab Hilario in Enchirid. ad Laurent. *Panis vitæ, panis è cœlo*, quia in hoc Sacramento, *deifica Maieſtas miſeranter noſtræ infirmitati condeſcendit, vt quo alimenti genere, corpora noſtra aluntur, idem in corpore ſenſualiter ſapiat, ſed Deus in pectore perficiat, ſicut ipſe ait, Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* S. Fulbertus loco proximè citato.

Eodem pertinent quæ à Cypriano ſunt ſcripta tract. de cœna, num. 5. *Hoc Sacramentum*, inquit, *aliquando corpus ſuum, aliquando carnem & ſanguinem, aliquando panem Chriſtus appellat, portionem vitæ æternæ: Panis eſt propter nutrimẽti congruẽtiam, caro propter aſſumptæ humanitatis proprietatem.*

Tertiò, Euchariſtia, reſpectu ad fideles habito, qui eam accipientes Chriſto vniuntur, appellatur, *Synaxis*, ſeu *Communio*: fidem facit Apoſtolus, dum ad Cor. ſcribens, hæc ait, prioris epiſt. cap. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt:* & in Actis c. 2. *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſt. & communicatione fractionis panis*, quia vt ait Damaſc. lib. 4. de fide Orthodoxa, cap. 14. *Participantes carne & ſanguine, ipſaque Deitate Chriſti, vnimur cum ipſo, & inter nos diuina charitate.*

Quartò, vocatur *Pax, Communicatio, Poculum Domini.* Cypr. de cœna. *Menſa Domini.* Damaſus ep. 4. Leo ep. 81. 46. *Conuiuiũ, eſca ſpiritualis, cibus.* Cyp. loco ante citato: *Vbi ſacrum cibum*, inquit, *mens perfida tetigit, & ſceleratum pectus panis ſanctificatus intrauit, parricidialis animus vim tanti Sacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exſufflatus, præceps cucurrit ad pretiũ, ad perditionem & laqueum.*

Nominatur & *Calix*: *Quàm præclarus eſt calix iſte, quam religioſa eſt potus huius ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti, ad anteriora extendimur.* Cyp. ibid.

Quintò, à loco vbi fit Euchariſtia, nominatur ab Innoc. III. in Conc. Lateran. can. 1. & à Conciliis Laodic. can. 50. Carthag. 3. can. 19. *Sacramentum altaris*: Ab eius materia, *Buccella.* Tertul. ad vxor. lib. 2. cap. 3. & de monogamia c. 11.

Sextò, à re quam continet, *Sacramentum venerabile Dominici corporis & ſanguinis.* Fulbertus ep. 1. Concil. Hiſpal. 2. can. 7. *Sanctum Domini.* Cyp. de lapſis: *Cùm quædam*, inquit, *arcam ſuam, in qua Sanctum Domini fuit, manibus indignis tentaret aperire, igne inde ſurgente deterrita fuit.* Vocatur item Sacramentum Euchariſtiæ, ab Anbroſ. in lib. de peccator. merit. contra Pelag. lib. 1. cap. 24. à Iuſtino Mart. in Apolog. 2. ad Antonin. Pium, Tertul. de corona Milit. *Euchariſtia*, inquit, *Sacramentum eſt, omnibus à Domino mandatum, etiam antelucanis cœtibus, nec aliorum manu, quàm præſidentium ſumimus:* quod verbum idem ſonat, ac gratiarum actio, ſic enim Deo Sacramentum hoc inſtituere placuit, vt vnà quoque ſacrificium foret, Deo Patri in gratiarum actionem offerendum.

Poſtremò, ob admirabilem, & ineffabilem rerum diuinarum ſecretam quandam coniunctionem vocatur à Græcis *μυστικὸν*, à Latinis Sacramentum, ſic enim Eccleſia poſt D. Thom. *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum nouo cedat ritui.*

Cap. 2. Eſt autem Sacramentum vnum de ſeptem. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. & ſeſſ. 13. can. 2. 3. 4. 6. Innoc. III. in can. 1. Later. Conc. & cap. cum Marthæ 6. de celebrat. Miſſar. & apertè de Conſecrat. diſt. 2. can. Ego Berengarius 42. *Conſentio Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ Menſæ eandem fidem me tenere quam dominus Papa Nicolaus.*

Ad hoc teſtimonium, addenda eſt è Theologorum doctrina petita ratio. Eſt Sacramentum ſenſibile, ſignum rei ſacræ à Deo inſtitutum, ad ſanctificandum hominem: eiuſmodi autem Euchariſtiam eſſe quis neget? In primis, eſt ſignum, nempe ſpecies panis & vini, quæ ſub ſenſum cadunt, deinde rei ſacræ ſunt ſymbola, nempe nutrimenti ſpiritualis animæ, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus*: habet ergo Euchariſtia quidquid componendo Sacramento Schola Theologorum exigit.

Panis hic, inquit Cyp. de cœna Domini, *per ſpeciem, & Sacramentum, nos tactu ſanctificat, fide inluminat, veritate Chriſto conformat, & ſicut panis iſte communis quem quotidie edimus, vita eſt corporis, ſta panis iſte ſuperſubſtantialis, vita eſt animæ, ſanitas mentis.* Viden' vt ſpecierum, ac Sacramenti Cyprian. meminerit, vt gratiæ mentionem faciat? vt ſpiritualis alimoniæ, expreſſæ communi pane, quo vulgò gens humana alitur?

Expreſſiùs S. Fulbertus Carnot. Epiſcop. nam primò Euchariſt. *cœleſte myſterium* nominat, cui

vocabulo eadem est quæ Sacramento subiecta notio : Sunt enim mysteria Iurisperito, in lege Nullus, Cod. de summa Trinit. res sacræ, nec euulgandæ temerè, vnde mystæ Græcis, idem sunt qui sacris initiati.

Secundò (quod est fide certũ) Euchar. authorem, Christũ esse Fulbert. ait, sine *quo omnino celebrari vitæ Sacramenta non possunt, ipse enim cœlestiũ charismatum author, ipse spiritualium munerum dispensator, ipse criminum absolutor.*

Tertiò, meminit signi sensibilis.

Quartò, donorum cœlestiũ ac gratiæ, quam Christus larga, ac liberali dextera, in animum benè subactum infundit. Sunt hæc eius verba. *Corporis & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non minus mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu sancto, corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione, sub visibilis creaturæ forma, inuisibiliter virtus secreta, in sacris solennibus operatur* : & paulò post loquens de gratia, ait per hoc Sacramentum abundantem dari, ob quam causam, illud nominat *Regenerationis gratiæ Sacramentum.*

Cap. 3. Ad eius rationem, seu veriùs constitutionem intrinsecam, pertinent tam species, quàm corpus & sanguis Christi, illæ quidem tanquam signum sensibile refectionis spiritalis, ista tanquam spirituale animarum nutrimentum. Cypr. author in serm. de cœna Domini. *Panis*, inquit, *quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi, factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili, ineffabiliter diuinasse infudit essentia.* Ex his enim Cypriani verbis, quid colligi potest aliud, quàm hoc Sacramentum componi speciebus, quas visibile Sacramentum nominat, id est, signum quod sensibus vsurpari ac tangi potest, & Christi carne, in quam *terrena materia, naturæ & generis sui meritum transcendens, imperioso verbi operantis artificio est mutata.* Fulbertus suprà.

Eandem doctrinam tradidit Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 34. *Quis est à terra panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cœlesti.*

Ad hæc testimonia accedit ratio. Est de fide Eucharistiam Sacramentum esse. Trid. sess. 7. can. 1. eamque adorandam esse cultu latriæ, quo solus Deus colitur. Trident. sess. 13. can. 6. sed à Christi immaculata carne habet Eucharistia, vt ei fideles, Latriæ cultum, qui soli Deo debetur, in veneratione exhibeant, à speciebus autem, vt sit sensibilis : his ergo, Christique Domini, diuinissimo corpore & sanguine, vti partibus intrinsecis, ac essentialibus constat.

Cap. 4. Et quidem in ea contineri vtrũq; verè, ac realiter, Christiana fides edocet. *Si quis*, inquit Cõcil. *dixerit peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento, non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantùm in vsu dum sumitur, anathema sit.* Trid sess. 13. can. 4. Fuitque semper priscæ, ac Ecclesiæ hic sensus; vt patebit ex sequentibus, ordiamur à Pontificibus. *Panis qui super altare offertur, panis quidem communis, sed quando ipse Sacramento sacratus fuerit, corpus Christi in veritate fiet, & dicitur.* Nicol. Papa in epist. ad Michaëlem Imperatorem.

Dixi vobis, inquit August. serm. 18. de verbis Domini in Lucam, *ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur, vbi Christi verba deprompta fuerint, non iam panis, sed Christi corpus appellatur.*

Et in commentario tituli Psalmi 33. *Ferebatur*, inquit, *Christus, cùm commendans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meum, ferebat enim illud corpus, in manibus suis.*

Cyprianus, aut quisquis ille est qui de cœna Dominica scripsit : *Panis ille, quem Dominus porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro.*

S. Fulbertus epist. 1. ad Adeodatum : *Licet simplices naturæ paulò antè præferant imaginem* (loquitur de substantiis consecrandis) postmodùm cœlestis vbi sanctificatione inspirata Maiestas verè diffunditur, & quæ substantia panis & vini apparebat exteriùs, iam corpus Christi & sanguis fit interiùs. Exere ergo palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume panem vitæ interioris hominis alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum : Hæc Fulbert.

Cyrillus Hierosolymit. catechesi prima mystag. ὁ ἄρτο ἁγ ὁ οὗτος τῆς Εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἁγίαν ἐπικλησιν, τῆς παρασκευῆς τροφὴ ἄρτος ἦν, ἁγ οὗτος λιτὸς, ἐπικλήσεως δ γενομένης ὁ μὲν ἄρτος, εἷς μία γίνεται Χριστοῦ, ὁ δ οἶνος, αἷμα Χριστοῦ.

Hac inductus fide, Cyril. Christianos, dũ per salutaris Eucharistiæ infusionem, in eorum viscera, sumentisque animæ, Christus influit, Χριστοφόρους, id est, Christum portantes nominat, φερόμενοι, καὶ φορέμενοι Χριστὸν. idem corpus, ac sanguinem habentes cum Christo. Catehc. mystag. 4.

Nobilis est in hoc genere, nec prætereunda Berengarij confessio. Mali Dæmonis afflatu pulsus, Eucharistiam mysteriis inanem ac vacuam, præter panem, habere nihil, fœdè ac mendaciter, in omni cœtu narrabat, tandem diuino munere, ac concessu, errorem dedoctus, palam frequenti Episcoporum concione, hæresim eiurans, veniam contempti Numinis, læsæque suis concionibus Ecclesiæ, ab iis supplex dari sibi precatur. Confessionis hæc forma fuit. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sanctæ Orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter conuerti in propriam, ac viuificantem carnem, ac sanguinem Domini nostri Iesu Christi.*

Cap. 5. Non est tamen Eucharistia, quamuis ex Christi corpore, & sanguine, ac speciebus panis & vini constituatur intrinsecè, Sacramentum multiplex. Ratio est, quòd tria illa ex Christi institutione, ad vnum finem, & perfectam nutritionem referuntur. Verum quidem est in hoc Sacramento esse duas partiales materias, panem scilicet & vinum, duas item partiales consecrationis formas, quarum vna per se efficit Christi corpus, altera sanguinem : verum insuper reperiri in eo species panis & vini, quæ significant, & continent Christi corpus & sanguinem per modum cibi, & potus, sed hæc tria non faciunt nisi vnum ens morale, ex Christi institutione, nec nisi vnam perfectam significationem, & virtutem obtinent, quæ est representare scilicet nutrimentum spirituale animæ.

Secundò, sacrificium cruentum, quod Christus Deo Patri obtulit in cruce, effusione sui sanguinis, & animæ separatione à corpore, Matth. 26. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Est ergo hoc Sacramentum vnum vnitate morali.

Est prætereà vnum vnitate effectus, nempe gratiæ sanctificantis, & suauitatis internæ spiritalis,

Digitized by Google

quâ infundit animæ, vt enim de pane dixit S. Fulbertus, in Epiſt. 1. *quod eſt vitæ interioris alimentum, non arte piſtoria fermentatum, ſed incarnatæ deitatis vitale pulmentum*, ita & de calice, quod ſit *Sacramentum vitæ.*

Sane quod vni, idem & tribuit ſpeciei alteri, Cyprian. in ſerm. de Cœna, *vt enim ſacer panis per ſpeciem & Sacramentum, nos tactu ſanctificat, fide inluminat, veritate Chriſto conformat, ita qui de ſacro calice bibit ita ſingularis fame illo vino apparatu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum pocula horreat, & omnis ſapor delectamentorum carnalium, ſit ei quaſi vanciđ, radicſque palatum, acetæ mordacitatis acetum.* Iam quæro, quibus rebus maximè gliſcat animus, quibus ad beatam immortalitatem cibis alatur, quibus exſaturetur humoribus? Gratiæ: *Cibus enim meus eſt vt faciam volũtatem Patris mei.* Ioa. 4. *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Ioan. 7. *Et fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Stet hoc ergo vti certum, ac extra dubium, Sacramentum Euchariſtiæ vnum eſſe, etſi ſit ex ſpeciebus ac Chriſti corpore & ſanguine, vti partibus ſibi intrinſecis compoſitum.

Cap. 6. Huius porro Sacramenti quod vnicum eſſe oſtendimus, *materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua miſceri debet.* Florentinum in decreto vnionis Alex. in ep. 1. cap. 4. Tribur. Conc. can. 19. *In repulſis opinionibus ſuperſtitionum, panis tantũ & vinum, aqua miſtum in ſacrificium offerantur.* Idem præcipitur in Conc. Braccar. can. 15. cuius meminit Gratian. de Conſecrat. diſt. 2. can. 4. Quanquam in re clara, quid teſtibus opus? pro nobis faciunt Scripturæ hæc verba: *Cœnantibus eis accepit Ieſus panem & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, Accipite & comedite hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis*, &c. Math. 26. Et *dico vobis quod non bibam de generatione vitis, donec veniat regnum Dei.* Luc. 22.

Nulli ergo licet aliud in ſacrificijs diuinis offerre, niſi iuxta antiquorum ſententiam Conciliorum, panem tantum, & calicem vino, & aqua permiſtum. Bracc. 3. can. 1. Trullenſe can. 32.

Panis hic verò, triticeus eſſe debet, non tantùm ex neceſſitate præcepti, ſed etiam Sacramenti, indicant verba Eugenij in Florentino, *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite*, quod D. Thom. in 4. diſt. 11. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. probat, & quia Chriſtus ſe grano frumenti comparat, & quia is panis eſt nutritioni aptior, & quia panis ſimpliciter enuntiatus, intelligitur triticeus. Et quia vt ſcribit P. Sotus in Inſtit. doct. 2. de Euchar. Chriſtus Dominus, non alio pane eſt vſus, in vltima Cœna, quàm qui communiter apponitur in cibum viris honoratis, hic autem alius non eſt quàm triticeus, quare illum tum conſecrans, Sacramenti huius materiam inſtituit. *Quo certiſſimum ſit*, inquit hic author, *ex nulla alia materia panem conſectum ſuſſicere ad veritatem huius Sacramenti*, quod his argumentis confici poſſe videtur.

Primò, quod vulgus cum panem dicit è frumento, panem è tritico intelligat. 2. Quod non ſit veriſimile, Chriſtum voluiſſe, panem Angelorum, quo animæ fidelium aluntur ad gloriam, ex alio ſemine confici, quàm quod vnum ſibi homines eligunt ad conficiendum panem. 3. Quod à Chriſto panis, quo ferè vtuntur homines, & qui abſolute, ac ſine adiunctione ſit, & nominetur talis, ſit in ſuum ſanctiſſimum corpus, conſecratione conuerſus, at qui ex alio ſemine, aut farina diuerſa à triticea, panem coqueret, hic abſolutè ac ſine additamento, non diceretur panem coxiſſe, ſed ex hordeo, ſpelta, ſiligine, &c. ergo in his materijs conſecrari Chriſti corpus non poteſt.

Huius ſententiæ auctor ac Princeps D. Thom. in 4. diſt. ij q. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. quam iterat in ſumma in 3. part. q. 74. art. 3. ad 2.

D. Thomæ aſtipulantur Victoria in libello de Sacrament. q. 55. Antonin. in 3. part. tit. 24. cap. 6. Armilla in Ver. Euchariſtia num. 1. Angelus in Ver. Euchar. num. *Neque*, inquit, *in farre neque in ſpelta poteſt confici, neque in ſiligine ſed in ſolo tritico.*

Sententia tamen quæ ſequitur retineri poteſt, vt probabilis. Tritici nomen à Florent. latè accipi, vt omne genus frumenti comprehendit, quod adhiberi ſolet ad conficiendum panem, pro victu hominum, ſiue ſit triticum, ſiue Zea, ſiue far, aut ſiligo. Ita Palud. in 4. diſt. 12. q. 1. art. 4. Concl. 2. cauſa illi ita opinandi eſt quod hæc frumenti genera, eiuſdem ſint ſpeciei. Docent eandem ſententiam Albert. in eundem lib. ſententiarum eandemque diſtinct. art. 7. ad quæſtion. primam primi argumenti Laym. tract. 4. c. 2. de Euchariſt.

At enim panis hic è frumento, quem dicimus eſſe Sacramenti materiam, azimus eſſe debet & è farina, quæ aqua naturali ſit ſubacta, & non factitia, vti eſt roſacea, nam panis qui eſt è farina, quæ tali aqua eſt commixta, nec vera, nec legitima eſt conſecrationis materia.

Huius opinionis comprobator, & auctor fuit D. Thom. in 3. par. q. 74. art. 7. reſponſ. ad 3. & in 4. diſt. ij q. 2. art. 4. quæſtiuncula 3. Dixit eandem ſententiam Guill. de Monte in tract. de Euchar. Alenſ. in 4. parte q. 10. memb. 4. art. 1. Scotus in 4. diſt. 11. q. 6. Durand. in eam ipſam diſt. q. num. 8. hanc ſuſtinere his argumentis poſſe credit Antoninus in 3. par. tit. 13. cap. 6.

Primum eſt, quod aqua elementaris, requiratur ad ſubſtantiam veri panis, quo Chriſtus Dominus eſt vſus in conſecratione. Antonin. in 3. par. tit. 13. cap. 6.

Secundum, quod communiter panem alium non adhibemus ad victum, quam qui ex aqua naturali eſt confectus, ergo cum Chriſtus talem obtulerit Deo Patri, mirum non eſt, ſi in Latina & Græca Eccleſia, hæc opinio inueterauerit vt in Catholica liturgia, & conſecratione Euchariſtiæ, non poſſit adhiberi niſi panis, ex aqua naturali concretus.

Tertium, quod panis, qui ex aqua humano ingenio facta, infertur menſis, non abſolute, & ſimpliciter, contritoque vocabulo panis eſt nuncupandus, ſed cum adiunctione roſaceus, &c. At Chriſtus, panem qui perfectus & ſine reſtrinctione talis erat, ſacroſanctis ſuis manibus tenens, eum verbi ſui omnipotentia in corpus ſuum conuertit, ergo è farina, quæ erat aqua naturali commixta.

Illud quidem libenter dant Theologi, pani conſecrando, ſi fermentum adſit, id conſecrando corpori, non obeſſe, quia vera, & legitima materia huius conſecrationis, eſt verus panis, quæ nomenclatura fermentato competit, non tamen ſi cum farina pinſitur, ei aqua roſarum infundatur, ad continendum panem, eiuſque partes, ne diffluant.

Ita docent aquam naturalem in conſecrando corpore requiri neceſſitate præcepti, & Sacramenti, quod autem panis ſit azimus neceſſitate tantum

præcepti, cùm quisque Ecclesiæ suæ consuetudinem sequi debeat, quandiu moratur intra eius limites, peccabit ergo Latinus, si in fermentato conficeret, Græcus in azymo. Florent. in literis vnionis. *Item definimus in azymo siue fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum corpus Domini conficere debere, vnumquemque iuxta Ecclesiæ siue occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.* A quo præcepto sub quolibet prætextu, etiam necessitatis, puta quia ad dandum viaticum morienti desunt hostiæ azimæ, abire nefas. Suar. disp. 44. sect. 3. A

Ratio est quod interfit boni publici, ad maiestatem autem pertineat Sacramenti: vniuersales in eo ritus vniformiter obseruari, quare cum hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis, ratio publica, priuato est commodo anteponenda Laym. tract. 4. cap. 2. num. 4.

Ad calicem quod attinet, eius materia est vinum de vite. Florentin. in literis vnionis, cui aqua ex Christi institutione est admiscenda. Cyp. epist. 2. lib. 1. ad Cæcil. Concil. Carthagin. 3. can. 24. *In sacris nihil præter corpus & sanguinem Domini offeratur, hoc est panis & vinum aqua mistum.* Vormatiense can. 4. *Cùm magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, panem tantùm & calicem, sub hoc Sacramento præbuisse cognoscimus, ideoque præter vinum cum aqua mistum, aliud offerri non debet.* B

Vuæ ergo confecrari nequeunt, primò, quia non sunt vinum, sed illud continent ad eum modum quo corpus, sanguinem. Secundò, quia cùm non sint potus, non possunt esse symbolum calicis, qui ex institutione Christi, ac significatione Sacramenti exigit, vt materia eius sit potus, quod vuæ non habent, quæ famem exsaturant, sitim non implent, eduntur non bibuntur. Quare eorum vsus in sacrificio Missæ prohibetur, in sexta Synodo, vt notauit Gratian. de consec. dist. 2. can. 6. *Præcipimus vt nullus Sacerdos hoc vlterius faciat, sed in remissionem peccatorum, populo oblationem fidem distribuat, & vuas seorsum benedictas, populus qui pesierit, accipiat, & fructuum gratias agat.* C

Quod de vuis præcipiunt Episcopi in ea Synodo, de musto sanxit Iulius Papa, in epist. ad Episcopos Ægypti. *Nam quod de expresso botro, id est de vuarum granis, populus communicatur, valde est omnino confusum.* D

Addo ego indecorum, ac sordidum, nam etsi mustum vini substantiam habeat, quàm tamen est imperfectum, quàm multis fæcibus plenum? quæ cùm ante aut post consecrationem subsidant, vtpote separatæ à reliqua vini substantia, materia calicis esse nequeunt, nec in iis conseruari sanguis, aut poni: quare in Dominici calicis Sacramento, ex vuis expressum recens vinum, offerri sine culpa non potest, extra necessitatem. *Sed si necesse est,* inquit Iulius, *botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur,* de consec. dist. 2. can. cùm omne 7. sicut accidit, cùm sacrificij tempus in die religioso, ac sacro vrget, quod omitti tamen ac negligi nequit sine offensione populi, nam tunc si vini nulla est copia, quin tum iusta sit exprimendi botri & in eius succo, ac humore, consecrandi calicis causa, nemini, vt apparet, addubitare iustè licet. E

Nam de consuetudine, quam inueterasse in multis prouinciis Vivaldus narrat, tract. de Euch. vt de vuarum primitiis expressis in calice, certo die anni, pro delictorum expiatione, Domino sacrificium offeratur, non probo, nam cùm sit hæc materia, à Sacramenti maiestate, quo nihil est augustius, ac purius, aliena, causa autem iusta sit nulla, à Dei gloria petita, aut vtilitate populi, ea potius vtendi tum, quàm vino communi, hæc mihi consuetudo, corruptelæ potius, quàm iusti alicuius, ac honesti moris, mereri nomen videtur. itaque damnanda est, nec toleranda, in celebrandis sacrificiorum salutiferis Sacramentis.

Aquæ autem in calicem infusio, quæ ex Christi præcepto, nobis ab Apostolis, & Conciliis tradito, est seruanda sub mortali. De culpa res est clara, potestque ex pœnarũ grauitate, quæ secus facienti imponuntur colligi, in Braccar. 3. can. 1. *Aliter faciens tandiu à Sacramento cessare debet, quandiu legitima pœnitentiæ satisfactione correptus, ad gradus sui officium redeat, quod amisit,* qua pœna multati antea Episcopi, ac Presbyteri leguntur, qui contra hoc præceptum peccassent. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, non iuxta traditum ab Apostolis ordinem fecerit, & vinum aqua mixtum non obtulerit in sacrificio, deponatur, vt imperfectè celebrans, & tradita innouans.*

Hinc enim argumentari sic licet, pœnarum grauitas, quibus culpa aliqua vindicatur auctoritate Principis, indicium est, tam voluntatis, quam habet astringendi subditos suos ad eius fugam, quã fœditatis, quæ est in opere malo, lege Principis prohibito: at hæc cùm concurrunt, culpa est haud dubiè mortalis, pro tali ergo est ea habenda, quæ neglectione præcepti de infusione aquæ in calicem admittetur. Cuius præcepti auctor est Christus, secundùm Patres in Aurel. Conc. 4. vbi dicitur sacrilegium iudicari, *aliud offerri, quàm quod in mandatis sanctissimis Saluator instituit.* In Concil. Carthagin. 3. hæc habentur: *vt in Sacramento corporis & sanguinis Domini, nihil aliud offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum,* can. 24.

Quod autem per Apostolos, ad nos præceptum hoc sit transmissum, loquuntur Canones & Concil. Trullense quidem, can. 32. *Ex Apostolica Traditione, vinum aqua misceetur.* Braccar. 3. can. 1. Iulius in epist. ad Episc. Ægypt. *Audiuimus quosdam schismatica ambitione deiectos, contra diuinos Ordines, & Apostolicas institutiones lac pro vino in sacrificio dedicare.* Et postea: *nulli deinceps sit licitum, aliud in sacrificiis diuinis offerre, nisi iuxta antiquorum sententiam Conciliorum, panem tantùm, & calicem vino mistum.* Iulius in epist. ad Episc. Ægypt. & refertur can. cùm omne, dist. 2. de consecr.

Et hæc est causa fortè, cur alij in hac mixtione, præceptum non agnoscant aliud quàm humanum. De eorum numero fuere Episcopi, in Trid. sess. 22. cap. 7. his verbis. *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino, in calice offerendo misceerent.*

Huius porrò mysticæ mixtionis significationes sunt duæ. Prima, vt ostendatur, *quòd vtrumque* (id est sanguis & aqua) *ex latere profluxit Christi.* Tribur. Concil. can. 19. Trident. sess. 22. cap. 7. Greg. lib. 8. regist. epist. 1. Clarissimè Braccar. can. 55. *Non oportet aliquid aliud in sanctuario offerri præter panem, vinum, & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur, quia dum in cruce penderet, de corpore eius sanguis efflunxit, & aqua, hæc tria vnum sunt in Christo Iesu, hæc hostia, & oblatio Dei in odorem suauitatis.*

Altera est, *vt populi fidelis, cum Christo capite,* vnio

vnio repreſentetur. Trid. ſeſſ. 22. cap. 7. *videmus enim in aqua populum intelligi, in vino autem Chriſti ſanguinem, ergo quando in calice, vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs, ei in quem credit copulatur & iungitur. Qua copulatio, & coniunctio aquæ, & vini ſic miſcetur in calice Domini, vt coniunctio illa non poſſit ſeparari* Concil. Braccar. 3. can. 1. Iul. Papa in can. cùm omne apud Gratian. de conſecrat. diſt. 2. Conc. Tribur. can. 19. vbi ratio adiungitur cur aqua in minori quantitate admiſceri debeat: *Quia maior eſt maieſtas Domini, quàm fragilitas populi.*

Cap. 7. Forma conſecrandi etiam à Chriſto Domino eſt tradita, in pane quidem: *Hoc eſt corpus meum.* In calice ſeu vini conſecratione, *Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ratio eſt, quòd forma ſacramentalis in iis verbis conſiſtit, quæ ſignificant id quod operantur. At verbis proximè citat. ſignificat Sacerdos, id quod præ oculis habet ac manib. eſſe Chriſti corpus, & ſanguinem: Et nullus *dubium habere poteſt, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocẽ cælos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio, Angelorum choros adeſſe, ſumma & ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi, vnumque ex inuiſibilibus & viſibilibus fieri.* Greg. Papa hom. 22. in Euang. & de conſec. diſt. 2. can. 73. ergo in iis conſiſtunt formæ ambæ, panis & vini, quibus prolatis, ſtatim fit eorum in Chriſti corpus & ſanguinem conuerſio, omnipotentia verbi: *Nam inuiſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas, in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, dicens, Hoc eſt corpus meum, & ſanctificatione repetita, Hic eſt ſanguis meus: ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum, ita pari poteſtate, in Spiritualibus Sacramentis, vbi præcipit virtus, ſeruit effectus*, de conſec. diſt. 2. can. 22.

Similia habet S. Fulbertus: *Dubitare nefas eſt, ad cuius nutum, cuncta ſubitò ex nihilo ſubſtiterunt, ſi pari potentia, ſpiritualibus Sacramentis terrena materies, naturæ & generis ſui meritum tranſcendens, in Chriſti ſubſtantiam commutetur, cùm ipſe dicat, Hoc eſt corpus meum*, epiſt. 1. ad Adeodatum: & paulò poſt: *Si Deum omnia poſſe credis, & hoc conſequitur vt credas, nec humanis diſputationibus diſcernere curioſus inſiſtes, ſi creaturas, quas de nihilo potuit creare, has ipſas multo magis valeat in excellentioris naturæ dignitatem conuertere, & in ſui corporis ſubſtantiam tranſfundere.* Id. ibid.

Ad hanc autem conuerſionem non requiritur, vt corpus Chriſti de nouo producatur, aut adducatur de loco in locum, ſed in eo conſiſtit hæc ſubſtantialis conuerſio, quod corpus Chriſti ſuccedat in locum ſubſtantiæ panis, quæ accidentia antea ſuſtinebat, & per conſecrationem deſinit, quæ ſucceſſio omnipotentia verbi facta, in hoc eſt ſita, quòd Chriſti corpus ſubſit prædictis accidentibus, eaque ſuſtentet, in quo ſubſtantialis mutatio, circa Chriſti corpus interuenit, in quantum teſte Bellarm. lib. 3. de Euchar. c. 18. hæc conuerſio terminatur ad ſubſtantiã prædicti corporis, vt ſuccedendo in locũ panis, vniatur accidentib. ea ſuſtentãdo.

Cap. 8. Quæ autem actio id efficit, appellatur à Patribus tranſſubſtantiatio. Innoc. III. in Conc. Later. can. 1. *Verum Chriſti corpus, & ſanguis in Sacramento Altaris, ſub ſpeciebus panis & vini, veraciter continentur, tranſſubſtantiatis pane in corpus, vino in ſanguinem, poteſtate diuina.*

Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. & can. 2. *Si quis negauerit mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſſubſtantiationem appellat, anathema ſit.*

Appellatur ſecundò, *conuerſio*, S. Fulbertus ep. 1. Euſeb. relatus à Grat. de conſec. diſt. 2. can. quia corpus 35.

Tertiò, *conſecratio, Panis, & calix, non qualibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur.* Ambr. de catechiſandis rudibus: *Panis eſt in Altari viſitatus, ante te verba Sacramentorũ, vbi acceſſit conſecratio de pane fit caro Chriſti, hoc igitur aſtruamus: Quo modo poteſt, qui panis eſt corpus eſſe Chriſti? conſecratione, conſecratio autem quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu.* Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Cùm reuerendum altare cibis ſpiritalibus ſacrandis aſcendis ſacrum Dei tui corpus & ſanguinem fide reſpice.* Euſeb. Emiſſ. apud Iuon. Carnot. ep. 284.

Quartò, actio operatoria myſterij in hoc Sacramento appellatur *mutatio. Si tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, aut in aliud commutentur.* Ambr. lib. de Sacram. 4. c. 4.

Aquam aliquando mutauit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutarit? Cyrill. Hieroſolymit. catech. myſtag. 4. *In Spiritalibus Sacramentis terrena materies naturæ, & generis ſui meritum tranſcendens in Chriſti ſubſtantiam commutatur, cùm dicat, Hoc eſt corpus meum.* S. Fulbertus ep. 1.

Quintò, nominatur *tranſfuſio. Creaturas quas de nihilo potuit creare, has ipſas multo magis valet in excellentioris naturæ dignitatem conuertere, & in ſui corporis ſubſtantiam tranſfundere.* S. Fulbert. ep. 1.

Cap. 9. *Hinc ergo penſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra, paſſionem vnigeniti Filij ſemper imitatur.* Greg. in hom. 22. ſuper Euangel. ab his enim verbis ordiri placet, eorumque effectuum, quos operatur in homine, narrationem inſtituere, quorum primus eſt delictorum remiſſio, pœnarumque relaxatio, quas hic eſt commeritus peccando, can. ante benedictionem, can. corpus, de conſec. diſt. 2.

Secundus, eſt gratiæ iuſtificantis in animo productio. *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Io. 6. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem viuet in æternum*: vt enim eſt omnis culpa lethifera, animæ toxicum, mors certa virtutum, ſalutis exitium, iuxta Apoſt. *Stipendium peccati mors*, & *vidua in deliciis viuens, mortua eſt in ſemetipſa.* Ita per gratiam, Deo naſcimur, paramur ad grandia, fortes contra Dæmonem, eiuſque impreſſiones fimus, vno verbo, viuimus, ſed vita quæ mortem neſcit, quæ cum omni æternitate propagari, ſi volumus, Deo miſerante, poteſt: fit enim in eius pectore, qui eam demiſſione animi, ac iteratis charitatis actibus colit, vt debet, *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, itaque ab hoc effectu eſt Euchariſtia à B. Ignatio ep. 14. nominata *pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, vitamque concilians in Deo per Ieſum, & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius vnitur, ſequitur quod per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè, gratia augeatur* Innoc. III. in Conc. Later. can. 1. *Accedimus enim*, inquit B. Greg. lib. 1. ep. 24. *ad myſticas benedictiones, & ſanè ſanctificamur, participes effecti*

ſanctì corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti.

Nec ſola ſunt hæc, ac ſumma bona Euchariſtiæ, parum illi eſt, in bene ſubacto pectore, virtutum ac gratiæ, ſementem facere, eaſque cum adoleſcere incipiunt, opibus ſuis alere, dum ſint cœlo maturæ, nobiliore præda, & vetò ſpolijs opimioribus triumphat. Animam morum ſimilitudine, ac communione ſenſuum, Angelis parem facit, corpore exutam cœlis inſerit, ac ne quàdo ei ſit male, aut ab amore Dei dum adhuc exul in terris agit, excidat, Chriſto eam iungit. Rabani ac Paſchaſij fuit olim hic ſenſus, vt ex manuſcripto Codice, in ſuum de Conſecrat. Gratianus tranſtulit diſtinctione enim ſecunda, can. verum 27. §. hanc igitur, hæc habet: *Rogamus, hanc oblationem benedictam, per quam nos benedicamur, aſcriptam per quam nos omnes in cœlo aſcribamur, ratam, per quam in viſceribus Chriſti cenſeamur, rationabilem per quam à beſtiali ſenſu exuamur.*

Eſt hic ergo Euchariſtæ effectus tertius, certum homini, conſequendæ poſt hanc vitam, beatæ immortalitatis pignus dare, interim autem dum viuit, his eum ornare virtutum inſignibus, quæ eum à belluarum moribus, ac ſenſu, ſegregatum, Angelo propiorem, quam homini faciant.

Rectè diuiniſſimi Patres, cum in Con. Florent. interprete Eugenio, dixere; *Omnem effectum, quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam ſpiritualem, & hoc Sacramentum operatur*, quod Chriſtus declaraſſe Ioan. 6. videtur cum dixit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, quaſi diceret vt deſtituta cibo corpora langueſcunt, & marcent, vt hic homini ſubtrahi, ſine aperta eius pernicie non poteſt, ita nec ego animæ, quæ carne mea, & ſanguine refici debet, vti corpus pane. *Panis cor hominis confirmat.* Pſal. 103. *vinum autem lætificat*, Pſal. eodem.

Et quis neſcit quanta, & quam pura, ſint animæ, à cœleſti & diuina *menſa reuertentis* gaudia? vt cibus qui in ea apponitur *angelicum ſapit, habentem intra ſe myſtici ſaporis delectamentum, non quod ore diſcernas, ſed quod affectu interiori deguſtes. Ita Chriſtus gratum communicantis intrans habitaculum, tot vt ita dicam ſuauitatis odoribus mentem reficit, quot formis intimæ reuelationis oculus meditantis eum meruerit intueri.* S. Fulbert. epiſt. 1.

Panis communis quem quotidie edimus, vita eſt corporis. Panis iſte ſuperſubſtantialis, vita eſt animæ, ſanitas mentis. Cyp. de Cœna Dominica.

Panis educat, panis corroborat, Chriſti Seruatoris corpus *animæ noſtræ ſubſtantiam ſulcit.* Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 20. ob eamque cauſam appellatur ἐπιούσιος idem ib.

Pane famem explemus, potu ſitim reſtinguimus, vtroque cum eſt abundè ſatisfactum appetentiæ, vltra nihil ambimus, nihil petimus: *Refecti Chriſto ſaginantur*, inquit Auguſt. in Pſal. 33. *licet integrum maneat quod eos ſatiat. Hoc vno ſeculo contenti omnes huius mundi delicias aſpernantur, & poſſidentes Chriſtum, aliquam huius mundi ſupellectilem poſſidere dedignantur.* Cyp. ſerm. de Cœna.

Lynces, tandiu meminere prædandi, quandiu venter vacuus ſictum fame guttur exaſperat, inquit Hieronym. ep. 3. ad Chriſogonum vbi paſtæ ſunt, omnium rerum ſuccedit obliuio præterquam quietis ac ſomni. *Papæ quam præclarus eſt calix iſte, quam religioſa eſt potus huius ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes ſenſum huius mundi, ſed diuitis delicias contemnentes, cruci hæremus, ſanguinem ſugimus, & intra Chriſti vulnera figimus linguam.* Cyp. ſerm. de Cœna.

Panis, è granis pluribus attritis mola, ac ſubactis, pinſitur, ac coagmentatur, eſt hoc Euchariſtiæ, non vltimum erga homines beneficium, quod eos inter ſe amore nectat, beneuolentia copulet, voluntate vt ſic loquar incorporet, etiam eius ope vniuntur Deo can. Chriſtus panis 57. can. quid eſt Chriſtũ 46. can. qui manducat. 75. can. credere 59. ibi enim ex Auguſt ſuper Ioan. ad cap. 6. tract. 62. & 27. hæc habentur *Participatione*, filii, quod *Sacramento ſed vſque ad ſpiritus participationem vt in corpore Domini, tanquam membrum maneat, & eius ſpiritu vegetetur.* In eandem ſententiam loquutus eſt Cyril. lib. 11. in Ioan. cap. 27. clariſſime Chryſ. homil. 83. in Math. *Non ſufficit ipſi hominem fieri, flagellis interim cædi, ſed nos ſecum in vnam, vt ita dicam maſſam reducit*, Cyrill. Hieroſolym. Cath. myſtag. 4. nos ideo συσσώμους id eſt vno eodemque cum illo conſtare corpore aſſerit, *nam non fide tantum, ſed reipſa nos corpus ſuum efficit.* Chryſoſt. ſuprà: Eo quod *corporaliter per benedictionem myſticam nobis vt homo vnitur, ſpiritualiter vt Deus.* Cyrill. Alexan. lib. 11. in Ioan. cap. 27.

Eſt & alia incorporatio, ſed myſtica, *ſubiectis obſequijs, voluntatibus vnitis, affectibus cum Deo iunctis.* Cyprian. ſerm. de Cœna, ſed de ea nobis hic nullus ſermo.

Et hoc quoque ad laudem Euchariſtiæ pertinet, quod vt panis, ardorem mitigat, vt iniectus ſtomacho cibus, calorem qui homini natura eſt inſitus, cohibet, ac ne ilia viſceraque miſerè depaſcatur humore ſuo, ſuccoque, prohibet. Ita Chriſtus in hoc Sacramento: *Sanientem membrorum noſtrorum legem ſedat, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ab omni erigit caſu.* Cyrill. lib. 11. in Ioan. cap. 17.

Panis homini quidem ſano, ſuauis eſt, ac vtilis, malè affecto ingratus eſt non modò, ſed etiam noxius, Euchariſtia, *mors eſt malis, vita bonis.* Quare, vt ſtomachum purgari, ac ab humorum colluuione vacuum eſſe oportet, vt ad ſanitatem ei illatæ epulæ proſint.

Sic ad hanc menſam, parari mentem, ſic ab omni culpa liberam afferre eos decet, qui hanc fructuoſam ſibi ac vtilem optant.

Cap. 9. Eſt hæc ergo in primis cautio adhibenda accedenti ad ſacram hanc menſam, vt ſit ab omni peccati mortalis labe mundus, Nam *vt alimentum vim alendi habens, ſi in eum, qui ſtomachi vitio, cibum faſtidit*, incidat πάντα ἀπόλλυσι καὶ φθείρει καὶ χίονται τέως ἀφορμὴν τοῦ δὴ καὶ τὸ τῶν φλεγμονῶν μυρεῖον. Chryſ. in homil. de Dauide & Saule, quę qui indigne tractat, manibus & animo ſcelere aliquo corruptis, *iudicium ſibi manducat & bibit.* 1. ad Cor. 11. quare. *Habentem adhuc voluntatem peccandi grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari.* Auguſt. de Eccl. dogmatib. cap. 53. ratio eſt, quod hoc Sacramentum ex eorum ſit genere, quæ viuorum appellantur, non mortuorum, iniuriam ergo ei facit, qui illud in animum, Deo & gratiæ mortuum, quaſi in tumulum demittit, fœtentem ac ſordidum: ἀφεζόμην τοῖς ἐκβάλλοις τὸ θεῖον, μόνοι δὲ κατοικεῖ τὴν καρδίαν τὸν θεὸν ἔλαχεν. Damaſc. de Sabb. ſancto. Cuius rei addo cauſam & alteram.

Fuit hoc maxime Chriſto Seruatori propoſitum, cum Euchariſtiam ab homine frequentari voluit,

vt hic cum eo ſocietatem amicitiæ coiret, eique iunctus, nexu hæreret, non diſſoluendo vllo tempore, *Volo*, inquiebat, *Pater, vt vnum ſint, ſicut ego & tu vnum ſumus.* Ob quam cauſam, nomen eſt Communionis Sacramento huic inditum, *κοινωνία κέκληται ἡ τῶν μυστηίων μετάληψις διὰ τὸ τῶν πρὸς Χριστὸν ἡμῶν χρείττονα εἶναι καὶ κοινωνὸς ἡμᾶς τῆς αὐτοῦ ποιῆν βασιλείας.* Iſidor. Peluſiota epiſt. 228. libri primi quæ Latine reddi ſic poſſunt, *Euchariſtia appellatur Communio, quia nobis cum Deo coniunctionem conciliat, noſque regni ipſius conſortes facit.*

Cui opinioni ſubſcribunt Doctores reliqui, Theophilactus in commentario quem ſcripſit in hæc Pauli primæ ad Corinth. 11. Calix cui benedicimus nonne communicatio eſt, &c. Non dixit, inquit, *μετοχὴ* id eſt participatio, *ſed κοινωνία*, id eſt, *communio, vt excellentius aliquid indicet puta ſummam cum Deo vnionem.* Finis ergo inſtitutæ Euchariſtiæ eſt hominis, cum Deo coniunctio. At cum ea bellum indictum habet mortalis culpa, vtpote, quæ à Deo mentem auocat, hancque ei inimicam reddit, ac inuiſam, de quo conſulendus Gab. lect. 87. in Canon. Eſt hæc ergo excutienda homini, vt conſcientiam terſam habeat ac nitidam, qualem obtinere ei non facile, niſi crebrò illam emaculet, quod frequens peccatorũ confeſſio poteſt, ad quam ſingulos adhortatur Apoſt. primæ ad Corinth. 11. cum ait, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat: Eccleſiæ enim conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque Sacramentali Confeſſione, ad S. Euchariſtiam accedere debeat.* Trident. Seſſ. 13. cap. 7. Si quidem eſt hęc menſa, ad nutritionem animæ, & conſeruationem eius vitæ, quæ Chriſtiano cuique, diuino conceſſu ac munere datur in Baptiſmo, quem natiuitatem alteram, ac regenerationem diuinam nominant. At non ſunt è numero viuentium, vita Angelorum, ac hominum, quos ſua virtus gratos Deo efficit, qui coinquinatum ſceleribus animum habent, *quæ enim in delicijs vidua viuit, mortua eſt.* 1. ad Timoth. 5. quocirca locum in iis non habet ſpiritualis iſta nutritio, quæ conſtare nequit ſine vita animæ, nec enim alitur quod eſt mortuum, vitaque expers.

Quid? quod Principi illotis manibus aſſidere, quod paratas conuiuis è præcipua nobilitate epulas, luto aut fæce reſpergere, ac fœdare, crimen ſit piaculare? Næ ergo non eſt innocens, qui ad diuinum hunc cibum, cordis munditiem non affert. *Tu cum carnalem cibum ſumpturus accedis, os antea, & faciem lauas, cum vero ad ſpiritualem menſam acceſſurus es, animam lauare diſſimulas, atque immunditia plenus accedis?* Chryſoſt. hom. 5. in 1. ad Timoth. quo quid turpius, quid ad commouendum aduerſum ſe Principem Deum efficacius? Ideo ſane Paulo teſte, *inter Chriſtianos, multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, quod ſi noſmetipſos diiudicaremus non vtique iudicaremur à Domino*: his enim verbis ſignificat Apoſt. eos qui indigne accedunt, à Deo in hoc ſæculo pœnis temporalibus corripi, aut morte puniri ſolitos, vt vel ſic reſipiſcant, & ſalui fiant, ita hunc locum explicant Pacianus lib. de Pœnitent. Cyprian. ſerm. de lapſis.

Chryſoſt. in explicatione harum vocum Apoſt. *Reus erit corporis & ſanguinis Domini*, ſcripſit pari pœna mulctandos, qui contaminato ore, & manibus, animum ad ſacra myſteria applicant, ac Iudæos, à quibus fœde confoſſus interiit, *τῶν αὐτῶν δίδωσι δίκην, ὅσοι ἀσεβοῦντες τιμωρίαν ὑφέξουσι τοῦ χείρονος, καθάπερ οἱ σφαγεῖς ἴσχυσε τὸ σώματος ἐγένοντο ὅτε καὶ ὅτε οἱ ἀναξίως κοινωνοῦντες τῶν μυστηίων.* Et in hom. cui titulus, Quod eſt præclarum, tam dicenti, quam audienti, loqui ad gratiam, ſcribit Regi peræque turpe eſſe ac fœdum, luto à prætereunte infici, ac veſte exui, hoc poſtremum autem probri genus à Iudæis Chriſtum paſſum eſſe, priore vero lædi quot diebus ac hebdomadibus, ab indignè communicantibus, *διέῤῥηξεν μὲν οἱ ἰουδαῖοι τὸ σῶμα σαυτῷ, μολύνει δὲ ὁ ἀναξίως αὐτὸ τῇ ψυχῇ, οὐδὲν εἰ καὶ διάφορα τὰ τῶν παθημάτων, ἀλλὰ τὰ τῆς ὕβρεως ἴσα.*

Quæ ab ijs vniuerſe dicta, ac generaliter, de culpa lethali duntaxat debent intelligi. Venialia enim præterita, ſoloque habitu manentia Euchariſtiæ effectum, qui eſt gratia, non impediunt. S. Thom. q. 79. art. 8. Cauſa eſt, quod hæc ſit eius laus propria, ea ex opere operato abſtergere, ac delere ex animo, quibus hic actu, aut virtute non adhæret. S. Thom. q. 79. art. 4. & in 4. diſt. 12. q. 1. act. 1. Bonauent. in eand. diſt. par. 2. art. 1. q. 3. Ergo eius effectui non obſtant, cum, quo temporis momento, obeſſe deberent, ac poſſent, ijs carere voluntas humana incœperit.

Deinde, Theologorum eſt hoc dogma longè certiſſimum. Sacramenta ex opere operato gratiam ſuſcipienti conferre, ſi his obicem vt loquuntur, non opponat. At peccatum veniale, gratiæ iuſtificanti non eſtaduerſum, cũ ambo eſſe ſimul poſſint in animo, ergo ab illo, mora nulla iniici, aut impedimentum iſti, afferri poteſt, quo minus producatur à Sacramento, miniſtri opera ac beneficio.

Qui tamen cum peccato actuali veniali, Euchariſtiam ſumeret, culpæ omnis expers non eſſet. Ratio eſt, quod ſciens, volenſque minus dignè quam ſit neceſſe, ad eam accedit, quid enim turpius, quàm abalienata mente à Deo, quem coram habes, ei aſſidere, cum eo colloqui, eum ore, pectoreque complecti? Deinde quis ferat, inquit, Bernard. in Cantica proſilientem ad amplexus, oſculaque Principis, cum nugas agit, auerſaque facie, cum homine nihili, de quiſquiliis, ſermonem habet? Ab oſculo pedis tranſeundum eſt ad oſculum manus, priuſquam veniatur ad os, nec ad Deum tutus eſt ac periculi expers acceſſus, niſi tibi ad eum, viam ante muniueris, demiſſione animi, modeſtia, dolore de peccatis ac pœnitentia: *Longus ſaltus eſt, & arduus, de pede ad os, ſed nec acceſſus conueniens, quid enim? recenti adhuc reſperſus pulnere, ora ſacra continges? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præſentaris, per manus tibi tranſitus ſit, illa prius te tergat, te erigat, quomodo erigat? dando vnde præſumas, quid iſtud? decor continentiæ, & digni pœnitentiæ fructus, quæ ſunt opera pietatis.* Bernard. ſerm. 3. in Cantica. Hæc cogitemus dilectiſſimi, ac ſi qui vultui noſtro næui ræſident, vt Deo accepti ſimus & grati, tollamus illico ac parent, *& aquila in hac vita facti, euolemus ad cœlos.* Chryſoſt. homil. 24. in 1. ad Corinth. Moyſi cum Deo colloqui non ante licuit, quam calceamenta poneret *τοῦτ' ἔστι, τὴν ἐκ γῆς καὶ μολυσμῶν ἐνούσαν*, id eſt, cogitationes de terra humiles, nec in Sina montem, penetrare illi fas fuit, cum tonante cœlo, lex Iſraeli data eſt per manus Moyſi, niſi mundo à culpa, ac morum innocentia commendabili *τῷ ἁγίῳ τῇ καθάρσει ἐμφανῶν ἄκρος* id eſt, puritate, aſcenſum menſus eſt in montem,

quæ omnia, eius rei, qua de agimus, argumentum ſuppeditant, robuſtum, ac forte, à venialibus, liberum eſſe oportere, ſaltem actualibus, qui notam euadere cupit, ſuſceptæ Euchariſtiæ, minus reuerenter ac dignè, quàm eſſet neceſſe. Minus dignè quidem, quia cùm hæ leues culpæ, caritatis ardorem extinguant actualem, deuotionis vim ſopiant, finem, cuius causâ, Sacramentum eſt in Eccleſia, à Deo Principe inſtitutum impugnant, ideoque faciunt vt minus dignè ac reuerenter ſuſcipiatur. Adde & cum minore fructu, nam non iis animus è cœlo voluptatibus perfunditur, quibus haud dubiè abundaret, ſi cùm ad Chriſti vbera os in Euchariſtia applicat, hunc vnum ſaperet, de eo cogitaret, hunc ſolum diligeret, peccata etiam minima odiſſet ac fugeret, quam in curam, ſedulò nos ac ſtrenuè incumbere Paulus hortatur his verbis. *Probet autem ſeipſum homo*, 1. ad Cor. 11. id eſt, interprete S. Chryſoſt. ac Ambroſ. in eum locum: *Ex quaradice oriantur in ſe peccata venialia, eaque ſerio propoſito emendare proponat.*

Et quoniam *de fide interioris hominis procedit, diuini guſtus ſaporis, dum per ſalutaris Euchariſtiæ infuſionem inſtruit Chriſtus in viſcera animæ ſumentis.* S. Fulbert. Carnot. ep. 1. *ſic ſacræ menſæ communicare debemus, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti, & ſanguinis ambigamus, hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur.* S. Leo in ſerm. de ieiun. 7. menſis: quam vt conciperent, ſeque Deo gratos tali opere exhiberent, priſci ævi Catholici, Sacerdos Chriſti corpus manu præferens, clara voce, ac diſtincta, ex aræ gradibus inſonabat *Corpus Chriſti*, ad quam vocem qui parati venerant eo paſci, reſpondebant, *Amen. Sacerdos tibi dicit, Corpus Chriſti, & tu dicis, Amen hoc eſt verum: Quod lingua confitetur, hoc teneat affectus* Ambr. lib de Sacram. 4. cap. 5. *Fruſtra enim ab illis reſpondetur, Amen, quibus contra id quod accipitur diſputatur.* Leo ſerm. 6. de ieiunio 7. menſis. His ego artibus, paranda cuique eſt via ad Euchar. vt firmiter credat Dominicum ſibi corpus ad eſum dari, ad potum diuiniſſimum eius ſanguinem. *Si ſederis ad menſam potentis, aut Sapiens, cognoſcens intellige quæ apponuntur tibi, & ſic extende manum tuam:* Quod explicans S. Auguſt. ſerm. 1. de S. Laurent. *Quæ, inquit, eſt menſa potentis, niſi vnde ſumitur corpus & ſanguis Domini? & quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? & quid eſt conſiderare, & intelligere quæ apponuntur, niſi dignè tantam gratiam cogitare?*

Tertiò, vt quis dignè cenſeatur ad Euchar. accedere, debet id in Dominicæ mortis memoriam facere: eſt enim à Chriſto inſtituta, *tanquam paſſionis ſuæ memoriale perenne.* D. Thom. opuſ. 57. *Captiuus eras*, inquit Anſelm. in meditat. *& ſic liberatus es, perdita, ſic reſtituta, mortua, ſic reſuſcitata, hoc mandet, hoc ruminet, hoc fugat, hoc glutiat cor tuum, cùm eiuſdem Redemptoris tui carnem, & ſanguinem accipit os tuum.*

Sanè cùm omnium beneficiorum, quibus benè de nobis, benè de Eccleſia vniuerſa Chriſtus eſt meritus, memoriam colere ſempiternam oporteat, tum eius maximè, ſine quo reliqua, quamuis diuina nulla eſſent. Hanc Chriſtus exigit ab Apoſtol. *Hoc facite in meam commemorationem*, hanc ab omnibus promiſcuè, nullo ſexus ac ætatis diſcrimine diuiniſſimus ſponſus: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Cuius præcepti Bernard. memor faſciculum ſibi inter vbera collocandum texuit, *pro acerno meritorum, quæ deeſſe ſibi ſciebat, collectum ex omnibus amaritudinibus, & anxietatibus Domini.* Serm. 47. in Cant.

Quartò, quo paratiores venirent olim Chriſtiani ad Sacram menſam, tribus diebus, interdum etiam pluribus abſtinebant ab opere coniugali, decreto Elibertini Concil. cuius fit mentio, diſtinct. 2. de conſec. can. Omnis homo 21.

Omnis homo ante ſacram communionem à propria vxore, abſtinere debet tribus aut quatuor, aut octo diebus. Cùm enim, authore Greg. Nazianz. in Apolog. *purè ſit attingendum, id quod purum eſt, & ſemper eodem modo ſe habet*, mirum quantum Maiores noſtri innocentiæ ſtuderent, quantam tam animi, quàm corporis munditiem in communicante exigerent.

Queritur de Romanis Hieron. in epiſt. 50. quod quo die ſacris epulis vſi eſſent, operam filiis procreandis darent: *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo, ſed ipſorum conſcientiam conuenio, quod eodem die poſt coitum communicent.* Quod cùm illis turpe viſum eſſet conſequutis temporibus, enimuerò non modò menſa ſacra, ſed etiam templi aditu abſtinendum ſibi cenſebant, Greg. Papa 1. ad Auguſt. Londin. Epiſcop. lib. 12. reſp. 10. Inde ortæ Hieron. querelæ epiſt. ante citata. *Quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Eccleſias? an alius aliis in domo Chriſtus eſt? quod in Eccleſia non licet, nec domi licet.*

Nihilominus eorum mihi placet opinio, qui mulieres à culpa vacare aiunt, cùm quo die communicaturæ ſunt, marito debitum exigenti, parent. Sanch. lib. 9. de Matr. diſp. 13. num. 9. Suar. tom. 3. diſp. 68. ſect.

Ratio eſt, quod legibus caritatis, ac iuſtitiæ obſequi, virtus ſit, non vitium: at quod æquitas, ratioque poſtulant, fœmina efficit, cum marito ſeriò ac conſtanter petenti obſecundat: ſui enim non eſt arbitrij, iuriſque, ſed alieni, iniuriam ergo ne illi irrogaſſe arguatur, honeſta eius poſtulata faciet.

Quid? quod ea reſpuere, quod negare, ſit apertè caritatem lædere, exinde enim rixæ, odiaque naſci ſolent, nec niſi ægrè (quod eſt periculi pleniſſimum) ſibi ab amore alienæ fœminæ, aut præpoſtera Venere, temperabit, qui quod appetit tanquam ſuum domi non reperit. Non peccant ergo mulieres cùm rogatæ maritis ſe ſubiiciunt, quia quod eſt officij, quod caritatis ac iuſtitiæ implent *Vir autem ſimiliter ſi ſua coniuge, non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodò liberorum creandorum gratia vtitur, iſte profectò ſine de ingreſſu Eccleſiæ, ſeu de ſumendo Dominici corporis, & ſanguinis myſterio, ſus eſt relinquendus iudicio, quia à nobis prohiberi non debet.* Gregor. I. ad Auguſt. Londin. Epiſcop. interrog. 10.

Cæteris omnino erat inhibitum, quo die voluptatem congreſſu muliebri cœperant, ſacræ menſæ communionem quærere. Clem. epiſt. 2. Theodulph. ad Presbyt. Aurel. cap. 44. *Qui enim contaminatus eſt carnali concupiſcentia, quo pudore ſacrificium vſurparet, aut qua conſcientia, quoue merito, exaudiri ſe crederet, cùm dictum ſit, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum.* Innocentius epiſtola ſecunda, capite ſecundo.

Primò, cùm noſſent priſci ævi Patres, Eccleſiæ conſtituendæ Principes, ieiunij ad conciliandum ſibi Numen, vim in omnes partes eſſe mirabilem: ad Dæmonum autem victoriam incredibilem, ſtatuere Deo id illis inſpirante, vt nemini ad eum acceſſus eſſet, niſi ieiuno: Verum enim eſt

Augustini effatum, ep. ad Ianuar. 118. *Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm reliqui cibi.* Verissimum item Concil. Altisiodor. can. 19. Carthag. 3. can. 29. *Vt Sacramenta Altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur.* Quæ consuetudo in Ecclesia ob iustas causas desiit, potissima est, quòd à reuerentia Sacramẽto debita abhorreat, illud benè pransо, ac fortè vi ciborum ac potus, non satis sui compoti, dari. Potuisse autem Ecclesiam, & Episcopos, morem hunc ex moribus nostris tollere, patet: nam illis, accidentales Sacramentorum ritus, modumque quo administranda forent, ordinandum Christus solita sua benignitate commisit, August. teste loco citato, his verbis: *Non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, seruaret hunc locum.*

Et hæc de solita Maiorum nostrorum diligentia curaque, in parando ad susceptionem Eucharistiæ animo dicta sunto, in quo etsi sit laudanda eorum religio, non videtur tamen imitanda necessariò, ad fugam peccati, & perceptionem gratiæ, qui est Sacramenti huius effectus proprius. Quia ad acquirendum augmentum gratiæ, in eius sumptione, deuotio actualis, aut dispositio alia non exigitur, quàm vt suscipiatur voluntariè tanquam cibus animæ, si suscipiens adultus sit, suique compos. Sylu. ver. Euchar. in fine. Suar. disp. 63. sect. 3. Ægid. q. 79. art. 1.

Quorsum ergo proximè superior instituta oratio est, dixerit aliquis, si nihil est necesse, afferre ea quæ continet, ad Christi mensam?
Nempe, ne quid omissum esset in hac Epitome, quod ad dignitatem Eucharistiæ, & Maiorum commendationem faceret.

Cap. 10. Quoties autem est sumenda, quot annis, & quando?

Quot effluxere ab Apostolorum æuo sæcula, tam fuit de frequentanda Communione, Ecclesiæ consuetudo multiplex ac varia.

Primò quidem, ad eam ibatur quotidie, Act. 2. *Erant perseuerantes in oratione vnanimiter, ac fractione panis*: nec erat hæc Religio relicta singulorum arbitrio, ni vellent Ecclesiæ aditu arceri, eiusque priuari suffragiis, sacra cum cæteris obire mysteria debebant. Antioch. Concil. can. 2. Braccar. can. 84. *Si quis intrat Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit, & pro luxuria sua auertit se à communione Sacramenti, & in obseruandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, illum talem proiiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & possit communionem percepta indulgentia promereri.* Cypr. ad Tyberitanos, ep. 6. est hoc verbum ad rem præsentem elegans, solitos nempe Christianos quotidie assidere mensæ Eucharisticæ, vt inde vires sibi animi, corporisque, ad hostium Christiani nominis victoriam necessarias arcesserent: *Considerantes se quotidie calicẽ sanguinis Christi bibere, vt & ipsi sanguinem fundere, possint.* Dabatur ideo ituris ad prælium, vt vincerent: martyribus ne tormentis superati, manus tyranno darent. Cyp. lib. 1. ep. 17. ad Cornel. *Cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarios volumus, munimento Dominicæ securitatis armamus*: Et post pauca: *Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, & mens deficit, quem non recepta Eucharistia erigit.* Hæc vna sanctorum omnium Patrum vox est, vt Eucharistia nihil est efficacius ad gratiam, sic nihil in natura rerum esse potentius ad victoriam. Hanc illis causam extitisse puto, conseruandæ in Ecclesiis, quibus cum auctoritate præerant, consuetudinis Apostolicæ, communicandi quotidie.

De Romanis & Hispanis, testis est Hieronym. in ep. 28. & 50. De Africanis Tertul. ad vxorem, lib. 2. cap. 3. *Non sciset, inquit maritus, quod secretò ante omnem cibum gustes.*

Clarius Cypr. in explanatione Orationis Dominicæ: quærenti enim cur panem qui Græcis, & Ambrosio ἐπούσιος appellatur, quotidianum Christus nominet, respondet: *Ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie, in cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dùm absentes, & non communicantes, à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur*, vt iam cuique sit obuium, & facile intelligere, cur qui iubentur curam nullam sui, nullam corporis, nullam cibi aut potus suscipere, Matth. 6. *Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus*: Panem sibi ex Christi mandato dari quotidie postulent. *Cœlestem enim panem, cœlestis Pater, cœlestes filij vt postulent hortatur. Ipse enim est panis, qui natus in Virgine, fermentatus in carne, in passione consectus, in formate coctus Sepulchri, in Ecclesiis conditus, illatus Altaribus, cœlestem cibum fidelibus quotidie submistrat.* Chrysolog. serm. 67.

Et quoniam per morbum aut impedimenta, quæ nunquam desunt implicatis coniugio, multi interesse rei diuinæ, sistere se Ecclesiæ, quotidie non poterant, licebat cuique Eucharistiam sibi ad dubia animæ tempora eiusque cibum petere, ac donum deferre sumendam, cùm esset necesse. Greg. Nazianz. in funere Gorgoniæ sororis, & Ambr. in orat funebri Satyri fratris, authores ambo, meminique me legere in historia vitæ S. Laurent. Episcopi Dublinens. in Anglia: *Sacerdotes quatuor, sicut moris tunc erat* (verbadunt Surij) *pro tuto viatico, ac securo duce itineris, Eucharistia se muniisse, quam theca inclusam secum gerebant.* Dabatur autem à Sacerdote postulanti, qui eam manibus in formam crucis compositis, in earum altera scilicet receptam, honestè quoad eius fieri poterat ac religiosè inuolutam, domum secũ asportabat, collocandam in Altari, vt de Gorgonia refert Gregor. Nazianz. aut loco quopiam honesto, de quo nobile apud Cyrillum Hieros. catech. 5. mystag. testimonium extat. *Accedens ad Communionem, non expansis manuum volis accede, neque disiunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quandam subiiciens dexteræ, quæ tantum Regem suscepturа est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen.* Quod tamen viris, hoc peræque non erat permissum fœminis: Nam *non licebat mulieri nuda manu Eucharistiam sumere, nec manum suam ad pallas Dominicas mittere.* Concil. Altisiod. can 6. Hæc itaque, eam in linteo ad id parato recipere iubebatur, cui Dominicale nomen erat. *Vnaquæque mulier quando communicat, Dominicale suum habeat, quòd si qua non habuerit, vsque in alium diem Dominicum, non communicet.* Altisiodorense Concilium, canone 39.

Patet hinc morem communicandi quotidie, qui in primæua Ecclesia inueterauerat, eo tempore non fuisse inusus. Sane episcopi in Concil. Paris. sub Lothario & Ludou. libr. 3. can. 20. communioni

alia tempora non præstituunt, quam quæ cuique sua erga Deum religio pietasque suaderent. *In quadragesima quidem singulis diebus Dominicis, præter hos, qui excommunicati sunt, Sacramenta corporis & sanguinis omnibus sumenda esse*, scribit Theodulphs ad Presbyt. Aurel. *Quadragesima autem, quam no Ecclesiæ maiorem appellat, omni die*, Nicolaus Papa ad consulta Bulgaror. cap. 9. Sed hunc morem Ecclesiæ non fuisse vniuersæ sed paucarum, indicant quæ sequuntur. In primis narrat Basil. in epist. ad Cæsariam Patriciam, Christianos sui sæculi quater, quot hebdomadibus communicare solitos die Dominica, quarta feria, sexta, & sabbatho, *& aliis diebus*, inquit, *si quando Dominica memoria vel Sanctis alicuius fuerit.* Secundo & hoc constat, ab ea pietate fuisse in occidente Christianos, valde remotos, Romæ quidem & in Italia, extitisse plerosque, qui vsum Eucharistiæ Paschate definirent, innuit hæc Ambrosii plena grauitatis oratio. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, sic vive vt quotidie mereatis accipere*, lib. de Sacram. 5. cap. 4. quæ est etiam August. in serm. Domini in monte lib. 2. cap. 7. Quare, vt mortuam prisci æui pietatem erga Euchar. suscitarent Galli Antistites, sanxere in Agath. Concil. can. 18. vt *seculares, qui in Natali Domini, Pascha, Pentecoste, non communicarent, Catholici non haberentur.* Idem in Elibertino statutum, Gratiano teste in distinct. 2. de consec. can. omnis homo 21. verùm, cum ne sic quidem meliores multi fierent, quod frequentatio Euchar. illis diebus, videbatur eorum arbitrio relicta, non præcepta, visum est Ecclesiæ eam vt sumendam sibi quotannis, singuli semel saltem circa Pascha scirent, sancte ac religiosè, præcipere, est hæc canonica eius sanctio præscripta his verbis in Concil. Lateran. Innoc. III. præside. *Omnis vtriusque sexus, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno, proprio Sacerdoti. Vt suscipiat reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi proprius Sacerdos duxerit abstinendum, &c.* can. 21. dicti Conc.

Cap. 11. Ea tamen lege astricti non videntur infantes. Quia etsi Sacramentum Euchari. illis prodesset ad gratiam, non est tamen iisdem necessarium. Quid ita? nempe quia iis morbis animi non vrgentur, ad quorum curationem, instituta est Eucharistia, nam primò insidiis Dæmonum non sunt expositi, quid enim hi lucri ab eorum casu? quid commodi, ac quæstus ex eorum lapsu sperarent consequi, cum infantes, quandiu tales, ob rationis integræ, plenæque non vsum, peccare nesciant? Secundo cum ea ætate carnis insultus non sentiant, nec proinde, quidpiam illis de vi mentis ac gratiæ, per internum concupiscentiæ fomitem depereat, ad Eucharistiam quorsum irent, quæsituri remedia quibus non indigent? & quorum causa est hæc instituta per modum alimoniæ, vires restaurantis, quas cum concupiscentiæ fomes, tùm perpetuæ Dæmonum appetitiones debilitant? Scio quidem eos olim ad altare communionis causâ admissos esse, vt constat ex Dionys. de Eccleiast. hierarch. cap. 7. sed hæc nusquam illis beneficia conferri hoc tempore, decreto Ecclesiæ audio, quare neganda est illis Euchar. antequam ad annos discretionis attigerint, vt loquitur can. omnis.

Quæ autem puerorum, eadem quoque causa est amentium, qui ab infantia sunt tales. Aliorum autem, quos morbus, aut casus, deiecere de statu mentis, ratio est habenda sub finem vitæ, suppeditat eius rei testimonium canon. 76. Conc. Carthag. 3.

Extra quem articulum, de Euchar. illis danda cogitandũ non videtur, eo quod sacramenti dignitas, ac reuerentia exigit, vt non detur nisi bene præparatis per actus charitatis, ac fidei, & quos exerceant actu, cum eos Sacerdos reficit cœlesti pane, nisi illum, ad id grauis aliqua causa, ex prædictorũ commodo aut necessitate petita impellat: at extra mortis articulum talis nulla apparet, & tum reperitur, ne huiusmodi homines, destituti viatico discedant, quod expressè, aut implicitè, eos ante amentiam desiderasse, hoc ipso præsumit Ecclesia, quod Catholicè, & salutis suæ non immemores vixerint, Laym. tract. 4. cap. 4. Si tamen constaret eos cum amẽtes sunt facti lethalis peccati reos fuisse, aut metum esse ne præ deliquio animi quo laborant, aut vi morbi Eucharistiam euomant, offerenda eis non erit, quia vt satisfiat homini, ratio suadere nulla potest, tantæ iniuriæ sacramentum exponendum esse.

Quid de Leprosis autem, ac Energumenis sentire oporteat, definiere Pontifices Gregor. Zacharias, & alij. Ille in respons. 10. ad Augustini postulata, hic autem epistola 5. in hæc verba. *Qui regio morbo vexantur, in Ecclesia dum ad communionem venerint, post omnium suppletionem erunt ingressuri ad participandum munus. Sane cum quod quis inuitus patitur eis in culpam non debeat imputari, ac per hoc nec à participatione tanti remedij coerceri.* Nicol. ad consulta Bulgaror. cap. 63. *Itaque leprosis, si fideles Christiani fuerint, Dominici corporis, & sanguinis participatio tribui debet.* Gregorius tertius epistola quarta.

Energumenis autem salutifera Christi Sacramenta olim concessa fuisse, docet Elibertini Concil. sanctio in can. 37. citata antea. Tyræus de Dæmonib. part. 2. cap. 28. Binius to. 1. Conc. in can. Elibert. Conc. 28. Et quamquam essent Cœnobitæ, priscis illis temporibus disciplinæ Ecclesiasticæ tenaciores cæteris, quamobrem tamen vexatis à Dæmone culpa sua nulla, sacrosancta mysteria neganda forent regula eorum nulla docet, *Itaque communionem sacrosanctam à senioribus nunquam illis meminimus interdictam.* Cassian. collat. 7. cap. 30. cuius rei rationem hanc reddit, nempe quod *Magis ac magis inimicus insultabit obsesso, cum eum à cœlesti medicina viderit segregatum, tantoque diuinus, & frequentius attentabit, quanto eum à spirituali remedio longius senserit segregatum.* At enim inquies. Elibert. can. 29. prohibet, *energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen, neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, vt sua manu in Ecclesia ministret.* Respondendum, ibi agi de eo qui rescissus ab Ecclesia vti membrum tabidum, ob horrenda eius facinora, Dæmoni ad vexationem erat traditus, secundum Apost. 1. Cor. 5. aut certe de his ibi fit mentio, quos constat, ante expiatum à culpis animum, ac proinde in malo statu, in potestatem venisse Dæmonum, quos ab Eucharistico epulo, ac sacri altaris ministerio arceri, tanquam indignos, quid mirum?

Excommunicato autem publico, de cuius absolutione non constat, est ne saltem in mortis articulo impartienda Eucharistia?

Causa dubitandi duplex 1. Quod iure diuino, tunc temporis omnes Christi corpus suscipere coguntur quo iure spoliari iustè authoritate Ecclesiæ nemo potest. Altera, quod decreto Ecclesiæ in Braccar.

Digitized by Google

Concil. can. 83. Nicæno 1. can. 12. nemo in fine vitæ maximè vtili ac neceſſario viatico ſit priuandus. *De his verò qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula obſeruabitur etiam nunc, itaut ſi forte quis recedat ex corpore, neceſſario vitæ ſuæ viatico non deſit adhibendum.* Nicæn. can. 12. ſimilia habet Braccar. vt refertur 26. q. 6. can. 6. *Si quis de corpore exiens nouiſſimum & neceſſarium Communionis viaticum expetit, nonne ei denegetur.*

Reſpondendum, ad canones Conciliorum, Nicæni, & Braccar. in iis nullam de excommunicatis denuntiatis & publicis mentionem fieri, ſed de ſolis duntaxat fidelibus, qui præſtituta ſibi ad ſatisfaciendum tempora, per pœnitentiam publicam quam obibant, necdum expleuerant, quibus remedio Communionis, & reconciliatoriæ manuum impoſitionis non negamus ſubueniendum eſſe.

Ad argumentum alterum quod fuit primo loco poſitum: Dicendum eſt, iuris diuini non eſſe, ſed canonici tantùm, quòd quis teneatur Chriſti Domini corpore & ſanguine ſub vitæ finem refici, in ea opinione fuere Concilia, Mogunt. & Vormatienſe, Pontifices, & Doctores, Magunt. ſub Rabano, can 26. mentem ſuam his verbis aperit: *Ideo ſecundùm canonicam auctoritatem, ne illis ianua pietatis clauſa videatur, orationibus, & conſolationibus Eccleſiaſticis ſacra cum Vnctione Dei animati, ſecundùm ſtatuta Patrum, communione viatici reficiantur*, & can. ſequen. *Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & de quibus pœnitentibus, Communio in fine, ſecundum canonicum iuſſum danda eſt, cur non etiam eis, qui pro ſuis peccatis extremam pœnam perſoluunt?*

Conciliorum mentem decretaque præuertit Innoc. ep. 2. cap. 3. cùm enim ex eo quæſitum eſſet, quid de eis obſeruari oporteret, qui poſt Baptiſmum, voluptatibus carnis dediti, virtuti bellum indixiſſe videbantur, in extremo tamen vitæ poſiti, Pœnitentiam ſimul, & Communionem dari ſibi poſtulabant. Reſpondit dandam non videri, quia *Confeſſionem prior tenuit, vt concederetur Pœnitentia, ſed Communio negaretur.* Eius ergo ſuſceptio, non ad diuinam, ſed Eccleſiaſticam inſtitutionem, viri huius iudicio referri debet, cùm illi ſoli à conſuetudine ſit præiudicium, & non diuinæ.

Eadem docuit D. Thom. in 4. diſt. 9. q. 1. ar. 1. Alex. Halenſ. in 4. par. q. 11. memb. 2. art. 4. Palud. in 4. diſtinct. item 9. q. 1. concl. 3. eos ſequitur: nam ait eum qui morituru eſt, ſi paucis ante diebus, quàm in morbum incideret, Euchar. ſit refectus, non teneri iterum confiteri, nec communicare. Ioan. Maior ſcribit ad hunc modum: *Sacramentum in articulo mortis, ſorte non eſt præceptum diuinum, ſed ſemel ſumere in vita.* Ad teſtimonia tantorum hominum accedit ratio. Quæ diuini ſunt iuris, ſtata ſunt, fixa, & perpetua, nec emouenda, niſi eius ſolius manu, qui ſanxit: At hic ſecus accidit, vt vidimus, cùm tam conſuetudine Eccleſiæ, quàm Epiſcoporum lege, multis, quorum vita erat in deſperatis, Euchariſtia ſit negata. Quidquòd legibus noſtris, id eſt, Gallicis, eius perceptio non conceditur afficiendis vltimo ſupplicio, quod tamen eſſet neceſſe, ſi ſumendi viatici ius diuinum foret.

Quare excõmunicatis ac facinoroſis de fęce pop. hominib. quãuis in extremo vitæ fine poſitis, ac cœleſtẽ hunc panem enixè flagitantibus, niſi Eccleſi certum habeat de eorum reditu, ad Deũ per pœnitentiam, indulgendus non erit. Primò, quia cùm præciſo, ac denuntiato per leges Eccleſiæ, nobis nihil poteſt eſſe commune, nec in ſacris, nec humanis commerciis. Secũdò, eſt ſanctiſſima Euchariſtia, cibus viuentis animæ, ac Deo gratæ: peccat ergo contra venerationem ei debitam, qui illam vtendam obiicit eius hoſti, ac publico Eccleſiæ iudicio, ob flagitium mortale mortuo, quæ omnia approbantur in can. hi non ſunt, diſt. 2. de conſecrat. can. in cœna, verſu exceptis iis, cap. Epiſcoporum, verſu aut excommunicatos publicè de priuilegiis in 6. ibi enim Bonifac. VIII. prohibet Regularibus, & aliis, *ne excommunicatos publicè, vel interdictos, ad diuina officia, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam admittant: qui verò contra præſumpſerint, præter alias pœnas à iure ſtatutas, ingreſſum Eccleſiæ ſibi nouerint interdictum.*

Pari pœna mulctatos video vſurarios, qui ſi ſunt *manifeſti, nec ad communionem Altaris admittuntur, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiunt, ſepulturam.* Alex. III. in Conc. Later. can. 25.

Quicumque item res Eccleſiis deleg.tas iniuſtè poſſidens r tinere olim præſumebat, ab omnibus Eccleſiis ſegregatus, à ſancta Communione habebatur extraneus. Turon. 2. can. 26.

Cap. 12. *In ſacramentali autem ſumptione, ſemper mos fuit in Dei Eccleſia, vt Laici à Sacerdotibus Communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes, ſeipſos communicarent, qui mos ab Apoſtolica traditione deſcendens, iure ac merito retineri debet.* Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. Quare in Conc. Rhem. ſeuerè Patres prohibuere Presbyteris, ne per Laicos aut fœminas, ſinerent ad infirmos viaticum deferri: *Sed omnimodis Presbyter per ſemetipſum infirmum communicet, quòd ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubiacebit.* de conſecr. diſt. 2. can. pernenit 29.

Diaconis quidem olim licuiſſe occupari in ſacro miniſterio panis, & calicis proferendi communicantibus, verba Iſidori lib. 2. cap. 8. de ſacris officiis, relata à Conc. Aquiſgran. can 7. indicant: ibi enim eſt, ſpectaſſe ad Diaconos Chriſti corpus & ſanguinem diſpenſare Laicis. *Sicut in Sacerdote conſecratio, ita in Miniſtro diſpenſatio Sacramenti eſt: illi orare, huic pſallere mandatur, ille oblata ſanctificat, hic ſanctificata diſpenſat: ipſis etiam Sacerdotibus, propter præſumptionem, non licet de menſa Domini tollere calicem, niſi eis fuerit traditus à Diacono.* Scribitque Clemens Papa in ep. 1. citatus à Gratiano, de conſecrat. diſt. 2. can. 3. *Tribus gradibus commiſſa eſſe Sacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt, Presbytero, Diacono & Miniſtro.* Cùm enim in Sacramentis ſubſtantialia ſola Chriſtus inſtituerit, & cætera accidentalia Eccleſiæ diſponenda reliquerit, vt Trident. habet, ſeſſ. 22. cap. 2. mirum nulli eſſe debet, ſi id initio naſcentis Eccleſiæ ab Apoſtolis conceſſum eſt Diaconis. Quæ poteſtas eis poſtmodum eſt ſublata, in Arel. Conc. 1. can. 15. Nicæno 1. can. 14. permiſſa tamen, quando Sacerdotes aberant: *Sacri corporis*, inquit Gelaſ. epiſt. 1. cap. 10. *ſub conſpectu Pontificis, ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus, ius non habeant Diaconi exercendi*; aut cùm ab eis iubebantur, ex cauſa aliqua, à neceſſitate petita, ſua aut populi, tali miniſterio vacare, *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti populo ſi neceſſitas cogit, iuſſus eroget.* Carth. Concil. 4. can. 38.

Populi fit mentio, nam cùm Sacerdotes de Dia-

conorum manu, Eucharistiam recipere indignum esset visum Episcopis, id ne in posterum facerent, illis est prohibitum à Concil. *Pervenit ad Sacrosanctum Concil. quod in locis quibusdam, & civitatibus, Presbyteris Diacons Sacramenta porrigant: hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, vt qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt, Christi corpus porrigant: hæc ergo amputentur, & accipiant ab Episc. aut Presbytero sacram Communionem.* Concil. Nicænum 1. canone 14. quid enim æquius, quàm vt dispensandi sacrosancti Christi corporis, auctoritatem habeant, qui eius conficiendi ius habent? maximè cùm secundùm Apostolum, ad Corinth. 4. Sacerdotes *Ministri sint Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

TRACTATVS

TRACTATVS SEXTVS: DE SACRIFICIO MISSÆ.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Sacrificium.

PRIMA Aſſertio. *Sacrificium non eſt opus quodcunque pium, honoris Deo conciliandi causâ, à nobis factum.* Primò, quia de ratione Sacrificij eſt, vt per illud Deo offeratur res aliqua ſenſibilis, iuxta illud Pauli ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus conſtituitur, vt offerat dona, & ſacrificia.* At id actionibus non conuenit, amoris, pœnitentiæ, ſpei, & fidei, quæ etſi ſint plenæ laudis ac meriti, quia tamen internæ ſunt, veréque ſpiritales, oculos non tantùm, ſed etiam ſenſus quoſlibet fugiunt.

Secundò, ſi vt aſſerunt hæretici, operi bono ratio ſacrificij conuenit, opera miſericordiæ id ſibi quoque nomen aſſument: at reclamant huic nomenclaturæ ſacræ Literæ, quæ illa diſtinguunt à ſacrificijs, Oſeæ 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* 1. Reg. 5. *Melior eſt obedientia, quàm victimæ.*

Tertiò, bona opera non neceſſariò altare exigunt in quo fiant, ſicut ſacrificium, ergo pro talibus non ſunt habenda, niſi impropriè, quo modo ſacrificij nomen vſurpatur ab Auguſt. 10. de ciuitat. c. 5. cũ eo nomine opus quodlibet ab homine fieri ſolitum appellat, vt ſancta ſocietate Deo inhæreat.

Secunda Aſſertio. *Eſt ſacrificium propriè dictum, externa & ſenſibilis oblatio, à Sacerdote, legitimo eius Miniſtro, ſoli Deo in altari facta, quâ ad proteſtationem diuini principatus, noſtræque ſeruitutis, ſenſibilis aliqua ſubſtantia, Deo in ſacrificium ritu myſtico conſeceratur, cum aliqua ſui immutatione.*

Et quidem dicitur primò, Sacrificium, *oblatio ſenſibilis*, id eſt, actio, per quam aliquid permanens Deo offertur.

A Primò, quia ſacrificare, & offerrẽ, idem ſunt: ergo ſacrificatio erit oblatio, ergo de neceſſitate eius actionis, quæ ſacrificium eſt, erit vt ſit oblatio. Antecedens probatur Scripturæ teſtimonio, quæ oblationi vim eandem tribuit ac ſacrificio. Gen. 4. & 8. *Obtulit holocauſta ſuper altare.* ad Heb. 5. *vt offerat dona.* Pſa. 50. *Oblationes & holocauſta tunc imponent ſuper altare tuum vitulos*, id eſt, ſacrificabunt.

Secundò, eſt ſacrificium, *cultus externus Latriæ:* debet ergo modo agendi hominum accommodatus eſſe: at hi ſenſuum miniſterio ad opera mentis indigent: eſt hic ergo actus externus ac ſenſibilis.

B Dicitur 2. *A Sacerdote*, id eſt, Miniſtro legitimè deputato. Primò, quia id Paulus ad ſacrificium exigit ad Heb. 5. Secundò, cùm Sacrificium Religionis ſit actio, vt patet ex eius obiecto, quod eſt cultus, honorque Dei, poſtulabat ratio, vt à Miniſtro ad id deputato fieret. Additur *in Altari*: vt enim ob cultus præſtantiam requiritur, vt à certo, definitoque exhibeatur homine, ita & locus ad ſacrificium certus eſt, neceſſarius, ac à profanis diſtinctus: *Habemus*, inquit Paulus, *altare, de quo edere non habent poteſtatem*, &c. ad Heb. 13.

Dicimus 3. *qua ad proteſtationem*, &c. Fit enim ſacrificium, in agnitionem ſupremi Dominij, quod
C in res omnes, Deo competit, cùm enim eas liberè creatas, & mera liberalitate & miſericordia conſeruet, ratio exigit vt ei nos ſubiiciamus, ab eo pendeamus, tanquam effectus à cauſa ſua. Et in eum ſenſum capiendum eſt quod ab Auguſt. dicitur, *Sacrificium viſibile, ſignum eſſe ſacrificij inuiſibilis, ſeu interioris, quod ſoli Deo offerri poteſt, cùm præter eum nullus alius ſupremam in res creatas poteſtatem ſibi vendicet.*

Quæ de reali immutatione facienda in ſacrificio, in definitione allata, loco vltimo ſunt poſita, ſic probantur.

Primò, de integritate ſacrificij eſt eius conſumptio, ſed hæc eſſe nequit ſine immutatione rei

quum ſumitur maior probatur. Tunc demum res perfectiſſime offertur Deo, ac ea oblatione dominium eius teſtamur quantum eſt in hac mortalitate fas homini, cum in eius cultum, ſeu honorem, tota conſumitur, & expenditur, itaut profanis vſibus, ſecundum ſe totam, aut partem ſuam moraliter loquendo amplius ſeruire non poſſit, vera ergo eſt maior. A

Tertiò Chriſtus modo præternaturali ſuper altare ponitur in Euchariſtia, in qua non tantum eſt Sacramentaliter ſub ſpeciebus, ſed etiam corpus eius, ac ſanguis, vi verborum, quibus ibi conſtituũtur, ſeparatim ponuntur ab inuicem, quod eſſe ſine mutatione non poteſt. Verum ergo eſt ad rationem Sacrificij, mutationem rei oblatæ exigi.

Neque modo eſt id verũ de Chriſti poſitione ſub ſpeciebus, à qua vt eſt dictum, habet, vt poſſit dici mutatus eſſe, ſed etiam, ab eius deſitione ſub illis. Enimuero corpus Chriſti, per conſecrationem, rationem cibi accipit, qui ad manducationem ordinatur, & hæc ad mutationem, & deſtructionem, ergo cum ſecundum eſſe ſuum naturale, eius capax non ſit amplius, *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis iam non moritur*, debet hæc Chriſti deſtructio per manducationem, intelligi de eſſe Sacramentali; quod amittit, ex corruptione ſpecierum Sacramentalium, poſt realem earum manducationem. B

Ita patet Sacrificium actionem eſſe externam, per quam aliquid ab eo qui eſt ad hoc munus præ cæteris ordinatus, offertur Deo ad eius potentiam, & internam animi ſeruitutem erga eum vt rerum omnium Dominum, ex inſtituto hominum proteſtandam, cum aliqua immutatione eius rei quæ offertur. Et quidem priori particula, remouetur à ratione Sacrificij, *cultus interior*, qui interdum appellari ſolet *inuiſibile Sacrificium*, nomine Signi tranſlato, in rem ſignificatam. 2. vero *Adoratio & Oratio*, quibus etſi Deo vt ſupremo parenti vniuerſitatis, honor deferatur ob interminatam eius excellentiam, non tamen Sacrificium, quia per illos actus, Deo nihil offertur cum immutatione, quod ſit ſenſibile. C

Deinde oratio & adoratio actiones ſunt cuiuiſlibet hominis propriæ, non Sacrificium, cum orationi operam quiſque dare poſſit, litare autem ad paucos pertineat. D

Tertia demum particula, *qua eſt ex inſtituto hominum, Sacrificium eſſe conciliationem honoris Deo, vt Domino.*

Significatur eius origo, nam etſi Sacrificium iuris ſit naturæ, tamen quod hic, aut ille ritus aſſumatur, ad hunc effectum ſignificandum eſt ex inſtituto hominum. Vnde patet, 1. Sacrificium eſſe de genere eorum entium, quorum natura eſt in ſignificando poſita.

Ecquid eſt id vero, quod Sacrificium denotat? Vt Deum reſpicit, declarat in eo ſupremam excellentiam & dignitatem, in ratione primi principij, ſeu vltimi finis. Vt hominem intuetur, qui Sacrificium offert, ſignificat eius ſubiectionem ſummam, ſeruitutem, & dependentiam à Deo authore ſuo. Quare, definiũt aliqui Sacrificium hoc modo, *Vt ſit ſignum ſenſibile, primo & per ſe impoſitum ad cultum Dei, immediate ſignificandum per oblationem, & immutationem alicuius rei*, quæ definitio eſt metaphyſica, vt pote terminis metaphyſicis concepta. Signi ſignificationis, & rei ſignificatæ. E

QVÆSTIO II.

An in noua lege, ſit aliquod Sacrificium.

Eſſe, *indubitatæ rei eſt fidei*, definita in Tridentin. ſeſſ. 13. innumeris Scripturæ teſtimoniis firmata ad Hebræ. 13 *Habemus altare de quo edere poteſtatem, &c.* Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare*, eſt enim inter Sacrificium & altare, neceſſarium & commune quoddam vinculum, Malachiæ 1. *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, offertur nomini meo oblatio munda, & in omni loco ſacrificatur, quia magnum eſt nomen meum in gentibus*, indicant enim hæc verba, futurum aliquando inter gentiles Sacrificium aliquod, idque Iudæorum Sacrificiis longè præſtantius, at *Gentium* nomine, non intelliguntur alij, quam Chriſtiani, quibus, deterſis errorum tenebris, quibus occupati tenebantur, credere in Chriſtum Dominum, tam eius merito, quam Sanctorum Apoſtolorum præconio eſt conceſſum.

Ad hæc teſtimonia accedit duplex ratio. Prima ſi repugnat in Eccleſia aliquod eſſe Sacrificium, repugnantia oritur vel ex parte cultus externi, vel ſignificationis myſticæ, vel ſatisfactionis Chriſti, quæ cum ſit infinita, ei videtur fieri iniuria, adhibendo nouum Sacrificium ad delenda peccata, at ex nullo horum, repugnat dari Sacrificium: ergo eo non caret Eccleſia. Probatur, & primo non repugnat ex parte cultus externi, quia cum recta ratio ſuadet deferre Deo, cum eidem ſit exhibitus à Noe, Gen. 8. ab Abel Gen. 4. ergo cum legi naturæ, contraria non ſit gratia, nam ab ea perficitur, ex parte cultus externi, non repugnat eſſe in lege noua Sacrificium.

Nec ex parte ſignificationis, quia hoc ſacrificium repræſentat ex vna parte Chriſtum præſentem, ex alia mortem eius præteritam; quæ repræſentatio vera eſt, & vtilis ad teſtimonium grati aduerſus illum animi.

Nec ex tertio, quaſi Deo ac cruci irrogetur iniuria, adhibendo Miſſam, vti medium ad ſatisfaciendum Deo opportunum ac vtile: quia etſi Chriſti merita, quoad ſufficientiam infiniti ſint valoris proindeque eiuſmodi per quæ ſatisfieri, pro quibuſlibet culpis poſſit etiam grauibus, non ſunt tamen talia quoad efficaciam, niſi ex parte eius, nobis applicentur per Sacramenta aut Sacrificium, ex parte autem noſtra per diſpoſitiones & cooperationem propriam, factam cum auxilio gratiæ, alioqui omnes ſaluarentur.

Deinde non minus Patres iuſtificabantur in antiqua lege merito paſſionis futuræ, quam nos in noua, beneficio præteritæ: at hoc non obſtante, habuerunt iſti ſua ac propria Sacrificia, ergo ex hoc capite non repugnat aliquod nobis eſſe relictum à Chriſto in Eccleſia.

Secunda, cum animo conſtemus ac corpore, nec minora Dei erga nos beneficia extent, quam fuere eiuſdem aduerſus Indæos, non minus nobis quàm illis eſt neceſſe habere aliquid quo ſupremam eius in res omnes poteſtatem teſtemur, noſtramque ab eo in rebus omnibus dependentiam. At fit id maxime Sacrificio, ergo aliquod à Chriſto inſtitutum eſſe in Eccleſia, nemo niſi hæreticus negatum ibit.

Obiiciunt aduerſarij. At nunquam Deus colitur fructuoſius, quam cum animo, ac mente ei ac-

Digitized by Google

cidimus. Quid ergo ad reuerentiam internam, externam adiucere eſt opus. Adorationis & Sacrificij?

Reſponſio duplex. Prima hoc argumento tolli Sacramenta, operaque cætera quæ patent oculis. Enimuero ſi ad ſalutem eſt ſatis, Deum, amore, fide, ac reliquis virtutibus, quæ non ſentiuntur, demereri ſibi, ſtulti ſumus qui de nobis vti nocentibus, debitas pœnas repetimus. Amentes hæretici, qui cœnam ſuam ſacrilegam ac profanam frequentant, pueros lauant, cum eorum opinione ſufficiat, Deum internè ac mente ſola colere.

Secunda, Omnino non negandum, præſtare interna obſequioſa mentis erga Deum officia externis, ſi hæc præciſe ac per ſe conſiderentur, diſſitendum tamen non eſſe, quin externa addita interioribus, eorum bonitatem augeant, ob eamque cauſam à nobis nec ſine fructu, frequentari in Eccleſia.

Obiiciunt ſecundo, Chriſtus pro nobis abunde & pluſquam neceſſe erat, ſatisfecit Patri per Sacrificium crucis, ergo fruſtra aliud ab eo quærimus. Neganda eſt conſequentia quia cum Chriſtus noluerit nos ſaluari ſine noſtra cooperatione, mediſque à ſe inſtitutis per quæ ſua nobis merita applicaret, ad actualem remiſſionem peccati, de quorum mediorum numero cum ſit Sacrificium Miſſæ, per quod non offertur Deo nouum pretium, ſed in cruce oblatum nobis applicetur, profecto non videtur eſſe negligendum.

Obiiciunt tertio. Quod eſt ad Hebr. 9. Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta, quibus verbis ex perfectione Sacrificij infert Apoſtolus, non opus eſſe nunc noua Chriſti oblatione ergo nec Sacrificio, de cuius integritate, aut eſſentia eſt oblatio. Reſpond. eſt Conſeq. eſſe falſam, quia ſcopus Pauli eo loco tantum eſt remouere Sacrificia cruenta ab Eccleſia, in quo illi aſſentimur, non autem media per quæ Chriſti ſatisfactio nobis applicatur inter quæ cum locum habeat Sacrificium incruentum, male ex hoc loco inferũt aduerſarij illud eſſe ſuperfluũ.

QVÆSTIO III.

An Miſſa ſit hoc Sacrificium.

ASſertio vnica. *Miſſa verum, eſt ac proprium Euangelicæ legis Sacrificium,*

Rem fecere de fide Chalcedonenſe Concilium, & Tridentinum, primum quidem in epiſtola Petri Epiſcopi Comani, & Ioann. Epiſcopi Polimonij. Alterum in Seſſione 22. cap. primo, & can. 1. his verbis. *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.*

Equidem, hanc ab omni æuo Eccleſiæ mentem fuiſſe, probare ex Conciliis Patribuſque eſt facile, can. enim. 3. Apoſtolorum, hæc leguntur. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, alia quædam in Sacrificio offerat ſuper altare, id eſt mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, contra conſuetudinem Domini faciens deponatur.* Vbi haud dubie de Sacroſancto altaris myſterio, verba fieri, id eſt, Miſſa, vt nos loquimur, nemo non intelligit, in qua, litare ſe Deo, gloriabatur Andreas Apoſtolus, *Non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed*

A *immaculatum Agnum. Cuius carnes* (inquit ipſe in libro de eius paſſione ſcripto per Presbyteros & Diaconos Eccleſiarum Achaiæ) *poſtquam omnis populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt integer perſeuerat, & viuus, & cum vere ſacrificatus ſit, & vere carnes manducata ſint à populo integer perſeuerat, immaculatus & viuus.* Eſt apud Dionyſ. Eccleſ. Hierarch. cap. 5. illius nomenclaturæ, repetita mentio apud Clem. Rom. in epiſt. 3. ad Iacob. fratrem Domini. *Quoniam in alijs locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſi in his in quibus Epiſcopus proprius iuſſerit, &c.* Et conſtit. lib. 6. cap. 23. *Pro Sacrificio cruento*, inquit, *rationale & incruentum ac myſticum Sacrificium inſtituit, quod in mortem Domini per ſymbola corporis & ſanguinis ſui celebratur.* Hos vt

B tempore, ſic opinione ſunt ſequuti, Cyprian. epiſt. 63. Ambr. 5. de Sacram. cap. 1. Hieron. epiſt. 17. ad Euſtochium, Auguſt. lib. 22. de ciuit. Dei ca. 8. & de ciuit. lib. 10. cap. 20. his verbis. *Pro hoc & Sacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei Sacramẽtum quotidianum eſſe voluit Eccleſia ſacrificium, quæ cum ipſius capitis corpus ſit, ſeipſam, per ipſum diſcit offerre, huius veri Sacrificij multiplicia, variaque ſignacerant, Sacrificia priſca Sanctorum, &c.* Cypr. trac. de cœna loquens de Euchar. ait eam eſſe, *perpes Sacrificium, & ſemper permanens holocauſtum*, Epiſt. autem 63. ad Cæcilium num. 45. ait, *Sacerdotem Sacrificium verum & plenum tunc offerre Deo patri in Eccleſia, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videt obtuliſſe*, &

C mer. 53. eiuſd. epiſtolæ ſcribit Sacrificium Miſſæ, eſſe idem cum illo quod Chriſtus in cruce obtulit. *Paſſio eſt enim*, inquit, *Domini Sacrificium quod offerimus.* Simile eſt quod habent Chryſoſt & Oecum. verba enim illa, *quod pro vobis frangitur*, ita interpretantur vt etiam in Sacrificio Miſſæ Chriſtum pati, frangi & immutari dicant. Nam in Miſſa id facimus, quod à Chriſto in vltima cœna factum legimus, ſed ille in ſacrificium ſeipſum Deo Patri tum obtulit. Cypr. ep. 63. n. 43. Photius Theophil. & Oecum. in cap. 5. ad Hebræos, ergo & nos verum in Miſſa offerimus. Maior eſt certa, nec enim pronomen (Hoc) huic orationi inſertũ. *Hoc facite in meam commemorationem.* Cuius meminere Lucas

D cap. 22. Paulus 1. ad Cor. 11. referri poteſt ad aliud, quam ad id quod Chriſtus tùm agebat. Minorem indubitatam faciunt Patres, in Tridentin. Seſſ. 22. cap. primo, ibi enim definiunt, Chriſtum corpus & ſanguinem ſuum in Sacrificium Deo Patri obtuliſſe, ſicque in Cœna nouiſſima qua nocte tradebatur, dilectæ ſponſæ ſuæ reliquiſſe, viſibile Sacrificium: quod quia eſt incruentum, eius authorem appellat in Conc. Chalc. Gratian. Epiſc. Ceraſuntis, *Sacerdotem Sacrificiorum ſine ſanguine celebratorũ.* Idipſum, probat quoq; hæc ratio.

Quæ actio eſt immolatio, ac permanentis rei oblatio, cum immutatione ſui, ad recognitionem diuinæ excellẽtiæ, ac dominij in res omnes, ea vere

E eſt Sacrificiũ. Sed actio quam Chriſtus Dominus exercuit in vlt. cœna, conuertẽdo panem in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem, huiuſmodi fuit, prius enim panem & vinum Deo obtulit, idque ad conciliandum ei religioſum cultum, quod ex eo patet quod oculos ſurſum erexerit, Patri gratias egerit, quæ duo indicant, hac illum ceremonia, Patri gloriam, ac cultum quæſiuiſſe.

Quod etiam oblationi adiuncta fuerit immolatio oſtenditur. Nam ſeipſum ſub ſpeciebus panis & vini Chriſtus conſtituit, hæc autem conſtitutio,

immutationem habet ex dictis antea. Fuit etiam immolatio, nam Christus dedit se Apostolis, & sanguinem suum fudit pro illis, in remissionem peccatorum, ergo in modum hostiæ, quæ tunc verè immolaretur. Antecedens probatur ex verbis institutionis, quæ omnia in textu Græco præsentis sunt temporis. *Quod pro vobis datur, qui pro vobis effunditur, quod pro vobis frangitur,* quæ omnia indicant Christum in vltima cœna, seipsum obtulisse Deo Patri, seipsum tradidisse, ac sanguinem suum in remissionem peccatorum fudisse.

Confirmatur participio ἐγχυνόμενον, quod cum sit nominatiui casus, non potest referri ad datiuum αἵματι, seu ad sanguinem, in cruce fusum, sed ad ποτήριον, ad calicem, id est illud quod calice continetur, post factam consecrationem. Confirm. Facere est sacrificare, secundum Damasc. lib. 4. de orthod. fide cap. 14. Chrysost. homil. de prodit. Iudæ Victor Antioch. in cap. 14. Lucæ. Dionys. cap. 3. Eccl. Hierar. in hæc verba. *Itaque religiose, & vt Pontificem decet, post sacras diuinorum operum laudes de Sacrificio, quod ipsius dignitatem superat, se purgat, dum primo ad Deum clamat Tu dixisti, hoc facite in meã commemorationem.* Sed in Missa facimus hoc ipsum quod à Christo nobis est imperatum, est ergo Missa Sacrificiũ cuius figura fuit ac symbolum quod à Melchisedece Deo Patri in Genesi oblatum fuit, *Christus enim,* inquit Cypr. epist. 63. *obtulit idem Sacrificium quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum suum scilicet corpus & sanguinem. Cognouimus,* inquit, *horum Sacramentorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando sanctus Melchisedech obtulit Sacrificium.*

Recurre, inquit D. Hietonymus epist. 17. ad Eustoch. *ad Genesim, & Melchisedech inuenies, qui iam tunc in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Christi corpore, ac sanguine dedicauit.* Quæ obiiciuntur ab hæreticis soluta sunt à Card. Bellarmino consulatur, ad ea nihil addi hîc posse & debere credimus.

A Summæ lib. 19. cap. 19.

Azor cum consecratione, oblationem exigit, tomo primo cap. 9. q. 1. Cæsarius Arelat. homil. 5. *Non tunc sunt Missæ,* inquit, *quando diuinæ lectiones in Ecclesia recitantur sed quando munera offeruntur, & corpus & sanguis Domini consecratur.*

Alij cum consecratione, requirunt oblationem, fractionem, & consumptionem, iisque quatuor actionibus, sacrificij Eucharistici essentiam confici, scripsit Comitol. responsion. moral. lib. 6. q. 43. numer. 2. Ad consecrationem Eucharistiæ, eius consumptionem adiicit, vt partem sacrificio essentialem, Eminentissimus Bellar. lib. primo de Missa cap. 27. Quam in partem inclinem, docebo sequentib. assertionibus.

B

Prima Assertio: *Nec hostiæ fractio, nec oblatio post consecrationem, essentiales sunt sacrificio Missæ.* 1. quia author est Gregor. lib. 7. indict. 7. epist. 63. eas Apostolis nunquam in vsu fuisse, sed tantum verba sacra, cum oratione Dominica, imo nec à Christo leguntur adhibitæ, cum illico mora nulla interposita à consecratione facta, discipulos seipso pauerit, sine vlla oblatione sui, aut fractione quæ esset ad rationem sacrificij necessaria, nã quæ facta narratur ab Euangelistis, non tam partis sacrificij, rationem habet, quam conditionis requisitæ, vt cuique pars aliqua speciei consecratæ obtingeret.

C

Secundo quando casu, aut Sacerdotis incuria, hostia in calicem decidit, non fit fractio, & tamen verum offertur sacrificium, non est hæc ergo ad eius essentiam necessaria.

Tertio vere sanguis offertur, non minus quam corpus, sed sanguis non frangitur: ergo non est fractio essentialis sacrificio,

Sunt tamen ambæ ex præcepto necessariæ, primo quia ita habet vsus communis Ecclesiæ. Secundo quia Christus se Deo patri hostiam obtulit, vnáque panem quem manu præferens consecrauit vt habita per eum gratiarum actio & oculorum in cœlos eleuatio indicat, quod est argumento pertinere ad sacrificii huius integritatem, panis & vini oblationem, quæ est consecrationi prævia.

D

Dicit enim Sacerdos, ea se offerre Deo Patri, saltem vt materiam, ex qua corporis & sanguinis, particula enim (Hanc) contenta oratione ista quam recitat. *Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc,* &c. Significat id quod ei tum est ad manum, Deo offerri in testimonium potestatis, atque dominij, quo præstat super res omnes. At illud est panis: ergo eius oblatio ad integritatem Sacrificij pertinet, non autem altera oblatio, quæ est consecratione posterior, quia hæc fit in persona non Christi qui est principalis offerens, ex Trid. sess. vigesima secunda. cap. 1. sed fidelium & Ecclesiæ.

Assertio 2. *Nec est manducatio intrinseca sacrificio,*

E

Primo quia ea ad vsum potius quam sacrificij essentiam pertinet.

Secundo si manducatio esset sacrificio intrinseca sacrificarent Laici cum communicant, quod est erroneum.

Pertinet hæc tamen ad integritatem sacrificij, cum eius consumptionem omittere Sacerdos nequeat sine dictæ integritatis interitu ac iactura. *Quod enim & quale est sacrificiũ,* inquit Põt. in can. Relatum de cõsec dist. 2. *cuius nec ipse sacrificans, particeps esse dignoscitur?* Deinde cur tam seuere, sacrificium ab alio perfici Ecclesia postulat, si for-

QVÆSTIO IV.

In quo consistat ratio essentialis ac intrinseca incruenti Sacrificij.

PRæter cæremonias & preces, in quibus hæretici falso nugantur nos ponere rationem Sacrificij Missæ, & præter Missam Cathecumenorum. quæ extenditur vsque ad oblationem panis, actiones sunt 7. de quibus potest ambigi ecquid in iis sita sit ratio Sacrificij.

Prima est oblatio panis & vini, in offertorio. Secunda est consecratio. quatenus est immutatio panis & vini, per transubstantiationem. Tertia est consecratio, quatenus est substantialis positio corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini. Quarta est oblatio corporis & sanguinis Christi, post consecrationem his vel similibus verbis. *Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, panem sanctum* vitæ æternæ. Quinta est fractio vel commixtio. Sexta consumptio quæ fit à Sacerdote. Septima distributio hostiæ eiusdemq; cõsumptio à populo.

Et quidem ad sacrificij Missæ essentiam, pertinere consecrationem Eucharistiæ, eius oblationem, ac eiusdem consumptionem per Sacerdotem celebrantem, docet Henriq. in prima parte sum-

Digitized by Google

te quidpiam inter ſacrificandum, ei acciderit à quo eſt inchoatum, quamobrem ab eo non potuerit compleri, ſi ſumptio ad integritatem eius non pertinet ?

Aſſertio vltima. *Conſecratio ſola, eſt ad ſacrificij eſſentiam neceſſaria.* Probatur 1. Actio cuius cauſa Sacerdos ordinatur, eſſentialis eſt ſacrificio, nam Sacerdotium eſt propter ſacrificium, ſed Sacerdos ordinatur, vt Chriſti corpus conſecret ex Triden. ſeſſ. 22. cap. primo, & patet ex forma verborum, quibus initiatur, in qua datur ei poteſtas in Chriſti corpus, & quidem per impreſſionem characteris, ergo conſecratio quod eſt in concluſione dictum, ſacrificio eſt intrinſeca.

Secundò, ſacrificij proprietates omnes in conſecratione conglobatæ cernuntur non autem in alia quapiam actione earum quæ hîc exercentur : in primis enim eſt oblatio, facta Deo, rei alicuius ſacræ ; vtpote pretioſi corporis, & ſanguinis Chriſti Domini, cum vi conſecrationis ponatur in manu Sacerdotis ſuper altare, tanquam oblatum Deo, nec modo quolibet, ſed mortuo, quandoquidem vi verborum, ponitur corpus ſeparatum à ſanguine, quod ſine morte nunquam accidit, & ſanguis ſub ſpeciebus vini, vt effuſus. Et quia quæ in aram inferuntur ad cultum Dei, hæc quoque eidem offeruntur ſaltem tacite, hinc eſt, quod prolatione ſacra verborum cum intentione debita, Sacerdos Deo Patri corpus dilecti filij ſui, offerat. Secundo conſecratio fit per Miniſtrum legitimum & ſpecialiter deputatum, nempe Presbyterum.

Tertiò, refertur quoque hoc myſterium, primo, & per ſe ad cultum Dei, eſt enim Oblatio de re omnium nobiliſſima, corpore ſcilicet, & ſanguine filij, facta Deo Patri in recognitionem ſupremi eius dominij in res omnes, quæ oblatio, alteri haud dubie, fieri non poteſt ſine crimine.

Quartò refertur ad memoriam paſſionis Dominicæ, Luc. 22. 1. ad Corinth. 11. id eſt ad ſacrificium quod Chriſtus in cruce pro peccatis noſtris obtulit, in quo diuinam eius excellentiam tacite teſtificamur, profitendo ex vna parte, meritum Dei, ex alia vim admirabilem Chriſti, quem hac actione teſtamur, Deo ad rigorem iuſtitiæ ſatisfeciſſe, moriendo pro humano genere.

Quintò, eſt immutatio, realis & vera, in re oblata. Primo quia ex probabili multorum opinione, vi verborum, producitur ſubſtantialiter corpus Chriſti, ex aliorum autem magis probabili ponitur tantum, vbi non erat. At tam conſtitutio rei in loco, quam eius productio ſubſtantialis includit neceſſariò aliquam realem mutationem, quatenus ſcilicet res producta, aut locata, tranſit de non eſſe in loco, aut abſolutè, ad eſſe ſubſtantialiter, aut localiter.

Deinde ſic Chriſtus, vi verborum ſub ſpeciebus conſtituitur, vt ad earũ corruptionẽ & interitũ debeat deſinere eſſe ſub illis Sacramẽtaliter, id ergo cũ vere accidet, Chriſtus mutabitur : nã amittet aliquod eſſe reale, nẽpe Sacramẽtale quod prius habebat ſub illis, at relatio ad hãc deſitionem ſufficit, vt corpus Chriſti, cũ conſecratur, dicatur deſtrui, mutari, immolari. Quod ſic oſtenditur Res morales à fine ſuo ſic ſpeciem accipiunt, ac naturam, vt ordo ad illũ illis ſit eſſentialis. Sed ex diuina inſtitutione, ſic Chriſtus eſt ſub ſpeciebus, vt ceſſare debeat eſſe ſub illis, cum hæ diſpoſitiones in eas inducuntur, cum quibus ſtare panis ſubſtantia nequeat.

Sextò eſt immolatio, cum vi verborum deſtruatur quodammodo ipſum eſſe Chriſti, nam verba in Sacramentis efficiũt quod ſignificant. At hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificant ſolum corpus, ergo primo & per ſe illud ponũt ſubpanis ſpecie, etſi non ſolum, ſed cum ſanguine per concomitantiam, ergo ſola conſecratio, eſſentialis eſt ſacrificio, cum per formam calicis, ſanguis in altari ponatur vt effuſus, & ſeparatus à corpore, etſi propter naturalem concomitantiam neutrum ſit ſine alio vt dixi.

Obiicies nullum eſt ſacrificium ſine manducatione hoſtiæ, eſt hæc ergo cum conſecratione, ſacrificio intrinſeca. Anteced. eſt falſum : Quæro enim quid in holocauſto, quod tamen erat ſacrificium, in vſus ſacrificantis cederet?

Deinde cum Chriſtus non deſinat eſſe ſub ſpeciebus, illico ac in os infertur, & dentibus atteritur, ſed cum vi caloris, conuertendæ ſunt ſpecies ſacræ, in ſubſtantiam hominis, ſi eſt deſitio hoſtiæ, de ſacrificij eſſentia, non manducatio, ſed digeſtio erit ei eſſentialis ac intrinſeca, quod eſt falſum.

Tertiò dico ſufficere, quod Chriſtus per conſecrationem acquirat eſſe reale ac obnoxium deſtructioni, vt per ordinem ad illum dicatur mutari.

QVÆSTIO V.

Quomodo diſtinguitur hoc Sacrificium, à Sacrificio Chriſti.

Dico primo. *Sacrificium Miſſæ, in re oblata ab ſacrificata conuenire cum crucis ſacrificio : differre tamen in actione, rituque ſacrificandi.*

Pars prima eſt in Tridentino ſeſſione 22. cap. 2. ibi enim dicitur quod *in diuino hoc ſacrificio, vna eademque ſit hoſtia, idem offerens, Sacerdotum miniſterio qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Cyprian. epiſt. 63. num. 4. & nu. 9. idem ſcripſit & tra. de Cœna. 2. In vtroque ſacrificio corpus & ſanguis Chriſti offertur, ergo ſacrificium Miſſæ idem eſt, quo ad rem ſacrificatam, cum ſacrificio crucis, *Sanctum enim ac viuificum, incruentumque in Eccleſijs celebramus ſacrificium, non hominis alicuius communis corpus, & ſanguinem eſſe, quod proponitur credentibus ſed magis tanquam proprium viuificantis verbi corpus & ſanguinem accipimus.* Cyril. in declarat. 11. anathematis.

Secunda pars eſt clara. Ritus enim ſacrificandi per realem Chriſti mortem, & per myſticam eiuſdem mactationem, quæ in conſecratione fit, ab inuicem differunt.

Dico 2. *Miſſæ ſacrificium ab antiquis differre eſſentialiter.* Probatur, res oblata, perſona principaliter offerens, modus & ritus offerendi in vtriſq; nõ ſunt idẽ, ergo nec Miſſa & antiqua ſacrificia ſunt eadẽ. Quid? quod alia ſit Miſſæ & illorũ ſignificatio. Illa enim Chriſtum & paſſionem eius futuram indicabant. Hæc autem id eſt Miſſa Chriſtum realiter præſentem in altari & paſſionem eius præteritam repræſentat, iuxta illud, Luc. 22. 1. ad Cor. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*, quam repræſentationem eſſentialem eſſe tradit, Reginald. lib. 29. cap. 9. ſect. 1. nu. 144. Modus enim quo ſe Chriſtus obtulit in crucis ſacrificio, fuit moriendo, modus autem quo ſe in Miſſa offert, conſiſtit in ſignificatione & repræſentatione taliter facta, vt ipſemet Chriſtus exhibeatur ad repræſentandum ſeipſum in cruce oblatum in ſacrificium.

QVÆSTIO VI.

Pro quibus offerri possit Sacrificium Missæ.

SVppono primo, offerre pro aliquo sumi dupliciter, primo vt idem sit, quod offerre alterius nomine, quo modo dicitur Sacerdos offerre pro his omnibus qui cum illo, & per illum Deo sacrificium offerunt, & hunc sensum hic non intendimus.

Secundò dicitur aliquis offerre sacrificium, pro alio, quando illi eius fructum, speciali ac distincta intentione applicat, qui solus est sensus, ac vnicus, quo nomen offerendi tota hæc quæstione vsurpabitur.

Suppono 2. Sacrificium Missæ non modo honorarium, & laudis, siue gratiarum actionis esse, sed etiam propitiatorium, & impetratorium, & quatenus tale, offerri posse, tam pro ipso Sacerdote, quam aliis, ad impetranda aliqua beneficia aut propitiandum iratum Numen, & illud reconciliandum tam sibi, quam amicis, propinquis hostibus, ac obtinendum ab eo semissionem peccatorum.

Dico primo. *Sacrum pro animabus Purgatorij posse fieri ad remissionem pœnæ ab iis commeritæ peccando, pro damnatis nentiquam.* Pars enuntiati vtraque, certa fide est tenenda, & priorem quidem, sancitam video in Trident. Concil. sess. 22. can. 3. firmatam autem à Christo, cum instituendo hoc sacrificium dixit, sanguinem qui in eo datur ad potum fidelibus, effundendum esse, *in remissionem peccatorum pro multis.* Sic enim ex illis argumentari libet. Peccati nomine non hic tantum culpa, sed & pœna intelligitur, ei debita, Patrum testimonio. At constat fidelium animas, includi flammis purgantibus, vt patiendo, pœnam peccatis suis commeritam Deo dependant. Machab. enim secundo cap. 12. Iudæi sacrificia, victimasque Deo litant, pro mortuis, *Vt à pœnis soluantur.* Quæ ergo futura culpa hic nostra, si quod isti pro propinquis, in non dispari causa moliamur pro defunctis, Patrum exemplo?

Postquam confectum est illud spiritale sacrificium, inquit Cyril. Hierosol. Catech. 5. Mystagog. *& ille cultus increuentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Eccl siarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro omnibus qui egent auxilio. Rogamus te,* inquam, *nos omnes & hoc sacrificium tibi offerimus vt meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt primum Patriarcharum, &c. Denique pro omnibus oramus qui inter nos vita functi sunt, maximumesse credentes animarum iuuamen pro quibus offertur precatio, &c.* Et in Cathech. eadem, πάντων τῶν θυσίαν προσφερομένων ὑπὲρ τῶν προκειμένων ἁγίων καὶ ἱερῶν μάλιστα ὑπὲρ τοῦ τὴν ἁγίαν καὶ φοβερὰν ἐκείνην προκειμένην θυσίαν.

Nec Hierosolymis modo, sed vbique terrarum, Deum defunctis propitiari solitum, in Sacrosancto Missæ sacrificio, Augustin. ser. 32. de ver. Apost. narrat hoc modo. *Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro iis qui in corporis & sanguinis Christi communione defunctis sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur ac pro illis offerri commemoretur.* Quin etiam & de ea pietate erga illos adhibenda cauille Gallos Antistites video in Concil Cabillon. sub Carolo Magno can. 39. *Visum preterea nobis est, vt in omnibus Missarum solemnitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur, sicut enim nullus dies excipitur quo non pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solemnibus fundantur.*

Equidem sunt defunctorum animæ Ecclesiæ viua membra proindeque capacia fructus sacrificij propitiatorij, nihil est ergo causæ quare iis applicari, tam ex intentione offerentis, quam ex opere operato nequeat. Offerri pro iis solitum docent Cypr. hæc verba epist. 66. secundum editionem Pamelij 7. *Si quis hoc fecisset,* id est, si nominasset Clericum ad curam & tutelam, *non offerretur pro eo, nec sacrificium pro eius dormitione celebraretur neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & Ministros voluit euocare.* Hæresisque contraria est damnata in Aerio teste Epiph. de hæresib. & denuo in Valdensib. Henricianis, Petrobusiams, vt constat ex Bern. hom. 62. 65. & 66. in Cantica.

Partis posterioris probatio nihilo est priore difficilior. Enimuero sublato fine, media vsurpantur inutiliter ac vane. Iam quæro, ecquid non Presbyter, hoc intendat sacrificando vt Deum, sibi primo, propitium ac placabilem habeat, ex inde Ecclesia, inque omnes, quibus vim sacrificij attribuit? At placandi Dei, damnatis animis, spes nulla, nulla eos eximendi cruciatibus, quibus *culpa sua, iustissime* tamen, in omnes æternitates angentur, *cum in inferno nulla sit redemptio.* Pro iis ergo litare sacra hostia, nefas est non modo, sed & inutile.

Dico 2. *Non modò pro se Sacerdotem posse facere, sed & pro viuentibus omnibus, modò ne præcisi & excommunicati sint de nomine.* Assertionis fides est à verbis Pauli ad Heb. 5. *Sacerdos debet quemadmodum pro populo, ita & pro seipso offerre pro peccatis.* Et cap. 7. *Talis decebat nobis vt esset Pontifex, qui non haberet necessitatem, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis peccatis orare, deinde pro populi.* Quid? quòd Sacerdos operam suam vniuersæ Ecclesiæ nauat? quòd ministrum in ea publicũ agat? Quàm ergo est turpe illi, quàm indecorum, si aliquem de possessione sibi debita, id est, fructu passionis Christi ac sacrificij, culpa sua nulla, ac merito excludat?

Tertiò, est sacrosanctum Missæ sacrificium repræsentatio mortis Dominicæ, & fructus illius, maximè applicatiuum: ergo vt Christus pro omnibus est mortuus, ita & pro iis incruentum sacrificium offerri potest, modò sint fructuum qui ex eo sperari possunt capaces. Chrysost. in cap. 8. Matt. hom. 26.

Dico 3. *Pro Catechumenis sacrificium quoque offerri posse, non pro hæreticis.* Habet hæc enuntiatio communem Doctorum approbationem, Clementis lib. 8, Constitut. cap. 4. 6. & 7. Chrysost. hom. de Adam & Eua. Ambr. homil. de obitu Valentiniani August. ep. 109. Gennadij lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 3. Equidem cùm Catechumeni fide sint instructi, ac desiderio teneantur Ecclesiæ, quam ambiunt, in ea sunt quoad intentionem, & meritum, & si quid tum eis humanitùs accideret, optimè esset eorum animæ consultum, cùm eis culpæ, vitioque verti nequeat, quod Ecclesiam, necdum per Baptismum iniuerint, quandoquidem id sibi bonum expetunt, quo tamen nulla sua

Digitized by Google

culpa frui nequeunt. Probabilius eſt tamen ſacrifi- A
cium Catechumenis non prodeſſe, ex opere operato, cauſa eſt quòd hoc ſacrificium à Chriſto ſit inſtitutum pro bono Eccleſiæ ac ſalute: Catechumeni in ea non ſunt, cùm necdum fidem ſint profeſſi per Baptiſm. & ita cenſent Chryſoſt. hom. 69. ad pop. Conc. Bracar. 1. can. 35. Auguſt. de origine animæ cap. 29.

Idem dicendum de hæreticis, quos quia Eccleſia à communibus ſuffragiis remouet, eorum partem illis aliquam tribuere, eſſet ſibi liberalitatis laudem de alieno, repugnãte Domino quærere. Nihilominus, eorũ mihi probatur opinio, qui hæreſi infectis, in ſacrificiis priuatis locũ tribuũt, nam ſi pro excommunicatis preces poſſunt fieri, clam tamen & occultè, in ea parte canonis, in qua fidelium memoria ſuſcipitur, quid vetat idem beneficium communicari hæretico? maximè cùm non ſit excommunicatus nominatim.

Quòd ſi excõmunicati Deo commendari queunt, non ſunt à precibus noſtris in ſacrificio remouendi Pagani, cũ eos ab Eccleſia extorres, cenſura nulla faciat. Quidquod ſit caritatis erga Deũ, illoſque, pro eorum conuerſione vota facere, vt viam ſalutis ineant, cùm ſuperis in gratiam redeant, pro virili contendere, maximè cùm id ſit in more Eccleſiæ, à Deo ſupplicibus votis petere, Feria 6. Paraſceues, fecerintque ante ſæpè: Narrat enim Tertull. ad Scapulam, vt de Græcis nihil dicam, quorum in Miſſali, Miſſa pro paganis fuit inſtituto Eccleſiæ ſuæ laudabili, dicenda ſtatis temporib. narrat, C
inquam Deo pro Imperatoribus ſacrificium offerre Catholicos qui ſui ſolitos, quibus tamen, diſcuſſis errorum tenebris, lux diuinæ fidei, necdum illuxerat.

Tertiò, quid eſt rationis, quamobrem Sacerdos in perſona Chriſti, ſacrificium quatenus eſt impetratorium, offerre pro Paganis non poſſit, ea intentione, vt aliquid per Chriſtum Deo Patri oblatum illis impetretur?

QVÆSTIO VII.

Qui ſunt à quibus ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium offertur.

DIco 1. *Inter offerentes, Chriſtum primo loco ponendum eſſe, hic enim eſt & offerens, & illa ipſa hoſtia, quam in cruce Deo Patri obtulit, noſque Sacerdotes quotidie immolamus in altari.* Deeo Trid. teſtimoniũ habemus, his verb. ſeſſ. 22. c. 2. *Vna enim eademque hoſtia, idem nunc offerens, Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa*: Indicãt illud ipſũ Patres, Greg. Nyſſ. orat. de reſurrect. *Arcano myſterij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, ſeipſum pro nobis hoſtiam offert & victimam immolat, Sacerdos ſimul exiſtens, & agnus Dei.* Similia habet Auguſt. 10. de ciuitate cap. 20. *Sacerdos eſt* (Chriſtus) *ipſe offerens, ipſe & oblatio, cuius rei Sacramentum, quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ Sacrificium.* Sanè in conficiendo Chriſti corpore non dicimus, hoc eſt corpus Chriſti, ſed hoc eſt corpus meum, *Chriſti vtique perſonam ſuſtinentes, panis & vini ſubſtantiam in Chriſti corpus & ſanguinem conuertimus*, vt Catechiſmus Concilij prudenter aduertit, cap. de Sacramento Euchar. extremo.

Dico 2. *Præter Chriſtum, qui in hoc Sacramento præcipuus eſt offerens, eſſe & alios.* Primus eſt Eccleſia, quæ Sacerdote vt Miniſtro & Legato ſuo ad Deum vtitur, ſicut ſeruo dominus ad eleemoſynam, aut opera bona, quorum ipſe cenſetur moralis cauſa, per quæ etiam laudem meretur. Hæcque eſt cauſa, cur etiam Miſſæ priuatæ, communes cenſeantur, pro omnibus factæ, non orando tantùm, ſed etiam in perſona Eccleſiæ offerendo. Secundus, eſt Sacerdos, non quatenus perſonam Chriſti refert, aut Eccleſiæ, ſed vt eſt priuatus, & particulari affectu offert Deo hoſtiam ſanctam, tam pro ſe ſupplicando, quàm pro aliis: *Vtique*, inquit Cyprian. ep. 63. ad Cornel. ſecundùm editionem. Pammel. *ille Sacerdos vice Dei fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur, & ſacrificium verum, & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Poſtremi, cenſendi ſunt ij B
qui ad ſacrificium operam ſuam accommodant, vt cauſę ſaltem morales, cuiuſmodi ſunt qui Miſſam pro ſe dici poſtulant, qui eleemoſynam Sacerdoti aut alia ad eam neceſſaria ſuppeditant, qui ei miniſtrant, qui præſentiam illi ſuam offerunt, ac Deo Sacrificium cum Sacerdote offerunt, de quibus in can. dicitur: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis*, qui enim hortatur alium ad opus, aut eum ad id adiuuat, haberi debet pro cauſa eius morali.

Infertur ex dictis primò, ab improbitate Miniſtri non impediri vim ſacrificij, modò ad illud afferat, quæ eius eſſentia poſtulat. Sic Chryſoſtom. in poſteriorem epiſt. ad Timoth. homil. 2. *Volo*, inquit, *quiddam addiscere planè mirabile*: *Quid verb eſtudeſt? ſacra ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue Paulus, ſiue cuiuſuis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamque Sacerdotes modò conficiunt nihil habet iſta, quàm illa minus: Cur id? quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam antè ſacrauerat.*

Infertur 2. cùm pars meriti ſacrificio debiti deriuetur ad offerentem, inſtitutione Chriſti Domini, etiam eius portionem aliquam habere, qui illud faciendum curant: ſuam quoque capiunt, qui Miſſæ cultui præcipuam operam nauant, canendo, thura incendendo, &c. Comitolus Reſponſ. lib. 1. q. 42. num. 15. Exinde qui Sacerdoti miniſtrant. D
Quartò, Pontifex, Antiſtites, Fideles, cæterique quibus Eccleſia fructum ſacrificij huius applicat.

QVÆSTIO VIII.

An Sacrificium Miſſæ agat ex opere operato, & quid.

PLacet quæſtioni huic initium facere à notitiis quibuſdam, quas Theologi certas habent, nec errantes, vt ab iis more noſtro, fiat ad enuntiata progreſſio.

Notitia prima. Id operatur ex opere operato in venerabili ſacrificio, quod datur intuitu hoſtiæ, E
ſeu ratione operis externi, præſcindendo ab operantis bonitate, ac valore actionis alicuius, ab eo factæ, aut faciendæ.

Notitia ſecunda, eaque certa Theologis. Id quod ſacrificium efficit, quoad rem præſentem duplicis eſt generis: quædam enim vi ſua moraliter cauſat, per modum naturæ, ad inſtar Sacramentorum, eſtque hic effectus, ex parte ſacrificij, infallibilis in ſubiecto diſpoſito, & vim ſuam habet ex Chriſti inſtitutione, & promiſſione eiuſdem, menta

sua applicantis, operi sensibili externo ritè exhibito, ex pacto cum Deo Patre inito, & hic effectus, vt dixi, certò & infallibiliter consequitur independenter à dispositione Ministri, & dicitur ex opere operato dari & fieri. Alia fiunt in sacrificio, & ab eo per modum impetrationis, puta quia ad impetrandum hæc, aut illa, Christus Deo Patri à Sacerdote offertur & hic effectus de se stabilis, certus ac perennis esse non consueuit, cùm à Dei beneficentia pendeat, concedere cuique quod est ad suam laudem, ac petentis commodum vtile. His præmissis,

Dico 1. *Habere salutare, ac vinificum hoc Sacrificium, certos quosdam effectus, quos certò, ac firmiter ex vi diuinæ institutionis, accedente pacto cum Deo Patre in iis efficit, quos præparatos, ac sine impedimento reperit.*

Hancopinionem tanquam exploratam veritatem secuti sunt D. Thom. in 4. dist. 13. art. 31. & in 3. parte, q. 79. art. 5. Dominicus Soto in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. Ad quam calculum quoque suum additurus videtur, quisquis meminerit dictum à Trid. sess. 22. cap. 1. *A Christo institutum esse hoc sacrificium, vt salutaris eius, diuinaque virtus, nobis applicaretur, in remissionem peccatorum.*

Probatur. Si in Ecclesia Christus præcepit Sacrificij à se instituti vsum, ad expiationem criminum, haud dubie ab his futurus est liber, qui secundum eius præscriptum, illi dabit operam vt sibi vtile sit, ac fructuosum, nam institutio Christi est efficax & voluntas eius operatoria, ergo effectus sacrificij, est propitiatio Dei, & remissio peccati, dictum est ergo verè habere hoc sacrificium certos quosdam effectus, quos producat certò, in eorum animis qui sint ad eou dispositi.

Confirmatur, si incruentum Missæ sacrificium ex opere operato, effectum nullum habet, cùm accidet, Sacerdotem conscientia teneri culpæ lethalis, inane erit, sine vi ac fructu, at hoc est falsum. Primò, quia ex Trident. sess. 22. cap. 1. *nulla potest malitia Ministri inquinari, nulla offerentium turpitudine vitiari*: vim hanc ergo à se habet, & ex eo præcisè, quòd eius effectioni Deus effectum cohærere voluit, modò obex non ponatur.

Dico 2. *Missæ sacrificium ex opere operato non conferre immediatè gratiam sanctificantem, nec augmentum illius, aut remissionem lethalis alicuius culpæ, sed mediante dispositione, & actu hominis, vel susceptione Sacramenti, quas ad res, partim ex opere operato, partim per modum impetrationis, auxilia gratiæ præuenientis offerenti tribuit, quorum ope ad bonam hic frugem redit, peccatum abiicit, &c.*

Est Assertionis pars prima verissima. Nam quis credat maiorem esse vim huius sacrificij, quàm cruenti? à quo tamen produci gratiam immediatè nemo quod sciam asserit, alioqui cùm pro vniuersitate hominum à Filio Patri sit oblatum, nemo non iustus esset, nemo non gratus Deo, beatisque mentibus, quod est absurdum.

Secundò, abhorret à vero, repugnantem, ac secus quàm ratio postulat, operantem pleraque, Deo charum esse, acceptumque per gratiam, à quo enim euocati in lucem sumus, nobis nil agentibus, ac ne cogitantibus quidem, hic operam nostram in salutis cura, negotioque exigit: *Qui enim fecit nos sine nobis*, inquit August. tract. 72. in Ioa. *non iustificabit nos absq; nobis.* At si admittitur, produci à Sacrificio gratiam, primò, per se, & immediatè, quis cum Deo reconciliandum non videt, otiosum, ac sæpe nolentem, vt si quo tempore pro eo Sacerdos facit, rideat, iocetur, pcieret, quo nihil vlli venire in mentem fœdius potest.

Dari tamen auxilia gratiæ ad salutem opportuna, quibus tempori excitus offerentis animus, anteactæ vitæ dedecora abiicit, ad Deum redit, vitæ perfectionis studia capessit, quæ secunda Assertionis pars fuit: indicat Trid. sess. 22. cap. 2. cùm ait, *per hoc Sacrificium fieri, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno, huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina etiam ingentia dimittit.* Hanc sententiam dixit etiam D. Thom. in 4. dist. 12. q. 2. art. 2. ibi enim ait, quòd Sacrificium iis pro quibus offertur, gratiam obtinet, virtute sacrificij cruenti, & per consequens *peccata delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis impetrat.*

At enim, cuiusmodi sint & qualia hæc præuenientis gratiæ auxilia, & quando mortalibus dantur intuitu sacrificij?

Deo est id soli notum, qui cùm est opportunum ad bonum hominis, eius intellectum noua perfundit luce, voluntatem autem pio motu ad rerum bonarum studia acuit, quibus in rebus, aut eorum altera, Theologorum iudicio, communiter sita est anteuertens gratia. Quem enim aliqua repens cogitatio à peccato auocat. quem pia voluntatis affectio ad virtutem, ac criminum dolorem inflammat, hunc præueniente possessum gratia dicimus, quam tamen, non statim ab oblato peractoque sacrificio dari, nec sine recipientis, id est, nostra aliqua cooperatione, efficacem esse ipsere viri doctrina iuxta, ac pietate conspicui.

Addunt insuper aliqui, de fide non esse Sacrificio Eucharistico, effectum vllum ex opere operato adiunctum esse, vbi enim id Christus vnquam voce, scriptis, aut nutu mortalibus edisseruit? aut quæ de eo literæ sunt loquutæ? Ergo cùm fidei ea tantùm obuersentur, quæ Deus per se & explicitè, aut virtute per Scripturas credenda proposuit, de fide non erit, Sacrificio Eucharistico ex opere operato, certò & firmiter, adiuncta esse auxilia, ne quidem per modum impetrationis, quia etsi is sit Christus Dominus, quem Pater ob incredibilem eius in illum amorem exaudire debeat, non est tamen cuiquam perspectum, quidquam eum nostra causa à Deo Patre petere, & si esset, quia nusquam adhuc patuit, id à Deo dictum, nobis autem ad credendum, esse ab Ecclesia propositum, rem ita esse credere fide certa, id est supernaturali ac diuina non videtur necessarium. Sed hæc sententia falsa, proinde non sequenda.

QVÆSTIO IX.

Quale sit hoc Sacrificium.

EST sacrificium Missæ primo rememoratiuum passionis Dominicæ, iuxta illud, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Pauli 1. ad Corint. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis.*

Secundò, est propitiatorium, id est præditum facultate placandi Deum, eumque reddendi nobis ex infenso amicum, vsque ad remissionem peccati, id est pœnè quam pro eo sumus commeriti, quod facit hoc sacrificium, non per vim vllam physicam, quam in Deum exerat, sed moralem, cum ad præ-

sentiam

ſentiam ſui, mouendo infallibiliter ad hunc effectum, cæteroſque qui eidem ſacrificio competunt, ex diuina inſtitutione, & quaſi pacto. Probatur, 1. ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. 2. & can. 3. exinde verbis Pauli ad Hebr. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Eodemque pertinent Chriſti verba. Luc. 22. *Hic calix nouum teſtamentum, qui pro vobis effunditur, in remiſſionem peccatorum*, quæ ne ſint falſa, haud dubie intelligi debent de peccatis formaliter ac in ſe ſumptis, aut de iis impropriè & in effectu, nempe in pœna, remittendis vi ſacrificij, non primum. Quia hoc ſacrificium immediatè, & in ſe cauſa non eſt gratiæ, ergo nec condonationis culpæ mortalis quæ remitti communiter non ſolet, ſine gratia. De peccatis ergo vt pœnam adiunctam habent, loquutus eſt Chriſtus, quæ quia relaxatur ac ſoluitur per hoc ſacrificium, ideo propitiatorium dicitur, à Cyril. Hieroſolym. Catecheſi myſtagogicat. *Ad eundem modũ*, inquit, *& nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis ſint peccatores, non quidem coronam plectimus, ſed Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis & illis eum qui eſt benigniſſimus propitium reddamus.*

Qualẽ, cum relaxatione criminum, eũ experiamur maxime, ideo hoc ſacrificio purgari ſcelera, mundari pectora, dixere, Damaſc. lib. 4. de fide cap. 14. Hieron. in cap. 1. ad Titum, Cyprian. ſerm. de cœna Domini. Placari vero Deum ſuperoſque, Chryſoſt. homil 3. in epiſtol. ad Philipp. his verbis. *Non fruſtra ab Apoſtolis ſanctum eſt, vt in celebratione venerandorum myſteriorum memoria fiat eorum qui hinc diſceſſerunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis, ſtante ſiquidem vniuerſo populo, manus in cœlos extendente, cœtu item Sacerdotali, verendóque poſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus, pro iſtis orantes?* Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 48. *Nunc inquit Chriſtus offertur, ſed offertur vt homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe, quaſi Sacerdos, vt peccata noſtra dimittat*, Conſ. Sacerd. iuxta Paulum offert ſacrificium pro peccatis ad Hebræ. 5. atqui hoc ſacrificium eſt Miſſa: ergo eſt hæc Sacrificium vere propitiatorium, ſeu inſtitutum ad remiſſionem peccatorum.

Tertiò eſt auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium impetratorium, quia per Chriſtum Deo Patri oblatum nõ tãtum nobis remiſſionem peccatorum impetrat ſed & beneficia alia quamplurima, Chriſto conferente vim noſtris precibus, ac pro nobis interpellante apud Deum Patrem, vulneraque oſtendente quæ cauſa noſtra eſt in cruce paſſus.

Quartò, Miſſæ ſacrificiũ eſt ſatisfactorium, pro pœnis temporalibus, quæ poſt culpam remiſſam, luendæ remanent, ſic vt eo ſacrificio omnes ſi ſunt exiguæ remitti valeant, ſi magnæ, ex parte tantum. Trident. ſeſſ. 22. can. 3. Fit id vero modo multiplici.

Primò per excitationem noſtri, ad deuotionis actum aliquem, vel amoris, aut pœnitentiæ, quos conſtat, nunquam non eſſe ſatisfactorios, cum ſint eliciti ab homine qui Deo gratus ſit, & acceptus.

Secundò per applicationem meritorum Chriſti, ac cruciatuum eius, quibus Deus Pater, ſic eſt humano generi placatus, vt iam tum, cum illis ſibi Chriſtus Deus obtulit, animum induxerit, reconciliari homini, ac eoſdem ſibi ab eo oblatos in ſacrificio in ſolutum pœnæ peccato debitæ accipere, de quo & fidem ſuam, Deus Pater, Chriſto Filio obligauit, quare eſt ſacrificium ſigilli regij inſtar, aut mandati, ad quorum intuitum, Iudices captiuum, quem in vinculis habent illico liberum ac expeditum abire ſinunt, cum Deus iuxta ordinem diuinæ ſuæ prouidentiæ, tantundem de pœnis commeritis homini remittat, quantas per ſacrificium quodlibet, ex pacto eius, & Chriſti mutuo, condonari homini ambobus placuit.

Præterea, eſt oblatio incruenta hoſtiæ, quam ſupra aram Catholici Sacerdotes quotidie Deo immolant, laudis oblatio, cum honorem illi conciliet, quantus ei maximus reddi poteſt ab homine, per eam enim ipſi nos illi, ſubmittimus vt parenti, ac authori bonorum omnium, à quo non modo nos, ſed quidquid eſt vſpiam, pendet, quare non modicus ei hoc obſequio, quod excellentiæ eius infinitæ exhibetur, honos aduenit.

Sextò eſt hoc ſacrificium Euchariſticum, quia fit in commemorationem, & gratiarum actionem de beneficio paſſionis Dominicæ, & aliis.

QVÆSTIO X.

Quibuſnam ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ſuum fructum conferat.

EST huius ſacroſancti ſacrificij fructus ſeu valor vniuerſè duplex, vnus eſt ex opere operato, ſeu quod idem eſt, ex inſtitutione Chriſti, qui independenter à Miniſtro eiuſque bonitate tribuitur ei cuius cauſa Miſſa fit, tam in communi, (puta quia offertur à præcipuo Sacerdote, qui eſt Chriſtus, aut Eccleſia, pro certo hominum genere, Papa Epiſcopis, fidelibus tam viuis, quam defunctis) quam in particulari, vt cum eam Presbyter vni cuipiam prodeſſe vult præ cæteris. Et hic valor, ſemper eſt ſtabilis vniformis, ac certus, ex offerente, acceſſionem nullam aut diminutionem accipiens, vt pote qui à voluntate ſola Chriſti pendeat, cui placuit tantùm nobis de merito ſuæ paſſionis applicare per Sacrificium, non amplius, ob quam cauſam vocatur valor, ex opere operato. Alter eſt ex opere operantis, quod enim aliis operibus bonis, hoc quoque ſacrificio conuenit, vt per illud ſacrificans mereri, ſatisfacere, & impetrare de condigno valeat, modo ſit in gratia, & Dei amicus, & hic valor, maior eſt, aut minor, pro maiori, deuotione ſacrificantis. Sic Sotus in quarto diſtinctione decima tertia q. 2. art. 1. parag. iſti ergo omnes. *Merentur*, inquit, *offerentes de condigno augmentum gratiæ, non modo per deuotiones & orationes quas illic fundunt, ſed etiam virtute operis, ſcilicet ratione hoſtiæ quam offerunt. Itaque ſicut offerens in gratia panem & nummos Sacerdoti, & alias largiens eleemoſynas, de condigno meretur augmentum gratiæ, ita & multo locupletius offerendo corpus & ſanguinem Chriſti.* Hæc ille. qui lectione 7. de Miſſæ ſacrificio, addit, hoc maxime nomine Sacerdoti laborandum eſſe vt pura beneq; præparata mente offerat, quod fructus ex hoc ſacrificio, pro ratione caritatis, religioſæque mentis affectu maior aut minor eum maneat. Hinc ſe mihi facilis explicandæ quæſtionis propoſitæ, ratio aperit.

Dico enim primò, *fructum aliquem de iis, qui ſunt ex opere operato, ab hoc ſacrificio per generalem eius applicationem, à Chriſto, & Eccleſia, derinari vniuerſè ad cunctos fideles, deinde ad Epiſcopos, &*

Antiſtites, tertiò, ad eos qui ſacrificanti adſunt, quartò, ad Sacerdotem, quintò, ad eum qui pro ſe Sacrum faciendum curat. Et hoc eſt quod quidam afferunt, vt Scotus in quodl. 20. art. 1. noux legis Sacrificio, valorem ineſſe triplicem, generaliſſimum, ſpecialem, ſpecialiſſimum. Primus integræ tribuitur Eccleſiæ, ac Chriſtianis vniuerſis, tam ſuperſtitibus, quàm mortuis, modò non impedientibus eius effectum, per excommunicationem, cap. ſacris de ſentent. excomm. aut per impœnitentiam finalem. Secundus, eorum eſt proprius, quibus Sacerdos Miſſam applicat. Tertius ad Sacerdotem ſolum pertinet, qui vt eſt cauſa ſacrificij, prolatione vocum, quibus verè fit, ita ex eo fructum aliquem demetere debet, nam ſi reliquæ eius actiones ſunt meritoriæ, impetratoriæ, & ſatisfactoriæ, cùm fiunt in gratia, quis illi actioni effectum hunc neget, quæ ex obiecto ſuo cæteris omnibus eſt præſtantior?

Dico ſecundò, *præter hunc fructum, deriuari in Sacerdotem, qui Deo per gratiam iuſtificantem eſt charus, & alium, qui non tam ex immolata hoſtia, eiuſque meritoperitur, quàm ex feruore animi, caritate, & affectu ſacrificantis.* Quia eſt hic feruor, animique ad bonum impetus, laude dignus, bonus item, ac meritorius is affectus, quo Sacerdos in Deum, ac ſacrificium fertur: eſt ergo compenſandus aliquo præmio, non alio quàm gloria, quam ſic operando Sacerdos meretur de condigno, & ex conſequenti gratiam, cùm ſine hac illa dari nequeat.

QVÆSTIO XI.

Quo in loco celebrari Miſſa debeat, & quomodo polluatur Eccleſia.

LOcus in quo iure communi & ordinario celebrari Miſſa debet, non eſt alius, quàm qui eſt ab Epiſcopo conſecratus, aut benedictus, habetur in can. 1. parag. ſi enim, can. ſicut, can. nullus (qui eſt Sylu. in Conc. Rom.) can. Miſſarum 12. can. hic eorum 14. de conſecrat. diſt. 1. *Epiſcopis autem, quoniam ſe habent ex diuerſis cauſis à ſuis Eccleſiis, Diœceſibus abſentare, nec ſemper poſſunt commodè ad Eccleſias accedere, pro Miſſa celebranda, vel audienda in ipſis, ſine quæ eos non decet tranſire abſque cauſa rationabili vllam diem.* Epiſcopis, inquam, indulſit Bonifac. VIII. in decretali ſua 12. titul. de priuilegiis in 6. *vt altare poſſent habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari, vbicunque abſque interdicti tranſgreſſione illis permittitur celebrare vel audire diuina.* Quo priuilegio gaudere Minoritas, tradunt Pet. Ledeſma 1. par. ſummæ cap. 20. de Euch. Franc. à Cruce in ſua Epitome priuileg. lib. 2. cap. 5. parag. ſi obiicias. Rodrig. in addit. ad ſummam tomo 3. cap. 19. num. 3. conceſſumq; ſimiliter eſſe à Paulo III. Greg. 13. Religioſis Societ. Ieſu, vt vbique gentium & locorum, præterquam in cubiculis, vbi ſæculares dormiunt, Miſſas celebrare valeant, quandiu de voluntate Superiorum, ruri verſantur, in miſſionibus tradit Ludouicus Portelius in lib. de dub. Regular. verbo altare.

In locis ergo non conſecratis, id eſt, in ſolariis, ſiue in cubiculis propter infirmos, vel longius iter, omnimodis à Presbyteris offerri ſacrificium interdictum eſt. Concil. Metenſe ſub Odone Rege, can. 8. à quo non excuſat neceſſitas. Heraldus cap. 54. Hincmarus in capitularibus 3. & 8. eorum quæ ſunt in Remenſi Synodo data, nec epiſcopalis dignitas, cùm decreto Concilij, his qui ea ſunt conſpicui, nefas ſit id aggredi, ſic enim Laodicen. can. 58. *Non oportet in domibus oblationes ab Epiſcopis, aut Presbyteris fieri.* Poſſunt tamen id Epiſcopi permittere, ex cauſa, modò ſit locus diuino cultui dedicatus, ſacraque in altari viatico myſteria fiant. Sic Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis in celebratione Miſſæ, hisverbis. *Ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab iiſdem ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi.* Conſentit Conc. Pariſ. ſub Ludo. & Loth. l. 3. can. 6. Quo decreto Trid. derogatum eſſe priuilegiis Regularium, de celebrandis Miſſis extra locum ſacrum, tenet Nau. in Manu. cap. 25. num. 82. Sed ei refragantur Ludou. Portel. ſuprà Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 5. & Rodrig. loco ante citato: horum enim opinio eſt, *Regulares intra ſuos Conuentus* (verba ſunt Portelij in dictione Altare, nu. 3.) *communicantes cum Fratribus S. Hieron. in Hiſpania erigere poſſe altare, & in eo facere celebrare, cum debita reuerentia, idque maxime vbi Fratres infirmi decumbunt, etiam in camera Prioris.* Compend. D. Hieron. verbo Altare, paragr. 1. Idem Societatis Ieſu Presbyteris, conceſſum à Romanis Pontif. ſcripſit Rodrig. tom. 1. regular. quæſt. 43. art. 4. in cuius Compendio hæc habentur indulſiſſe Gregor. 13. Societati, *vt in ſuis domibus, priuato in oratorio*, ad diuinum duntaxat cultum deputato, *& à Prouinciali approbato Miſſa dici poſſint, ſine alia Epiſcopi approbatione.* Idem Greg. XIII. conceſſit, *quòd non obſtante decret. Concil. Trid. poſſint Presbyteri Societatis, in miſſionibus quæ à Superioribus fiunt, ſeruata aliàs conceſſione Pauli 3.* (videlicet cum debita reuerentia & honore) *ſacrificium Miſſæ ſuper altari viatico celebrare vbique gentium, etiam in caſtris Militum, modò loca, etſi communia, & profana, tuta, & honeſta ſint.* An autem hoc decreto Concil. derogatum ſit canoni concedimus, de conſecrat. diſt. 1. per quem licebat Epiſcopis, dare licentiam celebrandi, extra locum ſacrum, conſuli poteſt Nau. Conc. 16. de priuileg. & Concil. 1. q. 37. de conſtitut., vbi etſi id expreſsè affirmet, nihilominus contraria mihi videtur opinio ſequenda, tam propter iura antiqua, quàm praxim vbique receptam, diſpenſandi cum infirmis, vt ſacrum coram ſe, in cubiculis, vbi ægri decumbunt, dicendum curent.

Oratoria autem, cum ex cauſa erigi alicubi Epiſcopus annuit, extra locum ſacrum, debet id operam dare, primò, vt ea quotannis viſitet. Conc. ſeſſ. 22. de euitandis in celebr. Miſſæ. Secundò, vt ſint ab omnibus domeſticis actibus libera. Tertiò, vt decenti loco ſint poſita. Quartò, vt culta, vt munda, vt nitida, vt imaginibus, cæteroquin aræ apparatu ornata. Quintò, vt non niſi *falso iure Parochialis Eccleſiæ*, in adminiſtratione Sacramentorum, ea frequentare cuique ſit impune. Sextò, *vt in Oratoriis nemo contra votum Epiſcopi, ad quem territorij ipſius priuilegium noſcitur pertinere, peregrinos Clericos intromittat, niſi forſitan quos probatos, ibidem diſtrictio Pontificis obſeruare præcipit.* Conc. Aurel. 4. can. 8. Septimò, cauere debet Epiſcopus, dum Oratoria, eorumque vſum permittit, vt in conceſſione, præcipuas anni feſtiuitates excipiat, in quibus abeſſe à Parochia non licere, his quibus ſunt permiſſa, ſignificet. Ita præcipiunt Concilia, Agathenſe præ cæteris, can. 14. *Si quis*

etiam extra Parochias, in quibus legitimus eſt, ordinarius ſine conuentus, oratorium habere voluerit, rediquis feſtiuitatibus, vt ibi Miſſam audiat, propter fatigationem familiæ, iuſta ordinatione permittimus. Paſcha verò, Natali Domini, Epiphania, Aſcenſione Domini, Pentecoſte, & natali ſancti Ioannis Bapt. & ſi qui maximi dies, in feſtiuitatibus habentur, non niſi in ciuitatibus, aut in Parochiis audiantur. Octauo, etiam ad Epiſcopi munus pertinere vult Piaſec. praxis Epiſcop. parte 2. capite 3. articulo 3. videre ne qui, præter domeſticos eius cuius intuitu Oratorium conceditur, ibidem diebus Dominicis & feſtis Miſſas audiant, quòd ſi facere animum induxerint, ab obligatione audiendæ Miſſæ, ex præcepto Eccleſiæ, per hoc exemptos non eſſe, hancque Curiæ Rom. praxim eſſe & in facultatibus ad conſtruenda Oratoria apponi id ſolere. Sanè conſtat, Chriſtianis olim extra ſuam Parochiam, die ſacro Miſſæ intereſſe, per leges non licuiſſe Eccleſiæ, præter cæteras, Concilij Nannatenſis ſanctio iudicat, qua Presbyteris præcipitur, *vt Dominicis & feſtis diebus, antequam Miſſas celebrent, plebem interrogent, ſi alterius Parochianus ſit in Eccleſia, qui proprio contempto Presbytero, ibi Miſſam velit audire, quem ſi inuenerint, ſtatim ab Eccleſia eiiciant, & ad ſuum Parochum redire compellant.* Nannet. can. 1. eſt in eandem quoque ſententiam canon alter eiuſdem Concil. *vt nullus Presbyter, alterius Parochianum niſi in itinere fuerit, aut ibi placitum habuerit, ad Miſſam recipiat.* Nann. Conc. ccan. 2.

Neque modò ſacra myſteria, in locis non ſacris, iure canonico prohibentur fieri, ſed & ciuili, vt Nouella 58. & 131. de Eccleſiaſticis titulis, ſancitur cum pœna, ne quis in proaſtiis, domibus, fundis, & priuatis locis ἐκκλησιαστικὴν μυσταγωγίαν peragat. Qui ſine Epiſcopi conſenſu id feciſſet, hunc veluti *μυσταγώγον* habēdum in populo, aiebant canones, vt notauit Balſamon ad can. 31. Synodi ſextæ in Trullo.

Fuit & hoc curæ Epiſcopis, vetare *ne ſuper vno altario in vna die duas Miſſas dicere, nec in altario, vbi Epiſcopus Miſſas dixiſſet, liceret Presbytero vlli Miſſam in illa die dicere.* Concilium Altiſiod. can. 8. & 18. q. 2. can. Abbas in Monaſterio 2. can. luminoſo ſexto: ſimiliter nec in Eccleſiis conſtructis ab exemptis, in locis tamen non exemptis Miſſas celebrare poſſe *ſine Diœceſanorum locorum ipſorum licentia* ſanxit Alex. III. cap. auctoritate 4. de priuilegiis in 6. Gregorij autem in Synodo Later. decretum extat, quo *Miſſas publicas ab Epiſcopo in cœnobio fieri omnino prohibet, ne in ſeruorum Dei receſſibus, & in eorum receptaculis vlla populoris occaſio præbeatur conuentus, vel mulierum ſint illic introitus, quia non expedit animabus eorum.*

Ecquid amplius? vetant canones Miſſam in eo loco dici vbi paganus eſt ſepultus, de conſec. diſt. 1. can. Eccleſiam, aut ſuper monumentum mortuorum, can. non oportet 29. diſtinct. 1. aut in templo polluto, cap. 18. de ſententia excom. in 6. qui ſcienter ſecus facit, *licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (cùm id non ſit expreſſum in iure) laqueum non incurrit* Bonifacius VIII. cap. is qui in Eccleſia, de ſententia excomm. in 6.

Polluitur autem Eccleſia, primò, per effuſionem iniurioſam ſanguinis, cap. propoſuiſti, & cap. vltimo extra de conſecrat. Eccleſiæ, & eod. tit. in 6. cap. vnico. Neceſſe autem eſt, ad hunc effectum, primò, vt percuſſio fiat in Eccleſia, etſi ſanguinem in ea vulneratus non emittat. Secundò, vt ſit iniurioſa, caſu facta, quamuis coniuncta cum ingenti ſanguinis profluuio, Eccleſiam non polluit. Tertiò, vt ſit magna, modica enim, qualis eſt ex qua non niſi modicus ſanguis, è naribus erumpit, Eccleſiæ ſanctitatem non violat. Piaſec. in praxi Epiſc. parte 1. cap. 2. art. 4. num. 7. quia effuſio plus aliquid ſignificat, quàm emiſſionem guttæ vnius, aut duarum. Quartò, vt ſit notoria, notorietate iuris aut facti. Sa ver. Eccleſia, num. 19. Durand. lib. 1. rationalis cap. 6. n. 42. Quintò, vt ſit mortalis. Suar. diſp. 81. ſect. 4. Henriq. lib. 9. cap. 27. num. 5. in Comment. litera L. quare etſi effuſio ſit copioſa, percuſſio autem, ſeu iniuria leuis, & non letifera, Eccleſiam tamen non polluet. Finellius caſu 5. ſummario 2. num. 3. Ratio eſt, quòd pollutio fundetur ſuper violentia facta in Eccleſia. Nau. in Manu. cap. 27. num. 256. at leuis iniuria propriè non eſt violentia, ergo, &c.

Polluitur Eccleſia 2. per homicidium iniurioſum, & notorium, quod, vel cuius cauſa intra Eccleſiam eſt data, canone propoſuiſti, canone ſi motum 19. de conſec. diſt. 1. vbi eſt his verbis. *Si homicidio, vel adulterio Eccleſia violata fuerit, diligentiſſimè expurgetur, & dehinc conſecretur.* Tria ergo ſunt ad hunc effectum cauſandum ex homicidio neceſſaria. Primum, vt ſit notorium, cognitum à duobus, aut tribus, Eccleſiæ ſanctitati non officit. Secundum, vt ſit iniurioſum, non tantùm perſonæ, ſed loco: nam etſi percuſſio, occiſio, ſtrangulatio, auctoritate iudicis facta in Eccleſia, reo non ſit iniurioſa, quia eſt nocens, quia mortem eſt meritus, Deo tamen, & ipſius ſanctitati loci infert iniuriam, ideoque ſufficit ad contrahendam Eccleſiaſticam violationem. Tertium, quòd requiritur, vt ex parte homicidij, polluatur Eccleſia, eſt, vt fiat intra Eccleſiam, aut ibi detur eius occaſio: ita ſi quis cum iniuria mortali, plagam recipiat in Eccleſia, ex qua aliquot menſibus interiacentibus moriatur, Eccleſia cenſenda erit polluta, & egere reconciliatione, antequam ſacra in ea myſteria, honeſtè, ac ſine culpa, celebrari valeant.

Tertiò, polluitur Eccleſia, ſi in ea ſepeliatur paganus, hæreticus, vel excommunicatus, nec poteſt reconciliari, niſi cadauere eiuſmodi exhumato, ſi diſcerni poſſit. *Eccleſiam*, inquiunt Patres in Aurel. Conc. can. 3. *in qua paganus ſepultus eſt, non liceat conſecrare, neque Miſſas in ea celebrare, ſed iactariforas, & mundari oportet.* Paria habet Agrippinenſe, vt refertur diſt. 1. de conſecr. can. Eccleſiam 28. ad hunc tamen effectum, requiritur poſt Conſtant. Concli. vt excommunicatus publicè ſit denuntiatus, aut notorius percuſſor Clerici. Nau. l. 5. Conc. 10. de hæret. edit. 2. Laym. loco citato.

Quartò, violatur Eccleſia, per effuſionem ſeminis voluntariam, licitam, aut illicitam, modò notoriam, habetur cap. fin. de conſecr. Eccleſiæ, ex coniugali tamen, hoc eſt, ea cuius maritalis copula, cauſa extitit, non ſequitur Eccleſiæ violatio, quando ob vrgentem neceſſitatem, & periculum probabile incontinentiæ, excuſatur à mortali. Sylu. verb. conſecratio 2. quæſt. 5. Coninch. q. 83. art. 3. dub. 1. num. 229. Leſſ. lib. 4. cap. 3. dub. 12.

Quintò, polluitur Eccleſia, ex quorundam ſententia, ſi conſecretur, aut reconcilietur ab Epiſcopo publico excommunicato, ita apud Piaſec. loco prænominato. Armilla, & Abbas in can. conſuluiſti. de conſec. diſt. 1. Nau. 27. numero 25. & Sylu. verbo benedictio, q. 6. Verùm hæc violatio

nullo iure est fundata, nec proinde asserenda, 2. est violatio Ecclesiæ, posterior eius consecratione, ergo qua actione consecrabitur, eadem non violabitur. 3. potestas consecrandi, characterem Episcopalem sequitur, in quo & fundatur, sed hic per censuram non tollitur, ergo nec hæc potestas, ergo si excommunicatus Ecclesiam consecrauerit reconcilianda non erit.

De cæmeterij verò consecratione, pollutione, & polluti recõciliatione, idem omnino est tenendũ, quod de Ecclesia, quare ea violata, vno ex quinq; modis allatis, cẽsebitur quoq; cæmeteriũ violatum, sic vt in eo sepeliri nemo possit antequã reconcilietur, quia quod principale est, trahit ad se accessoriũ. Recõciliata itaque Ecclesia, & ipsum quoq; cẽseri debebit reconciliatum esse, non contra, *ne quod minus dignum est, maius, aut accessorium principale, videatur ad se trahere*, Bonifac. 8. in cap. si Ecclesiam vnico de consecrat. Ecclesiæ in 6. *Nec vnum sed plura cæmiteria esse noscuntur, quæ quamuis sibi cohærentia, parietes tamen medio seiunguntur, Ideoque violato eorum altero, alterum (licet de vno ad aliud, per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.* Bonifacius ibidem.

QVÆSTIO XII.

An polluta Ecclesia polluantur Altaria.

OPpositum de aris, quæ olim in honorem Sanctorum extructæ sunt in Ecclesia, dici debet, hæ enim polluta, etiam & illæ modo sint fixę, pro pollutis sunt habendæ, quemadmodum & his violatis, Ecclesia quoque censetur violata secundum, Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 17. quod ego vt credam adduci vix possum, vt enim solæ consecrari possunt sine Ecclesia cap. his de consecrat Ecclesiæ ita & hæ pollui, ista non polluta.

Probatur, Altare solo fixum, consecrationem amittit, si loco moueatur, si fuerit enormiter læsum, si sigillum sub quo reliquiæ conduntur, seu lapis sub quo sunt dictæ reliquiæ amoueatur, at amotione aræ, à loco suo, non ideo desinit Ecclesiæ consecratio, vt patet ex communi praxi Episcoporum, quos constat non reconciliare Ecclesias ac eas denuo consecrare, cum in iis præter amotionem aræ nihil accidit, contra earum sanctitatem, ac reuerentiam admodum memorabile.

Est nihilominus contraria sententia in praxi vt securior, ita præferenda alteri, quod eam authoritas Pontificis Hygini fulciat, sequendamque omnibus suadeat eius decret. sanctio, quæ sic habet de consecr. distinct. 1. can. 19. *Si motum fuerit altare, denuo consecretur Ecclesia, si parietes mutentur, & non altare, salibus tantum exorcisetur, si homicidio, vel adulterio, Ecclesia violata fuerit, expurgetur, & denuò consecretur.*

QVÆSTIO XIII.

Quomodo reconciliari Ecclesias oporteat & à quo.

REconciliandæ autem Ecclesiæ consecratæ, hæc est forma. Primo, Episcopus indutus amictu, stola, & pluuiali, (si detur) sin minus superpellicio & stola, cum Clericis supplicantis in morem procedit ad portam præcipuã Ecclesiæ, ex parte eius interiori, cruce præcedente, ibi stans, conuersaque ad aram maiorem facie, versum *Asperges me Domine*, cum aspersione aquæ benedictæ occinit. subsequente Clero, & populo, eo ferè modo, quo solet diebus Dominicis, cum Sacerdos, aqua benedicta, nixus genibus, populum altariaque irrigat. Ab hoc versu, fit initium psalmo quinquagesimo, per Episcopum, clero alternatim respondente, dum ille interim, hyssopo parietem, ac solum ipsius Ecclesiæ aspergit, facto initio ab eius ianuæ parte dextera, indeque procedendo ad altare maius vt per læuã eius alam, vnde primò digressus erat reuertatur, eam perpetuo vt dexteram, irrorans aqua benedicta, ac sacra, hoctamẽ discrimine, quod locum vbi cõmissum est crimen, aspergere sæpius debeat, ac crebrius cæteris, & quia moram hæc exigunt, nec tamen sit honestum ac decens, clericos interim dũ ista fiunt otiosos esse, ac sine precibus. Psalmus 50. cum versu *Asperges*, tandiu erit repetendus, ab Episcopo & Clero, quandiu durabit cum lustratione templi, eius aspersio, qua finita, itur ad cæmiterium, aspergendum aqua benedicta similiter ac templum, quo regressi cum Episcopo Clerici, ibi consistent omnes, vbi primum canere Psalmum cum Antiphona *Asperges* sunt iussi, præter Episcopi, quem in loco, vbi facinus est factum, sic orantem audient.

OREMVS.

OMnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis, tantam præ cæteris gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine digne, & perfecte ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, vt quidquid modo visitaturi sumus, visites, & quidquid benedicturi sumus, benedicas, (hæc dicens manu facit signum Crucis) sitque ad nostræ humilitatis introitum Sanctorum meritis fuga Dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Huic orationi, Sacerdos aliam subiicit, ad quam viam sibi munit hac voce *Oremus*, quæ vt Deo grata accidat, eam flexo genu concipiendam esse Diaconus admonet, dicendo. *Flectamus genua Leuate*, cui Sacerdos assentiens, Deum precatur, vt se à culpis, populumque quibus est liberet, hæc est eius oratio.

Aufer à nobis Dõe cunctas iniquitates nostras, vt ad loca, tuo Sancto nomini purificanda, puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Huic orationi adduntur & aliæ duæ, inter quas, flexis genibus ad gradus altaris recitantur Litaniæ, cumque ad eam partem ventum erit, in qua populus præcinentis ore exaudiri se à Deo orat, clara voce, distinctaque, ac cruce in fronte expressa, ter repetet, *Vt hanc Ecclesiam, & altare, & hoc cæmiterium purgare & reconciliare digneris.*

Quæ omnia ab Episcopo fieri est necesse cum Ecclesia est reconcilianda, quam ipse, aut alius, æqualis cum eo dignitatis ac iuris, Deo per consecrationem ante addixit, ita Gregor. 9. in Decretali sua ad Astricens. Episcop. in qua ab eo munere remouendos Sacerdotes simplices monet his verbis. *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse, per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices, hoc fieri de cætero prohibentes. Non obstante consuetudine Ecclesiæ Braccarensis, quæ dicenda potius est corruptela, quia licet Episcopus committere valeat quæ iurisdictionis existunt, quæ ordi-*

Digitized by Google

uis tamen Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus Clericis demandare.

Quid ſi Eccleſia conſecrata non ſit, ſed benedicta tantum? ſeu auctoritate Epiſcopi deputata ad diuina? Reſpond. reconciliari tum poſſe à ſimplici Sacerdote aqua ab Epiſcopo benedicta, Greg. 9. author in cap. 10. de conſecrat Eccleſiæ, in hæc verba, *Si Eccleſia non conſecrata, cuiuſcumque femine fuerit, aut ſanguinis effuſione polluta, aquâ protinus exorcizata lauetur, ne diuina laudis organa ſuſpendantur.* Gregor. aſſentiuntur hi authores Nauar. l. 3. conſil. 1. de conſec. Eccl. Armil. verbo conſecr. Eccleſiæ nume. 2. Auila part. 5. diſput. 7. dub. 3. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 13. Religioſos ſane multos conſtat, Eccleſias ſuas, etiam conſecratas ſed tamen vno de modis, quorum ante memini pollutas, reconciliare poſſe, ſi Epiſcopus in cuius Diocœſi verſantur, abſit vltra duas diætas, nec facilis ſit ad eum aditus. Henriq. lib. 9. cap. 27. num. 6. litera D. & in eam rem, poſſe eorum Prælatos, ad quos etiam pertinet priuilegio Pontificis Romani, ſuarum Eccleſiarum reconciliatio, aquam benedicere.

Quod ſi tanto interuallo non diſtaret Epiſcopus, nec duarum diætarum iter, id eſt 14. leucarum, inter hunc, & illos, intercederet, eſſet prudentiæ in Regularibus, ac verò etiam obligationis, ſi minus eius expectare reditum, at certe, aquam ab eo ſuppliciter, & enixe, quam Gregorianam vocant, hoc eſt per eum benedictam, cinereque & vino permixtam petere, eaque Eccleſias ſuas, quamlibet conſecratas reſpergere, purgare, & reconciliare. Ita Rodrig. tom. 1. quæſt. regular. fol. 268. Ludouicus Port. in dubiis regul. verbo Eccleſiæ reconciliatio.

Eſt autem & alia, reconciliandæ Eccleſiæ ratio, nempe ſi in ea dum durat violatio, bona fide ſacrum fiat, Emm. Sa verbo Eccleſia num. 19. Caſtro lib. 2. de lege pœnit. cap. vlt. Auila parte 5. diſp. 7. dub. 3. cauſa eſt, quod ipſa celebratio, templi ſit reconciliatio vt pote cui per illam ac ſacrificium, noua quædam ſanctitas accedat, cum qua ſtare nequit eius pollutio.

A nobis diſſentit Laym. loco ante citato, ſed quia nullo mihi ſtabili firmamento videtur eius nixa opinio, ab antiqua, quæ eſt Emman. Sa, & noſtra non recedo.

Dixi bona fide, nam qui ſciens, rem diuinam in Eccleſia polluta faceret, ſuſpenſus eſſet, & poſtmodum irregularis, ſi cum ea ſuſpenſione ad altare accederet, ac myſteria ſacra, inibi tractaret. Abbas in cap. tuarum de priuil. num. 5. Piaſec. in praxi part. 1. cap. 2. art. vlt. num. 7.

QVÆSTIO XIV.

An plures Miſſæ vno die dici poſſint, à non ieiunis, & quæ in Sacrificio vitari debeant.

QVanquam ſint ſacra myſteria omni tempore, homini non imparato fructuoſa, *Dum per ſalutaris Euchariſtiæ infuſionem, inſluit Chriſtus in viſcera ſumentis*, & naturam carnis ſuæ, ad naturam æternitatis, ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit S. Fulbertus epiſt. 1. *Sufficit tamen Sacerdoti vnam Miſſam in die celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit de conſecr.* diſt. 1. can. ſufficit 53. idem iiſdem pene verbis habet Innoc. eius nominis 3. de celebratione Miſſarum cap. 12. & cap. conſuluiſti 3. eiuſd. tituli, & can. Nocte ſancta 48. de conſecr. diſt. 1. *Excepta die natiuitatis Dominicæ, & ſi cauſa neceſſitatis ſuadeat.* Innoc. 3. de celebrat. Miſſarum cap. Conſuluiſti 3. *Quidam etiam pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die ſi neceſſe fuerit.* Alexand. ſecundus, relatus à Grat. diſtinct. 1. de conſecrat. can. 53. Odo in ſtatutis Pariſienſib. cap. 1. de Euchariſt. Guill. Pariſ. in additionib. ad Conſtitutiones Galonis Cardinalis de Sacram. cap. 1. num. 5. Præter quos caſus duos, & alij numerantur à Sylu. verbo Miſſa 1, q. 7. Nau. cap. 25. nu. 87. Primus eſt ne æger ſine viatico moriatur. Henriq. lib. 9. cap. 3. num. 7. Secundus eſt, ne populus ſacro careat in die feſto, puta ſi frequens peregrinationis cauſa aliundè venit, nec eſt alius à Parocho, aut Sacerdote, qui iam ſacrificauit, & adhuc ieiunus remanet, qui eius religioni ac pietati ſatisfaciat, Raymund. in ſumma, Guido de monte Rocherij in manipulo tract. de Euchar. cap. 7. ſed pace eorum ſit dictum, non videtur res tanti, vt eius cauſa, decreta Eccleſiæ violari ſit neceſſe. Sane cum ab Archiep. Sipontino conſultus eſſet. Honorius 3. ecquid ei in Sipontina Eccleſia, vbi Chriſma conſecrare, veteri more ei erat neceſſe, iterato Miſſam in die cœnæ dicere non liceret, quod à populo in Gargarina Eccleſia quo peregrinorum cauſa, qui illuc aduenerant coactus erat, ſummo manè iter intendere, reſpondit in decretali epiſtola cui initium te referente 12. tituli de celebr. Miſſarum. *Die Cœnæ Domini, in Eccleſia Sipontina duntaxat, in qua tenebatur chriſma conficere, Miſſarum ſolemnia ei celebranda eſſe.* Tertius eſt, cum quis duobus Parochiis præeſt, nec habet ob inopiam, aut raritatem Sacerdotum, qui eum adiuuet, tunc enim poteſt in vtraque modo ſit ieiunus, rem diuinam facere, Suar. diſp. 80. ſect. 3. Scortia lib. 2. cap. 16. Quartus, eſt ob aduentum inopinatum proceſſionis. Quintus ob ſepulturam mortui, cui Miſſæ officium adiungi poſtulatur, ſed hæc & rara ſunt, & valde incerta nec ob frequentiam Sacerdotum, quorum vbique magna eſt copia, permittenda hoc tempore facile, niſi iuſta aliqua cauſa petita ex querimonia populi, aut ſcandalo, oppoſitum ſuaderet, tunc enim locus eſſet legi Eccleſiaſticæ, quæ licentiam bis ſacrificandi in caſu neceſſitatis æſtimato, ſecundū arbitriū boni viri tribuit, ea ceſſante, ceſſat quoque facultas iterandi eodem die ſacrificii, quod cum erit neceſſe repeti ab eodem ob bonum publicum, aut priuatum aliquorum, in priore ablutionem non ſumet.

Eo quod lege Eccleſiæ, non niſi à ieiunis frequentari ſacra myſteria oporteat Carthag. 3. can. 29. Matiſconenſe 2. ſub Pelagio, & Clotario iuniore. ſecundo anno 590. circiter can. 6. Africanum can. 8. Altiſiodorenſe can. 19. his verbis. *Non liceat Preſbytero, aut Diacono, aut Subdiacono, poſt acceptum cibum, aut poculum, Miſſas tractare, aut in Eccleſia, dum Miſſa dicuntur, ſtare. Iniuſtum eſt enim vt ſpirituali alimento corporale præferatur*, Concil. Matiſcon. 2. can. 6.

Et certe quotidie medicos vacuis viſceribus ſua pocula cernimus propinare, & hoc ſi pro ſanitate corporis agitur quanto potius eſt pro ſalute animæ patrandum? Nicol. Papa ad conſulta Bulgaror. cap. 65. Quare nunquam non fuit in Eccleſia prohibitum myſticæ menſæ accumbere, ſoluto prius ieiunio cibi Laici ſumptu. *Excepto vno die anniuerſario quo cœna Domini celebratur.* Concil. Carthag. 3. can. 29. Matiſcon. 2. can. 6. ſed ne tunc quidem, poſt

habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus, Concilium Toletan. 11. can. 14.

Placet mihi eorum opinio, qui huius Ecclesiasticæ legis, morisque originem repetunt, à precibus, quas populi causa ac nomine, cum Sacerdos Deo offerat, talia pietatis ac caritatis officia sibi grata & accepta esse, vt indicaret populus, prudentissimè statuit Ecclesia, *vt non solus Presbyter Missarum solennia, vel alia diuina officia, posset sine ministri suffragio celebrare.* Alex. 3. cap. placuit 6. de filiis presbyter paragr. vltimo. Itaque cum plerisque in locis Galliæ, quâ Sacerdotum incuria, quâ auaritia illaudabili, soli hi in altari consisterent, nec sine probri mentiendique periculo multa inter sacrificandum dicerent, quæ vnius aut plurium conscientiam exigerent, atque præsentiam, visum est Francis Antistitibus è re communi, Ecclesiæq; maiestate esse, eos post modum ad altare incomitatos non venire. Quibus enim, cum arbitrum nullam habent, conscriunque sacrificij sui, dicunt, *Dominus vobiscum? & à quis illis respondetur, & cum Spiritu tuo? vel pro quibus supplicando Domino inter cætera, Memento Domine, & omnium circumstantium, cum nullus circumstet dicunt? quæ consuetudo, quia Apostolica, & Ecclesiastica auctoritati refragatur, & tanto mysterio quandam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, vt deinceps huiusce modi vsus inhibeatur*, Concilium Paris. sub Ludouico & Lothario lib. 1. can. 48.

Et quoniam vbique semper, maximè vero in templo, vbi frequens est omni tempore populi concio, honestatis, atque decentiæ, Sacerdoti habenda est in primis ratio. Statuit Alexand. eius nominis 3. in cap. proposuit 6. de filiis Presbyter, vt qui ei sacrificanti operam daturus esset, è Laicorum turba secretus, & in Clericorum numerum ascriptus esset.

Fœminis vt est legibus Ecclesiæ interdictum ad altare accedere, per Concil. Trullense can. 69. Laodicen. can. 44. Parisiense sub Ludouico, & Lothar. libro 1. can. 45. ita & Presbytero ministrare est prohibitum in Nanner. Concil. can. 3. Mogunt. can. 43. quod, *Quia ex toto à Christiana religione abhorret, estque contra legem diuinam canonicamque institutionem, fœminas indumenta Sacerdotalia Presbyteris administrare*, ne vlterius fieret inhibendum sibi credidit Concil. Parisiense loco proxime citato. *Quidam nostrorum virorum relatu, quidam etiam visu didicimus, in quibusdam prouinciis contra legem diuinam, canonicamque institutionem, fœminas sacris se altaribus ingerere, miranda sane res est, vnde illicitus is in Christiana religione vsus irrepserit.*

Secundò videre Sacerdos debet, *Ne in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ sperator, & hoc aquâ mixtum, offerre præsumat, quia sacrilegium indicatur aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimis Saluator instituit*, Conc. Autel. 4. can. 4. Altisiod. can. 8. in Carth. autem 3. can. 24. hæc leguntur. *In Sacramentis corporis, & sanguinis Domini, nil amplius offeratur, quam quod Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aquâ mixtum.*

Tertiò, *Quando Sacerdos Missam celebraturus accedit, non aliter accedere debet, quam orario, vtroque humero circumseptus, sicut & quando fuit consecratus, stans de vno, eodemque orario, cernicem pariter, & vtrumque humerum premens signum in suo pectore præparet crucis.* Concil. Braccar. 3. sub Vitaliano Papa can. 3.

Quartò, ad orarium, quo nomine Piasecius in tract. de visitatione Parochialis Ecclesiæ, stolâ intelligit, ad orarium, inquam, sacræ vestes aliæ, adiungi debent, nempe amictus seu superhumerale, Alba, cingulum, manipulus, Casula, sine his, aut earum aliqua sacrificans, puniri potest can. Ecclesiasticæ distinct. 23. eas autem damnans, aut contemnens, tanquam inutiles, inanes ac vanas, anathemate ferirī secūdùm Conc. Trid. sess. 22. cap. 5. & can. 7. Oportet autem eas esse integras, & mundas, cum immundis, aut in vasis, corporali, & purificatorio parum decoris, aut nitidis, celebrare, mortale est in opinione Sylu. verbo Missa 1. quæst. 2. Toleti lib. 2. cap. 2. contra Innocent. 3. præceptum in cap. 2. de custodia Eucharistiæ conceptum his verbis. *Præcipimus quoque, vt Oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta prædicta, munda & nitida conseruentur: nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.* Vestes præterea oportet sacras esse, decreto Stephani Papæ epist. 1. ad Hilarium cap. 3. *quibus, in aliis vsibus Sacerdotes non debent frui, quam in Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis Deo hominibus.* Stephan. loco citato, Greg. 7. in conc. Rom. c. 7. Qui Clericus scienter diuina vasa, vel ministeria in vsus profanos transferebat. *Gradus sui, vel officii periculum sustinebat, si secularis erat, perpetua excommunicatione damnabatur, si religiosus ab officio deponebatur.* Concil 7 Generale act. 7. Braccar. 3. can. 2. est id ergo Patrum, qui ei interfuere concilio sententia, atque iudicio mortale peccatum, 1. quia id continet grauem irreuerentiam, & virtualem contemptum tam Dei, cui sacra vasa solenni sunt addicta ritu, quam ipsorum, quæ cum à profanis sint rebus, earumque serie, per contactum corporis Christi, & sanguinis translata, ea iterum ad eas reuolui, fœdo turpique commercio, sine eorundem contemptu aliquo, saltem virtuali, ac implicito non posse, nemo opinor, cui tantillum est salis, negatum ibit.

Quintò Sacerdotem cum celebrat, calceatum esse oportet, ob maiorem honorem atque decentiam, Heraldus Arch. Turon. cap. 105. nudo capite, ac sine baculo, *Nullus Episcopus, aut Diaconus ad solemnia Missarum officia celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari assistere, quoniam & Apostolus prohibet, viros velato capite orare in Ecclesia, & qui temerè præsumpserit, communione priuetur.* Idem præcipit Zachar. Papa in Synodo Rom. ca. 13. & 14.

Sextò ritus non alios in celebrando sequi, non orationes adhibere differentes ab his quæ in Ecclesia receptæ, eiusque sunt approbatæ iudicio, Sacerdoti licitum est Trid. sess. 22. cap. de celebr. Missæ, quare in Ecclesia Romana, non nisi Romanæ, in Græca, non adhibendæ nisi Græcæ. Abb. in cap. literas de celebrat. Missarum, Patrumque nostrorum memoria Pius 5. in constit. quæ incipit Prouidentia, de anno 1566. 28. Kalend. Septemb. id seruare seueriſſimè voluit.

Nec in id modo, Sacerdotē incumbere est necesse, vt Ecclesiæ suæ ritus celebrando teneat, externos reiiciat, Græcus Latinæ, Latinus Græcæ, sed etiam ne ordinem arbitratu suo modumque sacrificij inuertat, ac subruat, aut Missam de sancto quopiam dicat, cum de Dominica, aut feria fieri oportebat, Gregor. 13. in rescripto ad Hispaniar. Ecclesias, cui initium Pastoralis officij de anno 1573. Decemb. die 30. sane cum vna sit fides omnium, qui in eadem Diœcesi degunt, idem omnium

Episcopus, iidem mores, eadem instituta, in sacrificando, orando, psallendo, nulla esse inter eos debet diuersitas, discrepantia nulla. Agath. Conc. can. 39. *Sed sacrorum idem ordo, una eademque psallendi consuetudo, vt sicut vnam cum Trinitatis confessione fidem tenent, vnam & officiorum regulam teneant.* Concil. Venet. can. 15. hoc enim antiqui canones decreuerunt, & Ecclesiarum tam Galliæ, quàm Hispaniæ, praxis antiqua, vsusque confirmat. Extat Epaunensis Concil. can. 25. breuis illa quidem, sed religiosa sanctio, qua iubentur Galli Episcopi, *ad celebranda diuina officia, ordinem, quem Metropolitani tenent, obseruare.*

Hispanis lex eadem à Gerundensi posita Concilio legitur in can. 1. his verbis. *Institutio Missarum sicut in Metropolitana Ecclesia agitur, ita in Dei nomine, in omni Tarraconensi prouincia, tam ipsius Missæ ordo, quàm psallendi vel ministrandi consuetudo seruetur.* Ab hac lege non discedet facilè qui Superiori suo obsequi, qui cæterorum more viuere, non suo, ponit in laude.

Et hoc Sacerdoti inter cætera curæ esse debet, vt non nisi in altari, eoque Episcopi, precibus ac oleo, ex formula Ecclesiæ consecrato faciat. Augustl. lib. 20. contra Faustum, cap. 121. aræ meminit, vti rei ad sacrificium necessariæ. *Nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificamus, quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria, quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum, assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, Paule, Cypriane, sed quod offertur, offertur Deo.* Est hoc Fœlicis Papæ de subiecta materia testimonium nobile, ep. 1. ad Orthodoxos. *Sicut non aliy, quàm sacrati Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec sacrificia Deo super altare offerre, sic non in aliis, quàm in Domino, consecratis locis, id est, in tabernaculis, diuinis precibus, à Pontificibus delibatis, Missas cantare, aut sacrificia offerre licet.*

A tem, ac tacita id agant, cùm enim hi obsistere honestè nequeant, nec auctoritate, qua pollent in Ecclesia impedire, quin tam nostris animi, corporisque obsequiis, quàm hostiis offerendis, ac sacrificio, Dei præpotentis in res omnes plenissimũ imperium testemur, cùm id sit iuris naturalis ac diuini, & id quoque, sine qno esse sacrificium non potest, iudulgere sunt censendi, nempe, vt altare ex gypso, aut alia materia simili, cùm lapidea desit, sibi, ad Principis Dei cultum erigant, in quo tamen, operari sacris antè nulli per canones, iuraque Romanæ Ecclesiæ fas erit, quàm eiusdem facta per Episcopum consecratio accesserit, can. altaria, de consecrat. dist. 1. cuius impertiendæ ipse legibus Ecclesiæ solus est capax. S. Aug. testimonio in serm. 255. S. Leon. opusc. 88. aliàs 92. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. *Etsi enim Presbyteris cum Episcopis plurimis illis ministerium communis sit dispensatio, quædam tamen Nouellis, & Ecclesiasticis legibus illis sunt prohibita, sicut Presbyterorum, & Diaconorum, aut virginum consecratio, sicuti constitutio altaris, ac benedictio, & unctio, siquidem nec eis erigere altaria, vel Ecclesias consecrare licet.* Hæc Leo. Quia tamen Episcoporum, quanta Sacerdotum, in Ecclesia non est copia, interfit autem Fidelium, in dissitis orbis prouinciis morantium (quò tamen penetrare Episcopis non est facile, ob perpetua Diœceseon, quibus præsunt impedimẽta) eos sacrificio non priuari, placuit summis Pontif. hac consecrandorum altarium facultate, ad Dei gloriam, impertiri Presbyteros, nulla licet in Ecclesia, dignitate, aut magistratu conspicuos, vt Leonem decimum fecisse memorant, cum Fratribus Ordinum Minorum, proficiscentibus ad Indias, tam suâ, quàm eorum causâ, ad quos mittebantur, erigendi aras, ac erectas consecrandi potestatem dedit. Nec minor fuit Pauli 3 aduersus Societatem nostrã caritas, cuius Presbyteris permissum esse voluit, *vt in locis remotissimis infidelium, vbi Episcoporum copia non habetur possint altaria consecrare.*

B

C

QVÆSTIO XVI.

Quale, & ex qua materia Altare fieri debeat. D

NOn nisi lapideum, Chrysost. hom. 20. in ep. ad Cor. & Chrismatis vnctione delibutum, Epaun. Conc. can. 25. ac sacerdotali benedictione sacratum. Conc. Agath. can. 14. de consecr. dist. 1. can. 32. Et quanquam olim cùm pœnarum metus, ac martyrij, Christianos in speluncis abderet, lignea essent altaria, de quo fidem facit mẽsa quernea, Romæ Sylueſtri iussu seruata, in honorẽ B. Petri, vnaque de omnibus reliqua, quæ ad sacrificium populo & Sacerdotibus vsui fuerant, & in qua, soli Rom. Pontifici rem diuinam facere licitũ erat, in memoriam Apostoli Petri, qni ea, dum vixit, vsus dicitur. Hoc tamen tempore, non nisi in altari lapideo, sacrificium fieri, Pontificum decreto, ac canonum, vlli est in Ecclesia permissum, quòd ea materia sit cæteris durior, & ad significandum Christum, qui petra est angularis. 1. Cor. 10. magis idonea, quàm quælibet alia. Nonnulli bi tamen ob ciuium inopiam, lapidumque raritatem, altaria opere lateritio, aut ex gypso, admixto cæmento construi solita audio, in quo sane earũ prouinciarum populos, vacare culpa non ambigo. Primò, quia quod in lege non est licitum, necessitas licitum facit, de regul. iur. in sexto. Secundò, quòd Pontificis indulgentiâ, virtuali sal-

QVÆSTIO XVII.

De reliquis necessariis ad Missam, & à quo vestes sacrari debeant.

SAcerdoti facturo rem diuinam, prouidendum est, vt sacrificium non in serico panno, aut tincto celelebrare præsumat, *sed in puro lineo, ab Episcopo consecrato, & ex terra procreato, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea, & munda sepultum fuit.* Synod. Rom. 267. Episcop. sub Sylu. & de consectat. dist. 2. can. consulto 45.

Præter hunc pannum, quem corporale nominant, quia sedes est corporis Christi, necessariæ sũt mappæ duæ lineæ, quæ sint super mensã altaris extensæ, quarum alteram, etsi deceat, non tamen est necesse duplicatam esse, teste Sylu. verbo corporalia, & verbo missa 1. num. 2. Suar. disp. 81. sect. 6. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 6. Ei mappæ imponitur corporale, isti calix, quem oportet argenteum esse, aut aureum, vt habet Concil. Rhem. can. 6. & refertur de consec. distinct. 5. *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat, de are, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem, æruginem parit, qua vomitum prouocat.* Conc. Rhem. ibi.

E

Qui

Quid ſi ligneus eſſet, quid ſi è robore, abiete, aut cedro odorata arbore fabrefactus? Fuiſſe quidem olim, eiuſmodi calices in vſu, Bonifacij martyris, & Epiſcopi reſponſum, diuinæ cuiuſdam ſapientiæ plenum indicat, *Interrogatus enim ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit, quondam Sacerdotes aureis & igneis calicibus vtebantur, nunc è contra, ligneis Sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Triburienſe can. 18. Strabo Vualfridus de reb. Eccl. 24. Quinetiam author eſt Dramaſus in Zephirino, ſtatuiſſe hunc Pontificem. *Vt patenæ vitreæ, miniſtri ante Sacerdotes portarent, dum Epiſcopus Miſſam celebraret*, eſt eorum tamen vſus, vti & calicis vitrei, modo prohibitus, *quem Vrbanus decimus octauus Papa, vti cætera omnia miniſteria, argenteum fecit, in his enim, ſicut & in reliquis cultibus, magis, & magis, per incrementa temporum, decus fuerunt Eccleſiarum*, Tribur. Concil. can. 18. qua laude præſtare cum vellent Antiſtites, optarentque cumulari magis decus Eccleſiæ, quam minui, laxere, *Vt deinceps nullus Sacerdos, ſacrum myſterium corporis, & ſanguinis Ieſu Chriſti Domini noſtri in ligneis vaſculis, vllo modo conficere præſumeret, ne vnde placari debet, inde iraſcatur Deus.* Concil. Triburienſe can. 18.

Sacrari autem debent ad miniſterium diuinorum, tam vaſa quam veſtes Fœlix in ep. 1. cap. 1. nõ eodem tamen modo, hæc & illa, vaſa enim calix & patena, dum conſecrantur, vnguntur chriſmate, Fœlix epiſt. 1. ca. 1. veſtes autem, lintea, & panni altaris benedicuntur, ceremoniis adhibitis, quæ in Pontificali ſunt præſcriptæ. Nec Epiſcopus eorum benedictionem alteri poteſt committere, ſi fides eſt Piaſecio prax. Epiſcop. parte 1. cap. 2. art. 4. num. 13. Vgolino de poteſtate Epiſc. cap. 32. num. 4. Barboſæ iuris Eccl. lib. 3. cap. 1. n. 18. Petij id tamen & obtineri poſſe à ſummo Pontifice communis eſt Doctorum opinio, dummodo in eo benedictionis genere, quod eius benignitate rebus adhibetur, non ſit neceſſaria vnctio, vel oleũ Sanctum; Hæ enim à ſolo Epiſcopo ordinato, & conſecrato, benedicendæ, inungendæ, & conſecrandæ ſunt, vt cenſuit Rituum congregatio ann. 1601. 9. Octobr. quia eiuſmodi conſecratio ſupponit ſecundum Barboſam, ea quæ ſunt ordinis, quo ex principio concludit, Abbates, & Prælatos, licet territorium habeant, & iuriſdictionem, ſi charactere careant, id tunc proprio ac commum, arrogare ſibi non poſſe, vt erecta altaria, Deo fructuoſe, ac cum laude dedicent: itaque cenſuiſſe Congregationem Rituum anno 1601.

Contraria mihi tamen opinio, videri ſolet in conſcientia tuta eſſe, nam ſi poteſtas conſecrandi altaria, Ordini eſt annexa, ſi eſt illa, iſtius effectus quidam, iſque neceſſario ei coherens, quis non videt, Regularibus, à Pontifice tribui nec debere, nec poſſe, cum authoritate ipſe ſua, ſupplere quæ ſunt ordinis nequeat: Et tamen quod eorum Prælati, aut de eorum diſciplina quilibet alij, quibus Pontifici viſum erit, veſtes Deo precibus in Eccleſia vſitatis deuouent, eius eſt in illos, non vulgare donum, quo gaudere Mendicantium, Superiores voluntate Leon. X. habet eorum compend. verbo benedicere Eccleſiaſtica, paragr. 14. Emmanuel Rod. quæſt. regular. to 1. q. 19. ar. 2. Ludouic. Miranda in manuali Prælatorum num. 2. q. 40. art. 1. concluſ. 1. Et quia ſua ſibi mutuo priuilegia communicant Ordines, qui mendicato viuunt, quod Franciſcanis licet, & cæteris quoque Prælatis Ordinum, quos in Mandicantium album Eccleſia retulit, licere narrat Piaſce. parte prima prax. cap. 1. art. 4. quare vt illi Leon. X & Sixti quarti benignitate, ornamenta ſuis Eccleſiis, ad ſacrorum vſus neceſſaria, benedicere poſſunt, ita & iſti.

An autem extraneæ quoque, & pro aliis Eccleſiis ad ſe delata, benedicere Mendicantes poſſint, ambigi video Barboſæ iuris Eccles. lib. 3. cap. 2. non placet id in iure Regularium poni, Portelio ſecus viſum in dub. regular. verbo benedicere, quod id Religioſis S. Paduæ, permiſſum eſſe ſpeciali quodam priuilegio, voluerit Romanus Pontifex, cõſequenter & aliis, qui communione amoris, mutuæque inter ſe beneuolentiæ, ſua ſibi viciſſim bona, ac priuilegia cõmunicant, ex quo conſequi, ait Guardianos, non ſibi tantum & Ordini prodeſſe poſſe benedictione veſtium quæ litantibus Fratribus, aut ad Eccleſiarum ſuarum ornatum, inſeruiant, ſed & quibuſlibet aliis, quod alij non probant. Sane ſcribit Collector priuilegior in Compend. ver. Benedicere, hac poteſtate Minoritas non vti, quod per Capitulum, cuius eſt moderari priuilegia eorum que vſum ſit reſtricta, quod negat Rodriguez tomo 1. q. 16. art 2. additque Portelius eorum Guardianos, Vicarios, ſeu Præſidentes, Prælatos, & Superiores, poſſe, cum res exigit, aut rogãtur, benedicere benedictione ſolenni, omnes ſuas Eccleſias, Oratoria, & ornamenta Eccleſiaſtica, in quibus chriſma non interuenit, conſequenter corporalia, Compend. verbo Benedicere numer. 14 Quod Superioribus quoque noſtris licere conſtat, cũ moderatione duplici, prima, vt id neceſſitas poſtulet Secũda vt abſint Epiſcopi aut ſi ſint præſentes, ne tali caritatis officio lædantur, periculum ſit vllum. *Quod ad benedictionem tamen extraneorum attinet*, verba ſunt Compend priuilegiorum Societatis verbo Benedicere paragr. 3. *Non niſi neceſſitas vrgeat, & Prælati, ideſt Epiſcopi diſſent, & ſine illorum offenſione fiat.*

Quid ſi non Prælati Ordinum, ſed ex eorum cœtu quilibet, rogetur benedictionem impartiri ornamentis, ac veſtibus, quæ ad templi apparatum, curâ ſunt ac caritate fidelium elaborari iuſſæ?

Reſpondendum, eorum quemlibet, ad id operam ſuam, cum laude, ac fructu deferre poſſe poſtulantibus. *Sixtus enim quartus*, vt eſt in Bullario Rodriguez fol. 511. *Conceſſit Fratribus omnibus familiæ ſancti Franciſci, quod poſſint benedicere paramenta altaris, miſſalia, & indumenta, exceptis corporalibus duntaxat. Per quam conceſſionem nõ poſſunt*, inquit Ludouicus Portelius in additione ad verbum Benedicere numero ſecundo. *Sacerdotes Ordinis non Prælati, benedicere Eccleſias, & corporalia, ſed alia omnia ornamenta altaris, & omnes veſtes Sacerdotales quod ſcio apud Fratres Dominicanos in vſu eſſe, & ita præticari, vt Sacerdotes ordinary benedicant ſupra dicta etſi non ſint Prælati.* Hæc ille.

QVÆSTIO XVIII.

Quomodo veſtes & altaria, & per quid benedictionem amittant.

EXecrantur hæ verò, ſuamque, vt ſic loquar, benedictionem tùm perdunt, cùm ita franguntur, vt non ſint ad vſum, cuius causâ primò ſunt contextæ, amplùs idoneæ ac vtiles, vt ſi ſint laceræ, ſi deformes, ſi mutilæ, ſi figuræ expertes, quàm eſt neceſſe legibus Eccleſiæ, eas habere. Itaque ſi caſulæ perforatæ, addatur particula materiæ tanta, quanta debet vt vitioſa eſſe deſinat, benedici de nouo non debebit, etſi quæ ad eam reparandam ſunt adiecta, artificis cura & labore, profana ſint, & non ſacra, nec ex Eccleſiæ formula, eiuſque precibus benedicta. Quia eorum acceſſio, caſulæ figuram non variat formam non mutat, nec eſt eorum quantitas eiuſmodi, quæ reſiduis in caſula æquari magnitudine valeat, ergo cùm acceſſorium, naturam totius induat, quodque eſt in re qualibet minus, nomen ac appellationem ſumat ab eo quod eſt in ea principale, vt aiunt, primaſque partes obtinet, quæ obturando caſulæ, nouæ particula addetur materiæ, eam de ſacra profanam, de benedicta communem non reddet. Secus ſentiendum foret, ſi pars anterior deeſſet, & ad eius ſupplementum, noua recenſque adderetur, quæ ademptæ loco eſſet, nam cùm iactura prædictæ partis, caſula ad eos vſus, quorum cauſa adhibetur in ſacris miniſteriis, apta eſſe ceſſarit, vt formam ſuam eius priuatione perdidit, ita & benedictionem. Idem eſt de alba iudicium, cui, ſi quid apponetur, ad eam reficiendam, exiguum illud quidem, & tenue, cuius adiectio illius formam non mutet, nihil de antiqua ſua benedictione perdidiſſe cenſenda erit, quæ tamen perbit, ſi manicę longo vſu abſumptæ pereant, aut ſi antequam ſint detrictæ, tollantur ambæ, aut earum altera, nam cùm alba his deſtituta, forma ſua careat, nec amplius ad ſacra miniſteria vtilis eſſe valeat, iteratò benedici debebit, ſi eam ad altare, ſacrificij causâ inferri placet. Armilla verbo benedicere, num. 3. Barthol. ab Angelo, dial. 5. parag. 165 Barboſa vbi ſuprà, num. 38. Quid ſi infernè reſcindatur, fiatque longè quàm antè breuior? Quia formâ non mutat, benedictione ei nulla noua eſt opus. Vgolin. de poteſt. Epiſc. cap. 32. parag. 1. num. 6. vbi addit tam hanc, quàm veſtimenta Sacerdotis reliqua, amburenda eſſe, cùm deſinunt eſſe ad ſacrificium vtilia, quod Clemens epiſt. 2. fieri quoque præcipit, his verbis. *Altaris palla, canthara, candelabrum, ac velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur, quoniam non licet ea, quæ in ſanctuario fuerunt, malè tractata, ſed incendio vniuerſa tradantur, cineres eorum in baptiſterio inferantur, vbi nullus tranſiens habeatur, aut in pariete, & in foſſis pauimentorum tacleantur, ne introeuntium pedibus inquinentur.* Idem à Gregor. 7. in Synodo Romana, cap. 27. præceptum Presbyteris: inſuper vt vetus chriſma, & oleũ igne abſumerent.

Et hæc de veſtibus, cæteroque aræ apparatu dicta ſunto. De motione altaris, vel parietum Eccleſiæ, & vtrùm eorum iteranda ſit conſecratio, vel non iam eſt videndum, quod idem eſt, ac quærere. An tabulæ altarium, aliquando conſecratæ, cùm transferuntur, aut ſtrues lapidum, ſeu columnarum, ſuper quibus ſunt poſitæ deſtruuntur ſic, conſecratæ eſſe ceſſent, vt benedictione noua indigeant? & quid de Eccleſiis cenſendum?

Dico 1. *Violari altaria ſolo fixa, ſi moueantur loco, ſi notabiliter (vt loquuntur) ſint fracta, ſi figillum ſub quo reliquiæ conduntur, rumpatur, aut lapis ſub quo latent, tollitur.* Habet hæc Aſſertio tria membra, ſingulaque fidem, à can. ſi motum fuerit, 18. diſtinctionis 1. de conſecrat. qui eſt Hygini, de quo nos antea, cui Decretales & aliæ addendæ duæ Alex. III. cui initium, Ad hęc ſi altare. Innoc. III. quæ incipit, Quod in dubiis 3. titul. de conſecrat. altaris & Eccleſiæ, in his enim habetur, *quòd ſi altare motum fuerit, aut lapis ille, ſolummodò ſupra poſitus, qui ſigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuò conſecrari.* Quod auctoritas non tantùm, ſed & ratio ipſa faciendum admonet. Nam *cùm ſigna* (verba ſunt Iuonis Carnot. Epiſcopi, in ep. 32. ad Guillelmum Fiſcanenſis Monaſterij Abbatem, & in 128. ad Abbatem S. Vuandregiſili) *ſimilitudinem habeant earum rerum, quarum ſigna ſunt, ſicut fides, quæ caput & fundamentum eſt ſacræ religionis, immobilis debet manere in credente, ſic viſibile altare, quod figuram gerit fidei, debet manere immobile. Et ſicut à fundamento fidei, ſi quis motus fuerit, per manus impoſitionem, corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia, reconciliandus eſt, ſic menſa altaris, fidei typum gerens, ſi mota fuerit, iterum ſacris myſteriis imbuenda eſt.*

Dico 2. *Eccleſiam conſecrandam eſſe, cùm parietes incendio fuerunt abſumpti, deſtructi, ſeu diruti, omnes aut maiori ex parte.* Eſt hæc Aſſertio ex Vigilij hauſta epiſtolis, in quarum prima ad Eucherium ca. 4. hæc habentur. *De fabrica verò cuiuslibet Eccleſiæ, ſi diruta fuerit, inſtauranda, & ſi in eo loco conſecratio ſolennis debeat iterari, in quo ſanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere, ſi per eam minimè iactetur aqua exorcizata, quia in conſecratione cuiuslibet*, &c. Si tamen ſolum tectum ambuſtum eſſet, eam reconciliari opus non foret, author ita mihi ſentiendi Innoc. III. in cap. propoſuiſti 4. de conſecratione Eccleſiæ vel altaris: interroganti enim Compoſtellano Archiep. an S. Iacobi Eccleſia, in qua, per contentiones, & rixas peregrinorum, cuſtodiam altaris de nocte vindicare ſibi volentium, homicidia fiebant non pauca, iterũ diuinis Epiſcoporum precibus conſecranda eſſet, reſpondit, *quòd manente Eccleſia & altari, ipſa reconciliari poſſet, per aquam cum vino & cinere benedictam*: Et capite ligneis 6. eiuſd. tituli hæc habentur: *Ligneis ædificiis Eccleſiæ veſtræ caſu conſumptis, parietibus tamen illæſis, ac menſa altaris principalis, in ſua extremitate modicam tantùm paſſa fracturam, nec Eccleſia, nec altare denuò debet conſecrari.* Ad hæc teſtimonia accedit & ratio: Conſecratio maximè conſiſtit in parietibus: ergo his euerſis, illa perit. Ob eam cauſam, ſi incruſtatio parietum tota, aut ex parte tollatur, etſi hi non corruant, cenſenda erit Eccleſia execrata, nouaque proinde conſecratione opus eſſe. Abbas in cap propoſuiſti, de conſec. Eccleſiæ, num. 7. Sylu. verb. conſecratio 2. q. 3. Tabiena eod. num. 3. rationem hanc reddunt.

Quòd conſecratio potiſſimum ſit in exterioribus cruſtis, cùm per cruces fiat, & & linitiones, conſequenter, ſi hæ deſinunt, abſumuntur, aut tolluntur, muris interim illæſis, ſtantibus adhuc, nec diruti, conſecratio omittitur. In quo Eccleſia conſecrata, diſtinguitur à benedicta. Enimuerò, cùm benedictio ſolo inhæreat, hocque ſemper idem maneat, quidquid templi muris fiet, quid-

Digitized by Google

quid tecto, ac parietibus, pro benedicto habendum erit, vt antea, quod ipſum docet, Sylu. verbo conſecratio 2. q. 4. Suar. ſupra ſect. 4. caſu 6. Laym. lib. 5. de Sacrificio Miſſæ tract. 5. cap. 5. numero 15.

Dico 3. *Eccleſiam denuo conſecrandam eſſe, cum eſt amotum altare.* Ita Iuo Carnotenſis Epiſt. 32 ad Guill. Abbat. Fiſcanenſis Monaſterij, quam ſibi mentem iniectam ait à can. ſi motum fuerit altare de conſec. diſt. 1. ſic enim loquitur. *Altare ſi motum fuerit denuo conſecretur*, ex quo infert. *Quod ſi Eccleſia, propter motionem altaris ſolius, denuo eſt conſecranda, quanto magis ipſum altare, quod motum eſt?* Eodem rationem confert ex Pauli petitam Epiſtolis, quam eius verbis hic reddere placet. Dicit Paulus 1. ad Corinth. cap. 3. *Vt ſapiens architectus fundamentum hoc intelligimus fidem, cui ſuperponuntur bona opera, quibus probatur dilectio Dei, & proximi, tanquam parietes ſpiritualis ædificii, his omnibus ſuperadditur vice tecti, celſitudo ſpei, quæ cedit, vſque ad interiora velaminis ſcriptum eſt autem ab Apoſt. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Fides ergo ſi euellatur, tota ædificatio ſpiritualis ædificii euellitur. Secundum ergo hanc ſimilitudinem, moto altari, quod figuram gerit fidei, tota Eccleſia conſecranda eſt, quæ corrupta fide tota deſtructa eſt.*

Dico 4. *Eccleſiam ſimiliter reconſecrandam eſſe, ſi eius parietes ſecundum maiorem partē deſtruan. aut corruant*, ratio eſt, Quod ſubrutis templi parietibus aut muris, non ſit amplius eadem Eccleſia, vtpote deſtituta parte ſui præcipua. Secus eſſet, ſi non omnes, aut eorum pars maior, ſed minor tantum, caſu, aut arte lapſa eſſet, quia maius trahit ad ſe minus, & principale acceſſorium, 2. à maiori parte fit denominatio, at ex hypotheſi, pars maior templi eiuſque parietum ſupereſt, eaque conſecrata, ergo reconſecranda non eſt, ergo nec Eccleſia.

Quid ſi minores partes, per interualla temporum corruant, & reparentur, ſic vt nunquam murorum pars maior, ſit deſtructa, ſed tamen, intra paucos annos, eorum, vt primò ſunt exædificati, nihil ſit reliquum, eſtne habenda Eccleſia pro execrata: De hac quæſtione non vna eſt omnium ſententia. Abbati in cap. propoſuiſti num. 8. viſum eſt haberi oportere. Quia cum lapſu temporis ea ſit in parietibus facta mutatio, vt earum partium quibus ante conſtabat, pars nulla ſit reliqua, verè non ſunt ac phyſicè iidem qui ante, ſed moraliter tantum, ergo renouanda eorum eſt, Eccleſiæque conſecratio.

Abbati contradicunt Gloſſa in can. de fabrica de conſecr. diſt. 1. Sylu. verbo conſecratio 2. q. 3. Suar. par. 3. tom. 3. diſp. 81. ſect. 4. caſu 6. Nau. cap. 27. num. 158. Cominch. q. 83. art. 1. num. 335. vbi iure conſcientiæ iterato conſecrandam Eccleſiam eſſe negant, cuius parietes, ſucceſſu temporis renouati ſunt per partes. Probãtq; 1. quia Eccleſia moraliter eſt eadẽ, quæ, primò eſt ædificata ac cõſecrata, ſicut veſtis eſt eadẽ cui ſubinde noua ſunt panni fragmẽta addita, vt reparentur eius vitia. 2. cũ acceſſio partium, quæ facta eſt parietibus, minor ſemper fuerit, his quæ ſupererant, & ad quas nouæ hæ addebantur, dici debent conſecratæ, quia ſacrum, ſi maius eſt, trahit ad ſe non ſacrum ſecundum Gloſſ. in can. ſi motum de conſecratione diſt. 1. ergo conſecrari eas ſecundo, nihil eſt neceſſe.

Quæſtio eſt altera nexa cum iſta, an Eccleſia reconciliatione ſolenni, & Epiſcopali indigeat, quæ ab hæreticis poſſeſſa, tàm Miniſtrorum mendaciis, concionibus ac inuectiuis in Eccleſiam quàm ſacrilega eorum infamique cœna, ac ſepultura mortuorum infecta fuit? Idemque dicendum, ſi Eccleſia diu abſque tecto, & ianuis, plena foret ſtramine, aliiſque ſpurcitiis, animalibus, & naturali hominum vſui, quaſi diuerſorij locus patuerit. Opinio eſt Durandi loco citato, *Malum non eſſe eam in tali caſu ſolemniter ab Epiſcopo reconciliari*, cui ne ſubſcribam, facit canon Conc. Nicæni relatus à Gratia. de conſecr. diſtinct. 1. his verbis. *Eccleſiis ſemel conſecratis Deo, non debet iterum conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cuiuſcunque ſemine pollutæ fuerint*, Quare ſi eorum nihil ſit factum, nihil contra templorum reuerentiam ab hæreticis admiſſum, ſatis erit, ſi Epiſcopus, his eiectis, altaria viſitet, & an ſint integra, fracta, vel polluta, tam oculis ipſe ſuis, quam aliorum ſermone luſtret, luſtrata reconciliet, aſperſione aquæ benedictæ, benedictione ſimplici, aut reconciliari per Sacerdotem ſua authoritate, ac nomine curet.

Dico 5. *Altaria portatilia, licet de loco ad locum moueantur, non tamen denuo conſecranda eſſe*, Rationem hanc reddit, Iuo Carnot. epiſt. 128. & 32. ad Abbat. Fiſcanenſis Monaſterij, *Quod hæc altaria non aliter conſecremus, niſi vel in tabulis ligneis, vel aliquo competenti ſubſtratorio compacta, & firmiter ſint affixa, vnde licet de loco, ad locum portentur, non tamen de loco, in quo conſecrata ſunt, mouentur, à quo ſi auulſa fuerint, ſicut cætera altaria, denuo ſunt conſecranda.* Hæc ille.

Dico 6. *Oratoria etſi non benedicta, nec benedicenda vnquam, reconcilianda tamen eſſe ab Epiſcopo reconciliatione ſimplici, aut Sacerdote, quem ad id deliget, ſi ea violari aut pollui contingat, modo ad diuina officia fuerint, antea ab Epiſcopo deputata.* Aſſertionis hæc eſt cauſa. Quod loca benedicta, reconciliari debeant, cum fuerunt violata vno de quinque modis, quorum ante meminimus. At eſt Epiſcopi deputatio, benedictionis inſtar, vt Suarez tertia parte tom. 3. diſputat. 81. ſect. tertia, & Sanchez libro nono de matrimon. diſputat. decima quinta, numero vigeſimo quarto, admonent, inducti authoritate Vrbani quarti in Decretali ad Arimin. Epiſcop. quæ incipit ad hæc & eſt quarta tituli de religioſis domibus, vbi ſic loquitur. *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, ſi locus, ad hoſpitalitatis vſum, & pauperum prouiſionem, fuerit ſicut moris eſt auctoritate Pontificis deputatus, cum ſit religioſus, non debet mundanis vſibus deputari, ſicut de veſtibus & ligneis vaſis, ad cultum religionis deputatis, antiqua conſuetudo indubitanter obſeruat, & venerabilium Patrum edocent Sanctiones.*

Contraria tamen ſententia, quam defendunt, Henriquez libro nono capite vigeſimo ſeptimo, numero quinto, Sa verbo Eccleſia numero decimo tertio, eſt probabilis, & in praxi uita, ſecundum quam dicendum, locum nunquam violari, vt reconciliatione indigeat, niſi ſit conſecratus, aut autoritate Epiſcopi benedictus, Laymanus libro quinto tractatu quinto capite 5. numero 2.

QVÆSTIO XIX.

An veneratio debeatur locis ac vasis sacris.

EST veneratio, quod ad rem præsentem attinet, externa maximè, duplex, Positiua, & Negatiua. Consistit prior in actione positiua aliqua, & reali, quam inbemur, vel consulimur facere, ad res istiusmodi colendas. Posterior in eo apparet maximè quòd ob eam opinionem, quam de rebus sacris anticipatam gerimus, nihil quod dedeceat, aut prohibitum sit fieri circa illas, aut in illis facimus.

Dico 1. *Præterquam quòd ratio dictat nihil esse faciendum, quod ad loci, aut rei sacræ iniuriam, aut contemptum cedat, ius insuper positiuum statuere, vt qui ad Ecclesiam confugit, inde per vim extrahi nequeat.* Concil. Arausican. 1. sub Leone I. can. 5. Aurelian. 4. can. 21. Toletan. 12. can. 10. *Probis qui quolibet metu vel terrore Ecclesiam appetiũt, consentiente pariter glorioſissimo Domino nostro rege, hoc sanctum Concil. definit, vt nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde abstrahere, aut quodcunque nobilitatis vel damni seu spolij residentibus in loco sancto inferre, sed esse potius his ipsis, qui Ecclesiam petunt, per omnia licitum, in triginta passus ab Ecclesiæ sanctis pergredi.*

Pœna educentis ab Ecclesia, qui ad eam se recipit, duplex. Prima, est excommunicatio. Secunda, educti restitutio. Aurel. Conc. 4. can. 21. his verbis. *Eum quisquis de locis sacris, vel altari, seu vi, seu dolo abstrahere aut sollicitare forte præsumpserit, vt inimicus Ecclesiæ, ab eius luminibus arceatur, quousque iuxta Pontificis districtionem, digna pro indicta pœnitentia emendatio subsequatur, eo tamen qui abstractus est, priùs Ecclesiæ restituto.*

Secundò, ad reuerentiam loci pertinet, quòd laici prohibeãtur ad altare accedere, sicut & fœminæ, Concil. Paris. sub Ludou. & Lothar. Imperat. lib. 1. can. 45. quare corrigendus abusus qui in plerisq; prouinciis *Sacerdotum patientia inueterauit, vt ad altare sedere non tantùm & stare*, quod canon 1. tit. de cohabit. Cleric. & mulier. arguit, sed illi quoque osculum imprimere audeant, quod etsi in multis vitiosum non existimem, quòd Deum credant sibi hac religione fore propitium, est tamen vitandum ob periculum.

Quo cùm careãt contactus vestium, quæ ad licitam Missæ celebrationem exiguntur, quantumcunq; benedictæ sint, tangi à laicis & fœminis possunt, nisi benedictæ essent cum vnctione chrismatis, vt calix & patena, aut immediatè corpus Christi, aut sanguinem attingerent, vt corporalia & purificatoria, can. sacratas expresè, dist. 23.

Placet mihi tamen, quod Suar. & Regin. asserunt peccare quidem laicos contra præceptũ Ecclesiæ, cùm vasa sacra calicẽ & patenam tangunt, sed non mortaliter, si scandalum & contemptus absit, quòd non videatur materia esse talis, vt prohibitio Ecclesiæ, in eam inducere valeat, grauem maculam, & mortalem, contrahendam ab illo, qui eam violat.

Quod ad corporalia attinet, est hoc quoque reuerentiæ aduersus illa, ob Christi corpus, cui sustentando d seruiunt. Quòd mundari cùm fœda sunt, non debeant, nisi à Diacono, cuius munus est ea lauare, sed cum ea cautione, vt aquam, quæ ad id est adhibita, in piscinam mittat, ne si quid fortè in ea est Dominici corporis, conculcari ab omnib. accidat, proiectum in terram.

Post hanc primam lotionem, quæ necessariò est à Sacerdote aut Diacono facienda, dari possunt Monialibus aut sacratis Deo virginibus abluenda. Sylu. verb. corporalia, q. 1. Regin. lib. 29 nu. 204. Primò, quia *quod est in lege illicitum, necessitas licitum facit*, de regul. iuris in sexto. At est necesse ea committi fœminis, cùm à viris peræque ac illis, mundari nequeant, nec enim vt mulieres abundant otio, & si supperetet, minus sæpe sunt, quàm illæ munditiarum cupidi.

Secundò, quia secunda, & tertia lotio periculo carent incidendi in particulam aliquam Dominici corporis, cùm si quæ corporali adhæsisset antea Sacerdotis incuria, aut fortuna, eam prima lotio Presbyteri manibus facta, vel Diaconi excussorit, ergo cùm cessante causa præcepti Ecclesiastici, cesset culpa, quæ in eius est transgressione, nullam habebit corporalium lotio, ac contactus, per fœminas, cùm ad eam rem operam suam sciente, nec reclamante loci Antistite deferent.

Tertiò, ad honorem rerum sacrarum pertinet, quòd in vlus prophanos ac communes traduci nequeant, non modò quandiu formam suam ac speciem retinent, vnaque consecrationem, aut benedictionem, sed ne tum quidem, cùm dissolutæ sunt, scissæ vel fractæ. D. Thom. 3. parte, q. 83 art. 3. ad 3. causa est, præter prohibitionem Ecclesiæ, in canligna, de consecr. dist. 1. Quòd videatur in Numinis iniuriam cedere, vt quæ semel illi sunt, eiusq; religionibus hominum voluntate addicta, hæc temerè eius subducta vsibus, dedãtur nostris. Nec modò cũ licet per tempus, officiis ac honore, quæ oculis pateant, aiæ supellectilem maximè intimam, vt calicem, corporaliaq; prosequi conuenit, sed interiore quoque ac latente cultu. Primò, quia res istiusmodi, ob præsentiam numinis, eiusq; in illis statum ac sedem, cùm homini placet, verba sacra cum intentione proferre super materiam debitam, digna sunt honore, qui vulgarem superet.

Secundò, quia peculiarem quandam habent instituto Ecclesiæ, Deique voluntate, habitudinem ad illum, diuinaq; mysteria, quare vt viuificæ cruci ob contactum Christi, in monte, sua est propriaque deferenda veneratio, ita & ob eandem causam calici.

QVÆSTIO XX.

Quomodo occurrendum sit defectibus Missæ.

PRimò, si peccatum est à Sacerdote, in eo quòd calici aquam non infuderit, supplendus hic defectus ante consecrationem, non postea.

Secundò, si ante consecrationem Sacerdos intelligat, in calice, aquam vini loco esse, aut acetum, debet sibi vinum quærere, ac super eo verba formę calicis proferre, consecrato iam corpore. Quia sic sacrificium fit integrum. Quòd si consecrata iam hostia, detegatur hic defectus, supplendus erit, prolatione formæ super debita calicis materia. Et quanquam existimet D. Th. vnà cum vino sum ndã esse nouam hostiam, amboq; cõsecranda esse, nihilominus sufficere videtur, eius materiæ subiunctio, in qua est peccatum, cum prolatione formæ, absque eo quòd sit necesse repetere præcedentia, vt oblationis ac canonis vsitatas formulas. Sic

Digitized by Google

enim primò, ſacrificium ſit perfectum. Deinde euitatur ſcandalum, cùm facile ſit materiam conſecrare, non item ſine damno, noxaque inſpicientis populi offerre, ac canonem ad conſecrationem vſq; repetere. At præcipitur in Miſſali (inquies) vt quãdo poſt iam ſumptã hoſtiam ob defectum vini, repetenda eſt Calicis conſecratio, ei coniungatur & altera materia, conſecranda à Sacerdote non ſecus ac ſi vitium in ea aliquod accidiſſet antea?

Reſpondendum, regulas Miſſalis bonas eſſe omnes, ac vtiles, non tamen ſequendas neceſſariò, ac ex præcepto.

Circa dicta quæro 1. an ſi abſoluto ſacrificio cognoſcat Sacerdos vitium, ac pro vino aquam calici infuſam fuiſſe, iteratò ei ſit ad Altare redeundum, ac defectum ſupplendum?

Reſpondendum, redeundum non eſſe, quia id eſſe ſine populi ſcandalo, ac aliqua Sacerdotis infamia nequit, cui vt ſe exponat, nec ratio ſuadet, nec lex vlla humana aut diuina imperat.

Dico 1. *Si vitioſa eſt hoſtia, quia hordeacea, capienda eſt alia, & aliud nouum vinum & ſunt cõſecranda de nouo, ſumendaque hoſtia, & ſpecies vini conſecrata.* Ita Suar. par. diſp. 84. Guido de monte Rocherij in manipulo Curator. de euch. n. 11. cauſa eſt, quòd ſacrificium non poſſit aliter eſſe perfectũ, & integrũ, quo vitio, ſi culpa Sacerdotis laborat, peccat, quod ei cauendum eſt, vt quàm maximè. At non niſi ieiuno, inquies, ſacra ſunt obeunda myſteria, his abſtinere pranſi debent, aut poti, decreto Nicol. ad conſulta Bulgaror. cap. 65. Conc. Carthag. 3. can. 48. Matiſcon 2. cap. 6. quare *ſi quis Presbyter non ieiunus, ſed quocunque cibo præſumpto, oblationem conſecrauerit in altari, continuò ab officio ſuo priuatus, à proprio ſuo Parocho deponatur.* Conc. Braccar. 2. can. 10. Sed Sacerdos, ſumpta hoſtia ex hordeo, non eſt ieiunus, ergo nec paratus dignè, & vt eſt neceſſarium, ſynaxim facere.

Maior eſt abſolutè falſa: Quia quoties duo inter ſe præcepta ſic confligũt, circa eandem materiam, vt obſeruari ambo non poſſint, fortius minori præualet; in præſenti caſu id euenit, hinc enim pugnat pro reuerentia, ac honore Sacramenti omnis à cibo, potuque abſtinentia, illinc religio, quæ ſacrificium mutilum eſſe non patitur, vnaque ſui parte mancum, vtri obſequendum? Nemo ambigit præceptum de integritate ſacrificij, cùm ſit iuris diuini naturalis, præponendũ eſſe alteri, quod eſt tantùm iuris Eccleſiaſtici: quare etſi vitij ignarus, proindeque ſine culpa, hoſtiam non conſecratam Sacerdos ſumpſerit, & ita ieiunus non ſit, aliam tamen inferre ad altare debet, eamque verbis diuinis, ac ſacris, cum calice benedicere. Si tamen ex noua conſecratione calicis, periculũ eſſet ſcãdali, in populo, indignante, aut querente, de Sacerdotis incuria, in paranda ſacrificij materia, ſatis eſſet conſecrare hoſtiam. Ita Palud. in 4. diſt. 11. q. 1. art. 2. Angelus verbo Miſſa, num. 17. Fernandez parte 3. cap. 5. parag. 15.

Dico 3. *Si clam Sacerdote, calici à Miniſtro venenũ infuſum, aut hoſtia infectaco dẽ eſſet, hæc quidẽ reẽdetur in ſacrario, donec corrũpatur ſpecies verò vini linteo, veliſtupa ſiccabũtur, hoſtiaq; poſtea corrupta, ſtupa & linteum cõburenda erunt, cineresque mittendi in piſcinam, & alia hoſtia, vinumque conſecrandum, vt perficiatur ſacrificium.* Ita Rodericus capite 248. numero tertio. Fernandez ſuprà, numero quarto, aliter nihil tentandum: quia conſecratio prima vtriuſque ſpeciei, fuit legitima, proindeque perfectum, ac numeris ſuis omnibus abſolutum ſacrificium, nec repetitur conſecratio, in primo caſu, niſi propter periculum quod in iſto non timetur.

Quid ſi vini conſecrati pars aliqua, è calice in altare ſubiectum decidat? Quæſtioni pridem eſt à Pio ſatisfactum, ſic enim in can. ſi per negligentiam, 27. diſtinct. 2. de conſecrat. Si per negligentiam aliquid de ſanguine Domini ſtillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur, ſi non fuerit tabula, vt non conculcetur, corradatur, & igne conſumetur, & cinis intra altare recondetur, & Sacerdos 4. diebus pœniteat; ſi ſuper altare ſtillauerit ſanguis, ſorbeat Miniſter ſtillam, ſi ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, 4. diebus pœniteat, & linteamina quæ tetigerit ſtilla, tribus vicibus Miniſter abluat, ſuppoſito calice, & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur, quo ex canone conſequitur, nec corporalia, ſuper quæ ſanguis decidit, nec pretioſa peripſtromata, in quibus caſu aliquandiu ſacra hæſit hoſtia, amburenda eſſe, ſed ſufficere, vt locus ad quem eſt allapſa, ac etiam corporale abluantur, & aqua ablutionis mittatur in piſcinam. Fernandez loco ante citato.

Quid ſi Sacrum abſoluere Sacerdos nequeat, ob morbum, quo repentè eſt oppreſſus? quid ſi ob animi deliquium, quo exhauſtæ vires, eum in incœpto myſterio verſari non ſinunt, abſiſtere ſacris cogitur?

Reſp. Noui Sacerdotis opera vtendum eſſe, qui his incommodis medicinam adhibeat, ac ſacrificio, quod eſt conſecratione inchoatum, finem imponat, vt ex Conc. Tolet. docet Gratian. 7. q. 1. can. nihil, ad quam ſi ventum non eſſet, magnopere de remedio laborandum non foret.

At enim (inquies) aut Sacerdos nullus eſt ad manũ, aut ſi alicuius eſt copia, nõ altioris, quã poti, aut cibo refecti. Si Sacerdos abeſt, ſi præter eum, quẽ vis inopina nihil eiuſmodi ſuſpicantẽ afflixit, nullus eſt ſuper: Sacramentum ab altari quantâ maximâ reuerentiâ fas erit, ad ſacrarium deferetur, ibi ſeruandum, dum eius conſumendi facultas dabitur.

Si Sacerdotes non deerunt, ſed eorum nemo ieiunus erit, quod tamen iura canonica in eo exigunt, quẽ cupido tenet, communicandi ſacris? Quid iuris? Sacrificio tamen, ab eorũ aliquo, finis imponendus erit. Sotus in 4. diſt. 13. q. 2. ar. 6. Quia præceptũ de complendo ſacrificio, præſtat alteri, de ieiunio ad illud à Sacerdote afferendo: at vbi eſt maius, ceſſat minus, vbi duabus ſimul legibus obſequi non licet, eſt ſtrictior, anteferenda alteri, cuius minus eſt ad ſalutem, gloriamque momentum.

Eſt & altera quæſtio, explicatis agnata ac affinis, nempe quid ſit opus facto? cum in calicem irrepſit aranea, aut ſupernè lapſa, ſpeciebus ſupernatat?

Sumi debebit, ac vri, cineres autem, in quam vi flammæ redacta erit in piſcinam mitti, ſed antea, lauari eam aqua oportet, hanc autem ſtupa exſiccari, & poſtea comburi, factoſque ex ea cineres, in piſcinam demitti. Simile iudicium eſſe oportere de muſca, ſcribit Guido de monte Rocherij, loco ante citato, à quo diſſentire nequeo, quod mihi à diuina benignitate videatur alienum, ad has quenquam vllo iure anguſtias redigi, vt teneatur ea ſorbere, quæ valentiorum ſtomachum emouent, ac triſtes, maloq; compoſitas in corpore affectiones cient, quod tamen eſſet neceſſe, ſi muſcas cæteraque id genus animalcula viſu fœda, ſæpeque noxia, in calicem illapſa caſu, haurire cum ſpeciebus oporteret, lauari ergo debebunt, lotaque redigi in cineres in piſcinam inferendos.

QVÆSTIO XXI.

Explicantur dubia quædam circa Sacrificium, & cætera, quæ videntur esse necessaria vt prosit.

PRimum dubium. *An sacrificium Missæ, ab intentione Sacerdotis vt Ministri seu proximi offerentis pendeat, vt fructus ei ex opere operato respondens, alicui personæ prosit.* Respondendum est pendere, causa est quod Minister agit in sacrificio, vt Christi Oeconomus, ac bonorum eius dispensator. At Oeconomum nemo laudauerit, si quæ bona distribuenda habet à Domino, hæc temerè effundat, nulla eius, ac voluntatis ratione habita, ergo nec Sacerdotem, si intentione in sacrificij applicatione careat. Est enim hic ex vi ordinationis suæ, constitutus à Christo Minister: ac dispensator mysteriorum ac donorum Dei, vt indicat forma verborum, quibus ordinatur. *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis.*

Confirm. Sacerdos officio satisfacere suo non potest, *Nisi vt pro populo, ita & pro semetipso offerat pro peccatis*, Apost. teste ad Hebr. 5. at hoc ipsum est, vt agit in persona Christi, aliquem esse ei propositum, quem attendat, & cui applicet fructum sacrificio respondentem ex opere operato: vera est ergo Assertio.

Sufficit tamen si hæc intentio sit virtualis, & implicita, quia non videtur maior vlla, & perfectior exigi, in sacrificante, vt fructum ipse, aut alius percipiat, qui respondet sacrificio ex opere operato, quam postulatur in ministro Sacramentorum, at hæc sunt rata, collata cum intentione implicita, ergo & sacrificium.

Atenim in quo est actu positiuo virtualis hæc intentio comprehensa? In voluntate aliquando à se elicita sacrificij offerendi Deo, vt sibi, aut proximo, applicatione fructuum, qui ei ex opere operato correspondent, fructuosum foret ac vtile, hoc ipso enim, censetur semper sibi applicare velle aut alteri, si accideret eiusmodi fructuum capacem non esse eum, pro quo offertur, aut initio sacri, debita eum intentione catere, ex obliuione, ac naturali inaduertentia.

Dubium secundum, *Quando sit hæc applicatio facienda, & in quas sacri partes?*

Locus videtur triplex ad id idoneus. Oblatio, consecratio, & pars ea Missæ in qua Sacerdos eorum meminit, qui se suis commendauere precibus, ergo paulo antequã consecrationis sacræ voces efferantur, aut cũ materiæ offerentur, in id Sacerdoti incumbendum erit, vt sacrificium, eiusque fructum, sibi aut alteri applicet, aut in ea Missæ parte, qua Deo sua, aut amicorum negotia commendat: nam si fides est Ludouic. de Beia prima parte responsionum casu, 23. *Ratio applicandi Missam, & nominandi eos, pro quibus Sacerdos sacrificat, consistit in Memento.* Facta postea non prodest, ratio est quod sacrificium, quemadmodum & Sacramenta omnia effectum suum qui est ex opere operato producant cum actu inexistunt, dependenter tamen à Ministri intentione, cuius in potestate non est eum suspendere, & postea alicui applicare: ergo cũ sacrificiũ, in consecratione sit situm, vt tũc agat est Ministri intentio, applicatioq; necessaria.

A Confirmatur tunc maxime est in Ministro, necessaria intentio, ac applicatio sacrificij, quando in persona Christi fructum eius dispensat, facit id verò cum verba sacra pronunciat, aut Christum, eiusque in cruce passi merita, Deo Patri repræsentat, ergo tunc, actualem eum, aut virtualem intentionem habere, est necesse, sacrificij offerendi pro se, aut quopiam alio.

Dubium tertium. *An Missa offerri Deo valeat, pro peccatoribus.*

Est in nostro augusto, diuinoque sacrificio, triplex potestas, vna merendi, altera impetrandi, tertia satisfaciendi.

Dico ergo primo, *Sacrosanctum Missæ sacrificium, peccatoribus prodesse non posse per modum satisfactionis.* B Ratio est, quod relaxatio pœnæ culpis debitæ, supponat has esse remissas; at iniusti, at improbi, vt peccatoris nomen, indicat eum in quem cadunt, innocentem non esse, peccati vinculis adhuc irretitum hærere, non est ergo peccatori futurum hoc sacrificium vtile, vt pro pœnis delictorum suorum satisfaciat, qui est effectus proprius operis operati, id est hostiæ oblatæ.

Dico 2. *Per modum impetrationis, & suffragii, sacram hanc victimam, quę in ara crucis offertur, prodesse peccatoribus* Ratio est, quòd ad hunc effectum, non est necesse à culpa vacuum esse, ideo enim Deo Patri offertur, vt qui eius conscientia tenetur, illius odium concipiat, ad Deum per pœnitentiam redeat, aliaque id genus beneficia consequatur diuinitus, quibus superis gratus, ac amicus esse incipiat. C

Dubium quartum. *An Missa sacrificium prosit excommunicatis non toleratis.*

Dico 1. *peccare mortaliter, qui pro non tolerato ab Ecclesia, rem diuinam facit.* Quia contra legem Pontificiam committit, in re non vulgari, placuit enim Clemen. 3. in Decret. significauit 21. de sentent. excomm. vetare Sacerdotibus ne excommunicato qui vitandus est ex iure Concil. Constant. Martinique constitutione. Ad euitanda, in diuinis communicent, cui legi si non paruerint, eos pari cum illo pœna ligatum iri & vt Christi hostes omnibus vitandos esse pronunciat.

Secundò, peccant, qui excommunicato assurgunt, alioue honorifico eum gestu prosequuntur, aut salutem dicunt, est enim per quàm indignum, Ecclesiæ hostibus, hominibusque summa ignominiâ notatis, vlla reuerentiæ, & honoris argumenta deferre, quales esse palam excommunicatos, & iudicis sententia damnatos nemo est nescius, cum eos Ecclesia tanquam rebelles agnoscat, tantaque sint infamia, vt nec contrahere, nec rem, negotiaque cum iis habere vlli liceat, quod est infamiæ non vulgaris argumentum. Sed plus est ad honorem, & cultum, ad communionem precum, & suffragiorum Ecclesiæ communium, ac Missæ, aliquem vocari, quàm salutari: ergo si est istud vltimum prohibitum, erit & alterum. D E

Dico 1. *Sacrificium, pro non tolerato, offerri valide.* Ita Suar. de Censur. disp. 9. sect 4. Laym. lib. 4. tract. 5. cap. 2. ratio est, quod Sacerdoti conuenit ratione ordinis, posse consecrare, & offerre sacrificium, tam pro viuis quàm defunctis, ergo si id facit, valide & fructuosè facit.

Dices. At Ecclesia prohibet, ne pro excommunicato de nomine, vota vlla concipiantur publica, precesque in Ecclesia, at Deo sacrum Missæ sacrificium offerre, ecquid est, orare? ergo vt illud primum prohibitum est omnibus, ita & secundum,

cùm Eccleſiæ non obtemperare, turpe ſit ſemper, A nec ſeiunctum à ſcelere.

Minor eſt neganda, ſi orationis nomen, in proprio ſuo, veroque ſignificatu ſumatur, eſt enim hæc aut *colloquium cum Deo*, ſecundùm Greg. Nazian. in orat. 1. de orat. Dominica. Chryſoſt. lib. 1. de orando Deo: aut *petitio cuiuſdam rei, quæ à piis ad Deum effunditur*. ſecundùm Baſil. orat. in Iulittam Marty. quæ petitio non neceſſariò externa eſſe debet: ac verbis ab vno quopiam explicari Deo, cui fit, cùm ei mentis arcana, receſſuſque omnes, ac ſinus pleniſſimè pateant, ſintque omnes orandi capaces, quod de ſacrificio dici non poteſt, cùm ad eius eſſentiã requiratur res ſenſibilis, quæ Deo à legitimo Miniſtro offeratur, cum aliqua ſui immutatione, ad teſtandum ſupremum illius dominium, & noſtram ſubiectionem. Deinde, ad Maiorem eſt dicendum, poſſe Eccleſiam prohibere, ne validè, ac fructuosè ſuffragia, ac preces Officij Canonici, pro excommunicato dicantur, eo quòd in iis perſoluendis, ac legendis, Miniſter vicem gerit Eccleſiæ, quæ abſolutè, ac directè, non vult eorum causâ, preces vllas concipere, quale nihil in ſacrificio accidit, in quo Sacerdos, in perſona Chriſti, ſeu vt Miniſter Chriſti conſecrat, quo in opere non dependet ab Eccleſia, ſed à ſolo Deo, & charactere ſui Ordinis, cuius vſum impedire non poteſt Eccleſia, quemadmodum nec prohibere, ne conſecret, aut Clericus aliquis ordinetur vaildè, & efficaciter.

Atenim, inquies, eſt excommunicatus non toleratus, de eorum numero hominum, qui vulgò improbi habentur, ac mali quibus non poteſt applicari ſacrificij fructus præcipuus, qui eſt in ſatisfactione pro pœnis peccatorum poſitus.

Reſpondend. primò, excommunicatum multarum eſſe rerum indigum, pro quibus impetrandis, Deo ſacrificium offerri nihil repugnat. Secundò, etiam ſatisfactionis capacem eſſe, ſi eum peccaſſe Dei causâ pœnitet, ſi de offenſo proximo verè dolet, & ex animo, ſi cum Eccleſia reconciliari, ab eaque abſolui expetiit. Coninch. q. 83. dub. 9. concl. 2.

DE PRÆCEPTO AVdiendæ Miſſæ.

QVÆSTIO I.

Quid imperetur hoc præcepto

DE hac re diſputant Doctores in 3. ſentent. diſtinct. 37. D. Thom. 2.2. q. 122. Summiſtæ quidam in verbo Dominica, alij verbo feriæ, nonnulli in verbo feſtorum violatio. Canoniſtæ ad tit. de feriis, & de conſecr. diſt. 1. can. Miſſas. Nauar. cap. 13. & cap. 21. S. Antonin. part. 2. tit. 9. capite 7.

Aſſertio prima. *Tenentur ſinguli intereſſe diebus Dominicis & feſtis ſacro Miſſæ ſacrificio.* Huius obligationis extat mentio in Agathenſi Conc. 1. can. 47. in hæc verba. *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire ſpecialis ordinatione præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præ-* *ſumat, quòd ſi fecerit, ab Epiſcopo publicè confundatur*: Et in Triburienſi can. 31. *Diebus Dominicis, & Sanctorum feſtis, vigiliis, & orationibus inſiſtendum, & ad Miſſas, cuilibet Chriſtiano cum oblationibus eſt currendum, & tantùm Deo vacandum.*

Obiicies, hinc ſequi ab auditione Miſſæ, Dominico die, liberos eſſe Presbyteros & Monachos, nam in dicto canone Patres non meminere niſi ſæculariũ, quo nomine certum eſt Monachos non cõprehendi. Secundò, quia quod de quibuſdam conceditur, negatur de aliis, vt habet canon qualis 4. diſt. 26.

Neganda eſt ſequela argumenti. Primò, quòd in can. omnes fideles 92. de conſecr. diſt. 1. omnium Chriſtianorum mentio fiat. Secundò, quòd B vt notauit Sylu cum B. Anton. tit. 9. cap. 7. paragrapho 1. argumentum à contrario vim hic habere deſinat propter aliud à maiori ad minus. Enimverò cùm ſint Clerici dicati diuino cultui, videntur ad eadem, & maiora etiam obligati eſſe, ratione ſui ſtatus, quàm ſæculares, niſi expreſsè exuipiantur, vt dicitur in cap. fin. de priuil. in 6. quod hic non accidit.

Porrò, ad dies quoque feſtos extendi hoc præceptum. Opinio eſt Sylu. verbo Miſſa, quæſt. 1. concl. 3. Caiet. in ſumma in verbo feſtorum violatio, quod ex can. qui die ſolenni de conſecrat. diſt. 1. & cap. 2. de Parœciis colligere quidam con- C tendunt, ſed id neuter can. aperte aſſerit, nam in priori eſt ſermo tantùm de iis qui in die ſolenni, relicto Eccleſiæ cœtu, tranſeunt ad ſpectacula, qui iubentur puniri. In poſteriore autem, de his duntaxat eſt ſermo, qui contempto proprio Sacerdote, volunt in aliena Parœcia Miſſam audire, ſed non ideo oſtenditur præceptum eſſe audiendæ Miſſæ quolibet feſto die. Quare cauſa præcipua, cur ad eos dies præceptum de audiendo Sacro extendi debeat, eſt communis Doctorum conſenſus, ac conſuetudo, ea de re vbique recepta: nam à lege ſine iuſta cauſa recedere eſt malum: at conſuetudo vim habet legis, de conſtitut. cap. fin. & ea pridem obtinuit, vt tam feſto die, quàm Dominico Sacrum D audiatur à Fidelibus, ergo ei ſtandum eſt.

QVÆSTIO II.

Quid ſit audire Miſſam.

QVod de horis dicere olim memini, hoc in præſenti cauſa iterandum eſt, etſi in alia materia: quare vt Horas legere, non eſt earum ſenſum capere, alioqui Moniales præcepto non ſatisfacerent Eccleſiæ, cùm rudes ſint, & Latinæ linguæ neſciæ, ita nec Miſſam audire, eſt ſenſum ver- E borum intelligere, quem fœminæ virique plurimi capere nequeunt. Nec item videre Sacerdotem celebrantem, quod non poſſunt cæci, nec verba illius percipere quod ſurdi nequeunt: quid eſt ergo Miſſam audire?

Reſpondeo, Idem eſſe ac corpore animoque moraliter ei præſentem eſſe. Nau. cap. 21. Enchnum. 6. Caiet. verbo feſti dies: Probatur, conſtat nos legibus Eccleſiæ, obligari ad audiendum ſacrum Miſſæ ſacrificium humano modo, at qui eſt alibi (quod eſt ei corpore non intereſſe) aut qui alia animo verſat quam debet, quod eſt mente ſacrificanti præſentẽ non eſſe, ſacrum moraliter non audit, nam eius auditio tendere ad Dei cultum de-

Digitized by Google

bet, cum quo nihil habet commune corporalis abſentia, aut occupatio animi, verſantis in ſacro, indigna loco & tempore. Licet enim Eccleſia præcipiat primo & per ſe opus externum, indirectè tamen & ex conſequenti, præcipit illud fieri cum attentione, & intentione vacandi Deo, vult enim illud fieri eo modo quo oportet, at non eſt eiuſmodi quale eſſe oportet, niſi fiat cum attentione & intentione colendi Dei, nam quis credat eum præcepto iſti ſatisfacere, qui ſomno oppreſſus, templo adeſt dum Miſſa dicitur, qui nugas agit, ibidem tantum hæret, vt videri & videre poſſit? Quare ad Miſſam audiendam ſecundùm præceptum, duo ſunt neceſſaria in hac ſententia, 1. Corporalis præſentia, 2. moralis ac pia, quæ tunc eſt futura talis, cum non tantum corpore, ſacris nos ſiſtimus altaribus, ſed multo magis animo, per eius applicationem ad verba ac ceremonias Miſſæ, aut ad Deum, per piam aliquam cogitationem de rebus diuinis.

CIRCA DICTA QVÆRITVR 1. *An ſit neceſſe ad impletionem huius præcepti ſacrificantem audire vel videre.*

Neutiquam; Beia. caſu 21. part. 1. Nau. ca. 21. nnm. 8. Coninch. qu. 83. num. 100. 1. quia ſurdi & cœci ei poſſunt ſatisfacere, at nec iſtis videre Presbyterum licet, nec illis audire. 2. quia in Luſitania vt author eſt Beia ſupra, Sacerdotes tam demiſſe loquuntur ac humiliter, vt vix à miniſtro audiri queant, multo minus ab his, qui procul abſunt ab altari, & tamen nemo eorum apud quos, hi cæterique fideles deponunt conſcientiam, peccare illos exiſtimat, aut præceptum de audienda Miſſa transgreſſos: ergo, &c. 3. quia vt eſt communis opinio, ad impletionem huius præcepti ſufficit ita ſacro moraliter præſentem eſſe vt ex ſignis poſſit colligi quid Sacerdos agat, in qua parte ſacrificij, verſetur; vt docent Ægid. & Laym. lib. 4. tra. 7. cap. 5. vtrumque poteſt qui ſacrificantem non videt: ergo, &c.

QVÆRITVR 2. *An colloqui tempore ſacrificij, impediat impletionem præcepti.*

Certum eſt primo id non eſſe in laude, quia aduerſatur reuerentiæ Deo debitæ. Certum 2. cum ſunt hæc colloquia interrupta, cum breuia, cùm exiguo tempore definita mortalia non eſſe. Sotus diſt. 13. q. 2. art. 1. Coninch. num. 298. diſp. 38. difficult. 3. cap. 4. quemadmodum nec euagationes mentis, quæ ſunt inuoluntariæ, aut quæ parum durant, *Communis*, inquit Regin. lib. 19. cap. 2. qu. 1. num. 13. *conſenſus eſt, tale præceptum, ſeruari abeo, qui contra voluntatem ſuam, diſtractiones patitur audiendo Miſſam, alioquin enim vix impleri poſſet ob facilitatem qua mens hominum diſtrahitur. Idem iudicari poteſt ſi ſciens quidem ac volens ad res alias diuertat, cogitando, ſed eas diuinas & ſacras, cum vt talibus perfectius, fructuoſiuſque operam daremus diebus feſtis, exiſtimari poſſit Eccleſiam de Miſſa audienda præceptum dediſſe.* Hæc ille, his præmiſſis.

Dico, *Probabilius mihi videri, eos mortaliter peccare qui confabulantur toto ſacri tempore aut maiori eius parte*, quia præcepto de eo audiendo non ſatisfaciunt, quod ita? quoniam ſic ei non interſunt, vt humano & religioſo modo, cum debita reuerentia, dici poſſint ei aſſiſtere, & actum religionis exercere, ſed potius contrarium, cum in eo irreligioſè ſe habeant, & proinde actum præceptum non ponant, nec legi iſti de qua agimus ſatisfaciant.

QVÆRITVR 3. *An Miſſa, cum deuotione interna audiri debeat.*

A Qui eam non neceſſariam exiſtimant, his argumentis, in ſuo ſe ſenſu corroborant,

1. Quod præcepto obſequi quiſque poſſit, abſque eo quod finem, cuius cauſa à legiſlatore eſt poſitum, aſſequi debeat, cum hæc neceſſario inter ſe nexu non cohæreant, finis enim, & præceptum inter ſe differunt, at præceptum eſt de audiendo ſacro, deuotio autem modus eſt, quo id præceptum impleri eſt neceſſe, aut certe finis, quem in ea lege ſancienda, ſpectat Eccleſia: ergo, &c.

2. Qui inuoluntariè diſtrahitur, præcepto ſatisfacit & tamen attentione caret & deuotionis ſenſu in Deum: non eſt hæc ergo ad præcepti impletionem neceſſaria.

3. Quia actus interior animi noſtri, qui exterioB rem poteſt deſerere, impetari ab Eccleſia non poteſt, cauſa eſt, quod hæc de humani cordis arcanis abſtruſiſque noſtræ mentis motibus, in foro exteriore cognitionem non habeat, neque iudicium aut cenſurã præcipere, ergo nõ potuit deuotionem internam, ſed externam tantum, quæ poſita eſt in decenti ſitu corporis, ac earum fuga rerum, quæ orantis animum ab attentione auocant, vt ſunt legere, ſcribere, ſermocinari Hæc ſententia eſt probabilis, habetque fautores, Theologos magnos, Diu. Thom. in quodlib. 4. art. 12. Gabr. in can. Miſſæ lect. 62. q. 7. Anton. in 3. parte tit. 13. cap. 4. parag. 7. Comit lib. 1. Reſp. q. 63.

Contraria tamen in praxi vt tutior, & probabilior, eſt ſequenda, quia Eccleſia actum Religionis C imperat, cum à ſingulis audiri ſacrum Dominico aut feſto die poſtulat, talis non eſt corporalis præſentia Catholici in Eccleſia, (hoc tantum) ſine animi ad ea quæ ibi geruntur, actuali aut virtuali aduertentia, ergo &c. 2. ſi deuotio interna non eſt neceſſaria ad impletionem præcepti, de audiendo ſacro, ei ſatisfieri poterit cum animo diſtracto: id autem eſſe ridiculum, indicat hæc Chryſoſto. oratio, quæ, inquit, excuſatio, aut venia dabitur nobis, ſi cum amicis loquentes, adſumus animo, mentemque adhibemus, cũ Deo verò colloquentes, animo in rebus diuinis peregrinamur? Deinde, quis putet Deum coli, peccato aliquo mortali? at tam fœda, ac turpis eſſe poſſet peregrinatio illa mentis, vt lethalis culpæ labem haberet. Hanc ergo contrahere qui nolet, attendet animum ad verD ba Miſſæ, aut ad Deum, quod eſt ei addictum, ac deuotum eſſe.

QVÆSTIO III.

An in præcepto celebrandi feſta contineatur aliud quam Miſſæ auditio.

DIco 1. *In præcepto celebrandi feſta contineri prohibitionem operum ſeruilium*, quod enim Exo. 20. de ſanctificatione Sabbati iniungitur, *Omne opus non facietis in eo*, valet & in feſtorum cultu E vt dicitur in can. Ieiunia de conſecr. diſt. 3. nominatim vero in can. 1. Cabilon. Concil. 2. anno 588. in hæc verba. *Cuſtodite diem Dominicam, nullus veſtrum iſtum ſomitibus vacet, nullus cauſarum accuſationes exerceat, nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, qua iugum cervicibus iumentorum imponere cogat, eſtote omnes in hymnis & laudibus Dei, animo corporeque intenti, ſi quis veſtrum proximum habet Eccleſiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die ſemetipſum precibus lachrymiſque affligat.*

Dico

Dico 2. *Sub opere ſeruili in diebus feſtis prohibito non comprehendi peccata.* Eſt contra Maior in 3. diſt. 37. q. 3. & in 4. diſt. 17. q. 4. Gabr. 16. diſt. 17. q. 1. art. 2. concl. 4. Adrian. in 4. tit. de confeſſ. q. 4. paragr. venio nunc. Probatur autem concluſio, peccatum opus non eſt quieti contrarium, quam lex antiqua iubebat ſeruare in Sabbato, nam illa ceſſatio erat ab opere exteriori, mechanico & laborioſo, vt colligitur ex cap. 20. Exod. Deinde peccatum propriè non intelligitur nomine operis, cum cogitatio, locutio aliaque ſimilia etſi male facta, non eſſent tamen per legem antiquam ſpecialiter prohibita in ſabbatho. Tertio mandatum celebrãdi feſta ad cultum exteriorem pertinet, at peccata ſaltem interna hunc cultum non minuunt, ergo &c. A

Dico 3. *Non aliud hic opus prohiberi quam quod ſeruorum eſt proprium, & quo bi, Dominis ſuis ſeruiunt.* Quia opus ſeruile, vt nomen ipſum indicat, id eſt, quod ingenuis non conuenit & per ſeruos exercetur, talia ſunt, arare, fodere &c. Quæ vero ingenuis iuxta, atque ſeruis communia ſunt, ſeruilia non exiſtimantur. Ita docui: D. Thomas in 2. 2. q. 122. art. 4. ſic enim in reſponſ. ad tertium. *Opera corporalia ad Spiritualem Dei cultum pertinentia, in tantum ſeruilia dicuntur in quantum propriè pertinent ad ſeruos, in quantum verò communia ſunt ſeruis & liberis, ſeruilia non dicuntur*; Alexand. Haleu. idem planus in 3. part. q. 32. memb. 5. art. 2. *Opus ſeruile*, inquit, *determinatur ab Eccleſia mechanica opera, agricultura, & ſecularia negotia, vt mercatum placitum, arare, coquere cibos, &c.* B C

Quæ de Concilio petendo, & dando, die feſto, de tranſcriptione, & aliis operibus quibus minus copioſi ac diuites, vitæ ſubſidia neceſſaria quæritant quia dictum eſt in explicatione tertij præcepti, nos hic non niſi quam breuiſſimè poterit, quid ſentiendum ſit, quid tenendum explicabimus.

Dico ergo 4, *Scriptionem conceſſam eſſe diebus feſtis*, Quia opus non eſt ſeruile, Nau. cap. 13. man. n. 13. Loppes in Inſtruc. part. 1. cap. 52. argumento eſt, 1. quod ad artem grammaticam pertineat. quæ inter liberales eſt prima, 2. quod ſcriptio, locutio ſit quædam permanens, ingenuis etiam hominibus communis.

Dico 5. *Opera quæ liberis & ſeruis ſunt communia, cuiuſmodi ſunt equitare, venari, piſcari, iter habere, feſtorum celebrationi non eſſe contraria.* Caiet. verbo feſtum parag.. quod vt clarius, Angel. verbo feriæ num. 15. quia cum venari & piſcari, ad recreationem pertineant, numerari inter opera ſeruilia non debent, quæ ab iis, à quibus exercentur, ad lucrum duntaxat, & corporis commodum referuntur.

Dico 6. *Videri mihi probabile, quod pictura feſtos dies non violet*, Ita Medina lib. 1. inſtruc. cap. 4. Lopp. loco proxime citato. Ratio eſt, quod pictura ſit quædam ſcriptio, vt quæ tota ſit in ducendis lineis poſita: 2. pingere actio eſt animi, non minus quam manuum, nam præterquam quod talis actio regatur ab idea interiori, habet etiam pro fine cuius cauſa ſuſcipitur, recreationem animæ: pingere ergo opus non eſt ſeruile.

Dico 7. *Quatuor eſſe operum genera Eccleſiæ præcepto prohibita, nempe mercatum, placitum, ſeu iudicialem ſtrepitum, criminale iudicium, ſeu ſententiam in cauſa capitis, & poſtremo iuramenta ſolemnia in foro, non tamen extra iudicialia*, Nam hæc non ſunt ſpeciali lege prohibita, mercatus autem nomine, qui ſit contra Religionem diei feſti, non intelliguntur nundinæ, quæ quotannis recurrunt ſemel aut bis, nec item quotidiani mercatus, in quibus herbæ, fructus, piſces aliaque ad vitam neceſſaria venum exponuntur, quæ vendi die feſto, aut emi ob neceſſitatem, nemo fuit hactenus qui reprehenderit; his ergo duntaxat eſt abſtinendum mercatibus in die feſto, qui fiunt ſemel, aut bis ſeptimanis ſingulis cum magna populi frequentia, nam niſi conſuetudo ſit contraria, ab eo die transferri debent ad alium, qui non ſit religioſus ac ſacer. D

Dico 8. *Tranſcribere non eſſe de operum numero quæ ſunt in die feſto prohibita*, Ratio eſt, 1. quod tranſcriptio, quædam ſit ſcriptionis ſpecies: at hæc homini libero conuenit, ergo & illa, 2. nemo eum peccare dixerit, qui quæ in cubiculo eſt meditatus, aut è loco publico, ad populum cum diceret, eſt locutus, deſcripſit, non eſt ergo exſcriptio vitioſa in die feſto.

Caietanus in ſumma, in verbo, in feſto illicita, tranſcribere lucri cauſa, in ſeruilibus ponit, aut cum ab iis exercetur quos ad hoc occupationis genus, non ſola egeſtas, ſed poteſtas publica applicauit, ſed hoc enunciatum, abſolutè verum non eſſe, argumentum primum indicat.

QVÆSTIO IV.

An ſit, & quale peccatum, die Dominico, aut feſto, ſacro non adeſſe, & an ad plures Miſſas ſit obligatio.

Dico 1. *Eſſe ex genere ſuo mortale, ſacrum die feſto aut Dominico non audire*; Hoc enim præceptum etſi deriuetur ex iure naturæ quo tenemur Deum aliquando colere, ſimpliciter tamen eſt iuris humani, quo Eccleſia ſtatuit, & præſcribit tempus, & modum diuini cultus. Probatur, 1. ex communi ſenſu ac notione hominum quibus id ita videtur, deinde quia res eſt quæ ad cultum Dei in re magni momenti non parui referat. 3. quia canone. 1. Cabillon. Concil. 2. grauiter puniuntur, qui ſine cauſa ab eo præcepto diſcedendum ſibi credunt, ſic enim Patres eo loco. *Si quis hanc ſalubrem exhortationem parui penderit, ſciat ſe deinceps, ſacerdotali iræ implacabiliter ſubiacere ſi cauſa dicta fuerit irreparabiliter cauſam amittet, ſi ruſticus aut ſeruus, grauioribus fuſtium ictibus verberabitur.* Quid? quod can. omnes fideles, & can. qui die ſolemni, de conſecrat. diſt. 1. dicuntur excommunicari poſſe, qui huic Eccleſiaſtico mandato morem non gerunt, ſupponunt ergo ſacri Pontif. eius violationem mortalem eſſe, cum ex can. nemo Epiſcoporum 11. q. 3. nemo excommunicari poſſit, & debeat, niſi culpæ lethalis reus. E

Dico 2. *Non alios obligari hoc præcepto, quam rationis compotes.* 1. Quia hi ſoli, cultum Dei promouere poſſunt, qui finis eſt huius præcepti, de audiendo ſacro: 2. quia hi ſoli capaces ſunt culpæ, ſicut & meriti, quorum alterum ex violatione legis oritur, vt ex eius obſeruatione, laus & præmium; 3. rationis impotes, Superioris mandatum noſſe nequeunt, non eſt ergo illis imponendum.

Hæc de quæſtione primo loco poſita. Cauſa formandi alteram, duplex. Prima, quòd in can. 1. Conc. Cabill. 2. vbi primò audiendi Sacri obligatio impoſita Fidelibus legitur, nomen Miſſæ plurali numero memoretur. Secunda, quòd Sacerdotibus interdum litare ſæpius liceat, vt in die natali Domini, quin etiam & hæc de Leone III. habet Valfridus Strabo, in lib. de reb. Eccleſiaſt. cap.

21. *Fidelium virorum relatione ad noſtram vſque peruenit notitiam, Leonem Papam vno die ſepties, vel nonies Miſſarum ſolennia celebraſſe.* Hinc enim eſt euidens ſequi, & laicis, ne religione Presbyteris ſint impares, ſæpius aliquando maximeque in feſto naſcentis Chriſti, Sacrum vno die audiendum. Quid ea de re mei ſit iudicij, exponetur ſequenti aſſertione.

Dico ergo 3. *Præceptum nullum eſſe de audienda Miſſa duplici, ne quidem in die natali Domini.* Primò, quia eius veſtigium nuſquam extat in ſacris Pontificum, aut Concil. decretis. Secundò, quia ne quidem Presbyteris eo die ter facere præcipitur, etſi id facere illis, ſi lubet, ſit conceſſum.

Ad cauſam dubitandi primam reſpondendum eſt, ex numero multitudinis inferri nihil poſſe, cùm quæ ſingularia ſunt, ac ſingulariter facienda, ſæpe explicari ſoleant voce plurali. Ad alteram dicendum primò, ex Sacerdotum facto, validè nihil concludi poſſe contra laicos. Secundò, Leonem mirandum quidem eſſe, non tamen imitandum hoc tempore, ob contrarium vſum Eccleſiæ. Tertiò, ab eo poſteros documentum non poſſe trahere obligationis vllius certæ, ſacrificandi pluries in die: de Bonifacio enim Moguntino Epiſcopo hæc habet Valfridus in cap. ante citato. *Bonifacium verò Archiepiſcopum, & Martyrem, ſemel tantùm per diem feciſſe Miſſas, qui & non longè ante noſtra fuerunt tempora, memorant, quem in hoc genere religionis aduerſum Deum, imitari ſingulos potius, quàm Leonem, praxis ipſa communis Eccleſiæ indicat.*

QVÆSTIO V.

An teneantur omnes Fideles rem diuinam audire in propria Parœcia.

PRima ſententia affirmans eſt quorundã Theologorum huius temporis.

Contraria Anton. 2. tparte, tit. 9. capite 10. Portelij part. 3. Reſponſ. caſu 29. Coninch. qu. 83. de Sacram. diffic. 5. num. 312. Nau. Enchir. 21. num. 50. & de pœnitent. diſt. 6. can. placuit. Suar. tom. 3. in 3 part. diſp. 88. ſect. 2. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 6. q. 4. Probatur 1. auctoritate Pontificum, Pij V. in bulla ſpeciali ſuper hoc data Mendicantibus, an. 1567. Clem. VIII. in bulla cuius meminit Rodriguez in bullario. fol. 1197. columna 2. fuitque contra Epiſcopum Cameracenſem, & Parochos Belgij concepta. Accedit Leonis X. auctoritas in ſupplemento priuilegiorum, conceſſione 9. vbi poſt facultatem factam Fidelibus omnibus audiendi Sacrum in Templo Mendicantium, Dominicis & feſtis diebus, ſubiicit hæc quæ ad eius rei fidem, de qua agimus, multum faciunt. *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium notum facimus, omnes Chriſti fideles vtriuſque ſexus, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Eccleſijs Fratrum mendicantium, Dominicis, & aliis feſtiuis diebus Miſſas audiunt, ſatisfacere præcepto de Miſſa audienda, nec in labem aliquam peccati mortalis pœnamue propterea incidere.* Vnde ſic argumentor:

Si Fideles implent præceptũ Eccleſiæ, de Miſſæ ſacrificio, illud audiendo in ſacris Mendicantium ædibus, non peccant cùm eam ob rem ad eas eunt, nec tenentur aliam audire, alioquin non ſatisfacerent præcepto, cùm id agunt, vt dicitur: At verum eſt primum ex verbis citatis Leonis, ergo Miſſæ auditio extra Parœciam diebus Dominicis non eſt mala, nec eſt ei neceſſariò addenda alia, audienda in propria Parœcia, quę probatio etſi ſit efficax, ad lucẽ tamẽ ampliorem, ſubiungendæi ſunt &aliæ.

Prima, ſi per canonem ſit facultas ſingulis, audiendi Miſſam in Parœcia, aut alibi, diebus Dominicis & feſtis, non erit contra ius, nec proinde peccatum, Parochiali Miſſæ non adeſſe illis diebus, ſed conceſſa eſt hæc illis facultas, in Agath. 1. can. 63. his verbis. *Vt ciues qui ſuperiorum ſolemnitatum, ideſt, Paſcha, ac Natalis Domini, vel Pentecoſtes feſtiuitatibus, cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, cùm in ciuitatibus communionis accipiendæ, vel benedictionis cauſa poſitos ſe noſſe debeant, triennio communione Eccleſiæ priuentur*: hæc canon. Hinc enim apparet, aliis diebus extra ciuitatem, ac Parochiam, Sacrum audiri poſſe: nam exceptio in non exceptis firmat regulam, lege cùm liquidè, digeſt. de pecun. legata, ſed canon Miſſam tantùm præcipit audiri in Natali, Paſcha & Pentecoſte: ergo cùm præter Paſcha, Pentecoſtem, & Natiuitat, ſint & aliæ feſtiuitates, in quibus Miſſas audire, extra ciuitatem, aut Parochiam, id eſt, Epiſcopatum (quæ notio eſt huius vocis in Conc. Ancyr & Arluen. can. 14. &10.) non eſt interdictum iis intereſſe, vt habetur in can. ſi quis 35. diſt. 1. de conſecr.

Secunda, cùm Papæ authoritas non ſit minor quàm Epiſcoporum, aut Parochi, tantum poteſt, quantum illi in cauſa Fidelium, ſed per licentiam ſui Parochi, Parœcianus impunè poteſt & ſine ſcelere, vt ipſimet Parochi confitentur, audire Miſſam in Templo Mendicantium, ergo & per Papæ conceſſionem.

Tertia, Conſuetudo rationabilis, & præſcripta, habet vim legis, cap. cum tanto 11. de conſuetudine, ſed vbique Miſſas audire extra Parœciam mos inualuit, iuſtas ob cauſas, nempe vt populus quietiùs & deuotiùs Deo vacet, ſemota turba, vt docent Sylu in verbo Miſſa 2. q. 3. cùm in Parœciis plena ſint omnia puerilibus clamoribus: deinde, vt quid in Eccleſia Papa poſſit, conceſſione talis priuilegij pateat.

Quarta, quòd humano more in mores irrepſit, vim nullam obtinet, niſi ſecundùm conſuetudinem vtentium, quæ legum eſt humanarum interpres optima: & explicat intentionem ſummi Pontificis, & Eccleſiæ: at præceptum de Miſſa audienda eſt Eccleſiaſticum, & conſuetudo habet vt illi ſatisfiat tam domi in ſacello priuato ex conceſſione Epiſcopi, quàm foris, in quouis templo publico. Quin etiam reſpõdit Congregatio Cardin. pag. 104. deciſionum Concilij, Epiſcopos Tridenti congregatos, nihil præcepiſſe aliud Epiſcopis, quàm vt frequenter monerent populum, vt ad ſuas Parœcias ſaltem diebus Dominicis, & maioribus feſtis accederet, nunquam autem exiſtimaſſe, id eos iubere poſſe ſub culpa, aut excommunicationis pœna, ne quidem in caſu apertæ contumaciæ, docet Nauar. Enchir. 21. num. 5. Sylu. in verbo Miſſa 2.

Quinta, non maior eſt obligatio audiendi Sacri hoc tempore in Parœciis, quàm olim, at tunc ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico populus poterat alibi, quàm in illo: vt enim concedam populum, creſcente fidelium numero, per Parœcias diſtributum fuiſſe à Dionyſio, vt dicitur 13. q. 3. can. 1. earumque vſum eſſe antiquiſſimum, vtpote quarum meminit Ancyran. Agathenſe can. 63. Aruern. can. 14. & 19. Vaſenſe 2. quod incidit in an. 444. can. 1. in eo enim Patres Presbyteros Parochiarum admonent, vt pueros alant, qui ſibi in hac cura ſuccedant. In Agathenſi autem, canone

Digitized by Google

ſi quis extra Parœcias, hæc habentur; *Extra Parochias vbi habetur populi Conuentus, prohibentur ſinguli ſacrum facere, niſi permittente Epiſcopo*; Erant ergo tempore Symmachi Papæ in quod incidit hoc Concil. Parœciæ. Nego tamen inde poſſe elici ſacrum ſic in iis audiendum eſſe, vt auditum alibi non ſit ſatis ad præſtationem præcepti.

At id Epiſcopi poſſunt vell (inquies) & Parochianos ſuos cogere ſub cēſuris vt Miſſā die Dominico in Parochia audiant; Eſt id verò negandum, 1. quia conceſſa à Pontific. priuilegia, abrogari ab Epiſcopo, tollique nequeunt. 2. cum ius antiquum audiendi Miſſam in Parochia eſſe deſierit, per contrariam conſuetudinem, quæ habet vim legis, edicto vllo ſuo, prohibere eam non poteſt. Epiſcopus, ſine conſenſu Papæ, populi, & Mendicantium in quorum præiudicium ferretur.

Obiiciunt authores contrariæ ſententiæ, quod vt habetur in Sardicenſi Concil. can. 14. qui eſt vndecimus apud Balſamon, & Zonar. iubeatur ferri excommunicatio in Epiſcopum qui 3. Dominicis, à Conuentu abfuerit, quia ea pœna ſolita erat ferri in Laicum, qui tanto tempore præſens ei non adfuerat, at excommunicatio non fertur niſi ob mortale ergo abeſſe à Miſſa Parœciæ, ſaltem tribus diebus Dominicis eſt lethale.

Reſp. primò. In eo can. Patres non meminiſſe Parœciæ, ſed tantum Conuentus, id eſt Miſſæ, frequentandæ fidelibus in vrbe, quod hi vere faciunt adeundo templa priuilegiatorum: Et vt facerent mentionem Parœciæ; nego tamen eo nomine aliud intelligi quam Diœceſim, quo modo ſumitur in Sardic. ca. 18. 19. Vbi iubetur Epiſcopus cui iter erat in aulam ſine cauſa, illico redire ad ſuam Parochiam, & in Synod. Rom. prohibentur omnes Clerici, oblationes fidelium ſibi aſſumere abſque conſenſu Epiſcopi in cuius Parochia verſantur. In Concilio Araus. primo iubentur Epiſcopi monere fideles, de excommunicato à ſe reconciliato Eccleſiæ, deque eo, verba ſunt Concil. *litteras per Parochiam ſuam dirigere*, quo in ſenſu fit mentio Parochiarum in Concil. Aurel. 5. can. 8. & in Aurel 4. can. 26. ſane luo Carn. ep. 12. ad Vrban. Pontif. Diœceſim ſuam Parochiam appellat, Carnotenſes autem Parochianos ſuos Epiſtola 68.

Obiiciunt aduerſarij ſecundo Canonem Concilij Burdegalenſis anni 1582. vbi dicitur, ſubinde inculcandum eſſe fidelibus, præcipi illis, iuxta vetus decretum ſub pœna excommunicationis, ne tribus diebus continuis Dominicis, à Parochialis Miſſæ celebratione abſint, & peccati grauitate, ab hac culpa reuocandos eſſe. Addunt ſecundo idem præceptum fuiſſe in Synodo Pariſienſi, ann. 1608. ſub Illuſtriſſimo Card. Gondio, pœna propoſita his qui non parerent his verbis. *Quod ſi tribus diebus Dominicis continuis audire neglexerint eos noſtro Promotori deferant debitam pœnam recepturos.*

Reſpondeo primo, vetus illud decretum nuſquam inueniri, & proinde exiguam admodum aut nullam eſſe vim illius Canonis Prouincialis, cum falſo fundamento nitatur.

Reſpondeo ſecundo, Epiſcoporum vnius prouinciæ, authoritatem tantam non eſſe, vt toti Eccleſiæ ius dicant. 3. Cum Epiſcopi tam Galli quàm Aquitanici, vtpote oues Chriſti, ſint infra Papam, eique ſubditi, non poſſe ei legem dare, nec eius decreta infringere ſuper poteſtate Miſſæ audiendæ à fidelibus, apud Mendicantes.

Dices can. illum Burdigalenſis Concilij approbatum eſſe à Papa, quemadmodum & Concilium vniuerſum, ergo per eam approbationem ſublatā erunt priuilegia Mendicantium.

Reſpondeo Negando conſequentiam. Primo, quia vt dicitur cap. 9. de reſcriptis quód incipit. *Cum Ordinem Ciſtercienſem*, priuilegia contra ius commune obtenta, quale eſt iſtud reſpectu fidelium, per aliam legem, aut priuilegium tolli non poſſe, niſi eorum fiat mentio ſpecialis in dicta lege, aut priuilegio, ergo cum nulla huius rei memoria extet, in Burdigal. Concilio, per eius can. nihil derogatum eſſe beneficiis priuilegiatorum. Secundo, quia conſuetudo nunquam abrogatur per ſequentem legem, niſi in ea fiat expreſſa mentio abrogationis dictæ conſuetudinis; vt cum dicitur non obſtante quacunque conſuetudine contraria, vt habetur de conſtitutionibus in 6. cap. 1. ergo cum in can. citato mirum ſit ſilentium conſuetudinis vbique receptæ, & præſcriptæ, audiendæ Miſſæ in templis Mendicantium, huic per illam non nocetur.

Reſpondeo tertio, cum Aquitanici Antiſtites, vt ipſimet indicant, aliud nolint, quam quod in veteri illo decreto habetur, ſi tunc Curiones non erant, idemque erat Parœcia ac Epiſcopatus, aut quælibet Eccleſiæ, non poſſunt fideles vi huius, can. ad aliud obligari, quam ad audiendum Miſſam in Epiſcopatu, aut aliqua eius Eccleſia, verum eſt prius, nam & qui fidelibus præerat, non Parochus vocabatur, ſed Presbyter, vt ex Concil. Ilerdenſi, quod eſt to. 2. Conciliorum refertur, 2. q. 4. can. Presbyter, his verbis. *Si quis Presbyter à plebe ſibi commiſſa mala opinione infamatus fuerit; Deinde inſtituta Curionum*, admodum eſt recens, nec inuecta in Eccleſiam, niſi à trecentis annis, aut non multo ſecus, & licet antiquiſſima ſit Romanæ Eccleſiæ diſtributio, in titulos, tamē Presbyteri Cardinales quibus dabantur, non præerant animabus, cum etiamnum multi Romæ ſint tituli, aut extra vrbis mœnia, vbi nulli ſunt incolæ, aut intra, vbi apparet tales nullos vnquam fuiſſe ex vicina ſolitudine. Et licet Cardinales curam habuiſſent fidelium nego tamen eandem modo eorum rationem fuiſſe, quæ eſt Parochorum. Cum multi in Conciliis reperiantur ſubſcripti Cardinales, eiuſdem tituli, quod indicat non fuiſſe illos cæteris præfectos quæ Curionis eſt poteſtas cum vnum idemque beneficium duobus totaliter dari nequeat.

Obiicitur vltimo, Xiſti 4. autoritas, in extrauag. quæ incipit vices illius de Treuga & Patrum, qui Trident. Concil. interfuere, quibus placuit ſeſſ. 22. in decreto de Obſeruandis in celebratione Miſſæ, hortari Parochos, vt moneant populum, vt frequenter ad ſuas Parochias accedat, & maxime diebus Dominicis, & feſtis.

Ad 1. reſpondetur Xiſtū, tantū illa extrauag. vetare, ne Parochiani Miſſam audiant in Monaſteriis contempto Parocho. Ita Azor. tom. primo lib. 7. cap. 6. quæſt. 4. Portelius in addit. ad dub. regul. verbo Miſſa, & in reſponſ. caſu 29. part. 3.

Ad 2. Reſpondetur præceptum de Miſſa audienda in Parochia illis verbis præceptum non dari ſed concilium vt indicat hæc vox *moneant*.

QVÆSTIO VI.

An repugnet attentioni necessariæ ad Missam, impletiopœnitentiæ, aut Horarum recitatio.

SEnsus est, an præcepto de audienda Missa satisfaciat, qui quo tempore dicitur, recitat Horas Canonicas, ad quas est obligatus, aut alias preces, quæ ei sunt impositæ à Confessario in pœnitentiam.

Posse id fieri negant Angel. in verbo feriæ num. 46. Arm. verbo festum num. 11. Palud. in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. Sylu. verbo Missa in fine.

Contraria sententia est Nau. Enchir. 21. num. 8 cap. 26. num. 23. & de Horis Canonicis cap. 19. conc. 16. Soto in 4. dist. 13. q. 2, art. 1. Regin. lib. 19. cap. 2. q. 1. num. 14. Ludou. de Beia, part. 1. casu 21. Tol. lib. cap. 6. Suar. 3. part. tom. 3. disp. 88. sect. 3.

Ad hanc sententiam accedo, ob sequentes rationes. Prima est, quòd etsi actualis attentio ad verba precum, & sensum eorum, non facilè secum patiatur attentionem actualem ad verba sacrificij, & sensum, qui illis subest, non tamen excludit attentionem ad Deum, in cuius honorem Missa, eiusque auditio refertur: quare cùm ad satisfaciendum præcepto, de Sacro audiendo, sufficiat virtualis attentio, hæcque remaneat cum actuali attentione ad verba Breuiarij. aut eorũ sensum, patet cum eius recitatione stare posse præceptum de audiendo Sacro, ac eius impletionem.

Confirmatur. Attentio virtualis ad Missam in hoc consistit, quòd hæc referatur ad Dei cultum, ex voluntate audientis: At Horarum lectio non excludit, aut impedit tendentiam Missæ ad recognitionem diuinæ excellentiæ, cùm ad eam quoque ordinetur Horarum recitatio.

Secunda, præcepto de audienda Missa satisfacit, qui ei moraliter humano modo est præsens: at hæc præsentia stare potest cum Horarum recitatione, aut pœnitentiæ. Probatur, moraliter est præsens Missæ is, qui præter præsentiam corporis, quæ tunc censetur esse, cùm in eo loco est, vt de eo dici possit, quòd corporaliter intersit, etiam mente sacrificio adest: at vtraque hęc præsentia esse potest, cũ lectione Horarum, aut recitatione. Prima quidem vt patet, cũ quo tẽpore Horas quis recitat, ambitu Templi contineatur. Secunda autem, primò, quòd interesse Missæ mente & animo censeatur, qui ad eam venit animo attendendi, nec postea distrahitur voluntariè, sicut facere iudicandus est, qui in iis se occupat, quæ cum attentione consistere nequeunt, vt est confabulari, scribere, &c. Secundò, quòd moraliter is Sacro intersit, qui interrogatus in qua parte Sacrificij Sacerdos versetur, id dicere sine errore potest: at nihil impedit id per eum fieri qui Missæ simul & Horis Canonicis vacat: nec enim vlla actio alia audientis est necessaria, ad non violandum præceptum, quàm vt hic intentionem actualem, aut virtualem habeat, satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, & colendi Deum, quam intentionem habere quilibet cum horis potest.

Tertia, si Missæ simul, & Horarum psalmodiæ satisfieri non potest, id accidit, vel quia duo præcepta eodem tempore impleri non possunt, aut quia attentioni psalmodia contraria est, at neutrum A verum est: non primum, quia satisfacere quis potest eodem tempore diuersis præceptis, vt Dei, naturæ, & Ecclesiæ, sicut si ad victoriam sui, cuipiã ieiunandum esset, in Quadragesima, ea abstinentia originem haberet à lege naturæ, quæ cuique præcipit remedia necessaria ad sui, & tentationum victoriam amplecti, & ab Ecclesia, cùm eo tempore eam suscipiat, quo ex præcepto Ecclesiæ, singulis qui ætatem attigerunt, est ieiunandum, ergo ex præceptorum diuersitate effici nequit, quòd Missæ simul, & Horarum obligationem implere quis eodem tempore nequeat. Non secundum, nam violati præcepti de audiendo Sacro, reus non est, qui ex Psalmis, aut sanctorum scriptis, preces voluntarias ad Missam affert, ergo nec præceptas. Deinde B nihil vetat eum qui Horas recitat, cogitationem habere defixam in mysteriis Missæ, ac cum huiusmodi meditatione, preces coniungere, in quibus ore & lingua versatur, quod cùm fit, haud dubiè vtrique præcepto satisfit plenissimè, cùm vtrũque seorsim sumptum, in vtroque, id est, tam cùm Horæ sunt legendæ ex præcepto, quàm cùm audienda est Missa, ad securitatem conscientię sufficiat.

QVÆSTIO VII.

C *Quæ sint causæ ab auditione Sacri excusantes.*

EXcusat 1. proprium & proximi notabile damnum, quale est vitæ, bonorum & salutis, quod quisque prudens metuere ac vitare iustè potest ac debet. Causa est, quòd Ecclesia nolit cum detrimento magno morem geri suis legibus, vt docuimus in tractatu de principiis, & expressè scribit de Graphiis lib. 2. decision. aurearum cap. 35.

Secundò, excusat consuetudo Patriæ, à qua, etsi sæpe nõ laudabili, nec tolerãda ab Episc. habẽt fœminæ potissimum in luctu suorum, aut post partum, vt sine necessitate ad 6. septimanas, domi se cõtinere soleant; cùm enim pro lege sit consuetudo, per D hanc Ecclesiastica lex de audiendo Sacro sublata esse videtur. Idem dicendum de custodibus pecorum, quos ad Missam audiendam tantùm aliquibus diebus festis ex consuetudine teneri, tradit Nauarrus Conciliorum tom. 1. Conc. 5. lib. 2: non tamen facile id illis est permittendum, cùm & muneri suo, & præcepto Ecclesiæ satisfacere possint, si aliquanto tardiùs solito, armenta pabulatum ducant, aut citius reducãt, in æstu maximè, meridiãdi causâ, vt ipsemet asserit ibidem num. 2.

Tertiò, excusat impotentia physica, aut moralis, quia ad impossibile nemo tenetur: in quos autem hæc cadat, prudentis est Confessarij, aut Episcopi videre, haud dubiè in eo numero sunt infirmi, aut nondum benè ex longo morbo sanati, de- E nde incarcerati. 3. longè à tẽplo dissiti: & si ad hanc rem non sit necessaria eadem, respectu omnium distantia. Existimat Nauarrus loco proximè citato, respectu agricolarum tria milliaria distantiam esse modicam, quod vix credo: proinde mea opinio est, rem vniuersam committendam esse iudicio prudentis, qui à circunstantiis personæ excusandæ, de re integra statuet, vt si debilis est, aut fœmina, vel à difficultatibus, vt si tempus non sit sudũ, sed pluuium, si aër frigidus, &c. Ab hac impotentia excusantur matres quæ paruulos domi habent, quos non est turum solos relinquere. Tabiena verbo

Digitized by Google

Miſſa numer. 47. deinde qui ægris miniſtrant, cum non habent quos ſibi in hoc miniſterio ſubſtituere valeant, & eos abeſſe ab ægrotis periculoſum eſt, quia ſoli domi non ſunt relinquendi Caiet. in verbo feſtus dies c. 1. Secundò, qui iter habent cum iis qui ſubſtituere Miſſæ cauſa nolunt: hi enim ſi via eſt infeſta latromb. in quorũ poteſtatem venire timent, ſi ſint ſoli, vel difficilis, ac ſibi non ſatis nota, Miſſa carere ſine culpa poſſunt, ne eã audiendo deferantur à ſociis, ſecundum Nauar. cap. 22. Enchir. num. 3. Sylueſt. in verbo Miſſa, 2 q. 2. ſi tamen aliud incommodum non ſit ex præcepti impletione quam ſociis carere crederem cum Suar. in 3. part. q. 88. ſect. 6. Reginaldo lib. 10. cap. 2. q. 2. tale incommodum poſtponendum eſſe præceptioni Eccleſiæ, de audienda Miſſa.

Vltimo excuſat mandatum ſuperioris vt mariti, Patris, Domini &c. ſecundum Angelum verbo feria §. 42. quia id tacitè videtur Eccleſia concedere ſubditis, vt Superioribus ſuis obediant, cum detrimento ſuæ legis, ne grauius quid illis accidat, peccant tamen Superiores ſi huius prohibitionis faciendæ cauſam iuſtam non habent, vt dicitur in Rothomagenſi Conc. cap. 5. apud Iuonem Carnotenſem 2. parte cap. 121. & indicatur à Paulo 1. ad Timoth. 5. cum ait infidelem eſſe ac Gentili deteriorem, qui domeſticorum ſuorum curam non habet.

QVÆSTIO VIII.

An peregrinus teneatur audire ſacrum aut ſeruare feſtum peculiare loci in quo eſt.

AFfirmant pletique authores quos Sanch. memorat, tertiò de matrim. qu. 18. num. 4. potiſſimi ſunt Pontius de matrim. lib. 5. cap. 7. Nau. in manuali cap. 13. Driedo lib. 1. de liber. Chriſt. cap. 17.

Negatiua tamen eſt verior quam tuetur, Suar. lib. 2. tom. 1. de religione tract. 2. cap. 14. *Niſi forte peregrinus*, inquit, *ibi domicilium habeat aut quaſi domicilium, vel in eo diuerſetur toto tempore quo præcepti obligatio durat, vel ſi non toto ſaltem in ea illius parte, quæ eſt proportionata eius executioni.*

Dico 1. *Probabile eſſe, lege de audiendo ſacro in die feſto loci tantum proprio, vbi quis caſu & pro tempore verſatur, non teneri peregrinum niſi forte perpetuam ibi ſedem aut ad maiorem anni partem, figere propoſitum habeat*, Ita Sanchez ſupra num. 9. Granado in part. 1. Ratio eſt quod ſit improbabile, eundem eodem tempore, duabus Parœciis ſubeſſe, in quibus tamẽ ſedes diuerſas non habet, ergo peregrinus per commorationem ſui breuem in oppido, vbi ad tempus reſidet, propriè non eſt Parochianus Parochi eius, qui illi præeſt, ergo ſi non eſt ſcandalum, quod raro poteſt contingere, non tenetur ei parere,, nec proinde audire ſacrum, ab eo præceptum, vel ab Epiſcopo, eo die, qui tantum ibi eſt feſtiuus. Secundò, qui iter habet perbreue, aut breui tempore in quodam loco commoratur, non cenſetur eſſe in eo moraliter, per legem quæſitum, §. fin. ff. de legato, ergo nec eſſe obligatus eius loci legibus. Antecedens probatur, nam parum & nihil non differunt, ex cap. ad noſtram de regularib. vbi dicitur eum qui triduo tantum geſtauit habitum, propriè eo vſum non eſſe.

Dico 2. *Contrariam ſententiam eſſe quoque probabilem, nempe teneri lege Eccleſiaſtica de Miſſa audienda, qui in oppido eſt manſurus, toto tempore quo præceptum obligat.* Probatur, 1. ex can. quæ contra diſtinct. 8. can. quiſquis diſt. 41. vbi contra mores loci, in quo eſt, viuit, dicitur intemperans, & ſuperſtitioſus: ergo & peregrinus, audiri à ſimili poterit violator legis, ſi eam non ſeruauerit, quæ pro tempore vim habet in loco, vbi eum verſari contingit. Secundò, Lex de Miſſa eo die audienda eſt localis, ergo omnes obligans qui in eo loco ſunt. Confirmatur interdictum cum locale eſt, etiã peregrinos complectitur, cum omnes à ſacrificando impediat, ergo & lex alia quælibet.

Huic quæſtioni affinis eſt iſta. An Miſſa audienda ſit integrè pro ſolutione ſit.

Aſſertio 1. *Omittere aliquid Miſſæ, tam in principio quam fine quod ſit exiguum mortale non eſt.* Graff. lib. 2. cap. 34. Ægid. de Coninch. q. 83. de ritu vener. Sacr. art. 2. dub. vn. quia hoc eſt commune omnibus præceptis vt eorum transgreſſio ob leuitatem materiæ ſit leuis.

Aſſertio 2. *Non ſufficit ad vitandum mortale audire canonem, aut à principio vſque ad orationem Dominicam; niſi excuſet conſuetudo, quæ in quibuſdam locis recepta eſt, ex tacito Epiſcoporum conſenſu, vt diſto Pater ſeruus & ancilla, excedant templo* quia lege Eccleſiæ aſtringũtur ſinguli ad audiendũ non modo partes ſubſtantiales ſacrificij, ſed etiã integrales, quo de numero eſt oblatio. Secundò, quia omiſſio tertiæ partis Miſſæ, cum ſit notabilis, eſt mortalis: at quæ Canonem præcedunt, & ſubſequuntur orationem Dominicã, ex omniũ ſententia ſunt eiuſmodi quia ex multorum opinione probabili, de eſſentia ſacrificij eſt eiuſdem conſumptio, quæ fit per communionem, ob quam cauſam eſt hæc diſceſſio prohibita à Synodo Burdeg ann. 1582. tit. 5. & in Bituric. ann. 1584. tit. 1, can. 4. quibus in locis, abcedere proinde templo ante ſumptam à Sacerdote Euchariſtiam, malum eſt, cum ſit contra præceptum Eccleſiæ, & Antiſtitum. Tertiò, ſi ſufficeret audire canonem ad implendum hoc præceptum, eo dicto, templo egredi liceret, ſine peccato, id autem eſt incredibile, cum aliæ partes, dignitatem præcipuam obtineant in ſacrificio.

Aſſertio 3. *Non videtur peccare mortaliter, qui Miſſa intereſt ab offertorio incluſiuè vſque ad Poſt communionem excluſiuè.* Eſt contra multos, qui exiſtimant præcepto de Miſſa audienda ſatisfieri non poſſe, niſi audito Euangelio, & ita mortaliter eum peccare aſſerit Regin. lib. 19. c. 2. q. 3. num. 24. qui eo lecto ad templum aduenit: quæ opinio eſt etiam Nauar. cap. 22. ſed contra. Primò, quia quæ præcedunt Euangelium, aut ſequuntur vſque ad offertorium, partes non ſunt integrantes aut ſubſtantiales ſacrificij.

Secundò, quia ratio peccati mortalis in hac materia non petitur tam à quantitate rei omiſſæ, quàm ab eius dignitate, quæ dignitas haud dubiè non eſt tanta in orationibus, Epiſtola & Euangelio, quanta reperitur in Oblatione, Conſecratione, & Communione.

Tertiò, quia vt non eſt neceſſe dicere Miſſam feſti propriam, ita nec Euangelium audire vel legere.

Aſſertio 4. *Non peccat mortaliter qui templo egreditur poſt Communionem Sacerdotis, & ante benedictionem eius receptam.* Ita Nauar. Enchir. 22. Caiet. in verbo feſtus dies cap. 1. Regin. loco proximè citato. Primò, quia etſi Sacerdotis benedictio ſit ad multa vtilis, eſt tamen quid leue quoad effectum mortalis culpæ incurrendæ. Secundo, quia

benedictio quam completa Missæ solennitate recipiebat populus, vt habetur in can. cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine qui est 21. Concil. Aurel. 1. & quem de consecrat. dist. 1. can. Missas habere diximus pœnam excommunicationis ingredientes ante illam, cuius tamen nulla est mentio in dicto Conc. benedictio hæc (inquam) non est eadem cum ea quæ Missa hoc tẽpore clauditur, dicendo: *Ite Missa est*, sed alia, quæ teste Aug. ep. 59. Patrib. in 4. Conc. Tol. 4. can. 17. Missæ cui nomen est mos Arabũ subiiciebatur Orationi Dominicæ, præmittenda Cõmunioni Sacerdotali, quæ ab Episcopo dabatur populo, cùm Missæ intererat: Vnde in can. 18. Conc. Aur. 3. habiti. 10. ann. post. primũ satis fuit Patribus monere singulos ne putarent sibi à templo recedendum esse ante Orationẽ Dominicam, ex quo colligi potest mortale non esse id facere: verba Concilij sunt ista. *De Missis nullus laicorum ante discedat, quàm Dominica Oratio dicatur, & si Episcopus fuerit præsens, eius benedictio expectetur.* Quæ consuetudo tenuit ad tempora Io. 22. vt patet ex eius Extrauag. quæ habetur inter communes de celebratione Missarum cap. 1. nec tunc alij cum Sacerdote in templo herebant, quàm communicaturi, vt obseruauit Mir de Ecclesiasticis obseruationibus cap. 21. in fine, sed id modo licitum non esse facile est colligere ex antedictis.

Quid ergo est quod in can. Missas citato, dicuntur palam esse confundendi qui ante finitum Sacrũ benedictione non percepta templo exeunt?

Respondeo, id intelligi de casu in quo esset eiusmodi egressus coniunctus cum plebis scandalo, aut contemptu Ecclesiæ vel Episcopi: hinc tamen non sequi præceptum de audienda Missa violari tali discessu sine benedictione. Regin. proximè citat. num. 24.

Assertio 5. *Non peccat mortaliter qui ab Offertorio inclusiuè, vsque ad benedictionem Sacerdotis Sacrificio interest.* Ita Layman lib. 4. tract. 7. cap. num. 3. Alincanus de Ecclesiast. offic. cap. 36. Ratio est, quòd qui ei sic est præsens audit omnia quæ tam ad substantiam eius sunt necessaria, quàm quæ ad essentiam, prout est sacrificium.

A 2. Laym. lib. 4. tract. 7. c. 6. de Coninch. q. 83. de ritu vener. sacr. art. 6. dub. vn. num. 287. Opinionis suæ causam hanc habent, quòd pars vtraque moraliter in vnius Missæ integritatem coeat, etsi vna ab altera non pendeat: ergo cùm præceptum tantum sit de audienda Missa integrè, ei satisfiet coniunctione vtriusque ad compositionem vnius. Tertiò, satisfit præcepto Ecclesiæ sistendo se Missis duabus modo dicto, sic vt pars vna vnius, alterius altera audiatur, si Ecclesia patiatur & velit, præceptum suum hoc modo impleri: at vult, quia citati Doctores ita docuere libris impressis, nec ea reclamat vt deberet, si id non sufficeret, vt rectè docet de Coninch. peccaret tamen venialiter, qui dedita opera tardiùs in templum veniret, vt de duobus sacris vnum componeret. Suar. disp. 88. sect. 2. aut qui sine causa è duabus partibus vnum totale coagmentaret, quia Missa ordinatè est audienda quantum fieri potest commodè, quæ ordinatio in hoc consistit vt priùs audiatur quod priùs dicitur, & posterius quod posterius.

B

Quid si eodem tempore audiantur duæ medietates sacrificij initium quidem eius ab eo, qui illud incipit, & finis ab illo qui in alio altari Missam absoluit?

Reginaldi opinio est, tom. 2. lib. 19. cap. 2. q. 3. Nugn tom. 1. in 3. part q. 83. art. 6. ad 3. eiusmodi auditione officio non satisfieri. Primò, quia vt dicitur in can. Missa. de consec. dist. 1. audiendum est C sacrificium speciali ordine, ac inter partes quæ simul sunt, non seruatur ordo specialis.

Secundò, quia nemo est paulo magis religiosus in Ecclesia qui existimet præcepto se obsequi ac illud implere cum id agit.

Tertiò actio audiendi Missam habet veras partes sic subordinatas sibi inuicem vt vna antecedat, subsequatur altera, sed cum duæ Missæ in duobus diuersis altaribus dicuntur secundum partes differentes, non sunt hæ, inter se sic ordinatæ, vt dici possint vnam missam posse conflare tãquam partes eiusdem, sed ambæ simul sumptæ, reputantur tanquam vnica pars, ergo per eas non satisfit præcepto Ecclesiæ de sacro integrè audiendo.

D Contraria sententia est Molfesij tom. 1. tract. 3. cap. 17. num 36. Azor. part. 1. lib. 7. cap. 3. qu. 3. Anton. Dianæ tract. 17. & 3. miscell. resolut. 18. ratio est quod Ecclesia tantum præcipit vt Missa audiatur; at duæ medietates Missæ vnam constituunt. Confirmatur. Is cui iniunctum esset audire duo sacra satisfaceret huic præcepto si eodem tempore interesset duobus, ergo à pari præceptum implebit qui eodem tẽpore medietates duas differẽtes sacrorum differentium audiet; nec refert quod ordo non seruetur quia non est de necessitate præcepti, vt patet in horis canonicis quæ sufficienter dicuntur quantum oportet ad vitandum mortale, cum dicuntur quo ad substantiam integrè, etsi non ordinatè, sed hæc sententia quanquam probabilis tamen in praxi non est sequenda, sed prior.

QVÆSTIO IX.

An præcepto de Missa audienda satisfaciat qui audit partem ex alia Missa, quam ex priore omiserat.

Dico satisfacere, quia ex duabus illis auditionibus integratur auditio præcepta, quæ est Soti doctrina in 4. dist. 13, q. 2. art. 1. column. antepenult. Nau Enchir. 21. nu. 2. Maior in 4. dist. 45. q. 2. Hieron. Blamas. 3. parte Methodi, cap. 5. parag. 8. versus finem. Barthol. ab Angelo de Missa par. 781. Emm. Sa ver. Missæ auditio, n.

Digitized by Google

EPITOME TRACTATVS PRÆCEDENTIS,

De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ex Patribus, Conciliis, & Canonibus.

CAP. 1. MISSÆ nomen eſt origine Hebraicum; ex Chaldaica nomenclatura acceptum; tranſlatumque in Eccleſiam, ad denotandum ſacrificium incruentum, quod Deo Patri ſub ſpeciebus panis & vini offerri ab Apoſtolis, eorumq; in Sacerdotio ſucceſſoribus, Chriſtus voluit, *in remiſſionē eorum peccatorum quæ committuntur*, dicens, *hoc facite in meam commemorationem vti ſemper Catholica Eccleſia, intellexit*, & docuit Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. Et in hoc ſenſu, Miſſæ nomen vſurparunt Vigilius epiſt. ad Eleuther. cap. 4. Ambroſ. ad Marc. epiſt. 33. Auguſt. ſerm. de tempore 15. Victor de perſecutione Vandalica lib. 2. Pius Papa primus, in epiſt ad iuſtum Vienn. Epiſcop. *Soror*, inquit, *noſtra Euprepia, ſicut bene recordaris titulum domus ſuæ pauperibus aſſignauit, vbi nunc cum pauperibus noſtris commorantes Miſſas agimus*, Alexander primus in epiſt. ad Orthodoxos. *In ſacrificio*, inquit, *Miſſarum, panis tantum, & vinum aqua permixtum offeratur*, Fœlix natione Sammius, in epiſt. ad Epiſcopos per diuerſa loca conſtitutos. *Sicut non aly*, inquit, *quam ſacrati Domino Sacerdotes debent Miſſas cantare, nec ſacrificium ſuper altare offerre, ſic non in alijs, quam Domino conſecratis locis, id eſt in tabernaculis, Miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet.* Eſt ergo Miſſa ſacrificium incruentum ſactoſancti corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Quo cruentum illud ſemel in cruce peractum repræſentatur, eiuſque memoria in finem vſque ſæculi permanet*, Trid. ſeſſ. 22. cap. 1.

Cum enim frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiuſque de latere effuſio deſignatur? Proſper in ſententijs, habeturque de conſecrat. diſt. 2. can. 37. Et quoniam, quæ Deo immolantur, eadem ei offeruntur, eſtque omne ſacrificium, oblatio rei, quæ ſacrificatur, facta Deo, eam ob rem Miſſam, Oblationem dici à Patribus placuit, ita appellatur, can. 9. Apoſtolorum vt vt patet ex his verbis, quibus eſt conceptus. *Si quis Epiſcopus aut Preſbyter, vel quilibet ex Sacerdotali catalogo facta oblatione, non communicauerit, aut cauſam dicat, vt, ſi rationabilis exiſterit, veniam conſequatur, aut ſi non dixerit, communione priuetur, tanquam qui populo cauſam læſionis dederit, dans ſuſpitionem de eo qui ſacrificauit, quod recte non obtulerit.* Et in Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. *Et hæc quidem, illa mun-*

A *da eſt oblatio, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium, inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundū offerendam prædixit.* Cypr. ep. 63. ad Cæcilium nu. 6. hæc habet *Vnde apparet ſanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calici, nec ſacrificium Domini cum legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio noſtra, & ſacrificium reſponderit paſſioni.*

Atenim, cur ei Miſſæ nomen eſt impoſitum potius quam ſacrificij? & vnde originem ſuam ducit Miſſæ appellatio? Ex eo inquit Hugo de Sacram. l. 2. parte 8. c. vlt. *quod oblatio & preces ad Deum mittantur.* Alij quod Angelus à Deo mittatur, qui aſſiſtat ſacrificio, vt Magiſter lib. ſen-
B tent. 4. diſt. 15. D. Thom. 3. parte q. 83. art. 4. Alij à miſſione, ſeu dimiſſione populi, eam dictam volunt, inter cæteros, Petr. Greg. pattitionum iuris li. 1. tit. 21. cap. 1. litera A. in Comment. Omnium optime Baron. tomo 1. Annalium ad ann. Chriſti 34. Tiberij imperator. 8. à voce Hebræa Miſſah, quæ Chaldæis, ac Iudæis, idem ſonat, quod oblatio ſpontanea, de terræ frugibus in gratiarum actionem Deo fieri ſolita, qua veſci fas erat in templo, cum recordatione præteritæ ſeruitutis, & ab eadem liberationis. Quæ omnia benè cum hoc ſacrificio conueniunt, in quo, volens, ac ſponte, non coactus, Deo ſe Patri, Deus filius, pro peccatis noſtris hoſtiam offert, vt enim dum viueret. *Oblatus eſt quia voluit.* Iſa. 35. ita & modo, quod
C ipſum Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus vt facerent, in ſui commemorationem, ac gratiarum ab eo acceptarum actionem, præcepiſſe, Catholicæ fidei dogma eſt longe certiſſimum.

CAP. 2. Ob eamque cauſam appellatur, vt diximus antea, oblatio, Braccar. Concil. 2. can. 10. Laodic. can. 19. variè præterea ab effectibus quos varios in bene præparatis animis producit & primo quidem, vocatur, *Euchariſtia*, à gratia, quam abundantem & amplam ſecum in animam inuehit, *Sacramentum*, quia ſub ſpeciebus panis & vini, corpus ſuum & ſanguinem in ea, Chriſtus mortalibus diuidit, ac ſub earundem rerum ſymbolis, Apoſtolis,
D vt ſumerent tradidit. De Miſſa hoc modo & eo nomine expreſſa, loquitur Innoc. 3. in Conc. generali can. 1. his verbis. *Et hoc vtique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos fuerit rite ordinatus, ſecundum claues Eccleſiæ*, Carthaginenſe 3. can. 29. *vt Sacramenta altaris, non niſi à ieiunis hominibus celebrentur*, quo nomine Miſſam quoque appellarunt Conc. Matiſconenſe 2. can. 6. Damaſus epiſt. 4. & Leo epiſtola 86. in fine Cypr. epiſt. 63. ad Cæcil. nu. 9. *Dominicum*, autem idem eadem epiſt. num. 49. *Nunquid ergo Dominicum poſſe cœnam celebrare debemus, vt ſic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* qua voce Auguſt. in breui collat. contra Donatiſtas, & Tertull. lib.
E de fuga & perſecut. Leo epiſtol. 80. & 88. ſunt vſi.

Quartò, dicta eſt etiam *Communio*, à Nicol. ad Conſulta Bulgar. cap. 65. Quintò θεία μυσταγωγία, id eſt res diuina, à Nicephoro lib. 18. cap. 16. ibi enim ſcribit hic author, à Greg. Theopolitano Epiſcopo, milites qui Philippico, Mauritij ſororio, obſequi ſe nolle, palam & apertè dictitabant, peracta re diuina, pane cœleſti refectos eſſe, poſtquam ſe in officio fore poſtmodum, ſancte & religioſe ſunt polliciti. θείας τελείας μυσταγωγίας τῷ ἄρχοντι τῶν

ματος ἀκηράτου λόγου, i. re diuina peracta, corpus immaculatum cum omnibus communicant. Hanc Hilarius, *diuina mysteriorum Sacramenta*: Ambros. de fide ad Gratian. *diuina sacrificia*, Ignat. in epist. ad Smirn. Concil. Neocer. can. 9. Nicen. can. 8. Laod. cap. 19. Synod. 6. in Trullo can. 28. appellauere θυσίαν.

Postremo Missa appellatur *sacrificium* quia in ea, Deo Patri, Verbum Deus offertur. *Nosti*, inquit Augustin. in epist ad Dardanum 57. *In quo sacrificio dicatur Gratias agamus Domino Deo nostro, à cuius sacrificij humilitate longe abest typhus illorum*: Et, *Huius corporis caput est Christus, huius corporis vnitas, nostro sacrificio commendatur, quod significauit Apostolus 1. ad Cor. 10. Vnus panis, vnum corpus, multi sumus, hoc Sacramentum longe est à cordibus stultorum.* Augustin. ibid. *Sicut Patri, ita etiam Filio, non solum Christianis temporibus, à Sacerdotibus variis, probamus sacrificium fuisse oblatum.* Marcellin. epistol. 1. *Sacrificium itaque, quod à Christianis, sacris altaribus admouetur, non solum Deo Patri, sed etiam Filio, communi deuotione offertur.* Idem ibid. Cypr. epist. 63. ad Cæcil. num. 11. *Si Iesus Christus, sacrificium Patri seipsum primus obtulit, at hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, & sacrificium verum & plenum offert in Ecclesia Deo Patri*: quia tamen cruore caret appellatur in sexta, Synodo can. 28. ἀναίμακτος θυσία, incruentum sacrificium, à Zonara in can. 29. dictæ Synodi, ἄγια θυσιαστήρια, *sacra altaris.*

Sane quia in hoc diuino sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis, semel se cruente obtulit, docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt, si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno, Trid. sess. 22. cap. 2.

Est præterea expiatorium, quia oblatum fuit in remissionem peccatorum, patet ex Christi verbis Lucæ 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Et, *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*: Eo respexit Ambros. lib. 4. de Sacram, cap. vltimo dum dicit. *Si quoties cunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, vt semper mihi peccata remittantur.* Eodem Hieron. ad Damasum de Filio prodigo his verbis; *Christus quotidie fidelibus immolatur*, neque id modo scriptura & Patres sed & praxis ipsa indicat, vniuersæ Ecclesiæ, quæ ab omni æuo, hoc sacrificium pro viuis, & mortuis æterno Patri obtulit. Pro viuis quidem, vt peccatum omne exosi, digni forent, quorum in animis, Deus virtutum, ac gratiæ, sementem faceret ideo, τὸν ἁγίαν καὶ ζωοποιὸν καὶ ἀναίμακτον, ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὴν λεγομένην θυσίαν, inquiunt, in Concil. Ephesino Episcopi. Pro mortuis autem, vt, si quæ adhuc in iis macula residet, si qua labes, hanc Christus sanguine suo eluat, si quæ pœnæ, offenso numini pro peccatis exoluendę manent, eas Christus lachrymis suis, ac vitæ ante actæ meritis expungat, propterea Episcopis placuit, qui Tullum concilij causa conuenerant, & Cabillonum sub Carolo Magno, *Vt omnibus, Missarum solemnitatibus, pro defunctorum Spiritibus, loco competenti Dominus deprecetur*, Cabillon. sub Carolo can. 59. quæ autem preces, cuique pro iis faciendæ forent, declaratum est in Conc. Tullensi par. 1. can. 14. his verbis. *Post vocationem autem cuiuslibet eorum, superstites obtineant, vt pro eo qui discesserit, in sedibus septenæ Missæ, totidemque vigiliæ, Domino persoluantur, à Presbyteris autem Monasteriorum, siue villarum, tres Missæ totidemque vigiliæ dependantur. Quare*, concludendum (cum Trident. sess. 22. cap. 2.) *Non solum pro fidelium vinorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite iuxta Apostolorum traditionem, sacrificium hoc offerri.* In quo suo nobis exemplo præiuere Patres, i de seipso testatur Cyril. in Catechesi quinta mystagogica, τοίνυν τὴν θυσίαν προφέρομεν, ἐπὶ τῶν κοιμωμένων εὐθὺς πρώτους ἐπιθεῖναι τοὺς λόγους ἐπὶ ὧν ἡ ἅγιος καὶ φοβερὸς τῶν προκειμένων θυσίας.

CAP. 3. Neque tamen credi debet, ad id, Missæ cuiuslibet preces, ex æquo efficaces esse, ac vtiles, ad cuius rei intelligentiam notare placet, Missam primo diuidi in Catechumenorum, & Sacramentorum, Iuo Carnotensis epist. 75. Secundo in publicam & priuatam. Missæ Catechumenorum fit mentio causa 33. q. 2. can. de his, nono, & de consecrat. dist. 1. can. Episcopus, & hæc Missa, est ab introitu, vsque ad offertorium exclusiuè Durantus lib. 4. numero 46. existimat, non nisi post offertorium, Catechumenos è templo solitos dimitti, sed pace eius sit dictum, eorum Missa finiebatur lectione Euangelij. vt patet ex can. Conc. Valentini in Hispan. 2. quia per lecto Euangelio Diaconus clamare solebat, *Si quis est Catechumenus exeat foras?* Tertio quia fidelium Missa initium habet ab oblatione materiæ consecrandæ, ergo cum ei interesse Catechumenis non liceret, probabile est eos templo egredi solitos ante oblationem. Porro eorum Missa constabat precibus, explicatione verbi Dei, lectione Euangeliorum, & scripturæ. Precibus quidem, vt eos le præstarent, quos oportebat, ad consequendam Christiani veram laudem, humiles scilicet, fortes, & in fide retinenda constantes, *Post homilias Episcoporum, Catechumenorum oratio fiat.* Laodicæn. Con. can. 19. Orationi addebatur lectio Euangelij, aut Scripturæ Carthagin. 4. can. 84. Valentin. in Hispan. ca. 1. prioris Concilij est hæc de re præsenti sanctio his verbis, *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum vsque ad Missam Catechumenorum.*

Euangeliorum autem fit mentio in Valentino, vt fidem faciunt hæc verba, ex canone eius primo petita. *Antiquos canones relegentes censuimus, vt sacro sancta Euangelia, ante munerum illationem in Missa Catechumenorum in ordine lectionum post legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermones Sacerdotis, non solum fideles, sed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes, qui è diuerso sunt, audire licitum habeant.*

Cum lectione Euangelij finem habebat Missa Catechumenorum, vt ex Synodo Constant. sub Menna actione prima colligitur, & tum ianuis clausis, initium dabatur, Missæ fidelium, quam *Sacramentorum*, ideo Iuo nominat, quod in ea Sacerdotis voce, diuina peragerentur mysteria, quibus, cum Cathecumenorum Missa vacua esset, quis non videt, (quod fuit initio huius capitis à nobis positum) Missarum omnium, vim ad placandum iratum numen parem non esse? tantoque, nostrâ

ſtrâ id eſt Sacramentorum, inferiorem eſſe Cathecumenorum Miſſam, (vt loquuntur) quanto diuina humanis, cœlum terra, Deus anteſtat creaturæ.

Alia fuit Miſſę diuiſio in priuatam, & publicam. Priuata dicebatur in priuatis Oratoriis, aut ſi in Eccleſia, ſine cœtu, frequentiaque populi, ne per eam, *populus à publicis Miſſarum ſolemnibus abſtraheretur*, Theodulphus ad Presbyt. Aurelian. cap. 45. Publica palam fiebat, plebe vniuerſa, cleroque ſpectantibus. *Sed Sacerdotes, qui in circuitu vrbis aut in eadem vrbe ſunt, & populus in vnum ad Miſſarum publicam celebrationem conueniant, exceptis Deo ſacratis fœminis, quibus mos eſt, ad publicum non egredi, ſed Cluſtris Monaſterij contineri*, de B conſecratatione diſtinct. 1. can. & hoc attendendum 52.

Eſt & alia Miſſarum diſtinctio, non ſubſtantialis illa quidem, quia in omnibus idem ſacrificium offertur, ſed accidentalis, vt quod quædam alta voce, ſubmiſſa dicantur aliæ, cap. cum creaturæ de celebrat Miſſarum, quædam ſint de feria, can ſufficit Sacerdoti, de conſecr. diſt. 1. aliæ de feſtiuitate cap. cum creatura de celebrat. Miſſarum. Quædam pro viuis can de nominibus 73. de conſecr. diſt. 1. alię pro defunctis can. non æſtimemus 13. q. 2.

Miſſæ autem cuiuſlibet, duæ ſunt partes, quædam ei ſunt eſſentiales non item aliæ, ſic Cæſarius C Arelat. hom 5. eſſentiales, eius opinione ſunt, duæ, Oblatio & Conſecratio, accidentales plurimæ, parique numero, cum precibus, quibus conſtat. *Non nunc* inquit hic author, *ſiunt Miſſæ quando diuinæ lectiones in Eccleſia recitantur, ſed quando munera offeruntur, & corpus & ſanguis Domini conſecratur.* Alij vt Durand lib. 4. de Diuinis offic. cap. 1. & Belethus in explicatione Diuini officij cap. 34. Miſſam in quatuor omnino partes diuiſam volunt, nempe in obſecrationes orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones, preceſque prioris generis, quas Paulus obtecrationes nominat, extendunt vſque ad Offertorium, Orationes, vſque ad finem Orationis Dominicæ, tertij generis, vſq; ad Communionem, quam Miſſæ pars quarta, & vltima, D quæ in gratiarum actione eſt poſita, excipit, duratura vſque ad finem Miſſæ. Placet eorum opinio qui Miſſam quidem quadrimembrem faciunt, ſed aliam in eius partibus deſignandis, quam Belethus, ac Durandus, rationem ineunt, nempe aiunt primam, quæ confeſſionem excipit, quam Sacerdos initio, ad animi demiſſionem, ac dolentis, contritique de peccatis faciendam fidem, ſacrificio præmittit, doctrinam habere ex ſacra Scriptura, Epiſtolam & Euangelium, ſecundam autem, conſiſtere in Conſecratione, cum gratiarum actione ſuper pane & vino facta. Tertia eorum ſenſu, perceptionem Sacramenti habet, quarta & vltima, Dei laudem, ac orationem pro fidelibus. Olim quidem E faciendi ſacri ratio, paulo erat ab iſta diuerſa, cuius partes recenſuimus, quæ huius temporis eſt, ac noſtra. Nam egreſſis Cathecumenis, quod fiebat poſt auditum verbum Dei, explicatum de Superiori loco ab Epiſcopis, ſecundum Concil. Laodic. can. 19. aut Diaconis, ſecundum Gregor. lib. 4. epiſt. 44. ſeu 88. & in Synodo Rom. can. 1. ibi enim ſub anathemate iis prohibet ne vocis modulationi inſeruiant, ſed prædicationis officio ac Euangelicæ lectionis, inter Miſſarum officia vacent. Egreſſis inquam è templo Neophytis. *Fidelium o-*

A *rationes tres fiebant, prima ſub ſilentio, cæteræ cum proclamatione*, Concil. Laodicæn. ca. 19. poſtea, pacem ſibi apprecabantur mutuo, qua data viciſſimque accepta, à circunſtantibus, tam Laicis, quam Presbyteris, ſacræ oblationi dabatur initium, Laodicæn. loco ante citato. Pacis autem indicendæ tùm temporis, & ſub finem Miſſæ, cauſa hæc erat, *Vt conſtaret populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbere conſenſum, ac finita eſſe pacis concludentis ſignaculo demonſtrarentur*, Innoc. epiſt. 1. cap. 1.

Quæ omnia complexus eſt Zonaras in eum can. his verbis. *Concio ad Cathecumenos vel ad populum, iis docendis, ac erudiendis, primo loco ab Epiſcopo habebatur, tum precatione in Catechumenos recitata illi egrediebantur, mox in eos qui pœnis luendis addicti erant, altera precatio adhibebatur.* Subiicit Conc. can. illo citato, tres à fidelibus preces fieri poſtea ſolitas, *μίαν τὴν ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων καὶ δευτέραν ὑπὲρ τῶν ἐνεργουμένων*, hoc eſt, vnam ſcilicet primam ſilentio, ſecundam & tertiam per pronunciationem, *Hæc omnia*, inquit ibi Zonar. *ſacræ oblationis celebritas, hoc eſt incruenti ſacrificii Oblatio, Conſecratioque ac eam ſacrorum deinde munerum communicatio conſequebatur, prius tamen pacem Epiſcopis offerre, ac in eorum amplexum progredi Sacerdotes conſueuerant, Sacerdotibus quoque viciſſim pacem Laici offerebant.*

C Pace ſic vtrinque data, & accepta, à circunſtante populo, Sacerdos myſteria inchoabat, oblatione panis & vini, quam ſequebatur cõmemoratio fideliũ qui dona ad altare intulerãt, aut pro quibus Sacrificium Deo offerebatur, hi pari cum his paſſu incedebant & alij: nam fiebat ex dipticis appellatio Sanctorum & aliorum item qui eiuſdem erant cum Sacerdote fidei Author Innoc. epiſt. 1. ca. 2. *Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda, vt inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia, quæ ante prætermittimus, vt ipſis myſteriis, viam futuris precibus aperiamus.* Secus in Eccleſia Orientali, conſueuiſſe fieri, nec nomina Imperatorum, aut fidelium, appellata fuiſſe, ante finitum ſacrificium, D indicat Synodus Conſtant. ſub Menna act. 1. locum allaturi ſumus poſtea, cum de modo diſputabitur finiendi ſacrificij. Notare nunc placet, appellationi eorum, quorum erant oblationes, proximam eſſe conſecrationem, ante quam Cyrillo teſte, catecheſi myſtagog. ca. 5. Sacerdos clara diſtinctaque voce inclamare ſolebat *Surſum corda*, multaque de immenſa Dei gloria præfari, ac hortari ſingulos, vt pro viuis ac defunctis orarent.

Confectis myſteriis, dicebatur oratio Dominica, quâ finita, ſacræ menſæ participes eſſe qui optabant, accedebant, viri ac mulieres, à Diacono prius admoniti, vt ſibi oſculum pacis, mutuo offerrent. *Oſculamini inuicem in oſculo Sancto.* E Scirentque, non niſi ab omni culpa vacuis, myſteria ſacra patere, cum fructu, ideoque cunctis illud intonabat, *Sancta Sanctis*, cui populus, quanta maxima vocis, animique contentione poterat, fidei plenus reſpondebat. *Vnus Sanctus*, Baron. ex Cyril. & Iacobi Liturgia ad an. Chriſti 64. Neron. 7. Laicis tamen ad altare accedere non erat licitum, cum id ſacratis hominibus duntaxat permiſſum eſſe Conc. Laodic. noluerit, *μόνοις ἐξὸν ἁγίοις τοῖς ἱερατικοῖς εἰσέρχεσθαι, εἰς τὸ θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν*, can. 19. Sane hoc conſtat, Miniſtros ſacri altaris, commu-

nicaturis dicere ſolitos, quod manibus ipſi ſuis te- A nerent, ac venerandum iiſdem offerrent eſſe *Corpus Chriſti*, hos autem reſpondiſſe monentibus, *Amen* hoc eſt, ita eſſe vt dicebant, credere ſe quod aiebant. Quem ad morem alludens Ambroſ. lib. de Sacram. 4. cap. 5. hæc habet. *Tu dicis Amen, hoc eſt verum, quod confitetur lingua tenens affectus*, quo cum ſalutem ac dignitatem fidelium contineri Epiſc. Hiſpani non eſſent neſcij ſanxere, *Vt priuſquam dicatur Dominica oratio, voce clara prædicetur, quo fides vera manifeſta ſit, & teſtimonium habeat, & ad Chriſti corpus, & ſanguinem prælibandum, pectora populorum, fide purificata accedant.* Toletan. 3. canone 2.

Ad has ceremonias, preceſque, labentibus annis additæ ſunt à Pontificibus & aliæ, à Pſalmis B Miſſæ initium fieri, Gregor. in Synodo Rom. voluit, can. in Sancta Romana 2. diſtinctionis 92. *quos & reliquas lectiones, per Subdiaconum, vel ſi neceſſitas exegiſſet, per minores Ordines exhiberi poſſe*, ibidem, authoritate quâ pollebat, ſancitum voluit. Decreuit Alexander, *vt in ſacrificio Miſſarum panis tantùm & vinum aqua permixtum offerretur*, epiſtola ad Orthodoxos. Statuit Teleſphorus, vt in eo hymnus Angelicus caneretur, Platina in Teleſphoro, maximè verò diebus Dominicis, & in natalitiis Martyrum, ſecundùm Symmachum, & Pontificale Romanum. Cœleſtinus implorandam in Miſſa Dei clementiam cenſuit, his è lingua Græca petitis verbis, Κύριε ἐλέησον, quæ in matutinis ac veſpertinis precibus, iterari ſanxit Vaſenſe Concil. can. 5. *Et quia tam in ſede Apoſtolica, quàm* C *etiam per totas Orientis atque Italiæ prouincias, dulcis, & nimis ſalubris conſuetudo introminſa eſt, vt* Κύριε ἐλέησον, *frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, vt in omnibus Eccleſiis noſtris, iſta ſancta conſuetudo, & ad Matutinum, & ad Miſſas, & ad Veſperam, Deo propitiante intromittatur.*

Capitula ſingula, ac orationes diebus aptas, quibus commemoratio fit in Eccleſia Chriſti reſurgentis, aut in cœlos aſcendentis, aut Sanctorum, quorum natalitia ſuo tempore celebrabantur, adieciſſe dicitur Vigilius epiſt. 1. cap. 5.

Pauli, ac Apoſtolorum epiſtolas, ſacraque Chriſti Euangelia legi in Miſſa, voluiſſe Apoſtolos, loquitur hæc eorum ſanctio, numero decima, inter canones, quorum dicuntur authores: *Omnes fideles,* D *qui conueniunt in ſolemnibus ſacris ad Eccleſiam, ſcripturas Apoſtolorum, & Euangelium audiant* Errat ergo Platina in vita Gelaſij, cùm eum huius conſuetudinis authorem facit, non Apoſtolos, à quibus tamen, in Eccleſiam primò inuectam eſſe, dubitare nemo poteſt, niſi qui ſimul de fide canonis, à quo nobis ita ſentiendi, vt indicauimus, iniecta eſt opinio, de cuius veritate iudicium ſit aliorum, non noſtrum.

Aquæ benedictæ vſus, in ſacrificio & extra, Alexandri primi beneficium eſt: *Hanc enim*, inquit in epiſtola ad Orthodoxos, *ſale conſperſam populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur, ac purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum* E *eſſe mandamus.* Paſſionem quoque Domini miſcuit in precatione Sacerdotum, quando Miſſæ celebrantur. Iuo parte 2. cap. 63. decret. Platina in eius vita, ab eo hæc verba inſerta canoni memorat, qui pridie quàm pateretur, accepit, &c. vſque ad iſta, *Hoc eſt corpus meum.*

Statuit Concilium Toletanum 8. canone primo, dici Nicænum ſymbolum. Sergius cani Agnus Dei, terque in Miſſa repeti. Platina in eius vita. Xiſtus corporale ex lino puro fieri, ac à populo, Sacerdote conſecrationem inchoante, cani Sanctus, tertioque iterari. Damaſus in Xiſto: quam erga Deum religionem, ſibi quoque inter Miſſarum ſolennia, vt laudabilem ac ſanctam, Eccleſia Gallicana adhibendam cùm crederet, ſtatuit, *vt in omnibus Meſſis, ſiue matutinis, ſiue quadrageſimalibus, ſiue in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad Miſſas publicas, dici debeat, quia tam dulcis, & tam deſiderabilis vox, etiamſi die noctuque poſſit dici, faſtidium non poterit generare.* Vaſenſe Concilium ſecundum canone quarto. Quid plura? Leoni placuit ad actionem ſacrificij hæc addi, *ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Greg verò iſta: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas.* Cœleſtino, pſalmos centeſimum, & quinquageſimum, quos ante ſacrificium cani voluit, cùm antè, epiſtolæ Pauli ſolæ, cum Euanglio legerentur.

Memini quoque me legere, iuſſos à Teleſphoro Presbyteros, facere in azimo, nullo modo in fermentato. Platina in eius vita. A Xiſto, ne alibi quàm ſuper altari offerrent, prohibitos. Bonifacio autem 2. placuiſſe ſcio, vt à laicis Clerici in celebratione Miſſæ diuiſi eſſent. Martino, vt hi eam canerent, ſed hæc ei eſſentialia non eſſe, iam ante ſignificauimus: in quo ergo ſita ſit eius eſſentia, iam eſt videndum.

Cap. 5. Hanc autem in fractione hoſtiæ conſiſtere non poſſe, vt ſentiam, inducor hac ratione maximè, quòd ſacrificij eadem ſit vbique locorum, ac ſemper, natura ac eſſentia: At Græcis non eſt in more, hoſtiam diuidere, ac diuiſæ partem, calici infundere: panis ergo conſecrati fractio, eiuſque cum ſanguine immixtio, non ſunt eſſentiales huic ſacrificio.

Secundò, ſi hanc cæremoniam Sacerdos ignorans, ſine culpa, omitteret, nempe quia aliis de Deo, eiuſque maieſtate ac gloria, cogitationibus occupatus, eam adhiberi oporteret non meminit, aut ſi aduertit, diuidere tamen hoſtiam non potuit, quia caſu in calicem de ſacrificantis exeuſſa manu decidit, quæro, an ſacrificium, aliquid verè ad eſſentiam ſuam in eo caſu neceſſarium, exigat, an contra, partes ſuas omnes habeat. Si ſecundum, non eſt fractio hoſtiæ, partiſque eius in calicem infuſio, eſſentialis ſacrificio. Primum autem dici nequit, quia ratio ſacrificij eſt in immolatione hoſtiæ: at Chriſtus immolatur per conſecrationem, ſine ordine, ac eſſentiali eius dependentia à fractione: non eſt ergo de ſubſtantia, eſſentiaque Miſſæ.

Dico ſecundò, *nec ſumptionem Euchariſtiæ à populo, aut eius diſtributionem ac diſpenſationem, eidem faciendam, aut factam, neceſſariam eſſe neceſſitate ſacrificij.*

Primò, quia eſt hæc ſacrificio poſterior.

Secundò, quia rari omnino, aut verùs nulli, in priuatis publiciſque Miſſis dierum Feſtalium communicant, tum autem ſacrificium, à Sacerdote qui ſacris illis diebus operatur, nullum fieri, quis cum ratione, prudentiaque aſſerat? non eſt ergo diſpenſatio Euchariſtiæ, de earum rerum genere, quæ pertineant ad ſubſtantiam Miſſæ.

Reliquæ partes ſunt duæ, oblatio, & conſe-

Digitized by Google

cratio, de quibus eſſe poteſt quæſtio, & excluſa oblatione, tanquam non neceſſaria, neceſſitate ſacrificij, dico mihi videri probabile, in ſola conſecratione, vim totam, eſſentiamque Miſſæ conſiſtere.

Primo, quia per eam Chriſtus Dominus, myſtice & incruente immolatur, nam vi horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, ſolum Chriſti corpus, in altari eſſe incipit ſine anima, quemadmodum & ſanguis ſolus, ac ſeorſim à corpore vi iſtorum. *Hic eſt calix ſanguinis mei*, at vbi eſt verum corpus, à ſanguine ſeparatum, ibi eſt immolatio, vbi autem hæc interuenit, reperitur & ſacrificium: ergo in conſecratione, vis eius ac ſubſtantia vt reſideat eſt neceſſe.

Secundò, Probatur, initio naſcentis Eccleſiæ ad conſecrationem panis & vini, nihil in Miſſa addebatur præter orationem Dominicam, quæ cum haud dubiè, ad eius eſſentiam non ſpectet, vt pote quæ nihil agat, aut fieri ſignificet, quod tamen ad rationem Sacramenti eſt neceſſe, quis non videt de conſecratione ſic cenſendum eſſe, vt in ea vis tota ſit, ac ſubſtantia Miſſæ? *Qui tamen vult Miſſas, ad integrum cum animæ ſuæ lucro celebrare, vſquequo oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, & compuncto corde, ſe debet in Eccleſia continere*, Cæſar. Arelat. homil. 5. Cauſa eſt, quod tam oblatio, quam ſumptio, ad integritatem ſacrificij pertineant, ex multorum opinione probabili, celebriores ſunt Gabriel lect. 26. in canonem, Bellarm lib. de Miſſa cap. vlt. Et ſane, nemo ſe à culpa immunem crederet, ſi quæ ad ſacrificium parata ſunt ab Eccleſia, hæc ſuo loco, id eſt ante conſecrationem, Deo offerre, ſciens ac volens, negligeret, aut de hoſtia participare omitteret, cum ſine ea participatione, opinione Antiſtitum in Concil. Toleta. 12. can. 5. ſacrificium ad fructum, meritumque, illud offerenti ſit inutile, vtpote qui contra inſtitutionem Chriſti, partem ſacrificij integrantem præteriens, peccet mortaliter, quo culpæ genere, gratia impeditur in homine.

Cap. 6. Porro diebus Dominicis, & Feſtis, Miſſas ante horam nouam publice dicere, non licebat quod id Teleſphorus vetuiſſet, *Eo quod tali hora Dominus noſter aſcendiſſet in cruce*, Damaſ. in Teleſphoro, quem ſibi morem Galli quoque ſeruandum cum putaſſent, ſanxere in Aurelianenſi Concil. 3. can. 14. eo vt tempore, frequens in templum, Miſſæ cauſa, coiret populus in præcipuis anni ſolemnitatibus, non ante, eſt his verbis præſcripta ſanctio. *De Miſſarum celebritate, in præcipuis duntaxat ſolemnitatibus, id obſeruari debet, vt hora tertia Miſſarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes, ipſo officio expedito, Sacerdotes poſſint ad veſpertina officia conuenire.* Modo cuiuſque Eccleſiæ ritus, moſque eſt ſeruandus, qui vbique fere obtinuit, vt non ante horam nonam Miſſa publice die Feſto aut Dominico cantetur, can. non liceat, diſtinct. 44. can. nocte, & can. ad hoc de conſecr. diſtinct. 1. tam his autem diebus, quam profeſtis, nec publice, nec priuatim ante auroram, Diu. Thom. quæſt. 83. art. 2. Palud. in 4. diſt. 13. q. 2. art. 2.

Primò, quia hoc ſacrificium proprium eſt legis gratiæ, in qua fides, & alia Dei dona ſupernaturalia clarius fulgent.

Secundò, quia tempus nocturnum non ita eſt audiendo ſacro idoneum ac diurnum, cum enim latrociniis ſit infeſtum, pateatque aduerſantium ſibi hominum mutuis inſidiis, decuit tolli earum cauſas, ac occaſiones ab Eccleſia, & ita quò populus, paratior & à curis animique euagationibus liberior ad ſacrum veniret, ei tàm audiendo quàm dicendo, præſtituere tempus diurnum, prohibere nocturnum.

Tertio eſt hoc ſacrificium, cruenti quod in cruce, Chriſtus Dominus cauſâ noſtra Deo obtulit, commemoratio, figura, & imago. *At eſt hora nona, Chriſtus Dominus crucifixus, & ſuper Apoſtolos Spiritus ſanctus deſcendiſſe legitur.* Teleſphorus epiſtola prima, vt ergo inter ſignum, & rem ſignatam, ſimilitudo intercedat etiam in tempore, Miſſa, non alio celebrari debet quam claro, quam lucido, quam diurno.

Quartò, ſicut ſunt tenebræ imago mortis, & culpæ, ſic per eas peccati ſtatus exprimitur, vt per lucem, gratiæ, ad Romanos decimo tertio. *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, id eſt peccata, & induamur arma lucis*, id eſt demus virtuti operam, bona ſectemur opera, vt ergo Sacerdos intelligat, ſibi culpis remittendum eſſe nuntium, ſtudendum virtuti, non niſi puris, & ab omni contage, ſpurcitieque ſcelerum liberis manibus, diuina hæc myſteria tractanda eſſe, his de die vacare conceditur, in tenebris, cæcaque noctis caligine nullo modo. Notarunt tamen Rodriguez tomo primo Regularium qq. quæſt. 43. att. 1. Henriquez libro 9. cap. 23. numero quinto, ad euitandam culpam ſatis eſſe, ſi Miſſa finiatur ad auroræ initium, proindeque duabus circiter horis ante ſolis ortum, licitum cuique eſſe, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, inchoare, eo quod tempus ſacrificandi, mathematicè definiri nequeat, vt notauit Laym. de Sacram. lib. 5. tract. 5. ca. 4. num. 2.

Et quoniam, nec naturæ, nec diuina vlla lege ſed humana tantum, ac Eccleſiæ, Sacerdotes prohibentur noctu rem diuinam facere, & ante auroram vbi ſe iuſta cauſa aperiet aliqua, eo tempore, dandi illi operam, ceſſabit Eccleſiæ imperium, cuique ſine metu culpæ, tùm ſacrificare erit licitum. De harum numero cauſarum, eſt Epiſcopi diſpenſatio, vt tum fiat ſacrificium. 2. periculum ne poſtea dici poſſit religioſe ac commodè, vt in itinere, defectus hoſtiæ, ad viaticum morientis, populi concurſus frequens ituri aliquo peregrinandi cauſa, Nauar. cap. 25. numero 85. Diu. Antonin. 3. part. tit. 13. cap. 6. paragr. 4. nam tunc ex tacita Eccleſiæ, ac Pontif. Romani voluntate, tempora celebrandæ Miſſæ, eorum decretis ac lege præſtituta, anteuertere quiſque licitè poteſt ac honeſtè, quare ea mihi conſuetudo, reprehendēda non videtur, quæ in multis Galliæ prouinciis, oppidiſque viget, vt hyeme tribus horis, aut quatuor, ante ſolis ortum, Miſſa dicatur in Eccleſiis, cum enim è re communi ſit, ac publica, minutam plebem, fructu ſacrificij non carere, nec ſit ei facile alio tempore, in communionem eius venire, quod operi quiſque ſuo intentus, ac rebus, non niſi ægrè, poſtea ad religionis & pietatis officia redeat, æquum eſt vt Eccleſia de ſeueritate ſuarum legum, aliquid tam Dei cauſa, quam populi remittente, cuique, ea tacite annuente, liceat tùm ſacro intereſſe, ſicut &

post meridiem, quo elapso, etsi iure communi non sit permissum sacrificare, sicut est in regula Missalis, & in constitutione secunda, Pij 5. quæ incipit, *Sanctissimus Dominus*, tamen est id licitum ex priuilegio Pontificis Romani, aut dispensatione Episcopi, quin imo ex quacunque iusta occasione, Missa inchoari potest sine culpa vno quadrante, vel altero, post meridiem, quia res istæ morales, moraliter accipi debent, non mathematice, vt monet Layman. loco ante citato num. 4.

Digitized by Google

TRACTATVS SEPTIMVS. DE SACRAMENTO ORDINIS.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Ordo.

ORDO duodus modis ſumitur: Primò, pro actione Epiſcopi, circa Clericos, id eſt prolatione formæ, & applicatione materiæ, cuiuſque Ordinis propriæ per eundem facta ordinato, quæ actio vocatur ordinatio, ac conſecratoria miniſtri, eo quod gradus ei poteſtatis alicuius confertur ad miniſteria altaris.

Secundò accipitur pro poteſtate ſpiritali, quæ ex actione Epiſcopi in Ordinatum deriuatur, ad ritè, & reuerenter celebrandum Sacramentum corporis Chriſti, & ſanguinis.

Prima Aſſertio, *Hoc 2. modo ſumptus Ordo, certus eſt gradus in Eccleſia quem Clerici obtinent ad obeunda ſua miniſteria, quæ ex obiecto ſuo remoto, id eſt fine ad quem referuntur, ſacra ſunt ac ſupernaturalia.* Probatur

Finis, cuius cauſa inſtituuntur Clerici, eſt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, cui pro varietate Ordinis, varium hi quoque miniſterium exhibent, ſed ſacrificium ſacrum eſt, tam in modo, quam in re, quæ per illud Deo Patri offertur, ergo &c.

Gradus dicitur, quod par non ſit, eademque Clericorum omnium dignitas in Dei Eccleſia, ſed maior, aut minor, pro opera, miniſterioque, quod hi circa Sacramentorum confectionem aut diſpenſationem exhibent, proxime aut remotè, mediatè vel immediatè: Enimuero eſt Ordo latè ac fuſe ſumptus, idem ac *diſpoſitio parium diſpariumque rerum ſua cuique loca diſtribuens*, Aug. l. 19. de ciu. cap. 13. aut *diſpoſitio Superiorum, inferiorumque*

A *parium quæ apta ſunt inter ſe referri*, Archidiac. in can. decreuimus 1. quæſt. 1. Grafius deciſ. parte 2. lib. 2. cap. 9. num. 1. quæ diſpoſitio cum inter Clericos locum habeat, nam dignitate reliquis præſtat Epiſcopus, quem proxime poteſtate conſequuntur Presbyteri, inde Diaconi, poſtmodum Subdiaconi, eſt ab eo ordine nomen Clericorum ſtatui inditum.

Secunda Aſſertio, *Ordo priori modo vſurpatus eſt ſacra quædam ceremonia, qua alicui peculiaris poteſtas traditur, fixa tamen atque perpetua, ad miniſterium Euchariſtiæ peragendum.* Dicitur (ſacra ceremonia) quia cum Ordo ſit Sacramentum, debet eſſe viſibilis, quod habet in quantum eſt cæremonia. Secundo cætera Sacramenta ſunt eiuſmodi cæremoniæ religioſæ & ſacræ, ergo & Ordo.

B Additur dari per eam cæremoniam poteſtatem ad altaris miniſterium, quod clarum eſt ex proprio cuiuſque initiati officio, Diaconus enim & Subdiaconus, Sacerdoti ſacrificium offerenti inſeruiunt, ſicut & cæteri minoribus inſtituti; Ceroferarius quidem cereos ferendo & ampullas, Lector audientium animos lectione excitando ad pietatem, Oſtiarius admittendo dignos tantum ad ſacrificium, & ita de reliquis, ſicque veriſſime dicitur quolibet ordine peculiarem dari poteſtatem homini ad ſacrificium Euchariſtiæ, reuerenter ac digne tractandum, eſtq; hæc poteſtas permanens, nec ab ordinato tollenda, quia cum ſequatur cha-
C racterem, tandiu duratura creditur, quandiu ille, proindeque ſemper.

Ex dictis elici poteſt hæc Ordinis definitio, eſt cæremonia ſenſibilis qua Eccleſiaſtici miniſterij poteſtas ſignificatur & datur, vt rite Sacramentum corporis Chriſti celebrari valeat.

Eſt *cæremonia eaque ſenſibilis*, quia expedit poteſtatem Eccleſiæ, per quam cuipiam facultas datur adminiſtrandi aliis diuina, notam eſſe, id verò eſſe nequit, niſi hæc ſub ſigno aliquo, eoque ſenſibili detur, cuiuſmodi eſt verbum aut factũ. Ob eam

cauſam definitur Ordo à Magiſtro in 4. diſtinct. A 24. *Signaculum in quo ſpiritualis poteſtas ordinato tribuitur.*

Tali vero cæremonia, ſignificatur, & confertur poteſtas, quæ per eam tribuitur ordinato in Chriſti corpus reale, ac myſticum, quæ cæremonia quia eſt practica, habet Ordinatus quod in gradu quodam & ordine certo dignitatis Eccleſiaſticæ conſtitutus, peculiare circa Euchariſtiam miniſterium obeat. Additum eſt *reuerenter & rite*, quia poteſtas illa Dei ordinatione finem hunc potiſſimum habet, vt myſterium Euchariſtiæ quo nil eſt auguſtius, peragatur in Eccleſia cum debito cultu & reuerentia.

QVÆSTIO II.

An ſit diſtinctio Miniſtrorum & Ordinum in Dei Eccleſia.

ESſe eiuſmodi aliquam Romana credit Eccleſia, hæreticis contra pugnantibus, qui authore Luthero de angulari Miſſa, parte 1. ſtultè exiſtimant Chriſtianos omnes ex æquo Sacerdotes eſſe, cum quibus ſentire Wiclefum, tomo 2. de Sacram. cap. 2. ſcripſit Valdenſis.

Errare ambos certiſſimus eſt fidei articulus: primò enim Paulo teſte ad Epheſ. 4. *Quoſdam Deus dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: Et ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, habentes donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis differentes, ſiue prophetiam, ſecundùm rationem fidei, ſiue miniſterium, in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina*, ad Rom. 12. epiſt. autem 1. ad Timoth. cap. 3. mentionem facit Apoſtolus Epiſcoporum & Diaconorum: cap. autem 4. meminit impoſitionis manuum presbyterij.

Paria cum Apoſtolo ſenſere Patres. Eſt hoc Ignatij ad Antiochenos celebre teſtimonium, ep. 11. *Saluto ſanctum Presbyterorum Collegium, ſaluto ſacros Diaconos, &c.* paulò poſt. *Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores.* Tertul. autem lib. de præſcript. aduerſus hæreticos cap. 41. ait, *nuſquam facilius profici, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe, illic promereri eſt, itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus, nam laicis Sacerdotalia munera iniungunt.*

Chryſoſt. ſenſus idem hom. 10. ad populum, & lib. 3. de ſacerdotio: Gregorij item epiſtola 52. libri 5. atque adeo Eccleſiæ vniuerſæ, Orientalis quidem in Concil. Antioch. can. 10. his verbis: *Chorepiſcopi ordinent Lectores, Subdiaconos, atque Exorciſtas*: Occidentalis in Synodo Romana ſub Sylu. can. 7. *Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorciſta, Exorciſtæ Lector, Lectori Oſtiarius in omni loco repræſentet obſequium, ſiue in publico, ſiue in gremio Eccleſiæ. Laici*, inquit Ignat. ad Smyrn. ep. 10. *ſubiiciuntur Diaconis, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſcopo, Epiſcopus Chriſto, vt ipſe Patri*: & ad Tarſenſ. ep. 7. *Presbyteri ſubiecti eſtote Epiſcopo, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris & Diaconis, qui hunc Ordinis decorem ſeruauerint pro eorum animabus, ego libens meam commutauero, & Dominus ſit cum eis perpetuò.* Nouiſſimè autem, id eſt, Patrum memoria, dictum eſt Tridenti anathema in aduerſarios, obſtinatè diuerſitatem hanc graduum Eccleſiæ oppugnantes, ſic enim ſeſſ. 23. can. 2. *Si quis non eſſe in nouo Teſtamento ſacerdotium viſibile, aut prater ſacerdotium non eſſe in Eccleſia alios Ordines, maiores & minores, per quos velut per gradus in Sacerdotium tendatur, anathema ſit.*

Epiſcoporum ſanè & Presbyterorum meminit B Clem. in epiſt. 1. ad Iacob. fratrem Domini in 2. Diaconorum, quos Epiſcopi *oculos* nominat, Anacletus primus epiſt. 3. *Sacerdotum*, inquit, *gradus bipertitus eſt & ſicut Dominus conſtituit, à nullo debet perturbari*, Ignat. epiſt. ad Antioch. 8. Diaconos ſalutat poſt Presbyteros, tam horum quam duorum priorum meminere Orig. hom. 2. ſuper numeros Hieron. in cap. 7. Michææ Concil. Nicæn. can. 14. Chalced. can. 6.

Diuerſitatem hanc confirmat, probatque ratio duplex. Prima à communi tam conſenſu ſæculorum omnium, quam Eccleſiæ petitur, quæ in Trid. ſeſſ. 23. can. 6. ſancite definit, in ea eſſe. *Hierarchiam, diuina ordinatione inſtitutam*, at conſtat hæc C eiuſdem concilij decreto, *Epiſcopis, Presbyteris & miniſtris*. Ergo qui in ea ſunt Laici, Presbyteri nõ ſunt, Laici enim communis populus dictus eſt, nam λαὸς idem eſt apud Græcos, quod apud Latinos populus, vt linguæ Græcæ periti ſcribunt, vnde Tertull. in exhortat. ad caſtitat. *Differentiam*, inquit, *inter Ordinem*, hoc eſt Clerum, *& plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo*, Sanctificatum ait à Deo honorem per ordinis conſeſſum tributum, quod in ordine Eccleſiaſtico, eſſet ſecundum diuerſos gradus officiorum diſtinctio, & honoris prærogatiua.

Secunda ratio, Si miniſtrorum Eccleſiæ, diuerſa D ſunt munera, officia diſparia, qui Diaconus eſt, aut Lector, hic non eſt Epiſcopus, aut Presbyter, multo minus eo nomine appellari Laicus potent, at verum eſt prius ex Iſidoro Hiſpalenſi epiſtol. ad Laudifredum quæ refertur diſt. 25. can. 1. Eſt ergo in Eccleſia miniſtrorum admittenda diuerſitas, qui non ſint iidem ac Laici.

Eorum ſpecies enumerantur diſt. 21. can. 1. diſtinct. 72. can. Clericum 11. quæſt. 1. can. de perſona §. finali nouella 123. §. Presbyteri cap. ſtatuimus de maioritate & obedientia in Conc. Laodiceno can. 24. Concil. Carthaginenſi 4. can. §. 6. 7. 8. 9. 10.

Quæ ab hæreticis opponuntur intellectum fa- E cilem habent, nam quod aſſerunt, ex Paulo ad Galathas 3. non eſſe diſtinctionem Græci, aut Iudæi, apud Deum, id de fide ac religione debet intelligi, *Vnus enim eſt Deus, Vna fides, Vnum Bapt. &c.* non autem de vitæ æternæ merito, bonorum operum præmio, gradibus, ac miniſteriis, in quibus magna eſt in Eccleſiaſtico ordine, ſecundum diuerſos gradus officiorum diuerſitas.

Similiter quod aiunt à D. Petro primæ ſuæ canonicæ cap. 2. Chriſtianos vocari *Sacerdotes, Gentem ſanctam, regale Sacerdotium*, id non eſt intelligendũ niſi metaphoricè, ac impropriè, quo modo qui legem ſibi, moribuſque animi minus compoſitis, di-

cunt, Reges à claſſicis appellantur, Rex enim eſt (Seneca teſte) *qui metuit nihil, quem non ambitio impotens vulgi præcipit, monet*: ſic & Sacerdotes Chriſtiani audiunt, à ſpiritalibus hoſtiis quas Deo tam ſuo, quàm amicorum nomine offerunt, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Sacrificabo tibi hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.*

QVÆSTIO III.

An Ordo ſit Sacramentum, & quotuplex.

PRima Aſſertio. *Ordo vt idem valet ac Ordinatio, per quam Ordinis poteſtas confertur, Sacramentum eſt* Trid. ſeſſ. 23. can. 3. & probatur. Ordo ſacer eſt ritus ex inſtitutione Dei, habens annexam gratiam, nam ſemper fuit in Eccleſia collatus per impoſitionem manuum, 2. ad Timoth. 1. & 1. ad eundem 4. à qua cæremonia appellatur à Chryſoſt. hom. 10. in 1. ad Timoth. χειροτονία; per quam dari Spiritus ſanctus dicitur, act. 14. Et in Trid. ſeſſ. 23. can. 4. 3. ad Timoth. 1. eſtque talis impoſitio viſibilis, ergo Sacramentalis.

Confirmatur, quia vbi eſt ritus externus à Chriſto inſtitutus, cum promiſſione gratiæ, ibi eſt Sacramẽtum: ſed Ordo eſt eiuſmodi. Et primò, quòd Ordo hic originem à Deo habeat, docent Patres, Cypr. tract. de Cœna, Ambr. & Leo, probantque rationes quæ ſequuntur. Prima, quòd Chriſtus Sacramentorum omnium author ſit. Secũda, quòd hic ritus ab Apoſtolis vſurpatus fuerit, actor. 14. & 13. *Tunc orantes, & imponentes manus*, à quo ritu abſtinuiſſent haud dubiè, niſi eius frequentandi imperium, modumque accepiſſent à Chriſto. Deinde quis exiſtimet Apoſtolum ea prudẽtiâ hominem, dicturum fuiſſe per eum ritũ conferri gratiam, & quidem ſanctificantem, niſi de ea, Chriſti inſtitutionẽm, & promiſſionem nouiſſet? eius enim producendæ in animo ſolus hic author. Dari hanc autem, per iſtiuſmodi ritum mortalibus, docent D. Dion. de Eccl. Hierar. cap. 5. Greg Nyſſen. in orat. de ſacro Bapt. Ambr. de dignit. Sacerd. cap. 5. *Quis dat Epiſcopalem gratiam Deus, an homo? Reſpondes, ſine dubio Deus, ſed per hominem dat Deus, homo imponit manus, Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dexterã, Epiſcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem*: eodem pertinent quæ dicuntur à Paulo, 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Sacerdotij*, 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*, actor. 14. *cum conſtituiſſent eos Presbyteros* (Græcè habetur) *κατ' ἐκκλησίαν χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους*, id eſt, *cùm per manuum impoſitionem creauiſſent Epiſcopos.*

De ſecundo, quod fuit in quæſtione poſitum, duæ ſunt ſententiæ. Prima Canoniſtarum, in cap. cùm contingat, de ætate Ordinandorum. Abbatis in cap. tranſmiſſam, num. 3. de elect. Rotæ deciſ. 731. parte q. Piacenſij in praxi Epiſcopali, cap. 2. art. 1. nouem eſſe Ordines, nam ad eos qui communiter ſunt recepti à Theologis ſepteni numero, Tonſuram, & Epiſcopatum addunt, vt gradus à reliquis eſſentialiter diſtinctos: ita Canoniſtæ in cap. cùm contingat de ætate & qualitate.

Secunda contraria reliquorum, vt D. Thom. q. 37. ſupplementi, art. 2. Alenſis 4. parte q. 79. membro 8. explicabitur ſequentibus Aſſertionibus.

Prima Aſſertio. *Tonſura non eſt Ordo.*

Probatur. Eſt Ordo ritus religioſus ac ſacer, promiſſionem gratiæ adnexam habens, in quo traditur poteſtas ac officium peculiare, quod referatur ad Euchariſtiæ celebrationem: at Tonſura non eſt talis, cùm tonſuratus nullum officium exerceat circa miniſterium altaris, quod ſimiliter laicus non poſſit, nec vſpiam ſit in Scriptura gratiæ dandæ per Tonſuram mentio.

Confirmatur. Nemo promouendus eſt ad Ordines, ex Trident. ſeſſ. 23. cap. 2. niſi qui Tonſura prima eſt initiatus, ergo ab eorum excludenda eſt numero.

Secundò, Tonſura dari poteſt quolibet die totius anni, eiuſque anni tempore quolibet, proindeque tam ante prandium, quàm poſt, vt docent Antonin. & Hoſtien. in cap. conſultationi, extra de temporibus Ordinationum. Armilla verbo Ordo num. 7. At minores Ordines non conferuntur niſi diebus feſtis, vel certè in quatuor anni temporibus, ſabbatho Paſchæ, ac mediæ Quadrageſimæ, extra de temporibus Ordinationum, cap. de eo: non eſt ergo Tonſura in Ordinibus Eccleſiæ collocanda.

Dices. At Tonſura ab Innoc. appellatur Ordo, cap. cũ contingat extra de ætate & qualitate præficiendorum: Omnino, ſeu nego in eo canone nomen Ordinis ſumi propriè, & vt ſignificat ritum ſacrum, quo tradatur peculiaris poteſtas ad exercendum aliquod miniſterium circa Euchariſt. Valet ergo ibi nomen Ordinis, idem ac diſpoſitio, ſeu præparatio ad Ordines, ratione cuius, is qui Tonſura eſt notatus, in Dei cultum ſtudioſiùs ac acriùs incumbere debet, quàm laicus, quo ſenſu viduæ, Monachi, virgines ſuum ac peculiarem Ordinem dicuntur facere, & ordo Decurionum, ciuitatiſque, collegium Decurionum ſignificat, lege 15. D. ad municip. & lege 16. parag. 1. digeſt. de alimentis.

Secunda aſſertio. *Septem ſunt Ordines, tres ſacri, ſeu maiores, quatuor non ſacri, ſeu minores.* Eſt de fide, ita in Trid. ſeſſ. 23. definitum habes can. & cap. 2.

Dicuntur tres primi ſacri eſſe, quia habent annexum votum continentiæ, vi cuius ita hominem Deo conſecrant & Eccleſiæ, vt amplius viuere ſæculo per matrimonium, officiaque laica, depoſito ſtatu Clericali nequeat, quod in non ſacris vſu non venit, cùm his initiati ſine iactura Ordinis priuilegium Clericale amittant ſi viduam in vxorem duxerint: Horum autem Ordinum meminere Patres & Concilia, Romanum ſub Sylueſtro, can. 3. Carthagin. 4. can. 3. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. Carthag. 4. can. 5. 6. & ſeq. Laodicenum can. 24. Cornel. in epiſt. ad Fabianum Antiochenum apud Euſeb. lib. 6. cap. 35. Cyp. lib. 2. epiſt 8. & 10.

Obiicies. Inſtructi minoribus Ordinibus Sacramenta non conferunt, non ſunt ergo hi Ordines Sacramenta, ſed Sacramentalia. Neganda eſt Conſequentia: ad hoc enim vt Acolytatus, & cæteri Minores omnes, verè ſint tales, non eſt neceſſe vt aliqua Sacramenta conficiant, aut conferant, ſed ſufficit ſi in iis miniſtrandis ex officio operam collocent, quod hîc accidit, cùm conſtet his initiatos Epiſcopo aſſtare, eique ſacraficanti, aut ordinanti operam ſuam deferre, Exorciſtam, Lectorem & Acolytum.

Obiicies 2. ab Ignatio reliquis Ordinibus eum addi, qui Laborantium dicitur, vt epiſt. ad Antio-

chenos 2. expreſſè habet.

Reſpondendum, nomen Ordinis interdum idem valere as ſtatum, ſeu conditionem vitæ, in Dei Eccleſia, quæ acceptio haud dubiè eſt impropria, alienaque ab inſtituto, nec proinde eſt mirandum, ſi in eo ſenſu dixerit Ignatius, plures eſſe Ordines quam ſeptem; erant autem Laborantes, viri quidam excellenti virtute præditi, qui curandis defunctorum corporibus vacabant, quos non ordines, ſed officia fuiſſe Eccleſiaſtica, docet Baron. ad annum Chriſti 44.

Obiicies 3. in cap. cum contingat de ætate & qualitate ordinationum prima Tonſura dicitur eſſe Ordo can. cleros diſtinct. 21. can. autem perlectis diſtinct. 25. Pſalmiſtatus recenſetur inter Ordines, ſimiliter à Carthagin. 4. can. 10. & ab Ignat. in epiſt. 11. ad Antioch. Ordines ergo ſunt plures quam ſeptem.

Reſpondendum primo, Tonſuram non eſſe Ordinem, cum per eam Clericus gradum in Eccleſia non habeat vi cuius ei ſpiritalis aliqua functio debeatur in ordine ad ſacrificium.

Reſpondend. 2. prædictos ordines intelligendos eſſe de ordine impropriè ſumpto, id eſt prout ſignificat omnem gradum, & dignitatem Eccleſiaſticam, qua à Laicis, aut ab aliis clericis diſtinguimur: non autem eam, qua alicui functioni mancipamur, ordinatæ ad Sacramentum Euchariſtiæ, ita eſſe patet ex eodem canone, in quo Primicerius, Archidiaconus & Theſaurarius aggregãtur Exorciſtis, Lectoribus, & aliis peræquè ac Pſalmiſta. A Syluester ibidem qu. 2. Couarr. 1. variarum cap. 10. num. 9.

Primò, quia quilibet eorum ordinum characterẽ imprimit, teſte Zonara in can. 2. Conc. Chalcedon. patetque ex eo quod iterari Eccleſiæ lege, ac Dei, nec poſſit, nec debeat, donum etiam gratiæ tribuit quia per eorum quemlibet, homo deſtinatur, ad miniſteria Euchariſtica, diuina illa quidem, ſed ardua, ad quæ obeunda, ritè, ac vt eſt neceſſe, non eſt improbabile, Deum largiri de cœlo copioſa gratiæ ſuæ munera, quæ Zonaras loco citato comprehendit nomine Spiritus ſancti, quem dari ait collatione cuiuſque Ordinis, ſed qui ritus characterem imprimit ex inſtitutione Chriſti, & gratiam communicat, Sacramentum eſt, hoc ergo nomine appellari Ordo omnis poteſt, B *εἰ δὲ γὰρ χειροτονοῦνται οἱ ὑποδιάκονοι, καὶ ψαλτῳδοί, καὶ διάκονοι, καὶ ἀρχιδιάκονοι, εἰ δὲ ἐξορκίζοντες, καὶ τῶν δὲ χειροτονίας τύπους ἀναγινώσκουσι καὶ οἱ τύποις ὅμοιοι* : Zonaras in can. 2. Concil. Chalced. quæ Latine reddita ſic ſonant. *In hoc numero Epiſcopi, Diaconi, Subdiaconi, ordinantur. nonnulli vt Lectores, & alij huiuſmodi, quod ipſum non ſine manus impoſitione contingit, ſignantur.*

Confir. Diacono dicitur cum ordinatur, *Accipe Spiritum ſanctum*, eius ordinatio fit per impoſitionem manuum, nec inſtituitur tantum ad ſubſidium pauperum, ſed multò maxime ad altaris miniſterium, ad collationem Bapt. cum abeſt Parochus, aliaque peculiaria miniſteria circa Euchariſt. pro quibus obeundis, vt oportet, neceſſe eſt dari gratiam, de quâ fit in Conc. Chalced. mentio can. 2. & in Bracc. 2. can. 3. ſi non expreſſe, virtute ſaltem ac tacitè, cum prohibent pecuniam pro ordinatione accipi, quod qui facit (inquit ibi Zonar.) *Spiritus ſancti gratiam, cuius infinita præſtantia longo interuallo cuiuſlibet pretij magnitudinem ſuperat, venalem habet*, Ergo cum qui ritus producit gratiam ſit Sacramentum, ſitque hic effectus Ordinum omnium proprius, omnibus & ſingulis, Sacramenti nomen reſque vt conueniat, eſt neceſſe. Quod autem (vt dicitur) Ordines etiam non ſacri, gratiæ donum adiunctum habeant, vt cauſæ, effectum ſuum, indicat Conc. his verbis, *Si quis propter pecunias ordinauerit Epiſcopum, &c. vel aliquem eorum qui in clero annumerantur de proprio gradu in periculum veniat, hoc eſt eo moueatur ac deponatur*, Secundum interpretationem Zonaræ.

Contraria opinio eſt Durand. in 4. diſt. 24. q. 2. Anglez de Ordine difficult. 3. concl. 3. Sanch. lib 7. de matrim. diſp. 31. n. 17. Nauar. cap. 22. num. 18. qui omnes Subdiaconatum & minores Sacramentalia eſſe aiunt, non Sacramenta.

Obiicies ſi ſeptem Ordines ſeorſim conſiderati ſunt Sacramenta, erunt plura quam ſeptem, quod eſt contra fidem.

Maior eſt neganda, quia ita illi ordines ſunt Sacramenta, vt vnum tantum totale, & integrum perficiant, vnitate tam proximi generis, quia vnum ſunt Sacramentum ordinationis, quam vnitate Ordinis, quatenus referuntur ad eundem finem principalem, qui eſt conficere corpus Chriſti, ita duæ ſpecies panis & vini vnitate finis, & ſigni, vnum tantum componunt Sacramentum, quod in ratione nutritionis ſpiritalis, perfectum eſſe nequit niſi in vtraque ſpecie.

Dici quoque poteſt prædictos Ordines vnum eſſe Sacramentum perfectione, quia referuntur ad Euchariſtiam, aut complemento, propter reſpectum quem dicunt ad Sacerdotium.

QVÆSTIO IV.

An quilibet Ordo ſit Sacramentum.

SEnſus eſt an cæremoniæ quibus Eccleſia vtitur cum ordinantur Presbyter, Diaconus & alij Eccleſiæ miniſtri, veram rationem Sacramenti habeant: ſiue an per eas tanquam cauſas inſtrumentales ex inſtitutione diuina conferatur gratia.

Prima Aſſertio, *Sacerdotium, ideſt ritus ille quo ordinantur Sacerdotes, Sacramentum eſt.*

Probatur 1. authoritate Patrum, Ambroſ. lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. vbi hæc habet homo manus imponit, & Deus largitur gratiam, Auguſt. 2. contra Parmenianum cap. 13. *vtrumque*, inquit, *Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque hominis datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur.*

Secundo Probatur Aſſertio, fide Conciliorum, Trident. ſeſſ. 23. can. 3. & Florentini in decreto vnionis vbi ſtatuitur ſeptem Sacramenta eſſe, in iiſque ordinem recenſendum eſſe, ex quibus verbis ſic argumentari licet. Aut loquuntur, his verbis Concilia, de omnibus ordinibus, aut de aliquibus, aut de vno tantum, ſi primum, erit Sacerdotalis ordinatio Sacramentum, cum propoſitio ſit vniuerſalis, Ordineſque omnes complectens, ſi ſecundum & tertium: ſimiliter, cum Sacerdotium cæteris ordinibus præſtet, vtpote quod ad Dominici corporis & ſanguinis conſecrationem referatur ac tendat, quo nihil eſſe poteſt auguſtius.

Secunda Aſſertio, *Quilibet Ordo tam qui ſacer eſt, quam qui non, verum eſt Sacramentum.* Diu. Thom. in ſupplemento 3. partis q. 37. art. 3. contra Gentiles cap. 75. Petrus Soto in inſtitut. Sacerd. cap. de oratione, Angelus verbo Ordo 1. q. 2. & q. 14.

QVÆSTIO V.

An Epiſcopatus nouus ſit Ordo diſtinctus à cæteris.

PRima Aſſertio. *Si Ordo ſumatur pro dignitate Eccleſiaſtica*, vt vſurpatur de ætate & qualitate Ordina. & can. Cleros diſt. 21. & can. perlectis 1. diſt. 25. *Epiſcopatus Ordo nouus eſt diſtinctus à reliquis.*

Eſt de fide in Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 7. vbi dicitur anathema, neganti Epiſcopum ſuperiorem eſſe Presbyteris, quo ſenſu dixit Anaclet. Sacerdotum Ordinem bipartitum eſſe. Optatus autem aduerſus Parmenam, lib. 1. Sacerdotum alios eſſe primos, ac ſummos, alios inferiores, *& in ſecundo Sacerdotio conſtitutos.*

Secundò, quia Epiſcopus ex vi ſuæ Ordinationis habet omnem poteſtatem Ordinis, quam Sacerdos, & præterea auctoritatem conferendi tam Ordines, quàm ſacramentum Confirmationis. Eſt ergo Presbytero ſuperior Epiſcopus, & hoc modo intelligendus eſt can. primus, diſt. 32. vbi dicuntur eſſe quatuor maiores Ordines: & Auguſt. epiſtola 19. vbi hæc habet, quamuis ſecundùm honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit, in multis tamen Auguſtinus Hieronymo minor eſt.

Secunda Aſſertio. *Si Ordo ſumatur pro ſacramento Ordinis diſtincto à cæteris, Epiſcopatus non eſt nouum Sacramentum.*

Primò, quia eſt de fide, non eſſe niſi ſeptem tam Sacramenta, quàm Ordines: at eſſent octo, ſi Epiſcopatus, in ratione Sacramenti, & Ordinis, eſſet diſtinctus à reliquis: non eſt ergo Epiſcopatus Ordo diſtinctus à Presbyteratu, ſed eum tantùm in eſſe Sacramenti, habitudine morali magis perficit, & conſummat.

Confirm. Epiſcopatus non imprimit characterem diſtinctum à charactere Sacerdotij, ſed eum duntaxat extendit, & extendendo intrinſecè perficit, & auget, in quantum efficit vt Epiſcopus non tantùm ſacram Euchariſtiam conficere, ſed etiam ad eam conficiendam alios ordinare poſſit, vt habet Henriq. lib. 10. cap. 7. ergo non eſt Sacramentum à Sacerdotio diſtinctum.

Secundò, Ordinatio Epiſcopi eſt inualida, ſi fiat ante Presbyterium. Sylu. verbo Ordo 2. ſed huius rei cauſa non videtur alia, quàm quòd Epiſcopatus non ſit Sacramentum diſtinctum à Sacerdotio, ſed tantùm extenſio characteris Sacerdotalis: extendi autem non poſſit quod non eſt. Probatur: Nam ſi Diaconus quis ordinetur ante Subdiaconatum acceptũ, vel Sacerdos fiat, antequam inſigniatur aliis Ordinibus, valebit eius Ordinatio: & hoc quia Sacerdotium Sacramentum eſt diſtinctum à Diaconatu, & aliis: ergo quòd Epiſcopatus quoad Ordinationẽ validè conferri nequeat, ante Presbyterium, ſignum eſt Sacramentum ab eo non eſſe diuerſum.

Tertiò, eſt ſacra Ordinatio Sacramentum, vt Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. probat, ex verbis Apoſt. 1. ad Timot. 4. & 2. ad Timoth. 1. ſed iis locis ſermo eſt de Epiſcopatu, nam Timoth. ordinatus à Paulo fuerat Epiſcopus: eſt ergo Epiſcopatus verè & propriè Sacramentum.

Confirmatur. Ordinum diuerſitas petitur à diuerſitate miniſteriorum quæ Ordinati exhibent in ordine ad ſacrificium: at quantum ad illud, miniſterium Epiſcopi & Sacerdotis eſt idem, vt patet.

Obiicies. Ritus quo conſecratur Epiſcopus, conſtituit eum ex vi Ordinis ſui hierarcham, & ſummum Sacerdotem, & confertei nouam poteſtatem ad actus ſacramentales, & ſacros, Confirmationis & Ordinis, quas ad res vtpote difficiles & arduas, opus eſt gratia ſanctificante, & auxiliis ſupernaturalibus: ergo & Sacramento, quo dentur: eſt ergo Epiſcopatus Sacramentum à Presbyteratu diſtinctum.

Neganda eſt Conſequentia, nam vt rectè notauit Reginaldus, tom. 2. lib. 3. c. primo. *In Ordinatione Sacerdotis ad gratiam & poteſtatem conficiendi corpus Chriſti, aduenit alia quæ dicitur poteſtas ſuper Chriſti corpus myſticum, & eſt facultas adminiſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ, pro qua tamen conferenda non datur Sacramentum ſpeciale à reliquis diſtinctum, ſed ſuffiuit primum characterem per ſecundum magis perfici, & extendi per poſteriorem collationem* ita à pari ſatis erit per Ordinationem Epiſcopi, etſi non diuerſam eſſentialiter ab Ordinatione presbyteri, extendi characterem Sacerdotij ei primò collatum, ad actus iſtos ſacramentales confirmandi & ordinandi, de quibus facta eſt in obiectione mentio, & ſic Epiſcopo per vnum & eundem characterem, dantur poteſtates tres. Prima, conficiendi corpus Chriſti. Secunda, abſoluendi. Tertia, ordinandi, quæ duæ primam illam perficiunt, quam tanquam Sacerdos habuit, in ſua Ordinatione, vi characteris ſibi impreſſi, & perfectioris redditi acceſſione harum duarum poteſtatum.

Obiicies. Epiſcopatus eſt perfectior Presbyterio: ergo Sacramentum diſtinctum à Presbyteratu.

Neganda eſt Conſequentia, ideo enim Epiſcopatus ſecundùm diuinam inſtitutionem eſt excellentior, quia continet id totum quod eſt in Presbyteratu, & aliquid amplius, nempe auctoritatem ordinandi Miniſtros, & confirmandi Chriſtianos.

QVÆSTIO VI.

De neceſſariis in hoc Sacramento tam ex parte materiæ, quàm formæ.

QVia id noſſe eſt difficile, niſi cognito quæ cuiuſque Sacramenti ſit propria materia, ea nobis eſt initio explicanda. Eſt hæc autem vt Sacramentorum aliorum, duplex, remota, & proxima: & de illa ſit

Prima Aſſertio. *Materia remota Ordinis Sacerdotij ſunt panis & vinum cum patena & calice.* Ita canon præterea, diſt. 23. can. generaliter 16. q. 1. & Florentinum expreſsè.

Secunda Aſſertio. *Materia proxima, eaque Ordinis eſſentialis, eſt traditio, & porrectio inſtrumentorum, quæ ad propriam vniuſcuiuſque Ordinis functionem ſpectant.* D. Thom. in 4. diſt. 24. & in ſupplemento, q. 34. artic. 5. Nauar. Enchir. 22. num. 17. Florentin. in vnione, his verbis. *Materia Ordinis eſt illud, per cuius traditionem conferitur Ordo*: ſed Presbyteratus traditur porrectione calicis cum vino, & patenæ cum pane, quibus velut inſtrumentis, Sacerdos in ſacrificio vtitur. Enimuerò, ſi fides eſt Pontificali, character imprimitur, cùm propria cuiuſque Ordinis inſtrumenta traduntur, cuiuſmodi eſſe hæc duo nemo non intelligit.

Hæc autem verba quæ tum proferuntur, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*, pars ſunt formæ. quia per hæc, ordinatis vera poteſtas confertur, conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti Domini, vt patet ex eo, quod immediatè poſt, vnâ cum Epiſcopo ambas materias conſecrant.

Tertia Aſſertio, *Pertinet quoque ad eſſentiam ordinis Sacerdotalis manuum impoſitio*, habetur in can. Presbyter. diſt. 23. & cap. finali de Sacramentis non iterandis docentq; D. Tho. in 4. diſtinct. 24. q. 1. art. 1. Palud. eadem diſt. q. 26. art. 4. Bellar. tomo 2. controuerſ. lib. de Sacram. Ordinis cap. 9. Reginald. tomo 2. lib. 30. tract. 3. c. 2. Coninch. de Sacram. diſp. 20. dub. 7. nu. 60. Vaſq. in 3. par. to. 3. diſp. 239. cap. 3. Henriq. lib. 1. ca. 6. & c. 11. n. 6.

Probatur 1. quia eius impoſitionis peculiaris fit mentio vt cæremoniæ inſtitutæ ad productionem gratiæ, 1. ad Timoth. 4. & 5. 2. ad Timoth. 1. Actuum 6. 13. 14. in Nicæno can. 9. Antiocheno can. 10. Carth. 4. can. 3. ibi enim expreſſe dicitur Presbyterum ordinari, *Epiſcopo eum benedicente & manus ſuper eum imponente*, quam in ſententiam hæc habet Ambroſ. de dignit. Sacerd. cap. 5. *Homo manum imponit, Deus largitur gratiam*, ſane Saulem à Samuele ſic vnctum eſſe conſtat, vt cor ei aliud Deus inſeuerit, *Nos autem ſacrorum ordinum*, inquit Gregorius primus lib. 4. in cap. 10. primi Regum, *Sacramenta, ab Eccleſiæ Doctoribus foris accipimus ſed Sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur, virtus vero Sacramenti gratia eſt Spiritus ſeptiformis*. Quam D. Thom. in 4. diſtinct. 25. qu. 1. per manuum impoſitionem vult conferri diſtinctam ab ea, quæ datur verbis & materia prioribus, quod indicat verbum *Spiritus ſancti*, qui nunquam ex probabili & certa doctorum ſententia datur ſine gratia.

Quid? quod Paulus aſſerit gratiam Timotheo datam per impoſitionem manuum? vbi particula (per) haud dubiè denotat vim & rationem cauſæ efficientis ſeu inſtrumentalis ad eam producēdam, nam quis credat eius memoriam futuram tam frequentem & crebram in ſacris paginis ſi tantum accidentalis Sacramento foret? vt ſcripſere Sotus in 4. diſt. 24. 24. q. 1. art. 4. concl. 5. Valent. tomo 4. diſput. 9. qu. 1. p. 5. Sane partem eſſe materiæ ordinationis Presbyteri, vt pote, quæ ordinationibus duabus partialibus perficitur, & totidem formis communis eſt opinio, & prioris quidem ordinationis materia, eſt traditio calicis cum vino vt diximus, & patenæ cum pane: Forma vero, accipe poteſtatem offerendi ſacrificium. Poſterioris ordinationis materia eſt impoſitio manuum facta ab Epiſcopo, forma autē. *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata*, quibus verbis ſignificari tam gratiam Sacramentalē, quam poteſtatem ſuper corpus Chriſti myſticum, planū eſt ex Tri. ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum ſanctum anathema ſit*. Quid eſt enim non fruſtra ea verba dici? niſi eſſe efficacia ad collationem gratiæ quam ſignificant.

An autem duplex character per partiales formas qui in vnum coeat imprimatur, non conſtat.

Affirmantem tenet Scotus negantem, D. Tho. ſupra q. 17. art. 1. & 2. quam qui defendet dicet haud dubiè, characterem, qui eſt à Sacerdote receptus, per porrectionem calicis & panis, ad conficiēdum corpus & ſanguinē Chriſti, poſtea extendi ad remittenda peccata, quæ poteſtas Sacerdoti datur per impoſitionem manuum, cum his verbis quæ Epiſcopus pronunciat. *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris &c.*

Tertia Aſſertio, *Ad eſſentiam ordinationis Diaconi duæ autem partiales materiæ ſunt neceſſariæ, totidemque formæ*. Prima & remota, eſt liber Euangeliorum, proxima, eiuſdem traditio cum impoſitione manuum Epiſcopalium, & verbis quæ tum proferuntur, *Accipe poteſtatem legendi Euangelij pro vivis & defunctis*, vt dicitur can. Diaconus 23. diſt. 23. & in Carthag. 4. c. 4. & 5. docentque Coninch. diſp. 5. dub. 7. Conc. 3. Henriq. l. 10. c. 8. n. 2. de Sacram. Ordin. lib. 1. cap. 9.

Cauſa eſt, quod propriè exprimi alio actu nequeat Diaconi poteſtas & ordinatio, nec enim id fit datione calicis cum vino, quia hæc eſt propria materia Sacerdotij, nec datione calicis vacui, quia in ordinatione Subdiaconi eidem tribuitur vt quidpiam ad eam intrinſecè neceſſarium. Nec id denique ſola manus impoſitione fieri fuit conſentaneū, ac vtile, tanquam per adæquatam ſuam materiam, cum per eam non ſignificetur quantum eſt ſatis, Diaconorum officium, ei ergo prudentiſſime adiuncta eſt libri Euangelici traditio, qui cum adhuc nullus extaret primis Eccleſiæ naſcentis temporibus, probabile eſt, ſeptem Diaconos primos ex diſpēſatione ſola manuum impoſitione ordinatos fuiſſe, quam ordinationi Diaconorum eſſentialem eſſe, communis eſt opinio fundata in verbis, Concil. Carthag. 4. can. 4. *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput eius ponat*. Secundo ex forma verborum quæ ab Epiſcopo pronuntiantur. *Accipe Spiritum ſanctum*. Tertio ex Scriptura Actor. 6. vbi Diaconi per manuum impoſitionem dicuntur ordinati.

Quare non videtur probabilis eorum opinio qui ſecus ſentiunt, quo de numero ſunt Valer. to. 4. Faber de Sacr. Ordinis, in 4. ſentent. diſt. 24. qu. 1. dub. 1. c9. 4. Villalob. tom. 1. tract. 11. diſſic. 4. nec proinde in praxi eſt ſequenda, vt contraria ſtilo ac vſui Romanæ Eccleſiæ.

Quarta Aſſertio, *Materia ordinationis Subdiaconi eſt calix vacuus cum patena ſuperpoſita*, Florent ſupra & Carthag. 4. can. 5. & can. Subdiaconus diſtinctione 23. his verbis, *Subdiaconus cum ordinatur quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum: De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium*.

Forma autem, verba quæ Epiſcopus poſt datam ordinandis materiam, ad illos conuerſus dicit, *Videte cuiuſmodi miniſterium vobis tradatur*, & non alia, quia hæc ſola connexionem habent cum materia huius Ordinis, ad quam etiam pertinere librum epiſtolarum ſcripſit, Filliuc. to. 1. tract. 9. cap. 2. num. 45. ſed hanc eſſentialem ei non eſſe tradunt, Sylueſt. in 3. par. q. 37. art. 2. Coninch. de Sacram. diſp. 20. dub. 6. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 5.

Quinta Aſſertio, *Ad eſſentiam Ordinis Epiſcopatus, neceſſaria eſt loco materiæ, manuum impoſitio cum applicatione codicis Euangeliorum ad ordinandi caput, quem duobus antiſtitibus ſeuentibus, & manus ordinando imponentibus, tertius ei benedicit*; Et non niſi die Dominico can. ordinauit diſt. 75. eumque vngit chriſmate in capite & manibus, can. cum veniſſet ibidem: & cap. 1. de Sacram. Vnct. Forma autem ſunt verba quæ proferuntur; *Accipe Spiritum ſanctum*,

Sexta Aſſertio, *Materia Oſtiarij eſt clauis cum porrectio-*

ex ſententia Scoti, q. 1. art. 2. Exorciſtæ liber Exorciſmorum, can. Exorciſta, diſt. 23. Lectoris liber Lectionum, Acolythi vrceoli vacui, can. Acolythus, diſt. 23. & probatur ex decreto Eugen. vbi ait omnes hos inferiores Ordines conferri per aſſignationem rerum ad ſua miniſteria pertinentium.

Obiicies, in cap. ſi Presbyter, de Sacramentis non iterandis, ſignatè dici, ordinationem quæ ſine manuum impoſitione eſt facta, iterandam non eſſe, ſed cautè ſupplendam, quod inane eſſet, ac falſum, ſi manuum impoſitio, Ordinationi Presbyterorum & Diaconorum eſſentialis eſſet ac intima: cùm enim res ſtare ſine ſuis partibus eſſentialibus nequeat, ſi eſt impoſitio manuum pars Ordinis intrinſeca, nunquam ſine ea fuit: ergo iterari hunc eſt neceſſe, cùm erit omiſſa, quod tamen negatur à Pontifice in eo canone, non eſt ergo Sacramento Ordinis, maximeque ei, quo Sacerdos unitiatur, intrinſeca.

Minor eſt neganda, vt autem eius negatæ veritas appareat, meminiſſe conuenit Sacerdoti cùm ordinatur, poteſtatem duplicem tribui: primam, in corpus Chriſti verũ: ſecundam, in corpus Chriſti myſticum, quas poteſtates ſeiungi ab inuicem poſſe ante eſt oſtenſum, cùm Apoſtolis ſimul non ſint collatæ, ſed diuerſo omnino tempore.

Secundò, & hoc ſcire neceſſe eſt, priore poteſtate, hominem propriè Sacerdotem eſſe, cum hac voce, Patres & ſacræ paginæ intelligant eũ, qui ſacrificare eſt idoneus, qualis ſit poteſtate ei in Chriſti corpus tradita. Iam ergo cum Greg. inc. Presb. 3. de Sacr. nõ iterãdis Ordinem Sacerdotii iterandum eſſe negat, in quo conferendo omiſſa eſt manuum impoſitio, de priori poteſtate loquitur, quæ etſi in ſuo eſſe à poſteriori non pendeat eſſentialiter, quia ei tamen coniungi debet, vt adæquata cenſeatur, & perfecta, quoad omnem ſuam amplitudinem, ideo prior ille ritus, quo ordo Sacerdotij, Ordinato eſt collatus, ſupplendus eſſe dicitur impoſitione manuum.

Obiicitur 1. ſi Ordinandus ſit Sacerdos, quando ei materia conſecranda traditur, cum his verbis, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificij*, manuum impoſitio ei non erit eſſentialis, ac intrinſeca: verum eſt prius, ergo, &c.

Negandum eſt ſequi, quia per eam Ordinatio completur in ſuo eſſe perfecto & integro, quale non eſt, cum traditioni materiarum conſecrandarum, non eſt impoſitio manuum coniuncta, per quam ideo Sacerdotalem honorem tribui Ordinato ſcripſit Leo Papa, epiſt. ad Africanos, ca. 1. *quid eſt citò manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis, & quid eſt communicare peccatis alienis, niſi talem effici Ordinantem, qualis eſt ille qui non meruit ordinari?*

Obiicitur 3. At impoſitionis manuum Florentinum non meminit, cùm quæ ſunt huic Sacramento eſſentialia, ſuo more, definiendo commemorat.

Reſpondendum eſt primò, id à Patribus eo loco factum non eſſe, quòd hæc cæremonia cuique ex Scriptura nota eſſet.

Secundò, id ab illis factum ideo, quòd non niſi præcipuam materiam, ac permanentem notare vellent, qualis non eſt manuum impoſitio, ſed porrectio panis, cum patena, & calicis cum vino, quibus rebus, cum forma verborum Sacramentalium, datur Ordinato poteſtas in verum Chriſti corpus, quæ tanto præſtat poteſtati in corpus eiuſdem myſticum, quanto Deus creaturis eſt potior: ergo eũ hæc, ordinando detur impoſitione manuum, & verbis formæ, ei correſpondentibus, illa verò porrectione rerum quibus fit ſacrificium, has conſtat in ratione materiæ, impoſitioni manuum antecellere.

Obiicitur 4. Si codex Euangeliorum eſt Diaconatus materia, nullos Eccleſia priſca Diaconos habuit, aut in Sacramentis mutatio aliqua eſſentialis accidit. Enimuerò, cùm primùm Eccleſia propagari eſt cœpta, ſacri nulli adhuc libri erãt, quos Diacono Epiſcopus traderet: aut ergo tùm temporis nullus eſt factus, aut ſi quis eo tempore, in eum eſt gradum ab Apoſtolis euectus, cùm quæ modò eſt huius Ordinis materia, antiquis non extiterit, in illo mutationem factam eſſe oportuit.

Reſpondendum Sacramenta à Deo mutari poſſe, nam vt ſine miniſterio hominis, aut rei cuiuſlibet alterius ſubſidio, ſibi reconciliare orbem poteſt, hominique per ſe gratiam infundere, ita & mutare eius producendæ ſigna, à ſe inſtituta dum viueret, quod eum feciſſe in cauſa præſenti admodum eſt probabile, ne careret Eccleſia Diaconis, eo tempore, quo ſacrorum librorum copia adhuc non erat, ſimile quidpiam in Baptiſmo contigiſſe, primo illo æuo propagatæ fidei, Scriptores non obſcuri memorant. Enimuetò, cùm eſſet neceſſe Chriſti fidem, cultumque animis hominum altè inſeri, nihilque ad id ſit in natura rerum potentius, beneficio reintegratæ cum Deo amicitiæ, quæ vti par eſt cognita, mirabile in bene præparato pectore, religionis aduerſus Deum, amoriſque incendium excitat: eſt tùm, id eſt, naſcente Eccleſia, vtile viſum, diſpenſare cum Apoſtolis, vt prætermiſſa appellatione auguſtiſſimæ Triadis in forma Baptiſmi, Chriſtum ſolum inuocarent, quod ſi id tùm facere diuino conceſſu Apoſtolis in Baptiſmo licuit, cur vitium, culpaque in iiſdem extitit, numinis impulſu, idem vſurpare in vna Ordinis parte? ac præter manuum impoſitionem aliam materiam non exhibere, per quam & altaris miniſterium, & alia Diaconi officia ſignificarentur, de quo poteſtatem à Chriſto ſeruatore Apoſtolis factam tradunt Bellar. lib. 4. de notis Eccleſiæ, cap. 9. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 2.

QVÆSTIO VII.

An contactus realis materiæ Sacramenti Ordinis ſit ad eius validitatem neceſſarius neceſſitate præcepti.

FAber Theologicarum diſputationum vſu perdoctus, in 4. ſent. diſt. 24. q. 1. diſput. 1. cap. 4. ait hunc contactum ſic eſſe Ordini intrinſecum, vt eo definente Ordo ipſe definat.

Certant pro hac ſententia Ægid. de Coninch. diſp. 20. dub. 7. n. 70. Anglez de Ord. dub. 5. de Beia parte 4. caſuum, caſu 15. Fernández in exam. Theol. part. 1. c.

Primò, quia in Sacramentis quæ conſiſtunt in vſu, neceſſaria eſt neceſſitate Sacramenti materiæ remotæ, applicatio ad ſubiectum: at hæc non fit niſi contactu reali: eſt hic ergo Ordini eſſentialis.

Secundò, Dominium non acquiritur niſi per poſſeſſionem. Graff. deciſ. aurearum, parte 2. l. 1. c. 9. n. 22. at datur Ordinatis aliqua poteſtas ſpiritalis, in ordine ad miniſterium altaris exercendum in materiis ſuis, ergo ad eius poteſtatis poſ-

ſeſſionem eſt contactus earum materiarum neceſ- A ſarius, Tertio, Ordinandus iubetur accipere poteſtatem, cui imperio ſatisfacere non poteſt niſi capiendo externum ſymbolum.

Nobis ſententia hæc ſola vera eſſe debet, quæ Ordines ait poſſe ſine tali cõtactu ſubſiſtere, quam defendunt, Henriq. l. 1. cap. 9. n. 11. Vict. de Sacram. Ord. n. 230. Caiet. in ſumma ver. Ordinantium & Ordinat. peccata, quæ probatur. Primo, quia Florent. cum agit de Ordine non meminit huius contactus, ſed tantum traditionis inſtrumentorum.

Secundo quia hæc traditio tantum deſeruit ad determinandum poteſtatem quæ datur, ſed ad hoc non requiritur contactus, ſed oſtenſio præſens cum B ſigno acceptatiuo. Tertio, quia acceptare quis poteſt equum, etſi hic eum non tangat, modo ſit præſens oſtenſio qua tradatur, & ab ipſo acceptetur. Vnde patet reſponſio ad argumenta 1. ſententiæ.

Ad primum dici debet, aliam eſſe rationem Bapt. Confir. & aliorum Sacramentorũ quæ conſiſtunt in vſu, patet experientiâ, atque adeo teſtimonio eorum qui ſunt in contraria ſententia, vt Ægid. de Coninch. de Sacr. diſp. 20. dub. 7. n. 71. Crucij in direct. conſc. par. 2. de Sacr. Ord. cap. 3. conc. 1. horum enim opinio eſt, non eſſe neceſſarium contactum immediatum hoſtiæ ad valorem Sacramenti, non magis quam vini, ſed ſufficere ſi tangantur in patenâ & calice, proindeque neganda eſt min. argumenti primo allati, ſi intelligatur de contactu immediato & proprio. Concedenda, ſi de mediato in calice aut patena. Secundi neganda eſt maior. Argumento eſt, quod omnium ſenſu dominium rei datæ à donante acquiritur per eius acceptationem à donatario, etſi in eam manus non inferat, quod tamen eſt neceſſarium ad actualem poſſeſſionem, idem apparet in matrimonio, in quo mutuam in ſeſe authoritatem acquirunt, vir & mulier per traditionem ſui, & acceptationem reciprocam, quamuis mutuo ſe non tangant. Quare negandum eſt hoc verbum, *Accipe*, quo vtitur Ordinans, referri ex neceſſitate Sacramenti ad eum qui Ordinandus eſt vt capiat, ſeu manu tangat externum ſymbolum, ſed per illud tantum ſignificatur ſpiritalis poteſtas ei conferenda, per exhibitionem externi ſymboli, quo collatio talis poteſtatis indicatur.

At eſt, inquies Eccleſiæ praxis oppoſita, vtpote quæ cum exhibitione materiæ, eius acceptionem & cõtactum exigit, quæ praxis, per traditionem ſæculorum omnium, ex Chriſti inſtitutione profecta, ad nos vſu continuo peruenit.

Reſpondendum inde aliud non colligi, quam quod talis contactus præcipiatur ab Eccleſia, proindeque omni ope curandum eſſe Ordinando, vt tali præcepto ſatisfaciat, inferioribus digitis calicem, ſuperioribus patenam tangendo, vt eſt in Pontificali, idque ſi fieri poteſt, ſimul cum prolatione verborum Epiſcopi, quod tamen moraliter eſt accipiendum, cum authore Victoria de Sacramento Ordinis, num. 230. ſufficiat paulo ante verba prolata, aut poſt, id facere, ſimiliter & de materiis cenſendum eſſe docet, Vaſq. diſp. 246. cap. 2. num. 19. quæ cenſentur moraliter, quantum eſt ſatis, ad culpam vitandam, apprehendi in continente, vaſe ſcilicet vbi ſunt, patet in vino quod in calice oblato Sacerdoti cum ordinatur, ſufficienter omnium iudicio tangi cenſetur. Quod ſi cauſam huiuſcemodi praxis in Eccleſia ſcireues. Reſpondebo, non aliam eſſe, quam vt traditio, & acceptio ſpiritualis poteſtatis, quæ Ordinando datur, ſignificetur expreſſius cum ordinandus, ſymbolum materiale, quo talis poteſtas innitur; manu ipſemet apprehendit, aut tangit.

QVÆSTIO VIII.

Quæ ſit Sacramenti huius forma.

Dico 1. *Formam huius Sacramenti vniuerſè ſpectatam, poſitam eſſe in verbis ab Epiſcopo pronuntiatis per modum imperantem.* Primo, quia eſt eſſentiale huic Sacramento, vt per illud Ordinato detur poteſtas aliqua circa altaris miniſterium, hæc autem exprimitur maximè verbis imperantibus his aut ſimilibus; *Accipe poteſtatem, &c.*

Secundò id verba formæ maxime ſignificant in Sacramento, quod faciunt, ſed per Sacramentum Ordinis, datur Ordinato poteſtas aliqua circa Chriſti corpus: ergo in verbis formæ Sacramenti Ordinis erit poſita.

Et quanquam ſingulorum ordinum formæ, peti ex Romano Pontificali poſſint: ex Concil. Carthagin. 4. Florentino in decreto vnionis catechiſmo Trident. cap. de Ordine, in particulari tamẽ conſtat Oſtiarium inſtitui, his verbis cum traditio- C ne clauium; *Sic age quaſi redditurus Deo rationem, pro ijs rebus quæ his clauibus recluduntur.*

Lectori dicitur cum ei codex datur, *Accipe, & eſto verbi Dei Lector, habiturus ſi fideliter, & vtiliter impleueris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene miniſtrarunt.*

Exorciſta cum librum exorciſmorum recipit, hæc audit, *Accipe & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive baptiſatos, & Catechumenos.*

Acolytho hæc dicuntur, *Accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias te ad accendendum Eccleſiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.*

Nec, hoc modo, ſed cum ei offeruntur Vrceo- D li, id fit his verbis: *Accipe vrceolos ad ingerendum, vinum & aquam, in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini.*

Hæc de minoribus, maiores habent pariter ſuas formas, Presbyterij forma partialis eſt duplex. Primo, enim cum Presbytero datur panis cum patena, & calix cum vino, ſic eum ad conſecrandum habilem Epiſcopus efficit: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, miſſaſque celebrandi, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.*

Cum autem manus imponitur eius capiti ſic illum affatur Epiſcopus: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, &c.*

Diacono datur duplex poteſtas, vna legendi Euangelij, altera adminiſtrandi Baptiſmi Epiſcopo E abſente, prima exprimitur his verbis: *Accipe poteſtatem legendi Euangelij, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.*

Altera iſtis, *Accipe Spiritum ſanctum, ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus eius, in nomine Domini.*

Subdiaconus dum conſecratur audit, & quidem cum ei præbetur calix vacuus. *Vide cuiuſmodi miniſterium tibi traditur, ideo admoneo te, vt ſtate exhibeas, vt Deo placere poſſis.* Cum autem librum recepit. *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem eas legendi.*

Digitized by Google

QVÆSTIO IX.

De neceſſariis neceſſitate Sacramenti Ordinis ex parte Miniſtri.

PRima Aſſertio. *Etſi ex commiſſione Papæ poſſit ſimplex Sacerdos aliquem initiare quatuor Minoribus, tamen Sacerdotium neceſſitate Sacramenti ab Epiſcopo conferri debet.* Pars prima tuetur ſe auctoritate canonum, magis ad rem faciunt penultimdiſt. 69. exinde decretalis Innocent. III. nona, de ætate, & qualitate Ordinandorum. Alexand. III. cap. 1. de ſupplenda negligentia Prælatorum, ibi enim ſignificant hi Pontifices, Abbates tam ſuos ſubditos Regulares aſciſcere poſſe in minores Ordines, quàm eos in quos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent, quod in cap. Abbates de priuileg. in 6. agnoſcit Bonif. & poſt eum Sylu. verbo Ordo 3. qu. 2. Rebuff. 1. parte praxis, rubrica de Clericis: vt autem id facere ſine culpa poſſint, primò Sacerdotij charactere inſigniti eſſe debēt. Rebuffus de Clericis, & à quibus creentur, num. 34. ſeptima Synodus can. 14.

Secundò, & id quoque eſt neceſſe vt ab Epiſcopo benedicti fuerint, aut certè conſtet quòd per illos non ſteterit, quo minus id beneficium ab eo conſequerentur, cap. ſtatim. de ſupplenda negligentia, & can. quoniam 1. diſt. 69. & quòd tertiò rogatus pro eiuſmodi benedictione impertienda eam tamen negauerit ſine iuſta cauſa. Nauar. cap. 27. num. 264.

Tertiò, non aliis quàm ſuis beneficium id impertiri poſſunt, cap. Abbates de priuileg. in 6. niſi eis contrarium competeret ex priuilegio ſanctæ Sedis, nec alibi, quàm in ſuo Monaſterio, can. primo, diſt. 69. & poſt profeſſionem Ordinandorum, alioqui poſt acceptam Tonſuram, & quatuor Minores, initiati per eos poſſent è religione egredi, & ita fraudem facere canonibus, qui prohibent quenquam ordinari ſine patrimonio, aut titulo. quæ fraus eſt præcauenda, vt dicitur de ſeruis non ordinandis, quæ ſtatuta, aut veriùs renouata fuere à Congregatione ſacri Conc. à 1594. in cauſa Caſſinenſis Abbatis, his verbis: *Congregatio cenſuit, quòd Abbas benedictus, poſſit Regularibus ſibi ſubditis, conferre primam Tonſuram, & quatuor Minores, ac etiam benedicere calices, & paramenta ſine unctione olei ſancti, nec non omnes benedictiones facere ſine aliqua licentia. Similis etiam modo*, inquit 7. Synodus c. 3. *ſecundùm antiquam conſuetudinem Correpiſcopos præceptione Epiſcopi oportet promouere Lectores.*

Secunda pars Aſſertionis quæ fuit de Sacerdotio neceſſitate Sacramenti conferendo ab Epiſcopo habetur in Trid. ſeſſ. 23. can. 7. vbi dicitur anathema, neganti Epiſcopum eſſe Presbyteris ſuperiorem, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, & eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem: Et verò cùm aſciſcantur Presbyteri ad regimen animarum, per poteſtatem excellentem, in corpus Chriſti, non videtur hæc ab alio dari poſſe, quàm qui dignitate illos ſuperet, cuiuſmodi eſt ſolus Epiſcopus.

Eum ſanè ordinarium Sacramenti huius Miniſtrum eſſe indicant Scripturæ, Patres, & Concilia: in Patribus numerandi ſunt Hieron. epiſt. 85. ad Euagr. Epiphanius hæreſi 75.

A Scripturæ autem ſunt pro ea re perſpicuæ, declarat enim Paulus 2. ad Timoth. 1. ordinaſſe ſe Timotheum per impoſitionem manuum ſuarum, ad Titum 1. *Reliquite Cretæ, vt conſtituas Presbyteros per ciuitates*: at tam Paulus quàm Titus Epiſcopatus honore inſignes erant.

Quid? quod Paulus & Barnabas χειροτονήσαντες, id eſt, impoſitione manuum, conſtituunt Presbyteros per ſingulas ciuitates, Actor. 14. quos tamen nemo non ſcit fuiſſe Epiſcopos: eſt ergo veriſſimum, Sacramenti huius Miniſtrum ordinarium, Epiſcopum eſſe, cui proinde Cōcilia licere aiunt, ordinare ſubditas ſibi genres, eaſque in Clericōrum numerum aſciſcere, vt nihil dicam de Florentino, & Tridentino. Eſt ea de re illuſtris ſententia
B Antiocheni 1. can. 10. his verbis: *Correpiſcopi Presbyterum, aut Diaconum non audeant ordinare præter ciuitatis Epiſcopum, cui ipſe Correpiſcopus cum poſſeſſione ſubiectus eſt*: & can. 13. *nullus Epiſcopus ex alia prouincia audeat ad aliam tranſgredi, & ad promotionem miniſterij, aliquos in Eccleſijs ordinare.*

Secunda Aſſertio. *Epiſcoporum nomine, intelliguntur etiam hæretici excommunicati, ſuſpenſi, degradati.* Ita Doctores communiter. D. Tho. diſt. 25. q. 1. art. 2. Vaſquez diſp. 243. cap. 3.

Probatur, per hæreſim, ſuſpenſionem, aut excommunicationem, non amittunt Epiſcopi characterem, ergo nec poteſtatem conferendi Ordines, cùm hæc in charactere conſiſtat, quod & clarius definitum eſt, can. quod quidam diſt. 21. can.
C ſicut ſemel diſt. 63. Sic tamen Ordinari ſuſpenſi ſunt ab executione ſuorum Ordinum, vt pluribus oſtendetur poſtea, cùm de ſuſpenſione & hoc ſenſu intelligi debet, quod à Gregorio aſſeritur lib. 3. Epiſtolarum, epiſt. 20. Ordinationem quæ celebrata eſt ab excommunicato, nullam eſſe, cùm enim id quod in actum reduci nequit, idem ſit, quo ad rem, ac ſi non eſſet, meritò dicuntur non conſecrati, qui per hæreticos ſunt initiati, cùm vſum ſuorum Ordinum nullum habeant, ſaltem licitum, negari tamen non debet, quin Ordinati ab hæreticis characterem & Sacramentum recipiant.

Contra ſenſere olim Cyp. & Epiſcopi Africæ:
D cū enim in ea opinione eſſent, crederent baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos eſſe; iudicandum quoque ſimiliter illis fuit de Ordinatis ab hæreticis, eos ſcilicet iterum ordinandos eſſe.

Quod autem Gratian. prima q. 1. aſſeruit Ordinatos ab hæreticis verè Ordinatos non eſſe: id hunc ſenſum habet, non quòd Ordinatio non ſit rata, ſed quòd Ordinis recepti executio ſit ſuſpenſa, nec redigenda ad actum.

Tertia Aſſertio. *Diaconos & Subdiaconos ex commiſſione ſummi Pontificis, aut Concilij generalis, facere Sacerdos poteſt.* Angelus verbo Ordo 2. Viualdus in candelabro, cap. de Ordine, num. 17. Nauar. in Concil. tit. de priuileg. Concil. 13. Victoria de Sacramentis num. 245. Vaſquez diſp. 243. ca-
E pite 4.

Primò, quia in Florentino in Armenorum litteris Miniſter huius Sacramenti ordinarius eſt Epiſcopus, ergo extraordinarius Presbyter quilibet, alioqui vt de Confirmatione diximus, quid opus fuiſſet meminiſſe Ordinarij? cùm ſi Sacerdos voluntate Papæ Diaconatum conferre nequit, non niſi vnicus Sacramēti huius ſit Miniſter, nempe Epiſcopus.

Quid? quod in canone 10. Concil. Antioch. permittitur Correpiſcopis ordinare Diaconos, Subdiaconos, Lectores, & Exorciſtas, Presbyteros,

cum consensu eius Episcopi, cui subiecti sunt, quod eis post modum fuit prohibitum à Leone 3. & Carolo Magno in Capitular. selectis l. primo ca. 4. Sed huiusmodi Correpiscopos veros non fuisse, Episcopos testatur Damasus epist. 5. sed simplices duntaxat Presbyteros, potest ergo Presbyter, ex commissione Papæ, Subdiaconatum alteri cõferre aliosque minores ordines. His argumentis tertium addi potest, nẽ pe quod Victoria loco citato, perhibet visam à se bullam, qua Pontifex Innoc. 8. Abbatibus è Cisterciensium ordine, facultatem annuebat conferendi dictos ordines suis Monachis quod character Sacerdotalis eiusmodi sit, ratione cuius, is quem afficit infinitis est partibus Diaconis prior, nil est ergo causæ quamobrem hæc potestas negetur Presbytero, Papa sic volente.

Contraria sententia hoc tempore est tenenda, ac seruanda in vsu.

Dices minus est chrisma facere, quam Diaconum: ergo vt illud primum à Papa committi Presbytero non potest, ita nec vltimum.

Responsio duplex, prima fallum esse, facultatem faciendi chrismatis, concedi à Papa Sacerdoti non posse.

Secunda in moralibus non valere argumentum à pari, vel maiori, ad minus sed habendam esse rationem institutionis diuinæ, quæ nobis innotescit per vsum, & traditionem Ecclesiæ, quare cum vtriusque facultatis à Papa, Presbyteris concessæ, exempla extent, saltem postremæ, ab illa ad hanc facta illatio non est valida.

QVÆSTIO X.

Quid sit necessarium in hoc Sacramento necessitate præcepti, ex parte Ministri.

NEcessitate præcepti requiritur primo, vt ordinationi præmittatur processus, quo notetur mensis, dies, locus, vbi eam fieri oportebit & quidem locus non alius communiter esse debet, quam Cathedralis Ecclesia, pro maioribus ordinibus, Trid. sess. 23. cap. 8. quod si alibi eos conferri erit necesse, non alia, eam ad rem erit Ecclesia eligenda, quam quæ præcipua, nec nisi præsente eius Parocho & Clero, dari eos oportebit, ex Trid. sess. 23. ca. 8. habet tamen vsus, vt quælibet Ecclesia Episcopatus, Episcopo ad id inseruiat et iã post Concil. ex Sylu. verbo Ordo 2. q. 8. Reginald. tomo 2. lib. 30. Secundo vt minores, in quocunque loco ei videbitur, licite conferat Sylu. ibid.

Secundò necessitate præcepti requiritur, vt qui ordinat, sit proprius Episcopus ordinati, habetur, can. 13. Conc. Antioch. 16. Nicæni, & 2. Constantino p. primi, in hæc verba, *ἀκλήτους μὴ ὁποκόπτειν ἐπὶ χειροτονίαις ἢ ποιμαίνειν ἐπ' ἀλλοτρίαις παροικίαις ἄνευ τῆς τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ψήφου* idest Non vocati Episcopi, vltra Diœcesim, accedere non debent, super ordinandis aliquibus, statuitque Concil. sess. 23. cap. 8. vt vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur, quod ordinandis quoque commendatum voluere Pontifices in canone illud quoque 1. dist. 71. Quod si vt fit per impedimenta quæ varia accidunt, non posset proprius Episcopus, posset alius eius subditos ordinare de eius licentia, can. reliqui dist. 67. cap. cum nullus, & cap. nullus de tempor. ordinandor. & can. Clericos 4. dist. 71. recipit ordinant.

Hanc autem licentiam, aut immediatè respectu ordinandorum omnium, vel mediate, nempe quia ordinarius iis permittit per literas dimissorias, vt Episcopi cuiuslibet opera, vti ad ordines possint.

Sine ea ordinati, suspensi sunt ab executione suorum ordinum, iuxta doctrinam. Nicæn. Conc. vbi hæc leguntur, *Si quis ad alium pertinentem inuadere, & in sua Ecclesia ordinare tentauerit, non consentiente Episcopo, ἄνευς ἐπιστολίων. Idest ordinatio huiusmodi irrita comprobetur*, intellige quoad vsum à quo ordinatus suspenditur, qui sensus est horum verborum in canone 19. Sard. Conc. *Et hoc vniuersi constituimus, vt quicunque ex alia Parœchia voluerit alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius, & sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio eius*, vel vt loquitur Conc. Antiochen. 2. can. 13. *Irritè quæ ab eo gesta fuerunt, & gerantur, existant*, quæ non nisi de vsu recepti Ordinis intelligi, quo ordinatus interdicitur ad bene placitũ proprij Episcopi declarauit, Rota decisio. 71. nu. 21. par. 4. diuersarum, Trid. sess. 23. cap. 8. & 7. cap. 10.

Qui autem non suum in aliena Parochia ordinat, suspenditur à collatione cuiuslibet Ordinis, in quo peccauit, anno integro cap. eos de temp. Ordin. in 6. Trident. sess. 23. cap. 8. Concil. habitum apud Palatium Vernis can. 13. *De Episcopis qui Parochias non habent, placuit iuxta instituta sanctorum Patrum, vt in alterius Parochia ministrare, nec vllam ordinationem facere debeant, sine iussione Episcopi, cuius Parochia est, & si hoc facere præsumpserint, ab officio suspendantur, interim quod ad Synodum ex inde venerint, & ibidem sententiam accipiant.*

Tonsuram autem Diœcesano non suo tribuens, sine propriij Episcopi licentia est suspensus à sola collatione Tonsuræ, non ordinum, cap. nullus de temporibus Ordinat. in 6. docentque Riccius in addition. ad institutiones canonicas Lancellot lib. 1. tit. 25. Villalo. tom. 1. tract. 18. diffic. 7. Diana de Sacram. resol. 194.

Notasse hic tamen iuuerit eum qui ab alieno se Episc. initiari est passus sic suspensum esse, vt hæc eius censura sit Papalis, si Ordo quo se insigniri voluit sacer est, & ad eum admoueri mala fide voluit, Pius 2. in Extrauagant. quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, de qua Nau. Enchiridij cap. 25. n. 70. & comment. in cap. accepta de restitutione spoliatorum oppositione 3. num. 34.

Quod si Ordo susceptus sacer non erit, aut si sacer eum tamen bona fide dari Ordinatus postulauerit: ipso, hic iure non suspensus, sed suspendendus erit. Nauar. consil. 56. de temporibus ordinationum translationem eodem titulo.

Est tamen casus vnicus in quo ex susceptis minoribus Papalis suspensio ipso iure & facto, incurri solet, nempe cum ordinatus, vltramontanus est ordinans autem Italus nisi à Pontif. *Specialem licentiam habeat, vel ab Episcopo de cuius Diœcesi traxit originem Ordinandus, vel in cuius Diœcesi beneficiatus existit, per eius patentes literas, causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit aut nequeat ordinari*, Clemens 4. de temporibus Ordinat. in 6.

Tertio requiritur necessitate præcepti vt Episcopus ordinem, extra tempora iure constituta non conferat: & quidem prima Tonsura, dari omni tempore, & hora potest: Hostiensis & Sylu. verbo Ordo 2. quæst. 6. Episcopalis Ordo, non nisi die Dominico, can. Ordinationes dist. 75. Rebuffus de Clericis extra tempora Ordin. Piasecius in praxi idque vt diximus antea, à tribus saltem Episc. can. in aliquo dist. 5. can. quod die 5. dist. 75.

Digitized by Google

Alij Ordines conferri tantũ poſſunt, & debent A in Eccleſia maiori, niſi neceſſitas aliud exigat, Gloſſa in can. Ordinationes, diſt. 75. ordinarieque in ſabbathis quatuor temporum, & ante Dominicam in Paſſione, can. finali, diſt. 45. cap. de eo 3. de temp. Ordin. & in publica Ordinatione, can. quando, diſt. 75. Extra hæc tempora Ordinatus iure ipſo eſt ſuſpenſus, ſpeciali tamen priuilegio, Patribus Societatis permittitur, initiari omnibus quouis tempore. Gregor. XIII. in bulla quæ incipit, *Pium & vtile Societatis inſtitutum*: nam Papa quolibet die Clericos creare poteſt, cap. de eo ſuprà: Abbates autem ſolis diebus Dominicis, & feſtis, ex Sylu. ſuprà, parag. 4. quod ſpectat ad Minores conferendi ſunt, vt diximus, vbi & quando Epiſcopo videbitur. Rebuff. de Clericis extra tempora ordinandis, num. 5. patetque ex his verbis, can. 6. diſt. 75. *Quando & vbi libitum fuerit vſque ad Subdiaconatum ordinantur Clerici*..

Pœna Ordinantis extra tempora, eſt ſuſpenſio, quæ olim quidem ferenda erat, non iure & facto lata, vt dicitur in cap. 2. de temp. Ordin. cap. conſultationi 16. & cap. cùm quidam 8. eodem tit. proindeque cum mortali culpa coniuncta in ordinante Epiſcopo. Rebuff. ſuprà: cauſa eſt, quòd qui iura canonum negligunt, à Spiritu ſancto, cuius inſtinctu ſunt conditi, damnentur, can. violatores 5. cauſæ. 25. q. 1. Ordinati extra tempora ſimiliter erant olim ſuſpendendi, nam dicitur in cap. 2. cit. quòd *non debent permitti in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare*, nunc autem per extrauagantem 2. ſunt ſuſpenſi ſuſpenſione Papali, ſi ordines ab iis recepti ſunt ſacri.

Quartò, requiritur in Epiſc. ordinante, ne peccet, vt pueros ſacris initiãdos Ordinib. ſibi licere non credat, hoc enim vetant Põtifices in titulo, de ætate & qualitate: ſi tamen ſecus ſibi ex cauſa faciendũ exiſtimauerit, initiabuntur efficaciter, & validè: cauſa eſt quòd character in ſuſcipiente, rationis vſũ non exigat: ergo nec Ordo, receptus ergo à puero, recipietur validè. Anglez artic. de ſuſcipiente hoc Sacramentum.

Quintò, initiandi examinari debent, can. nullus 2. can. quando diſt. 24. Trid. ſeſſ. 23. cap. 7. Braccar. 2. can. 3. *Oportet non per gratiam munerum, ſed per diligentem prius diſcuſſionem, deinde per multorum teſtimonia, Clericos ordinare*. Non examinatus deponi debet diſt. 24. can. fin. eſtque ab executione Ordinis ipſo iure ſuſpenſus, cap. veniens, de eo qui furtiuè Ordines ſuſcipit, nec ſuſpẽſione alia, quàm Papali, ſi fuit ante Ordinationem ab Epiſcopo prohibitum, ſub interminatione cenſuræ, ne quis furtiuè, & non examinatus ad Ordines accederet, decretalis veniens. Alex. III. ſic habet: *Si verò interminatio anathematis ſuper hoc facta eſt, moneas eum, vt in aliquo Monaſterio, aut Canonia, habitum Regularem ſuſcipiat, cui, ex quo in habitu illo aliquanto tempore fueris laudabiliter conuerſatus, poteris miſericorditer prouidere, alioquin nulla ratione concedimus, eum ad Sacerdotalem Ordinem promoueri.*

Extra caſum excommunicationis intentatæ contra furtiuè accedentes, poteſt Epiſcopus diſpenſare in eorum ſuſpenſione ob talem acceſſum furtiuum incurſa, Alexander ibidem: ſpectat autem hoc examen ad Archidiaconum, cap. ad hæc, cap. ad noſtrum, de officio Archidia. competit tamen aliis ex commiſſione Epiſcopi, can. quando 5. diſt. 24. nec ab hoc examine liberantur Regulares, Trid. ſeſſ. 23. cap. 12.

Quod ad mores attinet, de quibus fieri iubetur inquiſitio, can. Hoſius 1 & can. 2. de tempore Ordinationum, credi debet teſtimonio Parochi, aſſerentis, ordinandum virum eſſe bonum, quia quilibet præſumitur talis, niſi probetur malus, cap. dudum de præſumpt. ergo multo magis cùm ad ſilentium populi, non culpantis vitam Clerici, accedit Parochi proprij teſtimonium, quod ſolum, olim ad ordinandum Clericum, niſi ciuitatis & Clericorũ omnium aſſenſus, ad illud accederet, ſatis non fuiſſe, habet Conc. Carthagin. 4. can. 22. his verbis. *Vt Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, ita vt eorum aſſenſum & teſtimonium quærat.*

B

QVÆSTIO XI.

De neceſſariis neceſsitate Sacramenti in ordine ex parte recipientis.

PRima Aſſertio. *Neceſsitate Sacramenti neceſſarium eſt in ordine ex parte ſuſcipientis, vt ſit vir, non fœmina.* D. Thom. in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1.

Aſſertionis cauſa vnica Chriſti inſtitutio, quem ad ſacra miniſteria, ſolos Apoſtolos elegiſſe communis eſt Eccleſiæ traditio, à qua erroris damnati ſunt hæretici Pepuſiani, quòd ſibi fœminas Sacerdotum loco eſſe vellent, Epiphanius hæreſi C 29. quare in cap. noua de pœnitentiis & remiſſionibus arguuntur Abbatiſſæ, quod Moniales ſuas benedicerent, earum confeſſiones in criminalibus audirent, lectoque Euangelio prædicare præſumerent, quod illis prohibetur, 1. ad Cor. 14. 2. ad Timoth. 2. ſicut vaſa ſacra tangere, can. ſacratos, diſtinct. 23. quod dignitate ac merito longè eſt minus, quàm ſacrificare, quod duntaxat ab eo eſt præſtandum, cui collatum eſt Sacerdotium.

Obiicies, fuiſſe olim in Eccleſia mulieres, quæ Presbyteræ & Diaconiſſæ dicerentur, vt habet can. Diaconiſſam 27. q. 1. & can. mulieres, diſtinct. 32.

Reſpondeo, ſic eas vocatas, non quòd eſſent inſignitæ illis Ordinibus, eas enim Nicæna Synodus can. 10. inter laicas adnumerat, ſed quòd eorum qui ad Ordinem Diaconorum, aut Presbyterorum aſciti fuiſſent, vxores eſſent, quibus, etſi iiſdem eas aliquando retinere fas eſſet, non tamen cognoſcere, aut copulari carnaliter à ſuſcepto alterutro Ordine. Vrbanus Papa II. in Synodo apud Melphim, can. 13. *Eos qui poſt Subdiaconatum, vxoribus vacare volunt, ab omni ſacro Ordine remouemus, officioque atque beneficio Eccleſiæ carere decernimus*: quare laudatur à B. Gregorio Dialog. lib. 4. cap. 2. *Presbyter quidam qui ex tempore accepti Ordinis Presbyteram ſuam vt ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cauens, ad ſe propiùs accedere non ſinebat.* Equidem eſt decretum Zachariæ Papæ de non admittenda in contubernium Presbytera, & Diacona: eſt item canon Conc. Antiſiod. 2. quo inhibetur E *ne Presbytera cum ſuo Presbytero dormiat*: idem prohibitum in Eliberino can. 18. & 33.

Secundò, dictæ ſunt hoc nomine, Diaconiſſæ, quidem, quod vt Diaconi operam dabant inſtituendis rudibus, & iis ad Baptiſm. præparandis, ita hæ iuuandis mulieribus cùm Baptiſmum ſuſciperent. *Ad multos vſus*, inquit Clem. lib. 3. Conſtit. cap. 15. *muliere Diaconiſſa indigemus, ac primùm, cùm illuminantur mulieres, Epiſcopus vngit frontes*

earum oleo ſancto, deinde Diaconiſſa eas abſtergit non eſt enim neceſſe mulieres à viris aſpici. Epiphan. hæreſi 79. de earundem quoque miniſterio loquitur his verbis. *Diaconiſſarum Ordo eſt in Eccleſia, non ad ſacrificandum, verum reuerentiæ gratia mulebris, aut propter lauacri, aut viſitationis, affectionis, aut laboris, & quando nudatum fuerit corpus mulieris, vt ne à viris ſacrificantibus aſpiciatur, ſed à miniſtrante Diaconiſſa muliere, cui præſcribitur à Sacerdote, vt curam gerat & tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis eius, ſtatus ordo bonæ diſciplinæ, ac Eccleſiaſticæ bonæ inſtitutionis, valde ſcientifice munitus ſit, in menſura regula.* Ab hac ergo officij, muneriſque ſimilitudine, quod cum Diaconis gerebant hæ fœminæ, Diaconiſſæ ſunt dictæ, Presbyteræ autem, ab ætate, non autem à cura rerum aliquarum Eccleſiæ, ita Concil. Laodicenum can. 11. his verbis. *Placet mulieres quæ apud Græcos Presbyteræ appellantur, apud nos Viduæ, vniuiræ matricuriæ in Eccleſia tanquam ordinatus conſtituti non debere, μὴ δεῖν τὰς λεγομένας παρὰ Ἕλλησι πρεσβυτίδας ἤτοι πρεσβυτερίδας ἐν ἐκκλησίᾳ καθίστασθαι.*

Secunda Aſſertio, *Neceſſitate Sacramenti inſuſcipiente neceſſarium eſt, vt ſit baptiſatus, quia baptiſmus eſt ianua Sacramentorum omnium,* cap. 1. & 3. de Presbyt. non baptiſato, idque ratione characteris qui baptiſato imprimitur, cuius effectus proprius eſt reddere hominem capacem Sacramentorum aliorum, ſeu ad ea dare illi potentiam paſſiuam

QVÆSTIO XII.

Quid ſit neceſſarium, neceſſitate præcepti in hoc Sacramento, ex parte recipientis.

PRimo vt quis licitè Ordinem recipiat, debet ætatem attigiſſe requiſitam per canones Syl. ver. Ordo 3. q. 8. dicto 1. quia alioqui Ordinatus ante eam ætatem, factus vir ſe periculo probabili exponeret admittendi aliquid contra ordines ſuos, aut improbandi receptos, quod eſt cauendum.

Et quanquam liceret olim Clericis initiari Subdiaconatu 18. anno, Diaconatu 25. iuxta dicta antea hæc conſuetudo tamen diu non tenuit, cum decreto Con. Tolet. 1. eam dignitatem in Eccleſia Dei, non conſequerentur Diaconi niſi 25. Epiſcopi, & Presbyteri 30. quod hæc indicant, ex Conc. Arelat. 3. can. 1. *Preſbyterum vel Epiſcopum, ante annos 30. & Diaconos ante 25. nullus Metropolitanorum ordinare præſumat,* quod in Turon. ſub Carolo Magno eſt renouatum can. 12. Quod autem ea ætas poſtuletur in Epiſcopis & Presbytero. *Ab ætate ſcilicet Chriſti ſumptum eſt, ex qua, idem eſt exorſus prædicare, hæc enim ætas profectu non indigeteruditorū, ſed plena eſt & robuſta, & ad omne exercitium præparata.* Iſid. lib. 2. de offic. Eccl. & Con. Aquiſgran. can. 9. Modo tamen lege noua, Conc. ſeſſ. 23. can. 12. aggregari Subdiaconis ante annum 22. Diaconiſs ante 23. Presbyteris ante 25. inchoatum non licet, quo decreto omnes obligari communis eſt Doctorum opinio.

Ætas autem qua minores recipi oporteat certa eſt nulla, eorum tres olim conferebantur anno ætatis 7. vt dicitur in cap. nullus de temp. ordinat. in 6. quemadmodum & Tonſura, hoc tẽpore Acolythatus duodecimo, in quo quia nihil eſt à Trid. immutatum, in ea quoque ætate modo dari, & recipi validè poſſe, declarauit ſancta Congregatio Conc. teſte Piaſecio parte 1. praxis art. 4.

Secundò neceſſarium eſt neceſſitate præcepti in recipiente, vt ſit confirmatus, Trid. ſeſſ. 23. can. 4. cuius tamen præcepti violationem mortalem eſſe negant, Nau. cap. 22. & Ægidius de Ordine.

Tertio ad fugam peccati, recipi Ordines debent ordine, qui enim ordinatur per ſaltum, ipſo iure eſt ſuſpenſus, & ſi in eo ordine miniſtrauerit fit irregularis vt habetur in Synodo Sueſſion. ſub Carolo Caluo anno 835. præſide Hincmaro Rhemenſi & Venilone Senonenſi Archiep. & diſt. 52. can. ſolicitudo, cap. 2. de Clerico per ſaltum promoto, in ea tamen ſuſpenſione, diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi ordinatus nondum in Ordine ſic ſuſcepto miniſtrauerit, Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. quod auctore Nauar. cap. 25. num. 71. verum eſt duntaxat in caſu, quo ſic ordinatus, ordinem omiſſum ſuſcepiſſet, ante diſpenſationem: primo enim collatus perturbate, ac contra præſcriptum Eccleſiæ, eſt validus, niſi forte ſit Epiſcopalis, qui ſuſceptus ante Presbyteratum non eſt ratus.

Quarto ſuſcipienti ſeruanda ſunt interſtitia can. ſingulis, diſt. 77. ſic vt inter quemlibet maiorem ordinem annus intercurrat, Trident. ſeſſ. 23. can. 13. & 14. poteſt tamen ex cauſa diſpenſare Epiſcopus, ex Nau. conſil. 25. de tempor. ordin. Piaſeci, ſupra num. 5. etiam cum Regularibus, quorum cauſa quoad hoc, nihil ſuperiores poſſunt iure communi, vt reſpondit Congregatio Concilij, eodem teſte tract. de Ord.

Quinto, vno eodemque die vt conferri duo ordines ſacri licite nequeunt, ita nec recipi cap. literas de tempor. collati tamen tenent, ſed eorum executio ſuſpenditur, nec poteſt cum ſic ordinato diſpenſari, niſi à Papa, licet tamen eodem die omnes minores dare, ac recipere cap. cum harum lator de eo qui furtiuè, & cum iis etiam Subdiaconatus, Nau. cap. 25. Ench. nu. 7

Conferens eodem die duos ordines, de iis qui ſunt ſacri, priuatur poteſtate conferendi tales ordines, ita decretalis, Honor. 3. in cap. delectus 15. Innoc. 3. in cap. literas 13. de temp. ordin.

Sexto, ſæculares ne peccẽt, non niſi inſtructi titulo aliquo beneficiali, cum redditibus ad viuendum neceſſariis, quos legitimè poſſideãt, ac pacifice: pati debent, ſacro ſe initiari Ordine, & quanquã eos patrimonio ſufficienti præditos eſſe accideret, aut pẽſione, hæc tamen ſatis eis non eſſent, ad recipiendũ ordinem, niſi de licentia Epiſcopi, iudicantis eum impertiendum eis eſſe ob commodum ac neceſſitatem Eccleſiæ, Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. *Eo quoque prius perfecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe quæ ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint, atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium Eccleſiaſticum ſint adepti, vel aliunde habeant, vnde viuere poſſint,* Trid. ſeſſ. 21. c. 2.

Titulo adiungenda eſt motum probitas, quæ in hoc maxime conſiſtit, quod ordinandus, teſtimonio ſuæ conſcientiæ fretus, intelligat ſe nulla irregularitate, aut cenſura aſtrictum eſſe, nullo peccato teneri, aut infamia, quæ ab ordinibus retardent, eorumq; vſu, Nauar. cap. 23. Enchir. num. 69.

Quod

Quod ad ſcientiam attinet, non eadem omnium, ac æqualis eſſe debet, decreto Concil. ſeſſ. 23. ca. 11. minores Ordines *iis qui ſaltem linguam Latinam intelligunt, conferuntur*: ad Diaconatum & Subdiaconatum requiritur eruditio tanta, quantam hi Ordines exigunt. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. ad Presbyteratum promoueri hi ſoli poſſunt, *qui ad populum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, examine præcedente, idonei comprobantur*, ſeſſione 23. cap. 14. Epiſcopus autem *ſcientia eiuſmodi pollere debet, vt muneris ſibi iniuncti neceſſitati poſſit ſatisfacere, ideoque ante in vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico ſit promotus* Trid. ſeſſ. 22. cap. 2.

Septimò, ſuſcipi Ordo non poteſt, niſi tempore à iure ſtatuto. Pet. Greg. de beneficiis cap. 36. qui ſecus facit, ſuſpenditur ab executione accepti, cap. cùm quidam 8. de tempor. Ordinat. donec per Pontificem abſoluatur, cap. litteras 13. eodem tit. quod non poteſt facere Epiſcopus, cap. conſultus 16. eiuſdem tit. Et quia ſuſpenſus ab Ordine eſt etiam ad miniſterium Eccleſiaſticum obeundum inhabilis, ei beneficium conferri nullum poterit, cùm non detur niſi propter officium, cuius ex hypotheſi ſic ſuſpenſus eſt incapax, cap. Paſtoralis 53. parag. fin. de appellation. Rebaptizati item tam ſcienter, quàm ignoranter, maximè ſi poſt factum, ratam iterationem Sacramenti habuerint, ordinari prohibentur. can. 15. qui ignoranter diſt. 4. initiati tamen characterē recipiunt, quemadmodū apoſtatæ, can. placuit, & can. hi qui, diſt. 50. & neophiti, can. 1. diſt. 48. hæretici, cap. quicunque, & cap. ſtatutum de hæreticis in 6.

Octauò, peccāt qui ex illicito connubio, ſine diſpenſatione ad Ordinem veniunt, cap. 1. de filiis Presbyter. ſufficit tamen ad Minores Epiſcopi diſpenſatio, ad Maiores non item, Pontificis facultas requiritur, etſi vitium ſit occultum. Nauar. cap. 27. numero 201.

Nec id prætereundum, à Catholicis duntaxat Antiſtitibus, Ordinationem petendam, nam Conſtantinopolitani Conc. ſtatuto Ordinati à Maximo hæretico, & Cynico Philoſopho, omni gradu honoris in Eccleſia, vnaque Ordinum vſu ſunt exuti: *Statutum eſt*, inquiunt eo loco Patres, *ne hi qui ab eo ordinati ſunt, qualemcunque gradum Clericatus obtineant, vſu Ordinum gaudeant* πάντων δὲ τῶν παρ' αὐτοῦ καὶ τῶν παρ' αὐτοῦ χειροθεσιῶν ἀκυρουμένων, *, omnibus quæ circa eum, vel ab eo geſta ſunt, in irritum reuocatis.*

Nonò, peccat qui cum ſimonia initiandum ſe offert, pœna ſic Ordinati eſt ſuſpenſio ab executione ſuſcepti Ordinis, ὁ χειροτονήθεις μηδὲν ἐκ τῆς κατ' ἐμπορείαν ἀφελείσθω χειροτονίας ἀ σφενδόνης ἀλλ' ἴσην ἀλλότριος τῆς ἀξίας ἀ τὸ φερόμενον ὑφ' ἑαυτὸν χρήματα ἴσχῃ, Chalcedon. Conc. can. 2. *Sic Ordinatus nil ex hac Ordinatione per negotiationem facta proficiat, ſed ſit alienus à dignitate & ſolicitudine quam pecuniis acquiſiuit,*

Decimò, qui in Sacerdotem ordinatur, tenetur neceſſitate præcepti, tangere calicem & patenam, cui ſuperimpoſita eſt hoſtia. An autem immediatus eſſe hic contactus debeat, diſputant Auctores. Probabilis eſt opinio, mediatum ſufficere, ſaltem reſpectu patenæ, quia ſecundùm communem vſum, tangi cenſetur patena, quando calix tangitur, & proinde ſufficit calicis ſolius contactus ad valorem Sacramenti.

Nihilominus quia hoc certò non conſtat, & eſt omnis, in Sacramentis quærenda ſecuritas, curandum eſſe, ait Coninch. diſp. 20. dub. 7. num. 71. vt tam calix, quàm patena immediatè tangantur, grauiterque proinde peccaturum qui ſecus faceret.

QVÆSTIO XIII.

Qui ſint effectus huius Sacramenti.

Effectus Ordinis præcipui ſunt tres. Primus ei cum Sacramentis communis, eſt gratia ſanctificans, quam ex opere operato Ordinato tribuit. Trid. ſeſſ. 7. can. 6. & 8. & ſeſſ. 23. can. 4. Florentin. in inſtructione Armenorum, quod vt poſſimus credere, faciunt probationes ſequentes.

Prima, quòd Sacramentis nouæ legis adiuncta ſit gratia, id enim faciunt quod ſignificant: At ordo Sacramentum eſt. Trid. ſeſſ. 23. can. 3. Eſt ergo gratia effectus Ordinis.

Secunda, qui ritus, Spiritum ſanctum animæ communicat, idem quoque cauſa eſt gratiæ, cùm hæc ſeiungi à Spiritu ſancto, cauſa ſcilicet ſua, nequeat, ſed Ordinationis ſacræ fructus longè certiſſimus, eſt communicatio ſancti Spiritus Ordinato. Trid. ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, anathema ſit*: Et in Chalcedonenſi can. 2. iubetur Epiſcopus de gradu deiici, hoc eſt, magiſtratu quem gerit in Eccleſia exui, *qui per pecuniam Ordinationem fecerit, & pretio redegerit Spiritus ſancti gratiam, quæ vendi non poteſt*: huius ergo Sacramenti effectus eſt gratia. Sanè habet eius opera, beneficioque Sacerdos, vt Sacramenta conferre queat: ergo vt dignè, vt laudabiliter id peragat, certa ei eſt ſupernè communicanda gratia, certa diſtribuenda è cœlo munera, quibus tantæ, ac tam excellenti Prouinciæ par ſit & æqualis.

Secundus effectus Ordinis, eſt character, quo nomine, Theologi poteſtatem intelligunt adminiſtrandi Sacramenta, aut vt aliis placet, eius poteſtatis ſignum perpetuum, ac indelebile, productum vi Ordinationis in Ordinati mente. Qua de nota, ne dubitare fas vlli ſit, cauit Trident. dicto anathemate, ſeſſ. 7. can. 9. & ſeſſ. 23. can. 4. ei qui illam obſtinatè negatum iret.

Confirmatur. Signum characteris impreſſi, aut imprimendi per Sacramentum aliquod, eſt quod iterari non poſſit, vt Trid. indicat ſeſſ. 7. can. 9. cùm ait characterem eſſe *ſignum quoddam Spirituale & indelebile, vnde habet Sacramentum vt iterari non poſſit*, ſed Ordines ſemel ſuſcepti iterari nequeunt. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. Auguſtinus 2. contra Parmenianum, cap. 13. Cypr. de cœna Domini, vbi cum Auguſt. Ordinem Baptiſmo in hoc ſimilem eſſe narrat, quod vt hic, ſic ille iteratè conferri non poſſit.

Tertius effectus Ordinis ſacri, eſt imponere Ordinato legem continentiæ, facit enim Eccleſia, ſacris Ordinibus præditum, inhabilem ad matrimonium, qua lege, Græcos quoque aſtrictos eſſe, quamuis inuiti ad Ordines arripierint, ſcripſit Paludanus in 4. ſent. diſt. 37. q. 1. ar. 1. concl. 3. cuius ſententiæ cō probatores ſunt Theologi multi, iique non partium ſecundarum, vt Durand. in illam ipſam diſt. 37. q. 1. Altiſiodor. in 4. ſuæ Summæ, tract. de mat. & alij de quibus nos poſtea.

Violantis hanc legem pœnæ ſunt multæ. Om-

nium prima est excommunicatio, inflicta à Clem. in Clem. Eos qui de consanguin. & affinit. qua pœna animaduertit similiter in Regulares professos, ac professas, nec non in laicas personas, quæ in gradibus consanguinitatis & affinitatis interdictis, scienter contrahunt, aut cum Monialibus.

Secundò, sunt istiusmodi Clerici qui contra statutum Ecclesiæ matrimonium ineunt, ipso facto priuati beneficiis, ex Gloss. in cap. 1. de Cleric. coniugat. Sunt item irregulares ex decret. Alex. III. ex literarum, qui Cleric. vel vouentes.

Tertiò, Sacerdos qui vxorem ducit, lege generali Ecclesiæ præscripta in Neocæsar. Concil. quæ refertur in can. Presbyter, distinct. 28. deponi debet, hoc est ab Ordine, & beneficiis depelli.

Quartò, censetur bigamus, ea bigamiæ specie, quæ similitudinaria dicitur. Angelus in verb. bigamia, num. 7. Sylu. eod. tit. num. 3. nec ad nouos Ordines promoueri potest, vt colligitur ex decreto Innoc. III. quæ incipit Nuper, atque ex postrema eod. tit..

Ac si prolem ex eiusmodi incestis nuptiis suscipit, non erit hæreditatis capax. Concilium Tolet. 9. can. 10. & quidem tam maternæ, quàm paternæ, secundùm Archidiacon. in interpretatione canonis, cum multæ 15. q. vltima.

Explicantur dubia quædam ad sacramentum Ordinis pertinentia.

PRimum, *An vt Ordinatio Sacerdotis sit valida, oporteat calicem ei tradi cum vino.*

Negant Filliuc. to. 1. tract. 9. cap. 2. num. 4. Homob. de exam. Eccl. par. 1. tract. 4. cap. 9. q. 75. Henriq. lib. 10. cap. 6. n. 1. eorum præcipua, solaque ratio est, quod Sacerdoti, dari non potest facultas consecrandi corporis Christi, quin vna quoque tribuatur & sanguinis, eo quod, vnus speciei consecratio, separari non potest ab alia, ergo cum traditione patenæ cum hostia, Sacerdos accipiat ab Episcopo potestatem in Christi corpus, eandem etiam accipiet in sanguinem.

Contraria sententia mihi vt tutior, ita & probabilior videri solet, cuius defensores sunt ac patroni Ledesma in summa tom. 1. de Sacr. Ordin. cap. 3. diffic. 3. Crucius in direct. parte 2. de Sacr. Ordin. dub. 2. cõclus. 1.

Ratio est, quod quilibet ordinatur ex communi Doctor. sententia, traditione materiæ, circa quam ministerium suum implet, ergo cum vinum, pars sit materiæ Sacerdotij, eo in calice non exhibito, videtur non conferri, proindeque supplendum postea ab Episcopo, quod ei defuit ex incuria, aut obliuione ministrorum, vel verius iterandum Sacramentum, quia est defectus in substantia materiæ, seu in his, quæ sunt de necessitate Sacramenti.

Secundum, *An qui Sacerdotij ordinem in ætate non iusta recipit, sit suspensionis censura irretitus.*

De eo dubitare nefas est hoc tempore, cum eam infligat Pij II. constitutio cum ex sacrorum, cuius meminere, Nauar. in man. cap. 27. de Beia to. 1. respons. casu 34. hanc Clemens VIII. noua quadam sua constitutione confirmauit & innouauit. Quare qui in eam committunt, ipso iure sunt suspensi. Ad id tamen duo sunt necessaria, primum scientia legis in ordinato. Alterum dolus, vel saltem culpa lata & mortalis, Portel. in dubiis regul. A ver. Ordines sacri num. 13. Villal. in sum. tom. 1. tract. 11. diff. 11. n. 6. de Beia loco ante citato, quia Pius II. exigit præsumptionem, quę non est sine culpa, & notitia legis violatæ, aut violandæ. Auila de Censur. par. 3. disp. 5. dub. 7. his omnibus mitior, scribit ab ea censura, crassam ignorantiam excusare; quam vult ab affectata sola, & dolo, deriuari in ordinatum.

Quare qui bona fide, ad ordines accedit, putans ea se ætate esse, quam Ecclesiasticæ sanctiones præscribunt, à suspensione omni est liber, quia qui sincerè, sine dolo, ac mala arte, quidpiam facit, bonáque fide, non dicitur præsumere, quod tamen Pius exigit ad incurrendam hanc suspensionem. Nauar. in Manu. cap. 27. nu. 155. & quanquam B qui eum præcessere tempore Summarum scriptores, crediderint, pœnam ferendæ sententiæ, non latæ, Pontificem infligere his, qui sine legitima ætate Sacerdotes creantur, est hæc tamen eorum opinio, omnino aliena à vero, suspensio enim ipso facto verè, ab eo est lata, contra eos, qui extra legitima tempora, vel ante debitam ætatem, aut sine literis dimissorijs, sacrum aliquem ordinem accipere præsumpserint, donec ab Ordinario absoluantur, & de hac re dubium nullum esse potest.

DVBIVM 3. *An hac suspensio incurratur, ob quemlibet ordinem etiam minorem, illegitimè, id est vno ex tribus illis modis prohibitis, receptum.*

Nequaquam, sed ob sacrum duntaxat, aduertendum tamen, quod etsi propriè non sit suspensus, C itaut exercendo sui Ordinis actum, irregularis fiat, qui sine literis dimissorijs, aut ab alieno Episcopo, sine proprij licentia, Ordines Minores accipit; peccare tamen mortaliter, ministeriumque receptorum Ordinum proprium, ipsi interdicendum esse, vt habetur in cap. quod translationem, de temporib. ordination.

Dico amplius, verè Ordinis ita accepti exercitium illi interdictum esse, itaut ministrando peccet, antequam dispensationem accipiat, facit enim cõtra præceptum Ecclesiæ in re graui, sic enim Episcopi in Nicæno Concil. can 16. *Si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, in sua Ecclesia Ordinare, cum non habeat consensum illius Episcopi à quo recessit Clericus, irrita sit huiusmodi ordinatio.* D Et in Sardicensi can. 19. *Osius Episcopus dixit, & hoc vniuersi constituimus, vt quicunque ex aliena Parochia voluerit alienum ministrum sine consensu ipsius Episcopi, & sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio eius.* Eandem sanctionem subscripsit Concil. Chalcedonense act. 15. cap. 6. quod caput in decretum retulit, Gratian. dist. 70. can. neminem, idipsum constituit, Concil. Antiochen. can. 13. & 22. Trident. sessione 6. cap. 5. ibi enim sic decernitur. *Nulli Episcopo liceat, cuiusuis pretextu priuilegij, Pontificalia in aliena Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij ipsius licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi.*

E DVB. 4. *An religiosi suspensi sint ab Ordine quo sunt initiati ante ætatem.*

Non esse, dixere, Henriq. de pœnit. lib. 27. ca. 24. in Glossa litera K. Emm. Saver. Religiosus, maxime si sint de familia aliqua Mendicantium, his enim à Pio V. concessum aiunt, viuæ vocis oraculo, vt exempti Concilij legibus, ad sacros ordines aspirarent infra ætatem quam in ordinandis prædictum Concil. exigit.

Sed huic priuilegio derogasse Gregor. XIII.

Digitized by Google

narrant hiſtoriæ, ſane conſtat Sixt. V. pari eos loco, quo ſæculares Clericos habere, omneſq; ſuo motu comprehendere, contra quem, ſi minores annis quam Concilium exigit, ſacris ſe ſinant admoueri Ordinibus, ab eorum vſu, miniſterioque, vult eos, vt ſæculares Clericos eſſe ſuſpenſos ipſo facto.

Sa loco citato, Diana de dubiis regul. reſol. 59. opinioni ſuæ robur aduocant, à Congreg. Cardinalium qui diiudicandis Concil. quæſtionibus præſident, à quibus aiunt reſponſum eſſe, priuilegium hoc recipiendi ordines, ante ætatem reuocatum quidem fuiſſe à Gregor. ſed poſtea Regularibus (incertum qua ex cauſa) reſtitutum, & ita *videri*, verba ſunt Emman. Sa, *Poſſe Religioſos ordinari ante legitimam ætatem.* Hæc ſententia eſt probabilis, probabilior tamen altera.

Dubium 5. *An in ea cenſura diſpenſare p ſſint Prælati cum Religioſis ſibi ſubiectis.*

Poſſe perſuadent rationes quæ ſequuntur, Prima, quod ab Epiſcopo, aut eius Vicario, remitti hæc illis culpa valeat, ſi ſit occulta, nec deducta ad forum contentioſum, Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 6. Viuald. in Candel. aureo, titulo de tempore Ordinationis num. 3. Henriq. to. 2. lib. 14. cap. 20. At conceſſione Pij V. facta Patribus Dominicanis verbo *Abbas*, num. 6. tantundem licet Superioribus, reſpectu Regularium quibus præſunt, quantum Epiſcopis, reſpectu ſuorum ſubditorum, in ordine ad diſpenſationem, Portel. in dub. Regul. verbo Ordinis ſacri ſuſpenſio,

Secunda, licet Prælatis eorum Regularium, qui Mendicantes appellantur, maxime verò, Patrum, qui ſunt è cœtu S. Franciſci, ſubditos ſibi Fratres, abſoluere ab omnibus cenſuris Papæ reſeruatis, ac verò etiam in irregularitate occulta contracta ex homicidio voluntario, vt notarunt Rodrig. tom. 2. q. 20. art. 14. Portel. loco proximè citato, & in verbo Confeſſor ergo Fratres.

Sed ſuſpenſio promoti ante ætatem, cenſura eſt Eccleſiæ, eaque reſeruata Papæ, ergo de earum numero, quæ eius beneficio, ac conceſſu, ſunt in Prælatorum iure.

Obiicies, Priuilegia Regularium, à Sixto V. reuocata fuere, & à Conc. ſeſſ. 23. cap. 12. Prodeſſe his ergo nequeunt, nec proinde abſolui eorum intuitu, ſi quid ſcientes, in canones admiſerint.

Reſpondendum, per Concil. non reuocari priuilegium abſoluendi ſubditos, cum quid peccant dignum venia, ſed illud duntaxat, quo Regularibus licebat offerre ſe ad Ordines ante ætatem legibus præſtitutam.

Reſpond. 2. quæ priuilegia, à Sixto V. abrogata fuerant, hæc à Clemente VIII. & Paulo V. Religioſis reſtituta fuiſſe, cum omnia quæ hactenus eis conceſſa fuerant, ex certa ſcientia, id eſt vltro ac ſponte, nec rogati confirmarunt. *Dixi ex certa ſcientia nam confirmatio quæ ſit hoc modo reualidat priuilegium à prædeceſſore reuocatum per ſpecialem Bullam ſeu reuocationem*, Portelius in dub. Regul. verbo Priuilegij Confirmatio num. 33.

DVBIVM 6. *An Ordinatus bona fide ante ætatem, ſit irregularis, ſi ſuſcepto Ordine vtatur, ac in eo celebret.*

Dicendum non eſſe, quia ad irregularitatem incurrendam, de qua eſt hic ſermo, requiritur culpa, eaque mortalis, at hæc ſtare cum bona fide non poteſt. Quid eſt bona fides? opinio in operante, quod res in qua verſatur expers ſit culpæ, proindeque eiuſmodi in qua occupari poſſit licite, at non modo peccatum, ſed ſuſpicionem eius omnem abſtergit, ac delet hæc antecepta animo notio, quod hæc, aut illa actio, vacet culpa, ergo, &c.

Confir. vt quis ex malo vſu Ordinum irregularis fiat, requiritur in celebrãte cum ſuſpenſione incurſa, ideo quod Ordines, ante legitimam ætatem ſint ſuſcepti requiritur (inquam) præſumptio, ac cum audacia, ſcientia præcepti quo id ſub ea pœna vetatur, at aliena eſt ab his malis, præſumptione, ſcilicet & audacia, bona fides, non eſt ergo quandiu durat, timenda irregularitas.

Quid ſi Ordinandus, ſciens & volens Sacerdos fiat, antequam eam ætatem attigerit, quam Eccleſiaſticæ præſcribunt ſanctiones, tùmque ſacrum ex Eccleſiæ ritu, cum Epiſcopo faciat, notam ne irregularitatis ſubibit?

Non ſubire perſuadetur his argumentis. Primum eſt. Quod ea Miſſa quam noui Sacerdotes in collatione ordinum, cum Epiſcopo celebrant, non tam ſit eorum, quam Epiſcopi actio, argumento eſt, quod nemo prudenter dixerit, Ordinatum dixiſſe primam ſuam Miſſam.

Secundum Miſſa eſſentialiter eſt ſacrificium, quo Sacerdos Deo Patri Filium offert. At etſi noui Sacerdotes, conſecrando, Sacrificium faciant, non tamen illud offerunt, nec conſummant, ergo proprie non celebrant eo ritu, ac modo celebrandi, qui hominem, qui ſuſpenſus eſt, faciat irregularem, hic enim quatuor includit, quæ ad ſubſtantiam ſacrificij pertinent, Oblationem, Conſecrationem, Fractionem, & Conſumptionem, quarum partium, cum tres, noui Sacerdotes, qui cum Epiſcopo celebrant, omittant, in irregularitatem non incident, ob Miſſam in ſuſpenſione dictam.

Confirm. cum agitur de pœna, verba legis, qua imponitur delinquenti, ſumi debent propriè, at Miſſa quatuor illa complectitur, de quibus argumento proxime præcedenti, quorum tria nouus Sacerdos non attingit, ergo Miſſam propriè ſumptam, non celebrat, eſt ergo ab irregularitate immunis, de qua hic fit quæſtio.

Fauent huic ſententiæ verba, quibus Epiſcopi admonent Sacerdotes poſt manus eis impoſitas *Quia res quam tractaturi eſtis, ſatis periculoſa eſt, Fratres chariſſimi, monco vos diligenter, vt bonefidè totius Miſſæ Ordinem, & hoſtiæ conſecrationem, atque communionem, ab aliis iam doctis Sacerdotibus diſcatis, priuſquam ad Miſſam accedatis.* Indicant enim hæc verba, Miſſam quam cum Epiſcopo celebrarunt, nec eorum propriam, nec primam eſſe.

DVB. 7. *An Ordinatus vi, vel metu, teneatur neceſſaria lege continentiæ.*

Dubitandi hæ ſunt cauſæ. Prima quod quæ metu fiunt abſolutè ſunt voluntaria, inuoluntaria autem tantum ſecundum quid. Secunda, quod tam ex Eccleſiæ lege, quàm voto, ſacro Ordini apud Latinos, ſit adiuncta, obligatio caſtitatis: hinc enim petitur dubij occaſio, de quo varij ſenſere varia.

Panormitanus in c. maiores de Bapt. n. 7. cenſet eum qui propter metũ cadentem in virũ cõſtantẽ ad ſacros ordines acceſſit, voto ſolẽnis continentiæ aſtrictum eſſe. Eiuſdem ſententiæ comprobatores ac comites ſunt Paludan. in 4. diſt. 37. qu. 1. Altiſiodorenſ. in 4. ſuæ ſummæ, tract. de matrimonij impedimento quarto & quinto. *Si ille*, inquit, *qui ſuſcipit, non intendit aliquid promittere, ſtultus eſt, debet enim ſcire, ad quæ obligatur ex ordine, etſi nullo modo intendit vouere, cum ipſo facto, ſcilicet ipſa ſuſceptione voueat.*

Hanc tantorum Theologorum opinionem im-

probat. Nauar. in cap. 22. Manu. num. 51. & 52. sunt hæc eius verba. *Quod licet suscipiens ordinem sacrum metu iusto, verum characterem ordinis suscipiat, non tamen obligatur voto continentiæ illi annexo.*

Huius sententiæ firmamentum præcipuum est, quod legibus Ecclesiæ, *quæ metu & vi fiunt debeant de iure in irritum revocari.* Alex 3. cap. 2. de his quæ vi, &c. *Quod quæ vi, metusve causâ fiunt carere debeant robore firmitatis*, Innoc. 3. cap. ad audientiam 4. Quod votum, timore expressum, id est cuius emittendi causa extitit, incussus metus, isque gravis, inane esse, ac nullarum virium, dicat Alexand. 3. in cap. perlatum primo de his quæ vi metusve, &c. Hincque sequi ait Ostiensis in cap. maiores de Bapt. num. 38. Quod ordinatus iusto metu, *Nisi postea ratificet, quod factum est, non cogi effectum characteris servare, si tamen ratificaverit, & privilegio utetur Clericali, & continere compellitur*, qui sensus est decretalis primæ Alexand. 3. in titulo de his quæ vi metusque &c. Ibi enim valere votum, ait, conceptum timore, sed non gravi, aut si eiusmodi fuit initio, quod postea tamen est verbis, aut opere approbatum, placet eum audire de voto loquentem. *Si legitimè probatum fuerit non timore mortis prædictam mulierem religionem intrasse, aut quod fecit postmodum ratum habuisse, ipsam ad Monasterium redire, & habitum depositum reassumere censura Ecclesiastica compellatis.*

Hæc sententia est probabilis probabilior tamen altera, fidemque habet ab authoritate D. Thom. & ratione. duplici.

Prima est quod obligatio seruandæ castimoniæ, adiuncta sit ordini non voto, Ordini quidem, quem qui volens suscipit, lege Ecclesiæ redditur inhabilis ad matrimonium, at quę metu fiunt absolutè sunt voluntaria, ergo ordinatus, consensu extorto per metum, cadentem in constantem virum, voto castitatis tenetur. Quod Ordo sacer, causa sit, sine qua non huius obligationis, docent Richard. in 4. dist. 37. art. 1. q. 1. Maior in eand. distinct. q. vnica, & probatur. Si necessitas continentiæ quam Ecclesia imponit suscipientibus Ordinem sacrum, referenda est in votum, & non in statutum dictæ Ecclesiæ, votum & Ordines, futura sunt, non duo, sed vnum tantùm impedimentum matrimonij, quod abhorret à communi Doctorum consensu.

Secunda ratio petitur à Concilio Tolet. 4. in eius decreto 56. vt refertur distinct. 45. can. de Iudæis, 5. statuitur, vim afferendam esse esse Iudæis, qui Christianæ religioni nomen dederant, Sisibuto Principe regnante, cogendosque, vt eius cæremonias, iussaque omnia seruent, verba canon. sunt ista: *Qui iampridem ad Christianitatem coacti sunt venire (sicut factum est temporib. religiosissimi Principis Sisibuti) quia iam constat eos Sacramentis diuinis sociatos, Baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & corporis & sanguinis Domini extitisse participes, oportet vt fidem, quam etiam vi vel necessitate susceperunt, tenere coganturs, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis & contemptibilis habeatur*: at pro castitate Clericorum, qui sacris se Ordinibus initiari sunt passi, faciunt ambæ hæ causæ, cùm nemo sit futurus, cui offensionem Clericorum eiusmodi, nuptiæ non sint allaturæ, ac scandalum pariturę plebi. *Cùm enim tradit Episcopus calicem & patenam Subdiacono, tunc transfert Subdiaconus potestatem corporis sui, in dominium domini, vnde de cætero contrahere non potest, quia non habet potestatem corporis sui, sed Domini.* Hæc Altis. in 4. Summæ, tract. 9. de Matrimonio, impedimento quarto. Sunt his consentanea, quæ scripsit D. Thom. dist. 37. qu. 1. art. 1. nempe apud Græcos Ordinem sacrum, non habere vim impediendi matrimonium, & obligandi ad continentiam Ordinatum, propter votum, sed propter ipsum Ordinem, apud Latinos autem propter vtrumque. Maneat ergo quod erat in quæstione positum, Ordinatum, metu quamlibet iusto & graui, continentiæ iugo astrictum teneri.

Dub. 8. *Quibus pœnis plectatur Clericus, sacris Ordinibus ornatus, matrimonium contrahens.*

Octo sunt pœnæ ab Ecclesia in Clericos constitutæ si sacris Ordinibus præditi, matrimonium contrahant. Prima est depositionis, seu degradationis, cuius fit mentio in sexta Synodo generali Constantinop. can. 13. & à Zachar. Papa, in epist. ad Bonifac. Episcopum, his verbis: *Si quos tua fraternitas repererit Episcopos, Diaconos, Presbyteros, contra canones, ac statuta Patrum excessisse, id est, si vxores plures habuerunt, nulla ratione, Apostolica auctoritate permittas, Sacerdotio fungi, quia tales, à suo proprio ore, falsi nominantur Sacerdotes, & peiores ac deteriores sæcularibus esse noscuntur.* Et in Conc. Neocæsarienſi can. 1. hæc habentur: *Presbyter si vxorem duxerit, ab Ordine suo deponi debet, quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abiici, & ad pœnitentiam, inter laicos, redigi oportet.*

Est autem depositio Iurisperitis, ædificij demolitio, lege 9. paragr. item Pomponius, digest. quòd metus causa, sic etiam deponere ædificium, deprimere significat. l. 9. digest. si serui vindic. metaphoricè & apud Pontificios, depositio est amotio ab Ordine, & beneficiis, facta sine solennitate, quæ & degradatio dicitur.

Secunda pœna, qua legibus Ecclesiæ sacrilegi Clerici, de quibus est quæstio, multantur, est amissionis beneficiorum omnium, ex Glossa in cap. 1. de Cleric. coniugatis, Lessio de beneficiis.

Tertiò, habentur Apostatæ. Sylu. in verbo Apostasia, q. 2. num. 5.

Quartò, sunt bigami, bigamia quæ similitudinaria dicitur: & hæc accidit, quando quis diuersis temporibus, duas vxores habuit, vnam de facto, aliam de iure, & cum vtraque copulam carnalem, vel cùm post factam professionem religionis, aut susceptionem Ordinis sacri, contrahit: Angelus in verb. bigamia, num. 7. Emm. Sa in eod. verbo. Glossa in cap. 1. de bigamia non ordinand. Piasecius in praxi Episcop. parte 1. cap. 1. de conferendis Ordinibus, art. 6. num. 6.

Quintò, sunt irregulares, patet ex decretali Alex. III. ex literarum 1. qui Clerici vel vouentes, ibi enim collaudata Cœnoman. Episcopi prudentia, qui Subdiaconum à sacris altaribus remouerat, in pœnam matrimonij à se contracti subiicit: *Si ad Monasticum ordinem transire volueris, & tibi, post laudabilem ipsius conuersationem visum fuerit, cum ad maiores Ordines promoueri concedas, quod si ad religionem se transferre nolueris, eum neque in Subdiaconatu ministrare, nec ad vltteriores Ordines promoueri permittas.*

Ad hæc sunt istiusmodi Clerici excommunicati, excommunicatione quæ est latæ sententiæ, & quam Clemens quintus in Clementina prima de consanguinitate & affinit. vult ab Ordinariis locorum publicari, *vt sic suum humiliter re-*

cognoſcentes errorem, ſeparentur ab inuicem, & abſolutionis beneficium obtinere mereantur.

Reliquæ duæ ſunt pœnæ, quæ non tam Clericos coniugatos attingunt, quàm eorum filios, quos Concil. Tolet. 9. ab hæreditate tam paterna, quàm materna excluſos, eius Eccleſiæ, cui eorum parentes ſuberant, vel ratione Ordinis ſuſcepti, vel delicti in ea admiſſi perpetuæ ſeruituti addicit. *Quilibet* (inquit canon) *ab Epiſcopo uſque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancilla, vel ex ingenuæ deteſtando connubio, filios procrearint, illi quidem ex quibus geniti probantur, canonica cenſura damnentur: Proles autem ex tali pollutione nata, non ſolùm hæreditatem parentum nunquam accipiet, ſed etiam in ſeruitute eius Eccleſiæ, de cuius Sacerdotis ignominia nati ſunt, iure perenni manebunt.*

Dubium 9. *An ſit in poteſtate Epiſcopi ordinare quemlibet validè, & ſine culpa.*

Dico 1. *Ordinatum ab Epiſcopo, recipere characterem, & verum Ordinem*: Quia iure diuino Epiſcopus miniſter eſt huius Sacramenti, ergo ſi omnia adhibet, quæ neceſſitate Sacramenti, ad validitatem Ordinis afferri debent, in Ordinato characterem imprimet.

Dico 2. *peccare Epiſcopum, cùm ſine licentia Ordinarij, Clericum alienum, ſibique non ſubditum ordinat.* Conc. Antiochen. can. 21. Sardicen. can. 19. Carthag. 3. can. 21. Bonifac. VIII cap. cùm nullus 3. de tempor. Ordination. n 6. Ratio eſt prima, quòd contra præceptum Eccleſiæ faciat. Secunda, quòd Epiſc. ordinando non ſuum pacem & concordiam, quæ inter Præſules, eorumque ſubditos debet intercedere, ſuſdeque tollat, & perimat.

Dico 3. *Epiſcopum qui ſecus facit, à collatione Ordinum, in quibus peccauit, ſuſpenſum eſſe per annum, Ordinatum autem, ab Ordinis ſuſcepti exercitio, ad Epiſcopi ſui beneplacitum.* Trid. 23. cap. 8. de reformat. & ſeſſ. 14. cap. 2. his verbis. *Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promotus ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec Prælato ſuo viſum fuerit, ipſo iure ſit ſuſpenſus*, & in Sardic. can. 39. *Vniuerſi hoc ſtatuimus, vt quicunque ex alia Parochia voluerit alienum Miniſtrum ſine conſenſu & voluntate Epiſcopi ordinare, non ſit rata Ordinatio eius.* Additum in Antioch. can. 21. vt Ordinator ab Epiſcopis comprouincialibus *coerceatur in Synodo.*

Dico 4. *Non etiam minores ab alieno Epiſcopo, conferendos non eſſe Clerico ſibi non ſubdito.* Ita Doctores: Et probatur primò, quia iura abſolutè, & indiſtinctè de Ordinibus loquuntur, maximè Bonifac. in cap. cùm nullus cit. ergo cùm Ordinum nomine, non modò Maiores, ſed intelligantur & alij, vt illos conferre non ſubdito, eſt nefas, ita & iſtos, quod declaraſſe Congregat. Concil. author eſt Piaſecius in praxi parte 1. cap. 1. art. 2. numero quarto.

Caſus ſunt tamen aliqui, in quibus ordinari quis poteſt ab Epiſcopo alieno ſine literis commendatitiis, aut proprij facultate Præſulis.

Primus eſt, cùm Ordinandus eſt de eorum numero, qui profeſſi vitam Cœnobiticam, *deputati à ſuis Superioribus in non exemptis Prioratibus verſantur. His enim poſſunt à locorum Diœceſanis, quandiu morantur in ipſis Prioratibus, non exemptis, ordinari licitè, licet non ſint de eorum Diœceſibus oriundi.* Bonifac. in cap. cùm nullus 3. de temporib. Ordinat. in 6.

Secundus eſt, cùm creditur id gratum fore proprio Epiſcopo. Samuel de Lublino in verbo Ordo, num. 2. ſed pace eius ſit dictum, id non videtur ſatis eſſe ad vitandam culpam: nam canones 3. & 4. tit. de temporibus Ordinat. in 6. licentiam exigunt, atqui ratihabitio de futuro licentia non eſt. In quo ergo ſenſu poteſt admitti, Epiſcopo alieno fas eſſe initiare ſacro Ordine non ſuum, ſub ſpe conſenſus Ordinarij, vbi factum reſciuerit?

Nimirum ſi hic conſenſus eſt præſens, ſi quo tempore Clericus ordinatur in Sacerdotem, aut Diaconum, proprius eius Epiſcopus aſſenſum præbeat, de quo, coniectura ex eius ſilentio eſt petenda: *Qui enim tacet, vtique non reclamando, cùm eum loqui oporteret, conſentire videtur* de regul. iuris in 6. reg. 43.

Tertius caſus, in quo Epiſcopus non ſibi ſubditũ ordinare poteſt, eſt cùm in eius familia triennio vixit vt familiaris, hunc enim oriundũ ex aliena Diœceſi, tùm ad Ordines ſacros admitti poſſe ait Trident. ſeſſ. 23. cap. 9. *Dummodo beneficium, quacunque fraude ceſſante, ſtatim ab Ordinante, reipſaillis conferatur*, quod in Minoribus valere quoque ſcripſit Geminian. in cap. cùm nullus de tempor. Ordinat. in 6. hocque declaraſſe Congregat. Concil. teſtatur Rota deciſ. 731. nm. 3. par. 1. Dicitur autem familiaris, qui perpetuo adhæret Epiſc. qui eadem cum illo menſa vtitur, ac domo, *& in eius expenſis, continuè commenſalis, & domeſticus, etſi illum aliquando pro eius gerendis negotiis, abeſſe contingat.* Bonifac. VIII. de verb. ſignificat. in 6. ca. ſicut nobis 5. Commenſalem dixi, nam qui ſumptibus quidem Epiſcopi viueret, ſed in loco, ab eius habitatione procul poſito, huic familiaris appellatio non competeret. Maiolus de irreg. cap. 2. num. 5. quia eius ingenium, mores, vitamque, ac indolem, ob locorum intercapedinem, raroſque congreſſus, aut verius nullos, quos cum eo habet, noſſe non poteſt, nec proinde ſcire, dignuſne ſit, aut indignus magiſtratu Eccleſiaſtico, ad quem per Ordines aſpirat, hunc autem ambiguæ fidei homini, ac incertæ virtuti deferre, quid eſt aliud, quàm ſe, Deique cauſam prodere?

Dub. 10. *An præter alienigenas alij quoque ſint quos ordinare Epiſcopo ſit nefas.*

Primò enim prohibentur Ordinem ſuſcipere *Officiales*, id eſt, qui in forenſi exercitatione ſunt verſati. Tolet. 1. can. præterea, & diſt. 13. can. 1.

Secundò, *Curiales*, id eſt, ſecundùm Innoc. in epiſtola 24. cap. 2. ad Epiſcop. Hiſpan. *Illi qui dum parent poteſtatibus, quæ ſibi ſunt imperata fecerunt.* diſt. 34. can. præcipimus, verſu vel Curiæ, & can. præterea 1. diſt. 51. can. deſignata, can. vlt. qui Curiæ, diſt. 63.

Tertiò, remouentur *mulieres*, cap. noua de pœn. & remiſſ. 10. *Quia licet beatiſſima Virgo dignior fuerit & excellentior Apoſtolis vniuerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claues regni cœlorum commiſit.* Innocent. III. loco cit.

Quartò *Procuratores, actores, tutores*, Concil. Carthag. 1. can. 8. quia vt ibi narrat Gratus Epiſc. *Cùm ante libertatem negotiorum, vel officiorum ab aliquo ſine conſideratione ſunt ordinati, infamatur Eccleſia*, niſi rationes reddiderint, ſeque ære alieno liberauerint, Gratus ibid. aut ad Ordines animum applicent, iis probantibus, quorum res, negotiaque geſſerunt, diſt. 54. can. admittuntur, paragr. & non tantùm, verſu, niſi fortè.

Quintò, *Sacri eſt Ordinis incapax, qui ſe, carnali vitio repugnare neſciens, abſcindit.* Conc. Arel. 1. canone 7.

Sextò, *Illi cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundum canones Sacerdotis iura concedi.* Gelas. in can. 23. diſt. 55.

Septimo vetat Leò. epiſt. 1. cap. 1. ne ad Ordines admittantur ſerui, & *alii qui alicui conditioni ſunt obligati, niſi forte eorum petitio, aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vindicant poteſtatis.* Idem præcipitur cap. in fine de filiis Presbyter, cap. 1. 2. & 5. de ſeruis non ordinand. Item can. 4. Concil. Chalcedon. & 81. Apoſt. & 2. Conc. Nicæni.

Octauò, inter Clericos, *publice pœnitens*, locum non habet, cauetur, c. 1. can. ſi ille 58. can. quicunque 56. eiuſd. diſtinct. qua de re eſt hæc Auguſt. ſententia his verbis, epiſt. 50. ad Bonifac. *Poſterorum diligentia ſeuerißime ſanxit, vt poſt actam de crimine pœnitentiam, nullus in clericatu maneat, nullus ad clericatum accedat, quod dictum eſſe creditur, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore diſciplinæ.* Quæ vero cauſa Eccleſiam impulerit, vt id ſtatueret his verbis declarat Iuo Carnot. epiſt. 54. *Talibus ideo Clericatus denegatur, quia ab inſidiatoribus, diuinis Sacramentis pro huiuſmodi derogatur, & ſimplicium animus, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.* Publicum dixi, eſt enim in Epiſcoporum arbitrio poſitum, vt quos viderint veram egiſſe pœnitentiam, eos ad Eccleſiaſticam poſſint promouere militiam, ſi tamen publicam non egerint pœnitentiam. Hæc Iuo ſupra, quod probat, exemplo Petri, qui etſi Chriſtum cum periurio negaſſet, vbi tamen culpam admiſſam lachrymis eluit, non tantum Apoſtolus, ſed & Apoſtolorum princeps manſit.

Nono, non recipiuntur ad Ordines, qui ætatem ad illos requiſitam non attigerunt, Honorius III. cap. vel non 14. de tempor. ordinat. Quare prohibet Bonif. VIII. cap. nullus finali, de temp. ordinat. in 6. ne infanti Epiſcopus, aut quiuis alius, præſumat Clericalem Tonſuram conferre, ſicut nec perſonatum ei, qui minor eſt annis 14. Alex. III. in cap. 3. de ætate & qual. ordinandor. & quanquam olim in Subdiaconſu ordinari poterant annis 20. nati, vt dicitur in 6. Synodo, ca. 15. & refertur diſt. 77. can. Subdiaconus 4. hoc tamen tempore, Trident. lege. *Nullus ad Subdiaconatus Ordinem, ante vigeſimum ſecundum ætatis ſuæ annum, promoueri,* ſiuitur ſeſſ. 23. cap. 12. Olim quidem, ad Diaconatus ordinem, prouehi per ſtatuta Pontificum non poterat, niſi qui 25. ætatis annum impleſſet, nec initiari Presbyter, ante trigeſimum. De Diaconis eſt in Conc. Carthag. 3. can. 4. his verbis. *Placuit vt ante 25. annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur.* De Presbyteris eſt in Conc Agath. can. 16. ſecundum Gratian. diſt. 77. can. Epiſcopus 6. & in Neocæſar. can. 11. *Presbyter ante 30. annorum ætatem, non ordinetur, quamuis ſit probabilis vitæ.* Sed in iis modò maior ætas non requiritur, quam 25. annorum, cap. cum à cunctis de electione 12. & Tri. ſeſſ. 23. cap. 7.

Decimò reprobantur ab Ordinibus excommunicati & ſuſpenſi, cap. poſtulaſtis 7. & cap. vltimo verſ. ſi ſcienter de Clerico excommunicato miniſtrante, & cap. 8. cum bonæ de ætate & qualit. præficiendor.

Vndecimo, qui in ſcena luſit. diſtinct. 33. can. maritum ver. aut in ſcena.

Duodecimo, Epileptici, per can. communiter diſt. 33. præterea à furioſi vt cauetur diſt. 33. c. maritum verſu neque illum qui in furiam can. Clerici ibid. & 15. quæſt. 1. c. vltim. paragr. his ita, & in can. Apoſt. 78.

Decimotertio, Inter miniſtros ſacros locum non habent Digami. Siricius in Synodo Romana epiſt. 4. cap. 5. & in epiſt. 1. ad Himerium Tarrac. cap. 8. 9. & 10. Concil. Elibertinum can. 20. Arelat. 3. can. 3. Innocent. in epiſtola ad Nucerium cap. 2. Tolet. 1. can. 3. & 4. Concil. Hiſpalenſe can. 4. *Nunciatum eſt nobis apud Aſtigitanam Eccleſiam, quaſdam nuper ordinationes illicitas extitiſſe, itaut quidam viduarum mariti, Leuitarum miniſterio ſacrarentur, quos quidem conuenit gradu ſuſcepto, in irritum denocari, nec vltra promoueri ad Diaconi miniſterium, qui contra diuina atque Eccleſiaſtica iura inſtituti reperiuntur.* Nec modo ſunt indigni Ordinibus, qui viduam ſibi matrimonio copulant, ſed & qui ſecundam vxorem. Epaunenſe, can. 2. *Qui ſeſemel cum contra dicta ordinauerit, rem fratribus fiat. Qui contra fas, honorem prohibita benedictionis ambierit nihil clericalis miniſterii præſumat,* Clariſſime cap. 1. de Bigamis can. experientibus, can. ſi quis viduam diſt. 59.

Decimoquartò, ſacri concilij prouiſione eſt ſtatutum, vt qui per ſe, aut alium, quempiam oppreſſerunt, ius ſacrorum amittant Ordinum. Sufficere quidam, nec ſine probabili cauſa aiunt, quòd de re tanquam ancipiti ac incerta vacillans animus dubitet, Iuo Carnot. epiſt. 54. ad Hugon. Abbat. opinionis eſt huius approbator ac fautor, cum enim quidam mulierem grauidam cum qua conſuetudinem habebat oppreſſiſſet, & hæc abortiuum feciſſet, Clerico autem non conſtaret, an hac oppreſſione, vel alia quapiam occaſione, mulier vterum quem gerebat, depoſuiſſet ante tempus. Reſpondit hic author ſuper prædicti Clerici irregularitate conſultus, in hæc verba. *Propter hanc cauſam ab accipiendis ſacris ordinibus ſuſpenditur, & à Sacramentorum diſpenſatione remouetur.*

Decimoquinto, ordinari nequeunt, *Fornicarii*, Prima qu. 2. can. ſi quis 2. *Energumeni*, Concil. Elibertin. can. 29. *Vſurarij.* Carthagin. 4. can. 69. *Corpore vitiati, aut membro aliquo deſtituti*, diſtinct. 55. can. præcipimus.

Decimoſexto, *Si quis poſt Baptiſmum militauerit, & chlamydem ſumpſerit, aut cingulum ad necandos fideles, etiamſi gratia non admiſerit, ſi ad Clerum admiſſus fuerit Diaconii non accipiat dignitatem.* Toletan. 1. can. 8.

Decimoſeptimo, *Clerici ſiquidem obligati ſunt, vel pro æquatione vel de genere alicuius domus ordinandi non ſunt niſi probatæ vitæ fuerint, & Patroni conſenſus acceſſerit*, Tolet. 1. can. 10.

Decimo octauo: *Non oportet neophytum promoueri ad ordinem Sacerdotalem*, Concil. Laodic. can. 3.

Decimonono, *In omni hæreſi, qui ad nos fidelis venerit, minime eſt ad Clerum promouendus vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, deponantur*, Concil. Elibertin. can. 51.

Eſt etiam à ſacris remouendus altaribus, quiſquis infamia laborat in populo apud quem malo ob prætetitæ vitæ ſcelera audit. Ita cum Bellouacenſes Clerici, Stephanum quendam de Guarlanda, Regi quidem in primis gratum, ſed multis notatum ſceleribus, vt qui aleator eſſet, ſectator mulierum, ob adulterium, ab Archiep. Lugdun. de Eccleſia cum ignominia pulſus, in Epiſcopum elegiſſent. Iuo qui tum clauum Carnotenſis Eccleſiæ tenebat, tam indignum facinus, ratus non ferendum eſſe, Paſchalem Pontificem de re vniuerſa admonuit, *Ne ſi*, inquit epiſtol. 36. *ad Epiſcopalem miniſtrationem Apoſtolica auctoritate*

Digitized by Google

pateret aditus, exitiale silentium videretur impositum esse canonicis legibus

Vigesimo, Illiteratis Clericatus non datur, decreto Gelasij Papæ in epist. ad Episcopos Lucaniæ cap. 18. *Quia literis carens sacris non potest aptus esse officijs*, idipsum prohibetur ab Vrbano II. in Concil. Clarom. & distinct. 36. can. Illiteratos 1. porro non eadem instructi literatura, omnes esse debent, qui ad Ordines animum adiiciunt.

Prima Tonsura insigniri non debent, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, Trid. sess. 23. cap. 4.

Minores ordines ijs qui saltem Latinam linguam intelligunt, non alijs conferendi. Trid. ibid. cap. 11. olim quoque, Psalterium vt memoriæ commendassent, ac Hymnos, qui in Ecclesia cani solent, exigebant Canonica Concilia Nicæn. 2. can. 2. Toletan. 8. can. 8. *Decernimus vt nullius cuiusque dignitatis Ecclesiasticæ, deinceps percipiant gradum, qui non totum psalterium, vel Canticorum vsualium, & Hymnorum perfecte nouerint supplementum.*

Ad Presbyteratum ea scientia requiritur, sine qua, rite Sacramenta administrari nequeunt, doceri populus, commendari virtus, vitia argui. Maxime si Presbytero, vt accidit in Parocho, plebis cura commissa fuerit. Ad simplex beneficium quisquis ordinabitur ab Episcopo, maior in eo doctrina non exigitur, quam quæ implendo officio, ac administrando beneficio quod possidet, est satis, can. sedulo dist. 38. Concil. Remense can. 3. *Vt vnusquisque qui ad gradus Ecclesiasticos condigne ascendere, voluerit, intelligat qualiter secundum possibilitatem suam, in eo gradu vbi constitutus est militare, Deo, & seipsum custodire valeat.*

Episcopum autem magnis animi ac scientiarum dotibus instructum esse oportet, non Neophytum can. quoniam 1. dist. 48. Iuo Carnot. epist. 20. *Quod si Leo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex, eiusmodi hominem ad summum Sacerdotium permisit aliquando ascendere quem tamen Paulus publica prædicatione ab eodem officio studuerat removere.* Idem ep. 285. id authoritate qua poliebat, pro necessitate temporum, aut vtilitate personarum, concedendum credidit. Ad scientiam quod attinet, dici potest verissime, officium pro dignitate facere illum non posse, nisi eam maiorem habeat quolibet alio de Sacerdotum turba.

Quare Latine nosse debet, ne quod Calinensi Episcopo quondam, hoc ei ob inscitiam iuste accidat. *Cum enim hic confessus esset coram Papa, nunquam de Grammatica didicisse, nec etiam legisse Donatum, à Pontificalis officij executione, & administratione Calinensis Ecclesiæ*, est remotus ab Honor. III. vt habetur de ætate & qualitate ordinandor. cap. quamuis 15. Nec sufficit rudi eum Latinæ linguæ notitia tinctum esse, ad eam, Theologiæ, Philosophiæque acumina omnia adiuxisse debet, *Nec enim* (quod exprobrabat olim Episcopis parum intelligentibus in Synodo septima act. prima, & refertur, 1. q. 7. can. conuenientibus 4.) *Oportet Episcopos indigere doctrina sed aliorum Doctores esse*, cuiusmodi tantum ad Ecclesiæ Gallicanæ gubernacula admouendos esse; Leoni X. & Franc. primo, placuit, sic enim Leo. in Concordatis titulo de regia ad Prælaturas nominat. paragr. 1.

De cætero Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesijs in dicto regno, nunc & pro tempore, per cessionem in manibus nostris, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, canonicè intrantium sponte factam vacantibus, illarum Capitula, & Canonici, ad electionem, seu postulationem inibi futuri Prælati procedere non possint, sed illarum occurrente huiusmodi vacatione Rex Franciæ vnum graduem magistrum, seu Licentiatum in Theologia aut in vtroque, seu in altero iurium Doctorem, & in 27. suæ ætatis anno constitutum intra sex menses Romanis Pontificib. nominare teneatur. Et quanquam hæc magisteria, honorumque gradus ab Academiæ petita iudicio, priscis sæculis ignota essent, dedere tamen operam, ne quid ad perfectam eruditionis laudem deesset Episcopis: Septima Synodus, can. 2. vult eos in canonum, ac scripturæ sacræ intelligentia versatos esse, psalterium memoriter scire, quæ ad institutionem subiectæ sibi plebis opportuna sunt, ac necessaria, plene nosse. Placet hic inserere, quæ à Conc. Nicæno 2. ea de re sunt perscripta. *Decernimus quemlibet quidem, qui ad Episcopalem gradum est promouendus, psalterium omnino nosse, vt ex eo, omnem quoque sunum Clericum ita initiare moneat. A Metropolitano autem bene examinari, an ad sacros canones, diligenter cum perscrutatione, non autem cursim, obiterque legendos, prompto, paratoque sit animo, & sacrum etiam Euangelium, & librum diuini Apostoli, omnemque diuinam Scripturam, & in diuinis præceptis versari, & populum docere. Si quis autem dubius fuerit animi, & non libenter, hoc facere, & docere voluerit, non ordinetur.*

Qua de re plura postea cum de Episcopis, transeamus ad alia. Illiteratis adiungendus quisquis infamia laborat in pop. apud quem malè ob præteritæ vitæ scelera audit. Ita cum olim Bellouacenses Clerici, Stephanum quendam de Guarlanda Regi quidem in primis gratum, sed multis notatum sceleribus, vt qui aleator esset, sectator mulierum, ob adulterium ab Archiep. Lugdun. de Ecclesia cum ignominia pulsus, in Episcopum elegissent, Iuo qui tùm Ecclesiæ Carnotensis præerat, ratus tam indignum factum non ferendum, Paschalem Pontific. de re vniuersa admonuit, *Nesi*, inquit, epist. 36. *Ei ad Episcopalem ministrationem Apostolica auctoritate pateret aditus, exitiale silentium videretur impositum esse canonicis legibus.* Sane non nisi probatæ vitę homines & de quorum innocentia constaret, Parochi, & aliorum testimonio, ad Ordines promoueri Concil. voluit sess. 23. cap. 5. & sequentibus, *Sunt autem infames, quos leges sæculi infames appellant, & omnes, qui culpis ex gentibus ad Sacerdotium non possunt prouehi.* 6. quæst. 1. canon. omnes 2.

Vt autem sunt hæ culpæ; duplicis generis, ita & infamia, quædam enim est occulta, patens & aperta alia, ab occulta impedimentum ordinandis nullũ aduenit, Greg. IX. author de temp. ordinat. c. quæsitum 17. in hæc verba. *Si proposita crimina, ordine iudiciario comprobata, vel alias, notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidij) post pœnitentiam iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri.*

Quare rei criminũ occultorũ admoneri quidem possunt, ne ad ordines conscendant, non tamen prohiberi ne suscipiant, Alexand. III. in decretali ex tenore 4. de tempor. ordinationum. Sane cum ageretur de remouendo iuuene quodam ab Episcopatu Aurelian. ad quem à Rege & populo electus erat, hunc eo indignum esse ob infinita, eaque horrenda crimina, quibus vita eius infesta erat, dixit Iuo in suis epist. ad Hugon. Lugdun. Archiepisc. *Ad vltimum*, inquit in ep. 67. *cùm multa nefaria, & turpissima dici verissime possent, quæ deficientibus*

testibus veritatis, probumana infirmitate probari forsitan non possent, hoc ad repulsionem praedicti adolescentis sufficit, quòd persona ignominiosa est, & per vicinas Ecclesias turpiter diffamata, epist. 44. ad Paschalem summum Pontificem, Beluacenses Clericos imprudentiæ arguit, quòd Stephanum quendam eligendum sibi è multis putassent, qui ad clauum Ecclesiæ suæ sederet, eamque regeret, hominem domi forisque fama perditum, *illiteratum, aleatorem, mulierum sectatorem, publicè olim de adulterio infamatum, & ob hoc à Lugdun. Archiepisc. tunc temporis sedis Apostolicæ Legato, Ecclesiæ communione priuatum, quæ crimina, quia vera, & manifesta erant, ad eius repulsionem sufficiebant.*

Est autem infamia triplex, canonica, facti, & iuris. Canonica est, quæ incurritur ob peccatum mortale, dist. 25. can. finali, canone quoniam dist. 48. nam sicut virtus veram habet gloriam, & commendationem, ita vitium veram infamiam, & turpitudinem, in quo sensu dixit Hieronym. relatus à Gratiano, dist. 25. can. primum itaque *6. Episcopum à Paulo irreprehensibilem nominatum, non quòd eo tantùm tempore quo ordinandus est, sine vllo sit crimine, & præteritas maculas noua conuersatione eluerit, sed quòd ex eo tempore, quo in Christum renatus est, nulla peccati conscientia remordeatur*, in quod si fortè lapsus esset per incuriam, vt fieri humanitùs potest, tùm eum ab Ecclesiasticis honoribus ascendum esse, *quòd non possit præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delicto simili corruerit*, idem ibid.

Infamia facti sunt hi notati, qui flagitium admiserunt multitudini notum, vel grauium, honestorumque virorum opinione damnatum.

De hoc genere sunt homicidium, adulterium, periurium, falsum testimonium, vt est in decretali Gregor. IX. cui initium, quæsitum 17. tituli de tempor. Ordination. hæc enim etsi actu vno consummentur, creant tamen eorũ authori infamiam, eo quòd ita iure sit statutum, in decretali proximè citata.

Alia sunt crimina, quæ vt infamiam concilient, eorundem actuum iterationem exigunt, quo de numero sunt sequentia, vinolentia, can. ante omnia, can Ecclesiæ Principes, dist. 25. excitata seditio, can. seditionarios, dist. 46. tabernarum frequentatio, can. maritus, dist. 33. de & vita & honest. Cleric. cap. Clerici 2. mutuatio pecuniæ ad vsuram de vita & honest. cap. 1.

Infamia iuris, est cùm quis publicè, Iudice scilicet sedente pro tribunali, declaratur reus, vt vsurarius 1. q. 7. can. infamis aut à Principe mittitur in exilium, cùm enim sit hæc pœna grauis, non nisi ob culpam vulgari, ac humana maiorem, infligi creditur, quo ex sensu, magnum necesse est in populo ita sentiente, contemptum personæ nasci, quę solùm auctoritate publica, in pœnam malè anteactæ vitæ migrare compellitur. Incurritur etiam hæc infamia, confessione rei propria, nempe cùm culpam, de qua accusatur, tam sua conuictus conscientia, quam testium fide, à se admissam non negat.

Non me latet id Summarium Scriptoribus, ac Iurisperitis non probari. Sed eorum opinionem explodit auctoritas Glossæ, in cap. at si, de iudiciis, vult enim ex eius confessione delicti in iudicio, accusatum, infamiæ labe aspergi, cuius condemnatio eandem efficeret. Eandem opinionem reiicit Felinus in cap. cum te de sentent., & re iudicata, num. 5. *Non est*, inquit, *absolutè verum, quòd confessus in criminali non incurrat infamiam.* Sed de hac re plura tract. de Censuris.

Infamibus adiungendi illegitimi, seu spurij, dist. 56. can. 1. & cap. 1. de Filiis Presbyter. in quo habetur his verbis, vt *filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoueantur.*

Sunt autem illegitimi, qui ex coitu sacris canonibus prohibito nascuntur, dist. 56. can. vlt. non autem ciuili, quia in Ordinibus, legitimitas Canonica est attendenda, non ciuilis, cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, & licet beneficio Principis, adulterina proles legitima possit euadere, quoad effectum successionis, cùm eam eius auctoritate possit recipere, modò ne cum damno, & iniuria fiat legitimorum liberorum, vt perinde sunt tùm exempla quotidiana Principum, largientium spuriis bona quæ liberis debebantur, nisi obiissent, tum D. Thom. ratio in 4. distinct. 41. q. 1. art. 1. nego tamen per id, spurium Ordinum capacem reddi. Portelius in dubiis regul. verbo illegitimus, num. 5. Quia non est Principis legem dare Pontifici, non Imperatoris, decreta eius refigere, quare *eius lege in Ecclesiasticis cõtrouersijs vtendum non est, præsertim cùm inueniuntur Euangelicæ aut canonicæ sanctioni obuiare, nec imperiali iudicio possunt Ecclesiastica iura dissolui*, distinct. 10. can. 1. cùm ergo Ecclesiæ legibus, ad sacros Ordines illegitimo non sit accessus, quamlibet auctoritate Principis hæc labes abstergatur: non propterea capax reddetur Ordinum. Nau. consil. 5. de filiis Presbyt. in antiquis.

Quando ergo ei ad illos aspirare, iisque impunè ac sine scelere insigniri, fas erit?

Primò, cùm ei licebit per Pontificem, ac si quis est in Dei Ecclesia alius, in cuius iure sit hoc ei concedere.

Secundò, si abiudicatis mundi curis, Religiosus fiat. Vrbanus II. modi huius meminit can. 1. dist. 56. eiusque specialis fit mentio à Pictau. Concil. in hæc verba, cap. 1. de filiis Presbyter. *Ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoueantur, nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione Canonica regulariter viuentes, prælationes verò nullatenus habeant*, cum iis tamen dispensandum esse, antequam ordinentur, dixere multi in iis Petr. Greg. Partition. iuris lib. 1. tit. 13. cap. 6. litera L in margine, sed pace eius sit dictum, alia non est illis necessaria dispensatio, quàm quæ est ab Vrbano II. data, ab iisque, magna voluntate recepta, cùm enim negasset illegitimis, ac Presbyterorum filiis, ius capessendorum Ordinum vllum esse, continuò exceptionem subiicit, *nisi aut in Cœnobio, aut in Canonia religiosè probati fuerint conuersati.*

Tertiò, fit quis legitimus, per subsequens matrimonium Patris, ac Matris, à quibus est susceptus, cùm hi nullis essent matrimonij, aut solennis voti vinculis astricti, cap. tanta, qui filij sunt legitimi, aut alio simili impedimento à contrahendo repulsi. Nam vt, Parentes, vir scilicet & fœmina, stabilem inter se societatem coniugij coire nequeant, cùm intercedit inter eos impedimentum, ita nec susceptæ ab iis proles, legitimæ fieri, ordinari, aut quæ sunt Ordinis suscepti exequi sine consensu, ac beneplacito Papæ.

Quartò, fit proles, quoad susceptionem Ordinum legitima, quæ est nata in matrimonio quidem, sed inani, ac nullo ob impedimentum, quod coniugum alter, aut vterque ignorabat, orta enim ex tali coniunctione soboles, legitima censetur, ac ad suscipiendos Ordines idonea, decreto tum Alexan.

III.

III. in decret. cum inter 2. Qui filij ſint legitimi quam Innoc. item tertij ibid. cap. 14. ex tenore, his verbis. *Intelligentes quod pater prædicti R. matrem ipſius in facie Eccleſiæ ignaram, quod ipſe ſibi aliam matrimonialem copulaſſet, duxerit in vxorem, & dum ipſa coniux ipſius legitima putaretur, dictum R. ſuſcepit ex eadem, in fauorem prolis potius declinamus memoratum R. legitimum reputantes.*

Quintò, poſſunt illegitimi, Epiſcopo id permittente, ſuſcipere minores, ab eoque, tam quoad illos, quam ſimplex beneficium legitimi fieri ac capaces. Ita Bonif. VIII. in decret. is qui defectum titulo de filiis Presbyt. in 6. Dixi quoad ordines, & beneficium, cum enim legitimatio, à diſpenſatione differat, idem vnuſque vtriuſque effectus non erit, nec proinde cenſeri legitimus poterit præciſe, ac propriè, is cum quo tantùm fuerit ab Epiſcopo, ad beneficium & ordines diſpenſatum. Ludouic. Portel. in dub. Regular. ver. Illegitimus numero 3.

Præter ante memoratos prohibentur ordinem Eccleſiaſticum ſuſcipere ſeditioſi, can. ſeditionarij, diſtinct. 46. rebaptizati can. confirmandi diſtinct. 50. Eunuchus, can. ſi quis abſciderit, diſtinct. 55. Correpti à Dæmone, can. Clerici diſt. 13. Conc. Tolet. 4. can. 18. Gregor. lib. 2. regiſtri epiſt. 25. Gratian. diſt 13. can. maritum 2. can. communiter 3. eiuſdem diſt.

An autem in eandem quoque claſſem, referendi ſint Simoniaci in ordine & beneficio, dubitatur: Nauar. in lib. 5. conſilior. 15. de Simon. num. 5. eò inclinat vt exiſtimet, ab ea pœna cuius meminimus hactenus, Simoniacos eſſe liberos. Nauar. aſtipulatur Sotus.

Nihilominus cuncti Theologi qui de Simoniacorum pœnis diſſeruere, de eorum repulſa ab Ordine ſunt teſtati. Alex. Halenſ. in 2. par. qu. 167. memb. 2. Scotus in 4. diſt. 25. qu. 2. art. 1. Altiſiodorenſ. in lib. ſummæ tract. 21. ita ſcriptum reliquit. *Circa tertium capitulum, nihil aliud dicimus niſi quod Simoniacus ſit irregularis ſecundum inſtitutionem Eccleſiæ, intelligimus autem de Simoniaca quæ ſubiacet iudicio Eccleſiæ, & quæ eſt in opere exteriore.* Hinc enim diſputare ſic licet. Nec euehi ad ordines, quibus necdum eſt affectus, nec receptis vti, irregulari legibus Eccleſiæ eſt permiſſum, Sed qui per largitionem Simoniacam, ſacrum eſt ordinem conſequutus, eſt Theologorũ opinione irregularis, ergo eius incapax. Irregularem eſſe indicat Greg. relatus à Gratia. diſtinct. 33. can. maritum, & decretal. Alexand. epiſtol 2. negat enim ille ordinandum: *qui per ambitionem, ad imitationem Simonis Magi pecuniam obtulerit*, vult hic autem eum qui beneficium vendere aut emere temerario auſu præſumpſerit. *Sicut in Chalced. concilio definitum eſt, gradus ſui periculo ſubiacere, nec miniſtrare Eccleſiæ, quam pecunia vænalem fieri concupiuit, & inſuper terribili mucronis anathemate perfoſſum, ab Eccleſia Dei quam læſit, modis omnibus abſcindi.* Alexand. in epiſt. ad Lucenſ. Epiſcop. Clerum & pop. quæ refertur à Grat. 1. q. 3. can. 9.

Dvb 11. *An Ordinatus ab excommunicato executionem Ordinis recipiat.*

Excommunicatorum claſſes ſunt, duæ: Prima, eſt eorum quos Eccleſia tolerat, quia patitur eos tem, negotiaque cum fidelibus in communi habere vita. Secunda eſt eorum, quos de nomine, publice, & in concione frequenti populi; excommunicatos eſſe, ac vt tales in congreſſu familiari, ac Sacramentorum vſu vitandos, Eccleſia cunctis notum eſſe voluit, hoc præſuppoſito.

Dico 1. *Si qui ordines conferunt excõmunicati ſunt occulti, & tolerati, eorum vſus, ac functio, non eſt in his, qui eos ſuſcepere ſuſpenſa, vacua, ac quoad effectum inanis.* Ita Innocent. 1. cap. 1. de ſchiſmaticis: ratio eſt, quod cenſuræ occultæ, niſi fuerint in publico denuntiatæ non impediunt valorem actus, qui ratione publici officij exercetur, vt aſſerunt Doctor. in cap. ad probandum de re iudicata, Beia parte 3. caſuum caſu 4. cuius rei hæc eſt cauſa, quod dignitas cum charactere vt ait Innoc. citat. non ſit in toleratis præciſa. Placuit hæc Innoc. opinio Tabienæ verbo excomm. 1. parag. 13. Richarcho in 4. diſt. 17. art. 7. q. 2. quæ à Conc. Conſtant. in Extrauag. ad euitanda, magnum robur habet: ibi enim viſum eſt Eccleſiæ decernere, fidelibus fas vt à modo eſſet, cum excommunicatis non denuntiatis, ac notoriis Clericorum percuſſoribus impune verſari, ac eorum opera ſic vti, nullum vt eorum negotiis damnum ex tali vſu accideret: at ſecus eſſet, ſi quoniam Epiſcopum toleratum adhibui ad conſequendum eius miniſterio, gradum aliquem, inter ſacros aræ miniſtros, hic mihi foret inutilis, quia ad praxim non poſſet redigi, non eſt hæc ergo impedita, quoad ordinem, ab excommunicato tolerato, & occulto ſuſceptum.

Dico 2. *Functionem ordinis non habere liberam, qui eum ſibi dari voluere ab ordinatore excommunicato nominatim, ac denuntiato, aut notorio percuſſore Clerici:* Sentit Antonin. in 3. par. tit. 24. cap. 7 6. effectu 14. Angelus in ver. Irregul. 1. parag. 30. ratio eſt, quod non toleratus, ſit ab Eccleſia depoſitus, quod dignitatis inſignibus ſit ſpoliatus, quod executione ordinis ſui careat. Decet ergo ordinatum, meliori quam illum, conditione non eſſe, quare Ordinationes illorum qui ab excommunicatis erant ordinati, Sanctorum Patrum ſequens veſtigia irritas fecit Gregor. 7. in Conc. Rom. & in Synodo apud S. Medardum ſtatutum eſt in cauſa. Hincmari, *Vt quidquid in ordinationibus Eccleſiaſticis, ab eo poſt damnationem ſuam egerat, ſecundum traditionem Apoſtolicæ ſedis, prater ſacrum baptiſma irritum, & vacuum habeatur.* Itaque vt ordinibus ſuis vti ſic ordinatus valeat diſpenſatione eſt opus quam à Põtifice Romano impetrari poſſe, docet Comitol. Reſponſion. moral. lib. 6. q. 25. nu. 3.

Dub. 12. *An cum ſic Ordinato diſpenſare poſſit Epiſcopus.*

Poteſt, auctoritate quæ ei per Concil. eſt conceſſa, ſeſſione 24. cap. 6. de reformat. vbi ſic dicitur. *Liceat Epiſcopis, in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptata, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare.* At quanquam actus ſuſceptionis Ordinis, ſolemnis ſit, & publicus, ipſa tamen irregularitas, aut verius ſuſpenſio, ab vſu ordinum, eſt occulta, & ab occulto crimine prouenies: eſt enim id publicum, quod eſt manifeſtum, quod notorium, quod communi omnium fama ac opinione cognitum, cuiuſmodi ſuſpenſionem hanc nemo ſapiens dixerit; quamuis enim ordinatio ſit publica, pœna tamen eius ſuſceptæ ab excommunicato, & culpa per id admiſſa, publice ac promiſcuè non eſt nota.

Dub. 13. *Quid tenendum de Ordinatis ab Hæreticis.*

Dico 1. *Hæreticos à ſacris Ordinibus arcendos eſſe,* Sic Pontifex Alex. III. in cap. quicunque, & Bonifac. in cap. ſtatutum de hæreticis, vbi hæc pœna

extenditur ad eorũ filios ad ſecundã generationem paternam, & primam maternam : *Quod tamen de illis duntaxat & nepotibus hæreticorum credentium, qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur, intelligendum eſſe videtur, non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ vnitati, & pro culpa huiuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe.* Bonifac. in cap. ſtatutum 15. de hæret. in 6. Alex. & Bonifacio ſeuerior fuit Paulus IV. nam ex Iudæis, ac hæreticis deſrendentes, à ſacris excludi Ordinibus voluit ad quartam vſque generationem, quam conſtitutionem poſtmodum confirmauit Greg. XIII. eamque extendit ad deſcendentes à Mauris, habet Nauarr. conſilio 1. de Iudæis.

Dico 2. *Ordinatum ab Epiſcopo hæretico, excommunicato, vel ſuſpenſo, etſi characterem recipiat, tamen nec ad ſuperiorem ordinem promoueri, nec in ſuſceptis, abſque diſpenſatione miniſtrare poſſe.* Fidem habet hæc Aſſertio ab auctoritate Innoc. cuius eſt hæc oratio, epiſt 18. ad Alex. cap. 3. vt refertur à Grat. 1. q. 1. can. Arrianos 73. *Dare plenitudinem Spiritus ſancti hæreticis non poſſunt, quæ maximè in Ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt, propter quod fieri non poteſt, vt eorum profanos Sacerdotes dignos Chriſti honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ad ſancti Spiritus percipiendam gratiam, cum pœnitentiæ imagine recipimus.* Eodem ſpectant quæ à Gratiano ſunt ſcripta in can. 51. qui Clerici 40 ſi quis, canone 42. can. conſtat 3. cauſæ primæ, q. 1. quorum omnium idem eſt ſcopus, qui Cypriano erat propoſitus, cùm in epiſt. ad Stephan. 2. lib. 2. ſcripſit, *eos qui apud hæreticos à pſeudoepiſcopis, & Antichriſtis contra Chriſti diſpoſitionem profana Ordinatione promoti ſunt, non debere eos reuertentes, ea apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint.*

EPITOME TRACTATVS PRÆCEDENTIS,

Cum probationibus petitis ex Patribus, Conciliis, & Canonibus.

CAP. 1. ORDO Sacramentum eſt vnum de ſeptem. Trident. ſeſſ. 7. ca. 1. ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 3. Florent. in decreto Eugenij, pro tali cognitum à Patribus, Auguſtino, Gregorio, & aliis. Sic enim prior contra epiſt. Parmeniani, lib. 2. c. 13. *Nulla cauſa oſtenditur, cur ille qui ipſum Baptiſma amittere non poteſt, ius dandi (id eſt Sacerdotalẽ poteſtatem) amittere poſſit, vtrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur, iſtud cùm baptizatur, illud cùm ordinatur, ideoque in Eccleſia Catholica, vtrumque non licet iterãri.* Et infrà : *Si vtrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? neutri Sacramento facienda eſt iniuria.*

Gregor. lib. 4. in cap. 10. lib. 1. Regum. *Sacrorum Ordinum Sacramenta, ab Eccleſia Doctoribus ſortis accipimus, ſed Sacramentorum virtute, ab omnipotente Deo interiùs roboramur, virtus verò Sacramenti, gratia eſt Spiritus ſeptiformis.* Apud Cyprianum autem hæc verba leguntur: *Docetur qua ſit Baptiſmi, & cæterorum Sacramentorum ſtabilitas, nam Bapt. repeti Eccleſiaſticæ prohibent regulæ, nemo ſacros Ordines ſemel datos iterum renouat:* & in tractatu de ablut. pedum. *Baptiſmum repeti, inquit, Eccleſiaſticæ prohibent regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere. Nemo ſacros Ordines ſemel datos iterum renouat, nemo ſacro oleo litos, iterum linit, aut conſecrat, nemo impoſitioni manuum, vel miniſterio derogat Sacerdotum: ipſe ſummus Sacerdos, ſui eſt Sacramenti inſtitutor & auctor.*

CAP. 2. Eſt ergo Ordo Sacramentum, diuiditurque in ſacrum, & non ſacrum. Sacer, qui & maior dicitur, nomen habet à voto caſtitatis ei adiuncto, per quod Ordinatus Deo addicitur, fitque eius longè perfectius, quàm per minores Ordines. Aliis ita vocari placet, ab acceſſu ad Deum in Euchariſtia, qui Sacerdoti, & Diacono maior, ac dignior conceditur, quàm Clericis qui conſiſtunt in gradibus infimis, inter Ordinatos Ordinibus non ſacris, qui & minores appellantur. Alij ſic dici aiunt, quòd qui ſunt Presbyteri, ac Diaconi, in Dei Eccleſia, ex profanis ſacri quodammodo eſſe incipiant, tractatione religioſa ac ſacra myſteriorum maximè verò Euchariſtiæ, quam conficiunt Presbyteri, diſtribuunt autem populo in neceſſitate Diaconi, quod Clericis non conuenit minorum Ordinum, quorum quadripertita eſt ratio Acolytorum, Lectorum, Exorcizantium, & Ianitorum.

Acolythorum meminit Cyprian. lib. 2. ep. 8. & 10. Omnium Ignat. ep. 2. ad Antiochenos. Conc. Rom. ſub Sylu. can. 7. vbi habetur ab eo *ad Concilium Presbyteros centum quadraginta duos, Diaconos ſex; Subdiaconos totidem, Acholythos eius conſilio factos quadraginta quinque, Exorciſtas viginti duos, Lectores vrbis Romæ nonaginta, quorum præſentes parentes audiebant.* Expreſſiùs in Conc. Carthag. 4. Epiſcopi, qui ei interfuere cum Auguſtino, nam non contenti eorum iniſſe numerum, vt Syluester, quæ cuiuſque ſint munera, quæ functiones, ac officia, quæ cuique ſubiecta materia, fusè indicant in propriis, ac diſtinctis canonibus.

His propè ſimilia habet Cornelius Papa in ep. ad Fabianum Antiochenum, apud Euſebium lib. 6. cap. 31. vbi ait, *in Eccleſia Catholica*, id eſt, Romana, *Presbyteros eſſe quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptẽ, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas, & Lectores vnà cum Oſtiariis quinquaginta duos.* Quibus ab Ignatio loco ante citato adiuncti leguntur *Cantatores*, ſeu pſalmiſtæ *Laborantes*, id eſt, ſepeliendis mortuorum corporibus deuoti homines. Epiphanius in Compend. Doct. & poſtremò, *ſacrorum veſtibulorum cuſtodes.* A Gelaſio epiſt. ad Epiſcop. Lucaniæ, cap. 3. Notarij, & Defenſores : Ab Ignatio ep. ad Policarp. 2. Curſores : *Decet beatiſſime Policarpe, Concilium cogere ſanctum, & eligere ſi quem vehementer dilectum habetis, & impigrum, vt poſſit diuinus appellari Curſor*

Sed hæc officia eſſe Eccleſiaſtica, non Ordines, apertè colligitur ex can. 10. Concil. Carthagin. 4. his verbis. *Pſalmiſta, id eſt, Cantor, poteſt abſque*

ſcientia Epiſcopi, ſola inſsione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi dicente ſibi presbytero, vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod ore credis, operibus comprobes, Deinde teſtis eſt Cypr. epiſt. 24. munus curſorum, poſtmodum à Lectoribus Acolythis ac Subdiacombus præſtitum eſſe, & ita eos deſiſſe eſſe in Eccleſia quod eſt argumento, inter Ordines eis locum nunquam fuiſſe, alioqui permanſiſſent vt reliqui. *Quoniam*, inquit Cyprian. *oportuit me per Clericos ſcribere, neceſſe fuit nonos aliquos mittere, qui mitterentur, feciſſe autem me ſciatis Lectorem Saturum, &c.*

Difficilius eſt, quod ab Anacleti Papæ primi epiſtola 3. petitur ibi enim ait. *A Domino conſtitutos eſſe duos Ordines, Epiſcoporum, & Sacerdotum, & amplius*, inquit, *quam iſti duo, nec nobis à Deo collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt.* Sed dicendum eſt ibi nomen *Ordinis*, ſumi non in ſenſu diuiſo & incompleto, ſecundum poteſtatem quæ per ordinationem, id eſt actionem conſecratoriam, ordinato cuique datur ab Epiſcopo, exercendi alicuius ſacri miniſterij circa Euchariſtiam, nam ſic eſt de fide plures eſſe Ordines in Dei Eccleſia, quam memoratos ab Anacl. In quo ergo ſenſu capi debet hæc eius oratio? In compoſito & completo, quatenus nempe Epiſcopatus, & Sacerdotium, neceſſario ſupponunt, tam duos maiores, Diaconatum, ſcilicet & Subdiaconatũ, quam quatuor minores, idque ex inſtitutione Chriſti Domini, & hæc de Ordinum, numero eorumque fide, è Patrum, & Concil. teſtimonio dicta ſunto, tranſeamus ad alia.

CAP. 3. Sunt autem prædicti Ordines, Sacramenta, Presbyteratus quidem, quia eſt ritus externus ex inſtitutione Chriſti promiſſionem gratiæ habens, ac eam conferens, patet.

Primo, ex partiali hac eius forma. *Accipe Spiritum ſanctum quorum remiſeris peccata, &c.* nomen enim Spiritus idem hic valere, ac ſanctificantem gratiam conſtans eſt Theologorum opinio.

Secundo, ex verbis Pauli 1. ad Timoth. 4. & 2. ad eundem 1. vbi Apoſtol. eum hortatur, curam habere gratiæ, qua ſupernè excultum ſe meminerat. *Per impoſitionem manuum Presbyteri.* Quem locum Theopl ilactus explicans ait. *In te quidem habitat ipſa gratia, quam accepiſti, cum imponerem tibi manus, quando Epiſcopum te ſalutabam, conſecrabam, atque ignem iſtum vehementiorem, & maiorem efficio.* Nyſſen. orat. de Bapt. cum de vi Sacramentorum agit hæc de Ordinat. Sacerdotum. *Cum heri à tempore ſuperiori, vnus è multitudine, ac plebe eſſet, repente redditur præceptor, præſes Doctor pietatis, myſteriorum latentium præſul, eaque contingunt ei cum nihil corpore, vel formamutatus, ſed quod ad ſpeciem externam attinet, ille ſit, qui erat inuiſibili quadam vi, ac gratia, inuiſibilem animam in melius transformatam gerens.* De Diaconatu res eſt ſimiliter extra controuerſiam, quia confertur per impoſitionem manuum, cum his verbis; *Accipe Spiritum ſanctum*, quibus ſignificat Epiſcopus, ſe eum Dei nomine impertiri cœleſti gratia, ad obeunda rite miniſteria circa ſacrum Miſſæ ſacrificium, quorum causâ ordinatur. *Oportet enim Diaconum*, inquit Iſidorus Hiſpalenſis relatus in Concil. Tolet. 8. *aſsiſtere Sacerdotibus, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur, in Sacramentis Chriſti.* Ignat. ad Heron. epiſt. 13. *Nihil ſine Epiſcopis facite, Sacerdotes enim baptizant, ſacrificant, manus imponunt tu verò illis miniſtras vt Stephanus Iacobo.* De Subdiaconatu & reliquis minoribus res eſt ambigua. Exiſtimat Vaſqu. diſp. 238. cap. 1. Subdiaconatum ab Eccleſia fuiſſe inſtitutum, ideoque Sacramentum non eſſe, ſed Sacramentale, quod de minoribus Ordinibus tenendum quoque aſſerit, ſed ei reclamat Theologorum ſchola fere vniuerſa. Opinionis huius principes ac authores præcipui, Diu. Thom. in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. art. 1. qu. 3. Diu. Bonauent. ead. diſt. art. 1. quæſt. 1. hos ſequuti ſunt Richard. Palud. Valent. & alij, quorum & nos ſententiæ vt magis probabili ſubſcribendum credimus. Nam quod habetur prima q. 7. can. etſi illa 23. *Eſſe in Eccleſia alios ordines, qui ſine Sacramentali vnctione, ſola Epiſcopi benedictione, cum quadam vaſorum, ac inſtrumentorum diſtributione præſtantur, vt ſunt Leuitæ, & cæteri, infra eos conſtituti*, qua oratione, Minores Ordines è Sacramentorum albo expungere, ſe putant Aduerſarij, ſed hæc tanti nobis eſſe nequit, vt de communi Doctorum Eccleſiæque ſenſu, ideo recedendum exiſtimemus, nego enim primò iis verbis Minores Ordines, à Sacramentorum numero remoueri, cum de iis expreſſa non fiat mentio. Addo ſecundo, quod etſi fieret, maiorem tamen eius authori fidem non deberi, quam cum Leuitas, id eſt Diaconos, aſſerit non fieri per actionem vllam Epiſcopi, quæ ſit Sacramentalis.

Dico tertio, nihil eo canone confici, nec enim aliud continet, quam Diaconos, Ordineſque, quos minores nominant, vnctione Epiſcopali non fieri, quod concedimus. Ad Epiſcopatum, & Tonſuram quod ſpectat, eſt hic meus ſenſus, Tonſuram quidem gradum non eſſe, ſed deſignationem, & veluti ſignaculum eorum, qui ad Ordines ſunt promouendi Petr. Gregor. lib. 16. Syntagm. cap. 1. & ſeq.

Epiſcopatum autem non ordinem, ſed eius apicem, aut ſi eſt, quæ eſt opinio Ioan. Echij lib. 3. de Primatu Petri cap. 22. Sa verbo Ordo num. 7. Durandi in 4. diſtinct. 24. qu. 6. tamen à Sacerdotio diſtinctum non eſſe, olim enim, vt ſcribit Hieronymus ad cap. 1. epiſt. ad Titum. *Olim*, inquam, *idem erat Presbyter qui & Epiſcopus. Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus quod Presbyter non facit.* Idem epiſt. ad Euagrium. Quare hoc tantum habet Epiſcopatus ſupra Presbyterium, quoad præſens negotium, quoad ordinationem Presbyteri, in eſſe Sacramenti, habitudine morali magis perficiat, & conſummet, quæ perfectio in eo eſt iſta, quod ordinatus Epiſcopus, non tantùm offerre ſacrificium poſſit, vt Presbyteri, ſed & alios quoque ad illud conficiendum ordinare. Henriq. lib. 10. cap. 7. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 4. & ita, quod initio nobis fuit in animo oſtendere, Ordines non ſunt niſi ſeptem iique omnes, Sacramenta.

CAP. 4. Ad quæ non quilibet ætate qualibet, per Pontificum, ac Conciliorum decreta cenſeri debet idoneus, nam etſi primis Eccleſiæ nascentis temporibus ad ea admitti ſolerent quilibet, ſtatuit tamen Vrbanus II. in Synodo apud Melfiam. can. 4. ne quis minor annis 14. Diaconus fieret, & quoniam erat ob infirmitatem naturæ, ingeniique, puerorum ea ætas, plena periculis, minuſque ad res magnas, ac altaris miniſteria digne obeunda idonea, ab iis eſt lege Pontificum ac Conciliorum prohibita, admiſſa autem anno 25. non ante.

Nullus Epiſcoporum, Diaconum antequam 25. annos impleat ordinare præſumat, Arelat. 3. can. 1.

& in Agathensi hæc leguntur, can. 12. *Episcopus benedictionem Diaconatus, minoribus viginti quinque annorum penitus non committat.* A

Similia habet Toletan. 2. can. 1. Tribur. canone 24. Vormacen. 69. Mitiùs egere Patres Concil. Trid. cum Clericis, nam etsi aditum ad Diaconatum nulli esse peruium voluerint, anno 14. ætatis, ad eum tamen admitti placuit, qui 23. expleſſet, Trident. suprà.

Nec tantùm præstituta ad Diaconatum tempora, per citata Concilia, ad breuius sunt contracta, sed & quibuslibet est concessum, modò idoneis, Sacerdotij charactere insigniri posse, annis quinque citius, quàm liceret antea, cùm enim non nisi trigesimo ætatis anno, eum consequi fas esset, decreto Conc. Tolet. 4. can. 19. modò cuilibet ad illum, vigesimoquinto inchoato, exacto autem vigesimoquarto, lege noua Concilij Trident. est permissum: *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur.* Tridentinum sessione vigesima tertia, capite duodecimo: hic facultas quæ à Tolet. 2. can. 1. facta fuerat Parentibus, ac propinquis pueri, oblati Deo per Tonsuram, aut vota Religiosa in Monasterio, eum offerendi Episcopo, vt per eum anno ætatis 10. adiungeretur Ministris Altaris, per Subdiaconatum, modò reuocata, ista lege Concil. interiit. B

Cap. 5. In multis quoque facta est lapsu temporis in modo conferendi dictos Ordines, Ecclesiæ lege, vsuque varietas. *Presbyter cum ordinatur,* inquit Carthag. Conc. 4 can. 3. *Episcopo eum benedicente, manum super caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas iuxta manus Episcopi super caput illius tenentes,* quod in ordinando Diacono fieri nihil erat necesse, quia *cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manus super caput illius ponit.* Aur. 4. can. 4. Pertinebat etiam ad modum, seu formam, quòd ordinari nemo deberet olim, nisi pro *certa Ecclesia cuius sit, sua possessionis, aut in martyrio, aut in Monasterio,* dist. 70. can. 1. & cum titulo, *factaque sine eo Ordinatio, irrita habetur,* decreto Vrban. II. in Concil. Placent. quemadmodũ & quæ est absoluta, id est, nullius certæ Ecclesiæ, aut loci causa facta, *qui enim sic ordinantur, decreuit sancta Synodus nullam habere manus impositionem* (intellige quoad vsum) *& nullum tale factum valere, ad iniuriam ipsius, qui eum ordinauit,* quæ tamen exoleuere hoc tempore omnia. C D

Quid? quod *Laico Presbyterij, vel Diaconatus honorem conferre nefas erat, nisi anno integro fuisset ab eo præmissa conuersio.* Arelat. Concil. tertium can. 3. ac in propriis minorum Ordinum ministeriis, strenuè versatus esset, ac religiosè certo tempore, quod pro sæculorum varietate, varium fuit. Conc. Braccarense primum, can. 38. annum duntaxat vnum postulat, discendæ Ecclesiasticæ disciplinæ causâ, *in officio Lectorum, vel Diaconatus, quo exactè Clericus, per singulos gradus eruditus, ad Sacerdotium perueniebat, non aliter.* E

Longè plures ab eo Syluester exigit in Concil. Romano 275. Antistitum, can. 5. vt verba eius indicant. *Si quis Clericatum promereri desiderat, hoc iustum est, vt sit Ostiarius annum vnum, Lector dies 20, Exorcista annos 10. Diaconus annos 5. & sic ad honorem Presbyterij accedat,* quæ hoc tempore Ecclesia non seruat, sicut facit quæ sequuntur.

Primò, quòd *qui saltu, sine gradu Diaconi, ad Sacerdotium prosiliebat, in degradationem debitam resilire debebat.* Synod. Suession. apud S. Medardum.

Est autem Ordinatio per saltum, quando quis prioribus Ordinibus, vel gradibus Ordinum omissis, maiores accipit, cap. vnico de Cleric. per saltum promoto, quod est vitandum, cùm non nisi gradatim per Ordines conscendere iura sinant, seruatis interstitiis, & interuallis legitimis temporum inter gradus mediis, contra quæ qui sciens peccat, ab officio est Sacerdotali, auctoritate Episcopi prohibendus. Iuo epist. 8. & can. sollicitudo 1. distin. 52. nisi cum eo dispensandum videretur, quod facere Episcopos posse, habetur in cap. Pastoralis de Sacramentis non iterandis, & cap. vnico de Clerico per saltum promoto, & clarissimè distinct. 52. can. 1. his verbis: *Tuæ charitati consulendo mandamus, vt à Sacerdotali officio, eum* (hoc est promotum per saltum) *prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio, Subdiaconatus officium sibi ritè imponas, & sic deinceps ad maiora officia cum redire concedas.*

Secundò, quòd Ordinationes gratis fiant, ac liberaliter, id est, sine pretio, cap. 1. de simonia, & 1. q. 3 can. si quis obiecerit, 1. q. 1. can. emendari, in Concil. Aurel. 2. can. 3. seuerè edicitur Episcopis, *ne pro quibuslibet causis, & Episcoporum Ordinationibus, cæterorumque Clericorum, aliquid præsumant accipere. Si quis Sacerdotium per pecuniæ nundinum execrabili ambitione quærebat, abiiciebatur vt reprobus,* Aurel. 2. can 4. Equidem constat à Clericis Syluanect. diem Episc. suo dictam apud Remens. Archiepisc. quòd de simoniaca labe malè passim audiret, à quo sibi cùm meueret, à Pontifice ad quem appellauerat, causam decidi suam voluit: hunc Iuo Paschali Pontifici commendauit per literas, *quatenus circa eum obseruaretur iustitia, vt non periclitaretur innocentia,* Iuo epist. 260.

Tertiò, quòd nullus ordinetur, *nisi probatus fuerit, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio,* Conc Carthag. 3. can. 22. can. nullus, can. quando dist. 24. Trid. sess. 24. capite 7. quoniam vnum aliquem errare pronum est, & facilè, multos verò, vel omnes, arduum ac difficile, interest autem plurimum Christianæ rei, non alios ordinari quàm Clericos, boni testimonij Trident. sess. 23. cap. 8. Episcopi quidem vt scriptum est in Concil. Aurel. 2. can. 7. Aurel. 3. can. 30. Aruern. 1. can. 2. Cabillon. can. 10. Paris. 1. can. 7. Episcopi (inquam) priscis temporibus non nisi Cleri, ac pop. communibus suffragiis creari consueuerant, ante tamen à Metropolitano, & Coepiscopis suis examinati: *Si natura prudentes essent, si docibiles, si moribus temperati, si vita casti, si sobrij, si humiles,* &c. *& ante omnia, si fides documenta verbis simplicibus afferant, id est, Patrem & Filium & Spiritum S. vnum Deum esse confirmant,* dist. 23. can. qui Episcopus 2. & in Laodicensi Conc. can. 12. præcipitur ne in *Episcopos eligantur, nisi hi quos multo ante nota, probabilisq; vita cõmendat, & nihilominus si in sermone fidei, & recta operatione, per suam conuersationem fuerint probati.* Clerici autem ordinari prohibentur sine Episcoporum examine, suorum Clericorum consilio, & populi testimonio, Conc. Carthagin. 3. can. 22. in quarto autem, canone 23. iubentur ordinandi *ciuium assensum & consuetudinem quærere.* Idem à Zephirino, ep. 2. & Anacleto, epist. item 2. statutum: quos autem, & quales Clericos esse oporteat, habes apud Isid. de Ecclesiasticis officiis, lib. 2. cap. 2.

Qui sine examine præuio, ad Ordines arrepunt, aut cum de eorum vita, moribusque exercetur quæ-

Digitized by Google

ſtio, peccata ſua confitentur. *Aut poſt examinationem ab alijs detecti ſunt, abiiciuntur è Clero ſimiliter & de vniuerſo Clericorum ordine feruatur, nam hoc ſibi quod eſt reprehenſibile, ſancta Catholica defendit Eccleſia.* Martin. diſt. 24. can. ſi quis finali. Abiici autem è Clero idem eſt hoc loco ac priuari vſu Ordinum, in quibus qui inſcio Epiſcopo aut ſine examine, initiandum ſe dederat miniſtrare, non poterat, donec cum eo, per Epiſcop. diſpenſatum fuiſſet, quod ei licere docet Alexand. III. in cap. veniens primo de eo qui furtiuè, modo ſatisfieri Eccleſiæ, per eum det operam condigna iſti, vt loquitur impoſita pœnitentia.

A

At quo die, eſt neceſſe Epiſcopo ſe ſuo examinandos offerre Clericos?

Feria quarta ante ordinationem, & tunc Epiſcopus eligere debet à latere ſuo Sacerdotes & alios prudentes viros, gnaros diuinæ legis, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum vbi educati ſunt examinent, &c. Concil. Nannet. cap. 11.

B

Cap. 6. Tempus autem faciendæ ordinationi præſtitutum, non aliud ſacris ordinibus, quam quod eſt lege Eccleſiæ, ac antiqua eiuſdem conſuetudine, ieiuniis, ac abſtinentia ſacrum. Sic Alexand. III. de temporibus ordinationum cap. de eo 3. *De eo autem, quod quæſiſti,* inquit, *an liceat extra ieiunia quatuor temporum, aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promouere. Taliter reſpondemus, quod licitum eſt Epiſcopis, Dominicis, & aliis feſtiuis diebus, vnum, aut duos, ad minores ordines promouere, ſed ad Subdiaconatum, niſi in quatuor temporibus, aut Sabbatho ſancto, vel Sabbatho, ante Dominicam de paſſione, nulli Epiſcoporum præterquam Romano Pont. licet aliquando ordinare.* Peccans in hanc legem, non eſt ſine pœna, Ordinans quidem decreto Alexand. priuandus eſt, *authoritate ordinandi*, cap. ſuper eo 2. de temp. ordinat.

C

Ordinati autem extra prædicta tempora ipſo iure ſunt, ab vſu ſuſcepti ordinis, ſuſpenſi ſtatuto eiuſdem Pontificum cap. citato: *Donec apud ſedem Apoſtolicam reſtitutionis gratiam conſequantur*, Vrban. III. cap. cum quidam 8. eodem titulo. Priuandos dixi, nam ipſo facto ea poteſtate non carent, cum huius pœnæ nuſquam reperiatur facta in iure mentio Piaſecij teſtimonio prax. Epiſc. parte 1. cap. 1. art. 8. Addidi, (*Profacris Ordinibus*,) nam minores conferri poſſe extra tempora quolibet, die Dominico, aut Feſto, decretalis citata Alexand. indicat, quæ maiorum, tantùm meminit quos tamen indulto, Gregor. XIII. à Patribus Societ. Ieſu recipi poſſe extra prædicta tempora, cæteraque à iure ſtatuta, narrat Piaſecius proximè citatus.

D

Hæc de tempore, de loco autem in quo Clericos ordinari conuenit, hæc habent Concilia, & Pontifices primo, quod id fiat in Diœceſi ordinantis, Calliſt. epiſt. 2. cap. 3. Iuo lib. 4. tit. 4. cap. 2. Conc. Antioch. can. 13. *Nullus Epiſcopus ex alia prouincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem miniſterij aliquos ordinare licet conſenſum videantur nonnulli præbere.*

E

Secundò, ſignificant Ordinatum, ab Epiſcopo, non habente facultatem exercendi Pontificalia in Diœceſi non ſua, ipſo iure, ab exercitio ordinum, quos de eius manu in ea recepit, ſuſpenſum eſſe, Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. de reform. Antiochenum can. 13. *Cum aſſerit irrita exiſtere, quæ ab Epiſcopo geruntur, ſi nullo vocante, inordinate more deproperat ſuper aliquibus ordinationibus, & Eccleſiaſticis negotiis ad eum non pertinentibus.*

Docent tertiò, Ordinantem ab exercitio Pontificalium ſuſpenſum, ſi ſine expreſſa licentia Ordinarij, & in perſonas alias quam quæ ſunt ipſi ſubiectæ Pontificalia exerceat, Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. *Iure autem antiquo aliud non præcipitur quam quod incompoſiti motus ſui, & irrationabilis audaciæ vltionem ſubire debeat*, Antiochen. can. 13.

Docent quartò, locum aliquem ſacrum in Diœceſi, è multis, ad hanc actionem, eligendum eſſe, nec communiter alium, quam Cathedralem Eccleſiam, vel ſi ex causâ alibi ordines celebrare expediat, fieri id debere in Eccleſia vrbis digniore, ſpectante ac præſente eius Clero, Trident. ſeſſ. 23. cap. 8. de reform. Syl. in Conc. Rom. 275. Epiſcop. can. vlt. his verbis Sylueſter Epiſcopus dixit. *A nobis incipientes, moderamine lenitatis iudicare, commonemus, vt nulli Epiſcopo liceat, quemlibet gradum Clerici ordinare, aut conſecrare, niſi cū omni adunata Eccleſia.*

Vltra prædicta, requiritur circa Ordinum collationem, vt in Miſſa maiores conferantur, cap. quod ſicut de elect. quod minores non exigunt. Angel. verbo Ordo 4. num. 5. Armilla verbo Ordo num. 9. Viuald. de Sacramento Ordin. diſt. 18. num. 14. maiores autem etſi id poſtulent non tamen vt valeant, ſintq; rati, ſed tantum, vt vitetur culpa, contra præceptum Eccleſiæ, id præcipientis.

Cauendum præterea ne eadem die ſacri ordines duo, aut plures conferantur, aut duobus, continuato ieiunio, Innocent. III. de temporib. Ordinationum cap. literas 13. Honorius III. cap. dilectus filius 15. eiuſdem tit. Secus facienti, pœna propoſita eſt ſuſpenſionis quidem, iure ipſo à collatione Ordinum, quos binos contra interdictum Eccleſiæ contulit, ſi eſt Epiſcopus ſuſpenſionis autem ab exequutione receptorum pro Ordinato. Ita Innoc. in cap. literas his verbis. *Præfatum Bonon. Epiſcopum (vt puniatur in quo deliquit) à collatione ordinum Diaconii, ſcilicet & Preſbyterij, alterum vero ab executione officii Sacerdotalis tandiu volumus manere ſuſpenſos, donec de illis aliter diſponamus.* Par ab Honorio dicta ſententia in Epiſc. paris culpæ reum. *Quem*, inquit, *tandiu ab ordinandi ſuſpendimus poteſtate, donec noſtram meruerit gratiam obtinere.* Si tamen Ordinatus mundo nuntium remitteret, ſeque intra clauſtra pœnitentiæ causâ abderet, tùm eſſet in eius ſuſpenſione Epiſcopo licitum diſpenſare, eique acceptorum ordinum vſum concedere Cœleſtinus III. author in cap. innotuit 3. do eo qui furtiuè ordinem ſuſcepit. Ibi enim ait, eum qui clandeſtinè ſe ad duos ordines, vno, eodemque die ſuſcipiendos ingeſſerat, *In ſuſceptis ordinibus de iuris rigore miniſtrare non debere, verum ſi ad religionem aliquam*, inquit, *voluerit ſe transferre, & peracta pœnitentia, pro arbitrio tuo ei iniuncta, ibidem laudabiliter fuerit conuerſatus, proceſſu temporis, cum eo poteris de noſtra licentia diſpenſare, vt poſtmodum ſuſceptorum ordinum executione lætetur.*

Cap. 7. At enim cuius eſt benè mereri de Clericis collatione Ordinum, quorum amore tenentur? Epiſcoporum: Omniumne? Nequaquam, qui enim renuntiauit loco & dignitati Epiſcopali, maiores Ordines conferre non poteſt, habetur cap. 1. de Ordinat. ab Epiſcopo qui renuntiauit Epiſcop.

Secundò, Latini à Græcis Epiſcopis, & contrà Græci à Latinis ordinari nequeunt, ſi ritus ſint diuerſi. Cœleſtinus III. cap. cùm ſecundùm 9. de temporib. Ordination. Nec excuſat conſuetudo

Digitized by Google

contraria. *Hæc enim consuetudini Ecclesiasticæ inimica, & detestabilis est, & penitus improbanda, & nisi vetustissima, & antiqua consuetudo esset in causa, sic ordinati, non deberent permitti in suscepti Ordinibus ministrare.* Cœlestinus loco citato. Si tamen mos esset, inquit Innocent. vt à Græco Antistite Latinus Clericus de licentia Episcopi sui, sacro initiaretur Ordine, *impediri tum non deberet ab executione Ordinum taliter susceptorum*, cap. quod translationem 11. de temporib. A

Tertiò, ab alio Ordo sumendus, quàm proprio Episcopo, aut si ab alio, non nisi bona eius venia, ac consensu. Concil. Antioch can. 21. Nicæn. can. 17. Zacharias in Synodo Rom. cap. 1. Callistus, ep. 2. cap. 3. Aurelian. Concil. 3. can. 21. Bracc. 1. can. 26. *Si quis tale aliquid facere tentauerit, irrita sit eius Ordinatio*, Conc. Antioch. can 21. idem statutum in Nicæno, can. 16. Aquisgran. can. 45. Sardicensi can. 19. *Vniuersi hoc statuimus, vt quicunque ex alia Parochia voluerit alium Ministrum sine consensu Episcopi, & sine voluntate ordinare, non sit rata Ordinatio eius.* B

Quod autem de Episcopo dicitur, à quo eius subditos ordinari oportet, aut si ab alio, id beneficium consequuntur, non sine eius voluntate, ac consensu, testato literis, quas Dimissorias nominant, sic capi debet, vt eo nomine non excludantur Abbates, qui modò sint Sacerdotes, & manus impositionem à proprio Episcopo habeant, possunt in proprio Monasterio tantùm, Lectoriatum, & Tonsuram postulanti dare, Innoc. III. in cap. cum contingat 9. de ætate & qualitate præficiendorum, clarissimè 7. Synod. c. 14. *Lectoris autem*, inquit, *manus impositione, licentia est Abbati solummodo in proprio Monasterio faciendi, si duntaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo, secundùm morem præficiendorum Abbatum, dum constat illum esse Presbyterum.* C

Narrat Glossa canonis 1. distinct. 69. non modò eos Lectoriatum, sed & Psalmistatum, Ostiariatum cum res causaque exigunt impertiri posse, non Acolytatum, quos Ordines in iure Corepiscoporum fuisse olim, colligitur ex his verbis Concil. Antioch. 2. can. 10. *Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos atque Exorcistas, quibus promotiones iste sufficiant, nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter cimtatis Episcopum.* Absque quo tamen, eiusque imperto, id eos aggredi non potuisse indicat 7. Synodi can. 14. his verbis *Simili modo secundùm antiquam consuetudinem Corepiscopos præceptione oportet Episcopi promouere Lectores*, à quo cessare sunt iussi anno 800. tam à Leone III. quàm Episcopis Galliæ, super Ecclesiæ negotiis ad Synodum vocatis, ac ne in posterum *Leuitas facere, ordinare Presbyteros, Diaconos, ac Subdiaconos, velare Virgines, sacrare templa* animũ inducerent, graui sunt oratione prohibiti in Capitularib. select. Caroli Magni, lib. 2. cap. 2. D

Cap. 8. Vt autem non sunt omnium Ordinum officia eadem, ita nec materia. Ordinationis Episcopalis materia propria est impositio manuum Episcoporum. Huic Assertioni fides est à Carthag. Concil. can. 2. *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponunt, & tenent Euangeliorum codicem, super cernicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput eius tangunt.* Benedictionis autem nomine, intelligenda est forma, quæ ab omnibus, aut eorum vno est proferenda, sitaque est in his verbis: *Accipe Spiritum sanctum.* Augustl. lib. de gestis, cum Emerito, S. Ambros. de dignitate Sacerdotali, cap. 5. Trident. sess. 13. can. 4. *Si quis dixerit per sacram Ordinationem, non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustrà Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum, anathema sit*, cùm enim ea verba vtpote efficacia ad collationem gratiæ conferant, eamque significent, Ordinis Episcopalis formam esse quis neget? *Accedit enim verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Augustl. iudice. E

Atenim quorum est Episcoporum munus hoc proprium, omnium an aliquorum tantùm? Non omnium, discrimine nullo ac delectu, sed comprouincialium. Author S. Fulbertus, epistola enim 61. ad Theodoricum cum de causis disputat: quam ob rem tam ipse, quàm alij episcopi Senonensis Ecclesiæ eum ordinare noluissent, *vna* (inquit) *earum hæc fuit, quia die illo quo sacrandus esse videbatur, Comprouincialium Episcoporum qui aberant, nec literas, nec Legatos habuimus, quod solùm tantùm valet, vt si nullo amplius adminiculo indigeres, tamen sine isto regulariter ordinari non posses, talem enim Ordinationem irritam esse testantur Nicæni Concil. can. 4. & Antioch. 19.* Hæc ille, quæ indicant consecrationem Episcopi rem non esse Episcoporum quorumlibet, sed eorum duntaxat, qui eiusdem sunt prouinciæ cum electo, ac consecrando. Iuo Carnot. ep. 63. ad Stephan. Senon. ep. 64. ad Hugon. Lugdon. Archiep. Sexagesima autem sexta ad eundem, iniuriam sibi & consuffraganeis suis ab eo fieri queritur, quòd Niuern. Episc. vellet alibi, quàm in Diœcesi, & ab aliis, quàm comprouincialibus Episcopis sacrari. *Verùm de eo* (inquit) *quòd consecrationem Niuernensis electi, ad nostram Diœcesim pertinentem, Augustoduni facere disposuistis, simpliciter dico paternitati vestræ, quia nec dispositionem vestram reprehendimus, quoniam reuerentiæ vestræ deferimus, nec tamen approbamus, quia nec ex auctoritate, nec ex consuetudine, ordinem huius ea sacrationis habemus. Quod si aliquando contigit penuria Catholicorum Episcoporum, à Comprouincialibus, non fuisse consecratum, non debent hæc exempla præiudicium facere legi communi, vel generali consuetudini*: qua de lege & consuetudine pererudite vt omnia scripsit P. Sirmund. in 2. Concil. tomo, pag. 651.

An autem ad substantiam Ordinationis Episcopalis pertineat, quòd à tribus Episcopis, de quorum numero sit Metropolitanus, cõsecretur Episcopus disputant Authores, & adhuc sub iudice lis est. Mihi probatur eorum opinio, qui in negantẽ abeunt, hoc maxime nomine, quòd nihil repugnet, Pontificis concessione ac indulgentia fieri, vt vnicus Episcopus alium ordinet, vt factum legimus ab Augustino, Anglorum Apostolo, cui à Greg. primo permissum scimus, vt in societatem partemque sibi commissæ prouinciæ, adlegaret aliquos, prudentia iuxta, ac conditione præditos, quos & ipse crearet Episcopos.

Cap. 9. Sacerdotij materia duplex, duplex item forma, prior est traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane, & ordinationis huius partialis forma est, *Accipe potestatem offerendi sacrificium.* Florentinum in decreto Eugen. parag. Sextum Sacramentum. Posterior est manuum impositio facta ab Episcopo, forma autem, *Accipe Spiritum sanctum quorum remiseris peccata.* Colligitur ex Trid. sess. 14. d de Extrema Vnct. cap. 3. *Presbyter cum ordinatur Episcopo cum benedicente, & manum supra caput eius tenente*, quæ benedictio prudenter appellatur *Innocatio*, à Dionys. par. 1. Ecclesiast. Hierarchiæ,

cap. 5. *Sacerdos*, inquit, *coram Sancto altari, ponens utrumque genu, in capite habet Pontificis dexteram, & in hunc modum à ſacrante Præſule, ſanctiſſimis innocationibus conſecratur.* Sunt enim hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, efficacia, ad collationem gratiæ, quam ſignificant, proindeque eiuſmodi quibus conſecrari ordinatus, vti innocatione ſancta, dici merito valeat. Quare cum Presbyteralis ordinatio duabus partialibus perficiatur, ideo duas materias, & duas formas ad completam & eſſentialem ſui conſtitutionem exigit.

Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit manum ſuper caput illius ponit, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur. Carthag. 4. can. 4. Ex his enim verbis colligitur, materiam ordinationis Diaconi, eſſe impoſitionem manuum Epiſcopalium cum traditione alicuius rei, per quam poteſtas, & officium illius ſignificatur, formam autem quæ benedictionis nomine intelligitur, eſſe verba, quæ cum materialibus ſymbolis proferuntur, veriſſime enim dictum eſt à Florent. *Materiam*, Sacramenti Ordinis, *eſſe illud per cuius traditionem confertur Ordo, Preſbyteratus, per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus per libri Euangelij dationem.*

A

At enim, inquies, cum initio naſcentis Eccleſiæ, Chriſti diuina facta, necdum eſſent mandata literis, Euangeliorum liber exhiberi Diaconis non potuit, quos tamen tunc ab Apoſt. creatos eſſe, Apoſtolica acta docent.

Omnino, ſed eius loco præter manuum impoſitionem, ex Chriſti diſpenſatione, alia illis materia eſt exhibita, per quam, & altaris miniſterium, & alia officia annexa Diaconatui, ſignificarentur. Nec enim vt ſcribit Bellar. lib. de Sacr. Ordinis cap. 9. *Chriſtus materias Ordinum in particulari inſtituit ſed generatim, monendo Apoſtolos, vt Ordines conferrent per cæremoniam inſtrumentalem, quæ ſignificaretur eorum poteſtas*, ex Eccleſiæ impoſitione ſeu Ordinatione.

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipit vacuam, & calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi, vrceolum cum aqua, & mantile, ſeu manutergium, Conc. Carth. 4. can. 5.

B

Quibus verbis volunt Patres, materiam ordinationis Subdiaconatus, eſſe traditionem calicis vacui, cum patena ſuperpoſita, formam autem, verba, quibus Epiſcopus traditum Subdiaconis miniſterium ſignificat, *Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur.* Quæ ad reliquos Ordines pertinent, peti poſſunt ex eodem Conc. & diſtinct. 23. can. 16. & ſequentib.

Digitized by Google

TRACTATVS OCTAVVS,

DE EPISCOPIS.

VEtus est verbum Christianorum genera duo esse, vnũ sæculariũ, alterũ *quòd mancipatũ diuino officio & deditũ contẽplationi, & orationi ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, vt sunt Clerici*, 12. qu. 1. can. duo sunt 7. sic dicti, *quia de sorte Domini sunt*, ait S. Hieronym. epist. ad Nepotian. hoc est eius hæreditas, vt interpretatur Alcuinus de diuinis officiis, cap. de Tonsura Clericorum, vel *quia ipse Dominus sors, id est, pars eorum est*, Lexic. Iuris, verbo Clericus, quod enim hi diuino cultui impendant Religionis ministeria, ad eum cœlesti gratia & Ordinatione, vt Episcopi, Presbyteri, & reliqui ordinari soliti in Ecclesia, consecrati specialiter, aut deputatione sola, vt Clerici, dicuntur Dei sors, seu hæreditas, quòd autem abiudicatis mundi curis, totos se dedant procurandis sacrorum religionibus eius vnius causâ, illum prooperæ suæ mercede, cũ vita functi erunt possessuri dicitur Deus eorũ hæreditas: Et horum Clericorum Ordines, id est, gradus sunt septem, Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episc. qui omnes statũ in Christiana Repub. habent. Est autem status vitæ conditio, in qua quis æui reliquũ, cum perenni, stabilique constantia, traducere parat, vt enim in motu sunt labentia, ita stantia in quiete. Sic in pristinum statum restitui dicitur, qui obliteratis ex animo offensionũ causis, sibi à Principe, suisque redditur, cum iure pari, ac fruebatur antequam solum verteret. Sic literæ status, eæ appellari solitæ, quæ à militibus, aut regiis officialibus impetrantur, illis quandiu pro salute communi militiæ degunt; his verò, dum Principum negotiis distinentur, vt eorum causæ non agantur in foro, quandiu ab vrbe absunt, quod enim Aduersariis, ac Iudici indicto silentio, res in neutram partem inclinare possit, stare dicitur, literæque quib. hæc illi firmitas aduenit, litteræ status nominantur.

Est tamen huic voci nonnunquam alia notio. Quod enim Theologis est gradus, hoc Summarum authoribus, est status: sic in Ecclesia, regnoque quolibet, vt magna est in personis inæqualitas, ita & statuum, non vna est, eademque varietas. Qui seruorum, idem non est Dominorum status: qui Clericorum, non illico similis videri vlli debet esse sæcularium, alia sunt istorum nomina, alia officia, quàm quæ illis competunt.

Ergo status tripliciter sumitur primò, ac propriè, pro vitæ traducendæ certo modo, à quo recedere non licet, sine nota, quòd immobilis, quòd æternus, quòd stabilis sit, ac fixus. Quare quæ homini accedunt, opes, honores, gloria, statum non faciunt, cùm ea Dei causâ negligere, cuique sit gloriabile. Perseuerare sanè in his quæ sunt ad statum, singulis est necesse, cùm hic personæ obligationem denotet, ad aliqua tam omittenda, quàm agenda, in temporalibus, aut spiritualibus, prout libertatem habet, ac in iis sui est iuris. Quod de gloriâ, caducisque fortunæ membris, nemo opinor est, qui dicere audeat, cùm quæ in potestate sunt cuiusque, hæc dare possit, aut seruare.

Secundò, est status ex dictis, idem ac officium, prouinciaque, in qua quis operam alteri suam accommodat, quo sensu, statum sæcularium, seruorum, liberorum, Iudicum, Clericorum, in Ecclesia esse dicimus, à cæteris seiunctum, horum enim munia, officiaque distincta sunt à reliquorum, quorum vita, studia, sedulitas, industria, hominum sunt generi fructuosa.

Tertiò, capitur hoc nomen strictius, prout significat conditionem vitæ, per quam vnus est alteri obstrictus, quo modo dicimus seruos separatos esse à dominis.

Nomen status in duabus primis notionibus, hîc à nobis vsurpabitur, cùm enim sermo erit de Clericis, nomen status secundo modo considerabitur. Nec enim hi propriè dicuntur esse in statu, sed in gradu & officio, cùm non obligentur nisi ad peculiares actiones suorum officiorum, ex Val. 2. 2. disp. 10. qu. 1. punc. 1. D. Thom. 2. 2. quæst. 183. ar. 1. 2. 3 & 4. quod ad statum non sufficit, ad quem duo sunt necessaria.

Primò, obligatio faciendi omnia sua opera, vel certè præcipua, cum quadam permanentia, & immobilitate,

mobilitate, & ſecundùm peculiarem aliquem vitæ modum.

Secundò, requiritur aliqua etiam exterior actio per quam conſtet, hunc aut illum in ſtatu hoc aut illo eſſe; quod propriè ſolis Epiſcopis & religioſis conuenit: De his ergo Clericis, eorum numero, dignitate, miniſteriis, atque poteſtate dicere aggredimur, & primò, de Epiſcopis.

QVÆSTIO I.

De Epiſcopis, eorum dignitas quanta.

EST Epiſcoporum inſigne nomen, excellens auctoritas, quà maiorem poſt Pontificiam, eſſe ſi quis exiſtimet, eum in magna rerum ignoratione verſari eſt neceſſe, inquit Iſidorus Peluſiota, lib. 3. epiſt. 20. ad Hermog. ἱερωσύνης ἔστι μεῖζον φρόνημα, οὐδὲ φρόνιμον ἔχειν μὴ δοκεῖ, clauum hi tenent in naui Eccleſiæ, Apoſtolorum in ea regenda ſucceſſores ſunt ac ſocij, diſt. 65. can. quorum vices, can. videntes 12. q. 1. Cyp. epiſt. 75. ad Firmilian Animos excolunt, ſementē in iis virtutum faciunt, quo à munere eos *Chriſti agricolas, ac ſummi Regis procuratores* nominat. Theodoretus lib. 4. hiſt. cap. 7. *Patres autem Eccleſiæ, diuinæ voluntatis indices, fidelis populi Duces, veritatis aſſertores.* Concil. Pariſien. ſub Ludouico Pio & Lothario, can. 4. *Apoſtolos.* Leo epiſt. 88. Cyp. tomo vlt. tract. de aleatorib. *Quoniam*, inquit loquens de ſeipſo, *nobis diuina & paterna pietas Apoſtolatus ducatum contulit, & Vicariam Domini Sedem cœleſti dignatione donauit.* Et epiſt. 65. ad Rogatianum ſecundum editionem Pammel. num. 13. *Meminiſſe debent Diaconi, quoniam Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos & Præpoſitos nos Dominus elegit*, quo eos quoque nomine appellat. Iſidorus lib. 2. de diuinis officiis, Theodoret. in c. 3. 1. ad Timoth. *Deo vero in ſalute hominum promouenda coadiuuas, Miniſtros Verbi, oraculum Spiritus ſancti.* Proſper Rhegienſis, cap. 25. lib. 1. de vita contemplatiua. *Iſti enim ſunt*, inquit idem c. 2. l. 2. *virtutes oppreſſorum, Patres in fide regeneratorum, Prædicatores cœleſtium, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium, ipſi ſunt Eccleſiæ decus, ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium, ipſi ianuæ ciuitatis æternæ, per quos omnes qui credunt, ingrediuntur ad Chriſtum, ipſi diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni, diuiduntur gradus & officia ſingulorum.*

Et quoniam poteſtate Principes, maieſtate Reges ſuperant, Iuo Carnot. epiſt. 9. ad Philip. Regem, beatis mentibus, communione ſunt morum, & munerum propè pares: idcirco Reges à Patribus audiunt, ſic Greg. Naz. in carmine ad Conſtantinop. Sacerdotes, ὃ γέρας ὃ Καισαρείων ὑπέρτερον ἀξιωμάτων: quin etiam in Apolog. 1. & in orat. de laudib. Athanaſ. eos nominat *Angelos, candelabra in Eccleſia Chriſti, Sacerdotes, incruenta ſacrificia offerentes, illuſtres animarum cuſtodes, magni Dei figmentum in manibus portantes, immortalis vitæ Doctores.*

Sanè Ignatius ep. ad Smyrnenſes 7. ait, in Eccleſia primum honorem deberi Deo, ſecundū Epiſcopo, tertium Regibus, quòd niſi Reges eſſent, ac ſæcularibus maiores, nunquam id dicere vir ea ſapientia induxiſſet animum. Equidem & omnes Epiſcopi *Summi Sacerdotes & Pontifices*, vt apparet ex can. 26. Conc. Carthag. 4. & Metropolitani, multis Epiſcopis præſidentes *Principes Epiſcoporum* dicebantur, vt conſtat ex epiſtolis Ambroſ. ad Fœlicem, Zozimi Papæ ad Heſychium, Gelaſ. ad Epiſcopos Lucaniæ: item ex can. 3. Conc. Aurel. 1. & can. 6. Agathen. nil tamen ad laudem eſt illuſtrius, quàm quod à Clemente dicitur, lib. 2. Conſtit. Apoſtolic. cap. 30. Epiſcopus, inquit, *eſt poſt Deum pater noſter, Princeps, Dux, & Rex veſter, denique is terrenus Deus poſt Deum, cui honor à vobis debetur.*

Equidem quanta differentia (verba ſunt Chriſoſtom. lib. 2. de Sacerd.) *homines rationis vſum habentes, & bruta ratione carentia diſſident, tantum diſcrimen eſt, inter eum qui paſcit, atque eos qui paſcuntur*, vt mirum nulli videri debeat, ſi Epiſcopum his ornamentis illuſtrem, cœleſtibus animis meritò venerabilem, Nazian. dixerit in carmine ad Epiſcopos.

Βῆμα τέλ' ἀγγελικῆιν χερουσσίμοιν πέδιλοῖς
Κυκλίδα τὼ μεσάτω χάσμαν δύο τῶνδε μέροιν
Τῶν ἐφιπταμένων θείων ὁρίσαντε μέσουρον.

Tribunal in cœleſtibus choris germinans, cancellum medium mundorum duorum, manentis & præterualantis Deorum terminum & hominum. Eſt autem Epiſcopus Græcis, idem ac inſpector. Cyp. de 12. abuſionibus, cap. 11. quod cùm primùm prophani muneris nomen eſſet, ad Eccleſiaſticam dignitatem eſt tranſlatum.

Apud Iudæos Epiſcoporum munus erat, teſte Ariano, lib. 8. Regem aut Magiſtratum commonefacere de ſingulis quæ in prouincia fierent: Romanos autē ſignificaſſe hoc nomine, eos qui rebus gerendis præeſſent, indicant hæc Ciceronis verba lib. 10. epiſt. ad Attic. ep. 7. *Vult me*, inquit Pompeius, *eſſe quem tota Campania & maritima ora habeat Epiſcopum, ad quem delectus & ſumma negotia referantur.* Nobis qui *Præſules, qui Paſtores fidelium*, hi quoque ſunt Epiſcopi, eo quoque verbo continentur Presbyteri, canone legimus, diſtinct. 93.

QVÆSTIO II.

An Ordo Epiſcopalis à Sacerdotali ſit diſtinctus.

INdiſtinctum eſſe docebat olim Aerius, vt ſcripſere Epiph. hæreſi 75. Auguſt. lib. de hæreſib. cap. 53. cuius opinionem ſubſcripſere conſequutis temporibus, Valdenſes, Caſtro teſte, aduerſ. hæreſ. verbo Epiſcopus. Quàm id verò imprudenter, ac impiè, oſtendunt argumenta quæ ſequuntur.

Primum, quòd Apoſtolis ſucceſſiſſe dicuntur Epiſcopi, Diſcipulis Presbyteri, diſt. 21. & can. quorum vices diſtinct. 68. Ergo qui Presbyteri, non iidem quoque Epiſcopi.

Secundum, quorum ſunt diuerſa munera, & hos quoque, ad quos ea exercere pertinet, à ſe inuicem differre eſt neceſſe: At non ſunt Epiſcoporum partes eædem, quæ Presbyteri, illis enim imperandi, huic autem obſequendi incumbit neceſſitas: Deindo altaria, calices, & virgines conſecrant ex propria inſtituti ſui ratione Epiſcopi, Presbyteri autem non niſi ex commiſſione.

Tertium, ſunt Epiſcopi, tam in poteſtate Iuriſdictionis, quàm Ordinis, Superiores Presbyteris, Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 7. Iu-

risdictionis quidem, quia istorum, hoc est, Sacerdotum, potestatem contrahere possunt, ac laxare cùm lubet, nam & casus sibi quosdam reseruant, in quos istis ius sit nullũ, Trid. sess. 14. c. 7. & can. 11. eisdem si non sunt Parochi absoluendi facultatem annuunt, duraturam quandiu eis videbitur, in hoc ergo genere Episcopi Presbyteris sunt priores, eos quoque *potestate Ordinis præcedunt, nam vt habet Concil, sess. 23. cap. 4. Sacramentum confirmationis, Ministros Ecclesiæ ordinare, & alia pleraque possunt peragere, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Maneat ergo, tanquam Catholica fide certum dogma, Episcopos tam in potestate Ordinis, quàm Iurisdictionis, Presbyteris priores esse, quæ est sententia Valent. tom. 2. disp. 19. q. 1. punct. 2. Ægyd. de Coninch. de Sacram. disp. 20.

Quid si interdum Episcopi, nominantur Presbyteri, aut contrà, dicendum est id fieri ob eam causam, quòd olim Episcoporum benignitate, iis regendarũ Ecclesiarum curam, maximè cùm ab iis abessent, demandare solita essent, aut quòd ambo, id est, Episcopi ac Sacerdotes, ætate prouecti essent, & ita Presbyteri sunt dicti, Episcopi autem quòd pari vtrique studio, animarum saluti operam darent, ac Ecclesiam regerent, Episcopi quidem ex officio, Presbyteri autem illorum beneficio, ac vt loquuntur, commissione ac imperio.

QVÆSTIO III.

Quomodo olim Episcopi in Ecclesia creari solerent.

EST hæc quæstio difficilis, multisque inuoluta ambagibus, nam pro ratione temporum, ritus quoq; fuere in Eccles. creandorum præsulum varij.

Primò enim soli ad eam rem adhibiti Episcopi, nec quilibet, sed eius duntaxat prouinciæ, cuius partem alteram defunctus consilio regebat ac imperio Concil Nicæn. 1. can. 4.

Postea tamen ad hunc tam excellentem honoris gradum, non nisi Cleri & populi suffragio vocari solitos Episcop. colligere cuique promptum ex antiquis decretis Ecclesiæ tam Græcæ, quàm Latinæ, libet ordiri à Græca.

Extat Patrum qui concilij causâ frequentes Constantinopolim Theodosij monitu coierant, epistola ad Damasum Romanum, & alios Europæ Episcopos Romæ congregatos, in qua ei indicant, à se Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præpositum fuisse Nectarium, *πατρὸς τε τῆ κλήρε & πόλεως ὁπολεξαμένε τῆς πόλεως*, id est, *Cleri, ac ciuitatis totius suffragiis.* Eundem quoque Magistratum, Episcopos Orientis, volentibus animis Flauiano detulisse, plebe idvniuersa postulante, verba sequentia indicant, *τὸν δ ὁμοκήρυκτον καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐκλεκτὸν φλαβιανὸν χειροτονῆ τε πόλεως συμφώνε τῆς ἐκκλησίας ἅπασης διὰ φωνῆς τῶν ἀδελφῶν παρόντων.*

Fuisse & hoc quoque, priscis Patrum temporib. in vsu Gallis, Romanis, & Afris loquuntur Historiæ, mandant enim Galli Antistites, Aurelijs aggregati, regnante Childeberto circa annum Seruatoris, 549 can. 7. Concil. Aurel. 2. *vt Metropolitanus à Comprouincialibus Clericis, aut populis electus, congregatis in vnum Episcopis ordinetur.* Concil. Aurel. 2. can. 7. quæ in Aruernico 1. iterata leguntur, can. 2. in Cabillon. habito anno 638. circa tempora Eug. Papæ 1. can 10. *Si quis Episcopus de quacunque ciuitate fuerit defunctus, non ab alio, nisi à Comprouincialibus, Clero, & ciuibus suis, alterius habeatur electio, sin aliter eiusmodi Ordinatio irrita habeatur.* Quare cùm de Ebali Remensis Archiepiscopi Ordinatione, Episcopi nonnulli ambigerent, & an rata aut inanis esset, quæstionem inter se mouerent, de ea mouendum non esse, dixit S. Fulbertus in epist. 38. *Si esset, vt dicebatur à Christianis, ab infantia Christianus, sano sensu, sacris literis eruditus, sobrius, castus, amator pacis, & dilectionis, nullo crimine, nulla infamiæ nota turbatus, tandemque à Clero, & populo suæ ciuitatis electus.* quia cum inuitis dari Antistitem non deceat, decreto Parisien. Concilij 1. can. 6. vetitum fuit prouinciales Episcopi, Ecclesiæ præficere, *nisi quem populi, & Cleri electio, plenissima quæsisset voluntate, non Principis imperio.* Quem ritum in Africa quoque, Hispania, & Italia seruatum norunt, qui meminere Eradii, successoris S. August. de quo extat epist. eius 120., aut Syluestri Romani Episcopi, cui vt veteres narrant Historiæ, scisciranti in Concil. Rom. 3. ecquid non esset à re communi, ac publica Ecclesiæ, eligi Episcopum, *nullo de membris Ecclesiæ intercedente, & omni Ecclesia conueniente*, responsum est ab Episcopis, id verò sibi placere.

Horum exemplo sanxere Greg. VII. quique eius imperio ad Concil. Romam venerant, vt *Clerus & populus, remota omni seculari ambitione, timore, atque gratia Apostolicæ Sedis, vel Metropolitani, Pastorem sibi secundùm Deum eligerent.* Quem morem obseruatum quoque in Græcia ætate Chrysost. constat, ex lib. 3. de Sacerd. in Hispania autẽ, ex Cypr. ep. 68. num. 16. Isid. lib. de Officiis, in Galliis verò, ex ep. Cœlest. Papæ II. & Leon. epist. 87. Cypriani est hæc oratio loco citato: *Propter quod de Traditione diuina, & Apostolica obseruatione obseruandum est, & tenendum quòd apud nos quoque, & apud prouincias vniuersas teneatur, vt ad Ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui Episcopus ordinatur, Episcopi prouinciæ conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente.*

Verùm hoc ritu in melius immutato, circa tempora Greg. 1. constitutum est, vt Clerus eligeret, populus autem assensum daret, quo sensu à Stephano I. dist. 63. can. 10. dicitur, *Sacerdotum electionem esse, non laicorum, & fidelis populi consensum esse adhibendum, quia docendus est populus, non sequendus:* & in Capitulis Car. Mag. & Ludou. lib. 1. habetur plebi sola suffragia concessa, non electionem quæ per subscriptionem fieri solet, quæ & prohibita illi fuit in Conc. Laodic. can. 12. & 22.

Sanè cùm de creatione Præsulum loquuntur Patres, eos à plebe fieri non asserunt, sed probari tantùm, Cyprian. epist. 68. ad plebes in Hispania consistentes: *Episcopus deligatur*, inquit, *plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vnius cuiusque actum, de eius conuersatione perspexit*, ideoque ad electiones videtur adhibita, vt crimina si quæ essent in eligendo detegeret, aut electum à Clero refutaret. *Ordinationes*, inquit Cypr. ep. 68. num. 4. *Sacerdotales sub populi assistentis conscientia fieri oportet, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Idipsum innuunt verba hæc Leon. Papæ I. in epist. 87. ad Episcopos Viennensis prouinciæ: *Vota ciuium*, inquit, *testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum, in Ordinationibus Sacerdotum expectantur.* Bernard. epist. 13. ad Hono-

Digitized by Google

ſum Pontif. cum de electione Alberici in Epiſcopum Cathalaunenſ. diſputat, ait populum in eam pari cum Clericis voto, & voce conueniſſe, de eiuſdem electione, per populi ſuffragia, ne verbum quidem, Epiſc ſane, conſentiendo Clericis prodeſſe poterat, ſuffragando non item, quod ab eo canones, veterumque decreta Pontificum aſſenſum, non ſuffragium per ſubſcriptionem exigerent Pammelius in epiſtol. Cypr. 68. num. 16. & vere aſſenſum plebis, quæſitum in promotione Epiſcopi, non calculum, qualis eſt eligentium duntaxat, colligitur ex reſponſis Pontificum, ac authenticis Scriptorum teſtimoniis. Ordiri placet à Cypr. hic enim ep. 68. electionem faciendam eſſe ait plebe præſente, *Vt dignus atque idoneus publico iudicio comprobetur, quare nihil eſſe quod hæc ſibi blandiatur, quaſi immunis eſſe à contagio delicti poſſit, cum Sacerdote peccatore communicans, & ad iniuſtum, atque illicitum præpoſiti ſui Epiſcopatum, conſenſum ſuum commodans*, quo de more luculentum eſt apud Iuonem teſtimonium.

Cum enim Dunelmenſis Epiſcopus Rannulphus, agnomine Flammardus, Luxouienſi Eccleſiæ Clericum quendam ſuum à Normanorum Comite præpoſitum aſſereret, fuit tum dirimendæ litis, hæc ab Epiſcopis inita ratio, vt vocatus ad ſedem Metropolitanam, prænominatus Clericus proferret, ſi quid iuris in Epiſcopatu ſe habere conſideret, *Qui nulla ratione potuit aſſerere, quod electionem Cleri aut conſenſum plebis habuiſſet, aut etiam donum Comitis, quod plus obeſſe quam prodeſſe debuerat, accepiſſet.* Iuo Carnot. epiſt 81. ad Paſchalem Papam. canone autem 31. diſtinct. 63. *Sub anathematis vinculo interdicitur ne Canonici de ſede Epiſcopali, ab electione Epiſcoporum, excludant religioſiſſimos viros, ſed eorum conſilio, honeſta, & idoneam perſonam in Epiſcopum eligatur.*

Hinc infertur, primo ius eligendi Epiſcopi ad Clericos pertinuiſſe vacantis Eccleſiæ, ita Hieron. in epiſt. ad Euagr. *Dum dicit electionem Alexandrini Epiſc. à Preſbyteris fieri ſolere*, & in Conc. Laodic. can. 12. & 13. prohibetur electio Epiſcoporum per plebem fieri.

2. Infertur plebem ac cæteros, è ciuitate ius conſilij ac conſenſus, ſuper facta Epiſcopi electione, aut facienda habuiſſe, nihil amplius, argumento eſt, *Quod non ſit populis concedendum electionem eorum facere, qui altaris miniſterio ſunt applicandi, iuxta dicta* in canone Concil. Laodic. 13.

An autem in Epiſcopi demortui locum, Comprouinciales ſubrogare dignum, è Prouincia Clericum, veteri Eccleſiæ more potuerint, controuerſia eſt inter authores. Ego ad eorum partes, qui hoc illis licuiſſe aſſerunt, eundum puto, hanc mihi mentem, præter alia, duo è Conciliis perita teſtimonia indidere, primum è ſeptima Synodo ducitur, vbi eſt his verbis, δεῖ γὰρ τὸν μέλλοντα προχειρίζεσθαι ἐπίσκοπον ὑπὸ ἐπισκόπων ὁρίζεσθαι κελεύει πρὸ πάντων ὁ ἅγιος πατὴρ ἡμῶν ὁ τῆς ἐκκλησίας, ὅσιος ὁ τῆς κλίμακος τὸν ἐπίσκοπον προτρέπων μᾶλλον τοῦτο παντὸς τοῦ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καθίσασθαι, ideſt oportet vt qui in Epiſcopum eſt prouehendus, ab Epiſcopis eligatur, quemadmodum à ſanctis Patribus, qui apud Nicæam conuenerant, in regula definitum eſt, quæ dicit, Epiſcopum conuenit maxime quidem ab omnibus qui ſunt in Prouincia ordinari. In eandem ſententiam eſt can. 10. Conc. Cabillon, ſub Eugenio Papa I. Aurel. 2. can. 7. ep. Cleri Senon. ad Epiſc. prouinciæ relata à Reuerendo P. Sirmundo, to. 2. Concil. his verbis. *Canonicis regulis & Apoſtolicis inſtitutionibus ſancitum eſſe recolimus, vt quoties Metropolis ciuitas, Pontificalis miniſterio dignitatis caruerit proprioq; vacauerit paſtore ſuffragantes eiuſdem Metropolis cõuenire debeant, & electionem futuri Pontificis, cum conſenſu Cleri, & plebis facere* Teſtimonium ſuppeditat, aliud Concil. Aurelian. 3. can. 3. his verbis: *Ipſe Metropolitanus à Comprouincialib. Epiſcopis, ſicut decreta ſedis Apoſtolicæ continent, cum conſenſu Cleri, & ciuium eligatur, quia æquum eſt, ſicut ipſa Sedes Apoſtolica dixit, vt qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.* Quod à Græcis quoque vſurpatum, cum Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio narrant hiſtoriæ Socratis lib. cap. 6. Sozom. lib. 3. c. 5. & ante hos omnes Athanaſ. in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes: Cum enim in Antiochena Synodo habita, anno Chriſti 341. Iulij Papæ V. Euſebius, Emiſſenus recuſaſſet in Antiochena Eccleſia, Athanaſij loco ſubrogari, ab Epiſcopis, qui ei Synodo intererant electus eſt Gregorius quidam, ſecta Arrianus, non quidem vnanimi Epiſcoporum omnium ſuffragatione ac voce ſed aliquorum tantum. *Vt igitur*, inquit Athanaſ. loco citato, *Arianus eſt Gregorius, ita & ab Arianis miſſus, eumque nemo in Epiſcopum poſtulauit, niſi ſoli Ariani, ac proinde vti mercenarius & externus.* In eandem quoque ſententiam Iulius Papa apud Athanaſ. Apolog. 2. triginta ſex tantum, numero fuiſſe Epiſcopos tradit. *qui externum*, inquit, *hominem ſalutarunt.*

Quem morem obſeruatum quoque in Africa conſtat ex electione Eradis ſucceſſoris S. Auguſt. de quo extat epiſt. eius 110. in Hiſpaniis autem ex his Cypr. verbis. epiſt. 68. *Propter quod de traditione diuina, & Apoſtolica obſeruatione eſt obſeruandum, quod & ferè per vniuerſas prouincias tenetur vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Epiſcopus deligatur præſente plebe.* Fuit ergo in Epiſcop. iure, ſucceſſorem defuncto Antiſtiti ſubſtituere, qui eius prouinciam poſſeſſore vacuam regeret, ſecundum præſcripta Conciliorum ac Canonum.

Quid ſi accideret, à plebe peti alium, quam qui electus à Clero fuerat?

Tandiu hic, & illa cogebantur ire ad Concilium, ille quidem, vt ſuo ſuffragio dignum crearet Epiſcopum, hæc, vt electum probaret, donec concordarent in idoneum, colligitur ex epiſtola Gelaſij Papæ ad Philippum, & Gerontium citata à Gratiano diſt. 63. can. Plebs Diotrenſis 11. Si qua autem erat inter eligẽtes orta controuerſia, hæc Sacerdotum finiebatur arbitrio, quos ad eam rem quinque numero adhibendos voluit Carthag. Conc. 3. can. 4. nam hi primo merita electi inde contradicentium ingenium, mores, & cætera, à quibus obiecta ab illis crimina, pondus aliquod trahere videbantur, ac momentum, diſcutiebant quanta diligentia maxima poterant, ac ſi veritatis habere nihil comperta erant, aut ruere falſitate ſua, tùm enimuerò, is in quem plurimorum ſuffragia conuenerant, renunciabatur Epiſcopus vt conſtat ex Concil. Carthagin. 3. can. 40.

Quod ſi nec ita fieret inter eos concordia, intercedebat Archiepiſcopus, & quem ille probaſſet, ordinabatur Epiſcopus Pammelius in commentario ad epiſtol. 68. Cypriani. Sanè Hincm. in ep. 4. exhortatoria ad Bellouacenſes eos admonet vt dignum ſibi Epiſcopum eligant, *Aliqui*, inquit, *noſtro, ac Coepiſcopum noſtrorum iudicio refutata rationabiliter electione veſtra incongrua, talem ſecum-*

Digitized by Google

dum canones ſtudebimus eligere, qui veſtris vitioſis voluntatibus non valeat conſentire.

QVÆSTIO IV.

De forma ac modo in Epiſcoporũ promotionibus olim ſeruari ſolito in Gallicana Eccleſia.

SErmo hic nobis nullus de vetere ritu electionis Epiſcoporum, quo plebe præſente, eaque ſuffragante, tamen ſine ſubſcriptione hi creari ſoliti erant qui mos ad Greg. 1. Caroli, & Ludou. tempora tenuit, vt planum eſt, ex lib. 1. Capitul. eorundẽ, de cõſequutis ætatibus, ac Regibus, præſens eſt diſputatio, in eaque inueſtigare mihi eſt animus quam formam in eligendis ſibi Paſtoribus tùm Gallia præſcriptam ſeruaret. Erat autem hæc eiuſmodi.

Primò ſublato ex humanis Epiſcopo, monebatur Archiepiſcopus de eius obitu, ac vt à Rege, Eccleſiæ paſtore viduæ, ius ei ſubrogandi alium impetraret, miſſis ad eum Oratoribus ac Clericis prædictæ Eccleſiæ, enixe rogabatur, eſt id planum ex epiſtola Hincmari, ad Regem Carolum, pro electione Syluanect. Epiſcopi, in qua ait ad ſe veniſſe, *Tres Clericos, & duos Laicos, Syluan. Eccleſiæ innoteſcentes eandem Eccleſiam, Eproino defuncto, viduatam eſſe paſtore. Non ſtatui autem antea dominationi veſtræ, quicquam inde ſuggerere, aut pro eadem Eccleſia poſtulare, priuſquam ſecundum regularem morem, ab ea legatos acciperem.*

Secundò petebatur à rege Epiſcopus, vnus de prouincialibus, qui electioni futuræ præeſſet, quem viſitatorem Hincmarus in citata epiſtola nominat. *Dignetur mihi dominatio veſtra literis ſuis ſignificare, quem vultis de Coepiſcopis noſtris, vt ei ex more literas canonicas dirigam, vt viſitatoris officio fungens in eadem Eccleſia, electionem canonicam faciat.* Quanquam vt ex eodem colligitur, in epiſt. ad Beluacenſes, ſatis videatur fuiſſe, ad explendum officium, ſi deſignatus à Metropolitano ad munus viſitatoris, indicaretur Regi, ab eoque probaretur tali dignus eſſe prouincia.

Tertiò, vt primum in vrbem viſitator hic appulerat, cœtum habebat Clericorum & populi, quos hortabatur, *Vt ſecundum canonicas regulas, votis in vnum Domino mediante conuenientibus, præmiſſis ieiuniis, & litaniarum obſecrationibus, parati eſſent ad certum diem, de eligendo ſibi Paſtore tractare.* Hincmarus in epiſtola 4. ad Beluac. Vbi dicta electioni futuræ dies aduenerat, ad eam admittebantur, non ciuitatis Clerici modo, *Sed & Laici nobiles ac cines, & de omnibus Monaſteriis ipſius Parochiæ, & de ruſticanarum Parochiarum Preſbyteris Vicarij.* Hincmar. ep. 2. ad Hedenulphum Epiſcop. Quibus à viſitatore iteratò commonitis, de pace, concordiaque animorum in electione ſeruanda, legebatur publicè electionis forma, qualiter, & qualem aſciſcere ſibi eos Epiſcopum oporteret, ne prætexendæ ignorantiæ locus poſtea foret vllus. Fortè & quod Origenes Commentarior. ad Celſum lib. 8. adnotauit, Diacono è pulpito, aut loco quopiam ſimili ad conſpectum idoneo proclamante, licere omnibus obiicere ordinandõ, ſi cuiuſpiam criminis reus eſſet, monebantur ſinguli, tanto diligentiùs eius diſcutienda eſſe merita, vitam, mores indolem, *Quanto poſtea non reprehendendus, ſed ab omnibus aquanimius eſſet tolerandus*, Iuo Carnot. ep. 22. ad Clerum Carnot.

Quare quibus præſtare virtutibus, quibus florere moribus, ad exemplum omnium, Epiſcopum neceſſe eſſet, quibus carere vitiis, docebantur omnes à lectore, qui Regis ac viſitatoris imperio, è Pauli epiſt. ad Timoth. 1. caput 3. inchoando ab his verbis. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, vſque ne incidat in laqueum Diaboli*, & ex epiſt. ad Titum *huius rei gratia reliqui te Cretæ*, vſque ad hæc verba, *& contradicentes reſiſtere*, clara diſtinctaque voce legebat, inſuper & canones, in quibus quis, qualiſque Epiſcopus eſſe debeat, præſcribitur, vt in illis diſceretur, quales, ad tale miniſterium promouendi forent, de canonibus Apoſtolorum can. 17. 18. 30. & 37. Item de Concil. Antiocheno can. 19. de canone Laodicenſ. 12. & 13. de can Chalcedonenſ. can. 2. & 4. de can. Sardic. Concil. c. 2. & 5. de canone Africani Concil. can. 17. de can. Hippon. Concil. c. 17. & ca. 37. de decretis Siricij Papæ cap. 8. & cap. 9. & 14. Hincm. epiſt. 6. quæ eſt adlocutio viſitatoris Epiſcopi ad Clerum, & plebem, electionis cauſa congregatam. Lectionem hanc excipiebat cohortatio viſitatoris, ad Sacerdotes, Clericos Viduas, Virgines, Laicos, & Nobiles, *Vt quem meliorem, & doctiorem & bonis moribus ornatiorem in congregatione neſſent*, eum Eccleſiæ præpoſitum eſſe vellent. Hincmar. ſupra.

Quod ſi eligentium vota ſibi non conſtarent, diuiſaque ſententiis non in vnum ſed plures inclinarent, Metropolitani partes erant diſcutere, *Quorum electio habenda eſſet ſanior*, S. Fulbertus Epiſc. Carn. ep. 131. præcipitq; S. Leo his verbis. *Ille omnibus præponetur, quẽ Cleri, plebiſque conſenſus, concorditer poſtularint, vtant ſi in aliam forte perſonam, partium ſe vota diuiſerint, Metropolitani iudicio, is ſaltem alteri præponatur, qui maioribus ſtudiis iuuatur, & meritis.* Tùm enimuero mittebantur è Clero viri prudentia ac virtutibus præditi, qui de electo Antiſtite, Metropolitanum commonefacerent, viſitatoris fuiſſe hoc munus, eiuſque Vicarium ad hoc mitti ſolitum, ſcribit Hincmarus epiſtola 1. ad Carolum: *Viſitatorem dirigam*, inquit, *qui per ſe, aut per literas ſuas, vicario ſuo deferente, eandem electionem, cum decreto canonico, ſingulorum manibus roborato, ad me referat, vt per me, ipſa electio ad dominationis veſtræ diſcretionem perueniat.*

QVÆSTIO V.

An ad electionem Epiſcopi, eiuſdem confirmatio accedere debeat, & à quo peti eam oporteat.

AD electionem Epiſcopi, Presbyterorum, & Cleri, factam ſuffragiis, accedere debebat eiuſdem confirmatio, Metropolitani facienda iudicio, de quo Conc. Nicæn. 1. can. 4. *Poteſtas ſanè vel confirmatio pertinebit per ſingulas prouinciat ad Metropol. Epiſ.* aut Primatis, auctoritate iuxta Concil. Carthag. 3. vel legati, de quo Concil. Sardic. Leo Papa epiſt. ad Anaſtaſ. Theſſalonic. aut Epiſcoporum prouinciæ, ſicut fit perſpicuum ex his Iuonis Carnot. in epiſt. 63. ad Congregationem S. Steph. Senonen. *Obſtare quædam videntur, de quibus, nobis cum ipſo electo agendum eſt, antequam ipſius electionem confirmemus.*

Equidem ſcribit Innoc. III. in Concil. Later. can. 26. à dignitate Chriſtiani nominis abhorrere

Digitized by Google

vt qui moribus est, ac vitâ infamis, præfit Ecclesiæ, nec ferendum videri tantum facinus, quod in animarum perniciem verteret, Ordinisque vniuersi dedecus, proinde electum submouendum gradu, plectendum autem, qui illum studio suo, operaque euexisset. At qua pœna? *vt cùm de ipsius constiterit negligentia, maximè si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, aut ætatis illegitimæ approbauerit, non solùm confirmandi primum successorem illius, careat potestate, verùm etiam, ne aliquo casu pœnam effugiat, à perceptione proprij beneficij suspendatur.* Conc. Later. can. 26.

Erat ergo in Episcoporum iure, Innoc. Papæ opinione, electum confirmare, quod ipsum canones indicant, cùm Episcopum recipi oportere negant, qui sine Comprouincialium approbatione, consensu, & iudicio, sit electus, de quo testimonia extant, exemplaque sine numero, è multis duo sufficient, ex Iuone Carnotensi petita ambo, in primis enim cum Hugone sanctæ Sedis Legato, eodemque Lugd. Archiepiscopo conqueritur, quod ad Senonensis Ecclesiæ gubernacula, promotus esset, homo, gente quidem nobilis, morumque honestate illustris, sed nulla Episcoporum laude, nulla eorundem commendatione, iudicioque prædicabilis: quare eius esse videre, an is ordinandus esset, cuius anceps, dubiaque foret electio. Epistola autem 163. disertè negat, à se cuiusquam electionem probatum iri, Fulconis autem nunquam auctoritate sua, calculoque confirmandam, quæ contra veterum instituta canonum facta esset. *Petitioni*, inquit, *vestræ hoc respondemus, quia electioni Domini Fulconis, vel alterius, assensum non dabimus (quod ipsum est confirmare) nisi quem aut Cleri, plebisque consensus elegerit, aut Metropolitani iudicium, cum consuetudine suffraganeorum, habita legitimæ discussione probauerit.* Maneat ergo quod fuit probandum, ab Episcopis, vno, vel pluribus Prouinciæ, de legitima electi, ad Episcopatum vocatione, testimonium dari potuisse, lege antiqua Ecclesiæ, & ita confirmari quæ à Clero populoque eius causâ facta erant *κυρώσαι γὰρ ἐ χρὴ τοὺς ὅπως ἂν τῶν χειροθετούντων, οἱ ἐκείνους ἐκλέξονται, χειροθετήσουσι μὴ ἐπίσκοπον δύο ἢ τριῶν ἐπισκόπων*, Zonar. in can. 4. Conc. 1. Nic. hoc est: confirmatur *electio, cùm vnum, quem ipse (Metropolitanus scilicet) ex electis approbarit, duobus Episcopis, tribusue adhibitis, manuum impositione consecrauerit.*

Erat tamen in electi potestate, Pontificem, eiusque super hoc iudicium, & auctoritatem implorare, quod fecit Hincmarus, de quo habes, *quod Epistolam porrexit totius Galliæ Episcoporum manibus subscriptam ad Apostolicam Sedem, pro confirmatione ipsius Ordinationis.* Concil. Suess. apud S. Medard. in causa Hincmari, eius exemplo rogauit Honorium Bernardus in epist. 13. vt electioni Alberici, in Episcopum Catalaun. consensum daret, quod *ad Pontificem generalissimè pertineat, tam Metropolitanorum, quàm cæterorum Episcoporum, consecrationem confirmare, vel infirmare.*

In eandem sententiam scribit Iuo multa in epistolis: primò enim Paschalem Pontificem rogat, epist. 44. ne Stephan. quendam de Guarlanda, in Episcop. Beluacen. electum confirmet, eo *quòd si ad Episcopalem ministrationem, aliquando Apostolicæ auctoritate ei pateret aditus, exitiale silentium impositum esse videretur canonicis legibus.* Idem in ep. 36. ad Ioan. & Benedict. Cardinales. epist. autē 8. Richerium, Senon. Archiep. arguit, *quod benedictionem per manus impositionem Papæ datam, & Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, non simpliciter benedictionem*, sed qualemcunque hostili irrisione appellasset, *cùm tamen ad ipsam principaliter & generalissimè pertineat, tam Metropolitanorum, quàm cæterorum Episcoporum consecrationem confirmare vel infirmare.* Duodecima autem cum Vrbano Rom. Pontif. expostulat, quòd ab eodem Senon. Præsule, reus ageretur violatæ maiestatis regiæ, eo quòd à Sede Apostolica consecrari se passus esset: de qua consecratione, eiusque petendæ causâ, idem Iuo pluribus epist. 8. ad eundem Richerium.

Et quanquam assentiente Pontif. vt scribit Suar. cap. 4. defens. num. 25. in Asia, aliisque prouinciis à Romana longè terrarum tractu dissitis, à Comprouincialibus, ipsoque præsertim Primate, singularum Ecclesiarum Episcopi crearentur, nemo tamen in Orientali, clauum eius Ecclesiæ capescebat, ad quam erat Cleri suffragio, Deique vocantis beneficio designatus, maximè autem Patriarchæ, quin de sua dignitate, ac Cleri erga se liberali, ac benefica voluntate, in deferendo sibi Magistratu Ecclesiæ, referret ad Roman. Pontificem, cuius rei luculentus est testis Simplicius Papa epist. 14. ad Acacium, & 17. ad eundem.

Alexandrinæ Sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ Fratrem quendam, & Coepiscopum nostrum obiisse Timotheum, nunc eius vicem consona fidelium voluntate, Ioannem, cui ad Sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum, & nihil omnino restare videbatur, nisi vt Deo gratias agentibus nobis, & gaudentibus, vt sine strepitu, quod Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu votiuam sumeret firmitatem, cùm ecce secundùm consuetudinem mihi talia disponenti, tranquillissimi Principis (Zenonis) scriptæ sunt reddita, quibus memoratum tanquam periurij reum, Sacerdotio perhiberet indignum, illico retraxi pedem, & meam reuocani super eius confirmatione sententiam.

Nec enim erat electi ius, tam firmum, stabile, ac constans, vt ruere, ac dissolui plebis voluntate, Papæ, aut Episcoporum auctoritate non posset. Cùm enim secundùm Cœlestinum, quem S. Fulbertus citat epist. 131. *Nullus inuitis detur Episcopus*, exigebat recta ratio, *facultas vt esset Clericis remittendi, si se viderent prægranari, & quos sibi ingeri, extransuersos nossent, refutare non timerent.* Cœlestin. supra. Licebat & populo de iniuria sibi facta in electione Episcopi conqueri, eique non obsequi. *Sciat sanctitas vestra*, inquit Iuo in epist ad Paschalem Pontif. 44. *Hunc Stephanum priùs à Beluacensibus propter prætaxatas causas, fuisse repulsum*, Cypr. in eandē sententiam est hæc oratio digna quæ hic locum habeat. *Plebs obsequens Dominicis præceptis, & Deum metuens, à peccatore Sacerdote separare se debet, cum habeat potestatem eligendi dignos, & indignos recusandi.*

Interdum & Reges, cum gratus sibi, acceptusque electus non esset, eum Episcopatu frui non sinebant de quo expostulant Clerici Ecclesiæ Senonicæ in epist. ad Hilduinum Archipellanum data, pro tuenda Metropolitani electione quam fecerant. *Quem*, inquit, *cum obtulissemus, nullatenus putantes reijciendum, ipsis Missis Dominicis impedientibus, quod optauimus, non meruimus adipisci.* Queritur & Bernard epist. 222. ad Ioslenum, Episcop. Suession. & Suggerium Abbat. *Sed de quo sure obsecro præsumit Rex, vt Ecclesiarum possessiones, & terras denasset, vt Christi cuibus, pastores præfici non permittat, alys verò, quod hactenus inendi.*

tum est, dilationem electionis indicat? epist. autem 224. ad Stephanum Prænestinum Episcop. hæc habet: *Conculcantur apud nos sancta, Ecclesia turpiter ancillatur, nam & electiones Episcoporum prohibentur fieri, & si cubi id præsumptum à Clericis fuerit, electus episcopari non finitur.* Nonnunquam & ab Episcopis, epistolæ dabantur ad Pontificem, quibus ne electum, ob causas, quarum in suis meminerant, ad Episcopatum peruenire sineret, eum supplices obsecrabant, de quo exempla suppetunt apud Iuonem Carnot. in epistolis, maximè, verò 44.

QVÆSTIO VI.

Electi ante consecrationem examen, à quo, & de quo fieret.

QVi suffragia tulerat ad Episcopi dignitatem necessaria, cum delecta Clericorum, ac ciuium turba, hic ad Metropolitanum, sæpe ad Regem proficiscebatur, vt ab illo ordinationem, ab hoc Episcopatum reciperet: De priori membro, fidem facit oratio Cleri, & plebis Senonensis, ad Episcopos prouinciæ Senonicæ, his concepta verbis. *Cum decreto electionis nostræ, manibus singulorum roborato, ad paternitatem vestram accedentes, Ansegisum Presbyterum Remorum Diœceseos, quem per licentiam vestram Patres venerãdi, Dominoetiam Carolo annuente, secundùm decreta Cœlestini Papæ, pari consensu, ac concordia, voluntate ac deuotione elegimus, nobis & Ecclesiæ nostræ Episcopum, per manum vestram consecrari implorantes, petimus, rogamus, atque precamur.* Regis quoq; consensum fuisse necessarium, argumento est.

Primò, quòd eum de persona electi admoneri oporteret vel à Clericis, vel à Metropolitano, vt epistola indicat Hincmari Archiep. Remensis ad Regem Carolum, vt Clero & plebi Siluanectensi noui Episcopi electionem permittat, & visitatorem designet, qui electioni præsit.

Secundò, quòd electo, si ad eius stomachum non faceret, inuestituram negaret, iuberetque alium ei substitui, placet eius rei testimonium, ex epistola Senonensium ad Iudith Imperatricem petere. *Notum esse vobis credimus, quòd nobis indignissimis, à Domino Imperatore concessum fuerit, vt ex nobis ipsis electionem faciendi haberemus licentiam: sed cùm illum quem scitis, elegissemus, & à serenitate Domini Imperator. non plenè fuisset receptus, permissum est nobis iterum, vt alium si potuissemus, ex nobis huic officio congruum inueniremus, sed cùm esset inuentus, vt credimus, in Dei, & vestro seruitio habilis, nescimus ob quam causam à Missis Dominicis non est plena benevolentia susceptus,* &c. Est & aliud argumentum, prioribus non impar, nempe, quòd inire Episcopatum, eius gubernacula suscipere, clauum tenere, eius obuentiones ac prouentus in commodũ suum ac vtilitatem conuertere, electus non posset, nisi probante Rege, de quo nos postea. Contenti in præsenti dicere, electum iudicio quoque Episcopum per examen, antequam manuum impositionem reciperet, probandum fuisse, ecquid tanto magistratu dignus esset, huius examinis meminere Scriptores nostri S. Fulbertus Carnoten. Episcopus, Iuo, & Hincmarus Remensis Prior in epist. 132. alter in 164. num. 20. ad Reudonem Normaniæ dapiferum, vbi negat eum *Episcopi dignum nomine, qui diem statutæ examinationis anticipando subterfugit, & violentia Principis, consecrationem est adeptus* Postremus, id est, Hincmarus in 11. cui est hæc præfixa inscriptio: *Examinatio Vuilleberti Catalaunensis ordinandi Episcopi.* Iam ergo quis ei præsesset examini, quibus conscriis, & de quo esse oporteret, inuestigemus, sed breuiter.

Examen institutum video, à Metropolitano, non alio: ita Fulconis, ad Parisiens. episcopat. iussu Regis electi, causa discussa est Senonibus, præsidente huius vrbis Archiep. Iuo epist. 164. Vuilleberti autem, Hincmaro quæstionem de eius moribus exercente. Hincmar. epist. citata. Atenim, quibus audientibus? Episcopis Comprouincialibus, Abbatibus, Canonicis, Monachis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus eiusdem Diœceseos, Hincmar. sup. Insuper & aliarum prouinciarum Præsulibus, Beluacensis quidem, Aurel. & Turon. meminit Fulber. in ep. 132. apud quẽ, Carnot. Ecclesiæ Canonici de Archiep. Senonensi, & Rege expostulant, quod inuitis Episcopum obtruderent, sic autem Fulberti ore loquuntur. *Precantes auxilium vestrum, vt vigiletis sicut boni Pastores, ad portas eius, ne introeas in illam, ille talis, qui non quæsierit intrare per ostium, sed aliunde ascendere, sicut fur & latro, vobis tribus portas custodientibus, sciatis pro certo quartum custodem addi, Odonem scilicet, & nunquam receptum illum in ciuitatem suam, nisi priùs iudicio vestro examinatum, vtrum recipi debeat, an non.*

Examini Vuilleberti interfuere Venilo Rotomagen. Archiep. Herardus Turonorum, Egilo Senonum, & Fulricus eius Episcopus. Rex ipse quoque, sua interdum præsentia cœtum cohonestabat, testis Iuo in epist. 163. ad Archidiaconos Parisienses Vulgrinum & Stephanum, quos imprudentiæ arguit, quòd aduersus *Regem in præsentia Regis* causam Fulconis Episcopi electi *examinari vellent, vbi plus valitura sit voluntas Regis, quàm iustitia legis, vbi nec veritas poterit cum pace discuti, vel inuenta seruari.* Cum Rege procedebant Episcopi, quos controuersiæ obortæ arbitros esse vellet, ad hoc eius inuitati monitis, quod tamen Iuo non probat, quòd Episcopis, Principes qui eorum sunt oues, subditique mandata dare non debeant, sed Archiep. quorum sunt imperiis iure cõmuni, in procuratione animorum obnoxij: quare cùm idẽ Iuo à Rege iussus esset venire Lutetiam, vt de Fulconis electione, sententiam diceret, parere distulit, *quia secundùm morem Ecclesiasticum, & institutionem canonicam, ab Archiepiscopo talis admonitio non præcesserat,* ep. 164.

In eo autem examine, discussio Episcoporũ præcipua erat, de electi fidelitate, ingenio, caritate. Quare Episcopi in id incumbebant præcipuè, vt intelligerent an electus Ecclesiæ prodesse, an regno, an Regi vtilis esse posset, an canonicè, an fraude omni, ac simoniaca semota labe, suffragia Cleri tulisset ac plebis, pius esset, an vitiosus. *Excutiatur,* inquit Clem. Constitut. Apost. lib. 2. cap. 3. *an in iis quæ ad vsum hominum, atque vitam pertinent, omni vitio vacet:* Ἀκριζούσθω εἰ ἀμωμός ἐστι πρὸς ἅπασαν χρείαν.

Quòd si ex aliena Prouincia electus foret, proindeque Metropolit. ac Coepisc. non satis cognitus. Primò, interrogabatur de patria. Secundò. de cõditione, seruusne an liber esset. Tertiò, de studiis, & vbi litteris nauasset operam. Quartò, de Ordine, an aliquo initiatus locum haberet inter Clericos, & quos? Quintò de ministerio in iuuentute obito. Sextò, de beneficio, & an vnquam sibi ab

Digitized by Google

Episcopis collatum esset, ad quæ si ritè ex ordine respondebat, & planè, tum enimuerò rogabatur vrbis Episcopus ex qua erat oriundus, si examini aderat, per eum vt liceret probare, ecquid honore Episcopali, dignus existeret, quo annuente, iubebatur electus sedere coram Archiepiscopo, & eius Coepiscopis, & ex regula Pastorali S. Gregorij legere Capitulum, de eo, qui præesse debet, vbi scribitur. *Nulla ars docere præsumitur*, quo lecto, interrogabatur, ecquid illud intelligeret, & secundum hoc, viuere, vel docere vellet? quo respondente vtique, dabatur ei in manus libellus, *Fidei & professionis suæ, vt quæ in eo scripta erant coram omnibus legeret, & si ea ita credere, ac tenere vellet, manu sua subscriberet, & Archiepiscopo habenda traderet, si autem in eo quædam inuenirent quæ sensus suos offenderent, liber sicut venerat exiret.* Hincmarus in examinatione Villeberti, professionem hanc fidei, excipiebat diei designatio, ac loci, in quo eum ab Archiepiscopo sacrari, ac ordinari in Episcopum, videbatur esse commodum, quorum omnium, nihil ferè hoc tempore nobis est reliquum, præter professionem fidei, quam decreto Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. de reformat. facere iubentur in prima Synodo prouinciali, in qua ipsi interfuerint, secundum præscriptum Bullæ Pij IV. cui initium est, *Iniunctum nobis Apostolicæ seruitutis officium requirit.*

QVÆSTIO VII.

Ad quos, à Plebe deuolutum est ius eligendi Episcopi.

CONstat ex can. non est permittendum distin. 62. & ex Concil. Sardic. sub Iulio 1. potestatem eligendi Episcopi ablatam esse populo, & Principibus, Auferendi causæ fuere plurimæ.

Prima, quod facile sit plebem in fraudem inducere, eius suffragia pretio emere, quo quid esse potest Ecclesiæ periculosius?

Secunda, quod concessa sibi potestate abutentes, indignos ad gubernacula Ecclesiæ admouerent, quod cum turpe dictu, factuque esset, enimuero tam Reges quam populum eo priuandos iure, Papa non imprudenter censuit, Petr. Greg. ad decret. tract. de elect. cap. 5. n. 10. & 16.

Ad quos ergo, abrogata sic laicis eligendi potestate, hæc ipsa transiit. Ad Clericos & Religiosos Diœcesis can. obeuntibus dist. 62. quos tamen ab inuicem separari postea placuit, & his Abbatum, Clericis autem Præsulum electionem permittere, cap. cum cætera de electio. Ita tota eligendi Episcopi facultas ad Canonicorum Collegium est redacta, exclusis cæteris Ecclesiæ Clericis, etiam beneficiatis, quam consuetudinem in Ecclesia diu duravisse, Azor. instit. par. 2. lib. 3. cap. 17. qu. 3. Barbosa supra, asserunt, quanquam de tempore, quo hæc primo facultas illis est concessa, quod aiunt, probare nequeam, nempe hanc illis fuisse traditam, à Concil. Nicæno 2. quod in annum redemptæ salutis DCC.XXX. incidit aut Innoc. II. qui viuebat 1131. mihi probabilius videri solet, huius priuilegij ac iuris authorem fuisse Lucium, Gregorium aut Alexandrum ita Augustin. in notis ad collect. 1. decret. sub ord. titulo.

Factum tamen postea, vt Clemens reuocato hoc Canoni. iure reseruaret sibi Cathedrales Ecclesias vacantes in Curia vt est in Extrau. etsi temporalium de Præb. postmodum omnes, quæ vbicunque essent pastore vacuæ: Clem. in plerisque de elect. quod & Benedicto 12. facere placuit, vt patet ex regula 3. Cancellar. quorum omnium nihil in Gallia locum habet, eo quod vt dicetur quæst. sequenti, Rex ex concessione Pontif. nominandi ad Episcopatus ius habet.

QVÆSTIO VIII.

Quid fuerit olim, sitque modo in hac materia de creatione Episcoporum Gallis Regibus permissum,

CErtum est primo, nemini vnquam ad Episcopatum aditum fuisse, nunquam ad Prælaturas, Rege improbante 18. quæst. 1. *Abbatem*, inquit Pelagius, *in Monasterio illum volumus, quem sibi de sua congregatione, & Monachorum electio, & possessionis Dominus, & quod magis obseruandum est, ordo vitæ, & meritum popposcerit ordinari.*

Certum secundo, Clericorum & populi cœtum, eligendo nouo Antistiti cogi nō potuisse, Rege inscio, Hincmar. epist. 1. ad Carol. pro electione Episcopi Syluan.

Tertio, eidem ab Adriano concessum, *Vt nisi à Rege laudetur, & inuestiatur Episcopus, à nemine consecretur*, can. Adrian. dist. 63.

Certum quarto, post canonicam electionem, *Reges ipsos, Apostolica auctoritate à concessione Episcopatuum minime prohibitos*, Iuo Carnot epist. 65. ad Hugon. Archiep. Lugdun.

Certum quinto, sæpe à Regibus, è suis domesticis viros gnauos, ac industrios, Clero, & plebi commendatos esse, eosdem, si erant iis naturæ, ac virtutum dotibus præditi, quas personæ dignitas exigebat, fuisse Ecclesiis eorum suffragio præpositos.

Certum sexto, Hispaniæ & Galliæ regibus, ius fuisse eligendi, qui Episcopatus regerent, Toletano autem Pontifici electos ordinandi, Conc. Toletanum 12. can. 6. Gratian. dist. 63. can. cum longe 25.

Certum septimo, ab Vrbano Pontif. Reges tantum à corporali inuestitura exclusos esse, *Nō ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione, qua concessio sine fiat manu, siue nutu, siue lingua, siue virga, quid refert? cum Reges nihil spirituale se dare, intendant, sed tantum aut votis petentium annuere aut villas Ecclesiasticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regis obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere*, Iuo epist. 65. ad Hugon.

Certum 8. priscis Ecclesiæ temporibus, non modo res ipsas, iura, villas, ac possessiones à Regibus dari solitas, sed & dignitatem ipsam: à Theodorico Treuirensi Ecclesiæ, cum authoritate præpositus est Nicætas homo grauis, Parisiensi, Germanus à Childeberto, Cœnomanensi Domnolus à Clotario, Turonensi Ommatius à Clodomere, Mindensi Harimbertus, à Carolo magno. *Erat*, inquit Crantzius, *vir præcipua religione Herimbertus, qui cum Carolum latere non posset, dignus est habitus, quem præficeret Ecclesiæ Mindensi Episcopum, adiecit que illi ministeriales non paucos*, lib. 2. cap. 23.

Digitized by Google

Quid? quod Iuo epiſt. ſupra citata, memorat, ſummos Pontifices nonnunquam apud Reges Galliæ interceſſiſſe pro electis Eccleſiarum, vt eis Epiſcopatus concederent ad quos electi erant? quod Epiſcopi in Concil. Aquisgran. 2. can. 9. Ludouic. Pium admoneant, vt deinceps in bonis paſtoribus, rectoribuſque, Eccleſiis Dei conſtituendis magnum ſtudium adhibeat? Quod apud S. Fulbertum, Carnotenſes canonici querantur epiſt. 131. & ſequenti, ſibi à Rege datum Epiſc. quendam, Theodoricũ nomine, paucis aut nulli gratũ?

Qua de Regum in moderandis Eccleſiis ac eligendis Epiſcopis hoc primo habeo dicere, nunquam, *licuiſſe Regibus, ſicut ſanxit octaua Synodus, quam Romana Eccleſia commendat, electionibus Epiſcoporum ſe immiſcere, vel aliqua eas ratione impedire.* Iuo Carnot. epiſt. 47. ad Manaſſem Rhemenſ. Archiep. Conſtantini quidem magni temporibus eorum electio ad Epiſcopos ſolos pertinebat decreto Nicæni Concil. can. 4. *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui ſunt in prouincia conſtitui, ſi autem ſit hoc difficile, vel præter vrgentem neceſſitatem, vel præter viæ longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc ordinationem fieri.* Ordinationis enim ac conſtitutionis nomine, Synodum electionem intelligere, author eſt Zonar. in eum locum, qui addit irritam eam ac inanem fuiſſe: *Niſi tres ſimul conuenirent cum quibus abſentes quoque per literas paciſcerentur, ὅτι ἰδίᾳ τινὰ χειροτονήσουσι τῶν παρ' ἑαυτοῖς ἐπὶ τῷ συναχθῆναι τοὺς γνησίους ἄνδρας, Se eorum ſuffragiis adituros ſua.*

Ad quem morem reſpicere Iuonem Carnot. Epiſcop. epiſt. 163. non eſt improbabile, cum mirari ſe dicit Pariſ. Eccleſiæ Fulconem quendam fuiſſe in demortui Epiſc. locum ſubrogatum, cuius electioni aſſenſurum ſe negat, *Niſi eum Cleri plebiſque conſenſus elegerit, Metropolitani iudicium cum conniuentia ſuffraganeorum, habita legitima diſcuſſione probauerit.* De Rege mirum ſilentium, quem tamen prætermitti non decebat, ſi Epiſcoporum creatio, in eius aliquo fuiſſet iure. Quid? quod epiſt. 181. ad Paſchal. Pont. queritur Flammardum authoritate ſola Normanię Ducis fretum, Lexouienſem occupaſſe Eccleſiam? quod eo inde eiecto cum ignominia, alius ei ſubſtitutus fuerit, cui donum *Ducis plus obeſſe quam prodeſſe debebat*, quæ vir ea prudentia nunquam dixiſſet ſi Eccleſiis paſtore viduis, nouos præficere, Regij fuiſſet arbitrii ac iuris.

Addo, ſi quid vnquã in hoc genere fecere Reges quod id eos non niſi probante ac cõcedente Pont. molitos eſſe, patet ex can. Adrian. & can. in Synodo diſtinct. 93. vbi Galliæ Regibus fit poteſtas ſubrogandi nouos antiquis, defunctis viuos Epiſcopos, cum eſſet opus. Tertio, nec hoc omittendum, à Carolo tamen, & Ludouico electiones Epiſcoporum Eccleſiis poſtmodum conceſſas eſſe, *Quod & in ſuis Capitularibus ſcriptum reliquerunt*, lib. 1. c. 78. *& in Conciliis, Epiſcoporum Prouincialium loco, ac gradu ſanciri permiſerunt*, Iuo Carnot. epiſtol. 47.

Quare quæ circa præſules aggreſſi ſunt poſtea Caroli Magni poſteri, Reges Chriſtianiſſimi eos, vt arbitrio ſuo conſtituerent, ac mouerent, cum placebat, etſi fecere forte ſine culpa, quia id bona fide, & per inculpatam ignorantiam fas eſſe ſibi credebant, non tamen validè, ac cum effectu vllo, in Dei foro: Sunt enim beneficia Eccleſiaſtica perpetua, nec alio proinde tempore definita, quàm poſſidentis vita, quare ei eripi nequeunt, ſine aliqua ſua culpa, nec dari à laico Clericis ſine Pontificis voluntate ac venia, cùm eius ſolius ſit rempublicam Chriſtianam regere, ei de miniſtris ad opus, ac procurationem animorum prouidere, non Regis, non ſæcularis vllius Principis. Quod ſi contrarium priſcis ſæculis in vſu fuiſſe narrent hiſtoriæ, & Concilia, id vt dixi indulgendum eſt tempori, id Pontificum erga Reges Gallos, caritati tribuendum, qui quas ipſi debebant regere, ab iis Eccleſias conſtitui iiſdem Epiſcopos eorundem prouidentia ac cura dari volebant ac præfici. De ſe enim hoc habet Carolomanus initio Synodi Franciæ anno 742. ſub Zacharia habitæ, *Per Concilium Sacerdotum, & optimatum meorum, ordinauimus per ciuitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt miſſus S. Petri*, In Concilio autem, Sueſſione, duce Pipino ſub eodem Zacharia habito, fit poteſtas Principi, amouendi, puniendi, deponendique Epiſcopi, non ſeruanti, decreta conciliorum canonica, canone autem 5. Concil. habiti apud palatium Vernis ſub Rege Pipino, ei Patres facultatem faciunt ſubſtituendi Epiſcopos, his qui facilitate nimia animi, patientur *in* ſua Diœceſi, ſanctiones Eccleſiaſticas peſſundari, aut qui vocati intereſſe Synodo negligent. Sunt hæc verba canonis: *Eſi publicam Synodum contempſerint, aut honorem ſuum perdant, aut excommunicentur ab omnibus Epiſcopis, & talis in ipſa Synodo in eorum loco conſtituatur, per verbum & voluntatem Domini Regis, qui ſecundum ordinem ſanctum ipſam gregem regat*, ſed hoc Regi nec concedi ab Epiſcopis, nec ab illo tentari debuiſſe declarant Epiſcopi in Concil. Pariſ. 1. can. 8. his verbis. *Quod ſi per ordinationem Regiam, honoris iſtius culmen, peruadere aliquis nimia temeritate præſumpſerit, à Cõprouincialibus, loci ipſius Epiſc. recipi nullatenus mereatur.*

Sancitumque narrat Flodoartus hiſt. Rhem. l. 4. in eius Eccleſiæ publicis comitiis, quibus præſidente Somatio Rhemorum Epiſcopo, aſſidentibus autem Magnebodo Andium, Chadoindo Cœnomanum Antiſtitibus, agebatur de Nouiomenſi præſule cooptando, *Vt Hugo Abba Ludouicum & Carolomannum Reges hortaretur, quatenus voluntatem Dei, & anteceſſorum ſuorum conſuetudinem hac in parte conſeruarent.* Qualis autem hæc eſſet, patet ex eiuſdem hiſtoriæ lib. 6. cap. 5. vbi decretum in Synodico eius vrbis conuentu eſſe memorat, vt, quod naſcentis Eccleſiæ primordiis fiebat deligerentur in Gallia, ſacrorum procurandorum Antiſtites de communi plebis ſimul ac Cleri ſententia. *Aliter* (verba ſunt authoris) *qui præſumpſerit abiiciendum à ſede quam inuaſit, potius quam acceperit.* Et hæc dicta ſunto de priſcis Patrum noſtrorum temporibus. Spectemus noſtra.

Ad hanc inſignem prouinciam regendorum animorum in Dei Eccleſia, quibus hoc tempore gradibus enituntur Epiſcopi?

Collatione Pontificis gratuita, quam in Gallia, Hiſpania, Belgio, Sicilia, regia nominatio antecedit, electio verò in Germania. Prioris fit mentio à Rebuffo in Concord. Carolo de Graſſaliis, lib. 2. regal. Franciæ, iure 3. Guill. Benedict. in cap. Rainutio de teſtament. verbo & vxorem, & in Concord. Galliæ, tit. de regia ad prælaturas nominatione, in Toletano 12. can. 6. his verbis: *Vnde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, atque Galliciæ, vt ſalno primilegio vniuſcuiuſque prouinciæ, licitum maneat Toletano Epiſcopo, quoſcunque*

Digitized by Google

cunque poteſtas regalis elegerit, & iam dicti Toletani Epiſcopi iudicium dignos eſſe probauerit, in quæ uis libet prouinciis, in præcedentium ſedibus præficere præſules, & decedentibus Epiſcopos eligere ſucceſſores, quo ex loco infert Barboſa lib. 1. iuris cap. 8. num. 74. eſſe in iure Regum Hiſpaniæ deſignare, eligere, nominare Pontifici certum hominem, quem Epiſcopatui vacanti præficiat.

Eſt tamen hæc inter electionẽ, nominationem, & collationem Pontifici, inſignis differentia, nempe quòd illæ ius tantũ ad rem tribuãt. Bellamer. deciſ. 167. Abbas in cap. cum Bert. de re iudicata, nec enim electus aut nominatus, abſque voluntate Papæ, Regis, aut Canonicorum eligentium iudicia approbantis, Epiſcopus eſt cenſendus, cùm ſine confirmatione adminiſtrare nequeat, ca. 7. de conſuetud. & cap. noſti 90. de electione aut beneficia conferre, ibid. quæ tamen Epiſcoporum propria ſunt munera: & adminiſtrans ante Confirmationem eſt ipſo iure priuatus, cap. auaritiæ de elect. in 6. niſi eſſet alius actus à Superiore procedens, qui hunc repræsẽtaret, Rebuff. in praxi, rubrica de ſubrogat. collilig. gloſſ. 4. n. 7. At Papæ collatio, ius in re & ad rem tribuit, ac à ſe nominatum, illico facit Epiſcopum Piaſecius in praxi, tit. de elect. nu. 8. quam opinionem communem eſſe omnium, docet apud eum Maſcardus de probationibus Concilio 843. num. 10.

Cauſa eſt, quòd dominium rei donatæ à donante illico tranſeat in donatarium, cùm id ille transferre poteſt validè, & reuerà tranſfert voluntariè. Sed Papa beneficium hoc ipſo tribuit Clerico, quo ei gratum eſt, huic illum eſſe præpoſitum, & de facto præponit. Verum eſt tamen ita prouiſum de Epiſcopatu, capeſſere illum non poſſe, niſi obtentis literis à ſua ſanctitate, alioqui non facit fructus ſuos. Qui autem eum ſine illis recipit, aut in poſſeſſionem mittit, in pœnam temeritatis, ſuſpenſus eſt à ſuis omnibus beneficiis, ſuſpenſione ſoli Pontifici reſeruata, per Extrauagant. iniunctæ, quæ eſt inter communes, & aliam Iulij tertij, quæ incipit, Sanctiſſimus in Chriſto Pater.

QVÆSTIO IX.

Quales eſſe, & quibus animi dotibus oporteat eſſe præditos qui eliguntur in Epiſcopos.

QVod de Diaconis, atque Presbyteris dixere Concilia, Matiſcon. can. 1. Aruern. can. 15. Item. Conſtit. l. 7. c. 32. virtutis laude eſſe præluendum minutæ plebi, hoc ab Epiſcopis iure meliore exigi poſſe, nemo opinor eſt tam parum attentè cogitans, quin intelligat.

Et primò, *irreprehenſibiles eos eſſe conuenit, nec quidquam illis deeſſe, penes quos eſt religionis ſumma, & ſubſtantia diſciplinæ.* Hormiſda epiſt. 4. capite 1. Quare ab ineunte ætate, humaniorum literarum ſtudiis, operam dediſſe debent, In virili, cumulaſſe ea virtutum præſidia, quibus præſtare eos oportet, vt effugiant probitate actuum, maledicorum obloquia, & teſtimonium in ſe diuinum impleant: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus,* &c. quarum inopia rerum, cùm Stephanus quidam electus in Bellouacenſem Epiſcopum laboraret, hoc eum magiſtratu indignum eſſe, datis ad Paſchalem Pontificem literis, contendit Iuo epiſt. 44. proindeque remouendum ab Eccleſia, erat hic enim illiteratus, alearum ludo, & cæteris mundi lenociniis nominatus in paucis, mulierum ſectator, ob adulterium à Legato Apoſtolico communione priuatus. Admonet idem Iuo Ioan. & Benedict. Cardinales epiſt. 36. quòd ſi prædicto Stephano eiuſque ſimilibus, patere ad honores Eccleſiæ aditum, Papa ſineret, fore vt apud poſteros cauſæ publicè proditæ, neglectique officij diem diceret. *Debet enim Epiſcopus cogitatione mundus eſſe, actione præcipuus, diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præcunctis contemplatione ſuſpenſus, bẽnè agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus, internorum curam, in exteriorum occupatione non minuens, externorum prouidentiam in interiorum ſollicitudine non relinquens.* Concil. Aquiſgran. 2. ſub Ludou. Pio, can. 9. & Greg. in Paſtorali l. 2. c. 1. *Validos & conſtantes inſuper eos eſſe oportere qui ſuper alios ordinantur,* dixit Bernard. ſerm. 46. in Cant. *nec non & longanimes in ſpe, atque ad ſuperna mentis verticem attollentes.* De his, ſi Eccleſiaſticis diſciplinis imbuti non ſunt, nec ſcientiam dignitati Eccleſiaſticæ conuenientem habent, non eligendis, cauetur can. qui Eccleſiaſticis diſt. 36. item de elect. cap. cùm in cunctis 7. verſu & literarum ſcientia, & capite qualiter 17. & cap. cum nobis 19. verſu illius quoque literaturæ eod. tit. Quæ autẽ Epiſc. ſcire oporteat, dicemus poſtea, indicaſſe modò ſufficiat, in Epiſcopum eligi non poſſe malè ſibi conſcium, ca. ad aures 7. de ætat. & qualitat. Auarum & non hoſpitalem, can. 1 & 2. diſt. 85. Simoniacum, cap. ſuper eo 12. & cap. ſi alicuius 59. de electione, Excommunicatum, cap. vlt. verſu ſi tamen ſcienter, de Cleric. excomm. non ſuſpenſum, cap. per inquiſitionem 16. de electione, non conſtitutum in ſacris Ordinibus, can. innouamus, diſt. 60. can. Oſius, parag. ſed aliud, verſu ſed non eligitur, diſt. 61. Iuo ep. 50. à Rege, aut laicis per vim plebi, ac Clericis obtruſum, iuſſumque vi ab iis eligi. Hęcque eſt cauſa cur S. Fulbert. ep. 131. ad Archiep. Senon. Theodorici aulici electionem infirmandã eſſe ait, quòd eum Rex, & Regina à Clero, & pop. Carnotenſi eligi mandaſſet. *Nobis,* inquit, *inuitis obtrudere vultis Epiſcopum, nec conceditur liberum de eo nobis, qui nos recturus ſit, habere iudicium, & cùm huic qui ordinandus erat, contradiceretur, minimè purgata ſunt quæ obiiciebantur, nec perſonæ, nec rationes diſcuſſæ,* &c. in quo neglecta canonum inſtituta queritur, maximè octauum Pariſienſis Conc. primi, in quo eſt, *ſi per ordinationem regiam, iſtius honoris culmen aliquis pernadere nimia temeritate præſumpſerit, à Compromincialibus Epiſcopis nullatenùs recipi mereatur, quem indebitè ordinatum cognoſcunt:* Et ita quondam qui violentia Principis, conſecrationem adeptus dicebatur, non pro Epiſcopo habendum eſſe reſpondit Eudoni dapifero Normaniæ Iuo epiſt. 20. quòd prædicti Concilij, ac Sanctorum auctoritas, eum eſſe Epiſcopum non ſineret.

Poſtremò, eligi in Epiſcopum lege antiqua canonum non poterat, qui gradatim inferiores Ordines per interſtitia temporum non impleſſet, cap. 1. de ætate & qualit. præficiend. & diſt. 36. can. qui Eccleſiaſticis, diſt. 51. can. vlt. Synod. Romana ſub Sylu. 248. Epiſcop. Synod. 8. general. can. 5. Concil. Sardic. can. 13. quærenti enim Oſio, ecquid non crederent Epiſcopi eſſe è re Eccleſiæ, *vt poſtulatus de foro Epiſcopus non ordinaretur, niſi antè & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuiſſet perfunctus, & ita per ſingulos gradus aſcendet:*

rit ad culmen Epiſcopatus: reſponderunt vniuerſi placere.

Sanè cùm is eſſe Epiſcopus debeat, qui occurſu ſuo, aſpectuque, vitia corrigat, patet his eum virtutibus oportere excultum eſſe, quæ ſui amorem cultumque in ſubiectæ ſibi plebis animo imprimant: *Cùm enim gregis forma, & Eccleſia lumen dicatur, & ſit* (inquit Grego. Peluſiota l. 1. epiſt. 319. ad Dorotheum Presbyterum) ſubditos vt *ceram ſigillo, ſic ipſius moribus imprimi neceſſarium eſt.* Quare Hiſpaniæ Epiſcopos Hormiſda admonet ne promiſcuè ac ſine delectu quemlibet Eccleſiæ admoueant, *irreprehenſibiles enim eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis, nec quidquam illis deeſſe perſonæ, penes quam, eſt religionis ſumma & ſubſtantia diſciplinæ: Promptus eſſe debet ad imperiendum, benenolus viduis, hoſpitalis, promptus ad miniſtrandum, facilis ad ſubeundas vexationes, nil habens in quo erubeſcat, non ignorans, quiſnam ſit dignior ſublemationc.* Clem. Conſtitut. Apoſt. lib. 2. cap. 3. Errant ergo, inquit Gregor. Theolog. Apologet. 1. qui ordinem Epiſcoporum *non tanquam virtutis exemplum, ſed vitæ adiumentum, atque ſubſidium eſſe iudicant*, cũ in eo ordine *vitium ſit non quàm optimum eſſe, nouaſque ſubinde virtutum acceſſiones facere.* Quia *in Epiſcopo*, inquit Ambroſius ep. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem, *vita formatur omnium, non acceptor perſonarum, non multus in inſumendo, non voluptarius, non delicatus, non deditus cibis ſuauibus, ſed malorum tolerans, magna patientia in monendo, multus in lectione.* Clemens Conſtit. Apoſt. lib. 2. c. 5. vno verbo, de eorum numero eſſe debet, inquit Greg. Nazianz. oratione ad Patres Concilij Conſtantinopolitani primi, qui aliis inuidiæ ſit, non miſeratioui, τῶν φθονεμένων ἐστὶ πε μὴ τῶν ἐλεημένων, qui non in omnibus rebus, cunctis obſequatur, ſed qui in quibuſdam etiam, ob recti ſtudium in hominum offenſionem incurrat, ἀλλ' ὅτι ἀγ ορθοῦ ἕνεκεν ἐδίκων ὑπὸ τῶν πολλῶν.

Forti proinde eum animo in perrumpendo ſcelere, audaciaque Chriſtiana ptædicabilem eſſe conuenit, qualem Princeps Deus Ieremiam optabat, Ier. 1. *Non formides à facie eorum, nec enim timere te faciam, vultum eorum ego quippe dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreũ Regibus Iudæ.*

Fortitudini adiungendæ fides & caſtitas, auctore Paulo ad Titum primo: *Oportet Epiſcopum eſſe amplectentem fidelem ſermonem, vnius vxoris virum, pudicum, continentem*: nec is eſſe debet, quem malè compoſitus animus, tranſuerſum agat, impellatque ad libidinem, aut turpem, fœdamque ſenſuum, ac corporis ſeruitutem ἀπὸ χεὶρ γὰρ τοῦ ἀγχεμένου ἀπαιδεύτου ἐπιθυμίαν ἐλεύθερος φιλοσοφίας, μηδὲ σωτῆ ἄγχειν δυνάμενος. Iſidor. Peluſiota, lib. 2. epiſt. 9. In ſumma, auctore Greg. Epiſtol. lib. 1. indictione 6. cap. 24. omni cura vigilandum eſt eligentibus, vt futurus Epiſcopus *cogitatione ſit mundus, opere præcipuus, diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, ſingulis compaſſione proximus, bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentiũ vitia, per zelum iuſtitiæ erectus*: atque vt vno verbo complectar omnia, qui ſit vt vult Clemens Conſtit. Apoſt. lib. 7. cap. 32. ἄξιος τῷ θεῷ, *dignus Deo.* Quæ cùm Galli Præſules ab eo meminiſſent ſcripta eſſe, mirum quàm in ignauis, improbis, ac inſcientibus, ab Epiſcopatu repellendis adlaborauerint, pœna etiam Metropolitano propoſita, manus imponenti id genus hominib. lubet præcipientes audire Valentini Concil. in Gallia habiti, anno 855. can. 8. in hæc verba: *Sed ſi à ſeruitio pij Principis noſtri aliquis Clericorum venerit, vt alicui ciuitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſollicite examinetur. Primùm enim vita ſit, deinde eius ſcientia, & vigore Eccleſiaſtico ſub oculis omnipotentis Dei agat Metropolitanus in hac parte, Epiſcopis ſicut Dei miniſtris adiutorium ferentibus, ne maculata vitæ & pompis ſæculi turgidus, & ſimoniaca hæreſi pollutus, humilibus & mundis membris Chriſti, Eccleſiæque ipſius ſuperponatur Epiſcopus. Nec præſumat illiteratum, & cupiditate nimia cæcatum, redditurus facti ſui rationem, populo Dei præficere. Si neceſſarium idem Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, vt indebito honorem, bonis tantum debitum tradat, inſtruat populum, informet Clerum, potens adire clementiam Imperialem, & ipſe Corepiſcopus, quibus valuerit modis adeat, vt Eccleſiam Dei glorioſus Imperator digno honoret Miniſtro*: hæc can.

Quibus in Concordatis addi placuit, vt non alios Rex ad vacantes Epiſcopatus Pontifici offerret, quam ſtirpe regali, aut eruditione, ſcientiaque canonum ac Theologiæ commendabiles.

Equidem conſtat, ſi quis eo olim ex Laicis aſpiraret hunc decreto Concilij Aurelian. 5. can. 9. dignitatis gradum nobilem, aſſequi non potuiſſe niſi mediocri literatura tinctus eſſet quæ vt tereſceret, iubebatur annum integrum verſari inter ſpiritales & doctos: *Si quis autem pollens opibus*, verba ſunt Sardic. Conc. can. 13. *aut Scholaſticus de foro aut ex adminiſtratione fuerit poſtulatus non prius ordinetur, niſi ante Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus*, πρωτοδιάκονος, μελετῶν ἐγ ευδίζον τὰ τῶν θείων βίβλοις, πλὴν ὁ αἰωγνώσκων ἢ τὰς γεγραμμένας ἐρμηνίας ὀρθοδόξως. Clemens Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 5. A quo alieniſſimos eſſe conſtat, qui non his artibus, non his demiſſionis Chriſtianæ gradibus, ſed arrogantis animi auſu, in Epiſcopatus impetum faciunt.

QVÆSTIO X.

A quo; & quomodo conſecrandus eſſet recens electus Epiſcopus, aut à Papa, poſtulante Principe creatus.

A Metropolitano ſuo epiſt. 50 ad Paſchal. Papam, & 65. ad Hugonem Archiep. Lugd. quanquam vt verum fatear, non tam eius fuit hæc, quàm omnium Epiſcoporum prouincia, quantum tas mihi colligere, ex priſcis Maiorum literis, ſic enim ſanxit Anacletus ep. 2. vt refertur diſt. 64: can. 1. ſic Patres Græci in Concil. Nic. *Epiſcopum oportet ab omnibus Epiſcopis* (ſi fieri poteſt) *qui ſunt in prouincia eius ordinari, ſi verò hoc difficile fuerit, vel aliqua vrgente neceſſitate, vel itineris longitudine, certè tres Epiſcopi debent in vnum eſſe congregati, συνελθεῖν γνησίων, καὶ τῶν ἀπόντων καὶ συνψηφιζόντων διὰ γεγραμμάτων*, id eſt, *cæteris qui abſunt, pari modo decernentibus, & per literas conſentientibus*, quæ literæ appellantur tractoriæ ab Hincmaro in examinatione Vuilleberti. Quod autem de tribus Epiſcopis eſt in eo canone petitum eſt, ex Apoſtolorum ſenſu, can. 1. Apoſtol. Clementis I. lib. 3 Conſtit Apoſt. cap. 20. & lib. 8. cap. 33. confirmatum ab Anacleto in epiſt. 2. ad Epiſcop. Italiæ, Dionyſio Areopag. lib. Eccleſ Hierach. parte 2. cap. 5 Aniceto epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliarum, Concil Arelat. 1. can. 21. Carthag. 2. can. 12. Africano ſub

Bonifacio primo can. 16. Antiocheno can. 18.

Porro non alijs, quam qui ex eadem erant Prouincia, Episcopis licitum erat ordinationi noui ac recentis operam dare, sine consensu Papæ, nec prouincialibus, nisi annuente Metropolitano, *Eo quod nulla ratio sinit vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti nec à Prouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati*, Leo Papa in epist ad Rustic. Narbon. 70. alias 90. cap. 1. idem statutum habes dist. 64. can. 1. ab Innoc. in epist. ad Rothom. Episc. nomine Victricium cap. 1.

Nec est hic tamen Episcoporum numerus, ordinationi noui Præsulis intrinsecus, argumento est, quod can. 2. Rhegiens Conc. Patres Armentarium quendam ordinatum tantum à duobus Antistibus è gradu mouendum non duxerunt, vt erat necesse eos facere, si fuisset hic Episcoporum numerus eius ordinationi essentialis ac intrinsecus. Quid? quid Papa in eo potest dispensare vt dispensauit Greg. cum Augustino Anglorum Episc. Sano obrantatem Episcoporum, aliamue iustam causam per summi Pont. dispensationem, fit, vt cum vno Episcopo ordinante, adsint duo aut plures Abbates in sulati qui vicem Episcoporũ gerant. Sic in Conc. Afric. sub Bonif. 1. can. 16. scriptum legitur, etsi secus sit visum PP. Conc. Arausic. 1. vt ex can. 12. patet: sed dicendum est Patres ibi velle tantùm cõsecratũ à duobus Episcopis de Episcopatu deiici posse, in pœnam violatæ legis, non autem eius consecrationem nullam esse si Papa in prædicto Episcoporum numero dispensauerit.

Secundo dici potest, cum canones statuunt irritam, aut non valere ordinationem, factam sine præsentia, vel auctoritate Metropolitani, & concilio aliorum Episcoporum, intelligendos videri de exequutione munerum, & iurisdictionis eorundem, à qua remoueri possunt instituti contra canones, nullo modo de consecratione, aut potestate cum ea accepta, vt sentiunt Palud. in lib. de potest. Papæ, Sylu. in ver. Consecratio prælator.

Similiter, nec quod de ordinante, exigebant antiqui canones, id modò seruari est necesse, nam quem Metropolitanum esse volunt Concilia Nicænum can. 4. Toletanum 11. can. 6. & Valentinum can. 7. consuetudo obtinuit, eius loco vt esse possit alius quilibet, ex concessione Papæ, modo eidem se comites, in hoc ministerio, alij duo exhibeant.

Obiicies dici in can. 1. Rhegiens Concilij, Episcopi ordinationem esse nullam, nisi cui Metropolitanus præfuit, de suffraganeorum Antistitum voluntate, & hi ergo sunt inuitandi vt ei interfint si videatur: & ille rem alteri non potest committere; *Oadinationem enim*, inquiunt Patres eo loco, *quam canones definiunt, nos quoque vacuandam esse censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis Comprouincialium literis, Metropolitani quoque voluntate neglecta prorsus nihil quod Episcopum faceret est ostensum*: hæc canon. Et in epist. Ioan. 3. vnica hæc habentur: *Omnia quaque Concilia maximè affirmant, cum non esse Episcopum qui minus quàm à tribus Episcopis, auctoritate etiam Metropolitani fuerit factus.*

Respondendum est negando consequentiam, eo quod legi isti contraria sit prouinciarum omnium praxis, ex quo sequitur, quod cum legis abrogatæ nulla sit in populo obligatio, sit hæc vero, de Metropolitano adhibendo, ac comprouincialium omnium consensu petendo abolita, ab ea nostræ assertioni nullum esse posse præiudicium.

QVÆSTIO XI.

Quæ sint in Episcoporum Consecratione adhibendæ cæremoniæ.

PRisco Parentum æuo mos inoleuerat in Gallia, admonendi Regis, ac petendæ ab eo facultatis consecrandi electi, coniecturæ ea de re mihi plurimæ; sit instar omnium, quod eius rei gratia Episcopi ne coirent sæpe hic pro auctoritate ediceret, Galonem, virum vita honestum, liberalibusque studiis, in primis eruditum, Beluacenses Clerici cum in Episcopum elegissent, reperti sunt, quibus cum diuina eius virtus grauis foret, eum apud Regem vocarent in inuidiam, quod Paschali Pontif. gratus esset, quod apud Iuonem Carnot. Episcopum nutritus, ex quo metuendum aiebant, ne factus Episcopus Regi futurus esset aduersarius, qua ille oratione, *succensus & ab omni bona voluntate turbatus noluit electioni assensum præbere, nec electo bona Episcopalia dimittere.* Iuo epist. 48. ad Paschal. Pontif. quod neque se passurum, vnquam vt in eius potestatem venirent, aut Episcopus ipse fieret, Drogonis oratione impulsus iurauit, Iuo epist 50. ad eundem, sed prisci huius moris, nulla in præsenti reliqua nobis vestigia, nulla literarum, nulla suffragij, nulla consensus Coepiscoporum, super futura electi consecratione stata die.

Ecquis enim Præsulum Romam petit? aut si per impedimenta non potest Pontificem super consecratione suâ, literis consulit? *Et tamen extra conscientiam sedis Apostolicæ ordinari nemo poterat*, decreto Papæ Siricij epistol. 4. cap. 1. Deinde quis eorum ad Comprouinciales suos referendum existimat de die, & loco, in quo consecrari desiderat? Etsi hi celebritati interesse nequeunt, quis absentium literas expetit? aut quis eas vnquam in cõcione populi Archiep. imperio publicè legi audiit? & tamen qui aberant, suffragium iubebantur ferre per literas, Anaclet. epist. 2. Conc. Nicæn. primum can. 4. Arelatens. 2. can. 5. Et si inter partes (quod vsu nonnunquam venire solet) lis exorta electionem reddebat ambiguam, hæc Metropolitani iudicio finem videbat, cum quod statueret decreto Conc. Arel. 2. can. 2. ratum esset. Ob eam causam legebantur instituto veteri Canonum, tractoriæ Episcoporum literæ, qui electi examini interesse per impedimenta domestica non poterant *continentes quidquid super examinationem, & ordinationem electi, canonice inuentum, & actum fuisset se per omnia, assensum præbere*, Hincmarus in examinatione Villeberti & in Synodo apud S. Medard. in causa eiusdem, Hincm. hæc habentur. *Porrexit Hincmarus literas canonicas, quas canones sacri, Ordinatum à suis ordinatoribus accipere iubent, diem præferentes & Consulem.*

Age ergo quia sunt hæc longa desuetudine, aut vsu contrario Regni, ac Ecclesiæ, de nostris sublata moribus, videamus qui sint in Episcoporum consecratione ritus, quæ adhibendæ hoc tempore cæremoniæ.

Et primo quidem, *His qui consecrandi sunt, ieiunis, & à ieiunantibus sacra benedictio conferri debet*, dist. 75. can. 4.

Secundo, non alio die quam Dominico, *Solum enim maiores nostri Resurrectionis Dominicæ, diem*

honore dignum iudicauere, vt Sacerdotes, qui sumuntur, hoc die potissimum tribuantur. Leo epist. 87. ad Episc. Vienn. Prou. A

Tertiò, vbi dies consecrationi sacer illuxit, sacris vestibus indutus, & stans in medio altaris facie ad populum conuersa, electus birreto coopertus, ducitur à duobus Episcopis mytrhatis, ab iisque salutatur, ab electo quidem, nudato capite, ab Episcopis autem, eo profundè, ac reuerenter inclinato, post tantillam autem quietem ante altare, surgunt vnà omnes, ac consecratore salutato, ab electo quidem sine birretto, à Coepiscopis, mythris depositis, qui eorum est ætate prouectior consecratorem rogat, ea verborum forma, quæ est in Pontificali, & si legendum sit mandatum, omnes B sedent tectis capitibus, si nullum legi debet, antiquiori Episcopo dicenti, habemus viuæ vocis oraculum, Consecrator respondet, *Deo gratias*, & ad hanc vocem, electus flexis ad gradus altaris genib. iuxta formã præscriptam in bulla, cui initium iniunctum nobis officium, iuramentum legit, quo absoluto, ei à magistro cæremoniarum liber sacer Euangeliorum porrigitur, quem manu tangens dicit, *Si me Deus adiuuet*, cui applaudens Consecrator, *Deo gratias* subiungit, eumque vti præcipitur in Carthag. Conc. 4. de quibusdam interrogat, quæ à se & Comprouincialibus cognosci est necesse, vt verbi causâ, an doctrinam veteris & noui Testamenti, cuius magister esse debet, rectè norit? an C B. Petro, eiusque Vicario, Domino nostro, suisque successoribus obedientiam, fidem, & subiectionem exhibere sit paratus? de quibus Pontificale Romanum, cæterisque cæremoniis ac precibus consecrationi præmitti solitis, quibus ex more finitis, surgunt Episcopi, manusque consecrando imponunt, dicentes, *Accipe Spiritum sanctum*, quæ manũ impositio, facta à tribus Episcopis, materia est qua Episcopus consecratur: verba autem illa, *Accipe Spiritum sanctum*, forma. Henriq in summa lib. 10. cap. 7. parag. 3. Vasq. in 3. par. tom. 3. disp. 240. cap. 5. num. 58. Laym. l. 5. tract. 9 cap. 5. Postea in vertice, manibusque chrismate vngitur, cap. cùm venisset, de sacra vnctione: Clarissimè autem in Conc. Carth. 4. can. 2. & in epist. 2. Anaclet. Et quidem impositionis manuum fit expressa mentio in eo Concil. vnctionis autem ab Anacl. *Manus*, inquit hîc Pontif. *cũ sanctis Euãgelijs quæ prædicaturi sunt, imponentes. Dominica die, horatertia orãtes, sacraque vnctione exẽplo Prophetarum, & Regum, capita eorum, more Apostolorum & Moysi vngentes, quia omnis sanctificatio conflat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto chrismate est permixta, & hoc ritu solennem celebrent ordinationem*: Concilij autem verba sunt ista *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem super caput, & cervicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant*: quæ impositio manuum, consecrationi Episcoporum est intima, non E autem eorundem vnctio in vertice & manibus, si Barbosæ fides est, lib. 1. iuris Ecclesiast. cap. 9.

QVÆSTIO XII.

Vbi, & quo die ordinandus sit Episcopus.

LOcus Episcopis consecrandis, non alius olim erat communiter, quàm Cathedralis Ecclesia ad quam illi erant electi: sic Aurelian. 4. can. 4. *Id etiam regulariter perspeximus esse dicendum, vt Episcopus in ciuitate, in qua per decretum eligitur ordinandus, in sua Ecclesia cui præfuturus est, consecretur.* Restamen geri poterat aliter: nam cùm necessitas exigebat, satis erat (verba sunt canonis) *vt sub præsentia Metropolitani, aut certè vt eius auctoritate intra prouinciam omnino à prouincialibus ordinaretur.*

Factum tamen postea (quamobrem verò nescio) nisi quòd Metropolitano durum videbatur relicta domo, prouinciaque confluere ad aliam, suffraganei sui ordinandi causâ, factum, inquam, sequutis temporibus, vt eligendi loci ad consecrandum Episcopum idonei, facultas Metropolitano esset. Ita Toletanum 4. sub Theodoro Papa, habitum can. 18. *Episcopus autem Comprouincialis ibi consecrandus est, vbi Metropolitanus elegerit, Metropolitanus autem non nisi in ciuitate Metropoli, Comprouincialibus ibidem conuenientibus*, modò vbicunq; Episcopo videtur, ibi se initiandum curat, à quibuslibet Episcopis, etiam sibi nõ suffraganeis, ac Comprouincialibus, quia per literas Pontificias eius rei potestatem accipit, cùm ei de Episcopatu prouidetur. Barbosa lib. 1. iuris Eccles. cap. 9.

Fieri antea verò debet hæc consecratio inter Missarum solennia, & in ea parte, quæ est inter Euangelium & Epist. media, cap. quod sicut de elect. & à tribus Episcopis, vt præcipit can. Comprouinciales, & penult. dist. 64. eo quòd Iacobus iustus à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis, est ordinatus, successoribus suis dantibus formam, vt non minus quàm à tribus Episcopis vllatenus Episcopus ordinetur, can. porrò 2. dist. 66.

Ad diem quod attinet, dicendum non aliam huic operi per canones addictam esse, quàm Dominicam. Piasecius in praxi tractatu de electione & electi potestate, num. 22. Abbas in ca. cum eis de consecratione Ecclesiæ, docentque expressè can. 6. ordinationes, dist. 75. & 18. Conc. Tolet. 4. his verbis: *Secundùm synodalia constituta, cùm omnium Clericorum vel ciuium voluntate, ab vniuersis Comprouincialibus Episcopis, aut certè à tribus, in Sacerdotem die Dominica consecrabitur, conuenientibus cæteris, qui absentes sunt, literis suis & magis auctoritate vel præsentia eius, qui est in metropoli constitutus*: quam Metropolitani auctoritatem vt necessariam commendant Concilia Tarraconense, can. 5. Tolet. 12. can. qui si 7. eius saltem consensum requirunt Aurelian. 5. c. 10. & Tolet. 4. c. 18.

Eratque ad exemplum demissionis Christianæ ingenerandum cunctis, firmandumque amorem inter se, & Metropolitanum, Episcopis omnib. præceptum, vt se ei post duos menses à consecratione obtenta sisterent, fortibus monitis instituendos: sic Tarraconense Concil. sub Hormisda, anno redempti hominis 516. can. 5. *Si quis in Metropolitana ciuitate non fuerit Episcopus ordinatus, posteaquam suscepta benedictione per Metropolitani literas honorem fuerit Episcopi adeptus, id optimum esse decreuimus, vt post modum statuto tempore, id est, implecis*

duobus menſibus, ſe metropolitani ſui repræſentet aſpectibus, vt ab illo monitis Eccleſiaſticis inſtructus, plenius quid obſeruare debeat, recognoſcat. Qui officio decrat nec intra trimeſtre Metropolitanum conueniebat, vt iuſſus erat in pœnam violati canonis excõmunicari poterat: niſi regia iuſſione impeditum ſe eſſe probaſſet, Tolet. 1. can. 7. eſt hæc ergo creandorum Præſulum per Eccleſias ſeruanda forma, *Vt ijs nunquam benedictiones niſi in die Dominicæ Reſurrectionis tribuantur*, Leo epiſt. 79. eiuſque diei hora tertia Anaclet. epiſt. 2.

QVÆSTIO XIII

Quid in creatione Epiſcopi, eiuſque Electione ſeruare Electores oporteat.

PRimo ne diſciplinæ Eccleſiaſticę inſcium eligant, can. qui Eccleſiaſticis diſt. 36. ne ignarum ac rudẽ, cap. cũ in cunctis 7. de elect. cap. qualiter 17. verſu præcipuè, cap. cum nobis 19. verſu illius quoque literaturæ; ſed doctiſſimum & optimum 1. quæſt. 1. can. hi quoſcunque, can. viliſſimus, 8. quæſt. 1. can. oportet, can. qui vos, & can. vltimo 23. quæſt. 4. can. ſicut paragr. Concilium.

Secundò, ne Simoniacum, Concil. Pariſ. ſub Ludouico, & Lothario eius filio can. 11. Pœnas ic electi, deiectio de gradu, decreto eiuſdem Concil. can. citato, nam qui hoc (id eſt per Simoniam ad Epiſcopatum euehi) *attentare probatus fuerit, proprij gradus periculo ſubiacebit*, inquit can. citatus, *& qui ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ eſt per negationem facta proficiat, ſed ſit alienus à dignitate vel ſolicitudine quam pecunia acquiſiuit*, qui enim mala arte pretioque, viam ſibi facit ad honores Eccleſiæ, *Licet oculis carnalibus videatur Epiſcopus quaſi magnus, diuinis tamen obtutibus eſt lepreſus, qui per pecuniam acquiſiuit indebitum ordinem.* Ambr. in paſtorali eſtque per extrauagant Pauli 2. cum deteſtabile de Simonia ipſo facto excommunicatus, & ſuſpenſus ab executione ordinum ſuorũ, factaq; ei collatio de prædicto Epiſcopatu eſt nulla, inanis, ac ſine iure, *Quare ſic prouiſi fructus non faciunt ſuos, ſed ſub periculo animæ ſuæ, ad eorum reſtitutionem tenentur*, Paulus II. in Extrauag. citata, mediatiores autem in præ dicta Simonia tam Ordinis quam beneficij, vt electores, ipſo facto ſunt excommunicati, ſi vtrinque ad executionem eſt ventum. Leſſ. lib. 2. cap. 35. dub. 25. n. 14.

Tertio, id operam dare debent, quibus ius eligendi competit, ne ſibi in Epiſcop. expetant improbum, ne auarum, Concil. Pariſ. citatum can. 13. ne ſchismaticum, 24. quæſt. 1. can. pudenda, ne male moratum cap. cum in cunctis 7. de electione, verſu, & moribus commendandus cap. indecorum 3. verſu & morum, cap. eam te decet 4. verſu moribus de ætate & qualitate præficiendorum Clem. 1. in principio verſu moribus eodem titulo.

Quarto ne illegitimum cap. cum in cunctis 7. verſu, & de legitimo matrimonio tit. de electione, & de filiis Presbyt. cap. 1.

Quinto, ne ſuſpenſum cap. per inquiſitionem 26. de electione, aut ſententiæ ſuſpenſionis, & interdicti non parentem cap. 1. de poſtulatione prælatorum cap. is qui 18. paragr. is vero, & cap. is cui 20. de ſentent. excomm. in 6.

Sexto, ne Laicum, Concil. Tolet. 4. can. 18. Aurel. 5. ſub Childeberto can. 9. his verbis, *Nullus ex Laicis abſque annua conuerſatione præmiſſa Epiſcopus ordinetur, ita vt intra anni ipſius ſpatium, à doctis, & probatis viris, diſciplinis & regulis ſpiritalibus plenius inſtruatur.* Pœna aſſumpti è Laicorum vita, ſtatuque ad Epiſcopalem, ante obita Clericorum miniſteria, erat ſuſpenſio ab officio, anni ſpatio Aurelian. 5. can. 9. *Longa enim debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ*, inquit Hormiſda Papa in decretali ſua ad Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 1. *Non negamus eſſe in Laicis Deo placitos mores, ſed milites ſuos probatos ſibi quærunt inſtituta fidelia, diſcere prius quiſque debet antequam doceat, & exemplum religioſæ conuerſationis de ſe potius alijs præſtare, quam ſumere, emendatiorem eſſe conuenit populo, quem neceſſe eſt orare pro populo.* Quare Brunechildem ſapienter admonet S. Gregorius, ne cui ſinat inter Epiſcopos locum eſſe, niſi prima ante ætatis ſuæ tyrocinia inter Clericos poſuerit, *Hoc cura*, inquit, *ſit vobis vt quia ſicut noſtis neophytum egregius prædicator ad Sacerdotij regimen vetat aſcendere, nullum ex laico patiamini Epiſcopum conſecrari, nam qualis magiſter erit, qui diſcipulus non fuerit? ſi cuius vita talis conſtiterit, vt ad hunc dignus ſit ordinem promoueri prius debet Eccleſiæ miniſterio deſeruire, quatenus longæ exercitationis vſu videat quod imitetur, & diſcat quod doceat*, hæc Gregorius.

Septimo ne infamem, ne reum iudicis ſententia, aut ſua ipſius confeſſione criminis alicuius peracti, Concil. Tol. 4. can. 18.

Octauo ne minorem annis 30. ſaltem extra Galliam cap. cum in cunctis 7. de electione, cap. ex ratione 2. cap. indecorum 3. cap cum te 4. de ætate & qualitate præficiendorum diſt. 51. can. vltimo diſt. 77. can. Epiſcopus parag. finali extrau. vltima de poſtulatione Prælatorum inter communes, & can. 18. Toletani 4. Concil. Latran. decretum ſic habet. *Præſenti decreto ſtatuimus vt nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui iam trigeſimum ætatis annum exegerit, & de legitimo matrimonio ſit natus qui etiam vita & ſcientia commendabilis demonſtretur.*

Nono ne non initiatum ſacris ordinibus, diſt. 60. can. innouamus diſt. 61. can Oſius parag. ſed & aliud verſu, ſed non eligitur.

QVÆSTIO XIV.

Quid electum Epiſcopum facere ſit neceſſe vt plene dicatur poſſeſſor beneficij, ad quod eſt electus.

PRimo aſſenſum eum, dare eſt neceſſe electioni de ſe factæ intra menſem, *Aliter*, verba ſunt Gregorij X. in Concil. Lugdun. relata cap. quam ſit 6. de electione in 6. *iure ſi quod ex ſua electione fuerat acquiſitum, ex tunc excidit.*

Secundo, intra tres menſes à conſenſu electioni de ſe celebratæ præſtito, tenetur confirmationem, electionis ſuæ petere cap. poſtquam, & cap nihil eſt de electione, & cap. quam ſit eod. titulo in 6. alioqui electio viribus deſtituitur ibidem. Pertinet hæc vero iure communi ad Metropolitanum per ſingulas prouincias diſt. 64. can. 1. & can. extra eadem diſt. niſi eſſet Eccleſia de earum numero

quæ immediatè ac proprie ſpectarent ad Pontificem, aut confirmationis futuræ, cauſa ad eum deuoluta eſſet, cap. nihil eſt 44. parag. cæterum de electione, cap. cupientes 16. de electione in 6. Aut prouincia Primatem haberet, nam eius eſſet in eo caſu, factæ electionis confirmatio, can. de perſona, & ſequenti diſt. 63.

Dixi *niſi Eccleſia ſubeſſet immediatè Pontifici*, nam de iure eos tantùm hic Epiſc. confirmat, qui electi ſunt in Eccleſiis immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiectis, vt probat textus in cap. cum Eccleſiæ Sutrinæ de cauſa poſſeſſ. Porrò, ante confirmationem adminiſtrare Electus nequit, ſecus facere, eſt electionem inanem reddere, cap. noſti 9. cap. qualiter 17. cap. bonæ memoriæ 23. de electione, cap. auaritiæ 5. eodem tit. in 6.

Nec id modò neceſſe eſt electum facere, vt electioni de ſe factæ Superior annuat, eamque auctoritate firmet, ſed inſuper dare id operam debet, vt literas Roma habeat, teſtes conſenſus Pontificij, ſuper beneficio, nam iis non expeditis, eius poſſeſſionem inire nequit, nec fructus ſuos facere, decreto Pontificis, cap ſuper eo de appellationibus. Et ſi ſolo verbo Papæ gratia compleatur, can. inſtitutionis 25. q. 2. tamen quoad executionem gratiæ, hæc literis teſtata eſſe debet, And. in ca. eam te de reſcriptis, 10a. Mohed. deciſ. 203. de reſcript. quique iis deſtitutus, fructus recipit, ius in Epiſcopatu acquiſitum per ſui electionem perdit. Eum autem ad eius poſſeſſionem quiſquis illis non viſis admittit, fit eo ipſo ſuſpenſus à ſuo beneficio, quod vinculum ſoluere ſolus Papa poteſt, vt dicitur in Extrauaganti iniuncta de electione inter communes, quam Iulius tertius firmauit nouo ſuo diplomate, cui initium, *Sanctiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus noſter*, quod ſcriptis ſuis inſeruit Piaſecius praxis Epiſcopalis parte 1. tract. de electione, electi poteſtate. Tunc autem expeditæ dicuntur, literæ cùm ſunt plumbatæ, vel bullatæ, cap. licet de crimine falſi, Rebuff. in praxi, tit. Bullæ nouæ declarat.

Notandùm porrò, quæ de electione & confirmatione Epiſcoporũ hactenus à nobis ſunt dicta, intelligenda eſſe ſecundùm ius antiquum, quando electio fiebat à Canonicis, nam hoc tempore Epiſcoporum electio & confirmatio non fit ab alio, quàm à ſummo Põtifice, qui ſibi prouiſionem omnium Eccleſiarum Cathedralium in regula 2. & 3. Cancellariæ reſeruauit, etſi nominatio ad Reges pertineat.

QVÆSTIO XIV.

De Epiſcoporum officiis.

QVod ex charitate cuilibet, hoc Epiſcopo maximè incumbit ex munere, vt pauperum curam gerat, vt enim eſt hæc eius laus propria, Hieron. auctore ep. 2 *Pauperum inopiæ opibus prouidere, ſic omnium eſt Sacerdotum ignominia, propriis ſtudere diuitiis.* Quos enim amplecti poteſt vtiliùs, quos tueri laudabiliùs, quàm à fortuna, cœloque, vt videtur damnatos? *Fortuna enim minor Principem quærit*, inquit Theodoricus apud Caſſiodorum l. 1. epiſt. 8. ad Annibalem executorem. Id ſanè facere eum eſt neceſſe, ſi præſtare velit officium cum Tridentini teſtimonio, ſeſſ. 23. cap. 1. *Diuino præcepto ſit mandatum omnibus, quibus animarum cura A eſt commiſſa eſt oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre*: & poſt pauca: *pauperum, alsarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere.* Quod ſit tùm maximè, cùm ſuppeditantur eis ad vitam neceſſaria, nec enim patitur pietas, ſqualore, luctu, inopiaque confici, quibus vita datur, cum placida, mitique manu tractantur, aut leuantur tantilla ope. Quare quod Greg. de ſe olim ſcribebat, in ep. 26. ad Ianuar. hoc occinere ſibi iure debent identidem Antiſtites cæteri: *Paſtoralis regiminis neceſſitate compellimur, vt orphanorum, viduarumque cauſis ſolertiùs, quàm curis cæteris inſiſtamus. Exiſtimare inſuper*, inquit Cyp. *Sacerdotem eſſe cultorem, & omnes apud eum eſſe delicias, granaria plena, & de quocunque conſiderauerint pabulo omnes, eas ſaturare.* de B aleatoribus num. 6.

Quàm eſt ergo ad fidem probabile, charitatis communia officia, pauperibus ab Epiſcopo debita eſſe, at quo iure? naturali diuino? Quod præter auctoritatem Tridentini proximè allati indicat hoc argumentũ Qua lege Epiſc. ad finẽ conniti debet, eadem quoque obligatur ad medium: ſed ab eo iura poſtulant naturæ, ac Dei, vt in finem, cuius cauſâ ſedet in clauo Eccleſiæ, cum auctoritate, omni qua cura poteſt incumbat, qui eſt ſalus mentium, ad quam haud dubiè pauperum ſubleuatio pertinet vt medium, cùm non ſit facilè, eos benè monenti Præſuli, ſed duro, ſed inclementi, ac erga ſe parum humano aurem dare: Notum enim eſt cuique, plus ad mutationem morum, ac vitæ, fortia facta facere, quàm verba: Qua cogitatione Italiæ Epiſcopos in officio continere moliebatur Valentinianus Iouiniani in Imperio ſucceſſor, ſic enim eos affatur in epiſt. ad eos data pro delectu Epiſcopi in locum demortui Auxentij Mediolanenſis: *Eſt vobis cognitum, quòd neceſſe ſit Epiſcopo gregem ſuam, non doctrina ſolùm, verùm etiam præclara viuendi ratione moderari, & ſe cuiuſque virtutis exemplar ei præbere, ſuaque diſciplinæ, rectam vitæ, & morum inſtitutionem teſtem habere.* Theodoret. lib. 4. hiſt. cap. 5.

Quare claudendus eſt hic locus nobili oratione Antiſtitum in Conc. Aurelian. 5. can. 21. *Licet propitio Deo omnium Domini Sacerdotum, vel quorumcunque hæc cura poſsit eſſe fidelium, vt egentibus neceſſaria debeant miniſtrari, ſpecialiter tamen debilibus, id pietatis cauſa conuenit, vt vnuſquiſque Epiſcoporum incolis, quos infirmitatem incurriſſe tam territorij ſui, quàm ciuitatis agnouerit de domo Eccleſia, iuxta poſſibilitatem, victus & veſtitui neceſſaria ſubminiſtret, vt non eis deſit miſericordiæ cura, quos per duram infirmitatem, intolerabilis conſtringit inopia.*

Ob eam cauſam bona Eccleſiæ curæ ſuæ concredita habet, quæ etiam decreto Aurel. 1. can. 3. in partes quatuor fide quàm optima iubetur diuidere, quarum altera in vſus, commodaque pauperum cedat, quam hi etiam à Clero, ac Epiſcopis, E cùm res, temporaque poſtulabant, exigere pro ſuo iure poterant, quòd eius partis diſpenſationẽ duntaxat haberent, non dominium, Clemens Conſtit. Apoſtolicar. lib. 2. cap. 29. Ob quam cauſam eos Dei, pauperumque œconomos nominat, cap. 39.

Quare cùm Carthagine perſecutionis vitandæ causâ abeſſet Cyp. Presbyteros hortatur ac Diaconos, vt pauperũ curam ſedulâ gererent, caritate in illos aſſidua, diligentiaq; quod ipſe facere tenebatur ex officio, vltrò volenteſque ipſi ſupplerent. *His literis*, inquit, *horter & mando vite meæ ſungamini circagerenda ea, quæ adminiſtratio religioſa depoſcit, habeatur quantum poteſt, & quomodo poteſt*

Digitized by Google

pauperum cura, ſed qui tamen inconcuſſa fide ſtantes gregem Chriſti non reliquerunt, vt his ad tolerandam penuriam ſumptus, per veſtram diligentiam ſuggerantur, ne quod circa fidem tempeſtas non fecit, circa laborantes neceſſitas faciat. Cypr. ep. 6.

Atenim dicat aliquis, ſi in Epiſcopi poteſtate bona erant diuidenda pauperibus, quo modo, his per Clerum, eorundem inopia recreari potuit? Commode, nam hæc ſic erant in iure, Epiſcopi manuque, vt tamen Presbyterorum & Diaconorum opera non raro vteretur ad ea ſubminiſtranda indigentibus, fidem faciunt hæc verba petita ex Cypriani epiſt. 5. *Cum ſumma omnis quæ redacta eſt illic ſit apud Clericos propter eiuſmodi caſus*, quibus addi poteſt can. 20. Antiochenæ Synodi, & 41. Apoſtolorum. Præcipimus vt in poteſtate ſua Epiſcop. Eccleſiæ res habeat. itaut poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur per Presbyteros & Diaconos: hæc canon.

Secundo, debet in commiſſi ſibi gregis cuſtodiã incubare Epiſcopus, ne quà error, ne qua improbitas, amentiaque, vti malæ beſtiæ, in ouile irrumpant. Iſidorus Peluſiota epiſt. 149. lib. 1. ad Trebonianum Epiſcopum. Ἐπισκοπῶν αὐτὴν χρὴ τὰς ἐρήμους τῶν βοσκόντων καὶ τῶν ἀφυλάκτων τὰς τῶν λύκων ἁρπαγὰς τὰς τῶν μισθωτῶν ὀλιγωρίας τὰς τῶν ἀδίκων ὑπερηφανίας, τὰς τῶν ἀνίων κακοποιίας, τὰς τῶν χερῶν δυσεργίας τὰς τῶν ὀφθαλμῶν ἀπειρίας καὶ ὅλον εἶναι ὀφθαλμὸν πάντα ὁρῶντα ἀπὸ μιᾶς πανσοφίας, Ideo vacandum ei concionibus Apoſtolorum more à quibus dictum ſcimus Actorum 6. *Non eſt bonum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*

Quid enim aliud in Eccleſia Domini vtilius regi, quid accommodatius officio Epiſcopi poteſt inueniri, quam vt doctrina diuinorum per ipſum infuſa et collata que verborum, poſſint credentes ad repromiſſum regnum peruenire cœlorum? Cypr. de bono pudic. num. 3. quod cum exequi pro dignitate nequeat, niſi exaggerato literis ac diſciplinis animo inbetur multa legere, audire plurima: ἵνα πᾶς γένηται ὁπλίτης ἀκριβὴς ἐρμηνεὺς ὁμοτέχνως τοῖς ἑστῶσι καὶ τῷ νόμῳ, vt ſcripturas, *accurate interpretetur accommodate ad legem & ſcripturas.* Clem. conſtit. Apoſtoſt. l. 2. cap 5. *cum diſpenſator ſit ac procurator*, Cyprian. de aleatoribus, nempe boni ac prudentis Oeconomi partes explebit, ſi quæ ad vtilitatem commiſſarum ſibi ouium faciunt, inde pharmaca non eruat morbis eorum curandis opportuna? *Habe igitur curam verbi ô Epiſcope, vt poſſis omnia ſecundum verbum interpretari, ac multa doctrina populum tuum nutrias & illuſtratione legis illumines.* Clem. conſt. Apoſtol. lib. 1. cap. 5. hoc Chriſtus, hoc æquitas, hoc Epiſcopalis exigit authoritas. *Nam vt conſtatet nos id eſt Epiſcopos, paſtores eſſe ouium ſpiritualium, hoc eſt hominum fidelium, qui ſub cura noſtra conſtituti, ne vllum in eis vitium ſcabies reperiatur, quo magis à nobis quotidie perſcrutentur, vt medicamine cœleſti adhibito, vellera eis floridæ creſcant, quæ ad naturam veſtis ſalutaris proficiant in Euangelio Dominus ad Petrum dixit paſce oues meas.* Cypr. Fieri id verò maxime cœleſti ſacræ doctrinæ pabulo, quo ad æternitatem firmatur animus, dixere Cõcilia, quam probare, quam legere, quam ex ſenſu, ac mente Patrum explicare, quia Epiſcopi partes ſunt præcipuę, non ſine cauſa dixit Ambroſius l.b. de officiis cap. 1. proprium munus hoc eius eſſe docere populum. *Cur*, inquit, *iam effugere non poſſimus, officium docendi, quod nobis refugientibus impoſuit Sacerdotij neceſſitudo, & factum eſt, vt prius docere incipiam quam diſcere.* Cuius exequendi muneris quo ei ſit ratio ſolutior, vult Iſidorus Peluſiota epiſt. 159. ad Leontium, vt abiudicatis curis ſæculi, in eam ſe cogitationem, totus effundat ad Eccleſiæ, & animarum commodum, μηδὲν ἐμπόδιον τῷ τῆς κόσμου μελέτης μηδὲ περισπασμὸς τῷ πνευματικῷ ἀκολουθήσαντι τῷ πνευματικῷ διδασκαλίᾳ μηδὲ θόρυβος τῇ ἀπραξίᾳ διαλίξει μεστοῦσθω.

Et quoniam non patitur multorum ætas, labore anniſque fracta, vt iis ſe curis vigiliiſque atterant, cum quibus eos luctari eſt neceſſe, qui prouinciam dicendi, docendique plenam faſtidij obeunt, in templis. Prudentiæ fuit non vulgaris in Patribus Aquiſgranenſis Concilij ſtatuere, ſub Ludouico Pio anno 833. can 11. *Vt vnuſquiſque Epiſcoporum ſtudeat miniſtros ſuos, pro modo poſſibilitatis bene inſtruere, vt ſi forte contigeris eorum aliquem tardiloquentem eſſe, aut infirmitate aliqua impeditum, habeat tamen miniſtrum doctum, qui eius vice, pabula diuini verbi, populo adminiſtrare poſſit.*

Tertio eſt in officiis Epiſcopi numerandum, ſacræ lectionis ſtudium, cui vacare præcipitur cum cura in can. 14. Rhem. Synodi habitæ ad annum, 813. & Clem. quidẽ Romani eſt hæc de re præſenti ſanctio cõſtat Apoſtol. l. 2. cap. 5. ἔστω δὲ ὁ ἐπίσκοπος πολυδίδακτος, μελετῶν δὲ σπουδάζων ἐκ τῶν ἱερῶν βίβλων, πολὺς ἐν ἀναγνώσεσιν, Epiſcopus ſit doctus meditetur in libris Domini, ſtudeat in iis, ſit multus in lectione vt ſcripturas accurate interpretetur.

At quorum eſt ei maxime voluminum vſus, ad ſuum, plebiſque ſibi ſubiectæ commodum neceſſarius? Præcepere Patres Turon. Concil. ſub Leone III. & Carolo Magno his verbis, can. 2. & 3. *Vt omnes Epiſcopi ſtudioſe operam diuinæ dent lectioni, ſanctum Euangelium, & epiſtolas Beati Pauli Apoſtoli, non ſolum crebro lectitent; ſed etiam quantum poſſunt memoriæ ſtudeant commendare, ſanctorumque Patrum opuſcula, ſuper eadem expoſita frequenter ſtudeant, ſimiliter, & de cæteris libris canonicis faciant. Nec enim Epiſcopum oportet tantum docere, ſed & diſcere* inquit Cypr. epiſt. 74. ad Pompeium, *quia & ille melius docet, qui quotidie creſcit, & proficit diſcendo meliora, quod ipſum quoque idem Apoſtolus Paulus docet præmonens, vt ſi alii ſedenti, melius reuelatum fuerit, prior taceat*, quæ autem eum ſcire ac diſcere conueniat dicetur poſtea.

Quarto non eſt in extremis Epiſcoporum officiis, hoſpitalem eſſe, diſtinct. 85. can. vnico, vt enim ab eo caritatis officio erga omnes, Ioan. Apoſtolus, Caium laudat in epiſt 3. ita, & Diotrephen de eo neglecto ſeuere culpat. *Is qui amat principatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos.* Quare admittendi ſunt in hoſpitium ab Epiſcopo ſinguli, nemo excludendus aditu, nemo congreſſu, nemo menſa, nemo amoribus, vt eſt in diſt 86. can. fratrem noſtrum item can. diuinæ, & can. 1. diſt. 87. In ſumma. *Peregrini & pauperes communia eſſe debent Epiſcoporum*, inquit can. 6. Synodi Turonenſ. ſub Carolo Magno, *cum quibus non ſolum corporali, ſed & ſpirituali reficiantur alimento.* Opinor eam ob rem, quod ſuper Epiſcopi menſam, vt inter epulas haberet animus vnde ſe paſceret cogitatione aliqua vtili, pium ſemper aliquid è ſacris literis, conuiuis inſonabat, ſic Rhemenſis Synodus ante memorata can. 17. *Vt Epiſcopi & Abbates, ante ſe turpia facere non permittant, ſed pauperes & indigentes ſecum ad menſam habeant, & lectio diuina ibi per ſonet, & ſumant cibum, cum benedictione, & laude Domini, ſecundum Apoſtolum, ſine manducatis, ſine bibitis, omnia in laudem Dei facite.* Eſt ergo hoſpitalitas Epiſcopo in primis neceſſaria ad fungendum

iure, ac in Metropoli versantem, inuisere aliquando debeant, id esse iuris diuini. Quod enim Euangelia Apostolique commendauere posteris, id est Deo, vt authori suo ac Principi tribuendum: at Patrum testimonio, sua est Episcopo lustranda Diœcesis, iuxta ordinem Euangelicum, id est, vt ego interpretor, ius Apostolicum, ac Euangelij.

Confirmatur iure diuino, incumbendum est Episcopo, in munera Pastorum propria. Trid. expresse sessione 23. cap. 1. At explere partes suas, id est, boni Præsulis, Episcopus nequit si subditos priuet saluberrimæ visitationis fructibus, quando enim, aut quomodo vulnera prouinciæ suæ, Parochorum scelera nosse, cognitaque curare poterit, si ad ea dexteram, oculosque nunquam ferat, nunquam in rem præsentem veniat? Quare id ei seuerè præcipitur, ac ne annum, aut duos ad summum, elabi patiatur Diœcesi non lustrata, eidem edicitur sess. 24. cap. 3.

Infertur 1. esse mortale in Episcopo, tale officium prætermittere. Salodius de Visitatione cap. 1. Pauinius de Visitatione parte 1. quæst. 10. nam iuris diuini violatio in re graui, maior est culpa, quàm venialis & humana: At est difficile vllum beneficium maius in Ecclesiam proficisci ab Episcopo, quàm cùm eam, fideleſque tam vultu suo, ac specie, quàm sermone, ad res magnas animat: ob hanc causam, puto cõtrariam huic muneri consuetudinem, dici à Concilio Meldensi, loco cit. reprehensibilem, ac flammis piandam, *quorundam*, inquit, *irreprehensibilis, ac damnabilis consuetudo*, &c.

Quod ad modum faciendæ visitationis attinet, erit hic tum demum numeris omnibus absolutus ac perfectus, quando in ea adhibebuntur omnia, quæ tam iura, quàm consuetudo inueterata adhiberi imperant tam antè quàm post.

Et quidem ante visitationem proponi à Parocho, ac de ea facienda edictum vulgari debet populo, ac cum maxima in templis eius frequentia est, recitari intra Missarum solennia. Salod. cap. 6. Exinde, designandi sunt Sacerdotes aliqui, qui confessiones excipiant, rudesque ad confirmationem, omnes autem ad fructum aliquem ex visitatione capiendum præparent.

A Præfecto autem collegiatæ Ecclesiæ, sine cura animarum, paranda sunt instrumenta fundatæ, dedicatæ, ac consecratæ Ecclesiæ, vt ea petenti Episcopo manifestet, cùm erit opus, statuta item Capituli quæ non seruantur, cum eorum indice separato, de causis autem, quam ob rem id accidat respondebit, idem præfectus cùm interrogabitur, nec eas celabit, aut abscondet.

Priuilegia tam Capituli, quàm Ecclesiæ, inuentaria consuetudinum & rituum peculiarium, indulgentiarum, librorum, suppellectilium, locationum, contractuum, distractuum, litium, instrumentorum, &c. cùm eorum fieri sibi copiam Episcopus, tradique in manus postulauerit: A Parocho verò parandi erunt libri Baptismorum, Matrimoniorum, infirmorum, defunctorum, & alia de quibus Pauinius, & Salodius pluribus, ex quibus constet cum officio fungi, iussisque Episcopi obsequi.

Iam de visitatione. Hanc sine Missa fieri non conuenit, nisi fortè Episcopus in templum, aut pagum, sub vesperum appelleret, indeque propter paucitatem fidelium, quos visitari oportet, eodem die abiturus esset. Deinde habenda est inter Missarum solennia, concio ad populum, qua doceatur de mysteriis fidei, ac Sacramento Confirmationis.

Tertio peracto sacro, acindutus superpelliceo aut Rochetto, cum stola humeris iniecta, Episcopus sacrosanctam Eucharistiam visitat, ea qua par est pietate, curaque, in eum finem sanctæ huic cæremoniæ præmittit eius venerationem ac cultum, & ideo non nisi luminibus accensis, ac facibus, è sanctuario educitur, ac super altare, post thurificationem triplicem ponitur, cantante interim choro, *O salutaris hostia*. Quam thurificationem pari quoque numero iterari est necesse, cum absoluta oratione venerabilis Sacramenti, eam Episcopus inclusam sua pixide reponit in tabernaculo.

Quartò, Sanctorum reliquias à recognita Eucharistia Episcopus visitat, postquam stans, ter thure, reuerentiaque debita eas est prosequutus, populo canente accommodatam eorum honori antiphonam. vnam, aut varias.

Quintò, à reliquis procedit ad Baptisterium, luminaribus duobus, Cleroque stipantibus, hic depositò superpelliceo, quæ scire eum conuenit, studiosè disquirit.

Ac primò, *si qua Basilica fortè reperta fuerit destructa, ordinatione ipsius Episcopi reparari iubebitur, quia pars tertia ex omnibus per antiquam traditionem, vt accipiatur, statutum nouimus.* Concil Tarracon. sub Hormisda, can. 8. & Toletan. 4. can. 35.

Secundò, de Clericorum vita, instituenda erit quæstio. Arelat Synodus sub Carolo magno can. 24. ac si qui aliunde sine commendatitiis Episcopi sui literis, venerint, ad eum remittendi erunt. Turonens. Synodus 3. Leonis 4. ac Caroli magni tempore habita, can 13. his verbis, *vt vnusquisque Episcoporum Parochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis Presbyter, ab alterius Parochia in suã commigrans, officium celebrare præsumat, sine literis commendatitiis.*

Tertiò, interrogandi erunt Parochi, ecquid morem Ecclesiæ in baptizando teneant, aut offerendo sacrosanctæ missæ sacrificio. Ita Braccarense secundum can. 1. *discutiant Clericos quomodo ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter quæcunque officia peragant, & si fortè quidem inuenerint, Deo gratias agant: sin autem minimè decere debent ignaros.*

Quartò in id incumbendum Episcopis, vt pars tertia reditũ Ecclesiæ quam visitant, luminaribus ac reparationi addicta, detur administranda alicui, qui alius esse non debet ab Archidiacono, aut Archipresbytero, iuxta can. 25. Conc. Braccarensis primi, à quo singulis annis in lustratione suæ Diœcesis rationem idem Episcopi exigent Braccaren. 2. can 2.

Quintò, nosse debent, *qualiter* (verba sunt Rhemens. Synodi sub Leone III. & Carolo Magno, anno 813.) *Presbyters confitentibus peccata diudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.*

Sextò, an quæ imperata visitatione priore fuerant, hæc executioni mandauerint.

Septimò, an omnes christianè viuant, & catholicè.

Octauò, an sanctissimum Sacramentum, loco debito & mundo, sub fideli clauium custodia seruetur, & lumen coram illo perpetuò ardeat.

Nonò, an fons aquæ pro Baptismo congruè conseruetur, to. q 1. can placuit

Decimò, an altaria decenter & honestè sint ornata, quomodo eorũ redditus dispensentur. Fuscus de Visitat l. 1. cap. 21. an Missæ fideliter dicantur, ad quas obligantur, qui ea possidẽt, an altera ima-

gines aliquas habeant ridiculas, minuſque pias, aut loco & conſuetudini Eccleſiæ congruas Fuſcus eod. lib. cap. 8.

Vndecimo examinat Epiſcopus vaſa ſacra an ex debita ſint materia, an honeſtè ſeruentur, an in iis ſit oleum infirmorum & chriſma, an corporalia ſint munda, an aræ ornatus eiuſmodi, qui non ſit à maieſtate Dei, qui in ea offertur alienus. Quid autem in viſitando Parocho, agere debeat, quid curare dicetur poſtea,

QVÆSTIO XVIII.

Quos maxime, & an omnes Viſitare Epiſcopo conueniat.

VIſitare idem valet, ac de vita viſitandi inquirere, inquiſita corrigere, quæ ſunt correcta optimis legibus, quaſi aſtrigmentis tenere, ne concidant. Quod eſſe quia nequit, niſi domicilia quoque cum authoritate inuiſere, in eiuſdem Epiſcopi auctoritate fuerit, hic quærimus, quæ, & an omnia loca pia Diœceſis, viſitare ei ſit integrum.

Qua de quæſtione hoc habeo primum dicere, hoſpitalia publica ab eo luſtrari ac obiri, poſſe, maxime ſi ſunt ſacra, vt accidit cum eius authoritate ſunt fundata, cap. 1. de cenſibus in 6. vel ſi habent ſigna religionis, vt campanile, & campanam, altare, & Sacerdotem ſacrificantem diebus ſingulis, aut aliquoties in ſeptimana, Archidiac. in can. nemo de conſecratione diſt. 1. Ratio eſt, quod ad Epiſcopi ius pertinent tam loca ſacra Diœceſis vt templa non exempta, quam perſonæ quorum ſunt prouidentiæ, curæque commiſſa. Secundo, quæ ſunt authoritate Papæ aut Epiſc. erecta in Diœceſi beneficia, hæc plenè ſunt eius poteſtati obnoxia, proindeque de eorum numero quæ viſitari poſſunt ab Epiſcopo, niſi ſint exempta: At hoſpitalia quæ aram habent ac Sacerdotem, qui ius in ea dicendi ſacri habet, beneficia ſunt ſimplicia, ergo ab Epiſcopo viſitanda cùm volet. Piaſec. par. 2. prax. cap. 3. art. 5. num. 11. Neque hæc modo, ſed & ea quæ adminiſtrantur per Religioſos vt ſunt hoſpitalia S. Spiritus in Saxia, aut per Laicos ad triennium, aut tempus aliquanto maius, ſic ſunt Epiſcoporum ſubiecta poteſtati, vt ea quoties eſt placitum, viſitare queant, quia eorum iuriſdictioni omnino ſubſunt, niſi ſpecialiter ſint exempta cap. de Xenodochijs & ſeq. de Religioſis domibus, aut immediate ſub protectione Regis, & ita ſancitum eſſe video, à Trident. ſeſſ. 22. cap. 8. & Clem. 5. in Clement. 2. quia contingit de religioſ. domib. in hæc verba *Ordinariis locorum: iniungimus, vt etiamſi pia loca prædicta*, hoc eſt Hoſpitalia, nam de iis duntaxat ſermo erat, *exemptionis priuilegio munita exiſtant, per ſeipſos, vel alios, impleant omnia præmiſſa, & ſingula, & rectores eoſdem, vtique non exemptos propria, exemptos autem, & alios priuilegiatos Apoſtolica ad id authoritate compellant.*

Equidem, oportet Epiſcopum ſollicita diſpenſatione curam pauperum gerere, eſurientes paſcere, veſtire nudos, ſuſcipere peregrinos. Iſidor. lib. 2. cap. 5. de Eccleſ. Offic. Concil. Aquiſgran. can. 9. & quanquam eſſet optandum, vt quod Hieron. ſcribit in comment. ad Titum c. primo Epiſcopi domus commune omnium foret hoſpitium, ſperari id tamen in hac morum & temporum corruptela non debet, cui quantalibet vis opum ad ſumptus corporis, amœnitates hortorum, delicias menſarum non eſt ſatis, quare vt pauperum inopiæ, ſecundum præceptum Eccleſiæ, vtcunque à proprio ſubueniatur Præſule, ei publicorum hoſpitalium è cura viſitatioque neganda non eſt.

Publica dixi, nam priuati alicuius domum, ac hoſpitale inibi conſtitutum, contra voluntatem eius qui conſtituit, Epiſcopum luſtrare non poſſe Fredericus ſcripſit conſil. 130. nec immerito cum in ea tantum loca Epiſcopi ius habeant quæ accepta uere pauperum nomine, aut ſunt ſacra; quorum nihil tale hic accidit: vt ſupponimus. Nam habet locus ne ſit prophanus ſed religioſus ac ſacer deſtinatione Epiſcopi, ac voluntate Gloſſa in can. in Eccleſiaſticis 13. quæſtione 2. qui tamen non eſt conſultus ſuper executione dicti hoſpitalis vt ſupponitur.

Dico 2. Cum Xenodochis Epiſcopum quoque viſitare poſſe. *Collegia*, verba ſunt Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. *quæcunque, ac confraternitates Laicorum, etiam quas ſcholas, ſine quocunq; alio nomine vocentur, non tamen quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eorum licentia, eleemoſynas, montes pietatis ſiue charitatis, & pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamſi prædictorum locorum cura, ad Laicos pertineat, &c.* hæc Conc.

Quod cum Epiſcopus facere animum inducet, hæc erit prima eius cautio vt intelligat an bona, quę ſunt his locis attributa cedant, in bonum pauperum, eorumque commoda. Deinde num ad quem alium, pars illorum aliqua deueniat. Tertio, an inopum numerus quem fundatores ali in eo voluere, ſeruetur, Quarto, an fiant cætera in fundatione poſita: Quinto, in procuratione, quam de dicto hoſpitali, poteſt viſitator exigere, modum ſeruet, non petendo amplius, quam fert neceſſitas publica, aut lex patitur canonica.

At enim inquies in quo verò tandem ſubeſt confraternitas Ordinario?

Primo in eo quod ſtatuta eius omnia, priuilegia, gratiæ, euulgari in pop. non debeant, *Niſi prius ab eo ad eſſ. Epiſc. Diœceſano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint*: Clem. VIII. in Bulla cui initium *quæcunque à ſede.*

Secundo, quod ea promulgare ſibi cõceſſas indulgentias nequeat *Niſi prænia recognitione Ordinarii loci*, Clem. ib.

Tertio quod rationes accepti & dati à miniſtris & Officialibus exeunte anno repetere valeat.

Quarto, quod ſine eius facultate, confeſſionib. audiendis, ſæculares in iis confraternitatibus operam dare non debeant.

Quinto, ſubſunt etiam Epiſcopo confraternitates prædictæ, quoad communionem, Miſſas, ſepulturam, habitum, & modum in publicis proceſſionibus ſeruandum, *Etiamſi in Eccleſiis Regularium, congregationes ſuas habeant.* Nau. conſ. 3. de foro comp. *Et poſſunt viſitari quoad præmiſſa, nulla exemptione obſtante.* Piaſec. parte 2. prax. cap. 3. articul. 5.

Quid ſi habeat ea confraternitas oratorium Epiſcopi auctoritate fundatum, vt in eo dici Miſſa valeat, dabit ille operam vt intelligat, an qui eius curã habet, officium faciat, an defunctos ibi ſepulturæ tradat, an conciones habeat, & quo iure quaue ſuffultus poteſtate hæc ſibi charitatis munera obeunda credat? cum enim ſint hæ Parochi partes præcipuæ, vtpote cuius eſt in iure, Sacramenta ſuis

Digitized by Google

miniſtrare, nec id ſibi ſine populi ſcandalo: eiuſdem autem Parochi offenſa, arrogare Capellanos debeat, ecquid eſt rationis, ac prudentiæ in Ordinario minime contemnendæ, de Capellani poteſtate ac iure doceri velle? porro quod de iſto nos dicimus, de eo quoque qui aræ hoſpitalis præeſt legitimus eius poſſeſſor, intelligi volumus. A

Dico 3. *Baſilicas omnes, oratoriaque publica Diœceſis, Epiſcopo ſubeſſe quoad viſitationem annuam*: Cauſa eſt quod Baſilicæ prouinciæ, ei vt legitimo Paſtori procurandæ ſubſint, can. omnes Baſilicæ 6. quæſt. 7. Oratoria publica dixi, qualia ſunt quæ authoritate Epiſcopi ſunt extructa cap. de authoritate, de priuilegiis in 6. & in quibus Miſſa à ſingulis audiri poteſt, aut ad ea, deſtinatus eſt aliquis vnus clericus, qui ea procuret. B

Quid ſi oratorium, capella aut Parochia vniantur Monaſterio, excidet ne Epiſcopus iure ea viſitandi, occaſione factæ vnionis. Reſpondendum negatiuè: Rebuffus in Praxi parte 1. Regula de vnionibus num. 13. ratio eſt quod poteſtas viſitandæ Diœceſis, eiuſque ſacra loca, pars ſit Epiſcopalis Imperij quo ſe non poteſt, Epiſcopus iuſte ac honeſte exuere, ergo nec poteſtate ea inuiſendi cum volet: ſecus iudicandum de iuribus Epiſcopalibus, qualia ſunt exigendi Cathedratici, procurationis recipiendæ cum luſtrat prouinciam, hæc enim cum ab eo pendeant, non video cur ea remittere viſitatis non poſſit. Idem dicendum de collatione beneficiorum, quæ annexa eſſent tali capellæ, aut oratorio, quia cum hæc ſalua eſſe nequeat C ſtante vnione, illi cenſetur derogatum. Rebuff. ſupra.

QVÆSTIO XIX.

De quare maximè ſit interrogandus Parochus, cum eum Epiſcopus viſitat.

DE ſtatu Paræciæ, an in ea male nominati homines, ac de Religione minus bene ſentientes habitent, & quo numero? quorum vtatur opera D vt ad bonam frugem redeant, quam ipſe de eorum ſalute curam ſuſcipiat, quid, vt errorem dediſcant, operæ afferre ſoleat.

Secundò, de illo intelliget, an vagos, ac errones Paræcia nutriat, aliunde ad eam appulſos, an coniuges ob diſſidia, liteſque ab inuicem lecto domoque ſeiunctos, & quamobrem? vt enim noſſe Parochus debet, an priores matrimonio ſint inter ſe iuncti, ita nec ignorare, an & qui coniuges in Paræcia ſua ſunt animis, & corpore ab inuicem diuiſi.

Tertiò, dabit operam vt intelligat quibus maxime vitiis in feſta ſit ciuitas vbi Paræcia eſt ſita, E an in ea ſint, qui male audiant, concubinas domi habeant, qui de periurio, blaſphemiaque in Deum, publice ſint notati, qui ſtatutis ab Eccleſia temporibus, peccata ſua Sacerdoti non explicent, aut non communicent.

Quartò, ſemotis eum arbitris, interrogabit de officio Chriſtiani hominis, de cura Paſtoris in regenda plebe ſibi commiſſa, de modo adminiſtrandi Sacramẽta: Nec ignorabit, quam in iuuandis ægris rationem teneat, quam in debellandis vitiis, quam in reuocandis ab errore, ad veritatem hominibus methodum ineat, quæ cuique ægritudini medicinam faciat, Braccar. 2. can. 1.

Et quoniam labimur omnes, nec eſt tamen, qui næuos, ac verrucas ſuas videat aut ſi videt, qui non abſcondat, ac oculis intuentium ſubtrahat, ne Epiſcopum impelli in fraudem, diſſimulatione Parochi accidat eius ſunt partes, ſcire de loci incolis, ac laicis, num ille iis ſit moribus, vitæque innocentia quæ ſibi ad virtutem ſit exemplo, ad grandia, fortiaque facta incitamento, num rogatus Sacramenta conferat, & qua pietate, quoue ſenſu? quam pie, quam religioſe, Eccleſiaſticos ipſe reddidus, & quos in vſus impendere ſoleat? Quomodò, & quâ fide locorum piorum bona ipſi adminiſtrẽt ſi ſcripturas, quæ accepti, datique rationes, in dictorum locorum procuratione continent, exarent, exoratas ſeruent, ſi ipſimet, ſacro diebus feſtis interſint, ſi Dei ac Eccleſiæ præcepta cuſtodiant, diſſidia deuitent, familiam curent, filiorum ſaluti inuigilent, eos ad magna tam per ſe, quam aliorum inſtitutione incitent. Si patrini, cum primum infans, quem è ſacro Bapt. fonte leuarunt intelligere ac ſapere incipit, eius inſtituendi prouinciam ſuſcipiunt, ſi cum parentes, conſanguinei, aut tutores hoc ipſum facere negligunt, opera ſuâ, ſtudio, ac diligentia, in catecheſi orthodoxa, hoc eſt in precatione Dominica, Angelica ſalutatione, fidei ſymbolo, ac decem Decalogi præceptis eruditur vt omni virtutum genere, vitæque Chriſtianæ officiis informetur, &c.

quod ſi quem deeſſe ſibi, officioque compererit, maximè de Clericorum numero dabit viſitator operam, vt illum ſeorſim admoneat officij, non publice, & in Laicorum corona, ne vnius cuiuſpiam culpa, Clericorum omnium ſit cenſura, indeque contemnendi ſtatus Clericalis, aliqua ſuppeditetur illis materia.

Præterà, dabit id operam Epiſcopus, vt de Parochianis fideliter ac verè narrantibus audiat, ecquid in ſui gregis procuranda ſalute, eorum Paſtores pernigiles ſint ac ſerij, in ſacris hortationibus, diebus maximè Dominicis ac præcipuis anni feſtiuitatibus eos ad magna, arduaque aduant, à vitiis abſtractos ad Dei amorem accendant.

Et quoniam metuendum eſt Parochis, ne ſi aliquando officium negligant, vocem hanc ruboris, ac terroris plenam audiant: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Threnor 4. panem nempe ſine quo nec Chriſtianè viuere quiſquam, nec ad beatam immortalitatem poteſt creſcere, ſciet Epiſcopus an ij partem induſtriæ ſuæ aliquam in erudienda iuuentute, rudibuſque de fidei myſteriis collocent, vti præcipiunt Genuenſis Synodus anni 1575. Toloſ. de anno 1582. cap. 3. & 4.

Diſcet à Parochianis inſuper vtrùm catechiſticæ huius inſtitutionis initium ducatur ab oratione Dominica, ſalutatione Angelica, & ſymbolo Apoſtolico, an diebus Dominicis & feſtiuis, inter Miſſarum ſolennia, eadem vernacula lingua clarè dicantur ac perſpicuè, præeunte vno de pueris, populoque reſpondente, vt ſic omnes orare, ſic myſteria fidei omnia callere diſcant. An qui ludimagiſtrum agit in Parochia, ſit Catholicus, an à ſe, aut generali Vicario, de fide ac moribus examinatus fuerit, ac ad docendum iudicatus idoneus.

Quintò, vt mundi eſſe debent qui ferunt vaſa Domini, quia illotis ad eum accedere manibus, & mente, non modò eſt turpe, ſed etiam animæ exitiabile, id erit Epiſcopo viſitanti curæ, vt intelligat, ecquid aræ templique ſupellex omnis ſic niteat, vt ad eius aſpectum, Dei maieſtatem, cui eſt ſacra, religioſo quodam horrore perfuſus animus

illicò imbibat.

Sextò, quia non est facta Ecclesia asseruandis rusticorum opibus, & supellectile familiari: interest autem plurimum nihil esse in sacris ædib. quod earum sanctitatem non deceat, aut à pietate abhorreat, inquiret an eò res eiusmodi indulgentia Parochi, aut arcas, armaria, thecas inferant.

Septimò, quia prouidendum est Clericis, ne laïcos exemplo suo ad culpam, aut Ordinis sacri contemptum trahant, sic autem viuant, vt de se nemini loquendi causam, omnibus autem venerandi Numinis, amplectendæ virtutis tribuant, de singulorum vita, dictis ac factis inquiret, vt si quid in iis censura dignũ videbitur, emẽdet ac corrigat.

Octauò, videndũ est Episcopo, an Parochus diebus Dominicis & festis celebret, sicut ei præcipitur in can. quotidie de consecr. dist. 5. an ritus ac cæremonias Romanas celebrando seruet, modestiam sic teneat, vt nihil in gestu inconcinnum in corporis motu vastum, in incessu ridiculum & absonum edat.

Nonò, an in domibus priuatis, aut nobilium Oratoriis, diebus Dominicis ac festis, sine sua facultate, aut Vicarij sacra fiant.

Decimò, quia Episcopi sunt partes intelligere, an quę sunt Fundatorũ vol ũtate Missę debitæ, his satis à Capellanis fiat, vt neglecti, omissiue muneris culpam impunè non ferant, quod quia exequi non possunt, reis non cognitis, cognosci autẽ nequeunt, ni si quid quisque, quantumque debeat, literis authenticis pateat, eas sibi exhiberi, ac quæ illis imperantur à Fundatoribus, accuratè ac ex fide omnia ad praxim curabunt redigi, seque doceri præterea an Parochus in infirmis visitandis, hortandis ad pœnitentiam, tam cœlesti pane, quàm Sacramento vltimo, ad extremam cum Dæmone luctam armandis, officium faciat.

A po sua debebant iura, ita & hæc à Regul. soluenda erunt, si culpæ expertes esse volunt. Piasec. sup.

Episcopum autem in hac Monasteriorum lustratione annua facere oportet, Primò, quod est caritatis, atque prudentiæ, vt si quid in ea Superiorum incuria vitij, si quid cum Regulari perfectione minus cohærens irrepserit, quo eorum obscuretur nitor ac species, detersis maculis, splendor redeat, puriorque quàm anteà vnquam, disciplina appareat. Eam ob rem vetabit primò, quæ prohibenda, ac vitanda; imperabit quæ iubenda sunt, agendaque singulis ex præscripto regulæ.

Secundò, quòd Pontifices ipsi improbant, viros quidem interdicet ingressu in septa Monialium, fœminas aditu in claustra virorum sine licentia.

B Tertiò, quæstionem instituet de Prælatorum vita, de eorum in moderando Monasterio, industria, cura ac diligentia, de regularum obseruatione, de iis quæ domi correctione indigent, quæ censura, ob eamque causam, vt plus oculis, quàm auribus tribuat, singulorum cellas spectabit, libros, supellectilem; ac si quid in ea superfluum, si quid minus religiosum reperierit, illico de priuati cubiculo sublatum, Communitati, vt cedat in vsum publicum omnium, attribuet, his, cùm erit necesse, Superioris imperio diuidendum: cætera apud Fuscum, & Salodium, tract. de visitat. videri possunt, quia breuitati studemus, eorum narratione supersedebimus, contenti dicere, has visitationes debere esse annuas. Tarron. capite 8. *Et si quæ fortè Basilica reperta fuerit destituta ordinatione Episcopi, reparari præcipiatur. Quòd si ipse,* inquit Tolet. 4 can. 35. *languore detentus, aut aliis occupationibus implicitus, id explere nequiuerit, probabiles Presbyteros, aut Diaconos mittat, qui & redditus Basilicarum, & reparationes & ministrantium vitam inquirant.*

C

QVÆSTIO XX.

An & quomodo Monasteria visitare Episcopus debeat.

D VIsitat Episcopus de iure communi Monasteria non exempta. Secundo commendata, *In quibus non viget regularis obseruantia, nec non beneficia, tam curata, quã non curata, secularia & regularia qualitercunque commendata etiam exempta,* Trident. sess. 21. cap. 8.

Tertio, si in iis regularis obseruantia vigeat visitare tamẽ ea poterit, si eorum superiores admoniti: *Intra sex menses ea non visitauerint, vel correxerint.* Trid. supra congregatio interpretum Conc. de 20. Febr. anni 1616.

Quarto, Prioratus similiter pertinentes ad exemptos recenter tamen ab iis acquisitos Episcopus visitat, cum hi non videantur Monasteriorum priuilegiis comprehensi. Piasec. prax. Episc. parte 2. cap. 3. art. 6. ratio est: quod exemptio Papæ vo- E luntate in ea tantum cadat, quæ eius Pontificio diplomate notantur. At in hoc rerum genere Prioratus, recens Monasterio acquisitus locandus non est cum de eo nulla in prædictis literis fiat mentio vt supponitur, quare cum concessa Monasterio, ad Capellas & Ecclesias postea acquirendas, minimè extendantur, si fides est Abbati in cap. cum Capella, & in cap. exore de priuileg. vt hi à quibus possidebantur hæc beneficia non exempta, Episco-

QVÆSTIO XXI.

An Capitulum & Vicarius visitare possint vt Episcopus.

D Dico primò, *Capitulum, sede vacante, præficere posse certum hominem qui prouinciam obeat, de peccatis quæstionem exerceat, eaque puniat.* Causa est quòd Capitulum in his quæ iurisdictionis sunt necessariæ, qualis est animaduersio criminum, succedat Episcopo.

Deinde, si Capitulo interdictum est, vacante sede, per se, aut substitutum de criminibus inquirere, vagabitur impietas Diœcesi tota liberè, quid enim facilius quàm spe impunitatis sibi concessæ, aut differendæ pœnæ, sceleratos audere omnia, in bonorum perniciem?

Dico secundò, *Capitulum, sede vacante, Diœcesim lustrare posse* Emmanuel Sa, verbo Capitulum, num. 1. Archidiac. in cap. si Episcopus de E supplenda negligentia Prælator. in 6. Causa est quod in iurisdictione maxime necessaria Capitulũ succedat Episcopo cap. cum olim, de maioritate & obed. Atqui ad salutem Diœcesis publicam necessariũ esse quis neget, eam visitatione nõ destitui maxime longo tempore, quo interim crescerent vitia, fraus, ignorantia, cum publicæ rei incommodo?

Dico tertiò, *Ius visitandæ Diœcesis, iure communi, Episcopi Vicario non competere*: Ita Doctores

cum Gioſſa in Clement. verbo capitali de hæreticis, Rebuff. 1. parte praxis tit. de forma Vicariatus Archiepiſc. & aliorum collator, num. 101. cauſa eſt, quod generalis conceſſio non videtur ea complecti. quæ, ſi concedenti fuiſſent obuia, ea excluſiſſet haud dubiè. At eiuſmodi eſt viſitandi munus reſpectu Epiſcopi, vices ſua concedentis alicui, ergo ei, Vicarioque non conuenit. Secundò, quia in iure canonico, nulla viſitantis Vicarij fit mentio. non poteſt ergo hæc facultas ei iure communi eſſe debita.

Dico quartò: *Poſſe tamen ei delegari ab Epiſcopo.* Enimuero eſt in canone Epiſcopum 10. quæſt. 1. & in cap. inter cætera de officio ordinarij, in Epiſcopi poteſtate eſſe, cum negotiis aut morbis teneturimplicitus. *Preſbyteros probabiles aut Diaconos per prouinciam mittere qui eius ſtatum inſpiciant*, eaque per ſe faciant, quæ Epiſcopum, ſi valeret, obire eſſet neceſſe. At quod iſtis committere Epiſcopus poteſt, eidē quis neget licitum eſſe demandare Vicario? Ergo &c.

Dico quintò, Etſi præcipua cura viſitantis Epiſcopi ſit videre: *Quo vnaquaque Baſilica, in reparationem ſui indigeat.* Tolet. 4. can. 35. partem tamen eius aliquam deriuare debent ad miniſtros Eccleſiæ, decreto Concil. Braccar. 2. can. 1. his verbis. *Per ſingulas Eccleſias Epiſcopi, & Diœceſes ambulantes, primum diſcutiant Clericos, quomodo ordinem Bapt. teneant; vel Miſſarum, & qualiter officia in Eccleſia peragant, & ſi recte quidem inuenerint, Deo gratias agant: Si autem minimè, docere debent ignaros, alia die, conuocata plebe ipſius Eccleſia doceant illos vt errores fugiant idolorum, vel diuerſa crimina.*

QVÆSTIO XXII.

An Epiſcopus viſitare poſſit Monaſteria exempta.

CAuſa dubitandi eſt, quod ſeſſ. 7. cap. 8. de reformatione, iubeantur locorum ordinarij, Eccleſias quaſcunque, quomodolibet exemptas, authoritate Apoſtolica viſitare quotannis. *Et opportunis iuris remediis*, verba ſunt Concil. *Prouidere, vt quæ reparatione indigent reparentur.* Qua oratione inducti nonnulli, credidere, tam cœnobia quam Parœcias, Epiſcopo in viſitatione ſubiectas eſſe, licet peculiari Papæ priuilegio ſint à iuriſdictione Epiſcopi exempta: In his Salodius de viſitatione parte 2. art. 1. Barboſa de iure Epiſcop. allegat. 73,

Contrarium viſum eſt Ludouico Portelio in dub. regular. verbo Monaſteria num. 6. quod ea Sixti IV. ſingulari prope ac diuina in Regulares omnes caritate ac indulgentia, ab Epiſcoporum inſpectione & iure ſint exempta.

Dico 1. *Monaſteria quæ ſic ſunt authoritate Papæ, de poteſtate ordinaris ſubducta, vt ſint immediatè Prælato alicui obnoxia, hæc Epiſcopum viſitare non poſſe*: Cochierus de iuriſdic. ordinariorum in exempt. parte 2. qu. 23. num. 3. cauſa eſt, quod exemptio, ea de numero cæterorum dimoueat, in quæ Epiſcopo poteſtas eſt ac arbitrium.

Confirmatur: Eſt viſitatio iuriſdictionis actio, ſuperiorum tantum propria, at exemptio Monaſteria quibus conceditur, de poteſtate eius, cui ſunt ſublata, ſubtrahit: & addicit alteri moderanda, forma ipſa vocum quibus eſt concepta exemptio loquitur, quid eſt enim, *Denuntiamus talem Eccleſiam ab omni iuriſdictione Epiſcoporum liberam*, quam his amodo integrum nō fore quid quam ſuper eius regimine tentare & aggredi vt decreuit, Greg. IX. in decretali, cùm inferior 16. de maioritate & obed. & cap. Si Papa de priuilegiis in 6. his verbis. *Si Eccleſia vel Monaſteria exemptionis priuilegium concedendo, vel ſuper ipſius exemptione ſententiando, (cum de ipſius exemptionis negotio ageretur) aſſerat ipſam Eccleſiam, aut eam iuris B. Petri exiſtere, ſiue ad ius, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ, vel ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter aut ſine medio pertinere, per hoc plene debet exempta huiuſmodi Eccleſia iudicari.*

Sane hoc ipſo, quo Monaſteria, ſubducta fòrò Epiſcopali, attribuuntur Prælato cuipiam cuius conſilio ac nutu regantur in poſterum, tacitè Papa prohibet Epiſcopo, ne quid in ea moliri audeat, quod præiudicare Prælati cui ſunt commiſſa, eiuſque incommodare iuribus valeat.

Dico 2. *In Epiſcoporum iure eſſe viſitare Monaſteria exempta.* Primo, cum in iis eſt Parœcia, ad ſæcularium commodum, tum enim, etſi chorum cum authoritate viſere nequeant, nec loca regularia, poſſunt tamen præcipere recludi ſibi tabernaculum, vbi aſſeruatur Parœciæ Ciborium, eique an aliquid ad ornatum, decentemque Sacramenti cuſtodiam deſit, tam ſuis quam aliorum oculis videre. Barboſa loco citato.

Cauſa eſt, quod hic locus duntaxat, non cætera, poteſtati eius ſubiaceat.

Secundò domos exemptas Epiſcopi viſitant, cum ſæculares in iis degunt ſui iuris, & ad Cœnobitarū familiā non ſpectantes. Vt enim hi parere debent Epiſcopis, ita & regulares, qui eorum curam exercent, iis par eſt in omnibus obſequi, quæ ad dictam procurationem animorum ac Sacramentorum adminiſtrationem pertinent: Tridentin. ſeſſ. 24. ca. 11.

Tertio, viſitari quoque poſſunt Monaſteria quamuis exempta quæ generale Capitulum non agnoſcunt, cuius authoritate ac nutu regantur, nec viſitatorem regularem, monitaque ab Epiſcopo non redegere, ſe in congregationem, Trid. ſeſſione 25. c. 8.

Quarto cum immediatè ſunt ſubiecta ſanctæ ſedi Trid. expreſſe ſeſſ. 25. cap. 8. & 9. Ita patet; explicare cuique facile eſſe, quæ de viſitandis cœnobiis Eccleſiiſque exemptis, dicta ſunt à Concil. citato in quæſt. initio.

Quinto cum ſunt commendata, & in iis non viget regularis diſciplina, nulla præſcriptione, priuilegio & conſeruatorum deputatione obſtante.

Et ſi in iis viget regularis obſeruantia, Epiſcopo ſeruandus erit hic ordo. Eorum ſuperiorem diligenter admonebit ac ſedulo vt ipſe viſitet, & corrigenda corrigat, quod ſi intra ſex menſes non paruerit, tum Epiſcopo fas erit ea viſitare, corrigere, nullo priuilegio aut appellatione obſtante. Piaſecius ſupra, & Trid. ſeſſ. 21. cap. 8. de refor.

Obiicies vt Diœceſim obire Epiſcopus poteſt, ita partes quoque eius omnes, quo appellari nomine debent, quæ in ea ſitæ ſunt Eccleſiæ, at Monaſteria Diœceſim conſtant, vt partes totum, ſuaque templa habent: Ergo, &c.

Maior eſt neganda, nam viſitatio iuriſdictionem exigit, vt pote, quæ correctionem habeat, quæ delinquenti pœnam inferat, quæ ſtatui ſi-

ne authoritate ac iurisdictione nequeunt, qua tamen omni caret Episcopus in loca exempta. Quia locus exemptus, & extra Diœcesim positus, sunt idem, proque eodem habentur in his quæ ad iurisdictionem pertinent. Henriq. in summa lib. 7. cap. 15. parag. 4. Azeuedius lib. 1. num. 104. tit. 16. lib. 8. Barboza de iure Episc. allegatione 80. num. 9. at loca extra Diœcesim posita, visitare Episcopus non'potest, ergo nec Mendicantium cœnobia, quare nec in iis Pontificalia munera obire ei licitum: Trid. sess. 6. cap. 5. & sess. 14. cap. 4.

Dici 2. potest, Monasteria Mendicantium Diœcesis partes non esse: Quid signi? quid argumenti? nempe quod in membra tantundem cuique est licitum quod in caput, & contra, cui hoc est intactũ, & membra quoque corporis reliqua, ei illibata, sanctaque esse debent, ergo cum Episcopo in partes Diœcesis omnes, vt in totam, iurisdictionem exercere iure sit licitum, quod facere tamen ei est prohibitum in exempta Monasteria, cõcludendum est quod etsi sint hæc in Diœcesi, capite cum Episcopus de officio ordinarij in 6. non esse tamen de ea. Imola in Clement. 2. de priuilegijs.

QVÆSTIO XXIII.

De Episcoporum residentia.

ESt & altera Episcoporum obligatio, eaque primæ notæ, ad culturam propriæ Ecclesiæ, quam cum absens promouere æquali fructu ac commodo, atque præsens nequeat eam deserere vt vtilitatibus propriis aut propinquorũ inseruiat fas ei non esse sine Primatis commeatu, & Episcoporũ Prouinciæ negauere Euarist. epist. 2. & Cyrillus ep. Alexand. in epist. ad Domnum atque Concilia. Sardic. quidem can. 6. Carthag. can. 26. *Vt Episcopi trans mare non abeant, similiter Episcops trans mare non peregrinentur*, abire autem trans mare est authore Zonara in eum locum, μακρὰν ὁδὸν ἀποδημεῖν, longum iter suscipere. Dixere amplius Patres in eo Concil. nam Episcopo noluere esse integrum: *Relicta sua sede principali, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutã seipsum ingerere, vel de re propria, plusquam oportet sollicito, propriæ sedis curam & sollicitudinem negligere.* Carthag. Conc. can. 77. Episcopos ergo vt, cum ipsa rei natura tùm decreta canonum exigunt domi suæ vt in statione perpetua degere, est necesse, à qua longo tempore, nisi publicæ rei causa, illos abesse nefas: *Cùm enim præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, & in cætera pastoralia munera incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deseruiunt*: ideo residere in Ecclesia propria, ab ea alienis à dignitate sua negotiis, abstrahi se ac diduci, Episcopi pati non debent.

Absentis à Diœcesi, locoque beneficij, pœnæ multæ sunt ac variæ, prima est excommunicatio ferendæ sententiæ, olim decreta ab Arelat. 2. can. 13. Antiochen. 2. can. 11. ibi enim eum reprobari, & abiici oportere dicitur non solum à cõmunione, verum & ab honore cuius particeps exstitit, qui præter Concilium, & literas Episcoporum prouinciæ, Episcopatu deserto, Imperatorem cõuenit. Secunda pœna, quæ olim in nõ residentes statuta fuit, nominatur deiectio de gradu, & hanc à Trullensi Conc. impositam. videto in can. 81. *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus, Laicus, qui tribus Dominicis diebus, in tribus hebdomadibus, sine necessitate in Ecclesia sua non conuenit, Clericus deponatur, laicus excommunicetur.* Nouo iure Trident. Concilij, decernitur, vt si per sex menses continuos, Episcopi à suis Ecclesiis sine causa legitima, & facultate non obtenta, abfuerint, quarta fructuum parte vnius anni priuentur, *Ipso iure*, & si in eadem absentia tanto temporis interuallo perseuerauerint, alteram item quartam partem, *Ipso facto*, perdant etsi contumaciã nõ deposuerint, & ad officiũ bonãq; mentem residendo nõ redierint, beneficiis suis à Papa exui, eaque melioribus conferri possint, qui ideo à Metropolitano de eorum absentia moneri debebit, pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda à prædicto Metropolitano, si infra tres menses, per literas, seu nuncium, cum hac de re non commonefecerit: Trid. sess. 6. cap. 1. de reform. *Qui Ecclesiis ipsis de Pastoribus vtiliorib⁹, prouidere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedire*: Trid. loco citato. Tempora sunt tamen in quibus abesse Episcopo licitum sine culpa. Primum est, cum iniuste eiicitur: *Vel propter confessionem Catholicæ Ecclesiæ, vel propter veritatis defensionem, & fugiens periculum, innocens ad aliam vrbem venit tunc enim prohibendum non esse illic versari, donec reuertatur, vel iniuria sibi facta inueniat remedium*, docet Concil. Sardic. can. 18. Secundum est quando abest cum Papæ licentia. Tertium cum iusta ei causa excusandæ absentiæ suppetit. Quartum cum ad id eum necessitas adigit, quæ tempora, à Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. comprehensa sunt his verbis. *Cum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, eiusdem Ecclesiæ, vel Reipubl. vtilitas, aliquos nonnunquam abesse postulat.*

Ad primum caput pertinet, si absit proximi iuuandi causa, si vt componat odia, si vt lites sopiat, exortaque inter familias dissidia, si vt pauperes liberet, ab imminente, eaque grani inopia, sic in Concil Sardic. can. 10. dicitur Episcopus non culpandus: *Si propter pupillos, & viduas, vel laborantes, quæ causas iniquas non habent, suscipiat peregrinationis incommoda.* Ad necessitatem spectat, si Episcopus ob aeris intemperiem, imminens vitæ periculum, acre Tyranni in illum odium, simultates inter eum, & subditos exortas absit: Zerola in praxi Episcop. parte prima. Aloysius Riccius in praxi rerum fori Eccl. resol. 645. Si tamen commissi sibi populi salus, exigeret eius præsentiam, abesse illi fas non esset, etsi propria esset in discrimine. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 6. q. 3. n. 3. ratio est.

Primò, *Quod bonus pastor animam suam dat pro ouibus*, Ioan. 10.

Secundò, quòd ea lege stipendia populus ei pendat necessaria. ne se in necessitate spiritali deserat, si tamen æque commodè, vtiliter, atque fructuosè iuuaretur Episcopatus à Vicario, quam ab Episcopo, aut Parœcia à Parocho, nec metus vllus esset, per eorum absentiam, incommodi recipiendi à populo, in causa animæ, culpa, hæc eius absentia vacaret cessaret enim personalis residendi obligatio, quæ iuris est diuini, nec maneret quæ est Ec-

clesiastici : nam quis credat velle Ecclesiam cum periculo certo capitis quenquam suis stringi legibus? A

Debita obedientia, cuius Concil. meminit inter causas quæ Episcopi absentiam excusant, est cùm eum Papa ad Concil. aduocat, aut Romam venire iubet ob negotia Ecclesiæ publica.
Euidens Ecclesiæ vtilitas, ac Reip. in eo, est respectu Episcopi, quod absit ad tuenda iura Ecclesiæ vel vniuersalis, vel suæ, vel ciuitatis in qua residet, aut prouinciæ, in qua moratur. Vgolinus de offic. & potest. Episc. cap. 4. parag. 13.

Ac ne tunc quidem olim, quod initio monuimus, abesse Episcopo *fas erat præter consilium & literas Episcoporum prouinciæ & præcipuè Metropolitani.* Antioch. can. 11. Aquisgr. can. 73. hæque B literæ dicebantur dimissoriæ, formatæ seu expositiones: *Episcopi transmare non peregrinentur*, inquit canon 16. Conc. Carthag. *nisi cum decreto primæ cathedræ proprij vniuscuiusque regionis Episcopi, hoc est, nisi ab ipso Primate præcipuè acceperit eam quæ dicitur, formata, dimissoria, siue expositio.* Decreti porrò nomine ὁ διάγνωσις καὶ ἀπόφασις λέγεται, cognitionem siue approbationem intelligit. Zonar. in eum can. Est autem *formata* epistola quæ necessariam esse profectionis causam exprimebat, vel quæ signo ac subscriptione Primatis munita erat. Zonar. suprà: fauet huic explicationi canon 21. Sardic. Conc. in eo enim cùm quæreretur ab Hosio ecquid videretur ferendus Episcopus qui ostentationis gratia in castra iisset, responsum est ab omnibus μήτε C τοῖς γεγραμμ. αὐτὸν ἐπιγράφειν μήτε κοινωνεῖν τῷ τοιούτῳ, nec literis eius subscribi oportere, nec cum eo communicare, vt qui iam esset à canone depositus, ὡς ἐκ τῶν κανόνος καθαιρεθεντος, Zonar in 11. can. Sardic. Conc. nimirùm ob violatũ Antioch. Conc. can. 10. quo proficiscens ad Imperatorẽ sine literis Metropolitani prouinciæ, & eius Episcoporum, dignitate iubebatur in pœnam audaciæ excidere. Hæc de formata, quid est expositio, cuius in Conc. Carth. fit mẽtio? Epistolae õmendans abeuntem iis ad quos abit, abitumque causas explicans. Zonar. in explanat. can. 25. Conc. Carthag. quas iure nouo Conc. etiam *à Rom. Pontif. aut à Metropolitano, vel eo absente, à Suffraganeo Episcopo antiquiore residente, quis idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis, approbari modò conuenit, nisi eius absentia inciderit propter aliquod munus, & Reip. officium Episcopatibus adiunctum, cuius quoniam sunt causa notoria, & interdum repentina, nec eas quidem significare Metropolitano necesse erit.* Trident sess. 23. cap. 1. D

An tum quanto tempore licet Episcopis impunè, & sine metu culpæ iure canonum à sua sede abesse?

Semestre illis concessum video in can. 19. Synod. Constant. primæ & secundæ, longè illis breuiùs præstitutum est à Sardicensi, nam vltra tres hebdomadas eorum absentiam ab Ecclesia propria non ferendam ait in can. 11.

Nouissimè, id est, Patrum memoria, sacrosancta Synodus voluit *illud absentiæ spatium singulis annis, siue continuum, siue interruptum extra præfinitas causas* (officij, obedientiæ, necessitatis, aut vtilitatis tam priuatæ, quàm publicæ) *nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere*, Trident. sess. 23. cap. 1. E

QVÆSTIO VII.

In qua explicantur quædam aliæ obligationes Episcoporum.

PRima est, vt Ecclesiæ opibus non abutantur in delicias, sumptus, impensas, dignitati suæ parum congruas, ne publicas stipes, quæ ad sustentationẽ pauperum sunt datæ, vel sibi reseruent, vel propinquis distribuant. Quæ enim in Dei Ecclesia Beneficiati ac Prælules possident, non sunt illorum, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerunt, non proprietatem sibi, nisi damnabili vsurpatione vendicare possunt. Bonific. epist. 50. ad Bonifac. Et quoniam dignum est, *vt qui altari deseruit, de altario quoque viuat*: Episcopo quidem, quemadmodum & aliis, qui Sacerdotia in Ecclesia obtinent, conceditur, vt, *si benè deseruiunt, de altario viuant, non autem vt de altario luxrientur, aut de altario superbiant, vt inde comparent sibi frænaaurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, grisea quepellicea, à collo & manibus, ornatu purpureo diuersificata.* Bernard. epist. 2. ad Fulconium Archidiac. Verissimè ergo est dictum quæstionis huius initio, sic Ecclesiæ stipendiis, Episcopos, cæterosque illis minores Clericos frui posse, vt ea tamen in luxum, delicias, ac virginum corruptelam non impendant. *Quicquid enim præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retinent, eorum non est, rapina est, sacrilegium est.* Bernard. epist. proximè citata.

Quid si parcant sumptibus, de propinquis autem ac consanguineis suis locupletandis solliciti, in eos partem suorum redituum sponte, ac non coacti effundant?

Si bonis suis tanquam iusto minoribus sustentari non possunt, si quia premuntur inopia, debent aliena iuuari beneficentia, quod est viri boni, quod prudentis, Episcopi facient, si benignitatis suæ sinus eis apertos esse volent: sin autem abundant opibus, si domi, foriſque habent vnde tueri possint, personæ dignitatem quam in Repub. sustinent, quia quod pauperum est accipiunt, peccatum profectò committunt: *Bona* enim *Ecclesiastica in patrimonio Christi censeri* dixit Innoc. III. in cap. cùm secundùm Apostolum, extra de præbend. hæc autem de eius potestate eripi posse, eo nec iubente, nec volente, sine scelere, quis putet? Nolle autem decreta Apostolorum & Conciliorum dicunt: Apostolorum quidem, his verbis: *Omnium Ecclesiasticorum negotiorum curam habeat Episcopus, & eadem, vt Deo contemplante dispenset, neque illi liceat ex his aliquid, omnino contingere, aut parentibus propriis quæ Dei sunt condonare*: *Quòd si pauperes sunt, tanà quam pauperibus subministret, ne eorum occasione, Ecclesiæ negotia deprædentur.* can. 30. Apost.

Dicunt eandem sententiam Romani Pontifices, clarissimè Concilium Trid. sess. 23. cap. 1. de reform. his verbis: *Omnino verò Episcopis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiasticis consanguineos, familiares sue suos augere studeant, cùm & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sunt, iis vt pauperibus distribuant.* Trid. sess. 25. cap. 1.

Est & alia Episcoporum obligatio, nempe ne duab. usEcclesiis præsint, vno eodemq; tẽpore, *cùm in ipsa infausta mundi in Lameche carnalis bigamia sit culpata,*

Digitized by Google

quomodo posset in Ecclesia laudari, quæ est sponsa Christi, quę & Sacramento, & in veritate Sacramenti, vni debet viro desponsari. Iuo Carnot. in epist. 178. ad Guillel. Archidiac. Rothomag. & 67. ad Hugo. Lugdun. vt enim Euaristo teste in epist. 2. Christo sua iuncta est sponsa, id est Ecclesia, sic Episcopis iunguntur Ecclesiæ vnicuique pro portione sua, ergo vt vnius viri, vnica duntaxat est vxor, ita & Episcopi non nisi vnius Ecclesiæ, sponsi esse possunt, sine dispensatione.

Tertia vt sedem non mutent, vt inconsulto, ac non probante Pontifice, relicta Ecclesia ad aliam non transeant, Concil. Nicen. can. 15. Aquisgran. can. 43. Triburien 28. causa est, quod ea delertio adulterij speciem habeat, 7. quæst. 1. can. 11. *Quare sicut vir adulterare non debet vxorem suam, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, id est, vt illam dimittat ad quam sacratus est.* Euarist. epist. 2. vt incidere tamen tempora possunt, quibus thoro, ac domo, seiungi ab vxore vir potest, ita & nihil est causæ, cur interdum ratio non suadeat, sedium mutationes fieri, vt si maximum inde lucrum, ac animarum quæstus speretur, si ad aliam Diœcesim id Episcopi migraturi salus exigat, si ciuium, qui illum (incertum quare) odio prosequuntur, vitæque eius ac famæ insidias moliuntur. Nec enim vitiosus est transitus, ab vna ciuitate in aliam, inquit Antherus Papa epist. vnica, qui non fit ambitu, aut propria transeuntis voluntate, sed vi, aut necessitate vel vtilitate loci, aut populi, de quo ipse arbiter esse ac iudex nequit sed Pontifex Romanus, inquit Callistus epist. 2. vel Synodus ipsa Episcoporum, Concil. Carthagin. 4. can. 27. *Si pro visitate Ecclesiæ, Episcopus faciendum transitum popposcerit, detreto pro eo Clericorum & Laicorum perrecto Episcopis, in præsentia Synodi transferatur.* Qui propria authoritate, à sua in aliam Ecclesiam commigrat, lege canonum, iam habita earet & ambita, can. si quis Episcopus 7. quæst. 1. cap. penult. de translat Episcopor. quæ autem translationem hanc iustæ excusare causæ possint explicat, Rebuff. de translat. Episcoporum, in praxi beneficiorum parte 1. num. 4.

Quartò, Episcopi, qui promotionem, confirmationem, aut pallium à sede Apost. recipiunt, tenentur visitare limina Apostolorum, iuxta can. 4. dist. 93. qua ad id sacro se iurisiurandi nexu stringunt, vt ex eius forma quod concipere solent, cum consecrantur, videre est, & habetur in cap. Ego N. de iureiurando, circa quam visitationem, emanauit quoque Sixti V. constitutio, quæ incipit Romanus Pontifex.

Quintò, vt tenetur Episcopus in propria Diœcesi Clericos initiare sacris ordinibus, ita & tempora ad id statuta seruare, sunt hæc autem præter Sabbatha, quatuor temporum anni, Sabbathum ante Dominicam Passionis, & Sabbathum hebdomadæ sanctæ cap. de eo de tempor. ordination. Iuo Carnot. epist. ad Clerum Senonens. 63. *Apostolica institutio, & paterni canones habent, vt non fiat Leuitica, vel Sacerdotalis ordinatio, nisi ieiunio quarti mensis, septimi, & decimi, aut initio quadragesimæ, vel Sabbatho mediana quadragesimę.* Ordinatus extra hæc tempora, est suspensus ipso iure, ex constitutione Pij II. non item ordinans, cum in eum nulla pœna sit ipso iure statuta, nam quæ continentur in Bulla Sixti V. reuocata sunt à Clemente VIII.

Sextò, Id laborare Episcopos est necesse, vt Bullam cœnæ auctoritate Apostolica subditis suis, vna cum Trident. publicandam curent. Quia id illis à Pio IV. in Bulla approbationis Concil. præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, his verbis. *Mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à sacris canonibus constitutis aliisque grauioribus, arbitrio nostro infligendis vniuersis & singulis fratribus nostris Patriarchis Archiep. Episcopis, vt eadem decreta, & statuta in Ecclesiis suis ciuitatibus, & Diœcesibus, & à subditis suis inuiolabiliter faciant obseruari.*

Peccant ergo Episcopi (inquies) qui ad Tridentini leges vitam operaque non componunt, aut in Diœcesi promulgare negligunt. Nequaquã id verò, quia præcepti vis huius, tẽporis lapsu intercidit. Quid? quod nõ vsu, annuente, aut certè non repugnante Pontif. Romanæ leges intereũt? quod in præsenti causa euenire nulli dubium, cùm clam non sit Pontifice, silere in Gallia. Conc. Trident. iura omnia, ex præscripto Bullæ nulla in ea vindicari scelera, tacet tamen ille, nec sibi mores nostros verbo, aut signo displicere indicat, ergo cum ex eius silẽtio patientiaque, quẽ animi sui sensa expromere oportebat, eius consensus arguatur iuxta regul. iuris in 6. sunt extra culpam Episcopi; qui nec Concil. nec Bullæ statuta, sibi promulganda in populo aut seruanda existimant.

Non mea modo est hæc opinio, sed Dianæ parte prima tract. 10. resol. 5. Becani in Sum. Theol. par. 2. tract. 3. cap. 6. quæst. 8. num. 4. Postremi sunt hæc verba. *Hoc intelligendum est de illis Episcopis, & Principibus, qui viuunt eo tempore, quo lex Pontific. primum promulgatur, nam si illi tunc non promulgant neque recipiunt legem, successores eorum excusantur. Hinc patet Episcopos & Principes, qui hoc tempore viuunt, & quorum antecessores non receperunt Concilium Trident. aut Bullam cœnæ Domini, liberos esse in conscientia, multo magis eorum subditos.* Hæc ille.

Septimò, videndum est Episcopo ne sine graui causa excommunicet, Trident. sess. vltimæ cap. 3. nec nisi obseruata forma iuris de qua nos tract. de censur. Quæ Præsulum obligatio, longe est Trid. antiquior, nam in Aurelian. Concil. 5. can. nullus. Admonẽtur Episcopi: *Ne quenquã rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus causis à communione suspendant, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres, ab Ecclesia arceri insserunt committentes.*

Octauo de bonis Ecclesiæ, testari Episcopus iure communi non potest, Greg. epist. lib. 10. epist. 42. & refertur causa 12. quæst. 5. can. 1. cui iuri tamen tam consuetudo contraria, quam Papæ dispensatio tacita derogauit in Gallia, de quo nos in tract. de testamentis, & præsenti, postea pluribus.

Nonò, debet eius domus esse fœminis omnibus imperuia, præterquam matri ac sorori. Conc. Nic. can. 3. Aquisgr. can. 39. Trallei. c. 9. Nic. 2. can. 18. Elibert. can. 27. *Episcopus sororem aut filiam virginem dicatam Deo tantum secum habeat, extraneam verò nequaquam.* Aurel. 5. can. 3. *vt nullus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, extranearum mulierum, intra domum, præsumat habere solatium, quibus etiam, pro vtilitate sua, aliqua familiarius regenda committat.* Hæc can.

Pœna secus facientis, suspensio anni vnius ab officio. Aurelia. 5. ibid. his verbis: *Quòd si Episcopus vetitis vti voluerit, anno vno à Metropolitano, vel à Comprouincialibus ab officio suspendatur*: priscique æui moribus, ei ab antiqua Ecclesiæ consuetudine, sine iusta causa recedere non est permissum,

ſum, nec quidquam in cultu Dei Principis, aut ſacris cæremoniis, innouare abrogatis prioris æui. Gregor. Papa lib. 7. indic. 2. ep. 6. Quia Apoſtolicæ Sedis decreta temerare nefas, 25. q. 2. can. Eccleſiaſticæ 12. at quæ longo vſu inueterauere, in qualibet Eccleſia, Apoſtolici decreti inſtar obtinent, cùm Eccleſiæ Romanæ approbationem habent Quare cum Canonicis ſanctæ Triadis apud Anedgaunm ab eius vrbis Epiſcopo imperatum eſſet anno 1603. vt relicta antiqua vrbis ſuæ conſuetudine in pſallendo, orandoque, nouam ibi ac recentem formã aſſumerent officij, quod à Concilio Preſbyteris Romanis ſeruandũ proponitur, edicto Curiæ, ad quam de abuſu Canonici memorati appellauerant: Epiſcopus ſua eſt petitione depulſus. Carondas ad Papon. l. 13. cap. 5. & Peleus l. 2. action. foreſ. act. 42.

Decimò, eſſe debet eius domus pervia pauperibus. Matiſcon. Conc. can. 11. nam pauperes ſingulos alere debet, iuxta præceptum Vrbani I. ep. vnica, Gelaſij ep. 2. ad Epiſcopos Siciliæ. Conc. Lugd. 2. can. 6. Matiſcon. 2. can. 5. ergo & eos, cùm opus erit, domi ſuæ excipere vt peregrinos & hoſpites.

Vndecimò, lege antiqua Eccleſiæ, domi accipitres, canesque alere non debet. Matiſconenſe Concil. 2. can. 13. Primò, quòd *ſic his qui in ea* (verba ſunt canonis) *miſeriarum ſuarum leuamen habere confidunt, dum infeſtorum canum morſibus laniantur, detrimentum ſuorum corporum ſuſtinent.*

Secundò, quòd turpe ſit ibi canes eſſe & accipitres, vbi hymnis omnia, canticiſque circumſonare eſt neceſſe.

Duodecimò, nunquam deſtituta eſſe debent eius latera, Sacerdotibus aut Clericis, quos vitæ ſuæ teſtes ac conſcios, ad res dubias Conſilij cauſâ adhibeat. Concil. Toletan. 4. can. 21. *Vt ergo excludatur deinceps omnis nefandæ ſuſpicionis occaſio, & ne detur ſæcularibus locus obtrectandi, oportet Epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum, conuerſationis & vitæ in ſuo conclaui habere.* Quod & can. 21. iubetur Presbyteris, vt in cellulis ſuis teſtes vitæ habentes, opinionem ſuam ſicut nomine, ita & meritis teneant.

Decimotertiò, ſuperflua, id eſt, quæ ſibi ſunt reliqua, de iuſta ſua, ſuorumque ſuſtentatione, erogare debet in pauperes, decreto Eccleſiæ, & cantua fraternitas 8. cauſæ 12. q. 1. can. res Eccleſiæ eadem q. & cauſa. Ratio eſt, quòd quæ ante diuiſionem factam bonorum Eccleſiæ, pauperibus erant addicta, hæc Epiſcopis ea lege ſint attributa, vt de illis, liberales in eos exiſterent, quo de obligationis genere nos plurib. tract. de beneficiis.

Decimoquartò, Caſtra, Principumque palatia ei non ſunt inuiſenda, aut terenda, niſi cùm Eccleſiæ pauperumque ratio exigit. Sardic. Concil. can. 7. & 8.

Decimoquintò, tam in ſe quàm in propinquis demiſſionis ſtudia ſectari debet, quibus prohibetur, per canon τοὺς ἀξιώματα ἢ σεκλ ἐπὶ χρήμασι φίλους ἢ ἄλλους, ſæculares dignitates aut functiones acquirere.

Decimoſextò, & hoc quoque Epiſcopis olim prohibitum, quæ in rem communem Eccleſiæ eſſent, procurare ab Imperatore verſante in caſtris, niſi Diaconi opera: ſic enim Sardic. canone. 7. ἐπίτρεπε αὐτῶν τοῖς ἔχουσι διάκονος, διὰ τοῦτο ἐπιμελεῖσθαι δι' ἰδίων διακόνων ἀποστέλλοντι.

Decimoſeptimò, De ciuitate vna in aliam tranſire niſi inuitati à loci Epiſcopo non poterant, can. 1. & 2. eiuſdem Concil. Opinor eam ob rem quòd Chriſtiano Præſulo indignum Patres eſſe crederent, in alterius Epiſcopi meſſem, eo reclamante ac inuito falcem immittere.

Decimooctauò, Epiſcopos adhibere iudices ac arbitros ſuarum controuerſiarum non poterat, qui alterius prouinciæ eſſent quàm ſuæ. Sard. can. 3.

Decimononò, Ei eſt quotannis ad Synodum vocanda Eccleſia præcipuis ſuis diſtincta membris. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. bis id fieri in anno præcipiebant antiqua Concilia. Nicænum can. 5. Chalced. can. 15. Arelat. 1. nullum ad id certum tempus præſtituit, ſed rem totam Metropolitani arbitrio relinquit, can. 18. Aurelian. 2. can. 2. præcipit *vt Metropolitani ſinguli annis Comprouinciales ſuos ad Concilium euocent.* Verùm enim, quia difficile multis erat ob inſeſſa ſæpe latronibus itinera, Epiſcopos coire toties ſocietatem Concilij, abeſſe autem domo tam frequenter, populis periculoſum, *Semel ſaltem eos ſine excuſatione congregari placuit, vt expectatione Concilij nihil prauum, nihil præſumeretur illicitum.* Greg. lib. 7. regiſt. epiſt 108. nec ſæpiùs haberi Epiſcoporum cœtum quotannis Agathenſe Concil. exigit, can. enim 71. dicitur quod *ſecundùm inſtituta Patrum ſemel eos ſingulis annis congregari ſufficit*: quę eſt etiam opinio Pariſien. Conc. ſub Ludou. & Loth. lib. 3. c. 11. Tullenſ. parte vlt. can. 7.

QVÆSTIO XXV.

Synodi habendæ quænam cauſæ, & quo tempore indicendæ.

COgendæ ſynodi finis non alius quàm publica multorum incolumitas, Eccleſiæ ſalus ac dignitas, *in ea enim de corrigendis exceſſibus, de reformandis moribus, præſertim in Clero, tractatum habendum eſſe* dixit Innoc. III. in Concil. Later. can. 6. ob quam cauſam publicè *Apoſtolica & canonica inſtituta*, vbi primum locum Concilij Epiſcopi attigerant legi, Metropolitani imperio conſueuerant *ad correctionem prauorum.* Iuo Carnot. epiſt. 130. quæ cùm ad Dei gloriam faciat, vel minimum ſenſati intelligunt, ſynodicis Epiſcoporum conuentibus contineri Eccleſiæ dignitatem ac ſalutem.

Quid? quod in vnum hi *conueniant, vt diſcant quàm piè, iuſtè & humaniter cum populis agere debeant.* Conc. Tolet. 4. *vt de alterna præſentialiter ſoſpitate exhilarati, cauſarum exurgentium, tam diuinæ religionis, quàm humanæ neceſſitatis diſcutiant, & omnibus iuſtum, æquumque finem imponant.* Matiſcon. 2. can. 20. quo quid eſt ad Eccleſiæ dignitatem retinendam, in Clero efficacius? quid ad populi promouendam ſalutem illuſtrius?

Fuit & cum in his Synodis de fide, de Sacramentis, de cauſa vniuerſalis ageretur Eccleſiæ, de concordia, de pace: *De querelis quæ inter diuerſos Eccleſiæ ordines paſſim ſolent*, Leo epiſt. 82. cap. 7. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem. Omnes ſane qui ab Epiſcopis Sacerdotibus, Clero aut quopiã de populo ſe læſos queri poterant amice ac benignè Hiſpani. Antiſtites admonent, *Vt*, ad Concilium frequentes veniant, *ibique quæcunque à quibuſcunque prauè vſurpata inuenientur, Synodalis examine & Regij executoris inſtitia, inſtiſſimè ab his, quibus curæ ſunt, reformatum iri.* Concil. Tolet. 4. can. 3. quæ pro Dei gloria, vtilitate Eccleſiæ imul-

tortumque bono facere cum olim sub Ludouic. & Lothario, Parisiense Concil. videret, dixit lib. 3. can. 11. quod à nobis est in primo huius quæstionis aditu, limineq; positum, authoritate sua sanxit Conciliis in quaque prouincia annuatim conuocandis, præstitutum finem hunc esse, vt per ea Ecclesiæ splendor, Deique cultus auctior, puriorque quam ante, mundo appareat.

Quod autem ad tempus cogendæ Synodi attinet, Priscis temporibus duplex extitit, primum incidebat in hebdomadam tertiam post Pascha, alterum in Idus Octobr. hoc est diem decimam mensis hyperberetæi Martin. Bracear. cap. 18. Iuo lib. 3. tit. 2. cap. 3. & 4. vel vt loquitur sexta Synodus can. 18. *A sancto festo Paschatis, & vsque ad Octobris mensis complementum.* Modo his cœtibus dies certa præstituta nulla, quæcunque Episcopo placita est, ad hanc frequentes Parochi coeũt: De tempore autem dici vniuersè hoc potest, vernum communiter ab Episcopis, existimari quolibet alio ad hoc negotium opportunius, & ita sæpe feriis Paschalibus, aut si per impedimenta domestica, Ecclesiæ suæ, tum vacare nequeunt, primo sane quoque tempore quod liberum habent, in id incumbunt, cœtum Parochorum, quem nos cum Conciliis Synodum dicimus, vltra Pentecostem non differunt. Est de eo ita scriptum in statutis Odonis.

Fit Iouis in luce, Synodus quæ proxima Lucæ.
Lux Iouis hæc replicat, tertia Pascha, sequens,

Modus autem eam celebrandi est pro locorum varietate varius, placebat is olim præ cæteris, cuius author Odo Parisiens. Episcopus, sic enim præcipit cap. 1. statutorum Synodalium. *In principio Synodi, antequam canterur Veni Creator, quæratur vtrum præsentes sint Abbates, & Sacerdotes qui tenentur Synodo interesse: Et hoc facto incipiat Episcopus alta voce, Veni Creator, quo finito dicantur orationes, his precibus præcedentibus Pater noster, &c. Benedicamus Patrem &c. Post partum, &c. Lætamini in Domino, &c. Fiat pax &c. Domine exaudi orationem. Dñs vobiscum. Cũ Oratione. Omnipotens sempiterne Deus qui dedisti Famulis tuis, &c. Actiones nostras, &c. Deus qui salutis æternæ. Propitiare quæsumus Domine famulis tuis, per sanctorum tuorum, quorum corpora, vel reliquiæ in Ecclesia præsenti requiescunt, meritaque gloriosa, vt eorum pia intercessione, ab omnibus semper protegamur aduersis. Deus à quo sancta desideria, &c. Finitis orationibus, residebunt, & legetur lectio, quâ lecta fiet sermo. Finito sermone licentiabit Episcopus Laicos & Scholares, & alios Clericos, qui non debebunt Synodo interesse hoc facto leguntur præcepta Synodi, his expletis dicantur capitula, quæ sunt addenda, & infine, districte præcipiatur, vt seruentur à Sacerdotibus.* Hæc Odo, quibus adiicienda sunt plurima, vt habendæ Synodi hoc tempore forma, absoluta prodeat, ac perfecta quod quoniam non potest intelligi nisi cognito qui ei interesse, quoque ordine singuli debeant operæ facturus meæ pretium videor, si quas de ea re anteceptas animo notiones habeo, eas, paucis, in apertum, Deo patrocinante eduxero.

QVÆSTIO XXVI.

Quinam interesse Synodo Diœcesanæ possint, & debeant, & quem locum tenere in sedendo.

PRimò ad eam inuitandi sunt Cathedralis Ecclesiæ canonici, cap. vlt. de his quæ fiunt à Præl. cum hæc sine capituli & Canonicorum cõsilio videatur cogi non posse, Innoc. in cap. nisi de authoritate, & vsu pallij Piasecius prax. Episcoporum parte 1. cap 1. art. 1. num. 1.

Secundò, ad eam omnes, inquit Trid. sess. 24. cap. 2. *Etiam exempti qui alias cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur, ratione tamen Parochialium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ij, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse:* Hæc Concil. Ex quibus id habetur non modo Monachos sed & Abbates, interesse oportere Synodo, si Baptismalem vnam Ecclesiam aut plures habeant sibi subiectas, Abbas in cap. quod super de maioritate & obedientia. Quanquam & cum iis beneficiis destituuntur, & carent, locum sibi Abbates in Synodo de iure reperient, si sit consuetudo vt ei intersint, & videatur Episcopo eos ad illam inuitare can. decernimus dist. 18. can. Abbates 18. q. 2. cap. ex ore de priuilegiis cap. vt Apostolicæ eodem tit. in 6. can. 4. Concilij Vernis habiti in hæc verba veniant ad Synodum Metropolitani: *Et alij Episcopi, vel Abbates, seu Presbyteri quos ad se Metropolitanus venire iusserint, ibidem in secunda Synodo conuenire faciant, & Residentibus in Synodo venerabilibus Episcopis & quam pluribus alijs Sacerdotibus, & Abbatibus, stantibus Diaconis adstante quoque reliquorum graduum Clero, venit Stagloardus.*

Tertiò ad Synodum coire debent Parochi cap. quod super his 9. de maiorit. Suession. Synodus, ad S. Medar. *Præparati quatenus & exteris Ecclesiis noti sint, & studium a prouidentiam Episcopi ad alienam exemptam manifesta sint,* Conc. Par. sub Ludo. & Loth. li. 1. can. 26. Præterea Laici iudices de quorum munere, insignis locus in Conc. Tolet. 4. can. 3. his verbis. *Omnes autem qui causas aduersus Episcopos, Iudices, ac Potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium concurrant, & quæcumque examine Synodali, à quibuslibet prauè vsurpata inueniuntur; regij executoris instantia, instissime his quibus iura sunt, reformentur, itaut pro compellendis iudicibus, vel secularibus viris ad Synodum, Metropolitani studio quidam executor à Principe postuletur.*

Hæc de Episcopali Synodo an eiusque habendæ forma, quæ est à Prouinciali Metropolitanorum aliquantulum diuersa. Nam si Hispanis Antistibus habenda fides, proximè citato Concilio, vna omnes ad ianuam templi stantes Episcopi, sub horam diei primam, ante solis ortum inducebantur ab ostiariis in ædem sacram sessuri, tum singulos sibi præsentes per se aut alium adhortatur Episcopus ad communem salutem, dicendamque sententiam, vt oportet, magno animo.

Cohortationem hanc excipit, designatio certorum hominum, qui Episcopo sint à consiliis, cum promotore, seu secretario Synodi, cuius hoc primum munus est, omnes nominatim appellare,

Digitized by Google

quos ſynodo intereſſe oportet: Appellati autem reſpondent, *Adſum*, & illico ad Epiſcopi tribunal, cum hac voce ſe conferunt, oſculaturi eius manum, in ſignum obedientiæ, quam ei tenentur reddere cap. quod ſuper de maiorit. tum iubentur omnes ſedere loco ſibi proprio, abſque cuiuſquam præiudicio.

Seſſionis autem huius inter præſentes ratio, eſt talis. Primo loco, ſedet Epiſcopus, qui ius dicit in Synodo: exinde (ſi qui alij fortè ſint Epiſcopi) ordinationis eorum habenda erit ratio, non præeminentiæ, aut ordinis Eccleſiarum quibus præſunt, ſic vt ſecundùm tempus & ordinem conſecrationis ſuæ reſideant. Concil. Tolet. 4. can. 3. Arelat. ſub Carolo Magno in principio.

Proximè, Epiſcopo ſuo cohærent Canonici Cathedralis Eccleſiæ, cùm capitulariter proceditur. Quartus locus Abbatibus conſecratis, ac initiatis eſt debitus. Quintus Commendatariis. Sextus dignitatibus. Septimus Procuratoribus Decani, aut Abbatum. Octauus Parochis. Nonus Capellanis. Ita Genuenſis in praxi, cap. 89. Piaſecius Prax. Epiſc. c. 2. art. 1. par. 2 n. 7. Decimus laïcis, ſi qui ad eã acciti erunt. Tarrac. Conc. can. 13. vt debent, cùm de eorum rebus agitur, 35. q. 5. can. ad ſedem, aut motus timetur, ad quem comprimendum neceſſaria eſt eorum authoritas, ac Regis, cuius vices ac perſonam ibi ſuſtinent, aut de rebus agitur, quarum diſcuſſio, notitiaque magis propriè eſt eorum, quam Clerici. *Adſint etiam vnuſquiſque Epiſcopi eruditi viri, quos ad Chriſti militiam, cinſque honorem præparat, quatenus & exteris Eccleſiis noti ſint, & ſtudium ac prudentia Epiſcopi, ad aliorum exempla manifeſta ſint.* Conc. Pariſ. ſub Ludou. & Lothar. lib. 1. can. 16. Eſtque de hoc hominum genere, eorumque munere, inſignis locus in Concil. Tolet. 4. can. 3. his verbis. *Omnes autem qui cauſas aduerſus Epiſcopos, Iudices, ac potentes, aut contra quoslibet alios habere noſcuntur, ad idem Concilium conuiuant, & quæcumque examine ſynodali, à quibuslibet prauè vſurpata inueniuntur, regij executoris inſtantia iuſtiſſimè, his quibus iura ſunt, reformentur, ita vt pro compellendis iudicibus, vel ſæcularibus viris, ad ſynodum Metropolitani ſtudio, quidam executor à Principe poſtuletur.*

Hæc de Epiſcopali ſynodo annua, eiuſque habendæ forma, quæ eſt à prouinciali Metropolitanorum aliquantulum diuerſa. Nam ſi Hiſpanis Antiſtitibus habenda fides, in proximè citato Concilio, vnà omnes ad ianuam templi ſtantes Epiſcopi, ſub horam diei primam, ante Solis ortum introducebantur ab oſtiariis in ædem ſacram, ſeſſuri in præparatis ad eam rem ſedibus, ſecundùm ordinationis ſuæ tempora. Poſt eorum tergum, corona facta de Epiſcoporum ſedibus, Presbyteri ſedebant, Diaconi in Metropolitani, & aliorum Antiſtitum conſpectu ſtantibus. Quos tandem inductis laïcis, de quibus nos proximè, ac concilij Notariis, foribuſque templi obſeratis, Archidiaconus Metropolitani nomine præſentes compellans, iubebat omnes orationi inſiſtere, quæ vt Deo gratior accideret, ruebant omnes in genua, tacitique Eccleſiam commendabant Chriſto ſeruatori, nec ſurgere antè permiſſum erat, quàm finita oratione ſenioris Epiſcopi, clarè pronuntiata, & diſtinctè, ſingulis ab Archidiacono ſedendi poteſtas fieret; eratque tum intueri Diaconum, alba indutum, cum canonum codice: ex quo de Metropolitani mandato, depromebat capitula de agendis conciliis. Quibus auditis hæc erat Metropolitani oratio ad Concil. *Eccè ſanctiſſimi Sacerdotes, recitatæ ſunt ex canonibus priſcorum Patrum ſententiæ de Concilio celebrando: ſi qua ergo quempiam veſtrum actio commonet, coram ſuis fratribus proponat, tunc ſi aliquis, quamcumque querelam, quæ contra canonem agit, in audientiam ſacerdotalem protulerit, non priùs tranſeatur ad aliud Capitulum, niſi primum, quæ propoſita eſt actio terminetur.* Hæc Concil. Ex quibus, quid in modo ambæ ſynodi Epiſcopalis, ac Prouinciæ inter ſe differant, colligere cunctis eſt facile. De habitu autem quo quiſque vti tum deberet, dicere non eſt neceſſe, cùm ſit palam, Clericos ſine tonſura & talari toga, nunquam: ſed tùm maximè ferendos non fuiſſe, Odonis quidem Epiſcopi Pariſien. fuit olim hoc præceptum, *vt induti albis & ſtolis intrent Sacerdotes ſynodum illam, quæ celebratur tempore Paſchali, illam verò quæ fit Septembri, ſuperpelliciis tantùm & ſtolis.* Ita Statuta ſynodalia Odonis cap. 1. num. 3.

QVÆSTIO XXVII.

Res in Synodo tractandæ ab Epiſcopo quales,

SEnſus eſt quid agitari, quid ſtatui, quid à Synodo & Epiſcopo definiri oporteat.

Communia ſunt iſta. Primò, profiteri fidem ex formula præſcripta à Pio 4. in Bulla quæ incipit iniunctum, ac ex ea hereſes tam nouas, quàm antiquas damnare, quod facere Epiſcopum oportet in prima ſynodo à ſui promotione, & Parochos omnes, ſi tunc primum, cœtum celebrant à commiſſa ſibi Parœcia. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. de reformat. Antequam tamen id Epiſcopus, cæterique faciant, prohibetur ſub pœna excommunicationis omnibus, ne diſcedant ante obtentam facultatem, id eſt, ſynodum finitam, & acceptam benedictionem.

Secundò, proponere difficultates ſuæ Eccleſiæ, de remediis inquirere, cuique in ea ſynodo licitum.

Tertiò, de nocentibus queri, litem eis intendere, Epiſcopi iudicium implorare: quod facere quoque laïcis contra Clericos eſt permiſſum, & his aduerſum illos. Tolet. 4. can. 3. licitum tamen accuſatis, cauſam à ſynodo ad ſæculares Iudices transferre, ſi fundetur in actione reali, ac vero perſonali, non tamen notoria. Zabarella in cap. graue de præb. Piaſ. parte 2. praxis art. 1. n. 9.

Quæ ſequuntur propria ſunt locorum vbi ex præſcripto Trid viuitur.

Primum, vt in eo cœtu conſtituantur viri numero 6. docti & graues, qui ordinandos ad curata beneficia examinent. Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.

Secundum, vt decreta legantur de Curatorum reſidentia, deque præſentia Parochorum, aut alterius de illorum licentia, ad validitatem Matrimonij.

Tertium, vt certi deligantur homines profeſſione Clerici, qui rationes recipiant, exigantque adminiſtrati ſeminarij.

Quartũ, hoc tunc eis in mandatis dandum eſt, vt quotannis examinẽt, quàm benè & vtiliter redditus eius ſint collocati, & in quos vſus. Trid. ſeſſ. 23. ca. 18. & quia oportet Epiſcopum & Parochos inuigilare ſaluti publicæ, fracta reſtaurare, diſſipata colligere, rudes ad beatè viuendum inſtituere:

ob eam cauſam habere debet Epiſcopus in diuerſis prouinciæ ſuæ locis, qui animaduertant, ecquid pecce: populus, ecquid magiſtratus, ecquid Clerici, vt de eo per illos monitus, vulneri ſalutarem manum afferat, can. Epiſcopus 35. q. 6. meminique in eam ſententiam hæc ſcripta in Conc. Sueſſ. ſub Pipino: *Nos vna cum conſenſu Epiſcoporum ſiue Sacerdotum, ſeu ſeruorum Dei & Optimatum, eorum conſilio decreuimus, vt annis ſingulis Synodum renouare debeamus, vt qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem peruenire poſſit, & vt amplius hæreſis in populo non reſurgat laboremus.*

A *nec tam conſtitutione canonica, quàm inſtitutione diuina.* Innoc. 3. in cap. inter corporalia 2. de tranſlat. Epiſc.

B

DE EPISCOPI POTESTATE.

QVÆSTIO I.

Epiſcoporum poteſtas quæ, & quanta ſit circa abſolutionem à peccatis.

ASſertio 1. *Epiſcopo cura eſt omnis ſuæ Diœceſis*, Quia hæc ei à Pōtifice eſt cōmiſſa. Secūdo, quia ſpiritualia omnia regit, 10. q. 1. can. regendæ, & primo ad eum ſpectat beneficiorum omniū collatio & inſtitutio in ſua Diœceſi 16. q. 7 can. nullus omninò, de officio ordinar. cap. conquerente, cap. ex frequentibus de inſtitut..

Aſſertio ſecunda. *Epiſcopus abſoluit in foro animæ de omnibus caſibus Papæ non reſeruatis*, cap. Deus qui de pœnit. & remiſſionib. eſt enim rector & confeſſor ordinarius ſuæ Diœceſis, Angelus ver. Confeſſio 3. num. 3. Piaſec. in praxi Epiſcop. parte 2. cap. 1. art. 2. & ſine alia facultate, diuerſa ab ea quam recipit in ſua ordinatione, quia eſt Ordinarius & proprius iudex fori Eccleſiaſtici in ſua Diœceſi, 2. quæſt. 1. can. de perſona & cap. conquerente de Offic. Ord. quare pœnitentes iure abſoluere poteſt, non inferiores Presbyteri, quibus ad eam rem, eſt neceſſaria eius approbatio, & licentia. De approbatione loquitur Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. de altero, Damaſus epiſt. 4. Leo ep. 86. ad Epiſcopos Germaniæ & Gall. Concil. Meldenſe can. 44. Hiſpalenſ. 2. can. 7. Carthag. 3. can. 31. h s verbis. *Presbyter ſine voluntate Epiſcopi non reconciliet pœnitentem niſi neceſſitas cogat abſente Epiſcopo.*

Aſſertio tertia, *Quidquid poteſt Pontifex in vniuerſa Eccleſia, pro abſolutione caſuum, eſt id Epiſcopo licitum in ſua, ſi ille id eſt Papa, ſibi ſpecialiter eos non reſeruauerit*: Ita Victoria relect. de Matrim. par. 1. n. 7. Sotus lib. 10. de iuſtit. qu. 1. art. 3. ad 2. Sanch. lib. 1. de Matr. diſp. 61. num. 3. Ratio eſt, quod Epiſcopus in ſua Diœceſi ſit paſtor ordinarius, ergo & poteſtate ordinaria prædituſ, in his in quibus eius iuriſdictionem Romanus Epiſcopus non limitat. Dixi pro abſolutione in caſibus non reſeruatis, nam cauſæ maioris momenti Papæ ſunt reſeruatæ, vt ſunt Epiſcopatuum diuiſiones, tranſlationes Epiſcoporum de loco vno ad alium, definitiones rerum ad fidem pertinentium, diſpenſatio in canonibus, & in primo & ſecūdo gradu conſanguinitatis, pro contrahendo matrimonio, vniuerſim cauſæ quæ ad primum gradū meri imperij pertinent, in ſignum ſpecialis priuilegij, primæ ſedi ſunt reſeruatæ, vt dicitur cap. 1. & 2. de tranſlat. Epiſcop. & cap. tranſlationem de Offic. *Legati*

QVÆSTIO II.

An poteſtas Epiſcoporum à Papa dependeat.

ASſertio vnica, *Etſi ſit Epiſcoporum omnium, qui præſunt populo, poteſtas ac iuriſdictio, quoad ſubſtantiam ex iure diuino, tamen quoad modum, & ordinem inſtitutionis, à ſummo Pontifice dependet.*

Pars prima habetur expreſſe in ſcripturis, omnium ſit hæc inſtar: *Poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam*, Act. 2.

Pars altera, defenditur à Caiet. to. 1. opuſcul. tract. 1. de auctor. Papæ. & Concil. Bellar. lib. 4. de Pontif. cap. 24. Sylu. verbo Papa, q. 1. Diuo Thom. in 4. diſt. 19. q. 1. art. 3. Nauar. in manuali cap. 27. num. 263. Suar de Sacrament. diſp. 25. quæſt. 1.

Probatur primo, authoritate Papæ Vigilij in epiſt. ad Eleuth. cap. vlc. & refertur 2. q. 6. can. qui ſe ſcit, vbi eſt his verbis *Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas tradidit, vt in partem ſint vocatæ ſollicitudinis non in plenitudinem poteſtatis.* hinc enim infertur. Primo, à Papa deriuari poteſtatem ad Epiſcopos. Secundo, illimitatam non eſſe, ſed ad eos contractam terminos, quos Papæ placuerit.

Confirm, ſi Papa Epiſcoporum poteſtatem cōtrahit tam quoad locū, quam peccata; ab illo haud dubiè pēdet, eorū omnis iuriſdictio, verū eſt prius, nam illis certum populum ſeu Diœceſim determinatam attribuit, extra quam eorum iuriſdictio non extenditur vt patet, cum non ſit iis integrum ſaluo iure conſcientiæ, ius alienis dicere, eorum peccata dimittere, ſecundum Vrbanum II. & Alexand. III. illum quidem can. placuit 3. diſt. 6. de pœnit. iſtum autem cap. quod autem 4. de pœnit. & remiſſion. eſt hæc Vrbani can. citato Sanctio. *Placuit vt nulli deinceps Sacerdotum liceat quemlibet alteri Sacerdoti commiſſum, ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu.* Statuitque Alexand. vbi ſupra, *cum à ſuo non iudice ligari nullus valeat, vel abſolui, remiſſiones illis duntaxat prodeſſe, quibus vt præſint proprij iudices indulſerint.* Verum eſt ergo teſtimonio horum duorum Pontificum, non poſſe Epiſcopos extra Diœceſim iuriſdictionem exercere vllam in non ſubditum, proindeque limitatam eſſe quoad locum. Eſt etiam definita quoad peccata, cum in ea quæ ſibi Papa reſeruauit ius nullum habeant. Tridentin. ſeſſion. 14. cap. 7. & canon. 1. Quid? quod Papa Epiſcopos confirmat, Iuo epiſt. 8. 36. & 44. eoſdem deponit, teſtis Gaudfridus Carnotenſ. Epiſcopus qui ab Vrbano, Epiſcopatu eſt exutus, quæ omnia indicant iuriſdictionem Epiſcoporum, iis proxime à Papa iure humano competere, non immediatè à Deo, & diuino iure.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Quid Episcopus possit circa casus reseruatos.

PRimò, absoluit ab omni censura ex delicto occulto proueniente. Trid. sess. 24. cap. 6. modò absoluendus eius sit subditus, nam cùm in alienum iuris nihil obtineat Nau. primo Concil. de offic. Ordinarij, consil. 8. quid sua illi prodesse remissio valeat non video.

Excipiendus est casus ex opinione Friderici, consilio 4. Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 25. nu. 2. & l. 14. cap. vlt. in quo Prælatus exemptus aut Monachus de Superioris sui licentia, illi se pro absolutione eiusmodi casuum submitteret. Nam cũ per hanc sui subiectionem, fiat Monachus subditus Episcopi, non videtur priuandus beneficio absolutionis à se speratæ, cùm sit gratia, quæ non est ei per exemptionem adempta.

Secundò, potest Episcopus absoluere à censuris publica Papæ reseruata, quando ad eum non est facilis aditus, per impedimenta morbi, paupertatis, & alia. Nauarr. cap. 27. num. 90. Henriq. libro 6 de pœnitentia, cap. 16. num. 1. Sylu. verbo absolutio 4. num. 5. Auila 2. parte de censuris cap. 7. disp. 1. dub. 6. concl. 2. Quia casus necessitatis, ex tacita concessione Papæ, ab itinere Romano est exceptus, alioqui non satis consultum esset fidelibus per Ecclesiam, de quo posteà copiosiùs.

Tertiò, liberat à suspensione, & irregularitate contracta à Clerico, promoto à non suo Episcopo ad sacros Ordines, sine literis sui Ordinarij, liquet ex cap. 8. sess. 23. vbi his verbis decernitur. *Vnusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur; quòd si quis ab alio promoueri petat, idei nullatenus etiam cuiusuis generalis aut specialis rescripti vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarij sui testimonio commendentur, si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à suscep torum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Quartò, in iure Episcoporum proprio, sic sunt quæ iura canonum, eorum potestati committunt, vt ea exequi inferiores Sacerdotes nequeant. Causa est, quòd peccati condonatio, iurisdictionem exigat in condonante: at hoc ipso quòd culpa aliqua ex earum albo subducitur, quarum cognitio est Sacerdotis alicuius approbati, & transfertur in numerum earum quæ ab Episcopo sunt absoluendæ, Parochus talis culpæ iurisdictionem nullam habet, sed solus Episcopus cui reseruatur. Ergo, &c.

QVÆSTIO IV.

An Episcopus absoluere possit ab hæresi occulta.

ASsertio prima. *Absoluunt Episcopi ab hæresi occulta.* Docent Puteanus in 2. 2. q. 11. art. 4. dub. 2. Fagund. de præcept. tract. 2. lib. 8. c. 8. Sa verbo Episc. num. 37. Henriq. lib. 6. cap. 14. num. 7.

Primò, quia iure antiquo id poterant, nec hæc illis potestas nouo est sublata, nempe per Bullam cœnæ. Ita Authores citati, & prob. ius acquisitum per Concil. aut concessionem Papæ, non impeditur ac tollitur per subsequentem bullam: nisi ei derogetur specialiter ac propriè, vt dicitur in cap. ex parte 8. de capellis Monachor. at in bulla cœnæ non fit vlla specialis mentio Concilij. Ergo &c.

Obicies 1. à Clem. VIII. & Greg. XIII. derogatum esse Concilio.

Respond. cum Fagund. suprà, Sanch. tomo 1. Summæ l. 2. cap. 11. num. 27. de eo authenticè & certò non constare.

Secundò, dicendum cum Sanch. loco citat. per bullam cœnæ reuocari tantũ facultates absoluendi à casibus publicis: at nobis de hæresi tantùm occulta est sermo, nihil ergo Bulla cœnæ Episcoporum potestati præiudicat.

Confirm. Per Bullam cœnæ non tolluntur ea quæ sunt iuris communis, nisi specialis fiat de illis mentio, vt dicitur in cap. 1. de Constit. in 6. sed Episcopi iure communi possunt procedere potestate ordinaria contra hæreticos, vt dicitur in cap. per hoc 17. & seq. de hæret. in 6. cui potestati expressè Bulla non derogat, ergo &c.

A nobis dissentiunt Villal. in summa par. 1. trac. 9. dub. 61. num. 1. Belloch. de casib. reseruat. par. 2. q. 1. num. 275. Sanctarell. tract. de hæresi cap. 5. dub. 5. num. 21. Homob. de exam. Eccl. pa. 2. tract. 12. c. 4. q. 19. & de statibus part. 1. c. 8. Prior tamen sententia vt probabilis, ita quoque in conscientia est tuta.

Secunda Assertio. *Hæresis de qua absoluere Episcopis est permissum, occulta esse debet, non publica.* Assertioni fides est à Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. vbi est his verbis: *Liceat Episcopis in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, idem & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantùm non eorum Vicariis sit permissum.* Erit autem occulta, si non fuerit publica. Comitol. lib. 6. Responsi. qu. 54. num. 2. publicam autem fore colligitur ex Nauar. in Summa cap. 27. num 255. si erit notoria, si manifesta, aut famosa. Atenim, quid est, inquies, notorium? *quod nititur scientia maioris partis communitatis: quid manifestum? quod nititur fama maioris partis, orta à scientibus: quid famosum? quod nititur fama maioris partis, orta ex vno sciente, vel ex indicijs, vel ex præsumptionibus illis æquipollentibus* Nauar. suprà: erit ergo hæresis eius opinione tunc occulta, si probari nequiuerit, si verbo, aut signo in apertum non prodierit: vel si prodiit, certe coram tam paucis, vt ab iis probari non possit: nec inde fama est orta, nec illa in iudicium deducta.

Progreditur longiùs, nam cap. 25. num. 73. agens de suscipiente Ordines cum peccato notorio, ait *ad hunc effectum non sufficere crimen esse famosum, aut testibus probabile sed notorium, quo ad hoc dici, quod est confessum à parte in iudicio, vel super quo est lata sententia, quæ transiit in rem iudicatam, aut est sic manifestum, vt nulla tergiuersatione celari possit.* Et paucis interiectis, subdit etiam delictum esse notorium, quando scit euidenter maior pars populi, vicinorum, aut Collegij, modò in eo saltem sint decem.

Ex quo patet primò, hæresim & aliud quodlibet crimen tandiu occulta fore, quandiu conditiones hæ omnes deerunt, aut earum aliqua: nempequod

qua. Tunc autem neceſſe eſt, vnionem fieri cum Eccleſiis vniendis vix tantùm reddituum ſuppetit, quantum eſt alendis earum Curatis neceſſarius, can. vnio 10. q. 3. can. poſtquam 16. q. 1. aut recipiendis peregrinis illac iter habentibus. Rebuff. in prax. benefic. parte 1. tract. de vnionibus beneficiorum num. 39. aut earum altera deflagrauit, vel ab hoſte æquata ſolo reparari nequit, cap. 2. de relig. domib. vel ob peſtem quæ incolas ſic eſt depopulata, vix vt è duobus pagis tanti poſſint colligi, quanti ad vnam Parœciam ſunt neceſſarij, hæc de neceſſitate. Suadet etiam vtilitas publica, beneficiorum vnionem fieri, cùm præter tenuitatem reddituum, non reperiuntur qui illa adminiſtrare, iiſque inſeruire velint.

Eodem referenda eſt Religioſorum, ac Collegiorum inopia, ad quam tollendam poteſt Epiſcopus vnum aliquod beneficium ſuæ Diœceſis, eorum Monaſterio adiungere, ſecundùm Gonzal ad Regulam 8. Cancell. Gloſſa 5. parag. 7. num. 46. quod cùm accidit, iuriſdictionem in eum locum, ac perſonas, quæ in eo habitant, retinet, cùm hæc illi competat in loca omnia ſuæ Diœceſis, cap. cùm Epiſcopus de offic. ordin. in 6. à qua iuriſdictione ne quidem eximi per legatum vnientem poſſe, colligit Rebuff. loco proximè citato, num. 50. ex cap. finali de confirmatione vtili. Quare ſi Monaſterio Parœcialis Eccleſia vnita erit per legatum, aut Papam, eam Epiſcopus viſitare poterit, non ſecus ac antè, ab ea procurationes ſolitas exigere, iuraque omnia quæ ab Eccleſiis ſibi ſubiectis iure quàm optimo repetere ſolet, niſi hæc ipſe remittenda ſibi illis crederet, quod poteſt, quia quiſque rerum ſuarum moderator eſt, ac arbiter. Hæc de cauſis faciendæ vnionis, iam de modo.

Primò requiritur Capituli conſenſus; habet expreſsè Innoc. III. in cap. Paſtoralis, de donationibus, & Alexand. III. in cap. fraternitatem 2. eiuſdem tit. Cauſa eſt, quòd vnione vnius Eccleſiæ alteri, minuantur Epiſcopatus beneficia, quandoquidem è duobus reſultat vnicum: at res abalienare Eccleſiæ, aut earum imminuere numerum Epiſcopo, inconſultis Canonicis, non eſt integrum, Alexand. III. teſtimonio in cap. proximè citato, & Rebuffi parte 1. prax. tract. de forma Vicariatus Archiepiſcop. & aliorũ collatorum, nu. 103. Vnde quoniam vniones & donationes huiuſmodi de iure non tenent, licet ſucceſſori Epiſcopi qui earum fuit auctor, eas inanes reddere ac nullas, Alexand. canone citato.

Excipiendus caſus in quo conſuetudo eſſet contraria, aut præceſſiſſet præſcriptio annorum 40. Barboſa allegatione 66. num. 18. vel vtilio fieret ab Epiſcopo tanquam ab Apoſtolicæ ſedis delegato. Naua. conſil. 10. de officio delegati. Cica dicta

Dubitatur primò, vnde & à quo reddatur beneficiorum vnio irrita.

Primò, non valet vnio niſi præcedat cauſæ cognitio, Clement. ſi vnam de rebus non alienand. quia debet conſtare de commodis eius, aut incommodis: at id eſſe nequit niſi cauſa cognita: ergo vnionem antecedere debet iuſtæ cauſæ cognitio, facta ex cauſa falſa, ſed cum forma iuris, valet, ſed eſt irritanda per ſententiam iudicis, Gloſſa in can. ſine exceptione 12. q. 2. Rebuff. in regul. de vnionibus, Gloſſa 9. caſu 2.

Cauſam Aſſertionis hanc habeo, quòd de cauſæ iuſtitia nihil regula Cancellariæ de vnionibus 22. habeat, ergo ſi aberit, valere nihilominus illa poterit, reuocanda tamen erit, quòd falſitas & ſubreptio gratiam vitient, qualis interueniſſe creditur, cùm vnio facta eſt, cauſa non cognita, Lyam. lib. 4. tract. 2. cap. 9. num. 9.

Secundò, facta ab Epiſcopo vnio irritanda eſt cùm ad eam hi quorum intereſt, non ſunt vocati, aut non eſt expreſſus valor, tam beneficij vniendi, quàm eius cui eſt vnitum. Ita regula Cancellar. 21. *Item voluit quòd petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis vniri, teneantur exprimere annuum valorem ſecundùm communem æſtimationem tam beneficij vniendi, quàm illius cui vniri petitur, alioqui vnio non valeat, & ſemper commiſſio fiat ad partes vocatis, quorum intereſt*: id eſt, in quorum præiudiciũ cedere poteſt vnio, iuxta regul. 29. in 6. *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*: indicatque Clemens in Clement. ſi vna, & Clem. ne in agro de reb. Eccleſiæ non alienand.

Hi autem quorum intereſt vnionem non fieri, in primis ſunt Patroni, Laïci & Eccleſiaſtici, ſine quorum conſenſu, ſi beneficium ſit patronatum, eius vnio non poteſt eſſe valida, ex cap. ſuggeſtum de iure Patron. & Trident. ſeſſ. 24. cap. 15.

Secundò, quia vnio eſt alienatio: at hæc eſſe nequit lege Eccleſiæ, Capitulo non probante, Clem. vltima de rebus Eccleſiæ non alienandis, Clem. ne in agro, parag. ad hęc, de ſtatu Monachor. & cap. Paſtoralis 7. de donationibus.

Tertiò, monendus eſt de vnione Epiſcopus, eius enim plurimum intereſt vnionem non fieri, cùm ea facta, collationem amittat, eo quòd beneficium ampliùs non vacabit, cap. ſicut vnire de exceſſibus Prælat.

Requiritur inſuper conſenſus inferioris collatoris, ſeu Prælati, ad quem collatio talis beneficij pertinet, quia cùm per vnionem, hoc ius ei adimatur, abhorret à ratione eam, eo inconſulto, nedum inuito, fieri.

Tertiò, cùm Epiſcopus ſeparat Eccleſias, & ex vna duas facit, aut Parochiam Monaſterio adiungit, debet redditus ad vitam neceſſarios, aſſignare Parocho Parœciæ recens inſtitutæ, ac antiquo rectori Eccleſiæ vnitæ Monaſterio, tantum ex eius fructibus relinquere, quantum eſt ei ad portionem congruam neceſſe, alioqui de validitate vnionis cauſa dubitandi iuſta ſuberit

Primò, quia talis eſt voluntas Papæ, qui eamobrem hæc inſerit literis vnionis, reſeruata portione congrua, cap. expoſuiſti de præbend.

Secundò, quia non decet, vnum quempiam creſcere, cum detrimento alterius, vt fit, cùm ab eo neceſſaria ſibi ad vitam transferuntur in alium, à Rectore ſcilicet Eccleſiæ ad Monaſterium. Rebuffus tract. de portione congrua, num. 103. Quare ei relinqui ab Epiſcopo eſt neceſſe, vnde poſſit viuere, iura Epiſcopalia ſoluere, aliaque onera ferre, ad quæ tenetur.

Dubitatur ſecundò, An Epiſcopus beneficia omnia ſuæ Diœceſis vnire valeat, ad tempus aut in perpetuum.

Poſſe, communis eſt opinio, niſi hæc ſint exempla, aut ſummo Pontifici perpetuo ac ſpecialiter reſeruata.

Prima pars habetur in cap. ſicut vnire de exceſſib. Prælator. *Sicuti vnire Epiſcopatus, atque potestati ſubiicere alienæ, ad ſummum Pontificem pertinere dignoſcitur, ita ad Epiſcopum Eccleſiarum ſuæ Diœceſis vnio & ſubiectio.*

Secunda pars probatur, hoc ipſo quòd beneficia ſunt exẽpta, aut Papæ ſpecialiter reſeruata, iuris in ea Epiſcopo nihil competit, ergo ab eo vniri ne-

queunt, conſeq. prob. vnio donationis eſt inſtar, certaque alienationis ſpecies: At quæ beneficia ſunt vnita Monaſterio hæc ſæculari Clerico, aut Monacho, conferri ab Epiſcop. nequeunt, cum ea tantum dari valeant quæ ſunt in iure ac poteſtate alienantis, autdantis, de quorum numero cum non ſint beneficia exempta aut reſeruata Pontifici, hæc ab Epiſcop. vniri non poterunt.

Confir. Minus quidpiam eſt vnire, quam conferre, ſed Epiſcopo, non eſt integrum beneficia exempta, aut reſeruata Pontifici, conferre, cum reſeruatio, ea de Epiſcoporum poteſtate, ac iure tollat, ergo, &c.

Tempora ſunt tamen, in quibus reſeruatione non obſtante, beneficia ſibi mutuo adnectere Epiſcopo non eſt vetitum, primum eſt, cum id beneficiorum paupertas exigit, tunc enim, *Poſſunt Epiſcopi tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati, iuxta formam iuris, ſine tamen præiudicio obſeruantium, facere vniones perpetuas, quarumcunque Eccleſiarum Parochialium, & Baptiſmalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, eſſi dicta Eccleſia, vel beneficia eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſeruata vel affecta.* Trid. ſeſſ. 21. cap. 5.

Secundum eſt cum Epiſcopus Seminario erigēdo dat operam, nam eius reicausa, beneficia quælibet ſimplicia, licet reſeruata, & affecta vnire ei permittitur per Trid. ſeſſ. 23. cap. 18. Tertium, cum præbendæ Eccleſiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, ſunt nimis tenues, licet etiam Epiſcopo beneficia ſimplicia, quibus eorum prouentus augeantur, iis vnire, non obſtante eorum reſeruatione generali, aut ſpeciali, Trid. ſeſſ. 24. cap. 15. de reformrt.

Dubitatur 3. An vt Epiſcopus vnire beneficia, ita poſſit eadem ſupprimere.

Omninò, modo ne quid in eo contra canones peccet, aut fundatorum voluntati, ſine cauſa neceſſaria deroget, cauſa eſt, quod ſacris in Diœceſi præſideat, quod Eccleſias eiuſdem regere, ex præſcripto canonum propriaque inſtituti ſui ratione debeat, quare ſi communis populi ſalus, Eccleſiæ dignitas, aut publica multorum vtilitas exigat, ex Eccleſia Parochiali, Collegiatam cultus diuini augendi cauſa, facere vel eandem, ob plurimis multitudinem, quæ vnius Parochiæ ambitu comprehendi nequit, in duas diuidere poterit, relicta antiquo Parocho, portione congrua, iuxta cap. delecta de exceſſib. Prælator. ac de beneficiorum ſuppreſſione ſcripſere nominatim Doctores in cap. cum acceſſiſſent de conſtitution.

Dubitatur 4. An Epiſcopo liceat beneficio penſionem imponere?

Non licere perhibent, Laym. lib. 4. tract. 2. cap. 13. Leſſius lib. 2. cap. 34. dub. 38. num. 206. ratio eſt, quod ſtylus Curiæ ius faciat, at moris non eſt Romanorum approbare penſiones quæ ſunt inconſulto Pontif. ab Epiſcopis impoſitæ beneficio.

Secundò, Eſt penſionum conſtitutio, contra ius commune, quo ſtatuitur vt beneficia ſine diminutione dentur, at in eo diſpenſare, Pontificis eſt, non Epiſcopi, ergo, &c.

Nihilominus caſus duos, eſſe in quibus, id Epiſcopo tentare, non ſit vetitum quorundam eſt, opinio.

Primus eſt, cum eius conſtituendæ cauſa iuſta ſuppetit. Ita Gigas q. 6. aliique quorum ibi meminit, qualem fore aiunt, ſi aſſignetur ſeni Parocho, non valenti amplius ſeruire vt alatur, ſi cauſa tranſactionis in lite, vt colligitur ex cap. niſi eſſent 21. de præbend. & cap. audiuimus 3. de colluſione de tegenda, ſi ad tollendam inæqualitatem in fructibus, quæ ex beneficiorum permutatione reſultat, cap. ad quæſtiones 6. de rerum permut. docetque Nauar. conſil. 43. de Simon. num. 44. his verbis. *Penſio nouem ducatorum potuit imponi ab Ordinario, duratura dum Caius teneret beneficium ſibi quæſitum per illam permutationem, ad coaquandos fructus beneficii permutati.*

Secundus caſus eſt, cum ea datur in Religioſorum ſuſtentationem ac ſubſidium, Rebuff. in practica Cancellariæ Apoſtolicæ ibi enim ſic. *Epiſcopus cum conſenſu Capituli ſui, poteſt imponere penſionem Eccleſiæ abundanti, ſoluendam ad ſuſtentationem virorum religioſorum*, de quo eſt decretalis Innoc. 9. quæ incipit Paſtoralis, de his quæ fiunt à Prælato, ſine conſenſu capit. quia tamen eam ſibi poteſtatem, vſu contrariā adimi paſſi ſunt Epiſcopi, iis ſecus aliquid facile auctor non eſſem in hac materia, quam mos Romanus, (qui legis vim habet) iis permittit, faciendi in cuiuſquam commodum ac gratiam.

Dubitatur 5. An per Epiſcopum liceat, bona vnius Parœciæ diuidere cum alia?

Sine conſenſu Fundatorum, ac Patroni, nequaquam: ratio eſt, quod ea voluerint eſſe huius Eccleſiæ, non alterius.

Secundò cum ea lege, bene de Eccleſia mereri Patroni voluerint, vt ſi quando illos ad rei familaris anguſtias redigeret inopia, eam bonorum quæ illi dediſſent, parte aliqua leuarent, non modica ſit iis iniuria, cum eo transferuntur, vnde ſibi quicquam decerpere ſit nefas.

Quid ſi bona eiuſmodi reparandæ ſint fabricæ attributa, aut alendis loci pauperibus, poteruntne annuente Epiſc. dari aliis, aut Eccleſiæ pauperioris commodis applicari?

Minimè id vero, primò, *Quia vbicunque diſpoſitio defuncti eſt certa, reſpectu cauſæ, perſonæ, loci, &c. ab Epiſcopo mutari non poteſt.* Rochus q. 15.

Secundo, legata ad vnum vſum, aut donata ad alium ſine auctoritate Principis transferri nequeūt, Clement. quia contingit de Relig. domib. & lege legat. dig. de adminiſtrat rer. ad ciuitat. pertinent.

Tertiò, quia bona illa actu ſunt fabricæ, aut ad ea ius in rem habent loci inopes, quo ſine iniuria nec hi, nec illa priuari poſſunt.

Dubitatur 6. An non modo vnire beneficia, ea diuidere Epiſcopus, ſed, & ea Eccleſiaſque, in quibus ſunt ſita, impune transferre poſſit alio?

Poſſe vt credam, inducunt me hæ cauſæ, prima, quod nihil ſit neceſſe, ea loco certo fixa eſſe.

Secunda, quod in eorum ſit iure extremas defunctorum voluntates atque ſententias explicare, eaſque ex cauſa iuſta mutare, quales occurrere poſſe, cum de beneficiorum mutatione agitur, multas ac varias, pro certo habeo.

Tertia, habent inter beneficia, locum non vltimū tam hominum, quam Virginum cœnobia, at licet hæc communiter transferri nequeant, 10. q. 3. can. quæ ſemel, vbi tamen Cœnobitarum ſalus agitur aut vtilitas, omnis eſt honeſta ratio, eorum mutandæ ſedis diſt. 16. q. vlt. can. ſi quis vult. item cum ſunt latrociniis infeſta, cum in tuta, cum perculoſa, cum ob aeris intemperiem inſalubria, diſt. 73. can. quorundam, poſſunt ergo beneficia transferri alibique voluntate Epiſcopi conſtitui.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

Quid ſit cathedraticum, & an illud exigere Epiſcopus poſsit, & à quibus.

EPiſcoporum iura bipertito diuiduntur: quædam ſunt ipſa functione, originequeſpiritualia, vt inſtitutio, deſtitutio, correctio, excommunicatio, eius abſolutio, quibus eſt initium à ſpirituali iure, Epiſcopo in ordinatione ſua collato. Alia ab eo quidem iure originem trahunt, ſed remotè, à voluntate autem Conciliorum ac Pontificis, reique æquitate proximè, qualia ſunt tria, cathedraticum, ſeu ſynodaticum, charitatiuum, & procuratio.

Eſt autem cathedraticum, cuius fit mentio in cap. conquerente 16 de officio Ordinarij, capite Paſtoralis, de donationibus, id quod Epiſcopo eſt debitum in honorem cathedræ. Bleyan. tit. de Epiſcoporum iuribus, & Canonic. portionibus, nempe quia eſt hic Matricis Eccleſiæ, ac ſedis Cathedralis Paſtor, cui Clerici, vt oues, & liberi obſequium debent, ac honorem, quem Honorius III. cap. conquerente, eos teſtari, & exhibere qualicunque liberalitate erga illum voluit, Filſacus de ſacra Epiſcoporum authoritate cap. 6. Barboſa de iure Epiſcop. allegat. 86. num 40. & tale ius exigere poſſe Epiſcopos docet Honor. III. in decret. ſua conquerente 16. de offic. iudicis ordinar.

Quid autem, & quantum eius nomine debeatur à Presbyteris Epiſcopo, docet Gloſſa ibi, totumque ſolidis duobus definit. Cui aſtipulatur Barboſa lib. 3. Iuris Eccleſ. cap. 20. Credo ego illud omni tempore non fuiſſe vniuſmodi. Nam cùm facta diuiſione Parœciarum à Dionyſio, neceſſarij commeatus ad vitam Epiſcopis deeſſent, quòd decimæ omnes Parochis cederent, præter quas alij nulli certi redditus aſſignati erant Eccleſiis, placuit Papæ ac Conciliis, concedere Epiſcopis, ius cathedratici exigendi à Parocho, id eſt, mediæ partis decimarum & oblationum, quæ tam ſibi, quàm Eccleſiæ fierent: ſic Aurelian. 1. can. 16. *Antiquos canones relegentes priora ſtatuta credimus renouanda, vt de his quæ in altari oblatione fidelium conferuntur, medietatem ſibi Epiſcopus vendicet, & medietatem ſibi diſpenſandam ſecundùm gradus Clerus accipiat, tam de propriis prædiis quàm de omni commoditate in Epiſcoporum poteſtate durantibus.*

Summa ergo quæ Epiſcopo pendebatur à Parochis, pars erat media reddituum Eccleſiæ. Quæ poſtea excreſcentibus Epiſcoporum facultatibus ad trientem eſt reuocata per Conc. Tolet. 7. can. 4. vt refertur 16. q. 1. can. conſtitutum, ac poſtmodum per Braccarenſe 2. ad duos ſolidos 10. q. 13. can placuit: ſic enim Concil. can. 2. *Nullus Epiſcoporum per ſuas Diœceſes ambulans, præter honorem cathedræ ſuæ, id eſt, ſolidos duos, aliquid aliud per Eccleſias tollat, neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi reputet in Eccleſiis Parochialibus, ſed illis tertia pars pro luminaribus Eccleſiæ, vel reparatione ſeruetur, & per ſingulos annos Epiſcopo inde ratio fiat, nam ſi tertiam partem illam Epiſcopus tollat, lumen ac ſarta tecta Eccleſiæ abſtulit.* Et quoniam in hoc genere peccabatur ab Epiſcopis Galliæ, eorum eſt caſtigata, ac repreſſa cupiditas in Concil. Cabilon. 2. ſub Carolo Magno, can. 17. his verbis: *Inuentum eſt quod in quibuſdam locis Presbyteri duodenos, vel quaterdenos denarios Epiſcopis in cenſum annis ſingulis darent, quod penitus abolendum duximus.*

Erat autem hic denarius opinione Fabricij de iuribus Epiſcoporum, idem ac nummus aureus; cùm enim ſolidus Voluſio Martiano teſte, propriè idem ſit quòd libra, quæ & As vocatur, numeruſque centenarius, ferè in pecuniarum ratione idem ſit ac habeatur, conſuetudo tulit, vt aureus qui centum continet, valeatque ſeſtertios, Hottomano teſte, in Commentar. verborum iuris, frequenter ſolidus appellaretur, hicque pro aureo, & iſte vicißim cuderetur pro ſolido, vt in lege 5. paragr. Prætor. dig. de his qui deiecer. vel effudar. comparata, & Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi delicto, paragr. item is cui.

Non fuit tamen hæc ſumma ita certa, ſtataque, vt eſſet immutabilis, nam interdum maior, minor aliàs exigebatur ab Epiſcopis, pro varietate Epiſcopatuum, & conſuetudinum quæ in iis inuetera-uerant. Zerola verbo cathedrat. parag. 1. Barboſa Iuris Eccl. lib. 3. cap. 20. num. 10. Et quanquam quibuſdam ſit probabile ius hoc cathedratici ideo ſynodaticum eſſe dictum, quòd à ſingulis in ſynodo quotannis celebranda, præſtari deberet. Barboſa ſuprà, num. 2. mihi tamen non probatur, quod Concil. Braccar. antè citat. relatumque 10. q. 3. can. 1. meminerit viſitationis annuæ, vt certi ac deſignati temporis, in quo taxam cathedratici Epiſcopus exigere conſueſſet: *Nullus*, inquit canon, *Epiſcoporum per ſuas Diœceſes ambulans, præter honorem cathedræ ſuę, id eſt, duos ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollat*, valore ipſorum computato, ſecundùm antiquam conſuetudinem cuiuſlibet Diœceſis, vt diximus anteà, quæ etſi alterari poſſit, non tamen præſcribi, eo quòd debeatur in ſignum ſubiectionis, & honorem cathedræ, quæ duo Epiſcopis, nullo quamlibet longo temporis ſpatio poſſunt adimi, cùm ſint futuri ſemper Paſtores, cum iure imperandi ſubditis ſuis, quos obſequendi neceſſitas ac obligatio, eaque perpetua manet.

Secus tamen plerique exiſtimant, nec immeritò, quid enim obſtat quo minus priuatæ Eccleſiæ, ac particulares Clerici præſcribant contra Epiſcopos, eorumque iura, cum Eccleſiæ aduerſum ſe mutuo præſcribant? Et quidem de conſuetudine præſtari poſſe argenteos ſolidos pro aureis certum eſſe docet Fabric. tractatu de aliquot aliis canonicis portionibus, num. 30. Quod probabilitate non caret, nam odia pœnæque caſtigande ſunt: at eſt hic odium, cùm in incommodum cedat Clericorum ab Epiſcopo eam ſummam exigi. De minore ergo intelligenda eſt, cuiuſmodi ſanè eſt futura, ſi ſolidi nomine non intelligatur aureus.

Sanè in multis locis cathedraticum in vſu non eſſe docet Panormit. in caput cum venerabili extra de cenſib. quod de Gallia longè eſt certiſſimũ, vt contra Niuernenſ. Epiſcopum pro Ioanne Borbonato Curione, decreuiſſe Senatum Pariſienſem ann. 1574. Decemb. 13. ſcripſere Chopp. in lib. 2. de ſacra polit. tit. 7. num. 7. & Chenut in addit. ad Papon. lib. 1. tit. 11. arreſto 5. niſi fortè Epiſcopus tueretur ſe longa iuris huius exigendi poſſeſſione, etiam fide tabuliſque probanda, Chenut & Chopp. locis proximè citatis cum Bleyano de iurib. Epiſc. num. 34.

De charitatiuo ſubſidio nihil habeo dicere niſi quòd ea voce ſignificare Scriptores velint aliquantam ſummam pecuniæ ad ſubſidium Epiſcopi ero-

gari à Clericis ſolitam, quæ cum à benevolentia oriatur dantium magis quam ab imperio poſtulantis prælati, charitatiui ſubſidij nomen ſibi vendicat, & hæc de prima quæſtionis parte dicta ſunto.

Pars fuit altera de perſonis à quibus exigi Cathedraticum, ſoluique debeat.

Dico primo, à Penſionario exigere præſulem nihil poſſe eorum quæ iure poteſt à beneficiariis. Eſt Rebuffi de pacific. poſſeſſ. num. 120. cauſa eſt, quod tam Cathedraticum, quam procuratio, & charitatiuum ſubſidium, Eccleſiis ſunt annexa aut capellis ſecundum cap. conquerente 16. de offic. Iudic. Lubet audire Honorium: Tu ergo, inquit, his iuribus in præfatis Eccleſiis contentus exiſtens, non amplius ab iis exigas, præter moderatum auxilium quod iuxta formam Lateran. Concil. ſi manifeſta, & rationabilis cauſa extiterit, cum charitate poſtulandum ſicut ab aliis Eccleſiis eiuſdem Diœceſis pro neceſſitate temporis ſuſtinemus. At penſionarius quà talis nulli præeſt Eccleſiæ, ab eo ergo quod à cæteris, poſtulare Epiſcopo non conceſſum. Deinde ſi beneficiarij pendere charitatiuum nullum debent auxilium, in Gallia, veteri regni conſuetudine, quis Penſionarium, iis iuſte legibus alliget? quis eo illum adigat? quo cogi beneficiarij nequeunt? At verum eſt, ab his in Gallia oneribus liberos eſſe Clericos, Synodatici nomine, ab his repetere nihil poſſe Epiſcopos, ergo nec à Penſionariis. Liberare vero Franciam ab Epiſcopalium ſolutione iurium Clericos omnes, vt alios præteream, ſcripſere, Choppin. lib. 2. de ſacra Polit. tit. 7. num. 7. Chenut. in addit. ad Papon. li. 1. Rebuff. in concord. tit. de publicis concubin. quod duplici quoque curiæ ſententia confirmat, quarum altera, Maleacenſi Epiſcopo, eſt eiuſmodi exactio inhibita, poſteriori, ius Niuern. antiſtiti, in eadem dictum cauſa, 13. dec. 1574. Sane ſuis eſſe ſubſidio præſulibus, ac quam poſſunt commodè, ſuis illos iuuare opibus, ſubditi nulla tenentur lege, niſi cum ad ea tempora redacti ſunt anguſtiis rei domeſticæ, vt eas aliena liberalitate, laxare ſit neceſſe. At quæ Dei eſt in Epiſcopos bonitas, quæ aduerſum illos, Regum ac fidelium caritas, abundè illis ſuppetit, vnde ſe, familiamque ſuam, honeſtè alant. Quid ergo ſubditorum implorent beneficentiam? quid ſolita ab illis caritatis officia poſtulent? Næ iuſta ergo noſtratibus hominibus eſt cauſa, quæ inopibus olim Epiſcopis auxilia corrogare permiſsũ erat, hęcvt locupletibus magnarumq; opum prælatis, non ſine Clericorum incõmodo exigentibus, cum ius domi res ſit exigua, foris nulla amodo in Gallia ne liceant prohibere.

Dico 2. *Quæ à Pontifice ad dubia Eccleſia tempora poſtulantur de redditibus Eccleſiaſticis, hæc cum Penſionario diuidenda eſſe, pro rata penſionis ac commodi quod ad eum pertinet.* Ita Doctores Innocent. in cap à nobis extra de decimis, Rebuff. de pacific. poſſeſſ. n. 120. Bleyan. de penſ. beneficiali num. 25. litera I. ad marginem. Et probatur, vt commoda ita & onera dimanda ſunt ex æquo, ne peccetur contra regulam cui initium ſecundum naturam ff. de regul. iuris in qua dicitur eum qui ſentit cõmodum, oneris expertem eſſe non poſſe, at Penſionario, non poteſt, ita non eſſe penſio vtilis, cur ergo abnueret, partem eius aliquam Eccleſiæ reddere? illiquè vt ſit bene, male ad tempus ſibi eſſe velle? Notarunt tamen proxime citati autores, non alio tempore, decimis illum eſſe Papalibus obnoxium, quam cum eius, penſio eſt in fructuum parte aliqua conſtituta quod cum Gallia, non obſeruet incidere tempora nunquam poſſunt, quibus exigendæ à Penſionario decimæ, cauſa Pontifici iuſta vlla ne poſſit.

Dico 3. Nec procurationibus ſubeſſe, harumque parti vlli, penſionarium, cauſa eſt, quod viſitati eas debeant, ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. non alij? At quid Epiſcopo commune cum penſionario? Vbi? quando? à quo & quomodo ad eius vnquam ſe tribunal iuſſus eſt ſiſtere? Equidẽ vt ſæpe hic ſoli ſibi viuit, ſine cura, poteſtate in plebem, aut Eccleſiam nulla, quid proprie in illum tẽtaret Epiſcopus, quid ſuſciperet? quid luſtraret? quod non peræque auderet in Clericum? Secundo pro luſtratione Eccleſiæ ſoluenda procuratio iuxta cap. conquerente 16. de offic. iudicis & cap. exigit de Cenſibus in 6. At penſionarius, quà talis, Eccleſiæ nulli præeſt, ergo ab eo exigenda nulla procuratio.

Dico 4. A præſtando Cathedratico Monaſteria omnia exempta eſſe, patet ex Tolet. Concil. 7. can. 4. relato à Grat. in cauſa 10. q. 3. can. inter cætera 8. vbi in ea Epiſcopo quoad hoc iuris nihil competere clare Patres enunciant, cuius rei reddi poteſt hæc cauſa. Quod Cathedraticum ad legem Diœceſanam referatur, auctore Fabric. ſupra num. 36. à qua regulariter cœnobia ſunt exẽpta idẽ ibid. habetque citatus can. Concil. his verbis. *Nam amplius quam duos ſolidos, vnuſquiſque Epiſcoporum per ſingulas Diœceſis ſuæ Baſilicas, iuxta Synodum Braccar. annus illationis ſibi expetat inferri, Monaſteriorum tamen baſilicis ab hac ſolutionis penſione ſeiunctis.*

Dico 5. *Etiam à Charitatiuo ſubſidio exemptos eſſe in Gallia Clericos, niſi eius poſſeſſio, adinuaretur antiqua poſſeſſione præcedentium præſulum*, Pars prima prob. Eſt charitatiuum ſubſidium, conceſſum Epiſcopis, in ſubſidium inopiæ, at ea non premuntur hoc tẽpore ergo vt ſubſidiaria actio, non datur niſi alia deficiente, ita nec hoc modo ſubſidiũ, ab Epiſcopis peti, cũ abũdent opibus. Ita eius exactio prohibita fuit olim à Senatu Pariſienſi, an. 1521. Epiſcopo Maleacenſi Rebuffo teſte in Gloſſa Concord. de publicis Concubin. parag. quia vero.

Pars aſſertionis altera probatione non indiget, cum conſtet præſcriptione ius acquiri ad id quod eſt poſſeſſum tanto tempore, quantum ad eam iura poſtulant. Boerius in deciſion. capellæ Tholoſanæ q 134 vbi ait à Benedicto 12. Epiſcopis prohibitum in Extrauag. vas electionis ne plus charitatiui ſubſidij, quam viſitationis nomine exigerent, eiuſq; ſententiam in cauſa Archiep. Burdegal, ſequutam eſſe curiam Tholoſanam.

QVÆSTIO VII.

Quid ſit deportus, & quorum Epiſcoporum proprius.

IVri Cathedratici adiungendum & aliud, nempe exigendi deportus quem recte definieris, ius colligẽdi redditus primi anni ex beneficio, aut aliquantæ eius partis, maioris aut minoris, pro regionibus, earumque conſuetudine. Quod quoniam annatarum inſtar habet, ſublatum eſt per Baſileenſe Concil. effectu tamen irrito, cum ei decreto conſuetudo, moſque Galliæ oppoſitus præualuerit quem ſequuti iudices, Archidiacono Sabolienſis Eccleſiæ anno 1581. partem redditiuum tertiam Ec-

Digitized by Google

tiam Eccleſiæ Parochialis ſancti Germani Nouio- A
dunenſis addixere, centum autem & quinquaginta aureos Iacobo de la Saulſaye Generali Archiepiſc. Rothomagenſis Vicario annis ab ea ſententia reddita quinque, quos deportus nomine, ſibi narrabat eſſe debitos à conductoribus fructuum Parochiæ *de Guiry*. Quo de iure, Iudicumque decretis, Chop. de ſacra polit. tit. 8. & l. 3. tit. 3. cui quod addam nihil occurrit, niſi quod habent fautores deportuum à conſuetudine memoriam omnem ſuperante, ac Ioannis 22. auctoritate, vnde eos, ſeque defendant: Extrauag. enim ſuſcepti 2. de electione, ait Pontifex habenti annalia de conſuetudine, priuilegio vel ſtatuto, fructus primi anni, vel minoris temporis, beneficij vacantis applicari in totum poſſe, aut ex parte: ex quo concludunt Authores, prædictum deportum non eſſe B
canonum lege illicitum.

Eius autem exigendi Epiſcopis, & Archidiaconis, cauſa duplex. Prima eſt conſuetudo antiquior omni memoria, quam, cùm eſt talis, canones non modò non improbant, ſed ſeruari iubent: ita cap. 42. de ſimonia mandatur Epiſcopis vt operam dent, ne conſuetudines quæ cum laude introductæ ſunt in Rempublicam, eas patientia ſua emori ſinant, qua inducta cauſa tractatu de ſimonia, oſtendi ſimoniam non eſſe, temporale accipere, non tanquam pretium rei ſpiritalis, ſed tanquam debitum ratione legis aut conſuetudinis antiquæ, quia in eo caſu deeſt ratio pretij.

Secunda eſt inopia, qua Epiſcopos & Archidiaconos ſæpè premi cùm accidat, hanc ſacris beneficiorum redditibus, cùm vacarent, ſubleuari oportuit. C

Neque cùm beneficia nomino, omnia intelligi volo, cùm præter Parochias, nulla alia onere hoc grauentur. Bleyanus in Theoria, tract. de Annat. deportib. iure Regal. & aliis ſimilibus. Forgetus de perſon. Eccleſiaſticis, cap. 41. cæterorum tedditus, futuro ſucceſſori ſeruantur, de quo nos pluribus, tract. de beneficiis.

Inducitur autem deportus in beneficia, primò per ceſſum, vt cùm reſignantur. Secundò, per deceſſum, id eſt obitum Parochi Tertiò, per eorum permutationem mutuam. Forgetus cap. 41. de perſonis Eccleſiaſt. quare etſi hāc iterari ſæpiùs in anno accidat, non tamen multiplicari deportum neceſſe erit, ex eod. ibidem num. 3. Quartò, initium eſt deportui Parochiarum in Gallia, à litigio, & non promotione Parochi ad Sacerdotium: cùm enim propter litem motam inter competitores Parochiæ, aut non ordinationem eius, cui eſt hæc commiſſa, rectore careat, cùm peræque ſit nullum habere, ac ei præeſſe, qui Sacramenta miniſtrare nequeat: ad Archidiaconum pertinet, dictam Eccleſiam conductitiis Sacerdotibus committere, ideoque fructus eius occupare, quibus illorum operam compenſet. Louetus in Arreſt. litera D. art. 61.

Vbi notandum eſt primò quod de litigio dicitur, occaſione cuius Parochia in ius deportus cadit, locum non habere, cùm authoritate iudicum alteri collitigantium recredentia eſt conceſſa. Chopp. 1. de ſacra polit. tit. 3. quia tunc habet Parochia qui eam regat, & cui fructus dari debent, cum obligatione tamen eos repræſentandi ſi cauſa cadat.

Notandum ſecundò prouentus Sacerdotij ab Archidiacono iure percipi non poſſe, ob Ordinem Presbyterij à Parocho non ſuſceptum, niſi poſt exactum tempus ad eam rem requiſitum iure canonum: quia deportus non ſe aperit in beneficiis Parochialibus, niſi cùm vacant: At Parochia deſtituta poſſeſſore non cenſetur, ob defectum ordinis, quo hic initiandum ſe non curauit, niſi poſt annum à pacifica eius poſſeſſione, vt dicitur in cap. licet canon, de electione in 6.

Quæſitum eſt ſecundo loco, an ius colligendorum deportuum, Epiſcoporum ſit omnium, an aliquorum tantùm: & quorum?

Quo de genere quæſtionis, duo duntaxat habeo dicere. Primum Neuſtriæ Præſulibus omnibus, Papa ſciente, nec tamen reclamante debitum eſſe: Exinde Archidiaconis Pariſienſibus, quos illud ſibi ad tempus ſumere, proindeque compoſitione aliquantæ ſummæ pecuniæ, ab eo ſolitos eſſe Sacerdotes integrè ſe redimere, narrat Fabricius, quod & Tulli in Lotharingia fieri, habet conſuetudo communis, Pontificum auctoritate probata.

Secundum in Neuſtriæ muratis vrbibus Epiſcopali ſede conſpicuis, ius hoc deportus longius non eſſe triduo, ac tribus hebdomadis. Forgetus cap. 41. de perſonis Eccleſiaſticis. num. 2.

QVÆSTIO VIII.

Quid ſit procuratio, & an eius exigendæ Epiſcopi ius habeant.

ESt procuratio in Epiſcopo cùm viſitat, ius annonæ recipiendæ, quam Archidiacon. in cap. 1. de cenſibus in 6. ait eſſe prandium aut cœnam. Barboſa refectionem, vtcunque res habeat, quoad rei dandæ qualitatem ac ſpeciem, de qua poſtea: hoc conſtat, procurationes Epiſcopo eſſe debitas, cap. procurationes, cap. cum venerabilis, cap. cum nuper de cenſibus: quo verò iure, & quare has ſibi vendicare hic poſſit, iam videndum.

Dico primò, *Procurationes iure naturali non eſſe Epiſcopo debitas.* Primò, quia à multis poſt viſitationem non dantur.

Secundò, quia alunde habent Epiſcopi reditus, ad hæc ſuſtinenda onera ſufficientes ac idoneos, nec enim iis conceſſi videntur ob alium finem, quam vt exequantur quæ ſui ſunt muneris, cuius pars eſt non vltima, viſitare. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. D

Tertiò, Quæ ſunt iure naturæ, alicui ab alio debita, ob operam præſtandam, hæc exhibenda ſunt operanti, tam à paupere, quàm diuite, quorum causâ ille laborat, ſed à procuratione, liberæ ſunt pauperes Eccleſiæ, cap. cum Apoſtolus, de cenſibus. Ergo Epiſcopo non eſt hæc debita iure naturæ.

Dico ſecundò, *Procurationes Epiſcopo ſolvendas eſſe iure Eccleſiaſtico*, præter canonea allatos, rem conficit Sueſſionenſe Concil. ſub Pipino, ann. 744. his verbis: *Quando iure canonico Epiſcopus circumit Parochiam, ad confirmandum populum, Abbates & Presbyteri parati ſint ad ſuſcipiendum Epiſcopum, in adiutorium neceſſitatis.* Eodem pertinent ſcripta in Conc. Later. ſub Innocentio III. can. 33. *Procurationes quæ viſitationis ratione debentur Epiſcopis Archidiaconis, etiam Apoſtolicæ ſedis legatis, aut Nuncijs alſque manifeſta & neceſſaria cauſa nullatenus exigantur.* A quibuſnam verò? ab Abbatibus, Diaconis & Presbyteris, quibus incumbit ante cæteros, Epiſcopo exhibere obſequium, honorem, & victum. *Placuit, vt tam à*

à Presbyteris, quam ab Abbatibus, & Diaconibus Episcopo honor debitus impendatur, vt à nullo contumeliam pati videatur, & quandocunque contigerit eum, iuxta canonicam sententiam, visitare suam Parochiam, & digne eum suscipiant, & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi præparent quæ fuerint necessaria. Concil. Emerit. can. 11.

Neque à Clericis modo commeatum hunc exigi sed à populo quoque solitum esse, indicant hæc verba Synodi Francicæ sub Carolomanno Principe: *Quandocunque iure canonico Episcopus circumit Parochiam ad confirmandos populos Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione & adiutorio populi qui ibi confirmari debet.* Et in Cabillon sub Carol. can. 14. *Si quando eis ad peragendum ministerium suum à fratribus aut subditis aliquid est accipiendum, cauendum est ne quem grauent.*

Dico 3. *Causam exigendæ procurationis esse duplicem.* Prima est Episcopi necessitas. Secunda, inueterata in populo eius exhibendæ consuetudo. Prioris fit mentio in Cabillon. Concil. sub Carolo Magno can. 14. his verbis. *Si quando eis ad peragendum ministerium suum à fratribus aut subditis aliquid accipiendum est, hoc summopere obseruare debent ne quem scandalizent aut grauent, tanta ergo in hac re discretio tenenda est, & vt Verbi Dei prædicator, sumptus vbi proprij desunt à fratribus accipiat, & isti fratres illius, potentia non grauentur.* Clarius in Parisiensi sub Ludou. & Lothar. lib. 1. can. 32. his verbis, *Et quanquam auctoritas canonica doceat, vt quarta pars decimarum & reddituum ex oblationibus fidelium, in vsus Episcoporum cedat, vbicunque tamen Episcopus sua habet, suis contentus sit, vbi autem nihil rerum Ecclesia suæ habet, accipiat de memorata quarta parte sibi, suisque, non quod auaritia, quod absit, suaserit, sed potius quod necessitas compulerit, cæterùm si accipiendi nulla necessitas vrgeat, nihil de memorata quarta parte accipiat, sed vsibus Ecclesiarum, & pauperum eleemosynis impartiendam secundum suæ dispositionem relinquat.* Eiusdem sententiæ fuerunt Episcopi in Conc. Suession. sub Pipino, nam ibi sanxere visitantem Præsulem recipi ab Abbatibus oportere, *in adiutorium necessitatis.*

Meminere consuetudinis, Concilia Valentinum sub Lothario can. 22. & Trid. sess. 24. cap. 3. ibi enim prohibetur Episcopis, cæterisque, quibus ius est aliquod visitationis instituendæ, ne quidquam procurationis causa, pro visitatione testamentorum ad pios vsus capiant, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili, supponit ergo Concilium, habere Episcopos, & alios à consuetudine, ius procurationis exigendæ. Quæ causa est, cur in quibus locis, seu prouinciis, vbi mos obtinuit, vt nihil sibi Episcopus visitans vendicet, peccatum sit illum ab ea discedere, Trid. sess. 24. cap. 1.

QVÆSTIO IX.

Quibus in rebus fieri procuratio debeat, & an semper sit debita.

PRocuratio esse in victualibus ac potu debet, non pecunia, cap. 1. de censibus in 6. can. relatum 10. q. 3. nam Episcopo exhibetur à subditis suis hospitalitatis nomine, ac in signum subiectionis, vt scripsere Turrecr. 10. q. 1. de Graphiis deciſionum parte 2. l. 3. cap. 27. num. 85. At quid hospitalitati commune cum pecunia? quid non autem cum mensa, ad quam admittitur, Episcopus ab his ad quos diuertit? Quod si res suas sibi hic habere malit, ac conducto vti, quam domo communi, vbi alatur impensis communibus vrbis, aut pagi: *Huiusmodi dispensa contentus erit,* inquit can. 15. Concil. Ticinensis sub Ludouico 2. *Panes 100. fristringas 4. vini sextaria 50. pullos 7. ova 50. agnum vnum, annonam ad Caballos, modios 6. fœni corbes, tres, mel, oleum, cera quod sufficit.*

Quæ omnia sic sunt moderati Patres Concilij Parisiensis sub Ludouico & Lothario Ludouici liberis, vt ius procurationis, negauerint vlli esse debitum, præterquam pauperi, ac ex matrice Ecclesia redditus non habenti. Enimuero, vbi Patres Episcopos monuere, vt tempori Parochiam obeant, ad idque partem decimarum quartam: & redditum ex oblationibus fidelium, in eorum vsus instituto veteri Ecclesiæ cedere, hæc addunt: *Vbicunque tamen Episcopus sua habet, suis contentus sit, vbi autem nihil rerum Ecclesiæ suæ habet, accipiat de memorata quarta parte sibi, suisque non quod auaritia quod absit, suaserit, sed potius quod necessitas compulerit, cæterum si accipiendi nulla necessitas vrserit, nihil de memorata quarta parte accipiat sed vsibus Ecclesiarum & pauperibus Christi impartiendam secundum suam dispositionem relinquat.*

Hæc canon, à quo dissentire videtur Concil. nam sess. 24. cap. 3. vult liberum Episcopis esse, procurationis nomine victualia petere, aut eorum loco, pecuniam à visitatis, cum sponte offertur, quia hæc ab inuitis exigi nequit cap. Fœlicis, de censibus in 6. *recipi tamen licite potest pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus quibus visitationis officium personaliter exercebunt,* Bonifac. VIII. cap. fœlicis citato.

Quantam autem hanc esse oporteat nescitur, communis est responsio petita ex constitutione Benedicti in Extrauag. quæ incipit vas electionis, prouinciarum singularum rationem habendam esse, quæ enim alicubi viliſſime vænuntur, stant alibi cariſſime, vna ergo, eademque prouinciis omnibus, statui regula nec potest in hoc genere, nec debet.

Quid? quod Ecclesiarum omnium pares non sint redditus, quod inter Parochos magna sit in opibus diuersitas? non est ergo æquum iisdem omnes impensis sumptuque grauari. Quare ab iis *stipendia cum caritate, non autem cum iudiciaria inuectione sunt postulanda,* inquit Cabill. Concil. 2. can. 14. quod fiet si attentis Ecclesiarum facultatibus, ac pensatis vt dicitur in cap. conquerente de offic. ord. & cap sopitæ 14. de censibus, aliisque circunstantiis, non amplius exigent Episcopi quam moderata, honesta tamē tam sua, quàm suorū refectio postulat. Et quoniam Asseclarum numero, profusione sumptuum, epularum pretio ac valore, quas in mensam inferri, sibique apponi, volebant Episcopi, quidam subditis sibi populis, vltra modum graues erant, sanxit Lateran. Conc. sub Alexand. III. can. 4. *Quod Archiepiscopi Parochias visitantes pro diuersitate prouinciarum & facultatibus Ecclesiarum 40. aut 50. electionis numerum non excedant, Episcopi 20. vel 30.* Longe minus Hispania Episcopis suis quod metueret ne in procurationibus exigendis subditis oneri essent, ac ijs querendi de se materiam darent permissum esse voluit, nam nec iis excedere quinarium electionis numerum nec amplius quam vna die, per vnamquāq; Basilicam,

Digitized by Google

remorari illis integrum ne eſſet decreuit. Conc. Tolet. 7. can. 4.

Quæſtionis pars altera fuit : Ecquid eſſet procuratio omni tempore debita Epiſcopo? Id verò vt credam adduci nequeo. Primò, quia excuſat Eccleſiæ neceſſitas. Secundò, quia aduerſus Epiſcopum, eiuſque iura, conſuetudo non omnino illaudabilis ac culpanda, eam non dandi prævalet, quo in caſu omnium eſt opinione, indebita, cùm conſuetudo præſcripta, & rationabilis, vim legis habeat. Maximè autem ab his non eſt ſoluenda, qui locum, ab ea exhibenda Papæ voluntate, ac indulgentia exemptum habitant. Emma. tomo 2. quæſtionum regularium, qu. 67. art. 7. Quia tantùm in hoc genere, vt quàm parciſſimè dicam, Pontifici, eiuſque beneficio debet tribui, quantum conſuetudini præſcriptæ & rationabili. At hæc procurationis exigendæ ius Epiſcopo adimit, iuxta cap. cùm ex officio de præſcriptione : ergo & à Papa conceſſa exemptio.

Secundò, etſi poſſit Epiſcopus Pauperum hoſpitales domos inuiſere ſua ac prædeceſſorum auctoritate fundatas, cap. 1. de cenſibus in 6. vel ſi habent ſigna religionis vt campanile cum campana, & ibi celebrantur diuina. Archid. de conſecr. diſt. 1. can. nemo. Graphius deciſionum partis 2. l. 3. cap. 27. num. 46. & 103. Inuiſenti tamen nulla debetur procuratio, quia rationis non eſt ac prudentiæ, ab eo quid peti, qui vix ſibi habet, vnde victum & veſtitum moderatè colat. Genuenſis c. 35. num. 9. verſu 94. cuiuſmodi hoſpitalia eſſe nemo opinor ibit inficias : quare quod de leproſorum domibus Genuenſis aſſerit, valet quoq; haud dubiè in reliquis.

Tertiò, nec procuratio vlla eſt Epiſcopo debita, niſi obeunti per ſe, ac perſonaliter, vt aiunt, prouinciam aut locum. Innoc. III. in Lateranen. Conc. can. 33. *Procurationes quæ viſitationis nomine debentur Epiſcopis, nullatenus exigantur niſi quando præſentialiter viſitationis officium impendunt.* Idem ſtatutum in cap. procurationes, de cenſibus, & cap. 2. eiuſdem tit. in 6. illic enim dicitur procurationem Epiſcopo quidem deberi, quod repetitur cap. Fœlicis, eod. tit. & capite ſi Epiſcopus, de officio Ordinarij in 6. at propriè non viſitat, qui vicaria ad id alterius opera vtitur, quem in eam rem adhibendum exiſtimat. Quare cum diceret Guillelmus de portu feritatis Gaucherij, ſibi ab Epiſcopo Meldenſi factam iniuriam, quod etſi Parochiam ipſe ſuam, per ſe non luſtraſſet, iuberetur tamen procurationes ſolitas ipſi pendere, non ſecus, ac ſi alieno ad id miniſterio non eſſet vſus. A Pariſienſi Senatu eſt auditus, omniumque calculo liberatus ab eo onere, *Roullard*, in forenſib. actione 5. Chopp. de ſacra polit. l. 2. tit. 7. numero 11. Nulla ergo procuratio Epiſcopo ſolui debet, niſi per ſe prouinciam obeunti, aut ſi eſt danda, non ſanè alia, quàm quæ labori reſpondeat viſitantis, cap. ſi Epiſcopus, de offic. Ordinarij in 6. de Graphiis deciſion. loco proximè citato numero 97.

Quartò, nihil eſt Epiſcopo debitum pro vecturis, aut equorum ferraturis. Genuenſis cap. 35. n. 9. Barboſa allegat. 73. num. 57. niſi hi & illæ ad delegati & Papæ dignitatem facerent, ei enim quicquid eſt ad commodam impoſiti ſibi muneris functionem neceſſarium, benignè, ac liberaliter dari debet. Gloſſa in Clement. 2. de cenſibus, verbo voluerint.

Quintò, in procurationibus habenda tantùm A eſt eius diei ratio, quo Epiſcopus viſitat : quare ſi à loco quem luſtrari oportet, magno locorum ac itinerum interuallo abſit, quò proinde perueniri, nec inde domus repeti poteſt, ſine expenſis pluſquam mediocribus, hæ nec Parocho, nec fidelibus præſtandæ erunt, ſed eius diei tantùm, quo illis ſuam operam collocat, idque in victu & potu, cap. cùm ſit Romana, de ſimonia 10. & cap. Epiſcopum, cap. placuit de cenſibus & 10. qu. 1. can. decreuimus.

Excipiendus eſt caſus, in quo oporteret Epiſcopum ibi ſubſiſtere, ex cauſis, ad viſitandorum bonum, & ſalutem neceſſariis, cap. conquerente, de offic. Ordinar. tunc enim cùm tantam, & tam B longam Epiſcopi in terris ſuis moram imputare ſibi debeant, eos quoque onera ei adiuncta ferre, æquitatis eſt ac prudentiæ.

QVÆSTIO X.

Quibus ius Procurationis annuæ ſit debitum.

PRimò, pertinet ad Epiſcopos, ſecundùm Innoc. III. in Later. Conc. Valentinum ſub Lothario in Francia. Competit etiam Abbatibus. Hoſtienſis in ſumma de cenſib. num. 19. Chopp. lib. 1. Monaſticam tit. 2. num. 12, vbi tradit ſanxiſſe Senatum, anno 1578. rata eſſe debere, quæcunque ab Abbatibus Ciſtercienſibus, Monaſteria ſua, ex forma ſibi præſcripta per regulas viſitantibus, decreta eſſent. C

Secundò, ſanxit Innoc. eius nominis tertius, vt cõmunibus ſuffragiis, eligerentur in Capitulis eiuſdem Ordinis, quæ de triennio in triennium in ſingulis regni, prouinciis fieri voluit. *Religioſæ ac circumſpectæ perſonæ quæ ſingulas Abbatias eiuſdem regni ſine prouinciæ, non ſolum Monachorum, ſed etiã Monialium, ſecundùm formam ſibi præfixam, eius vice viſitarent* Concil. Later. ſub Innoc. can. 12.

Tertiò, quemadmodum qui præſunt prouinciæ, in Mendicantium Ordine, quos communiter Prouinciales Præpoſitos nominant, ſingulis D annis clauſtra Monialium, quas poteſtati ſuæ obnoxias habent, luſtrare Papæ imperio debent, Clement. attendentes, de ſtatu Monachor. & in Trid. ſeſſ. 7. cap. 8. ita & ab iis, quantum ſibi eſt neceſſe ad victũ, à Monaſterio vnde diſcedunt ad aliud quò tendunt, exigere ſine culpa, eiuſque ſuſpicione vlla poſſunt. Cùm enim is qui viſitatur, in pecunia numerata procurationem mauult ſoluere, quàm in paſtu aut victualibus, eſt id ei per canones licitum. Trid. ſeſſ. 24. & cap. Fœlicis, de cenſib. expreſsè, ſaluo tamen iure Conuentionum veterum, quas ad vnguem obſeruari, & integras, in- E concuſſaſque permanere oportere ſtatuit. Trid. ſeſſ. 25.

Quid ſi in ea vrbe, vbi ſedes eſt viſitanti, fixa, & ſtabilis, loca ſint, quæ ab Epiſcopo, Abbate, aut Prouinciali viſitari eſt neceſſe?

Reſpondend. etiam tùm, iure communi, procurationem iis non negandam eſſe, quia cum Chriſto Seruatore teſte *Dignus ſit operarius mercede ſua*, quis eos culpæ arguat, ſi operæ ſuæ ſtipendia aliqua, moderata tamen in victu recipiat? quare id eis olim, ante Concil. impunè licuiſſe, docent hi Authores. Abb. in cap. venerabili, de cenſibus, Surd. de aliment. tit. 4. q. 22. num. 9. modo tamen vitandum eſſe, quòd id Concilium improbet,

dicunt Barbosa de officio & potestate Episc. allegat. 73. num. 46. Piasec. in praxi, ep. par. 2. cap. 3. art. vltimo, num. 35.

QVÆSTIO XI.

Explicantur dubia quædam pertinentia ad præsentem materiam.

DVbium primum. An Hospitalia procurationem Episcopo visitanti debeant.

Dico primò, *Si hospitalia beneficium annexum habeant, quod conferri digne à Superiore, aut de eius licentia resignari soleat, ab iis eorumque possessore legitimo, soluenda est procuratio.* Ratio est prima, quòd redditus habeant, vnde hæc sine vllo pauperum incommodo sumi queat.

Secunda, quòd nihil occurrat iustæ causæ, quamobrem alij, quibus in Episcopatu regendi beneficij iura competunt, Episcopo visitanti, annonæ, ac vitæ commeatum subministrare debeant, non isti: vt par est ergo beneficiorum omnium conditio, ita æqualis quoque esse debet, eorundem in oneribus obligatio.

Dico 2. *Hospitalibus, ac Oratoriis quibus beneficij ratio non ineſt, non incumbere vlla lege, procurationem visitanti Episcopo offerre.* Ita Genuens. in praxi, Archiepiscop. Neapol. cap. 17. num. 2. Riccius in praxi rerum for Eccles. par. 4. resolut. 15. De Oratoriis res est ex decretali Greg. IX. 27. de censibus perspicua, ibi enim inhibet (verba sunt eius) *ne quis pro eo, quod in Oratoriis, quæ in Grangiis habentur, procurationes quæ ratione visitationis debentur, exigere vel extorquere præsumat.*

Hospitalium eadem causa, cùm enim sint instituta leuandæ pauperum inopiæ, esset contra rationem, eorum prouentus diuertere aliò. Quid? quòd lex nulla in omni sit canonum serie, qua lege iubeantur pauperes, aut qui eorum curam gerunt, Episcopo pro visitationis labore mercedem dare? quod, qui in eum ac pauperes extare voluere argumenta caritatis suæ, constructione ædium, in quas ægri inopes, maléque affecti, diuerterent, pecunias, ac obuentiones, quæ ex earum redditibus annuis colliguntur tacitè, ac virtute Episcopis dari nolint? quæ duæ res impellunt me, vt credam, à procuratione visitanti debita, hospitalia, quæ purè sunt talia, omnino esse libera.

Dubium 2. An Episcopus, aut quilibet alius Ecclesiam visitans munere aliquo donari possit.

Dico 1. *Munera quæcunque: ac quomodolibet, hoc est etiam sponte data, recipi à visitante nequeunt.* Habet hæc Assertio fidem à Conc. Trid. sess. 24. cap. 3. de reformat. cui aliquid adiecisse, ad fidem Assertionis positæ, est bonum otium in re minimè dubia ludere.

Dico 2. *Recipiens aliquid, etiam comestibile, quod asportetur aliò, tenetur ad restitutionem dupli.* Trid. loco cit. etsi non restituerit infra mensem, si est Episcopus, remanet interdictus ab ingressu Ecclesiæ, & si est Episcopo inferior, suspensus est, donec restituat. Bonifac. VIII. in cap. exigit de censibus in 6. *Nulla eis inhoc*, inquit Pontif. ibi, *remissione dantium, liberalitate, seu gratia valitura.*

Dubium 3. *An procuratio debeatur à solis locis visitatis.*

Omnino, causa est quòd procuratio instar sit mercedis, ac stipendij præstandi ab eo, cuius causa laboratur: at Episcopus operam non nauat, vt supponitur, aliis, quàm visitatis, ergo ab iis solis exigenda procuratio.

Confirmatur. Numerus procurationum, numerum dierum quibus visitantes moram in loco visitato fecerint, excedere non debet, vt est in cap. procurationes 23. de censibus. Cuius constitutionis hæc vna videtur esse causa, quòd quo die Episcopus non moratur in loco visitato, ei operam suam non accommodet, nec eius causâ laboret: est ergo in petendis procurationibus, aut dandis, laboris habenda maxima ratio: quare cùm nullum suscipiat Episcopus pro non visitatis, ab iis exigere honestè tùm quid possit non video.

DE FORO EPISCOPALI.

QVÆSTIO I.

An de causis licitum sit Episcopo cognoscere, & quibus.

FOrum habent Episcopi, in quo pro Tribunali sedere, iusque postulantibus tenentur reddere, si partes explere viri boni cupiunt.

Et primò de sacro matrimonij vinculo, propria est eorum cognitio, can. multorum 10. causa 35. q. 6. Ibi enim Alexand. Papa II. prohibet cuidam ne vxorem dimittat, *donec Episcoporum religiosorum Concilium causam examinauerit*: & cap. credimus 3. de ordine cognitionum, de sponsal. & matrim. cap. de Francia 1. & cap. accedentibus 12. de excessib. Prælator. Quare cùm ambigitur sitne ratum, an irritum, retinendum, an soluendum ex causa recens nata, vel impediente eius validitatem, iudicium Episcopi inquiritur, quodque re à se discussa, ac peritis in concilium adhibitis statuit, id firmum esse incipit: sic Patrum memoriâ, diremptum est Ludouici VII. & Leonoræ Aquitanæ connubium, sic coëuntibus in Comitia Francis Præsulibus dedit in mandatis Alexand. Pontifex, vt quæ possent accuratè, ac gnauiter, de causis Ludou. XII. ac Ioannæ cognoscerent, compertoque ex fide Medicorum qui probassent eos liberis operam dare non posse per causam impotentiæ, qua teneri se narrabant, eos matrimonij lege soluerent.

Secundò, cognoscit Episcopus de causis, in quibus quæritur, an liberi sint legitimi, cap. tuam non credimus 3. de ordine cognitionum. Ratio est, quòd præter eum, aut ab illo commissos, nemo ad illa cognoscenda videatur idoneus, quæ sine aliqua rerum diuinarum ac supernaturalium notitia intelligi nequeunt, cap. 2. de iudiciis: At sciri nequit, an liberi, vt successores legitimi, patris hæreditatem inire possint, nisi antè constiterit de iuribus matrimonij, vique eius, quod quatenus est Sacramentũ, naturam superat: at causarum discussio quæ sunt de matrimonio, ad Episcopum pertinet, iuxta dicta paulò antè: Ergo & eius, in qua liberorum conditio agitur, sintne legitimi an secus.

Tertiò, cognoscunt Episcopi de qualitate clientaris decimæ, antequam is qui conuentus est libello petitorio decimarum, iudicem regium adeat. Renatus Chopp. l. 2. polit. tit. 1.

Quartò, de sponsaliorum fœderibus cognos-

Digitized by Google

cere Epiſcopi tam per ſe, quàm Officiales ſuos poſſunt. Bleyan in Theoria, tit. de Patrimonio Eccleſiaſticorum. Annæus Robert l. 3. rerum iudicatarum, cap. 5. quia ſacri Iudicis eſt ea diſcutere, quæ merè ſunt ſpiritalia: At matrimonia, & ſponſalia reſpectiuè ſunt talia, nempe ob gratiam cuius matrimonium tanquam Sacramentum eſt cauſa, ſponſalia autem, ob finem ad quem referuntur, qui eſt maritalis coniunctio quæ in Eccleſia, eſt ſacra.

Dixi ſpiritalia, nam de damnis & incommodis ex ſponſaliorum fide non præſtita conſequutis, inquirere non eſt Epiſcopi, quod hæc ad profanum forum pertineant iudicio Curiæ, à qua anno 1595. Triguierius quidam (homo erat Laicus cui Epiſcopi Officialis mulctam 100. aureorum dixerat ob male accuſatum Clericum,) à qua anno inquam 1595. Triguierius abſolutus dicitur ob eam cauſam, quod Eccleſiaſticus poteſtate omni careat in res mere temporarias, nec qui cauſæ principalis eſt Iudex, idem quoque de acceſſoria ſententiam ferre ſit idoneus, quod ambæ hæ res diuerſi ſint fori, vt patet. Quare de damnis & intereſſe debitis, & petitis, propter non impletum matrimonium, abuſiuè tantum inquirit ac iudicat Epiſcopus Fabric. de ſimplic. & duplicibus beneficiis litera A.

Quartò, ad Epiſcoporum laudem pertinet, quod admitti poſſint ad regia conſilia. Graſſalius de iure l. 2. priuilegio 15. pag. 286. Deinde quòd cauſas audire in foro, Senatoribus aſſidere in Curia, ſententiam in publica fori diſceptatione poſſint dicere. Chenut. q. 4. Cùm enim olim publicis Regni Comitiis intereſſe poſſent, ne quid ſibi ablatum quererentur, fundatione Curiæ quam ex ambulatoria, in eam formam Reges redegere, qua nunc vtimur, iiſdem viſum eſt, ius illis benignè ac liberaliter facere, dicendæ ſententiæ in Senatu cùm vellent. Chopp. l. 2. de ſacra polit. tit. 1. num. 13. *quia Eccleſiam, inquiunt Patres in Meldenſi Concil. ſub Carolo Iuniore, & Sergio* II. *can.* 8. *ſic diſpoſitam eſſe Rex & Sacerdos Chriſtus voluit, vt Pontificali & Regali auctoritate gubernetur.*

Quintò, quæſtio quoque dotis examinari poteſt ab Epiſcopo, aut eius Vicario, ratione connexitatis cum matrimonio. Ita Clemens III. in decretali de prudentia 3. tit. de donationibus inter virum & vxorem, his verbis: *Quia vos qui de matrimonio principaliter cognouiſtis, & de dote (quæ eſt cauſa incidens) neceſſariò cognoſcere voluiſtis, & ſententialiter definire mandamus*, &c. Nec de dote modò iurata, aut promiſſa ſolenniter, ſed etiam de promiſſa nudo pacto, cognoſcere Epiſcopo licitum. Innoc. in cap. de prudentia, etiam poſt ſeparatum matrimonium, cap. nouit 13. de iudiciis, ibi enim dicitur quòd Iudex Eccleſiaſticus poſſit contra quemlibet procedere, ratione periurij, vel pacis fractæ.

Sextò, quæſtionem exercent Epiſcopi de Clericis in manifeſto deprehenſis crimine, qua de re nos proximè.

Septimò, cauſas de iure ad Eccleſiaſticum forum pertinentes cognoſcunt, & in prima ſaltem inſtantia, in ſua Diœceſi terminant, & executioni mandant. Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 20. *Alioqui poſt biennium*, inquit Concil. ibi, *liberum ſit partibus, vel alteri illarum iudices ſuperiores, aliàs tamen competentes adire, qui cauſam in eo ſtatu quo fuerit, aſſumere, & quamprimùm terminari curent.*

Octauò, permittitur Epiſcopis, cognoſcere de crimine communi, ac vulgari Clericorum, deque eo pœnas repetere, verberibus per ſe aut alium infligendis, ita colligitur ex Clement. III. decretali 24. de ſentent. excomm. ibi enim lege Eccleſiæ, cenſurarum teneri nexu ait, tam Epiſcopum, quàm eum, cuius eſt in verberando Clerico, vſus miniſterio, quando hic tale nihil erat, ob vitæ integritatem, morumque innocentiam commeritus, ergo à contrario ſenſu, fas erit vtrique, in eum animaduertere, quando humanæ, aut diuinæ legis violatæ verè reus erit.

Non ò de re qualibet, arbitrari olim Epiſcopis fas erat, liteſque laïcos inter ſuper honore, fortunis ac opibus, iudicij ſui æquitate dirimere, ob eam cauſam, conceſſione Honorij & Arcadij Cæſarum, à forenſi Magiſtratu, ad eos tranſire, eorum tribunalia tentare, iudicium implorare, cuique de populo impune erat: verba hæc legis 7. de Epiſcopor. audient. fidem faciunt. *Si qui ex conſenſu, apud ſacra legis Antiſtitem litigare voluerint, non vetabuntur, ſed experientur illius in ciuili duntaxat negotio, more arbitri reddentis iudicium*, à quo appellare eorundem Imperatorum voluntate nefas erat. *Iudicium*, inquiunt, *ratum ſit omnibus qui ſe audiri à Sacerdotibus elegerint, eamque illorum iudicationi reuerentiam adhiberi iubemus, quam Præfectis Prætorio, à quibus non licet prouocare, per Iudicum autem officia executioni mandetur*: quod Cõſtantinus anteà Magiſtratibus curæ eſſe iuſſerat, operamque dare, vt quæ Epiſcopi ſanxiſſent, rata forent, notarunt Sozomenus lib. 1. cap. 9. Nicephor. lib. 7. c. 8. Gratianus 11. q. 1. can. quicunque 35. quod ad Epiſcoporum, Eccleſiæque dignitatem pertinere cùm intelligeret Carolus, ſanxit toto regno facultas ſingulis vt eſſet *vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cùm negotiorum procurator, ſiue cùm iam cœperit proferri ſententia iudicium eligendi ſacroſanctæ ſedis Antiſtitis.* Capitul. lib. 6. cap. 281.

Decimo, ad Epiſcopale forum pertinebant cauſæ omnes, ſacrilegij, Simoniæ, hæreſis, blaſphemiæ, ac inobedientiæ erga Antiſtites, quod in iis ſalus verſetur animi, cuius procuratio Chriſto, Epiſcoporum eſt commiſſa charitati ac induſtriæ Ioan. 21. Paſce oues meas. *Habeant*, inquit Concil. Rauen. ſub Ioan. 9. par. 2. can. 13. *Epiſcopi in ſua Diœceſi liberam poteſtatem, adulteria, & ſcelera inquirere, vlciſci & iudicare ſecundum quod canones cenſent.*

Vndecimo, Teſtamenta cuiuſmodi eſſent, valida, an nullarum virium, recognoſcere per ſe, aut ſubſtitutos Epiſcopis erat olim in more, quod intereſſe defunctorum crederent, rata eſſe quæ ſub finem vitæ, ad bonum animæ, expiationemque conſcientiæ, literis mandaſſent, exequenda ab hæredibus, aut aliis, quorum intereſſet.

Duodecimo, quæ cauſæ erant ambiguæ, quæ inter Iuriſconſultos dubij iuris, arduæ tamen difficilesque nodoſæ, erat earum notio, Epiſcoporum propria, cum enim in Deuter. ſtatuiſſet ore Moyſis Dominus, vt cum difficile & ambiguum iudicium foret, vtpote opinionum varietate inconſtans, & anceps, conſuleretur ſuper facti æquitate Sacerdotes Leuitici generis, ſanxit Innoc. III. in cap. per venerabilem 13. qui filii ſint legitimi, *in quibus cauſis eſſet aliquid difficile & ambiguum*, nempe quod in iis reperiretur aliquid, quod ad vtrumque forum, Eccleſiaſticum ſcilicet & ciuile pertineret, *ad iudicium ſedis Apoſtolicæ recurrendum eſſe.*

Decimo tertio, vt viduæ, pauperesque, in tutela ſunt Eccleſiæ, ita & eorum cauſæ, erant à ſuo, id eſt Eccleſiaſtico iudice diſceptari ſolitæ, ſic in cap.

ſuper 6. de donation. inter virum,& vxor. dicit, Innoc. III. Eccleſiam viduarum negotiis cauſiſque fauere, decretali autem Honorij III. cui initium eſt ex parte,de foro competenti eſt hic præfixus titulus: *Miſerabilis perſona poteſt Laicum, interdicto vnde vi, coram iudice Eccleſiaſtico conuenire, etiamſi res ſubſtracta dicatur feudalis.* Quæ omnia complexus eſt Hoſtienſis in ſumma his verſibus.

Hæreticus, Simon, fœnus, periurus, adulter,
Pax, priuilegium, violentus, ſacrilegusque
Si vacat imperium, ſi negligit, ambigit, aut ſit
Suſpectus iudex, ſi ſubdita terra, vel vſus,
Ruſticus, & ſeruus, peregrinus, feuda, viator,
Si quis pœniteat, miſer omnis, cauſaque mixta,
Si denunciat Eccleſiæ, quis iudicat ipſa.

Eſt tamen hoc tempore Epiſcoporum in Gallia ſic imminuta in iudicando auctoritas, vt præter fori nomen ac præteriti ævi memoriam quo omnia poterant, reliqui nihil habeant, vt planum faciemus poſtea.

CIRCA DICTA DVBITATVR PRIMO, *An in omnes aut aliquos duntaxat de Diœceſi, ius Epiſcopus habeat, ſic vt eorum nullis, defugere iudicium eius liceat.*

Epiſcoporum, Diœceſi tota inſignis eſt auctoritas, præcipuè tamen in crimina, quæ in quolibet de Diœceſi punire pro æquitate poſſunt, niſi ius immunitatis ab Epiſc. Rom. habeat cap. cum venerabilis de cenſib. cap. cum perſonæ de priuileg. in 6. Nec modo de ſubditis iuſtè repetere pœnas poſſunt cùm delinquunt, verum & de extraneis, cap. ſane de foro compet. quia ratione culpæ in eorum Diœceſi admiſſæ illorum poteſtati fiunt, obnoxij Abb. in cap. ſane citat. nu. 5. nec eam defugere vlli de ſubditis eſt liberum, eis reclamantibus, ac inuitis cap. nullus de Paroc. niſi cauſa per appellationem ad Papam aut Archiepiſcopum deuoluta cap. duo ſimul de offic. ordin. cap. Romana de foro compet. aut iuriſdictione eius impedita ac ceſſante.

Impeditur autē hæc Cenſura, vt ſi fuerit Epiſcopus excōmunicatus, vel hæreticus declaratus, cap. ad proband. de re iudicata, cap. excommunicatus de hæret. Morbo, vt ſi ſit furioſus, ſi mutus, ſi ſurdus 3. quæſt. 1. can. 1. aut ſi recuſetur à partibus, aut earum altera, puta quia amicus, quia affinis eſt vnius ex colligantibus 3. quæſt. 5. can. accuſatores 12. *Amor enim carnalis, timor, atque auaritia, ſenſus hebetant humanos, & peruertunt opiniones, vt quæſtum pietatem putent, & pecuniam quaſi mercedem prudentiæ.*

DVBITATVR 2. *An Iudex Eccleſiaſticus de crimine adulterii cognoſcat.*

De adulterio cum quæritur, duo ſunt admodum, quæ in diſceptationem cadunt.

Primū, An Eccleſiaſtici iudicis auctoritas ſit neceſſaria, vt ab adultera diuertere poſſit, vir innocens: An iure conſcientiæ de cauſis eius diſceſſionis inquirere, magiſtratui Regio ſit neceſſe, proque innocente ſententiam dicere.

Secundum vtrius ſit iuridici, Regij, an Eccleſiaſtici punire ſontem.

Dico primo, *Solius eſſe Epiſcopi decernere, de cauſis diuortij earumque æquitate*, quia ei incumbit ex officio ſaluti ouium conſulere, impedire pro viribili, ne vltro, ac volentes, quidpiam agāt quod hæc intereat, id aſſequitur Epiſcopus, cum pro prudentia diuortij cauſas examinat, iſque vt par erat in vtramq; partem diligenter & accurate diſcuſſis, læſo coniugi renuntiat, domo adulteram extrudi poſſe: Ita Sanchez lib. 10. diſp. num. 15. Germonius lib. de ſacrorum immund. li. 3. cap. 12. num. 58. Miranda de ordine iudiciali q. 1 art. 5.

Dico 2. *Pœna capitis animaduerti innocentem non poſſe niſi ſola regij iudicis auctoritate ac imperio*, quia ius gladij nullum eſt penes Eccleſiam, cenſuris quidem frangere poteſt contumaciam ſpiritualia intendere nocenti verbera, ſed ſi his nihilo ſecus quàm antè ſapiat, necare non poteſt.

Quid ſi de alimentis, ac dote, facto diuortio inſtituitur quæſtio, eius dirimendæ auctor idoneus, quis cenſendus? Si auditur Sotus in 4. diſt. 36. q. vn, art. 3. dicta eſt cauſa, nam ibi ſcribit ab innocente viro, adulteræ nec alimenta, nec copulam, nec conuictum deberi iure conſcientiæ, quia tamen ſecus quam ille, Iuriſperitorum ſchola ſentit, nec vxorem neceſſario commeatu ad vitam deſtitui charitas ſinit, cum hic à viro negabitur, cuius auctoritate Iudicis, Regij an Eccleſiaſtici obtinendus erit? Eccleſiaſtici partes eſſe virum ad eum præſtandum cogere, dixit Antoninus Dian. partis primæ tract. primo de immunitate Eccleſ. reſol. 86. *Si quando*, inquit, *ageretur de diuortio coram Iudice Eccleſiaſtico, quæſtio alimentorum, & dotis amittendæ tanquam ei acceſſoria, pertinet ad eundem. Secus autem dum cauſa principalis verteretur de dote, nam tunc talem cognitionem pertinere ad ſolum iudicem Laicum exiſtimandum eſſe puto.* Hæc ille.

Sed Dianæ aduerſatur Rupellanus Forenſ. inſtit. Galliæ lib. 1. cap. 25. fretus argumento communi, quod à praxi, vſuque fori petitum, quantarum ſit virium alterum eſſe malo iudicium quam meum.

DVBITATVR 3. *An ad Epiſcopum ſpectet Blaſphemiæ iudicium?*

Eſt Blaſphemia, *mala verba de Deo dicere*: Aug. lib. 2. de morib. Manich. cap. 10. *Vituperatio diuina.* Richard. de S. Victore. de ſpiritu blaſph. Blaſphemare enim ſecundum D. Ambr. in lib. de Paradiſo: *Eſt de Deo dicere quod ei non conuenit, vel ei adimere quod conuenit*, quod fieri poteſt dupliciter, intellectu, & affectu mente tantum concepta blaſphemia, opponitur confeſſioni fidei: profecta à deteſtabili voluntate, & affectione improba, cum errore in intellectu, aduerſatur fidei & charitati, & appellatur hæreticalis Alfonſus à Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticor. punit. cap. 12. acciditque cum enunciantur de Deo, quæ per ſe conuenire illi nequeunt vt Deus eſt inſipiens, Deus eſt improbus aut ab eo remouentur, quæ remota, naturam eius deſtruunt, vt Deus non eſt iuſtus, quæritur ergo, an ad Epiſcopum, eius Vicarium, aut fidei Catholicæ cenſorem peritneat, cenſura blaſphemiæ?

Dico primo, *Blaſphemias, fidei oppoſitas, de iure diſquiſitionis eſſe Eccleſiaſticæ*, quia vt habent Caſtrus, loco citato, & Lucius III. de hæretic cap. 19. non modo hæreſis ſed quæ vehementem quoque eius ſuſpicionem commouent ad inquiſitores pertinent: *Qui vero*, inquit Luc. ſupra, *inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad arbitrium Epiſcopi iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint, ſimili ſententiæ ſubiacebunt.* Sed Epiſcopi iure communi inquiſitores ſunt fidei ſecundum Bonifac. VIII. cap. per hoc 17. de hæretic. in 6. & 18. eiuſd. tit. & ex verbis blaſphemantis, licet coniecturam facere de eius ſenſu iudicioque in rebus fidei, cùm animi ſpeciem, ac ideam, oratio quæ

Digitized by Google

quæ eius eſt quoddam ſimulachrum, ad viuum exprimat, Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐν λόγοις γραφέντος. ergo de hæreticali blaſphemia, iudicare per ſe, aut ſubſtitutos Epiſcopo eſt licitum.

Dico ſecundò, *Ad Epiſcopi tribunal ac forum, blaſphemias cæteras trahendas non eſſe*, Caſtr. lib. 1. de iuſta hæretic. punit cap. 12. Guenois in comment. ad 22. cap. lib. 3. praxis ciuilis Imberti Cardinalis de Luco in pratt. crimin. can. cap. 103. ratio eſt quod blaſphemiæ quas animi impotentia in Deum parturit, eius ſacroſancta membra aut Sanctorum nominando, quaſi forent in illis turpia ac vituperatione digna ad fidē non pertinēt, ſed exemplum, ſed Reip. decus ac commodum, cuius procuratio nō ſpectat ad Epiſcopum ſed magiſtratum. Accedit, quod voluntate Regum ac Principum, in reos eiuſmodi criminum, ſi non ſunt Clerici, à Iudicio regio animaduerti magna pœnarum acerbitate ſoleat, extant contra eos æquitatis decreta pleniſſima S. Ludouic. de anno 1254. Philippi tertij, notata faſtis anni 1347. Caroli VII. 1460. Ludouic. XII. 1510. Franc. primi 1514. 1523. 1535. Henrici III. 1579. Henrici IV. 1594. quibus, regnorum hanc peſtem exterminare de Chriſtianorum moribus ac noſtris cum vellent, eius conſcios mulcta pecuniaria voluere plecti. Primò quidē tolerabili eiſque iudicum imponenda arbitrio, ſic tamen vt niſi moniti ſaperent eorum auctoritate pro blaſphemiarum repetito numero, creſceret: Sic enim Ordinatio: *Sons faictes inhibitions à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, iurer, maugreer, blaſphemer, ſur peine d'eſtre condamnez pour la premiere fois en amende pecuniaire, à la diſcretion de Iuſtice, & pour la ſeconde, tierce, & quarte fois en amendes pecuniaires, qui ſeront doubles, triples, & quadruples, & pour la cinquieſme fois à eſtre mis au carquan, pour y demeurer depuis huict heures du matin inſques à vne heure apres midy, &c.*

Dixi, *Si non ſunt Clerici*, nam in quo, quantum, quatenus & à quibus puniri debeant, cum furor de eorum ore verba blaſphemię exprimit, ſtatuit Lateran. Concil. ſub Leo. X. *Quicunque Deo palam publice maledixerit, contumelioſiſque atque obſcœnis verbis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vel gloriоſam Virginem Mariam, eius Matrem expreſſè blaſphemauerit, ſi Clericus vel Sacerdos fuerit, eo ipſo quod de delicto huiuſmodi conuictus fuerit, beneficiorum omnium, quæcunque haberet, fructibus vnius anni mulctetur, applicandis in fabricas beneficiorum, aut pauperum eleemoſynas, & hoc ſit pro prima vice, pro ſecunda, ſi ita deliquerit ſi vnicum habuerit beneficium, eo priuetur, ſi autem plura quod ordinarius maluerit id amittere cogatur.* Idem Leo X. in conſtit. 11. verſiculo ſtatuimus in Bullario Iulius III. in Conſt. 43.

DVBITATVR 4. *An de hæreſi quæſtio poſſit ab Epiſcopo aut eius Vicario inſtitui.*

Omninò, nam vult Lucius III. cap. ad abolendam extra de hæretic. eius ſuſpectos ac conuictos, niſi errore depoſito ad veritatis Catholicæ lumen redeant, bonis ſpoliatos ac facultatibus Laico magiſtratui capite plectendos dedi ab Eccleſia, quod hæc qua æquitate facere, ille autem præcipere potuerit, niſi prius eorum diſcuſſa cauſa, dicere mihi certe non eſt facile, ergo vt id Eccleſiæ facere fuit olim in more, ita & de hæreſi cognoſcere, quod ipſum eſt in quæſtione. Nobilis autem eſt in hoc genere Bonif. VIII. ſententia in cap. vt inquiſitionis 18. de hæretic. in 6. nam vbi Principes, Reges, ac Imperatores admonuit, vt pro ſua in Deum & Eccleſiam caritate, ac obſeruantia, de hæreſi ſuſpectos in vincula compingerent iudicandos ab Epiſcopo, aut inquiſitoribus, hæc addit digna ſempiterna memoria. *Prohibemus quoque diſtrictius poteſtatibus, dominis temporalibus eorundemque officialibus, ne ipſi de hoc crimine (cum mere ſit Eccleſiaſticum) quoquo modo cogneſcant aut iudicent, ſiue captos pro eodem crimine, abſque dictorum Epiſcoporum licentia, vel mandato à carcere liberent*, cui argumento, quia vim habet perſuadendi neceſſariam, quod addam nihil habeo, itaque pergo ad alia.

DVBITATVR 5. *An ab Eccleſia hæretici pœnis affici poſſint ac debeant.*

Subeſſe poteſtati Eccleſiæ hæreticos, ab eaque de eiurata fide plecti poſſe, ſcripſere magni ac eruditione præſtantes Theologi, fieri id vero oportere quam citiſſimè dixit: Hieron. in illud epiſt. ad Gal. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Igitur ſcintilla*, inquit, *ſtatim vt apparuit extinguenda eſt, & fermentum, maſſæ vicinia ſeiungendum, ſecunda putrida carnes, & ſcabioſum animal à cauliſ ouium repellendum. Arius vna ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt.* At quâ in eos pœna, qua cenſura læuiendum eſt?

Vbi iura vigent Pontificum: Bona hæreticorum ipſo iure addicta ſunt fiſco Bonifac. VIII. in cap. cum ſecundum leges 19. de hæreticis in 6. An autem eorum dominium retineant in foro conſcientiæ, ante iudicis condemnationem: controuerſantur auctores hoſque illo priuatos eſſe, auctoritate legum, canonum, Doctorumque teſtimonio conficere, non eſt difficile.

In primis quæ iure ad fiſcum pertinent, hæc in alterius poteſtate dominioque eſſe nequeunt, at ſunt hæreticorum bona, fiſci propria, nam iure ei ſunt per Bonifacij ſanctionē ipſo iure addicta, vbi Gloſſa, intelligo (inquit) ipſo iure confiſcata à die cōmiſſi criminis, in tantum, quod vendicantur ipſa bona per officium, vel fiſcum de manibus poſſeſſoris, nullo dato pretio, per quorumcunque manus tranſierint, quod non facere poſſet fiſcus, ſi eorum bonorum Dominus fuiſſet hæreticus, & iure ea alienare potuiſſet.

Secundò, vbi iudex in pœnam à reo admiſſorum, eum rerum ſuarum dominio exuit, alia præterea ſententia non exigitur quæ has illi eripiat, ſed hanc dixit Pontifex in hæreticos in cap. vt inquiſitionis parag. poſtremo de hæret. in 6. & cap. ſecundum leges 19. eiuſd. tit. quibus locis eorum bona iure ipſo addicta eſſe fiſco voluit: ergo decreto nullo nouo opus, vt hi eorum dominio excidant, cum par eſſe legis auctoritas videatur ac iudicis, ergo cum hic dominium rei ſuæ, reo ſic per ſententiam eripiat, vt partem eius nullam retineat, Pontifex illud quoque hæreticis eripiet ſua lege.

Neque tamen iis decedere, aut vltro ac ſponte hæc tenentur relinquere ante ſententiam executoriam, ac declaratoriam criminis admiſſi, cuius cauſa eorum ſunt priuatione mulctandi, quia cum eorundem vſus ac poſſeſſio, illis relinquatur ab Eccleſia, eam haud dubiè retinere poſſunt, donec auctoritate Principis illa ſpolientur.

Hæreticorum pœna altera eſt excommunicatio cap. ſicut 8. cap. ad abolendam 9. cap. excommunicamus 13. & 15. de hæreticis.

Tertiò, capitis quoque ſupplicio damnantur niſi reſipiſcant, Innoc. III. in decretali excommunicamus de hæretic. *Damnati per Eccleſiam*, inquit,

seculari iudici relinquantur, animaduersione debita puniendi, & Luc. 3. in cap. ad abolendam nono eod. tit. de hæretico loquens *Nisi continuo post deprehensionem erroris ad fidei Catholicæ vnitatem abiurata hæresi confugerit, seculari* (inquit) *arbitrio iudicis relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionem.*

Patet hinc potestatem animaduertendi in hæresim pœna mortis, Episcopo conuenire, non Laico Magistratui, Bretlerus de conscient. lib. 1. cap. 26. num. 253. primo quia Episcoporum est pascere. Ioan. 21. Pasce oues meas, at hac voce si indicatur potestas regendi, non directiua tantum sed & coactiua per pœnas ad eorum finem accommodatas, quo de numero est mors corporis. Sic Petrus Actor. 5. Ananiam & Saphiram morte punit sic Paul. 1. Cor. 5. incestuosum tradidit satanæ etiam corporaliter castigandum hæc quòd indicãt verba *in interitum carnis*, traduntque Bern. de considerat ad Eugen. lib. 4. cap. 3. & Bonifac. VIII. in Extrauag. cũ aiunt vnam sanctam Ecclesiam habere gladium duplicem materialem vnum spiritualem alterum id est potestatem puniendi spiritaliter & corporaliter, verum est tamen Ecclesiam, ac Episcopos Laicorum vti ministerio ad corporis supplicium irrogandum nocentibus, ne manus contaminatas sanguine habeant.

QVÆSTIO II.

Quid possit Episcopus in cura Monialium, & quantum.

PRimò, quæcunque Pontificem Romanum agnoscunt, eique vt superiori immediatè sunt subiectæ, non autem Regularibus, has omnes regit Episcopus, Clementina attendentes de statu Monachorum, Trid. sess. 25. cap. 9. idq; tanquam Sanctæ sedis delegatus, non tamen in temporalibus, sed spiritualibus tantùm Barbosa lib. 1. iuris cap. 14. cum. 31. & cap. 11. num. 226.

Secundò, in id eum incumbere est necesse, ne vagentur, Concil. Moguntiacum can. 20. *Quia vt sancti dicunt, non debet esse in regimine, vel in contubernio communis habitatio, quorum est diuersa professio,* Concil. Meldense sub Sergio Papa 2. can. 9. quare eas inter claustri septa adiget authoritate sua, ac si opus est sacro Ecclesiæ gladio ad id coget, Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. Bonifac. VIII. cap. periculoso de statu Monachorum in 6. Pius V. in constitutione quæ incipit, circa pastoralis officij: *Itaque omnimodis faciat,* inquit Moguntiaca Synodus can. 20. *loci ipsius Episcopus hoc emendare itaut condignam professioni eorum custodiam habeant Monachi, atque Nonnanes, ne detur eis occasio male faciendi quod absit.*

Eodem spectat quod can. 6. Concilij Vernis habiti, serò edicitur Episcopis, vt si per inopiam extruere ipsæ sibi Monales nequeunt septa extra quæ egredi eis non sit permissum, ipsi ad eam, rem de suo necessaria suppeditent, aut si id angustiis domesticis, facere non sinuntur, primo quoque tempore super eo regiam munificentiam implorent.

Tertiò, Episcopis id quoque laborandum, vt hærentes ad magna incitent, nocentes arguant, omnes regant: Pœna non facientis officium in hac parte est deiectio de gradu: *Et talis*, inquit can. 5. Concilij Vernis, *in eius loco, in ipsa Synodo constituatur, per verbum & voluntatem Domini Regis vel consensu seruorum Dei, qui secundum ordinem, sanctum ipsum gregem regat.*

Quartò, ad eos spectat facere potestatem petentibus ingrediendi Monasteria Monialium, quæ sanctæ sedi, vel ipsis immediatè sunt subiecta. Trid. sess. 25. cap. 5. hanc vero non sufficit verbalem esse, de ea constare testimonium literis ac scripto debet Trid. ibidem. *Sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, dare autem Episcopus, vel Superior debet, in casibus necessariis,* Trident. ibid.

In ea autem quæ Regularibus parent, cum ingredi conuenit, non Episcopus sed eorum superior, super ea facultate est conueniendus nisi secus fierimos patriæ exigeret. Guttierez lib. 1. canonicarum quæstionum cap. 14. Quarantius verbo Monasteria Monialium, folio 350.

Dixi, *cum est necesse*, nam concessa facultas, à pœna & culpa ingredientes sine iusta causa non eximit. Pœna hæc autem, est excommunicatio Papæ reseruata, vbi Gregorij XIII. constitutio est recepta qua concessæ olim ingrediendi Monasterij facultates omnes sunt reiectæ, vt confectori placet, folio 237. & Piasecio in praxi Episcop. parte 2. art. 7.

Quintò vidēdū est Episcopis, ne plures in Monasterijs Moniales admittantur quã annuis eius reditibus ali possint, Turon. Synodus sub Carolo Magno can. 31. & Arelat. sub eodem Rege can. 8. Definire vero earum numerum in cœnobiis, quæ illorum prudentia gubernantur, ad eos duntaxat pertinet, decreto Greg. XIII. in constitutione quæ incipit Deo sacris, de anno 1573. in his autem quæ parent Regular. præfigere illi quidem Monialium numerum possunt, non tamen sine superioris consilio ac consensu, Barb. iuris Eccles. lib. 1. cap. 44. num. 26.

Sextò, & id Episcopo, non omittendum, vt singula virginum cœnobia auditorium habeant, quo colloquendi causa cum sæcularibus quando est necesse, coeant Concil. Cabillonense tempore Caroli Magni can. 61. *Vbi auditorium deest fiat, & cum nullo masculo, eis colloquium habere liceat, nisi in auditorio, & ibi coram testibus.*

Septimò, est id quoque Episcopi proprium, per se aut alium explorare animum professuræ, mense ante professionem, Trid. sess. 25. cap. 17. qua de re maturè per præfectam Monasterij monendus erit, alioqui quandiu ei videbitur suspendi ab officio poterit.

At enim de quo est hæc interroganda per Episcopum, & quid hunc ab illa rescire conuenit? *An coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat,* Trident. loco citato, an volēs vouerat an in religione approbata, an Dei causa, aut lucri consequendi, vel vitandi alicuius incommodi. At his autem fieri debet, hæc exploratio, in susceptione habitus, & professione, Barbos lib. 1. iuris c. 44. num. 11. & tam in Monasteriis Episcopo subiectis, quam regularibus, id ibid.

Octauo, Episcopus in Monasteriis iure ordinario vel delegato sibi subiectis electioni Abbatissæ, aut Priorissæ interesse debet, & ex cancellorum fenestella singulorum vota exquirere, absque eo quod intro penetrare possit, Trid. sess. 25. cap. 7.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

An Epiſcopo ius congruæ portionis competat.

POrtio congrua & canonica non differunt niſi nomine, eaque viri eruditi intelligunt, bonorum partem quartam, quæ pietatis intuitu datur Eccleſiis: Cum enim decimis per Dionyſium Papam, attributis curionibus, quos Parochiis præficiendos crediderat, Epiſcopi quererentur, ſibi domi non eſſe, vnde vitam & victum colerent, eis permiſſum eſt à Conciliis & Pontifice, aliquid ſibi, ad commoda, ſubſidiaque familiæ petere à Parochis, fuitque id pars reditnum Parochiæ media, can. antiquos 10. q. 1. quæ ad trientem eſt contracta per Concil. Tolet. vt refertur in can. conſtitutum 16. q. 1. ac poſtea ad quadrantem decreto Gelaſij can. vobis 12. q. 2.

Quam ipſam quoque pendere conſequutis temporibus, prohibiti ſunt Parochi, Hiſpani quidem in Concil. Braccarenſi can. placuit 10. q. 3. Gallim Pariſienſi ſub Ludouico & Lothario. Ita nihil in his quæ offeruntur Eccleſiis ſibi modo vendicare poſſunt Epiſcopi, canonicę portionis nomine, habent enim Concilia, à conſuetudine quæ 40. annis eſt præſcripta vbique magnam vim in hac parte.

Dixi quæ *dantur Eccleſiis*, nam quæ Curatis adueniunt, donatione liberali ac gratuita, aut teſtamentaria, ſic eorum ſunt propria, vt ex iis arrogare, nil ſibi poſſit Epiſcopus, multo minus de re data pauperibus, Tiraquellus de cauſa pia priuilegio 28. Barboſa de iure Epiſcop. allegat. 86. num. 4. cauſam hanc reddit, quod relicta perſonis non cenſeantur attributa locis, quare nihil eorum quæ illis dătur ad Epiſcop. deriuari eſt neceſſe, canonica vlla lege, cap. ex parte de verborum ſignificatione.

QVÆSTIO IV.

Quid Epiſcopo, circa teſtamenta tentare licitum? & an legatum vnum poſſit commutare in aliud.

DIco primò, *Epiſcopo fas eſſe, vltimam defuncti voluntatem commutare in aliud opus, cum id quod eſt deſignatum à teſtante, impleri nequit eo modo quo voluit, & eſt res pia.* Panormitan. in cap. nos quidem de teſtament. Malder. tract. 1. cap. 11. dub. 11.

Cauſa eſt, quod quæ opera ſunt pia, hæc ad Epiſcopi procurationem pertineant, at pietatis pars eſt maxima, mortuos non negligere, iuſtaque illis, quoad ratio, charitaſque ſinunt, reddere, quæ duo abundè in omnem partem efficit, qui, quæ ſuo nomine fieri defunctus poſt mortem voluit, hæc in ſe, aut ſimili opere implet.

Deinde adeſt tum tacita voluntas teſtatoris mortui, quæ maximè, & ante omnia, ſpectanda eſt in hoc genere, ſane ſi ei veniſſet in animum, quę mandauit, eo modo quo voluit & ſcripſit, non poſſe fieri ſtatuiſſet aliter, & ita probabiliter, vt eius loco, definit Epiſcopus. At eſt in teſtamentis teſtatoris mens attendenda maximè, vt dicitur L. tale pactum, in fine l. cum acutiſſimi, Codice de fideicommiſſis, L. non aliter digeſt. de fideicomm. & legat. 3. *Non aliter*, inquit lex, *à ſignificatione verborum receds oportet, quam cum manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe teſtatorem.* Ergo cum eſt probabile id teſtatorem voluiſſe, vt hic accidit, ab ea voluntate diſcedere cuique, maxime verò Epiſcopo annuente licet.

Dixi ſi opus eſt pium, ac eiuſmodi quod exequutioni mandari queat nam ſi eſt profanum, ſi alterius ſpectans commodum, crederem ſine eius voluntate, Epiſcopo circa illud moliendum nihil eſſe, quia cum ad illud ius ſit legatario acquiſitum voluntate teſtantis, fit ei iniuria, ſi ſecus quam illi fuit placitum, de eo Epiſcopus ſtatuat.

Quid ſi res eſt adhuc integra, quid ſi cum nullius commodo coniuncta? fieriue poteſt eo modo, quo teſtator ſtatuit? poteſtne tùm Epiſcopus ſuo iure eam commutare in aliam æquè bonam, aut meliorem?

Non poſſe dixere Naldus verbo legatum num. 39. Molina to. 1. tract. 2. diſp. 149. Guido Papæ deciſione 556. Panor. in cap. tua nobis de teſtament. Boerius in Capella Toloſ. deciſ. 26. hanc illis ſententiam duo perſuadent. Primò, quod vltimas teſtatorum voluntates firmas eſſe oporteat ac fixas, ideo enim vltimæ dicuntur, quia poſteriores non admittunt, quæ illis aduerſari queant. Alterum quod id Clemens V. in Clementina quia contingit de Religioſis domib. noluerit vlli permiſſum eſſe, præterquam Pontifici Romano. Cum illa, inquit, quæ ad certum vſum ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant non ad alium, ſalua ſedis Apoſtolicæ auctoritate conuerti, cauetque Conc. vt vltimarum voluntatum commutationes, non niſi iuſtam, & neceſſariam ob cauſam fiant in ſeſſ. 22. cap. 6.

Verum enim contraria opinio probabilitatis non parum habere mihi ſemper eſt viſa, proindeque ſequenda in praxi, eam planis verbis affirmant, Lud. & Beia parte quarta caſ. 22. Angel. in ver. Legatum ſec. 2. num. 12. Syl. eod. tit. ſect. 4. q. 12. Comit. reſp. mor. lib. 7. qu. 9. Graff. conſil. lib. 3. conſ. 2. num. 20. præcipua huius ſententiæ fundamenta ſunt.

Primum, Sunt Epiſcopi, iure tam naturæ, quàm Eccleſiæ, moderatores tam ſacrorum, quàm eorum quæ ad illa habent ordinem. At ſunt de hoc genere legata pia, ergo ea moderari poterunt, vt è re publica priuataque teſtatoris magis eſſe credent.

Secundum, Qui pietatis ergo, bona ſua relinquunt, ſpectant id maxime, vt hæc ſaluti ſuæ, Deique gloriæ proſint, ergo ſi Epiſcopo conſtiterit facta eorum mutatione in res alias, ad Dei cultum acceſſurum aliquid quo caruiſſet, ſi ea iuxta teſtatoris voluntatem, applicata eſſent loco, aut vſui, cuius cauſa ea hic relicta eſſe voluit, non peccabit, nam qui melius facit non aliud ſed idem facit: *Nec propoſitum, aut iuramentum infringit, qui illud in melius commutat*, cap. peruenit 3. de iureiur. quia vt habetur de regul. iuris in 6. regula 35. *plus ſemper in ſe continet quod eſt minus*, ob quam cauſam negat Alexand. III. in decretali Scripturæ 4. de voto & & voti redempt. reum fracti voti habendum non eſſe: *Qui temporale obſequium, in perpetuam non ſeruat religionis obſeruantiam commutare.*

Quare in huiuſmodi commutationibus rei legatæ, in meliorem, Deoque magis acceptam, aut in æquè bonam, Epiſcopus teſtatoris voluntatem non

infringit, sed explicat, eique voluntati, quam scriptis literis commendatam esse voluit, aut verbo prodidit, aliam substituit ac subrogat, quam ipse procul à se non fecisset, si de ea cogitasset, hæcque est causa cur absolutè dici debeat, testatorum voluntatem non mutari, sed seruari, non explicitam quidem illam, sed virtualem ac interpretatiuam. Iam sunt remouenda, quæ pro contraria sententia sunt allata.

Et ad primum, Responderi potest, primò, voluntatem testatoris vere non mutari, cum eadem sit, virtute saltem ac interpretatiuè cum illa, quam idem potiorem duxisset, si de ea cogitasset.

Respond. secundò, eius voluntatem seruari, nam cum præcipua eius intentio fuerit, hoc aut illud legando, animæ suæ prodesse, ea non euertitur, cum per Episcopos res ab eo legata, aut iussa, in aliam commutatur æqualem aut meliorem, cum hæc tantum ei sit profutura, quantum prima à se statuta.

Respond. tertiò, voluntatem quam præ se fert testator testando, dici vltimam, comparatam cum cæteris voluntatibus, de quibus scripto constat, cum absolutè potuerit habere alias, non esse autē vltimam si conferatur cum aliis, quas si cogitasset, minimè respuisset.

Ad auctoritatem Clem. dicendum eam Assertioni positæ nihil obesse, quòd enim est in quæstione non negat, scilicet potestatem Episcopo permissam, ex iusta causa non esse rei legatæ commutandæ in meliorem. Sed cum hospitalibus qui præerant, bona leprosis relicta, in suos vsus conuerterent: Enimuerò id prudentissime, vt factum inique arguit: *Quod quæ ad certum sunt vsum destinata fidelium, ad illum debeant (salua sedis auctoritate) conuerti.*

Ad id quod ex Trident. profertur dicendum particulam & in eo loco disiunctiuè sumi non copulatiuè, idemque esse ac *vel* aut *seu*, quod Comitol. loco citat. probat argumento petito ex 2. Physic. textu 3. vbi anima definitur ab Arist. principium primum motus & quietis, in quo est, nam ibi particulam &, idem esse ac valere, atque *vel*, fit ex eo perspicuum, quod quædam sunt corpora, quæ nunquam quiescunt vt cœlestia.

Dico 2. *In Episcoporum iure esse, Laicos cogere ad solutionem eorum, quæ mortens relicta voluit ad pias causas*: Ratio est, quod quæ spectent salutem animæ hæc in potestate Episcopi sit iubere, cum eius interesit facere, ne plebs sibi commissa, diuina præcepta violet. At violat cum quæ propriæ, aut alienæ salutis causa, vel pauperum, testator iussit fieri, hęc præterit: ergo, &c. Ex hoc principio infert Pereira in tract. de manu Regia parte 1. cap. 16. Episcopum transacto anno testamentariis & executoribus concesso, dare posse operam, vt defuncti voluntas executioni mandetur, tam quo ad legata profana, quam pia. Dian. par. 1. tract. de immun. Eccl. resol. 98.

Dico 3. *Etiam cum legata non sunt pia, in alia opera quam quæ testator voluit, ex iusta causa commutari posse ab Episcopo, tanquam delegato sedis Apostolicæ, modo ne hæc commutatio tertio obsit.* Habeo ita existimandi principes ac duces Petr. de Vbaldis de can. Episc. cap. 7. Barb. de iure Episc. allegat. 82. super omnia Ecclesiam ac Patres, quibus visum est animi sui sensum committere posteris, luculenta hac oratione quam insertam voluere, Trident. Concil. sess. 23. cap. 6. de reformat. *In commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non nisi ex iusta & necessaria causa fieri debent, Episcopi tanquam sedis Apostolicæ delegati, summariè & extra iudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur.*

Iusta autem causa commutandæ voluntatis alienæ, censendaest moralis impossibilitas eam exequendi: Qualis esset si pecunia legata ad certum vsum, non sufficeret, nam tunc in alium conuerti posset, Kopinus decisio 91. Ita Trid. sess. 25. cap. 4. Episcopis permittit in Synodo Diœcesana, Abbatibus autem & generalibus ordinum, vt in suis capitulis numerum missarum ad certas contrahāt, prout ad Dei cultum & vtilitatem Ecclesiæ expedire viderint, ita tamen vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro animarum suarum salute, ea legata ad pios vsus relicta voluerunt.

QVÆSTIO V.

Quid Episcopus possit circa bona incerta, & an eorum possessori liceat de ijs cum eo componere.

SVnt bona incerta Theologis & nobis ea quorum nescitur Dominus qualia non sunt, quæ constat certæ alicui communitati, aut toti vel meliori eius parti esse debita, & si in particulari ignoretur quid cuique & quantum sit debitum. De his ergo bonis quæ dominū ignotum habent hic quæritur, an super ijs componi possit cum Episcopo, & an facta cum eo compositio, iusta sit ac legitima vereque exonerans in conscientia. Rem dubiam hypotheses aliquæ eius explicationi præmissæ, certam reddent.

Prima, Bonorum quæ sunt incerta, duo esse genera, quædam sunt. Ex contractu debita, alia ex delicto, Ex contractu debentur, quæ ab eo trahunt, originem, puta quia res est empta, sed non soluta, nec scitur eius venditor: Ex delicto ea debentur, quæ à culpa aliqua initium habent, vt est furtum, homicidium, vsura.

Secunda, Bona quæ sunt aliena, restitui debent ab habente, vero suo & legitimo domino. Quia res quandiu est, domini est, ergo ei debita, ergo non seruanda, 2. tollenda est iniuria illata, ac nefiat omni cura cuique est prouidendum, tam ex charitate quàm iustitia, at est alieni retentio, quemadmodum & occupatio iniusta, vitanda, ergo: Quod tamen esse nequit nisi eius restitutione facta legitimo domino, vera est ergo secūda hęc hypothesis.

Tertia, Bona incerta acquisita per delictum, maxime vsurarium, pauperibus danda sunt, Ecclesiæ decreto. Patet ex ca. cum tu de vsuris vbi Alexander 3. iubet. *Vt ea quæ ex vsuris iniquis acquisita sunt, si non supersunt illis quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus, & eorum hæredes ipsique adeo vsurarij, Ecclesiasticis pœnis ad hoc cogantur.* Quam constitutionem ad alia quoque similia crimina extendendam esse Doctores narrant, ac proinde habita per furtum, peculatum, rapinam, aut contractum quomodolibet iniquum, lege Ecclesiæ pauperibus esse debita, iisque restituenda.

Quod tamen non existimo, nam lenienda sunt odia, pœnæ mitigandæ de regulis in 6. regula odia: Quid? quod canon correctorius iuris, trahi non debeat extra fines suæ materiæ: At traheretur si

Digitized by Google

quæ dicta ſunt de vſura, attribuerentur delictis alijs Iure ergo poſitiuo, non ſunt bona incerta, comparata per aliud crimen quàm vſuram, largienda inopibus, nec naturæ lege, quia hi ad ea, ius nullum habuere vllo tempore.

Secundo ſi hęc illis ſunt debita, quæro quo titulo? miſericordiæ? at eius violatio reſtituendi neceſſitatem non parit, Iuſtitiæ? at ea inopes nunquam poſſedere, non ciuiliter vt patet, nec moraliter, quia vt donatione liberali ac gratuita dominorum, acquirere ea potuere, ita poterant ſibi non comparare.

Deinde reſtitutio iure naturæ non oritur à re ablata, niſi quæ à certa, & deſignata perſona ſit accepta, ſit ei deniq; & reddęda, Quod hic non accidit vt patet, cum rei debitæ neſciatur dominus, vt pote incertæ vt ſupponitur, quare ſi incerta ſunt danda Pauperibus, id ex iure nullo naturæ aut canonico oritur, ſed conſuetudine, quæ vbique fere obtinuit vt talia illis dentur.

Quæ opinio eſt D. Tho. 22. q. 65. art. 5. ad 3. Theol. in 4. diſt. 15. Sylu. verbo inuentum num. 2. Nau. in Enchirid. c. 17. num. 170. Maldari tract. 4 cap. 4. dub. 2.

Cui etſi accedam vti magis piæ, nihilominus contraria eſt probabilis, & forte verior vt oſtendi, quod lex canonica, de debitis tantum per vſuram præcipiat, nec conſtet conſuetudinem eſſe, vt quæ debentur ex contractu, erogentur in pauperes: itaque exiſtimant P. de Nau. l. 4. cap. 2. num. 47. Leſſius l. 2. de iuſtitia cap. 14. dub. 6. num. 88. inuenta tanquam adeſpota retineri poſſe, ſi poſt diligentiam adhibitam, vt de domino conſtet, certi de eo nihil poſſit intelligi.

Iam ad quæſtionem. Poteſt ne Epiſcopus ſic bona incerta remittere ei penes quem ſunt, vt in conſcientia eorum retentio vacet omni culpa?

Dico primo ſuper bonis & debitis incertis, componi poſſe cum Pontifice: Eſt compoſitio, tranſactio inter Pontificem & debitorem bonorum eiusmodi, hunc quidem, vt eorum partem retineat, aliam in vſus eos impendat quos Pontifex determinat, illum, vt poteſtate vtens qua maxima pollet in Eccleſia, ſuper bonis temporalibus ſuorum ſubditorum, horum dominium cum ſunt incerta tranſferat in habentem, ea tamen lege vt eorum partem ſicut iubetur, inſumat in pia opera.

Probatur Aſſertio 1. Quod bona incerta per vſuram acquiſita, reſtitui debeant pauperibus aut Eccleſiæ, id oritur à voluntate humana Pontificum, at eam mutare poteſt, qui illorum eſt in Romana ſede ſucceſſor, cum par in parem authoritatem non habeat.

Secundo quod bona incerta reſtituenda ſint inopibus, cum dominus non comparet, id aduerſariorum opinione oritur ex tacita eius voluntate, iuſta tamen, qui cum intelligat ſua ſibi reddi non poſſe, mauult ea in manus venire inopum, aut ius Eccleſiæ, quàm a fure ſeruati.

Ex quo ſequitur, habere bona iſta, vt ſint pia, ac eroganda in cauſas pias: Pietas enim inquit Aug. l. 10. de Ciuit. Dei cap. 1. etiam in operibus miſericordiæ frequentatur, quod ideo euenire viri docti exiſtimant, quia Deus ea præcipit, quia ſacrificijs antefert, hinc eſt quod Theologi qui in loquendo vulgi morem tenent, legata pia nominent, quę aut ſalutem animæ aut egentium bonũ intuentur, Comitol. l. 7. reſpons q. 4. n. 5. Sed opera pia omnia in manu ſunt Papæ, de quibus vt expedire credit ad Dei gloriam poteſt diſponere, ea transferendo ab vna perſona in aliam, ergo & à pauperibus, ad diuites qui ea habent.

Dico 2. *Licere etiam tranſigere cum Epiſcopo ſuper incertis ex contractu quæſitis, aut alio crimine quam vſurario.* Prima pars probatur, quia cauſæ piæ Epiſcopo, eiuſque diſpoſitioni ſunt commiſſæ, ob quam cauſam poteſt extremas voluntates commutare, in alia opera æque bona, ac quæ ſunt à teſtatore imperata, aut fere æque bona, maxime ex iuſta cauſa, ſed reſtitutio facienda de bonis incertis ex contractu quæſitis aut aliter quam per vſuram, cauſa eſt pia, cum ad animæ ſalutem faciat, poſito, quod ſit, vt aiunt aduerſarij, ad vitandum peccatum neceſſaria.

Secundò, Ex eorum opinione quos impugnamus, poteſt Epiſcopus ex parte condonare debita incerta, ac ne reſtituantur integra, indulgere ei qui ea penes ſe habet, vt Mald. expreſſe ait tract. 4. cap. 4. dub. 3. q. 2. At eadem eſſe poteſt totius debiti ratio quæ partis, vt enim iſtius remittendæ iuſta cauſa eſſe poteſt, ita & totius debiti, ergo ſi relaxari poteſt, poterit & iſtud ſine vlla diminutione.

Secunda pars hac ratione nititur, Bona per vſuram habita, modo incerta, debentur lege canonica pauperibus aut eccleſiæ, cap. cum tu de vſuris, at in Eccleſiaſticis iuribus ac Pontificum diſpenſare Epiſcopus non poteſt, cum diſpenſatio actio ſit ſolius ſuperioris.

Dico 3. *Eum qui cum Epiſcopo compoſuit, ſuper incertis debitis à reſtituendi onere liberum eſſe.* Quia condonatio creditoris aut alterius, cuius poteſtas æqualis eſt aut maior, obligationem admit omnem debitori ſatisfaciendi creditori ſuo vt debebat, at poteſtas Epiſcopi in hoc genere minimũ eſt tanta, quanta creditoris, ergo cum iniuſtitia debitum ſupponat, nullumque ſuperſit relaxatione Epiſcopi poſita, relaxatus per eum ad nihil amplius ex iuſtitia obligabitur.

QVÆSTIO VI.

Quid poſſit Epiſcopus circa indulgentias.

ESt indulgentia pœnæ temporalis, pro peccatis actualibus debitæ relaxatio, de Theſauro Eccleſiæ, ab habente poteſtatem ei conceſſa qui eſt in gratia, quod quomodo oporteat intelligi dicetur alibi. Quod eſt inſtituti præſentis, quodque breuiſſimè dici poteſt, hoc modo dico

Primò, Epiſcopo ius eſſe concedendæ indulgentiæ, ita Pontifex cap. accedentibus de exceſſibus Prælatorum ad cuius auctoritatem hæc quoque accedit ratio.

Dei opes ac Eccleſiæ communicare mortalibus eorum eſt hominum, quibus ſunt commiſſæ diuinitus, at indulgentiæ totæ quantæ ſunt, in ære ſunt Eccleſiæ, earumque diſtributio ſingulari Dei beneficio conceſſa eſt Epiſcopo, *Qui eſt fidelis ſeruus quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore triticum menſuram.*

Eſt ſane conceſſio indulgentiæ actus iuriſdictionis voluntariæ, cum ſit gratia & beneficium, hoc eſt condonatio pœnæ ſuſtinendę in purgatorio pro commiſſis, vel commutatio in aliquod opus ex Dei miſericordia, ſed in Epiſcopis eſt iuriſdictio talis: Ergo, &c.

Secundò, non tantum à culpa ſed pœna etiam

liberat Episcopus: *Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueritis super terram, erit & solutum in cœlis.* At hæc remittitur indulgentia vt culpa absolutione, non est hæc ergo ei potestas neganda.

Tertiò, potestas dispensandi thesauri Ecclesię eis competit, qui in ea principatum obtinent, prout expedit ad finem ministerij Ecclesiastici, qui est eiusdem Ecclesiæ vtilitas, cui expedit thesaurum hunc ab his dispensari, qui in ea clauum tenent: at Episcopi sic suis quisque prouinciis præsunt, vt in iis præter Romanum Pontificem, superiorem agnoscant neminem, ergo thesauri Ecclesiastici in eorum sunt manu, ergo & indulgentiæ. Non tamen quælibet & ad eorum arbitrium, nam iure ordinario, ampliores concedere nequeunt quam quadraginta dierum, vnius autem anni cum ab eorum vno aut pluribus, consecratur aliqua Ecclesia, Concil. Lateran. vt refertur in decretali cum ex eo de pœnitent. & remissionib. quam renouauit, Bonif. VIII. in cap. finali eiusd. tit. in 6.

Dico 2. *Episcopum electum & confirmatum, sed nondum consecrationis munere donatum posse populo indulgentias concedere.* Ita Abbas in cap. accedẽtibus de excessib. Prælat. Nauar. tract. de indulgent. nota 3. Ratio est, quod quæ sunt iurisdictionis illi competant, illico ac eius electio à Papa approbatur, Zabarella in Clement. I. de pœnitent. & remiss. Graff. in append. l. 2. cap. 2. num. 6. At indulgentiarum concessio, iurisdictionis est actio, cum id Episcopo non conueniat Sacramenti vllius ministerio, sed ratione potestatis illi traditæ ad dispensandum bona Ecclesiæ, quod ad iurisdictionem pertinet.

Deinde ex vi ordinis nemo habet subditos, at indulgentiæ non dantur nisi subditis cap. quod autem de remissionib. ergo potestas concedendæ indulgentiæ iurisdictionem sequitur non ordinem.

3. Potest ab Episcopo non sacrato, censura solui ergo & pœna per indulgentiam, cum qui est illius idem quoque sit istius effectus, nempe exclusio à beatorum cœlitum cœtu, vt censuræ remouere à consortio fidelium in Ecclesia.

Dico 3. *Etsi potestas concedendæ indulgentiæ soli Petro, eiusque successoribus immediatè sit à Deo credita, hanc tamen Episcopos, sibi quoque vendicare iure ordinario cum dependentia tamen à Papa.* Pars prima probatur. Est iurisdictionis Ecclesiasticæ potestas omnis immediatè soli Petro data his verbis. Quodcunque ligaueris super terram. Matth. 16. & Ioan. 21. Pasce oues meas, cæteris autem per illum, vt vel hinc patet quod Pontifex eius in Romana sede successor, eam arbitrio suo cohibeat ac laxet, vnis enim facultatem ampliorem quam aliis tribuit, non ordinis quidem, sed iurisdictionis, cum quorundam Diœceses latius pateant possintque Episcoporum aliqui in peccatorum reseruatorum absolutione, longe amplius quam alij Papæ voluntate.

Quod autem in iis potestas tribuendæ indulgentiæ sit ordinaria indicat hæc ratio: Quæ muneri sunt adiuncta, ac eius occasione debita Episcopo aut alteri, hæc ei non delegatione sed ordinario iure conueniunt: At est potestas concedendæ indulgentiæ, per se coniuncta cum Episcoporum munere, ad quos vt nemini est incognitum pertinet concessione Dei Principis, retinere & soluere, quorum alterum relaxatione culpæ consequitur, remissione pœnæ alterum.

Pars assertionis tertia fuit, Episcopos non iure diuino sed concessione Pont. Rom. dispensandæ indulgentiæ ius habere: hæc autem probatur primo Vigilij verbis in epist. ad Eleuth. cap. vlt. *Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, vt in partem vocatæ sint solicitudinis, non in plenitudinem potestatis*, hinc enim habetur, primò Romanam Ecclesiam præesse reliquis, Romanoque Pontifici subesse Episcopos, vti Marchianos & Comites Regi.

Secundò ab eo ad Episcopos deriuari potestatem ac iurisdictionem eamque limitatam restrictam ac illis tribui, & non à Deo immediatè illis concedi.

Alioqui eam Concil. Later. sub Innoc. III. ad certa temporum interualla non restrinxisset vt fecit, nam quæ iuris sunt diuini, vt tolli ac adimi homini, ita nec restringi queunt, sed potestas Episcoporum concedendi indulgentias ad annum vnum, in die dedicationis Ecclesiæ est restricta.

Dico 4. *Episcopi in tribuendis indulgentiis potestatem definitam esse ac certam*, nec enim pro cõsecratione Ecclesiæ ampliores quam anni vnius potest annuere pro visitatione vero 40. dierũ: Pontifice eorum in hac parte vires, facultatemque moderante. De Graff. appendicis l. 2. cap. 2. nu. 18. & habetur cap. cum ex eo de pœnit. & remissionib. *Ne per superfluas indulgentias quas quidem Ecclesiarum Prælati facere non verentur, claues Ecclesiæ contemnantur & pœnitentialis satisfactio eneruetur.*

QVÆSTIO VII.

Quæstio an legem Diœcesi ponere possit Episcopus, & si potest, an Decanum aliosq; sui cœtus Canonicos super ea ad Concilium adhibere debeat: postremo an eius legis vis sit tanta tamque late patens, vt etiam in exemptos, vim suam exerceat.

SVppono primò, Diœcesi regendæ præpositos esse à Christo Apostolisque Episcopos Act. 20. *Attendite vobis & gregi in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei*: vt præpositi Prouinciam obeunt statis temporibus vt collapsa erigant, labefactata restaurent. Trident. sess. 24. cap. 10. quam in rem ius & potestatem habent, vt Apostolorum successores sess. 23. cap. 4. & tanquam Apostolicæ sedis delegati sess. 24. cap. 10. statuere possunt, ordinare: moderari, punire, exequi, iuxta Canonum sanctiones quæ illis ex prudentia sua, pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ vtilitate, necessaria videntur, Trident. ibid. & quia plectere pœna merita nocentem, alteri non est concessum, quam iudici, ideo non sunt Episcopi quasi nudi perperam admissorum exploratores, sed iuridici delictorum vindices quadam velut magistratus functione. Ita appellantur can. de manifesta 17. 2. qu. 1. & cap. conquerente 16. de offic. ordin. *Dicuntur Episcopi habere in Ecclesiis & capellis suæ Diœcesis canonicam obedientiam, subiectionem, & reuerentiam, institutionem & destitutionem, correctionem & reformationem, iurisdictionem quoque causarum omnium, ad forum Ecclesiasticum pertinentium, &c.* Quam iurisdictionem obtinent, tam à iure canonico cap. cum venerabilis 21. de censibus & procurationibus cap. cum personæ de

priuilegiis in 6, quam occaſione delicti in ſua prouincia admiſſi, cap. ſane 3. cap. contingat 13. cap. poſtulaſti 14. de foro compet. ibi enim hæc Innoc. III ſcripta ad Epiſcopum epiſtola decretali referuntur. *Reſpondemus quod per Epiſcopum in cuius Diœceſi deliquit poſſit in eundem promulgari ſententia*: Et hanc eſſe cauſam reor, cur nonnullis viſum ſit dicere, Epiſcopos adminiſtratorum prouinciæ loco eſſe, ſic Pelæus in forenſibus lib. 1. actione 37. & proinde in quolibet Diœceſis ſuæ loco, ius dicere pro tribunali poſſe, cap. cum Epiſcopus de officio ordin. in 6. cap. cum venerabilis §. quia vero de exceptionibus cap. cum venerabilis de religioſis domi. Quod tamen in Gallia Epiſcopis facere eſt prohibitum, iuxta Choppin. ſac. Polit. lib. 2. tit. 8. num. 3. Bleyan. in theoria tractatu de maioribus & minoribus offic. numer. 48. Ægidium Meſtræum tract. de appellat. ex abuſu cap. 5.

Suppono ſecundò, Pontificum beneficentia, è religioſis quoſdam ab ordinariorum exemptos cura eſſe iureque. Alexandri quidem III. ſingularibus codicillis. Ciſtercienſes, quique in eorum familiam adſcripti ſunt coloni miniſtrique, eorum exemplar, commentariis ſuis inſeruit, Chopp. ſac. polit. lib. 2. tit. 3. num. 5. Franciſcanos quoque Alex. V. Nicol. IV. & Xiſti IV. diplomatibus Pont. exemptos eſſe habetur in mari magno Præmonſtratenſes etiam Alex. V. eiuſdē beneficio immunes eſſe ab Epiſcoporum poteſtate, declarat hæc eius oratio: *Prædictos Abbates præpoſitos priores Decanos, Conuerſos, Donatos, Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales, & perſonas Præmonſtratenſis ordinis, cum omnibus membris, curtibus, grangiis, domibus, bonis mobilibus, & immobilibus, & aliis rebus, quas poſſident, nec non Eccleſias, & alia loca, ab iſtiem Monaſteriis dependentia, ab omni ſuperioritate, dominio, iuriſdictione, necnon viſitatione quorumcunque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum iudicum ordinariorum, & officialium Eccleſiaſticorum, plenariè eximimus, & totaliter liberamus, illaque, ad ius, & proprietatem B. P. Apoſt. & ſedis Apoſtolicæ, & ſub earum ſpeciali protectione, ſuſcipientes, ea omnia decernimus præfatæ ſedi ſoli & immediatè ſubiacere*: Ex quo apparet, iure antiquo tantum in Monachos authoritatis habuiſſe Epiſcopos, quantum in ſimplices Clericos Diœceſis: His enim attributi, orietales quidem, in Chalcedonen. Concil. actionis 7. capitulo 1 his verbis. *Quoniam vero quidam ſub prætextu ſolitariæ vitæ, & Eccleſias & communes cauſas perturbant*: ὥϐε μη δὲ ἐξεῖναι τοῖς μοναχοῖς οἰκοδομεῖν μοναστήρια, πρὸς γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου, τὸν δὲ καθ' ἡσυχίαν πολιτεύεσθαι, καὶ χώραν μονάζουσιν ἐκκλησιαστικὴν μὴ ἐπιτέμνεσθαι τοῦ ἐπισκόπου· μὴ τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν συγχεῖν τῇ μοναχικῇ. Quæ totidem verbis repetita leguntur actionis 15. can. 4. iiſdem quoque Epiſcopis Occidentales Monachi addicti leguntur cauſa 16. qu. 7. can. omnes Baſilicæ 10. cum enim in eius Epiſcopi poteſtate, in cuius territorio ſunt poſitæ, conſiſtere iubeantur, haud dubiè, ei quoque qui illas incolunt, regendi aſſignantur: Maximè verò in Aurel. Concil. 1. can. 21. in hæc verba: *Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid fecerint ab Epiſcopis corrigantur, qui ſemel in anno, in loco vbi Epiſcopus elegerit accepta vocatione conueniant*. Iam ad quæſtionem, ecquid Epiſcopo integrum, legem ponere ſeruandæ ſtatis anni temporibus abſtinentiæ.

Dico primò *Quæ ad publicam Eccleſiæ, mentiumque ſalutem pertinent, hæc Epiſcopum, cum eſt opus, præcipere ſubditis poſſe*. Primò, quia Apoſtolis ſucceſſere Epiſcopi can. 2. in nouo diſtinct. 21. at ſucceſſorum eadem eſt quæ illorum, quorum loco ſuccedunt authoritas, ergo cum Apoſtoli, legem Chriſtianis dicere potuerint, iuxta poteſtatem, eius rei illis à Chriſto conceſſam, Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis ſuper terram*, Ioan. 20. *Sicut miſit me vinens Pater*: de qua fit quoque mentio can. loquitur Dominus, 24. qu. 1. cap. per venerabilem qui filij ſint legitimi cap. noua de pœnitentiis & remiſſionibus. Cum inquam Apoſtoli legem ſciſcere vniuerſæ potuerint Eccleſiæ, poterunt & Epiſcopi ſuæ prouinciæ.

Secundò, ſunt Epiſcopi regendæ Eccleſiæ, à Chriſto parente præpoſiti, Act. 20. *Poſuit vos Epiſcopos Spiritus ſanctus regere Dei Eccleſiam*: ea ergo poteſtate ſunt inſtructi, qua deſtituti ſi eſſent, commode non poſſent ac vtiliter bonis eam informare moribus, hanc autem legiſlatiuam eſſe, quis ſanæ modo mentis negatum ibit? Quare ea vſi neceſſariis temporibus Epiſcopi in ſuis quiſque Diœceſibus, vt loquuntur hiſtoriæ, quarum hic indicem texere, quid eſt aliud, quam in re non neceſſaria bonum otium ponere? Sane cap. ſi quis 2. tit. de maioritate & obedientia id eos poſſe, ſatis innuitur, cum abiici de Eccleſia iubetur, quiſquis contra decretum Epiſcoporum venerit. Quodenim eſt lex iuriſperitis, hoc nobis & Canonici iuris authoribus, Decreta ſunt & Canones..

Dico ſecundò, *Etſi poteſtas condendæ legis, quæ eſt in Epiſcopo à iure diuino ortum habeat, eſt tamen formaliter iuris humani, acceptaque à ſummo Pontifice*. Ita Theol. D Thom. maximè 4. contra gentes cap. 76. vbi ait à Chriſto claues promiſſas fuiſſe Apoſtolorum Principi, vt ſignificaret, earum vſum ab illo deriuandum in alios, ad conſeruandam vnitatem Eccleſiæ: idem tradit in 4. diſt. 10. qu. vnica cum ait Pontificem tantum in Eccleſia poſſe, quantum audere in regno conceſſum eſt Regi, proindeque in eo authoritatem ad Eccleſiæ commodum bonumque abſolutam eſſe, Epiſcopos autem ab eo in partem ſollicitudinis, curæque trahi, vt à Rege iudices, quique eius beneficio, iuri dicundo præſident, D. Thom. ſequitur Bellarm. 4. de Rom. Pontif. cap. 14. & probatur primo, ex can. ita Dominus diſt. 19. vbi id dicitur non obſcurè. Secundò ab æquitate, quid enim vnitati conſeruandæ, quid debitę inter omnes concordiæ accommodatius, quam vt à fonte aquarum riuos, ita & ab vno capite manare in omnes dicendi agendique poteſtatem? *Nec enim*, vt verbis vtar Vigilij cap. 7. decretalis ſuę ad Eucherium, tom. 2. Concil. *vlli tenuiter ſentienti, dubium eſt, quod Eccleſia Romana fundamentum ſit & forma ſit Eccleſiarum, à qua omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe; nemo recte credentium ignorat: Quamobrem ſancta Romana Eccleſia, eius merito, Domini voce conſeruata, & SS. PP. ſtatuta roborata, primatum tenet omnium Eccleſiarum, ad quam, tam ſumma Epiſcoporum negotia & iudicia, atque querelæ, quam & maiorum Eccleſiarum quæſtiones quaſi ad caput ſemper ſunt referenda*. Hęc ille.

Quid? quod poteſtas Pontificia, intrinſecè mutationem neſciat? quod ad omnes Chriſtianos ſe ligandi ſoluēdiq; actiones oēs ex æquo efferat abſq; incremento aut diminutione vlla? cuius enim Pontificis authoritas auguſtior, cuius vnquam maior, ac amplior extitit, quàm alterius? pari omnes fuere iure, pari ad hanc diem, in agendo poteſtate gauſi ſunt omnes. Quod de Epiſcopis dici ſimiliter

non poteſt, nam & eorum Diœceſes, magnitudine ſunt impares, eſt Carnutenſium ampliſſima iuriſdictio, Syluanectenſium autem ad 70. Paræcias eſt reſtricta. Quid? quod Epiſcopatus duo in vnum nonnunquam coeant? quod vnus idemque, ſæpe in duos authoritate Pontificis diuiſus abeat? quod ſeponere ſibi certa ſcelera Pontifex poſſit, in quæ nihil tentare Epiſcopis validè ſit conceſſum? iuxta Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. quorum omnium haud dubiè nihil eſſet, ſi antiſtitum poteſtas, iuris diuini eſſet, quæ enim à Principe Deo manant in homines, hæc coerceri diduciq; humano nequeũt arbitrio, nec proinde Pontificio. Quod tamen cum aggredi, ac facere Pontificem literis conſtet, ac exemplis, in ea opinione quam in aſſertione 2. poſui, etiamnum hæreo, etſi ſit antiſtitum authoritas in ſua radice humana maior, iuriſque diuini, vt ea tamen modo vtuntur Epiſcopi, humani eſſe.

Dico tertiò, *Valere Epiſcoporum decreta particularia licet inconſultis Canonicis poſita*: Quia ab iſtorum arbitrio voluntateque non pendet eorum iuriſdictio. Ecquid enim capiti membra imperant? an non iſtis potius, caput? ecquid Principi, ecquid Regi, legem dicunt ſubditi? an non his ille?

At ſunt Canonici, Epiſcoporum poteſtati obnoxij, quod enim Petro & illis quoque dictum. Pasce oues meas, Ioan. 21. quamlibet ergo Canonici abnuant quamlibet reclament, ac reſiſtant, nunquam tamen hoc à viris peritis ac probis euincent vt credant, ſe quoties de ſumma rerum, ac ſalute priuata ſuorum, Epiſcopi aliquid ſtatuunt, audiendos eſſe, ſequs legem nullam fore.

Deinde, etſi ad conſilium Cardinales adhibeat Pontifex ex decentia, tamen abſque Synodo ligandi ſoluendique poteſtatem habet, & hoc quidem voluntate Dei Principis, cui eam in vſu ſuo pendere ab hominum miniſterio non placuit, abſolutè enim ab eo dictum eſt Petro: *Quodcunque ligaueris, &c.* iam ergo, ſic diſputo Epiſcoporum quæ Pontificis eadem eſt ratio: cum quantum ille poteſt in Eccleſia', tantum & hi poſſint in ſua Diœceſi, ergo vt ille legem ſciſcere poteſt ſine conſenſu Cardinalium, ita & Epiſcopi ſine aſſenſu capituli.

Iam (quod tertium eſt de poſitis in quæſtione) videre eſt neceſſe an lege Epiſcopali de ciborum abſtinentia teneantur exempti. Et affirmantem ſunt ſecuti quotquot exiſtimauere à lege iuriſdictionis Epiſcoporum, Religioſos immunes non eſſe, ſed tantum à Diœceſana, eſt lex iuriſdictionis, (inquiunt) lex agendi, regendi, adminiſtrandi. Quicquid ergo inferendæ virtutis cauſa, aut expellendi de ciuitate ac Diœceſi vitij, molitur Epiſcopus id à lege iuriſdictionis eius proficiſcitur, vnde ſequitur, iſtorum doctorum opinione, peccare exemptos niſi præſtitutis ab Epiſcopo diebus abſtineant, cum præſcribere ieiunium imperare fidelibus abſtinentiam, iuriſdictionis ſit in Epiſcopo propria actio, facta non commodi aut vtilitatis cauſa, vt Diœceſanæ leges.

Nihilominus contraria ſententia mihi videtur tenenda: Nam non alij lege Epiſcopali de ieiunio ſeruando die Mercurij cuiuſque hebdomadæ obligantur, quam qui legiſlatoris ſunt ſubditi, at exempti vt nomen ipſum indicat, in ſubditis Epiſcoporum non ſunt ponendi, quia ſunt extra territorium, iuxta cap. 1. de priuileg. in 6. at Epiſcopo ius dicenti, extra territorium, non eſt parendum cap. 2. de conſtit.

Deinde quia ſubiectio & poteſtas, ſunt correlatæ, ergo ſi Epiſcopo poteſtas omnis eſt iuriſdictionis ablata in exemptos, eſſe hi non poterunt eius ſubditi, at verum eſt prius, nam obſequi Epiſcopo exempti tantum tenentur in caſibus iure expreſſis, vt colligitur ex cap. 1. de priuil. in 6. & aliis, in quibus eos Epiſcoporum iuriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta: At abſtinere & carere epulis, at certo die ſibi à carnibus temperare, res nõ eſt eiuſmodi in qua Epiſcopis exemptos parere oporteat, ſit indicio, quod Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. meminerit tantum cenſurarum ac feſtorum, tacite innuens imperare alia extra eorundem poteſtatem eſſe. Quare non videntur extra ſcandalum peccare exempti, à lege ſe Epiſcoporum, eiuſque vſu ac obſeruantia eximentes, niſi forte iuri ſuo ceſſerint, quod facere, num poſſint, examinabitur alias.

QVÆSTIO VIII.

An *Epiſcopus aliquid poſsit contra canones.*

EVertere humana iura, Epiſcopo eſt prohibitum, omni iure, naturali quidem hoc maxime nomine quod à recta ratione abhorreat eum excutere iugum prudentiæ, nec eorum imperia facere, quibus debet obſequium. Diuino autem quod quos ſubditos eſt nactus diuina benignitate, hos paſcere verbo & exemplo debeat, quod quî poſſit aſſequi Pontificum decreta non ſeruando, intelligere nequeo, cum ad Epiſcopi ſui mores animumque componere ſe populus ſoleat.

Quid ſi apertè operando ea non refigat, ſed ſciſcendo, ſed iubendo, ſed mandando in Synodo, quod eſt ſacris ac religioſis Pontificum legibus contrarium?

Reſpondeo, ne tunc quidem id Epiſcopo permiſſum eſſe. Quia ſuperioris ſui legem tollere Epiſcopus nequit, cum ea teneatur peræque ac cæteri ſui ſubditi: at tollit cum eius non vſum inuehit per ſtatutum ei contrarium, id ei ergo eſt illicitum.

Excipiendi ſunt caſus qui ſequuntur. Primus, cum ſtatutum quo vim facit canonibus, in ſui vnius eſt detrimentum. Quia iuri ſuo renuntiare cuique eſt licitum, cum priuilegiis ſuis vti nemo teneatur, Couarr. in regul. poſſeſſor parte 2. parag. 4. num. 90. Menochius conſ. 350. n. 6.

Secundus eſt cum res occurrit aliqua, ob quam contrariũ illi, quod à Papa decretum eſt imperari expediat, nec commode tamẽ moneri de eo poteſt quia abeſt, nec res moram patitur. Tunc enim opinione Doctorum apud Barboſam allegat. 93. num. 31. ſatis eſt in decreto cauſam ponere, ob quam neceſſe fuit contrarium ſciſcere, quam Pontificius canon iubebat.

Tertius, cùm decretum Epiſcopale ac Synodi, conforme eſt conſuetudini quæ in eà prouincia viget, cum enim non vſu, aut more oppoſito lex eſſe deſinat, non poteſt Papa queri, ſibi iniuriam fieri, per eam conſtitutionem, quæ quod conſuetudine introductum eſt in communes mores hominum, confirmat tantum & nihil amplius.

Quartus, cum canon permittit diſpenſari cum eo cuius

Digitized by Google

eo cuius causa est conditus, aut cum impersonaliter loquitur, vt si in eo dicatur, si dispensatum fuerit, Sanch. 8. de matrim. disp. 5. quia verba eiusmodi operari aliquid debent cap. si Papa de priuileg. in 6. cum non sit putandum ea esse superflue posita, vt forent si Episcopo potestas in eo dispensandi non esset, quia cum Papa amplissimam habeat, eius causa poni ea verba non debuere sed Episcopi.

Secundò, cum potestas dispensandi sit fauorabilis ampliari debet, non restringi, ampliatur autem cum ad Episcopum extenditur, ergo &c.

QVÆSTIO IX.

Quid Episcopo & quantum sit in vitiorum censura licitum.

EPiscopo ius esse componendæ prouinciæ, animaduersione, ac censura vitiorum, nemo opinor negatum ibit, qui eũ memineriti magistratuũ loco esse in Ecclesia, in quam audere tantum possit, cum res commodumque eius exigit, quantum olim proconsuli in prouincia, aut Regi modo in regendis subditis sibi gentibus permittitur Quare antiquo iure in quolibet Diœcesis loco, pro tribunali sedere, iusque dicere poterat, cap. cum Episcopus de potestate ordinarij in 6. Quod ei facere prohibitum est in Gallia, vbi proprium nullum territorium regni lege sibi vendicat, secundum Mestræum in tract. de appellationibus ex abusu cap. 5. nisi assignatũ aliquod habeat à Rege, cum profana potestate Comitum, Ducum ac Marchionum, quali frui aliquos Præsules memorat Chopp. de sacra polit. l. 2. tit. 1. num. 7. id enim beneficium cũ Regi; Episcopus acceptum debeat, vbicunque ei collibitum erit, sedem ponere, tribunal locare, ex eoque ius dicere petenti poterit, Boerius in decisionib. q. 268. num. 4.

Extra hoc tempus, suo debet esse prætorio contentus, in eoque potestatem suam exerere: Extra eius fines capi si quem iubeat, capto licet queri apud curiam de facta sibi iniuria, eiusque authoritatem appellare, tanquam ex abusu. Fabricius in Theoria tract. de maiorib. & minorib. 16. beneficijs litera O. ad marginem.

Et quoniam de Gallis Episcopis dici est cœptum, addere iuuat illis in hac corruptela temporum, vix reliquum aliquid esse præter nomen, nam quod olim, id est in auspicantis Ecclesiæ fœlicibus initijs Episcopus moliebatur cum laude, errata tam cleri quam secularium vt corrigeret, quemadmodum ei sancta Synodus Vernis habita sub Ludouico pio can. 3. imperat his verbis: *Vt vnusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tam de clero quam de regularibus vel secularibus ad corrigendum & emendandum secundum ordinem canonicum spiritalem, vt sic viuant, qualiter Deo placere possint.* Quod, inquam, Episcopo erat aureis illis sæculis, quæ ab errorum fœce pura erant, impune facere, hoc in Gallia ei modo tentare capitale est.

In primis enim, de hæresi inquirere ei nefas Franciſci primi lege Regia, quam vt regno vtilem probauit calculo suo curia pridie idus Iunij anni 1540. testimonio Chopp. l. 2. de sacra polit. tit. primo, quare eam quoque adhuc his temporibus in iudicando sequitur, etsi abrogatum constitutione Henrici II. lata 13 Cal. Nou. à 1549. & sacris Pontificum canonibus contrariam, quibus Episcopo crimen hæreseos disceptandum adscitur in cap. per hæc 17. de sententia ex communicationis in 6. cap. ad abolendam 9. de hæreticis cap. vt inquisitionis parag. prohibemus de hæreticis, in quorum priore dicitur, Episcopum in fidei causa, inquisitoris munere in sua Diœcesi fungi ac proinde hæreticos trahere posse ad suum forum: in duobus autem alijs capitibus, visum est Papæ illi committere eorum iudicium, qui falsis dogmatibus labefactant Ecclesiæ sinceros mores.

Secundo Episcopo vetitum est in Gallia, flagitiosos extra sua sepa, gallicè nominamus, *le Cloistre* mittere in vincula, nisi de consensu regij magistratus, aut concesso ei territorio Grassalius l. 2. Regalium cap. 10. nu. 1. Renat. l. 2. de sacra polit. tit. 1. Ioan Gallus q. 56.

Causam duplicem eius facti scriptores reddunt: Primam, quod inconsulto loci Domino, nemo ius dicere aut de reis quæstionem exercere debeat: eo quod iuxta commune iuris effatum, *ius dicenti extra territorium, impune non sit parandum*, sed non modo prouinciæ, sed & ciuitates quarum spiritalis procuratio Episcopo est commissa, iuris sunt regij, vt Principi parent in tẽporalibus, non Episcopo, ita non ab hoc, sed illo, vt bene gestæ rei præmia expectare boni debent, ita & improbi iusta scelerum suorum supplicia.

Huic causæ addunt & alteram, Quod si de magnis criminibus cognoscere Episcopis foret integrum, tarda forent, lentaque eorum iudicia, nam ab illis ad Archiepiscopum, ab hoc ad Papã appellare rei possent, itáque cum pœna quam sunt meriti, prorogare iudicia ac trahere, istiusmodi iterata frequentique Clericorum appellatione ad fora varia, quod est vitandum. Hæc illi, quæ quanta sint ac qualia, malo in aliorum opinione relinquere, quam in his meis commentariis ponere.

Tertio de Scholasticis, ac Collegiorum administratoribus cognoscere nequit Episcopus, Bleyanus de confratrijs litera V. ad marginem. Quia regio beneficio studiosi omnes vniuersitatis ab eius Cancellario, & Rectore iudicandi sunt non alio, Nam sententia iurisdictionem in eo exigit, à quo est dicenda in reum: at ea carẽt alij in Scholasticos quam Rector & Cancellarius, cum de cœterorum iudicum foro subducantur, isto Regis aduersum se munere ac priuilegio.

Quarto, inhibitum est Episcopo in Gallia, prædijs Ecclesiasticis manum injcere, templorum possessiones pro debitis occupare, idque antiquis decretis curiæ, de quibus Choppinus de sacra polit. l. 2. tit. 1. num. 2. & 3. quod senatus existimet regij hæc iuris esse, non Ecclesiastici.

QVÆSTIO X.

Quid in Religiosos Episcopis licitum.

PRimis Ecclesiæ temporibus, quod in laicos, idem audere Episcopi in religiosos poterant, nam & eos si quando errare contingeret, paterne admonebant officij Aurelian 1. tempore Symmachi & Clodouei regis can. 21. *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur.*

Quod hic autem dicitur de Abbatibus de monachis vniuersim præcipitur, in concil. Vernis ha-

bito anno 755. can. 3. *Vt vnusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tam de Clero, quam de regularibus, vel secularibus ad corrigendum & emendandum, secundum ordinem canonicum spiritalem, vt sic viuant qualiter Deo placere possint.* Quod exemplo Patrum concil Chalcedonensis statuisse illos credo: sic enim hi actionis 7. cap. 1. *Eos Monachos qui per singulas ciuitates sunt atque prouincias, volumus subijci Episcopo, & quietem complecti, & intendere solum ieiunio & orationi, & neque Ecclesiasticis, neque publicis rebus importunos existere, nisi forte iubeatur eos, propter necessariam causam, ab Episcopo ciuitatis.* Qui vero audent euertere huiusmodi formam, quocunque modo ὁ μὴ ὑποτασσόμενος τῷ ἰδίῳ ἐπισκόπῳ, ἢ μὴ εἶναι κλειστὰ τὰ τῶν μονάζοντων κατοικήματα ὁπωσοῦν ἢ μὴ μονάζοντες ἢ λαϊκοὶ ἔχοντα ἀκατάσκυτα, Cõc. Chalced. actione 15. can. 8. *qui formã euertere audent, nec proprio subijciuntur Episcopo, si quidem Clerici sunt, canonum correptionibus subiaceant, si vero Monachi vel laici communione priuentur.* Pœna ergo religiosorum subtrahentium se à iurisdictione Episcopi, est excommunicatio, renouata in Abbates can. 21. Aurel. 2. in hæc verba. *Abbates qui Episcoporum præcepta despiciunt, ad communionem penitus non admittantur, nisi contumaciam humilitate suscepta deponant.*

Et vero vt errantes laicos Episcopi corrigunt. Clericos autem pro qualitate criminis deponunt, Ita & cum Abbatibus monachos, *vt monasteria tam virorum quam puellarum secundum ordinem regulariter viuant, & si hoc facere contempserint, Episcopus in cuius Parochia esse videntur, hoc emendare debeat* concil habitum Vernis can. 5. Quid? quod in Cabillon. 1. can. 15. Moguntino 1. can. 12. vetentur Abbates quidquam aggredi, Monachi autem aliquid tentare, inconsulto, nedum renuente Episcopo loci, vbi versantur, quæ omnia, Episcoporum plenam potestatem in Monachos indicant. Mutata tamen modo sunt tempora, quodque religiosis Episcopi imperare possint maxime exemptis aut in quo delinquentes corrigere, parum admodum est reliquum.

QVÆSTIO XI.

In quibus casibus subsint exempti Episcopis.

EXemptorum nomine non alij hic intelligendi quam regulares, de ordinariorum suorum potestate, Papæ beneficio, subducti, cuius in eos gratiæ principium factum video in Lateran. concilio vbi contendente D. Greg. sacro senatui placuit, Episcopis edicere.

Primò, ne sua in posterum in eorum cœnobijs tribunalia ponerent.

Secundò, ne eis litem intendi, aut coram se causam illos dicere sinerent.

Tertiò ne religiosos eorum redditus minuerent, verba Greg. in eo Concil. sunt eiusmodi. *Missas etiam publicas ab Episcopo in cœnobio fieri omnino prohibemus, ne in seruorum Dei recessibus, & eorum receptaculis, nulla popularis conuentus occasio præbeatur vel mulierum fiat nouus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum, nec audeat ibi cathedram collocare, vel quamlibet potestatem habere imperandi, vel aliquam ordinationem quamuis leuissimam faciendi nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate.*

A Quæ beneficia auxere consequutis temporibus, Pontifices alij, nam tribus his priuilegijs addidere & alia, de quibus in mari magno.

De his ergo exemptis hic quæritur, an & quando aliqua Episcopi in eos sit animaduersio, & responsio est affirmans, authoritate Trident. multis locis nixa.

Primò ergo Episcopo licitum in eos animaduertere si quando extra claustra degant, cum superioris venia, non tamen sub eius obedientia Trid. sess. 6. cap. 3.

Secundò cum extra claustrum aliquid admittunt, pœna dignum, etsi enim inter sæculares versentur cum venia, si tamen hæc scriptis exarata non
B fuerit, eo quod superioris adeundi specie, eam non existimauerunt ad id necessariam, ab Ordinario tanquam desertores sui instituti puniri possunt, Trid sess. 25. cap. 4.

Tertiò, cum qui in Academiis studiorum causa degunt, alibi morantes quam in suis cœnobijs peccant Trid. sess. 24. cap. 4. & sess. 6. cap. 3.

Quartò, cum ingrediuntur sine habitu, quod etsi se cum superiorum suorum licentia facere dicant, eam tamen secundo mense ab ingressu in Diœcesim indicare debent, alioqui puniendi sunt arbitrio ordinarij, Trid. sess. 25. cap. 19. Quemadmodum & qui ex causa professionis factæ per
C vim aut ante ætatem, egrediuntur è Monasterio re prius non probata ordinario, Trid. ibid. veniaque ab eo non accepta manendi in sæculo ob defectum suæ professionis.

Quintò, cum de superiori loco hæresim populo proponunt, pœnis reprimi ac in officio contineri possunt ab Episcopo, Trident. sess. 5. nec tunc tantum, sed quoties de ea, culpa sua sunt suspecti, Piasec. prax. Episc. part. 2. cap. 3. art. 6. num. 9. nam tunc eos examinari de moribus vita ac doctrina est necesse, ac si nutare, si ambigere, si in fide minus stabiles esse fuerint deprehensi, pœnas quæ culpæ suæ pares videbuntur Episcopo, corpore luent. Est enim hic in hac causa Apostolicæ sedis delegatus & fidei inquisitor cap. ad abolendam de hæreticis parag. finali.

D Sextò, in his quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent subsunt exempti Episcopis: *Eorum correctioni iurisdictioni, visitationi*, Trid. sess. 25. cap. 11. *excepto Monasterio Cluniacensi, cum suis limitibus, & exceptis etiam iis Monasteriis seu locis, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores, iurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent*, Trid. ib. & sess. 7. ca. 7. Pius V. in constit. quæ incipit exposcit.

Septimò, cognoscunt Episcopi de crimine depositione digno, per regularem commisso, Nauar. consil. 16. de foro nec enim alius ab illis degradare
E eum potest cap. degradatio de pœnis in 6.

Octauo, Regularis ab Episcopo tanquam Apostolicæ sedis delegato, plecti potest, cum extra claustrum de licentia sui Superioris habitans, *etiam in domo deputata ad erectionem Monasterij, aliquid committit censura dignum, nisi in dicta domo sit Regularis obseruantia, & saltem viuat sub superiore conuentualiter.* Congreg. Concil. vt refert Geneuf. in praxi cap. 59. Trident. sess. 6. cap. de reform. 3. aut in Prioratibus ordinis ordinario subiectis, Innoc. IV. de priuileg. in 6. cap. 1. vel in ciuitate studiorum causa, Trident. sess. 25. cap. 4. de reform.

Nonò, vagabundi, & absque literis obedientiæ, per Diœcesim transeuntes, tanquam instituti

Digitized by Google

ſui deſertores retineri, incarcerari & puniri poſſunt Praſecius ſupra, multo magis ſi dimiſſo Religionis habitu, abſque licentia ſui Superioris, in Academia aliqua verſentur ſtudiorum cauſa, nam tunc ipſo facto excommunicationem incurrunt cap. vt periculoſa ne Clerici vel Monachi in 6.

Decimò, Regulares, *In exulibus cauſis mercedum & miſerabilium perſonarum extra Monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum iudicem à ſede Apoſtolica deputatum, in partibus habeant, in aliis vero, ſi ipſum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipſa ſede delegatis, conuenire, & iure medio ad ſoluendum debitum, cogi, & compelli poſſint*, Trident. ſeſſ. 7. cap. 14.

Vndecimò, electi è Monaſteriis, ob culpam, Epiſcopo loci vbi verſantur obſequi debent, cum iuſta imperat, ac ſi, (quod non eſt optandum) parere ei renuunt, aut in moribus, vitaque communi, quidpiam male conſulti, ac imprudentes admittunt, quod probare virtus, innocentiaque nequeat, in eos, violatæ modeſtiæ, legumque, exemplum pro auctoritate Epiſcopus ſtatuet, Nau. comm. 2. de regularib. ad canon. non dicatis 12. qu. 1. & conſil. 50. & 65. de regularib. Ratio eſt, quod religioſi extruſi clauſtris, ne perinde vt oues morbidæ, ſanis atque valentibus ſint noxæ, Dioceſano ſuo id eſt loci Epiſcopo, vbi ſibi ſedem elegere fortunarum, ac vitæ, morem gerere vt ſuperiori debent, ergo quod ei in Diœceſanos reliquos licet, cum peccant, eidem quoque licebit in Regulares Apoſtatas, aut electos.

Duodecimò, *Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterij degit, & extra ea, ita notorie deliquerit, vt populoſit ſcandalo, Epiſcopo inſtante, à ſuo ſuperiore, intra tempus, ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, ſin minus, à ſuo ſuperiore, officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo, puniri poſſit*, Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. imò delinquens hoc modo, & deprehenſus in aperto delicto, poteſt Epiſcopi imperio ad eius carceres deduci, ſi metus ſit ne effugiat, & interim inquiri de crimine ac audiri teſtes poterunt vt quam celerrimè fieri poterit remittatur ad ſuperiorem.

Decimo tertio, etſi communiter Monaſteria ſint à viſitatione Epiſcoporum exempta, poſſunt tamen commendata, in quibus ſeruatur regula, viſitare in defectum Superiorum, quos tamen monere prius debēt vt fungantur officio, Monaſteria ſibi commiſſa viſitent, emendāda emendent, qui ſi obſequi neglexerint, tùm Epiſcopus ea priuilegio quolibet aut appellatione nō obſtante, viſitabit & corriget Triden. ſeſſ. 21. cap. 8. de reform.

Decimoquartò, omnia Monaſteria quæ capitulis non ſubſunt, nec ſuos habent viſitatores regulares, ſi monita non ſe redegerint in Congregationem, viſitari ab Epiſcopo poterunt & corrigi, Trid. ſeſſ. 25. cap. 8. de Ref.

Decimo quintò, Religioſi manentes in Prioratibus aut Eccleſiis non comprehenſis ſub illorum priuilegiis, in omnibus Ordinario ſubiacent quandiu ibi morantur, Innoc. IV. cap. 1. de priuileg. in 6.

Decimoſextò, *Exempti, ratione delicti ſiue contractus aut rei, de qua contra ipſos agitur poſſunt coram locorum ordinariis conueniri, & illi quoad hoc, ſuam in ipſos iuriſdictionem exercere*, Innoc. IV. cap. 1. de Priuileg in 6.

Decimoſeptimò, Regularis productus intem coram Ordinario, & ibi falſum aſſerens, puniri ab eo poteſt. Aufrer. in Clem. 1. qu. 4. de offic. ordin. Ratio eſt, quod iniuriam ſibi illatam ſi eſt notoria & aperta, vindicare poteſt cap. cum & plantare de priuil. & cap. 1. de pœnis in 6. At in apertam redundat Epiſcopi iniuriam, quod quis eius iuriſdictionē turbare voluerit, deq; eius manibus nocentes eripere, vt fit falſo teſtimonio, ergo &c. Ita ſentiunt Salicetus in leg. nullum Cod. de teſtib. Cardin. in Clement. primam de offic. Ordinar.

QVÆSTIO XII.

An Epiſcopus relaxare poſsit iuramentum metu extortum.

SVppono primò, relaxatione tunc tantum opus eſſe, quando iuramentum eſt validum, & tale quod ſine culpa, impleri poſſit. Enimuero, *quod eſt contra bonos mores naturales, obligatorium non eſt*, regula non eſt obligatorium de regul. iuris in 6. at quod ſine peccato non poteſt fieri, eſt contra bonos mores naturales, ergo cum de ratione iuramenti validi ſit, vt obligationem inferat, iuramentum tantum, quod eſt validum & ſine culpa factibile, relaxatione indiget.

Suppono ſecundò, Relaxato iuramento, rem promiſſam neceſſario faciendam non eſſe, niſi quando iuramentum, promiſſa firmat, aut contractum, antequam probetur hypotheſis, meminiſſe conuenit, (quod ipſum explicabitur copioſius cum de contractibus) contractum iuramento tum firmari, cum ex inualido ac inani, fit validus ac proinde præſtandus in conſcientia, non firmari, cum naturæ ſuæ ſic relinquitur, vt qui erat inualidus, talis acceſſione iuramenti remaneat.

Ita declarata propoſitio probatur, promiſſum quod iuramento non firmatur, nullum ius homini tribuit ad rem exequendam, quæ ei eſt obiecta, & circa quam verſatur, & ſi eſt implendum, id non accidit, niſi in ordine ad Deum, cui fieret iniuria, ſi citatus fuiſſet in teſtimonium rei falſæ, at relaxatio iuriſiurandi facta Dei nomine per Epiſcopum, obligationem homini adimit implendi iuramenti, ergo & faciendi promiſſi.

Suppono tertiò, non conuenire inter ſe Doctores an iuramentum metu graui extortum ei qui iurauit neceſſitatem imponat ſtandi promiſſis; quæſtio quidem tractatur à Theologis in 3. diſt. 39. & dicunt, imponere niſi remittatur Diu. Thom. & Caiet. 22. qu. 89. art. 7. Leſſius 2. de inſtit cap. 42. dub. 2. num. 26. Sanchez 1. de mattim. diſp. 32. num. 1. Immol. in cap. verum 15. de iureiurando. Sotus in 4. diſt. 29. qu. 1. art. 3. Verum enim, hæc ſententia explicatione indiget, ergo ſciendum eſt in iuramento coacto obligationem eſſe duplicem, vnam qua aliquid homini promittitur alteram qua quis Deo obligatur, vt impleatur quod per eius nomen eſt promiſſum.

Dico itaque primo, ex metu graui factum iuramentum non obligare in quorundam ſententia quando iurans tacitè apud ſemetipſum dicit datum ſe, aut facturum quod promittit, ſi iubeatur ſi debeat, quia hoc meretur is qui vim intulit, vt ſibi promiſſum non ſeruetur.

Dico tamen ſecundo, videri mihi probabilius, id quod eſt iuramento coacto promiſſum, implen-

dum esse, & ita iusiurandum metu graui factum esse obligatorium, primo quia est absolutè voluntarium.

Secundò, quia vt est in cap. cum contingat de iureiurando, & in cap. secundo de pactis in 6. iuramentum tunc seruandum est, cum eius custodia non vergit in detrimentum aut salutis æternæ dispendium: At res promissa, cum iuramento extorto metu, exequutioni mandari potest, sine culpa maxime si non est illicita, ergo facienda.

Dico tertiò, *Iuramentum etiam obligare quatenus est factum Deo.*

Primò, quia in id incumbendum est singulis, ne mobilitate animi Deum vnquam aduocasse videantur in testem falsi, hoc enim in eius dedecus iniuriamque verteret, quod ne accidat, vnicuique prius est rerum suarum iactura, damnumque sustinendum.

Secundò, quod honor primæ veritati debitus postulet vt ei etiam ab inuitis exhibeatur, nec impediatur quis ab hoc pietatis officio metu, aut mali terrore, at iusiurandū est ob honorē primæ veritatis factū ergo implendū. Quare c. debitores 6. de iureiurādo dicūtur esse cogendi mutuatarij ad vsurarū præstationē, si eas se soluturos iurauerint, non quod ad eas ius vllum sit vsurario acquisitum, per iuramentum, sed quod Domino Deo id sit debitum, vt quam perfectissime potest eius honor cultusque integer maneat, præstatione rei, quam quis facturum se promisit cum iuramento.

Dico tamen quartò, *Iuramentum metu extortum non obligare nisi factum cum intentione se obligandi.* Quia actus agentium moralium, non se efferunt extra eorum voluntatem actualem, aut tacitam, ergo si ore tantum tenus iurat aliquis, se daturum & non cum intentione præstandi quod iurat, non tenetur: E contra conceptum absolutè ac sine exceptione, aut restrictione vlla animi, quæ in corde lateat, implendum est integre, iuxta modos, quos sibi iurans iurando præstituit, secus facere, est mortaliter peccare, & iusiurandum fallum reddere. Sotus in 4. dist. 29. qu. 1. art. 3. Adrian. in 4. tract. de rest. C. aggredior Comitol. lib. 2. resp. quæst. 2. num. 2. Diu. Thom. 22. quæst. 98. art. 3. ad 1.

Dico quintò, *In Ecclesia tanquam Catholica potestatem esse condonandi iuramenti, cui metus iniustus causam dedit.* Diu. Thom. 22. qu. 89. art. 9. ad 3. Panorm. & Innoc. in c. quanto de iureiurando, & sic per eam condonationem tollendi eius obligationem ac vinculum.

Probatur primò, ex cap. si vero de iureiurando, vbi dicitur, ei qui cum iuramento renuntiauerat beneficio, ob metum sibi impressum, petendam esse remissionem iurisiurandi sui, supponit ergo Pontifex eam esse possibilem, cap. autem verum 15. eodem tit. dicuntur ij absoluendi esse, qui inuiti pro vita, aut rebus suis Sacramenti religione se astrinxerunt. *Verum in ea quæstione quæ quinto loco ponitur, an à Sacramenti vinculo absoluantur qui istud inuiti pro vita, & rebus seruandis fecerunt, nihil aliud arbitramur, quam quod autecessores nostri Rom. Pontifices arbitrati fuisse nesciuntur, qui tales à iuramenti nexibus absoluerunt.* Verum ergo est quod dicitur, residere in Ecclesia, condonandi iurisiurandi facultatem.

Secundò, habet Ecclesia Dei beneficio, quidquid ad animorum commodum, salutemque pertinet, at est vtile non modo, sed interdum etiam necesse, ad salutem animæ, eum qui iurisiurandi religione obligatus hæret, ea eximi, ne quid inde damni ferat ac spiritalis incommodi. ergo &c.

Dico sextò, *Iuramentum relaxari posse ab Episcopo, cum est factum Deo, aut si homini, cum hic caret iure inuiolabili ad rem promissam.* Primæ partis probatio facilis, nec enim iuramentum quo quid Deo promittitur, aliter obligat quam votum, at hoc solui potest ab Episcopo ex iusta causa, vt probauimus tract. de voto. Quid? quod priuilegia quæ sunt in fauorem amplianda sint non restringenda quod vinculum voti melius sit quam iuramenti, ergo cum Episcopus possit primum, nec secundum ei negari debet.

Pars assertionis altera, sic ostenditur: Causa cur iuramentum, quo quid alteri promittitur, solui debeat, est, quia negatio solutionis dānosa creditori foret: At id non accidit cum hic ius ad rem promissam immutabile nullum habet, quali caret tum eam metu extorsit, eiusque donandæ certitudinem iuramento firmatam, nam eam sic obtentam tenetur restituere, quod non esset, si aliquo ad eam iure gauderet, vera est ergo assertio.

Sane tradit Diu. Thom. 22. quæst. 89. art. 7. ad 3. iuramentum metu expressum implendum esse, reuerentia numinis, non hominis causa, cui est factum, quod respectu eius non obliget, cum hic ius nullum per iniustitiam acquirat, nihil est ergo, quamobrem hic queri possit, iuramenti vim omnem, per condonationem sui, ab Episcopo tolli.

Confirm. cap. verum 15. de iureiur. Cœlest. Papa III. ait à iuramenti nexu liberatos esse, qui inuiti pro vita & fortunis illud fecerant & cap. si vero 8. eiusd. tit. Alexand. III. fatetur Clericos qui coacti ministerium Ecclesiæ abiurauerant, de iuramento beneficium absolutionis meruisse, quod eis iniuria illata fuisset ab extorquente iuramentum: ergo cum hanc potestatē relaxandi iuramenti sibi Papa specialiter non reseruet, Episcopus poterit illud relaxare: quia vt dicitur in cap. Nuper de sentent. excomm. earum rerum quas Papa sibi nō reseruat, potestas est à Papa cōcessa Episcopo.

Dico vltimo, *Posse quoque Episcopum relaxare iuramentum expressum metu de re faciendā aut danda, ad quam aliunde tenebatur iurans*, quia iniuria est ei illata, expressione iuramenti per vim ac metum, ergo quod canones ante citati dicunt absolutè de passis iniuriam in iurando, ad istos transferti debet, & sic iuuari per Episcopum.

QVÆSTIO XIII.

An Episcopus dispensare possit in votis Papæ reseruatis.

DE his præcipue, mihi sermo. Nam quæ Pontifex ob iustam aliquam causam sub se posita ac reseruata noluit, in his Episcopo ius est dispensandi & ea commutandi Comit. l. 2. resp. q. 10. n. 2. causa est, quod quæ Papæ est in vniuerso orbe terrarum authoritas, hæc sit antistitis cuiusque in sua Diœcesi. Henriquez 6. de pœnit. cap. 14. n. 7. & lib. 10. de Sacrament. ordin. cap. 15. num. 2. Maiolus 5. de irregul cap. 51. Enimuero vt illi à Deo principe commissa est Ecclesia, ita & Episcopo sua prouincia, vtrique enim dictum, in persona Petri Pasce oues meas Ioan. 21. Quare Episcopus Diœcesis suæ rector est Pastorque ordinarius, vt Pontifex Ecclesiæ vniuersæ: ergo quæ hic vota sibi non

reſeruauit, Epiſcopus ex cauſa illis eximere ſubditos ſuos, ac abſoluere poterit.

De reſeruatis ergo integra eſt quæſtio, cuius vt ſit intelligentia facilior.

Suppono 1. vota non alia reſeruari Pontifici quã quæ ſunt concepta, de ineunda religione, ſeruanda caſtitate perpetua, ſuſcipienda peregrinatione, ad limina Apoſtolorum, Hieroſolyma, & Compoſtellam.

Suppono 2. quod notarunt Pater Leſſius l. 2. cap. 40. n. 122. Viuald. in candelabro ſacramentorum 3. parte cap. 14. Angelus verbo votum 4. num 6. vota tria quæ ſunt à nobis poſtremo loco numerata probabiliter non eſſe reſeruata Pontifici, niſi cum ſunt emiſſa in eorum locorum ſubſidium, ad quæ peregrinatio ex voto promittitur, id enim expreſſe de peregrinatione Hieroſolymitana dicitur cap. ex multa, cap. ſuper his 3. de voto. Similter de alijs duabus, nempe ad limina Apoſtolorum & Compoſtellam ſcripſit Abbas in cap ex multa n. 4. Panormit. ib. Anglez de voto art. 8. diffic. 6.

Suppono 3. reſeruare idem eſſe, ac ius ſibi in rem illam retinere quæ reſeruata dicitur, patet: nec enim aliam ob cauſam, ſacerdoti ſimplici inhibita eſt reſeruatorum abſolutio, quam quod iuriſdictione in ea omni careat, eſt ergo reſeruatio, poteſtatis in rem reſeruatam retentio. His præmiſſis

Dico. 1. *Epiſcopum primo & per ſe diſpenſare non poſſe in his quinque votis, Papæ reſeruatis, ſi nulla in eis ſit mutatio ratione materiæ, aut aduenientis alicuius circunſtantiæ*, primo quia talis eſt Eccleſiæ, quam late patet orbe toto, opinio.

Secundò quæ criminum eadem quoque eſt votorum ratio, at in illa audere cum fructu aliquid Epiſcopo eſt vetitum, extra mortis articulum, aut neceſſitatis extremæ tempora, cum hæc peculiari ſuo iudicio reſeruata Pontifex voluit. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. & can. 11. h. s verbis. *Si quis dixerit Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, & caſuum reſeruationem non prohibere quominus ſacerdos à reſeruatis vere abſoluat, anathema ſit.* Ergo extra tempus mutatæ materiæ, aut aduenientis alicuius circunſtantiæ, in reſeruata vota Pontifici, prohibitum eſt Epiſcopo quidquam in eorum cauſa aggredi.

Dico. 2. *id eſt tentare permiſſum eſſe, cum res promiſſa à materia reſeruata natura deficit.* Ita Leſſius l. 2. cap. 40. dubio 18. ratio eſt quod non alia ſibi vota ſeponere Pontifex ſoleat, quam quæ proprie ſunt talia, at quæ à naturâ materiæ reſeruatæ abeunt, proprie non ſunt de votorum reſeruatorum genere ergo cum Epiſcopo fas ſit in cauſa ſubditæ ſibi gentis, id omne facere, quod ſibi peculiariter Papa non retinuit, ab eius poteſtate remoueri vota non poterunt, quæ proprie non ſunt in materia reſeruata.

Infertur hinc primo, Epiſcopum in voto caſtitatis temporariæ diſpenſare poſſe, cauſa eſt, quod cũ de caſtitate agitur votum tantum de ea ſeruanda in perpetuum, ſibi retineat Pontifex non aliud: Leſſius l. 2. cap. 40. dub. 18. Regin. l. 4. tomi primi in decalog. cap. 40. Sayr. clauis regiæ l. 6. c. 11. num. 48. Azor. moral. l. 11. cap. 19. q. 6.

Infertur 2. idem ei quoque licitum eſſe cum votum ſibi reſeruatum commutauit Pontifex, in rem aliam, à commutatis diſtinctam, quales ſunt, oratio, abſtinentia, aſperitas aliqua corporea, aut quid ſimile, ratio eſt primo quod per commutationem, obligatio prioris voti delinat 2. quod incipiat noua quædam contrahi voluntate eius, qui loco materiæ promiſſæ, aliam recipit Sanch. 8. de matrimonio diſp. 9. num. 20. Sayr clauis regiæ lib. 6. cap. 11. num. 23. Leſſius l. 2. cap. 40. dub. 15. num. 124.

Infertur 3. ab Epiſcopo poſſe remitti coniugibus votum quo ſe obligauere ex mutuo conſenſu ad non petendum debitum, primo, quia hæc promiſſio non eſt ſimilis ei qua vouetur caſtitas perpetua, cum alterutri, mortuo conſorte ſit impune ad alias tranſire nuptias, quod obligato perpetuę caſtitatis lege non licet. Deinde habet caſtitas, quam quis ſibi imperat per votum, voluptatibus omnibus indictum bellum, adeo vt eius violatę ſit reus, qui eas ſibi cogitatione ac animo duntaxat libandas putat, Quod de eo dici haud dubie non poteſt, qui poteſtatem petendi debiti, exemptam per votum ſibi voluit. Enimuero eſt lex voti, libertati contraria, odioſa & grauis, ergo coercenda eſt ac quam honeſte poteſt, reuocanda intra limites ipſarum vocum quibus eſt conceptum. At laxatur, cum extra verba voti, eorumque notionem germanam, & proprium, ad alias transfertur, vt ſunt in materia præſenti moroſæ delectationes tactus &c. Qua de re plura Sanch. 8. de matrimonio diſp. 9. nu. 9. & ſequentibus Leſſ. l. 2. cap. 40. dub. 18. & alij. Idem dicendum de voto non nubendi Angel. verb. votum 4. num. 9. Nau. cap 12. man. num. 76. ratio eſt quod velle abſtinere à nuptiis, non ſit ſibi perpetuæ caſtitatis legem indicere, cum fornicando nihil, *qui ſic vouit*, admittat contra ſuum votum, ſed tantum contra præceptum.

Item diſpenſabit Epiſcopus in voto virginitatis, vbi primum vouens aliquid in ſe admiſerit cõtra pudicitiam. quia qui virginitatem Deo promittit, obligat ſe ad conſeruandam carnis ſuæ integritatem, hæc autem amittitur per actus impuros.

Tertiò, diſpenſat Epiſcopus in votis caſtitatis pœnalibus & conditionatis, votum pœnale erit, ſi in pœnam peccati admiſſi, aut admittendi concipitur, vt ſi dicas, obligo me ad caſtitatẽ ſi id fecero. Votum conditionale eſt cum ei conditio apponitur quæ eius effectum ſuſpendit, vt voueo Religionem ſi conualuero. Ratio eſt, quia Pontifex non reſeruat ſibi niſi vota abſoluta & concepta ex affectu virtutis quæ promittitur, at votum pœnale, & hypotheticum non eſt tale, pœnale enim fit in pœnam, vt illius metu vouens retardetur à peccato: conditionale autem, ex affectu ad bonum ſeu beneficium quod à Deo expectat, neutrum autem ex amore virtutis quæ vouetur: Laym. lib. 4. tract. 4, cap. 3. nu. 1. 10.

Dico tertiò, *Non modo cum mutatio aliqua in materia voti reſeruati intercenit, Epiſcopum in eo diſpenſare poſſe, ſed etiam cum materia remanente eadem, circumſtantia aliqua occurrit, ob quam expedit, vinculum eius ſolui*, vt ſi ob infirmitatem non poteſt vouens viuere in religione valde auſtera ad quam ſe obligauit poterit Epiſcopus diſpenſare cum eo vt laxiorem ingrediatur.

Aſſertionis cauſa prima, hæc eſt. Quod non videatur ſuperior id eſt Papa tam ſtrictè ac illiberaliter habere fideles velle, vt in quolibet euentu eos voto ac eius lege teneri velit. Decuit ergo ne hi incerti fluerent, ſuique neſcij, ius ac poteſtatem in Epiſcopo eſſe illud tum laxandi.

Secunda, Quod cum inuigilare Eccleſię, in eius ſalutem incumbere Papæ ſit neceſſe, non videatur id conſequutus à Deo Principe, vt poteſtate ſciſcendarum legum, ſibi ab eo tradita ad alia vteretur quam quæ nobis ſunt ſalutaria, alioqui medicina abiret in noxam, mali remedia in animæ pernicię At nolle Papam neceſſitatis fidelium ad Epiſcopo

rationem vllam haberi cum de legibus ſuis agitur, eſt authoritatem ſuam in animæ damnum vertere, cum ſuperiorem oporteat de iure ſuo remittere, quando ſalus communis aut priuata aliquorum id exigit, vt in præſenti negotio accidit, ergo ex tacita Papæ voluntate permiſſum eſt Epiſcopis diſpenſare in votis Papæ reſeruatis, cum res aliqua accidit, ob quam id fieri ratio, humanitaſque poſtulent.

Quartò, ſequitur ex dictis Epiſcopum poſſe diſpenſare in votis ieiunandi diebus Veneris, ſeptem Pſalmos ſemel in hebdomada recitandi, octauo quoque die de ſuis peccatis confitendi, & ſimilibus, quia talia vota non ſunt ex eorum numero, quę ad ſolius Romani Pontificis poteſtatem pertinent.

Quid ſi ſunt perpetua? quid ſi nuncupata non ad vnum annũ, aut duos ſed ad tempus integrum vitæ?

Reſpondendum, tempus Epiſcoporum poteſtati non obeſſe, & vt ieiunia perpetua non diſtinguuntur eſſentiâ à non perpetuis, ita nec vota, quæ ſunt de opere faciendo certo ac determinato opere, ab iiſdem continuandis tota vita.

Scio Diu. Thom. eorum votorum quæ perpetuitatem habent, diſpenſationem Pontifici Rom. tradere in 4. diſt. 38 quæſt. 1. art. 4. ſed nego cum Sylu. in verbo votum 4. q. 3. dicto 6. hoc eius dictum intelligendum eſſe de aliis votis quam quæ maiora ſunt, cuiuſmodi ſunt quinq; reſeruata ſummo Pontif. quæ obligationem habent nullo tempore interruptam, cum nullo non tempore caſte ſit viuendum, nullo non capeſſenda religio, promiſſa ex voto.

Dico 4. *Circunſtantias fere omnes, à quibus habet Epiſcopus vt in votis Pontifici reſeruatis diſpenſare queat, à venente ipſo peti, eius generis circunſtantiarum genera quatuor eſſe video, aut enim eius paupertate mouentur, aut periculo peccandi, lenitate eiuſdem aut incertitudine voti, ac dubio.* A paupertate quidem Epiſcopus induci poteſt ad diſpenſandum, in voto. Quia cum hæc vrget qui voto aſtrictus hæret, Romam ire nec mittere poteſt facile, ergo Epiſcopo iuſta tum eſt ex tacita Papæ voluntate cauſa, diſpenſandi cum eiuſmodi homine. Quemadmodum & quo tempore periculum eſt incontinentiæ aut contrahendæ alterius culpæ, nam diſpenſare in Papę lege, Epiſcopo eſt impune, cum id neceſſitas exigit: Syl. verbo votum 4. Nau. in ſumma cap. 12. num. 76. Sanch. 2. de matrim. diſp. 40. num. 3. at ſi quando eſt neceſſe abire à Papæ lege Epiſcopo annuente, tum maxime, cum metus eſt intemperantiæ, aut admittendæ alicuius culpæ.

Deinde (quæ eſt Leſſii ratio) non vult Pontifex eo tempore quidquam imperuium eſſe Epiſcopo ac ab eius iure ſemotum, cũ non ſit probabile delectari illum humanis caſibus, eorumque periculis vt fieret, ſi tum nollet eum poteſtate vti, qua citra reſeruationem, pollet in prouincia, cui eum præſidere Deus voluit.

Huc pertinet metus ſcandali, infamiæ, damni grauis inferendi tertio alicui, vt ſi diſſoluto matrimonio quod nullum fuit ob impedimentum occultum, periculum eſſet, ne liberi religione exciderent, aut in arma conſanguinei ruerent, aut qui cum voto religionis, virgini vim intulit, eam capeſſeret, occaſione poſtpoſita quam præclaram habet & promptam, iniuriæ reparandæ, per matrimonium, ad quod etiam paratum ſe indicat. Tunc enim quia res moram non patitur in impedimento quod non eſt cognitum votoque religionis emiſſo, diſpenſare Epiſcopum poſſe ſcripſit Sanch. l. de matrim. 8. diſp. 9. num. 21. cum ſi Papæ expectanda voluntas eſſet, vt ſunt hominum ingenia ad mutationem prona, & hic à deſtinato coniugio, quod puellæ eſt pollicitus abiret, & propinqui ſanguine mutuo maderent, dum Roma expectatur diſpenſatio.

His cauſis adiungendæ ſunt & aliæ duæ, dubium nempe ſeu incertitudo animi ſuper voto, & vouentis leuitas: Enimuero habet votum ab inaduertentia, vt vim eius remittere poſſit Epiſcopus At eſt animo inſita leuitas, magnum & efficax argumentum animi male compoſiti, nec ſatis aduertentis ad ea quæ molitur, ergo cum de ea conſtare poterit Epiſcopo, quin eum qui ſic imprudenter votorum vincula ſibi iniecit, libertate donare poſſit non video.

Idem mihi iudicium de dubio emiſſi voti, fac ergo incertum tibi eſſe, an quid voueris, nempe quia nulla tibi ſuppetunt eius rei indicia, quæ negatiua eſt dubitatio, vel quia probabiles à te faciunt coniecturæ de voto nunquam nuncupato, quod dubium poſitiuum eſt, prætermiſſo Papa, Epiſcopum tuum adire potes diſpenſationis habendæ cauſa, Quia cum diſpenſationis reſeruatio votique, odioſa ſit plenaque oneris, reſtringi debet ad ea quæ ſunt certa, at animi in vtramque partem vacillantis agitatio, certitudinem admit: ergo vota quæ ſunt dubia, in reſeruatis proprie non ſunt cenſenda.

QVÆSTIO XIV.

An Epiſcopus diſpenſare poſſit in executione voti reſeruati, aut de perſeuerantia in religione, quam quis eſt ingreſſus ex voto.

TRactatur hæc quæſtio à patre Sanchez l. 4. decal. cap. 40. num. 75. n. 76. Suar. tract. de voto l. 6. cap. 26. num. 11. & 12. Anglez in florib. 2. parte q. vnica de voto art. 8. difficultate 9. concluſ. 4. Quæ in rem præſentem faciunt exponam paucis.

Dico ergo primo, *exequendi voti tempora, prorogari poſſe facultate Epiſcopi*: eſt contra Suarez & Anglez locis citatis quibus eſt viſum, omnem illi poteſtatem adimere, circa hunc voti modum & circunſtantiam, ob has cauſas.

Prima quod cum de differendo voto agitur, Papa conſulatur, non Epiſcopus, vt conſuetudo regnorum omnium indicat, quod circunſtantia cum eius ſubſtantia ſit implexa, nec enim differri poteſt voti præſtatio, quin ipſum quoque attingatur, reique Papæ reſeruatæ materia, in quam tamen Epiſcopo (inquiunt) quid conceſſum?

Perſto nihilominus in ſententia, in quam me impulere argumenta ſequentia.

Primum quod voti dilatio non ſit votum, ſed eius modus, ergo non comprehenditur lege reſeruationis Eccleſiaſticæ.

Secundum, quantocunque tempore differatur voti executio, remanet tamen ſemper eius obligatio, ergo dilationis conceſſio, non eſt voti irritatio, aut eius vlla diſpenſatio.

Confirmatur, Poteſt Epiſcopus cum eſt vtile, aut neceſſe permittere ei qui eſt obligatus religionem profiteri ex voto, vt pro inſtituto vitæ cœnobiticæ acri & aſpero, quo tenetur lege voti, lenius meat, ac moderatione ſua facilius, pati item poteſt non

tantum, ſed & annuere poſtulanti, vt ad iter Romanum, aut ſacra loca, impreſſa Chriſti Domini veſtigijs, vtatur equo vel rheda. At eſt ſeueritas in victu, vitaque, religionis modus ac circũſtantia, quemadmodum & peregrinationis Hieroſolymitanæ, vel ad Apoſtolorum limina, quod pedibus fiat, ac labore maiore, quam cum ad eam adhibetur equus. Ergo diſpeniare in modo voti reſeruati Pontifici, Epiſcopo conceſſum eſt; ſine ſcelere, ergo & in eius dilatione.

Ad argumenta. Reſpondendum eſt, priori quidem, conſuetudinis eius notitiam nobis nullam eſſe, quæ ſi aliqua talis foret, quod non exiſtimo, non haberet ea tamen vires, ad morem in Rempublicã inuehendum neceſſarias. Quod conſuetudini non ſit initium niſi ab actionibus non ſpontaneis, ex Poſſeuino de officio curati cap. 2. num. 2. quæ enim libere quis facit ac non coactus, ſeu ex gratitudine hæc non ſunt idonea generandæ conſuetudini, quã in operando ſequi ſit neceſſe, Rebellus. 1. parte de obligat iuſtitiæ qu. 5. num. vltimo. At ſi quando ſancta ſedes conſulitur, ſuper dilatione voti, eiuſque reiectione in tempus aliud quam quod animo vouens deſignauerat, id gratis fit à conſulentibus ac libere, & ſecuritatis maioris cauſa, cum à Pontifice prorogandi voti ſui ac præſtationis eius, factam ſibi poteſtatem vident.

Ad ſecundum dicendum eſt, attingi voti ſubſtantiam, cum in eius modo diſpenſat Epiſcopus, id tamen non obeſſe, quo minus hoc audere valeat, nam in eo proprie non eſt diſpenſatio, cum hæc nõ accidat, niſi re condonata, ac remiſſa, quod hic non euenit vt patet.

Alterum quod in quæſtione eſt poſitum, non ita expeditos habet ad intelligendum aditus, Quibuſdam exiſtimantibus, ei qui religionem Deo eſt pollicitus, ſi cupiat voti ſponſione liberari, aut perſeuerandum eſſe in illa ad extremum vitæ ſpiritum, aut vero Romani Pontificis, qui omnium religionum ſummus eſt Antiſtes, ac hierarcha, tribunal tentandum eſſe, ab eoque imperandam ab ordine, domoq; in quam fœlici auſu eſt ingreſſus, miſſionem in ſæculum.

Sanchez lib. 4. ſummæ cap. 40. nu. 75. Hoſtienſ. in ſumma tit de voto, num. 6. hoc ipſum conficiunt hoc argumento. Qui religionem ſpondet Deo Principi, vouet in ea quoque perſeuerantiam ſaltem tacite, nam Religioni nomen dare, eſt religioſum fieri, id autem perſeuerantia fit maxime, ergo vt in voto religionis ineundæ diſpenſare Epiſcopus non poteſt, ita nec in perſeuerantia promiſſa per votum expreſſe aut tacite.

Opinionem huic oppoſitam amplectitur Leſſius de iuſtit. l. 2. c. 41. dub. 5. nu. 46. quæ mihi quoque ſic vera videri ſolet vt nulla eam ratio mouere valeat, Eſt enim his argumentis ſubnixa.

Primum, quod diſpenſare in perſeuerantia non ſit (inquit Leſſius) diſpenſare in voto religionis, ſed in exequendi modo.

Secundum quod vota perſeuerandi in religione eamque capeſſendi ſint diuerſa. Nam quis neget ſacra vincula renuntiandi ſæculo, ac intrandi cœnobij, poſſe ſibi aliquẽ inferre per votum, abſq; eo quod ſtabilem in illo conſtantiam retinere inducat animum? Differunt ergo vota de Religioſo ſuſcipiendo ordine, & perſeuerantia in ſuſcepto retinẽda. Sane ſic obligat hoc poſtremum ad difficultates oneraque ferenda omnia, quibus religioſus eſt impar, ob imbecillitatem corporis, vt omnem ſibi poteſtatem per hoc votum ademptam eſſe voluerit, repetendi ſæculi, quod cuiquelicet, cum ad primum votum hoc ſecundum non addidit firmitatis ac conſtantiæ in inchoato vitæ religioſæ genere. Enimuero cum quis eius inſtituẽdæ legem ſibi dicit religionem vouendo, ex tacita diſpoſitione iuris, conditionem hanc voto ſuo ſubintellectam eſſe vult *ſi bona fide in probatione deprehendere ingenio tam meo quam viribus eſſe idoneam*. Quare dum annus voluitur qui cuique eſt benignitate Eccleſiæ probandis tam animi quam corporis ſui viribus præſtitutus, pedem referre, in ſæculum relabi, priſco inſtituto moribuſque viuere poteſt ſi eius mutationis cauſam habet Sanchez 8. de matrim. diſp. 9. num. 18. Leſſius l. 2. de iuſt. dub. 5. num. 45. eſt ergo votum de ingredienda religione, ab eo quod eſt de perſeuerantia diſtinctum.

Ad argumentum oppoſitæ ſententiæ dicendum eſt, perſeuerantiam tacite in religionis ineundæ voto includi, non abſolute, ſed hypothetice, in quãtum, poſt exploratas vires ſuas anno probationis integro, ea videbitur ad beatæ vitæ immortalitatem idoneã profeſſuro eſſe.

Dicendum ſecundo, falſum eſſe quod in minori ponitur, aliquem religioſum perſeuerantia fieri, cum præter tria vota ſubſtãtialia, recepta à ſuperiore cũ approbatione Eccleſiæ, nihil poſtuletur. Sũt ſane Apoſtatæ in religioſis cenſendi, & tamen ex cuſſo obedientiæ religioſæ iugo, in fœdus turpeſque ante actæ vitæ mores ſunt relapſi.

Poſtremo dico conſequentiam falſam eſſe, quod perſeuerantia ſit emiſſi voti qualitas, quæ nuſquam Pontifici reſeruata eſſe legitur.

QVÆSTIO XV.

An Epiſcopus vota quælibet commutare poſsit in alia.

Diuo Thomæ placuit dum viueret, eorum votorum quæ perpetuitatẽ habent, diſpenſationem ac commutationem ſolius Pontificis Romani, propriam eſſe, ſic expreſſe in 4. diſt. 88. q. 1. art. 4. quæ ſtiuncula 2. & in 22. q. 189. art. 9.

Mihi mens alia, vt enim exiſtimem Epiſcopos, in commutandis votis quinque, quæ Pontifex ſui iuris eſſe voluit, nihil poſſe moliri cum effectu, & valide ſine eius authoritate & conſenſu, quod ſancto Doctori tantum placuiſſe aſſerunt Antoninus in 2. parte ſuæ ſummæ tit. 10. cap. 2. parag. 9. notab. 4. & Sylu. verbo votum 4. qu. 5. dicto 6. Ob eam cauſam opinor, quod commutatio, quæ vnius cuiuſpiam eſt operis in aliud tranſlatio, diſpenſationem admixtam habeat, cuius tamen concedendæ iure carent Epiſcopi, quoad ea vota quæ ſibi Papa ſepoſuit, ergo & ea arbitrio ſuo commutandi in alia.

Nihilominus videre non poſſum quare pro minoribus votis conueniri non poſſit Epiſcopus, qualia ſunt ieiuniorum, peregrinationis, abſtinentiæ, eleemoſynarum.

Quod enim ad ſalutem publicam & optimum Eccleſiæ regimen neceſſarium fuit, id à Deo Epiſcopis negari non debuit, alioqui vt huius aduerſus nos prouidentia breuis eſſet, ita illorum poteſtas manca, inaniſque foret: Sed exigit ſalus tam communis omnium, quam priuata aliquorum, vt qui voto periculoſo & ancipiti tenentur irretiti, eo ſolui poſſint, Epiſcopo illud condonante aut com-

mutante in aliud, ea ergo facultate non est priuatus qua si ipse & alij sibi similes destitutie ssent, commode nobis satis non esset, beateque, consultum à Deo.

Ad sancti Thomæ testimonium: Respondendum est loqui eum locis citatis de votis non quæ simpliciter, nudeque sunt perpetua, cum votum decurrendi rosarij diebus singulis, nunquam adhibendi vini ad potum, eundem habere finem possit quem vita, quod tamen commutatione gratuita, ac liberali per Episcopum inducta, cessare potest, vt esse incipiat in alio opere. De votis ergo perpetuis diuo Doctori eo loco est sermo, quæ obligationem habent nullo tempore intertuptam, quo ex genere sunt vota religionis, & castitatis, Comitol. respons. l. 2. q. 10, num. 4.

QVÆSTIO XVI.

An dispensare possit Episcopus in irregularitatibus & quibus.

REspondendum est posse. Primo in his omnibus ac singulis quæ ex delicto occulto proueniunt, Trid. sess. 24. cap. 6. modo concurrant tres hę circunstantiæ.

Prima, quod is cui confert hoc beneficium, sit suus subditus.

Secunda, quod delictum, cuius irregularitas est pœna, sit occultum.

Tertia, quod ad forum contentiosum non venerit.

Tunc autem censetur occultum esse, cum non est publicum, Nauar. in summa cap. 27. num. 255. Est id vero publicum, quod est manifestum, notorium aut famosum, quæ autem sint in iure famosa, quæ manifesta & notoria dictum est antea, quibus hæc addi placet, primum quod etsi delictum sit notum sex aut septem hominibus de famlia, collegio aut communitate, remanere tamen occultum quoad effectum dispensationis, si toleretur absque murmuratione & fama, Henriq. cap. 2. n. 4. Auila 7. par. disp. 10. dub. 6.

Secundum, fieri posse vt actio sit publica, peccatum autem occultum, vt accidit, cum quis publice, & in ciuitatis vniuersæ oculis sacrificat, absque eo quod de eius excommunicatione quidquam aliquis audierit tunc est sacrificatio ipsa publica, delictum autem occultum.

Tertiò, notare placet actum etiam tunc occultum dici, qui sit quidem multis spectantibus, sed qui eum esse prohibitum nesciant, aut si norunt, ignorant tamen pœnam ei irregularitatis adiunctam esse. Stephan. de Auila loco proxime citato, quæ ergo irregularitas narrabitur ortum habere ex delicto sic occulto, ea ab Episcopo proprio tolli poterit, ea duntaxat excepta, quæ ab homicidio voluntario oritur.

Secundò, ab ea irregularitate Episcopus liberat, cuius causa fuit quidem ad forum deducta contentiosum, sed non probatas, aut si fuit debitas authoritate iudicis pœnas tulit. De Auila 7. parte disp. 10. dub. 7. Ratio est, quod finita lite, vt accidit, cum est crimen punitum per iudicem, eius authoritati vis nulla fiat. At Concil. remouendo de irregularitatibus in quas Episcopo ius esset, eam quæ adhæret crimini, cui lis est intentata ab aduersario, aliud non spectauit quam ne interuentu Episcopi abrumperetur vis iudiciorum ac legum, ergo cum est vtrisque satisfactum indictione iusti supplicij, potest Episcopus irregularitatis vinculum dirimere: similiter si crimen non fuit nisi teste vno probatum, quia vnus fidem non facit, idem dicendum si reus iudici imposuit, si falsis testibus vsus, euasit iudicij laqueos. Auila ibid.

Tertiò, ab irregularitate manante ex defectu natalium Episcopus eximit quoad effectum consequendi simplicis beneficij, ac recipiendi ordines quos minores nominant habetur cap. 1. & 2. de filus Presbyterorum Beneficio simplici adiungendus est canonicatus in Cathedrali Ecclesia, ad quem quoque illegitimum ascendere posse dispensatione Episcopi scripsere, Nau. lib. 1. consilior. cons. 3. de ætate & qual. ordinand. ad 5. quæst. quia talis canonicatus non est dignitas, nec personatus, nec cura, sed simplex beneficium ita idem author consil. 45. de præbend. num. 1. de Auila 7. parte disp. 3. dub. 6. Quibus ne accedam impedior hac ratione, quod à concilij temporibus, ordo sacer canonicatibus omnibus Cathedralis Ecclesiæ adhereat, verba Concil. sess. 24. cap. 12. sunt talia. *Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacrosit initiatus, quem illa dignitas præbenda, aut portio requiris aut in tali ætate, vt infra tempus à iure statutum initiari valeat.*

Sed ad sacros ordines aditus esse illigitimo nequit voluntate alterius quam Papæ, ergo eius solius est beneficio tribuendum, quod illegitimus locum reperiat inter sacros collegas cathedralis Ecclesiæ: Admittere tamē eum ad collegiatam quālibet, Episcopo est concessum, etiam ad cathedralem in Gallia, per causam non recepti in ea concilij.

Quartò, dispensat Episcopus cum illegitimo, tam ad sacros ordines quam beneficia cuiusquemodi, si vitium eius est occultum, quod accidit cū nescitur esse spurius. Quia tum valet sanctio Trid. sess. 24. cap. 6. *Liceat Episcopis*, verba sunt Concilij, *in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario dispensare*, Secundò cum quæ Roma mittuntur dispensationes ac responsa, hæc cum multis communicari oporteat, tam in vrbe versantibus quam alibi, magna sane famæ, nominisque vulnera timenda cuique forent, si quæ latent, paucorm conscientia comprehensa, hæc euulgari in vrbe dispensationis causa necesse esset: decuit ergo Episcopum ea pollere potestate, fas ei vt esset, illegitimū, cuius cōmuniter nescitur vitiū, admittere ad sacros ordines, beneficiaque omnia, & ita sentiunt Barb. iuris Eccl. lib. 1. cap. 11. de Coninch. disp. 18. de Sacram. dub. 14. num. 117. Stephan. de Auila de censur. parte 7. disput. 3. dub. 7.

Quintò, dispensat Episcopus in irregularitate quæ prouenit ex abscissione membri facta culpa eius cui est ademptum. Primo quando tale membrum est occultum Angelus verbo corpore vitiatus num. 1. Sylu eadem qu. 10. Secundò, quando est abscissum ab hostibus in pœnam peccati. Tertiò, quando defectus membri oritur ex aliquo opere malo, occulto tamen, cui irregularis dabat operam: nam tunc locum habet Tridentini permissio sess. 24. cap. 6.

Sextò, etsi rudem ignarumque admittere ad ordines Episcopo sit vetitum, eo quod in iure naturæ dispensare nequeat, cuius tamen pars quædam est, quod ignarus, ac omnino literarum nescius remoneatur

ueatur ab officio, quo ſine earum ſubſidio fungi A nequit, poteſt tamen ei permittere vt in ſuſceptis miniſtret, modo metus omnis abſit periculi aut ſcandali, de Auila parte 7. dub. 4. Nau. in cap. ſi quando de reſcript. except. 7. quia ad id videtur ei ab Eccleſia conceſſa authoritas, quæ probabili admodum coniectura non vult illi vſum ordinum ſuorum interdictum eſſe, quibus non omnino indecore & abſone fungi poteſt.

Septimò, liberat Epiſcopus ab irregularitate, quæ proficiſcitur ex facti infamia, quia tolli hæc per pœnitentiam ſolet, ergo multo magis per hominem.

Octauò, diſpenſat cum Neophyto, noſtris myſteriis ſideque Chriſtiana imbuto, vt in miniſtris Eccleſiæ locum ſibi habeat, quia in eiuſmodi B ceſſat ratio, quamobrem oportuit Neophytos irregulares eſſe.

Nono diſpenſat in irregularitate occulta, proueniente ab adminiſtratione in Ordinibus male ſuſceptis. Maiol. de irregul. lib. 1. cap. 30. ex iteratione Bapt. occulta, receptione Ordinum per ſaltum, eorum ordinum functione quibus celebrans carebat, dummodo vitium ſit occultum. Diſpenſat item cum Simoniaco occulto, non tamē eum rehabilitat ad beneficia in poſterum obtinenda, vel retinenda, quæ habet per Simoniam.

Decimo diſpenſat Epiſcopus in Bigamia ſimilitudinaria ad omnes Ordines, extra qui Clerici vel C vouentes cap. 1. ſic enim de Diacono qui vxorem duxerat Alexand. III. loco citato ad Remen. Archiepiſ. *Si contrito & humiliato corde ad Eccleſiam redire voluerit, dimiſſa illa, quam accepit in vxorem, & abſolutione obtenta, iniuncta ſibi pœnitentia, de vtroque exceſſu, poſt competentem diſpenſationē poteris ei Diaconatus officium reddere, & ſi perfecta vita & conuerſationis fuerit, eum in Preſbyterum ordinare*, in aliis bigamiis non poteſt diſpenſare niſi ad minores, Sotus diſtinct. 27. Sylu. verb. Bigamia quæſt. 7.

Vndecimò diſpenſat in infamia facti, quæ naſcitur ex crimine aliquo notorio, Nau. in man. cap. 27. num. 204. non quidem vt infamis ad ordines D ſuperiores aſcendat ſed vt vtatur receptis Barb. iuris Eccl. lib. 1. cap. 11. num. 173.

Duodecimò diſpenſat Epiſcopus cum eo, qui eodem die Subdiaconatum recepit cum minoribus Ordinibus, vt in his miniſtret, non autem vt ad altiores aſcendat niſi religioſus fiat, Cœleſt. III. in decret. ſua quæ eſt ſecunda tit. de ieo qui furtiuè.

Iuxta, inquit ſcribens Epiſcopo, *conſuetudinem patriæ quatuor minores contuliſti, quibus non contentus, Subdiaconatum temerario auſu recepit. Quia vero idem Clericus, in hoc facto multum exceſſit, mandamus quatenus eum in minoribus duntaxat ordinibus celebrare permittas.*

Decimotertiò diſpenſat Epiſcopus cum corpore vitiatis, dummodo defectus ſit leuis, & debilitatio modica Seraph. deciſione 625. Barb. cap. 11. num. 163.

Decimoquartò, diſpenſat in irregularitate proueniente ex quocunque delicto grauiore etſi manifeſto, modo ex aliqua iuſta occaſione, minuatur eius malitia, diſpenſat Epiſcopus cum Epiſcopo & Apoſtatata à fide, vt permanere poſſint & in ordinibus miniſtrare, ſi timore mortis, vel metu infamiæ compulſi à fide defecerunt, & poſtea ſunt reuerſi.

Decimoquintò, diſpenſat cum irregularitate ex quacunque cauſa prouenient, cum diſpenſandi iuſta neceſſitas ſubeſt, veluti ad vitanda ſcandala, canone vt conſtitueretur 25. diſt. 50. his verbis. *In huiuſmodi caſibus, vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras, non huius aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages sacent, detrahendum eſt aliquid ſeueritati vt maioribus malis ſanandis, charitas ſincera ſubueniat.*

Decimòſextò, diſpenſat cum habentibus membrum occultum ſiue manifeſtum, non ſua culpa abſciſſum, maxime quando in iis ceſſat homicidij præſumptio, nec priuatione talis membri reddunt tur impotentes ad celebrandum: Miranda in manuali Prælator. tom. 2. q. 8. art. 3. n. 3.

Decimoſeptimò, cum his diſpenſat Epiſcop. qui caſu necem intulere alicui, vt in minoribus miniſtrent, auctor ipſe Clem. III. in decret. 12. de homicidio, ibi cum ageretur de quodam Presbytero, qui caſu cuipiam vulnus inflixerat, de quo incertum erat an obiiſſet, reſpondit: *Quod cum in dubiis ſemita ſit eligenda tutior, iniungendum eſſe Preſbytero, vt in ſacris ordinibus non miniſtret, & eidem iniuncta pœnitentia ſalutari concedendum, vt minoribus ordinibus ſit contentus.* Quid ſi dubium in aliam matoriam quam homicidium cadat.

Epiſcopo in eo caſu diſpenſare fas erit, quia Pontifici nō eſt reſeruatus caſus dubius, & poteſtas diſpēſandi late eſt interpretāda, quæ eſt opinio Caſtri Palai in opere mor. to. 1. tract. 3. diſp. 6. punc. 5. Emm. Sa ver. diſpenſatio nu. 1. Dianæ par. 4. tract. 6. miſcell. reſ. 82. Circa dicta

QVÆRITVR.

An Epicopus poſsit diſpenſare cum iis qui ſubſunt Abbatibus habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem.

Dicendum eſt poſſe, primò, quia non ſunt hi deioris conditionis, quam alij qui ſunt Epiſcopo ſubditi. Secundò, quia Epiſcopus habet poteſtatem & iuriſdictionem perſe in ſuâ Diœceſi quoad omnes actus, in quibus Abbas & Monachi non ſunt exempti, qualis eſt iſta. Tertiò, quia poteſtas ad diſpenſandum eſt extendenda, vt dicitur cap. mandato finali de Simonia, vbi Gregor. IX. conſulenti reſpondet, cum Monachis (pro quibus erat petita facultas) abſolui quoque potuiſſe à Simonia Abbates, quod poteſtas diſpenſandi ſit amplianda.

QVÆSTIO XVIII.

E *An Epiſcopus poſsit diſpenſare in lege Pontificis.*

POſſe reſpondent Sanch. de matr. lib. 1. diſp. 61. num. 1. Victor. de matrim. pa. 1. num. 7. Diu. Antonin. par. 1. tit. 17. parag. 20. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. parag. Atque tandem, primo quia Epiſcopo curæ eſt omnis ſua Diœceſis & cuncta ſpiritualia regit. 10. q. 1. can. regenda. Secundo eſt Epiſcopus Paſtor ordinarius in ſua Diœceſi ſicut Pontifex in tota Eccleſia, ergo tantundem eſt illi licitum in ſuorum regimine, quantum iſti, niſi eius poteſtatem cohibuerit Pontifex quare cum ſe

tempora nonnunquam, causæque iustæ offerant dispensandi cum aliquo in Papæ lege, quod quandiu ea teneri se existimat, perturbatæ conscientiæ tumultus sentiat, vt hi componi queant ac sedari, poterit Episcopus eum à Pontificia lege eximere, nisi id specialiter Papa vetuerit, aut eius solutionem sibi vni reseruauerit. Secundant huic opinioni Bonac. de legib. disp. 1. qu. 2. punc. 4. num. 27. Barbosa de potest. Episc. par. 2. allegat. 33. num. 17. & alij, cum asserunt posse Episcopum in sua Diœcesi quicquid potest Papa in Ecclesia nisi id prohibuerit: in specie autem Prælatum inferiorem dispensare posse in superioris legibus, si id ei interdictum non fuerit, vt Antonin. loco ante cit. Couar. in cap. alma mater par. 1. paragr. 7. num. 8. Diana par. 3. tract. 16. miscell. resol. 82.

A Contrarium sentire Sanch. in summa to. 1. lib. 4. cap. 40. num. 99. & de matr. lib. 8. disp. 11. num. 13. Laym. in moral. Theol. lib. 4. tract. 4. cap. 8. Diana tract. 5. miscellaneo quartæ partis resol. 25. ratio non alia quam quæ supra à nobis allata. Nempe Pontifici ea tantum vota videri reseruata, quæ sunt absoluta & perfecta, id de quo præsens est instituta quæstio, non est eiusmodi, nam non est ex directo affectu virtutis conceptum & ab homine nuncupatum Deo, sed ex amore, propensione, ac affectu ad beneficium, quod ab eo petitur cum obligatione seruandæ castitatis aut capessendæ religionis, in actionem gratiarum recepti talis beneficij.

B Dub. secundum, an commutatio legati pij, in aliud æquale, facta ab Episcopo, sit sine peccato. Esse, cum causa iusta subest commutationis istiusmodi, dixere Sylu. verbo legatum 4. q. 12. Antonin. 3 parte titulo 12. Ludouic. de Beia parte 4. casu 22. nosque antea cum illis. Ratio est, primo, quod defunctus tacitè id censeatur velle, ac virtute.

Secundò, vt donata refigere, vt relicta vni cuipiam, testator dare potest alteri, ita & eo annuente quilibet alius, maximeque Episcopus, at est probabile testatori gratum esse, vt quæ ipse, tam Dei causâ, quam suâ, relicta esse Ecclesiis voluit, hæc in Episcopi potestate, manuque essent, cum vt loquitur Innoc. III. in cap. cum dilecti filij 6. de donationib. *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficijs plenissima sit interpretatio adhibenda*, nec est extra veri similitudinem, mortuum si quidpiam dum viuebat de voluntate Episcopi inaudisset, ac causâ, quam commutandi legati pij nunc habet, probaturum fuisse, ac ideo ex voluntate legantis probabiliter præsumpta, fit ab Episc. talis commutatio.

C Tertiò, Episcopus ad maiorem Dei gloriam, mortuique solatium existimat esse, quod eius legata, in huius aut illius loci vsum transeant, qui distinctus est ab eo qui est in tabulis sui testamenti designatus ergo &c.

D Obiicies, At enim voluntatem vltimam hominis ratam esse oportere, nec mutandam dicit Gregor. relatus XIII. qu. 2. can. vltima voluntas 4. estque in decretali Innoc. III. cum Marthæ 6. de celebrat. Missarum Nouissimum hominis testamentum perseuerare, quia testatoris obitu confirmatur, non est ergo aliena, id est Episcopi voluntate mutabile, ergo quæ legati pii rationem habent non sunt ab eo, diuertenda alio, quam vbi ea testator moriens applicari voluit.

Respondendum est negatione vltimæ conseq. quia Episcopus causam habere iustam potest, mutandi legati, at qualem? non eam modo, quæ se ex parte mutantis Episc. teneat, estque posita in bono fine, quē hic in tali mutatione propositū habet etsi bonum, cuius causa fit ab eo mutatio, non sit æquale aut melius eo, quod spectauit Testator legando huic aut illi, nam in tali casu est hæc mutatio, soli duntaxat Papæ permissa. Quali ergo niti causa debet Episcopus, in commutatione legati pij, aut voluntatis vltimæ testatoris? Ea quæ se tenet ex parte ipsius rei, nempè vt hæc sit æqualis bonitatis, aut etiam maioris legata à defuncto. Tunc enim nihil testatori deperit de suo merito, & fructu sperato ex re legata, consequenter dicendum, eius voluntatem fieri ratamque esse, & non mutari, cum vtroque modo sit ei fructuosa & vtilis.

Obiicies, si verum est legatum pium, commuta-

QVÆSTIO XIX.

An Episcopus dispensare possit in irregularitate proueniente ex mutilatione membrorum iniusta.

OMninò, causa mihi ita existimandi vnica: Nempè quod Episcopi in ea tantùm irregularitate prohibeantur dispensare, quæ ex homicidio voluntario est contracta: At non est mutilatio, homicidij appellanda nomine, ergo si erit irregularitas contracta ex huiusmodi mutilatione iniusta latens & occulta, in ea dispensare Episcopo permissum erit Molina. to. 4. disp. 79. Suar. de censur. disp. 44. sect. 4. Dian. pa. 1. tract. 11. de Bulla Cruciatæ resol. 112.

Quid si homicidium casuale & ex eo orta irregularitas sint occulta? In ea dispensare posse Episcopum, etiam ad maiores ordines dixere, Rodriguez in addit. parag. 13. Steph. de Aula par. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 14. num. 111. Dia. tract. 11. de Bulla Cruciatæ resol. 112. nituntur auctoritate Trident. nam in sess. eius 24. cap. 6. in Episcopi iure irregularitates dicuntur esse omnes dummodo occultæ, ex quocunque delicto natæ, modo ne ex homicidio voluntario, at quod casuale est, voluntarium non est, ergo, &c.

Occultam dixi, nam si est publica, ortaque ex peccato communi ac publico, vsum quidem minorum ordinum, ea impedito concedere Episcopus poterit non maiorum Clem. III. de homicid. cap. 12.

QVÆSTIO XX.

Proponuntur dubia circa prædicta.

PRimum, An Episcopus dispensare possit in voto castitatis aut Religionis post adimpletam conditionem.

De hac quæstione disputant, Less. lib. 2. cap. 40. dub. 18. num 131. Nauar. cap. 12. manu. nu. 43. Azor. to. 1. lib. 11. cap. 19. qu. 3. Beia 1. parte casu 28. & in partem negantem abeunt, quod tale votum in modum contractus oneroſi sit factum, ex quo consequitur, quod cum Deus, eum ex parte sua impleuerit, re vouenti, concedēdo cuius obtinendæ causa ei voto se astrinxit, & huic quoque implenda esse promissa.

E

ri posse ab Episcopo in aliud, donata quoque vni Ecclesiæ, & acceptata, transferre poterit in aliam, id autem est falsum.

Maior, primò est neganda, quia hic de legato non agimus in quo est acquisitum ius tertio sed de aliis, in quibus nulla sit Ecclesiæ, aut priuato iniuria.

Secundò, minor est falsa cum enim eorum quæ dantur Ecclesiis, Christus sit dominus, cuius Papa est Vicarius, Oeconomus fidelis, eius domui præpositus, causæ nihil est quare bona vnius Ecclesiæ applicare non possit alteri, si potest, ergo & Episcopus, cum princeps sit Pastorque animarum in sua Diœcesi, in qua idem ei præstare licitum, quod Papæ in toto orbe. Deinde quid impedit quominus interpretur voluntatem defuncti cuius exequutor est? Trid. sess. 22. cap. 8. si potest, ergo & mutare legatum vnum pium in aliud.

Dubium tertium, An Episcopus possit dispensare ante matrimonium in impedimento irritante contractum.

Dico primò, *Dispensare in impedimento dirimente, occultò tamen, Episcopo fas esse post matrimonium quod est publicum, nec potest sine scandalo dirimi.* Probatur, quia Episcopis id est vniuersè ac generaliter permissum in causa animæ, sine quo populi salutem periclitari est necesse, alioqui male Ecclesiæ consultum esset, quæ necessariis ad immortalitatē præsidiis destituta foret, in hoc rerum genere numeranda est dispensatio impedimentorum matrimonij iam contracti, quæ sunt occulta. Fac enim ea tolli non posse ab Ordinario, aut coniuges hærebunt fœdis inter se amoribus impliciti, nec sine culpa, aut seiuncti ab inuicem, populo ignaro impedimenti creabunt exitium ac scandalum, quod ipsis est cauendum. Est ergo in Episcoporum iure, in matrimonij impedimentis occultis dispensare post matrimonium, maximè si coniuges, separari ab inuicem sine scandalo nequeant, facilisque non sit ad Pontific. propter eorundem inopiam, locorum distantiam, aut similem causam recursus. Docent hanc sententiam Ægid. de Coninch. de Sacr. disp. 33. dub. 3. num. 32. Sylu. ver. Dispensatio q. 9. parag. 15. Nau. c. 22. num. 85. Henriq. lib. 12. cap. 3. num. 2. Less. lib. 2. de iustit. cap. 40. dub. 18. num. 127. & 128. quia tùm Pontifici non placet, impedimenta matrimonii sic iuris sui facere, vt in ea Episcopo nihil sit permissum audere, sed potius ea ei permittere, vnàque sinere vt potestate vtatur, quam reseruatione sepositā, iura ei canonica tribuunt, neuenim Pontificem velle vlla ratio persuadet, reseruationem suam in animarum perniciem esse, non salutem.

Dico secundò, *Posse quoque cum est necesse Episcopum ante contractum matrimonium, in impedimento dispensare.* Huius opinionis author Sāch. de matrim. lib. 2. disp. 40. nu. 7. à quo neque illi qui in suis summis ac libris Christiani officii rationem sedulò sunt persecuti, ausi sunt discedere vt Henriq. Villal. in sum. tom. 1. tract. 14. diffic. 25. num. 6. Bonac. de matr. lib. 8. cap. 13. num. 6. ratio est, quod necessitas, labem si quæ in ea actione residet omnem abstergat ac dissipet. Secundò, sunt impedimenta matrim. fere omnia iuris tantum humani; naturalis autem, vitare scandalū tueri se à iudicijs & linguis hominum, salutem suam in tuto ponere, à necessitatis se lege eximere. At quæ sunt eiusmodi, iuri positiuo ac humano Ecclesiæ præualent, cuius leges audiri se non sinunt, cum salus periclitatur aut fama, ergo &c.

Ex dictis, supra memorati authores inferunt viro facultatem ab Epis. dari posse contrahendi cum ea, quæ est eo ipso die, quo ad nuptias amici conuenerant, deprehensa impedimento teneri vno aut pluribus quominus cum marito conscientiæ illæso iure contrahat, cum sine famę suæ interitu fateri illud nequeat, eius autem interfit plurimum, non vocari apud amicos & cognatos in suspicionem magni alicuius criminis, quare vt huic eat incommodo obuiam Episcopus, authoritate qua pollet, potestatem ei contrahendi faciet.

Quid si culpa contrahentium vitium non est cognitum, nempe quia denunciari matrimonium, deque superiore loco, dum sacrum Missæ sacrificium frequenti populo peragitur, publicari non curarunt?

Respondend. si ex causa aliquâ probabili ac iusta, non est concessione Superioris adhibita matrimonii publicatio, impedimentum ab Episcopo tolli posse, ac super eo dispensari cum coniugibus, ratio est, quod contemptus legum Ecclesiæ duntaxat, coniuges indignos reddat eius beneficiis, ac dispensatione, at in casu proposito talis nullus interuenit, vt supponitur, cum denunciationes, remitti sibi ideo coniuges nō petierint, ne in apertum impedimenta sui coniugii si quæ forent, educerentur in apertum, nec paterentque ciuitati, ac sibi.

Secus sentiendum, cum ea noluerunt nosse, ideo de futura sua coniunctione per matrimonium, populum per denuntiationes certiorem reddere. Huic responsioni fides est à Concil. sess. 24. cap. 5. vbi est his verbis. *Si quis intra gradus prohibitos, scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit si quidem solemnitates in contrahendo requisitas neglexerit, eisdem subsiciatur pœnis. Non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius præcepta temere contempsit.* Quæ me oratio inducit vt credam, non nisi irrito conatu ac inani, proindeque nullo, tentaturū Episcopum aliquid, in eorum coniugum gratiam, qui fidem sibi spopondere stabilem ac certam coniugij, cum scientia impedimenti, quo vetabantur id facere valide. Ratio est, quod ea fugere Ecclesiam oporteat, quæ patrocinium improbitati dare, eamque firmare videatur in plebe, vt patientia suâ corroboratior euadat, ac auctior. At ad audaciam iter haud dubiè muniret Ecclesia fidelibus, si Episcopum, præditum vellet esse facultate dispensandi cum us, qui mala fide, ac cum impedimēti alicuius conscientia contrahunt, cum nulli reperirentur, aut pauci, qui non eandem sibi ab eo beneficij ac indulgentiæ gratiam sponderent, quam vnus aliquis expertus esset, dispensatione obtenta eius impedimenti, cum quo iisset matrimonium. *Quare cum non sit dignus benignitatem experiri Ecclesiæ cuius salubria præcepta temere contempsit.* Trid. supra, ab ea sunt excludendi, spe remota omni dispensationis consequendæ ab Episcopo, qui cum impedimento scienter contrahunt.

Dub. 4. Vt culpæ mortali viam in se occluderet, vouit aliquis castitatem, aut susceptionem Ordinum, quæritur an Episcopus, in eo voto dispensare queat?

Certum est mihi, primò in potestate vouentis esse alterum è duobus eligere, iuxta regulam iuris 70. *In alternatiuis electio est debitoris, & sufficit alterum impleri.*

Certum secundò, non posse cum eo dispensare Episcopum, si castitatem ordinibus, eorumque susceptioni præferat. Quia vbi vouens obligationem suam ad materiam Pontifici reseruatam contraxit, perinde ea tenetur, ac si illam ab initio promisisset, argumento est, quod in alternatiuis id voueatur ab initio, quod vouens re melius considerata est electurus, Less. lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 132. ratio ipsa loquendi qua vouens vtitur, cum votum suũ concipit, id indicat. Dicit enim se vouere castitatem aut ordines, si eum accidat, in hoc aut illud peccati genus labi, vult iam tum ergo teneri se altero de his votis, in quod eius voluntas facto scelere, id est conditione posita, se est datura.

Pars altera quæstionis de qua inter scriptores nõ constat in hac materia, est in eo, vtrum Episcopo sit integrum eum liberare, à susciendis ordinibus, qui his ex voto teneri voluit.

Respondendum est affirmatiuè, causa est quod tale votum, non sit castitatis primò per se, & directè, sed indirectè tantum, & ex consequenti. Secundò, quod nemo vi voti obligatur ad aliud quam quod est eius voti obiectum, sed vouenti, susceptum se ordines, hoc vnum duntaxat est propositum, vt his initiandum se Episcopo offerat cum tempore, quæ promissio, nec est de seruanda castitate primò per se, & directè, nec de capessenda religione, aut eligendo in ea vitæ genere certo, stabili ac perpetuo, quæ duo vota cum tribus aliis de peregrinationibus susciendis, Hierosolyma, ad Apostolorum limina, & Compostellam, sola sunt Pontifici reseruata, ergo cum in non reseruatis dispensare possit Episcopus, ab ordinum susceptione liberare poterit, cum eorum votum non sit de reseruatorum numero.

Dub. 5. An possit Episcopus non admonito Pontifice dispensare cum pauperibus, & si moneri potest an eis sumptus impetrandæ dispensationi dare debeat. Pontificem ab Episcopis consulendum prius esse, quam de quoquam bene mereri queant, relaxatione vinculi quo tenetur, scripsit Vasq. in part. 2. tom. 2. disp. 178. cap. 2. num. 16. quod existimet eos ad id carere potestate, cum facilis est ad Pontificẽ aditus, quod enim fidelium saluti, & paci consulere Papa debeat, iuste non potest ac honeste iis subsidia ad vtrumque necessaria negare, vt faceret, si cum consuli ac adiri nequit, Episcopis potestatem eos iuuandi omnem ademptam vellet, est ergo necessitas, causa cur Episcopis dispensare cum fidelibus liceat, at hæc cessat cum facile conueniri potest Pontifex, ergo non est illis in eo casu quidpiam tentare permissum in causa pauperum, sed literis ipsi suis eum de re vniuersa commonefacere debent, ab eoque obtinere precibus, vt pro sua in omnes caritate, si è re ipsorum Deique gloria esse crediderit, obligatione præcepti ac legis liberet.

Hæc sententia mihi non probatur, primo quia nusquam est in vsu. Secundò, cum pauperes à Romano itinere inopia liberet, quæro quid sit necesse iisdem vacationem ab eo petere? quid Pontif. orare, vt quod æquitas postulat, quod ratio, quod humanitas, hoc Episcopis, in causa pauperum indulgeat? Equidem vt est in regulis iuris in 6. *Quod in lege non est licitum, necessitas licitum facit*, & non modo expedit miseros mortales aliquãdo solui nexu legũ, quibus se astrictos gemunt, sed etiam sæpe est necesse, vt iis libari, impensiore cura Deo vacent, si hæc ergo tùm in eos caritatis officia Episcopi exerceant, quis eos culpæ, meritò arguet? quis non seruatæ erga Pontif. obseruantiæ?

Multo minus peccare Episcopos censeo, si quod Vasquez & Bonac. de legibus disput. 1. quæst. 1. pun. 5. exigunt, pecunias ad sumptus impetrandæ dispensationi necessarios non suppeditent, quæro enim quæ eos ad id leges adigant, quæ iura præcipiant, quæ Pontificum literæ, vsquam id eis suadeant? Deinde scire aueo quis Episcoporum vnquam, posteris in hoc genere liberalitatis erga pauperes exemplum dedit? *Ego fane*, inquit Salas de legibus disp. 20. sect. 3. num. 27. *Credo Episcopum non teneri in impetrandis his dispensationibus reddituus suos consumere: poterit ergo dispensare ob paupertatem partium, etiam cum ipse eam paupertatem supplere potest: Et ita habet praxis, & ita Doctores sentiunt nam sine illa limitatione docens licitum esse Episcopo dispensare in necessitate, quando propter paupertatem partium difficilis est ad Pontificem aditus.* Ita Salas.

Dub. 6. An Episcopus in lege Diœcesana dispensare valeat absque causa.

Posse vt sentiam, suadeor his rationibus, prima quod Episcopus dispensando in lege lata in Synodo, non in aliena, sed sua duntaxat voluntate dispenset, indicio est, quod solus subscribat actis Synodi non Curati, aut ab eo vocati Presbyteri, quod solus decernat, nulla Assessorum mentione facta.

Secunda, Decreta esse nulla possunt Diœcesim obligantia, nisi quę sancita sunt ab eo qui ferendæ legis, condendique statuti ius habet. At eo carent Parochi, potiuntur Episcopi, quare cum in suis quisque legibus dispensare possit validè, etsi fortè non sine scelere, poterit Episcopus in lege Diœcesana dispensare. Ita Nau. Ench. 25. n. 74. Sanch. li. 8. de matrim. disp. 17. num. 33.

Dubium 7. An Episcopus dispenset in sponsalibus.

Nequaquam, eo quod per ea ius sit acquisitum tertio, quod à nullo tolli potest, præterquam à supremo Principe. Secundò, communis est Doctorum sensus, relaxare iuramentum factum in bonum tertii in Episc. iure non esse nisi ex parte eius qui exegit sit turpitudo ergo nec sponsalia.

Dices. At est Episcopo concessum in sua Diœcesi, facere quidquid Papæ in vniuersa Ecclesia est licitum, nisi id sibi reseruatum voluerit. At non est relaxatio sponsalium Papæ reseruata, Episcopo autem prohibita. Min. est neganda cap. enim ex literis de sponsalib. iubetur Episcopus compellere sponsos, vt fidem sibi datam mutuo impleant, in qua lege certum est dispensare eum non posse.

Dub. 8. An per seipsum Episcopus, & de criminibus cognoscere, & dispensare in votis aut Irregularitate debeat.

Nequaquam: fas mihi sit ita de criminibus augurari ex Matiscon. Conc. can. 8. *Omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia finiatur*, quod à Gregor. quoq; eius nominis 7. Episcopo permissum esse indicat can. 4. Synodi Rom. vbi est his verbis. *Nullus Presbyter superponat se alteri, sed si criminosus fuerit aliquis Presbyter, in præsentia Episcopi vel Archidiaconi disdicetur, & si probata fuerit eius culpa, per Episcopũ, vel suos expellatur, & alius per Episcopũ intromittatur.* Hinc enim habetur, eũ non modo posse sibi vnum, aut plures subrogare, qui suo nomine ius dicant subditis, quos Officiales aut Vicarios nominant cap. quoniam de Offic. Ordinar.

cap. Romana eod tit in 9. ſed etiam debere, auctor Boerius capellæ Tholoſ. deciſione 34. Bouchell. in ſum. verbo Officialis, qua de re nos poſtea.

Vti ſimiliter eum aliena poſſe opera, cum de diſpenſatione agitur, notius eſt quam vt de eo iure poſſit à quoquam ambigi. Nam Ordinarius authoritatem ſuam poteſt committere alteri, at eſt Epiſcopus reſpectu caſuum de quibus fit in quæſtione mentio ordinarius: poteſtas enim quæ non perſonæ, ſed dignitati & officio, competit, non eſt delegata ſed ordinaria. Deinde cum abſoluendi in caſibus, quorum Concil. meminit in ſeſſ. 24. cap. 6. facultas eſt data Epiſcopis, non eorum induſtriæ ſpecialis eſt habita ratio, aut perſonæ in particulari cum neutra Patribus eſſet tùm cognita, ſed dignitatis ac officij, non eſt ergo eorum iuriſdictio delegata ſed ordinaria, ergo eiuſmodi quæ Epiſcopi voluntate, committi poſſit alteri.

EPITOME TRACTATVS DE EPISCOPIS.

Cum probationibus deſumptis ex Patribus, Conciliis, & Canonibus.

CAPVT PRIMVM.

Epiſcopi vnde dicti & quomodo appellati.

Piſcopatus, nomen eſt operis, non honoris Auguſt. de ciuitate Dei li. 19. cap. 19. *maximum enim pondus ſuſcepit laboris Epiſcopus, quod eſt ſarcina regiminis animarum, & commodis deſeruire multorum, omnimque fieri minimum:* ita editum à Pontifice olim Epiſcopo cui bene dicebat dari ſolitum, cuius forma extat apud Iuonem epiſt. 3. *Epiſcopatus autem vocabulum, inde ductum, quod ille qui eſficitur Epiſcopus ſuperintendat, ſcilicet curam gerens ſubditorum,* Iſidorus lib. 7. Etymol. cap. 12. *Ex quippe ſuper omnia vero intuitu eſt, ergo Epiſcopos ſi velimus Latine ſuperintendentes poſſumus dicere, vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe,* Auguſt. de ciuitate Dei lib. 19. cap. 19. ſpeculatores rectius forte eos nominaueris cum Cypr. de 12. abuſionibus ſæculi cap. 10. quod in Eccleſia quaſi ſpecula poſiti deſpicere debeant, ne quis eam caſus opprimat.

Ordo autem Epiſcoporum, quadripertitus eſt, id eſt in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitanis, atque Epiſcopis, Iſidor. ſupra: Gratian. diſtinct. 21. can. 1. qui omnes Apoſtolorum ſunt ſucceſſores Hieronym. epiſt. 85. ad Euagr. & ad Marcellam ſcribens, ep. 54. *Apud nos,* inquit, *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent,* & ad Heliodorum. *Abſit,* inquit, *vt de hos ſiniſtrum quidquam loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt,* quare vt Apoſtoli dicti ſunt olim Epiſcopi, ita & hi, Apoſtoli ſunt vocati, de quo ſunt in diuinis ſcripturis exempla non pauca, Epaphroditus enim Epiſcopus Eccleſiæ Philippenſium, à Paulo ad Philip. 2. Apoſtolus nominatur, Andronicus & collega Iunias, eius cognati, eadem ratione, *Nobiles in Apoſtolis, qui ante eum fuerunt in Chriſto,* ſalutantur ab eodem ad Rom. 16. ſecundæ autem ad Corinth. 8. Titum, & alios, Epiſcopos in diſſeminãdo Dei verbo adiutores ſuos, & ſocios, commendat vt *Apoſtolos Eccleſiarum & gloriam Chriſti,* quo eos nomine eamobrem vocatos credo quod Apoſtolorum ſint loco, quorum & vices gerunt in Dei Eccleſia diſtinct. 21. can. in nouo 2. & diſtinct. 68. can. quorum vices ſexto. *Quid eſt,* inquit Auguſtin. *pro patribus ſuis nati ſunt tibi filij? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt pro Apoſtolis Epiſcopi,* vt enim ſunt Presbyteri dicti, olim Epiſcopi, quod fidelium curæ præfecti eſſent, vt Pauli factum indicat, ſuam ad Epiſcopos Philippenſis Eccleſiæ Epiſtolam dirigens, id eſt Presbyteros, cum vnius Eccleſiæ non multi, ſed vnus duntaxat ſit Epiſcopus: ita & *quod Apoſtolis decedentibus, in eorum locum ſucceſſerint Epiſcopi,* ſecundũ Anaclet. in epiſt. 2. ad Epiſc. Italiæ, Eccleſiam tam ſpecie ſua quam verbo gubernaturi, & opere, appellati ſunt à Patribus *Apoſtoli, Summi,* item *Sacerdotes* ac *Pontifices,* vt notauit Baron. in annotat. ad Martyrolog. die 9. Apr. & 2. to. Annal. ad an. Chriſti 216. Zephirini 14. Ant. Caracallæ 4. *Ab aliis ſupra naturam humanam poſiti,* Eccleſiæq; principes. A Chryſoſt. autem li. 2. de Sacerdotio li. 2. *Omnipotentes,* hæc enim Chriſti Domini verba explicans Matth. 16. quæcunque alligaueris ſuper terram ſic loquitur, *Quid hoc aliud eſſe dicas, niſi rerum omnium poteſtatem illis à Deo conceſſam eſſe? Pater emiſſariam filio dedit poteſtatem, ipſam eandem poteſtatem omniſſariam video illis à filio Dei traditam. Non abludit,* Ignatius ſic enim in epiſt. ad Trallianos, *quid eſt Epiſcopus niſi omnem principatum, & poteſtatem omnium illarum tenens?* Eum Iuo epiſt. 9. ad Philippum Francorum Regem, regi comparat ſicut enim eſt regiæ poteſtatis, ciuilia iura ſeruare, & eorum tranſgreſſores debita pœna mulctare: *ſic Epiſcopalis officij eſt, Eccleſiaſticas inſtitutiones ſubditis ſeruandas imponere, & tranſgreſſores earum, paterna ſeueritate ad debitum ordinem reuocare.* Iuo ep. 6. magna eſt ergo Epiſcoporum dignitas, excellens auctoritas, quandoquidem in eis cæterorum poteſtas eſt. Minus à fide abſunt, quæ de iis, eorumque dignitate præſtabili ſcripſere alij, nam eos Gregor. Nazianzen. in carmine de vitæ itineribus, & Presbyteri Alexandrini in epiſtolæ quam dedere ad Leon. Imperator. vt eſt apud Nicephorum lib. 15, cap. 17. honoris cauſa appellant, *μιμήτας θεῦ καὶ ἀνθρώπων*, hoc eſt ſic dignitate Deo minores vt tamen homine ſint priore, proindeque inter vtrumque medij.

Illos Proſper 1. de vita contempl. cap. 25. *Miniſtros verbi nominat, adiutores Dei, præconium Spiritus ſancti.* Iſti ſunt, inquit, *Apoſtolorum ſucceſſores, qui Eccleſias, quas illi editis miraculis fundauerunt, mirabiliter Apoſtolicis præditi virtutibus regunt: per tales Deus placatur populo, populus inſtruitur Deo,* & cap. 2. lib. 2. hæc habet in Epiſcoporum laudem: *Iſti ſunt Eccleſiarum Chriſti, poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi Duces, veritatis aſſertores, vindices oppreſſorum, Patres in fide regenerandorum, prædicatores cœleſtium, exempla bonorum operum, documenta virtutum, forma fidelium. Ipſi ſunt Eccleſiæ decus, ipſi columna firmiſſima, quibus in Chriſto fundatis, innititur omnis multitudo credentium, ipſi diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni, diuiduntur gradus & officia ſingulorum.*

Inter Epiſcopos aliqua eſt præeminentia ac dignitatis differentia.

CAP. 2. Et quanquam ſint Epiſcopi omnes

tharactere pares, dignitate tamen ac gradu ſunt impares. Primum inter eos dignitatis locũ Romanus Epiſcopus obtinet, ſecundum Antiochenus, tertium Alexandrinus, Anaclet. ep. 1. & 3. cap. 3. & refertur diſt. 22. can. ſacroſancta 2. parag. prima ergo ſedes. Innoc. III. in Concil. Vt autem ſedibus Patriarchalibus quæ Anacleti tempore tres duntaxat erant in Eccleſia, additæ ſunt ſequutis ſæculis aliæ duæ, ita & in loco, graduque, nonnulla facta eſt inter eas mutatio: *Nam poſt Romanam Eccleſiam (quæ diſponente domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vt pote mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra) Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineat.*

Pro Eccleſia Romana, eiuſque prærogatiua præ cæteris faciunt, Euariſtus epiſtola ad Africanos Epiſcop. Sixtus I. Eleutherus ad Eccleſias Gallicanas, Victor ad Theophilum, Pius I. ad omnes Eccleſias, Papa Nicol. tertius in cap. *fundamenta* 17. de electione in 6. parag. *iſti ſunt per quos*, verſu iſti, *ſunt qui* Cyprianus tract. de vnitate Eccleſiæ, Gelaſius, in can. quamuis 3. diſt. 21. Cum enim de Apoſtolis Nicol. diſputat, loco cit. proximè, eos eſſe ait, qui vrbem Romam, *in hanc prouexere gloriam, vt ſit gens ſancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis & regia, per ſacram Chriſti ſedem, caput totius orbis effecta*, quæ etſi de vrbe verè ſint dicta, veriſſimè tamen de Eccleſia Romana, *quæ nullis Synodicis conſtitutis, cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram, &c.* can. quamuis diſt. 21. can. quamuis 3. cui canoni qua parte de Pontifice agit, conformes ſunt ac ſimiles, can. 2. diſt. 22. & can. cum beatiſſimus can. rogamus cauſa 24. qu. 1. c. Conſtantinus diſt. 96. parag. & ſicut can. ſacroſancta 3. diſt. 22. in quo ſic Anacletus, *Sacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis ſed ab ipſo Domino ſaluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis, ſuper vniuerſas Eccleſias, ac eorum Chriſtiam populi gregem aſſecuta eſt*, Hieronymi eſt hæc nobilis de re præſenti ſententia lib. 1. contra Iouinian. *Super Petrum fundatur Eccleſia, & licet idipſum in alio loco, ſuper Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſia fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Eodem pertinent quæ à Cypr. de vnitate Eccleſiæ in eandem ſententiam ſcripta ſunt, his verbis: *Quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat: ſicut miſit me Pater & ego mitto vos, Accipite Spiritum ſanctum ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illis, &c. tamen vt manifeſtaret vnitatem, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem, ab vno incipientem, ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & vna cathedra monſtretur, & Paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur.*

Communis tamen vſus, auctoritate canonum firmatus obtinuit, vt de prærogatiua dignitatis cuiuſque Epiſcopi, ex ſubſcriptione in Conciliis, ac conſecrationis eius tempore, iudicium fiat, *Epiſcopos*, inquit Gregor. 1. lib. 7. regeſ. epiſt. 111. ad Siagrium Epiſcop. *ſecundum ordinationis ſuæ tempus, ſiue ad conſidendum in Concilio, ſiue ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re, ſua attendere loca decernimus, & ſuorum ſibi ordinum prærogatiuam vindicare.*

A Quare cum de præcedentia eſſet inter Epiſcopos Northmanniæ orta quæſtio, reſpondit Gregor. eius nominis XIII. Concilio prouinciali Rothomagenſi à quo de ea re conſultus fuerat: *In actibus Conciliorum pronunciandum, attendendum eſſe tempus ordinationis Epiſcoporum, non autem dignitatem, aut ordinem Eccleſiarum*, Genuenſis in praxi cap. 89. Piaſecius par. 2. praxis cap. 2. art. 1. n. 7.

At enim à quo Epiſcopum fieri à quo ordinari priſcis olim ſæculis in more fuit?

Cap. 3. Eligi quondam plebe præſente, conſciaque ac etiam eius ſuffragiis ſolitum, Patrũ ac Cõciliorum monumenta longe probatiſſima innuunt, nam & in Africa ritum hunc obſeruatum conſtat ex electione Eradis ſucceſſoris D. Aug. de quo extat ep. eius 120. item in electione Cornel. Romæ, de quo hæc habet Cypr. ep. 52. *Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti iudicio, de Clericorum teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio.* In Græcia ſimiliter ætate Chryſoſt. vt ex li. eius 3. de Sacerdotio, conſtat. De Carthag. & Hiſpan. ex ep. Cypr. 68. ſecundum editionẽ Pammelij ad Clerum & plebes in Hiſpania cõſiſtentes quos in eligẽdo in Epiſcopũ idoneũ homine, his verbis admonet: *Quæ ante oculos habẽtes, & ſollicitè ac religioſe conſiderantes in ordinationibus Sacerdotũ, non niſi immaculatos, & integros eligere debemus.*

C Quem morem ſeruaſſe quoque Gallos fidem faciunt Cœleſtin. Papa 2. in epiſt. Concil. Pariſienſe ſub Pelagio Papa primo can. 6. his verbis: *Quæ in aliquibus rebus conſuetudo priſca neglecta, ac decreta canonum violantur, placet vt iuxta antiquam conſuetudinem canonum decreta ſeruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & Clericorum electio plenißima quæſierit voluntate, non principis imperio*, tenuitque hæc conſuetudo Romæ ad tempora Greg. I. in Francia autem vſque ad Carolum, & Ludouicum Imperatores, vt conſtat ex lib. Capitular. eorundem. Dixi *præſente plebe, eiuſque ſuffragiis.* Poſtulare enim hæc Epiſcopũ poterat, quod eſt ſuffragari improprie, non eligere electione, quæ per ſubſcriptionem fieri eſt ſolita, quod ipſum ex Laodic. Concilio fit perſpicuum, in cuius can. 13. habetur: *Quod non ſit populis concedendum, electionem facere eorum, qui alteri muneri ſunt applicandi:* Cum id Epiſcoporum & Cleri proprium fuerit, ſeptima Synodus can. 3. Epiſt. autẽ 181. ad Paſchalem Papam, Clericorum eſſe, Epiſcopum ſibi eligere, ſcribit Iuo communicato tamen antea cum Epiſcopis conſilio: non autem populi.

Verum eſt quidem hunc eius electioni intereſſe ſolitum, *Quod ipſum videmus de diuina auctoritate deſcendere*, inquit Cypr. epiſt. 68. cum in Numeris cap. 20. præceperit Dominus Moyſi: *Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & imponens eos in montem, coram omni Synagoga, & exue Aaron, & induc Eleazarum filium eius, &c.* ſed nego ab eo, hoc eſt populo, electum Epiſcopum, ſed approbatum tantum, *Coram omni Synagoga iubet Deus conſtitui Sacerdotem, id eſt, inſtruit, & oſtendit, ordinationes Sacerdotales non niſi ſub populi aſſtentis conſcientia fieri oportere, vt plebe præſente, vel deteganter malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio legitima, quæ omnium ſuffragio, & iudicio fuerit examinata.* Cypr. ſupra: quare cum de ſingulorum officiis, in Epiſcopi electione Leo diſputat epiſt. 87. cum populi præſentia, eiuſdem teſtimonium exigit, vota ciuium, honoratorum arbitrium, electionem Clericorum, & denuo poſtea ſubſcriptionem eorundem, ordinis & plebis conſenſum. Et quidem præſentiæ Cypr. loco citato meminit, *Cum de tra-*

ditione diuina, & Apoſtolica obſeruantia tenendum aut
vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui
præpoſitus ordinatur, Epiſcopo eiuſdem prouinciæ proximi
conueniatur, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ
ſingulorum vitam plenißime nouit, & vnuſcuiuſque
actum, de eius conuerſatione perſpexit, notanda verba, nam cum *plebe dumtaxat præſente*, non ſuffragante Epiſcopos à Clericis eligi ſolitos narret, non fuit eius opinione in populi iure, eos ſibi de multis, à quibus regeretur Eccleſia, eligere, ſed electos probare, quod erat neceſſe, itaque eum à delicti contagio immunem fore negat, ſi quando, *Cum Sacerdote peccatore communicet & ad iniuſtum æque illicitum præpoſitus ſui Epiſcopatus, conſenſum ſuum accommodet*, epiſt. 68. n. 6.

Eodem pertinet quod de Flammardo Dunelmenſi Epiſcopo ſcribit Iuo ad Paſchalem Papam, ep. 181. ei à Metropolitano prouinciæ Nortmanniæ permiſſum eſſe, *vt profiteri, ſi quid iuris ſe habere in Epiſcopum conſideret, qui nullis rationibus potuit aſſerere, quod electionem Cleri, aut conſenſum plebis habuiſſet, aut etiam donum Comitis, quod plus ei obeſſe, quàm prodeſſe debuerat*, eo quod lege communi, Regibus non licet, ſicut ſanxit ſeptima & octaua Synodus electionibus immiſcere ſe Præſulũ, aut eas impedire, multo minus quos volunt arbitratu ſuo præficere Eccleſiis: Qui eorum authoritate, *Honoris ſui culmen, pernadere nimia temeritate præſumit, à comprouincialibus loci ipſius, Epiſcopus recipi nullatenus meretur, quem indebite aſſumptum agnoſcunt*, Concil. Pariſ. ſub Pelagio 1. can. 6. quare *Francorum Reges Carolus & Ludouicus* (pro cætera ſua in Eccleſiam pietate) *electiones Epiſcoporum, Eccleſiis conceſſerunt*, Iuo ep. 47. ad Manaſſem Remorum antiſtitem, & lib. 1. Francicar legum ſeu Capitularium cap. 78. non autem populo, cum eo non conſtare Eccleſias, earumque Capitula, notius ſit, quam vt à me aut alio quopiam, mei ſimili dici oporteat: hoc tantum narro, quæ ab Iuone ſunt ſcripta, ſi ſunt vera, confectum eſſe negotium, in populi iure, non fuiſſe Epiſcopos eligere, ſed probare, quod poſt eorum electionem canonicam, Reges quoque Francos facere ſolitos, veteres narrant hiſtoriæ. Equidem ſummos Pontifices legimus, ſuis apud eos feciſſe precibus, vt Epiſcopatus, ad quos quidam, Cleri ſuffragio delecti erant, ſuo conceſſu capeſſerent, aliquorum autem, qui eorundem Regum aſſenſum nondum conſecuti fuerant, conſecrationes dilatas. Sine quo, quoniam magiſtratum illis, ſuum inire, ac gerere nefas erat, credidere veteres à Gallis Regibus, Epiſcopatus concedi electis à Clero Epiſcopis, quod quomodo intelligi debeat expreſſit, his verbis, Iuo epiſt. 65. *Dominus quoque Vrbanus Reges tantum à corporali inueſtitura excludit, non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione, quæ conceſſio, ſine ſit manu, ſine nutu, ſive lingua, ſive virga quid refert? cum Reges nihil ſe ſpirituale dare intendunt, ſed tantum aut votis pertinentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere.*

Ad eorum aſſenſum accedere debebat Metropolitani confirmatio, iuxta can. 6. Conc. Pariſ. ante citati Arelatenſis can. 21. Nicæni can. 4. vbi eſt, his verbis: *Per omnia autem manifeſtum eſt, quod ſi quis præter voluntatem, & conſententiam Metropolitani Epiſcopa fuerit ordinatus, hunc Cõcilium, magnũ & ſanctum, cenſuit non debere eſſe Epiſcopũ.* Neque verò hæc ſufficiebant, ſed accedere quoque debebat conſecratio, id eſt, *Manus impoſitio*, per Epiſcopos qui conuenerant quos decreto Patrum in Arelat. Concil. can. 21. ſeptem eſſe oportebat: *Si tamen non poterunt ſeptem, ſine tribus ſi tribus ordinari nemo poterit*, Concil. ibid. quos Epiſcopos à Metropolitano ad id dirigi neceſſe erat iuxta canon 39. Concil. Carthag. 3. ac è prouincia ſua peti, Iuo ad Hugonem Romanæ Eccleſiæ legatum epiſt. 66. nec extra eam conſecrationis impertiendæ cauſa egredi, ita Lugdunenſi Archiepiſcopo poſtulanti olim à Suffraganeis Senonenſis Eccleſiæ vt Niuernenſem electum Auguſtoduni conſecrari ſinerent, negarunt id ſe poſſe. *Quod nec ex auctoritate, nec ex conſuetudine, ordinem huius conſecrationis haberent, nec in conſuetudinem ducere, ſine multa deliberatione auderent, timentes rei fieri ſponſionis, quam Metropolitanæ ſedi fecerant. Quod ſi aliquando contigit penuria Catholicorum Epiſcoporum, vel aliqua alia neceſſitate cogente, aliquem Epiſcopum à comprouincialibus non fuiſſe conſecratum, non debent hæc exempla, præiudicium facere legi communi, vel generali conſuetudini.*

De quibus rebus examinari Epiſcopum oporteat, antequam ordinetur.

Cap. 3. Ordinandus autem examinabatur, *Si natura eſſet prudens, ſi docilis, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi in lege domini inſtructus, ſi in ſcripturarũ ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus exercitatus, & ante omnia, ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſeruit id eſt patrem & filium & Spiritum ſanctum. Quærendum etiam ab eo, ſi noui & veteris teſtamenti, id eſt legis & Prophetarum & Apoſtolorum, vnum eumdemque credat auctorem ac Deum. Si Diabolus, non per conditionem, ſed per arbitrium factus ſit malus.* Concil. Carthag. quartum can. 1. ad quæ addi ſeptima vult Synodus, habita ſub Conſtantino & Irene anno 780. circiter: *an pſalterium omnino nouerit, vt ex eo omnem quoque ſuum Clericum initiari moneat, an ad ſacros canones diligenter, ac cum perſcrutatione, non autem curſim, obiterque legendos, prompto paratoque ſit animo, & ſacrum Euangelium, & librum diuum Apoſtoli, omnemque diuinam ſcripturam, & in diuinis præceptis verſari, & populum docere: Si quis autem fuerit animi dubius, & non lubenter hæc facere, & docere voluerit, non ordinetur.* Hæc canon.

Quibus animi dotibus oporteat Epiſcopum eſſe præditum.

Cap. 4. Non eſt ergo promiſcue quilibet Epiſcoporum dignus infulis, non paſſim ac ſine delectu quilibet, eſt è communi Clericorum turba ad eorum tam illuſtre euehendus honoris faſtigium, magnis eum oportet eſſe ornatum virtutibus, qui in puppi Eccleſiæ poſitus, clauum tenet, *Qualis enim in ſeipſo eſſe debeat, Paulus Apoſtolus exponit, vt ſit ſobrius, prudens, caſtus, ſapiens, modeſtus, hoſpitalis, filios habens cum omni caſtitate, proferens doctrina fidelem ſermonem, non percuſſor, non bilinguis, &c.* Cypr. de 12. abuſionibus ſæculi cap. 10. epiſtola autem 52. ad Antonianum, Epiſcopos per vrbes ſingulas ordinari negat oportere, *niſi ſint in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura, probati, in perſecutione proſcripti.* Vt autem pauperibus infirmiſque ſubueniãt, eis commendatur in Concil. Aurel. 1. can. 18. & cauſa 8. qu. 1. can. Clemens 13. Itaque Marinianum Epiſcopum, admoneri à Secundino Gregor. imperat: *Vt largam manum habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam inopiam ſuam credat, quòd ſi hæc non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet*, lib. 5. epiſt. 29. ad Secundinum.

Dictum in hoc genere illuſtrius nihil

quam quod eſt in Synodo Romana ſub Eugen. 2. & in Aquiſgran. can. 13. ſcriptum, his verbis: *Ille modis omnibus, debet ad exemplum viuendi peruenire, qui cunctis carnis paſſionibus mortuus, iam ſpiritaliter viuat, qui mundi proſperitatem contemnit, qui nulla adueſa peruaſerit, qui ſola æterna deſiderat. Cuius mentem bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat ſpiritus, qui ad aliena capienda non ducitur, ſed propria largitur, qui nulla illicita perpetrat, ſed perpetrata ab aliis, vt propria deplorat, &c.*

Optimorum præſulum ſpeciem & ideam exprimunt alij, cum ſcriptis ipſi libris, cuiuſmodi eos eſſe non deceat, indicant, nam primo de Laicorum fræe, ordineque peti eos nolunt: *quid enim facilius quam eos Religioſi propoſiti ducatum arripere, qui maluerc eſſe necdum didicere? aut quid iſti ſubiectis præſtituri ſunt, qui antequam diſcipulatus limen attingant, tenere locum magiſterij non formidant?* Gregor. ad Syagrium lib. 7. regeſti epiſt. 110. quare ſi quis ſcholaſticus de foro, aut ex adminiſtratore, ad Epiſcopale petebatur faſtigium, Patrum decreto in Sardicenſi Concil. can. 13. ad illud recipi, ac ordinari non poterat, niſi *ante & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuiſſet perfunctus.* Concil. Sardic. can. 13. idque anno integro Concil. Aurel. 3. can. 9. Arelat. 3. can. 3. *Vt Laicus ante annum conuerſionis non ordinetur. Quod ſi hoc quiſque Epiſcoporum, tranſcendere, quacunque conditione præſumpſerit, anno integro ab officio, vel caritate fratrum, habeatur extraneus,* Concil. Aurel. 3. can. 9. *Ordinare ergo ad ordines accedendum eſt: nam caſum appetit, qui ad ſumma loci faſtigia, poſt poſitis gradibus, per abrupta quærit aſcenſum,* Gregor. ad Syagrium lib. 7. regeſti epiſt. 110.

Secundo, à futuro Epiſcopo exigitur, ne ſit vindictæ appetens, aut ad eam facilis Gregor. lib. 11. epiſt. 49. & refertur diſt. 86. can. ſi quid 23.

Tertio, ne neophytus, *ne in ſuperbiam elatus, putet ſe non tam miniſterium humiliatus, quam adminiſtrationem ſæcularis poteſtatis adeptum,* Iſidor lib. 2. de Eccleſ. offic. cap. 6.

Quarto ne digamus, Concil. Arelat. 3. can. 2.

Quinto ne Simoniacus Aurel. 5. can. 3. qui talem ordinaſſe probatus fuerit: *Proprij gradus periculo ſubiacet, & qui ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione aut promotione, quæ eſt pro negotiatione facta, proficit, ſed eſt alienus à dignitate, vel ſolli citudine quã pecunias acquiſiuit,* Concil. Chalced. can. 2. Itaque Greg. epiſt. ad Syagrium 110. lib. 7. relatus ab Iuone epiſt. 20. eiuſmodi homines, non Epiſcopi officium, ſed nomen ait attendere, non eſſe, ſed concupiſcere dici tantum Sacerdotes, quales eos eſſe, *Saltem credere, errare eſt,* inquit Iuo epiſt. citata.

Sexto, ne ambitu, ne Regum ac Principum amicitia glorioſus, aut commendatione fultus, ad eum honorem veniat, ſeptima Synodus can. 3. Qui eo peruadere eiuſmodi arte fretus per temeritatem eſt auſus, prohibetur in Pariſ. Concilio, *à comprouincialibus Epiſcopis recipi, quem ſic indebite ordinatum cognouerint,* Concil. Pariſ. primum can. 8. à Concil. autem Niceno 2. can. 3. deponi iubetur & ſegregari, vnaque omnes qui cum eo communicant.

Septimo, ne ſit minor annis 30. Alexand. III. in Concil. Later. can. 3. in Gallia nouo iure, Concordatorum Gallis permiſſum eſt, anno ætatis 27. Epiſcopatum ſibi à Rege oblatum, & à Pontifice collatum capeſſere Concord. de reg. nominat.

Octauo, *Quoniam pœnitentes, vel inſcij literarum, aut aliqua membrorum damna perpeſſi, ad ſacros ordines aſpirare nequeunt,* diſt. 55. can. 3. vt quis Epiſcopus fieri valeat, membris conſtare ſuis omnibus debet vno aut pluribus manibus, non eſt ad eum magiſtratum idoneus, ita capti oculis, aut eorum altero tantum, vel qui vltro, propriaque manu, ſeipſos abſcindunt, repelluntur à Sacerdotio in Arelat. 2. can. 7. canone Apoſtol. 22. & in can. ſi Euangelica admonitio 13. diſtinctionis 55.

Epiſcopi plebes ſibi ſubiectas verbo & exemplo paſcere.

Cap. 5. *Oportet autem omnes Doctores, qui ad ſalutem animarum inſtituti ſunt, & ad lucrandas animas conſecrati ſunt Epiſcopi, pro cunctis ſollicitudinem gerere, & errantes ad viam veritatis, & ad portum ſalutis reducere.* Clem. ep. 4. *Et quoniam non ſimus Prælati excuſabiles, & immunes à periculis apud Dominum, cui pro ſibi commiſſis, rationes ſumus reddituri, ſi res carnalis ſolummodo, & non ſpiritualia fideliter ſubminiſtrauerimus, cum de eorum manu, ſanguinem eorum, ſi perierint, ſit exacturus:* Concil. Pariſ. ſub Ludou. & Lothar. lib. 1. cap. 24. *in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum operam dare debent,* Concil. Cabil. ſub Carol. can. 14. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. ſeſſ. 23. cap. 1. quod cauetur 7. q. 1. can. ſicut vir parag. Epiſcopum & diſt. 36. can. vlt. diſt. 86. in principio in Conc. Aquiſgr. can. 24. Pariſ. ſub Ludou. lib. 1. can. 5. & lib. 3. c. 1. *Præconis namque officium ſuſcipit, quiſquis ad Sacerdotium accedit, vt ante aduentum iudicis, qui terribilis ſequitur, ipſe ſolitus clamando gradiatur,* Greg. lib. 2. paſtoral. cap. 11.

Eſt enim Epiſcopus ſeruus fidelis, conſtitutus à Domino, *Super familiam ſuam, vt det ei cibum in tempore.* Luc. 22. quem illum vero? Doctrinæ, eruditionis, precum, ac Sacramentorum, Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. Precabantur pro fidelibus, qui ſe Actor. 6. profitentur, *Orationi & miniſterio verbi inſtantes fore.* Docebat, qui Deum obteſtatur, ſe eorum omiſiſſe nihil, quæ ad populi ſalutem & ſpiritale commodum facerent: *Scitis quomodo nihil ſubtraxerim vtilium, quominus annunciarem omne conſilium Dei vobis,* Act. 20. ſuo autem exemplo, idem vt facere animum inducerent, in Timotheo Paſtores omnes hortatur Paul. 1. ad Timoth. 4. Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu, &c. *Prædica verbum, inſta, opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina, vigila, labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.*

Quare *Epiſcopo ſcripturarum ſcientia* neceſſaria eſt Trid. de Eccleſiaſt. offic. lib. 2. cap. 6. *Vt non tantum potens ſit exhortari in doctrina ſana,* ad Tit. 1. ſed etiam, *eos qui contradicunt vel vita, vel doctrina malæ reuincere,* inquit Auguſt. ſer 19. de verb. Apoſt. *Ignominioſum enim valde eſt, vt tanto quærat diſcere, cui quæſtionem debet enodare,* Greg. lib. 2. cap. 11. Paſtoral. *Quod ſi per ſeipſos Epiſcopi non ſufficiunt miniſtrare verbum Dei, maximè per amplas Diœceſes & diffuſas, vnos idoneos ad ſanctæ prædicationis officium aſſumere tenentur potentes in opere, & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas, vicem ipſorum (cum per ſe nequeunt) ſollicitè viſitantes, eas verbo ædificent & exemplo,* Concil. Later. ſub Innoc. III. can. 10. *Si quis autem hoc adimplere contemſerit, diſtrictæ vltioni ſubiaceat,* Trid. ſeſſ. 5. cap. 2.

Epiſcopi autem dum populum concionando inſtruit, *Sermo debet eſſe purus, ſimplex, & aptus, plenus grauitate & honeſtate,* Iſidor. lib. 2. cap. 6. de Eccl. officiis, qui pro fine Dei gloriam, ac populorum ſpirituale cõmodũ habeat, *quibus ſæpius eſt meditandum, ne iugo Satanæ, quod execrant, eiuſque dominationi quam aſperniati ſunt quoquo modo ſuccumbant,* Concil.

Paul. ſub Lothario lib. 1. can. 10. quod aſſequi vt poſſint eos Iſido. citatus proxime de ſuperiori loco vult inſtitui, *de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de diſciplina inſtitiæ*, Presbyteros autem informandos eſſe Pariſienſe Concil. lib. 1. c. 32. aſſerit, *Qualiter & confitentium peccata diſcrete inquirere, eiſque congruum modum ſecundum canonicam auctoritatem pœnitentiæ, nouerint imponere.*

In ſumma paſcere omnes debent, *Docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum breuitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant*, Trid. ſeſſ. 5. cap. 2.

Et quia *odiſſe ſe probat vitia, qui condemnat errantes, nec relinquit ſibi locum demandi, qui non pepercerit excedenti.* Ioan. 8. relatus à Grat. diſt. 86. can. facientis 3. gliſcitque in primis animus, ac alitur, morum innocentia, ad quam, nimium quantum ſincera vitiorum cenſura, grauiſque confert, *Ideo paſtoralis eſt ordinis, infatigabiliter reuocare quicquid ad correctionem populorum, ſuo magis filiorum ſpiritualium, cognouerit pertinere*, Clem. epiſt. 2. Matris quidem vbera, liberis ſuis ſic fugenda præbere debet Epiſcopus, vt ſe Patrem, magiſtrum, ac cenſorem morum meminerit ad *corrigendos ſubditorum exceſſus, maxime Clericorum, & reformandos mores, prudenter debet intendere*: de officio ordin. ca. 13.

Eo ſpectatore, ac conſcio qui peccat, haud dubie probitatem eius famamque vulnerat, *eo quod facientis culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare*, diſt. 86. can. quapropter 3. *Sciens Epiſcopus, quod ſi quibuſlibet diuitibus, ac male viuentibus parcat, aut foueat, eos perdat, ſimul & pereat, & ſanctè debet viuere propter exemplum, & piè docere, propter ſuæ adminiſtrationis effectum, certus quod ei ſua iuſtitia nihil ſuffragetur, de cuius manu anima perennis exigitur, quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi neceſſitas manet, ſolus pœnas ſui ſceleris dabit, illi autem diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiamſi ſanctè viuat, & tamen perditè viuentes arguere erubeſcat, & metuat cum omnibus, qui eo tacente perierint, perire.* Proſper de vita contemp. lib. 1. cap. 20.

Quod ergo de ſe narrat Iuo ep. 6. in id peruigili intendiſſe cura, *vt inordinatos populi mores diuerſis exhortationum modis componeret, atque habito diſcretionis moderamine, ad debitum ordinem reuocaret*, hoc cæteris ante omnia, appetendũ eſt Epiſcopis ſi ſe tales eſſe volunt, quales ſuperi exigunt. in primis ſtatis animi temporibus dicent ad populum, vitia arguent, timidos ac hæſitantes ad grandia acuent, errantes, in viã, tàm exemplo, quàm opere reducent, hæreſes in populo prouinciaque radices agere non ſinent. *Si quis Epiſcopus ſuper expurgando de ſua Diœceſi, hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remiſſus, cum id certis indiciis apparuerit, ab Epiſcopali officio deponatur, & in locum ipſius idoneus ſubſtituatur, qui valeat, & poſſit hæreticam confundere prauitatem*, Concil. Lateran. ſub Innoc. III. can. 3.

Vt autem correctionis & reformationis officium libere valeat Epiſcopus exercere, eius executionem nulla conſuetudine ac appellatione impediri poſſe Innoc. voluit in decretali irrefragabili 13. de officio Ordinarij. Vt autẽ hæc eius cenſura profit.

Primo, crimen non probatum, nominatim non arguet, ſed in genere, cap. ſi Sacerdos 2. de officio Ordinarij.

Secundo, in eo plectendo leges reſpiciet, non quæſtum, cap. irrefragabili parag. vlt. eiuſd. tit.

Tertio, cenſuram ſuauitate leniet, acrimoniam in verbis ac acerbitatem, quoad ratio patietur ac ſinet, reſpuet, quam in ſententiam, eſt hoc Bern. dictum nobile ſermone 23. in Cantica vbi de 3. cellis: *Audiant hoc Prælati, qui ſibi commiſſis eſſe volunt formidini, vtilitatis raro, eruditimi qui indicatis terram, diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos, ſtudete magis amari, quam metui*, neque tamen eos decet molli dextera, tractare vitia, palpata creſcunt, acriora, cum initio non ſecantur, euadunt, ſponſa in cellam ſe vinariam benignitate admirabili, intromiſſam à ſponſo narrat, *Quod in ea*, inquit Bernar. ſerm. 23. in Cant. *vnum zeli in caritate feruentis recondunt*, quo vino, æſtuare eos qui aliis præſident eſt neceſſe. *alioqui improbè ſatis præeſſe affectas, quibus prodeſſe non curas, & quorum non zelas ſalutem, ſubiectionem nimis ambitioſe tibi vendicas* Bern. ib. *Prohibe quos potes, vetare quos potes, quibus potes blandire, molitamen quæſcere, ſi amicus eſt, admonearur leuiter, vxor eſt, refrenetur ſeueriſſimè ſi opus eſt, ac etiam verberibus compeſcatur.* Auguſt. tract 10. in Ioan. ſed hac lege ne caritas intereat, ne virtuti vis fiat, ne quando humanitas læſam ſe dicat. In ſumma, *Si ſeueritate*, verba ſunt Bern. ſerm. 23. in Cant. *opus eſt, paterna ſit, non tyrannica, matres foueudo, patres vos* (ô Epiſcopi) *correpiendo exhibere, manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite vbera, pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant.*

Quarto id operam dare debet Epiſcopus, quando neceſſitas diſciplinæ, eum in vitia, eorumque cenſuram acuit, modum vt in verbis, pœniſque teneat, diſt. 86. can. quando 4.

Quinto, vt eam moderetur amor, regat caritas, proximi ſalus, Deique gloria, non vindicta exprimat, ſi corrigis, ſi emendas, ſi arguis: *Animo*, inquit Auguſt. in Pſalm. 102. *dilectionis fac, non vltionis, qui pertinent ad gubernationem tuam vindica, coerce cum dilectione, cum caritate, attendens ſalutem æternam, ne cum parcis cauſi, anima pereat. Noli in homine amare errorem, ſed hominem, hominem fecit Deus, errorem ipſe homo fecit, ama illud quod Deus fecit, noli amare quod ipſe homo fecit.* Auguſt. tract. 7. in cap. 4. primæ Canonicæ Ioan. Canonicos ipſe tamen, quos Papæ benignitas ſui iuris eſſe voluit, ab ordinarij ſubductos cura, non puniet, *Sed ad eius inſtionem, vel commonitionem, à Capitulo corrigantur, intra terminum competentem, ab eo præfigendum, alioquin ipſe ex tunc Deum habens præ oculis, ipſos vt animarum curæ requirit, per cenſuras Eccleſiaſticas, corrigere non poſtponat.* Innoc. in cap. irrefragabili 13. de officio Ordinarij.

Eo porro defungi munere vt poſſit, κ' τὰ προλέμματα ζῶα, ὅλος ὄπιθεν ὀφθαλμὸς ἐφύλει, καὶ' ἐκεῖνα μαθητεύσῃ. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 151. ad Eulcb. Epiſcop. Speciatim autem, eum oportet, ὁπόσων τὰς ἰδέας τῶν ὑφ' ἑαυτὸν, καὶ τῶν ἀφανῶν, τὰς τῆς ἐκκλησίας ῥαθυμίας, τὰς τῶν μοναχῶν ὀλιγωρίας, τὰς τῶν ἀδίκων ὑπερηφανίας, τὰς τῶν νέων ἀκολασίας, τὰς τῶν χηρῶν δυσφορίας, τὰς τῶν ὀρφανῶν ἀπορίας, καὶ ὅλως ὅσα ὀφθαλμὸν πάντα ὁρῶντα καὶ πανδέκτην ἐχρῆν. Iſidor. Peluſ. lib. 1 ep. 49. ad Tribonian. Epiſcop.

De Epiſcopi officio in viſitanda Diœceſi.

Cap. 6. Quas Paſtoris boni partes, quia explere nequit niſi commiſſarum ſibi ouium morbos, vlceraq; perſpecta habeat, ea vero noſſe nõ poteſt niſi eas ex interuallo cominus inſpexerit, earundem caulas, paſcuaque præſens, coramque luſtrauerit, inde eſt quod: *Epiſcopum per cunctas Diœceſes, Parochiaſque ſuas, per ſingulos annos ire oportet, vt exquirat*

quo vnaquæque basilica in reparationem sui indiget. A Toletan. quartum can. 15. quomodo Clerici ordinem baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter officia in Ecclesia, *Peragant, & si recte quidem inuenerint, Deo gratias aget, sin autem minime, docere debet, grauos, &c. Postquam vero Clericos suos discusserint, vel docuerint Episcopi, alia die, vocata plebe ipsius Ecclesiæ, doceant illos vt errores fugiant idolorum, vel diuersa crimina id est adulterium, furtum, homicidium, & reliqua peccata mortifera, &c. Et sic postea Episcopus de illa Ecclesia proficiscatur ad aliam*, Concil. Bracc. 2. can. 1.

Quid si sit hæc ab eius exempta potestate? quid si B sub titulo Prioratus, vel Abbatiæ sit erecta?

Respondet Concil. sess. 21. cap. 8. *Commendata Monasteria, etiam Abbatias, Prioratus, & Præposituras nuncupatas, in quibus non viget regularis obseruantia, necnon beneficia tam curata quam non curata, secularia, & regularia, qualitercunque commendata, etiam exempta ab Episcopis, tanquam sedis Apostolicæ delegatis, visitanda esse, appellationibus quibuscunque, priuilegiis, consuetudinibus etiam immemorabili tempore prescriptis, confirmationis, & eorum inhibitionibus non obstantibus.* Quod si in eiusmodi Ecclesiis, aut Monasteriis, disciplina, vigeret Monastica, satis esset Episcopo, ad culpæ fugam, eorum Rectores ac Præsides admonere, id vt dent operam, ne quid de ea incuria sua, patientiaque depereat, curent autem pro C vtili sua, vt omnes officium faciant, iuxta antiqua regulæ instituta vitam agant, virtuti studeant, vitia horreant, vno verbo, *Sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses, eos non visitauerint, vel correxerint, tunc ijdem Episcopi, etiam vt delegati Sedis Apostolicæ, eos visitare possint, & corrigere, prout ipsi Superiores possent*, Trid. sess. 21. cap. 8. *Hospitalia similiter, collegia quæcunque, confraternitates Laicorum, etiam quas scholas vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione, sine eorum licentia.* Trid. sess. 22. c. 8. Quod si id illis facere per inualetudinem, morbum, aut negotia, non licebit, aliena ad id opera vti poterunt, sic tamen, vt totam ipsi Diœcesim, si quotannis nequeunt, saltem biennio D per se aut visitatores suos obeant, Trident. sess. 24. cap. 3. qui infra mensem, quemadmodum & Archidiaconi, visitationis à se factæ rationem iisdem reddent, acta ad notitiam testiumque depositionem exhibebunt, etiam non rogati Trid. ibid.

Istorum autem quemadmodum & Episcopi, præcipuus erit in visitando scopus, *Sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus, ad religionem, pacem & innocentiam accendere*, Trid. sess. 24. cap 3. de reformat.

Episcopum autem moderatis victualibus contentum esse oportet, sibi familiæque ad depensum E diurnum necessariis, dummodo non sit consuetudo in contrarium Trid. sess. 24. cap. 3. præter ea, si quid etiam sponte collatum acceperit, procurationis causa pro visitatione, *is præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, alijs etiam pœnis, iuxta constitutionem generalis Concilij Lugdun. multetur*, Trid. sess. 24. cap. 3.

Est tamen in eorum optione, qui visitantur, si malint soluere, id quod eras ab ipsis solui, certa pecunia taxata consuetum. in his verò locis, seu prouincijs vbi consuetudo est, vt nec victualia, nec pecunia à visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id obseruetur, Trid. supra.

Hæc de Diœcesi: In lustrandis Monasteriis Episcopo, quid? & quantum est permissum?

Si immediatè sedi Apostolicæ subiacent itaut generalibus non subsint Capitulis, aut Episcopo congregari debent, & inter ipsos deputari quolibet triennio, qui ea visitet, Trid. sess. 25. cap. 8. quod si in prouincia numerus pro Congregatione sufficiens non fuerit, iis aliarum prouinciarum Monasteria adungi poterunt, Trid. ibid. visitatores autem, exequi quæ sunt officij, si negligant, ea Episcopus Diœcesanus, tanquam Monasteria sibi subiecta visitare & corrigere poterit, Trid. ib. non tamen si capitibus ordinum subsint, Trid. sess. 25. cap. 20 *sed iuxta sancta sedis Apostolicæ, & eiusque ordinis constitutiones visitentur*. Trid ibid.

De Episcoporum officio ac iure circa Monasteria.

Cap 7. Cæteræ autem quæ iuris sunt sui, *Visitandi, exhortandique gratia, quoties placuerit, Episcopus adire potest*, sed sic charitatis officium, illic implere debet, vt grauamen aliquod Monasterium non incurrat Greg. lib. 7. indict. 1. ep. 18. & refertur 18. q. 2. can. 18. quare illi eius bona, redditusque, in suum conuertere commodum, est prohibitum, cõsueta tamen exigere seruitutis officia potest, iudicio Vrbani 2. in can. 31. causæ 18. q. 2. non operum angarias, non exactiones annuas, non multationes peccantium, secus facienti, subeunda est decretalis Ioan. Papæ sententia, dicentis: *Qui aliena inuadit, non excæ impunitus, sed quòd inuasit, non simplum, sed quadruplum reddat secundum Euangelicam sententiam: si quem defraudauit reddo quadruplum. De angariis verò super Presbyteros minimè faciendis*, legitur in Concil. Tolet. 5. can. 28. *Neque in angariis Presbyteri, aut Diaconi, neque in aliquibus fatigentur indictionibus*, Iuo Carn. epist. 73. Eulogiæ tamen nomine, vel in die dedicationis, vel in natali Sanctorum. quorum nomine, ipsum Monasterium est dedicatum, offerri Episcopo aliquid potest 18. q. 2. can. 19. imo etiam est necesse, si de eo inter Episcopum, & Religiosos, conuenit, cum primo exædificari Monasterium est cœptum: ita Pelagius Papa 18. qu. 2. can. Eleutherius 30.

Tertio, in Episcoporum est iure, Episcopalia sibi iura à Monasteriis petere Honor. III. in decretali conquerente 16. de officio Ordinarij quæ autem sint Episcopalia iura, declarat, ibi his verbis: *Decreuimus vt in Ecclesijs, seu capellis tuæ Diœcesis, ad Monasterium ipsum spectantibus, habeas canonicam obedientiam, subiectionem, & reuerentiam, institutionem, & destitutionem, correctionem, ac reformationem, ac censuras Ecclesiasticas, iurisdictionem quoque causarum omnium, & Sacramentorum quæ ab Episcopo recipienda sunt, collationem, Synodum, & Synodalia, seu cathedratici nomine duos solidos, quartam decimationum, & mortuariorum, visitationem quoque annuam, ita quod cum ad eos accesseris, nõ amplius procurationis nomine requiras ab eis (nisi quantum pensatis facultatibus earum) moderatè poterunt exhibere, ne plus cæteris capellis eiusdem Diœcesis, in procurationibus oneretur.*

Quarto, cum Monasteria tàm virorum quàm mulierum, quibus cura imminet animarum, personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum familia, immediatè subsint iurisdictioni, & correctioni Episcopi, ratione personarum tam regularium quam sæcularium, quæ imbi curam animarum exercent, eas quotannis visitabit, in his duntaxat, quæ ad dictam curam, & administrationem Sacramentorum pertinent, Trid. sess. 25. cap 11.

Quintò, ad eundem spectat, admouere beneficiis ibi curam animarum habentibus idoneos,

præuio tamen examine, per eum, aut eius Vicarium faciendo excepto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & excepti⁹ ijs Monaſteriis ac locis, in quibus Abbates, Generales, aut capita Ordinum, ſedem ordinariam principalem habent, Trid. ſeſſ. 25. cap. 11.

Eſt hæc tamen Epiſcopo, in huiuſmodi locorum regimine, adhibenda cautio.

Primo, ne eius incolis, hoc eſt Monachis, ſit impedimento in ſpiritualibus, ita cauetur cap. nimis iniqua 16. & cap. nimis prona de exceſſib. prælatorum.

Secundo, ne eos, ac propria eorum domicilia, grauet oneribus Clem. ad noſtrum de cenſib. ca. in ſingulis 7. parag. porro de ſtatu Monach. Clem. I. de exceſſib. prælator. 17. q. 4. can. hanc ergo 18. q. 2. can. quam ſit parag. hanc ergo can. luminoſo parag. finali eiuſd. q. & cauſæ.

Tertio, abſtinere debet ab iniuria, quare nec oblata Monaſterio ſibi vindicare, nec ei pœnam imponere, aut loco mouere quenquam niſi correctionis cauſa, per leges licet: *Alicui Monaſterio*, inquit Gregor. *nec tu, nec Presbyteri tui, præter diligentiam diſciplinæ, aliquid moleſtiæ inferatis aut ſi quid illic pro diuerſorum delictorum cauſa acceſſerit, vobis vindicare eſtimetis. Cum Monachis ſeruientibus debeat proficere, quidquid à fidelibus, taliter offerri contingit*, cap. 1. de ſtatu Monachor. quod quomodo intelligi oporteat dicetur poſtea.

De Epiſcoporum poteſtate circa beneficia.

Cap. 8. Notare placet interim, non cœnobia modo, ſed & Eccleſias ſubeſſe Epiſcopis, quas cum ſuis rebus, ad eius ordinationem ſpectare, habetur 10. q. 1. can. 2. & ſeqq. 12. q. 1. can. videntes §. ipſæ verò can. Epiſcopus, can. præcipimus, ead. cauſa quare cogere poteſt Rectorem, qui per ſe adminiſtrandæ Parochiæ non ſufficit, vt Sacerdotes ſibi alios adiungat Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. de reformat. & ſi populi ſalus exigit, nouam eo inuito Parochialem Eccleſiam erigere, eique fructus, Paroco alendo idoneos ac pares, de matrice Eccleſia aſſignare, qui ſi forte non ſuffecerint, populum ad ſubminiſtrandum alimenta Paroco cogere poterat, *Qua ſint ſatis ad vitam dictorum Sacerdotum ſuſtentandam, quacunque reſeruatione generali, vel ſpeciali, vel affectione, ſuper dictis, Eccleſiis non obſtantibus.* Trident. ſeſſ 21. cap. 4. de refotm.

Huic porro quemadmodum & illiteratis, ſi qui forte eiuſmodi ſunt aliqui Parochiis præpoſiti, eis coadiutores, aut Vicarium deputare, cum aſſignatione partis fructuum earundem, pro ſufficienti, victu poterit, ſeſſ. 21. cap. 6. *Eos vero qui turpiter viuunt, & ſcandaloſe, poſtquam præmoniti fuerint, coercendi atque caſtigandi, & ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeuerent, eos beneficiis, iuxta ſacrorum canonum conſtitutiones, priuandi facultatem habet.* Trid. ibid.

Habet & vniendi beneficia inter ſe, cap. ſicut vnire de exceſſib. prælator. cap. quod tranſlationem de offic. legati, Rebuff. par. 1. praxis beneficiariæ rubrica de vnionib. num. 1. fitque hæc vnio tam ad tempus, quam in perpetuum, vt colligitur ex cap. 1. ne ſede vacante. Perpetua eſt, quando exprimitur vt perpetuo duret, his verbis aut ſimilibus: *In perpetuum Vniuimus* aut quando fit ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ, Bonifac. VIII. in cap. ſi gratioſe 5. de reſcriptis in 6. *Cum enim ſedes ipſa non moriatur*, gratia conceſſa, *durat perpetuo niſi à ſucceſſore fuerit reuocata*, cap. ſi gratioſe citato.

Temporalis vnio fit ad tempus, nempe ad vitam eius cui conceditur, expiratque eius morte, qualis nulla recipitur in Francia, eo quod reſeruationem capiat, cuiuſmodi non agnoſcit Gallia, Rebuff. loco citato nu. 9.

Perpetua fieri debet ex cauſa, quæ eſt duplex, vtilitas & neceſſitas, neceſſe eſt vnionē fieri, quando Eccleſiæ, quæ ſunt vniendæ, premuntur inopia, qualis vigere eſt cenſenda, cum Parocho ſuppeditare ſingulæ nequeunt, quantum ad victum ſufficit, Gloſſa in can. Clericus 21. q. 1. Ad neceſſitatem quoque pertinet, Parochianorum in vtraque Parochia paucitas, nempe quia ſunt mortui, cap. ad audientiam de Eccleſ. ædificandis, quia ab hoſtibus ſolum vertere ſunt coacti, cap. 2. de religioſ. domibus, pauci autem tùm ſunt cenſendi, cum denarium numerum non explent Concilii Toletan. 16. can. 4. ſunt hæc verba tranſlata in cauſæ decimæ q. 3. can. 3. *Eccleſia, quæ uſque ad decem habuerit mancipia, ſuper ſe habeat Sacerdotem, quæ vero minus decem mancipia habuerit, alijs iungatur Eccleſijs*, quod fieri tunc eſt vtile, cum obtenuitatem reddituum, vtriuſque Eccleſiæ, non inuenitur qui ambabus, aut earum alteri operam ſuam deferre velit. Rebuff. ſupra. Facta vnio ſine aliqua de his cauſis, ac earum cognitione prævia, vocatiſque vocandis, vt loquitur regula Cancell. 21. inanis eſt, eo quod præſumatur eſſe ſubreptitia, quare ad eius poſtulata qui ſe tali vnione læſum queritur, reſcindi à magiſtratu regio poterit, non obſtante quſtalibet longinquitate temporis, quo hæc duraverit, quod eius, quantumlibet diuturnū ſit, nulla in foro haberi ratio ſoleat, cum abuſus præſcribi nequeat, Rebuff. ſupra num. 47.

Epiſcopo quid cauendum in collatione Prebendarum.

Cap. 9. In conferendis autem præbendis, eſt hæc Epiſcopo tenenda cautio.

Primo, ne eas indignis conferat cap. inter dilectos 11. de exceſſib. prælator. quales cenſendi, *quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur, vnde quanta Eccleſijs damna proueniant, nemo ſanæ mentis ignorat*, Innoc. III. in cap. grane nimis 29. de præb. In eo olim Epiſcopus qui peccaſſe conuictus fuerat, *Poſt primam, & ſecundam correptionem à beneficiis conferendis, ſuſpendendus erat per Concilium, inſtituta in eodem Concil. perſona prouida, & honeſta, quæ ſuſpenſi ſupplere defectum in beneficijs conferendis*, cap. grane nimis citato: quæ ſuſpenſionis ſententia præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ, relaxari non poterat Innoc. ibid.

Secundo, vt Laici ad præbendarum admoueri regimen nequeunt, Alex. III. teſtimonio in cap. quamuis 17. de decimis, ita non ſunt ſæculares Clerici idonei, quibus ab Epiſcopo præbendæ dentur Monaſticæ, de ſtatu Monachor. cap. vlt. parag. præcipimus, cap. inter quatuor de religioſis & cap. proceſſiones 10. de rebus Eccleſiæ alienandis, ibi enim Innoc. eius nominis III. *Eccleſias in quibus Monachi miniſtrare conſueuerunt, Clericis, vel Laicis aſſignari*, prohibet, quemadmodum & puetis Greg. nonus in decretali ſuper inordinata, 35. de præb. eo quod *Pueri, qui non poſſunt in Eccleſia deſeruire, in ea non debeant idonei reputari.*

Tertio prouidendum Epiſcopo, ne beneficium ei nouum conferat, qui alterum eiuldē benignitate iam poſſidet cap. quia nonnulli 3. de Cleric. non reſidentib. cap. quia in tantum 5. de præbend. quia eſt eiuſmodi præbendarum multitudo, *Canonibus inimica, nec diſſolutionis modo materiam, & euagationis, inducit, ſed & certum continet animarum periculum* Alex. III, ibi, eamobrem prohibetur cap. cum non

ignores 15. cap. cum iamdudum 18. eiuſd. tituli de exceſſibus prælatorum cap. 1. verſu nec dicas, cap. cum ſingula 32. de præbend. in 6. diſt. 70. cap. vlt. 10. q. 1. can. vnico parag. ſed & hoc 16. q. 7. can. per Laicos 21. q. 1. can. Clericum 2. can. vnum 4. in priori enim habetur: *Clericum in duarum Eccleſiis contratum, eodem tempore conſcribi non oportere* in altero. *Abbatem vnum duobus Monaſteriis præſidere non poſſe. Qui Abbatiam aut beneficium aliquod recipit curam animarum habens annexã, ſi prius tale beneficiũ habebat, eo eſt ipſo iure priuatus, & ſi forte illud retinere contenderit etiam ſpoliandus eſt altero,* Innoc. III. in decret. de multa 28. de præb. *Circa ſublimes tamen perſonas, & literatas, quæ maioribus ſunt beneficijs honoranda, cum ratio poſtulat, poteſt diſpenſari,* ibid. Ita Fundenſi Epiſcopo conceſſum eſt à Greg. vt Tarracinenſi Eccleſiæ præeſſet, ſic tamen vt antedictæ Fundẽſis Eccleſiæ iura ei, poteſtatemque nemo ſubtraheret. Greg. lib. 2. ep. 13. ſeu cap. 52. ad Agnellum Epiſc.

Quarto, cauendum Epiſcopo ne ſibi ipſi præbendam conferat, habetur cap. vlt. de inſtitut. & cap. ad aures 3. de exceſſib. prælator. iubentur Epiſcopi, iis Eccleſiis exuere Archidiaconos, quas auctoritate propria, tanquam poſſeſſore vacuas occupauerant.

Quinto, ne hæreticis, eorum fautoribus, receptatoribus & credẽtibus, beneficia tribuat, ſingulari ei prouidendum eſt cura ne peccet in decretalem quicunque 2. parag. hæretici de hæretic. in 6. in qua id ei iure prohibent, *imo nec ipſorum filij,* decreto Alex. IV. loco citato, *vſque ad ſecundam generationem, ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium publicum admittuntur, ſecus actum, inane eſt ac irritum.* Vide caput ſtatutum 15. eiuſd. tit. cap. vnicum parag. contra natos de ſchiſmaticis in 6.

Sexto cũ de præbenda nondũ vacante, alij non conferenda, aut promittenda, caueatur in c. 1. cap. nulla 2. cap. relatum 3. cap. ex tenore 13. & cap. vlt. de conceſſ. præb. videre debet Epiſcopus ne quid tale audeat, *promiſſio enim eiuſmodi non tenet, vtpote contra ſtatuta Lateran. Concilij attentata,* Innoc. III. in decret. ex tenore 13. de conceſſ. præb. & per Honor. III. in cap. cum dilecta 16. reddita inanis ac nulla: *quia tamen aliud eſt prælatum promittere beneficij collationem cum poterit, aliud eum vacabit, cum in multis caſibus ſe facultas offerre poſſit, in quibus collatio non eſt expectatione beneficij differenda.* Innoc. III. in cap accedens 14. eod. tit. peccati redargui Epiſcopus non poteſt, qui præbendam vacaturam quam eſt pollicitus modo ne hanc aut illam, promiſſario conferet Bonifac. VIII. cap. ne captandæ 3. eod. tit.

Septimo, debet beneficia poſſeſſore vacua, integra, nullaque ſui parte diminuta dare poſtulantibus, modo idoneis atque capacibus cap. 1. vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione dentur præterea gratis ſine precio 1. q. 7. can. cauendũ, Extra. deteſtabile 2. §. per electiones de Simon. & intra ſex menſes ab eo tempore quo vacare cœperint cap. nulla parag. cum verò de conceſſ. præbendæ.

Octauo, dignitatem quæ appellatur Scholaſtica, ſeu Theologalis alteri quam Doctori, in iure Canonico, aut Theologia, conferre nequit quemadmodum nec aliã quamlibet Eccleſiæ Cathedralis habẽtem curam animarum minori 25. annis Trid. ſeſſ. 24. c. 12. ceteræ recipi poſſunt an. 22. Trid. ib.

Nono, videre debet Epiſcopus, vt prouiſus de beneficio, in ſua Cathedrali, profeſſionem fidei, coram ſe vel ſuo Vicario, intra duos menſes faciat Trid. ſeſſ. 24. c. 12. & hoc ei laborandum ne prouiſus de dignitate, requirente ordinem ſacrum, admittatur ad eius poſſeſſionem antequam eo ſit initiatus Trid. ſupra, ſimiliter ne per alium diuina officia obeat Trid. ibid. ne ſuper Parochia, cuius fructus centum ducatos non excedit imponatur vlla penſio aut eam iſte conferat abſque examine Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. quod oportet ſimiliter inſtitui, cum eius facta eſt reſignatio in curia Trid. ibid.

Epiſcopo quid non ſit permiſſum.

Cap. 10. Primo. Epiſcopo ſine Capituli conſilio quidpiam, quod ſit ad Dei gloriã, aut momenti alicuius ad populi commodum tentare non poteſt. *Quare inconceſſionibus, confirmationibus, & aliis Eccleſiæ negotijs,* fratres tuos requires, (inquit Alex. III. in decre. quanto 5. ad Patriarcham Hieroſolymit. de his quæ fiunt à prælato ſiue conſenſu capituli) *& cum eorum conſilio, vel ſaltem maioris partis eadem peragas, & pertractes, & quæ ſtatuenda ſunt, ſtatuas, errata corrigas, &c.*

Eiuſmodi ſanctionis hæc eſt cauſa, quod Epiſcopus ſit caput, canonici membra Capituli, quam ergo *non decet,* omiſſis membris, aliorum conſilio in Eccleſiæ negotiis vti? cum id non ſit dubium, & honeſtati, & Sanctorum Patrum inſtitutionibus contraire.

Secundo, de rebus Eccleſiæ, fortunis, ac prædiis, abalienare quidpiam Canonicorum non probante cœtu, Epiſcopo illicitum ca. 1. de reb. Eccleſiæ alienandis: *Irritaque eſt omnis eius donatio vel vẽditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ, abſque collaudatione, & ſubſcriptione Clericorum,* cap. 1. de his quæ fiunt à prælato ſiue conſenſu capituli. Ad ſubſcriptionem accedere debent vlterius tres tractatus vt ab eo rerum Eccleſiæ facta abalienatio ſit rata, Zechius in li. de Eccl. Repub. tract. de prælatis cap. 1. in magna tamen neceſſitate, vel ſi res eſt parua, poteſt ſolus prælatus id facere 12. q. 2 can. terrulas, extra eos caſus, alienationibus cæteris, ſolemnitates ſunt adhibendæ quas Paul 2. in Extrau. Ambitioſæ de reb. Eccleſiæ non alienandis exigit, alioqui non ſubſiſtent Zechius ſupra.

Poteruntque quilibet de collegio, *Vocem contradictionis offerre, vt & cum fructibus, poſſint alienare poſcere, & Eccleſiaſtica auctoritate fulcri,* Symmachus Papa in Synodo Romana ca. 4.

Tertio, ſubditos ſumptibus grauare Epiſcopi nequeunt, cap. cum Apoſt. 6. §. prohibemus de cenſib. cap. 1. de exceſſib. prælator. 10. qu. 3. can. quia cognouimus, can. cauendum, cam inter cætera, can. relatum, & 16. q. 1. can. conſtitutiones can. nulli, can. prædicator eod. q. & cauſa.

Quarto, nec cenſum Eccleſiis nouum imponere, nec veterem augere queunt, cap. ſcientes 3. cap. prohibemus 7. *Sed libertatem quam ſibi maiores ſui conſeruauerunt, minoribus ſuis bona voluntate conſeruare eos eſt neceſſe, ſi quis aliter fecerit, irritum quod egerit, habeatur.* Paſchalis 2. cap. prohibemus citato.

Quinto Eccleſias alteri obnoxias, hoc eſt ab eius ſubiectione, ac obſequio, liberas & immunes cõſtituere iis eſt ab Alex. III. prohibitum in cap. adhæc 2. de exceſſibus prælator. ſicut & perſonas Eccleſiaſticas, Abbatem & Abbatiſſam, inſtituere nec deſtituere, ſine Capituli conſenſu cap. nouit, cap. quanto, de his quæ fiunt à prælatis, aut dignitatem in Eccleſia ſuppreſſam, Canonicis inconſultis ſuſcitare Felin. in cap cum acceſſiſſent de conſtitut. nec his non admonitis repudiare legatum factum eccleſiæ, quod ſi fecerit, eidem, damnum Eccleſiæ illatum præſtandum erit, vt pote

eius cauſæ niſi accederet conſenſus Capituli, Felin. in cap. cum contingit de ſent. excomm. A

Sexto, Epiſcopo lege Clementis V. non licet exemptorum Eccleſias, templaque vt cætera Diœceſis viſitare, aut in iis quidpiam facere quod iuriſdictionem oleat, *ne exemptionis eorum, vel priuilegiis præiudicium generetur, aut ipſi Archiepiſcopo vel Epiſcopo ius quomodolibet acquiratur*, Clem. de priuilegiis ex exceſſibus Prælat.

Septimo, non poteſt Epiſcopus Monachum, qui plagam intulit, aut colaphum infregit ſæculari Clerico, declarare excommunicatum, aut eum in vincula mittere, Portelius in dubiis regular. verbo Epiſcopus n. 9. coget tamen ſuperiorem, vt eum pro merito puniat, Rodrig. to. 2. q. 63. art. 7. quemadmodum & ſi abſque eiuſdem Epiſcopi facultate, in Eccleſiis extra ordinē concionē habuerit: Rodrig. in bullario fol. 1200. col. 1. n. 2. B

Octauo, non poſſunt Epiſcopi, & inferiores Parochi prohibere fidelibus, ne concionum cauſa tēpla Mendicantium obeant, alias ſunt Parochi excommunicati, per Bonifac. IX. docent Portelius loco ſupra citato n. 3. Miranda to. 1. q. 50. art. 8.

Nono, propinquis vel amicis Eccleſiaſtica negotia committere Epiſcopus non debet, Concil. Antioch. can. 25. Greg. l. 3. ep. 66. ad Ianuar. Epiſcop. *Quicunque illis talia lucra commendare tentauerit, ad ſuum nefanda præſumptionis excidium, & quod inſſum fuerit, denocatur in irritum, & qui ordinauerit, annuæ excommunicationi ſubiacet*, Conc. Tolet. 10. can. 3 C

Decimo, quia decreto Gregor. Papæ primi, *Singula Eccleſiaſtici iuris officia, ſingulis quibuſque perſonis, ſingulariter committi debent*, diſt. 89. can. 1. Epiſcopus vni, eidemque, Eccleſiaſtica officia duo, committere nequit: *Sicut enim indecorum eſt, vt in corpore humano, alterum membrum alterius fungatur officio, ita noxium, ſimulque turpiſſimum, ſi ſingula rerum miniſteria, perſonis totidem non fuerint diſtributa*, diſtin. 89. cap. 1.

Vndecimo, cum pœna inflicta eſt à Canone qui ſit Romani Pontif. vel Conc. generalis, hæc per Epiſcopum tolli nequit, quia nihil ab eo poteſt, contra leges, ſiue à Pontif. ſiue à Concil. generali editas, niſi quatenus ei eſt permiſſum à legum conditoribus, cum eorum irritatio & diſpenſatio, ſuperioris ſit actio, cuiuſmodi aliquem præeſſe Papæ, aut eius decretis afferre vim poſſe quis patet? D

Duodecimo, Epiſcopis interdictum eſt, bonis Eccleſiæ propinquos ſuos locupletare, *Cum & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant*, Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. *quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcunque beneficia Eccleſiaſtica, tam ſæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus ſui conditione obſeruari, ſed ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit*, Concil. ibid.

Epiſcopo quid ſit licitum.

Cap. 11. Quidquid ad Eccleſiæ ſuæ regimen eſt neceſſe, id iure quam optimo Epiſcopum poſſe, loquuntur Pontifices, ratio & Doctores, ratio quidem: nam quid æquius quam eum neceſſariis ad Dei gloriam, fideliumque commodum præſidiis inſtructum eſſe? fac enim eorum aliquod illi deeſſe, fac eum carere poteſtate puniendorum ſcelerum, ecquid peccandi impunitate corroborata improbitas volitabit Diœceſi tota liberè? ac ſi virtutibus præclaris ſtatuere præmia, ſi bene de litteris ac honeſtate, meritos homines, in communionē curæ, partemque prouinciæ ſibi diuinitus traditæ, vocare Epiſcopus, ſi donare honoribus, Eccleſiæque magiſtratibus non poteſt, quando par erit impoſito ſibi oneri quando demandatæ ſibi de cœlo animarum curæ æqualis? nempe vberes in diuinum horreum earum manipulos inferet, ſi ſubſidiaria optimorum hominum opera deſtitutus, eos inferendi, & colligendi viribus caret? E

Quare vt Epiſcopo curæ eſt ſua Diœceſis, ita cuncta ſpiritualia regit 10. q. 1. can. regenda, itaq; iure communi ſuæ Diœceſis beneficia inſtituit, illaque confert can. nullus omnino 16. q. 7. cap. conquerente de officio ordinar. cap. ex frequentib. de inſtitut. niſi ea ſibi Papa reſeruauerit, cum enim ſit Ordinariorum Ordinarius, & illi ſoli data ſit poteſtatis plenitudo, can. qui ſe ſcit 2. q. 6. iuri Epiſcoporū derogat cum placet, collationes beneficiorū ad ſe reuocat, ſibique reſeruat, cap. præſenti, cap. licet de præbend. in 6. Extrauag. execrabilis & ad regimen eod. tit. inter communes: Et quanquam ſint hæ reſeruationes ſublatæ ſi Rebuffo eſt fides in praxi tit. de reſeruat. n. 38. Piaſec. 2. par. prax. Epiſc. cap. 5. art. 1. num. 3. ſunt tamen pleræque aliæ in vſu, regulis contentæ Cancellariæ, quas auctoritate Papæ, Romæ publicari, quo primum tempore eſt ad eam dignitatem Cardinalium ſuffragiis euectus, notarunt Gomez in proœmio Regul. Cancel. q. 1. n. 2. & Puteus l. 2. deciſ. 92. cauſa eſt, quod etſi hæ prædeceſſore adhuc ſuperſtite vigerent, eſſentq; Romæ in vſu, eo tamen occidente occidant, moriente viuere deſinant, quare eas renouari, ac reuiuiſcere noui Pontif. imperio eſt neceſſe, quæ eſt Pariſij opinio de reſignat lib. 11. q. 31. praxi firmata Romanæ curiæ.

Secundo, ad ius Epiſcopi pertinet, cogere Parochum vt miſſas celebret, ſaltem diebus feſtiuis ac Dominicis Trid. ſeſſ. 23. c. 14. pro ſuſtentatione ſeminarij illi applicare partem fructuum, pertinentium ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, Hoſpitalia, & quæcunque alia exempta beneficia, etiam regularia, Tri. ſeſſ. 23. c. 18. modo ne de Mendicantium ſint numero Concil. ibid.

Tertio diſpenſat Epiſcopus in votis minoribus, vt ſunt ieiuniorum & peregrinationis, in maioribus autem & Papæ reſeruatis, vt ſunt continentiæ terræ ſanctæ minime Comit. lib. 2. reſponſ. q. 10. n. 3.

Quarto, diſpenſat Epiſcopus in executione debiti, cum eo qui conſanguineam vxoris ſuæ cognouit, ſecundum D. Anton. in 3. par. tit. 1. c. 15. §. 3.

Quinto, *Licet Epiſcopis, in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto prouenientibus, exceptis ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua, per ſe aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, gratis in foro conſcientiæ abſoluere*, Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.

Sexto. Epiſcopus modo confirmatus, poſſeſſione nondum apprehenſa, agere tam petitorio poteſt (vt loquuntur) quam poſſeſſorio, nomine ſuæ Eccleſiæ, Rota deciſione prima de reſtit. ſpoliator.

Septimo nocentes cenſuris reprimit, ab iis, cum pecca ſſe dolent, deque admiſſis, veniam humiles dari ſibi poſtulant, abſoluit, Corinthium Paulus 1. ad Corinth. 5. excommunicat, Cyprian. in ep. Presbyteris quibuſdam ſuſpenſionis cenſuram minatur ſic dicens, *Vtq; auctoritate quâ me Vti Dominus iubet, vt interim prohibeamur offerre, acturis apud nos, & apud confeſſores ipſos cauſam ſuam, cum Dominus permiſerit in ſinum Eccleſiæ recolligi cœperimus*: Excommunicationis & interdicti meminit ſuo epiſtola 40.

to.2. disq. de matr. 28. art.16.

Causa est, quod in huiusmodi casu, Pontifex vt probabile admodum coniectura, sit verisimile, nolit Episcopo id esse prohibitum, ne fideles necessario ad salutem remedio destituti maneant, cũ disiungi absque scandalo vir & fœmina, liberorum autem magno damno nequeant, cum eos bonis artibus instituti oporteat: aliunde autem cum impedimentum sit occultum, & vni tantum coniugum cognitum, nec probari iudice valeat, ambos, id est virum & fœminam, non sine incontinentiæ manifesto discrimine, eodem tecto ac lecto vti, simulque viuere oporteret, quod est vitandum.

Si tamen amborum, aut eorum alterius mala fide matrimonium contractum esset, dispensationi Episcopi locus non esset, quia ab omni abhorret veri specie, velle Pontificem benignitate sua foueri scelera, hominum in contrahendo contra institutæ Ecclesiæ audaciam, sua firmari patientia, ne sibi eorum exemplo, alij violandorum canonum licentiam arrogent, & sic frequentia sint in Dei Ecclesia coniugia, contra Pontificum antiqua placita, spe dispensationis consequendæ: ergo cum Episcopo dispensare in casu necessitatis, cum impeditis aliquot de impedimentis dirimentibus: tenetur licere, quatenus est id ei tacite per Papam ad bonum permissum fidelium, qua tamen cum facultate vult carere quando coniuges, impedimenti sui consci, proindeque mala fide contrahunt, dicendum est, non tunc illum, sed Papam duntaxat super dispensatione consulendum videri.

Tunc autem mala fide procedunt coniuges, cum ad notitiam impedimenti speculatiuam, nempe quod sint consanguinei v. c. quod affines, aut religione dispares, accedit etiam practica, scilicet quod inter eos firmum nullum, ac stabile coniugium esse queat, quia consanguinitas est, impedimentum matrimonium contrahendum diriment, Bannes 2.2.q.62.ar.6.dub.5.concl.4. Sanch.lib. 2. de matrim. disp. 38. num.14. Candid. supra art. 16.assert.7.

Decimo dispensat etiam Episcopus in impedimento dirimẽte matrimonium, antequã contrahatur si id fieri proximi spiritualis necessitas postulet, puta si quo die celebrandæ sunt nuptiæ, coniuges inueniantur à Confessario habere impedimentum, cuius manifestatio, esset illis causa grauis infamiæ, quam tamen euadere nequeunt nisi factis eo de nuptiis, qui est à propinquis constitutus, licet tunc Episcopo, ob necessitatem, in eo impedimento dispensare, concessione Papæ tacita, quem non est probabile, hominem nempe, ea caritate ac sapientia, vti tũ potestate sua, ad animarum interitum velle, vt faceret, si sua, ac præcessorum suorum decreta valere, rataque præciperet esse, cum proximi necessitas caritasque oppositum postulant. Bonac. to.1. de matrim. q.3. punct.15.num.16.

In Regulares Episcopo quid permissum.

Cap.12. Regulares, si quid forte eos grauius peccare extra claustrum contigerit pœnis coercere culpæ commissæ æqualibus, Episcopo licitum Trid. sess 6.cap.3. de reform.

Eorũ itẽ Superiori ac Prælato præcipere potest, vt illos cum Ordinis dedecore, spectatorum autem scandalo, in legem committentes intra tempus ei ab illo præstitutum corrigat: quod si non paruerit, *Potest ille à suo Superiore officio priuari, & destinatus ab Episcopo puniri*, Trid. sess.25.cap.14.

Secundo, Religiosos cuiusquemodi, etiam exemptos: *Si quod absit errores aut scandala concionando disseminauerint in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius ordinis prædicent, punire, eosque prædicationem interdicere, Præsul potest.* Trid. sess. 5 cap. 2. Quod si eorũ vnus quispiam, *Hæresim prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiamsi prædicator ipse, generalis, vel specialis priuilegio, exemptum se esse prætendere, quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tanquam sedis Apostolicæ delegatus procedat*, Trid. sess. 5 cap 2.

Tertio, quia *non licet Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint*, Trid. sess. 25.c.4. secus facientes, hoc est per Diœcesim vagantes, tanquam instituti sui delertores, ab Episcopo auctoritate sibi à Concil. tradita puniri possunt, Trid. supra.

Secus si Superiorem adeant litis causa, quam appellatione interposita, eius terminari iudicio volunt, Portel. in dubiis regularib. ver. Episcopus num 10.

Quarto, est in Episcoporum potestate quæstionem de his instituere, qui Prælatos Ecclesiæ, è superiore loco oratione sua vulnerant, de eorum fama ac virtute detrahunt, vt proximos, affinesque culpæ, publicè In corona frequenti populi, concionando arguunt, Trid. sess. 5. cap. 2. Clement. Religiosi, parag. quibus etiam, de Religiosis & excessib. Prælator. vt autem tùm ab iisdem plecti, pœnaque culpæ suæ pari affici iuste queant, requiritur.

Primo, quod non domi suæ, sed foris, non in Monasterio, sed extra deliquerint.

Secundo, quod hæc eorum culpa, multorum tenatur conscientia, sitque proinde publica.

Tertio quod sit scandalosa.

Quarto, quod Abbas Superior, aut quilibet alius, cuius imperiis, Religiosi prædicti, parere debent, ac obsequi, ab Episcopo, de ea admonitus, illam pro merito, non emendet, arguat, ac puniat. De his conditionibus si vel vna defuerit, lex Cõcilij, iusque imponendæ pœnæ ab Episcopo Regularibus, ob culpam, ab iis admissam, cessat, non item cum de castiganda oris, ac verbosũ inter concionandum libertate agitur. Ad id enim est satis Regulares dixisse, aut fecisse, tam domi quã alibi, quod à pietate abhorreat, proindeque ab Episcopo tolerari honestè nec possit nec debeat.

Quinto, etsi de doctrina, & moribus, examinari Regulares à superiore suo oporteat, antequam dicant ad populum, deque eo licentiam ab eodem habere, & accipere, *personaliter & tamen eorum Episcopi præsentare, & ab eis benedictionem petere tenentur antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò quæ suorum ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Episcoporum etiam Episcopi licentiam habere tenentur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum, nullo modo prædicare possunt*, Trid. sess. 5. cap.2.

Sexto, *In ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, Clerici seculares, ac regulares, extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiamsi certum iudicem à sede Apostolica deputatum, in partibus habeant, in aliis vero, si ipsum iudicem non habuerint, earum locorum Ordinarius, tanquam in hoc à sede delegatus, conuenti, & inter medio ad soluendum*, debitum cogi, & compelli possint, Trid. sess.7.cap.14. de reformat.

Septimo, ab Episcopo, puniri Regularis potest, qui sponsos audet sine eius, aut Parochi licentia, matrimonio cõiungere, aut benedicere, pœna talis

Concil. posterior quotannis reuocatur à Pontif. his verbis: *Non obstante quocunque priuilegio vel clausula Concilij generalis*: ergo

Aliter quam illi lequuntur ac sentiunt, Nugnus to. 2. addit. ad addit. ad 3. par. qu. 8. art. 5. dub. 10. Barbosa de potest. Episc. par. 2. allegat. 40. num. 21. Emm. Sa verbo Episc. num. 37. Fagund. in 1. præcept. lib. 1. cap. 15. & alij apud eum.

Causa est, quod decreto Concilij non censeatur derogatum, nisi de eo expressa fiat mentio, vt est in decretali Honorii III. ex parte tertia, tituli de capellis Monachorum, sed in Bulla non fit expressa Concil. Trid. mentio, sed *Concilij* tantum in genere: ergo

Ad id quod de Pio, Greg. & Congregat. affertur respondet Fagundez de eorum sensu, ac responsis, authenticè & certo nihil constare, proindeque ex eorum authoritate petitum argumentum non vrgere.

Est autem hæresis occulta, quæ sex aut septem duntaxat est cognita, quia vt notat Suar. to. 4. de pœn. disp. 30. sect. 2. num. 2. Sanch. to. 1. Decal. lib. 2. cap. 11. num. 19 Fagund. lib. 1. cap. 15. num. 9. occultum hic sumitur prout opponitur publico, *imo* publicũ illud autẽ dicitur, quod notũ est maiori parti vicinię Parochiæ, oppidi modo saltem decẽ personæ in iis inueniantur Nau. in sum. 155. Itaque vt idem aduertit sapiẽter, delictum non ideo est publicũ, quod actio, in qua delinquitur est publica, sed quod nota est vt formaliter mala & vt est delictum: *Missa enim* (verba sunt Nau.) *facta coram populo ab excommunicato occulto, actus est publicus, & delictum, non tamen delictum publicum, quia nescitur publice esse delictum*: quare qui cum suspensione publicè celebrat, sed de ea publicè ignoratur, vel, quod suspensus celebrauerit, publice ignoratur, potest iure Tridentinæ Synodi ab irregularitate quam incurrit sic celebrando, ab Episcopo in conscientiæ foro absolui, quia tam hæc, quam suspensio, quæ eius est causa sunt occultæ.

Quid si delictum commissum fuit in Parochia, aut vicinia? vbi, decem sunt incolæ, quinque de illis spectantibus ac conscijs?

Respond. nihilo secius absolui posse, à loci Episcopo, quia vt crimen occultum esse desinat, fiatque publicum in ordine ad absolutionem, eius non consequendam, requiritur, vt sit cognitum maiori parti vicinię, in qua est admissum, cuiusmodi non est censenda personarum quinque collectio, respectu decem in ea degentium. Nec centum, aut ducentæ, in vrbe populosa vbi frequentes sunt incolæ, ciuesque, vt mille v. c. Fagund. supra n. 9.

Quid si crimen ad forum quidem est deductum contentiosum, sed non probatum, aut si est, non tamen quantum est satis, ad fidem de eo commisso faciendam, vt si vnicus tantum ad eam rem testis est adhibitus, non plures?

Haberi debet nihilo secius pro occulto, in ordine ad absolutionem Episcopi, & dispensationem in irregularitate, excepta ea, quæ est ex homicidio voluntario, in qua solus Papa dispensat. Idem censendum in casu, quo plures quidem in reum producti testes essent, sed non est ei significata delatio, seu criminis cuius accusatur, deductio in forum externum.

Ratio est, quia hæc verba Concil. sess. 24. de reform. cap. 6. *Exceptis casibus deductis ad forum contentiosum*, intelligenda sunt cum effectu, at nullum crimen existimatur vocari in iudicium, vt de eo iustæ repetantur pœnæ per iudicem, nisi eius auctore citato, monitoque antea, vt pro se iudici respondeat, praxis enim fori, formaque iudicij exigit, reum, iudicem, accusatores, & testes, quorum si quid defuerit, crimen non dicetur deductum ad forum, & proinde in ordine ad absolutionem obtinendam ab Episcopo remanebit occultum.

Secundo, subditos suos absoluit Episcopus, ab excommunicatione lata canone, *Si quis suadente diabolo*, 17. q. 4. etiamsi læsio sit enormis, modo sit occulta, Graph. decision. aurear. lib. 1. num. 3. & regulares exemptos cap. Monachi de sententia Piasec. in praxi par. 2. cap. 3. vel si absoluat tanquam delegatus sanctæ sedis Clement. cum ex eo de sententia.

Tertio, dispensat in irregularitatibus occultis ex delicto prouenientibus, non aliis, nec aliunde contractis, vt ex defectu.

Ratio est, quod crimina tollantur per pœnitentiam, non vitia quæ ex origine nascuntur aut natura, Graph. proxime citat n. 29.

Quarto, potest in omnibus iuramentis, ac votis dispensare præterquam in his quinque, quando non sunt pœnalia, castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Iacob. Compostellani, & voto vltra marino seu ad terram sanctam.

Credidere tamen aliqui vt Panormit. in cap. ex multa de voto 9. Glossa ibid. Anglez de voto difficult. 9. art. 8. Fagund. lib. 2. in Decal. cap. 41. tria postrema, quæ sunt de peregrinatione, Pontifici reseruata non esse, nisi sint facta, non deuotionis sed subsidij illis locis afferendi gratia.

Obligationes Episcopi, quæ & quales.

CAP. 14. Vt Episcopum Diœcesi administrandæ præpositum esse Christus voluit, ad fidelium spirituale commodum, ita hanc ab eo componi: ita hanc eius prouidentia cum suis rebus ordinari conuenit 10. q. 1. can. 1. cum sequentibus vsque ad can. antiquos, can. vlt. parag. fin. 12 qu. 1. can. videntes paragr. ipsæ vero 16. quæst. 7. can. omnes, ob eam causam ei, vt Patri, vt Pastori, ac præsidi in omnibus, quæ salutare Ecclesiæ regimen spectant obsequi omnes debent, cap. omnes 4. cap. cap. solitæ 6. cap. quod super 9. cap. his quæ 18. & c. dilecta de maioritate & obed. can. ille procul, dist. 93. & 11. qu. 3. can. si autem can. quicunque, can. si quis verò 11. q. 3. Et quoniam tàm huic obsequio quàm debitæ aduersus eum reuerentiæ repugnat, diem illi dicere, litem intendere, de crimine eum accusare, ne id fiat cauetur 3. q. 6. can. si quis nisi apud comprouinciales 6. q. 4. can. si quis, & in can. Apost. 73. & quo vos tempore caritas in legitima coactos Synodo de bono communi agitare inter se consilia admonet 11. q. 1. can. si Clericus §. etsi Clericus: In qua Synodo, si plurũ suffragiis dignus in quem statuatur exemplum repertus erit, id non fiet, nisi post consultum Romanum Pontificem 3. q. 6. can. discutere, can. accusatus in fine, can. quamuis, can. multum, vsque ad can. peregrina cad. q. & causa, 9. q. 3. can. antiquis, quod si eum quis inique arcesseret criminis, in eum vt de calumnia suspectum agetur, tam Ecclesiæ legibus 3. qu. 4. can hi qui, quam Episcoporum sensu.

Secundo, sic inuigilare prouinciæ, sic res eius administrare, sic fortunas ac opes dispensare, Episcopum est necesse, vt de iis, sibi, suisque necessaria capiat 10. q. 2. can. 7. & 12. q. 1. can. ex his autem: *Lex enim Dei præcipit, vt qui altario deseruiunt,*

tur paſtor, gregem in neceſſitate non deſerere, ac
A ſi ros ferat, eius tuendi cauſa, extrema pati omnia
Bonus enim paſtor animam ſuam dat pro ouibus, Ioan.
10. ſed Epiſcopus paſtor eſt: *Paſcite qui in vobis eſt*
gregem Chriſti, & Ioann. 21. *Paſce oues meas*, ergo
&c.

Confirm. Paſtor non ſua, ſed gregis amare debet, ac quærere commoda, ne hoc Prophetæ maledicto percellantur *væ Paſtoribus Iſrael qui paſcunt*
ſe ſolos ſuos ergo ſibi ſubditos Epiſcopus, ſi Paſtor audire appetit, eorum vtilitates ac commoda ſuis, ac proprijs, ſi mercenarius dici ac haberi non vult anteferet. Hoc vero iã ſcire aueo, ecquid ſua ſalute
B alienã potiorem habeat, qui periclitantem deſerit, iacẽtem non erigit, vacillanti ne corruat cũ poteſt manum non porrigit? facit id vero Epiſcopus, qui populum, prouidentiæ commiſſum ſuæ diuinitus; cura priuat, ſua præſentia & auxilio quo eum maxime tempore ab eo iuuari erat neceſſe. *Ecce lupus ouis guttur apprehendit, Diabolus fideli adul-*
terium perſuaſit, tu taces, non increpas, mercenarie lupum
venientem vidiſti, & fugiſti, fuga enim animi timor
eſt, Auguſt. tract. 46. in Ioan. *Quiſquis enim*, inquit idem de paſtor. lib. cap. 1. *ita præpoſitus eſt, vt in eo*
quod præpoſitus eſt, commoda ſua ſola reſpiciat, ſe paſcit
non oues, cum ergo præpoſiti ad hoc ſint, vt his qui ſubiecti ſint conſulant, non in eo quod præſunt, ſuam vtilitatem attendant, ſed eorum quibus miniſtrant.

Confirmatur, obligatio quæ ex contractu non antidorali naſcitur, iuſtitiæ eſt, nec eſt voluntatis, ac arbitrij contrahentium, ei obſequi: cum à fide ſibi data mutuo, recedere nequeant, ſine crimine, cap 1. de pactis at inter Epiſcopum eiuſque ſubditos, quidã eſt contractus tacite initus, qui reuocatur ad illud genus non nominatum, *facio vt facias*, *Do vt des*, hoc eſt operam ipſe meam tibi tribuo, vt tu viciſſim mihi neceſſarios commeatus ad vitam non neges, quæ contractio, pactioque, facta Dei cauſa, non lucri cupiditate, ac ſtudio, bona eſt, æquitatique conſentanea, vt excellenti doctrina & ſanctitate Theologi affirmant, ergo vtrinque
D præſtanda ex iuſtitia, ius enim, actio, & obligatio, quæ cum contractu cohærent, in perſonis contrahentium hærent.

Tertio humanæ vitæ rationes, ſapientum ſunt ac bonorum iudicio moderandæ, tantoque magis, quo maior eſt, ſaniorque idem opinantium numerus, ſed primarum partium viri, quique inter Theologos familiam tam ſuâ innocentia, quam doctrina ducunt, credunt & docent nexu ſtrictiore Epiſcopum, ad opem miſeris peſte oppreſſis ferendam ſtringi quam Parochum, eo quod non ſit hic propriiſſime paſtor, ſed manualis, principalis artificis Epiſcopi operarius, vt ex Diu. Thom. quodl. 3. qu. 2. art. 17. & Turrecrem. in ſumma de Eccleſ. lib. 2. à cap. 56. ad 69. colligit loco ante
E citato Fagund. ergo cum iſtum ſeruituti populi, hoc eſt Parochiæ, æquitas ſic addicat, vt ab ea recedere non debeat, niſi id eum facere ſuadeat, ſpirituale aut temporale commodum tam priuatæ Eccleſiæ ac propriæ, quàm Eccleſiæ vniuerſalis, aut alterius particularis. Sotus lib. 10. de inſtit & iure q. 3. art. 4. quanto magis Epiſcopum? *Vbi ſubditorum*
ſalus exigit, perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſ-
tor, neque etiam propter periculum vitæ gregem deſerere, Diu. Thom. 2. 2. quæſt. 85 art. 5. in corpore, *Neceſſ. tatem enim habet remanendi, per quem eius Eccle-*
ſiaſtica eſt ſupplenda neceſſitas, quare *cum Epiſcopo-*
rum, & Clericorum, Laicorum, eſt commune periculum,
vi qui aliis indigent, non deſerantur ab his quibus indi-
gent, Aug. ep. 180. ad Honoratum.

Aberunt tamen ſine culpa, tam Curati quam Epiſcopi, ſi qui vices ſuas obeat, hominem ſuo loco Diœceſi, ac Parochiæ ſubrogent, Benzonius lib. 1. diſp. 1. q. 1. verſu dictum eſt autem, Diu. Thol. 3. ſuper cap. 10. Ioan.

Ratio eſt, quod mercenarius Auguſt. teſte ep. 180. nequeat dici, oueſque ſuas habere neglectui, qui eas committit homini, cuius ope, prouidentiaque pabula habeant, luporum vim rabiemque effugiant, ad meritum gloriamque creſcant.

Deinde cui non cognitum, Epiſcopis ideo ac Parochis, domi graſſante peſte manendum eſſe, ne fideles parum muniti à Sacramẽtis, aut neceſſarijs deſtituti præſidijs ad beatam immortalitatẽ, diem ſuum obeant; & ita ſe, ſalutemque ſuã in apertum futuræ ruinæ periculum coniiciant, quod vt cuique metuendum eſt iuſtè, ita & Epiſcopo, Parochoque, ne ſubditis ſuis id vitio vllo ſuo accidat, cauendum eſt, quantum in hac mortalitate fas eſt homini, ſtudioſe ac gnauiter. At vbi eſt, Diœceſim qui regat, aut Parochiam Vicarij nomine, ceſſat tale omne periculum, cum eum quiſque in dubijs ſuis, incertiſque temporibus, adhibere poſſit, vt voluntatis ſuæ apud Deum interpretem, ſic & animæ expiatorem ſuæ, per exomologeſim ſcelerum, eorumque abſolutionem manu eis in pœnitentiam impoſita: culpa vacat ergo, Epiſcoporum ac Parochorum abſentia peſtis tempore, cum habent eorum nomine, Epiſcopatus ac Parochia Vicarios, qui ex fide velint illorum defungi munere. Ita Cypr. ep. 17. lib. 3. quæ eſt ſecundum edition. Pammelij 13. Presbyteris, cum eum è luce ad tenebras, domo ad latebras, è Diœceſi ſua, ad ignotas Chriſtiani nominis hoſtibus terras, amicas tamen, tyranni odium ac perſequutio tantiſper emiſiſſet, dum deſæuiret eius furor, Presbyteris (inquam) præcipit, ſuo vt nomine lapſos erigant, timidos ad facta fortia acuant, hærentes adigant, ſtantes orent ne cadant, & à fide miſericordiaque Dei non deficiant, epiſt. autem præcedente, quæ eſt lib. 3. 16. Pamm. 12. queritur de Presbyteris, quorum fidei, dum abeſſet, Epiſcopatum crediderat quod cõtra veterum inſtituta Præſulum, ac receptam Eccleſiæ diſciplinam, paſſi eſſent Chriſtianos communicare cũ lapſis, iiſdem Euchariſtiã dari, pro iis offerri, quod quidem impedire debuerãt: *Vt commendatas ſibi oues foouerent, &*
diuiſo magiſterio, ad viam deprecandæ ſalutis inſtrue-
rent, Cypr. ep. 11. duodecima vero, his qui à martyribus libellos acceperant, facultatem facit, *Vt ſi*
incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fue-
rint, non expectata præſentia ſua, apud Presbyterum
quemcunque præſentem, exomologeſim delicti ſui facere
poſſint. Audientibus etiam ſi qui fuerint periculo præuen-
ti, & in exilio conſtituti, vigilantia veſtra, id eſt Presbyterorum, *non deſit, implorantibus diuinam gratiam,*
miſericordia Domini non denegetur.

Neque verò feciſſe officium, bonique præſulis partes expleſſe omnes cenſendus Epiſcopus, cum regendæ Eccleſiæ, cum iuuandis ægris, cum moderandis animis, cum Sacramentis adminiſtrandis, loco & tempore, hominem ſibi ſubſtituit, eruditione iuxtâ, ac virtute inclytum, explorare ſubinde debet, an & quomodo, commiſſam hic ſibi prouinciã obeat, vt ſoletur ægros, vt baptizet pueros, maxime autem an his ritibus, quos Ec-

cogit, cum coactas à lupo tuetur ac protegit.

Eſt enim gratia cibus animæ, Ioan. 4. *Ego habeo cibum manducare quem vos neſcitis*, & ibid.

Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, hanc autem per Sacramenta, quaſi per alueum deriuari in animam, ac Sacerdotes horum adminiſtratores eſſe quis neſcit?

Quid? quod Euchariſtia cibus eſt animæ: *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*, Ioan. 6. πλανῶσιν, ἡ ἀναγκαῖον ἐφόδιον, vltimum & maxime neceſſarium viaticum Concil. Nicæn. can. 13. *animæ noſtræ vis, nerui mentis, fiducia vinculum, fundamentum, ſpes, ſalus, lux, vita noſtra*, Chryſoſt. hom. 14. in epiſt. 1. ad Corinth. pane ergo cœleſti ac diuino, in Euchariſtico epulo, animam Epiſcopus cum reficit, eam ſuauiſſimis paſcit cibis, quare cum ei diuino mandato ſit præceptum, Sacramentorum adminiſtratione, oues ſuas paſcere, Trident. ſeſſ. 23 cap. 1. partes ſunt eius curare, ne baptiſmus, confeſſio, vel communio, deſit alicui, indigenti, vel petenti, in eo Epiſcopum peccare eſt officium prodere, perditæque ouis reum eſſe: *Nonne nobis*, inquit Cyprian. indicans Euchariſtiam non negandam pœnitentibus poſt lapſum, *vel negligentiaſ gnos, vel durius crudelis aſcribetur in die iudicij, quod Paſtores, credinas & commiſſas nobis oues, nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? nonne ingeretur nobis à Domino, quod per Prophetam ſuum clamat, & dicit, lac conſumitis, lanis vos tegitis & quod craſſum eſt interfi nitis &c.*

Poſtremo oues ſuas, Epiſcopus *opere paſcit*, cum iis, exemplo ſuo præit ad virtutem, Trident. ſeſſ. 23 cap. 1. quod eum facere eſt neceſſe, quia *cum ſit gregis forma, & Eccleſia lumen dicatur, ſubditos vt ceream ſigillo, ſic ipſius moribus imprimi neceſſarium eſt*, Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt 139. ad Dorotheum Presbyterum.

Sane Epiſcopi Chriſti teſtimonio ſal ſunt terræ: ergo *vt ſal omnem cibum condit, nec eſt aliquid per ſe tam ſuaue, quod al ſale eo guſtum demulceat, ita mundi totius, & propriè Eccleſia condimentum eſſe Epiſcopus debet*. Hieronym. contra Luciferianos Condit autem, cum ad ſui imitationem intuentes allicit, cum quæ ſunt ardua, quæ moleſta, hæc exemplo ſuo, ſuauia probat eſſe, factuque facilia, vnde Hieron. in epiſtol. ad Heliodorum: *Conuerſatio tua quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ, quicquid fecerit, id ſibi omnes faciendum putant*, quàm ergo, bene viuendo Epiſcopus prodeſt, ſubditis, quam fortibus ſuis factis magnarum illis rerum ſtudia imprimit, quam illis exemplo ſuo acre vitiorum odium, virtutum autem ingens ac inflammatum cum amore deſiderium ingerit, tam obeſt: quæ vix in manipulari non ſunt ferenda, faciendo palam, aut dicendo in omnũ oculis, nã quis nõ incaleſcat ira, cum omnium facillime, & crebertime, Epiſcopum iraſcentem videt? vel quis cogitationes ſuas ſic cohibeat vt non euagentur, ſic in tetrico negotio animi & ſpiritus, æque ſemper ſit vegetus ac alacer, atque in luſu & choreis? ſi Epiſcopum videt aduerſis frangi, ſi mœroribus concuti, ſi ad omnẽ reluctantis fortunæ ictum ruere ac opprimi? vel quis tam in moribus futurus eſt cautus, vt nullam ſtultitiæ mixturam prodat, tam ſui ſecurus, nihil vt timeat, tam ſui compos ac dominus, dicta vt omnia ſua, factaque, compoſita habeat, & ad decorum expolita, ſi quem ſibi Deus rectorem voluit, ducemque ad gloriam, is ſit animo vagus, geſtu leuis, totius corporis motu, ac membrorum inconcinnus? quibus rebus, nimium quantum, cum lædatur Chriſtianæ plebis ſalus, hanc ab eo enecari, ac perimi dixit Aug. de Paſtorib. c. 4. *Parum eſt quod infirmas & errantes non curant, etiam fortes, & pingues necant. Quomodo inquis necant. male viuendo malum exemplum prabendo. Forte enim etiam fortes declinant oculos à regulis Domini, & intendentes in hominem, incipiunt dicere in corde ſuo, ſi præpoſitus meus ſic viuit, ego quid ſum, qui non faciam, quod ille facit? Qui in conſpectu populi male viuit, quantum in illo eſt, occidit eum à quo attenditur.* Quare Epiſcopo in id incumbendum maxime, vt quam ſubditis, poteſtate ac meritis, tam iiſdem virtute præſtet ac moribus, *Irreprehenſibilem* enim *eum eſſe conuenit, quem præeſſe neceſſe eſt corrigendis, nec quidquam illi deeſſe perſonæ debet, penes quam eſt religionis ſumma, & ſubſtantia diſciplinæ.* Horminſda Papa epiſt. ad Epiſcop. Hiſpaniæ cap. 2. cuius rei cauſam hanc reddit Ambroſ. epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſ. quod in eo, hoc eſt Epiſcopo, *Vita formetur omnium.*

Decimo, ad Epiſcopum pertinet, pœnitentes recipere, pœnam iis publicam imponere, qua læſæ ſuæ conſcientiæ, Deo item, & Eccleſiæ, vtcunque ſatisfaciant, diſt. 50. can. in capite 64. cum enim ſtatus animi cuiuſque, motus ciuſdem ac ſenſus, non ſint ei perui, rationis ordo hoc exigit, vt delinquentes, vſque adeo ſub peccati pœna detineat, donec per manifeſtum pœnitentiæ fructum, qui ſit pœnitentis affectus intelligat: *Hinc eſt quod Eccleſia ſua crimina confitentes, à Sacramentorum communione ſuſpendit, & in cinere, & cilicio poſitos, ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, vt per hoc experiatur, ſi tam ſunt intus viuificati, cum fuerint longa pœnitentiæ macerazione probati.* Iuo Carnot. epiſt. 230.

Olim quidem redeuntes ad bonam frugem, ac poſt eiurata tormentorum vi, ac metu, Chriſtiana myſteria, remeantes ad Eccleſiam, ſolus eorum Epiſcopus extra mortis periculum, in fidelium recipiebat numerum, hinc illa Cypriani, ad Eccleſiæ Carthag. Presbyteros, iuſta expoſtulatio, quod lapſis auctores eſſent, pacis non ab Epiſcopo, ſed à martyribus, ac confeſſoribus petendæ, ſublato honore quem eidem Epiſcopo exhibebant beati martyres, contempta Domini lege, & obſeruatione, quam iidem Martyres & Confeſſores tenendam iiſdem lapſis mandabant; *In quorum*, inquit lib. 3. epiſt. 15. ad Martyres iuxta Pammelij editionem 11. *contra Euangelij legem, contra Martyrum quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim grauiſſimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo & Clero impoſitam, offerre lapſis pacem, Euchariſtiam dare, id eſt ſanctum Domini corpus profanare audent.*

Cum eorum Martyres ſuos ac Confeſſores, Eccleſia vti oportebat, coleret, ad eam ſibi, eorum precibus qui lapſi erant, reditum parabant, quas preces, quæ ad Epiſcopum, & Presbyteros datæ literæ, continebant, his communiter, libelli nomen erat, in quo, quos recipi, quibus indulgeri, cum quibus communicari cuperent, nominatim innuebant Eccleſiæ, quod cum omitterent aliqui, in eo illos emendari cupit cum epiſtola 12. ad eorum diligentiam pertinere ait, de nomine in ſuis eos libellis appellare, quibus pacem deſiderarent: *Audio enim quoſdã ſic libellos fieri ve-*

dicatur communicet ille cum ſuis, quod nunquam à martyribus factum eſt, vt incerta, & cæca petitio inuidiam nobis poſtmodum generet. Latè enim patet quando dicitur, ille cum ſuis, & poſſunt nobis vicem, & triceni offerri, &c. Et ideo peto vt eos, quos ipſi videris, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicias, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei, & diſciplinæ congruentes literas deſignetis.

Nec modo pro Idololatriæ crimine, aut fide negatione, ſed pro quolibet etiam peccatorum genere, à martyribus libellos rogari ſolitos, ex his Tertull. verbis fit planum lib. de pudicit. cap. 22. *At tu iam ad Martyres tuos effundis hanc poteſtatem, vt quiſque ex confeſſione, vincula induit adhuc mollia, in nomo cuſtodiæ nomine, ſtatim ambiunt mœchi, ſtatim adeunt fornicatores, iam preces circumſonant, cum lachrymæ circunſtagnant maculati cuiuſque, nec vlli magis aditum carceris redimunt, quam qui Eccleſiam prodiderunt.*

Martyrum ergo ac Confeſſorum literis muniti lapſi, ſe offerebant Epiſcopo, reconciliandos Deo & Eccleſiæ: At quo ritu? quo habitu? quâ demiſſione animi, quo doloris ſenſu? Proſtrati, omnium qui aderant, lambebant veſtigia, Sacerdotum maximè, præque cæteris, Epiſcopi, ad cuius pedes accidere, inſtar pœnitentium, fideles cæteri, ac eos exoſculari conſueuerant, Tertull. teſtis cap. 13. de pudicit. *Et tu quidem pœnitentiam mœchi, ad exorandam fraternitatem, in Eccleſiam inducens, conciliatum, & concineratum, cum dedecore, & horrore compoſitum, proſternes ante viduas, ante Presbyteros, omnium lachrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum, quantis poteſ miſericordia illecebris, bonus Paſtor, & benedictus Papa concionaris, & in parabola ouis, capras tuas quæris, tua ouis ne rurſus de grege exiliat, quaſi non exinde iam liceat, quod non ſemel licuit, cæteras etiam metu comples, cum maxime indulges.*

Hæc de antiquo ritu recipiendi pœnitentis ab Epiſcopo Tertull. quæ etſi ab eo, Nouati erroribus iam imbuto, ſint in Eccleſiæ Paſtores dicta impiè, ac cum ſarcaſmo, vera ſunt tamen nec à venerandæ antiquitatis moribus aliena, vt eſt probatum tractatu de pœnitentia.

Vndecimo, *Epiſcopo veſtibus ſpiritualis ſanctitatis, abiectis, diſſimulato aut mutato habitu*, peregrinari non licet, nec Roma ſine Papæ licentia diſcedere, Ioan. 22. in Extrauag. de maioritate cap. 2. inter communes, ſecus qui faciunt, excommunicationi, eiuſdem Pontificis auctoritate ſubiacent ibid. Quam modeſtus autem, grauiſque Epiſcoporum eſſet olim habitus, vel hinc datur intelligi, quod qui ſe ſplendidis, & inſignibus ornabant indumẽtis, hos non ferendos ſtatuerit ſeptima Synodus in can. 16. *Sin autem permanerent, ſupplicio tradi, ſimiliter & eos qui ſunt vnguentis delibuti. A ſuperioribus enim temporibus, omnis vir Sacerdotalis, cum moderato & honeſto indumento verſatur* ib. Hoc autem talare fuiſſe vt plurimum, coloriſque pulli, probabitur in quæſt. de tonſura, & tract. de Clericis, eorumq; veſtibus, ſpeciatim autem adhibuiſſe eos ad corpus tunicam, ſeu dalmaticam, birrum & lineam veſtem, colligitur ex actis Cypr. apud Pontium, in quibus habetur, Cypr. exutum birro, atque tunica, remanſiſſe in linea, quam haud dubie aliam ab interula fuiſſe, vel hoc argumento mihi perſuadeo, quod talem tantumque virum, vſque ad ſubuculã denudari, nec deceret, nec magiſtratus cogeret, nec carnificina functio poſtularet: Erat ergo *linea* indumentum lineum quod *rochettum* Itali nominant, alii *Ephod*. Fuit autem Dalmatica, Clericorum tunica eaque duplex, ſacra & prophana, ſacra vtebantur Diaconi tempore ſacrificij, prophanam adhibebat Epiſcopus in communi inceſſu quam & Gregor. vt eſt in epiſt. 11. lib. 7. conceſſit Aregio Epiſcopo, eiuſque Archidiacono diſt. 23. can. 10. & harum Dalmaticarum quædam manicatæ erant, manicis carebant aliæ, vt eſt apud Baron. in annotat. ad Roman. Martyrologium, die 31. Maij: huiuſque generis tunicas, Epiſcoporũ fuiſſe Doctores tradunt, eaſque lineæ ſuper imponi ſolitas, fuiſſeque ſine aſtrigmentis, ac ſolutas, indicat Cypriani factum, quem Pontius in eius vita ſignificat, ceruices Dei cauſa ſubiecturũ carnificis gladio, birrum primum exuiſſe, inde ſe nudaſſe dalmatica, atque in linea remanſiſſe, ſicque expectaſſe ſpiculatorem, cui & viginti quinque aureos dari præcepit.

Erat autem birrus, quem Pontius lacernam nominat, indumentum breue ad arcendas pluuias compoſitum, iuxta Ciceron. Philipp. 2. humeros brachiaq; tegens, hoc diſtinctum à capitio, Feſto teſte, cum de lacerna diſputat, quod hæc virile, capitium autem muliebre pectoris indumentum foret, ita dictum, quod pectus caperet, & brachia comprehenderet, quæ enim fœminæ, ſine eo incedebant, pectore, & brachiis erant apertis. Super tunicam autem, ſuper induci lacernam teſtatur Gellius lib. 13. cap. 20. cum ait: *Cum me puerum, diſcipulos quoſdam ſuos, ſenatores vidiſſet, die feriato tunicis ac lacernis indutos, & Gallicis calceatos: equidem maluiſſem vos togatos eſſe.*

Patet ex dictis lacernum birrum, ſic dictum, vel à colore rubeo, qui ſignificatur *birri* nomine Feſto auctore, in verbo *birrum*, vel à materia, βύσσος enim veteres dixere ſerica, vel à forma vt ſit ſenſus birrum quo tum vtebantur Epiſcopi, fuiſſe in lacernæ modum, formamque factum: eum certe decenter complicatum, ad genua Cyprianus poſuit, quod eſt indicio, fuiſſe illum ex materia, ad figuram quamlibet recipiendam idonea. *Perductus*, inquit auctor vitæ S. Cypr. *glorioſus Martyr, exuit ſe lacernam birrum, quem induitus erat, complicans, & ad genua poſuit, deinde tunicam tulit, & Diaconibus tradidit.*

Vſos quoque pallio Epiſcopos, Iſidorus Peluſiota epiſt. 136. lib. 1. aſſerit, *Quod ex lana, non ex lino contextum ouis illius quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat, Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu, illud omnibus oſtendit, ſe magni illius, & boni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates, ſibi ferendas propoſuit.*

Et quanquam pallio ſe quoque obtegerent alij, vt Chriſtiani de quo more Tertul. tract. de pallio, præterea Euſtachiani Monachi, & è Catholicis, nonnulli laudis humanæ plus æquo auidi, ea tamẽ eorũ pallium, ab Epiſcoporũ, longe diuerſum, iſtorum enim breue erat, appellatur eamobrem ab Iſidor Peluſ. ep. 136. ad Herminũ, *amiculum quod Sacerdos humeris geſtat*, cum commune, ac Monachorum oblongum foret, qua longitudine, ac latitudine tumidi, nonniſi imprudenter, ac temere eos damnabant, qui birro vtebatur, breuiore ſcilicet indumento, quod Gangrenſe Concil. cum non probaret, eorundem ſibi impudentiam, anathe-

Digitized by Google

mate puniendam cenſuit, ſic canon duodecimus: *Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quaſi per hoc habere ſe ſuſtinam credens, & deſpicit eos, qui cum reuerentia laicis, & aliis communibus, & ſolitis vtuntur, anathema ſit.*

A Indumenta hæc ergo, magiſtratus ſui, ac honoris inſignia decora, olim ſi deponebat Epiſcopus, vt perſonæ, quam ſuſtinebat in Eccleſia, parum conſentanea, Ioannis Papæ 22. ſtatuto excommunicationem incurrebat, tam iure quàm facto.

ius dicit, foraneus dicitur vulgo Officialis cap. vltimo de officio Vicarij in 6. quo nomine appellatur & Generalis Vicarius, Clementina 2. de reſcript. §. 4.

Magnorum nomine ij deſignantur, quibus ſpiritualia duntaxat ſunt commiſſa, maximè ſi eos ad beneficia conferenda idoneos Epiſcopus cenſuit, eorumque conferendorum dignis hominibus poteſtatem tradidit Charond. in addit. ad Briſſon. lib. 1. Codic. tit. 10. num. 1. etſi interdum, eos quoque generales appellari aſſerat, Forgetus in tract. de perſon. Eccleſ. cap. 42. num. 10. ſed ſine poteſtate, ac iure vllo, quod ſit eiuſmodi Vicariorum proprium: Nam nec de ſpiritualibus cognoſcere, ſi forte ſunt controuerſa, nec de iis neglectis, aut læſis, à reo pœnas repetere vllas, nec de contentioſa Officialium iuriſdictione quicquam delibare poſſunt, vt à ſuprema Normannorum curia definitum eſſe an. 1605. narrat Forgetus, ſed eorum notitiam Officiali relinquunt, & de his Vicariis nobis eſt in præſenti quęſtio.

QVÆSTIO II.

An in Vicarium Epiſcopi generalem aut magnum poſſit elegi quilibet.

NEquaquam, in primis Vicarios oportet eſſe Clericos 16. qu. 7. can. in noua, addo & Sacerdotes decreto Conciliorum Lateranenſis ſub Alexand. III. can. 3. Claramontani ſub Vrbano III. can. 3. Laici ſane in Concil. Tolet. 4. can. 47. reprobantur vt indigni, quibus ſpiritualia diiudicanda committantur cap. decernimus de iudiciis. nec in ipſos compromitti poteſt, cap. contingit de arbitris vt licet inter Clericos, cum de cauſa pecuniaria agitur, cap. expoſitæ de iudicis. Piaſec. parte 2. prax. cap. 4. art. 1. num. 17. ſimiliter & pro Aſſeſſore poteſt adhiberi Laicus in iudiciis ſpiritalibus: Piaſec. ſupra Sbroz lib. 1. q. 31. num. 10. Moſconius p. 1. cap. 10. ſi tamen eſſet ad manum Clericus, ad hoc munus idoneus, hic ei eſſet præferendus Piaſec, loco ſupra cit.

Tertiò debet Vicarius, *eſſe ſaltem in iure canonico Doctor, vel Licentiatus vel alias quantum fieri poterit idoneus*, Trid. ſeſſ. 24. cap. 16. de reform. Legibus Galliæ ſufficere, Vicarium graduatum eſſe, declarauit Bleſenſe comitium, ordinationum ar. 45. eaſque in iudicando curiam ſequi teſtantur Guenois in lib. 1. collation. ordinat. tit. 3. num. 68. Charond. ad Briſſon. & in lib. 1. Codic. tit. 10. num. 2. Maxime autem in Vicario exigi characterem Sacerdotij, ſic vt eo non inſignitus, tali magiſtratu fungi nequeat, declaratum eſſe à Toloſatum curia 15. Maij ann. 1608. arreſto 15. cum ad eam tanquam ex abuſu appellatum eſſet à ſententia Magiſtri, Iacob. D'aigner Officialis, ſcripſit Puimyſſon in Forenſib. act. 12.

Quartò, cum Epiſcopus eſt alienigena, Belga v. c. aut Italus, eius Officiales, ac Vicarios, è regno oriundos eſſe oportet, Choppin. lib 1. de ſacra polit. tit. 6. num. 10. cauſa decreti huius, ſecuritas eſt regni. Enimuero verendum eſſet ne ſi miniſtri fori Eccleſiaſtici, externi omnes alienigenæque forent, vel emanarent foras regia conſilia ad externos cum quietis publicæ certo diſcrimine, aut turbarum in populo, qui cumrebus ſuis tutelam atque præſidium nullum eſſe in eorum finu cernet qui linguã ſuam nõ norũt, iuſta ei haud dubiè daretur querẽdi cauſa ſe ab Epiſc. neglectũ eſſe.

Meminere huius conſuetudinis præter Choppin. Bleyan. de Officiis num. 32. Frerotad. Guenos in lib. 1. collat. ordinat. tit. 3. parag. 4. Chenut. ad Paponum lib. 2. tit. 2. arreſto 5. Bugnon. in comment. ad Bleſens ordinat. cap. 23. in fine.

Quintò, debet Vicarius attigiſſe annum 25. quia habet ex quorundam ſententiam dignitatem cum adminiſtratione rerum ſpiritualium quæ talem ætatem exigit c. cum in cunctis 7. de elect.

Sextò, remouentur à Vicariatu Regulares de ordine Mendicantium Moſconius ſupra Rebuff. de Vicario in praxi num. 32. cauſa eſt, quod ſit ea prouincia ab eorum inſtituto aliena, Dixi *de ordine Mendicantium*, nam ad eum dignitatis gradum peruenire poſſe Canonicos regulares cum ſuperiorum ſuorum licentia ſcripſere Rebuff. loco cit. nu. 30. Gloſſa in can. ſi quis diſt. 68. quemadmodum & Monachos, dixere Guido Papa deciſ. 563. Doct. in Clement. II. de reſcriptis Bouchell. in ſum. ver. Vicarius, nam ad ſæculares prælaturas, ac Epiſcopatus eligi poſſunt, cap. quorundam cap. ſi religioſis, cap. nullus de elect. in 6. & 18. q. 1. can. ſtatutum: Etiam & Parochiis, in defectum ſæcularium, eos præfici iura ſinunt, capite inter quatuor extra de religioſis domib. & cap. Abbate extra de verbor. ſignific. ergo cum minoris ſit operæ, curæque, Vicarium agere, quam Epiſcopum, & Parochum, vt hæc obire munera Monachis licet, ex cauſa, ita & Vicarij cum facultate Prælati.

QVÆSTIO III.

In quo Vicarius generalis & foraneus inter ſe differant, & in quo conueniant.

COnueniunt in eo quod vterque creari poſſit ab Epiſcopo, & ab eo remoueri abſq; Capituli conſenſu: Rebuffus parte 1. praxis titulo de Epiſcoporum Vicariis ſupra num. primo Bleyan. in Theor. tract. de Officus num. 28.

Secundò, quod hic & ille probare literis debeant ſe Vicarios Epiſcoporum eſſe, aliter eorum acta omnia ſunt inualida, Bald. in cap. paſtoralis de reſcriptis, & quanquam ex ſtylo contrario Romanæ curiæ iudicari ſecus Romæ à dominis de Rota ſoleat, vt patet ex q. 2. in nouis ſub titulo de officio Vicarij dec. 5. Nobis tamen eſt hæc probatio in Gallia, ad validitatem eorum quæ prædicti Vicarij faciunt, neceſſaria, ex Rebuffo ſupra n. 8. & 9. ac ſi officio ſuo fungantur ſine prædictis literis, quæ de authoritate ſibi ab Epiſcopo conceſſa teſtimonium faciant: tenebuntur de damnis Pariſ. conſ 80. obtinuitque mos patriæ, firmatus Senatuſconſulto Curiæ Pariſienſis, vt hæ literæ inſerantur actis publicis: Rebuffo teſte num. 15. de quo extat eiuſdem curiæ Senatuſcon: ſultum anni 1548. Hæc de eorum inter ſe conuenientia. Iam quid ab inuicem differant videamus.

Differunt ergo primo quod Vicarius generalis ordinariam iuriſdictionem habeat, Gloſſa verbo officialem in cap. 2. de officio Vicarij & verbo generaliter in cap. Romana de appell. Non foraneus ſed tantum delegatam Sanchez li. 3. de matrimonio diſp. 29. num. 3. Flaminius lib. 3. de reſign. q. 11. num. 23. & lib. 7. q. 24. num. 25. Piaſecius 2. parte praxis cap. 4. cum eam poteſtatem

officio quo fungitur acceptam referre nõ debeat, sed Episcopo, à quo ei committitur, Glossa in Clem. 2. verbo foraneo, quare ab eo, vti delegato appellari ad delegantem posse, habent canones quibus suffragari, Barbosam video de officio Episcopi parte 3. allegat. 54. num. 24. eo quod ambo (inquit) idem tribunal & auditorium non habeant.

Enimuero cum sit Episcopus in sua Diœcesi iudex fori Ecclesiastici proprius, can. de persona 2. q. 1. cap. conquerente de officio ordinarij, ipseque habeat immediatam in omnes Diœcesanos suos iurisdictionem nisi sint specialiter exempti, cap. cum venerabilis de censibus cap. cum persona de priuileg. in 6. alteri quam illi potestatem iudicandi in foro contentioso canones tribuere non solent, ergo quam foranei Vicarij habent, potestatẽ hanc integrã Episc. suo debent, ob eã causam nõ dicuntur ordinarij, etsi eis vniuersitas causarum, quæ ad Episcopum pertinet, sit commissa, Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 19. cuius rei hæc est causa quod iurisdictio ordinaria, homini committi ab homine nequeat, præterquam à Papa aut imperatore, vt dicitur 2. q. 6. can. à iudicibus. At non habet Vicarius, inquit, potestatem à canone sed mediante Episcopi institutione, non est ergo censendus ordinarius. Neganda est conseq. quia hoc ipso quod Episcopus Vicarium instituit aut nominat, ius ei potestatem immediatè tribuit, vnde non mediat Episcopus quasi dans iurisdictionem, sed quasi nominans & instituens, Sanch. supra num. 13. quod in foraneo locum non habet ob causam contrariam.

Secundò differunt Vicarius generalis & foraneus, quod illi ea tribuantur, quę communiter conueniunt Episcopo, præter ea quæ sunt ordinis can. quorundam dist. 23. & de consuetud. cap. 4. Piasecius in praxi Episcop. Pauinius de officio & potestate capituli q. 10. num. 6.

Cum tamen longe minor strictiorque Vicarij foranei sit potestas, cum non omnia Episcopi obire munera valeat, sed aliqua duntaxat, vt de criminibus inquirere, punire fontes, terminare lites super iure conscientiæ ambiguo ac incerto, sententiam dicere.

Ab hac diuersitate natum est primo, vt communiter Vicarius generalis dicatur posse quæcunque Episcopus.

Secundò, vt quæ ab eo sunt facta, censeantur authoritate Episcopi gesta esse cap. Romana de appellationibus in 6. cum non alteri quam sibi imputare debeat quod ministrum ignarum, quod iuris nescientem sibi substituerit. Itaque ab eo ad Episcopum omnis est appellatio prohibita cap. Romana de appellationibus in 6. & cap. 2. de consuetud. in 6. Causa est quod appellatio sit ab inferiori ad superiorem & non ad eundem, aut æqualem, can. anteriorum 2. qu. 6. At Vicarij & Episcopi vnum est idemque tribunal, par consistorium, ergo appellare à Vicario ad Episcopum est prohibitum.

Excipiendi sunt casus, vnus & alter, primus est, in quo Vicarius sententiam vt loquuntur interlocutoriam in reos dixisset, nam tunc decretum ipsi suum mutare quod interloquendo pronuntiauit, est integrum, vt ex lege, quod iussit 14. ff. de re iudicata probat Barbosa allegatio 53. & 3. de officio Episcopi. At quæ per Vicarium ipse suum Episcopus obit, per seipsum censetur facere: ergo vt ille rescindere à se gesta, similiter & isti potest quæ per Vicariũ erunt in hoc euentu facta, euertere non erit illicitum. Secundus casus in quo à Vicario ad Episcopum appellare lege can. concessum est, in his versatur quæ ei specialiter sunt commissa. Nam in hoc genere delegatam tantum iurisdictionem habet ab ordinario, at à delegato, vtpote inferiori iudice, appellare ad delegantem vt superiorem iudicem est licitum, ergo &c.

Et hinc petitur quarta differentia quæ est inter Vicarium generalem & foraneum. Quod à foraneo ad Episcopum conceditur appellatio, quia à delegato appellare licet ad delegantem cap. super quæstionum de officio delegati & docet Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 5. num. 5. Sbrozius cap. 23. num. 6. Sed Episcopus legans est, foraneus delegatus, Tab. verbo deleg. q. 1. num. 2. Rebuff. de Vicario nu. 6. Couar. prattic. qq. cap. 4. n. 8. Sanch. supra num. 10. ergo à foraneo ad Episcopum appellare est licitum non à Generali cap. Romana de appellationibus in 6. & cap. 2. de consuetudine in 6. Quia vt dicebamus proxime, eadem est vnâque, eius ac Episcopi iurisdictio, idem tribunal, ergo à Vicario generali ad Episcopum nulla est appellatio, *ne ab eodem ad seipsum appelletur.*

Quintò, differunt Vicarius generalis & foraneus quod hic certum locum habeat vbi Episcopi loco sedeat, quod in parte Diœcesis aliqua, vrbe, aut castro residet, vbi & tribunal exercendis iudiciis constitutum habet, extra quam ius ei dicere non est integrum, nisi sit in comitatu Episcopi, nam tunc querentes audire, de veritate inquirere, leuare fessos, iuuare oppressos, quæ sunt inter eos de re pecuniaria exortæ controuersiæ, calculo ipse suo potest dirimere. Sbrozius in legem ius plurib. ff. de iustitia & iure nisi mutandæ sedis seque ex iusta causa aliò cum facultate Episcopi transferendi, daretur occasio, Barbosa allegat. 80. num. 6. Clementina 11. de rescriptis num. 3. ad quas locorum angustias redactus non est Generalis Vicarius, quandoquidem certa ei nulla sedes est ac stabilis, sed vbicunque Episcopus, possit & ipse è tribunali ius dicere, Sbrozius lib. 1. de Vicario Episcopi q. 28. num 7.

Sextò, dignitate differunt, nam præstat Generalis foraneo, indicio est quod ille Archidiaconos præcedat in processionibus & cœtibus, Flam. lib. 9. de resign. q. 24. num. 79. est enim loco Episcopi cum quo pari est colendus officio, can. præcipimus distinct. 93. quod exigere foraneus non potest.

Septimò, Officiali reuerendas concedere prohibetur cap. nullus de temporibus ordinationum in 6. quod est etiam Abbatibus, martyrariis, reclusis, Presbyteris prohibitum. *Abbates martyrarij reclusi vel Presbyteri Apostolicas dare non præsumãt*, quas tamen Vicario in spiritualibus dare licet, Episcopo cuius vices agit, extra Prouinciã agente, Stephanus Auila 3. par. disp. 5. dubio 7. conclusione 1. Aloys. Riccius in praxi aurea fol. 18.

Octauò de omnibus casibus Episcopo reseruatis ac Papæ, modo occultis, absoluere potest Vicarius Generalis præterquam de hæresi Trid. sess. 24. c. 6. non Officialis.

An autem conferre beneficia aut resignationes admittere queat absque alio speciali mandato Episcopi est incertum. Affirmantem tenere videtur Rebuff. de Vicariis num. 17. Negantem Flaminius de resign. lib. 7. q. 24. num. 5. & lib. 9. qu. 4. Marchesanus de commissio. parte prima cap. 6. Quia eiusdem est destituere cuius confirmare. At cui venit vnquam in mentem in Vicarij iure esse

& curæ

animarum præficere aut beneficio, & ad illud beneficiarium poſſeſſo beneficio, ac ſuo, deſtituere? cum id ad Epiſcopum pertineat Innocentio auctore in cap. cum ex iniuncto 12. de hæreticis, in hæc verba, *Quod ſi forte neceſſitas poſtularet vt Sacerdos tanquam inutilis & indignus à cura gregis deberet removeri, agendum eſt ordinatè apud Epiſcopum, ad cuius officium tam inſtitutio, quam deſtitutio Sacerdotum noſcitur pertinere.*

Quare id ſibi Vicarius non aſſumet, niſi iuſſus ab Epiſcopo, ac neceſſaria ad id poteſtate abeo præditus: Ancharanus teſtis conſ. 6. Rebuff. in regulã 13. cancellariæ verbo itẽ inſtitutio poſt Bonifacium VIII. cap. licet 2. de officio Vicarij in 6. his verbis. *Poteſtatem tamen inquirendi corrigendi aut puniendi aliquos exceſſus ſeu aliquos à ſuis officiis beneficiis amouendi, transferri volumus in eundem, niſi ſibi ſpecialiter hæc committantur.*

Secundò, *In Generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus*, de officio Vicarij in 6. cap. finali. At quis putet velle Epiſcopum, ius vt ſit penes Vicarium abſque facultate alia conferendi beneficia? conferre enim donare eſt. Gloſſa in caput relatum de præbend. Rebuff. in regulam 13. cancellariæ, at mãdato generali, non comprehendi poteſtatem donandi, ſcripſit Iuriſp. in lege filius finali digeſtis de donatio.

Tertiò, plus quidpiam eſt ac difficilius conferre beneficium, quam reſignati gratuitam ac liberalem ceſſionem admittere, Flaminius ſupra num. 53. primum enim in acquiſitione iuris, poſtremum in eius eſt amiſſione poſitum, Gloſſa in cap. relatum de præbendis.

At hactenus non fuit in vſu moreque Eccleſiæ, Generalem Epiſcopi Vicarium ſine commeatu ac facultate, ſeu commiſſione Epiſcopi reſignationes admittere, Flam. ſupra num. 6. 7. & ſequentibus etiamſi hic in Vicariatus ſui literis clare diceret ac diſertè, plenam ſe ei, & omnimodam adminiſtrandæ prouinciæ poteſtatem dare, quantã ipſe ſcilicet ex officij ſui inſtituto eſt nactus Butrius conſ. 19. columna 2. 3. & 4. Pauinius de officio & poteſtate Capituli ſede vacante 2. par. q. 10. Flam. lib. 9. n. 34.

QVÆSTIO IV.

Vicarij Generalis poteſtas quæ & quanta.

PAr pene & æqualis Epiſcopali, quare iure communi, poteſt abſque mandato & commiſſione ſpeciali, matrimonio aſſiſtere, ſuoque, aut Parochi loco, illi vt interſit, licentiam Sacerdoti cuilibet facere, quia ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. matrimonio poteſt aſſiſtere Parochus, aut alius de ordinarij facultate, at eſt Vicarius Generalis ordinarius, & Parochorum ſuperior, Epiſcopi perſonam repræſentans c. 2. de conſue. in 6.

Secundò, poteſt cognoſcere de cauſis matrimonialibus, ex cap. 1. de frigidis & maleficiatis, vbi dicitur cauſa diſſoluendi matrimoni agitanda ante Epiſcopum, aut eius miſſum, id eſt, interpretatione Gloſſæ Generalem Vicarium, & cap. fin. de cognatione ſpirituali, quæſtio impedimenti matrimonij ex cognatione orti, ad Officialem Cantuarienſem id eſt Vicarium remittitur, cognoſcit hic ergo de cauſis matrimonialibus, ergo & matrimonio aſſiſtere ei fas erit pro Parocho.

Quod ſi eius poteſtas non eſt per Epiſcopum contracta, excommunicare, ſuſpendere, interdicere, inſtituere, corrigere, viſitare, præſentare, peræque poterit ac Epiſcopus, Rebuff. in forma Vicariatus numer. 18. quia non niſi contracta ac limitata poteſtas datur Vicario, nec beneficia conferre nec diſpenſare poteſt in his quæ ad ius Epiſcoporum pertinent, quia poteſtas diſpenſandi, cum generali mandato non tranſit, cap. auctoritate de priuileg. in 6. ad hoc opus eſt commiſſione ſpeciali.

Quare etſi quæ neceſſitatis ſunt, & iuſtitiæ, Vicario generali exequi iure communi ſit conceſſum qualia ſunt confirmare electos, Gloſſa in cap. fin. de officio Vicarij in 6. inſtituere præſentatos, vt ex cap. ex frequentibus de inſtitutione docet Reginaldus tomo 2. lib. 30. tract. 3. num. 242. quinetiam beneficia conferre cum authoritate & licentia Epiſcopi, ac eorundem permutationes admittere, cũ habet facultatem recipiendi eorum reſignationes. Zechius de benef. & penſionib. cap. 2. Quia ſtare hæ ſine collatione nequeunt, quæ proinde neceſſitatis eſt, ac iuſtitiæ, non voluntatis liberæ, eius, qui illas recipit, cum beneficia compermutantibus ſint affecta, eiſque tribuenda non aliis ex Clement. vnica de rei permutatione, quare ſpecialem conceſſionem non deſiderant, non eſt tamen hoc tempore Vicario beneficiorum compermutandorum collatio conceſſa, cum hanc ſibi Epiſcopus retineat, ſuique iuris duntaxat eſſe velit.

Ecquid eſt ergo Generali Vicario modo tentare licitum? quid in ſua ac Diœceſanorum cauſa facere permiſſum? Synodos cogere, conuocare Parochos, cap. ſi Epiſcopus de Offic. ordinar. in 6. de cauſis matrimonialibus cognoſcere cap. ex literis de in integrum reſtit.

Tertiò poteſt tota diœceſi vi commiſſionis ſuæ generalis, audire confeſſiones, ac earum excipiendarum poteſtatem dignis facere, Sanch. 3. de matrimonio diſputatione 29. num. 15. Roſella confeſſio ſacram. 3. num. primo Sylu. verbo confeſſor 1. quæſt. 1. Quia eſt ordinarius, quia poteſtate par eſt Epiſcopo, cum quo ei commune eſt vnumque tribunal, ex cap. Romana de appellationibus in 6. & cap. 2. de conſuetudine in 6. ergo quod Epiſcopo, hoc ei quoque licitum eſt At confeſſiones excipit Epiſcopus, earumque audiendarum ius poteſtatemque aliis annuit, ergo & eius Vicarius. Pauinius de poteſtate Capituli ſede vacante ſecunda parte in princip. q. 10. num. 8. & 9.

Quartò abſoluit de omnibus caſibus Papæ reſeruatis dum modo ſint occulti, hæreſi excepta. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.

QVÆSTIO V.

Poteſtas Vicarii quomodo ceſſet & quando.

CEſſat primo reuocatione Epiſcopi, Chenut. in Decre. tit. 33. & 200. Gomes in regul. de iure alteri quæſito q. 4. Quia eiuſdẽ eſt tollere cuius & dare, & ſane cum arbitraria ſit vicarij electio, Ancharanus Conſil. 218. pendenſque ab Epiſcopo, cum volet, vna cum nomine, iuriſdictionem quoq, in ſubditos ſuos omnem ei adimet Flam. l. 9. c. 31. Abbas in cap. vt noſtrum de appellat. Rebuffus de foro Vicarij Piaſecius ſecunda parte praxis cap. 4. num. 12. Quare à die cognitæ huius reuocationis, geſta per eum erunt nullius efficaciæ, vt pote cuius

amplius nulla sit iurisdictio Sanchez. 3. de matrimonio disputatione 29. num. 11.

Dixi à die reuocationis cognitæ, nam authoritas ei concessa ab Episcopo non perit nisi reuocatione, quæ ad ipsius aures perueniat, eaque Episcopi nomine facta, vt dicitur cap. audita 4. de restitutione spoliatorum, quem sequuntur Abbas ibi num. 13. Rosella excommunicatio 6. num. 46. Laym. l. 1. tr. 4. c. 7. parag 3. n. 19. & alij apud Sanchez Confirmatur reuocatio procuratoris, ei non intimata, non impedit renuntiationem, aut alterius actus ipsi commissi validitatem, per Clementinam vnicam de renuntiatione, ergo nec Vicarij, cum par sit vtriusque ratio.

Secundò cessat vicarij authoritas morte Episcopi Mol. lib. 1. de primog. cap. 25. num. 13. Flaminius 7. de restitutione q. 14. num. 37. Piasecius supra num. 14 Couarruuias 2. variarum responsionum cap. 5. num. 2. probatur vicarij iurisdictio non est alia, quam Episcopi, quæ causa est cur iurisdictione Episcopi suspensa per excommunicationem, suspendatur quoque Vicarij, vt multorum testimonio probat Sanchez lib. 3. de matr. disp. 30. At Episcopi iurisdictio cessat eius morte, ergo & Vicarij.

Secundò, idem est vtriusque tribunal ex citatis ante canonibus, at mortui antistitis nullum est forum reliquum, ergo nec Vicarij, nec est ad eam rem necesse, dictam mortem superstiti Vicario significari, sufficit eam vulgò esse cognitam, opinione Flaminij proxime citati, quia expiratio potestatis eius, expirantem Episcopum sequitur ipso iure, ideoque ignorante etiam ipso valet, nisi publicus error seu ignorantia comitetur iuxta leg. Barbarius dig. de offic. Prætoris & ita docet Nic. Garcias parte 5. de benef. cap. 8. nu. 176.

Quid si Vicario nota quidem est mors Episcopi non tamen plebi?

Respondendum est eius acta rata fore, non secus ac si viueret, Sanchez 3. de matrimonio disp. 22. num. 59. & disp. 30. num 4. causa est quod pro eo facit communis error, communis populi vtilitas, titulus à superiore collatus, quem tamen reuocatum esse non constat, ita gesta per seruum rata dicuntur, lege Barbarius digestis de officio prætoris, eo quod communiter putabatur liber, quod si è contra sciretur mors Episcopi communiter, eam Vicario ignorante, eius acta non tenerent, quia eorum auctoritas, vis ac potestas, pendet ab Episcopi voluntate aut Reip. quæ in communi errore plebis eam supplet ob commune bonum, quorum neutrum accidit cum communiter à populo scitur esse mortuus Episcopus, solo Vicario id ignorante.

Secundò, etsi non omnino potestas Vicarij desinat suspensione aut excommunicatione Episcopi, cuius est Vicarius, suspenditur tamen quoad effectum, Piasecius num. 14. Sbrozius de officio Vicarij lib. 5. q. 17. num. 10. Quia iurisdictio Vicarij, manat ab Episcopo, at fluere ab excommunicato non potest, cum in eo vsus omnis iurisdictionis sit suspensus ex dictis tract. de censuris ergo & in Vicario: quod clarissime dicitur cap. 1. de officio Vicarij in 6. his verbis. *Ea tamen, quæ ipsi gerendo huiusmodi vices agunt, eo taliter excommunicato manente, si iurisdictionem tantum recipiunt ab eodem, non possunt obtinere vigorem.* Ab Episcopo dixi, nã si Vicario, detur à Papa, aut alio qui potest, auctoritas cognoscendi de causa, in id incumbere poterit cum fructu, quia eius iurisdictio in illo casu non manat ab Episcopo excommunicato, & ex alia parte Vicariatus eius non est extinctus, sed tantum executio potestatis ei annexæ est suspensa.

Rebuffus in regulam 13. cancellariæ verbo item tribus his modis, quibus Vicariorum expirat authoritas, addit & alium, nempe constitutionem noui, nam procuratoris & Vicarij, eadem est inquit ratio, at potestas primi procuratoris cessat designatione secundi lege, si quis cum procuratio §. fin. ff. de procuratoribus, ergo & Vicarij: Hæc ille, ex quibus consequitur, quæ post intimationem huius constitutionis noui Vicarij, factæ ab Episcopo, gerentur à priore fore nulla, ob defectum iurisdictionis, ad agendum necessariæ in antiquo Vicario.

Quia Vicarij noui notificatio, tacita est potestatis primo datæ reuocatio, nisi Episcopus contrarium declaret.

Patet secundò, cum confessionibus audiendis operam dare Vicarius possit, cum Laicum esse non posse.

Tertiò, gesta per Vicarium ante reuocationem potestatis sibi concessæ ab Episcopo cognitam, rata esse.

Quartò, cum eadem Vicarij sit quæ Episcopi authoritas, posse excommunicare. Sbrozius de officio Vicarij lib. 2. q. 168. Suar. de censur. cap. 20. Lælius de potestate Eccles. cap. 23. & censuras concedere ad finem reuelationis rei perditæ aut ignotæ, vt in sess. 25. cap. 3. declarauit congregatio decisione 12. Absoluere item reos violati canonis & contumaces, excommunicatos insuper ab Episcopo, si non sit in Diœcesi, aut loco vicino, aliter non potest nisi habeat mandatum speciale Sbrozius loci citati q. 174.

Quintò infertur, iuramentum ab eo ex causa relaxari posse, quia id potest Episcopus, Sbrozius q. 187.

At enim, inquies, per quem oportet indicari Vicario alium constitutum ab Episcopo, suo loco aut se ab eo reuocatum esse?

Satis est, si id ei per quemlibet constet fide dignum, etsi hic casu, tantum ab Episcopo sciuerit, aut alio quopiam, tamen sine expresso mandato id indicandi Vicario, hoc dixere Francus Felinus & Sbrozius de Vicario Episc. lib. 3. q. 33. num. 10.

Cõmunior opinio ac verior est, Vicarium de reuocatione sua certum reddendum esse per Episcopum aut alium, qui eius nomine, ac ad id specialiter ab illo destinatus, rem vniuersam ei indicet, quia quibus causis res nascitur iisdem & tollitur, vt dicitur de regul. iuris in 6. reg. 1. sed constitutio Vicarij, exigit voluntatem Episcopi constituentis, & acceptationem Vicarij, qui de voluntate Episcopi erga se, factus sit ab eodem certior per literas, quas ad illum dederit, aut nũcium ad id missum, ergo & reuocatio Vicarij eadem exiget.

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

Quid in Generali commißione Vicariatus data per Epiſcopum cenſeatur iure non contineri.

PRimò, in Generali conceſſione authoritatis Vicariæ comprehenſa non cenſetur poteſtas conferendi beneficia, habetur expreſſe cap. cum in Generali vltimo de officio Vicarij in 6. nec in ſpeciali, incluſa videtur facultas dandi ea quæ proprio iure, aut priuilegio reſeruantur Epiſcopo, Barboſa allegatione 54. parte 3. de offic. Epiſcopi num. 62. ſi tamen ſpeciatim, Epiſcopus facultatem conferendi beneficia cuiuſquemodi concedere hæc comprehenderet tam ſimplicia quam curata, dignitates & officia, quia beneficiorum vniuerſalitas omnia continet & nullum excludit, Dixi, *ſpeciatim*, eſt enim id neceſſarium ex cap. fin. de officio Vicar. in 6. vbi hæc ratio redditur, *quia regulariter donare non poteſt is, cui bonorum adminiſtratio etiam libera commiſſa eſt*, nec ſimiliter præſentare poteſt ad beneficia, quorum Epiſcopus eſt patronus ſine ſpeciali mandato Garcias par. 5. cap. 8. num. 82. quia præſentatio ſpecies eſt liberalitatis ac gratiæ, in bonis qua vti nō eſt ei permiſſum Epiſcopi ſine eius ſpeciali facultate.

Secundò, nec in poteſtate exercendi Vicariatus continetur facultas ſupprimendi beneficia: Riccius in coll. deciſio. parte 1. columna 143. ea vniendi, factam eorum vnionem reuocandi: aut diuidendi Sbrozius lib. 2. q. 115. coadiutores in ſpiritalibus & temporalibus: Parochis ignaris dandi, Barboſa num. 73. allegatione 54.

Tertiò, nec videtur diſpenſare poſſe vt matrimonij denuntiationes omnes omittantur, nulla adhibeatur, quia eas matrimonio præmitti concilium imperat, in quo diſpenſare non poſſe mihi eſt probabile, praxis tamen ex tacito Papæ conſenſu in multis locis eſt oppoſita, nec proinde culpanda.

Quartò, non habet ab officio, eiuſque vi ac poteſtate, vt queat viſitare Diœceſim, ad id tamen delegari poteſt, can. Epiſcopum 10. q. 1. & cap. inter cætera 15. de officio ordinarij.

Quintò, nec pias defunctorum voluntates exequi, nec ſibi alium Vicarium ſubſtituere, cap. Clericos 4. de officio Vicarij & cap. vltimo de cauſa reſtitutionis in integrum de officio delegati, cap. 4. cap. cum cauſa 62. de appellationibus, Sanchez de matrimonio l. 2. diſp. 40. num. 12. Barboſa allegatione 54. & alij ab eo citati, nec ſine ſpeciali commiſſione Epiſcopi, charitatiuum imponere, idem ibidem.

Sextò, nec præſentatum à patrono abſque ſpeciali facultate inſtituit Rebuff. in praxi benef. in forma Vicariat.

Septimò, dimiſſorias ad ordines dare ei prohibitum niſi Epiſcopo in remotis agente cap. cum nullus 3. parag. inferiores de tempor. ordinat. in 6. Rebuff. ſupra.

Octauò, nec beneficiorum reſignationes recipit Staphil. de literis gratiæ tit. de variis modis vacation. Rebuff. in forma Vicar. Arch. num. 104. & 106.

Nonò, nec ius patronatus ex cauſa dotationis, fundationis vel conſtructionis vlli reſeruat, ſine ſpeciali Epiſcopi licentia. Zerola in praxi Epiſc. 1. parte verbo Vicarius parag. 13.

Decimò, diſpenſandi poteſtatem non habet, nec faciendi alia, quæ ſunt iuriſdictionis voluntariæ, Gutierr. lib. 1. quæſt. canonicarum cap. 19. num. 15.

Vndecimò, citra ſpeciale mandatum Synodum non conuocat Azor. lib. 3. inſtit. moral. cap. 45. q. 5. nec aliquos à ſuis officiis remouere aut beneficiis priuare poteſt.

QVÆSTIO VII.

An Vicarius Epiſcopi ſit Ordinarius.

ESſe negarunt antiqui Iureconſulti Alciat. in rubrica de offic. Ordinarij num. 24. Anaſtaſ. Germon. in tract. de Indult. parag. tibi quod: huius opinionis firmamenta præcipua ſunt.

Primò, quod iuriſdictio Vicarij extincto Epiſcopo, qui eam conceſſit extinguitur vt eſt probatum, at quæ eſt ordinaria, mortuo concedente, adhuc remanet: in hoc enim à delegata diſtinguitur quod hæc, cum res eſt adhuc integra, morte mandatoris expiret, Innoc. III. in cap. licet vndique 30. de iudice delegato, Lucius 3. in decretali relatum 19. Vrban. III. in cap. Gratum 20. eiuſd. tituli, Ordinaria autem perſeuerat ſine diminutione vlla, proindeque integra.

Secundū, Quod vnius eiuſdemque populi ordinarij duo eſſe nequeant, eſt enim iuriſdictio, ſine qua conſiſtere ordinaria poteſtas non poteſt, effectus dominij, at hoc apud duos plene reſidere non poteſt, & integre, ergo cum in Epiſc. vt capite & fonte, ius ſit regendæ plebis ſibi commiſſæ, aliud quam delegatum, dari Vicario non poterit, ei ergo inter Ordinarios locus eſſe non poteſt.

Contraria mihi tamen opinio in praxi tuta videtur & ſequenda. Eſt enim ordinarius, qui in certo quopiam loco forum agit, & ius dicit. At hæ duæ res Vicario, negari nequeunt, ergo nec Ordinarii nomen ac dignitas.

Secundò, Ordinarius creatur cum iuriſdictione aut à Principe 2. q. 6. can. à iudicibus aut canone, aut ab vniuerſitate, Innocent. in cap. vt animarum 2. de conſtit. in 6. in Vicarium cadunt hæ notæ, primo, de multis, vnus ab Epiſcopo ſeligitur præ cæteris, vt Diœceſi operam collocet, quam ad rem, à canone quoque iuriſdictio ei conceditur ad miniſterij ſui rationem neceſſaria, cap. 2. de offic. Vicarij in 6. ibi enim à Bonifacio dicitur, quod ad eum per commiſſionem officij generalem, ſibi ab Epiſcopo factam, cauſarum cognitio transfertur, ac pertinet, at inquiſitio, notio, animaduerſio iuriſdictionem in inquirente, ac cognoſcente præſupponunt ac poſtulant, habet ergo iuriſdictionem à canone Vicarius, conſequenter eſt ordinarius.

Confirm. idem eſt tribunal Epiſcopi & Vicarij, eadem iuriſdictio & poteſtas amborum, Innocent. IV. teſte in cap. Romana Eccleſia 3. de appell. in 6. paragr. cum ſuffraganeorum, ob quam cauſam, ab vno ad alium appellare illicitum Bonifac. VIII. cap. 2. de conſuetud. in 6. *Ne ab eodem ad ſeipſum (cum ſit idem auditorum vtriuſque) appellatio interpoſita videatur*, quæ eſt etiam Innocen. IV. ratio in decretali Romana 3. de appel. in 6. *quare cum ſuffraganeorum*, inquit, *Remenſis Eccleſiæ ſuorumque officialium (qui generaliter de cauſis ad ipſorum forum pertinentibus eorum vices ſupplendo co-*

gnoſcunt) vnum & idem conſiſtorium ſiue auditorium ſit conſendum, ab ipſis officialibus non ad dictos ſuffraganeos (ne ab eiſdem ad ſeipſos interponi appellatio videatur) ſed de iure ad Remenſem eſt curiam appellandum. Ergo cum idem ſit tribunal Epiſc. & Vicarij, nec ab iſto ad illum licita ſit ac valida appellatio, in Vicariũ cadet Ordinarij appellatio, Cõſeq. prob. Cum Vicarius ſit Iudex cap. licet de offic. Vicar. in 6. & extra, eod. tit. cap. ſua nobis 5. neceſſe eſt eum eſſe Ordinarium aut delegatum, non poſtremum: nam à delegato ad delegantem permiſſa eſt appellatio cap. ſuper quæſtionum 27 parag. Porro, de officio iudicis delegati, non autem à Vicario ad Epiſcopum cap. Romana 3. de appel. in 6. & cap. 2. de conſuet. item in 6. non B eſt hic ergo inter delegatos, ſed ordinarios Iudices habendus.

Nec validè operoſum eſt contrariæ opinionis argumenta ſubruere: Illa enim auctoritas Innoc. III. delegata poteſtas, cum res eſt adhuc integra expirat morte delegantis, cauſæ noſtræ præiudicium non affert, nam in hoc, eadem eſſe poteſt ratio Vicarij ac delegati iudicis, cum vtriuſque poteſtas ab alio eiuſque voluntate pendeat.

Deinde ad minor. Reſpondetur eam tantum veram eſſe, quando dicta poteſtas ordinaria non cohæret alteri, tanquam acceſſoria, tunc enim non extinguitur morte concedentis, cuius oppoſitum eſt dicendum quando ſecus accidit, vt in præſenti negotio, quare cum Vicarij auctoritas, ſit connexa Epiſcopali, hac ceſſante, & illam ceſſare eſt neceſſe. Ita Sanch. 3. de matr. diſp. 29.

Secundum argumentum perfacilem habet explicatum. Dici enim debet, vnius eiuſdemque populi, duos eſſe poſſe Ordinarios, ſibi ſubordinatos, quemadmodum & eiuſdem poſſeſſionis, duo eſſe Domini, penes quorum alterum directum ſit dominium, penes alium autem vtile.

Habet ſane, quilibet de populo Parochum, cuius tanquam proprij ac Ordinarii Sacerdotis opera vtatur in Sacramento, & tamen præter eum, eſſe etiam cuiuſlibet Parochiæ alios duos, Papam ſcilicet & Epiſcopum, nemo ambigit, ab hoc ergo argumento, ſententiæ noſtræ nocumentum eſſe nullum poteſt.

Ex dictis patet, primò, Vicarium in tota Diœceſi, operam dare poſſe audiendis confeſſionibus. Primò, quia eſt Ordinarius. Secũdò, quia eſt quaſi Prælatus, Parochiſque omnibus Superior. Tertiò, quia Epiſcopi perſonam repræſentat, cuius & vices agit.

Secundò, infertur ex dictis, approbari ab eo poſſe ad hoc audiendarum confeſſionum munus, qui ſe ad eum iſtius rei cauſa offerunt, cum enim ſit Ordinarius, vnumque cum Epiſcopo faciat tribunal ſcilicet quod illi, & iſti quoque conuenit, probare Presbyteros, ad confeſſiones admittere idoneos, reiicere ineruditos.

Tertiò infertur, ex proprio eum officio aſſiſtere poſſe matrimonio, & alteri facultatem aſſiſtendi dare. Primò, quia eſt Ordinarius, Parochoque Superior. Secundò, quia coniuges apud eum conſcientiam ſi deponerent, arguendi non forent, ergo nec cum illum admibebunt conſenſus ſui in matrimonium interpretem, & teſtem, & huius ſunt ſententiæ, Nau. lib. 4. concilior. tit. de ſponſal. in 1. edit. conſ. 47. num. 1. Henriq. lib. 11. de matrimon. cap. 3. num. 4.

A

QVÆSTIO VIII.

Quid intelligatur Archidiaconi nomine.

ARchidiaconus qui & oculus Epiſcopi dicitur cap. ad hæc 7. de officio Archidiaconi can. Diaconi diſt. 93. & in Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. eius Vicarius in cap. vt Archidiaconus 1. de eius officio: Epiſcopus autem ruralis à Chenutio ad Paponium lib. 1. tit. 11. arreſto 6. Coepiſcopus à Peleo in forenſibus lib. 2. art. 16. hoc enim nomine appellatum Archidiaconum Laudunenſem memorat, opinor ideo, quod tam ipſe quam aliiin partem ſolicitudinis ab Epiſcopo vocati eſſent, curæque ſuæ partem in regenda Eccleſia offerrent.

Archidiaconus (inquam) eſt dignitas Eccleſiaſtica, cum prærogatiua aliqua honoris, iuriſdictionem certis locis habens in foro externo: imperat enim, inquit Innoc. III. in cap. ad hæc 7. de offic. Archidiaconi. *Imperat inquã Subdiaconis & Leuitis, Parœciarum ſolicitudo, & earum ordinatio ad ipſum pertinet, Archipresbyteri nouerint ſe eius iuriſdictioni ſubiacere.* Quare ne deſit officio meminiſſe iubetur, *poſt Epiſcopum ſe Vicarium eius eſſe in omnibus, & omnem curam in Clero (tam in vrbe poſitorum, quam eorum qui per Parœcias habitare noſcuntur) ad ſe pertinere.*

Archidiaconi ergo nomine eſt intelligenda dignitas Eccleſiaſtica, penes quam in multis locis poteſtas eſt ſacrorum, vbique, authoritas in Sacerdotes. *De quorum conuerſatione, ſiue honore, & reſtauratione Eccleſiarum, ſiue Eccleſiaſticorum doctrina, & delinquentium rationem coram Deo redditurus eſt*, capite 1. de Offic. de Archidiac.

QVÆSTIO IX.

D *Archidiaconi iure communi ac ordinario quid poſſint.*

PRimò, ad Archidiaconum pertinet de vita Clericorum quæſtionem inſtituere, corrigenda Epiſcopo nuntiare diſt. 94. can. ſi quis §. Archidiaconus.

Secundò, (& hoc iuris eſt ordinarii) *Vt annis ſingulis aut minimum de tertio in tertium annum, ſi Epiſcopus non poteſt, Parœciam vniuerſam circumeat, quæ emendatione indigent ad vicem Epiſcopi corrigat*, cap. 1. parag. finali de offic. Archidiaconi, *niſi adeo fuerint ardua negotia, quæ abſque maioris ſui præſentia nequeant terminari*, Innoc. III. in decret. adhæc 7. eiuſd. tituli.

Tertiò pars eſt quædam muneris eius decernere quis inter Acolytos candelabra, quis thuribulum deferre debeat, cap. 1. de officio Archidiaconi paragr. finali, dare operam ne quis ſibi Euangelium, Epiſtolam, ac Reſponſoria canenda ſuſcipiat, niſi primo ab eo auditus fuerit cap. officium 2. §. omne, & diſt. 23. can. 1. paragrapho hi ſunt ordines, verſu quis Leuitarum.

Præter allata, hoc quoque in munere Archidiaconi reponendum eſt, initiandos offerre Epiſcopo poſt examen, cuſtodire vaſa Eccleſiæ cap. ea quæ contra 3. de officio Archidiaconi. Cum au-

Digitized by Google

tem per prouinciam, eius luſtrandæ cauſa eſt iturus, debet antea ea de re admonere Epiſcopum, ac ſecum de eiuſdem conſenſu, publico aſſumpto notario, per ſe non alium, Diœceſim viſitare, Trid. ſeſſ. 24. cap. 3.

Et tunc ei Epiſcopus, (ſi videbitur) tempus quo viſitationem abſoluat, vnaque comitatum ac modum quem in ea facienda tenere conuenit vt an in equo aut pedibus, ne populo ſit grauis, præſtituet, ita reſpondiſſe congregationem diiudicandis Concilij controuerſiis præpoſitã, narrat Piaſecius praxis Epiſcopalis parte 2, cap. 3. art. 8. num. 12.

Quid? quod inſtitutio corporalis tam ſuper beneficiis quam dignitatibus, ad ipſum pertineat? cap. ad hæc 7. eodem titulo: eorum item examinatio qui iiſdem præfici ambiunt, ibidem.

Quid enim rationis afferri poteſt, quamobrem inculcare homini nequeat (quod ſui ſimilibus Lateran. Concil. ſub Alexand. III. can. 4. præcipit) *Vt cum viſitat quinque, aut ſeptem, Decani autem conſtituti ſub ipſis, duobus equis contenti exiſtant?* aut quid peccabit Epiſcopus, ſi ei prohibeat, *ne animarum curam, vel prębendas Eccleſiæ, ſine iudicio, vel conſenſu Epiſcopi alicui tribuat?* Calliſt. II. in Conc. Rom. can. 7. *modumque in exigendis procurationibus, quam antiqua conſuetudo prouinciarũ tolerat, non excedat?* Concil. Cabill. 2. can. 15. Sane quod Leufredo Cordubenſi Epiſcopo olim ab Iſidoro ſcriptum referunt, meminiſſe Archidiaconum oportet, *ad eum non pertinere præter portionem ſuam aliquid de redditibus Parochiarum ſibi retinere, vel vltra terminos à Patribus poſitos aliquid vſurpare.* Iuo Carnot. ad Liſiardum Epiſc. Sueſſ. epiſt. 73. de quo ſi amice, ac paternè, à ſuo Præſule admonebitur, quid contra antiqua iura fiet Eccleſiæ? aut in quo merito queri poterit læſa eſſe Chriſtianæ præcepta prudentiæ? quæ eo ſpectant omnia, vt intelligatur reſponſi allati æquitas, ferendos autem Archidiaconos non eſſe qui quod eſt charitatis in Epiſcopo, ab eo admonere ſe officii, arrogantes ac ſuperbi nolunt.

Redeamus ad inſtitutum, Archidiaconi præterea quæ ſunt partes, quę munera?

Partem reddituum Eccleſiæ tertiam, eius reparationibus impẽdendã adminiſtrare, deque ea Epiſcopo rationem facere Braccar. 1. can. 5. referre ad Concilium mutuas Clericorum aduerſum ſe querelas, aut Laicorum erga illos. *Si Presbyter aut Diaconus, vel Clericus, ſiue de his qui foris ſteterint, concilium pro qualibet re, crediderit appellandum, Eccleſiæ Metropolitanæ Archidiacono, cauſam ſuam intimet, & ille concilio denuntiet*, Concil. Toletan. can. 3.

Fuiſſe & in Archidiaconi muneribus, cum Parochias obibat. *Collectam pecuniam de communione accipere, & ad Epiſcopum deferre.* Iuo ſignificat in epiſtol. 73. ad Liſiardum, Sueſſion. Epiſcopum, ad eundem quoque pertinuiſſe ſcribit Fulbertus in epiſt. 34. ad Luthericum Sueſſion. rudes catechiſmo imbuere, elemoſynis inopes impartire, proindeque eum non facere officium, ſed proditi neglecti que arguendum eſſe, cum oblationes fidelium diuertit alio, quam ad eorum ſubſidium. *Inter quos aduerſarios vnus eſt*, inquit, *nomine Liſiardus olim Archidiaconus, qui cum eſſe deberet oculus Epiſcopi ſui, diſpenſator pauperum, catechizator inſipientium, apoſtatauit ab omnibus his, & factus eſt Epiſcopo ſuo quaſi clauus in oculum, prædo pauperibus, dux erroris inſipientibus, decimas & oblationes altarium ſtipem videlicet pauperum, ſuo Epiſcopo inconſulto, ſæculari militiæ tradidit.*

Nec prætereundum quod in decretali ſua cui initium eſt ad hæc 7. de offic. Archidiac. Innocentius expreſſit: *Quod inſtitutio corporalis, tam ſuper beneficiis, quam etiam dignitatibus ad ipſum debeat pertinere, examinatio etiam Clericorum, ſi fuerint ad ſacros ordines promouendi, & hoc idem*, inquit, *in collationibus beneficiorum credimus obſeruandum, vt qui beneficiis Eccleſiaſticis præficiendi fuerunt, à ſuo prius examinentur Archidiacono, & per ipſum poſtmodum Epiſcopo præſententur*, quæ etiamnum ſeruari in multis Galliæ prouinciis vt ipſe non dicam, ſatis intelligunt qui earum ingenium moreſque norunt, nam & Carnuti nemo ad regimen admouetur animorum, niſi quem Archidiaconus cui Parœcia ſubeſt ad quem quæritur Parochus, inſtituendum Epiſc. obtulerit. Senonum autem Archidiaconum ſcimus pro inſtallatione Archiepiſcopi, ac Suffraganeorum eius, ſibi marcham vnam auri, Canonicos autem duos quorũ opera ad id ille vtitur, duas argenti exigere ſolitum, Choppinus de ſacra polit. lib. 1. titulo 8. num. 15. & 21. Fabricius in Theoria de benefic. cum dignitate perſonatu, vel officio num. 28. Bergeronus in additio. ad Papon. lib. 1, tit. 1. arreſto 3. quem morem probari Curiæ, declarant pro eius conſeruatione decreta eius plurima, quorum præter citatos meminit Rochettus in deciſion. tit. de Presbyteris & aliis ordinibus Eccleſiaſt.

Archidiacono inſuper competit dare ordinandis vaſa ſui miniſterij, *Subdiaconus*, inquit Concil. Carth. 4. can. 5. *cum ordinatur, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum, de manu vero Archidiaconi vrceolum cum aqua, & mantile & manutergium. Acolytus autem accipit teroferarium cum cereo, vt ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, accipit & vrceolum vacuum ad ſuggerendum vinum, in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti*, can. 6. idemque eſſe de aliis ordinibus minoribus, patebit legenti Concil. eiuſque canones ſeptimum & ſequentes.

Poſtremò, ſede vacante vel abſente Epiſcopo, nulloque per eum relicto Vicario literas dare eum poſſe dimiſſorias ad ordines, & monitorias dixere Petr. Lazarius de monitoriis ſect. 1. q. 6. num. 11. Cuccius inſtit. maior. lib. 2. tit. 9. de offic. Archid. num. 17. Narbona de appell. à Vicar. ad Epiſcop. par. 1. quod in Gallia vſitatũ tamẽ eſſe non credo.

QVÆSTIO X.

Quid non poſsit Archidiaconus.

PRimò, animarum curam ſine Epiſcopi licentia committere nulli poteſt cap. cum ſatis 4. de officio Archidiaconi.

Secundò, non dat communiter commendatitias ad ordines literas cap. ſignificaſti 8. de officio Archidiaconi, quod quomodo ſit intelligendum dictum eſt quæſt. præcedenti.

Tertiò, iuriſdictionem in Monaſteria non habet, niſi quantam ei conſuetudo generalis aut ſpecialis tribuit diſt. 60. can. 1. can. nullus in præpoſitum can. innouamus in princ.

An autem nocentes reprimere in eos intentare cenſurarum flagella, Archidiaconus iure communi valeat, res eſt incerta.

Pro parte affirmante, videtur facere antiqua conſuetudo Orientalis Eccleſiæ, expoſtulanti etc-

nim Moriæ Diacono, quod ſacris, ac communionis vſu motus eſſet.

Reſpondit Ibas Epiſcopus in Concil. Chalcedon. actione 10. non à ſe quidem, ſed à proprio Archidiacono excommunicatum eſſe, quod iniuriam feciſſet Presbytero. Queriturque Alexand. III. in Concil. Lateran. can. 6: quod contra ſtatuta antiqua Eccleſiæ priſcoſque mores veterum, *Epiſcopi ſeu Archidiaconi quos appellaturos à ſe in cauſis ſuis exiſtimarent nulla penitus admonitione præmiſſa, ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam in eos ferrent.*

Quo iure vſos quoque Pariſ. Archidiaconos colligo ex pacto quod Odo nem inter & S. Geneſeuæ Canonicos interceſſit olim. Ibi enim habetur inter cætera Parochianos ſancti Stephani ad montem, ab Archidiaconis excommunicatum iri, ſi quid ea pœna dignum commiſerint. Iure autem communi contumaces punire excommunicatione non poſſe dixit Archidiaconũ. Alex. III. in c. Archidiacono 5. de officio Archidiaconi, nec ſuſpendere vel interdicere. Zerola in praxi ver. Archidiaconus Fabricius in Theoria tit. de beneficiis cum dignitate num. 25. cum præter inſpectionem admonitionem, & relationem ad Epiſcopos eorum, quæ vilitando cognouit ius ei nullum competat. Alexandri in citata decret. eſt opinio, his verbis. *Archidiacono non videtur de Eccleſiaſtica inſtitutione dicere (niſi authoritas Epiſcoporum acceſſerit) in aliquos ſententiam.*

De conſuetudine tamen hæc officia impunè eſt ei vſurpare multis in Diœceſibus, vt in gratiam Cathalaunenſis in Campania iudicauit curia an 1495. Choppino teſte lib. 1. de ſacra politia tit. 8. num. 21. Qua poteſtate quoque præditum eſſe Ambiani Archidiaconum, multaque Eccleſiaſtici iuris munia poſſe exequi, pro vetere Cleri Ambianenſis conſuetudine refert Gregor. IX. in cap. dudum 54. de electione parag. ſed cum in iure, ibi enim eſt, *Quod de conſuetudine ſuſpendit, excommunicat & abſoluit Presbyteros.*

Hæc ergo prima ſit eius cura, vt intelligat Archidiaconus, quid ſibi, & quantum, indulgentia Epiſcopi, vel vſu, moreque conceſſum prædeceſſoribus ſuis fuerit, vt illud teneat, ſeruetque, nec ab eo in agendo abeat.

Potuiſſe quidem olim plurima, indicat decretalis citata Gregor. & quidem Carnotenſi Epiſcopo cum in Diœceſi vacãt Eccleſiæ, intra ſepta ſui Archidiaconatus, proponuntur ab Archidiacono idonei, qui eis inſtituãtur cap. cum dilectus 28. de iure. ſimiliter & Metenſẽ Archidiac. Epiſcopo ſuo hominem idoneum inſtituendum ad beneficium curatum fani S. Trudonis in Lotharingia offerre ſolitum habet cap. cum dilectus de officio legati: Iuridicam autem poteſtatem in territorio Virdunenſi dempta ſuperiori cauſarum cognitione, quę ex appellatione ad Epiſcopi tribunal deuoluebatur, in Archidiac. Virdunenſi, iure olim fuiſſe, ſcribunt hiſtoriæ, quo vti an poſſit etiam hoc tempore eius eſt videre. Sane pro eo iure, & aliis conſuetudine quæſitis, cum poſſeſſorio poſſe agere, iudicatum eſſe ait Fabric. de Bleins in tract. de benef. cum dignit. num. 23. lit. G. in marg. & Choppin. lib. 1. de Sac. polit. tit. 8. in marg.

Ad teſtimonia allata dicendum eſt, Archidiaconos cenſuris olim vſos non iure, cum eius poteſtatis nulla habeatur in canonibus mentio, ſed tolerantia ac conceſſione Epiſcoporum, quam vt tùm dare, ita & reuocare potuere poſtea, vt feciſſe vſus experientiaque ipſa teſtatur.

QVÆSTIO XI.

Archidiaconis, quid ſit tàm iure, quam locorum conſuetudine permiſſum pro procuratione, ac inſtallatione beneficiarij in Gallia,

PRocurationes Archidiaconis quidem ſunt debitæ, quantæ autem, & quam remiſſæ, aut amplæ, eſt incertum, crediderim locorum conſuetudinem ante omnia ſpectandam eſſe, vbique fere in pecunia numerata ſoluitur, cum enim in paſtu potuque eſſet debita, Parochorum arbitrio relictum eſſe, Trident. Synodus voluit, eligere, an hunc, quam pecunias exhibere Archidiacono, ſibi præſtabilius foret, ſaluo tamen iure conuentionum veterum quas ad vnguem inconcuſſas ſeruari oportere ſtatuit in ſeſſ. 25.

Quod ſi pro victualibus pecunia penderetur, erit ea moderanda locorum vſu, & conſuetudine, alicubi quadraginta ſolidos non excedit, ſummam aliquanto maiorem exhibent alij, de eius æquitate arbitrari, ſolius eſt conſuetudinis, quæ in hoc genere materiaque vt pleriſque aliis eſt ſeruanda. Louetus in arreſtis litera V. art. 4. Scribit Guill. Roüillard Curionem ſanctæ Chriſtinæ condemnatum eſſe in prima Inquiſitionum camera ann. 1568. Dec. 23. ad ſoluendum pro viſitatione ſexaginta & 12. aſſes, anno pari, impari autem, nouem. Sanxere tamen Patres Later. Concil. ſub Innoc. III. can. 33. *Ne procurationes, quæ viſitationis occaſione debentur Epiſcopis, & Archidiaconis exigantur, niſi quando præſentialiter officium viſitationis impendunt.*

De inſtallatione diuersũ nihil habeo dicere ab eo quod fuit in quæſt. 9. poſitum, nempe Archidiaconos Senonenſes marcham auri, & duas argenti pro duobus Canonicis exigere pro ea ſolitos, in tota prouincia Senon. Archipresbyteros autem vaccam albam, Bergeron. in addit. ad Papon. lib. 1. tit. 1. arreſt 3. Bleyanus tract. de exactionib. Clericor. à qua duos tantum exemptos Abbates eſſe, S. Columbæ ſcilicet & Abbatem d'Eſchaillis in Campania declarauit Curia ann. 1604. 12. Februar. Fabric. loco citato proxime litera V. in margine.

Præter hæc iura Archidiaconis conceſſa, ſunt & alia duo.

Primum eſt, iuris dicendi etiam præſente Epiſcopo, ſic tamen, vt huic omni tempore ſit liberum tanquam ſuperiori, eos, in hoc audiendarum cauſarum iure anteuertere eaſque calculo ſuo ac authoritate publicè terminare.

Secundum eſt, in Gallia deportuum, id eſt exigendorũ cuiuſq; Parœciæ reddituũ, cũ hæc vacat, per cauſam litigii, non promotionis, aut priuilegii, ſeu conſuetudinis Renat. Chop. l. 1. de ſacra polit. tit. 8. n. 18. quare cum prouiſus de Parœcia reus non teneatur violati canonis, quo iubentur Parochi, Sacerdotes fieri intra annum in cap. licet 14. & cõmiſſa 35. de elect. in 6. niſi qui intra illud tẽpus Presbyterii ſe charactere inſigniendum nõ curat, Archidiacono non licet prædictos ſibi fructus iure deportus vindicare, niſi poſt exactum annum ad ſuſcipiendos ordines præſcriptum lege canonum,

itaque cum in Carnutum Eccleſia, Archidiaconus de Pinſerais, fructus cuiuſdam Parœciæ, intra terminos poteſtatis ſuæ poſitæ, quam vacare defectu promotionis cauſabatur, ſibi addixiſſet vt debitos, eos decreto ſententiaque Curiæ reſtituere vt alienos eſt iuſſus, quod quæ annua ſpatia eſſent Parocho ad ſuſcipiendum ordinem Presbyterij conceſſa, nondum impleta eſſent, cum ſibi ille prædictos fructus occupandos credidit, Bleyan. de Annat. & iure regal. n. 24. lit. I. in marg.

Dixi cuiuſque Parœciæ, nam quibus cura non eſt animarum commiſſa, hæc beneficia illico ſunt eius, cui fuere collata, ac ab eo poſſideri sût cœpta, illique, fructus eius omnes debitos eſſe à die prædictæ poſſeſſionis apprehenſæ iudicauit Rothomagenſium Senatus 26. Ianu. ann. 1541. Forgeto teſte in tract de perſon. Eccl. cap. 4. nu. 5.

Litigij præterea facta eſt mentio, vt indicarem, adiudicata recredentia alteri de litigantibus, iura ceſſare deportuum, nihilque vltra eſſe quod in Parœcia, tanquam ſui iuris aut regiminis foret, facere aut aggredi Archidiacono liceat, quare nec fructus eius ad ſe trahere, nec illam Sacerdoti regendam poteſt committere, quod Chopp. decreto Senatus Pariſ. duplici confirmat. Chopp. lib. de Polit. 1. tit. 8.

QVÆSTIO XII.

Qualem eſſe oporteat Archidiaconum tam veteri canonum lege, quam recenti Trident. Synodi.

ARchidiaconus Doctor eſſe debet, vel Licentiatus in Theologia, vel iure canonico. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. & ſeſſ. 23. cap. vltimo. *Officia*, inquit, *vel dignitates illæ, quæ Scholaſticæ dicuntur non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina vel iure canonico, & qui perſcipſos munus hoc explere poſſunt, conferantur, & alterſactapro-viſio nulla ſit.*

Secundò debet eſſe Diaconus, Bituric Concil. can. 4. & Pictau. can. 7. *Qui Archidiaconatus tenent Diaconi fiant, aut certe ea ſint ætate vt primo tempore eo ordine inſtitui valeant.*

Tertiò exigit Innoc. II. in Concil. Rom. can. 8. Eugen. III. in Concil. Remenſi can. 9. vt prædictus honor non concedatur niſi ei qui prudentia, & vitæ merito ſit clarus.

Et quanquam *adoleſcenti & infra ſacros ordines conſtituto*, negent ambo hi Pontifices Archidiaconatum conferendum eſſe, ſufficit tamen, ſi fiat intra annum Diaconus, ita mihi ſentiendi author, Alexand. III. in Concil. Later. can. 3. *Cum*, inquit, *aſſumptus fuerit, ſi Archidiaconus in Diaconem, & Decani & reliqui admoniti, nõ fuerint præfixa canonibus tẽpore in Presbyteros ordinati, ab illo remoueantur officio, & alii conferatur, qui velit & poſſit conuenienter illud implere.*

Quartò, attigiſſe debet ætatis annum quintum & vigeſimum, tam lege noua Concilij Trid. ſeſſ. 24. cap 12. quam veteri Lateran. ſub Alexand. III. *Inferiora beneficia vt puta Decanatus & Archidiaconatus, & alia quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat niſi qui 25. ætatis annum attigerit*: Exiſtimat tamen Iſidor Moſconius de militanti Eccleſ. par. 1. lib. 1. cap. 12. ſufficere ſi annum 23. expleuerit, quod eum Diaconum eſſe oporteat, cuiuſmodi eſſe hac ætate minor non poteſt Conc. Pictau. can. 7.

QVÆSTIO XIII.

An iuriſdictio Archidiaconi ſit ordinaria.

ESſe Epiſcopo abſente, dixere Sbrozius lib. 1. de Vicar. Epiſc. qu. 2. num. 15. Iſidorus Moſconius lib. 1. part. 1. cap. 10. de maieſtat. militantis Eccl. Sede autem vacante, dum Capitulum in demortui locum, Vicarium Diœceſi renunciat Narb. parte 1. de appell. num. 22.

Probatur, eſt ea Iuriſdictio ordinaria, quæ à lege datur aut canone, lege quia 6. digeſt. de iuriſdict. omni Iudic. eiuſmodi autem Archidiaconorum eſſe nemo opinor ibit inficias, qui quod eſt in cap. 1. de offic. Archidiaconi legerit paulo attentiùs, ibi enim admonetur, ſecum ipſe vt reputet: *Poſt Epiſcopum ſe Vicarium eſſe eius in omnibus, & omnem curam in Clero, tam in vrbe poſitorum, quam eorum, qui per Parœcias habitare noſcuntur ad ſe pertinere, ſine de eorum conuerſatione, ſine honore, & reſtauratione Eccleſiarum, &c.*

Confirm. eſt perpetuitas, iuriſdictionis ordinariæ certa nota, cum enim cancellos non habet ac temporis limites vllos, quibus circum[illegible]atur, eam tunc pro ordinaria habendam eſſe, dixit Iuriſp. in l. quia de iuriſd. omnium Iudic. at eſt Archidiaconorum iuriſdictio perpetua, nec ab Epiſcopo reuocabilis, Rebuff. de forma Vicariat. in praxi par. 1. num. 199. Sbrozius lib. 3. cap. 32. num. 14. eo quod perſonæ Archidiaconi eiuſque dignitati inhæreat. Narbona & Rebuff. locis citat.

QVÆSTIO XIV.

An Epiſcopus præter Vicarium, Officiales habere debeat, vnum, aut plures.

DIco primò, *Ad Vicarium in ſpiritualibus, cuiuſmodi eſt is communiter, quem vulgo Magnum nominant Officialem addendum eſſe*: Ratio eſt, quod Epiſcopo ſæpe non vacet ius oppreſſis dicere, quos tamen non expedit patrocinio deſtitui, vt ſit ergo ad quẽ hi adeant, cuius caritatem in dubiis ſuis, afflictiſque temporibus implorent, certum hominem deſignari ab Epiſcopo conuenit, qui auctoritate qua pollet, vtatur eius nomine, in diiudicandis controuerſiis quas inter Diœceſanos eius ſubditos, naſci accidit Abb. in cap. quoniam de Offic. Ordin. Boerius deciſ. 347. Couar. lib. 3. variar. 1. cap. 2.

Dico ſecundò, *Lege Francica Galliæ, Officiales Epiſcopo tot creandos eſſe quot habet eius Diœceſis diuerſa territoria ſeu reſſortus, communiter tamen vnum ſufficere, niſi amplitudo prouinciæ ac Diœceſeos, plures ad commoditatem fidelium exigat.* Habet aſſertio membra tria, in priore dicitur, pro diuerſitate reſſortuum, (vt loquuntur,) Officiales ſubrogandos Epiſcopo varios, ſic vt eorum ſinguli, ſuum habeant diſtinctum à reliquis, ſibique proprium. Sunt dicti huius auctores ac patroni Papon. lib. 1. titulo 5. arreſto 53. Bleyan. de Officiis ac Adminiſtrat. num. 33. legis autem ſanciendæ principes Rex & Senatus, in comitiis Molinenſib. art. 76.

causa sic statuendi, subditorum commodum, nempe ne relicto natali solo, cogantur in externo, longisque sæpe locorum interuallis disiuncto, emendicare rebus suis, sibique subsidium, non sine impensis, reique familiaris iactura, ita anno 1524. sanxit Senatus Parisiensis vt Archiep. Burdegal. Vicarium Pictauis daret, vt quibus ibi lis, dieſque dicta esset, intra fines Senatoriæ Parisiorum prouinciæ subsisterent Rebuff. in praxi benef. par. 1. rubrica de forma Vicariatus num. 158. Idem statutum memorat à Franc. primo an. 1542. pro Episcopatibus Lucionensi, Maleacensi & Engolis. hoc insuper addito, liberum vt esset singulis, id Archiepiscopo ac Prælatis facere recusantibus, Metropolitanum quemcumque vellent eorum, qui sedem intra limites Parisiens. Senatus fixam habent, appellare sibi ad subsidium, quod ad reliquas quoque Diœceses, facta cum illis communione beneficij regii, productum esse per edictum Molinense art. 76. tradit Choppin. in lib. Monasticos titul. 3. num. 27. & lib. 2. de sacra Polit. tit. 4. num. 26.

Pars Assertionis altera fuit, communiter Officialem vnum cuique Diœcesi sufficere.

Primò, quod ad eum esse potest ex vicinis circa locis prouinciæ, cui iuri dicundo præest, nomine Episcopi facilis aditus.

Secundò, quod plures Innoc. III. non postulet. Sic [illegible] in decretali quoniam de Offic. iudicis Ordin. *Si propter prædictas causas necessitas postulauerit, Pontifex loci nationibus illis conformem, prouida deliberatione sibi constituat Vicarium in prædictis, qui ei per omnia, sit obediens & subiectus*, Vicarium dicit, numero vnitatis, non multitudinis, quod per eum abunde satisfieri possit omnibus, opis causa ad tribunal eius adeuntibus, quæ causa curiæ extitit anno 1596. prohibendi Lingonensi Præsuli ne ad primum Officialem alterum adderet, Peleus in act. forens. act. 14. Chopp. lib. 1. monast. tit. 3. num. 27. quod qui in vrbe sedem cum Episcopo constitutam haberet, Diœcesi vniuersæ sufficeret, quare Regni Episcopos, noluere Reges cogi posse ad constituendum Officialem secundum quē vocant foraneum, alterius auctoritate quam curiæ. Ita Ordin. Melodunēs. art. 21. Blesens. 61. cui iustam quoque ad id imperium causam subesse oportere dixit Bleyan. in Theoria de Offic. & administ. num. 25. litera H. ad margin. Cuiusmodi duas (inquit) profert Charond. lib. 1. Ord. tit. 30. num. 1. nempe cum de matrimonio instituitur quæstio, aut timetur ne si reus traducatur alio, quam vbi lis est illi intentata. amicorum armis, de iudicum potestate abripiatur in itinere, & ita pœnas peccatis suis debitas euadat.

QVÆSTIO XV.

Quotuplex sit Officialis, & si sunt multi quid à sese inuicem differant.

DVplicem Clemens quintus esse tradit in Clem. de rescript. cap. 1. vni nomen est principalis, alteri foraneus, hoc à sese distincti mutuo.

Primò, quod speciali, (Generalem alij nominant) causarum vniuersitas sit commissa. Foraneo verò, non nisi certæ eaque numero paucæ.

Secundò, quod Generalis, sedem in Metropoli habeat, ibique disceptantes audiat, Foraneus habere possit alibi.

Tertiò, quod iste Papæ delegatus esse nequeat possit autem Generalis, decreto Clem. V. in cap. 2. Clementinæ de rescript. *Etsi*, inquit, *principalis Officialis Episcopi, aut religiosus conuentualem obtinens prioratum, (quamuis ad prioratum eundem prior non consueuerit per electionem assumi) à sede Apostolica, vel legato eiusdem, dari valeat delegatus: in officiali tamen foraneo, aut religioso monasterij, seu priore claustrali, nequaquam hoc volumus obseruari.*

Quartò, differunt Officialis foraneus & Generalis. quod ab illo appelletur ad Episcopum sicut à quolibet delegato ad delegantem, non autem à Generali, sed ad Archiepiscopum, ca. 2. de consuetud. in 6. Casus duo sunt tamen, in quibus, ab eo ad supremas curias in Gallia, fit prouocatio, primus est, cum ad eas tanquā ex abusu appellatur. Secundus cum à denegata iustitia, appellatio interponitur, cum enim interſit Regis videre, ne quid detrimenti patiatur in regno suo æquitas, lædatur, hæc vero non modicum, cum impunitate munita improbitas, liberè toto regno cum innocentium damno volitat, visum est è re omnium communi ac dignitate Regni esse, si tum supremos, eius iudices, & non Archiepiscopum, litis terminandæ causa oppressi subditi appellarent: Forgetus tract. de person. Ecclesiast. cap. 42. ab hac diuersitate ortum, vt Officialis foranei & Episcopi tribunalia dicantur distincta non eadem Glos. in Clem. de rescript. verbo foraneus Mohed. decision. 133. Piasecius prax. Episcop. parte 2. cap. 4. art. 1. num. 16.

Quintò, differunt Generalis & foraneus, quod ille sit iudex ordinarius, iste delegatus, Bleyanus in Theoria de Offic. & administration. numer. 25.

QVÆSTIO XVI.

Quid sit delegatio, quæ ad eam conditiones necessariæ, & cuius sit delegare.

DElegare à quo delegati nomen habent, Iureconsultis varia significat: interdum enim idem valet ac alium vice sua creditori reum dare, aut cui iusserit, lege delegare ff. de nouationibus, vnde & delegatus debitor l. inter §. abesse ff. mandat est is quem suus creditor sibi substituit, ad satisfaciendum creditori suo nomine, & ita qui debitorem suum delegat, tantam pecuniam dare intelligitur, quantam delegatus ei debebat, nec data solutaque per delegationem, repeti potest, lege bona fides ff. de regulis iuris, Rebuff. in legem 187. de verborum significat Quæ delegatio tamen vtsit rata, momentique alicuius & ponderis, fieri debet cum consensu debitoris, ac eo delegationem approbante lege 1. Cod. de nouat.

Secundò, per stipulationem aut litis contestationem fit: priori modo, cum interroganti creditori debitorem suum coram iudice aut alio, creditoris sui partes agente, ecquid summam quam sibi debet, non sit contentus soluere alteri, respondet ille id sibi gratum esse. Fit litis contestatione cum debitor, iussus à iudice per sententiam, contracta nomina dissoluere, eum ac creditorem rogat, vt velit accipere talem debitorem, qui in tali summa sibi est obligatus.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò. debet delegatio in Gallia, vernacula ac cõmuni lingua fieri edicto Franciſci 1. ar. 3. ordinationũ publicatarum a. 1539. his verbis: *Et pource que incertitude & ambiguité ſont ſouuent es fois aduenues ſoubs l'intelligence des mots Latins contenus és Arreſts & autres actes, nous voulons doreſenauant que tous Arreſts, enſemble toutes autres procedures, ſoient de nos Cours ſouueraines, en autres ſubalternes & inferieures, ſoient de contracts, commiſſions, teſtaments, & autres quelconques actes ſoient deſormez, prononcez enregiſtrez en langage maternel, François & non autrement.*

Neque hic tamen delegato ſubiecta eſt hæc notio, eſt enim iudex delegatus vt nomen ipſum indicat, is proprie, cui vices alienæ committun.ur aut cauſæ, ad quas citra commiſſionem, poteſtatem non habebat, cum enim de iis non cognoſcat ratione officij aut magiſtratus ſed ex ſpeciali tantum commiſſione non ordinarius earum iudex dici poteſt ſed delegatus cap. cum aliquibus de reſcriptis in 6. legare enim credere eſt ac committere quod quia facere alij nequeunt, quam quibus ad id eſt poteſtas, eamobrem proprie delegant ſibi ordinarij, aut qui extraordinarie aliquid poſſunt: cap. cum Epiſcopus de offic. ordinarij in 6. Zechius tract. de republica Eccleſiaſtica, c. 22. num. 1. modo rei ſibi concreditæ exequendæ ſint capaces, nam quæ ordinis ſunt Epiſcopalis, legare Epiſcopus Sacerdoti non poteſt, cum ei ius nullum competere poſſit confirmandi ſine ſpeciali Papæ delegatione, aliorum autem Epiſcopalium munerum, vt conficiendi chriſmatis, conſecrandarum virginum, Eccleſiarum, altarium, eadem ratio eſt vt patet, ob quam cauſam dicitur Epiſcopus non confirmatus, licet electus, non poſſe ea miniſteria obire.

Sunt vero ordinarij, hi qui in ſeipſis iuriſdictionem quaſi radicatam habent Sanchez lib. 3 de matrimonio diſp. 3. num. 1. aliis ordinarij appellantur, qui non homini, ſed legi aut canoni poteſtatem omnem ſuam debent, quales ſunt Epiſcopus, Vicarius eius Generalis, Abbas, Prælatus, Parochus, & alij de quibus tract. de cenſuris.

An autem præter ordinarios, & aliis quoque competat Vicarios ſibi iudices ſubſtituere, iam eſt videndum.

Dico ergo, cõmuniter ordinariũ ſolum poſſe ſibi in ſui muneris functione ſubrogare dignum. Habet aſſertio fidem à Bonifacij VIII. teſtimonio cap. cum Epiſcopus 7. de officio ordinarij in 6. vbi hæc ad rem præſentem idonea ſcribit, *Cum Epiſcopus in ſua Diœceſi iuriſdictionem ordinariam habere noſcatur, dubium non eſt, quin in quolibet loco ipſius Diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium poſſit pro tribunali ſedere.* Sedere enim per alium eſt, prouinciam ſuam alteri adminiſtrandam dare, eſt id ergo in ordinarij poteſtate ac arbitrio, Bonifacij teſtimonio, quem in eo ſequuntur Lælius cap. 22. de rep. Eccleſiaſtica num. 9. Sanchez de matrimonio lib. 3. diſp. 31. num. 1. Henriq. 6. de pœnit. cap. 7. inid ergo referre modo mentis oculos eſt neceſſe, eequi ſint iure communi cenſendi ordinarij.

Et quidem in his principem ſibi dignitatis locum vendicat Romanus Epiſcopus, in quo, vt fonte iuriſdictio omnis reſidet, can. in nouo diſt. 21. can. omnes diſt. 22. cap. cuncta per mundum de maioritate & obedientia.

Sunt ei poteſtate proximi Archiepiſcopi, quoad peccata ſuorum, ac eorum, qui ſubditi ſunt ſuis Suffraganeis, dum eos viſitant cap. finali de cenſibus in 6. quam proinde delegare poſſunt quandiu durat eorum viſitatio cap. paſtoralis de officio ordinarij.

Tertium locum à Papa Epiſcopi obtinent cap. cum Epiſcopus de officio ordinarij in 6.

Quartum Parochus Reginaldus lib. 1. cap. 6. num 46. Sanchez lib. diſp. 31. quos omnes in partem ſuæ ſollicitudinis, vocare poſſe alios, loquuntur cùm ratio ipſa, tùm canones, ratio quidem: Enimuero cum munera ipſa ſua, prouinciamque, aliis impediti negotiis, Epiſcopus & Parochus ſæpe obire per ſe nequeant, quis non videt è re communi Eccleſiæ, priuataque multorum eſſe, vt illis liceat, idoneos homines, cum res exigit, ſibi ſubſtituere ad procurationem ſuæ prouinciæ?

Veniamus ad decreta pontificum, occurrunt primo pro Epiſcoporum poteſtate ad delegandum cap. quoniam, cap. inter cætera de officio ordinarii, deinde canones alij duo petiti ex 6. decretalium quorum alter, ſeptimus eſt eiuſdem tit. in 6. alter ſecundus de pœnitentiis & remiſſionibus, item in 6. in quorum vltimo, Bonifac. octauus aſſerit, ab Epiſcopo facultatem alicui concedi poſſe eligendi ſibi confeſſarii, in priore: *Dubium non eſſe quin in quolibet loco Diœceſis ipſius non exempto, per ſe, vel per alium poſſit pro tribunali ſedere.*

QVÆSTIO II.

An delegatis à Papa aut Epiſcopo ſubdelegare liceat.

DElegandi modi ſunt varii Primus, ſolius poteſtatis alienæ executionem habet, ſeu miniſterium, vt cum Papa certo cuipiam homini excommunicandi poteſtatem tribuit abſoluendi, diſpenſandi, puniendi Innocentius in cap. fin. §. fina. de officio delegati.

Secundus, longe eſt amplior, vt qui ſe extendat ad vniuerſitatem cauſarum omnium, is autem cauſarum vniuerſitati præpoſitus vulgo dicitur, cui poteſtas datur iudicandi de omnibus cauſis, huius aut illius generis. aut quæ tali tempore, locoque diſceptandæ incident, Pariſiis, v. c. hyeme vel æſtate, aut inter hunc & illum.

Tertius modus eſt cum delegans ſic ab induſtria delegati inducitur ad eam prouinciam illi committendam, vt hæc, illum illexerit ad eum præ cæteris eligendum, cui partes ſuas daret.

Quartus, delegantem reſpicit, à quo & diuerſitatem recipit: alia enim eſt ratio Papæ demandantis alia Epiſcopi: iam ergo.

Dico primò, eum cui miniſterium nudum committitur tam à Romano Pontifice, quam quolibet alio præſule, ſubdelegare illud non poſſe. Abbas in cap. final. de officio delegati in §. cæterum num. 1. Menochius de arbitr. lib. 1. qu. 68. Piaſecius 2. parte praxis cap. 4. art. 1. num. 26. Ratio eſt quod poteſtas quæ delegatur alteri, delegetur ad modum, quo alicui vſum rei ſuæ Dominus concedit, ergo vt hic ea vti non poteſt aliter quam placet Domino concedenti, ita nec delegatus, poteſtate ſibi, à delegante commiſſa priuati. At hic, ſic vult eius eſſe propriam, vt illã deriuare ad alios ſine ſua facultate nequeat: ergo ſi facultas communicandi alteri à delegante data delegato non fuerit verbis, ſcripto, iure aut conſuetudine, eam ille cum

aliis communicare non poterit, ergo nec illi subdelegare.

Secundò, quæ lege ſpeciali, ſeu in priuilegium, iudicibus ordinariis conceduntur, hæc per eos transferri non poſſunt in alios l. 1. ff. de offic. ordinarij: ſed poteſtas delegandi ſpecialis conceditur ordinariis, lege more ff. de iuriſdict. omnimoda iudicum ergo hæc delegatis non conuenit, ergo ſuo loco ſubdelegare alios non poterunt.

Tertiò, conſtat religiosos Mendicantes, liberalitate Pontificis Romani, eiuſdem quam late orbis patet, in confeſſionum audiendarum munere, delegatos eſſe, eoſque ſi ſunt approbati vt Concil. exigit ſeſſ. 23. c. 15. nullam eis inſuper Epiſcopi, aut Parochorum facultatem eſſe neceſſariam, vt ipſorum ſubditorum confeſſiones audiant, Aegidius diſp. 8. de miniſtro pœnitentiæ dub. 4. num. 19. quia Papæ licentia, ad id illis ſufficit, & tamen, quis exiſtimet, eos partem ſibi conceſſæ facultatis, aut integram committere poſſe alteri? qua authoritate ſi religioſi carent, carent ideo haud dubiè quod ſimplex miniſterium alienæ poteſtatis habeant, nec cauſis omnibus, quæ ad Papam pertinent, diiudicandi præſideant, ſed quibuſdam tantum, idque per modum miniſterij ſimplicis, hæcque eſt cauſa cur eam facultatem ex parte, vel vniuerſam transmittere nequeant, quod delegare vulgo dicimus, cuius rei expreſſum habes argumentum in cap. final. de officio delegati his verbis, *Caterum (ſalua legatorum ſedis Apoſtolicæ authoritate) nulli cui commiſſum fuerit prædicare crucem, excommunicare, abſoluere, diſpenſare cum irregularibus, liceat hæc de cætero aliis demandare, quia non ſibi iuriſdictio ſed nudum miniſterium committitur in hac parte*, hæc Gregorius IX.

Dico ſecundò, *Delegatus principis ſupremi, cuiuſmodi eſt is qui ſuperiorem neminem agnoſcit, cui obſequium debeat, conceſſum eſſe, authoritatem ſuam demandare alteri*, Lælius ſupra num. 9. Paulus Piaſecius 2. parte praxis cap. 4. art. 1. num. 25. Sanch. ſupra, probandæ quæſtioni ſufficiunt verba Honorij III. in decretali cum cauſam 62. de appellationibus, vbi eſt, *Delegatus à Principe cauſam alteri valet delegare, non alius*, quia id illis annuere Pontifici placuit, quod dixiſſe ſufficit, nam in re quæ eſt alieni arbitrii, rationi nullus eſt locus ſed voluntati ſolius imperantis.

Dico tertiò, *Cui cauſarum vniuerſitas diſcutienda traditur poſſe, vnam & alteram eius negotij partem ſubdelegare, cui videbitur, non omnes.*

Pars prima defenditur à variis, quorum catalogum longo ordine texit Sanchez lib 3. de matrimon diſp. 31. ratio eſt, quod qui de cauſis quibuſlibet quæſtionem inſtituit, ſit earum quaſi ordinarius, Gloſſa in cap. cum cauſam 60. de appell.

Quaſi dixi cum enim eas non ſuo ſed alieno nomine diſcutiat, deque iis vice alterius iudicet, non abſolutè ordinarius, ſed tantum quaſi talis eſt dicendus.

Ex quo apparet veritas partis alterius in aſſertione poſitæ, nam quod ordinario non licet, id ei ſane qui ſimilitudine tantum eſt ac proportione talis, tentare non eſt integrum, cum iſtius poteſtas maior non ſit & amplior quam illius, ſed ordinarius omnia quæ ſui ſunt officii demandare nequit alteri in perpetuum, vt de Epiſcopo & Parocho dicetur proxime.

Inferendum ex dictis primò, Epiſcopum, cui iure cõpetit bbſoluere de omnibus, quæ ſibi conditor canonis ac iuris id eſt Papa reſeruata eſſe noluit, poſſe hominẽ ſuo loco ſufficere à Vicario ſuo diuerſum, qui talium criminum reos abſoluat: de Grafiis in appendice caſuum lib. 1. de reſeruatione caſuum cap. 7. num. 42. cauſa eſt quod eiuſmodi cauſarum vniuerſitas ei ſit commiſſa.

Inferendum 2. cum delegatus ad cauſarum vniuerſitatem ſubdelegare nequeat niſi in vno quopiam articulo, Pœnitentiarum cui in multis locis ratione dignitatis quam gerit in Chriſtiana republica, à reſeruatis Epiſcopo, poſſe abſoluere conuenit, non poſſe hunc (inquam) ſubdelegare niſi in vno quopiam caſu, & articulo qui tum occurrat, quæ ſubdelegatio poteſt fieri, ſiue delegantes aliis ſint occupati negotiis, de officio ordinarij cap. quod ſedẽ, ſiue quia ita illis placet, c. paſtoralis de officio delegati. Subdelegare quoq; delegatus poteſt, cũ ei cõcedit Ordinarius tam expreſſe quã tacite, vt nomine non ſuo ſed concedentis, facultatem hanc Ordinarius annuit, ſibi vt aliquẽ ſubroget: Expreſsè quidem cum mentem ſuam verbis aut aliter, delegato ſuper ea re innuit, Tacite cum ſcit aliquem occupare quæ ſunt muneris ſui, nec impedit, eſt enim hæc eius patientia, delegatio tacita, & rati habitio de præſenti, quia poteſtatis eſt conceſſio, quanta ad validitatem actus eſt neceſſaria ex multorum ſententia in regula 10. iuris in 6. in qua habetur, *Ratihabitionem retrotrahi & mandato æquiparari.*

Dixi *de præſenti*, nam approbatio actus olim facti non dat iuriſdictionem ſufficientem ad fugam peccati, in eo qui illum exercet.

Addidi *ex multorum* ſententia, nam mea opinio eſt iuriſdictionem ratihabitione non acquiri, cauſa eſt, quod poteſtas quæ alicuius eſt propria, non communicatur tertio niſi ille velit, & hic voluntatem alterius, per ſe aut alios acceptet, at neutrum habet ratihabitio, non primum, nam ſilere non eſt velle. Deinde quæ tantum ſunt virtute & implicite, hæc non ſunt actu, ratihabitio cum exercetur actio, actualem voluntatem non habet eius, cuius eſt probare opus aut improbare, ſed tantum implicitam quæ ſic explicatur, non eſt ſed *erit*, cum is factum reſciet, cuius eſt probare aut reiicere.

Nec ſecundum: enimuero acceptantur ea tantum quæ ſunt cognita, at qui actum iuriſdictionalem exercet, ſine conceſſa ſibi actu poteſtate ad illum, ſed virtute tantum, quatenus ſibi hic perſuadet ingratum non eſſe ordinario vt in eo occupetur, voluntatem concedentis non perſpicit nec in ſe cum hæc homines lateat, nec in ſignis, opere nimirum aliquo, verbo, aut ſcripto &c. cum horum nil extet, acceptari ergo non poteſt.

Confirmatur ea tantum ſub voluntatem cadunt quæ volenti ſunt cognita, eſt enim voluntas facultas cœca, quæ non fertur niſi in ea quæ ſibi ſunt ab intellectu debito modo propoſita, at ordinarius, cuius eſt poteſtatem ſuam integre, aut ex parte in alium tranſmittere, neſcit operantem eam ſibi vſurpare, & vi eius agere, tum, ergo velle non poteſt eam communicaſſe agenti ex ratihabitione.

Ex quo proinde ſequitur 1. confeſſionem pœnitenti repetendam eſſe quam non habenti iuriſdictionem explicuit, quia facta non legitimo iudici eſt irrita, vtpote non Sacramentalis. Talis eſt obita ei cuius poteſtas nulla tum erat, niſi ſpe ac opinione, nempe quia credebatur ordinarius eam concedere, aut conceſſurus eſſe, cum ſciret.

Inferendum 2. coniecturis locum hic non eſſe vt ſcripſit Sanchez lib. 3. diſp. 31. num. 7. nam nouæ authoritatis acquiſitio, fit conceſſione ordinarij

ac acceptatione acquirentis, at coniecturæ, ſigna, argumenta, non ſunt voluntas ipſa, ſed eius indicia.

Inferendum 4. quod notauit Ægidius, num. 25. acquirendæ iurisdictioni non ſufficere actum in eius oculis fieri, cuius eſt eam tribuere niſi ſignificet verbo, nutu, aut aliter, id ſibi acceptum eſſe. Quia ordinarius v. c. Epiſcopus, aut Parochus, quorum in conſpectu religioſus confeſſionem excipit, poſſunt animum inducere, id eum ex priuilegio Pontificis aggredi, aut pœnitentem, venialia tantum ei expoſuiſſe, nec proinde hic & nunc, eorum conſenſum neceſſarium eſſe.

Dico quartò, *Delegatum ad vnam cauſam ab eo qui eſt Papa inferior, ſubdelegare non poſſe, nec articulum illum cauſæ, qui iuriſdictionem continet, alteri committere.* Piaſecius, Sanchez, Grafius & alij locis ante citatis, cauſa eius rei nulla mihi ſuccurrit in præſenti, niſi legum, ac canonum authoritas, quibus, in his quæ poſitiui ſunt iuris, eſt ſtandum, itaque valet in hac cauſa quod in alia materia vſurpatum video, rationis inſtar eſſe, Papæ ac Principum voluntatem qui id vetant, hic quidem, cap. cum cauſam 62. de appellat. illi autem, lege à iudice Cod. de iudice, lege more ff. de iuriſdict. omnimoda iudicum, cum inquam & ille & iſti prohibent cauſam aut eius articulum qui iuriſdictionem continet delegari alteri, credendum eſt ſecus fieri non poſſe niſi inutiliter ac ſine fructu. Cauſa autem prohibendi hæc fuit quod tam Pontifex quam Imperator intelligerent, in caſu qui in aſſertione ponitur, perſonæ induſtriam electam eſſe, cuius cum eſt à delegante habita in delegatione poteſtatis ſuæ aliqua ratio, negat Pontifex cap 15. de reſcr. ſubdelegandi ius eſſe: ſignum autem quæſitæ induſtriæ eſt cum in literis commiſſionis hæc habentur. *Delegamus Mandamus.* Perſona quæritur, cum præceptum apponitur: *Præcipimus vt ſecundum tuam conſcientiam decidas.* Notant tamen Piaſecius & Nauarrus de officio delegati conſil. 6. non intelligi electam perſonæ induſtriam, cum in literis quibus ei poteſtas committitur ſolum dicitur, *tuam conſcientiam oneramus*, quæ eſt etiam opinio Lælij num. 9. verbo limit. vt ſupra.

Tunc ergo perſonæ induſtria eligitur. Primò. quando committitur nudum miniſterium & non iuriſdictio, ex Innoc. in cap. paſtoralis de officio delegati, vel hæc cum illo, vt ſi dicat Papa abſolues Petrum v. c. & eum è vinculis eximes compeſcendo oēs qui ſe opponent, qui actus ſubdelegari à delegato nequeunt, ſed tantum eorum pars aliqua abſque iuriſdictione, vt ſi v. c. poſt examinatos teſtes, ac auditos, delegatus aliquem mittat qui de illis intelligat, ecquid ſibi conſtent, talis enim actus non eſt iuriſdictionalis vt dicitur cap. ſuper quæſtionum de officio delegati his verbis. *Si tamen delegatus à nobis vel iudex quicunque non tam cognitorem quam exequutorem, ad aliquem certum articulum quempiam deputauerit*, quod enim hic actus ad iuriſdictionem non pertineat, indicant hæ voces, *iudex quicunque*, nam ex hypotheſi quod vni cuipiam cauſa ſit cum poteſtate commiſſa, de ea cognoſcere non poteſt alius, cum eius delegatio certæ perſonæ facta, eius ſit extractio à iuriſdictione cuiuſcunque alterius. Ita Piaſecius parte 2. praxis cap. 4. art. 1. numer. 24. lubet hic eius verba ponere: *Epiſcopus cauſam Vicario ſuo delegatam, licet ille ab officio remotus fuerit iudicare non poteſt, hoc enim caſu ſeparatum cenſetur auditorium Vicarij & Epiſcopi, & etiamſi eſſet commiſſa alternatiuè Epiſcopo ſeu Vicario: nam poſtquam vni eorum fuerit præſentata alter ſe de ea intromittere non poteſt*, cap. cum plures de officio delegati in 6.

Secundò, eligitur ſpecialiter perſonæ induſtria, cum in verbis reſcripti dicitur: *Confidimus de tua induſtria perſonaliter*, quorum verborum eſt hic ſenſus, per te & non alium, negotium exequere: Couar. 3. variarum c. 20. & tunc delegari alteri non poteſt, niſi forte partes in electionem eius conſentirent, nam tunc à delegato in illum tranſire poſſet, dummodo ſit eiuſmodi qui dignitatem gerat in Dei Eccleſia, qualem ſuſtinent Canonici cathedralis Eccleſiæ, qui ob eam cauſam appellantur coadiutores Epiſcopi eius conſiliarij, Eccleſiaſtici Senatus membra, Felinus in cap. paſtoralis de officio delegati.

Tertiò, eligitur perſonæ induſtria, quando negotium commiſſum delegato à delegante, difficile eſt & arduum, quod non eſt facile cuique exequi, Ancharanus in cap. fin. de offic. delegati num. 1. Caccialupus in leg. more ff. de iuriſdict. omnimoda iudicum, maxime ſi ſignificet Papa, ex grauitate rei commiſſæ, delegatum ſpecialiter ad eam eligi, Menochius conſil. 69. num. 55. vol. primo.

Quartò, eligitur perſona, cum ei Roma mandatur, vt quæſtionem de perſonis Eccleſiæ inſtituat, aut de Prælatis, vel miniſtris prouideat, Zechius verbo limitatur num. 9.

Quintò, ſi nudum ei miniſterium committitur exercendum in certam ac determinatam perſonam vt ſi iubetur abſoluere N. v. c. aut eum reconciliare Eccleſiæ.

Sextò, quando commiſſio facta eſt nomine proprio ac dignitatis expreſſo, per cap. quoniam Abbas de officio delegati Sanchez lib. 3. diſp. 7. num. 20. maxime ſi perſona quæ gerendo negotio præficitur erat cognita, nec generali tantum dignitatis, ſed etiam proprio gentis nomine deſignetur Petri v. c. &c. Cauſa eſt quod prouincia demandata cum circumſtantiis nominis & honoris, ordinarie ad ſucceſſorem in dignitate non tranſeat, ex Sanch. citato loco, ſignum ergo eſt quod tum perſonæ induſtria ſit electa.

Dixi ſi perſona erat cognita, nam ſi delegatur negotium incognitæ aut indefinitæ, puta Prælato alicui præſenti aut futuro, non habetur vlla ratio induſtriæ perſonæ, Sylu. verbo delegatus quæſt. 8. diſt. 1. quod eſt omnino clarum reſpectu denuntiationum matrimonialium in quibus dicuntur aliqui poſſe diſpenſare in ſeſſ. 24. Trid. cap. 1. de ref. nam cum hæc facultas diſpenſandi nulli peculiari ac determinato tribuatur, ſed indefinitè omnibus tam præſentibus quam futuris, non videtur vlla ratio propriè eſſe habita eorū induſtriæ, & proinde (quæ praxis eſt Eccleſiarum omniū) vt olim, ita & modo, qui à Concilio ex iuſta cauſa eaque cognita, facultatem habet diſpenſandi in denuntiationibus alteri idoneo hanc tranſmittere poterit.

QVÆSTIO XVIII.

An Vicarius Episcopi & Parochus potestatem suam alteri delegare possint & an ab his delegati subdelegare valeant.

DIco primò, *Neutri licitum esse vices suas integras alteri committere*, de Vicario testis est Ancharanus in cap. 1. de officio Vicarij in sexto Card. in Clementinam I. de officio Vicarij Card. Parisius cons. 80. num. 4. & 15. Abbas in cap. Clericos de officio Vicarij Piasecius 2. parte praxis cap. 4. art. 1. num. 26. causa est quod cum potestas Vicarij tota sit ab Episcopo, non videatur probabile tantum illi ab isto permissum esse, vt in eius arbitrio esse velit, posse sibi substituere qui vices suas obeat, se prius non rogato, ac consulto, cū enim Vicarius successore careat, ratio nulla suadet credere, ei potestatem à præsule concreditam alia lege, quam vt ipse ea per se vtatur, & non alium, saltem quoad totum.

Secundò, infinitas in delegationibus est vitanda cap. cum ex multis de rescript. in 6. non euitatur si Vicarius subdelegare potest, quia subdelegatus à Vicario posset causari sibi idem licere quod illi, & ita sibi subrogare alium, & sic in infinitum. Quæ argumentatio maiorem fidem habet in Parocho, nam hic per se oues suas instituere debet ac pascere, quare vltra bimestre beneficio suo abesse non potest decreto Tridentin. sessione 23. cap. 1. officium ergo suum demandare alteri ad diuturnum tempus, nedum ad vitam nec debet, nec valet.

Dico secundò, *Vicario fas esse vices suas alicui committere ad certam causam*: ita cum Piasecio loco proxime citato Abbas in cap. Clericos de officio Vicarii, causa est, quod delegatus ab Episcopo, subdelegare queat, ergo cum causam integram nequeat, poterit eius partem aliquam cum Vicarius præsens esse locis omnibus Parœciæ non possit, vt tamen sæpe salus & incolumitas fidelium exigeret, ne se hi vnquam destitutos necessariis subsidiis fuisse queri valeant, decuit hanc facultatem tacite à iure, aut expresse concessam esse Vicario, partem vt authoritatis suæ communicare posset cum aliquo ad animarum commodum, quod & communis mos prouinciarum omnium approbat, quæ matrimonia pro veris habent ac ratis, quæ in aliena Parœcia fiunt quidem, sed approbante Vicario generali, eiusque loci Parochū sibi in hac causa subrogāte, sine quo essent illa haud dubiè mala ac clancularia. Quæ porro Vicarii Episcopi, eadem est quoque Parochi ratio. Enim vero est hic Ordinarius ex dictis supra, at potestatem suam communicare cum altero nunquam non est Ordinario licitum, lege more ff. de iurisd. omnimoda iudic. & in c. cum Episcopus de officio ordin. in 6. habetur quod his præsidere causis, easque tam per se quam alium in quolibet Diœcesis loco diiudicare valeat, si valet ergo vices suas, aut earum partem potest vt Ordinarius idoneo homini committere.

Quæstionis pars altera fuit, *An delegati à Vicario Episcopi aut Parocho subdelegare queant.*

AD cuius intelligentiam via præmunienda est hac notitia nempe quod substituendi sibi certi hominis, multiplex sit ratio.

A Primò, designatione officii, id est ministeri nudi ac simplicis in quo eum versari oportet vice, delegantis, puta si ei committitur absolutio à censuræ vinculo, si inductio in possessionem, cap. finali de officio delegati.

Secundò, attributione iuris proprii, vt cum Episcopus transmittit in Vicarium quæcunque iure potest in dicendo iure tam in tribunali conscientiæ quam extra, aut cum Parochus ex causa absens à Parochia, subrogat sibi Vicarium.

Tertiò, commissione causæ vnius certæ, non plurium, vt cum Parochus vicino Presbytero amico suo, vel Episcopus collitigantium precibus persuasus, mandat alicui eorum amico, vt de re B quæ inter eos est ambigua, quæstionem exerceat, testes audiat, an iuste matrimonij societatem coire inter se valeant inquirat, ac si possunt, tum demum eos coniungat.

Dico tertiò, *Parochi Vicarium, alteri omnem potestatem sibi datam regendæ Parœciæ in absentia veri sui ac proprij pastoris, subdelegare non posse.* Probatur delegato ad vniuersa negotia, eorū tantū partem vnam, aut alteram alteri committere iura sinunt. Deinde Vicarij non maior est vis ac potestas, quā Curati cuius est Vicarius, at hic illum Parœciæ suæ à qua abesse vult ad longum tempus præficere non potest sine consensu Episcopi, vt dicitur lege penultima ff. de officio præsidis, ergo nec vice-Curatus.

Dico quartò, *Esse tamen ei integrum causas aliquas de multis, quæ suis sunta, alteri cognoscendas,* C *permittere*: Est Angeli excommunicatio 5. casu 12. Sylu. excommunicatio 7. casu 14. Adrian. qu. 5. de confessione dub. 2. & aliorum apud Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 38. num. 13. Ratio est, quod qui vniuersitati causarum præfidet, aliena delegatione, ac gratia, hic certum earum numerum subdelegare alteri valeat, sed est vice-Curatus causis omnibus Parœciæ præpositus, baptizare enim ac Sacramenta alia conferre potest, ergo si volet, alterum quoque ad baptizandum, aut confessiones audiendas, aduocare sibi quasi subsidiarium, ac coadiuuam poterit.

Dico quintò, *Cui commissa tantum est res vnica,* D *puta testium auditio, eorum examen ac discussio, in ea subrogare sibi alium non posse.* Quia delegatus ad vnam causam, prohibetur articulum iurisdictionis eius communicare cum vllo cap. super quæstionum de officio delegati. Ob causam oppositam, licitum est dictæ causæ actum aliquem, non iurisdictionalem demandare cui videbitur, modo idoneo ac capaci Abbas in cap. cum Bertoldus de re iudicata Ioann. Andreas in cap. super de offic. delegati in 6. quare, si ad ea quorū in notabili certio facta est mentio ab Episcopo, eius Vicario, aut Parochi est delegatus, subdelegare sibi poterit, qui suo loco se præsentem matrimonio sistat, quia ei E se, oculosque commodare, res est eiusmodi, ad quam, nulla videatur esse necessaria authoritas.

Ob contrariam causam, quia cum certo homini committitur: *Excommunicare*, verba sunt cap. 43. de officio delegati, *prædicare crucem, absoluere aliquos dispensare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, non iurisdictio sed certum ministerium committitur, nulli ea opera exequi per alium est concessum.*

Digitized by Google

QVÆSTIO XIX.

An qui ab Epiſcopo aut eius Vicario delegatam poteſtatem ad abſoluendum à caſu aliquo reſeruato habet ea vti poſsit in ſuum commodum, & qualis delegatus eſſe debeat.

SEnſus eſt an delegatus, ſibi poteſtatem pro foro conſcientiæ traditam, per delegationem tranſmittere poſſit in ſuum confeſſarium, ſi interim dum ea non vtitur in bonum eius pro quo petiit ipſe in eum caſum incidat, cuius abſoluendi poteſtatem delegatam obtinuit.

Reſponſio expedita & facilis, non poſſe.

Primò, quia cauſam ſibi commiſſam quoad partes eius omnes nemo alteri committere poteſt validè.

Secundò, quia ius abſoluendi alterius & non ſua cauſa recepit.

Tertiò, quia ex cap. final. de officio delegati nudum miniſterium id eſt, actio ad quam non tam authoritas quam efficiendi alacritas exigitur, per delegationem attribui nequit alteri, at facultas abſoluendi hunc aut illum, orta non ex officio ſed alterius commiſſione aut beneficio, & quæ proinde illi non conuenit niſi ex priuilegio, merum eſt miniſterium & non iuriſdictio, ergo eiuſmodi quam traducere in ſuum commodum nequeat.

Quartò, poteſtas abſoluendi datur pro aliis vt enim ſe nemo abſoluit ita nec vlli poteſtas datur ſibi culpam remittendi reſeruatam, ſed alteri: ergo obtentam pro tertio quopiam, conuertere non poteſt in ſuum commodum, & eam alteri dare.

Hinc patet Vicarium cum quo Epiſcopus poteſtatem omnem ſuam abſoluendi à cenſuris communicauit, facultate quoque ſubdelegandi ei conceſſa, non poſſe adhibere Sacerdotem, ad eximendum ſe cenſura, in quam incurrit, ſi ad id vim non habeat aliam, quam quæ ei à Vicario traditur. Ratio eſt quod verba generalia reſtringenda ſint ad id quod eſt de iure, aut ſi de eo ius non loquitur, hæc non ſunt intelligenda niſi de ſolitis concedi, at poteſtas abſoluendi intelligitur de facultate data in perſonam aliorum & non petentis Sacerdotis cui delegatur, ergo &c.

Excipiendus eſt caſus, in quo Epiſcopus, aut Abbas, procul eſſent, nec proinde facilis ad eos acceſſus foret, nam tunc Vicarius & Prior ex probabili ſententia, cum eadem poteſtate polleant qua Epiſcopus & Abbas, vt hi à cenſuris per eum cui ſe ſubiiciunt in foro conſcientiæ, ſolui poſſunt, ita & iſti, Graſſius in appendice lib. 1. cap. 7.

Pars quæſtionis fuit altera, *Quis & qualis eſſe delegatus debeat*, pro cuius intelligentia,

NOtandum primò, vt Papæ, ita alterius Principis authoritatem poſſe committi dignis, ac proinde de vtriſque quæſtionem eſſe, qualibus animi ac virtutũ inſignibus, tam illius delegatum, quã huius, inſtructum eſſe ſit neceſſe.

Notandum ſecundò, delegationem eſſe duplicem realem vnam, perſonalem aliam, perſonalis ſit perſonæ, realis dignitati, inter quas hoc eſt diſcrimen, quod delegatio perſonæ facta, expiret finita eius dignitate, non expiret autem realis, & ad ſucceſſorem in dignitatẽ trãſeat, cauſa eſt quod in priori caſu habeatur tantum perſonæ ratio, ergo quandiu ſuperſtes erit, perſtabit & eius commiſſio, vi cuius proinde cognoſcere de re ſibi credita poterit, eo ſublato, tollitur delegatio: quod etiam vſu venit in delegatione reali, ſeu quæ dignitatis intuitu eſt facta, quia ceſſante cauſa motiua poteſtatis concedendæ, ceſſat & ipſa, at cauſa authoritatis habendæ per delegationem, in hoc poſtremo caſu, nempe cum eſt commiſſio realis, eſt dignitas, ergo ea non ſubſtante in delegato, nec eius quoque ſubſiſtit amplius delegatio, ſed ad ſucceſſorem in ea, vna cum onere ac munere delegati migrat. Piaſecius ſupra Sylu. verbo delegatus Sanchez lib. 8. de matri. diſp. 27. num. 22.

Notandum tertiò, non alium iudicis munere fungi pro Epiſcopo poſſe, antiquis Eccleſiæ canonibus quam Preſbyterum. *Proinde* inquiunt patres Concil. Hiſpal. 2. can. 9. *tractantes eligimus vt vnuſquiſque noſtrum ſecundum Chalcedonenſium Patrum decreta, ex proprio Clero œconomum ſibi conſtituat, indecorum enim eſt, laicum vicarium eſſe Epiſcopi & ſeculares in Eccleſia iudicare, in vno enim eodemque officio, non debet diſpar eſſe profeſſio.* Quæ præcipiendi ratio, cauſas ſpirituales tantum reſpicit, non ciuicas, cum controuerſijs de capite, fortuniſque diſceptandis, non alium hoc tempore præficiant Epiſcopi, temporalem iuriſdictionem in ſuos nacti quã laicum, in quo contrahendæ irregularitatis nullum eſt periculum, quo tamen clericus vacare nequit niſi à ſanguine manus innocentes habeat ac vacuas, quibus prænotatis, Reſpondendum eſt ad quæſt. ſequentibus aſſertionibus.

Prima non alter delegari poteſt à Pontifice aut eius Legato, quam in dignitate conſtitutus Sylu. verbo delegatus num. 3. Sanc. l. S. diſp. 27. num. 22. Piaſec. num. 25. & habetur expreſſe cap. ſtatutum 11. de reſcriptis in 6. his verbis *ſancimus vt nullis niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium canonicis cauſæ authoritate literarum ſedis Apoſtolicæ vel legatorum eiuſdem de cætero committantur, nec audiantur alibi quã in ciuitatibus vel locis inſignibus vbi poſsit commode copia peritorum haberi*, debet autem hæc dignitas ineſſe delegato tempore ſibi factæ commiſſionis, nam vt dicitur cap. ſi eo tempore 9. de reſcriptis in 6. cum quid alicui datur à pontifice, debet (verba ſunt canonis) *tempore datæ literarum, ad illud eſſe idoneus*, nec id modo, ſed ea quoque capacitas perſeuerare debet, quandiu perſeuerat commiſſio, maxime ſi eſt realis, quia quo primum tempore ceſſat, tranſit ad eum ad quem & ipſa dignitas

Realem dixi nam etſi ad delegationem perſonalem oporteat vt cum hæc voluntate delegantis eſſe incipit, perſona quoque delegata digna ſit cui ea delegatio tribuatur: tamen nihil eſt neceſſe ad eius commiſſionis perſeuerantiam, perſeuerare quoque in ea perſona dignitatem, Gloſſa in Clem. 2. verbo principalis de reſcriptis Tabiena verbo deleg. q. 12. num. 13. & alij.

Secunda Aſſertio in dignitatibus, quoad hunc effectum delegationis recipiendæ à Papa, aut eius Legato numerandi ſunt primo Archidiaconi. Rota dec. 445. nu. 5. nam in nouellis dicuntur Coadiutores Epiſcopi, eius conſiliarij, membra ſenatus Eccleſiaſtici. Felinus in cap. paſtoralis nu. 12. de officio delegati Palæotus parte 7. fo. 513. apud Piaſecium 2. parte cap. 4. art. 1. num. 25.

Secundò accenſendi dignitatibus quoad capacitatem delegationis recipiendæ, ſuperiores tam immediati, quam immediati mendicantium, vt Prouin-

ciales, Guardiani, Priores Sylu. verbo delegatus num. 3. Zechius num. 3. c. 22. de Rep. Eccleſiaſtica Portel. de dubiis regularibus verbo Guardianus quia ex Gloſſa in cap. nullus de electione in 6. Abbate in cap. cauſam de iudiciis, ſunt hi in dignitate conſtituti ac Prælati, cum iuriſdictionem in vtroque foro habeãt, nam excommunicare poſſunt ſuos ſubditos, eoſque cũ errant corrigere &c. contritos abſoluere, &c. quæ duo prælaturam faciunt quæ eſt Moſcouij teſtimonio, dignitas ſeu præeminentia in gradu, & rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratio, cum iuriſdictione in foro vtroque.

Tertiò aggregandi ſunt dignitatibus quoad hoc munus exercendi alieni miniſterij, per commiſſionem, Priores Clauſtrales, modo ne ſuperiorem in monaſterio habeant, vt habent omnes qui ſunt ſub Abbate, Abbas in cap. cum olim de officio delegati Graſſius in appendice lib. 1. cap. 7. ratio eſt, quod Priorum Clauſtralium eadem auctoritas ſit in vtroque foro quæ Abbatis eum viuit hic procul à ſuo cœnobio diſſitus, nam vt hic caſtigare cenſuris, & ab ijs ligatos eximere poteſt, ita & ille: ergo prælatus eſt aut quaſi prælatus, ergo & dignitas. Idem de Guardiani Vicario aſſerendum cum ille abeſt à cœnobio erit, Portelius in dubiis verbo Guardianus.

Tertia Aſſertio delegatus Papæ non poteſt eſſe minor 18. annis niſi partium conſenſus interueniat ita Zechius ſupra n. 3. & Abbas in cap. cum viceſimum de officio delegati cauſa non eſt alia quam Papæ voluntas, nam ad cauſarum notitiam non alia ætas eſt neceſſaria, quam quæ prudentiæ in agẽdo, dicendoque eſt capax, at hæc cadere in minores natu poteſt, quam qui deſignantur per ætatem 18. annorum.

QVÆSTIO XX.

Quomodo expiret poteſtas delegati.

DE hac re agunt Flam. li. 1. de reſig. q. 11. Sylu. verbo deleg. Zechius c. 22. nu. 15. Piaſecius praxis Epiſcopalis parte 2. cap. 4. art. v. num 27. quorum hic communis eſt ſenſus, eam expirare.

Primò, cum officio delegato commiſſo Hoſtienſis in ſumma de officio delegati num. 11.

Secundò, cum cauſa poſt litem conteſtatã ſubmouetur, eique alius ſubrogatur Abbas in cap. inſinuante de officio delegati.

Tertiò, ſi commiſſio eius fuit perſonalis extinguitur eiuſdem morte Flam. de reſignat. l. 1. q. 11. num. 16. Duclos ibidem. Quando autem & quo tempore delegatio ſit perſonalis intelligi poteſt. 1. ex ſubiecta materia 2. ex verbis quibus diſpoſitio eſt concepta 3. ex nomine perſonæ delegatæ quod eſt in reſcripto poſitum: Indicant autem verba reſcripti, commiſſionem perſonalem eſſe, quando eius concedendæ cauſa, non tam eſt dignitas, quam excellens aliqua qualitas doctrinæ, aut virtutis, qua delegatus præſtare reliquis dicitur, exempli cauſa ſi in eo Pontifex, Epiſcopo quem ad Regem deſtinat negotiorum cauſa, ad quæ terminanda poteſtatem ei tribuit, memoret in ea prouincia illi danda habitam à ſe rationem eſſe gentis, aut ſtirpis, qua in laude, pares illum habere ait paucos in ea prouincia, ſuperiorem neminem, talis cõmiſſio perſonalis eſt, non realis, cum qui ei in ea dignitate ſuccedet, non ſit illi gente forte futurus ſimilis.

Ex materia vero delegationi ipſi ſubiecta libebit idem colligere ſi hæc in dignitatem non cadat ſed hominem, puta ſi hunc Roma ſe mittere Papa dicat, cum poteſtate delegata ad abſoluendum Epiſcopum. hunc aut illum à cenſuris. Quod ſi ex neutro capite de natura delegationis coniecturę vllæ duci poterunt, recurrendum erit ad nomen delegati ex eoque literis pontificijs addito, colligendum perſonalem illam eſſe Sanch. l. 8. diſp. 27. nu. 19. & 6.

Quartò finem habet delegati poteſtas, cum moritur quod quomodo ſit intelligendum explicabitur quæſtione ſequenti.

Quintò, ex quorundam ſententia ſi deſinit eſſe canonicus, aut in dignitate, niſi cauſa ab eo cœpta fuerit diſcuti, nam tunc durat eius poteſtas vt ante & quamuis fiat Monachus de licentia ſui prælati, licet ei momenta cauſæ ſibi commiſſæ expendere, Zechius num. 15. vbi Abbatem & alios pro eadem opinione citat, quam nos tamen vt improbabilem, ſequendam ante non duximus.

Tertiò ſi pluribus iudicium rei fuit commiſſum, nempe quia præpoſiti fuere negotio authoritate Principis: eorum enim altero diem ſuum obeunte, ceſſat aliorum omnium authoritas. L. Duclos cõm. in Flam. q. 11. l. 1. num. 16. quod Pauli V. bullatum diploma indicat datum anno 1609. in cauſa Guillelmi Rocquedan religioſi ſancti Michaelis de Peſſano diœceſis Auxitanæ & relatum ab eodem authore q 11. lib. 1.

Septimò quando delegatus in delicti pœnam dignitate ſua excidit lege Caſſius ff. de ſenatoribus vbi excluſus à ſenatu ob obſcœna vitæ male trãſactę dedecora, iudicandi poteſtate priuatur, ſecus ſi ob aliam cauſam Bald. lege generaliter n. 7. de Epiſcopis & clericis.

Octauò, cum re adhuc integra delegans diem ſuum clauſit, cap. relatum, cap. licet vndique de officio iudicis delegati, ſi tamen delegatus ſubdelegauit quoties abeſſet, vel donec reuocaret, & delegans mortuus ſit re integra ſubdelegatus nihilominus procedit, Bonif. VIII. in cap. 7. de officio iudic. deleg. in 6. Item ſi perpetuata iuriſdictio fuerit ſubdelegati hæc non expirat morte delegantis, cap. ſi delegatus de offic. deleg. in 6. perpetuatur autem ſola citatione, in qua inſerendus eſt tenor delegationis ſecundum Piaſec. ſupra n. 27. alioqui nulla eſſet Abbas in cap. relatum num. 1. Pet. Duar. de regulis iuris reg. 93.

Tunc autem res cenſetur eſſe integra, cum nec dum eſt inchoatum negotium quod à delegante commiſſum eſt delegato, ſicut è contra talis eſſe deſinit, cum iudex cœpit vti iuriſdictione ſua per actum iudicialem non qualemcunque, vt tenent Sylu. verbo delegatus q. 6. num. 8. Tabiena verbo delegare q. 12. num. 13. Hoſtien. in ſumma tit. de officio deleg. §. quibus modis finitur num. 10. ſed per citationem amborum collitigantiũ, aut alterutriuſcantũ, habetur cap. gratum de offic. deleg. in hæc verba. *Cum citatione facta negotium ſit quaſi captum.* Nam actus perpetuatio, ſupponit in eo in quo perpetuatur, factam eius inchoationem, quia quod non eſt, continuari non poteſt, ergo cum initiũ fiat iudicio à citatione iuridica, debet hæc præceſſiſſe vt non dicatur res integra, cum enim per id per quod res deſinit eſſe integra, perpetuetur iuriſdictio delegatio, portet eam aliquando inchoatam eſſe circa partes: at inchoatur à citatione, ita gloſſa in cap. ſuper quæſtionum articulis §. ſi vero de officio delegati & alij apud Sanch. 8. de matrimonio diſp. 28. num. 10. vbi poſtea addit nu. 11.

ſufficere perpetuandæ iuriſdictioni ſi aliquid citationi æquiualens à delegato fiat, vt ſi vtrique parti aut alteri, id eſt aduerſæ denuntiet, ſeſſorum ſe propediem arbitrium cauſæ eius quæ ei intercedit cũ alio, par enim eſt huius denuntiationis vis, quæ citationis per lictorem. Et cum citationem dico non intelligenda eſt actualis, quæque in autem partis animũq; deſcẽderit oratione lictoris, ſed eius iuſſio, ſed decretum, Sylu. verbo delegatio q. 6. verbo adde ſecundo, Tabiena verbo delegare q. 12. quia perpetuatur iuriſdictio delegata reſpectu partium per actum iudicis proprium, at imperium viatori datum, de aduocanda parte, actus eſt iudicialis, non eius intimatio citatæ parti facta, ergo.

Inferendum ex dictis primò, ad perpetuandam delegati poteſtatem nõ eſſe neceſſe vt agitata fuerit lis in foro, cuius occaſione impetrata à partibus fuit certi hominis deſignatio, per quem princeps ius illis diceret, cum ex dictis res deſinat eſſe integra per citationem, at per id præciſe quo res eſſe integra deſinit, perpetuatur delegatio, ergo.

Inferendum 2. cum res citatione integra eſſe ceſſet, hoc maxime nomine quod ſit iudicialis actio, multo magis id facere, actus alios iuridicos, vt ſunt teſtiũ exceptio, cauſæ cognitio, habita de crimine quæſtio, rei ſibi contradicentis per excomunicationem aut cenſuram aliam caſtigatio, libelli ſupplicis ſibi oblati diſcuſſio, diei ad dicẽdam cauſam notatio &c. quæ omnia fuſe proſequitur Sylu. verbo deleg. q. 6.

QVÆSTIO XXI.

An ſit verum delegationis eundem eſſe finem qui eſt delegati.

DIco primo, *id in delegatione perſonali dici veriſſime.*

Primò, quia ſubiecti interitus omnium eſt quę illi accidunt occaſus, quo enim funere magiſtratus, eodem quoque inſignia eius omnia notaſque honoris efferri eſt neceſſe.

Secundò, quia perſonæ deſignatio, tacita quædam eſt aliarum omnium ab illa, excluſio.

Dico ſecundò, *cum in committendo munere, dignitatis eſt habita ratio, ius eius tranſigendi non emori cum eo qui dignitatem illam tum obibat, ſed ad ſucceſſorem meare.*

Primò, quia commiſſio realis tranſit ad poſteros, at quæ dignitati tribuitur, eſt talis.

Secundò, quia cum hæc dignitas ſit ſtata nec labilis, vt pote quæ perpetuo ſit in Eccleſia, ex Dominico in cap. ſtatutum de reſcriptis in 6. ad cuius ſplendorem pertinet, eſſe in ea qui ſe longa propagine, ac non interrupta ſerie, ſuccedendo excipiant, nec id Pontificem lateat, dignitatis per eum ad negotij alicuius procurationem aſſignatio, eſt authoritatis eius, tacita eiuſdem Pontificis voluntate, ac conſilio, cum ſucceſſore defuncti communicatio.

Quænam autem beneficia quoad rem præſentem. Dignitates dici debeant, iam eſt videndum: & de quatuor hominum generibus præter eos, de quibus antea proponi poteſt quæſtio, Canonicis ſcilicet, Epiſcoporum vicarijs Abbatibus, eorum aut Epiſcoporum Coadiutoribus, quibus an dignitatis appellatio vna cum re conueniat, indicatum eo.

Dico ergo tertiò, *eiſ cathedralium Eccleſiarum Canonicis perſonatus competat* non tamen dignitas ita Fabricius in Theoria tract. de benefic. cum dignitate perſonatu vel officio num. 18. ſic mihi ſentiendi cauſæ duæ, prima quòd dignitas magiſtratum indicet, qui iuriſdictionem in alios exerceat, in alterutro ſaltem foro, cõſcientiæ ſcilicet, aut externo, quali carere canonicos, vt non dicam, ſatis per ſe intelligere quiſque poteſt, nam quod eius rationem à perpetuitate repetat Sanchez l. 8. diſp. 27. num. 17. mihi non probatur, nam Archidiaconi, Abbates, Priores conuentuales dignitates ſunt, vt pote Prælati quos tamen perpetuarii in Eccleſia nihil eſt neceſſe, cum eſſe ſine ijs poſſit, vt extitit in primis ſuis incunabulis, nõ eſt ergo dignitas vt vult Sanchez, beneficium quod Eccleſia perpetuo exigit.

Poſſunt eſſe nihilominus canonici cathedralis Eccleſiæ delegati Papæ non alterius. Rota deciſione 445. numer. 5. in nouis Bleyanus de benefic. cathedral collegiatæ & ſimplicium Eccleſiarum nu. 10. quia quoad capacitatem delegationis. Dignitati canonicatus æquialet.

Dico quartò, *Abbates eorumque Coadiutores dignitates eſſe.*

Primò quia animabus præſident cum imperio, quod facere in vtroque foro poſſunt, vt pedum paſtorale ac mitra, inſigne capitis indicant.

Secundò, quia ſunt prælati cum plena prælaturæ poteſtate ac de adminiſtratione libera, talis Prælaturæ vt de Abbatum Coadiutoribus ſcripſit Gloſſa in can. ſcripſit verbo omnẽ 6. q. 1. & alia in cap. rectoribus extra de clericis ægrotantibus.

Quid ſquod ſunt Abbates cœnobiorum ſuorum capita? quod iuriſdictione fruantur ordinaria? quod ius dicere, citare, abſoluere, loco mouere ac excommunicare poſſint, quæ certa ſunt dignitatum indicia, notæque poteſtatis pluſquam communis.

Dico quintò, *Vicariatum dignitatem non eſſe.* Ita Sanchez lib. 8. diſp. 27. num. 8.

Primò, quia non eſt perpetuus.

Secundò, quia ſucceſſorem non habet, cum Epiſcopo liberum ſit creare ſibi Vicarium, mortuo priore, vel nõ creare illum ipſum, quo iſto, tempore vtitur Vicariatu.

Tertiò, dignitati debetur poteſtas, quæ illi proprio nomine competat non alieno, at hoc Vicario non conuenit, cum authoritate tantum Epiſcopi ſit potens, boniſque non ſuis diues.

Quartò, eſt dignitas præeminentia in gradu, & rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratio, cum iuriſdictione in foro contentioſo Maſcon. de mateſtate Eccl. milit. l. 1. c. 12. ſed Vicarius forum non habet, reos non coercet, cenſuras non infert ſuo nomine non eſt ergo in Eccleſiæ dignitatibus collocandus.

Patet hinc primò, poteſtatem quæ delegatur canonico eo moriente intermori cum enim non ſit dignitas ſucceſſore caret, eſt ergo delegatio illi facta perſonalis, non realis.

Patet ſecundò, commiſſionem quæ ex vrbe transmittitur Officiali, iure communi perſonalem eſſe, realem autem ex conſuetudine, ac tacita Papæ voluntate: pars prima argumentis his ſuadetur.

Primum, quod realis dignitatem poſtulet qua laude gloriari Officiali illicitum.

Secundum, quod realis delegatio ad ſucceſſorem tranſeat, in hoc enim à perſonali diſtinguitur, quod hæc finiatur vna cum perſona, non illa, Sanchez lib. 8. diſp. 27. num. 6. At Vicatio, nullus eſt, iure qui ſuccedat, alioqui eo mortuo eius Vi-

catiatus iure ac facto diceretur esse vacuus ac proinde necessario tribuendus alteri, nec ab Episcopo pendens, quæ omnia sunt ridicula.

Secundæ partis, est hoc argumentum, quod sciente & probante Pontifice, ea discutiat, agatque Vicarius, mortuo aut destituto suffectus, ad quæ hic ex vrbe delegatus fuerat, quod Abbas in cap. quoniam de officio delegati prudentissime factum tradit enimuero cum acta Romana vt dispensationes in impedimentis matrimonij, relaxationes votorum ad Officialem Episcopi dentur, si esset eiusmodi delegatio data personæ non dignitatilicet improprie, infinitæ essent impensæ: cum enim personalis commissio cum persona cesset, vt sunt Vicarij foranei, periculis mortique vt nos obnoxij, illis sublatis, iterato mittendus esset Romam orator ad Pontificem, qui, nouas ad alium literas impetraret ab eo, nec sine impensis.

QVÆSTIO XXII.

Quæ sint dignitates quibus conueniat habere successores, & à quibus cauere delegatum oporteat.

PRoponitur hæc quæstio vt intelligamus quæ & quando commissiones sunt reales, cui satisfaciendum aliquot assertionibus.

Prima Assertio, *Dignitas quæ in Ecclesia Dei est perpetua, successorem habet, quia perpetuari nequit in vno aliquo capite, ergo si perpetua est habet qui ei succedat.*

Inferes hinc primò, commissiones quæ perpetuis dignitatibus sunt factæ, transire ad successores.

Secundò, quæ Legato à latere transigenda committuntur sub nomine dignitatis, non transire ad successorem, quia legatus nomen est officij non perpetui, cum ad nutum Papæ sit reuocabilis, nec habeat Ecclesia, qui perpetuo fungatur eo magistratu vt apparet.

Quod de canonicatib. dicitur eos scilicet in quibus locis, certus est eorum numerus, esse dignitates quibus successores debeantur. Primò, quia morte vacare dicuntur, cuius loquutionis hæc vna causa est inter reliquas, quod substitui mortuis, noui recentesque soleant, ab his quorum est hoc munus proprium.

Secundò, quia canonicis, suus est proprius, ac peculiaris in Ecclesia gradus, honosque, & ita expresse sentit Piasecius 2. parte praxis cap. 4. num. 25.

Quod (inquam) de Canonicatibus dicitur dignitates esse quia in iis succeditur, res est valde incerta, mihique plane improbabilis alioqui Parochi, & beneficiati omnes qui suos habent successores, dignitates essent, quod nemo dixerit.

Secunda Assertio, *In dignitatibus quæ successores habent, numerandus est Episcopi Officialis.*

Primò, quia cum Episcopus obire per se nequeat commodè, quæ sunt sui officij, perpetuam habet, veramque potestatem, sufficiendi sibi idoneum, qui se in obeundo suo munere adiuuet qua sẽper vtatur Episcopus, saltẽ ex cõsuetudine Officialatus dici merito potest perpetua dignitas in Ecclesia, sed quæ est talis successorem quoque habet.

Secundò, commissiones dispensationum in foro externo concessarum, diriguntur à Pontifice Officiali, quemadmodum & votorum irritationes ex causa, est ergo Officialatus dignitas, & delegatio ei facta ex vrbe realis est, non personalis, alioqui cum accidat personas sæpe mori ante lites finitas maxime fierent expensæ in impetrandis aliis rescriptis non sine incommodo fidelium, quæ cum sint vitandæ, dicendum est commissiones quæ ad Officiales solent dirigi, reales esse, ita Rota dec. 487. Flam. lib. 1. de resig. q. 11. num. vlt. & alij apud illum.

Fuit altera quæstio, *A quibus maximè cauere delegatus debeat, ne sit eius delegatio inanis ac nulla.*

REsponsio clara, eaque futura breuis, Primò enim videre delegatus debet, ne potestatis suæ terminos egrediatur.

Secundò, vt sui rescripti formam seruet aliter processus eius nullus esset, Zechius num. 14. cap. 22. de republica Ecclesiastica, & apud eum Abbas in cap. cum dilecta de rescriptis.

Tertiò, literas potestatis sibi à Papa concessæ, postulanti ordinario negare non debet, aliter asserenti se delegatũ, nisi id scripto probet, non creditur, cap. cum in iure de officio delegati quod ad originalis normam exaratum esse debet, deque eo authenticè cõstare. Notariorum fide, nisi producatur originale, id est literæ missæ Roma ostendantur, Zechius cap. citato num. 4.

Quare etsi non sit necesse delegato proferre in foro externo literas suæ potestatis, quando est persona nobilis ac in dignitate constituta, nec eius potestas tertio præiudicat. Sic Menoch. de præsumpt. 15. num. 9. Sanch. 8. de mat. disp. 17. nu. 19. Quia non est credibile, eum qui dignitate præstat aliis, mentiri velle. Tamen cum nemo teneatur, pati res suas sibi eripi, aut sententiam in se dici ab eo, de cuius in se potestate ac imperio dubitat mirandum non est, quando præiudicium tertij agitur, si delegatus potestatis sibi commissæ, literas, ostendere debeat.

Quid? quod Episcopo incumbat in id operam dare, ne suis subditis imponatur, deinde ne quis in sua prouincia iurisdictionem sibi vsurpet, nisi hunc ea præditum esse constet, quæ omnia indicant suam delegato commissionem probandam esse, ostenso delegationis suæ ad dispensandum aut iudicandum instrumento, quæ est opinio Bern. Diaz regula 219. Menochij de præsumpt. præsumpt. 15.

Quartò, delegatus puras à munere omni manus habere debet, vt dictum est de censuris.

Quintò, voluntas est ei delegantis sequenda in omnibus, cap. sane de offic. delegat.

Sextò, prouidere parti debet de aduocato, cuius propter egestatem, familiæque incommoda, nulla ei esse potest copia, Abbas in cap. 1. de offic. delegat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIII.

Qualem eſſe, & quibus animi, ac eruditionis dotibus præſtare Officialem ſpecialem oporteat.

PRimò, iure nouo Doctoratus laurea inſignis eſſe debet, ſit hæc Trid. Synodi Sanctio pro teſtimonio: enimuero cũ de Capituli officio, in regenda Diœceſi, Epiſcopo mortuo, diſputaſſet poſt multa hęc tandem ſubdit ſeſſ. 24. cap. 8. *Officialem, ſeu Vicarium, infra octo dies, poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare omnino teneatur, qui ſaltem in iure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel alius, quantum fieri poterit, idoneus.*

Eius auctoritatem ac exemplum ſequuti Optimates Galli, vetuere in Bleſenſibus comitiis ne quis in hoc miniſterio, operâ ſuâ Eccleſiæ, ac Epiſcopo deferret, qui de doctrina ac eruditione publicum non tuliſſet in Academia celebri teſtimonium, cum Doctoris aut Licentiati inſulis, meminique legere me olim apud Fabr. Sebuſianum in lib. 1. Cod. tit. 3. definitione 28. non his modo Officialem Doctoratus titulis ornatum eſſe oportere, ſed & eius Vicarium in Camberienſi ciuitate, totiuſque Sabaudiæ prouincia, quia (inquit) iudicandi munere fingitur, & de iis plerumque rebus ſententiam dicit, quæ magnis interſeptæ difficultatibus, non faciles habent ad intelligentiam aditus, vt puta de fœdere matrimonij, de iure beneficiorum, de promiſſorum fide, de quibus etſi per alios doceri valeat, quia tamen hæc moram poſtulant, quia tempus, ad quod litigantes, ſine magno ſuarum rerum incommodo, reiici nequeunt, mea eſt idcirco opinio, quo erunt Officiales paratiores à literis, quo peritiores iuris canonici, ac Ciuilis, hoc Epiſcopale forum eſſe illuſtrius, hoc ad fraudes iniuriamque patere minus, quam ſi ei præſideret ex cors quiſpiam ac ignarus.

Secundò, debet Officialis eſſe Clericus cap. decernimus de iudiciis: poteſt quidem ſummus Pontifex, iuriſdictionem ſpiritualem laicis exercendam, cauſaſque eius generis diiudicandas committere, Nauar. cap. 20. num. 6. non Epiſcopus cap. contingit de arbit.

Primò, quia Clericis ſubeſſe Laicos conuenit, non præeſſe.

Secundò, quia id Concilia prohibent. Hiſpalenſe præ cæteris vt dictum eſt antea can. 2. in quo Epiſcopum diſpenſare poſſe quis credat? Secus tamen quam nos exiſtimat Anguian. in tract. de legib. to. 1. lib. 2. controu. 25. num. 4. ſed ſtandum decreto Hiſpal. Concil. can. 2. *Indecorum eſſe Laicum Vicarium eſſe Epiſcopi, & ſeculares in Eccleſia iudicare in vno enimeodemque officio, non debet diſpar eſſe profeſſio.*

Tertiò, Officialem Clericum eſſe iure Regni non eſt ſatis, niſi Sacerdotij quoque charactere ſit inſignis, Bouchel. in ſum. verbo Official. Fabric. in Theoria tract. de offic. & adminiſt. quanquam non eſt hæc conditio de earum genere cuius ablentia irritam reddat ac inanem promotionem electi ad hoc officium, anno enim 1587. mota lis cum eſſet inter duos, quorũ alteri nomen erat Anguierio, qui cum inter cætera eſſet obiectũ ab Aduerſario quod Sacerdos nõ eſſet, proindeq; Magiſtratu Officialis quo fungebatur, frui ad iniuriam Eccleſiæ non poſ-

A ſe, quod obiicebatur non probauit curia ſed homine etſi præter minores nullo eſſet initiatus Ordine, dignum cenſuit, qui vt ante fecerat cum laude, Officialis partes ageret in Diœceſi Carcaſſonenſi, Maynardus lib. 2. quæſtionum cap. 24.

Sitamen eſſet hic Clericus de eorum numero, qui copulati coniugio familiam habent, quamuis progrederetur vt cæteri Clerici in talari veſte, ac tonſura, remouendus tamen eſſet ab hoc munere Abb. in cap. 2. de iudic. num. 6. & 15. Iſidorus Moſconius par. 1. lib. 1. cap. 10. *Indecorum enim eſt Laicum, Epiſcopi Vicarium eſſe & ſeculares in Eccleſia iudicare, in vno enim eodemque officio, non debet eſſe diſpar profeſſio,* 16. q. 7. c. in nona.

Quartò, à cenſura excommunicationis liber eſ-
B ſe debet. Nicol. Papa 1. ad Michael. Imperat. vt habetur 24. q. 1. can. miramur his verbis. *Miramur quomodo excommunicati ad iudicandum recepti ſunt, cum ſecundum Apoſtolicos canones ſine commendatitiis literis in communione ſola recipi prohibentur. Abſurdum etenim eſt, vt cui non licet etiam cum minimis, tuxta ſacras regulas communicare, liceat penes vos etiam de maioribus iudicare*, idem habetur in can. vt didici 1. q. 7. docentque Fallerius in prat. criminal. & alij.

Quintò, requiritur in Officiali vt ſit loci, cui cum auctoritate præſidet indigena, legumq; quæ ſunt in mores vtentiũ voluntate ac conſenſu inductæ, non ignarus, idiomatis autem ac linguæ qua vulgus vti-
intelligens Moſconius de maieſtate militant Eccl.
C l. 1. par. 1. cap. 10. nobis id eſt Gallis, iuri dicundo extraneum, hoc eſt Hiſpanum, Germanum, aut Italum foro Eccleſiaſtico præficere, edicto anni 1554. non licet, cui poſtmodum Bleſenſis acceſſit ordinatio in art. 4. ex cuius præſcripto, Anton. Arioſtigente, origine Itali, damnata eſt, ac reſciſſa à Curia an. 1551. in Lugdun. Vicarium facta à Cardin. Ferrarienſi inſtitutio. Rem narrant Bugnon. in comment. ad Ordinat. Bleſenſ. Choppin. lib. 1. de ſacra polit. tit. 6. n. 10. Fabric. Bleyan. loco ante citato Chenut. ad Papon. lib. 2. tit. 2. arreſto 5.

QVÆSTIO XXIV.

D *An Officialis quem ſpecialem nominant ſit Ordinarius.*

ESſe, negant auctores non contemnendi nominis, multi ac graues, Godefred. in ſum. tit. de Offic. Vicarij num. 2. Alex. de Officio eius num. 12. Soto in 4. diſt. 18. q. 4. art. 3. Vermonius de Indultis Cardin. paragr. tibi quoad vixeris num. 43. & lib. 1. animaduerſ. cap. 6.

Contra opinantium cuneus non minor, in quorum ſententiam lubens eo, ob hæc argumenta.

Primũ, quod iuriſdictio ordinaria ſit ea, quæ à lege datur, lege & quia 6. de iuriſd. omnim. iudic. *Sed*
E *in Officialem Epiſcopi, per commiſſionem officii generaliter ſibi factam, cauſarum cognitio transfertur*, vt habet decretal. Bonif. VIII. ſecundo de offic. Vicar. in 6. habet ergo Officialis, à canone & ex propria commiſſionis natura, quod de iure ambiguo cognoſcat inter partes, pro ordinario ergo eſt habendus.

Secundum ab Officiali ad Epiſcopum appellare non eſt integrum, ne appelletur ab eodem ad ſeipſum: eſt ergo Officialis poteſtas ordinaria non delegata, quia à delegato ad delegantem appellari

Posse scripsit Innoc. III. in cap. super quæstionum 27. paragr. quod si iustam extra de officio delegati.

Tertium, si quid est causæ quamobrempro Ordinario, Officialis haberi non debeat, maxime quod Episcopi vices gerat, vt est in cap. Romana de offic. Vicarij in 6. qui autem Vicariam alteri operam exhibet, non ordinaria, sed delegata tantum iurisdictione vtatur, Papiniani testimonio in lib. 1. parag. qui mandatam digest. de Officio eius, *Qui mandatam*, inquit, *iurisdictionem suscipit proprium nihil habet, sed eius qui mandauit*, iurisdictione vtitur, at hoc non impedit, nam Legatus Papæ eius vocem gerit cap. 1. de offic. Legati, quemadmodum & Vicarius Generalis, & tamen in vtroque est iurisdictio ordinaria, vt de Vicario probauimus antea, de Legato autem est his verbis in decretali Alexand. III. cum non ignoretis 3. de offic. legati, *Legationis obtentu causas vniuersas, quæ per appellationē, vel querimoniam perueniunt ad suam audientiam, audire potest, & debet, sicut qui in prouincia sua, vices nostras gerere comprobatur*, est ergo in Officiali ordinaria iurisdictio, non minus quam in Generali Vicario.

Obicies non potest vna eodemque iurisdictio, esse in duobus illimitata, & integra, sicut nec dominium l. 3. parag ex contrario de acquirenda possess. sed Episcopo, vt vero suo legitimoque Ordinario, subest vniuersa Diœcesis cap. cum Episcopus 7. de offic. Ordinarij in 6. cap. conquerente 16. cap. cum dilectus extra eod. tit. est hæc ergo remouenda ab Officiali vt ad talem prouinciam non satis idoneo.

Maior est vera, si intelligatur de iurisdictione, quæ æqualiter in vtroque resideat, falsa si de eadem, existente in duobus cum dependentia, sicut in præsenti negotio accidit, cum constet penes Episcopum ratione dignitatis quam gerit, esse iurisdictionis dominium tanquam in suo fonte ac capite, in Officiali autem minus præcipuè, per communicationem ac redundantiam, cum ab illo constituatur, vt vices suas in iudicando obeat. quod cum sine potestate fructuose facere ac vtiliter nequeat, illam ipsam qua Episcopus fruitur, estque eius propria personæ quam sustinet in Christiana Rep. ei communicat. Ioan. Narbona de appell. à Vicario ad Episcop. par. 1. pag. 68.

QVÆSTIO XXV.

An ab Officiali appellari possit ad Episcopum.

Dico primò, *Ad Episcopum ab Officiali appellare licitum non esse in quibus causis est hic ordinarius.* Ita Sanchez de matr. disp. 29. nu. 9. Thuscus practicarum conclus. iuris, litera V. Concl. 184. num. 1. & conclus. 186.

Assertionis huius fundamenta, præcipua sunt duo, primum ab auctoritate Pontificum vim habet, à ratione alterum, Ordiamur à prima.

Bonifacij VIII. in 6. cap. 2. de consuetudine est hæc de præsenti materia Sanctio. *Non putamus illam consuetudinem, quantocumque tempore de facto seruatam, consonam rationi, quod ab Officiali Episcopi, ad eundem Episcopum valeat appellari.*

Cuius decreti causam non reor aliam, quam quę ab eodem Pontif. profertur in citato cap. *Ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium vtriusque)* A *appellatio interposita videatur*, quam Innoc. IV placuisse, decretalis eius tertia de appellat. in 6. fidem facit. *Cum suffraganeorum*, inquit, *Remens. Ecclesiæ, suorumque Officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus, eorum vices supplendo cognoscunt) vnum & idem consistorium, siue auditorium sit censendum: ab ipsis Officialibus, non ad dictos suffraganeos (ne ab iisdem ad seipsos interponi appellatio videatur) sed de iure ad Remensem curiam est appellandum.* Enimuero, (quæ est altera ratio petita à natura, eiusque cum ea repugnantia) Sunt Episcopi, eorumque in dirimendis controuersiis Officiales ac Vicarij communi hominum opinione ac sensu, moraliter vnum idemque, fac ergo ab istis, ad illos appellari posse, ecquid hoc B non erit his qui sententiam dixerint notam inuretimprudentiæ, ecquid non ignorantiæ ac temeritatis sibi diem dicere, cum Episcopi, quique eorum sunt Vicarij, vna eademque persona censeantur? quam est ergo naturæ, ac rationi dissonum ab Officiali appellare Episcopum?

Dico secundò, *Episcopum appellari posse, in his quæ Vicario, ex proprio officio, & quæ nisi specialiter ei committantur, non competunt.*

Primò, quia Vicarius, tunc diuersam ab Episcopo iurisdictionem habet, Glossain Clem. II. de rescr. verbo foraneus. Narbona par. 1. de appellat.

Secundò, à delegato licita est ad delegantem appellatio cap. super quæstionum cap. 27. de Offic. ordinarij, at ex hypothesi, Officialis est C causæ quæ in generali Officialatus sui concessione non comprehenditur, iudex delegatus, non ordinarius, quod ergo posita propositio asserit, hoc appellanti non est negandum.

QVÆSTIO XXVI.

An Officialatus vendi possit, aut eius iurisdictio sine Simonia.

Dico primò, *Turpe esse ac fœdum, ius dicendæ sententiæ in foro Ecclesiæ, pretio vendere.* Quia D quod de profanis magistratibus dici solet, hoc in causa meliore est sentiendum de sacris, gratis eos nempe ac liberaliter, dignis dari oportere, ne quâ ipsi pecuniam his comparandis sunt daturi, sensim, ac per partes, ab his quibus eorum opera erit necessaria repetant, quod vt istis graue, sic illis esset exitiabile.

Dico secundò, *Tale munus distrahi non posse sine labe Simoniæ.* Ita Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 10. parag. 6. num. 62. Piasec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 4. art. 1. num. 19. Sic enimibi. *Simoniam committit vendens vel emens iurisdictionem spiri-* E *tualem*: & paulo ante, *Locare Vicariatum, seu exercitium iurisdictionis suæ Episcopus non potest.*

Probatur autem primò, est Episcoporum iurisdictio in se vere spiritualis, aut saltem spiritalibus consequenter annexa, at quæ sunt naturâ suâ talia, pretio æstimari nequeunt sine Simonia, eaque iuris diuini. Maior est certa, est enim potestas in Episcopo regēdæ Diœcesis, explicādi ambigui iuris de conscientia, dissoluendi ex causa matrimonij, cōcedēdi literas quas monitorias nominat, dispensandi in denunciationum numero, effectus characteris, ac Episcopalis beneficij quo fruitur, potestatem hanc autem, spiritalem esse, ac supra naturam, nemo negatum ibit, qui res eius generis, id est spirita-

Digitized by Google

les illi, obiectas esse meminerit, vera est ergo ma- A
ior. Min. fidem habet à definitione Simoniæ quæ dicitur: *Studiosa voluntas emendi aut vendendi spirituale, aut spirituali annexum pro temporali*, Glossa & Canonistæ in rubricam de Simon. quæ duo reperiri in contractu, quo Officialatus venditur, clarius est quam vt à me explicari debeat.

Dico tertiò, *Et iam habere hunc contractum Simoniæ iure Ecclesiastico prohibitæ maculam.* Ita Laym. loco cit. Beta pa. 1. cas. 37. Assertioni fides est à Conc. Chalced. can. 2. vbi vetantur Episcopi promouere spe pecuniæ, ac quæstus, Oeconomum ac defensorem Ecclesiæ: θεσπίλλοντο ὁπωσδήποτε οἰκόνομον ἢ ἔκδικον ἢ παραμοναῖον ἢ ὅλως τινὰ τῶν κανόνος δι' ἀργυρικὰς μόνας ἀφορμὰς τῶν ὑπηρεσιῶν ἐπιτηδεῖν, κινδυνεύοντα ἐκ τῶν ἰδίων βαθμῶν. *Qui promouerit hoc est ad ea officia* B
euexerit propter pecunias Oeconomum vel omnino aliquem ex canone turpis lucri gratia qui hoc fecerit de proprio gradu in periculum veniat, quamobrem verò nempe quia Simoniacus vt est in can. Saluator. 1. quæst. 3. vbi post allatum Chalcedon. Synodi can. secundum, hæc subduntur: *Nomine procuratoris intelligit præfata Synodus, quemlibet rerum Ecclesiasticarum administratorem, vt verbi gratia præpositum, defensoris nomine, aduocatum & iudicem, quæ officia qui vendit, ibi dicitur vendere Spiritum sanctum, ergo cum Officialis sit iudex, vendi hæc eius potestas sine Simonia non potest.*

Confirm. Est Laicus Officialatus incapax, eo quod functiones spirituales habeat, multas ac præstantes, quæ in Laicum cadere nequeunt, ergo C
cum quæ propria sunt Officialis munera, emi non possint aut vendi, sine Simonia, nec ius ipsum, ac potestas, ea exercendi sine pari culpa: *Quisquis enim eorum alterum vendiderit, sine quo alterum non proueniet, neutrum inuenditum derelinquit*, can. Saluator 7. causa 1. q. 2.

Confir. Est eorum officiorum venditio Simoniaca, quæ etsi simpliciter sint temporalia, quemadmodum eorum actus & obiecta tamen ordinationem habent ad finem supernaturalem, suntque ab Episcopis instituta pro auctoritate illis à Christo concessa, Laym. supra num. 64. ideoque prohibita vendi ab Ecclesia sub pœna incurrendæ Simoniæ ad vitanda incommoda. Sed Officialatus D
habitudinem habet ad finem supernaturalem salutem scilicet animarum, & est institutus ab Ecclesia, ergo eius venditio est Simoniaca.

Dico quartò, *Etsi careret ea actio macula Simoniæ, non esset tamen culpæ mortalis expers ac vacua*, argumento est, quod priuationem officij ac gradus habeat, qua pœna non alij affici soliti, quam qui culpæ sunt lethalis rei. *Præterea.* inquit Alex. III. in decret. 1. tituli ne Prælati vices suas, *quoniam qui in quibusdam partibus, sub pretioso nuncupantur, qui Decani vocantur, & pro certa pecunia quantitate Episcopalem iurisdictionem exercent, præsenti decreto statuimus, vt qui de cætero hoc præsumpserit, officio suo priuetur, & Episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.*

Secundò, Chrisma sacrum addicere pretio, de E
eorum est operum genere, quæ facta scienter, non sunt sine scelere, quia prohibetur à Pontifice, at qua est id de lege vetitum, eadem quoque non est concessum super officijs Ecclesiæ contrahere. Sic enim Alexand. III. cap. ad nostram 21. de Simon. *Discretioni vestræ mandamus, quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo siue pro assignandis Vicarijs, seu pro chrismate nullatenus pecuniam exigatis*, non est ergo sine culpa, quisquis sibi pecunia, ad Ecclesiastici Iudicis munus, id est Officialatum, iter munit.

Dico quintò, *Non esse à pœnis Simoniacorum proprius liberos, qui potestatem præsidendi in foro Ecclesiæ, loco Episcopi, pretio comparant, abalienant, aut vendunt.* Ratio est, quod Simonia iuris naturalis ac diuini, excommunicationem his qui eius rei sunt ac conscij, lege Ecclesiæ ac pontificia inferat: at quæ Simonia committitur paciscendo de pretio pro iurisdictione Episcopali in reddendo iure in foro Ecclesiæ iuris est naturalis ac diuini, cum sit hæc spiritualis ac diuina effectiue, seu vt loquuntur consequenter, quia est connexa spiritualibus, ergo, &c.

Quia tamen multorum est opinio, eaque non improbabilis, quod transigere de prædictis Officiis, non sit malum, nisi quia Ecclesiasticis canonibus eorum venditio prohibetur vt Simoniaca, ideo eos non magnopere culpandos reor, qui in ea pactione culpam quidem agnoscunt Simoniæ, non tamen pœnas. Sic enim Piasecius in praxi Episc. pa. 2. c. 4. art. 1. Simoniam (inquit) committit vendens vel emens iurisdictionem spiritualem, non tamen incidit in excommunicationem, assentitur. Nau. conf. 68. de Sim in antiq.

QVÆSTIO XXVII.

An sit in iure Episcopi, Officialem à se institutum destituere.

ESse, quicquid olim secus senserint, suadent hæc argumenta.

Primum, quod nihil sit tam rationi consonum, quam vt per quascunque causas res nascitur, per easdem dissoluatur, extra de regul. iuris reg. 1. sed tam Officialis, quam Vicarius, Episcopo potestatem suam acceptam debent, cum hanc, mediante eius nominatione consequantur à lege, ex dictis antea, ergo nil mirandum si contraria eius voluntate reuocetur, planeque intereat.

Secundum, axioma est iuris, iudicandi prouinciam à Principe, certo commissam homini, ab eodem ei posse adimi, lege iudicium soluitur. dig. de iudicijs, at quæ Regis est, ac Principis in populares suos auctoritas, par est ac eadem Episcopi in Ecclesiam, qui præesse eum Deus voluit, ergo vt illis Commissariorum opera in iudicando non amplius vti est integrum, ita & Episcopis suorum Officialium cum ab iis, eorumque potestate pendeant,

Tertium est contra rationem, vt quis non modò inuitus, sed & voluntate omnino repugnante teneatur aliena vti operâ in regenda sua plebe.

Quartum, non est Officialatus Ecclesiasticum beneficium sed dignitas, quæ datur administranda Officiali, ergo vt cætera, quæ committi solent ab Episcopo, est hæc eius arbitrio reuocabilis.

Scio quidem praxim olim Curiæ, fuisse doctrinæ huic oppositam, nec Episcopo in Gallia, destituendi Officialis, vbi semel creatus esset, ius nisi ex causa, eaque iusta habuisse, maximè si hic ea dignitate donatus esset ob bene merita, officiaque vitæ præteritæ, quæ per eam compensare Episcopo visum esset, de quo extare curiæ decreta non pauca Galli scriptores memorant, duorum meminit, Boerius in decisionib. quæst. 149. num. 24. totidem Chenut. tit. 33. decret. cap. 101. Sane asserit Forget. in tract. de person. Eccles. cap. 30. nu. 5. cum de meritis agitur, subrogari Patri fi-

lium, paremque meritorum eius rationem habendam videri, ac propriorum filii, illiſque à deſtitutione Officialis, Epiſcopum impediri; peræque ac ſi eſſent propria filij, pro quo facit Chenut. tit. 35. cap. 205. arreſto Curiæ Pariſ. duplici fretus, quem morem Galli Epiſcopi probare cum non poſſent adnitente pro cætera ſua in Religionem pietate mirabili, Eminentiſſimo Cardinali Rupifucaldio, ſuffragantibus, Epiſcopis, adiuuante autem Illuſtriſſimo ac nunquam ſatis, ob infinita ſua in Eccleſiam merita prædicando, Domino Dom. Seguier Galliæ Cancellario, cautum eſt anno 1637. Octob. 13. ne Officialis vllus in poſterum, munus hoc ſibi perpetuum fore crederet, ſed in Epiſcopi iure eſſet eum arbitrio ſuo nutuque amouere cum vellet, ideoque videri inſtituendum poſthac eſſe, ad modum ſimplicis Commiſſarij, & adiecta hac clauſula, *quandiu placuerit*, ſine pretio, ſine re, ſine reſpectu ad officia meritaque præterita, quæ opinio eſt Piaſecij 2. par. cap. 4. art. 1. Narb. 4 parte de appellat. à Vicario ad Epiſcop. Bleyani in Theoria tract. de Officiis.

Neque voluntate Epiſcopi modo, Officialem deſtitui, ſed & eius morte, dixere graues viri, vt Immola, Cardin. & alij, quorum Narbona meminit par. 1. de appell. à Vicario ad Epiſc. n. 73. Cauſa eſt, quod ceſſante principali cauſa, & aliaruere eſt neceſſe quæ ei ſunt acceſſoria, lege cum principalis 138. digeſt. de regul. iuris & eodem titulo in 6. regula acceſſorium, ſed poteſtas omnis Officialis, ac iuriſdictio, ſe habet ad Epiſcopi iuriſdictionem per modum acceſſorij, cum ab iſta illa deriuetur ac fluat, non quidem vt à cauſa, ſed vt à conditione ſine qua non, cum ſine deſignatione, eiuſque nominatione per Epiſcopum, poteſtatem à lege ac canone, Officialis non habeat ergo, &c.

Quid? quod Epiſcopi & Officialis vnum idemque ſit tribunal? quod ab iſto facta, geſta cenſeantur per Epiſcopum cap. Romana de appellat. in 6. quod ambo moraliter habeantur pro vno & eodem, quam ergo eſt improbabile Epiſcopo mortuo, ius Officialis, poteſtatemque eam ſubſiſtere poſſe, qua pollebat Epiſcopo viuente?

QVÆSTIO XXVIII.

De quibus cauſis Officiali cognoſcere non liceat.

PRimò, de crimine inquirere, cognitum punire, aut abſoluere Officialis non poteſt, niſi eius rei facultatem nominatim ac expreſſe ab Epiſcopo habeat, teſtimonio Bonif. VIII. in cap. licet. 2. de offic. Vicar. in 6. De inquiſitione tamen quod dicitur, de ea duntaxat debet intelligi, quæ pro fine pœnam habet ab eo infligendam non ab Epiſcopo, quia ſi de crimine eſt inſtituenda quæſtio ad effectum remittendi nocentem ad Epiſcopum, eius rei poteſtatem generali mandato factam ei eſſe, cenſent. Rota deciſione alias 66. in nouiſſ. de officio Vicar. Narbona p. 1. de appell. à Vicario ad Epiſcopum.

Secundò, confeſſionis audiendæ licentiam dare nequit, niſi facta ſibi ea de re per Epiſcopum ſpeciali poteſtate. Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. ſine qua.

Tertiò, ei per Conc. ſeſſ. 25. de refor. c. 3. tacite interdicitur literas monitoriales, vt loquuntur ſeu excommunicationes ad finem reuelationis pro rebus perditis, aut auerſis dare petentibus, *tacitè* dixi nam cum id ſolius eſſe Epiſcopi Concilium aſſerat, id in Officialis iure non eſſe, tacite ac ſilenter indicat.

Contraria tamen opinio patronis non caret, eſtque longo vſu ac conſuetudine fori ſatis probabilis, prior tamen ſequenda in praxi.

Quartò, ſubrogare ſibi hominem non poteſt, qui iuri dicundo ſuo loco præſideat, cum poteſtate ordinaria? ſine Epiſcopi ſpeciali licentia cap. Clericos 4. extra de offic. Vicarij.

Quinto, nec feudales cauſas niſi ſpeciale de eo mandatum habeat, cognoſcit fructuosè ac valide, Card. in Clem. 1. de offic. Vicar. Ioan. Narbena 1. par. de appell. à Vicar. ad Epiſcop. ſub fin.

Sextò, iurgia ac lites, ſi quæ forte inter cœnobitas accidant, non componit, quod quæ ad diſciplinam religioſam pertinent, hæc Officiali attingere ſit nefas, vt in cauſa fratris de Lamecourt Andegauenſis, decreuit Pariſ. Curia, anno 1603.

Septimò, extra locum diſceptandis litibus addictum, prehenſionem non habet in Gallia: Tornetus in Arreſt. lit. O. nu. 34. & quanquam ſint vincula, carceres ac ergaſtula, iuſtæ reorum pœnæ pars maxima, in ea tamen compingi Officialis imperio, ac Apparitoris opera, quo ad miniſteria fori ſui vtitur, extra ſepta limiteſque fori ſui non poteſt, aduocare ſibi ad ſubſidium debet iuridici regij auctoritatem, ac viatoris publici miniſterium, ſi acta ſua rata eſſe velit ac firma, quæ quidem non erat olim neceſſaria, ſcribit enim, Greg. Turon. li. 1. c. 21. Magum hominem à Pariſ. Epiſco. iuſſum eſſe *à termino Pariſiacæ vrbis excludi*, qui tamen, *captus ab Archidiacono, & catenis vinctus, iuſſus eſt cuſtodiri.* Quid? quod nocentes, *ad agendam pœnitentiam in perpetuum carcerem iubeantur includi, vt viuant in pane doloris, & aqua triſtitiæ*: cap. nouimus paragr. pro illo de verbo ſignif. & cap. quamuis de pœnit. in 6. aliis tamen hoc tempore, moribus vtimur, nec Officiali licitum, ſæcularem in vincula auctoritate ſua mittere. Tom. in collect. arreſt. litera I. num. 148.

Digitized by Google

TRACTATVS DECIMVS, DE PRESBYTERIS ET PAROCHIS.

QVÆSTIO I.

De Presbyterorum nomine, & an ſint ab Epiſcoporum diſtincti ordine.

PRESBYTERI qui & Sacerdotes nominantur, ita dicti ab ætate, πρεσβύτερος enim græcis idem eſt ac ſenex, non quod quiſquis Sacerdotij munere fũgeretur in Eccleſia, cæteris annis prior eſſet, ſed quod prudentia, quæ ſenum virtus eſt propria, præſtaret omnibus, *vnde apud veteres idem Epiſcopi, & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis eſt non ætatis.* Iſid. lib. 7. Etymolog. cap. 12. quæ fuit etiam Hieronymi opinio in epiſt. ad Tit. cap. 1. & ad Euagr. epiſt. 85. ad cuius fidem teſtimonio Pauli ad Philipponſ. vtitur, nam his verbis quæ in eius epiſtolæ inſcriptione ſunt, ac capite, *Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconis*, Epiſcoporum nomine Presbyteros ab Apoſtolo intellectos ſcribit, cum ciuitas quælibet ſuum Epiſcopum habeat non plures. Sic & in Actis cap. 20. Paulus Epheſinæ Eccleſiæ Presbyteros alloquens, eos Epiſcopos nominat. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos paſcere Eccleſiam Dei*, & ad Titum 1. Presbyteros per ſingulas ciuitates conſtitui mandat, quod ipſum D. Paulum & Barnabam feciſſe per ſingulas Eccleſias, patet ex cap. Actor. 13. in quo Presbyterorum nomine ſignificari Epiſcopos tradit Pammelius in comment. 35. epiſtolæ Martyris Cypr. ad Presbyteros.

Fuit hæc forte cauſa, cur Epiſcoporum ordinem A à Presbytero minime diſtinctum eſſe quidam olim affirmauerint, in quibus fuit Aerius hæreſiarcha homo procax, cui, *Sermo merat furioſus, magis quam humanæ conditionis & diuinæ*, inquit Epiphan. hæreſi 75. *Quid eſt Epiſcopus ad Presbyterum? nihil differt hic ab illo, vnus enim eſt ordo, & vnus honor, & vna dignitas, imponit manus Epiſcopus, ita etiam Presbyter, diſpenſationem cultus diuini facit Epiſcopus, & Presbyter ſimiliter.* In quo quantum à vero aberrarit Aerius, tam ex Scriptura quam Patribus datur intelligi, quid enim aliud ſibi vult Paulus primæ ad Timoth. 5. cum ait, *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt*, quam vt Epiſcopos alios à Presbyteris fuiſſe indicet? ecquid idem Lucæ propoſitum? cum Act. 15. *Statuerunt*, inquit, *vt aſcenderent Paulus & Barnabas, ad Apoſtolos, & Presbyteros in Ieruſalem*, & paulo poſt, *ſuſcepti ſunt ab Eccleſia & Apoſtolis, & ſenioribus*, & iterum. *Conuenerunt q; Apoſtoli & ſeniores*, quæro enim, qui tùm præter Apoſtolos, Epiſcopi Hieroſolymis fuerint? qui orbi terrarũ præter illos præpoſiti. Antiſtites ſi à Paulo, ſi à Petro, necdum erant vlli moderandis populis dati Præſules, non poſſunt hi ſanè locis allatis ſcripturæ, Presbyterorum intelligi nomine.

Sunt Epiſcopi Apoſtolorum in regenda naui Eccleſiæ ſucceſſores, auctore Hieron. epiſt. ad Euagr. 85. & ad Marcellam 54. *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*, & quare, *abſit*, inquit ad C Heliodorum ſcribens ep. 1. *vt de his quicquam ſimſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.*

Ergo cum Presbyteros Lucas loco citato, memoret vt diſtinctos à Paulo & Barnaba, non ſunt futuri Presbyteri, iidem qui Epiſcopi, cum iſtos Hieronym. Apoſtolis officio, ac ordine velit eſſe æquales, non illos: veniamus ad Patres.

Narrat Cyprian. ep. 35. iuxta edition. Pammelij num. 4. admonitum ſe, diuinaque inſtitutione inſtructum, *Vt Numidicus Presbyter, aſciberetur Presbyterorum Carthaginenſium numero, luce clariſſima confeſſionis illuſtris, & fidei ac virtutis honore ſublimis*, hunc tamen Epiſcopum, tum non fuiſſe

indicat idem ead. epiſt. *& promouebitur quidem*, ad Epiſcopatum ſcilicet (inquit Pammelius ibi,) *cum Deus permiſerit, ad ampliorem locum religionis ſuæ, quando in præſentiam protegente domino Venerimus*, non fuit ergo Presbyterorum idem ordo qui Epiſcoporum: *Iſtorum enim ordo, Patrum generater eſt, patres enim generat Eccleſia Presbyterorum verò, non potens generare Patres, aut Doctores, & quomodo poſſibile erat, Presbyterum conſtituere, non habentem manuum impoſitionem ad eligendum, aut dicere ipſum æqualem eſſe Epiſcopum?* Epiphan. hæreſi 75. Iubentur ab Anacleto Presbyteri, honorem Epiſcopis deferre epiſt. 3. *Excommunicari ſi præter eorum conſcientiam in alienâ Parochia commorentur*, can. Apoſt. 15. hinc enim argumentari ſic placet. Si ſunt Presbyteri Epiſcopis auctoritate pares, charactere æquales, ab iſtis plecti illi quî poſſunt? cum animaduertere in nocentes, punire reos, non ſit cuiuſlibet, ſed eius duntaxat qui poteſtate, ac gradu reo eſt prior, quod non accidet, in Presbyteris, ſi ſunt hi Epiſcopis æquales ordine, dignitate non impares.

Cyprian. epiſt. 34. ad Clerum & pleb. de Celerino lectore ordinato, ſcribit ſic à ſe lectorem inſtitutum cum cæteris, vt iam Presbyterij honorem omnibus deſignauerit, *Vt & ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & diuiſiones menſurnas*, id eſt menſtruas, *aquatis quantitatibus partiantur*, hinc enim argumentari ſic lubet: Epiſcopis ſportulæ, id eſt, pecunia pro vitæ ſtipendio in dies ſingulos, aut annos, non dantur ſed ſolis Clericis, & Presbyteris, eodem auctore in epiſt. 66. ſecundum editionem Pam. ad Presbyteros & Diaconos Furnis conſiſtentes. *Quæ nunc*, inquit, *ratio & forma tenetur, vt qui in Eccleſia Domini, ordinatione clerica promouentur, in nullo ab adminiſtratione diuina auocentur, ſed in honore ſportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & ſacrificiis non recedant*, qui ergo Presbyteri, non iidem Epiſcopi.

Eſt & alia coniectura ex eodem petita auctore, ſcribit enim ep. 35. factum diuinitus ne interacerimos crepitantium lapidum, flammarumque cruciatus, periret. Numidicus, *Vt eum Clero Carthaginenſi Dominus adiungeret, & deſolatam per lapſum quorundam, Presbyterij noſtri copiam, glorioſis Sacerdotibus adornaret*, Sic enim diſputo Cypriani ævo, Carthagine Epiſcopus qui eſſet, nemo à veri Dei, ad falſum idolorum cultum tranſiit, vt ex eius vrbis Clero, ac Presbyterorum Collegio, fecere Sacerdotes plurimi, (Presbyterium eius nonnunquam Presbyterorum officium, alias autem vt hoc loco eorum Collegium denotat) quod ergo dixere cum Aerio veteres aliqui, probabilitatis, nedum veri ſpeciem habet, ſcilicet Presbyteros ab Epiſcopis diſtinctos non eſſe.

QVÆSTIO II.

Quando Apoſtoli Sacerdotes ſunt facti.

APud Catholicos certum eſt fidei dogma, quam hoſtiam in ara immolant Catholici Sacerdotes, eſſe illam ipſam, quam in cruce, Chriſtus Deo Patri obtulit, Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. Catechiſmus Romanus, de Sacramento Euchariſtiæ folio extremo.

Certum eſt ſecundo, eſſe in Dei Eccleſia, Sacrificium viſibile, *Externum item & viſibile Sacerdotium in quod vetus tranſlatum eſt*, Trident. Concil. ſeſſ. 22. cap. 1.

Certum 3. Sacerdotes ſimiliter eſſe in Eccleſia, Trid. ibi can. 1. neque de harum trium rerum numero varietas Theologorum ſententias habemus, eſt illud autem ſubtiliter & acutè ab iis obſeruatum, ab his Sacerdotibus, eorum ſanctitate, vim Sacrificij ex opere operato non pendere, cum ſint de earum genere cauſarum, quæ à ſuperioribus, ſeu principalibus, ad actionem admoueri ſolent, quibus nec opus: nec actio aſſignatur, ſed cauſis ipſis applicantibus: ita Chriſto, & Eccleſiæ qui ſunt offerentes præcipui, effectus ſacrificij tribuitur, non miniſtro, Pet. Sotus de Miſſæ ſacrif. lect. 7. rem declarat his verbis: *Nunc ſemetipſum Chriſtus per miniſtrum Sacerdotem offert, & in eo operatur, vt caput in ſuo membro, vt agens principale in inſtrumento, vt Dominus in procuratore*, quibus ita præſuppoſitis.

Dico Apoſtolos Sacerdotes factos eſſe, cum iis à Chriſto ſeruatore eſt præceptum, vt idipſum, quod eum facere viderant in ſui memoriam facerent. Moſconius de maieſtate militantis Eccleſiæ lib. 1. par. 2. cap. 1. Baron. tom. 1. Annal. ad ann. Chriſti 34. Iuo epiſt. 124. ad Leudonem his verbis: *Cum Sacerdotium vetus transferre vellet in nouum, præcepit iiſdem diſcipulis, vt ſibi Paſcha pararent in cœnaculo, vbi ipſe manifeſtè, nouo functus Sacerdotio, eos huius Sacerdotij conſtituit ſucceſſores, poſt miniſtratam Euchariſtiam illis præcipiens. Hoc facite in meam commemorationem.*

Quid noſtri? quid huius temporis Presbyteri quando fiunt? Reſpondent non obſcuri Theologi, Clericum Sacerdotij charactere illuſtrem reddi, traditione calicis cum vino, patenæ cum pane, cui adiuncta ſit hæc oratio, cum intentione conferendi ordinis prolata à Miniſtro. *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo.* quia per eam, vera ei poteſtas conſecrandi Chriſti corpus, & ſanguinem traditur, vt ex eo fit planum quod paulo poſt, cum Epiſcopo conſecret, ad ea tamen verba accedere debet manus impoſitio, vt eſt dictum antea, cum hac forma: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata*, vtriuſque rei argumenta claris expreſſa Patrum, ac Conciliorum literis habeo, impoſitionis quidem manuum in Concil. Carthag. 3. can. 4.

Poteſtatis in Chriſti corpus, apud Cypr. in ep. 63. ad Cæcilium: *Ipſe Chriſtus Dominus & ſacrificium Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri, in ſui commemorationem præcepit, ille Sacerdos vice Chriſti fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi incipiat offerre ſecundum quod, ipſum Chriſtum videt obtuliſſe*, & in tract. de Vnctione chriſmat. tomo extremo: *De omni gente, tribu, lingua, & gente, quos dignos, & idoneos diuina probat electio, ſecundum vitæ, non generis meritum, ſtatuit Sacerdotes, quibus calicem ſanguinis ſui inexhauſtæ plenitudinis abundantia ſemper referum, conſeruandum tradidit, & erogandum, cuius aſperſione, & communione, intus & extra, corda & corpora mundarentur.*

QVÆSTIO III.

Presbyterorum obligationes, quæ & quales.

OMnium prima eſt, vt non tantum nullis impliciti criminibus viuant, ſed vt eorum quoque cauſas defugiant: *Itaque cum non ſit mulierum ſocietas approbabilis, quæ colliſiones habet veluti quibuſdam fluctibus turbulentas, gluten enim eſt delictorum, viſcum texicatum.* Cyprian. de ſingularitate Clericorum domi ſuæ habere fœminam, præter auiam, matrem, ſororem aut amitam habere nequeunt Concil. Braccar. can. 15. Lugdun. 2. can. 1. Nicæn. can. 3. Presbyteros enim oportet ἀνεπιλήπτους διηλθε, φησὶν ἁγιωτάτους εἶναι, ideſt pios, iuſtos mãſuetos, probatos, ſanctos, Clemens conſtitut. Apoſtolic. lib. 7. cap. 32.

Secunda eſt, vt coronam in capite præferant, quamobrem vero? & quo tempore, explicabitur in cap. de Tonſura Clericorum, modo dixiſſe ſufficit, Presbyteris in modum ſphæræ radendum caput, hinc illud Euagrij Scholaſtici lib. 2. hiſtor. ca. 26. *Coma abraſa Presbyter deſignatus eſt.* Eodem pertinet, quæ de Maximo, qui ex Cynico philoſopho, factus erat Presbyter, Gregor. Nazianz. habet in orat quam aduerſus illum ſcripſit: *Cum ad paſtoralis muneris adminiſtrationem, nihil aliud omnino contulerint, quam quod comam, cui alendæ & ornandæ turpiter ſtuduerant, raſerint,* eſt de hac obligatione locus expreſſior in Synodo Toletana 3. can. 40. *Omnes Clerici vel Lectores, ſicut Leuitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant,* ſed de hac re pluribus poſtea.

Tertiò, Quia *Clericalis ſtolæ, momentum eſt tale vt de eius ortu ſui vitia ſuffundantur, mores improbi erubeſcant,* Tertull. de pallio, & ſicut ſcriptum eſt in 7. Synodo can. 16. *A Superioribus vſque tẽporibus omnis vir Sacerdotalis, cum moderato, & honeſto indumento verſabatur,* cuiuſmodi Agath. Concil. eſſe duntaxat cenſuit, quod religionem apprimè deceret, vt non minus cultum, ita nec inſolitum ac deforme, ſed ſtatui proprio conueniens: *Vt per decentiam,* verba ſunt Trident. *habitus extrinſeci, morum honeſtatem oſtendant,* nunquam niſi raro, & ex cauſa, in publicum progredi Sacerdos debet ſine tunica talari Sacerdotali, quam *Caſulam* Patres dixere in Synodo Francica ſub Carolomanno Principe: *Sine qua nec in ciuitate, vbi morantur, aut platea præſumant incedere, præterquam ſi in itinere longe ambulauerint.*

In ſumma debet Presbyter is eſſe: *qui profeſſionem ſuam, & in habitu, & in ſeceſſu probet, & ideo nec in veſtibus, nec in calceamentis decorum quærat,* Conc. Carthagin. 4. can. 45.

Quartò, quia prælucere Laicis ad virtutem, vitæque ac morum innocentia, vitiorum illis odium imprimere Sacerdos debet, aſſequi id vero arduum ſit ac difficile, antequam adoleſcentiæ ardor deferueſcat, fieri olim Presbyter nemo poterat, ante ætatis annum trigeſimum, eſt de ea re canon. ſextæ, Synodi 14. & Concil. Neocæſar. 11. præſcriptus his verbis: *Presbyter ante 30. annos non ordinetur, etiamſi fuerit homo valde dignus, ſed reſeruetur, Dominus enim Ieſus Chriſtus in trigeſimo anno baptizatus eſt, & cœpit docere,* hoc tempore attigiſſe eum quintum & vigeſimum eſt ſatis ne peccet, Trid. ſeſſ. 23. cap. 12.

Et quoniam mundi eſſe debent qui ferunt vaſa Domini, humanitate autem morumque ſuauitate tanta, vt ad ſe omnes illiciant, neminem à congreſſu colloquioque abſterreant, qua laude præſtare viros militares non eſt facile, Sacerdotem verſari in caſtris, arma tractare, operam dare militiæ diuini prohibent Apoſtoli. Sic enim in canon. 83. eorum quorum dicuntur auctores. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus operam dans militiæ, & ſimul vtrumque volens, Romam, (puta præfecturam) & ſacram functionem, deponatur, quæ ſunt enim Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo,* notat porro Zonar. commentario in eum canon. στρατίαν, *telorum vel armorum tractationem, aut militum præfecturam non intelligi,* ἀλλὰ στρατιωτῶν στρατήγατον διοίκησιν, *id eſt rerum militarium procurationem veluti,* inquit, *militarium ſtipendiorum diſtributionem, vel annonæ nutriendis militibus ſepoſitæ curam, vel militum deſcriptionem,* ὃ καὶ διοικητὰς ἄλλας τινὰς καὶ τοὺς πολιτικοὺς νόμους στρατίας ἐπεισηγμένους ὀνομάζοντες, *hoc eſt vel etiam procurationes, quas ciuiles leges, inuenimus nominare* στρατίας, ab hac ergo prouincia obeundoque munere temperare ſibi Sacerdos debet. Septimus enim in Chalced. Synodi canon. ἀναθεματίζεσθαι τοὺς τοιούτους μὴ μετανοοῦντας ὁρίζει, tales quos non pœniteat anathematizari decernit, Zonar. ibi.

Sextò, quia conſtat, Epiſcopos primum à Pontifice Romano dignitatis gradum tenere in Eccleſia, nec à quoquam contemni, aut lædi poſſe, quin ad Chriſtum, cuius vices agunt, per eorum latera plaga perueniat, Presbytero in id incumbendum ante omnia, vt Epiſcopũ amet, veneretur, ſuſpiciat & in cunctis vti parenti ſuo obediat: *Nam nullo pacto,* verba ſunt Caroli Magni in Capitul. lib. 5. cap. 163. & 170. *intelligere poſſumus, qualiter Regi fideles exiſtiſtere poſſunt, qui Deo infideles, & Deo inobedientes apparuerint, aut qualiter Principi obedientes, eiuſque Miniſtris ac Legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causâ, & Eccleſiarum vtilitatibus non obtemperant,* Carol. in Capitul. *Si quis Epiſcopo acceſſente non obedierit, nec velit ei parere, nec morem gerere primò & ſecundò vocanti,* τοῦτον χωρισθῆναι παντελῶς μηκέτι θεραπείας τυγχάνειν, μηδὲ λειτουργεῖν λαμβάνειν τὴν ἑαυτοῦ τιμὴν, *id eſt is omnino deponatur, & non amplius curationem aſſequi, nec ſuum poſſit honorem capere.* Conc. Antioch. can. 5.

Ad honorem autem, cultumque à Presbytero debitum Epiſcopo, pertinet.

Primò, quod eum ad conſilium adhibeat, ad eum de rebus maximis referat, nihil eo inconſulto, ac non probante faciat, ſicut ei præcipitur in canone 57. Conc. Laod. & in Apoſtolorum 38. *Presbyteri & Diaconi ſine voluntate Epiſcopi nihil faciant.*

Secundò, quod Epiſcopo præſente ſedere non debeat, ita mihi auguran licitum ex verbis Romani Concil. ſub Sylu. Sic enim in can. primo, conſeſſus Epiſcoporum qui ei interfuere deſcribitur: *Vt Romæ Presbyteri, atque Diaconi, & reliquus clerus, ſtarent à tergo ſedentium Epiſcoporum,* quanquam, id in iis fuiſſe modeſtiæ, non neceſſitatis, vt exiſtimem inducit Hieronymi ac Cypr. auctoritas, ſic enim ille epiſt. 85. ad Euagrium. *Cæterum etiam in Eccleſia, Romæ,* inquit, *Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi, licet paulatim increbreſcentibus vitiis inter Presbyteros, abſente Epiſcopo, ſedere Diaconum viderim.* Hic autem epiſt. 34. ad Presbyteros loquens de Colerino lectore: *Cæterum,* inquit, *Presbyteri honorem deſignaſſe nos illis iam ſciatis, vt &*

ſportulis honorentur, ſeſſuri nobiſcum proiectis & corroboratis annis ſuis, fuit enim in Africa ſancito canone decretum: *Vt Epiſcopus in qualibet loco ſedens, ſtare Presbyterum non patiatur.* Concil. Carthagin. 4. can. 34. ac rurſum: *Vt Epiſcopus in Eccleſia, in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat, intra domum vero, collegam Presbyterorum ſe eſſe cognoſcat*, Carthag. 4. can. 35.

Septimò, etſi animum remittere, curas laxare nonnumquam ſit laudabile, ſæpe etiam neceſſe, Presbytero tamen venari non licet eo maxime venationis genere, quæ armorum ſit ſtrepitu, operam quiſquis olim ei ſuam dabat Concilij Agathenſis imperio, legeque, ſuſpendi poterat, Agath. can. 35.

Octauò, *Quia venatore Clerico nihilo eſt Mercator melior, vendentes enim & ementes à templo eiiciens Dominus, indicauit quod mercator æterno Patri placere non poteſt*, Chryſoſt. hom. 38. in Matth. & refertur diſt. 83. can. eiiciens 11. Presbytero, quo in Deum liberiore auſu, cura omni vacuus animi ſui impetum efferret, Presbitero (inquam) nefas erat per decreta Conc. ac Pontificum res negotiaque cõtrahere, quo cõtrahi modo ſolent à Laicis queſtus cauſa, & primo quidem prohibentur in can. Apoſt. 20. fideiubere pro alio, eo quod *αἰσχρὸν κερδος τὸν κληρικὸν ὑπάρχειν ἢ διὰ κέρδος τινὸν ἐνέχεσθαι*: *Clericos non decet turpis lucri eſſe auidos: ſuſpicio ſit autem, quod iſta propter lucrum ferant*, Zonar. in eum can.

Secundò, *Vetabatur Sacerdos poſſeſſiones conducere, earũ adminiſtrationibus ſeipſum ingerere, niſi vtiq; ex lege ad inexcuſabilem impuberum tutelam vocaretur, vel ciuitatis Epiſcopus eum rerum Eccleſiaſticarũ curã gerere permitteret, vel orphanorum, vel viduarum, quibus prouideri non poteſt, & perſonarum quæ auxilio Eccleſiaſtico maxime indigent, propter timorem Domini.* Conc. Chalcedon. can. 3.

Prohibendi iſta cauſæ, multæ. Prima, quod negotiatio reciprocantium inter ſe curarum æſtu communiter ſit infamis, quibus vacui eſſe debent, qui Chriſto pleni, ſacris myſteriis inſeruiunt.

Secunda, quod Clericos non modo culpa, ſed etiã ſuſpicione eius omni carere deceat quod non niſi ægre obtinere poſſunt, qui aliena prædia colenda ſuſcipiunt, aut pro redemptoribus (quos Firmarios Barbari nominant) ac publicanis ſe gerunt: *ἀρχαία ἡ ἐξουσία τῶν τελωνῶν, antiquum enim & vetus eſt malam publicanum agere.* Zonar. in can. Apoſt. 20.

QVÆSTIO IV.

An Sacerdos teneatur aliquando vti poteſtate conſecrandi quam habet Miſſamque dicere.

SErmo mihi hic nullus de Parochis, aut Beneficiariis, quos ad id aſtringi ſtatis diebus, communis eſt Doctorum opinio, vtpote qui ad hanc Religionem exhibendam Numini, operam ſuam locatam habeant, proque ea ab Eccleſia numerata ſtipendia. De aliis ergo tota eſt diſputatio, & quæritur an Sacerdos qui eſt ſui iuris, aliquando celebrare debeat.

Et reſpondet D. Thomas 3. parte q. 82. art. 1. debere pro qua ſententia pugnant, Suarez diſp. 80. ſect. 1. Sotus in 4. diſt. 13. q. 1. art. 10. Angelus in verbo Miſſa num. 44. Nauar. cap. 25. nu. 88. Coninch. q. 83. art. 2. dub. 1. Reginaldus lib. 26. cap. 4. Sylu. verbo Miſſa 1. q. 7.

Cauſæ omnibus ita ſentiendi eædem.

Prima, quod ad contemptum Dei redundare videatur dona ſua gratiamque cum neglecto Sacrificio negligi.

Secunda, quod abſtinere Sacrificio ad longum tempus ſit contra præceptum Chriſti, quem Trid. Synodus in ſeſſ. 22. cap. 1. ait his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem, Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio vt offerrent, præcepiſſe.*

Tertia, quod huiuſce pietatis omiſſio, magnum ſit argumentum incuriæ in Presbytero eorum, quæ cum ad Dei gloriam, tum ſalutem propriam faciunt, quæ cuiuſmodi ſit, venialis an lethifera, iam videndum.

Eam à mortali ſeiungi non poſſe, ſcripſere, D. Thom. ac authores à me proxime relati, magni ac graues viri, quorum ſententiæ, ne ſubſcribam, inducor his rationibus.

Prima, quod nemo teneatur ſub peccato, vti conceſſo ſibi beneficio.

Secunda, quod eorum omiſſio quæ cultum Dei promouent, non neceſſario cohæreat vitio, niſi labem aliunde trahat.

Tertia, quod de data ſibi gratia reuocanda in vſum, conſilium ſit, non præceptum, iuxta illud Pauli poſterioris ad Corinth. cap. 6. *Exhortamur ne in vanum gratiam Dei recipiatis*, certum eſt autem quæ ſunt conſilij, non obligationis neceſſariæ, liberum eſſe cuique amplecti, omittentem autem ex eorum præſcriptione ac regula, capere vitæ inſtituendæ conſilia, vacare culpa: quare ſimplicem Sacerdotem non obligari ſub culpa mortali ad ſacrificandum ceſſante ſcandalo, dixere hi auctores Victoria de Euch. nu. 93. Bonau. in 4. diſt. 13. pa. 2. art. 2. q. 1. dummodo ſacram communionem ſumat in Paſchate cum Laicis.

Quia tamen vix Sacerdos abſtinere poteſt à ſacrificio, aliquanto ſaltem temporis interuallo ſatis longo, ſine eorum qui ſciunt, offenſione ac ſcandalo, cum diuturna eius omiſſio, habeatur pro indicio vitæ perditæ, ac voluntatis in ea perſeuerandi (quia eo referri videtur hæc celebrandi omiſſio, in quantum peccandi licentia, impediretur ſacrificio, ob eã cauſam, credo in praxi ſequendam eſſe ſententiam noſtræ oppoſitã, ne vt ſunt hominũ ingenia prona ad inertiam, illis hac facilitate animi ac benignitate ſentiendi, viam munire videamur ad ſocordiam, rerumque ſacrarum deſpicientiam: Citra hoc periculum, aut metum creandi ſcandali in conſciis, non puto vt dixi antea à Sacerdote peccari grauiter omittendo ſacrificium, quia non tenetur vti poteſtate ſibi tradita, deinde quia humilitatis eſt reputare ſe indignũ aduentu Chriſti in ſeipſum, in Euchariſtia, quo religioſo ſenſu permoti erga illum plurimi è Sanctis Patribus, animum inducere ſuum potuere nunquam vt celebrarent, etſi rite ſacris eſſent ordinibus initiati.

Sunt tamen certa tempora, quibus Sacerdoti ſacrificandum eſt in D. Thomæ aliorumque ſententia. Ac vt omittam Iuriſperitos, quos Sylu. verbo Miſſa 1. q. 7. Anton. tertia parte tit. 13. cap. 16. §. 12. dixiſſe aſſerunt, teneri Sacerdotes per ſe loquendo, celebrare quotidie, quia eſt hoc, parum veritati. Ac prudentiæ conforme, dicendum eſt, lõge magis ad rationẽ accedere, qui hanc faciendi facti obligationem, ad feſtos dies Paſchæ, Pentecoſtes, Virginis aſſumptę, & Chriſti naſcentis, reuocandam putant, quæ eſt D. Thomæ opinio, Soti in 4. diſt. 13. q. 1. art. 10. Reginal. lib. 29. cap. 4. nu. 48.

Graph.

Digitized by Google

Graph. lib. 2. cap. 38. nu. 3. A quibus diſſentiunt vt paulò ante eſt notatum Gabriel. lectione 87. in canonem Bonau. in 4. diſt. 13. parte 2. art. 2. qu. 1.

Sed priorem opinionem hac probabiliorem declarauit Pius V. in Pontificio diplomate cuius eſt hic ſcopus oſtendere, Sacerdoti aliquoties in anno litandum eſſe, quod ab eo puto dici veriſſime, nec enim eſt Sacerdotium merum priuilegium, aut ſi eſt, non videtur à ſacrificandi onere diuiſum: officium enim obire quiſque debet, alioqui præuaricaretur ſuo muneri, at ad Sacerdotem pertinet offerre Deo ſacrificium, ad Hebr. 5. cuius rei cauſa, in ſacrum Presbyterorum ordinem aſciſcitur.

Non exiſtimo tamē mortale eſſe feſtis diebus citra ſcandalum non facere, quia de ea re præceptum non eſt, ſub ea ratione obligans, argumento eſt hoc primò, quod in ſacrificio huius aut illius diei nominatim, ſalus non agatur publica Eccleſiæ aut ſacrificantis, quæ duæ res cum violantur, certum eſt peccari pluſquam communiter.

Secundò, quod graue videatur, ſine vlla lege. aut ratione efficaci ac valida, culpæ mortalis arceſſere, pleroſque mortales, quos conſtat abſtinere ſacris altaribus toto anno præterquam in Paſchate, quod eſt tempus annuæ confeſſionis obeundæ & communionis recipiendæ.

Obuciet Epiſcopis à Concil. ſeſſ. 23. cap. 14. præcipi, vt dent operam ne Sacerdotes, diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, à ſacro faciendo abſtineant, qui autem animarum curam habent tam frequenter id agant, vt ſuo muneri ſatisfaciant.

Reſpondendum id quidem Epiſcopis præcipi, ſed non Presbyteris, ac proinde, vt peccabunt illi, ſi hos patiantur aut Parochos multo tempore abſtinere ſacrificio, ita ſibi iſti optimè, & ſalubriter conſulent, ſi quod Concilio ſuadet, animum inducant pie & deuote facere, antequam tamen id illis iniungatur, non habent maiorem obligationem, quam habebant ante concilium.

QVÆSTIO V.

An ſint aliqui dies quibus operari ſacris Sacerdoti ſit vetitum.

CAuſa dubitandi eſt, quod ſacris operari quotidie, homini bene præparato ſit melius, quam ab eo opere, ſibi temperare, eſt enim Sacramentorum vſurpatio, facta eo animo, quo iura ac ratio præſcribunt, in laude ac merito, cum gratiæ ſint, ac virtutum vehicula in animum, non eſt ergo tempus vllum, quo interdicere ſe ſacrorum vſu, Sacerdos debeat.

Dicendum tamen, id cuique ſacra lege Eccleſiæ prohibitum eſſe, in ſacra die paraſceues, can. Sabatho de conſecrat. diſt. 3. prohibitionis hæc eſt cauſa, quod eo die repræſentetur Dominica paſſio, prout vere eſt exhibita, ergo non decuit eam myſtice repræſentari per conſecrationem debitæ materiæ.

Dicendum 2. mortale eſſe aliter facere, D. Tho. q. 83. art. 2. Nauar. cap 23. num. 88. Lud de Bea. tomo 1. caſu 23. Graff. lib. 2. deciſ. cap. 38. num. 13. quia hoc eſt in re graui, & quam ſeruare, plurimum intereſt boni communis, abire à conſuetudine Eccleſiæ: licet tamen eo die ſacram ſinaxim ægrotis diuidere, primò, quia ægrorum communio, non eſt ſacrificatio, Secundò, quia non decuit infirmos priuari, re ſibi ad viaticum neceſſaria.

Dicendum 3. culpa quoque vacare, qui feria quinta & Sabatho ſancto, vt aiunt, ſacro Miſſæ ſacrificio dat operam, modo ne cum ſcandalo. Quia de feria 5. nullum eſt ius ſcriptum id probibens, nec vlla conſuetudo in contrarium, legis vim habens, & ſi quod ius olim extiterit de non celebrando in Sabatho ſancto, id conſuetudine contraria abrogatum eſt, nam in vniuerſa Eccleſia offertur eo die ſacrificium, quod ſi id antiqua patrum ſæcula non ſinebant, fiebat id ab illis idcirco vt eſſet hæc ceſſatio, quietis Dominicæ in ſepulchro repræſentatio, quod non eſt tanti, vt eius violatio culpæ ſit mortalis occaſio, in non ſeruante morem antiquum Eccleſiæ, maxime cum celebratio Miſſæ eo die, illius tantum ſit anticipatio, quæ nocte ſequenti dicenda eſt, in quo ſane non videtur eſſe culpa vlla lethalis, cum tempus præuertere, quidpiam ſit leue, & quę in vſu ſunt, ſola lege Eccleſiæ, hæc abrogari ſoleant contraria conſuetudine.

QVÆSTIO VI.

An vni ac eidem Sacerdoti liceat eodem die ſacra plura facere.

NOn licere reſpondit, Innoc. III. cap. conſuluiſti 3. & te referente 12. tit. de celebrat. Miſſarum. Item Alexander 2. de conſec. diſt. 1. can. ſufficit 53. *Vt enim quia ſemel duntaxat noſtra cauſa Chriſtus eſt paſſus, ſemel die vna celebrare ſufficit, ita qui pro pecunia, inquit Pontifex, vel adulatione ſæcularium, vna die plures præſumunt Miſſas facere non euadunt damnationem.* quæ quoniam reos tantum afficit culpæ mortalis non alios, eam ob rem exiſtimo, ab ea non immunes eſſe, qui ſæpius eodem die contra ſtatuta Eccleſiæ faciunt, niſi iuſta cauſa excuſentur, quales ſunt quæ ſequuntur.

Prima Eccleſiæ conceſſio, cuius interpres eſt ac index, conſuetudo vbique inolita, vt in die natiuitatis Chriſti, Sacerdotes ter celebrent, Gloſſa in cap. conſuluiſti de celebratione Miſſarum.

Secunda, à neceſſitate oritur, quæ eſt duplex.

Prima Parochum, alia populum reſpicit, nam vt ille bis, terue ſacrificare poteſt, ſi tribus, aut duabus tantum Parochiis præſidet, in quarum ſingulis ſolitus eſt populus Miſſam audire, Suarez diſp. 80. Sect. 3. Nau. cap. 25. num. 87. ita & huius cauſa multiplicari ſacra queunt 1. Nauar. loco citato Paludanus in 4. diſt. 12. q. 1. art. 4. cum Epiſcopus, princeps, aut dynaſta aliquis genere illuſtris, ſuperuenit.

Secunda eſt, cum frequens populus, aliunde, dicto iam ſacro Parochiæ, aduenit aliter eo carituris, niſi iterato, illud cauſa ſua Parochus offerat, quod non modo feſtis diebus, ſed profeſtis quoque fieri poſſe, vt populus opportunitate audiēdę Miſſæ non priuetur, tradit Reginald. lib. 23. cap. 3. num. 172. quod Durantus lib. 1. de ritibus Eccleſiæ cap. 7. Leo Papa epiſtola ad Dioſcorum 91. ait poſſe quque fieri cum ob ſolemnem feſtiuitatem adeo frequens eſt populus, vt baſilica omnes capere nequeat, tunc enim ſi aliter eorū pietati ſatisfieri nequit, tot poſſunt iſtorum auctorum opinione Miſſæ

dici ab vno, quot ſunt neceſſariæ vt eam omnes audiant.

Eodem pertinet quod quidam de ægroto aſſerunt, obituro ſine viatico, aut de conſuetudine eius Eccleſiæ, quæ cum Miſſa communi, & aliam dicit pro mortuis, *de requiem*, vt loquuntur, nam ſi præter Sacerdotem, qui iam Miſſam celebrauit, alterius non ſit copia, cuius opera adhibeatur, in conſecranda hoſtia pro agente animam, aut faciendo ex more ſacrificio, pro mortuis: *Tunc ratio cenſetur adeſſe ſufficiens*, inquit Reginaldus cap. 3. lib. 29. num. 171. & cum eo Samuel loco ante citato, *dicendi rurſus Miſſam de die ipſe ſolemni, præſertim cum nullius detur caſus neceßitatis, tale quid agendi, de quo potius, quàm de eo, merito intelligatur illud*, quod in can. ſufficit de conſecrat. diſt. 1. approbatiue dicitur. *Quidam tamen pro defunctis vnam Miſſam faciunt, & alteram de die ſi neceſſe fuerit.* Hæc ille in quibus aſtipulatores habet ac comites, Sylu. verbo Miſſa 1. qu. 7. Angelum §. 46. Victoria num. 96. ſed vt eſt hic caſus Alexandri authoritate certus, ita mihi duo priores alij, videntur eſſe valde ambigui, nec in ſententia Suarij & Graſſij cap. 39. lib. 2. deciſ. admittendi, quanquam probare nequeo quod hic aſſerit n. 2. tempus incidere nullum poſſe, quo Sacerdoti pluries vnquam eodem die celebrare liceat, præterquam in naſcentis Chriſti feſtiuitate, oppoſitum enim Leoni primo placuiſſe video ep. 79. ad Dioſcor. Alexandrinum capitul. 2. his verbis: *Vt autem in omnibus obſeruantia noſtra concordet, illud quoque volumus cuſtodiri, vt quum ſolennior feſtiuitas, conuentum populi numeroſiorem indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam baſilica vna recipere ſimul non poſſit, ſacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admiſſis ad hanc deuotionem qui primi aduenerint, videantur hi qui poſtmodum confluxerint non recepti, quam plenumpietatis atque rationis ſit, vt quoties baſilicam in qua agitur præſentia nouæ plebis impleuerit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur.*

A

B

C

QVÆSTIO VII.

Qua diei hora Miſſam celebrare Sacerdotem oporteat.

D

CAuet Concil. ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis & vitandis in celebratione Miſſæ, ne eam aliis horis quam debitis ſinant Epiſcopi fieri, quæ cuiuſcemodi ſint tamen, non explicat, rem communem ſinguliſque fere cognitam indicare verius ac ſtrictim tangere placet quam academicè exponere, ac vt ipſe ſileam ſatis opinor oēs intelligunt, de Miſſis publicis mentionē hic mihi nullam eſſe, quarum cum ſtata ſint ac definita tempora, de iis ambigendi nullus locus eſt reliquus, quod enim in can. nocte ſancta 48. de conſecrat. diſt. 1. præcipitur, ne feſtis diebus celebrentur ante diei horam tertiam, id confirmauere Galli Antiſtites in Aurelian. 3. can. 14. his verbis: *De Miſſarum celebritate in præcipuis duntaxat ſolemnitatibus, id obſeruari debebit, vt hora tertia Miſſarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes, ipſo officio expedito, Sacerdotes poßint ad veſpertina officia conuenire.* Ecquod eſt ergo tempus priuatæ Miſſæ celebrandæ idoneum? Crepuſculi initium, quod horas communiter aiunt accidere, hora & mente ſolis ortum, ſeu eius aſcenſum ſupra noſtrum orizontem, quare cui per Apoſtolica priuilegia permittitur tempora ad ſacrificandum præſtituta præuertere vna hora aut duabus, eidem fas eſt ſine ſcelere, horis tribus aut quatuor circiter ante ſolis ortum, ad altare ſacrificij cauſa accedere.

Primò, quia aliter priuilegij vis nulla eſſet.

Secundò, priuilegia ſunt intelligenda ſecundum anticipationem totius temporis in illis conceſſi, ſupra id quod iura communia permittunt omnibus, ſed cuilibet ſacrificare horis duabus licet ante ſolis ortum, ergo ſi ad id tempus, fiat per priuilegium, duarum horarum acceſſio, erit impune illud habenti, celebrare horis quatuor ante ortum ſolis.

Negat tamen Azor 1. parte lib. 10. cap. 25. qu. 5. fas vlli eſſe duabus horis tempus commune dicendæ Miſſæ præuertere, niſi ſpecialis fiat mentio tanti temporis in priuilegio, quod ſi non notetur, ad vnicam tantum horam extendendum eſſe, Reginal. lib. 29. num 174, tradit.

Nec id concedere eſt cuiuſlibet promiſcuè, ſed Papæ ſolius, cum priuilegiū eſt generale, nec definitum certo tempore, Epiſcopi autem ex cauſa rationabili, cum ad certum tempus eſt contractum & pro aliquibus tantum vicibus, datum, conſuetudinis autē inolitæ & præſcriptę, in perpetuum, teſte Victor. de Euchar. num. 92. à qua conſuetudine habent Galli, vt tam hyeme quam æſtate, multis horis ante ſolis ortum ſacra myſteria fructuoſe celebrent, quo tam ſeruis quam operariis, materia cultus exhibendi Deo ſuppetat. Extra neceſſitatem autem, Sacerdos ab aurora ad meridiem, ſi forte ante, pietati ſuæ aduerſus Deum, ſatisfacere non potuit, ad Eccleſiæ, animæque ſuæ fructum, ſacris operabitur, non poſt, alioqui ſi à die medio, fieri ſacrum priuatum poſſet, aut publice, ſuperflua eſſent religioſorum Mendicantium priuilegia, de eo ſibi à Pontifice pro ſua ſumma poteſtate data, ab eoque magna vi precum impetrata, quia non niſi ridicule, ac inaniter, ea ſibi quis poſtulat, quæ ordinario iure, ac communi, permiſſa ſunt cuilibet.

E

QVÆSTIO VIII.

An matutinam pſalmodiam reddere Deo oporteat antea Miſſam.

CRedidit Antoninus in 3. parte tit. 13. cap. 4. parag. 4. Nauarrus de horis ca. 21. & Graff. lib. 2. deciſion. cap. 39. num. 5. culpam eſſe mortalem ante matutinum officium Miſſam dicere, quod qui id facit contra communem & probatam Eccleſiæ conſuetudinem faciat, verum ſi quidpiam firmitatis in hac ratione ineſſet, ſequeretur à conſuetudine non ſeruata, habere ſemper opera noſtra, vt ſint mala mortaliter, quod cum vlla veri ſpecie, dicere nemo poteſt, cum conſuetudinis, non ſit vis maior obligandi ad mortale, qui in illā delinquunt, quam legis, at hæc ſemper mortifera noxa eos non ſtringit, qui ei non obtemperant, ergo nec conſuetudo.

Quare eorum mihi ſententia longe videtur eſſe probabilior, qui à præmittente Miſſam Eccleſiaſticæ pſalmodię, negant facinus æterna dignum pœna admitti, quam ſubſcribunt, Sotus 10. de iuſt. qu. 5. art. 4. §. de ordine præterea, Sylu. in verbo

Missa 1. Et probatur primo, quod oppositæ opinioni A nec ratione vlla firma, nec iure nitatur.

Secundò, quod inter sacrosanctum Missæ sacrificium, & horas, nulla sit necessaria coniunctio, tatione cuius, has illi præponi ut necesse.

Tertiò, quod diuinum officium dici ante sacrum consueuerit, id hanc causam habet, non quod ordo vllus inter vtrumque sit necessarius, sed quod tempus recitandi matutini, communiter præcedat horam sacrificij, hæc enim in diem incidit, illud in noctem, aut diei primam lucem, vel partem eius aliquam ab aurora ad meridiem.

Quartò, quod inter horas canonicas, multo maior sit ordo ac certior, quam inter has, & Missam: at ille ex causa peruertitur sine vlla culpa, cum B omnium consensus habeat omissa ad tempus. Tertia v.c. vel, Sexta, Nonam aut vesperas legi posse cum Episcopo, qui ad id pietatis officium vult se ab eo iuuari qui præcedentes horas necdū dixit & tamē tertia, ac sexta non recitatis vesperas alternis cum eo recitat proponendo Tertiā & Sextā se postea dicturū, cum id illi per abscessum eiusdē Episcopi erit integrū. Neq; tamē vtnulli sum author ab ecclesiastica cōsuetudine discedendi temere, sic prudentis esse nōreor, assererem id lethale esse. Equidem hunc ordinē interuertere, homini gloriabile esse ex causa probabili, dixere magni viri de Graph. l. decis. 2. c. 39. n. 5. Sotus 10. de iustitia q. 5. art. 4. Comitol. responsionum lib. 1. q. 50. num. 3. tales sunt, populi C necessitas, iusta causa, vt si ægro danda est Eucharistia si princeps facturus iter, petit sacrum, fieri fuga scandali, auctoritas superioris ante persolutam psalmodiam Missam dici imperantis, quæ enim iunt præcepti, vt est superioribus obsequi, hæc anteponenda sunt operibus liberis, quæque mere humanæ sunt voluntatis. Quia tamen à consuetudine non est vlli recedendum temere, non crederem sine culpa veniali, matutinæ psalmodiæ Missam sine causa præmitti posse, Mortalis non est quia nullum est præceptum naturale, diuinum aut Ecclesiasticum de horis præmittendis sacrificio, venialis est, quia cum talis mutatio, sit causa communem morem Ecclesiæ, non vacat culpa.

Quid? quod Leo X. vt est in Compend. verbo Missa, paragr. 14. Minoritis indulsit, vt pluribus Missis, per vnam satisfaciant, quando pro quauis non nisi tenuis ad modū oblata illis fuit eleemosyna. Addunt Rodrig. & Portel. de dubiis Regul. in ver. Missa n. 6. Sacrificium non deberi integrum, nisi cum eius obtinendi causa, Sacerdoti tantum est oblatum, quantum dari solet in ea prouincia, Episcopo sciente & probante.

Verum enim sententia quæ sequitur, sola retineri debet, necesse esse ad vitandum peccatum, vt Sacerdos pro pluribus, qui integrum pro se quisque operæ stipendium ei soluerunt, plura Deo sacrificia offerat, non vnum tantum, ducit Theologicam hanc cohortem Melchior Canus in lib. 12. de locis theologicis cap. 13. ad 10. argumentum, ei se addidere comites, Sotus 9. de iustitia q. 2. art. 2. Petrus de Nau. lib. 2. de restitu. cap. 2. num. 314. Henriquez lib. 9. de Sacrament. cap. 22. §. 5. de Graph. lib. 2. decis. cap. 44. num. 17. Comitolus responsion. lib. 1. q. 42. num. 9. Suar. in 3. partem tom. 3. disp. 86. sect. 4. his se firmis argumentis defendit hæc opinio.

Primum, quod pollicens, fidem suam non liberat, nisi præstatione rei promissæ, at Sacerdos Missam non vni soli est pollicitus sed tribus diuersis, non de vna ergo sed de multiplici, eius est intelligenda promissio, non est ergo vnius exhibitio, fidei datæ de tribus celebrandis solutio.

Secundum non satisfit contractui hypothetico quantum est satis ad honesti rationem, probique viri officium, conditione excluſa, cui consensum suum illigatum esse contrahentibus placuit, sed id fideles ambiunt, qui pro Missæ sacrificio, sua causa offerendo principi Deo, cum Sacerdote certo pretio transigunt, quod ei cedat in sustentationem cæteraque vitæ commoda, id inquam agunt vt sibi tantū laborent, ac in communionem sacrificij nemo præter se veniat, quemadmodum præ se ferrent dicerentque haud dubiè, si de eo interrogati essent, qua spe tamen excidunt cum ex eo, nō sibi tantum sed & aliis tribus, aut quatuor, quæritur offeren- D tis Presbyteri voluntate vtilitas, attributione illis facta tam laboris sui, ac operæ, in dicendo sacrificio: quam meriti eiusdem.

Tertium, contra promissa facere non vacat scelere, at promissi religionem violat, qui specialiter non celebrat pro eo, qui illi sub conditione, & onere celebrandi specialiter pro se, iustam operæ mercedē tribuit, sed vnica Missa orat pro tribus, quibus sic Missas est pollicitus, vt haberent singuli singulas, ab ea ergo sunt mēte deducendi Presbyteri, ne contra officium viri boni faciāt. *Hinc dicimus* inquit Iacobus à Graphiis lib. 2. decision. ca. 44. nu. 17. *quod Sacerdos qui est obligatus pro aliquo* E *dicere Missam, si ei non applicet totam partem, quam tenetur applicare, sed alios adiungit, peccat mortaliter & non satisfacit.*

Et quidē quod de peccato memorat, dici id ab eo puto verissime, Quod de eius causa addit, probare nequeo: quæ duo fidem habent apertam & facilem Primo pro peccato facit præter allatas hæc ratio, quod pretij indebiti postulatio sit mortalis, si modo sit tantum quantum in furti materia ad mortale est satis, sed Presbytero, qui operam suam alteri iusta mercede addixit, stipendium pro Missa eadem, nullum est debitum, cum ex hypothesi par iam & æquale suo labori consequutus sit ab alio, quæ laboris cum pretio æqualitas, petidebet non à dignitate ac valore rei oblatæ, alioqui

QVÆSTIO IX.

An Sacerdos qui singulis, singulas promisit Missas, vna satisfaciat omnibus.

DE hoc quæstionis genere Doctorum inuicem controuersantium classes sunt duæ.

Primæ princeps est Caietanus tomo 2. opusculorum tract. 3. cap. 2. vbi magistrum sequutus 3. parte q. 79. art. 5. asserit vnius eiusdemque sacrificium, peræque multis prodesse, ac vni tantum, ac proinde sic Sacerdotem per illud fidem datam pluribus exoluere, ac si vni tantum obligata esset. Sylu. in verbo Missa 1. q. 9. & Armilla eodem verbo q. 33. hanc opinionem subscribunt ob eam causam quod cum incruentum ariæ sacrificium, infiniti sit meriti, à quantiscunque exhauriri non possit, hinc que esse quod non tantum pro designato aliquo, offerri Deo soleat, sed etiam pro ministris, Ecclesiæ, proque astantibus, vt indicat oratio canonis: *Memento Domine, &c. quorum tibi fides est cognita & nota deuotio pro quibus tibi offerimus*, vel, *qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus.*

cũ illa sit infinita, non modo à duobus,tribus, aut centum, sed à mille quoque hominibus, exigi pro offerendo vno sacrificio, mille stipendia iusta possent, ac labori æqualia, quod horret æquitas, sed ab obligatione alendi Sacerdotis, quam sine mercede esse,operantem causa nostra non decet, cum Christi Domini testimonio dignus sit operarius mercede sua,cui obligationi satisfieri constat, cum pro singulis sacrificiis,ei tantum datur, quantum est necesse vt se eo die sustentet, non omnino illiberaliter, ac maligne, sed tamen non copiose ac splendide, nec enim ex opera quam Sacerdos in celebrando defert alteri trahere omnia vitæ subsidia debet, argumento est, quod in Presbyterum instituti non debeat nisi instructus opibus, quas suum sibi patrimonium, aut beneficium Ecclesiasticum suppeditet,in sumptus diurnos at est stipendium quod in sacra singula lege Episcoporum Synodica, Presbytero penditur, aut more qui inueterauit in prouincia, tale, vt sufficere vtcunque possit depenso eius diurno, debet ergo eo contentus esse, nec proinde eodem die, vno sacro, expungere quæ in certo numero ac genere,contracta est ab eo sacrificandi pro tribus hominibus obligatio.

Confirm. fallere in re graui, aut in fraudem dolo inducere in simili materia, est mortale, at Sacerdos, petentem sacrum sub iis conditionibus, inducit vt det sibi eleemosynam,sub quibus non esset daturus si eas intelligeret:ergo peccat cum obligatione restituendi.

Confirm. 2. Sacerdos ius non habet exigendi integrum victum vnius diei ab eo, pro quo sacrum dicit, nisi veræ eius intentioni respondeat illudq; dicat,ergo eũ iuris violatio culpam habeat, ea non vacabit in casu proposito eleemosynæ indebitæ petitio.

Et hoc sensu vere mihi loquutus esse videtur Graffius, male autem eum peccati causam, à sacrificij fructu repetit, quem integrum pluribus non potest attribuere, vt tamen debet, cum à singulis singula stipendia habuit, nam est hæc applicatio spiritalis, sicut collatio iuris spiritalis ad beneficium, at sumere pro re spiritali pecuniam, malum est,& Simoniacum, male ergo scribit Graffius, ideo peccare Presbyterum,vno eodemque sacrificio satisfaciendo pro pluribus, cum integram operæ suæ mercedem, singuli ei obtulere,quod totum, vnicuique eorum, applicare debeat.

An in eo vero, lethalis culpę Sacerdos sit damnandus ambigi video, qui eam ab illius animo remouent, hanc maxime causam habent, quod singulis nominatim iniuriam non inferat, quam prudentes pro graui habere queant, nec enim octo asses, quæ summa communiter offerri solet in solutum operæ sacrificantium, quantitatem in materia furti faciunt, quæ sit mortalis culpæ capax.

Mihi sentire videntur probabilius qui eius suspicionem ac labem, ad illum ideo pertinere asserunt, quod etsi furta minima, qualia credenda sunt, quæ quantitatem non attingunt in furti materia notabilem, diuisim ac per se sumpta, non sint mortalia, collectim tamen ac vnita, ab ea fœditate excusari nequeant, cum concipiuntur, vt æquitati maxime contraria, ac cum iustitia in re non vulgariter pugnantia, vt enim notauit Lessius lib. 2. de iustitia, & iure cap. 17. dub. 8. num. 43. non vacat culpa eaque graui qui alienum sponte ac deliberate retinet in quantitate vt aiunt notabili, at terna aut quaterna sacrificantis stipendia,non sunt eiusmodi, vt cuique tenuitate sui, facile contemnenda sint ac temere, destitutæ ergo iustitiæ arguendus est, qui illa retinere satagit, officio non perfunctus trini sacrificij, cuius causa hæc illi dari à diuersis placuit,eaque restituere tenetur vt habet sacra Congregatio in decretis parag.3.

Obiiciunt contra,opinionis oppositæ Patroni, fructus sacrificij esse genere ipso multiplices,commodis admirabiles, munere omni maiores, proindeque infinitos, itaque eiusmodi qui à quibuslibet exhauriri nequeunt.

Respondendum,cum distinctione.aut enim agitur de principali offerente qui est Christus, aut de Sacerdote qui offert quidem, sed minus principaliter, ac tanquam Christi instrumentum, si priori modo intelligitur obiectio, verum est sacrificium Missæ,quâ rem oblatam continet, & quâ est actio offerentis Christi, infiniti esse pretij seu valoris, quia & res oblata, nempe caro, & sanguis Christi, diuinitati vnita,& Christus offerens, Dei filius,infinitæ dignitatis sunt ac meriti, sic loquuntur,Sotus in 4. dist.11. q.2.art.5. concl.2. Sylu. verbo *Missa* 1. qu. 9. Ægid. de Coninch.q. 83.de ritu venerab. Sacr.art.1.dub.10.num.182.

Quod si in posteriori sensu capitur obiectio,negari debet,sacrificium infinitatem habere dignitatis, æstimationis ac pretij, quia quicquid est vspiam,tam in homine, quam Ecclesia,circunscriptum est, terminatum ac concluſum, adde sacrificio nihil nobis obtineri amplius, quam quod eo, cõsequi nos Christus voluit. At ex eo,redundari in homines commoda alia noluit, quam quæ numero, vique finita essent. Sic D. Bonau.in 4.sententdist.45. art.2.q.3. in respons. ad vlt. ac valde communis videtur esse opinio, ad quam abit, Ægid. num.186. Sotus quodlibet 10. art. 2. & 3. *Virtus*, inquit,*sacrificij non adæquatur valori eius, qui continetur in sacrificio, sed correspondet alicui merito in Ecclesia, non etiam adæquatur merito Passionis Christi*, quã hic Deo Patri non obtulit,nisi vt ex ea fructus deriuaretur ad mortales definitus ac certus, idem dicendum de sacrificio, quod ab eo institutum constat ad effectum impetrãdum mortalibus, qui finito maior non esset, alioqui si nullis esset circunscriptus terminis, vno quopiam sacrificio obtineri possent homini præuenienti gratiæ,quæ numero, efficaciaque præcederent quotquot sunt olim Sanctis collatæ diuinitus, similiter vno quopiam alio, à flammis erui possent purgantibus defunctorum omnium animæ, quamlibet essent magnorum reæ criminum; quo quid rationi minus consonum dicique at non video.

Dicunt aliqui tam valorem sacrificij, quam fructum, qui communicatur actu,quidem finitum esse,syncategorematicè autem infinitum, huius opinionis defensores sunt, Sotus in instit. de sacrif. altaris lect. 7. Ægid. de Coninch. q. 83. de ritu venerab. Sacra. art. 1. dub.10 concl. 6.n 187.

Primò, quia est virtus capitis.

Secundò, quia quo quis plus deuotionis ad illud adfert, & plus quoque ex eo refert commodi.

Tertiò, quia ex eorum consortio qui sacrificanti Sacerdoti adstant, nec offerenti quidquam de fructu suo deperit, nec eorum cuiquam qui illum in ara orantem circunsistant, aut Missæ nauant operam,canendo,thura incendendo aut quopiam alio ritu ac ministerio,non tamen inde sequitur fructum ad eos pro quibus offertur, infinitum esse, quia hic respondet oblationi, & hæc consecrationi quæ fit à Sacerdote, huic autem ex oper

operato,& deſtinatione Chriſti fructus tantũ ineſt finitus, ex quo ſequitur lõge eum minorẽ fore, quo cõmunicabitur cum pluribus, nec Sacerdotẽ proinde ſatis officio conſcientiæque facturum ſuæ, ſi vnica Miſſa nomina expleat contracta occaſione pretij, recepti à pluribus, quibus ſingulis ſingula ſacrificia promiſerat. Ægidius ſupra n. 192. ſub fin.

Eum tamen excuſare poſſunt hæc quinque, inquit Palud. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. concl. 5. cui aſſentiri video Anton. in 1. p. tit. 10. cap. 2. Comitol. reſp. lib. 1. q 42. num. 24. Sylu. ver. Miſſa primo q. 10.

Primum eſt, defectus poteſtatis perſoluendi omnia quæ ſunt promiſſa, quia ad ea quæ facultatem noſtram ſuperant nulla eſt obligatio.

Secundum, conſuetudo Sacerdotum à petentibus non ignorata, quia cum volentibus non fiat iniuria, à culpa futuri ſunt Sacerdotes liberi, ſi à ſcientibus ſe pro multis quibus deſpondent Miſſas etſi ſingulas, ſolitos vnica ſatisfacere tantundem ab iis ſtipendij nomine recipiant, quantum ſi ad bonorum ſocietatem, quæ ſacrificij ſunt propria, alium non admitterent, quia tunc cenſentur illud dare gratis ac liberaliter, ſibique non diſplicere, quod ſacrificij valor integer ſibi non applicetur.

Tertium eſt pactum cum petentibus, vt Miſſa eis vnica ſatisfiat.

Quartum cum reliquarum Miſſarum numerus te aliqua compenſatur.

Quid ſi ſtipendium pingue detur alicui, pro dicenda Miſſa vna, vt aureus nummus v. c. aut duo, etiam ne futurum ei eſt integrum, ſine culpa, aliena ad eam rem vti opera, ſeruata ſibi parte aliqua acceptæ in eum finem eleemoſynæ.

Diſputant hac de re Theologi, Suarez, Vaſquez, & Soto, triplexque eſt eorum in hac quæſtione dicendi modus, vnus Suarez, alter Gabr. Vaſq. tertius Viguerij apud Bartholomæum ab Angelis in exam. ordinand. dub. 1. parag. 510.

Suar. in 3. part. q. 83. art. 6. diſp. 86. ſect. 3. ver. hac occaſione Soto de iuſtit. lib. 1. q. 3. art. 1. vtũtur hac diſtinctione, aut is cum quo de Miſſa tranſigitur magno pretio, eſt Parochus, eam poſtulantis, aut de vulgo Sacerdotum quiſpiam alius, ſi ſecundum, de eleemoſyna ſibi ſacri cauſa tradita decerpere, quod in vtilitatem ſuam, commodumque vertat, nihil poteſt. Si primum, nihil eſſe cauſæ aiũt, quamobrẽ quod de cõmuni, ſtatoq; ſtipẽdio ſupereſt Parochus ſibi ipſi retinere nõ poſſit.

Diſtinctionem hanc amplectuntur Soto loco citato & Rodrig. in ſumma to. 1. cap. 243. n. 12. Ratio eorum eſt vna, nempe quod Parochus iuſtam operæ ſuę mercedẽ Sacerdoti diſtribuens, ex eleemoſyna ſibi pro Miſſæ ſacrificio tradita, nulli faciat iniuriam, cum ipſe pro cura, ac onere prouidendi vt petenti Miſſam, ſatisfiat, reliquum ſibi retinet.

Modus alter eſt Viguerij ſupra, Petri de Ledeſma in ſumma tom. 1. de Euchar. Sacram. cap. 18. concl. 13. iſque priori oppoſitus, eleemoſynam facturo ſactum integre dandam eſſe, nec vlla ſui parte minuendam, niſi ex lege, conſuetudine, aut voluntate ſaltem tacita dantium maiora ſtipendia, quam pro more prouinciæ, conſtaret eorum partem aliquam diſtribuenti eſſe debitam.

Secus longe quam iſti opinatus eſt Gabr. Vaſquez, nam quod Curatis licere Suar. aſſerit, hoc cuiuſquemodi Sacerdotibus, per conſcientiæ leges, iuraque, permiſſum eſſe ait: eius dicto aſtipulantur Homobonus de bonis in exam. Eccl. par. 1. tract. 8. cap. 14. q. 131. Fraxinellus de obligat. Sacerdot. ſect. 3. præn. 5. Emm. Sa verbo Miſſa nu. 24. ad id tamen poſtremus hic exigit, vt Sacerdoti data ſit pecunia vt ipſe per ſe ſacra dicat: *Nam tunc*, inquit, *poteſt alios pro minori pretio conducere, qua adimet, & reliquum ſibi retinere, ſecus eſt, ſi accepiſſet, vt curaret dicendas per alios*, tùm enim, cenſetur qui ſacrificium poſtulat, eleemoſynæ ſuæ dominium integrum, in eum qui cauſa ſua, ac nomine ſacrificium Deo offeret, tranſlatum eſſe voluiſſe.

Opinio Viguerij eſt ſimpliciter vera, & retinenda, in quam iuiſſe conſtat qui ſequuntur, Fernandez in examine Theol. moral. par. 3. cap. 5. parag. 9. Pet. Arag. in 22. q. 85. art. 5. dub. vlt. potiſſima eorum ratio eſt, quod fidem omnem ſuperet, velle quenquam vt de ſtipendio, quod pro collocanda opera in ſacro, cauſa ſua faciendo, aliena manu offert Presbytero vt Parocho, aut cuilibet alteri quicquam detrahere ſit conceſſum, nam nõ tantum ſtipendij ſed eleemoſynæ quoque rationem habet, de qua ſibi Parochus, aut alius retinere ſine ſcelere quid poſſint non video, ſecus, quod illis, idem quoque permittendum eſſet Laicis, quibus ea ſtipendia credita eſſent à Domino, vt pro ſe illi ſacra facienda curarent in tempore, quod nemo dicet.

Huic rationi adiungenda ſunt ſacræ congregat. oracula, ſuper hac enim quæſtione de qua nobis eſt in præſenti ſermo, interrogata non ita pridem, reſpondit ſibi non videri poſſe ſine culpa Sacerdotem *qui Miſſam ſuſcipit celebrandam cum certa eleemoſyna eandem Miſſam alteri celebrandam committere, parte eleemoſynæ ſibi retenta.*

QVÆSTIO X.

An Sacerdoti ſit liberum precibus in ſacrificio Miſſæ vti quibuſlibet.

NEquaquam id in eius poteſtate eſſe, docuere viri magni freti authoritate Pij V. à quo prohibitum eſſe ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, ne quid ſimile ſibi aſſumant, ſed præſtitutas ab Eccleſia tam cæremonias quam preces, in offerendo ſacrificio ſeruent, patet ex Bulla quæ quia eſt ad manum ſingulis peræque ac Miſſale, in cuius fronte eſt, à nobis prætermittitur.

Neque tamen ſic ſum rigidus, vt credam omiſſionem cuiuſlibet cæremoniæ, Sacerdoti piacularem eſſe, vt enim priuatim, communibus Eccleſiæ precibus, aliquam interſerere, cum ſcandalum non metuitur, culpa eſt humana ac tenuis, ſic de vſitatis aliquam demere, aut in cæremoniis aliquid inuertere, aut facere quod Eccleſiæ ſeruare non ſit ſolemne veniale tantum eſt.

Quid ſi omiſſa ad canonem pertineant? Quorundam fuit opinio, non niſi cum mortali culpa omitti, quando eſt hæc omiſſio cum turpi fœdaque coniuncta negligentia, verum enim vt eſt fatendum ad ea ex quibus canon Miſſæ conficitur, ſtrictiorem obligationem eſſe, quia & vetuſtiora ſunt ſacrificio, & antiquiori ac ſacratiori lege ſunt ſancita, iuxta communem ſenſum Eccleſiæ, nõ eſt tamen vlla ratio, cur ſicut in præceptis aliis, materiæ patuitas à mortali liberat, non idẽ hic accidat. Quare ſi ſacrificans ſi vnum audakerum ſancti no-

men ſacrificando, aut verba aliquot ex negligentia prætereat, non erit in eo meo iudicio culpæ arguendus alterius quam venialis, ob exiguitatem materiæ, nullius autem, ſi ad eam, inaduertentia aut indeliberatio aduenial,

Sane vniuerſe de re præſenti dici hæc poſſunt: primò, quæ ſunt præter opinionem ab incogitante præterita, ſi ad naturam ſacrificij non pertineant, repetenda non eſſe.

Secundò, culpæ lethifetæ raro coniuncta eſſe, niſi à ſcandalo aut contemptu vitium accipiant.

Tertiò, frequentius peccari in hoc genere, cum præſcriptis precibus ab Eccleſia aliquid additur, publice maxime, in Dei ac ſanctorum cultu, quod Pontifex ac Epiſcopi non approbant, cum enim noui res ſit exempli, nec ſeiungenda facile à ſcandalo, ſi eſt alicuius in diuorum religionibus momenti ac ponderis, vitari debet.

QVÆSTIO XI.

An operari ſacris quotidie teneatur Presbyter & quando.

SErmo mihi hic de eo nullus, qui ius habet ſacrificij liberum, cuiuſmodi cenſendi ſunt oës, quorum non eſt opera in procuratione Parochiæ, aut alicuius beneficij addicta, de his eſt quæſtio quorum ſibi quis fidem, operaſque certo pretio obſtrinxit ad ſtatum Miſſarum numerum, vt triginta ex Beati Gregorij formula, pro defuncti anima, aut ad annum vnum, ad ei impetrandum in acerbiſſimis purgantis flammæ cruciatibus ſubſidium, vel aliter &

Dico primò, *Peccare mortaliter qui illico ac commode poteſt nõ liberat fidem ſuam obligatam ad certa ſacrificia pro mortuis, aut vtilis, in dubiis ſuis temporibus, ea poſtulantibus, ad peccati remedium vel afflicti animi ſolatium*, in hanc me mentem inducunt argumenta ſequentia.

Primum, quod fidem fallere in re graui, & quæ alteri non vulgariter incommodat, ac nocet, culpa ſit communi maior, at qui ſacrificia defunctis promiſſa prorogat, aut in hebdomadas, menſeſque, diem de die trahens reiicit, eam defuncto infert iniuriam, qua grandiorem quiſquam vix poteſt, vt enim acrimoniæ ignium purgantium, cedunt huius vitæ tormenta omnia, ita mortuo, quem in eis ad expiationem animi peccata ſua inclusum ſtringunt, durius accidere nihil poteſt, quam cruciatum hunc ſuum produci, vel ad momentum temporis, quare ſi is æquitatem cum fide cenſendus eſt lædere, qui proximum damno graui percuſſit, pollicitis non ſtando, multo magis, qui quæ pro mortuo ſacra facturum ſe recepit, Deo quam citiſſime poteſt non exoluit.

Secundum debitum non pendere cum potes, eſt malum, ſic enim re ſua priuas dominum nec ſine eius iniuria, quæ hoc eſt futura grauior, quo debitum quod ei non redditur, maius eſt & amplius, at eſt Presbyter, defuncti debitor, & in eo rerum genere, quibus nulla alia poteſt ei eſſe vtilior, aut cum negantur damnoſior, ergo &c. hanc ſententiam inuenerunt & probauerunt, Sylu. Miſſa 1. q. 10. in fine Petrus de Naua. de reſtit. lib. 2. cap. 2. num. 366. Reginal. lib. 23. num. 236.

Dico ſecundò, *Sacerdotem non teneri, ſub peccato ſacra omnia eo ordine ac modo pro defuncto dicere, quem præſcripſiſſe S. Gregorium memorant.*

Primò, quia fœda turpiſque ſtipulatio, nullius eſt roboris: lege generaliter ff. de verbo obligat. lege mercedem, cod. de conditione ob turpem cauſam, at promittere ſacrorum numerum quẽ præfixiſſe Gregor. dicitur, eoque illa ordine exequi, quem illius ſtudioſi tenent, malum eſt & turpe, quid enim magis contra prudentiam, quam à ſolemni Eccleſiæ diſcedere? eius præſcriptum non tenere, ab eius more abire? ecquid vero id efficit, qui inſtituto Greg. Miſſam dicit *de Requiem*, aut Quadrageſima, cum Chriſti reſurgentis gloriam, nati charitatem publice Eccleſia recolit, vel non præſcribit Gregorius certum in ſacris ipſis ordinem quem peruertere non liceat? Sic enim hi aiũt, qui vim in Gregorianis ſacrificiis ad animæ hærẽtis in purgatorio igne ſolatium, ac eiuſdẽ ab illo liberationem deprædicant, iis initium eſſe oportere à Miſſa de Dominica prima aduentus, cui ſubtexenda eſt de natiuitate, tertio loco de ſancto Stephano protomartyre, quarto de ſancto Ioanne Euangeliſta, quinto de Innocentibus, ſexto de Epiphania, ſeptimo de octaua Regum, octauo de Purificatione, nono de Septuageſima, decimo de Dominica prima quadrageſimæ, vndecimo de Dominica 2. eiuſdem, duodecimo de Dominica quarta quadrageſimæ, decimotertio de Annunciatione, decimoquarto de Dominica in ramis palmarum, decimoquinto de cœna Domini, decimoſexto de reſurrectione Chriſti, decimo ſeptimo, de Aſcenſione Domini, decimooctauo de Pentecoſte, decimonono de feſto Trinitatis, vigeſimo de Dominica prima poſt Pentecoſtem, & ita de reliquis quas ſeriatim explicatas reperies in Miſſali Romano.

Confirmatur, ſi ſunt hæ Miſſæ dicendæ eo ordine quem diximus, ideo maxime, quod ſunt poſtulatæ à propinquis defuncti, ac à Sacerdote ſic promiſſæ petentibus, vt in iis mutatio per eum nulla fieret, at ab hac ratione, vis defenſioni aduerſariorum eſſe nulla poteſt, nam obligationes quæ ad malum inducunt, aut peccata fouent, tolerari non debent, quo de genere præſentem eſſe ſciet, qui ſecum ipſe reputabit, Sacerdoti ritus Eccleſiæ ſeruandos eſſe, nec ab ordine quem in concilio cuique poſthac in ſacrificando tenendum ſtatuit, recedendum eſſe, quod tamen impune eſt omnibus, ſi quod Gregorius inueniſſe in ſacrificiorum numero & ordine dicitur, ſequi in operando licet, quid enim turpius quam non obſequi Eccleſiæ, vel quid fœdius, quam cum lacrymis habenæ ſunt laxandæ, vt quadrageſimali tempore, ob patientis Chriſti memoriam, præ ſe gaudium ferre? vt facere tamen eum eſt neceſſe, qui reſurrectionem ſacrificando recolit eo tempore, næ ergo eſt hic cuique mos vitandus, qui inueterauit in pluſculis prouinciis, vt quacunque tempeſtate de reſurrectione ſacrum pro defuncto facere Presbyteri audeant, Gregorij Papæ inſtituto vt aiunt.

At enim meam (inquies) ſum operam, in hoc ſacro miniſterio ad menſem pactus propinquis defuncti, à qua pactione, quia eſt honeſta, recedere mihi non eſt integrum, eſt ergo in eius præſtatione, modus mihi ordoque adhibendus, quem præcepiſſe dicitur Gregorius.

Neganda eſt conſequentia, quia omnis obligatio è conditione eſt apta, quæ ſi eſt inhoneſta, ſi inquinata adiunctione flagitij, nec obligatio, nec ius interpoſiti pacti, aut promiſſi vllum oritur, quale hoc eſſe omnes intelligunt, eamobrem

quod turpis ſtipulatio contractus formam non retineat quæ eſt legitima contrahentium conſenſio.

Neque tamen fallere pacta conuenta Sacerdoti licitum: enimuero hac ei lege cum propinquis defuncti conuenit, vt pro eius anima 30. diebus non interruptis ſancte ac religiosè Deo litaret, nam id iis eſt cordi ante omnia, vt hic eius propitietur manibus, quæ duo Sacerdoti conſequi licitum eſt, etſi ordinem cuius per nos facta eſt mentio in ſacrificijs non teneat, tantumdem enim Deo offertur vno ac alio, nec ſi vis ſacrificii ſpectetur, plus ſpiritalis opis auxiliique confert animæ Miſſa *De requiem*, quam alia quælibet, cum vtrobique Deo Patri, dilecti filii ſui carnem & ſanguinem Presbyter offerat, ac ſi quid accedit vni, quod deſit alteri, id totum eſt tribuendum precibus, quæ ex inſtituto Eccleſiæ, ſuſceptæ ad propitiandum Deum pro anima, vt eius dolorem leuant ſic eidem Deum potentius mitigant quam aliæ.

Dico tertiò, *Cum pro ſe quis quotannis aut diebus ſacrum ſiers cum Sacerdote conuenit peccare hunc, ſi pactum per ſe aut alium non implet.*

Primò, quia nunquam culpa vacat promiſſa non facere cum id fraudem ac inconſtantis in propoſito animi leuitatem oleat.

Secundò, quia Sacerdos, contra quàm promiſit, ſacrificium non offerens, cum cui fidem in hoc ſuam deuinxit, priuat re ſibi maxime vtili, ac debita, quod qua ratione id facere hic ſine culpa poſſit non video.

Tertiò, tam eſt Sacerdos in vitio, ſacrum vt recepit, aliena cauſa non faciens, quam qui operam ſuam ſicut eſt conſtituto pretio pactus, alteri non defert. At hunc expertem culpæ eſſe nemo iure dixerit, ergo nec illum, quocirca ſtipendium pro ſacro quod non fecit, oblatum ſibi ac receptum rependere ex fide debet, niſi id eum qui obtulit nolle conſtet. Quia contractui cui conditio eſt aliqua addita, vis transferendi dominii non conuenit, conditione cum qua initur abſente. At inter Sacerdotem, & dantem pretium pro ſacrificio, pactio interuenit explicanda his verbis do vt facias, cum non gratis ac liberaliter eum hac ille quantulacunque ſumma pecuniæ donet, ſed ea lege vt pro ſe ſacrificet, id ergo ſi non fecerit, cuius cauſa eſt ei memorata pecunia data hanc domino integram nullaque ſui parte diminutam redhibere debebit.

Huic certæ opinioni contraria eſt Graphii ſententia lib. 2. deciſ. cap. 38. num. 8. Valerii tomo 2. praxis lib. 23. num. 237. Lud. de Bea tomo 1. caſuum caſu 23. quorum hæc eſt firma vnicaque ratio quod ea ſtipulatio emolumento alterutri contrahentium eſſe non debeat, quæ flagitii faciendi aut facti cauſa concipitur lege ſi plagii ff. de verb. obligat. Eiuſmodi eſt præſens enimuero cum ſit difficile homini occupato, maxime bene præparatum pectus ad ſacrificium quotidianum afferre, daretur ei peccandi prope certa occaſio, ſi quotide deberet ad illud animum appellere.

Cui argumento duplici hac reſponſione occurritur.

Prima, quod Sacerdoti ius eſt omni tẽpore contritionis exercendæ liberum: poteſtas quolibet momento temporis redeundi per amorem peccatique odium ad Deum, quo ſi officio non fungitur, imputet ipſe ſibi vitium hoc, non alteri.

Secunda, cum eius opera non ſit addicta ſacro huic miniſterio neceſſario, ſed quatenus illud obire per ſe ſatagit, non alium, in eius eſſe poteſtate, cum eſt ad ſacrificium imparatus, ſibi in eo ſubrogare alium, in quo quid ſit periculi, quid peccati, aut maculæ, aduerſariorum eſt dicere.

QVÆSTIO XII.

An Sacerdos poſſit ſine culpa plura à pluribus ſtipendia recipere pro eadem Miſſa, quando ſingula ad eius ſuſtentationem non ſufficiunt.

RESpondeo videri mihi mortale non eſſe plures à pluribus eleemoſynas conſequi, ſi earum quælibet non eſt alendo Sacerdoti eo die idonea. Anglez. par. 4. de valore Miſſæ art. 2. concl. 2. Fernandez in examine Theologiæ par. 3. cap. 5. parag. 8.

Primò, quia ratio exigendæ mercedis in Presbytero, dum alteri operam ſuam ſacrificando accommodat, propria eſt eiuſdem ſuſtentatio, ergo ſi illam vnus totam non ſuppeditat, iuſta eius ſupplementa ab alio dari, & peti poterunt, valet enim in hac cauſa Pauli verbum 1. ad Corint. 9. *Qui altari deſeruit, debet & de altari viuere.*

Secundò, cum Sacerdoti minus datur pro Miſſa quam ad depenſum eius diei exigitur, tacite ei ab illo permittitur, qui illius operam ad ſacrificium conducit, vt ſibi aliena beneficentia conſulat, iuſtam hic ergo querendi cauſam non habet, ſi cum alio, ſacrificij fructum aliquem Sacerdos communicet, maiorem, aut minorem pro ratione acceptæ ab eo eleemoſynæ.

Quare magnopere ei author eſſem, cum impar honeſtæ ſuæ ſuſtentationi, pro eo die merces datur, ne ei qui illam offert, Miſſam integram ſpondeat, cum enim pactorum fides ſit implenda cap. 1. de pactis, ea alio deflectere, aut non facere, nulli credo licere, ſine ſcelere, cuius ne in ſe proinde fœditatem, ac maculam Sacerdos concipiat, omni eſt ei ope connittendum, ne promittat quæ facturum ſe non ſperat.

Et communem eſſe hanc opinionem docet Antoninus Diana in tract. 14. reſolut. 7. quam defendunt, Nugnus in 3. partem to. 1 q 83. art. 1. dub. 9. concl. 2. Canus in locis Theologicis lib. 12. ca. 13. Soto in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. Coninch. qu. 83. de Euchar. dub. 10. num. 192. Filliuc. to. 1. tract. 5. cap. 6. num. 189. probantque hoc argumento. Quod iniquiſſime faceret, qui Sacrificium cauſâ ſuâ Deo offerri totum vellet, pro tenui ſtipendio, id enim non eſt aliud, quam exigere integram operam Sacerdotis, pro mercede, quæ ſit ei inæqualis, ac impar, quod eſt contra iuſtitiam, quare concludendum aiunt, Sacerdotem contra officium viri boni non facere, cum laboris, ac operæ ſuæ, in ſacro faciendo, mercedem ab alio recipit, quæ cum prioti, tantum ei pecuniæ tribuat, quanta ad iuſtam ſuſtentationem eo die ſibi eſt neceſſaria. Aſtipulatur huic ſententiæ Ludou. de Beia par. 1. caſuum caſu 12. vbi ad argumenta, quibus vſi ſumus, alia multa aggerat, potentiora ſunt, quod mos apud Sacerdotes inualuit, vnica vt Miſſa, ſatisfaciant pluribus, à quibus iuſta ſibi non ſunt operæ ſuæ numerata ſtipendia, quod Sacrificii infinitus ſit valor, quod fideles tacite conſentiant, ſibi vt Presbyteri prouideant de iuſta mercede.

Qualis eſt exiſtimanda, quæ Epiſcopi lege con-

suetudine patriæ, definita est, pro sacris singulis, Ægid. proxime citatus num. 192. At enim stata hæc (inquies) certaque esse nequit pro omnibus, vt enim origine, doctrina, meritis, & conditione Sacerdotes ab inuicem differunt, ita nec omnium esse debet par & æqualis viuendi modus, pluribus delicati ac nobiles indigent, quam qui obscuro nati loco, parare sibi illi epulas nequeunt, his ad domestica ministeria, cuiusquam opera non est necessaria, exigere ergo illi possunt quod sibi & seruo, ad annonam eius diei sufficiat non posteriores, cum nullum habeant.

Consuere propterea aliqui, à recto Sacerdotem non abire, si in postulauda eleemosyna quæ ad victum vnius diei sufficiat pro Missa dicenda, domesticorum, stirpisque suæ rationem habeat, maximeque Patris & matris, quos calamitas eo redegit inopiæ, cui occurrere ipsi, nisi mendicando non valeant.

Dixit hanc sententiam Nugnus in 3. par. to. 1. q. 83. art. 1. dub. 10. concl. 4. Orellana apud Vegam in summa to. 2. cap. 41. casu 1. Contrariam Ægid. loco citato ad quem concedo ob has causas.

Prima est, quod Presbyterium id est Sacerdotium sustentando Sacerdoti eiusque propinquis, non sit institutum; cum ad illud admitti nisi moderatis instructus opibus canonum lege non debeat' cap. non licet cap. Episcopus de præb.

Secunda, quod sit quidem caritatis, inopes alere, Presbyteri propinquis bene velle, eorum inopiam subleuare opibus, ad id tamen hoc præcise nomine non teneri, quod propitiando sibi numini Presbyterum, eorum filium aut nepotem in altari adhibeant, istius quidem esse potest ac debet hæc cautio, non eorum, qui sacrum sibi ab eo procurant. Deinde est improbabile, hoc cuiquam æquitatis leges permittere, vt pro opera tantilli temporis, quantum faciendo sacro impenditur, quod semi horæ spatium non excedit, exigere ei vt liceat vnde sibi propinquisque ad victum vnius diei suppetat.

Multo minus potest à pluribus stipendia plura pro eadem Missa petere, si singula sufficiunt ad frugalem vnius diei victum.

Primò, quia acceptando eleemosynam, tacite promittit ei, à quo tribuitur, sacrum integrum, quod tamen non est facturus, cum dimidium eius sit daturus alteri, à quo nouum ei stipendium offertur, in quo præter mendaciam, species quædam interuenit iniustitiæ, quę est vitanda singulis.

Secundò, quia suauitiam Sacerdote indignam redolet, pro re sacra stipendium, iusto amplius, exigere, maiusque, quam Episcopus mosque patriæ definit.

Quid si minus detur, sibique nihilominus sacrum integrum à Sacerdote offerens postulet? Sacerdoti promissis standum esse dixere Ægid. supra Fraxinellus de obligat. Sacerdot. sect. 4. concluſ. 2. Homobonus de Bonis in examine Eccles. par. 1. tract. 4. cap. 13. q. 118. proindeque ei soli fructum sacrificii integrum applicandum esse, eo quod aliter violaretur pactorum fides.

Ab his recedunt Suar. in 3. part. to. 3. disp. 86. sect. quarta, Diana par. 1. tract. 14. resol. 7. *Quia tali*, inquit, *Sacerdos fit iniuria: cogitur enim ob paupertatem inæquale stipendium acceptare, potest ergo non obstante priori pacto se indemnem seruare, sicut famulus aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum resarcire, etiamsi initio con-*

A *ctus sit ob paupertatem paciſci pro iniusto & inæquali stipendio.* Hæc Suar. cuius sententia est probabilis securior tamen ac probababilior altera.

QVÆSTIO XIII.

An sit peccatum celebrare Missam sine priuilegio, ante auroram, vel post meridiem, & quibus id sit permissum.

CAusa dubitandi duplex prima, quod Missa solemnis cui populus interesse iubetur: *Exceptis*
B *Deo sacratis fœminis, quibus mos est, ad publicum non egredi, sed Claustris Monasterij contineri*, can. & hoc attendendum est 51. distinct. 1. de consecrat. non nisi hora tertia, *aut prima diei parte fieri debeat*, can. Necesse est 51. eiusd. dist.

Secunda, quod id non liceat Religiosis, nisi per priuilegium, quod superfluè peteretur ab illis, & sine causa, si cuilibet iure communi permissum esset ad altare, Missæ faciendæ causa accedere ante auroram, aut post meridiem.

Dicendum est tamen primo, nemini suadendum esse, vt à communi consuetudine Ecclesiæ abeat, quantum ei per tempus, negociaque fas erit, quia cum consuetudinis, vsusque longæui
C non sit leuis auctoritas secundum Innoc. 3. & Greg. 9. in cap. 9. & 11. de consuetud. vulgoque habeatur pro lege can. diuturni mores 6. dist. 12. proindeque sit seruanda, cap. ad Apostolicam 42. de Simon. & dist. 12. can. 7. ab ea recedere, in modo celebrandæ Missæ, aut delectu tẽporis præstituti ad eam religionem Deo exhibendam, nemini potest esse laudabile.

Dicendum secundo, non videri mihi tamen eos peccare, qui ex iusta causa anteuertunt auroram, aut post meridiem, tantillo temporis spatio sacrificant.

Primò, quia, *quod non est licitum in lege, necessitas illud licitum facit*, de regul. iuris reg. 4.

D Secundo, quia vt habet commune axioma, parum eodem loco habendum est ac nihil, & modica damna tolerantur 12. q. 2. can. Terrulas.

Argumenta in contrarium allata, solutionem habent facilem, in priori enim, fit tantum mentio eorum quæ communis vsus Ecclesiæ exigit. Secundum, non est ad rem, cum Religiosi Papæ beneficentia, concessa singulis tempora ad celebrandum, præuertere possint horæ vnius spatio, quantum & quale, non est permissum Presbyteris promiscuè, sed leue tantum, idque ob causam, vt si verſantur in itinere, vel si postea non sint habituri tantum otij, quantum est necesse, vt curis omnibus expediti, Deo cultum per sacrificium deferant, quæ
E est opinio, Graff. lib. 2. decision. cap. 39. numer. 3.

Potest tamen, excommuni DD. sententia, tam secum, quam cum aliis, ex iusta causa, Episcopus dispensare, & ex consuetudine præscribi licentia præueniendi auroram, præsertim quandǫ illa nititur rationabili fundamento, vt dictum est antea.

Altera fuit quæstio, *An, & quibus ex concessione Papæ liceat, sacrum facere, ante auroram, aut post meridiem.*

ET Dico licere id omnibus, cum ea moderatione, de qua in superiori quæst. facta est mentio. Religiosis, congregationis S. Iustinæ, dum sunt in itinere

Digitized by Google

itinere, hora ante auroram, item Religiosis Cle- A
ricis Societat. Iesu, pari tempore, primis id con-
cessit Gregor. XIII. postremis Pius V. teste Ca-
pucino in addit. ad Compend. verbo Missa, fol.
212. & post illum Azor. to. 1. l. 10. cap. 25. Portel.
in lib. de dub. regul. ver. Missa 1. num. 3. Et quo-
niam multis est in more, non seruare cum tanta re-
ligione hæc tempora, vt notam effugiant violatæ
legis Ecclesiasticæ, tueri se solent alio priuilegio,
quod Minoritis, absolutè & sine restrictione à
Leone X. concessum esse scripsit Rodrig. to. 1. q.
43. art. 2. vt cum facultate suorum Superiorum im-
punè, ac sine culpa, fas illis esset, qualibet hora
post matutinam, sacrosancto Missæ sacrificio ope-
ram dare, quod priuilegium reuocatum non esse
probant Rodrig. supra Miranda to. 1. q. 40. art. B
10. concl. 2. asseritque Suar. quemlibet, sine pri-
uilegio, posse licitè, ac honestè sacrum celebrare
duabus horis, ante ortum solis, post meridiem au-
tem, vsque ad horam tertiam, Missam posse dici
tradit Nau. cap. 25. num. 85. causam ita asserendi
vnam habet, nempe quod id olim esset in vsu, vt
patet ex can. solent 50. distinct. 1. de consecrat.
nec vllo sic Pontificis decreto, reuocatum po-
stea.

Sed id cuiquam consuli, hoc tempore posse, pru-
denter ac iustè non puto, quod consuetudo Eccle-
siæ, Pontificum approbata iudicio, sit contraria,
quam seruandam esse communis est DD. opinio,
saltem ne quis diu post meridiem sacrum inchoet,
quod Religiosis ex priuilegio facere hora post me- C
ridiem vna, permissum esse, docent ante citati
DD.

Huic quæstioni agnata est altera, *An Missa, alia lingua dici possit quam Latina.*

REspondendum, sine violatione præcepti Mis-
sam integram, aut eius partem recitari à Sa-
cerdote posse, qua lingua illi collibuerit, quia con-
traria sententia, nec iure aliquo nititur, nec vlla
certa ratione, non iure, quia Ecclesiastici, aut diui-
ni vestigium, in scripturis, aut Conciliis, ac Pon-
tificum decretis, nullum extat, natura autem, ac
bene instituta ratio, non abhorret à precibus, quæ D
pronuntiantur alia lingua, quam Latina.

Confirm. Quod de se ac naturâ sua est malum,
nullibi est licitum. At vsus, longa multorum anno-
rum serie firmatus habet, vt Lutetiæ, certo anni
die, sacrum Missæ sacrificium, linguâ Græca ce-
lebretur, in æde sacra Franciscanorum: ergo
&c.

Neque huic responso officit Pij V. constitutio,
quæ omnem adimit facultatem Latinis, celebran-
di diuina officia more Græco, quia vt recte nota-
uit Comitol. lib. 1. respons. quæst. 50. aliud est
mos, aliud lingua, & qui in eorum alterum pec-
cat, non est illico existimandus, reus alterius E
esse.

QVÆSTIO XIV.

An sacrum in æde priuata facere Sacerdos possit & quando.

QVæstioni satisfacit Fœlix Papa IV. epist 1.
ad Orthodoxos, his verbis: *Sicut non alij, quam sacrati Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec sacrificia super altare offerre, sic nec in aliis, quam Domino sacratis locis, id est in tabernaculis, diuinis precibus à Pontificibus delibatis, Missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas.* Attipulatores habet, ac opinionis suæ subscriptores, Clementem epist. 3. Sylvest. vt habetur dist. de consecrat. can. 15. atque adeo praxim vniuersam Ecclesiæ, constat enim, Romanis legibus, interdictum esse Episcopis, cum in vrbe versantur, celebrare extra Ecclesiam, absque Romani Pontific. expressâ licentia, Ludouic. de Beia parte 4. casu 33. quam raro eis concedi, scribit Nau in manu cap. 25. num. 81. sibique non nisi ægrè tributam, deprecante Cardinali Sauellio, ac senium, cuius aliqua videbatur habenda ratio, Pontifici proponente, ad explicationem, & relaxationem legis suæ.

Possunt tamen Episcopi iusta ex causâ subiectis sibi populis facultatem dare celebrandi extra Ec-
clesiam, loco decenti, ac honesto, vt decernitur de Consecrat. dist. 1. can. 34. & 30. his verbis: *Concedimus, vt ficubi à malis Christianis, seu qualicunque alio modo, Ecclesia fuerint incensa & combustæ in capellis, cum tabula consecrata, Missas interim celebrari.*

Ex his patet primò, iure communi antiquo ne-
fas esse sacrificium offerre Deo alibi quam in tem-
plo ab Episcopo consecrato, aut benedicto, vel
certè in Oratorio per eum ad hoc designato patet
ex canonib. citatis 11. & 15. dist. primæ de Con-
secrat.

Secundò patet ex dictis, ad sacrificandum licitè,
semper fuisse necesse, vt locus ad id designatus, sa-
cer esset, colligitur ex his verbis: *Nec in aliis quam Domino sacratis locis, id est in tabernaculis à Pontificibus delibatis*, non ergo satis erat, ad vitandam culpam, benedictum eum esse, sacer esse debebat, ac à profanis, semotus, per preces, ad id specialiter ab Ecclesia institutas.

Patet tertiò Episcoporum, hoc tempore facultatem esse longe minorem, quoad hoc, quam olim fuerit. Tunc enim per eos concedi poterat vt Missa celebraretur vbilibet, modo locus honestus esset ac decens, vt innuitur in can. Missarum & can. hic ergo de Consecr. distinct. 1. nunc ad decentiam accedere debet eiusdem loci destinatio per Episcopos. Ita Concil. sess. 22. ibi enim eis præcipit: *Ne patiantur priuatis in domibus, aut omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à secularibus aut regularibus quibuscumque peragi.*

Quo decreto Concil. derogatum esse priuilegiis Mendicantium, de celebranda Missa extra locum sacrum scripsere Ægid. de Coninch. Piasec. prax. Episcopal. parte 2. c. 3. num. 12. de Beia parte 4. cas. 35. Quanquam non desunt, qui id illis peræ-
quo ac ante, permissum esse asserant, quod Pius V. eorum priuilegia omnia, licet Conc. Tridentino

contraria viuæ vocis oraculo confirmauerit, ex quo inferunt, posse eos, in loco quolibet, modo decenti ac honesto, offerre sacrificium super altari portatili, cum per Concil. sublata non sint, abrogataque, eorum ea de re priuilegia. A

Quod Episcopum quoque posse concedere Laicis, vbi aliqua necessitas occurrit quæ per se non sufficeret, vt aliquoties in loco profanis vsibus addicto celebrent, opinio est Ægid. de Coninch. qu. 83. art. 3. dub. 1. num. 225. Suar. disp. 81. sect. 3. eaque probabilis.

Primò, quia Concil. non vetat absolutè, Missam extra Ecclesias fieri, sed hortatur Episcopos, ne in concedenda hac facultate, sint faciles.

Secundò, cum causæ incidere multæ, eæque grauissimæ possint, sacri faciendi extra templum, vt in coitionibus populi processionum causa die festo ad certum locum, vbi illud omnes nō possunt audire, vel cum est Ecclesia diruta, abhorret enim à prudentia, ac humanitate, qua oportet Episcopos esse præditos, tam seuere ac illiberaliter habere subditos sibi populos, omnem vt illis præcisam esse velint potestatem colendi Numinis, vt facerent, si tùm, cum aliter nequit fieri, nollent Sacerdotem sacris operari, in loco communi, ac profano, decenti tamen, quare hoc isti, ab illis, in necessitate permitti posse, non est improbabile. B

At enim quoties & quam sæpe lege Ecclesia, Sacerdoti licitum est sacrificare vno eodemque die?

NOn licere, sæpius respondit olim Alexander Papa secundus, patet ex can. sufficit de Consecrat. distinct. 1. præterquam in die nascenti Christo sacro, can. consuluisti, eadem distinct. C

Excipiendi casus sequentes, primus, est, cum post Missam, superuenit vir primarius, cuiusmodi est Episcopus. Samuel de Lublino verbo Missa, num. 4.

Secundus, cum non suppetit Sacerdotum copia, qui operam suam fidelibus deferunt, tanta, quanta requiritur, vt omnibus pagis satisfiat, ob eam causam, facultatem à Leone X. Polonis factam esse anno 1515. aiunt, fas vt esset Sacerdotibus, ob eorum penuriam, diebus festis ac Dominicis, in duabus Parœcijs sacrum facere, modo ne purificationem (vt aiunt) in priori sumerent, quod & Gallis in vsu esse, de Episcoporum consensu, ac voluntate, ob Ecclesiarum viciniam, earumque inopiam, res ipsa indicat, cum enim redditus non habeant, duobus Parochis alendis idoneos, ne populus sacrificio careat, vni eidemque dictas Parochias, cum potestate, sacrificandi in vtraque, diebus festis, ac Dominicis committere, è gloria Dei, reque communi Ecclesiæ, iudicauere Episcopi. D

Tertius casus est, cum corpus defuncti sepulturę mandari debet, mosque Prouinciæ, longa annorum serie firmatus obtinuit, ne id sine Missa fieret, Nauar. cap. 25. manual. num. 87. Lublinus supra.

Circa prædicta vero de Missis dicendis in loco religioso ac sacro quæritur. E

QVÆSTIO XV.

An facultas, concedenda fidelibus, vt priuata sibi habeant Oratoria, in quibus Missas, domi suæ audiant, absoluta esse debeat.

TAlem esse non posse, hæc necessaria ratio peruincit. Quod beneficia quibus bene meremur de aliquo, extra eius noxam, aut cuiuspiam tertij esse oporteat, alioqui non beneficia, sed exitia dicenda forent, quæ in perniciem innocentis verterent, at facultas erigendi sibi Oratorij, ac in eo audiendi sacri, quoties erit collibitum, nocet Parocho, si indefinite detur, ac sine limite, sic enim priuatur iure oblationum, quas certis anni temporibus, à Parochianis inter sacra Missarum solemnia recipit.

Quid? quod in Concil. Agathensi, fideles, quibus oratorij ius est concessum ab Episcopo, iubeantur se ei sistere, Parochiæque Missæ audiendæ causa interesse, in præcipuis festiuitatibus anni? iuuat audire Patres. Sic ergo illi in can. 14. *Si quis extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinarius-que conuentus, oratorium habere voluerit, reliquis festiuitatibus, vt ibi sacrum audiat propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus. Pascha vero, Natalis Domini, Epiphania, Ascensione, Pentecoste, & Natalis S. Ioan. Bapt. & si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus aut in Parochiis audiant: Clerici vero, si in his festiuitatibus, quas supra diximus, nisi iubente aut permittente Episcopo, ibi Missas celebrare voluerint, communione priuentur.* Erunt hæ ergo partes Episcopi, dare operam, vt literis quibus Oratorij domi faciendi facultas dabitur, inserantur sequentia.

Primum, vt rebus omnibus ad Missam necessariis, id est sacris vestibus, libro, calice, cæteroque sacrificij apparatu sit instructum.

Secundum, ne humanis commerciis pateat expositum.

Tertium, vt sit ab actibus familiæ, domusque liberum.

Quartum, ne Parochiæ, eiusque iuribus vllum afferat præiudicium, proinde eam frequentandam videri, in Paschate. Natiuitate, Pentecoste, festo Omnium SS. & Patroni loci.

Quintum, ne ad supra memoratum Oratorium admittantur sacri audiendi causa alij, quam qui sunt de familia, eiusque fumulatui addicti, cui est permissum.

Quæ omnia facultatibus de construendo domestico Oratorio apponi consuesse, Romæ & in Italia, author est Piasec. in praxi cap. 3. parte 2. art. 3. num. 13.

Digitized by Google

QVÆSTIO XVI.

An qui recepit ſe pro defuncto facturum ſacrum, anno integro, teneatur ſub peccato, quotidie offerre Sacrificium, cum iis precibus, quæ pro mortuis dici conſueuere in Eccleſia.

QVæſtionis huius pars prima, non ſimiliter diiudicatur ab omnibus, exiſtimant enim Zanard. in direct. Theol. par. 1. de ſacrif. Miſſæ c. 13. Fraxinel. de obligat. Sacer. ſect. 4. concl. 4. Bonac. de Sacr. diſp. 4. q. vlt. punc. 7. parag. 2. num. 16. Sacerdotem non liberare fidem ſuam, niſi per ſe aut alium, Deum defuncto in Miſſa propitiet. Etenim cum in certo numero Miſſarum, & genere, contracta ſit Sacerdoti cum propinquis defuncti obligatio, honeſta ac iuſta, contra honeſti rationē facturus eſt, ſi promiſſi religionem violet.

Quid? quod defuncti animus, deſtituetur auxiliis cœleſtibus, ſibique ad cruciatuum tolerantiam quos patitur in Purgatorio, non inutilibus? vt eſt ergo contra humanitatem, miſeris opem negare, contra pacta conuenta fidem datam non præſtare, non erit à culpa infidelitatis ac iniuſtitiæ, Sacerdos liber, ac vacuus, ſi vt ſpopondit Miſſas ſingulas, diebus ſingulis non dicat.

Contra nituntur Nau. to. 1. conſil. lib. 1. de præbend. conſ. 6. num. 5. Antonin. Dian. tract. 14. part. 1. reſ. 27. Lud. de Beia par. 1. caſu 23. eorumque opinio, mihi videtur ad rationem magis priore accedere.

Primò, quia cum pactio propinquorum defuncti cum Presbytero, honeſta ſit, ac prudens, ad aliquid quod turpe ſit, aut extra poteſtatem paciſcentium, ferri nequit, at vt ſunt tempora, hominumque corpora, aeris iniuriæ peruia, vix ſperari poteſt ab vllo, tanta membrorum, ac valetudinis firmitas, vt nulla tentetur anno integro moleſtia, ac dolore, quæ illam à ſacris altaribus quamuis reluctantem ac inuitum non ſubmoueant, ſunt hæc ergo tempora, tacite ac virtute, excluſa à pactione Sacerdotem inter ac defuncti propinquos inita, de ſacro quotidie abeo faciendo, quibus ei commode per valetudinem aut negotia non licebit.

De quæſtione altera, hoc habeo dicere. Sacerdotem non teneri Miſſas legere quotidie, quæ ſunt de defunctis.

Primò, quia nudum pactum vt obliget, debet eſſe honeſtum, licitum ac poſſibile. Pacta enim, & conſtitutiones, quæ ſunt contra conſtitutiones canonicas, & authoritatem Patrum, nullius eſſe momenti tradit, Iuo Carnot. epiſt. 30. poſt Zozim. 25. q. 1. can. contra 7. At quis exiſtimet vllı conceſſum eſſe, ordinem peruertere Eccleſiæ, ritus ac cæremonias, quæ in Diuorum religionibus ſunt præſcriptæ, non ſeruare, maximè cum à Conci. Bracear. 1. can. 22. præcipiatur, *vt eodem ordine Miſſa celebrentur ab omnibus, quo Epiſcopus, abipſa Apoſtolica ſedis authoritate ſuſcepit ſcriptum*, quod tamen fieri eſſet neceſſe, ſi quo die Miſſa de ſancto eſt dicenda, fieret de defunctis, ac vt vocant *de Requiem*. Quare cum ordinis peruerſio, recti ſit ac honeſti violatio, cui ſe opponere, nunquam eſt in laude, perpetuo autem in vitio, non poteſt pactum eſſe honeſtum, ac licitum, quo quis legem ſibi imponeret, diebus Dominicis, ac feſtis, dicendi contra Rubricas Miſſam *de Requiem*, ſi eſt illicitum, quis non intelligit non ſeruandum?

Confirm. canone 52. diſt. 1. de conſecrat. ſtatuitur, vt populus Miſſis ſolemnibus interſit. *Et hoc attendendum eſt*, inquit canon, *vt Miſſa peculiares, quæ per dies ſolemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt propterea populus à publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt abſtrahatur*. De celebratione vero Miſſarum cap. quidam Laicorum 2. ſtatuitur ſatis non eſſe ad officium viri boni, audire Miſſam de Trinitate, aut S. Michaele, deuotionis gratia, ſed exigi inſuper ad perfectam Chriſtiani laudem, vt hic laboret, ſibi *Miſſam cātari, de ea die, quam & audiat pro ſalute viuorum atque mortuorum*. Hinc enim ſic argumentari libet.

Tantundem minimùm, ac verò etiam aliquanto amplius, licet cuique priuato homini, quam Sacerdoti, ſed illi, ſi non neceſſario, attamen decenter ac congruè, incumbit lege canonum, intereſſe ſacro, quod inſtituto Eccleſiæ diei eſt proprium, ergo & illi, dicere.

Deinde ſunt Miſſæ omnes æqualis valoris ex opere operato, vt notat D. Thom. in 4. diſt. 45. qu. 2. art. 3. q. 1. ergo per quamcunque ſatisfit abundè voluntati fundatoris, aut alterius, cuius iuſſu dicitur, verùm eſt quidem, defuncti animam, leuari precibus, quæ ſunt inſtitutæ in Eccleſia, ad defunctorum commodum, tamen illi nihil ex earum omiſſione perit, cum tantundem, atque adeo etiam amplius, illa iuuari poſſit Sancti meritis, ac orationibus de quo Miſſa dicitur, quam precibus, quas pro defunctis Miſſale continet.

Quæres ecquid ſaltem non ſit neceſſe, in eiuſmodi Miſſis, collectam vnam, aut plures, dicere de mortuis.

Reſpond. in feſtis ſemiduplicibus, legi poſſe, eo quod rubricæ, in arbitrio, ac poteſtate Sacerdotis, delectum relinquant duarum orationum, quæ primæ, de Sancto ſubiungi debent, earum autem alteram, de defunctis eſſe, quid vetat? quod ſi per incogitantiam Presbyteri, aut iuſtam aliquam cauſam, omittatur, ſatis erit in ea Miſſæ parte, in qua, inſtituto Eccleſiæ, tacite ſecum ipſe Sacerdos tam viuorum quam mortuorum meminit, eidem offerre ſacrificium, in defuncti commodum.

QVÆSTIO XVII.

An peccet Sacerdos dicendo Miſſam alibi, quam conuentum eſt inter illum, & conducentem eius operam.

REſpondendum eſt peccare, quia pactum iure Canonico, & in conſcientia obligat, notant DD. in cap. primum de pactis, & in can. Iuramentum 2. q. 5.

At quo peccati genere? & quam grauis? venialis? an mortalis? Mortale eſſe aiunt, Nauar. Eueh. 25. num. 134. Rodrig. in ſum. to. 4. cap. 5. n. 6. Homobonus de bonis in exam. Eccl. par. 1. tract. 4. cap. 13. q. 125. Antonin. Diana par. 1. tract. 14. reſol. 29. Quis ſit de hac quæſtione animi mei ſenſus declarabunt concluſiones dnæ ſequentes.

Dico ergo primò, *Sacerdotem, qui promiſſa ſibi ſtipe, receptis ſe certo loco, facturum pro defuncto, ad id teneri*, Concluſionis hæc eſt cauſa, quod data fides, nemini ſit neganda, promiſſa qui fallit, à veritate ſecedit, quod à viri boni officio abhorrere, nemo eſt qui non intelligit.

Dico ſecundò, *Hoc peccatum eſſe primo contra fidelitatem, per illud etiam violari iuſtitiam.*

Pars prima controuerſa, dubiaque nulli eſſe poteſt.

Secunda prob. Miſſæ, quæ dicuntur pro defuncto, in eo loco, vbi corpus eius iacet, cæteris paribus plus ei vtilitatis, ac commodi ſpiritalis afferunt, quam quæ alibi Deo eius cauſa offeruntur, violatur ergo caritas, cum Sacerdos quæ poteſt ſine moleſtia, ac labore, animæ laboranti, ac afflictæ defuncti ſubſidia non affert. Quod autem plus proſint mortuo, Miſſæ, in loco ſepulturæ dictæ, quam in quolibet alio, aſſeritur ab Innoc. in cap. fraternitatem de ſepultur. Laurent. Portelio parte 2. caſu 19. & probatur. Sacrum Miſſæ ſacrificium, etſi proſit vniuerſæ Eccleſiæ, ac fidelibus, pro quibus offertur ſine reſtrictione, maximo tamen præſentibus, ſecundum Theologos, qui è tribus partibus valoris Miſſæ, tertiam præſentibus, eorum commodis promouendis in maius, à Chriſto attribui aiunt, ab ea ergo in mortuum, plus emolumenti deriuatur ac manat, cum fit in loco vbi ſepultus iacet, quam ſi celebraretur in alio.

Dico tertiò, *Non videri mihi peccare mortaliter Sacerdotem, qui pro defuncto alibi ſacrificat, quam eſt conuentum.*

Primò, quia non tenemur promiſſa implere, citra damnum promiſſarij, niſi ex quadam honeſtate morali fidelitatis, ſeu veritatis, quæ facit, vt verba noſtra factis reſpondeant & contra, at in eo deeſſe officio, non videtur culpa grauis, quia mentiri citra damnum tertij, non eſt niſi veniale, at fidem fallere, & promiſſa non facere, ſpecies quædã eſt mendacij, ſeiuncta tamen à damno notabili mortui, pro quo Miſſa in loco ſepulturæ ſuæ, dicenda erat, cum omnes æqualis ſint valoris, ac pretij, ante Deum.

Excipiendus eſt caſus, in quo Sacerdoti lex eſſet impoſita à propinquis defuncti, quæ ab eodem quoque Sacerdote eſſet acceptata, dicendi Miſſam in altari priuilegiato, nam quia mortui intereſt, gaudere indulgentiis applicatis dicto altari, quibus non poteſt priuari ſine magno ſuo, notabilique damno, crederem in eo caſu, Sacerdoti non licere delectum alterius altaris, quam priuilegiati habere, ac proinde mortaliter peccare, ſi eo neglecto, ad aliud Miſſæ cauſa auolet.

Extra hunc caſum, Sacerdos non eſt neceſſario ſub mortali ad vllum altare aſtrictus, ex partitate autem materiæ ne ad veniale quidem, & ita exiſtimant aduerſarij quos citat Diana, Capellanum quemlibet aut Sacerdotem, de eorum genere, qui operam ſuam poſtulantibus accommodant, poſſe ſine culpa, bis aut ter in anno, eo Sacello relicto cui præeſt, aut in quo voluntate defuncti ac propinquorum eius, ſacrum facit, aliud ſibi quærere, in quo fidem ſuam de ſacro dicendo liberet.

QVÆSTIO XIX.

Peccetne Sacerdos, orando ad altare in Miſſa ſine lumine.

AD eorum partes accedo, *qui negant ſine lumine, Sacerdotem ſacris operans poſſe*; Concluſionis rationes ſunt multæ. Prima, petitur ab authoritate Honorij III. in cap. quod eſt extremum de celebrat. Miſſarum vbi ſcribens ad Brixienſ. Epiſcop. ei præcipit, vt Sacerdotem, *Qui ex nimia malitia, aut deſipientia ſine igne & aqua ſacrificauerat officio & beneficio in perpetuum priuet.* Ex quo canone colligitur primò, lumen eſſe ad ſacrificium neceſſarium. Secundò, ſine eo abſque lethali culpa celebrari non poſſe, quod notarunt, Armilla verbo Miſſa, num. 5. D. Antoninus in 3. parte tit. 13. cap. 6. parag. 6. Sylu. in verbo Miſſa tit. 1. qu. 2. in eam mentem inducti videntur fuiſſe à grauitate pœnæ, quam tali noxæ impoſitã Honorius voluit, in decretali citata. Enimuero vt ſeruetur æquitas, pœnæ quibus multantur culpæ, pares his eſſe debent, ac quoad eius fieri poteſt, æquales, ergo cum in ſupplicijs, maius vllum eſſe nequeat, deiectione de gradu, priuatione beneficij, ne non ſeruaſſe modum in pœna infligenda videatur Honorius, credi debet, eum in hac opinione fuiſſe, vt cenſeret, noxiam eſſe mortiferam, ſine igne, rei diuinæ operam nauare.

Confir. non ſunt ferendi ſecundum Honorium III. in decretali. ſane cũ olim 10. de celebrat. Miſſarum, qui Euchariſtiam ad ægros deferunt ſine lumine, *Cum ſit candor lucis æternæ, & ex hoc, apud omnes, fides, & deuotio augeri debeat*, At hæ duæ cauſæ, faciunt pro ſacrificio Miſſæ, quod eſt inſtitutum in Eccleſia, ad hunc æternæ lucis candorem exprimendum, & augendam pietatem fidelium, ergo vtrobique ad reuerentiam, & honorem ſacrificij, lumen adhibendum. Quid ſi cerei deſint? quid ſi haberi candelæ aliæ quam ex ſeuo, aut excitari ignis in alia materia quàm oleo nequeat?

A Miſſa Sacerdoti tunc abſtinendum non eſſe, tradunt Zanard. in direct. Theol. parte 1. de Sacrif. Miſſæ, cap. 14. Pitigian. in 4. to. 1. diſp. 13. q. 3. Homob. de exam. Eccl. p. 1. tract. 4. c. 15. qu. 143. nec in vſu candelæ non cereæ in neceſſitate, peccatum vllum eſſe.

Contra ſentiunt Riccius par. 3. deciſ. 213. nu. 1. Fagund. tract. 1. lib. 3. cap. 23. nu. 17. Suar. in 3. part. to. 3. diſp. 81. ſect. ſect. 6. Vaſq. 10. 3. diſp. 233. cap. 3. num. 26. quam ego opinionem in praxi ſequendam iudico, vt conſuetudini Eccleſiæ magis conformem.

QVÆSTIO XX.

Quænam ſeruanda ſint in conſecratione auguſtiſſimi huius Sacramenti.

PRimò, nemo præter eum, qui adeptus eſt ampliſſimam Sacerdotii dignitatem, à legitimo Epiſcopo, poteſt ac debet, conficiendo Chriſti corporis peram dare, de conſecrat. diſt. 1. can. 1. parag. ſi enim Iudæi can. ſicut non alii eiuſd. diſt.

Secundò, ad eam rem locus non alius idoneus,

Digitized by Google

quam qui ſacer, de conſ. diſt. 1. can tabernaculum 1. can. ſicut 11. can. Miſſarum 12. eiuſd. diſt.

Tertiò, ſunt à ſacris altaribus remouendæ veſtes, vſitatæ ac profanæ, teſtis Stephan. epiſt. 1. decretali ad Hilarium cap. 3. his verbis. *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſacrata debent eſſe, & honeſta, quibus aliis in vſibus, non debent frui, quam in Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, niſi à ſacratis hominibus.*

Quartò, Altaria ſuper quibus res ſit diuina, linteo triplici ſacro, ac corporali lineo conſecrato, velari debent.

Quintò, cauere Sacerdos debet, ne cum rem diuinam facit, vtatur alia forma, præter eam, qua ſancta, ac Catholica mater noſtra, hactenus eſt vſa, & adhuc vtitur Eccleſia.

Sextò, Quoniam Apoſtolus prohibet, *Virum velato capite introire in Eccleſiam in id incumbendum eſt Presbytero, ne ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat, cum baculo introire, aut velato capite, altario Dei aſſiſtere.* Zuchar. Papa 1. in Synod. Rom. c. 13. & de conſec. diſt. 1. can. nullus 57. Concedere vt ſecus fiat, ſolus eſt Epiſcopi, aut Prælati cum Regularibus, ita Homobonus de exam. Eccl. par. 1. tract. 4. cap. 15. q. 145. Laym. in Theol. mor. lib. 5. tract. 5. cap. 6. n. 6. Scortia de ſacrif. Miſſ. l. 3. cap. 4. n. 2. Si tamen facilis non eſſet ad Epiſcopum aditus, & ægritudo tanta eſſet, capitiſque infirmitas, vt non ſine periculo, nudaretur cum opera datur ſacrificio, fas tunc eſſet ægro, vti pileolo, ſine Epiſcopi licentia in ſacrificio: Pro hac opinione faciunt Ledeſma in ſum. to. 1. de Sacram. Euchar. cap. 21. concluſ. 7. Suar. in 3. par. to. 1. diſp. 83. ſect. 3. cauſa eſt, quod legi non eſt locus, vbi eſt neceſſe aliter fieri quam præcipit. Deinde quia ſacra facere, cooperto capite, non videtur eſſe materia grauis culpæ, ſecluſo ſcandalo, ac contẽptu Dei, & Eccleſiæ id vetantis.

Et quanquam, ius concedendæ calanticæ, Papa ſibi modo reſeruauerit, ſecundum Gauantum ad rubric. Miſſal. to. 1. par. 1. tit. 2. litera F. quod etiam declaraſſe Congregationem tam Cardinalium ſupernegotiis Epiſcoporum, quam quæ Romæ ſacris eſt ritibus præpoſita anno Dom. 1626. 3. Iulii, affirmat Diana tract. 14. reſol. 58. Nihilominus ob locorum interualla, cauſaſque alias æquitatis plenas, de quarum numero eſt infirmitas, quam corroborari, ac creſcere oporteret cum magno Presbyteri incommodo, ac dolore, ſi Romã expectanda facultas foret ei occurrendi vſu pileoli, mea eſt opinio, vt olim, ita & hoc tempore, Epiſcopum adiri poſſe, vt per eum ſit hic vſus licitus.

Septimò, curandum eſt Presbytero, vt quæ palam ſunt dicenda, clara ac diſtincta voce, non ſono infracto ac obſcuro enuntiet, & quia in eum, omnium conuerſi ſunt oculi, dabit operam, vt dignitate vocis ac corporis, ad vitandam leuitatem, grauitati ſeruiat, ob eam cauſam, in geſtibus, & aduerſis auriſque membrorum motibus, ac flexionibus, nihil vt inconcinnum, ac vaſtum oculis ſe intuentium offerat, omni qua poterit induſtria, curaque faciet, imago enim mentis, vultus eſt, iactationes corporis, indices ſunt animi, ex quibus, curioſe nimis, de ſtatu mentis ſæpe ſæculares æſtimant, itaque ob eam cauſam, pia mater Eccleſia, ritus quoſdam ac cæremonias inſtituit ex Apoſtolica diſciplina, ac traditione, quo & maieſtas canti ſacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & precatis ſigna, ad rerum altiſſimarum contemplationem erigerentur.

Veſtimenta autem quibus Domino miniſtratur, ſacra eſſe oportet, tam inſtituto Eccleſiæ, can. veſtimenta 42. diſt. 1. de Conſecr. quam antiqua ſæculorum omnium conſuetudine, hæc ex qualibet materia poſſunt fieri, ad colorem quod attinet, quemlibet in ſacris adhibere licitum. Nam etſi certis temporibus, certos ac ſtatutos Eccleſia habeat, quos ad feſti celebritatem, Sanctorumque venerationem ac cultum, aptiores exiſtimat, non eſt tamen hæc eius ſeu conſuetudo, ſeu ordinatio præceptiua ſed directiua tantum, ita Homob. de exam. par. 1. tract. 4. cap. 15. q. 144. Ab hac regula eximendum eſt corporale, quod ex lino albo eſſe debet, eoque puro, & intincto: *Ab Epiſcopo conſecrato terreno ſcilicet lino, procreato, atque contexto ſicut corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, in ſindone linea munda ſepultum fuit*, can. 46. de conſec. diſt. 1.

Veſtes autem ad ſacrificium neceſſariæ, ſunt hæ, amictus, alba, ſtola, manipulus, cingulum, & caſula, quas omnes oportet eſſe ſacras, ac ab Epiſcopo benedictas, vt habet vſus communis Eccleſiæ, quare peccatum eſſet lethale, extra caſum neceſſitatis, aliquid horum omittere, niſi ignorantia aut inaduertentia excuſaret, Nugnus to. 1. in 3. part. q. 83. art. 3. dub. vlt. Vaſq. to. 3. in 3. art. diſp. 233. cap. 3. Coninch. q. 83. art. 3. Conc. 2. num. 250. Dixi extra caſum neceſſitatis, quia cum hæc exigit ad pop. bonum, ſacrum die feſto fieri, à culpa omni Sacerdotem liberum eſſe aſſerunt, Coninch. vbi ſupra, Suar. in 3. par. tom. 3. diſp. 83. ſect. 3. dub. 1. Diana tr. 14. 1. par. reſol. 57. ſi ſacrificio faciendo vacet, ſine cingulo benedicto, quo caſu ait Nauar. cap. 25. n. 84. licere vti ſtola pro cingulo, manipulo pro ſtola. Quin imo poſſe in caſu neceſſitatis Sacerdotem ſine vlla ex dictis veſtibus bis aut ter celebrare, ſcripſere Suar. & Diana vbi ſupra, quod non eſt credendum cum ad id cogeretur Miniſter metu mortis, quia moraliter loquendo, vix aliquis in eam venire mentem poteſt, vt tormentis ac morte extorquere velit ab aliquo violationem præcepti Eccleſiaſtici, niſi quia eius authorem Deum, ac Eccleſiam contemnit. Coninch. ſupra nu. 250. in quo ei obſecundare imperanti, turpe eſt, ac malum.

Vaſa autem in quibus conficiuntur ſacra myſteria calices, ſunt, & patenæ, Concil. Triburienſe can. 8. quæ primis temporibus è ligno fuiſſe colligitur ex reſponſo Bonif. Epiſcopi, & Martyr. *Interrogatus enim ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramẽta conficere, reſpondit. Quondam Sacerdotes aurei, ligneis calicibus vtebantur, nunc è contrario, ligneis Sacerdotes, aureis vtuntur calicibus.* Conc. Tibur. can. cit. Poſtea ſtatuit Zephirinus, Papa 15. à Petro in patenis vitreis ſacra myſteria fieri, quod cum periculo non vacaret, obinfirmitatem materiæ: *Vrbanus Papa omnia miniſteria fecit argentea.* Concil. ſupra, qualia vt in ſacra inferrent altaria Galli Presbyteri, ſtatuit Remenſe Concil. can. 6. ſi quis autem tam pauper eſſet, vt ex argento & auro, comparare ſibi calicem non poſſet, decreuit: *Saltem vt ſtanneum haberet, ex ære autem, & orichalco conflato, locum in ſacris nullumeſſe voluit, quia ob vim virtutem, æruginem parit, qua vomitum prouocat*, idem quoque de ligneo, & vitreo calice remouendo abtari, omni tempore, ſtatutum eſt tam in eo Concil. quam Triburienſi can 13. fieri ergo debet ex auro,

argento, vel ſtanno D. Thom in 3. p. q. 83. art. 5. ad 6. A

QVÆSTIO XXI.

Quando tam vaſa ſacra, quam veſtes diuinis officiis addictæ, amittant conſecrationem ſuam.

QVando ita deteruntur, vt ad vſum ſacrificij honeſtè amplius, ac decenter, adhiberi nequeant, quare ſi ita frangatur cingulum, vt neutra pars ſufficiat ad cingendum Sacerdotem, cenſendum erit amiſiſſe ſuam benedictionem, ſi tamen B ambæ eius partes, nec ſi inter ſe poſſent, haud dubiè tales eſſent, quæ celebrationi Miſſæ, deſeruire forent idoneæ Ita Coninch. de Sacr. q. 83. art. 3. dub. 3. n. 250. Emm. Saver. Miſſa num. 12. de la Cruz in direct. conſ. par. 2. de Sacr. Miſſæ qu. 3. dub. 4.

De calice verò ſic Doctores cenſent, primo cum amittere conſecrationem ſuam, quando frangitur. Secundò, quando ſcyphus à pede auellitur, ſic iudicant non ineruditi authores, Palud. in 4. diſt. 13, q. 2. art. 5. Antonin. in 3. par. tit. 13. cap. 6. parag. 5. Sylu. verbo calix, ſententiæ ſuæ rationem hanc habent, quod altare conſecratum eſſe deſinat, cum menſa à baſi, cui infiſtit ſeiungitur, C ergo & calix, ſi à cupa, pes remouetur.

Sed hæc opinio non probatur Ægidio de Coninch. nec mihi, eo quod in his, quæ iuris ſunt merè poſitiui, argumentum à ſimili non valeat. Quare dicunt aliqui, nec ſine ratione probabili, quod quando calix, per artem ſic fit, vt pars infima, poſſit ſeparari à ſuprema, hoc eſt à cupa, & ita conſecratur, quod etiam ſi ſeiungatur, non tamen amittit conſecrationem, & ita videtur eſſe in vſu, apud quoſdam Religioſos, habentes huiuſmodi calices, quos ſeparant, vt minorem locum occupent, & facilius portentur. Comitol. lib. 1. reſp. qu. 51.

Quid, *Si deauratio calicis, tam interna, quam* D *quæ oculis patet, deteratur ac cadat?*

Reſpondend. nihil ideirco ei deperire de conſecratione ſua, quia cõſecratio, non eſt ita in ſuperficie, quin in argento maneat, Sylu. in ver. calix num. 2. Sane veſtis eadem ſemper remanet, etſi eius color marceſcat, aut ornamenta intercidant, quidni ergo idem dici de calice poſſit ac debeat.

Quid ſi ad tollendam maculam aliquam quæ ei inhæret, aut reformandam eius figuram ac ſpeciem, quæ caſu, ac prolapſione in terram eſt laſa, opus eſt manu artificis, ac ictibus aliquot malleï?

Reſpond. ne tunc quidem ſuam conſecrationem amittere, Armilla verbo Calix num. 4. Samuel de Lublino in verbo Miſſa num. 2. quia per eos ictus non fit inutilis ad ſacrificium, nec frangitur, nec ita mutatur, vt non remaneat idem.

Ob quam cauſam dicendum quoque eſt, non indigere conſecratione noua calicem, cuius cupa de nouo deauratur. Quia antiquã non amittit, quandiu idem manet, partesque omnes ſuas retinet, D. Thom. q. 83. art. 3. ad 3. Emm. Saver. Calix: Contrariã tamen ſententia non eſt improbabilis, quia adiectio noua auri ad ſcyphum, inſtar eſt noui vaſculi, proindeque conſecrandi, vt in eo decenter, ac cum cultu, corpus Chriſti poſſit fieri.

QVÆSTIO XXII.

Explicantur alia, quæ ad decentem Miſſæ celebrationem ſunt neceſſaria.

PRimò, quod canones prohibent, quod Eccleſia vniuerſa improbat, quod Synodus Salisburgenſis anno 1573. habita præſidente ſedis Apoſtolicæ Legato, Sacerdotibus omnibus vetuit, quod Pariſienſe Conc. ſub Lothario & Ludou. lib. 1. can. 48. & Moguntinum anni 813. ſub Carolo Magno mandauit, nemo rem diuinam facere poteſt, niſi vnus ſaltem ad altare ei aſſiſtat, qui nomine Eccleſiæ, ſacrificanti aſſiſtat. *Quomodo enim dicet Dominus Vobiſcum, vel ſurſum corda admonebit habere, & alia multa his ſimilia, cum alius nemo, cum ea ſit?* Conc. Mogunt. can. 43. Quare peccare Sacerdotem mortaliter, qui contra hæc decreta canonum, ſine teſte ac conſcio ad altare accedit cauſa ſacrificij, dixere Fernandez in exam. par. 3. cap. 5. parag. 4. num. 8. Bonac. de Sacram. diſp. 4. q. vlt. pun. 9. Barthol. ab Angelo in exam. Confeſſar. dial. 5 parag. 401. fauet huic ſententiæ, dicta à Salisburg. Synodo ſententia in eos, qui ſecus quam præceperat, facere præſumerent, nam & eos diuina animaduerſione dignos, pœniſque ab Ordinario, ad arbitrium conſtituendis plectendos ait, quare cum non niſi culpæ lethalis conſcios, vltio diuina proſequatur, nec cenſuræ Eccleſiæ, innocentes teneant ſed reos, ſane eorum iudicio, qui huic interfuere Concilio, peccatum eſt, ſine miniſtro diuina operari miniſteria.

Contrariam ſententiam, cum eſt neceſſe ſacrum dici in die feſto, aut viaticum ægroto dare, perſuadent Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 21. nu. 6. Villalob. in ſumma parte 1. tract. 5. Squillante de obligat. Clericor. par. 2. dub. 23. num. 69. Anton. Dian. tract. 14. reſol. 43.

Prima ratio, qua ſe hæc tuetur opinio eſt, quod iura canonum ceſſent, cum ſalus agitur propria aut proximi, quam illis anteponendam eſſe, bene informata ratio præcipit.

Secunda, quod Eccleſia leges ſuas ſilere velit, cum eas audiri neceſſitas non ſinit, *Quod enim in lege non eſt licitum, neceſſitas licitum facit de regulis iuris*, reg. 4. quare cum proxime citatis authoribus, & hanc ſententiam tenent, de Graff. lib. 2. deciſion. cap. 42. n. 1. Sotus diſt. 13. q. 2. art. 5. cum aiunt, Eternitatem, poſſe ſine miniſtro die feſto, rem diuinam celebrare, vt præcepto de Miſſa dicenda, aut audienda tali die ſatisfaciat.

An autem pueri aut viri, vices in hoc miniſterio, fœminæ in neceſſitate explere liceat, non ſimiliter omnes diiudicant.

Non licere docent authores, Fernand. in exam. Theol. par. 3. cap. 5. parag. 4. Zanard. in direct. Theol. par. 1. de ſacrif. Miſſæ cap. 15. Pitigian. in 4. to. 1. diſp. 13. q. 2. art. 5. Graff. l. 2 c. 42. num. 3. Laym. 14. tract. 5. c. 6. n. 15. cauſa ita illis ſentiendi vnica, Eccleſiæ interdictum, in Conc. Moguntiaco, vt refertur de cohabitat. virorum ac mulier. cap. 1. his verbis: *Prohibendum quoque eſt, vt nulla fœmina præſumat ad altare accedere, aut Presbytero miniſtrare, aut inter cancellos ſtare ſine ſedere.*

Oppoſitum, viſum eſt non improbabile, Nugn. in 3. par. to. 1. q. 83. art. 6. dub. 1. Syr. in 3. part. q. 83. art. 5. quod exiſtiment, nihil inconcinnum, ac

turpe esse in eo ministerio, per illud autem confusionem tolli, sacrificium debito modo fieri, salutationes ad populum & responsiones verificari, sed hæc non sunt eiusmodi quæ præferri oporteat Ecclesiæ iudicio, ac authoritati in Conc. Constantinopolitano 6. generali can. 69. his verbis. *Nulli omnium qui sit in laicorum numero, liceat intra sacrum altare ingredi, ab eo tamen, nequaquam prohibita potestate, & authoritate regia.* Et can. 70. præcipitur, *vt non liceat mulieribus in celebrationis tempore loqui, sed vt est vox Pauli, silere debeant.* Itaque à priori sententia discedendum non puto, quam Samueli de Lublino placuisse quoque video, nam etsi permittat fœminis eminus positis, respõdere Presbytero, vt faciunt cantando in choro, eas tamen ab altari remouet, vt parum idoneas ministerij præstandi vini & aquæ. Ita ille in verbo Missa num. 4.

Secundò, Missam Sacerdos inchoare non debet, nisi instructus iis rebus, sine quibus in altari subsistere, orationis causa nefas, itaque priusquam è Sacristia procedat in publicum, Missam præleget, partes eius omnes sic promptas habebit, vt celebrando nullum hærendi, errandiue periculum subeat.

Tertiò, in conficiendo Christi corpore, intendere debet, quod Christus Dominus fecisse creditur, cum verba sacra protulit.

Quartò, & illud Sacerdoti aduertendum est, ne sub specie panis tantum, aut vini, sed sub vtraque, Christi corpus, & sanguinem consecret, quamuis enim sub alterutra specie, si quod ibi continetur, spectemus, perfectum sit Sacramentum, non est tamen sacrificium integrum.

Quintò, vitare debet ea omnia, quæ ex anili superstitione potius, quam vera religione sunt deprompta, cuiusmodi sunt candelæ certo numero accendendæ in altari tempore sacrificii sacra quædam contra furta, veneficia, incantationes, &c.

Sextò, vt ritus, ac cæremonias, seruare Sacerdos debet, institutas ab Ecclesia, ita cauere debet, ne alias in Missarum celebratione adhibeat, præter eas, quæ ab eadem sunt probatæ, ac frequenti & laudabili vsu receptæ.

Earum omissio est mortalis in opinione, Bonac. de Sacr. disp. 4. q. vlt punc. 7. parag. 3. Azor. par. 1. lib. 10. cap. 29. q. 6. In mea, & Posseuini de Off. curati, cap. 2. n. 16. venialis tantum, maximè si ea omissio, non est nisi vnius, aut duarum rubricarum, non omnium, aut rerum ad sacrificium pertinentium.

Septimò, curare debet Sacerdos, vt omnia sigillatim, secundum veterem, & nunquam satis laudatam Ecclesiæ consuetudinem, à principio, ad extremum vsque Missæ recitet, eoque ordine, quo sunt in Missali posita. Præterire Apostolorum symbolum, aut Gloria, peccatum non est nisi veniale, secundum Filliuc. to. 1. tract. 5. cap. 5. n. 155. nullum, si fides est Didaco Nugno. to. 1. in 3. par. q. 83. art. 4. dub. 2. ad 3. prior mihi sententia videtur verior, proindeque sequenda.

Octauò, ne Missæ verba, dicendo concidat, de lumbetque sententias, quod in sacris canonibus, Doctorumque scriptis, syncopare nuncupatur, quod cum fit frequenter, & notabiliter, peccatur à Sacerdote mortaliter, qua de re pluribus in trac. de Horis.

QVÆSTIO XXII.

Ad digne Celebrandum quænam dispositio, requiratur in Presbytero.

PRimò ieiunus esse debet, can. 40. distinct. de consec. 1. quare ebriosus Presbyter qui Missam celebrauerat, non præmissa digestione, Alex. III. sententiâ, priuatur beneficio, in cap. si constiterit 12. de accusationib. ergo non ieiunum, in altari consistere, sacrificandi causa, non vacat culpa, est ergo vitanda.

Quid si quispiam, os abluendo, particulam aquæ deglutiat, aut in ore deprehendat particulam aliquam cibi, præcedentis diei remansisse, eine potest esse licitum ac impune, Missam dicere, si alterutrum, aut eorum alterum, incogitanter acteme; re deglutiit?

Negantem amplexus est Henriquez in sum. l. 8. cap. 49. n. 2. & in Glos. litera O.

Consentiens est Doctorum opinio vt Samuelis in ver. Communio n. 11. Summæ Coronæ par. 4. ca. 4. n. 65. Crucij in Direct. par. 2. de Euch. q. 5. dub. 4. conc. 2. reliquias tam cibi, quæ adhæserant dentibus aut palato, quam vini, aut aquæ, quibus os abluitur, non officere sumptioni Eucharistiæ, si in modica tenuique quantitate sumuntur. Addunt alij, quicquid non habet rationem cibi, potus, aut medicinæ, non impedire eius vsum, quod est verissimum, quia his tantum rebus, violatur ieiunium: tunc autem sumi dicuntur per modum cibi, & potus, quando intra os ponuntur, & propria actione vitali in stomachum traiiciuntur, ex quo inferendum, eum qui papyri frustum, aut ligni deglutiit, nihil habere, quo minus possit ad Sacramentum accedere, quia papyrus rationem cibi non habet, mulier autem, quæ terram, voluptatis causâ & appetentiæ, aut ad colorem minuendum comedit, remouẽda à sacris altaribus, primum enim habet rationem cibi, medicinæ alterum, quibus rebus, aut altera earum tantum, ieiuni esse desinimus.

Huic quæstioni, agnata est, ac affinis altera. Nempe an pro ieiuno sit habendus, proindeque ad Eucharistiam idoneus, qui pridie eius diei, quo eam sumpturus erat, cum cubitum iret, ori saccharum imposuit, ad faucium raucedinem tollendam, maximè si nescit certo, ex tali substantia, ecquid residui aliquid, ori, ac palato adhæserit post mediam noctem, quod calore ac halitu liquefactum in stomachum penetrauerit.

Mihi ea mens est, ac sententia, eiusmodi rebus ieiunium non solui, consequenter sumptionem Eucharistiæ non impediri, ita iudicandij authores habeo viros eruditos ac graues, nec secus in hac controuersia sensisse video Theologos, qui ea de re disserunt in 3. part. D. Thom. neque aliter Summarum scriptores Tabiena enim scribit his verbis ver. communicare paragr. 49. Id quod præterito die, intra os est sumptum, etiamsi data opera deglutiatur in sequente, non soluit ieiunium naturæ, neque impedit perceptionem Eucharistiæ. Quod Tabiena ait, affirmat quoque Barthol. ab Angelo, in exam. Confess. dial. 4. paragr. 214. litera A. Quod dictum est (inquit) de saliua, & de reliquiis cibi, & huiusmodi, dicendum est de eo, qui sero accipit aliquid in ore pro voce, vel pro

alio, quod remanet, non enim venit ab extrinseco post mediam noctem, nec propter hoc ille non esset ieiunus. Ita ille. Ad horum authorum testimonia, accedit & ratio. Solui non potest ieiunium, nisi sumptione rei alicuius externę, idque eo die, quo ad refectionem, aut voluptatem accipitur, secundum Paludan. Gabriel. & Durand. quod & probatur. Cibi reliquiæ, quæ adhæsere palato ac dentibus, cum postridie eius diei, quo sunt sumptę, deglutiuntur ab homine, omnium opinione, non faciunt, vt Euchar. censeatur indignus, quia ieiunus est, cuius rei causa haud dubiè non est alia, quam quia eo die quo ad communionem acceditur, non sunt prædictæ cibi reliquiæ in os illatæ, at facit pro opinione præsenti hæc ratio: ergo, &c. A

Secus quàm nos sentiunt hi authores, Suar. in 3. par. to. 3. disp. 26. sect. 4. Vasq. ib. to. 3. disp. 211. cap. 3. n. 3. Reg. to. 2. l. 19. c. 6. n. 119. rationem hãc habent, quod cum saccharum ori imponatur, vt liquefactum, in stomachum paulatim influat, ex intentione sumentis, tandiu duret eius comestio, donec totum sit absumptum. Sed supponunt falsum, nempe qualibet comestione ieiunium frangi, patet ex iis quæ exempli causâ de cibi reliquiis sunt allata, quæ cum deglutiuntur, rationem cibi, & comestionis habent, & tamen non soluunt ieiunium, eo quod non fuerint eo die in os immissæ. B

Et hæc de prima dispositione, ad condignam Euchar. receptionem necessaria, dicta sunto.

Secunda est animi, ac conscientiæ ab omni labe puritas, flagitat enim maximi huius Sacramenti, primique Christianæ sapientiæ mysterij dignitas ac maiestas, singulari vt sanctitatis, ac religionis studio consecretur, capiaturque: *Si enim*, vt est in Trid. sess. 13. cap. 7. *non decet ad sacras vllas functiones, quemquam accedere, nisi sancte, certè, quo magis sanctitas, & diuinitas cœlestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cauere ille debet, ne absque magna reuerentiâ, & sanctitate ad illud accedat.* Ideirco à sacris canonibus prohibetur, ne quis in tam augusto, cœlestique conuiuio versetur, qui quacunque censura aut peccati macula est aspersus, cap. 7. de homine, de celebrat. Missarum. *Quare communicare volenti remouendum est in memoriam Domini præceptum. Probet autem seipsum homo, Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati quantumuis sibi contritus videatur, absque Sacramentali confessione, ad sacram Euchar. accedere debeat quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotib. quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus, perpetuo seruandum esse decreuit,* Trident. sess. 13. cap. 7. C

An autem celebrans cum conscientia peccati mortalis, aut vinculi Ecclesiastici, quo tenetur, peccet dupliciter, authores disputant, & adhuc sub iudice lis est. Partem aientem propugnant Molfes. in summa tom. 1. tract. 3. c. 8. n. 88. Suar. in 3. par. to. 3. disp. 66. sect. 1. conc. 1. Bonac. de Sacr. disp. 4. q. 6. pun. 1. n. 34. D

Ne ad eorum partes transeam, facit tùm authoritas Vasq. in 1. par. to. 3. disp. 206. cap. 1. nu. 6. tùm ratio ipsa, vt enim motiuorum quibus quis inducitur ad aliquid vetandum aut iubendum multiplex varietas, peccata variat, ita eorundem vnitas, ea ad vnam eandemque speciem cogit, ac reuocat, sed Ecclesia, cum excommunicatum à sacra mensa prohibet, idem spectat, ac cum ei irretito culpa lethifera, conuiuio Eucharistico interdicit, nempe, ne irreuerenter, diuinis se mysteriis ingerat vt loquitur Innoc. III. cap. de homine 7. de celebr. & ita religionẽ aduersus Deũ, & Sacramenta violet, satisfaciet ergo Presbyter officio, si in confessione dixerit se cum peccato mortali celebrasse, nulla facta mentione censuræ, qua tenebatur obstrictus, quia ab ea, eius culpa labem distinctam, ac nouam non accipit, eandem tantum auget, ac aggrauat intra eandem speciem, ergo cum circunstantiæ quæ duntaxat aggrauãt, nec peccati naturam mutant, non sint explicandæ necessario, omnis erit honesta ratio Presbytero, celebranti cum censura, & mortali culpa, prioris non meminisse cum confitetur sed secundæ tantum, id est culpæ. E

Dices. Conficere Sacramentum ex officio in mortali, mortale est, item & sumere, ergo duplex, neganda est conseq. Quia diuersitas actuum, quorum alij aliis subordinantur, diuersa peccata non efficit, vt docet Diu. Thom. 22. q. 72. art. 6. at hi duo sunt eiusmodi, respectu Presbyteri, vt patet, ideo enim Sacramentum conficit, vt de eo participet.

Dices 2. tot peccata quis admittit, quot obligationes diuersas inter se violat, contra duas facit, qui celebrat animo culpa lethali inquinato, nam primo non paret præcepto Ecclesiæ de præmittenda confessione, sumptioni Eucharistiæ. Deinde indignè, ac imparatus à virtute, & puritate conscientiæ, sacra tractat, quod est à religione, quam quisque erga Deum debet adhibere, alienissimum. Maior est vera, cum præcepta, & obligationes sibi non subordinantur, quod hic non accidit, cum confessio, quædam sit animi præparatio, ad communionem faciendam cum fructu, & debita reuerentiâ.

QVÆSTIO XXIII.

An Missa Concubinarij notorij audiri possit.

POenæ, quibus ab Ecclesia puniri solent Clerici, qui concubinis vtuntur, multæ sunt, eæque variæ. Prima est suspensio ipso iure, ab officio, Glossa in cap. postremum de cohabit. Clericor. & mulier. Turrecremata in can. præter distinct. 33. Rebuff. in Concord. rubrica de publ. concubin. author huius pœnæ, Alexand. II. verba ipsa decreti habentur dist. 32. can. præter 6. *Quicunque Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi Papæ Leonis ac Nicol. de castitate Clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & authoritate beatorum Pet. & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, vt Missas non canat, aut Euangelium, aut epistolam legat.*

Secunda pœna, est aditu Ecclesię interdictum esse, *Si qui sunt*, inquit Greg. VII. cuius decretum refertur in can. si qui dist. 81. *Presbyteris Diaconis vel Subdiaconis, qui in crimine fornicationis iacent, interdicimus ex parte Dei omnipotentis, & S. Petri auctoritate Ecclesiæ introitum, vsque dum pœniteant & emendentur.*

Tertia est, vt Concubinarius, aut scortator notorius, suspensus sit ipso facto à perceptione fructuum omnium beneficiorum, quę possidet, trium mensium

menſium ſpatio, Concord. in rubrica de publ. concub. Turrecr. in can. præter diſt. 32. pœnam hanc, tam latè longéque vult patere, quam crimen ipſum, nec reſtringi ad trimeſtre, vt in allata rubrica, ſed tandiu vim eius manere inuiolatam, ac integram, quandiu crimen durat, quod in citata decretali Vrbani prohibeatur ſcortator notorius *partem ab Eccleſia ſuſcipere vllam*, ad quam opinionem accedunt, Innoc. in cap. ſicut de cohabitat. Clericor. & mulier. Gloſſa in cap. paſtoralis de appellat. in verbo ſubtrahuntur, cum dicit ſuſpenſus ab officio nihil debet de beneficio Eccleſiaſtico attrectare, alias eſt deponendus, quod dictum Gloſſæ, pro vero eſt habendum, extra Galliam, in iis prouinciis, quæ non gaudent priuilegiis ei per Concordata conceſſis.

Quibuſnam autem, attribuendi ſint fructus beneficij, quos Concubinarius ſuſpenſus capere non poteſt, definiuit Leo X. in rubrica ante citata de Concub. cum eius ſuperiori, id eſt Epiſcopo aut Prælato præcipit: *Vt eos in fabricam, vel aliam Eccleſiarum euidentem vtilitatem, ex quibus, hi fructus percipiuntur, conuertat.* Si tamen prædicti fructus, quotidianæ diſtributiones eſſent, iis accreſcere deberent, qui diuinis interſunt, ſecundum Gloſſ. in Clem. ſecund. de vita & honeſt.

Quarta eſt, quod Concubinarius, fructus ſui beneficij reſtituere debeat ſi perſeueret in crimine. Rebuff. ſupra, quia eos iuſte non percepit, nec fecit ſuos, dantur enim ob officium, cap. fin. de reſcript. in 6. ergo cum donatio hypothetica, conditione non poſita, ſit nulla, Leſſ. & alij de donationibus quid clarius, quam fructus ex beneficio perceptos, à fornicatore notorio, in conſcientia reddendos eſſe?

Quinta eſt, quod ſi ab Epiſcopo monitus, modum non ponit ſuæ fœditati. ablegando concubinam, aut aliam ſibi aſſumendo, poteſt ac debet omnibus ſuis beneficiis priuari Concor. in prædicta Rubr.

Sexta, quod Concubinarius publicus: *Vſquequo, cum eo per ſuum Superiorem, & poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunq; honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorum ac ſit inhabilis.* Concord. in rubrica de publ. Concub.

Septima, quod eius ſacro intereſſe abſque ſcelere nemo poſſit, pœnam hanc colligimus ex ſanctionibus Pontificum, Vrbani ſecundi in can. præter 6. diſt. 32. Greg. VII. can. ſi qui diſtinct. 81. Prioris ſunt hæc verba, *præcipiendo mandamus, vt nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam habere indubitanter*, cauſa redditur à Gregor. loco citato. *Quia benedictio eorum, vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum.*

Vt autem æquiſſimis his Eccleſiæ legibus, parere teneamur, neceſſe eſt inquiunt huius ſententiæ propugnatores.

Primò, vt certi ſimus, de peſſimo ſtatu eius Sacerdotis, qui mulierem pro concubina habet.

Secundò, vt præcepti Eccleſiaſtici non ſimus ignari.

Tertiò, vt præfatus Sacerdos, non modo infamia luxuriæ publicæ laboret, ſed etiam, vt de ea, palam fuerit à ſuperiore notatus, proque tali denuntiatus, ac damnatus. Quia poſt conſtitutionem Concilij Conſtanſ. in extr. Ad euitanda, à Martino 5. confirmatam, poteſt Chriſtianus populus abſq; culpa, & contemptu legum Eccleſiæ, verſari in diuinis officiis publici Coucubinarij, quando nõn eſt denuntiatus nominatim, aut à Iudice condemnatus. Opinionis huius approbatores ſunt Comitolus reſp. moral. lib. 1. q. 57. Samuel de Lublino in verbo miſſa n. 7. Suares tom. 5. diſp. 31. ſect. 4. n. 4. Sayrus lib. 1. de cenſur. cap. 12. n. 10. & alij magno numero quos citat contra Rebuff. comment. in concordat. tit. de publicis concubinarijs verbo 9. Nau. in ſum. c. 26. n. 76. &c. 27. n. 164.

Prima Aſſertio, *publicus concubinarius non eſt ipſo facto ire diuina faciendæ ſuſpenſus.* Ita Suar. & Sayrus locis citatis Soto in 4. diſt. 1. q. 6. ar. 6. ad 2. & diſt. 15. q. 1. art. 9. Medin. in ſumm. lib. 1. cap. 11. §. 8. probatur 1. ex can. ſciſcitãtibus 5. cauſæ 15. q. 8. vbi Nicolaus ab eo ſacra impune percipi poſſe reſpondit ad conſulta Bulgarorum cap. 71. iubet audire eo loco ſic loquentem. *Qualiſcunque ſacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt, idcirco ab eo vſque quo iudicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt, quoniam malo bona adminiſtrando ſe tantum ladunt, nam ſi à ſacerdote (verba ſunt canonis) qui ſiue deprehenſus in adulterio ſiue de hoc fama ſola ſit reſperſus*, diuina recipi myſteria poſſunt, donec oppoſitum calculo ſuo Epiſcopis viſum erit decidere, profecto eũ iure ſuſpenſum nemo dixerit ſed in pœnam delicti poteſtate offerendi ſacrificij priuandum;

Secundo, 2. ſi iuxta iura ſantiqua concubiconcubinarij tantum ſunt puniendi ſuſpenſione, dici verenon poteſt eos actu & de facto teneri hac pœna, at verum eſt prius; Maior eſt certa, Minor probatur ex Trid. ſeſſ. 26. cap. 14. de reformatione, vbi poſt longam, ſeriem pœnarum. quibus eos coërceri partes imperant, de non habentibus beneficia, ſic loquuntur, *Clerici vero Eccleſiaſtica beneficia aut penſiones non habentes, iuxta delicti ac contumaciæ perſeuerantiam, & qualitatem, ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliiſque modis iuxta ſacros canones puniantur* ergo non ſunt ipſo iure ſuſpenſi cum verba imperatiui modi ad iudicem dirigantur, exacturum pœnas de cõcubinario modis deſignatis; ſuſpẽſione ſcilicet, & inhabilitate &c. quod c. & vero de cohabit mulierum & clericorum repetitur verbis ex preſſis, cap. autem 4. eiuſdem titul. dicitur concubinarius eſſe cogendus, vt fœminã domo ſua extrudat per ſuſpenſionem à beneficio, etſi pertinax fuerit, etiam per priuationem: non eſt ergo ipſo iure ſuſpenſus concubinarius etſi publicus, ſed ſuſpendendus.

Dico 2. *concubinarij publici ſacrum ſine culpa audiri poſſe.* Ita Suar. & alij ante citati, cauſa eſt quod non niſi nominatim excõmunicati; & notorij percuſſoris clerici aut ſuſpenſi per iudicis ſententiam, communio fugienda ſit fidelibus catholicis, iuxta priuilegium eis in Conſtantienſi indultum, Extraad euitandadat cõcubinarius, notus licet notoritate criminis ac facti, tam confeſſione propria, quam aduerſariorum fide, modo ne eam ſequuta ſit iudicis ſententia, non eſt excommunicatus, ſed excommunicandus de cohabit mulierum & clericorum cap. 2. nec ſuſpenſus ſed ſuſpendendus, ergo. &c. Confirm. quæ cõcubinarij publici, eadem eſt quoque Simoniaci aut hæretici ratio, at hos de hæreſi ac ſimonia damnatos licet, ac conuictos, vitare nemo in priuata congreſſione debet, niſi publice, ac de nomine proprio excommunicatione verberatos, ergo nec concubinarium publicum. Tales autem ſunt cenſendi ex Concordat. titul. de publ. con-

cubinar. quorum culpa non modo publica confeſ- A
ſione, in foro præſidente iudice, aut eius ſententia, omnibus eſt cognita, qua ex notitia naſci iuris infamia conſueuit ex Steph. Auila parte 7. de irregul. diſputat. 4. dub. 5. ſed qui laborant eius ſuſpicione ac infamia, apud partem maiorem populi, collegij & viciniæ, ad quod etiam euidentia facti: ſeu notorietas, per teſtes oculatos eſt neceſſaria, cum vt habetur 15. q. 8. can. ſciſcitantibus finali ante probationem accuſationis illatæ, nemo communione ſit priuandus aut hominum excludendus cœtu, quia non ſtatim qui accuſatur (inquit canon) reus eſt: ſed qui conuincitur criminoſus, his adiungendi ſunt qui fœminam male nominatam domi ſuæ retinent, nec admoniti à ſuperiore ſui B
officij eam dimittunt. Concord. loco ante citato.

Ad cauſas dubij quod attinet, reſpondendum, eſt priori quidem, canonē ibi citatum nō modo vſu ac conſuetudine contraria abrogatū eſſe ſed & conſtitutione Conc. Conſtantienſ. proinde non curandum ita Sayr. l. 2. c. 12. n. 20. & Suar. to. 5. de cenſur. diſp. 31. n. 16. & tom. 3, diſp. 18. ſect. 1. & diſp. 88. ſect. vltima; cauſa eſt quod per eam Extrauag. cenceſſum eſt cuique, cuiuſlibet vti congreſſu cōmercioque, tam in diuinis, quam in humanis, antequam ſit excommunicatus nominatim, & publice denunciatus.

Secundi idem eſt ſenſus, nec enim canon præter citatus, aliud habet quam præceptum, factum concubinarijs de non celebrando, cui cum conſuetudo oppoſita derogauerit, ac non vſus, eius vis omnis C
interijt.

Ad can. ſacerdotes tertio loco allatū, dici debet, ex eo non colligi concubinarium ipſo iure ſuſpenſum eſſe, ſed culpa ſua dignum fieri, qui gradu excidat ſecundum canonicæ inſtitutionis authoritatem, quæ ſuſpenſionem ferendam continet, non latam, vt oſtendimus aſſertione prima.

QVÆSTIO XXIII.

An Sacerdos, qui propter morbum, rem diuinam celebrare non poteſt, poſſit ipſe manibus ſe ſuis communicare.

DIſceptatur hæc quæſtio ab Armil. in ver. Communio n. 8. Caiet. eod. ver. Villal. in ſum to. 1. tract. 7. cap. 48. n. 1. eorumque opinio eſt, id ei conceſſum non eſſe, niſi in neceſſitate.

Veriſſima ſententia, quam defendunt Syluius in 3. par. q. 82. Homobonus de bonis de exam. Eccl. par. 1. tract. 4. cap. 11. Diana tract. 14. reſolut. 53. duo dicit, primum, id Sacerdoti tentandum non eſſe, cum eſt periculum ſcandali, quia ſemper eſt vitandum, vt caritati contrarium. Secundum, id eum poſſe aggredi ſine culpa, non modo cum eſt E
neceſſe, vt in fine vitæ, ſed quoties id pietas ei ſuaſerit ac deuotio.

Quia non eſt neceſſe in hoc Sacramento, vt miniſter ſit alius, ab eo qui illud recipit. Si tamen eſſet ad manum Diaconus, à quo, extra tempus Miſſæ, poſſet Sacerdos paſci ſalutari pane, putat Samuel de Lublino, ab eo id beneficium expoſtulandum eſſe, quia Diaconus, miniſter eſt, ad id ex priuilegio idoneus, ac competens.

QVÆSTIO XXIV.

An Sacerdoti ſacrificare liceat, ſine confeſſione præuia.

CVm in hoc ſacrificio obeundo, ſingularis deſideretur officij religio, ſummumque reuerentiæ, ac ſanctitatis ſtudium, graui ſe ſcelere obſtringit, qui ſacrificationi vacat, animo, ac manibus, culpa mortali ſordidatis, quare vult Paulus vt ad eam, nemo Sacerdotum ſe applicet, niſi probatus, hoc eſt, per confeſſionem peccatorum, quorum habet conſcientiam, mundus, eorumque ac omnis labis alterius expers, nec ſufficit contritio niſi in caſibus qui ſequuntur.

Primus eſt, cum ante Miſſam, non habet, cui peccata ſua explicet, Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. Primo, quia ad id, quod vires ſuperat, nec eſſe poteſt humanitus, vlla ſolet eſſe obligatio. Secundo, cum nos. Deo contritio reconciliet, perfectéque mundet, nulla Sacramento irrogatur iniuria, cum aditur animo dolente, culpaſque Dei cauſâ, non ſuâ deflente.

Secundus caſus eſt, cum celebrans inter operandum ſacra myſteria, meminit culpæ lethalis à ſe admiſſæ, nec adhuc per confeſſionem expiatæ, nam tunc ea interrumpere, aut infecta reddere, nihil eſt neceſſe, ſi ex altari, Sacerdoti abſcedere, non eſt facile, niſi iniecta opinione probabili, peccati à ſe alicuius admiſſi, quamobrem eum oporteat conſulere Confeſſarium, ab eoque abſolui.

Quia cum infamia, eiuſque certo periculo, diuinæ legi parēre nemo debet, ſatis ergo eſt ei, qui ſe criminis alicuius mortalis conſcium tunc noſcit, eſtque ſacrificij omiſſio, vt dicebamus, exemplum pernicioſum paritura, aut quaſdam alias periculoſas ſuſpiciones habitura, nullaque ei adeundi Confeſſoris opportunitas offertur, ſatis inquam eſt ei de peccato conteri. Manuale Confeſſar. pro prouincia Salisburg. cap. 5. de Sacram. Euchar. Samuel de Lublino in verbo Miſſa.

An autem confeſſio eius peccati, illico poſt abſolutum ſacrum, ſit inſtituenda, non omnium vnus eſt, idemque ſenſus. Faciendam enim aiunt Suar. in 3. par. to. 3. diſp. 66. ſect. 7. Reginald. to. 2. lib 29. cap. 7. nu. 110. Bonac. de Sacram. diſp. 4 q. 6. punc. 1. num. 39.

Quibus ne aſſentiar, hæc mihi ratio perſuadet. Quod Concil. ſeſſ. 13. cap. 7. in eo, qui abſque præuia confeſſione celebrauit, duo exigat, vt quā primum confiteri debeat.

Primò, conſcientiam peccati mortalis, cum qua ad altare acceſſit.

Secundò, defectum confeſſarij, at qui inter celebrandum, recordatur alicuius culpæ, à ſe admiſſæ, ad eorum aggregari numerum non decet, qui ſciunt ſe peccaſſe, ante Miſſam nec habuiſſe Confeſſarium non eſt ergo exiſtimandus, tēneri lege Concilij, & proinde ad confitendum quamprimū poſt eius celebrationem, nullatenus obligari.

Ob eam cauſam tradit, Vaſq. in 3. par. to. 1. diſp. 208. cap. 3. num. 19. non peccare, ſi ſacro peracto, Confeſſarium non adeat, cui conſcientiam ſuam explicet, eum, qui ante communionē, eſt cohibitus ne eius opera vteretur, ad expiationē animi, quod vereretur infamiam, ac ſcandalum. Nam cum Concil. poſtulet vt is qui celebrat, confeſſio-

Digitized by Google

ne non præmiſſa, ad id impellatur à Confeſſarij A
inopia, non poteſt caſus præſens Concilij lege
comprehendi, & conſequenter ad confeſſionem
is obligari illico, qui ideo eam non inſtituit ante
communionem, quod metueret ſibi notam infa-
miæ, aut ſcandalum apud Confeſſarium.

QVÆSTIO XXVI.

An Sacerdos cui nulla cura animarum incumbit, poßit rem diuinam facere cum peccato mortali, quando nullum habet cui confiteatur antequam ſe tam ſacro ac cæleſti operi accingat.

NOn poſſe dixere Suar. to. 3 in 3. par. diſp. 67. ſect. 4. Peſantius in addit. ad 3. part. q. 10. diſp. 5. de præcep. Confeſſ. fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt, quod præcepta diuina, anteponenda ſint Eccleſiaſticis, cum vtraque obſeruari ſimul, ac eodem tempore nequeunt, cum enim præſtent humanis cœleſtia, homini Deus, æquitatis eſt non tantùm, ſed & prudentiæ, quæ à Deo leges ſunt ſtatutæ, ad publicum commodum, his morem gerere præ humanis, cum harum, & illarum obſeruatio, ſtare ſimul non poteſt, at intereſſe ſacro, aut illud facere, diebus profeſtis, etſi ſit C
fructuoſum & vtile, non tamen neceſſe. Feſtis autem in id incumbere, nemo tenetur niſi præcepto Eccleſiæ, ergo cum diuino, quilibet confeſſionem Miſſæ præmittere debeat, hunc potius, quam illi par eſt obſequi. Id ſi admittitur, dicta eſt cauſa, ſimplici Sacerdoti & populo præſtabit carere ſacro die Dominico, quam illud dici cum peccato, per confeſſionem non deleto.

Eſt hæc opinio probabilis, probabilis eſt & contraria, quam Antonino Dianæ placuiſſe lego reſolut 64. tract. 14. rationes ad eius fidem proferri duæ poſſunt.

Prima, quod quilibet, cum eſt in itinere, Miſſæ audiendæ cauſa, cuius non eſt futura ei copia, niſi ipſemet illam dicat, poſſit ei religioni operam dare, non confeſſus, vt patet ex præced. quæſt. ergo & cum eſt periculum, ne populus inopia Sacerdotum, ea careat, die Dominico, aut feſto.

Secunda, non eſt dubitandum, quin Sacerdoti non confeſſo ſacrificare ſit liberum, cum neceſſitas vrget, maximè ſi ad digne celebrandum viam ſibi ante per contritionem munierit, quia deerat qui ſibi autem confitenti accommodaret: at neceſſitas proximi, eodem loco haberi debet quo propria, non eſt ergo facile Presbyter arguendus culpæ lethalis, ſi Miſſam dixerit, confeſſione ante non præmiſſa peccati, cuius eſt conſcius, quando pro cauſa habet commodum ſuum & populi, cui de ſacro prouidere vult eo die, quo ei debet intereſſe lege Eccleſiæ. E

QVÆSTIO XXVII.

An qui habet Caſus reſeruatos de quibus abſoluere non poteſt Ordinarius loci vbi verſatur, poßit iis non remiſſis, celebrare.

QVi hac de re diſſeruere, in duas contrarias factiones ſunt diſtracti. Qui pugnant pro confeſſione facienda omnium criminum, etiam reſeruatorum, ei qui ad ea abſoluenda, poteſtate caret neceſſaria, ſunt hi authores, Suar. in 3 part. to. 3. diſp. 67. ſect. 4. Sotus in 4. diſt. 17. q. 2. art. B
5. Ægid. de Coninch. de Sacram. qu. 88. art. 4. dub. 2. nu. 21. Viguerius in inſtitut. Theologicis cap 16. parag. 4. verſu 17. ſcribit curatum Sacerdotem abſoluere à reſeruatis, & non reſeruatis, ſed ab obligatione adeundi ad Superiorem non abſoluere. Tenetur idem à Medina in Cod. de Conf. tract. 2. q. 12. aitque paſſim doceri à Doctorib. in caſibus reſeruatis integritatem requiri confeſſionis, abſolutionis non item. Nam Eccleſiæ inquit non eſt impoſita neceſſitas integre abſoluendi, ſicut peccatori integre confitendi. Huius percelebratæ doctrinæ, aſſenſor, & comprobator eſt, D. Thom. his verbis in 4. ſentent. diſt. 17. qu. 3. art. 4. qu. 3. in reſponſione ad quartum. C
Etiamſi Sacerdos non poſſit ab omnibus abſoluere, tenetur pœnitens ſibi omnia confiteri, vt quantitatem totius culpæ cognoſcat.

D. Thomæ, aliiſque Doctoribus præcitatis refragantur Victoria in ſumma n. 79. Syluius in addit. ad 3. part. q. 20. art. 2. dub. 3. parag. 4. Sancius in ſelect. diſp. 32. num. 10. Armilla ver. Communio parag. 8. negant enim hi omnes, Sacerdotem in caſu propoſito, debere confiteri reſeruata, quia cum ab iis abſolui nequeat, non niſi imprudenter exigi aiunt ab illo vt ea explicet ei, à quo remitti nequeunt.

Reſpondent authores contrariæ ſententiæ, condonari omnia, non reſeruata quidem directe, alia autem, quæ non ſunt in iure Presbyteri ſimplicis, D
indirectè, cum obligatione tamen, ea, vbi erit opportunitas indicandi Superiori, qui abſoluat primò, per ſe, ac directè.

Sed ne tunc quidem, ea neceſſario manifeſtanda eſſe Presbytero, qui in ea iuriſdictione omni caret tradunt cum citatis Doctorib. Filliuc. to. 1. tract. 4. cap. 8. num. 213. Anton. Diana reſol. 65. tract. 14. prima partis. Quia nulla lege, eiuſdem culpæ iteranda eſt confeſſio neceſſariò, id autem vſu veniret, ſi Sacerdoti dicturo ſacrum, facienda eſſet confeſſio peccati reſeruati, cum aliis non reſeruatis, ei Presbytero, à quo de illo reſeruato abſolui nequit, quia etſi per abſolutionem, ex vi Sacramenti conferentis gratiam, reatus inimicitiæ E
diuinæ pœnæque æternæ tollatur, non tamen obligatio deferendi tale peccatum reſeruatum ad Superiorem, quod onus vtpote acerbum ac graue, bis confitendi idem peccatum, quia ſubeundum nulli eſt neceſſario, nec eſt neceſſe inquiunt, vt qui Miſſam cogitat, ante eam peccatorum confeſſionem inſtituat, quorum veniam à Sacerdote, qui facultatem non habet eam largiendi, ſperare non poteſt.

Probatur mihi hæc ſententia, quare cenſeo, Miſſam in caſu propoſito, dici poſſe, non præmiſſa confeſſione reſeruati ac venialium, ſatis eſſe ad

officium viri boni, ſi Sacerdos, qui eorum ſe omnium ſcit eſſe reum, conſcientiæ ſuæ per contritionem conſulat, vitæque melioris propoſitum in futurum concipiat.

QVÆSTIO XXVIII.

An qui alicui, pro ſacro dicendo quotidie, operas ſuas addictas habet, teneatur pro ſe ſubſtituere alium aut ſupplere, ſi per infirmitatem aut aliam cauſam, promiſſis non ſtetit.

CAuſa dubitandi vnica, nempe quod eadem ſacrificij eſſe videatur ratio, quæ horarum ac officij, at iſtius repetendi nulla eſt neceſſitas, cum iuſta eius omittendi fuit cauſa: ergo nec ſupplendi ſacrificij, cum in illud incumbere ob morbum, Sacerdoti non fuit integrum; hoc argumento nec alio facile niti poſſunt qui à Capellano obligationem omnem remouere ſatagunt ſupplendi Miſſarum numeri, quas Capellæ authores primi ac parentes, dici voluere ſeptimanis ſingulis. Quibus hoc habeo dicere, inter horas ac ſacrificium quoad rem præſentem id eſſe diſcriminis, quod illæ ſic ſint dicti affixæ cuilibet, eius vt ſint onus, argumento eſt primo, quod Doctorum communis hic ſit ſenſus, exinde, quod vt horarum occupari tempora citra priuilegium nequeant, ita nunquam in ſequentem lucem reiici, cui enim imperatum hactenus, vt quas vno die horas præteriit, abſtergendæ culpæ cauſa ac obligationis contractæ ad reſtitutionem fructuum omiſſione officij, alio repetat? quod ſane niſi me mea, valde fallit opinio, locuples eius eſt rei, de qua ſermonem inſtituimus, indicium, horaſque diei onus eſſe, quod Miſſæ non conuenit, cum & differri queat, & anticipato dici tempore, vt ſi quis magnis rei familiaris, ac domeſticæ anguſtiis Presbyter tenetur ſtipendia bina aut terna Miſſarum dicendarum, vno eodemque die capiat, vbi & quando ſe dabit opportunitas, quod licere narrat, P. Nau. de reſtit. l. 2. c. 2. n. 366. aut ſi bis ſingulis hebdomadis litare pro fundatore aſtrictus anticipando ſolutionem, faciendam in ſequenti hebdomada, ſexies vna eademque, eius cauſa faciat. Quod laudandum exiſtimat Valerius tom. 2. lib. 23. cap. 17. num. 237. cum debitoris ſit optimi anticipate ſoluere, vtileque creditori, animæ ſcilicet exiſtenti in purgatorio. Magnum ergo in vtramque, partem Miſſam inter ac officium, quoad vtriuſque obligationem, ac nexum, eum diſcrimen intercedat, petita obiectio ex horis non ſupplendis, die alio cauſæ aduerſariorum prodeſſe poſſe non videtur, alio ergo traducenda eſt animi cogitatio, vt lux propoſitæ quæſtioni eſſe per nos aliqua poſſit, ac reputanti eius ſtatum id occurrit ante omnia, vnde mihi expeditus ſeſe, ac facilis oſtendit curſus ad omnia, quæ ad eam pertinent, contendo enim in id intendendos oculos eſſe, cuius cauſa primo, eſt erecta capellania, nam authoris eius eſt ad amuſſim ſequenda intentio.

Dico primò, *Supplenda eſſe communiter Capellano, ſacra omnia quæ propter inualetudinem, aut aliam cauſam ſimilem, dicere ſuo tempore non potuit.*

Primò, quia cõditio fundationi addita, exacte ſeruãda eſt ac gnauiter, vtpote ex cõuentione orta, quæ vim habet contractus, à quo diſcedere nulli fas eſt, ſine ſcelere: iuxta cap. 1. de pactis, cum nequidem in poteſtate legis ſit, lex dicta contractui, Brodæo teſte ad Loüetum litera B. art. 4. at capellæ cum primum eſt erecta, certus eſt Miſſarum numerus adiunctus, quas tam ſua quam amicorum cauſa, ſtatis diebus eius fundator ac author, Deo principi offerri voluit, ergo ſi hæc omitti contigerit, ſupplenda erunt. Maior eſt Doctorum opinioni Decretiſque conſentanea. Ruzæi maxime tract. de iure regaliorum priuileg. 49. Probi q. 27. tract. iuris regaliæ num. 6. quorum eſt hic ſenſus, conditiones fundationibus appoſitas ad vnguem, & in ſpecifica forma obſeruandas eſſe, non obſtante, quacunque diſpenſatione.

Secundò, quæ ex cauſa dantur, in poteſtatem recipientis non tranſeunt niſi: illa extet, ideo ſecundum Flamin. lib. 1. q. 3. n. 43. conditionibus non ſeruatis, & beneficij prouiſio eſt nulla, & poſſeſſio tituluſque non dicitur dimiſſus, lib. 1. quæſt. 14. num. 10.

At habet collatio capellæ conditionem tacitam, vt ſacra quotannis, aut hebdomadibus, tot fiant, tanto numero, nec minori, nec hæc fieret, ſi præſe capellanus ferret initio, in animo ſibi eſſe, non reſpondere prouidentis Epiſcopi, aut fundatoris, tam multa ſacra exigentis voluntati, ergo beneficij aut fructuum, quos Miſſarum iuſta eſſe ſtipendia fundator voluit, eſt à Capellano facienda reſtitutio, ſi illi per ſe, aut alium, ſatisfacere noluerit.

Dico ſecundò, *Obligationem ſupplendi ſacra omiſſa eſſe in Capellano ſub mortali, niſi quid eum excuſet.* Ita Pet. de Nauar. lib. 2. de reſtit. cap. 2. num. 381. Regin. lib. 23. cap. 17. num. 235. cauſa eſt, quod fundatorem à quo iuſtam illorum mercedem accepit, iniuſtè priuat grandi commodo ſpiritali, quod ſibi, & aliis ſperabat. Quare iuſtam eſſe occaſionem onerandi eorum conſcientias ad quos ſpectabat Miſſas curare, pro eleemoſyna admodum tenui, ſi eas nihilominus prætermittant, ſtatuere Patres in Trid. ſeſſ. 26. cap. 4. quod equidem eſt argumento, in hac eos opinione fuiſſe, vt crederent, quę ex fundatione, Miſſæ ſunt dicendæ, omitti non poſſe, ac ſi id accidat ſupplendas eſſe. Dixi niſi quid Capellanum excuſet, nam ſi pauper erit, data aut accepta pro faciendis ſacrificiis ſtipendia, vim habebunt eleemoſynæ ei factæ ad ſubſidium inopiæ, ſimiliter ſi ea prętermiſſa eſſe fundatores ſciant, nec tamen cum poſſint, mandent omiſſa ſuppleri, quia tum non cenſentur, tanti talem iacturam facere, vt per eam grauiter ſe læſos, aut iniuria affectos æſtimari velint, iuxta Regin. loco cit. & Nau. Tertio idem ſentiendum eſt ſi paucis tantum diebus, is qui alterius cauſâ ſacrificare tenetur, officio ſuo deeſſet, putâ quia abeſt, aut ægrotauit, diebus octo vel decem. Ita Molfeſius in ſum. part. titul. 6. cap. 1. num 70. Riccius in part. 1. reſolut. 340. numero 5. Fraxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 4. conc. 4. parag. 11. Barboſa de poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 24. quia non eſt credibile fundatorem velle obligare cum tanta ſeueritate Capellanum ſuum, vt ſi ægrotet octo vel decem diebus, teneatur per alium ſupplere quod ipſe per morbum facere non potuit.

Longius progreditur P. à Nau. nam. lib. 2. de reſtit. cap. 2. ait eum qui ſpatio vnius menſis, aut duorum, Miſſam non celebraſſet, vt debebat, quia per inualetudinem, aut ſimilem aliquam cauſam iuſtam, ei non licuit, ad nihil obligandum eſſe, cui etſi aſtipuletur Naldus in ſum. ver. Miſſa n. 11.

assentiri tamen nequeo. Quod speciem veri nullam opinio hæc habeat, nam quis putet, gratum ei esse, qui animæ defuncti Patris, Deum quotidiano sacrificio propitiari voluit, tanto illud tempore, nec sine magno defuncti detrimento prætermitti? quare non tantum Presbytero indulgendum esse credo, vt licitum sit illi, per se, aut alium non supplere Missarum numerum, pro quibus fidem suam obligauit, maximè, si vt aiunt isti authores, tanto sunt omissæ tempore, quantū Capellano, ex præsumptâ fundatoris voluntate, permittūt obiinfirmitatē. Satis esse videtur, vt expleat partes viri boni, & prudentis, si prædicto Sacerdoti permittat, non supplere per se, aut alium quæ 12. aut 15. dierum spatio, sacra ipse, per morbum, aut aliud iustum impedimentum facere non potuit pro defuncto, aut alio quem ei commendauerat.

Pro hac opinione faciunt, qui asserunt, Capellano, qui quotidie per legem, statutaque fundatæ Capellæ, in ea operari debet rem diuinam, integrum esse, per annum, sexies, aut non multo secus, pro se, aut amicis, inibi Deo sacrificium offerre, eo quod, id ei nunquam negatum voluisset, Capellaniæ fundator, ac author, si de tali casu cogitasset, aut rogatus esset. Longè liberalior est Nauar. to. 1. con sil. l. 3. de præb. consil. 6. n. 2. ait enim Capellanum, cui incumbit quotidie, in certa ara litare, posse ex causâ iustâ, ac honestâ, singulis septimanis, Missam pro se, aut amico vnam, in eodem altari dicere, modo ne pro ea, quidquam ab illo exigat, capiatque stipendij loco. Sed hæc opinio mihi nō probatur ob rationes antea allatas, nec (quod pace eius sit dictum) à casu, de quo agitur in cap. significatum est 10. de præbendis, fieri potest ad alios, ei non similes illatio. Rogatus enim cum esset Alexand. III. ab Insulanis Canonicis, vt authoritate suâ ratam esse vellet fundationem præbendæ cuiusdam, in suâ Ecclesia, his legibus, vt qui eam possideret, quotidie Missam de sancta Maria celebraret, respondit, *Eam se institutionem confirmare eatenus, vt prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis esset impeditus, assiduè deberet obsequium suum impendere Ecclesiæ, & quanto frequentius posset (salua honestate suâ, & debita deuotione) siue causa voluptatis, siue se, ad aliam Ecclesiam transferendo.*

Iam quæro, quid sit huic fundationi commune cum cæteris, & maximè priuatis, priuatorum altarium? Liberum esse vult Pontifex, præbendato Insulanæ Ecclesiæ, vt Missę eo die nō det operam, quo ei cum deuotione, ac honestate, vacare non licet, vnde habet Nauar. idem fundatores cæteros velle? vnde eorundem voluntate tantundem sibi Capellanos omnes arrogare posse? quare dum de fundatorum voluntate non constabit, non facile vt à fundatæ Capellaniæ lege abeant, Capellanis cum Nauarro annuam.

QVÆSTIO XXIX.

An Clericus Peregrinus possit in aliena Diœcesi celebrare.

DIco primo, *Posse, cum licentia Episcopi Diœcesis, in quam admenit.* Ratio est, quia sic nulli fit iniuria, nec est periculum vllius scandali, in populo, cum non celebrat nisi probante Episcopo.

Dico secundò, *Non decere tamen, vt Episcopus talem admittat, ad sacra altaris ministeria, sine literis commendatitiis, ac testatione exhibitâ de eius vitâ, Sacerdotio, & moribus, quæ causam, & occasionem explicet sui discessus, Episcopi Diœcesis, ex qua discedit, aut eius Generalis Vicarij, chirographo obsignatâ.* Ita Innocent. III. cap. tuæ fraternitatis 3. de Clericis peregrinis & longe Innocentio priora tempore, Concilia Nicæn. 1. can. 10. Aurelian. 4. can. 6. Hispalen. 2. cap. 2. Laodic. can. 4. Aquisgran. sub Ludou. Pio can. 52. habitum in Palatio Vernis can. 12. Antiochen. 1. can. 7. Chalcedon. can. 13. his verbis: *Extraneo Clerico, & Lectori, extra ciuitatem suam sine commendatitiis literis proprij Episcopi nusquam penitus, ministrare liceat*, quod item vt communi Episcoporum suffragio decerneretur in Concil. Carthagin. 1. can. 5. author fuit Primatus, Episcop. Vegeselitanus, recentique Patrum memoria, admoniti sunt Ecclesiarum Præsules, in Trident. sess. 22. de obseruandis, & vitandis in celebrat. Missæ, in id illis incumbendum esse, *ne cui vago & ignoto Sacerdoti, Missas in suis Diœcesibus celebrare liceret*, Ratio est, prima, *vt irreuerentia vitetur.* Trident. supra, secunda, vt consulatur conscientiis, quæ lædi possent, si qui in eorum oculis celebrat, scirent postea excommunicatum, aut suspensum fuisse in sua Diœcesi.

Dico tertiò *Cum Clericus est notus, commendatitiis opus non esse, vt in aliena Diœcesi sacrificare possit, de Episcopi licentia, qui illi præst.* Ratio est, quod tum cessent incommoda, quæ timeri possunt, cum est ignotus. Ita Panorm. in cap. tuæ de Clericis peregrinis Sanch. consil. moral. lib. 7. dub. 47.

Dico quartò, *Peregrinum Sacerdotem admitti quoque posse ad sacra altaris ministeria, sine formatis, cum secreto, id est, clam arbitris, in altari priuato, aut Oratorio, sacrum est facturus.* Ita Innoc. expresse his verbis in cap. tuæ ante citato. *Respondemus, quod nisi legitime tibi constiterit, siue per literas, siue per testes, de illorum ordinatione canonica, qui penitus sunt ignoti, non debes permittere, ipsos in tuis plebibus celebrare, sed si forsitan eorum aliqui, secreto ex deuotione, celebrare voluerint, poteris sustinere.* Hæc ille.

QVÆSTIO XXX.

An Sacerdos peccet infundendo plusculum aquæ, in calicem v.c. octo aut nouem guttas.

VErissima sententia est non peccare, ita Coninch. de Sacram. q. 74. art. 3. dub. vnico, Aresius in disput. de aquę transmutat. in sacrif. Missæ, Pesant. in 3. part. q. 74. art. 8. disput. 2. Scort. de sacrificio Missæ lib. 4. cap. 1. Tolet. lib. 2. cap. 25. n. 4.

Ratio est, prima, quod cum aliquanta quantitate aquæ, minore tamen quam sit vini, possit fieri consecratio calicis.

Secunda, quod cum quantalibet quantitate aquę, dummodo minore quam vini, stet significatio, cuius causa, aqua ex institutione Christi infunditur calici, prima est, *Quod ex latere eius, in passione fluxerit.* Alexand. primus in epist. 1. decret. Innoc. in cap. cum Marthæ de celebr. Missarum Concil. Triburiense can. 19. Trident. sess. 22. c. 7. Conc. Brac. 3. can. 1. quod erat argumen-

tum, Christi meritis, peccata nostra plene & integre delenda esse. Altera, quod eidem coniungimur, quod vnimur, vt enim aqua populum denotat iuxta illud Propheræ, aquæ multæ populi multi, ita vinum, quo nihil homini charius, diuinitatis est symbolum: *Cum vino ergo, aqua admiscetur, in calice, Christo populus adunatur*, Cypr. lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium. At manet vtraque notio, cum infusione aquæ, in aliquanta quantitate: nam hæc remissionem peccatorum, hominumque vnionem cum Christo significat, peræque ac gutta infusa calici, accusari ergo Sacerdos non debet de mortali culpa, si guttas plures aquæ, vino admisceat.

Tertia, vt satisfiat præcepto de aqua admiscenda vino, sufficit si vinum contentum in calice, duabus tantum partibus superet aquam, iuxta decretum Concil. Triburiens. can. 19. his verbis: *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permistum, quia vtrumque ex latere eius profluxit, sed sic vt duæ partes sint vini, tertia vero aquæ, quia maior est maiestas sanguinis Domini, quam fragilitas populi, qui per aquam designatur, iuxta illud, populi multi, aquæ multæ*, non peccat ergo Sacerdos, infundendo in calicem plures aquæ guttas.

Obiicies. At illa, decreto Florent. Concil. debet esse modicissima, sic enim Eugen. parag. Tertium autem Sacramentum. *Cui*, vino de vite scilicet, *ante cõsecrationẽ, aqua modicissima admisceri debet, aqua ideo admiscetur, quia creditur Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum*, Et infra eodem parag. ait Concilium. *Decernimus vt etiam ipsi Armeni se cum vniuerso orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes, in calicis oblatione, paululum aquæ admisceant vino.*

Respondendum, id esse consilii non præcepti, secundo, ita locutum Eugenium, quod crederet, aquam debere prius mutari in vinum, quam conuerti in sanguinem, ideoque esse consultum, vt non nisi modica calici infunderetur, ante consecrationem. Sed Innoc. Papæ tertij verissima opinio est in cap. Marthæ de celebrat. Missarum. *Aquam cum vino, in sanguinem transmutari, vt eluceat expressius proprietas Sacramenti. Nam cum aquæ multę sint, populi multi &c. ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur*, quam conuersionem aquæ in Christi sanguinem, non tantum mediatam esse secundum S. Thomæ sententiam, eo quod aqua modicè affusa, prius in vini substantiam naturaliter mutetur, quam totum transsubstantietur in Christi sanguinem, per verba consecrationis, sed immediatam, grauissimi authores asserunt. Paschasius Abb. Corbiensis l. de corp. & sang. Christi cap. 11. & 19. Gaufredus in epist. ad Episcop. Albanens. apud Baron. an. 1188. vbi hanc conuersionem insigni miraculo confirmatam in Archiepiscopatu Moguntino, Hermoldus Abbas, auctor illius temporis narrat in Slauorum historia.

Eandem sententiam sequuntur Ægid. de Coninch. q. 74. art. 8. Scortia de Missæ sacrif. lib. 4. cap. 1. Iansenius in Concord. cap. 131. est ergo vt minimum probabilis, consequenter opposita, in qua obiectionis vis tota consistit, nihil habet, quod conclusioni nostræ multum præiudicet.

QVÆSTIO XXXI.

An aqua admiscenda vino in Eucharistia naturalis esse debeat.

Dico primò, *Aquam quæ vino affunditur in Calice, debere esse naturalem*, tum quod Christus, consecratione Calicis, ea creditur vsus, tùm quod Apostoli qui consecranti Christo affuerunt, hunc modum tradiderunt, tum quod aqua arte facta, genus quidem quoddam est aquæ, non quæ absolute, sed cum adiunctione, appellanda sit aqua. Adde quod Christus nihil non verum, in Eucharistia vsurpari voluit, at aqua è rosis expressa, non est vera aqua, ergo à consecratione calicis remouenda.

Dico secundò, *Aquam quæ naturaliter est talis, necessitate præcepti, adhibendam esse in consecratione vini.* Trident sess. 22. cap. 7. his verbis. *Monet sancta Synodus præceptum esse, ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceerent*, cuius præcepti antiquissima fit mentio, in Concil. Braccar. 3. can. 1. Carthag. 3. can. 24. *Vt in Sacramentis corporis & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur quam quod Dominus tradidit, hoc est panis & vinum, aqua mistum.* Et in Aurelian. 4. can. 4. *Vt nullus in oblatione sacris calicis, nisi vinum aqua mixtum, offerre præsumat, quia sacrilegium iudicatur aliud offerri, quam in mandatis sacratissimis, Saluator instituit.* Facit ergo contra præceptum, *Euangelium & Dominicum*, in opinione Cypr. li. 2. epist. 3. ad Cæcilium, & Concilij proxime citati qui à sacrificio altaris aquam in calice repudiat, eius vsus proinde, admixtioque facta vino cui infunditur est de necessitate præcepti, quod fuit probandum.

Dico tertiò, *Non esse de necessitate Sacramenti, vt aqua, quæ vino additur, naturalis sit, non facta arte, aut ingenio.* Dixit hanc sententiam D. Thom. tum in 3. par. q. 74. art. 7. in respons. ad 3. tum in 4. sentent. dist. 11. p. 2. art. 4. q. 3. hac enim quæstiuncula, cum constituisset aquas, quæ naturales non sunt, æquiuoce dici aquas, in responsione ad primum argumentum scripsit his verbis: *Aqua est de substantia panis, & non est de substantia vini, quare si aqua non naturalis, admisceretur vino, non obesset consecrationi, sed obesset consecrationi panis.* Hæc ibi S. Doctor.

Idipsum scripsit Comitolus responsion. lib. 1. q. 40. ratio ita sentiendi tam illis, quam mihi est, quod aqua factitia naturam vini non mutet, quod solum legitima est consecrationis calicis materia, patet, nam qui illam in consecrando vino, ex imprudentia, aut errore mentis omitteret, etsi mortiferæ culpæ reus esset, non tamen operam lusisse, & non sacrificasse dici posset, quod est argumento, aquam elementarem quali nos communiter in potu vtimur, ad consecrationem vini, necessitate Sacramenti non exigi.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXII.

An Guttæ aquæ, quæ ſunt in calice, ſeiunctæ à vino, conſeri debeant conſecratæ.

PRo talibus habendas, credidere viri graues, Bonac. & Comnch. de Sacram. qu. 74. art. 2. maximè, ſi ita vino ſunt proximæ, vt leui agitatione calicis ei immiſceri queant.

Secus quam illi ſentiunt, viri doctrina, ac virtute iis non impares Antonin. Diana tract. 4. de Sacrament. reſol. 32. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 2. non penult. Suar. diſp. 43. & Reginald. de Euch. fundamentum huius opinionis præcipuum eſt, quod ex intentione Eccleſiæ, conſecretur id quod eſt in calice, per modum vnius continui conſecrabilis, ergo cum guttæ quæ vino adiacent in calice, eidem non adhæreant, tanquam partes dicti continui, non conſecrabuntur.

Deide non poteſt Miniſter directe velle conſecrare, niſi quod eſt per ſe conſecrabile, at aqua ſeparata à vino, non eſt eiuſmodi, ſed vinum ex vuis expreſſum.

Tertio non poteſt conſecratio, ſicut nec cuiuſlibet Sacramenti confectio, pendere ab euentu futuro, contingente, penderet autem ſi guttæ quæ propinquæ ſunt vino conſecrato, ideo conſecrarentur, quia poſtea agitatione calicis miſcebuntur vino vt enim non eſt neceſſe moueri calicem verſus eam partem, vbi prædictæ guttæ adhæſere, ita nec has vino adiungi, ergo contingens eſt vtrumque fieri, contingens proinde, quod fiat conſecratio guttarum, de quibus nobis eſt ſermo.

QVÆSTIO XXXIII.

An quo die Sacerdos in pollutionem incidit, celebrare ſine culpa valeat.

POllutione membra maculari accidit diuerſimode, interdum enim culpa omni caret ea macula, alias magnam habet, eamque lethalem, vt quando hæc oritur ex impudicitia, tã in concubitu quam extra in non maritis, ſi autẽ prouenit præter propoſitũ mentis, vel in dormiente, vel per violentiam illatam, cui mens non conſentit, quamuis caro delectationem experiatur, vel ex infirmitate naturæ, vt vſu venit in iis qui ſemnis fluxum patiuntur, in ea pollutione culpa nulla erit.

Dico ergo primò, *Quando pollutio non fuit ipſa per ſe expetita, nec in cauſa, quæ ſit mortalis, Sacerdoti liberum eſſe, ſi velit, ſacrum facere*, quia nihil eſt quod eum à ſacrificio, & communione impediat præter peccatum mortale, at delectatio, quæ ex reſolutione ſeminis procedit, non eſt mortalis, cum præter voluntatem euenit, aut prouenit ex cauſa non lethali, peccato ſcilicet veniali, puta cogitatione non moroſa: ergo, &c.

Dico ſecundò, *Pollutionem quæ eſt procurata, aut venit ex antegreſſa culpa, aut deliberatè, & ex voluntate, impedire, quandiu non eſt per abſolutionem deleta, ne Sacerdos ſacra operetur.* Ratio eſt, quod cum conſcientia lethalis culpæ, ad altare accedere, ſit lethale, quando eſt ad manum Sacerdos, qui eam poſſit per abſolutionem tollere, quorum hominum, ſemper magna eſt in Eccleſia copia, ergo, &c.

Quid ſi poſt habitam, eo die copulam carnalem cum fœmina, aut pollutionem voluntariam, Sacerdos ſit confeſſus, eine liberum erit, ſine culpa veniali, rei diuinę incumbere.

Negant Villal. in ſum. to. 1. tract. 7. difficul. 37. num. 11. Didac. Nugnus in 3. parte to. 1. q. 80. art. 8. conc. 10. & 11. Ioan de la Cruz in direct. par. 2. de Euch. qu. 5. dub. 3. concluſ. 2. proindeque peccaturum Sacerdotem venialiter aſſerunt, ratione cuiuſdam corporalis immunditiæ, ſi poſt pollutionem, de qua ſit confeſſus, ad Euchar. accedat.

Diſſentit Sancius in ſelect diſp. 13. nu. 30. cuius mihi opinio, & tuta, & ſequenda videtur in praxi.

Primò, quia vt digne quis ſacris myſteriis communicet, hoc vnum exigitur, nec amplius, vt ab omni ſit ſcelere purus ac vacuus, aut ſi alicuius conſcientia tenetur, illud per confeſſionem eluat, iuxta præceptum Apoſt. Probet autẽ ſeipſum &c. at ex hypotheſi, Sacerdos ritè conſcientiam purgauit, confeſſione pollutionis à ſe eo die admiſſæ, nec eſt inſuper aliquid, quod eum remordeat: ergo digne tum ac ſine veniali ſcelere communicabit, quod erat probandum.

Confir. digne accedere, ad Cõmunionẽ, eſt ſecundũ Cóc. eam ſine culpa recipere, at cũ veniali recipit, ex mente authorum, qui nobis ſunt aduerſi qui quo die per impudicitiã ſe polluit, cõfeſſus licet, ac reconciliatus, ad ſacrum altare venit communicaturus, ergo præter puritatem animi, quæ in carentia mortalis culpæ ſita eſt, aliquid aliud exigitur, ad digne communicandum, quod eſt contra Concil.

QVÆSTIO XXXIV.

An Sacerdos qui cum affectu ad peccatum veniale, aut euagatione animi voluntaria ſacrificat, duplex peccatum veniale admittat, vnum irreuerentiæ contra Sacramentum, aliud attentioni, aut virtuti cui tale peccatum repugnat, oppoſitum.

QVæſtionis huius explicationem, conferemus in aliquas concluſiones.

Prima eſt, *Peccare qui ſciens ac volens, auocari ſe à Deo patitur, inter ſacrificandum, cogitatione aliqua inutili, à Dei, aut ſacrificij dignitate aliena.* Quia cum ex Dei lege, ſuſcipienda eſt oratio, aut ad agendas ei gratias, aut cultum exhibendum, interior animi attentio, ac religio eſt plane neceſſaria, quippe qui cum corpus & animum nobis fuerit impartitus, vtroque velit ſibi ſeruiri, ſed ſacrificio Euchariſtico, gratias Deus ſibi reddi, ac honorem tanquam rerum omnium Principi voluit, eo enim hæc ſpectant. Hoc facite in meam commemorationem Marc. 14. Luc. 22. Et quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis mortem Domini annuntiabitis donec veniat, 1. Cor. 11. cui tamen honori, repugnat euagatio animi voluntaria, ei ergo vltro, ac ſponte inhærere, non vacat culpa.

Secunda concluſ. *Afferre ad communionem, affectum culpæ venialis, veniale eſt*: Ratio eſt in promptu, actiones humanæ, ſpeciem ſuam, ac naturam ab obiectis trahunt, ergo cum affectus ad

culpam, sit actio voluntatis, in ea se oblectantis, affici re quapiam, quæ maculam habet veniali non maiorem, veniale est.

An autem præter hæc peccata duo, quorum primum cum religione pugnat, postremum hoc cum virtute, cui veniale opponitur, aliud quoque committat irreuerentiæ contra Sacramentum, qui sciens & volens sacrificat, ostentationis causâ, cum peccati venialis proposito, aut animo cogitationibus occupato absonis, ac à Sacramenti maiestate alienis, iam est videndum.

Admittere aiunt Suar. disp. 66. sect. 1. Filliucius to. 1. tract. 4. cap. 7. n. 206. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 6. n. 3.

Contraria tamen sententia probatur his omnibus Sancio in selectis disp. 23. num. 32. Emm. Sa, verbo Euch. num. 22. P. de Ledesma in sum. to. 1. de Sacram. Euchar. cap. 11. concluſ. 3. ad eamque accedit Anton. Dian. tract. 4. de Sacram. resolut. 31. ratio est quod hoc Sacramentum, præcisè quâ tale, & distinctum ab oratione, attentionem non exigit sub præcepto, est enim cibus animæ, qui sine eius præsentia, capi potest, & distracta mente, quod cum accidit, non peccat sacrificans contra reuerentiam cibo debitam, sed attentionem, quam oratio postulat, quę est loquutio cum Deo, qualis non est Eucharistia, quod si tum non oraret, ad eam nulla esset obligatio, at proinde Sacerdos eam non adhibens careret peccato. Circa prædicta

Dub. 1. quid consulendem Sacerdoti, si, quod humanitus potest accidere, ministri incuria, vino albo, aquam sibi submini stratam Sacerdos post consumptionem corporis deprehenderit.

Debebit accedere ad cornu altaris, & tanquam ablutionem sumpturus, vinum calici imponere, ac super eo, nemine si fieri potest conscio, verba sacrosancta proferre, facto ab his initio. *Simili modo postquam &c.* neque esse vllo modo necesse, hostiam nouam iterato consecrari, tradidere Scotus in 4. dist. 8. Nau. cap. 25. num. 91. Suar. disp. 85. quorum sententiam, quia vera est, subscribunt Doctores omnes.

De aqua vero, quæ calici affusa fuerat, quid fiet? Ob reuerentiam mittenda est in piscinam, quam enim turpe esset, sanctificatam attactu sacri vasis, ac sui oblatione Deo Principi, abiicere conculcandam temere à quolibet?

Secus tamen, quam citati authores, loquitur S. Doctor qu. 83. ar. 3. ibi enim scripsit Sacerdotem, cognito post sumptionem sacrosancti corporis, non fuisse in calice, nisi puram aquam, debere consecrare cum calice, etiam nouam Hostiam, ideoque, vtrumque ex formula Ecclesiæ, Deo offerendum esse, ac à verbis, quæ oblationi sunt propria, transeundum illico ad ista. *Qui pridie quam pateretur*, aut ad consecratoria. *Hoc est corpus meum. Hic est enim calix sanguinis mei.* Sed prior opinio (quod pace eius sit dictum) tanquam communior, est sequenda in praxi, quia vt habetur in cap. pastoralis primo tituli de Sacrament. non iterandis: *In talibus non est iterandum aliquid, sed caute supplendum, quod incautè est prætermissum.* At in sententia D. Thom. corpus quod fuit consecratione panis, sub speciebus positum, iterato ponitur sub aliis, non est hæc ergo eius opinio, cõformis opinioni Innocent. III. à quo est hic canon.

Secundo, si consecraretur noua hostia, non tam perficeretur sacrificium, quam fieret nouum, nam illa vtriusque speciei consecratio, est essentialiter A sacrificium, absque vllo respectu, ad præcedentem consecrationem.

Dub. 2. Quid facere Sacerdotem oporteat, cũ nõ meminit, an verba consecratoria protulerit, super materiam propositã. Debet ea iterato pronuntiare, cum tacita tamen conditione, eam non consecrandi, si sit consecrata, de cæteris quæ sacrificio non sunt essentialia, non debet magnopere esse solicitus, sed immutato ordine sacrificij, potest progredi, ac quæ culpa sua, aut inaduertentiâ præteriit, non supplere tanquam non necessaria, ad sacrificium. Quid si excommunicatus nominatim, ac denuntiatus templum ingreditur?

Id laborare Sacerdotem conuenit, vt ab altari recedat, si canonem necdum inchoauit, B si incepit, pergendum ei erit vlterius, sacrumque absoluendum vsque ad sumptionem corporis & sanguinis Domini, Emman. in sum. cap. 246. n. 8.

Ob quancumque aliam causam, nisi grauem, & magni momenti, abscedere de altari non debet, nisi absoluto sacro, Zachar. Papa primus in Synodo Rom. can. 13. & 14. *Cum ingressus*, inquit, *fuerit Episcopus aut Presbyter, ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua interuenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, vt ab alio Episcopo vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur sed qui initium posuit, suppleat vsque in finem, quia scriptum est, qui perseuerauerit vsque &c. Si quis vero præsumpserit, præter quod possimus agere, à sacro corpore & C sanguine Domini nostri Iesu Christi, sit suspensus.* Quæ pœna cum sit grauis, grauem quoque obligationem, ac sub mortali, indicat in Sacerdote, remanendi in altari, dum sacrificium compleuerit, non tamen innodatur censura vt notarunt, Nauar. in miscell. de orat. 42. Fernandez parte 3. cap. 5. parag. 15. num. 11. Salzedo in pratt. crimin. cap. 45.

Quid si Sacerdotem, inter sacrificandum deficeret animus quid si deliquium passus, progredi vltra, in sacrificio non posset?

Si hoc ei accidat ante consecrationem panis, nihil erit necesse alium Sacerdotem quærere, qui operâ ipse suâ, quod ad sacrificij complementum D requiritur, impleat, quia cum nondum sit substantialiter inchoatum, nullum apparet notabile incommodum, si non perficiatur.

Quod si è contra, Sacerdotem, destituant animus, & vires, post consecrationem vnius materiæ, aut vtriusque, tunc adhibendus erit alius, qui curâ suâ suppleat, quod per morbum, alteri facere non licuit. Quid si nullus sit eo tempore, qui non sit cibo refectus, tota vrbe ieiunus nullus? Ab eorũ oliquo nihilominus, sacrificio extremãerit adhibẽda manus, quamuis hic esset peccati mortalis reus, & excõmunicatus. Ita Doctores, & colligitur expresse ex can. 1. Concil. Tolet. septimi, vbi hæc leguntur. *Censuimus conuenire, vt cum à Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidit quilibet euentus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Epiſcopo vel Presbytero alteri, consecrationem exequi officii cœpti.* At nulla (inquies) fit in eo can. mentio excommunicati, nulla Presbyteri, mortalis sibi culpæ conscij

Omnino, neque tamen ideo existimandi sunt, lege vlla canonica, aut naturali excluſi ab hoc ministerio. Non canonica, quia nusquam extat, non naturali, quia recte instituta ratio admonet, minus esse incommodi, in eo, quod præcisus, aut peccator manum admoueant implendo sacrificio, quàm

Digitized by Google

quam quod relinquatur imperfectum, aut non conſummetur, eſt abſolutum.

Dub. 6. An Sacerdos peccet mortaliter non ſeruando rubricas Miſſalis.

Peccare dicunt Bonac. de Sacram. diſput. 4. q. vlt. punc. 7, parag. 3. n. 3. Azorius par. 1. lib. 10. cap. 29. q. 6. Pitigian. to. 1. in 4. ſentent. diſt. 13. q. 2. art. 4. Ægidius de Coniuch. q. 83. art. 5. num. 166.

Dico primò, *Peccare mortaliter, qui faciendo ſacro, ritum, ac caremonias Eccleſiæ, non ſeruat*: quia in re notabili, facit contra præceptum Pij Papæ quinti, obligans ſub mortali, ad earum obſeruationem, patet ex eius diplomate, quod Miſſali Romano eſt præfixum, ibi enim omnibus mandatur in virtute obedientiæ, *Vt cæteris omnibus rationibus ac ritibus ex aliis Miſſalibus, quantumuis vetuſtis, hactenus obſeruări conſuetis, in poſterum penitus omiſſis, & plane reiectis Miſſam iuxta ritum, modum ac normam, qua per Miſſale hoc nunc traditur, decantent ac legant.*

Dico ſecundò, *Peccare tantum venialiter, qui vnam aut alteram rubricam non obſeruat*, quia leuitas materiæ, in tranſgreſſione præceptorum, quæ iuris ſunt Eccleſiaſtici, à mortali excuſat, ita non peccat grauiter, qui paucula quædam verba omittit, ad ſubſtantiam ſacrificij non pertinentia, aut his, quæ ſunt in vſu, extra canonem, in decurſu Miſſæ, aliqua addit, aut orationem pro perſona priuata. Dixi grauiter, vt oſtenderē talem additionem excuſari vix poſſe à veniali ſecundum Ægidium loco ante citato num. 267. cum ſit præter conſuetudinem, ac vſum Eccleſiæ. Deinde contra præceptū Papæ, in memorato diplomate, ibi enim his verbis: *Præcipitur vt in Miſſæ celebratione, alias caremonias, vel preces, quam quæ in hoc Miſſali continèntur, addere, vel recitare nemo præſumat.*

Excipiendus eſt caſus, in quo Eccleſia, cuius Sacerdos eſſet peculiare mēbrum, haberet particulare officium, ac ritum, ſecundum quem Miſſa in ea eſt dicenda, nam tunc poteſt ritu ſuæ Eccleſiæ, vel Romano, ſacrum facere, niſi forte ſit Religioſus, nam ei tunc ordo celebrandi eſt tenendus, quem ſeruat domus illa ſui ordinis, in quâ pro tempore verſatur, ita peccare latinum Sacerdotem aſſerit Crucius in direct. conſc. par. 2. de Euch. q. 1. dub. 2. concl. 2. qui conſecraret in fermentato, etiam ſeclūſo ſcandalo, & cum magna neceſſitate, vt ad communicandum infirmum, ratio eſt, quod diſcedere priuata authoritate, à rationabili vſu Eccleſię ſuæ, in re graui cuiuſmodi eſt iſta, peccatum ſit graue, proīndeque mortale, ſane reuocatas eſſe à Pio quinto licentias omnes factas latinis conſecrandi in fermentato, & Græcis in azymo ſcribit Laym. to. 1. tract 7. diffic. 6. n. 2.

QVÆSTIO XXXV.

An Caſtitas ſit coniuncta Sacerdotio.

CErtum eſt primo Ordinem valide conferri ei qui vxorem duxit, & proinde caſtitatem perdidit, quia puritas tam animi quam corporis non eſt diſpoſitio, neceſſario prærequiſita Ordinibus, iure naturali aut diuino: non primo, quia quæ ſunt iuris naturæ, eadem ſunt apud omnes, cum fundamentum habeant in ratione, quæ vna eſt, eademque omnium apud omnes gentes. At conſtat Sacerdotes in antiqua lege vxoratos fuiſſe, vt patet de Zacharia Luc. 1. de quo ſcribitur, *quod cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſ cundum conſuetudinem Sacerdotij ſortes exiit, &c.*

Secundò, ius naturale eſt quod eſt per ſe notum, aut quod ex eo per conſequentiam bonam infertur. At ex neutro colligitur non oportere Sacerdotes coniugatos eſſe: ergo quod Sacerdotes caſti eſſe debeant iuris non eſt naturalis, nec diuini, quia eius rei nulla extat vſpiam mentio in Scripturis. Deinde nulla ſunt præcepta diuina, niſi de fide & Sacramētis, ex cōmuni Doctorū axiomate.

Certum eſt 2. in primitiua Eccleſia Sacerdotium dari potuiſſe aliis, quam qui à matrimonio eſſent liberi. Patet hoc ex teſtimonio Patrum, exemplo Petri, cui ad Sacerdotium nihil obfuit, quod vxoratus eſſet, nam cum ſocrum habuerit Lucæ 4. & vxorem quoque ei fuiſſe aliquam eſt neceſſe.

Pro hac veritate facit etiam antiqua praxis Eccleſiæ, & fides Canonum, inter quos, apertus eſt quintus Apoſt. vbi Epiſcopis, & Presbyteris præcipitur, ne vxorē propriam vnquā ſub obtentu religionis abiiciant, id eſt vt iuxta præceptum Pauli 1. ad Timoth. 5. & exemplum S. Petri, illius curam habeant ipſiq; de omnibus quæ ad vitā honeſte degendam requiruntur prouideant: his præmiſſis.

Dico 1. iure Eccleſiæ caſtitatē adiunctam eſſe ſacris ordinibus, hoc eſt Presbyteris ac maiorum ordinum Clericis, neceſſitatem ab Eccleſiæ lege impoſitam eſſe ſeruandæ continentiæ, huic aſſertioni quærenda fides primo ab Epiſtola 2. Clementis in ea, ſibi vir ea ſanctitate à Petro imperatum narrat, vt tales futuris ſæculis miniſtri altaris ordinentur, *Qui ante ſui ordinationem, vxores ſuas reliquerint*, id eſt de earum conſenſu voluptatibus & carnali copulæ renuntiauerint, ob eam cauſam *ὡς τῆς χαιρούσας ἱερῶσθαι οἱ σωφρονῶν, ἀιρεῖται, ἢ εἰ μὴ τυγχάλοιτο ἤδη χειροτονῆται*, inquit Zonar. in canon. 26. Apoſtolor. hoc eſt ante ordinationem, *Presbyteri interroganter an caſte & continenter viuere velint, & ſi pollicentur hoc, ordinantur.*

Secundò, eodem pertinet quod Greg. lib. 1. ep. 42. ſtatuit, ne quis in poſterum ad ordines ſacros admitteretur, niſi qui contineret ab vſu coniugij, quod Hieronymus contra Vigilantium & ep. 50. ad Pammach. Baſil. ep. 17. Leo ep. 82. cap. 4. requiſitum quoque fuiſſe in Subdiaconis aſſerunt, de quo poſtea. Sane nuptias illis prohibitas fuiſſe iam tum ab Apoſtolorum temporibus, indicat eorum canon. 26. his verbis conceptus: *In nuptiis autem, qui ad Clerum promōti ſunt præcipimus, vt ſi voluerint vxores accipiant, ſed Lectores Cantoreſque tantummodo.* Viden' hinc, vt Apoſtoli coniugia, eorumque voluptates, ac vſum prohibita eſſe voluere ſacris Clericis?

Eorum exemplo ſtatuere Patres in Conc. Rom. ſub Sylu. & in Agath. can. 28. ne miniſtri altaris vxores haberent, *& vt Presbyteri quibus dicendi vxores modo licentia non eſt, aliarum nuptiarum euitent conuiuia*, in Elibertino autē can. 33. ne fas eſſet iis qui vxores duxerant ante ſuſceptionem Ordinum, poſt eos receptos liberis operam dare. *Placuit in totum*, inquit canon, *prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur*, id eſt vt explicat Zonar. in can. 26. Apoſtolorum, *à miniſterio Ordinis proprio remouetur.*

Caſtitatis ergo ſeruandæ lege teneri Presbyteros eſt certū, de qua etiam eos votum ſaltem tacitum in ordinatione ſua, Diaconos inſuper & Subdiaconos omittere ſolitos, indicat canon Ancyrani Concil.

nonus vbi de Diaconis hæc leguntur: *Quicunque tacuerint (nempe non proteſtando coram Epiſcopo ordinante ſe velle coniugio copulari) & ſuſceperunt manus impoſitionem profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debebũt*, quale autem & cuiuſmodi fuerit hoc miniſterium, docet canon ſextæ Synodi Oecumenicæ in Trullo vigeſimus ſextus, ibi enim de eo loquens qui vxorem Presbyter duxerat hæc habet: *Nec ergo publice, nec priuatim benedicat, nec Chriſti corpus aliis diſtribuat, nec aliud miniſterium obeat ſed prima ſede contentus domino deſleat, vt illis peccatum remittatur*, Vt vt ſit de hoc voto, veriſſimè dictum eſt ab Hieron. epiſt. 50. in fine. *Apoſtoli verba ſunt authoris, vel virgines vel poſt nuptias continentes, Epiſcopi Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Vide Baron. an. 325. n. 148. Bell. l. 1. de Clericis c 20.

Dico ſecundo, *Clericos maiorum Ordinum, non modo obligari ad continentiam ex præcepto Eccleſiæ, ſed etiam ex voto*, Scotus in 4. diſt. 37. q. 1. parag. Dico igitur, Sanch. de matrim. lib. 7. diſp. 27. q. 1. Quia etſi Eccleſia neminem repugnantem ac inuitum, continentiæ iure obliget, cum ea rés ſit conſilij non præcepti, iuxta Paul. 1. ad Cor. 7. tamen ordini ſacro quem libere confert, & quibus vult, conditionem hanc adiungere potuit, vt quiſquis eo inſigniri ab Epiſcopo vellet, continentiæ ſibi perpetuæ legem indiceret, (quod eam feciſſe patet ex Tridentini Conc. canone paulo ante allato & ex octauo item Ancyrani Conc. vbi Diaconi dicuntur in ordinum ſuſceptione profiteri continentiam) in quo caſu, quiquis ei, ſe Deo conſecrandum offert per ordinem, tacite ſibi caſte viuendi in poſterum neceſſitatem imponit, cum eum vna cum oneribus quæ voluntate Eccleſiæ illi cohærent velit, & non aliter. Id autem Eccleſiam velle, videtur colligi poſſe ex can. Concilij Carthag. 237. Epiſcoporum, cuius meminit Zonaras his verbis. *Placuit vt hi tres gradus, qui vinculo caſtitatis per conſecrationem implicati ſunt Epiſcopi*, inquam, *Presbyteri & Diaconi, vt ſanctos Epiſcopos & Sacerdotes Dei & Leuitas decet, ἐγκρατῆ εἶναι τε καὶ σώφρονα, ſint in omnibus continentes.* Sanctum occidentali Eccleſia ad ordines ſacros acceſſus patebat nulli, qui ſancte ac religioſe non eſſet pollicitus nihil ſibi à modo fore cum libidine ac fœminis commune, ſic enim præcipit Greg. lib. 1. ep. 42. ad Petrum Subdiaconum: *Nullũ facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit.* *Nemo*, inquit Vrbanus II. in Melphienſi Synod. ca. 12. *ad ſacrum ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ ſit caſtitatis*, cuius votum ab iis exigi oportere qui ſacrorum ordinum amore tenerentur, ſtatuere Hiſpani Epiſcopi in Toletano, Concil. 4. can. 26. & in 2. can. 1. *Vbi 18. ætatis annum compleuerint, coram totius Cleri plebiſque conſpectu, eorum voluntas exquiratur ab Epiſcopo de expetendo coniugio, quibus ſi gratia caſtitatis Deo inſpirante placuerit, & promiſſionem caſtimoniæ ſuæ abſque coniugali neceſſitate ſpoponderint ſeruaturos, hi tanquam appetitores arctiſſimę vitæ leuiſſimo Domini iugo ſubdantur, ac primum Subdiaconatus miniſterium habita probatione profeſſionis ſuæ à 20. anno ſuſcipiant.*

Similia à Gallis imperata video in Agath. Concil. can. 18. Aurel. 3. can. 1. Arelat. 2. can. 2. vbi hæc habentur: *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium in coniugij vinculo conſtitutum non oportet, niſi fuerit promiſſa conuerſio.* Et in 3. *Præterea placuit vt deinceps non ordinentur Diaconi niſi qui prius conuerſionis propoſito, profeſſi fuerint caſtitatem.*

Vbi notandum, conuerſionis nomine, ſtatum illum continentiæ, amborum coniugum intelligi, quem ex pacto mutuo, atque edito voto, coram Epiſcopo aſſumebant vltro ac ſponte, de quo extat titul. 32. lib. 3. decretal. vbi inter alia reſpondit Alex. III. in cap. coniugatus.

Nullus coniugatorum eſt ad ſacros ordines promouendus, niſi ab vxore continentiam profitente, fuerit abſolutus, quare de vtriuſque voluntate, quæſtio habebatur ab Epiſcopo, aut eius Vicario, ac ſi poſt factam ab eorum alterutro inquiſitionem, ſibi ambo coniuges conſtabant, ordinabantur, & relicta Epiſcopi, Epiſcopa, Presbyteri Presbytera, Diaconi, Diaconiſſa vocabatur, Conc. Agath. can. 16. *Si coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, vxorum voluntas requirenda eſt.* Notandumque graui eos animaduerſione percuti ſolitos, ſi quid exinde contra votum admitterent. *Si quis Diaconus*, inquit canon 8. Concil. Autel. 2. *in captiuitatem redactus, vxori ſuæ fuerit copulatus, reuerſus, omnino ab officij miniſterio remouendus eſt cui ſufficere debet, pro actus lenitate impleta pœnitentia, pro ſatisfactione communio. Fœminæ autem quæ benedictionem acceperint, ſi ad coniugium iterum probantur deuolutæ, à communione pellantur*, ibid. can. 16. Par fere, & æqualis pœna, ſtatuta, in maritos. Qui enim poſtpoſita Clericali continentia de ſuperiore ordine deſcendebat, militiæ Clericalis ſtipendia amittebat, teſtimonio Concil. Aurelian. 3. can. 1. vbi ſic habetur: *Vt nullus Clericorum à Subdiaconatu, & ſupra, quos vxores à propoſito ſuo accipere inhibetur, propria (ſi forte habeat) commiſceatur vxori quod ſi fecerit laica communione contentus, iuxta priorum canonum ſtatuta ab officio deponatur*, qua pœna, ab Vrbano II. in Synodo apud Melphiam ca. 13. ante multati fuerant Presbyteri, & cæteri, iiſdem cum illis aſtricti continentiæ nexibus, factaque eſt Principibus ab eodem poteſtas, vt eorum fœminas ſeruituti manciparent, ſi ab Epiſcopo cõmoniti, finem libidini non ponerent, diſtinct. 32. can. Eos qui 10. Et quoniam in infirmitate naturæ tanta, quantam omnes damno noſtro ſentimus, difficile videbatur ad priores voluptates non reuerti, ſi vir & fœmina eadem lecto ac cubiculo vterentur, id eis ſeuere interdictum eſſe voluere Concilia Agathenſe can. 16. Arelat. 2. can. 2. Aruern. can. 12. Lugdun. can. 1. Turonicum primum can. 8 ibi enim, præcipitur Epiſcopo: *Propter zelotem Deum noſtrum, tam longe abeſſe ab Epiſcopa ſua, id eſt relicta vidua, manſionis propinquitate diuiſum, vt propinqua contagione non polluatur.* Et in Aurel 4. can. 17. *Vt Sacerdotes ſiue Diaconi, cum coniugibus ſuis, non habeant communem lectum, & cellulam, ne propter ſuſpicionem carnalis conſortij, religio maculetur, quod qui fecerint, iuxta priſcos canones ab officio degradentur.*

Sunt & huius rei, hoc eſt ſeparationis ab inuicem in præcipuis Clericis, id eſt Presbytero, Diacono, ac Subdiaconis exigendæ, cauſæ aliq.

Prima vt in ſtatu continentiæ, quem propriæ voluntatis lege, ac religionis vinculo aſſumpſere, firmius perſeuerent.

Secunda, vt à Laicis, moribus, vitâque differant.

Tertia, vt opinione virtutis, quâ plebi præſtare debent, maiores in eius animo motus ad res magnas faciant.

Digitized by Google

Quarta, *Vt possint simpliciter quod à Deo postulant impetrare, & quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruant antiquitas ipsi quoque custodiant.* Concil. Carthagin. 2. can. 1. ἵνα ᾖ τὸ δι' ἐπιεικείας παρὰ τῶν ἀποστόλων παραδοθὲν, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς ἀρχαιότητος κρατηθὲν, καὶ ἡμεῖς ἐμμένοντες φυλάξωμεν.

Quinta, quia cum ipsi templum, vasa Domini, & sacrariũm Spiritus sancti, debeant esse, & dici, indignum est, *coscubilibus & immunditiis deseruire*, Innoc. II. in Conc. Rom. cap. 5.

Sexta, quod non patiatur æquitas, bonã Ecclesiastica, quæ sunt pauperum vsibus inopiæque subleuandæ debita, vxori alendæ, ac liberis impendi.

Septima, *Quod qui de Laica conuersione in Clericum assumitur, non maritali exercitio, sed diuinæ tantum sit militiæ dedicatus, vnde ab Ordinatoribus Clericorum, in eorum ordinatione dicitur de eis. Hæc est generatio quærentium Dominum, non coniugium.* Iuo Carnot. in epist. 220. ad Guidon. Parisiens. Episcop.

Octaua, *Ad hoc institutа est Clericalis militia, vt psalmodiæ & hymnodiæ quotidianum Deo offerat sacrificium quod offerre iure non potest, cui, vt plus placeat vxori quam Deo, lenocinante vxore & fallente carnis voluptate, operam dare necessarium est.* Iuo Carn. ibid.

Quinetiam in Romana Ecclesia morem inualuisse, vimque in ea legis obtinuisse dicunt Patres in Concil. texto habito in Trullo can. 13. *Vt qui ad Diaconatum & Presbyteratum promouebantur, profiterentur se non amplius suis vxoribus coniungendos*, quæ professio, votum erat, auctore Zonara ibi, quare de eo quod initio fuit in quæstione positum, an castimonia Presbyterio sit adiuncta, sic statuunt, ab eo seiungendam non videri.

QVÆSTIO XXXVI.

An contra leges fundati beneficij Missarum numerus à Sacerdote possit imminui.

DE hac quæstione nonnullus huius ætatis Theologus, in dissertatiuncula quadam sua, hęc ponit: primum peccare Clericum, à quo fœdæ huic consuetudini initium fiet, vt contra defuncti voluntatem, obligatio dicendi sacri quotidie, reuocetur, ad 12. v. c. in anno.

Secundum, ab eius successoribus, in eo beneficio, nihil admissum iri, quamobrem censura digni videri queant, cum quod ille, & isti, sibi quoque bona fide vsurpandum esse putauerint.

Tertium, præscribere posse Clericũ contra fundatorem imminutionem numeri Missarum, quas Deo, amicis propitiando, offerri moriens mandauit.

Quæ quam recte ab hoc dicantur homine, planum factura est præsens disputatio, in qua probabitur qui primo succedere Clerico, in procuratione beneficij, non omnino expertes culpæ esse.

Secundo, nec in hoc cautarum gentere, præscriptioni locum vllum dari.

Ac primam illam partem de successorum culpa, rationum momentis euincere, haud puto difficile, nec enim est in quoquam, ferenda earum rerum ignorãtia, quatũ est notitia, in eo ad functionem sui ministerij necessaria. At eiusmodi sũt leges, in quas cõuenere mutuo moriens & acceptans Ecclesia, ille, suppeditandi in sumptus quotidianos pecuniam, & annonam Sacerdoti, pro se facturo quotidie, hæc autem dandi operam, vt tam iustæ & religiosæ fundatoris voluntati satisfieret: Maioris propositionis est hæc probatio, exponere se vltrò ac scienter, peccandi aleæ, est salutẽ suã in discrimen apertum vocare. At amare, at quæ rere peccãdi tempora videtur, quisquis agenda, vitandaque sibi nescit: vt stare, ita ruere quoque potest, imo si naturæ humanæque mentis imbecillitatem consideres, proclapsioni, quã firmitati propiores sumus, ergo in earum rerum ignorantia, quas Saterdotem scire; ad fungendum munere suo conuenit, impliciter tam culpa, quam euitẽrandæ, ac faciendæ periculum sunt volita. Minor probatur, beneficiarius suas explere partes, id est, boni viri non potest, non cognito ad quid obligetur, nec id cognoscere ei est facile, nisi de fundationis legibus diligenter inquirat, quæ quoniam, ipsa per se videntur esse periphrua, partem quæstionis altetam aggredior, in cuius explicatione, modum hunc tenere placet, vt probationum capita, quasi fontes ante omma proponamus ob oculos, facturi inde gradum ad alia, vnde rationum aduersarij petenda videtur esse refutatio.

Nosse ergo conuenit, præscriptioni cum malæ præscribentis fide locum nullum esse, ex decretali Innoc. III. quæ refertur cap. si diligenti 17. & cap. quoniam omne 20. de præscriptionibus vbi sic scribit. *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, Synodali iudicio definimus, vt nullæ valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica quã ciuilis*, quæ res est etiam ex can. Si virgo 34. q. 1. certissima, qui Canon Augustini est, in lib. de fide & operibus cap. 7. vbi sic loquitur, *In iure prædiorum, tandiu quisque rectissime bona fidei possessor dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum.*

Secundò, meminisse oportet, præter bonam fidem in præscribente, requiri insuper titulum, qualis est donationis, testamenti, emptionis, permutationis, successionis ab intestato, & cum titulo possessionem, quę duplex est, naturalis & ciuilis, prior sola, gignendæ præscriptioni non sufficit; nam etsi res mea diutissime penes te hæreat, non eam tamen ciuiliter possides, nec præscribis, ex consequenti, si absim, aut eam apud te esse nesciuero, ciuilis enim possessio est, apud eum qui insistit rei suæ, cum animo eam possidendi, quod mihi sane accidit cum absum, aut illam ab alio occupatam esse ignoro, aut si scio, eam depellere non audeo, ex Less. lib. 2. cap. 6. dub. 2. num. 6. & cap. 3 dub. 12.

Nec illud prætereundum, contra ignorantẽ præscriptionem non facere, ex Rebuffo comment. ad constitutiones regias tract. de mercatoribus minutatim vendentibus num. 12. Sylu. verbo præscriptio 1. nu. 18. Angel. eodem tit. num. 17. Comitol. lib. responsinum 7. q. 17. num. 5. & 6. Perusino in tract. de Canonica portione. Huius sententiæ rationes vim habent persuadendi necessariam.

Prima, non sunt principes, bonorum quæ subditi iuste possident, possessores ac domini, sed tutores, non possunt ea ergo, arbitratu suo dare alteri, aut ea sibi vendicare, sine aliqua spoliati culpa, at omni caret, quem nulla in tuendis rebus suis negligentia reum facit: est hæc ergo necessaria, extra tempus quo communis salus, & tuendi publici boni ratio, bona aliena vsucapi postulat, tunc enim est incolumitas publica, priuatorum bonis præferenda.

Secundò non habent eæ leges, probationem

Dei & canonum, quibus publica fouetur hominum improbitas, at fouetur præscriptionis lege, si impune, per eam sceleratis, ac nullius rei hominibus, fas est rem alienam, sibi constituto tempore acquirere, in qua tamen recuperanda, ac seruanda nullam negligentiæ culpam susceperit, quam sunt enim multi vbique terrarum, qui, vt sunt tempora, ab alienis sibi rebus temperandum non credent, si eas vendicare se posse Domino non sciente existimauerint? Ad præscribendum ergo, negligentiæ labes, in eo aliqua sit oportet, cuius hæreditas præscriptione acquiritur, duobus enim modis tantum, re sua priuari quis potest, primo cum ob delictum aliquod suum dignus est cui ea pereat, & ad hunc modum lex est reducenda præscriptionis. Altero, eius arbitrio qui illius præcipuus est Dominus, & cuius concessu illam possidet, hic autem solus est Deus Gandau. quodlib. 8. q. 22. litera A.

His argumentis adiungantur & Doctorum testimonia, primum locum sibi habeat Immola, in cap. vigilanti de præscription. vbi scribit, legum quæ sunt de præscriptionibus finem non eundem esse, qui est Canonum, hos enim animæ bonum ac salutem quærere, illas in eo esse, vt turbas confusione dominiorum in republ. futuras, comprimant, & dominorum negligentiam plectant.

In eandem sententiam viri auctoritate & multitudine non contemnendi secedunt, Diu. Thom. quodlib. 12. art. 12. Scotus in 4. dist. 15. q. 2. §. de secundo Adrian. in 4. q. 2. de præscription. Medina Cod. de rebus restituendis q. 18. qui omnes asserunt, eum qui præcipsit aut vsucæpit, ad restitutionem rei præscriptæ, iure conscientiæ obligari, si constiterit, dominum in re sua seruanda negligentiæ culpam non subisse, ea ergo sublata, vt tollitur vsucapio, ita & præscriptæ rei sine ea, possessio. Ignoranti enim præscriptionem non obesse dixit Sylvest. in verbo præscriptio. 1. num. 18. *Nisi forte ignorantia crassa foret & supina.* Contra ignorantem autem non currere præscriptionem probat Perusinus in tract. de canonica portione, quem & sequuntur Theologi, Comitol. loco ante citato num. 5. Angel. verbo præscriptio num. 27. quibus præsuppositis facilis videtur & expedita ad quæstionem responsio.

Age ergo quî probari potest Clericos contra fundati beneficij iura, legesque præscribere non posse? Variè: primum genus probationũ est in Pontificum iure, in quo scriptum reperio, testatoris voluntatem vltimam, sancte & religiose tenendam esse, cap. requisisti 15. extra de testamentis & 13. qu. 2. can. 4. hæc leguntur dicta olim à B. Gregorio. *Vltima voluntas defuncti modis omnibus conseruari debet.* Quod quî fieri possit, trecentis & amplius sacrificiis quæ in anno fundationis lege dici debent, contractis ad 12. aueo de eo scire, cuius opinionem improbo.

Secundum, probationum genus versatur in argumẽtis omni luce clarioribus primum est eiusmodi.

Contractus hypotheticus, hypothesi absente quam continet, vi destitutus omni corruit, inter Ecclesiam & testantem, aut verius inter eum & beneficiarios sibi successuros, pactum est mutuum & illud hypotheticum: illum quidem de suppeditando prouentu idoneo ac sufficienti ad vitæ commoda, si quotidie sacrum fiat suo nomine, quam conditionem, in se tacite beneficiarij singuli recipiunt, cum erecto ab eo beneficio, se patiuntur institui, illud enim admittunt cum omni suo onere, quale est offerendi quoque die sacrificij, aut eius ergo fructibus carere illos est necesse, aut sacrum quotidie dicere.

Secundò, præscriptio ignoranti non currit, ne dum impotenti, ex dictis antea: at reclamare mortuus, & queri fieri sibi iniuriam non potest, ab hac ergo quominus sacrum quotidie faciant, tueri se beneficiarij nequeunt.

Tertiò, iubentur Episcopi, cum Diœcesim lustrant, id laborare, vt intelligant, an testatorum pia postulata, ab iis fiant, quorum interest non deesse huic muneri, & si (quod non est optandum) forte deprehenderint, ea negligi, huius culpæ reos pœna mulctant, id quod declarat, morientibus illudi, non posse neglectu rei, quam certis mandauere conditionibus hæredi suo aut alteri, verba hic Pauli, Salodij in praxi visitationis Episcoporum annuæ lubet apponere, sic ergo cap. 6. *Aduertat quoque ne piæ testatorum voluntates vllo pacto prætermittantur, aut mutentur ac vbi sustineri ac adimpleri possunt, & vbi opus sit rem à testatore relictam hæredi ipsius iussa non implenti sequestri nomine deponere, subeat ipsumque ad omne emolumentum & interesse soluendum cogat.* Hæc ille.

Quibus consonant quæ à Choppino sunt scripta de moribus Parisior. lib. 2. tit. 4. n. 11. *Porro voluntas, testatioque vltima, absumpto morte testatore, implenda est examussim, nec ab opere quidem, cui res legata destinatur, vsue conuertitur in aliud, citra Principis authoritatem: Valentis,* lege 4. dig. de administratione rerum ad ciuitatem pertinentium.

Ex quibus sic argumentamur, Sacerdos, tam est debitor Missarum, quas æqua mercede fundatori est pollicitus, quam hæres rei à testatore eidem Sacerdoti relictæ cum onere: At hæc isti eripit debet danda Sacerdoti, si ille, id est hæres, iustæ voluntati testatoris nõ satisfacit, ergo & sua sunt Sacerdoti auferenda stipendia, non persoluto sacrificiorum numero, quorum causa, sunt hæc à defuncto constituta.

Quartò, Præscriptioni robur nullum est sine titulo, ex cap. si diligenti 17. de præscript. etiamsi quanticunque temporis possessio probetur, vt de decimis in re simili expresse dicitur, cap. causam de decimis, & cap. ad decimas de restitutione spoliatorum in 6. At quo se titulo in præscribendo Missarum numero, tueri Sacerdotes beneficiarij possunt? Donationis? at causari à mortuo nullam queunt, Emptionis? at emere, aut distrahere beneficia est piaculum. Permutationis? at ex quo, mortuo conuenit cum Episcopo, qui fundationem eius approbauit, & Sacerdote, qui primus constituto à se beneficio præfuit, nihil commune inter eos extitit, res negotiaque nulla, titulo ergo hic omni caret, quem præscriptioni suæ prætexat. Claudam hunc locum testimonio illustri Imperat. in instit. de vsucapione §. diutina vbi hæc in rẽ nostram apposite sunt scripta. *Si ille*, 1. defunctus, *initium iustum non habuit*, id est si mala fide possidere cœpit, *hæredi & possessori bonorum, licet ignoranti non prodest.* Quod item dicetur lege vlt. Cod. de vsucap. & L. si hæres ff. de diuers. temporalib. præscript. §. Idem iuris est. At nemini esse ambigua eius culpa potest, qui à volũtate testatoris primus abiit, & consequenter eius præscribendi incapacitas: cum præscriptioni à culpa initium esse nequeat, transiit hæc ergo ad eius successores in beneficio. Quocirca subductis rationibus, quæstionis propositæ hæc summa esse debet, ex decursu temporis longi licet, cum omissione conditionis in fundatione appositæ, ius per præscriptionem

Digitized by Google

Beneficiis quæſitum nullum eſſe, ad ſacra tantum 12.

DE PAROCHIS.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Parochia.

PArochiarum genera ſunt duo, quædam rurales dicuntur, paganæ aliæ, ἀγροικαὶ ἢ ἐγχώριοι, ſexta Synodus in Trullo can. 25. & Chalced. can. 17. Ruſticanæ appellantur ſecundum Zonaram in eum canonem. *quæ in remotis locis poſitæ*, ὀλίγους ἔχουσι τοὺς ἐν αὐταῖς οἰκοῦντας αἱ ἐν μικραῖς κώμαις, *Parœcianos paucos habent.*

Sunt Paganæ quæ prædiis & pagis proximæ maiore incolarum numero frequentantur Zonar. ibid.

Eſt autem Parochia Eccleſia Parochianos habens, ex authoritate Epiſcopi can. nullus omnino 21. cauſa 16. qu. 7. certis limitibus definita, cum poteſtate fori pœnitentialis, & obligatione in eo qui illi præeſt, adminiſtrandi Sacramenta ſubditis, & iure in iſtis illa ab eo petendi & recipiendi: Archidiacon. in c. licet canonus c. de electione l. 6. Romanus Conſil. 356.

Sacramenta dixi quia per ſepulturam & eiuſdem concedendæ defuncto licentiam, non fieri Eccleſiam curatam, conſtat ex Friderico Conſil. 8. & 135. Lælio de rep. Chriſtiana cap. 28. Flam. 2. de reſignatione qu. 1. num. 108. ratioque ipſa indicat. Nam conſuetudine, vel Epiſcopi, aut Papæ conceſſione, tam religioſi Mendicantes, quam alij, ius ac poteſtatem habent, ſepulturæ concedendæ in ſuis templis, Hoſtienſis in cap. quia nonnulli de Clericis non reſidentibus, qui tamen non ſunt Parochi, nec eſt eorum Eccleſia Parœcia.

Sacramenta porro adminiſtranda à Parocho, ad conſtitutionem Parochiæ ſunt, Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, ad quæ accedere debet, dictæ Parochiæ, ac limitum eius deſignatio diſtinctioque, facta per Epiſcopum, *Eccleſiaſtica ordinatione*, Vrban. III. cap. ſuper eo quarto de Parochiis, nam cum nec Parocho extra terminos ſibi præſtitutos, Baptiſmum adminiſtrare liceat, nec Parœciani Sacramenta recipere poſſint ab alieno Parocho, maxime vero baptiſmum, pœnitentiam, & Euchariſtiam, cum ſuæ Parœciæ terminis non continentur, *Nam qui eos ordinare non poteſt, nec iudicare poteſt.* Adrian. Papa in cap. nullus Epiſcopus extra de Parochiis. Lælius qu. 2. cap. 28. Et quanquam audiendis confeſſionibus vacare Mendicantes poſſint, Clementina dudum 2. de ſepulturis, non ſunt tamen Parochi, quia nec id facere tenentur ſub peccato, citra ſui ſuperioris imperium, nec fideles eius rei cauſa eos adire, cum non ſint eorum ſubditi. Ita nec ex iure baptiſandi quo quis fruitur, poteſt certo inferri eum eſſe Parochi poteſtate præditum, cum hoc in neceſſitate Laicis conueniat. Nec à diſtributione Euchariſtiæ, cum eam cuilibet non imparato, religioſi Papę indulgentia domi ſuæ impertiant extra Paſcha, & mortis articulum Compendium verbo communicare paragr. 4. & 5. Portelius in dubiis Regular. verbo Sacram. adminiſtratio nu. 8. Eſt & alia ratio quare certi ac definiti eſſe debeãt Parochiarum termini, nempe quod Parochi obligatio definita ſit & certa, alioqui ab ea recedere ei foret liberum: abſque culpa at eſſe hæc obligatio talis nequit, niſi definiatur eius poteſtas certis limitibus.

Ad hæc autem ſubeunda onera, cum obligatione, neceſſe eſt dos vt Parocho aſſignetur ſufficiens quo ali poſſit, quis enim plantat vineam & de fructu eius non edit? aut ad Sacramenta populo miniſtranda cogi iuſtè quis poteſt ſine ſtipẽdio? nã ſi vſquam alibi, maxime hic vero locum habet Chriſti verbum, dignum eſſe mercede ſua operarium, Senecioni Epiſcopo Gelaſius quidem imperat 16. q. 7. can. piæ mentis 26. vt Eccleſiam in honorem B. Viti à quodam ædificatam, ex forma rituque antiquo Eccleſiæ, Principi Deo dedicet, *Collata tamen primitus donatione ſolemni, quam miniſtris Eccleſiæ deſtinaſſe ſe præfati muneris teſtatur oblator.*

Eſt autem tum cenſenda dos ſufficiens, cum alendo Parocho, habendis ad ſacra officia luminibus, ornamentis ad altaria maieſtati loci ac ſacrificij vtcunque conſentaneis ſufficit, ex can. pia 16. q. 6. Itẽ ſi ad hoſpitalitatem, procurationes & alia iura Epiſcopo perſoluẽda c. de Monachis 12. extra de præbendis & c. 2. de ſupplenda negligentia prælatorum, in priori enim, vetat Epiſcopo Alex. eius nominis tertius, *ne ad præſentationem Monachorum Vicarium vllum recipiat, niſi tantum ei de prouentibus Eccleſiæ fuerit aſſignatum, vnde iura Epiſcopalia poſſit perſoluere, & congruam ſuſtentationem habere.* Exigitque, idcirco nec ſine laude, Concil. in ſeſſ. 23. ca. 13. ne Parochiis quæ prouentum annuum 100. ducatorum non excedunt penſio imponatur, quod & Gallia ſeruat vt patet ex decretis Curiæ multis ac variis, niſi forte de ſuo iure decedens Parochus, parte ſibi reddituũ relicta, à reſignante etſi modica cõtentus eſſet quo in caſu, etiam non obſtante facultate ſuper prædicta penſione, ad curiam prouocare poſſet abuſus nomine, ſi non haberet vnde commode viuere, & procurationes tam Epiſcopo quam Archidiacono debitas poſſet ſoluere, ſed de ea re pluribus poſtea.

Ex dictis patet ad conſtitutionem Parochialis Eccleſiæ exigi primo, quod populum habeat. Secundo, locum conſtitutum certis finibus, in quo prædictus populus degat, deputatus illi Eccleſiæ Tertiò, quod auctoritate Epiſcopi aut Superioris illa Eccleſia in Parochialem erecta fuerit, quia vt habet decretal. octaua Clement. III. tit. de exceſſib. prælator. *Epiſcopi eſt Eccleſiarum ſuæ Diœceſis vnio, & ſubiectio earundem*, nec vlli Calixtus Papa vult eſſe licitum, *animarum curam, vel præbendas Eccleſiæ, ſine iudicio vel conſenſu Epiſcopi, alicui tribuere, ſed ſicut ſacris canonibus conſtitutum eſt, animarum cura, & pecuniarum Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi poteſtate permanet*, 16. q. 7. can. nullus 21.

QVÆSTIO II.

Quomodo creandus ſit Parochus.

VBi concilium eſt receptum creari, ſic debet Parochus, Parœcia vacante per obitum aut ſimplicem ceſſionem poſſidentis, deputandus eſt in ea Vicarius, qui curam populi habeat dum ei de Rectore prouideatur, interim inuitat Epiſcopus quoſlibet, vt per oppoſitionem & concurſum, de quo ad cõſpectũ edicti pẽdẽtis ad valuas Eccleſiæ Cathedralis, certiores fiunt, intra decẽ dies ſe ſibi

exhibeant, sic tamen vt nomen suum interim, ter repetitis totidem diebus in acta publica referendum curent, vt de eorum statu ac vita haberi possit quæstio, qui ternarius prorogari iterum, vltra alios dies non poterit, in quibus locis est recepta Bulla Pij V. quæ incipit, *in conferendis beneficiis Ecclesiasticis.* Nisi de scripto suam forte absentiam excusarent causa aliqua honesta. vt expresse respondit congregatio Cardinalium in decretis sessionis 24. secus collatio omni iure nulla erit, Piasecus praxis Episcopalis parte 2. c. 5. n. 4. Vbi autem dicta dies aduenit, hoc est vndecima à promulgatione edicti, super vacanti beneficio, debent qui eius possidendi desiderio tenentur, offerre se examinatoribus, à Synodo deputatis, qui eorum vitam, mores, industriam, scientiam discutient quãta maxima diligentia poterunt: absoluto hoc examine, omniũ meliores, sibique magis probatos ex concurrentibus Episcopo offerrent, vt ex approbatis à prædictis censoribus vnum aliquem Parochiæ præficiendum eligat. In eo aut quapiam de allatis conditionibus defuisse, est collationi moram ponere eamque inanem ac nullam reddere, in quibus locis Pij quinti constitutio paulo ante citata vim habet. Quare etsi non defit Episcopo eorum hominũ copia, qui exceptione omni maiores propter ætatem, vitæ meritum scientiæque peritiam, sunt omnium opinione beneficio digni, vtpote Doctores in Theologia, Licentiati in iure, examinari tamen debent, vbi receptum est Concilium, alioqui valide nihil & licite Ordinarius in eorum causa molietur, eritque facta eis Parochiæ collatio nulla. Tuscus Card. de visitatione lib. 2. c. 5. n. 10. Flam. 8. de resignatione q. 9. n. 88.

Hos autem censores tres esse oportet, qui cum Vicario Episcopi, singulorum qui se offerunt ad beneficium vacans, merita discutiant, Doctores omnes in Theologia, aut iure canonico, approbati à Synodo Diœcesana, Lessius lib. 2. cap. 34. de beneficij dub. 16. n. 79. Quos non est necesse sæculares esse, cum de eo Pius quintus in Bulla sua nihil præceperit & Regulares habere possint ad eam rem scientiam sufficientem.

Quid si vota examinatorum sint inæqualia, Quid si iudicium eorum diuersum?

Respondeo Episcopum vel eius Vicarium accedere in eo casu posse ad quos erit placitum, sicque sua sententia vnius de concurrentibus causam meliorem facere, quam cæterorum, quos illi in eius beneficij ambitu, fortuna vel charitas collegas fecit, Trid. sess. 24. cap. 13. Nec hoc omittendum est, examinatoribus iuramentum præstandum esse, ad sancta Euangelia, quod affectione omni postposita sint electuri quem iudicauerint dignissimum.

Quid si beneficium Papæ sit reseruatum, aut vacet in mensibus quos sibi reseruatos voluit?

Respondendum ne tunc quidem examen omittendum esse concurrentium, è quibus qui dignitate præstabit cæteris, offeretur Pontifici instituendus, Flam. de resign. lib. 8. qu. 9. Gonzal. super regul. 8. Cancellar. Glossa 6. num. 11. De reseruatis autem Pontifici, vacantibus in eius mensibus sic respondit Congregatio: *Episcopus non habita ratione Patronorum, debet edicta concursus proponere, & idoneum eligere, ac Romam mittere cum fide Ordinaris à summo Pontifice instituendum.*

Quæstioni huic affinis est & altera, *an ad omnes Parochias extendat suus concursus.*

A

Ab eo numero excludendæ sunt in primis Regulares Ecclesiæ, vt respondit sacra congregatio Concil. ad cap 18. sess. 24.

Secundò, excipiendæ similiter quæ sunt pure iuris Patronatus laici, Congregatio ibidem. *Dixi iuris Laici.* Quia si Ecclesia iuris sit Patronatus partim laici, partim Ecclesiastici, seruari debebit forma examinis per concursum, posita in Trid. Congregatio in cap. 18. sess. 24. pro Parochiali Ecclesia, quæ est iuris Patronatus mere Ecclesiastici.

Tertiò, à numero Ecclesiarum conferendarum per concursum eximi debent vacãtes per Resignationem, quam vocant in fauorem, aut Permutationem. Quia proprie sic non vacant, cum penes Episcopum non sit arbitrium, eas conferendi cuilibet ex dictis olim de Permutatione.

B

Excipiendus casus, in quo de simplici ad curatum permutatio fieret, nam tunc examen omitti non posse respondit Congregatio Concilij ad ca. citatum sess. 24.

Quattò non fit concursus quando beneficium spectat ad Collegium, vel annexum est præbendæ Cathedralis aut Collegiatæ Ecclesiæ, tunc enim Curatum naturam sequitur illius beneficij cui annectitur cap. extirpandæ de præb. cap. statutum de elect. in 6. Et hæc quidem de modo conferendæ Parochiæ extra Galliam lege Concil. dicta sunto. Nobis, id est Gallis, consequendæ Parochiæ sufficit ad eam à Patrono offerri Episcopo, hancque præsentato si est dignus conferri.

C

QVÆSTIO III.

An vnius eiusdemque Parochiæ duo esse possint Parochi.

D

Pro parochorum multitudine in eadem Ecclesia pugnant Bellamerus Consil. 38. n. 22. Cardinalis Tuscus practicar. iuris tomo 2. conclusione 96. à quibus quoque videtur fatere consuetudo Galliæ, nã vt de cæteris Prouincijs taceam, plures vni eidemque Ecclesiæ Parochos præficit Nortmãnia, quos Campania quoque non reprobat, duos enim sibi sacrorum Principes ac Parochos agnoscit, habetque Pontisara in Maclouiana æde vbis principe, totidem Chesnæum oppidum Rhemensis Diœcesis ad Sedani fines, quorum, vt sunt per hebdomadas alternas diuisæ operæ, ita & præmia. Prodesse sane collatis inter se operis ac consiliis non parum ad salutem, & commodum spirituale commissæ sibi plebis possunt, quam cœlesti pane alere, Sacramentis pascere, erudire è superiore loco semper eis est integrum, cæteraque facere quæ Parochorum sunt propria, nihil est ergo, inquit Tuscus Card. quare vni eidemque Parochiæ præfici duo non possini cum authoritate.

E

Quominus tamen in eam sententiam abeam, facit in primis exemplum virorum grauium, quibus contrariam opinionem placuisse video, cuius principes sunt Oldradus consil. 67. Staphilæus de literis gratiæ, Zechius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 23. n. 2. & alij quàm his argumentis priore probabiliorem existimo.

Primum, vnius eiusdemque beneficij possessio, non est plurium. At Parochia est beneficium: ergo &c. Maior est Innocentij tertij, præscripta his

Digitized by Google

verbis cap. dilecto 25. de præbendis. *Ad vnicum iuspiritale quod vacabat ibidem instituì duos canonicos instituere prædicto legato non licuit, nam si duo vnicam præbendam haberent id esset contra Turonense Concil. quod præbendarum sectionem inhibet: si vero duobus receptis vni tantum præbenda daretur sub expectatione, alius contra Lateranense Concil. remaneret.*

Secundum, inter beneficiarium & Eccleſiam cui præeſt, matrimonium quoddam ſpirituale contrahitur ex Doctoribus apud Comitolum q. 72. nu. 8. At eſt maritalis coniunctio vnius cum pluribus, turpis & omni iure nulla, ac inanis. Ridicule ergo vni eidemque Parochiæ, vt mulieri viros plures tribuunt aduerſarij.

Tertium vnius eiuſdemque corporis non eſt niſi vnum caput: at Parochia corpus eſt, cum inſtar habeat membrorum inter ſe differentium, in quæ, à Parocho vti à capite, vita ſpiritalis per gratiam manat: ergo eam regere, non eſt plurium ſed vnius tantum.

Ad id quod opponitur ex praxi Galliæ: Reſpondendum eſt, dictis oppidis non præſidere Parochos ſed qui Epiſcopi nomine eius prouincia defunguntur viros gnauos, & induſtrios, quibus proprie cura nulla animarum incumbit, ſed eius curæ tantum exercitium: ita Cardinalis Tuſcus tomo practicarum 3. conſil. 1098.

QVÆSTIO IV.

Quibus inſtructum dotibus oporteat eum eſſe, qui vult fieri Parochus.

PRimò, debet eſſe Clericus, Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform. in iiſque verſatus muneribus quæ Clericorum ſunt propria Concil. loco citato.

Secundò, eruditione pollere tanta, quanta ad functionem officii eſt neceſſaria, nam illiteratis non datur ordo decreto Gelaſ. Papæ ad Epiſcop. Lucan. c. 18. & 19. de quo eſt in can. Illiteratos diſt. 36. his verbis: *Nullus præſumat ad Clericatus ordinem promoueri, qui literis carens, non poteſt eſſe aptus officiis*, in eandem ſententiam eſt can. 24. Concil. Tol. 4. cap. niſi de renunciat. & cap. ex eo de elect. in 6. quare iubentur Epiſcopi in ſeſſ. 21. Conc. Trid. cap. 8. de reformat. *Tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati, Parochis illiteratis, & imperitis, ſi alias honeſtæ vitæ ſint, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eiſdem pro ſufficenti victu aſſignare, eo quod illiterati, & imperiti Parochialium Eccleſiarum Rectores, ſacris minus officiis apti, & propter eorum vitæ turpitudinem, potius deſtruunt quam ædificant*, quæ animorum clades, vulneraque ne accidant, non niſi à doctrinæ ſubſidiis bene comparato, animus eſt ad aliorũ regimen appellendus in Parochiis. In Gallia quidem, quæ ſunt in villis muratis ant ciuitatibus ſitæ: *Non niſi perſonis modo præmiſſo qualificatis, aut qui ſaltem per tres annos in Theologia, aut altero iurium ſtuduerint, ſeu magiſtris in artibus* conferuntur, Concord. rubrica de collationib. parag. ſtatuimus. Quare cum Eccleſiam aliquam de Parochialibus vacare in iis locis contingit, eſt hæc conferenda graduato, in vniuerſitate regni, cui priuilegium ſit hoc à Pontif. & Rege conceſſum, vt eius candidati, in beneficiorum ambitu præferantur aliis, in his duntaxat menſibus, quorum meminere Concordata in rubr. de collationib. In aliis ad præſtationem officii ſufficit, quod prædictæ Parochiæ dentur idoneis, Rebuff. in Concord. rubr. de collationib. paragr. ſtatuimus verb. quarto requiritur.

Quid ſi Parochia ad Regulares pertineat? aut Permutatione vacet, vel Ceſſione?

Regulari conferenda erit, ſi quis erit qui magiſterii in Theol. aut artibus clarus, eam poſtulet, (eo quod iuxta commune iuris axioma regularia regularibus ſunt debita) modo ne aliunde habeat in redditibus annuis ex beneficiis Eccleſiæ, ducentos aureos de camera.

Quæ de Permutatione beneficii, eiuſque Ceſſione in alterius gratiam, ſunt in quæſtione poſita, explicatum habent facilem, dixit enim pridem ſententiam Clemens VII. collationes quaſcunque de Parochialibus etiam per Papam factas non graduatis, ſiue per viam reſignationis ſimplicis, ſiue permutationis, inanes eſſe ac nullas Rebuff. ſupra verbo Imo Papa.

Hæc de Gallia extra eam, maior in Parocho doctrina non exigitur, quam quæ eſt ad præſtandum officium neceſſaria. *Sciant ergo Sacerdotes ſcripturas ſacras, & canones meditentur, omne opus eorum in prædicatione diuina, & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos, tam fidei diſciplina, quam operum diſciplina.* Concil. Tolet. 4. can. 24. Ante omnia noſſe Parochi debent quæ cuiuſque Sacramenti ſit materia quæ forma, quo modo, rituque adminiſtrari ſingula oporteat, ideo *quando in Parochiis ordinantur, libellum officialem accipiant*, inquit Concil. proxime citat can. 25. *Vt ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedant, ne per ignorantiam etiam in ipſis diuinis Sacramentis Chriſtum offendant, aut quando ad Concilium venerint, rationem Epiſcopo ſuo reddant qualiter baptizent.*

Tertiò, *Quicunque in Sacerdotio Dei poſiti ſunt irreprehenſibiles eſſe debent.* Conc. 4. can. 20. quare qui turpiter fœdeque viuunt ac prænoniti modum improbitati ſuæ nõ ponũt, iubentur à Patrib. Concilii, priuari ſuis beneficiis, iuxta ſacrorum canonum conſtitutiones, exemptione, & appellatione quacunque remota.

Quartò, Monachis ac religioſis è familia cœtuque Mendicantium, ad Parochiam aſpirare non licet ſine Papæ facultate, Rebuff. de diſpenſat. cum regularib. num. 38. eo quod, *Monachus non docentis, ſed plangentis habeat officium, qui vel ſe vel mundum lugeat, & Domini prouidus præſtoletur aduentum*, can. Monachus 16. q. 1. & in can. Monachi 33. eiuſd. q. & cauſæ.

Quintò, minor vigeſimo quarto anno, eoque completo, admoueri ad Parochiæ regimen non poteſt, Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. Greg. 10. cap. licet canon 14. de elect. in 6. vbi cum Alex. III. *inter cætera ſtatuit, vt nullus regimen Eccleſiæ Parœcialis ſuſcipiat, niſi 25. ætatis annum attigerit ac ſcientia & moribus commendandus exiſtat.* Olim quidem cum minore diſpenſare Pontificem, annumque agenti vigeſimum tertium tantum, concedere ſolitum, vt Presbyter eo tempore fieret, ſcribit Rebuff. par. 1. prax. rubrica de diſpenſat. ratione ætatis num. 10. quod moribus quibus hoc tempore vtimur non niſi raro ac ægre aggredi eum ſcimus, quod Conc. minori vigeſimo quinto anno inchoato, aditum excludat ad Parœcias.

Sextò, Parochus iis esse debet moribus, qui aspectu suo non tantum vitia terreat, sed etiam per bona opera certam vocationem suam faciat, *Quare quoniam homines amplius oculis, quam auribus credunt*, Senec. in epist. *quod efficacius sit vita, quàm linguæ testimonium, habent enim opera suam linguam, habent ea tacente facundiam*, Cypr. de dupl. Martyr, singulis compassione proximus esse debet, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius subditis tramite vitæ melioris exempla præbens. In summa, *circa subditos suos, esse debet, & iuste consolans misericordia, & piè seuiens disciplina, vinum vulneribus adhibere debet & oleum, vt per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foueantur, quatenus vnusquisque, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis.*

Septimò, oportet Parochos: *Quemadmodum Sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificiis deseruiunt, integros atque immaculatos esse, cum Dominus Deus in Leuitico loquatur, & dicat: Homo in quo fuerit macula & vitium non accedet offerre dona Deo.* Cypr. epist. iuxta edition. Pammel. 72. *Nam si Apostolus, Ecclesiam sponsam Christi pronunciat, ore vos quanta pudicitia exigitur, vbi Ecclesia inter matrimonia, sponsa virgo præstetur?* idem to. 3. tract. de bono pudic.

QVÆSTIO V.

Quid Parochus, scire ex officio statuque debeat.

PErsonas tres sustinet, agitque Parochus, Pastoris, Concionatoris, & Confessarij, vt Pastor nosse debet quibus populum ad beatæ vitæ immortalitatem nutriat, vt Confessarius, quid mortalis culpa à veniali differat, vt Concionator, quæ populum è Superiori loco doceat.

Equidem exigit Concil. sess. 23. cap. 4. de reformat. vt qui prima initiandi sunt tonsura, fidei rudimenta probe calleant, legere & scribere non inconcinne sciant, quibus tanto debet eruditor esse Parochus, quanto est eius dignitas speciesque, simplici Clerico illustrior, quare oportet illum adhibito aliquo studio, fidei dogmata posse exponere, iura cùm humana tum diuina, quantum est necesse instituendæ plebi sibi commissæ, cognoscere, in iure autem ambiguo conscientiæ, sic versatum esse, vt mortale à veniali, casus Pontifici reseruatos à vulgaribus, censuras à peccatis vtcunque distinguere valeat.

Et quia potior est Parochus populo, estque eorum qui præsunt, minutæ plebis tenebras doctrinæ suæ luce discutere, vt Superiorum Angelorum, inferiores collustrare, Diu. Thom. 2. 2. qu. 2. art. 6. ignorare idcirco non potest Parochus, quæ ab eo communicare cum subditis est necesse, vt habet potestatem in Christi corpus verum, mysticumque, quod est Cõgregatio fidelium, ita nosse debet quæ ad eius incolumitatẽ faciũt, quæ valẽti obsũt, hæc quidem vt paternâ curâ prouidentiaque impediat abigatque, illa autem pro virili sua procuret & accersat, id assequi vero vt possit, scire auco, si saluti profutura nescit, ignoret nocentia? aut quomodo illustrabit, si ipse est cæcus, si tritum ad cœlos iter nunquam pressit, qua fronte ad illud diriget, aut subditam sibi gentem illud magno ac præ-

A fidenti animo vt ineat, verbo & exemplo, aciet? *Cæci sunt & Duces eorum inquit Christus, cæcus autem cæco ducatum si præstet, ambo in foueam cadunt*, Matth. 15. ad quod probandum illud Psalmi 68. profert Gregor. *Obscurentur oculi eorum ne videant & dorsum eorum incurua*, vbi per oculos Pastores intelligit. *Obscuratis ergo oculis, dorsum flectitur quia cum lumen scientiæ perdunt, qui pereunt, profectò cunctis ad portanda peccatorum onera curuantur.*

Quare præter rudem casuum ideam, anteceptam animo notionem habere Parochos est necesse de virtutibus, quæ ad viri officium pertinent, vt ad earum studium fideles cum est opus incitent, quis in agendo, dicendoque tenendus modus, quæ cuique aptissima, conquirendæ honestatis, quæ extirpandi vitij sit ratio, indicent.

Secundò, latere eos non debent, quæ ad integritatem & Sacramentorum vsum, præterquam Cõfirmationis, & Ordinis, pertinent, nam hæc postulantibus ministrare, pars est eorum officij, pars muneris atque prouinciæ, ministrari autem quî possunt, nisi de eorum materia, formaque certum iudicium habeant? quare horum inscitia, non est in iis culpæ expers ac vacua.

Tertiò, cum ad Parochum pertineat, per se aut substitutas operas, Verbum Dei de superiori loco exponere, eorum scientia instructum illum esse conuenit, quæ ad hanc tam excellentem prouinciam obeundam cum laude necessaria esse periti sciunt, itaque mysteria fidei, Dei leges, ac necessaria ad salutem callere debet, vt ea explicet, vniuersalia iuris principia, ex quibus quid æquum, quid honestum, quid in quoque negotio deceat, aut repugnet, intelligat oportet. In summa eorum scientia, quæ ad officiũ, statumq; suum pertinent, aut in quibus sua salus est sita, orbari sine scelere non potest, Diu. Thom. in 1. 2. q. 26. art. 2. & in 2. l. sentent. dist. 22. qu. 2. art. 1. loquitur his verbis: *Vnicuique peccatũ est ignorantia eorum, quæ ad bonos mores, & fidei veritatem pertinent*, & quodlib. 3. art. 10. *In iis rebus quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, nullus excusatur si sequatur opinionem alicuius, in talibus enim ignorantia non excusat.* Cuius rei hæc est causa, quod prędictorum notitia, Parocho sit ad præstationem sui officij, animarũ autem, quas suæ curæ commissas habet, salutem ac spiritale commodum necessaria. Sane, *Si in Laicis vix tolerabilis videtur istarum rerum inscitia, quanto magis in iis qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia* S. Leo ad Clerum & plebem Constantin. epist. 22.

Maxime autem est tùm culpanda, cum in his versatur quæ conscientiæ pacem, tranquillitatem animi, dignitatem Sacramenti vulnerant, nam quis dandâ esse Parocho excusationis veniâ existimet, si casus, id est tempora restitutionis sub peccato faciendæ nesciat? aut quod Pœnitenti confitendo ex memoria excidit, diligentia ipse sua interrogando non suppleat?

Sane scientiam Parocho ac Confessariis, qua mortale à veniali distinguãt, aut eorum circunstantias plene intelligant, sic dixere quidam esse necessariam, vt eius priuatio sit contra Sacramenti substantiam, & ita eius defectu sit nullum, proindeque iterandum: quod ne credam persuadet hęc ratio.

Quod ad rationem Sacramenti sit satis, si humano modo, id est cum intentione debita, minister formam materiæ suæ applicet: at Parochorum

nemo

Digitized by Google

nemo eſt tam tardo, hebetique ingenio, quin peccatum ſub ratione ſaltem generali peccati actuſque moralis, imo & diſtinctionem mortalis à veniali, ſi non claro ac perſpicuo, at certe confuſo modo intelligat, formamque cum oportet, proferat, non eſt ergo ad valorem, ſubſtantiamque Sacramenti ſcientia circunſtantiarum omnium neceſſaria, ſufficit ad hoc iudicium humano modo exercendum valide, quamuis non licite, confuſa peccati notitia ſub ratione generali peccati, actuſque moralis & humani.

Et quanquam à culpa eximi Parochus nequeat, cum ex inſcitia, doctrinæque moralis ignorantia pœnitenti reſtituendi neceſſitatem non imponit cum deberet [B] nego tamen eum idcirco teneri id illius loco facere. Nec enim in foro conſcientiæ alterius quam pœnitentis cauſam facit ex officio, peccat quidē de reſtitutionis faciendæ neceſſitate illum non admonens, ſed hunc eius defectum ſupplere non tenetur, niſi poſitiuè ad damnum partis læſæ concurrerit, dicendo non obligari cum obligetur. Breſſ. lib. 5. de conſc. cap. 8. n. 72.

Ad hæc tenetur Parochus ratione ſtatus & profeſſionis Chriſtianæ, explicitè ſcire iuxta Apoſt. ad Heb. 11. quod Deus ſit, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit, idque poſt hanc vitam, cui annexa eſt animæ immortalitas. Quia ex officio debet de his rudes inſtituere, vtpote quæ neceſſitate medii iureque diuino obligante ſub graui peccato ſciri debeant, niſi excuſet materiæ leuitas, cuiuſmodi an dari in hoc genere vlla poſſit, ambigo.

QVÆSTIO VII.

An minor 25. annis poſſit Epiſcopo diſpenſante eſſe Parochus.

IVre communi in Parochia, curæ præfici fidelium, poſſe neminem qui annum non attigerit quintum & viceſimum, præter Leſſium lib. 2. de benefic. dub. 20. num. 108. Rebuff. de pacif. poſſeſſ. n. 182. Cardinalem in Clement. de electione, Reginaldum to. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 12. n. 164. docuere Gregorius X. in decretali licet canon 14. tituli, de electione. in 6. ac Epiſcopi in Concil. Lateran. vt refertur eodem titulo, extra cap. 7. Cum in cunctis, §. inferiora, vbi hæc in iſtam ſententiam, ſignate ſunt ſcripta: *Inferiora etiam miniſteria, vt puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent adnexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec Parœcialis Eccleſiæ regimen, niſi qui ſam 25. ætatis annum attigerit.* Hunc tamen inchoatum eſſe ſufficit, ex Leſſ. loco citato, Emman. Sa verbo beneficium num. 9. Nauar. cap. Enchirid. 25. n. 118. Trident. ſeſſ. 24. cap. de reformatione 12. Iam. ergo quæritur, an in ea lege diſpenſare, Epiſcopis ſit conceſſum, & ita beneficium curatum, annuere minori annis 25.

Et negantem tuentur Leſſ. & Regin. locis citatis.

Affirmantem Panormit. Hoſtienſ. & Gloſſa: & quidem illis ad peccati fugam abunde videtur eſſe, imminere in ætatem, quam Canones exigunt, cui quiſquis eſt, inquiunt, proximus, donari Parochia poteſt, ſine culpa. De hac autem proximitate, ſi interroges, reſpondebit Gloſſa Canonis præterea, de ætate, & qualitate ordinandorum, eam videri quibuſdam eſſe ſpacium bidui aliis hebdomadæ, [A] non nemini menſis, ac dierum etiam aliquanto plurium, credere ſe aſtrem, in poteſtate eſſe Epiſcopi, cum res exigit, diſpenſare in ætate cum petente Parochiam, eamque indulgere minori vno anno, quam Canones poſtulent: quam ſententiam, placuiſſe quoque reperio Bleyano in Theoria Beneficiorum, tit. de ſimplicibus & duplicibus beneficiis littera B. ad marginem, eſt enim hæc eius oratio: *Sufficeret tamen prouiſum de beneficio curato, eius eſſe ætatis, vt intra annum promoueri poſſit* eodem inclinat, Brodeus, ad Loüetum, verbo Beneficium art. 4. Ibi enim bipertito beneficia diuidit, quædam ait eſſe eiuſmodi quæ ex fundatione ſua Sacerdotalem ordinem exigunt, alia minime, additq; ea quæ Sacerdotalem ordinē lege tantū canonica requirūt, dari poſſe non Sacerdoti, dūmodo ea ſit ætate vt anno ab illis acquiſitis ordinari in Sacerdotē valeatqui ſi faciat, & ordinetur, poſſideri hæc legitimè ac iure, quæ autem ex fundatione ac Patroni volūtate, non niſi Presbyteris ſunt danda, ea ait inualide cōferri iis, qui necdum eo ſunt inſigniti charactere, ex quo inferre eū eſt neceſſe, quod cum Parœciæ ordo Sacerdotalis, lege tantum Pontificia cohæreat, ad annum differri poſſe, & ita ad eam minorem annis. quam Pontificia lex præſcribit admouere Epiſcopo non eſſe vetitum. Quare faciēhorum authoritas hominum, vt exiſtimem ſpeculatiuè ſententiam quam [C] tuentur non eſſe improbabilem, cui ex cap. præterea 5. de ætate & qualitate vis accedere videtur aliqua, ſic enim eo loco Alexand. III. *Præterea licet ad regimen Parœcialis Eccleſiæ, non debeat aliquis, niſi Subdiaconus ſit ad minus admiſſi, diſpenſatiue tamen, in minoribus ordinibus conſtituti, conſenſerunt aſſumi, dum tales ſint, quod infra breue tempus poſſint, in Presbyteros ordinari.* Qua ex decretali argumentari ſic lubet, in Parochum aſſumi poteſt Subdiaconus, decreto Alexandri III. at hic initiatur iſto ordine ætatis anno 22. ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 12. ergo eo anno aut non multo ſeeus, committi alicui, Parochia poterit.

Secundo, proximi tempori, quo in Presbyteros Clerici aſſumi legibus Eccleſiæ poſſunt, diſpenſatione Superioris, Parœciarum præfici curæ queunt, [D] at qui 7. tantum menſibus minor eſt, quam ſit neceſſe per Canones vt ſit Parochus, infra breue tempus eſſe Sacerdos poteſt, cum 7. menſes, tempus ſint breue, ac tenue, reſpectu trium & 20. annorum cum medio. Confirmatur temporis exilitas ad veniale neceſſaria, ex collatione eius cum toto, quo præceptum obligat eſt petenda, vt oſtendimus tract. de ſanctificatione Feſtorum, vbi freti hoc principio indicauimus poſt Sayrum Reginald. Suarium & Nauarrum, eum qui religioſo die, labori non impendit niſi 2. horas, non peccare, plus quam venialiter, quod id ſpacium breue ſit quidpiam, ac exile, collatum cum 24. horis, quæ diem integrum componunt. At 7. menſes præ [E] 23. annis, & medio, grande ſpacium quis nominet? Ergo cum Epiſcopus, concedere ei valeat vt ſit Parochus, qui infra breue tempus, quale eſt 7. menſium, charactere donari poteſt Sacerdotum proprio non videtur improbabile, Præſuli diſpenſare fas eſſe cum iſto, de quo eſt quæſtio in caſu Parochiam vt ineat, ſeruetque, anno tantum 3. & viceſimo cum medio.

Sententia nihilominus contraria, vt communior ac prōbabilior, eſt tenenda, quæ cuique vt ad intelligendum ſit peruia, in duas mihi diuidenda partes videtur. Prioris eſt hic ſenſus, exigi ad Paro-

chiam possidendam valide, vt ad eam, qui est admotus, 24. annum metaphysicè compleuerit, iniecta est hæc mihi mens, à verbis Canonis, cum in cunctis 7. extra de electione. Quibus vt nosse cuique est pronum, exigitur in Parocho, vt annum 25. attigerit, ad hunc autem venisse vere qui potest, si de 24. quadrimestre desit, aut semestre? ergo communi lege Ecclesiæ, hic tantum Parochus renunciari poterit, qui vicesimum quartum annum expleuerit.

Confirm. cum certa operi faciendo definiuntur tempora à lege, aut Principe, necesse est valide vt fiat, ac cum effectu hæc exacta, & completa esse, comparantur enim de momento ad momentum, vt dicitur lege 3. §. minorem ff. de minorib. quæ causa extitit Rebuffo & Sanchez vt dicerent, ille tract. de pacific. possess. num. 166. beneficiarium possessione triennali pacifica, non iuuari, nisi metaphysice absoluto perfecte ac integre triennij spacio, hic autem primo de sponsal. disp. 16. n. 4. & lib. 2. de matr. disp. 24. n. 7. nec sponsalia ante septennium metaphysice ac proprie expletum valere, nisi forte à malitia supplementum ætati adsit, nec professionem, quam non præcessit annus tam integer, vt ei à die inchoati nouitiatus, ad emissa vota, ne vnica quidem hora desit. At ex can. citato stant præstituta annorum spacia Parocho, ante quæ magistratum hunc capessere illustrem ac nobilem, ei est interdictum, ergo secus si fiat, fit incassum & irrite.

Facilis hinc, pronaque cuique relinquitur partis alterius intelligentia scilicet, non posse Episcopum dispensare, cum nominato ad Parochiam, ante expletum ætatis quartum, & vicesimum. Nam dispensatio, cum iurisdictionis sit actio, cadere non potest nisi in eum, qui potestate præstat cæteris, ad eum effectum, at Episcopus authoritate ad eam rem caret, cum sit infra Pontific. & Concilia à quibus tamen, originē suā traxere Canones, præcitati, ergo ab eo præstituta per Pontific. Conciliaque, ad Parochiam tempora, remitti nefas. Sane cum de Præsulum authoritate agitur ad dispensandum in ætate, cum his qui principem tenent in Ecclesia dignitatis locū, animorū cura, ideſt Parochia, excluditur, lubet audire Bonifac. can. permittimus vnico, de ætate & qualitate in sexto. Permittimus vt Episcopi cum iis qui 20. annum compleuerint, quod dignitates & personatus, quibus animarum cura non imminet, valeant obtinere, possint (si aliud non obstat canonicum impedimentum) libere dispensare?

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondendum, Canonem quo nituntur aduersarij contraria tam consuetudine, quam lege, sublatum esse, itáque suffosso fundamento, ruere ædificium ei superpositum.

QVÆSTIO VIII.

An Parochialis Ecclesia suburbiorum in Gallia sit Graduato affecta, & si est facta alteri eius collatio, sit nulla.

SVpponendum 1. Parochialis Ecclesiæ regimen in Gallia, eiusque maxime, quæ est in ciuitate, aut villa mœnibus cincta, voluntate Leon. X. ac Franc. I. graduatis committendum esse, non aliis, sic enim Concord. tit. de Collationibus §. statuimus 2. his verbis: *Statuimus quoque, quod Parochiales Ecclesiæ, in ciuitatibus aut villis muratis existentes, non nisi modo præmisso qualificatis, conferantur aut saltem qui per 3. annos, in Theol. vel altero Iurium studuerint, seu Magistris in Artibus.*

Supponendum secundo, satis non esse ad magistratum hunc procurandæ salutis alienæ consequendum, triennium posuisse in studiis, etiam Philosophicis, aut Iuris, requiri præterea, vt eam operam publicum doctrinæ testimonium consequatur, cum Magisterij laurea. Ita Concord. loco proxime citato hoc modo, *qui in aliqua Vniuersitate primi legata, studentes Magisterij gradum adepti fuerint.* Inde facta quæstioni occasio, nam si magistris solis conferendæ sunt ciuitatum Parœciæ, quæ sunt in vrbium suburbiis positæ, non videntur destituto classicis honoribus homini, dari posse nisi inaniter ac parum valide. Ad solutionem,

Dico primo, *Graduati nomine non alium intelligi, quam qui in Galliæ Vniuersitate aliqua famosa, gradum est honoris classici consecutus, inter Academicos.* Ita Rebuff. in concord. tit. de collationibus §. statuimus 2. & in tract. nominationum qu. 16. Enimuero fuit hoc Leonis Papæ X. & Francis. primi consilium cum Parochialibus Ecclesiis voluere præfici viros doctrina, & eruditione inclytos, acuere Gallorum ingenia ad bonas artes, at id assequi non est facile, si promotus in aliis Academiis, quam regni, ad honores, & præfecturas Ecclesiasticas peruenire esset licitum.

Secundo, cum quid est specialiter alicui, à superiore concessum, quod est instar priuilegij, in eius communionem venire, alteri non est permissum, sed solis regni Vniuersitatibus, est id à Pontif. indultum, vt sui studiosos ac assectas, ad beneficia nominent, vt ex Concord. intelligere pronum est cuique §. ordinarij de collationibus & §. monemus. Sane quæ pragmaticæ vis sanctionis ante Cōcordata erat, illorum modo eadem est ac fortasse aliquanto amplior, ob Papæ & Franc. consensum mutuum, at lege pragmaticæ, indebita sunt aliis beneficia Gallica, quam qui operam literis dedere, in probatis regni Academiis, sic enim §. Item placuit, de collationibus in pragmat. hoc modo. *Item placuit ipsi Congregationi, vt tanto magis studia, & Vniuersitates Regni, & Delphinatus, cum scientiarum augmento foueantur, quod suppositis Vniuersitatum prædictarum conferantur, duæ partes præbendarum:* ergo & noua Concordatorum lege, solis sunt hę regni graduatis annuendæ.

Obiicies, qui Romæ renunciatus est, in publico Academicorum cœtu Doctor, est vbique talis: ergo & cum iure fruendi Doctoratus sui priuilegiis, at Doctoribus in Theol. licitum est, lege regni ad Episcopatus euehi, probante rege, licitum ad Ecclesiasticæ publici munus aspirare, cum per Concordata soli Theologo debeatur Theologalis præbenda. Ad Min. respondend. fas non esse Doctori cuilibet, sedere in puppi Gallicanæ Ecclesiæ, eam regere, fidelibus ius dicere, monitaque de superiore loco dare, sed ei tantum qui post factam doctrinæ suæ fidem, in Vniuersitate regni famosa ac celebri, Magister dictus est, in Theologia aut Artibus.

Dico secundo, *Etiam citra dispensationem Pontificis, collationem Ecclesiæ Parochi alii, alteri factam, quam graduato in Artibus, iure canonico aut ciuili vel Theologia esse in conscientia validam*: quia non alius qualitatis defectus prouisionem reddit irritam, quam eius, quæ fit in fundatione exigitur, vt sine ea collatio facta dicatur fore ex voluntate fundatoris irrita, nam talis qualitatis præsentia, con-

Digitized by Google

ditio eſt, ſine qua fundator, non vult beneficium eſſe recipientis, non autem lex pœnalis, ex Nauar. Enchir. 23. num. 67. Sed Doctoratus, aut Magiſterium, non ſic à Pontifice requiruntur in futuro Parocho, iudicio eſt, quod Parochiis, ac Canonicatibus, Concordata poſteriora ſint tempore. Verum quidem eſt, in foro externo prouiſionem non qualificatis factam, iudicatum iri ſubreptitiam, cum ſit iniuſta, & contra intentionem fundatoris, non tamen in conſcientia, & ante omnem ſententiam inanis eſt ac nulla. Probari poteſt ex Trid. ſeſſ. vlt. cap. 5. eo enim loco, ſtatuit, prouiſionem ita factam, cenſendã eſſe ſurreptitiam. At cenſere aliquid ſurreptitium eſſe, ad officium pertinet iudicis, vt notat Nauar. Enchir. 23. nu. 110. & in cap. finali de vſuris n. 3. Itáque factum à Senatu Pariſienſi tradunt Papon. lib. 2. tit. 5. arreſto 6. Fabric. Bleyan. in Theor. tit. de compluribus aliis beneficiis n. 32. littera K. ad marginem.

Dico tertio, *Nomine vrbis, non intelligi ſuburbia*, eſt contra Rebuff. de nominat. q. 16. n. 11.

Probatur primo, eſt ciuitas aggregatio populi, cœtuſque, cui ſic præeſt Epiſcopus, vt ab eo denominationem accipiat, vt ex can. Epiſcopi diſt. 80. & cap. 1. de priuileg. narrat Rebuff. tract. cit. n. 9. Villa autem murata, pro loco populoſo accipitur, muris circundato, vt Gloſſ. pragm. ſignificat parag. in Eccleſiis verbo villis, at neutrum proprie ſuburbiis conuenit, ergo ſuburbia, non ſunt vrbis nomine cenſenda.

Secundo, verba, legis pœnalis, ſtrictè ſunt & in propria ſua ſignificatione capienda, cum odia coerceri oporteat, ampliari priuilegia: regula odia & regul. in pœnis de regulis iuris. At pœna eſt, odiumque, quod quis Parochiæ non poſſit præfici niſi graduatus, cum id ſit contra diſpoſitionem iuris, ergo verba legis quibus id præcipitur, ſtrictè ſunt & in ſignificatione propria capiẽda, ſed nomine vrbis nemo ſuburbia eius intellexerit: ergo &c.

Tertio, cauſa cur vrbibus ex voluntate Pontif. admouendi ſint, earumque Parochiis adminiſtrandis graduati, repetenda eſt ex capacitate, doctrina, acumineque popularium, qui illas incolunt, maiore quam conuenit ruſticanis hominibus ex Rebuff. loco cit. nu. 11. ob quam rationem municipiorum beneficia, quæ nos communi vocabulo pagos dicimus, viros non exigunt eruditionis tantæ, nec gradu inſignes Academico vllo. Sed qui, ſuburbanis in domibus agunt, communiter viri ſunt inopes, quibus foris res nulla eſt, domi autem exigua, vt Opifices Agricolæ, hortulani, ingenio autem ſæpe tam hebeti, rudique, vt res tritas, ac in omnium oculis poſitas, raro intelligant, non niſi ergo inutiliter admodum, ac nequid dicam amplius, vane ſibi poſtularent Parochos, doctrina & eruditione non impares iis, quos populus frequens de ſuperiore loco incredibili omnium plauſu diſputantes, in ciuitatibus non obſcuris ſuſpicit.

Quæſtionis initio propoſitæ facilis hinc, cuique intelligentia ſe aperit. Enimuero cum Parochiani ſuburbiorum, magnam partem ruſticani ſint, aut non multum ab iis differentes, non video cur quod magnarum vrbium ciues, idem ſibi quoque vindicare hi audeant: Eſt tamen Concordatorum legi Papæque voluntati locus, cum Parochiæ ſuburbanæ, Parochianos ſuos habent, aut omnes, aut eorum bonam partem, in ciuitate, Rebuff. tract. de nominationibus q. 16. n. 11. Bleyan. de compluribus aliis benef. n. 35. littera L. ad margin. Quia tum cauſa legis, ratioque in his dominatur Parochiis, vt enim ruſticanis præſtant, tam ob numerum eorũ hominum quibus coagmentatur, quam ob eorũ ingenia ſtirpem, ac conditionem, ita decet, eos à quibus reguntur doctrina, boniſque artibus, ſuperiores eſſe Parochis, minorum gentium, id eſt pagos incolentium. Ita ſi Parochiam ſuburbij incolerent ciues multi, aut quanti Parochiã vrbis conflare ſolent putarẽ eius collationem, non graduato factam, inanem fore ac nullam, cuius rei fidem efficit, data in centumuirali Patrum conſeſſu ſententia, pro Eccleſia S. Laurentij, extra muros Pariſiorum poſita, quam tunc qualificatis annumerandam, hiſque ſolis dandam Senatus cenſuit, quod è Parochianis multos in vrbe aleret, authores Bleyanus & Rebuff. locis ante citatis & Gloſſ. pragmat. parag. in Eccleſiis verbo exiſtunt tit. de collationibus.

QVÆSTIO IX.

An & quando Parochus fieri Presbyter debeat, & an iure factoque beneficio excidat, ob non acceptum ordinem in tempore.

Dico primo, *Prouiſum de Parochia, ad ſacrum Presbyterij ordinem intra annum à die captæ poſſeſſionis, promouendum eſſe, ſecus beneficio excidere.* Ita cap. licet can. 14. de electione in 6. in hæc verba: *Si intra idem tempus, promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis conſtitutionis authoritate priuatus*, hæc Greg. X. in generali Lugd. Conc. cauſa Pontifici vna pœnæ imponendæ tam grauis extitit, metus nempe periculi ſpiritualis, incurrendi à fidelibus ſi diu Presbytero Paſtore carerent, nam ſi non eſt Presbyter quomodo præſtabit officium, vel quando & vbi ſedebit conſcientiarum arbiter? Sacramenta ſunt aliqua quæ in conferente characterem exigunt, hoc deſtitutus ſi erit Parochus, iure quoque ac poteſtate eum deſtitui eſt neceſſe, bene de ſuis merendi iſtiuſmodi Sacramentorum vſu, quare cum beneficium officij cauſa conferri ſoleat, cap. finali de reſcript. nec munera Parochorum à non Presbyteris obiri queant, iuſta Pontif. cauſa fuit, non ſinendi vltra annum Parochiam à non Sacerdote poſſideri.

Dico ſecundo, *Iure aliquem dici beneficio ſuo decidere, cum iuſta ei nulla cauſa reliqua eſt, illud ſeruandi*, quia per leges, dicta eſt in eum ſententia, qua ſpoliatur antiquo omni ſuo in illud iure. Facto autem dicitur quis, beneficio excidere, cum ei, erepta eſt illius poſſeſſio, ac eam ante omnem ſententiam debet relinquere.

Dico tertio. *Multa excuſare Parochum, à promotione ſui faciendæ intra annum ad Sacerdotium.*

Primo enim excuſat morbus.

Secundo, abſentia Epiſcopi.

Tertio, lis intentata poſſeſſori, nam cap. commiſſa 35. de electione in 6. hæc habentur. *Annus autem huiuſmodi, qui ab illo tempore inœpit, quo ipſius Eccleſiæ regimen commiſſum ſibi extitit, & poſſeſſionem pacificam habuiſti, vel per te ſtetit, quominus haberes, eandem, tibi non curris ſi promoueri, iuſto impedimẽto detẽtus, intra tẽpus huiuſmodi nequiuiſti.* At, quæ homini impedimenta iuſtiora contingere poſſunt, quam morbi, aut abſentiæ Epiſcopi, cuius ope beneficioque, honorem conſequaro Presbyteri?

Dico 4. *Etsi iure communi vacet Parochia, ob ordinem presbyterij non susceptum intra annum, non tamen in Gallia sed tantum post secundum exactum.*

Probatur per cap. commissa 25. de electione sufficit Parochum ordinari in presbyterum anno ab obtenta Parochia, cuius initium à pacifica est possessione beneficij computandum, vt ibi dicitur, at nemo pacificus esse possessor creditur in Gallia, nisi rem in sua potestate annum totum habuerit pacificè ac sine lite: ergo cum à die possessionis pacificæ, annus concedatur integer Parocho, ad susceptionem ordinis Presbyterij, ad eum qui iure communi concessus est cuique, addendus & alter in Gallia, antequam censeatur vacare Parochia. Maior est certa. Minor est Rebuffi expresse tract. de pacific. possessoribus num. 170. in hæc verba. *Non dicerem ut pacifice possessor, qui ante annum convenitur ab aduersario, quia in hoc regno,* (inquit, idem part. 2. prax. tit. de non promotis intra annum 45.) *pacificam possessionem, quis non dicitur habere ante annum,* quod declarasse quoque curiam Paris in Camera domanij vt loquuntur, an. 1547. significat, eiusdem tituli nu. 46. nec Rebuffi modo est, hæc de possessione pacifica opinio sed Iosephi Mascardi de probationibus concl. 183. num. 48. Regin. to. 3. lib. 30. tract. 3. cap. 22. n. 309.

Dico 5. *Iusto impedimento fieri, ne vacet beneficium Parochiale non promoti.* Causa est quod destitutio Parochi, ob omissum sacerdotium quo tempore eo initiari debebat sit pœna, cum id haud dubie oneri sit molestæque beneficiarijs, ac odium iuris communis, cum præter Parochos, ac alios curã habẽtes, ad id beneficiarij cæteri nõ obligentur, sed pœna supponit culpam, quæ tamen omnis abest, vbi iusto impedimento est locus: ergo ab eo habebit Parochus, ne beneficio Parochiali sibi commisso, abire debeat. In iustis autem impedimentis ponenda sunt.

Primo, aduersa valetudo, eaque grauis, non autem leuis aliqua febricula, vt ex lege quæsitum ff. de re iudic. cap. ad audientiam 15. de Cleric. non resid. cap. eos 22. de sentent. excommunicationis in sexto probat. Rebuff. de collationibus parag. 1.

Secundo, pestis, cap. ad supplicationem, de renunt.

Tertio, bellum, nam eo maxime tempore, homini non est facile, ob infesta latrocinus itinera, ad vicinas vrbes, aut prouincias, ordinum causa commeare, non eorum ergo præteritio, vertitum potest Parocho vitio: ergo nec noxæ, ac damno.

Extra hæc tempora, vacabit ob non susceptum ordinem presbyterij Parochia. Videndũ iam quomodo & an ante omnem iudicis sententiam, relinquenda sit in conscientia.

Affirmat Leonard. Less. lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 16. n. 101. Regin. tom. 2. tract. 3. cap. 21. sect. 2. n. 311. Negant ij omnes qui asserunt, Canonem quo quis iure rebus suis priuatur, non obligare in conscientia, ante sententiam, etsi in eo addantur hæ voces, absque declaratione, aut monitione præuia. Quam opinionem expresse tuentur Flammin. lib de resignatione 9. q. 10. num. 9. & Henriquez lib. 16. cap. 56. parag. 2. Vasq. in 1. 2. disp. 168. cap. 4. n. 25. & 30. Rebuff. in praxi trac. de non. promotis intra annum num. 49. *Possidens,* inquit, *non remouetur à possessione nisi vocatus & auditus, quia forte habet ius retinendi.* Huic opinioni secundant Caiet. in 2. 2. q. 62. art. 3. Couarr. in epitom. lib. 4. decretal. parte 2. cap. 6. parag. 8. A n. 10. Sa verbo pœna num. 1. *Pœna imposita,* inquit, *ipso iure vel facto, non incurritur sine sententia iudicis & executione per ipsum, etiamsi lex dicat non requiri sententiam, aut etiam declarationem, aut etiam soluendam in foro conscientiæ: intelligitur enim iudice exequente, nisi pœna esset eiusmodi, quæ secum traheret executionem vt excommunicatio.* Ad explicationem.

Dico 6. *Non promoto ad Sacerdotium, intra tempora iure requisita, non necessario relinquendam esse Parochiam, prius quam ad id eum iudicis authoritas adigat.*

Probatur, legi pœnali, non necessario parendum est in conscientia, ante sententiam. At canon, Parochum priuans Parochia, in pœnam non susceptæ Presbyterij, est pœnalis, secundum Rebuff. 2. parte prax. tit. de non promot. intra annum, num. 61. B

Secundo, præter sententiam, quæ respicit pœnam, & præter declarationem criminis seu facti, requiritur & alia sententia, quæ vocatur definitiua, executiua, & condemnatoria, cuius vis, efficaciaque est in hoc, quod per eam, beneficiarius deturbetur de possessione sui beneficij.

Tertio, cum legis anima, superioris sit intentio, prudens ac honesta, extra eam lex vim suam non porriget, quare qui huius, & illius quoque futuri sunt fines, in ordine ad obligationem inuehendam. Sed Legislator, non vult beneficiarium abire, de sui beneficij possessione, cum lex ab eo sancita, non habet verba, quibus id significet distincte, & clare, qualia non sunt, inserta canoni licet canon, ipso iure, etiam monitione nulla præuia. Nam priora significant, sententiam à iudice nullam dicendam esse in reum, posterioribus autem innuitur, officii eum sui non necessario admonendum, nihil amplius. Quare cum est propositum Ecclesiæ, beneficiarium obligare in conscientia, ad aliquid, præter hæc verba: *Ipso iure, ac monitione nulla præuia,* alia adhibet, quibus mentem suam, apertè ac nude edisserit, vt videre est, in Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat. quo loco, Episcopis sine iusta vlla causa, extra Diœcesim versantibus, obuentiones diurnas, in conscientia negat esse pro rata suæ ab Episcopatu absentiæ, debitas. Lubet hic verba Concil. attexere. *Si ergo,* inquit, *quis contra huius decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus præter alias pœnas, aduersus non residentes, sub Paulo tertio impositas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis, absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri per superiorem Ecclesiasticum illos, &c.* Est istarum ergo vocum, aut similium omissio, nobis pro sufficienti indicio, quod Ecclesia nolit, ante imperium iudicis, abire magistratu suo, id est Parochia, Parochum, ob ordinem Sacerdotij in tempore non receptum. C D E

Dico 7. *Etsi obtineri à quocunque, modo idoneo ac capaci, Parochia fit vacans possit, ac ei conferri à Papa, aut Ordinario ipso, Parocho non vocato, deinci hic tamen de eius possessione non poterit, nisi auditus.* Ita Flammin. de resignat. lib. 11. q. 10. num. 10. Du Clos in eum locum Rebuff. de non promotis intra annum n. 49.

Probatur. Exui re sua non potest innocens, nisi quod à natura est cuique permissum, ei ante pro se dicere, se tueri, aduersariorum petitiones repellere liceat. Quis enim vsquam causa inaudita periit? quis sine teste, sine foro, sine Patrono vsquam

Digitized by Google

cecidit? At quis neſcit, vſu inter mortales venire poſſe, vt omni culpa vacet ordinis ſacri in Paro-cho non ſuſceptio intra tempora iure conſtituta? nempe quia domo per negotia iuſta abfuit, quia Antiſtitis, à quo initiaretur, copia defuit. Ne ergo pœnam nocentium ſuſtineat innocens, audiri de-bet. Sic enim Pontifex in cap. licet 28. de præ-bendis in 6. *Licet*, inquit, *Epiſcopus beneficium quod cum animarum cura tenebas poſtquam aliud recepiſti conſimile, ac ipſius poſſeſſionem pacificam habuiſti, vel per teſtes ſit, quominus haberes eandem, poſſit al-teri de iure conferre, illum tamen, cui contulerit, non debebit te non vocato cum tibi forſan ius competat re-tinendi in poſſeſſionem ipſius mittere corporа-lem.*

Secundo, Dominium à poſſeſſione diſtinguitur, ergo qua actione illud perditur, non eadem & iſta peritura eſt neceſſario. Antecedens eſt cer-tum, nam illico ac Ordinario, aut Pontifici pro-bare placuit, voluntatem reſignantis aduerſus eum, cui ſponte, ac gratis, re ſua cedit, penes hunc, ideſt reſignatarium, ius eſt, dominiumque beneficij, non tamen poſſeſſio, cum illud iure Gal-lico, triennio integro, retinere reſignans poſſit, communi autem ac Romano, ſemeſtri toto, ergo à dominio diſtinguitur poſſeſſio, vt effectus à ſuo principio. Item, ſoluto matrimonio, ipſo iure re-uertitur dotis dominium, non autem poſſeſſio, lege dotis Cod. de ſolut. matrim. Quod ſi ſunt ab in-uicem diſtincta, dominium & poſſeſſio, haud du-bie poſſ allud perditum, actione vel quaſi actione, quæ ſit contra leges, ac proinde prohibita, ſub hac pœna, quod ipſum eſt iure priuatum eſſe re, aliam quoque interuenire erit neceſſe, qua delin-quens, contra Canon. ſpolietur poſſeſſione rei iu-re à ſe amiſſæ.

Tertio, beneficiarius duo in ſua prouiſione iura accipit, titulum ſcilicet beneficij, & inductionem in poſſeſſionem actualem, realem, & corpora-lem, ergo tituli amiſſio, poſſeſſi quoque bene-ficij non eſt amiſſio. Ex quo patet non vaca-re ipſo facto Parochiã, omiſſione Presbyterij in-tra tempora præſtituta iure, quid eſt enim benefi-cium vacare ipſo facto? poſſideri à nemine, quod Parochiæ minime competit, cum de facto, à prio-re teneatur adhuc poſſeſſore, quem proinde ap-pellare eſt neceſſe, pro poſſeſſione relinquenda, argumento eſt.

Primò, Canon licet Epiſcopus 28. de præben-dis in 6.

Secundò, quod poſſeſſorem poſſeſſione rei ſuæ exuere authoritate propria nemo poſſit, ex lege extat enim decretum, ff. quod metus cauſa geſtum erit, iudiciariam ergo accedere eſt neceſſe. Quare praxis regni circa beneficia curata, vacantia ob non promotionem eſt talis. Habita earum prouiſione ſeu collatione à Papa quaſi vacantium, im-petrantur, inquit Rebuff. in praxi tract. de non promotis literæ in cauſa nouitatis directæ ad iudi-cem regium, coram quo impetrans dicit ſe legi-timè beneficium aſſequutum eſſe, quia eius anti-quus poſſeſſor, non eſt promotus, tempore præſti-tuto legibus, & tunc ſi hic iuſtam nullam habet cauſam ſuæ non promotionis, authoritate pu-blica adiudicatur Parœcia ei qui eam ſibi à Papa petiit.

Atenim (inquies) cuius ſunt futuri interim fru-ctus Parochiæ ſic vacantis, poſſidentis? an eius, cui titulus, voluntate ordinarij eſt delatus?

Dico 8. *Eos retinere à poſſeſſore poſſe ſine culpa, reddendos tamen ſi poſtulentur poſtea.*

Pars prima probatur, vt ſeruari beneficij com-moda, annuique ac diurni prouentus poſſint, ſuffi-cit ſtare à ſeruante titulum coloratum, aut verum at poſſeſſor Parochiæ, quæ iure vacat, titulo vere colorato nititur. Ecquid enim primo, ad benefi-cium venit iure canonum? ecquid ad eius hono-res inſcendit, ſuperioris legitimi verique manu? At titulum coloratum efficit, ac in ſpeciem verum ac probabilem collatio beneficij, facta à ſuperiore idoneo ac capaci. Minor eſt certa ac à nobis olim probata tract. de beneficiis tit. de triennali poſſeſſ. Maior probatur, qui officium præſtare poteſt, is quoque fructus, commodaque recipere beneficij ei paria poterit, cum dignus ſit operarius mercede ſua, at ea aggredi omnia, quæ tentare beneficiario legitimo eſt licitum, fas ei eſt, cuius titulus colo-ratus tantum eſt, ac probabilis? Quid? quod à poſſeſſione ſi non ſola, at vt à parte præcipua, ius functionis ſacræ exercendæ, in beneficiario oritur, ſit pro argumento, quod hic ſine ea intruſus cre-datur, ac priuatus iure ſuo, iuxta Couar. lib. 3. va-riarum cap. 6. n. 6. meminique me dicere, cum de beneficiis agerem, non poſſe Abbatem, aut Epiſ-copum, ad quos, aliena beneficentiâ, id eſt reſi-gnatione aliorum gratuita, Abbatis, & Epiſcopi honos deuenit, non poſſe inquam, hos homines, beneficia quæ ſui ſunt iuris conferre, niſi poſt poſ-ſeſſionem acceptam, quod & tradit Rebuff. in pra-xi parte 2. tit. de Simonia n. 27. cum Aufrerio in deciſion. capellę Tholoſ. qu. 443. cuius rei cauſa eſt repetenda, à communi ac receptа Eccleſiæ conſuetudine, quæ vbique cum inualuerit, vt re-ſignans officio fungatur, perærque ac antea, donec reſignatarius eius magiſtratũ capeſſat, ineatque hæc ſancte, in morem legis, decretique, eſt ſeruan-da, & ita nõ niſi beneficij aditu ac poſſeſſione, eius adminiſtratio, illi hoc eſt reſignatario eſt permiſſa.

Hæc de prima aſſert. parte, veniamus ad aliam cur à Parocho ſpoliato iure Parochiæ, in pœnam non ſuſcepti ſuo tempore Sacerdotii, reſtitui fru-ctus oporteat beneficii, cum repetentur ab eo, cui deferetur, à Pontifice, aut Ordinario?

Primo, res ſingulæ ſuis ſunt dominis fructiferæ ac vtiles, quoſque vbere, ac fœcundo ſinu, prouen-tus ferunt, ſic illico ac ſunt nati in eorum poteſta-tem manumque concedunt, vt qui iure quam op-timo ſunt iis debiti, vt dicitur parag. 15. vero inſtit. de rerum diuiſ. & parag. ſi Titus eodẽ tit. vbi habe-tur: *Plantas, quæ terræ coalueriut, & frumenta, quæ ſata ſunt, ſolo cedere*: ergo ſi obuentiones Parochiæ vacantis adhuc extent, vel ex iis antiquus poſſeſ-ſor qui ea in pœnam non ſuſcepti Presbyterii cum oportebat eſt priuatus, factus ſit locupletior, hæ iu-re ſunt reddendæ omnes ei, qui illi ſucceſſit.

Secundo, quæ hæreſis, quæ inceſtarum eſt nup-tiarum ratio, eadem eſt quoque beneficii iure va-cantis ob omiſſum in tempore Sacerdotium. Nam vt hæretici fortunæ omnes, iure ſunt ipſo acquiſi-tæ fiſco, per cap. cum ſecundum leges 19. de hæ-retic. in 6. Ita & fructus Parochiæ, vacantis ſuc-ceſſori eius qui illam perdidit. At quæ bona, bene-ficentia liberali, ac gratuita hæretici, in alterius venere dominium, ab eo ſunt hæc fiſco reſtituenda omnia, poſt iudicis ſententiam, iuxta Azorium to. 1. Inſtitut. lib. 8. cap. 12. qu. 6. ac Simancam de Cathol. Inſtit. tit. 9. n. 23. à quo contractus omnes ab hæretico initi, reſcindi ſunt ſoliti, à die com-miſſi ab eo criminis, per leg. quiſquis & leg. vlt. Cod. ad legem Iuliam Maieſt. Quia ab eo tempo-

re, dominium bonorum quæ erant hæretici, ſeu eorum proprietas in fiſcum eſt tranſlata: ergo & ex illo tempore conſequenter fructus percepti omnes, ad ipſum ſpectant. Leſſ. lib. 2. cap. 29. dub. 8. n. 64. ei ergo non ſunt negandi ab eo qui impiari non vult aliquo crimine. Hæc de quæſtione difficili ac ardua vt libere, ſic vere, quæ tamen omnia alienæ ſubeſſe cenſuræ volo.

QVÆSTIO X.

An audiendis confeſſionibus, poſſint à Parocho præfici quilibet, à ſuo Ordinario, aut alio approbati?

POſſe, dixere Ledeſma in ſumma to. 1. de Sacram. pœnit. cap. 12. Ludouic. de S. Iuan in ſumma q. 7. art. 2. de pœnit. diffic. 12. nam cum in Parochorum iure eſſe velint adhibere poſſe Sacerdotem ſimplicem, & non approbatum, ad hoc miniſterium, ſane id de approbato negare potiori iure nec poſſunt nec debent, in quo, ecſi iis aſſentiri nequeam, quod lege nona Concilii ſeſſ. 23. cap. 5. decretum videam, *Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopo per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat*, de approbatis tamen res non eſt difficultate vacua.

Eos à Parochis Epiſcopo ante non conſulto ac factum approbante, in ſubſidium operæ, partemque ſollicitudinis ſuæ ac curæ, aduocari poſſe negat Nugnus in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. dub. 7.

Affirmant alii Candidus de Confeſſ. Sacram. diſp. 24. art. 65. dub. 3. Coninc. diſp. 8. dub. 7. num. 57. Diana parte 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 110.

Dico primò, *Potuiſſe Parochum ante Concil. ſuas in confeſſionibus audiendis vices, cuilibet etiam non approbato committere, non modo validè ſed & licitè.* Ratio eſt, quod Ordinario lex nulla prohibeat, canonica aut ciuilis, idoneum ſibi ſubrogare homine, in quem miniſterii ſui partem aliquam deriuet. Sed Parochus eſt cenſendus inter Ordinarios proque tali eſt habendus reſpectu eorum quos poteſtati ſuæ habet obnoxios: ergo ſi quem ſibi ſubſtituat modo quem canones approbant nihil peccabit, ſed ante Concil. non erat eius poteſtas reſtricta vlla lege, erat tum ergo in eius arbitrio, conſulto nemine eligere de multis vnum aut plures, quos haberet in audiendis confeſſionibus prouinciæ ſuæ, operæque ſocios ac comites.

Dico ſecundo, *Parocho necdum etiam factis inito ordinibus, dari non poſſe vitio, ſi Sacerdotem approbatum ab Epiſcopo, velit audiendis confeſſionibus, præeſſe ſuo loco.* Ratio eſt, quod iuriſdictio annexa ſit beneficio, non ordini, at priorem habet Parochus, à Papa aut Epiſcopo, Parochiæ canonice præpoſitus, ergo eam quin cum altero communicet, nihil eſt quod obſtat.

Dico tertiò, *Vt valide poſſit Parochus ac licite, Sacerdoti vni cuipiam de approbatis, facultatem facere abſoluendi ſubditos, non eſt neceſſe eum à proprio Epiſcopo Diœceſis vbi eos audit, ſolutoque à culpis, approbatum eſſe, ſufficit quod fuerit olim expoſitus, & approbatus ab ipſius Sacerdotis Epiſcopo.* Ratio eſt, quod Sacerdos quilibet per approbationem ſui Epiſcopi ſit proximè capax iuriſdictionis delegatæ in foro pœnitentiæ, Candid. ſupra dub. 8. dicto 9. Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 6. & lib. 7. cap. 12. hanc ſententiam ſubſcribunt de Koninch. de Sacr. diſp. 8. dub. 7. num. 57. & Ioan. de la Cruz in director. parte 2. de Sacram. pœn. q. 5. dub. 6. concluſ. 3. rectum mihi eſt viſum hoc loco ſententias exſcribere. Coninchius ergo his verbis vſus eſt in eo loco: *Quandiu Epiſcopus non prohibet ſuis Parochis, aut Superioribus Religionum, ne Sacerdotes alibi approbatos, ad audiendas Confeſſiones, in ſua Diœceſi exponant, hi valide aſſumuntur & exponuntur, quia habent conditionem à Concil. Trident. requiſitam, quod ſcilicet ſint à ſuis Ordinariis approbati.* Sed præclare Crucius conficit hunc locum. *Ex dictis*, inquit, *patet poteſtatem conceſſam Parochis in cap. omnis vtriuſque ſexus, delegandi ſuam iuriſdictionem aliis Sacerdotibus alias idoneis, non eſſe ablatam in Conc. ſed ſolum quod Parochi non poſſint iudicare de idoneitate requiſita pro confeſſionibus audiendis, vnde patet poſſe Parochum delegare ſuam iuriſdictionem Sacerdoti, ſemel approbato à ſuo, aut extraneo Ordinario, vel etiam extraneo Parocho pro ſuis ouibus, & proſe in eiſdem caſibus.* Hæc ille.

Ex quibus inferendum exiſtimat Diana reſol. 110. tract. de Sacram. cum Sancio in ſelect. diſp. 48. nu. 52. puniendum non videri approbatum alibi quam in Dioceſi, ſi ſola Parochi facultate ac imperio fretus, pœnitentibus eius ſubditis ſuam in tribunali conſcientiæ operam accommodat, quia alium plecti non conuenit quam nocentem, at qui inconſulto Epiſcopo loci ad quem recens quis appulit, eiuſque approbatione non petita, quia eam habuit à proprio ſuo Epiſcopo, confeſſiones eorum excipit quibus Parochus præeſt, à quo etiam iis audiendis eſt admotus, non peccat, quia opinionem ſequitur probabilem: ergo &c.

Dico quartò, *In Parochis iure nõ eſſe, approbare Presbyteros, eoſque ab Epiſcopo ante non approbatos, aut à iure, confeſſionibus audiendis exponere*, Principes huius ſententiæ ſunt Villalob. in ſumma tom. 1. tract. 9. difficult. 49. n. 9. Sancius in ſelect. diſp. 49. n. 51. Ratio aſſertionis,

Prima eſt, DD. Cardinalium Concilij interpretum auctoritas, interrogati enim de re præſenti reſponderunt, facere imprudenter Parochos, cum Confeſſarios, ſubditis ſuis obtrudunt, quos Epiſcopalis cenſura non probauit.

Secunda, Concilij decretum ſeſſ. 23. cap. 15. vbi audiendarum confeſſionum, titulos agnoſcit duos non plures, approbationem Epiſcopi, & Parochiale beneficium, quo nomine Piaſecius in praxi Epiſc. par. 2. cap. 1. art. 2. intelligi ait beneficia quæ iuriſdictionem habent in ſpirituali foro, vt ſunt Officia Vicarij Epiſcopi, Pœnitentiarij Cathedralis Eccleſiæ, Archipresbyteri, Archidiaconi, iuriſdictionem habentis actu, quam opinionem mutuatus creditur ab Abbate in cap. Omnis vtriuſque num. 12. de pœnit. & remiſſionib. quæ eſt etiam Gloſſa in Clement. 1. ver. Presbyteri de priuileg. inde enim inferunt ſententiæ huius auctores eũ qui ad confeſſiones animum applicat, Parochi ſolius auctoritate iudicioque fretus, valide nihil & fructuoſe pro pœnitente facere, quam ego opinionem, multo quam contrariam veriſimiliorem exiſtimo, cuius patroni ſunt, è ſancti Dominici familia, graues hi viri Ioan. Gallo, qui Conc. Trid. interfuit, Petr. de Ledeſma in ſumma to. 1. de Sacram. pœnit. cap. 12. concluſ. 6. Ludou. de S. Iuan in ſumma de pœn. q. 7. art. 2. diffic. 12. Ioan.

de la Cruz in direct. conſcientiæ par. 2. de Sacram. pœnit. q. 5. dub. 6. conc. 2. Ita loquendi fundamentum hoc vnum habent.

Quod Concilio propoſitum aliud in eo decreto non fuit, quam priuilegia, quæ multi ſibi bullis Pontificiis conceſſa cauſabantur tollere, at quod Parochus, ſibi ſubrogare poſſit viros idoneos, qui pro tribunali conſcientiæ ſuo loco ſedeat ac ſubditos ſuos, iure quàm optimo, Deo per abſolutionem reconciliet iuris eſt, inquiunt hi auctores, diuini ac humani in cap. Omnis vtriuſque de pœnitentia & remiſſion. non priuilegium eius cum ſit Paſtor ordinarius, quare cum non ſit hæc eius delegandi poteſtas reuocata per Concilium, ea vti non ſecus ac ante Parochi poterunt, etſi Epiſcopi iudicium, approbatioque non adſint.

Sed hæc reprehenſionem habent facilem. Nego enim in primis hoc vnum ſpectaſſe Concilium, vt antiqua duntaxat multorum abrogaret priuilegia, vt narrant hi ſcriptores, ſed inſuper, contendo voluiſſe conditionem addere, ſine qua poteſtas audiendi confeſſiones nulla foret in Sacerdote ſimplici, quod à S. Cõgregatione Conc. examinatoribus Diœceſis Leodienſ. reſponſum fuiſſe ſcripſit Capeauilla de caſibus reſeruatis cap. 3. qu. 1.

Nego ſecundo, iuris eſſe diuini, quod Parochus ſibi poſſit ſine licentia & approbatione Epiſcopi, Sacerdotem vnum, aut plures, audiendis cõfeſſionibus ſubſtituere, alioqui male Concil. ſeſſ. 23. cap. 15 male Pius V. in conſtitut. ſua de anno 1581. ſanxiſſent, confeſſionem Sacerdoti non approbato factam, nullam eſſe, proindeque iterandam, cum quæ iuris ſunt diuini, ſic ſunt ſtata, ſic firmaac perpetua, vt reſtringi, mutari, aut contrahi auctoritate humana nequeant, quod tamen reſpectu Parochi, ac poteſtatis eius ad delegandum facere Concilio placuit.

QVÆSTIO XI.

An mutuam ſibi operam dare Parochi poſſint in Sacramentorum vſu.

POſſe, eaque conſcientiæ iure rata eſſe, perſuadent argumenta quæ ſequuntur.

Primum, quod ea ſibi caritatis officia inuicem deferant, probante ſi minus, at certe non repugnante proprio eorum Præſule, quod approbationis inſtar habet, quam certum eſt tam ſcripto, ac verbis, quàm tolerantia, ſilentioque dari ſcientis Epiſcopi, ſecundum Ludouic. de Beia reſponſ. tomo primo caſu 16.

Secundum, qui Parochiis inſtructi plebi præſident, ſunt ea quoque muniti poteſtate, quam ad abſoluendum valide, ac cum fructu Concilium exigit, cauſæ nihil ergo videtur ac rationis eſſe poſſe, quamobrem autem ſibi mutuo confitentibus Parochi dare non poſſint.

Quid ſi Diœceſibus ſint diſtincti? quid ſi in iure eiuſdem non ſint Epiſcopi?

Nohi quidem metuere debent, ne quid contra iuta Concilij, Eccleſiæque peccent, ſi ſibi mutuo in conſcientiæ foro ius dicant, auctor Lud. de Beia proximè citatus,

Primo, quia pro iis ambæ hæ cauſæ faciunt, quas in quæſt. propoſita attigimus.

A Secundò, quia ab antiquo iure recedendum nõ eſt facilè niſi quatenus id nouo fieri eſt neceſſe, lege præcipimus Cod. de appel. At cõſtat priſcis Patrum ſæculis, id eſt ante tempus Conc. libere Sacerdotes quoſlibet, cuiuſlibet alterius opera ad animi ſui, conſcientiæque repurgandas maculas vti ſolitos, nec lege noua Concilij Parochos ab hoc caritatis officio prohibitos, ſed ſimplices duntaxat Presbyteros, ab Epiſcopo non approbatos: ergo quod olim Parochis, & hoc quoque licet tempore, ſcilicet ſe mutuo confitentes abſoluere.

An vero è re ſit communi Eccleſiæ, priuataque fidelium, eoſdem ſubditis ſibi populis poteſtatem facere, confitendi cui erit placitum de Diœceſi
B propria, aut aliena, modo approbato, auctores ambigunt, eoſque de re præſenti controuerſantes, in duas contrarias factiones animaduerto eſſe diſtractos.

In negantium numero hoſce reperio Regium in ſuis reſolut. caſu 61. num. 9. Piaſec. in praxi Epiſcop. par. 2. can. 1. art. 2. cum enim aiunt ſine Epiſcopi licentia Parochum, aptum non videri ad cõfeſſiones audiendas aliorum, quam qui ei morem gerere ex officio debent ac munere, vt proprii eius ſubditi, & hoc quoque eos aſſerere eſt neceſſe, Parochianos à ſuo Parocho, ad alium confeſſionis cauſa etiã cum eius licentia, tranſire non poſſe: *Nec enim cenſetur Parochus approbatus ad alia loca Diœceſis*,
C inquit Piaſecius, *eo quod prouiſus fuerit de beneficio Parochiali* Gutierr. lib. 1. canonic. quæſt. cap. 27. nu. 21. *ſuper quo etiam conſulta Congregatio Concil. reſpondiſſe fertur in hac verba. An prouiſus de Parochiali Eccleſia per concurſum, cenſendus ſit approbatus idoneus miniſter ad audiendas confeſſiones, in illa Diœceſi, in qua illam Parochiam obtinet.*

Congr. cenſuit, cenſeri duntaxat in ea ciuitate, vel oppido, vbi ſita eſt Parœcialis, non autem per totam Diœceſim, hæc ille loco cit. num. 4. cui aſſentitur de Beia reſp. par. 4. caſ. 20.

Aduerſarii ſententia, quæ à Parocho, alium audiendis confeſſionibus, Epiſcopo inconſulto admoueri poſſe ait, [illegible] Suar. t. 4. diſp. 28. ſect. 4. nu. 18. Vaſq. in 3. p. to. 4. q. 93. art. 3. dub. 4. num. 2. ſuamque hi auctores opinionem fulciunt his ratio-
D nibus.

Prima, quod id ei per leges Eccleſiæ, decretaque Pontificum liceat, Vrbani Papæ II. in can. placuit finali diſt. 6. de pœnit. ſunt hæc verba. *Placuit, vt deinceps nulli Sacerdotum liceat, quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti, ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu cui ſe commiſit*, quæ Parochi auctoritas, nuſquam reuocata legitur, nuſquam ei contraria Pontificum voluntate, de qua conſtet, ſublata: ergo vt olim, ſic & modo Parochus quilibet, cuilibet alteri, curæ ſuæ commiſſos, vnum, aut plures, abſoluendos ſi ſubiicit, à recto non
E abit.

Secunda, conſuetudini obſequi quiſque poteſt, quæ pro fundamento rationem habet, eſtque longo firmata vſu, at vtrumque in ſubiecta materia facit pro Parochis primo conſuetudo, de qua ſic Suar. to. 4. diſp. 28. ſec. 4. num. 19. *Inter nos vero hanc ſcimus conſuetudinem eſſe, vt Parochi ſeſe mutuo iuuent ex ſolo ſuo conſenſu, non tantum intra eandem Diœceſim, quod eſt certius, & frequentius, ſed etiam in cõfinio diuerſarũ Diœceſiũ*, quã cõſuetudinẽ extra Italiã, multis locis vigere, præſertim in Germania & Polonia ſcribit Piaſ. n. 4. Facit pro iis quoque ratio altera. Sunt Parochi Paſtores ordinarij, ergo poteſtate neceſſaria ad delegandum muneris ſui par-

tem aliquam, iure ipſo præditi, quod cum vſu ipſo, cuius initium neſcitur extra Italiam, tacite ſaltem fecerint, Parochianos, vt poterant, minimè prohibendo, ne relicta Parochia ad vicinam, confeſſionis cauſa commearent, quin hæc quoque conſuetudo, præſcriptionem ad vim legis neceſſariam habeat, in hoc genere diſſerendi mediocriter exercitatus, quis ambigat?

Quæſtio fuit altera, *An hunc morem retineri, ſit in Dei Eccleſia ſatius quàm cum Epiſcoporum lege ac præcepto tolli?*

IN qua ſententia ſemper hactenus perſtiti, in ea etiam nunc perſeuero, ſeruandum videri, ad hanc ſententiam hæc me ducunt.

Primum, quod ea Epiſcopis, ac Parochis, ſectanda ſint maxime in cauſa fidelium, quibus eorum ſalus continetur ac dignitas, ſed ad iſtorum ſpirituale commodum pertinet, facultatem vt habeant eligendi ſibi Confeſſarii alterius à Parocho, cum enim ſæpe (ob quàs cauſas incertũ) malè illis cum eo conueniat, non raro autem animo ac voluntate ab eo abhorreant, interſit autem eorum redire cum Deo in gratiam, per peccatorum omnium quorum ſunt conſcij, exomologeſim ſeriam ac integram, quam tamen facturi non videntur vt expedit ſi ſunt à Parocho alieni, cùm eorum ſalus, tùm diuinus honos in primis exigit, liberum vt ſit illis ac integrum, cum bona Parochi venia, vicinum, aut alium ex approbatis ſibi Sacerdotem abſolutionis gratia quærere: ſic enim fit confeſſio qua nihil habet lex Euangelica grauius, leuior, ſic hominum conſcientiis, qui tuta etiam omnia metuunt Parochi conſulunt, ſic ad amorem ſubditorum certum ſibi iter muniunt.

QVÆSTIO XII.

An & quoties Parochus teneatur officium miſſæ dicere.

PRima Aſſertio. *Eſt aliqua obligatio in Parocho ſub mortali ad Sacrificandum.* Ita Trid. ſeſſ. 25. ca. 1. *cum præcepto diuino ſit mandatum quibus animarum cura cõmiſſa eſt oues ſuas agnoſcere, pro iis Sacrificium offerre &c.*

Excipiendus eſt caſus in quo ob coniunctionem Parochiæ cũ collegiata, Parocho eiuſdẽ relicta eſt ſacramentorum adminiſtratio, ipſi autem Eccleſiæ ac canonicis onus dicendæ miſſæ, nam tunc ab illo ad iſtos faciendi ſacrificij pro populo tranſlata eſt obligatio, contra quam proinde non peccabit ſed iſti, ſi operari ſacris deſinant.

Quod verò ad tempus obligationis huius exequẽdę ſpectat, res eſt authorũ opinione dubia Sotus 9. de Iuſtitia q. 3. art. 1. ad hanc religionem erga Deum teneri Parochum aſſerit diebus ſingulis, ſi ſufficientes ad viuendum redditus habeat, ſin minus aliquoties in hebdomada, pro rata fructuum ſibi ad eam rem aſſignatorum.

Sylu. verbo miſſa 1. q. 7. Nau. 25. Enchiridij n. 134. ſacrum fieri ab eo tantum exigunt ſub mortali feſtis diebus, aut cum neceſſe eſt ad benedictionem matrimonij aut ſepulturam mortui. Pro qua ſententia facit Trid ſeſſ. 23. cap. 14. his verbis: *Curet Epiſcopus vt vj ſaltem diebus dominicis & feſtis ſolennibus, ſi autem curam animarum habuerint tam frequenter vt ſuo muneri ſatisfaciant Miſſas celebrent.* Sit ergo.

Secunda Aſſertio. *Tam ſæpe celebrandum eſt Parocho quam ei eſt neceſſe vt fungatur officio ac bene ſit populo.* Cauſa eſt, quod tenetur ad præſtationem ſui muneris, ac plebi ſuæ reddere, quod ei non poteſt ſine iniuria negare: ergo toties ſacrificandum eſt Parocho quoties ratio exigit vt non deſit officio. Quare cum in id incumbere debeat vt populus diebus feſtis & dominicis miſſæ interſit vt Eccleſia præcipit, aut cum quis matrimonium contrahit, tum maxime ſiue per ſe, ſiue per alium miſſæ faciendæ operam dabit!

Quid ſi conſuetudo Parochorum fere omnium prouinciæ habeat vt etiam profeſtis diebus celebrent, eruntne ad id cogendi reliqui, quibus id non eſt in more?

Partem aientem tenet Reginal l. 10. c. 5. ſectione 3. n. 62. Opinor ideo quod conſuetudo vim legis habeat à qua proinde recedere nunquam videtur eſſe laudabile. Pro ſolutione ſit.

Tertia Aſſertio, *Parochus cui de voluntate ſuperioris aut fundatorum, circa numerum dicendarum miſſarum nihil conſtat, non tenetur accommodare ſe conſuetudini aliorum celebrantium quotidie aut ter v. g in ſeptimana*, Villalobos de ſacrificio Miſſæ tract. 8. diff. 14. n. 4. concl. 3. & alij apud eum. Quia per ea, quæ quis facit ex liberalitate, aut gratitudine, ſponte nec coactus, introducere conſuetudinem obligantem ex iuſtitia non poteſt Rebellus 1. parte de obligationibus iuſtitiæ q. 5. n. vltimo.

Confirmatur quod viri tres aut 4. pauperem in vrbe eleemoſyna liberali impertiant, nemo dicet illico cæteris hunc morem ex iuſtitia ſeruandum eſſe, vt eſſet tamẽ neceſſarium, ſi per opera liberalitatis aut gratitudinis induci conſuetudo poſſet in populo, ſed nulla lex aut canon Parochos obligat ad quotidie ſacrificandũ, imo nec poſſe talem dari, ſcripſit cum alijs Poſſeuinus c. 2. de officio Curati, eo quod haberet lex huiuſmodi peccati mortalis periculum, cui obligatum ad ſacrificandum quotidie, haud dubiè obiiceret, cum difficile ſit & arduum, inter æſtus ſæculi vndaſq; fluctuantem, aliquando non hærere in vitiorum turpi ſalo.

QVÆSTIO XIII.

An teneatur Parochus quoties ſacrificat facere pro plebe ſibi commiſſa.

TEneri eſt opinio Toleti l. 5. n. 10. ca. 5. Soti loco allegato qu. proxime præcedenti cum enim negent maxime Toletus, licere Parocho his diebus quibus tenetur offerre ſacrificium, orare pro alio quam populo ſibi commiſſo, conſequenter aſſerũt fructum ſacrificij ei eſſe debitum, & à Parocho illi applicandum eſſe!

Dico 1. *Extra conſuetudinem omni memoria priorem, de qua Parocho conſtare debet certò, vel ſane valde probabiliter, ſtatuaque Eccleſiæ particularia, ad id Parochum non teneri*, & quidem non oritur hæc obligatio à ratione pacti alicuius taciti inter illum, & Eccleſiam, cum de eo nec ille nec alij quidquam vnquam inaudierint. Nec à canone quia ea de re nullus extat. Nec à redditibus Quia dantur hi ob officium quod eſt poſitum in adminiſtratione ſacramentorum, lectione horarum & perſonali præſentia parochorum in ſua Parœcia.

Secũdò, nũquid eſt in præiudiciũ tertij, obligatio vlla

vlla inducenda ſi incerta de ea extent argumenta, qualia hîc nulla ſunt, ſed potius pro parte oppoſita, cum ſit probabile nunquam veniſſe in animum populo, injicere hanc obligationem Parochis, vt pro ſalute ſua cõmodoque, ſacrificium offerrent, cum habere perpetuam eius memoriam non ſit facile, maxime homini alijs curis impedito vt ſunt Parochi.

Dico 2. *Cum de ſacrificio applicando plebi præceptum nullum eſt Epiſcopi, aut Statutum clarum & euidens Eccleſiæ, in qua verſatur Parochus, rem vniuerſam relinquendam eſſe eius arbitrio.* Quia quæ à voluntate pendent, libertati ſunt committenda operantis, ſed actio, quæ non fuit alicuius præcepti aut ſtatuti, à ſolius libertatis voluntate pendet: ergo ad eam operans adigi, nec poteſt, nec debet.

QVÆSTIO XIV.

An quo die Parochus tenetur ſacrum dicere, poſſit pro eo ſtipendium accipere à ſuo Parochiano aut alio.

NEgat Caietanus, cumque eo Sotus & alij. Res mihi videtur explicanda diſtinctione vnica, cuius ambæ partes totidem aſſertionibus includentur.

Prima Aſſertio. *Cum lege particularis Eccleſiæ quam Parochus adminiſtrat, ad oblationem ſacrificij aſtringitur, aut pro parochiano vno aut pluribus, factum ſe eſſe pollicitus, peccat mortaliter ſi ab aliquo alio ſtipendium operæ ſuæ accipiat.*

Primo, quia iis imponit, eos in errorem inducit, ac decipit, contra pacti rationem ac iuſtitiam quod tacite cum illis init, alium non vocandi in communionem meritorum Chriſti applicandorum eis per ſacrificium, hæc enim eſt ſaltem virtualis intentio offerentium eleemoſynam pro miſſa vt pro ſe dicatur ſpecialiter, & non communiter pro ſe & alijs, quam ad rẽ etiam ſe Sacerdos obligat, facit ergo contra honeſti rationem, probique viri officiũ, ſi promiſſi rationem violauerit, Miſſæque fructum cum aliis quam quibus eſt ex contractu debitus communicauerit.

Secundò, ſi poteſt Parochus ab vno aliquo ſtipendium accipere, ab eo quod ſibi datur à Parochiano faciendi ſacrificij cauſa diſtinctum, poterit ſimiliter & à 12. 20. &c. quod nemo dicet, & hanc opinionem nobiſcum tenet, Villalobos de ſacrificio Miſſæ tract. 8. diff. 16. n. 1. & 2. contra Soto Aragonium, Canum, & Petr. de Ledeſ quos ille pro oppoſita ſententia citat.

Secunda Aſſertio. *Poteſt Parochus, non obligatus ad Sacrificium pro Parochis offerendum, petere & accipere ſtipendium pro miſſa illis diebus faciẽda, quibus ad eam tenetur, modo Parochis non ſuppeditet ei tantos redditus, quantis eſt opus ad vitæ onera.*

Probatur, eſt ſtipendium, Parocho à fidelibus ob ſacrificium quod Deo offert exſoluendum, non quia illis eius valorem ac Chriſti merita applicat, hæc enim applicatio cum ſit ſupernaturalis ex obiecto, ac effectus caracteris ſeu poteſtatis ſacerdotalis, quæ omnem naturam ſuperat, non poteſt addici pretio, alioqui eſſet ſimonia, non minus quam ſi ob diſpenſationem, ordinis collationem, aut beneficij, daretur aliquid Epiſcopo: datur ergo celebranti Parocho merces, vt habeat vnde viuat honeſte, & commode, ergo ſi id ei ſuppetit à beneficij fructibus, illud ipſum, aut æquale petere, vel accipere non poterit à Parochiano ſuo, aut alio, nec enim vni eidemque rei duplex merces eſt debita.

Excipiendus eſt caſus in quo conſtaret populo ſacrificium eo die imperatum eſſe Parocho ab Epiſcopo, aut ſtatutum à primis fundatoribus, vt illud eo die Deo offerat pro ſalute plebis, tunc enim oblatum à Parochiano ſuo, aut alio, ſtipendium recipere non eſt meo iudicio prohibitum.

Primo, quia ſcienti & volenti non fit iniuria: ergo cum populus intelligat in Parochi poteſtate non eſſe deriuare fructus ſacrificij eius dici ad alios quam Parœcianos, ſi quidpiam ei tribuat, vt pars eius aliqua ad eum perueniat, illud ipſum recipiendo, Parochus non peccat.

Secundo, copia reddituũ ad vitã ius Parocho non adimit recipiendi oblata ſibi gratis. At gratis tantum in propoſito caſu dat Parochianus ſuo Parocho ſtipendium conſtitutum celebranti pro miſſæ ſacrificio: Dixi modo tantum habeat reddituum quantis ei opus eſt ad viuendum honeſte & decenter. Quia poteſt tam Parochus quam quilibet alius Sacerdos pro iure ſuo petere & capere temporalia, ab his quibus miniſtrat ſpiritalia, cũ authore Paulo, qui altari ſeruit de altari viuere debeat, ergo ſi ſunt prouentus Parochi impares oneri ſuo, ac impẽſis faciendis pro alimonia, eos his æquare poterit acceptatione aliquantæ pecuniæ ab extenis, aut ſuis pro ſacrificio, & quidem tantæ, quanta requiritur, vt ex ea & accepta à priori, qui pro ſe dici voluit ſacrificium, fiat pretium iuſtę ſuſtentationis illius diei.

QVÆSTIO XV.

An Parochus, aut alius, de ſalario aut eleemoſynis ſibi datis ab aliquo vt pro ſe curet fieri ſacrificium, poſſit detrahere aliquid quod in vſus ſuos conuertat, maxime ſi tale ſtipendium ſit longe maius quam communiter dari ſacrificantibus ſoleat.

QVæſtionem hanc attigere Nau. Enchir. 26. n. 91. Maior in 4. diſt. 45. q. 3. Sotus 9. de iuſtitia q. 5. a. 1. nos paucis aſſertionibus complectemur, quæ in rem præſentem faciunt.

Prima Aſſertio, *De ſtipendio iuſte celebrantis, Parochus ſibi nihil ſeruare poteſt.* Quia eſt contra iuſtitiam negare operario mercedem dignam & debitam.

Secunda Aſſertio, *Parochi non videntur retinere poſſe aliquid de ſtipendio celebraturi, miſi forte quantum reſpondet induſtriæ ſuæ ac curæ, in quærendo homine idoneo, qui ſatisfaciat voluntati eius, qui pecuniam ſibi dedit ad ſacrificium.*

Prima pars probatur. Quia tale ſtipendium datur non tantum vt ſuſtentatio iuſta, & neceſſaria miniſtri, ſed vt eleemoſyna, qua dans intendit propitiare ſibi Deum per ſacrificantem, ergo eſt contra intentionem dantis eam minuere, ac celebranti non niſi imperfectam dare.

Secunda probatur, cum labor tolerandus cauſa alterius, ſit æſtimabilis pretio, pro eo, aliquid capi, & exigi ab illo poteſt qui illum ſubire ex officio non tenetur At cura omnis, laborem habet, cum non ſit ſine ſollicitudine, quæ labor eſt animi, &

Digitized by Google

ex hypotheſi curandum eſt Parocho, vt ſit qui A miſſam ſuo tempore celebret pro his, qui ad eam rem pecuniam ſibi neceſſariam reliquere: ergo pro hac cura aliquid petere, oblatumque recipere poterit.

Tertia Aſſertio, *In populoſis tamen vrbibus, qualis eſt Lutetia, aut locis vbi magna eſt frequentia ſacerdotum poſtulantium ſibi miſſas, Parochus, aut alij quibus incumbit negotium eligendi de multis aliquos, qui alienæ pietati ſatisfaciant, non videntur poſſe quid capere pro labore ac cura inquirendi miniſtros idoneos ad ſacrificium.* Quia ex hypotheſi nulla talis occurrit, cum vltro ac non rogati plurimi operam ſuam ad id petenti offerãt, Quod ſi quid illis debetur, id nõ eſt niſi valde tenue, ac eiuſmodi quod ſoli curę reſpondeat ſeruandæ pecuniæ ad vnum diem aut duos, quilabor nullus eſt homini prudenti.

QVÆSTIO XVI.

An Parochus ignoto ſacerdoti poſſit permittere vt ſacrificium dicat in ſua Parochia ſine Epiſcopi venia.

SVppono 1. lege canonum antiqua, prohibitum eſſe clericis cuiuſquemodi Diœceſi egredi abſque literis commendatitiis ſui Epiſcopi, Chalcedonenſe Concil. œcumenicum can. 19. act. 6. Aurelianenſe 3. can. 15. Concil. in palatio Vernis can. 12. Aquiſgran. ſub Ludou. can. 44. Arelat. 1. can. 2. & 22. quia cum eſſent Clerici certis aſcripti Eccleſiis, can. Sanctorũ 2. diſt. 70. has ab illis deſeri, Epiſcopo inſcio non decebat, ne interim cum pietatis ac populi interitu, vacuæ miniſtris forent qui eas regerent: quare *in qua Eccleſia quilibet erat titulatus inea perſeuerare cogebatur*, decreto Vrbani II. in Conc. Placentiæ habito, & ad alias prohibebatur admitti, formatis non inſtructus quas Concil. Chalced. can. 11. pacificas, Zonaras ibi dimiſſorias ἀπολυτικὰς nominat, cuius generis illæ ſunt quæ Epiſcopis inquit hic auctor, à Metropolitanis dari ſolent cum ad Imperator. neceſſaria de cauſa mittuntur: ab Epiſcopo autem Clericis, βίλλον εἰς ἑτέραν πόλιν ἀπολύειν ἢ χειροτονίαν τῆς ἰδίας ἐκκλησίας, id eſt ſi in aliam migrare vrbem Eccleſiæque quę ibi eſt Clero aſcribi velint vt eſt in can. 17. Synodi in Trullo habitæ.

Suppono 2. Egredientium contra hoc præceptum Eccleſiæ, ac Epiſcoporum eos recipientium, pœnam fuiſſe priuationem ſacræ communionis, ſic enim Agathenſe primum ſub Symmacho can. 52. his verbis: *Presbytero, aut Diacono, vel Clerico ſine Antiſtitis ſui literis ambulanti communionem nullus impendat*: illi enim, inquit Zonar. *Supra, ſacro miniſterio interdicitur, Epiſcopo autem ſegregationis pœna irrogatur*, ὁ μὲν κληρικὸς πάντων τῶν λειτουργιῶν ὁ δὲ ἐπίσκοπος τῶν δεξιώσεων ἀφορίζεται, ibidem, totidem fere verbis habetur in Epaunenſi can 6. Aurelian. 5. can. 15. quæ pœna ad eos quoque communione culpæ tranſit, qui homines eiuſmodi vagos domi ſuæ recipiunt, aut in templis locum ad ſacrificium tribuunt, *Duratque hæc pœna*, inquit can. 12. Concil. habiti in palatio Vernis, *quouſque Clericum qui tranſlatus eſt, fecerit ad ſuam Eccleſiam reuerti.*

Suppono 3. tam iure nouo quam veteri, neminem deſtitutum his litteris poſſe ad diuina celebranda admitti Carthagin. 3 can. 38. Trident. ſeſſione 23. cap. 16. de reformatione his verbis: *Nullus Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Epiſcopi ad diuina celebranda & Sacramenta adminiſtranda admittatur*: ſunt autem Commendatitiæ quæ ſegregatis antea Clericis, aut Laicis, aut ignotis hominibus in aliam vrbem migrantibus dabantur, quæ vel eos pœnis ſolutos, vel in fidelium numero habendos demonſtrabant, proindeque eos Epiſcopo vrbis ad quam proficiſcebantur commendabant.

Suppono 4. ſtatuiſſe antiqua Concilia, vt ad has litteras accederet conſenſus, & examen Epiſcopi, in cuius Parochiam, ſua negotia aliunde Clericum aduexerant, ſic enim Aurelian. 4. can. 7. *Vt in Oratoriis Domini prædiorum minime contra votum* B *Epiſcopi, ad quem territorij ipſius priuilegium noſcitur pertinere, peregrinos Clericos inirremittant, niſi forſitan quos probatos ibidem diſtrictio Pontificis obſeruare præceperit.* Quod decretum renouatum eſt in Synodo Sueſſionenſi ſub Pipino, & in Francica ſub Carolomanno anno 742. ſub Pipino Rege 755. & Stephano Papa tertio. *Epiſcopi vel Presbyteri de aliis regionibus non ſuſcipiantur in miniſterium Eccleſiæ, niſi prius fuerint probati ab Epiſcopo cuius Parochia eſt*, Sueſſ. Synodus & in Franc. hæc habentur: *Statuimus, vt ſecundum cautelam omnes vndecunque ſuperuenientes, ignotos Epiſcopos, vel Presbyteros, ante probationem Synodi, in Eccleſiaſticũ miniſterium non admittamus.* Quibus præmiſſis.

Dico primo, *Cum eſt ab Epiſcopo Parochis prohibi-* C *tum, ne vllos Presbyteros externos, ad celebrandum admittant ſine ſuo, aut Vicarij conſenſu, peccare ſi ſecus faciant*, quia debent Paſtori ſuo obſequi in re graui, qualis eſt iſta, cum ſæpe ſacris ſe altaribus temere inferant, viri moribus perditi de Laicorum grege.

Dico ſecundo, *Videri tamen mihi probabile, permittere poſſe Parochos, Sacerdotibus habentibus litteras commendatitias facultatem dicendi ſacri, maxime cum ſunt in via & tranſitu.* Ita Poſſeuinus cap. 2. nu. 26.

Primo, quia id videtur illis concedere Concilium Vernis habitum can. 13. his verbis: *Et ibidem ſe-* D *cundum canonicam inſtitutionem accipiant ſententiam, niſi tantum pro itineris cauſa.* Hæc canon.

Secundo, quia ad id videntur habere tacitam ſui Epiſcopi licentiã, quem non eſt probabile velle, Clericũ peregrinum fructu ſuæ religionis aduerſus Deum ſacrificando carere, quæ tamen dicta ſint ſaluo meliori iudicio. Sane conſtat Religioſis ſanctæ Iuſtinæ conceſſum eſſe, à Gregor. XIII. Patribus, autem Societatis à Pio V. vt poſſint cum iter habent, celebrare in qualibet Eccleſia non polluta.

E

QVÆSTIO XVII.

An Parochi diuerſorum Epiſcopatuum mutuam ſibi dare poſſint operam in Confeſſionibus.

DIco primo, *Parochos ſe inuicem audire poſſe ac abſoluere.*

Primo, Quia ad id tacitam habent ab Epiſcopis ſuis licentiam, ex Ludou. de Beia in reſponſionibus.

Secundo, id ante Trid. tempora poterant, nec eſt hæc facultas reuocata, aut iis adempta: Ergo

cum quæ moribus ſunt firmata hominum, longoque recepta vſu hæc mutare ſit nefas niſi quatenus lex iubet: lege præcipimus Codice de appellationibus, & Codice 2. de tranſlatione Prælatorum, quod olim & modo quoque licitum erit, Parochis inuicem ſibi aurem, dare confitentibus 3. ceſſante cauſa legis, vis omnis eius intercidit cap. ceſſante 60. de appellationibus, at hic ceſſat cauſa cur Concil. non approbatis Sacerdotibus facultatem eſſe noluerit audiendarum confeſſionum promiſcuè, nempe ignorantia, quæ in Parochis, aut nulla eſt, aut ſaltem non tanta, quanta in non habentibus animarum curam.

Dico ſecundo, *Etſi ſit probabile licere Parocho, fidelium qui vicinam Parochiam & Diœceſim incolunt, confeſſiones excipere, quando hæc caritatis officia obit, Epiſcopo, aut eius Parocho conſciis*, oppoſita mihi tamen opinio veri ſimilitudinem habere longe maiorem videtur.

Et primæ quidē partis hæc eſt cauſa, quod probabilis ſit multorū opinio, ratihabitionem quæ eſt de præſenti, aut præterito, qualis accidit cum proprius Sacerdos videt ſubditum confiteri alteri & diſſimulat, vel tacet, poteſtatem ei dare illum abſoluendi, & ſic Sacramentū fieri validum, ſed proprij Sacerdotis, ſilentium, patientiaque, ratihabitionem eius habet, ac conſenſum ſaltem implicitum, nam hoc ipſo, quo hic ſubditum à confeſſione facienda alieno Parocho, non reuocat, tacite ei poteſtatem facit vtendi eius opera, ad purgationem mentis. Nam qui tacet iuxta regulam iuris conſentire videtur: impedit hæc ergo ratihabitio ne Sacramentum inane ſit ac nullum.

Pars 2. oſtenditur ad abſoluendum valide, requiritur iuriſdictio in abſoluente, at nullam habet Parochus in non ſuos, quid ita vero? nempe quod ratihabitio vt oſtendimus tractatu de pœnitentia, non ſit facultatis ad audiendas confeſſiones conceſſio, cum qui tacet non minus diſſenſum, quam aſſenſum præbeat, vt dicitur de regulis iuris in 6. regula 44. his verbis: *Is qui tacet non fatetur, ſed nec vtique negare videtur.*

Confirmatur facultatis ad audiendam confeſſionem conceſſio, actus eſt poſitiuus voluntatis in eo qui illam tribuit. At ratihabitio talis non eſt actio, ſed negatiua tantum, quæ conſiſtit in non impediendo ſubdito & Parocho abſoluente.

Probatur 2. nulli quantumuis conſuetudinem longi temporis prætexat licet eligere ſibi Confeſſarium ſine licentia ſui prælati cap. ſi Epiſcopus 2. de pœnitentiis & remiſſionibus in 6. ergo nec relicto Sacerdote proprio, vicinum adire confeſſionis cauſa, Bonifac. in ea decretali eſt hæc ſanctio. *Nulla quoque poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis præter ſui Superioris licentiam, Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſoluere vel ligare.* Occurrit hic vero dubium.

An Parochus teneatur inquirere eos, qui Sacramentis indigent, vt hæc illis conferat.

DIco primo, *Parochum ad id teneri, tam ex charitate quam iuſtitia, cum eorum quiſpiam, quos curæ ſuæ commiſſos habet, animam agit*, Charitate quidem, quia extreme indigenti ſuccurri debet ſub mortali, at defectus gratiæ, in mortis articulo, aut eius certo periculo, extremam creat Sacramenti neceſſitatem in eo, quem gratia eo tempore deſtituit, cum illius abſentiam, certo ſecuturus ſit animæ interitus. Iuſtitia etiam tum obligat, quia ad eam A rem Parochus operas ſuas addictas habet proſtipendio, quod ei tribuitur.

Dico ſecundo, *Parocho neceſſe non eſſe ſub culpa vt ſanos adeat, niſi quit Sacramenta non petentibus vltro ingerat.* Quia creditorē ex iuſtitia rogare debitor non tenetur ad recipiendum debitum, ſatis eſt, ſi petenti offerat, vel tempore, quo ex pacto & contentione vtriuſque mutua reddi debet: ergo nec Parochus Parochianos adire, eoſque ad Sacramenta quorum eſt debitor, recipienda cogere.

At enim, inquies, *Quomodo gerere ſe cum eo debet, qui vocis vſum & linguæ prodidit.*

Dico tertio, *Si antequam vi morbi, linguæ ac ſenſuum ſubſidio priuaretur, confeßionē petiit, ac præſentis Parocho ſigna doloris indicauit debere abſolui*: quia tam his ſignis, quam petitione Sacramenti, ſatis ſuperque quantum eſt ei integrum, confiteri ſe, & dolere de peccatis prodidit, Lopez 1. parte cap. 18. Emanuel Sa verbo abſolutio 9. ei tum ergo non eſt neganda abſolutio.

Secundo, cum eſt ſumma pœnitentis neceſſitas, Sacramenti forma, materiæ dubiæ applicari poteſt: *Quia quod non eſt in lege licitum neceſſitas facit licitum*, vt dicitur de regulis iuris regula 4. at ſigna dolentis animi, petitioque Sacramenti, quæ deliquium animi vociſque defectum, ac ſenſuum præceſſit, materia confeſſionis eſt probabilis, & dubia: petentis autem ea eſt neceſſitas: qua maior eſſe nulla poteſt: ergo

Dico quarto, *Abſolui tamen non poſſe ſi nec ante id ſibi beneficium impertiri petiit, nec ſigna doloris vlla tum exhibet*: quia forma Sacramenti applicari non poteſt niſi ſuæ materiæ, at ſunt peccata mortalia pœnitentiæ materia neceſſaria, venialia ſufficiens, quæ tamen nulla in ſe, aut eorum ſigno, id eſt dolore, aut petitione confeſſionis, ac pœnitentiæ exhibet: abſolui ergo non poteſt.

Addunt aliqui, nec id ei indulgeri poſſe, cum tantum ſignificatur Parocho, vel Sacerdoti ab eo, antequam vſum vocis amitteret, Sacramentum petitum eſſe, quia à Clementis VIII. temporibus, (inquiunt) facta per internuntium confeſſio, non valet, aut ſi valet, non fit licite, at qui abſoluitur ex ſola fama petitæ confeſſionis, confitetur per internuntium, non ergo ei danda eſt abſolutio.

Secundo, exponere ſe peccandi periculo, non vacat culpa. At qui autem dat confitenti hoc modo exponit, ſe certo diſcrimini non faciendi Sacramenti, hoc eſt eum non abſoluendi, quē tantum ex fama cōfeſſionem petiiſſe intelligit cum ſit incertum, vtrū ab eo tēpore voluntatē mutauerit, & de pœnitente factus ſit impœnitens quæ incommoda vt vitentur danda erit ei abſolutio ſub conditione, ſi tu es diſpoſitus, ſi in voluntate fugiendæ culpæ conſtans, ſi in priori tuo propoſito perſeuerans, ſic Cōfeſſarius ſibi, ſic Sacramento, ſic enim Confeſſarius pœnitenti bene conſulit ac fructuoſe vt dictum eſt in tract. de pœnitentia, quæ me cauſa inducit ob rationes tùm allatas vt exiſtimem, ægro qui de confeſſione facienda deſiderium præ ſe tulit, abſolutionem negari non debere, cum conditione modo dicto.

Dico quarto *Vngi tamen poſſe à Parocho eum qui Catholice vixit modo ei conſtet quod quo tempore, ſenſibus eſt, ac voce priuatus vi morbi, aut recepti vulneris, culpæ vllius mortalis affinis non eſſet ac conſcius.*

Probatur, vt Sacramentum Vnctionis dari ægro

poſſit duo duntaxat ſunt neceſſaria.

Primum, vt illud actu ſibi, aut virtute petierit. Alterum vt danti vtcunque probabiliter conſtet, illum eius incapacem non eſſe per obicem peccati quem gratiæ opponat, at faciunt ambæ hæ res pro eo, qui vixit Catholice, Chriſtianæ enim fidei profeſſio, tacita quædam eſt Sacramentorum Eccleſiæ petitio, & alia ex parte, bonus is eſſe præſumitur, cuius oppoſitum dici debet; cum certũ eſt vulneratum, aut ægrum loqui tùm neſcium peccaſſe antea mortaliter, nec tamen culpam eluiſſe lachrymis aut dolore. Quia Sacramenta indignis dare eſt margaritas ſecundum Chriſti Domini verbum calcandas porcis obiicere, quo quid eſſe fœdius poteſt, quid irreligioſius?

A dubitato habent propter authoritatẽ Conci. Trid can. 11. & cap. 7. de caſuum reſeruatione ſeſſione 14. canon eſt his verbis præſcriptus. *Si quis dixerit Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſeruationem, non prohibere quo minus ſacerdotes à reſeruatis vere abſoluant, anathema ſit*: Ergo Epiſcopi niſi Romani Pontificis authoritate cohibeantur, ius habent reſeruandi ſibi caſus diſtinctos ab ijs, quos illis ipſis ius reſeruat, quare erit Parochorum dare operam vt intelligant, quorum & qualium criminum abſolutionem Epiſcopus ſibi neget ſuique ſimilibus, quoſque caſus ſuæ iuriſdictioni ſeruatos in Diœceſi velit.

Reſtat pars tertia, an qui ſacras pœnitentium B confeſſiones excipiunt, vetentur eos abſoluere à reſeruatis iure communi, & conſuetudine, peræque ac ab ijs caſibus, quos per reſeruationem ſpecialem, Epiſcopi, iuris ſui eſſe volunt, de hac quæſtione quam à paucis diſceptatam eſſe video, quid ſentiam explicabo duabus aſſertionibus.

Prima Aſſertio, *poſſunt Parochi cæterique confeſſarij ab eo cuius intereſt approbati, abſoluere à caſibus omnibus, quos ius aut conſuetudo ſola reſeruauit Epiſcopis.* Fundamenta huius opinionis hæc ſunt.

Primum quod maior eſſe nequeat vis caſuum, quos iura aut conſuetudo ad Epiſcopum ablegant, quam papalium, quibus adiuncta eſt excommunicatio, non reſeruata authori canonis, at hi abſolui poſſunt à proprio ſacerdote, id eſt Parocho ex decretali Innoc. III. ad Vratis-Lauiẽſem Epiſcopũ C de ſententia excommunicationis quæ eſt concepta his verbis. *In ſecundo caſu nempe cum quis eſt excommunicatus à iure, à ſuo Epiſcopo, vel à proprio ſacerdote, poterit beneficium abſolutionis obtinere, quamuis enim tunc non iudicis, ſed iuris ſententia, excommunicato communicans ſit ligatus, quia tamen conditor canonis, eius abſolutionem ſibi ſpecialiter nõ retinuit, eo ipſo videtur conceſſiſſe facultatem alijs relaxandi*: hæc canon, quem ſequuti D. Thom. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. quæſtiuncula prima. Innocentius in cap. nuper 29. de ſententia, Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. concluſione 3. Nauar. Enchir 27. nu. D 39. aſſerunt, excommunicationem quam maiorem nominant, à generali Eccleſiæ canone nõ reſeruatam authori ſuo, non ſic eſſe in iure Epiſcoporum, vt de ea ſimplici ſacerdoti abſoluere ſit prohibitũ, At à Benedicto XI. in extrauaganti initio citata hic caſus inter Epiſcopo reſeruatos de iure communi ponitur: ergo eorum aliquid, ſaltem ex Doctorum ſententia poteſtati ſubeſt Parochorum, quoad abſolutionem.

Secundum non ignorant Epiſcopi, è ſacerdotibus ac Parochis, paucos ad modum eſſe iuris canonici intelligentes & gnaros, & id quoque eos ignorare non eſt credibile, raro fore qui ſibi temperent ab abſolutione caſuum, quos Pontifices inſeruere iuri canonico, aut diplomatis ſuis, quæ ne de nomine quidem multi norunt Ergo cum effectus reſeruationis Pontificiæ ſit criminum retentio, ac eorum E à quibus ſunt admiſſa ad ſuperiorem reiectio, quod facere Parochi nequeunt niſi ea nouerint, nec noſſe poſſint, lectione Extrauagãtium, quibus carent, Epiſcoporum ſuper illis ſilentium, ac taciturnitas, voluntatis eorũdem eſt argumentum, Parochis & Confeſſarijs approbatis, vt ſit integrum eare mittere, cum ſibi explicantur in ſacro tribunali conſcientiæ.

Tertium rerum quarundam electio, eſt refutatio aliarum quæ ſunt in eodem genere, cum exceptio

---

QVÆSTIO XVIII.

Quid poſſint Parochi circa caſus reſeruatos Ordinario.

TRia hic mihi ſunt exponenda. Primum, qui ſint caſus tam communi iure quam conſuetudine Eccleſiæ, reſeruati Epiſcopis.

Secundum, an poſſint Epiſcopi, præter eos qui iure excipiuntur ſibi quoque reſeruare alios.

Tertium, an præter eos, quos in codicem reſeruationis, ſeu album caſuum reſeruatorum, quotannis referunt, velint alios quoque, qui iure communi ſibi reſeruantur, ſic intactos eſſe Parochis, vt ab ijs, ac inferioribus ſacerdotibus, abſolui non poſſint.

Mihi quid in primo controuerſiæ genere definiendum videretur expoſui tract. de Sacramentis, ibi enim memini dicere eos caſus iure communi reſeruari Epiſcopis, quos complexus eſt Benedictus 11. in 2. Extrauaganti inter cunctas, de priuilegijs, ſuntque tales.

Primus, eſt delictum Clerici, quod irregularitatem inducit.

Secundus, eſt peccatum cui Papa excommunicationem adiunxit, quam tamen ſibi abſoluendam non reſeruauit.

Tertius eſt crimen cui debetur publica pœnitentia.

Quartus, eſt culpa incendiarij ex odio, malaque voluntate profecta, quam alij maleuolentiam nominant, Quibus addendi ſunt & alij duo.

Primus, leuis percuſſio Clerici cap. peruenit de ſententia excommunicationis.

Secundus, eſt abortus fœtus animati, criminoſe procuratus, cum enim Greg. 14. de eo quenquam abſolui noluerit niſi à Sacerdote ad eam rem ſpecialiter deputato, conſequenter quoque eum reſeruatum eſſe Epiſcopis voluit.

Ex conſuetudine ſunt hæc peccata iiſdem vbique reſeruata homicidium voluntarium, crimen falſi ſeu falſarii, quo laborat quiſquis ſcripturas aut literas fingit, aut ſimulat, vel litigantis vnius tabulas, quibus nititur ad victoriam cauſæ ſuæ, parti eius aduerſæ oſtẽdit ſortilegium ſeu diuinatio, violatio Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis hæc de primo quæſtionis genere circa numerum caſuum, quos ius aut conſuetudo Epiſcopis reſeruat.

Quæritum eſt ſecundo loco eſſet ne ius Epiſcopis reſeruandi ſibi alios caſus, quam quos ius ſcriptum aut conſuetudo illis largitur. Mihique eorum ſententia viſa eſt ſemper veriſſima, qui id pro in-

in non exceptis ſimet regulam vt dicitur can. Dominus 22. q. 4. At Epiſcopi certa ſibi crimina ſeponunt digeſta in tabulas reſeruationis, quæ per ſe abſolui volunt aut Vicarium, ergo reliqua Sacerdotibus tribuunt abſoluenda.

Secunda Aſſertio, *Qui abſoluit à caſibus reſeruatis Papæ aut Epiſcopo ſpecialiter, contra quàm ſanxit ſuo decreto Clemens* VIII.

Primo peccat mortaliter, quia ſuperiori in re graui non obtemperat.

Secundo nihil facit quia caret iuriſdictione neceſſaria ad abſoluendum.

Tertio incidit in excommunicationem Papæ reſeruatam, hæc eſt enim prima pœna, qua dictus Clemens, mulctauit abſoluentes, de reſeruato contra ius decreti ſui, cui pœnæ tres aliæ inſuper ſunt additæ.

Prima eſt, dignitatum, officiorum, ac beneficiorum omnium priuatio ipſo facto.

Secunda audiendarum confeſſionum incapacitas, poſtrema, inhabilitas ad obtinendum in poſterum vlla beneficia, dignitates & officia, etiam ante omnem ſententiam declaratoriam, hæc Clemens.

QVÆSTIO XIX.

An Parochus peregrinorum & viatorum confeſſiones excipere poſſit in Paſchate.

DVbitandi cauſa petitur ex cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentijs & remiſſionibus in quo eſt, confeſſionem faciendam non eſſe alteri, quam proprio Sacerdoti, quem peregrini & viatores non habent, cum ex hypotheſi domo abſint.

Dico primo, *Parochum quemlibet, cuiuslibet peregrini, ac viatoris, confeſſionem excipere poſſe in Paſchate.*

Primo, Quia ad id facultatem habet ſaltem tacitam à proprio Sacerdote. Eman. Sa verbo abſolutio n. 22.

Secundo, quoad Sacramenta Confeſſionis & Euchariſtiæ tempore Paſchatis, peregrini & viatores, eius loci Parocho vbi eos verſari tunc accidit, ſubiiciuntur Eugenii IV. Pontificis priuilegio, vt habetur in Compendio priuilegiorum Fratrum Mendicantium, verbo abſolutio primo, quoad ſæculares num. 5.

Tertio, cum peregrinos & viatores Sacramentorum, confeſſionis maxime & Euchariſtiæ fructu, priuari non deceat in Paſchate, ab eo ſane illa tum eos petere, & recipere condecet, cuius charitatem implorarent in mortis articulo, ſi ad eum redacti eſſent, at tum iuuandi eſſent ab eo Parocho, cuius in Parœcia verſarentur, ergo & in Paſchate.

Dico 2. *peregrinos tum poſſe ad peccatorum ſuorum veniam obtinendam per ſacram confeſſionem, vti priuilegiato, ab eoque poſtea Chriſti corpore paſci poſſe.*

Ita Sanchez l. 8. de matr. diſp. 23. nu. 17. Henriquez l. 8. de Euch. cap. 55. num. 1. Emanuel Rodriguez quæſtionum regularium to. 1. qu. 56. de cõfeſſione. Pars 1. clara eſt & à nobis probata de Sacramẽtis, pars altera quæ eſt de Euch. ſic oſtenditur quod parochiani in Paſchate communicare in ſuis Parochijs debeant, factum eſt vt ad eas concurſus maior eſſet, deinde vt ſic Parocho ſuo tanquam patri innoteſcerent: Atqui in peregrinis ceſſat hæc ſecunda ratio, cum eius parochiæ in qua caſu commorantur, aut deprehẽduntur eo die, non ſint membra, ergo exceptio diei Paſchæ in Mendicanticum priuilegijs, diem hunc reſpectu peregrinorum non complectitur.

Scitari nunc quiſpiam poſſet, an quod peregrinis, quos caſus non conſilium aliquo detulit, iura ipſa ratioque, in Paſchate licere volunt, hoc in iiſdem tolerari debeat, cũ conſulto, ac dedita opera domo tum exeunt, vt eius loci Parocho, conſcientiam ſuam emaculandam offerant.

Non debere dixit Gabriel Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 93. art. 2. dub. 4. num. 6. eius mentem exſcripſit his verbis Ant. Dian. par. 3. tract. 6. miſcell. reſolut. 28. *Omnes iter agentes pertinent de iure ad eam Diœceſim, & Parochiam, vbi inueniuntur tempore præcepti, vnde etiam extra tempus præcepti, ei Parocho confiteri poſſunt, in cuius Parochia ſunt, & hoc non ex commiſſione, ſed tanquam proprio. Secus eſſet, ſi non negotij gratia, profectus eſſet aliquis in aliud oppidum, vt Parocho illius confiteretur, tunc enim exiſtimo ex commiſſione proprij fieri debere.*

Quæ huic Gabr. Vaſqueſij, opponitur opinio, verior videri debet, vt etiam viſa eſt Baſil. Pont. de matr. lib. 5. cap. 9. num. 6. verba eius hæc ſunt. *Idem dicendum*, nempe peregrinum confiteri poſſe Parocho loci vbi eum verſari circa Paſcha accidit, *etſi quis animo ſolum confitendi illi Parocho, eo accedat, & à ſuo domicilij Parochia recedat, illi enim alteri licet confiteri, dum extra Parochiam ſuam eſt.* Hæc ille.

Argumentum præcipuum à Pontio, ad hanc propoſitionem confirmandam electum, hoc eſt. Quod ſuo quiſque iure vti, ſine vllius ſuſpicione culpæ valeat, ſed cuique Eugenij Papæ conceſſione, licet adhibere in Paſchate Parochum, qui loco præſidet ad quem diuertit, reconciliandi ſui gratia, in quo legi fraudem facere dolumque, cenſeri non debet, non magis quam qui ne matrimonij ſui conſcios cogantur habere teſtes, ac Parochum, eo proficiſcuntur, vbi Concilij legibus de adhibendis Parocho ac teſtibus ad fidem matrimonii, non viuitur, hi enim cum iure vtantur ſuo, vim legi facere non dicuntur, nec cum dolo contrahere, qui vitium habeat, aut connubialia pacta lædat, nullaque reddat, ac inania Henriq. lib. 11. cap. 3. nu. 8. Conedus q. 30. n. 64. maxime ſi ibi tanto tempore morentur, quantum acquirendæ Parœciæ eſt neceſſe, tunc enim ius eius, improba fide, ac per fraudem. aſſequuti eſſe dici nequeunt.

QVÆSTIO XX.

An Parochus debeat adminiſtrare ſacramenta toties quoties poſtulantur.

DIco primo, *In articulo mortis, eius periculo, & Paſchate, Parochum adminiſtrare debere ſub mortali per ſe, aut alium, Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuis Parochianis.* Quia ſi quando, vrget tum maxime præceptum de illis recipiendis: ergo & de dandis cum hæc ſint relatiua.

Deinde in re graui iuſtitia ſub mortali obligat, at Parochianus petendo Sacramentum illis temporibus, non tantum exigit quod ſuum eſt, ſed inſuper quod ei eſt à Parocho debitum ex iuſtitia, nec negandum ſine magno ſalutis animæque detrimento.

Dico ſecundo, *Extra hæc tempora, non videri mihi communiter mortale peccatum eſſe, hæc Sacramenta negare poſtulantibus.* Quia quæ illis hac negatione iniuria infertur, non eſt notabilis, cum nullum ſit præceptum extra hæc duo tempora, redeundi cum Deo in gratiam. Deinde eſt negatio Sacramenti, alio tempore quam Paſchæ, aut mortis, charitati tantum oppoſita in re leui: ergo venialis tantum. Poſſeuinus de admniſtrat. Sacram. cap. 5.

Contraria tamen opinio, quæ eſt Suarii, Valentiæ, Victoriæ, Vualdi, Toleti in eo eſt, vt hæc Sacramenta à Parochis negari non poſſe, ſine peccato mortali aſſerat. Quod ea teneantur adminiſtrare ex iuſtitia, cuius violatio eſſe nequit in re graui ſine culpa, eaque lethali, quare facit tantorum hominum authoritas vt exiſtimem, nunquam eam negationem in Parocho eſſe à magno veniali ſeiunctam, niſi aliqua cauſa, qualis eſt infirmitas, defatigatio, tẽpus conferendo Sacramento non idoneum, vt ſi ſub noctem conſcio nullo ſemotiſque arbitris, in templo mulier audiri vellet, quod enim talis pietas non opportuno tempore à ſexu muliebri ſuſcepta, ſuſpicionem creare poteſt ſiniſtræ cuiuſdam rei, maxime in plebe, vt plurimum parum bene affecta: erga Parochum, vitanda eſſet, ac in craſtinum reuicienda.

Dixi communiter nam ſi Sacramentum eſſet ad victoriam tentationis, qua quis premitur neceſſarium, eius copiam afflicto negare, eſſet pluſquam veniale in negante, quia lege tam charitatis, quam officij iuſtitiæque, impedire vitia Parochus debet, damnaque quæ ſubditis ſuis ex ignorantia rerum neceſſariarum ad ſalutem, aut defectu adminiſtrationis Sacramentorum obueniunt, Ludou. de Beia tom. 2. caſuum pag. 248. Ea ſane illum miniſtrare eſt neceſſe, quãdo eadẽ Parochianus debet ſub peccato ſuſcipere, at ſingulis mandatum eſt iure naturali, ac diuino in ea incumbere, cum illos premit culpæ admittendæ metus, quam putant vitare ſe non poſſe, ſine ſubſidio pœnitentiæ, Reginaldus tomo 2. l. 26. cap. 7. n. 60.

Quid ſi Parochus Sacramenta quidem dare non recuſet, ſed ſe difficilem, ſed aſperum ac moroſum præſtet?

Cum hæc difficultas in naturam tranſeat, veræ formæ negationis Sacramenti, ad idem culpæ genus pertinere eſt cenſenda, quale eſt ea negare, Poſſeuin. ſupra, quod ſi in Parocho præter laboris fugam nihil eſſet culpandum, vt accidit, cum officio fungi non renuit, nec ſe petentibus moroſum oſtendit, non facile eum maioris culpæ arguerem, quam venialis, contra caritatem, quam breuem admodum eſſe leuẽque, indicat eiuſdẽ Parochi in proximo adiuuando laboris fuga, & nihil aliud.

QVÆSTIO XXI.

Quibus ſub culpa mortali Sacramenta negare Parochus debeat.

Dico primò, *Parochum non poſſe acquieſcere indigno petenti Sacramentum.*

Primò conſentire alienæ culpæ culpa eſt, cum iuxta Paulum ad Rom. 1. *digni ſint morte non ſolum qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus,* quod Alexand. III. cap. 1. de officio delegati, & Nicolaus in can. notum cauſa 2. quæſt. 1. approbant, poſtremus quidem his verbis: *Facientem & conſentientem par pœna conſtringit,* at habet adminiſtratio Sacramenti indigno facta conſenſum in eius culpam, cum nemo ſit tàm parum cogitans quin intelligat, in eo ſtatu recipi à petente ſine crimine non poſſe.

Secundò, ad Sacramentorũ vsũ, admittere indignum eſt in re ſacra, Parochum præuaricari officio, abire à fidelitate quam Deo Principi, vt diſpenſator bonorum eius, & Oeconomus debet, quam enim eſt contra rationem vt qui diſpenſatoris & Oeconomi nomine gaudet, cœleſtes Dei opes, non tantum, nihil tale merentibus diſtribuat, ſed etiam eius hoſtibus.

Tertiò, cum ſit contra reuerentiam Sacramento debitam, eius copiam indigno facere, id ne accidat enitendum eſt Parocho ex charitate, propriaque muneris ſui ratione, ſi cum nomine Magiſtratum quem in Eccleſia obit, ſuſtinere cum laude appetit.

Dico ſecundò, *à Parocho, Sacramenta omnia furioſis, freneticis, aut amentibus à natiuitate, neganda eſſe præter baptiſmum*: Quia prærequirunt hæc in adulto qui illorum tenetur deſiderio rectam fidem, cum intẽtione ea recipiẽdi; dolorẽ etiã de peccatis, aliquẽ, hæc autem amentem, aut furioſum exequi poſſe omnia, quis putet? Maior probatur inuito prodeſſe, pœnitentia non poteſt, infideli autem & peccata ſua approbanti, quid confert confeſſio? & quanquam Sacramenta quæ characterem imprimunt, vt Baptiſmus, Confirmatio, Ordo vere conferantur, & valide, ſine fide, & pœnitentia eius cui dantur non tamen licite: vera eſt ergo Aſſertio,

Dixi præter Baptiſmum, nam ad eius effectum, qui eſt gratia, & peccati remiſſio, fides parentum, cum intentione miniſtri, ſufficit Innocent. III. teſtimonio in cap. maiores de Baptiſmo, vt enim ad contrahendum peccatum originis, ſatis fuit in nobis voluntas primi parentis, ita ad illud delendum ſatis erit applicatio remedij à Deo, & Eccleſia inſtituti in eum finem, facta per parentes pueri.

Dico tertiò, *Non poſſe Parochum ad ſacras epulas, vſurarium manifeſtum, nec quoſlibet alios peccatores publicos admittere*, niſi & ille ſatisfecerit publicè, iuxta conſtitutionem Lateranenſis Concil. vt refertur cap. 1. de vſuris in 6. & iſti clara dederint animi ſui mutati argumenta. Cauſa eſt quod à recto abhorreat ſacræ menſæ aſſidere homines vita moribuſque perditos.

Quid? quod Sacramenta ei neganda videantur qui eſt in ſtatu peccati, ſed peccatores publici ſtatum habent, ſunt enim concubinarius v. g. & vſurarius qui ſunt omnibus noti, eiuſmodi vt nunquam videantur eſſe ſine culpa, cum ſint in periculo perpetuo eius iterandæ, quod tamen non euitant vt debent, habent ergo in eo ſtatum.

Ab Aſſertione excipiendus eſt caſus mortis aut eius articuli, in quo peccatores publicos abſolui poſſe à quolibet, modò peccati eos ſui pœniteat, cum propoſito vitæ melioris in poſterum, ac condignæ ſatisfactionis, cõmunis eſt Doctorũ opinio.

Quid ſi peccatum poſcentis Euchariſtiam ſit occultum? quid ſi ſoli Parocho cognitum?

Si palam poſcat, ei neganda non videtur, Comitol. reſponſ. lib. 1. q. 44. num. 2. Ludou. de Beia par. 2. caſ. 32. huius opinionis ſunt hæc fundamenta præcipua.

Primum, quæ publice petuntur vt debita, hæc negari petenti nequeunt, ſine iuſta aliqua illa negandi cauſa, eaque cognita his, quorum in oculis

negatur, alioqui non ſine culpæ periculo, in eam mentem venire hi poſſent, vt crederent iniuriã poſtulanti fieri. Sed ad Sacramenta ius Chriſtianis omnibus competit: ergo niſi cauſam, eamque manifeſtam Parochus habeat, ea negandi poſcentibus, hæc illis vitare ſi volet iniuriam, non negabit.

Secundum, nemo indicta cauſa, ac non auditus re ſua ſpoliari debet, aut iure, ad eius poſſeſſionẽ vsũque. Iam quæro vbi hic cauſam dixit, qui Euchariſtiam petit? quo in tribunali nocens audiit, quis, & quando, contra eum teſtes produxit? & tamen ius ei communionis adimitur, quod ea per confeſſionem iudicetur ob culpam aliquam ſuam indignus, quo nihil eſſe poteſt iniquius.

Primò, quia habet hæc actio tacitam admiſſorum exprobrationem ac cenſuram.

Secundò, certum tum confeſſionis ingenerat odium.

Tertiò eſt quoque formæ oppoſita, quæ à iudicibus ſeruari in foro ſolet, nam cauſam in eo iudicio oportet eſſe cognitam, in quo ius petitur, & dicitur, ſed qui ſibi Euchariſtiam in animæ ſuæ nutrimentum poſtulat, ius ſibi à Parocho fieri poſtulat in exteriori foro, in quo, ius ad Sacramenta habet: quo tamen in foro non eſt culpa cognita, ob quam ei ille Euchariſtiam negandam putat, eſt hæc ergo negatio cum eius cui negatur coniuncta iniuria. Enimuero cum quæ confeſſione à pœnitente explicantur Parocho, ei vt miniſtro Chriſti, ac vices eius agenti in conſcientiæ tribunali exponantur, iniquè ſanè hic, & non niſi improbe facit, cum quæ æterno ſepulta eſſe ſilentio conuenit, foras aliquo modo effert, operando ex eorum notitia extra iudicialiter vt aiunt, quare concludendum cum Auguſt in hom. 50. de pœnitentia, à communione prohiberi poſſe neminem: *Niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo, ſine ſeculari, ſiue Eccleſiaſtico iudicio nominatum atque convictum.*

QVÆSTIO XXI.

An Parochus ſibi ſine conſenſu Epiſcopi ſubſtituere poſsit vicarium, qui ſuorum confeſsiones audiat & ſacramenta adminiſtret.

SVppono primò, confeſſionem obeundam eſſe proprio Sacerdoti aut alteri de eius licentia vt dicitur in cap. *omnis vtriuſque de pœnitentijs*, cuius rei eſt hæc cauſa, quod ad abſoluendum requiratur iuriſdictio, cum abſolutio inſtar ſit actus iudicialis, quo à ſacerdote vt iudice, pro reo, aut cõtra pronunciatur ſententia, Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. at præterquam proprio Sacerdoti, aut alteri de eius voluntate, ius pœnitenti dicere in tribunali ſacro conſcientiæ nulli licet ob defectum iuriſdictionis in illum.

Suppono ſecundò, facultatem hanc poſſe à Sacerdote proprio tranſmitti in alium, nam ab Epiſcopo & Parochis datur Sacerdoti ſimplici approbato tamen, committi etiam ſolet Mendicantibus à Romano Pontifice, de quo eſt in Clementina de ſepulturis & in extrauaganti Ioan. 22. quæ incipit vas electionis, quibus præmiſſis.

Dico primò, *in audiendis confeſsionibus Parochum ſubſtituere ſibi nullum poſſe, quem ante non approbarit Ordinarius*, ſit nobis loco argumentorum omnium Concilii authoritas ſeſſione 23. ca. 15. in hæc verba, *decernit ſancta ſynodus nullum etiam regularem poſſe confeſsiones ſæcularium etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur obtinuerit.* Quare confeſſio facta alteri quam approbato niſi in extrema neceſſitate qualis eſt articuli mortis aut eius periculi in conſcientia eſt nulla: Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 19. de facultate eligendi confeſſorem aſſertione 1. num. 243. Vt autem adhiberi quis ad confeſſiones excipiendas valeat, ſufficit eum ſemel eſſe approbatum, fuiſſe in ea diœceſi vbi ijs dat operam aut alia, de Coninch. tract. de confeſſione Filliucius loco citato num. 261. ratio eſt quod approbatio fiat de capacitate approbati ad ſacrum hoc confeſſionum miniſterium per modum iudicij. At hoc eſt vniuerſale, & reſpectu cuiuſlibet loci & prouinciæ, ergo &c. ſed de ea re nos antea pluribus.

Dico ſecundò, *poſſe Parochum iure communi ſine licentia Epiſcopi, dicere ſibi vicarium ex Sacerdotibus vnum aliquem, ad adminiſtranda vnum aut omnia Sacramenta.* De Graphijs l. 1. deciſionum cap. 13. nu. 11. & in appendice l. 1. cap. 11. num. 21. Filliucius tract. 7. cap. 9. q. 1. n. 228. antequam probatur.

Notandum 1. Parocho ſæpe iuſtas eſſe cauſas recedendi ad tempus à beneficio ſuo, ideoque ei concedi à Trid. bimeſtre, quam ad rem nulla ei & proprij ſui Epiſcopi facultas eſt neceſſaria.

Notandum 2. eſſe prudentiæ non tantum, ſed & iuſtitiæ in Parocho, aduerſus Eccleſiam ſuam, eam interim dum abeſt committere viro idoneo, qui eius curam ſuſcipiat quod Epiſcopis commendat Concilium ſeſſione 24. cap. 1. ne ex ipſorum abſentia concreditæ illis oues damnum capiant, hinc enim ſic argumentari licet, ſi non poteſt Parochus in nullo caſu, Epiſcopo ſuo inconſulto, vices ſuas ac Parochiam ad tempus alteri committere, aut abeſſe nunquam poterit, quod eſt contra Concilium, aut ſi abſit, ei ſine paſtore relinquendæ erunt oues propriæ, quod in Epiſcopo Concilium arguit ac conſequenter in Parocho, alterutrum autem ſequi patet, nam & Epiſcopus domi ſuæ, raro reſidet, & ſi ſemper reſidere eum contingeret, tamen ob Parochiæ ab ea diſtantiam. Sæpe conueniri non poteſt, ergo ſi Epiſcopi venia, expectanda eſt Parocho ad conſtituendum vicarium, aut hic nunquam domo recedere poterit, aut ſi recedat nullus erit interim qui Parochiam cum poteſtate reget: Dixi iure communi, vt indicarem Parocho cuique, ſequendam eſſe prouinciæ ſuæ conſuetudinem, Epiſcopi voluntate introductam prohibẽtis Parochis, ne vllum ſibi vicarium niſi conſenſu ſuo ac facultate, in cura animarum ſubrogent.

Dico 3. *poſſe Parochum ſine ſui ſuperioris, id eſt Epiſcopi licentia, ſacerdotem modo approbatum in aliqua diœceſi à ſuo ordinario, ſibi in ſubſidium paſtoralis curæ aſſumere, vt ad audiendas confeſsiones in quadrageſima, miniſtrandam Euchariſtiam in Paſchate.*

Argumentum eſto 1. quod cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentijs & remiſſionibus ſignificetur, præcepto Eccleſiaſtico de confeſſione annua ſatisfieri, cum ad eam audiẽdam adhibetur Sacerdos proprius, id eſt, Parochus aut alius de eius licentia, ſupponit ergo canon à Parocho aſſumi poſſe, qui illum in hoc negotio adiuuet.

Secundò, excommunicantur Religioſi ſacramentum extremæ vnctionis aut Euchariſtiæ mini-

ſtrantes, *Quemadmodum & quilibet Presbyteri, excommunicatos à canone præterquam in caſibus à iure expreſsis abſoluere præſumentes, à pœna & culpa non obtenta ſuper his* (verba ſunt Clem. 5. in Concil. Viennenſi, quæ relata ſunt à Bonifac. in Clem. 1. de priuilegijs,) *non obtenta*, inquam, *ſuper his Parochialis Presbyteri licentia ſpecialis*, hanc ergo dare iſte poteſt, ergo & leuandæ prouinciæ ſuæ cauſa, idoneos ac capaces in communionem ſui miniſterij aſſumere, vera ergo eſt aſſertio.

QVÆSTIO XXIII.

Quem modum tenere Parochum oporteat in abſolutione manifeſti vſurarij.

PRiuſquam eum de peccatis ſuis Parochus abſoluat, exigere ab eo debet vt vſuras, his quibus iniuriam intulit reſtituat, ſi per tempus reique familiaris anguſtias ei eſt integrum, ſin minus, habere debet qui ſuo nomine facturum ſe recipiat, de quo, eſt his verbis perſcripta Gregor. IX. Sanctio in cap. quanquam 2. de vſuris in 6. *Nullus manifeſtorum vſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſiue ipſos abſoluat, niſi de vſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent idoneam cautionem.* Quid? ſi mors inſtet, quid ſi vſurarius agit animam, proque certo habet, contracta à ſe nomina expungere, ſi ſanus fiat?

Si tunc poteſt, ſi tunc habet vnde ea expleat, tollatque, abſolui non debet niſi prius ſibi, læſiſque ſatisfecerit, Greg. IX. in decret. quanquam citata. Si reſtituendi copiæ non ſuppetunt, Curatus, (Poſſeuini ſunt verba cap. 7. de Offic. Curati nu. 95.) *faciat ſibi promittere quod reſtituet, & faciat ſibi dare licentiam renelandi factum Epiſcopo.*

Greg. in decret. proxime citata viſũ eſt ſatis eſſe, ad abſolutionem prædicto vſurario nõ negandam, ſi cautionem det Ordinario, eius Vicario, aut Parocho idoneam coram fide dignis de Parœcia, aut Notario publico, cuius erit hæc cautio vt in tabulis quas ea de re manu tam ſua quam debitoris obſignatas exarabit, exprimat ſummam debitam ſi eſt hæc certa, ſin minus, quam creditor qui ſe læſum queritur deberi ſibi aſſerit, quod ſi ob inopiam ſatisfacere tunc non poſſit, aut deſtitutus ab amicis, non habeat qui creditores ſecuros reddat de prædictis debitis, ſatisfacturum ſe iurabit, vbi primum per fortunas licuerit, Sylu. vſura 9. qu. 18. Nau. Euch. 17. n. 279. & tunc abſolui debet cum conditione, ſi poſſum & indiges. Poſſeuin. loco cit.

Nec id modo ſeruandum in reconciliatione vſurarij, ſed excommunicati etiam notorij, incendiarij publici, maximè (ſi ſunt denũciati ambo) mutilatoris, manifeſti raptoris, & violatoris Eccleſiæ, his enim omnibus ueganda eſt abſolutio, etiam in mortis articulo, niſi ſcripto publico manu Notarij exarato, ac ſignato tam eius quam teſtium manu, ſancte ſpondeant ſi poſſunt, excommunicatus quidem, fore ſe morigerum Eccleſiæ in poſterum, cæteri autem, damna ſe reparaturos omnia, quæ à ſe ſunt innocentibus illata.

Dixi in mortis articulo, nam alio tẽpore cum eſt excõmunicatio omnibus nota, excõmunicatus ad Superiorẽ remitti debet abſolutionis gratia, aut ſi eũ adire renuit, conueniendus eſt à Confeſſario pro obtinenda abſoluendi licentia, quam ille nõ annuet niſi conditione adiecta, de exigendo iureiurando à pœnitente, quod mandata abſoluentis faciet, quæ in eo ſunt tota, vt de cætero his ſibi abſtinendum ſciat, per quæ excommunicari meruit.

QVÆSTIO XXIV.

An omnibus Parochis & Paræcijs adiuncta ſit obligatio ſuſcipiendi presbyterij intra annum.

NEquaquã: ab ea lege ſunt hi primo eximendi quibus per peſtem aut belium Parochiani nulli ſunt reliqui. Ratio eſt, quod ceſſante cauſa ceſſet effectus cap. cum ceſſante 60. de appellationibus lege quod dictum ff. de pactis, ſed Parocho per canonem præcipitur ideo, vt intra annum de Sacerdotio recipiendo conſilia agitet, vt alienam ſalutem procuret vtilius, Deique gloriam in ſubditis promoueat maiori fructu, qui finis hic ceſſat, nam Parochia incolis vacua, de quorum ſalute ſollicitus eſſe poteſt Parochus: ergo nulla ei tum eſt neceſſitas ſuſcipiendi preſbyterij.

Nulla item 2. cum Parœcia præbendæ eſt vel ſimplici beneficio vnita, quod fieri poſſe indicat Innoc. in decretali extirpãda 30. parag. qui vero de præbendis. Ratio eſt, quod acceſſorium principalis ſui naturam ſequi ſoleat, lege cum principalis ff. de reg. iuris, at cũ præbendæ vnita eſt Parœcia, illa, pars eſt vniti præcipua, quæ tamen ſui poſſeſſorem Sacerdotem fieri, intra annum non exigit, vt facta eidem collatio ſit rata ac valida.

Tertiò, nec neceſſe eſt Parochum Sacerdotem fieri tempore præſtituto per Canones, cum de conſenſu Epiſcopi, ſtudiorum cauſa abeſt à Paroecia, verſaturque in Academia occupatus literis, Ioan. de Selua tract. de beneficiis 3. parte quæſt. 52. quod cum accidit, tenetur intra annum à beneficio Paroeciali habito, Subdiaconus fieri, alioqui vacabit Paroecia, exacto anno, per non promotionem Parochi ad ordinem Sacerdotij, Anchaianus conſ. 293. Leſſius & alij.

Quid ſi primo anno fructus nullos, aut paucos poſſeſſori ſuo ſuppeditatura eſt Parœcia vt tempore deportus?

Reſpondendum, eam ob rem canonicæ vim legis de recipiendo intra annum Sacerdotio, non ceſſare.

Primo, quia nec Gregor. X. in cap. licet canon nec Lateran. Concil. in cap. cum cunctis 7. extra de elect. vllum à lege Parochis per ſe impoſita, exemptum voluere.

Secundo, quia deportus non impedit, quo minus Parochiæ, cuius redditibus non Parochus gaudet, poſſeſſor ſit pacificus.

Tertio, quia finito deportu, Parocho incumbendum eſt in ſalutem animarum, quod facere fructuosè non poteſt, niſi Presbyter.

QVÆSTIO XXV.

An Parochus Patrinos alios ad leuandum puerum de fonte baptiſmi adhibere poſsit quam qui deſignati ſunt à parentibus.

ASſertio vnica, *Peccat Parochus qui puero patrinum alium ab eo adhibet, quemes parentes, aut propinqui eſſe voluere.*

Probatur, ex electione patrini, voluntati parentum contraria fit iis iniuria, nam non poteſt, iis non eſſe probroſum, quod homo ignotus, ac conditione ſibi ſæpe diſpar, & inæqualis, forte etiam odioſus ac grauis, eorum ſit compater, pater autem in Chriſto Filij ſui.

Secundò, ſi eſt hæc per Parochũ patrini deſignatio, contra Concilium, charitatem & iuſtitiam in re graui, grauem quoque culpam habitura videtur, at horum nihil ei deeſt: ergo cum culpa Parochi graui eſt coniuncta. Maior eſt certa, minor probatur, & quidem quod ſtandum in ea re ſit parentum voluntati dicitur ſeſſione 24. Trid. Conc. cap. 1. de reformatione. Quod autem repugnet charitati atque iuſtitiæ oſtenditur; charitati quidem, quia amore ſe mutuo proſequi, ſuaque ſecum communicare compatres debent, quod fieri non poteſt in voluntatum ac animorum repugnantia, inter ſe tanta, quantam intercedere neceſſe eſt inter ignotos, ſibique forte inuiſos ſaltem ex parte parentum, qui queri poſſunt ſe læſos ac neglectione tam ſui, quam deſignationis à ſe factæ, contemptos eſſe.

Iuſtitiæ vero, quia eſt contra ius, compaternitatem contrahi ab inuitis, cum ſit quædam obligatio, eaque ſpiritalis, vt dicetur de matrimonio, quæ citra legem ſuperioris, non cadit niſi in volentes.

Contraria tamen ſententia eſt probabilis, quia in pœnis pars mitior eſt amplectenda, vt dicitur regula in pœnis de regul. iuris in 6. at culpa, ſpiritalis quædam eſt pœna, iuxta D. Auguſt. Confeſſionum lib. 1. cap. 22. *Domine ita eſt, vt pœna ſibi ſit omnis inordinatus animus*: At eſt longe ſuauius venialiter tantum peccare aliquem, quam mortaliter: ergo culpa Parochi in patrinorum deſignatione contra parentum voluntatem, veniali maior non eſt futura.

Secundo, decretum Concilij pœnale eſt, cum Ordinarij arbitrio Parochum ſtatuat puniendum eſſe qui ſecus fecerit quam parentes iuſſerint, at lex pœnalis ad culpam non obligat, cum pœnæ expreſſio, communiter ſit culpæ excluſio.

QVÆSTIO XXVI.

De officio Parochi circa matrimonium.

PRimo omnium, publice, id eſt in cœtu populi qualem habet Eccleſia Feſtis diebus, denunciare matrimonium debet, id eſt eius contrahendi à viro, & fœmina, ſuſcepta conſilia, quoties autem, & quam ſæpe? tribus Feſtis diebus, aliquot dierum interuallo inter ſe diſtinctis. At vbi vero? in templo. Quod inter Miſſarum ſolemnia, vel inter concionandum, niſi ordinarius ipſe, iuſtis de cauſis expedire iudicauerit, vt vna tantum denunciatio fiat, vel ex toto prædictæ denunciationes remittantur, quod ipſius iudicio & prudentiæ S. Tridentina Synodus relinquit. Denunciationibus non præmiſſis aliquos inter ſe coniungere, in Parochis eſt mortale, quia in re graui agit contra laudatiſſimum morem Eccleſiæ, à Lateran. Concilio inductum, atque à ſacra Trid. Synodo approbatum.

Secundò, cum vterque contrahentium, aut eorum alter peregrinus eſt, vagus aut alienigena eorum coniunctioni intereſſe Parochus non poteſt, niſi re prius delata ad Ordinarium, ab eoque accepta, ad hanc rem licentia, Trident. ſeſſ. 24. cap. 7. qui quoad eius fieri poterit dabit operam vt intelligat à ſcientibus, ecquid ſoluti ſint, an mariti, ſecus facere eſt peccare mortaliter Victorellus cap. 10. commentarij in cap. 10. Poſſeuini de matrimonio.

Primo, quia hoc eſt diſcedere à præcepto Eccleſiæ in re graui & quam ad animæ bonum ſalutemque ſeruari eſt neceſſe.

Secundo, ex pœna eiuſque qualitate, ratio eſt, æſtimanda culpæ, cum inter eas ſimilitudo intercedere debeat, iuxta Chriſti dictum in Apocalypſi: *Quantum fuit in deliciis tantum date illi & tormentum*, ſed Parochus, qui ſe matrimonio vagorũ præſentem ſiſtit, non præmiſſa diligentia, qualem requiri diximus, nec accepta facultate ab ordinario eos coniungendi triennio ſuſpendi à diuinis vſuque officij ſui præcipitur, cap. finali de clandeſtina deſponſatione, quam eſt ergo veriſimile non parere Eccleſiæ in hac materia in Parocho mortale eſſe?

Valet tamen matrimonium iſtiuſmodi hominum, qui ſtabilem nullam ſedem habent, contractum coram Parocho & teſtibus, non petita hac licentia ab Ordinario, nec diligentia ab eo vel Parocho præmiſſa ſuper eorum conditionibus.

Primo, quia Concilium ad validitatem matrimonij, aliud non exigit quam præſentiam Parochi & duorum teſtium, Trident. ſeſſ. 24. cap. 1.

Secundo, diligentia quæ eſt futuro vagorum matrimonio præmittenda, vt Parocho conſtet, ecquid poſſit fieri, hique coniungi, non magis eſt matrimonio eſſentialis ac intrinſeca, quam denunciationes trinæ, reſpectu indigenarum cum harum, & illius diligentiæ, idem ſit finis, nempe cognoſcere, an inter virum & fœminam ſtare poſſit matrimonium, ſed ſine his, firmum eſt quorumlibet coniugium: ergo & ſine diligentia præmiſſa, aut præmittenda, vagorum matrimonium validum erit ac ratum.

Sunt autem vagi qui priori domicilio relicto, iter habent, quærunt que, vbi domicilij ſui ſedem figant, & eorum quandiu ſunt tales, Confeſſiones excipere, matrimoniis intereſſe, inquiſitione præmiſſa quam diximus cum Ordinarij licentia, quicunque Parochus poteſt, etiamſi primum domicilium in fraudem Parochi deſeruiſſent, Victorellus in cap. 10. commentarij ad Poſſeuini Curatum n. 37. quod etiam valere, ait in eo qui priori Parœcia relicta aliam quærit, & in aliqua vrbis parte ad breue tempus hoſpes verſatur, nam hunc coram quocunque illius vrbis Parocho, matrimonium inire poſſe aſſerit, cum ratione Parochiarum. Sit vagus, quæ eſt etiam ſententia Sanchez 3. de matrimonio diſp. 25.

Tertio, laborandum eſt Parocho, vt matrimonium fiat in facie Eccleſiæ & quidem ſponſæ: Parochia, locus eſt, quo vir & mulier, contrahendi cauſa communiter conuenire debent, ſua tamen matrimonio vis non deeſt, ſi contraha-

tur alibi, vt in ſponſi Parœcia, aut priuata aliqua A domo, quod tamen (maxime vltimum) niſi ex iuſta cauſa, ac permittente Epiſcopo, fieri auctor non eſſem, ob contrariam conſuetudinem. Ad horam contrahendis matrimoniis idoneam quod ſpectat. Dicendum eſt, ea celebranda vulgo non eſſe, niſi antemeridiana, cauſa eſt quod iis intereſſe Parochum, illaque benedicere, ſit Concil. decreto neceſſe, at communiter non niſi in ſacro Miſſæ ſacrificio impertiri debet benedictio, ergo cum eius celebrandi tempus proprium, ſit antemeridianum, ordinariè alio ſine iuſta cauſa celebrari matrimonium non poterit.

Quarto, non debet aſſiſtere matrimonio cũ fit ſolẽniter tempore prohibito per Eccleſiam, niſi eius B celebrandi poteſtatem ab Ordinario, vir & fœmina nacti fuerint, etſi enim matrimonium poſſit valide quouis tempore contrahi, benedictio tamen cum nuptiarum ſolemnitatibus dari nequit, ab Aduentu Domini vſque ad diem Epiphaniæ, 33. q. 4. can. non oportet, & à Feria 4. cinerum excluſiuè vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè, extra de Feriis, cap. Capellanus, Trident. ſeſſ. 24. cap. 10.

Dixi, *ſolemniter*, nam illis etiam temporibus non eſt malum inire matrimonium, modo ne cum pompa traducatur ſponſa in ædes viri, vocenturque ad epularum celebritatem amici, & propinqui, Sylu. matrim. 7. qu. 2. notabili 5. quanquam in quibus locis tacita ſponſæ traductio, ab Epiſcopo C eſt prohibita, ab ea quoque abſtinendum erit, nec vſurpanda ſine eius conſenſu, quemadmodum nec matrimonij celebratio in Eccleſia ſpectante populo. Poſſeuinus cap. 10. de matrim. nam ſecundum Concilij Trident. interpretationem, illis temporibus, quæ proximè diximus, ſtatæ publicarum nuptiarum cæremoniæ, conuiuia, ludi, ſaltus choreæ, viri, vxoriſque coniunctio ſolemnis, aliaque id genus interdicuntur: ſimplex tamen vt eſt dictum, matrimonij contractus, ac ſponſio non tollitur.

Quinto, ad officium Parochi pertinet, ſponſum ac ſponſam priuſquam ſolemni matrimonio coniungantur adhortari ſedulo, vt ad diuinam gratiam conſequendam peccata ſua confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè ac religioſe accedant.

Sexto, quoniam ſunt qui fide matrimonij futuri vix data, antequam tribus diebus feſtis nuptiæ promulgentur, coramque Sacerdote & teſtibus coniungantur, fœdo ſele concubitu contaminant, meminerint Parochi, ſponſum & ſponſam monere, prohiberi iis à Concilio ne eadem in domo, priuſquam publici coniugij ſocietate in templo iuncti fuerint, cohabitent, concubitum autem qui illud anteit, non matrimonij iure, ac dignitate, ſed ſtupri labe ac flagitio niti.

Poſtremo cum ſponſus & ſponſa ad templum venerint, debet Parochus, ſtola collo inſerta, pro foribus templi, aut pro ara, (ſi tunc res diuina fiat, aut iam facta ſit) conſiſtere, & de vtroque ſcire, an E ſe mutuo in vxorem & virum adiungere animum induxerint, reſpondentium id vero ſe velle, dexteras iunget, annuloque tradito inuicem, quid vtrumque ſignificat aperiet, ſicq; eos copulabit his verbis aut ſimilibus: *Ego Vos in matrimonium coniungo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

QVÆSTIO XXVII.

An teneatur Parochus detegere impedimentum Matrimonij aliter ſibi cognitum quàm per Confeſſionem.

CVm Parocho de impedimento matrimonij inter virum & fœminam conſtare poſſit.

Primo, ſcientia ſacra, qualis eſt per confeſſionem habita.

Secundo, profana & vulgari, cuiuſmodi eſt acB quiſita communi fama, aut aliter, quæſtio de vtraque poteſt intelligi, petique, an impedimentum matrimonij altero de his duobus modis, aut vtroque cognitum, poſſit Saderdos Epiſcopo detegere vt eius authoritate non fiat, contra iura canonum aut Dei. Rẽ expediam ſequentibns Aſſertionibus.

Prima Aſſertio, *Si eſt impedimentum ſic occultum, vt probari nequeat, & tamen publice vir & fœmina matrimonij faciendi cauſa ſe offerant, Parochus ei confirmando ſuam commodare debet præſentiam.*

Primo, quia Sacramenta non ſunt neganda occulto peccatori, publice ea petenti, ne eorum negatio famam eius lædat.

Secundo, detegendi vitij inter coniuges, finis non eſt alius quam moram eorum coniugio facere, C at hic ceſſat cum ſoli Parocho tale impedimentum eſt cognitum, cum enim teſtis vnus communiter habeatur pro nullo, ei fides nulla habebitur, ſi non habebitur matrimonium fiet non ſecus, & forte calumniator audiet, cui periculo teneri Parochum exponere ſe alterius cauſa, quis putet?

Contraria tamen ſententia eſt omnium fere Doctorum, ſed noſtra eſt probabilis & tuta.

Secunda Aſſertio, *Si tamen exiſtimet Parochus impedimentum cuius eſt conſcius, alteri quoque eſſe cognitum, aut certe neſcit ſibi ſoli eſſe notum, tenetur in conſcientia de illo Ordinarium certiorem facere.*

Primo, quia parendum eſt præcepto Eccleſiæ, cum non ſcitur, an aliqua iuſta ſit cauſa, quæ ab eius obſeruatione eximat: facit enim poſſeſſio pro D mandato, quæ non poſſeſſioni præualet, iuxta axioma iuris, poſſidentis quam non poſſidentis, conditionem potiorem eſſe.

Secundo, præ cæteris incumbit Parocho ratione muneris quod obit in Dei Eccleſia, peccatis occurrere, ne fiant, cũ ad eum pertineat omni qua poteſt ope, ſuorũ ſalutem prouehere, ſcire iam vero aueo an qui volutari aliquem in ſordibus patitur, à quibus cũ facilitate mirabili cũ volet, educere poteſt, eius ſalutem gloriamque amet? ne ergo proditi officij, ne neglectarum ouium crimine notetur Parochus, vitia quæ virum inter, & fœminam valere poſſe connubium prohibent, ei aperiet cuius eſt pro auctoritate impedire, ne vitæ & fortunarum ſocietatem, inuicem eius incapaces coeant.

Secus tamen ſi ſuperiori placeret, ſi matrimonium contrahi eique Parochum à quo admonetur de impedimento, intereſſe vellet, audiendus eſſet, motaque omni poſtpoſita eius imperio parendum.

Primo, quia diſcutere, an bene, vel ſecus ſuperior iubeat, noſtrum nõ eſt quibus obſequi eſt in laude.

Secundo, poteſt Parochus iudicium alienum ſuo præponere.

Tertio, deponere ſententiam, vt ſequatur probabilem ſuperioris.

Quarto, in opinione tuta, D. Thom. 2-2, licet

magiſtratui, tam Eccleſiaſtico quam ciuili quo nomine gaudet Parochus contra conſcientiam iudicare ſecundum allegata & probata.

Tertia Aſſertio, *Si eſt impedimentum Parocho tantum per confeſſionem directe, vel indirecte cognitum, nempe quia inter confitendum pœnitenti aliquid excidit, vnde Parochus intelligit, ei per leges Eccleſiæ, fas non eſſe contrahere cum fœmina, quam ſibi in coniugem deſtinat, nec Ordinario illud detegere, nec eius cauſa, præſentiam ſuam iis negare poteſt.*

Pars prima probatur, audita in ſacro tribunali conſcientiæ æterno obuoluenda ſunt ſilentio, cum mori millies præſtet, quam ſigillo confeſſionis vim facere.

De ſcientia autem indirecta quæ fuit Aſſertionis pars altera, res eſt ſimiliter euidens. Nam vti ſcientia per confeſſionem habita, res eſt lege canonica prohibita, at quod conſtet Parocho virum & fœminam impeditos eſſe, id confeſſioni debet, vt in hypotheſi ponitur, cuius tamen notitia vtitur, vt eos ſtabili & ſperato inter ſe matrimonio copulari prohibeat.

De maiore ambigere nefas intelligenti quid ſuper ea re ſcriptum poſteritati reliquerit an. 1594. Clemens VIII. *Vult enim tam ſuperiores pro tempore exiſtentes quam Confeſſarios, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti cauere diligentiſſime, ne ea notitia, quam de alienis peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.*

Secundo, eſt id vitandum tam Parocho quam Confeſſariis, quo vſus confeſſionis tollitur, aut grauior redditur quam oportet, ſed talis eſt vſus notitiæ per confeſſionem habitæ, cum pauci ſint admodum futuri qui ad confeſſionem appellant animum, ſi eam fore ſibi noxiam metuant.

QVÆSTIO XXVIII.

An Parochus cui cognitum eſt impedimentum, quod ex ignorantia craſſa, vir & fœmina contracturi neſciunt, teneatur ſub peccato de illo eos certiores facere, ac à contrahendo dehortari.

Dico primo, *Cum vir & fœmina laborant ignorantia vincibili & craſſa impedimenti matrimonij, teneri Parochum eos in confeſſione de illo certiores facere, etſi norit probabiliter non modo nihil ſe promoturum ſed & ſequuturum aliquod pœnitentis vel aliorum ſcandalum.*

Probatur conferre Sacramentum ei quem certo conſtat eſſe in peccato mortali, nunquam eſt vlla lege licitum, ſed qui confitetur cum ignorantia vincibili rei quã tenetur fugere ſub mortali, eſt in ſtatu peccati letiferi, cum in ignorantia illa ſua culpabili, implicite malitia peccati ex illa ſecuturi cenſeatur eſſe volita: ergo Sacramenti per abſolutionem collatio laboranti tali ignorantia vincibili, non eſt danda.

Dices Multorum opinone non eſt dedocendus pœnitens erroris ſui, cum eius ignorantia eſt probabilis, nec ille modũ imprudẽtiæ ſuę eſt facturus: ſed qui confitetur cum impedimento, cuius habet ignorationem improbabilem, forte matrimonium nihilo ſecius contrahet, quam ſi de impedimento non fuiſſet monitus, de eo ergo admoneri à Parocho non eſt conſultum, ne hæc eius caritas vertat in innoxam.

A Reſpondendum, vt eſt incertum Parocho vtrum vir & fœmina ei ſint futuri in vitãdo tali matrimonio, morigeri ita & contrarium, proindeque ſecuritati tam ſuæ quam illorum conſulere debere, & ita de impedimento futuri ſui matrimonij admonendos videri.

Dico ſecundo, *Parochum cui compertum eſt virum & mulierem contrahere velle cum impedimento iuris naturalis aut diuini, puta quia vir pater eſt fœminæ, aut hæc eſt alteri iuncta matrimonio, de quo ambo habent ignorantiam inuincibilem, obligari eos admonere de tali impedimento. ſi ipſe ſit profectus, nec eſt metus vllus ſcandali, aut detrimenti futuri, quod redundaturum ſit in tertium.*

B Cauſa eſt 1. quod Parocho, vt Paſtori, ac Patri ſpirituali incũbat, vt Parochianos inſtruere, monere, hortari ad virtutem, ita & à culpis abducere: præuaricatur ergo officio ſi turpi ſilentio eos in peccatis hærere ſinat, hoc enim eſt ea authoritate ſua approbare ac tegere, quod non debet. Eſt hæc tamen intelligenda Aſſertio, in caſu quo diſpenſationis cauſa facilis eſt in vrbem tranſitus, nec interim periculum timetur incontinentiæ, dum illa Romam mittitur, nam cum hæc abſunt, aut eorum alterum, præſtat tacere. Quia vt dicitur can. ſi quis autem 4. de pœnitentia diſt. 7. dare, nec monere expedit, cum monitio reique præſtatio non proſunt.

Secundo, quia ibi non eſt adhibenda oratio vbi dicenti audientium occluſæ ſunt aures, iuxta illud C *ne effundas ſermonem vbi nõ eſt auditus*, quod ſi ſunt hæc vera de ignorantia inuincibili tam iuris quam facti eorum, quæ ad ius naturale aut diuinum ſpectant, multo magis ſunt intelligenda de ignorantia iuris etiam Eccleſiaſtici, quam tollere Confeſſarius aut Parochus non tenentur, cum ſpes nulla eſt ſecuturi fructus, timetur autem ſcandalum alterutrius, vel ſi obtinetur diſpenſatio, cauſa metuendi eſt, ne denuo eorum alter conſentire nolit, cauſa eſt quod ſit non tantum prudentiæ ſed etiam charitatis nullam occaſionem peccandi alteri dare, can. de viduis, 27. q. 1. ſed hunc in fraudem impellit eique peccandi cauſam tribuit, qui non paratum parere Eccleſiæ, ob animi male affecti prauam in- D dolem, de re quam ſine culpa ob bonam ſuam fidẽ molitur admonet, ergo ſic diſpoſitum Parochus nulla lege admonere tenetur.

QVÆSTIO XXIX.

An teneatur Parochus populum è ſuperiori loco per ſe aut alium inſtituere & qua lege.

Aſſertio vnica, *iure tam naturali quam diuino tenetur Parochus, concionibus per ſe aut alium operam dare*, Naturali quidem, quia recta ratio ſingulos admonet, id agere pro quo ſtata, ac iuſta præmia habent, eiuſmodi eſt in Parocho prouincia concionandi populo, cum hic eum alat, vt ſibi neceſſaria ad ſalutem ſuppeditet, quorum de numero conciones eſſe quis ambigit?

De diuino nemo negare poteſt, ecquid enim animus paſcitur ſalutari Dei verbo, vt corpus cibo? Math. 3. *non in ſolo pane viuit homo ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, at quod Petro eſt dictum Ioan. vltimo, *paſce oues meas*, hoc Epiſcopis, & Parochis imperatum eſt ab Apoſtolo, *paſcite qui in vobis eſt gregem Chriſti*. Quare in eum

sensum hæc verba vsurpauere patres in Trid. sess. 23. c. 1. *cũ præcepto diuino mandatũ sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oues suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere.*

Vt iam mihi magnopere necessarium non videatur laborare in probando, id quoque lege Ecclesiastica Parocho curandum esse, nam quis existimet id à Papa, & Episcopis, in causa communi populi, non esse mandatum Parochis, quo, vt istorum cum charitate dignitas, ita & publica contineturincolumitas?

Atque vt ab antiquioribus Concilijs ordiar, est de hoc munere Parochorum in can. 10. Arelatensis Cõc. sub Carolo Magno his verbis, *de prædicatione prouidimus, pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi, vt non tantum in omnibus ciuitatibus, sed etiam Parochijs, presbyteri ad populum verbum faciant, & vt bene viuere studeant, & populo sibi commisso prædicare, non negligant*, quod ijs quoque inculcatum est in Moguntino sub eodẽ principe can. 27. & recẽti memoria in Trid. sess. 5. cap. 2. *pascant populum salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, &c.* sess. autem 24. cap. 7. *exponant sacra eloquia & in lege domini populum erudire studeant*, ex quibus id conficitur, omni iure, quod initio est dictum munus hoc concionandi vtile, Parochis præceptum esse.

Quod tamen obire per alios possunt. Nicolai I. testimonio cap. 106. responsionum ad consulta Bulgarorum, *nec enim curamus*, inquit, *quantum ad fidem rectam pertinet qui prædicent sed quem prædicent*, quo nihil ad quæstionis propositæ fidem dici poterat apertius. Nec minus pro veritate huius sententiæ faciunt Concilia quã Pontifices Vasense secundum can. 2. Romanum 1. sub Greg. 1. can. 1. Moguntinum sub Carolo magno can. 25. *de officio prædicationis*, inquiunt ibi Patres, *si forte Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, vel alia aliqua causa exigente non valuerit, nunquam tamen desit diebus Dominicis aut festiuitatibus qui verbum Dei prædicet iuxta quod intelligere vulgus possit*, ac ne hæc tantum de Episcopis aliquis dicta putet cautum est à Trid. sess. 5. cap. 2. de reformatione cum de Curatis loquitur in hanc sententiam, *per se vel per alios legitime impediti pascãt salutaribus verbis*, Quod si per ignorantiam facere nequeunt, iubẽtur ipsi in Cõc. Arelatensi è superiori loco legere concionem aliquam vulgari idio mate scriptam. Cum enim Parocho ideo conciones sint habendæ ad populum, ne quid eum lateat quod ad salutem scire sit necesse & id tam sua quam alterius opera, ac vero etiam libri scripti beneficio assequi possit Parochus quis non videt facturum eum officium, alterutrum ab eo si erit adhibitum?

A cauit Piasecius parte 2. praxis ex Geminiano in sua practica cap. 58.

Est tamen hæc Parocho in admittendis idoneis ad conciones publicas, non omittenda cautio, primo vt eos nunquam patiatur ferere in populo hæreses, malaq; errorum germina Trident. sess. 5. cap. 2. nec docere quæ sunt à Leone X. inserta Bullæ, cui initium est, *supernæ maiestatis præsidio*, nec aliquid pertinens ad Cõceptionem Beatæ Virginis in peccato originali, affirmatiue, aut negatiue, cum reprobatione alterius opinionis tanquam falsæ Conc. Trid. sess. 5. de peccato originali Sixtus IV. Pontifex in Extrauaganti, *graue nimis de reliquijs*. Pius V. in constitutione quæ incipit, *super specula*, Paulus V. anno 1617. in decreto cuius est hoc principium, *Sanctissimus Dominus noster post longam, & maturam discussionem, &c.*

Secundo, quia est populus earum rerum, quæ ad fidem, officiumque spectant magnam partem ignarus ac rudis, virtutis expers, plenus vitiis, cuius mali, (infausta ista nostra sæcula, conferendo cum Apostolorum fœlicibus, ac beatis), causa vix apparet alia, quamquam illi quærebant styli tenuitatem, orationis innocentiam, hanc superbè etiam in pagis, obscuriſque Parochiis concionatores respuant, in dicendo sectentur pompam, ament vmbram, masculam oderint eloquentiam, quod quam sit ab Apostolorum dicendi genere alienum, norunt qui Pauli accessum ad Corinthios, meminerunt fuisse, *Non in sublimitate sermonis, non in humana sapientia verbis, sed in virtute Dei*, ideo quem ad diuini verbi sementem faciendam in Domini agro sibi Parochus subsituet, hunc monebit, vt Cypriani more, stylum ad minutæ plebis captum demittat, mysteria fidei cum eius se rei commoda offert occasio, exponat, concionem erudiat, ad magna forti quidem, sed facili oratione aeuat, cum enim de Domino Deo vox est, *Vocis pura sinceritas, non eloquentiæ viribus niti debet ad fidei argumenta sed rebus*, ad Donatum epist. 2. lib. 1.

Tertio, quia metuendum est Parochis, ne *si aliquando* officium negligant, vocem hanc truboris & terroris plenam audiant: Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis, panem nempe, sine quo nec potest quisquam Christianè viuere, nec ad beatam immortalitatem crescere, dare debebũt operam, vt Ecclesiastes quo vtẽtur ad sacras conciones industriæ suæ ac laboris partem aliquam eo conferat, vt de eius ore pueri, rudesque Christianæ doctrinæ elementa depromãt, prout ei præcipitur in Tholosana Synodo anni 1582. cap. 3. & 4. & in Genuensi ann. 1573.

Quarto, quia magnis, & illustribus ingenij, virtutum, ac naturæ dotibus instructum esse oportet, qui Dei vices, Episcopi, ac Parochi in instituenda plebe agit, quibus cum Patrum memoria destituti essent, qui dicebant ad populum, Ecclesia vt multis locis sua lumina, decoraque perdidit: ita his est obscurata tenebris, vt diuinæ, humanæque sapientiæ radiis dissipari modò non possint nisi ægre, id laborare Parochum est necesse, ne quem ad tam sanctum & salutare erudiendi populi ministerium admittat cuius ipse vitam, mores, ac doctrinam spectatam non habeat, sitque Episcopi, aut Vicarij examine probatus.

Quid si è cœtu Regularium fuerit, quem sibi ad subsidium operæ suæ ascisit Parochus? Nec isti locus inter concionatores esse potest, nisi approbato ab ordinario, Trid. sess. 5. cap. 2. de reformatione his verbis: *In Ecclesijs quæ suorum*

QVÆSTIO XXX.

An Parochus possit quemlibet idoneum admittere ad concionandum.

REspondeo non posse nisi approbatos ab Episcopo Trid. sess. 5. ca. de reformatione 2. quod Clemens 8. in Episcopo quoque valere voluit extra Diœcesim posito, cum ibi eum habere concionem ad populum sine Diœcesani licentia, seuere

Digitized by Google

ordinum non ſunt, extra licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere tenentur, ſine qua in ipſis Eccleſijs non ſuorum ordinum, nullo modo prædicare poſſint, ipſam autem licentiam Epiſcopi gratis concedant.

Quid ſi approbatus alibi fuerit? Quid ſi cum ſuorum præſulũ facultate, populum alias docuerit? Eſt id quidem de iure communi ſatis, nam non eſt prouincia inſtituẽdi populi, maioris momenti quam adminiſtrandæ pœnitentiæ, ac confeſſionum audiendarum.

At his vbique Regulares operam dare poſſunt, vbi ſunt ſemel ad hoc opus, per approbationem Ordinarij iudicati capaces ac idonei. Dixi iure communi, nam ſi ſecus ſtatuendum ſibi Epiſcopus crederet, in hoc vt cæteris ei religioſe parendum eſſet, Poſſeunus cap. 3. de officio Curati.

QVÆSTIO XXXI.

Quanti temporis commoratio in Parœciæ finibus ſit neceſſaria vt quis cenſeatur eius membrum eſſe & Parochianus ſeu Parochi ſubditus quoad ſacramenta.

MVltorum eſt opinio res duas maxime in Parœciarum iure acquirendo ſpectandas eſſe. Primo, manſionem in his aliquanti temporis. Secundo, animum illic habitandi, & ita negant ab vllo acquiri Parochiam niſi mutatione antiquæ & acquiſitione nouæ, per habitationem annuam, cum animo in ea manendi perpetuo.

Opinionis huius præcipui authores ſunt, Comitol. lib. 1. reſponſ. qu. 110. num. 4. *Proprius*, inquit, *Parochus in perceptione Sacramentorum, non cenſetur eſſe alicuius, eas in Parœcia non fuerit annua manſio.* Conſentiũt Abbas in c. nullus de Parochiis, Menoch. conſ. 398. volumine 4. Tabiena ver. domicilium in fine, verbo Parochia qu. 2. nu. 3. Sylu. eodem in fine, & verbo Confeſſor, 1. §. 10. vbi ait eam communem eſſe omnium ſententiam, nec proinde ex domicilio quod quis habet alicubi, ius oriri ad Sacramentorum perceptionem, ſed ex habitatione futura ibi perpetuo. Idem viſum Inn. in cap. *Omnis vtriuſque, de pœnit. & remiſſion.* quem ſequitur Frederic. conſil. 246. Panorm. in cap. in noſtra de ſepultura num. 15. Itaque viatoribus, mercenarijs, ſcholaribus, & peregrinis extra Parochiam ſuam abſolutionis gratiam, negandam eſſe aſſerunt Innocentius in decretal. *Omnis vtriuſque*, & Butrius num. 12. niſi à ſuis propriis Parochis facultatem eam recipiendi habeant.

Angelus verbo domicilium nu vnico, Molina tomo 1. de iuſtitia. Sanchez 3. de matrim. diſp. 23. Rebuffus in repetitione canonis extirpandæ §. qui vero de præbendis verſu contrariam Victorel in c. 10. Poſſeun. de officio Curati, contrariam ſententiam fecerunt communiorem quam duabus enunciationibus explicant.

Prima qui aliquo commigrat cum animo ibi commorandi maiore anni parte illi Parœciam ſubito adipiſcitur.

Secũda, ad hãc rem nõ eſt neceſſe expectare dum maior pars anni effluxerit, ſed illico ac cũ volũtate domicilij in ea parœcia retinẽdi, parte maiore anni illud ipſum in illa collocat, fit Parochianus eius Parochiæ, cũ poteſtate plena habẽdi, petẽdi, faciendi, quæ ſunt conceſſa Parochianis reliquis. Quæ duo virorum grauium theoremata ſequenda hic mihi quoque, vt propiora veritati ac fidei, cenſeo.

Dico ergo, *Illico aliquem transferri in tribum Parœciæ, ac in ea ſedem figit, cum conſilio, & animo manendi in ea, ſeptem aut ſaltem octo menſibus, ad hanc ſententiam comprobandam faciunt argumenta ſequentia.*

Primũ eſt ab incommodo, quod nempe milites, Scholaſtici & ſerui, in alienis Diœceſibus versãtes, ſtudiorum, belli, aut alterius rei cauſa, deſtituti eſſent opportunis ſubſidijs ad ſalutem, ſi ad Parœciam acquirendam, opus eſſet acquirenti voluntate, eam nunquã mutandi cũ vt illi, abſolutis ſtipendijs, ita iſti expletis ſtudijs domum remigrare cogitent, quod autem id ſequatur patet; vt Paracho non licet alienum extra caſum neceſſitatis abſoluere, ita nec Epiſcopo, in eius votis diſpenſare, quæ duo tamen Chriſtiana charitas fieri ſæpe exigit in fauorem militum, ne impliciti votis, ſicut & Scholaſtici, quæ ſeruare nequeunt, in laqueos peccati ſe induant, quo nihil periculoſius eſſe poteſt.

Secundum, vt comparetur domicilium proprium, ſatis eſt aduerſariorum ſententia, ipſa habitatio cum animo eam retinendi perpetuo, vt dicitur lege domicilium ff. ad municipium, ergo vt acquiratur ſufficiens, tam ad rationem Parochiani, quam ad Sacramenta recipienda, ſatis eſt habitatio in Parochia, cum animo in ea manendi, habitatio inquam tanti temporis, quantum requiritur ad Parochiam obtinendam, at hoc eſt annuũ aut eius maior pars: probatur Sacramenta recipi poſſunt ab eo, qui proprius eſt Sacerdos, ſed in canone, *omnis vtriuſque de pœnitentijs*, talis appellatur, qui curam habet Parœciæ, in qua aliquis per maiorem anni partem commoratur vt ſcripſit Tabiena verbo Parochia q. 2. n. 3.

Tertium, qui incommodi, idem quoque eſſe debet vtilitatis particeps, cum Deus, cuius natura bonitas, magis ad beneficentiam propendeat, quam pœnam, ſed qui aliquanto tempore ad negotia verſari cogitur in vrbe, eius legibus, ac pœnis tenetur, quæ propoſitæ ſunt eas non ſeruantibus, ergo ad eum commoda quoque ſunt deriuanda, quæ propria ſunt eam vrbem incolentium, tale eſt, quod illius Parocho vti ad confeſſiones poſſit ergo id quoque permiſſum eſt alienigenæ.

Quartum, conducta quis domo, aut officina ad mercimonium, cuius artem quoque profitetur, fit conducens quaſi loci illius, ac emporij incola, etſi de ciuibus aut inſtitoribus, vectigal exigitur, vel tributum, iſtud ille peræque ac iſti pendere iubebitur: at non videtur quidpiam eſſe cauſæ, quamobrem qui acquirit quaſi domicilium in temporalibus, illud quoque non conſequatur in ſpiritalibus, ſic vt ratione eius, Parochus iuriſdictionem in eum habeat. Quare recte dictum eſt à Frederico de Senis Conſilio 114. hunc Parochianũ dici eius Parochiæ in qua verſatur cum animo aliquantiſper in ea manendi, & non conſtituendi domicilij.

Cui ſententiæ ſecundans Doctor Nauarrus Conſil. l. 5. conſ. de Parochijs 1. de alienis Parochianis ita ſcripſit, *videtur ſufficere habitatio bonafide, & ſine fraude ſuſcepta in aliquo loco, vnde non poteſt commode reuerti ad ſumenda ſacramenta, in loco Parochiæ, vbi domicilium habet.*

Quod autem fraudem remouet credo id eum facere non niſi gratis ac ſuperflue, nec enim fraus vlla interuenit cum iure ſuo quis vtitur, ſed licitum eſt cuique, mutare ſedem, cum nulla lege fixam ha-

beat & ſtabilem, quæ opinio eſt Sanchez l. 3. diſp. 25. num. 11.

Ex dictis patet, Sacerdotes ad eam Parochiam pertinere cuius finibus cõtinentur, licet ſint beneficiati, Fredericus de Senis conſil 254. Cardinalis Tuſcus practicarum concluſionum iuris li. 2. concluſione 99. cauſa eſt quod electione domicilij intra terminos Parochiæ, eius membrum quis fiat.

Excipiendi ſunt Cathedralis Eccleſiæ Canonici quos etſi caſus & neceſſitas adigant immorari alienæ Parochiæ in vrbe poſitæ, eius tamẽ Patri ac Paſtori ſubeſſe nequeunt iuxta Card. Tuſcum loco cit. num. 5. cauſa eſt, quod in quacunque vrbis parte poſiti, ſemper tamen obligati maneant ſuæ Parochiæ, id eſt Cathedrali Eccleſiæ, cuius qui Decanus eſt, idem quoque eorum eſt Parochus, cum hoc eius inter alia, munus ſit proprium, eos pane ſacro in extremo vitæ ſpiritu paſcere.

Prioris ſententiæ duo hæc ſunt maxime firma præſidia, primum petitur ex can. is qui de ſepulturis in ſexto, vbi habetur transferentem ſe ad villam, recreationis cauſa, aut colendi agri, eius villę Parochianum, non effici ſed domicilij proprij quo reuerti finito opere ſtatuit, ergo ab habitatione, ius non acquiritur Parochiæ, ſed ab eius in poſterum non mutandæ voluntate. Ita Panormitan. aſſerit, eum qui belli tempore è villa in vrbem ſe recepit, animo rus repetendi finito bello, ſi in vrbe decedat ad Eccleſiam villæ, funeris partem quartam pertinere.

Reſpondendum, cum quis ad villam animi cauſa diuertit, non in ea agere, niſi hoſpitis more, ac veluti per tranſitum, qui autem vere eſt hoſpes, non proprie eius eſt loci habitator ac incola, lege 1. §. hæc autem verba ff. de iis qui deiecerunt, ſecus eſſet ſi aliquot menſibus ibi degeret, cum familia integra, aut eius parte, vt Pariſiis fieri, eſt à locupletibus ſolitum, nam tunc vtriuſque Parochiæ, vrbanæ ſcilicet & ruralis membrum eſſet, cum poteſtate recipiendi ac petendi Sacramenta ab ambobus Parochis.

Secundum præſidium habitans in vrbe negotij expediendi cauſa, primæ ſuæ Parochiæ Parochianus eſſe non deſinit: ergo per commorationem aliquanti temporis in ſecunda, eius Parochianus eſſe non incipit. Negandum eſt Antecedens nam hoc ipſo quo quis ad tempus ſibi ſedem ad peragenda negotia in vrbe, patria, aut domo deligit, relictæ priſcæ ſuæ Parochiæ membrum eſſe deſinit, vt incipiat eſſe nouæ,

QVÆSTIO XXXII.

Parochi ad concionandum populo quę ſit & quanta obligatio.

LOquor primo de obligatione vniuerſe ſumpta, non diuiſa per dies & hebdomadas.

Secundo, de ea quæ eſt ad mortale.

Tertio, de modo ac tempore, quo hæc interit aut ceſſat, & ad primum.

Dico primo, *Parochum non ſatisfacere officio, niſi interdum dicat ad populum*, cuius rei, quæſtionibus proxime præcedentibus, reddita ratio, cui hæc addenda, quod in ignorantia populi, qua eum, ruri maxime, obſcurilque in oppidis premi eſt neceſſe, cum ſilent ſacra pulpita, vigere fidem, virtutem, bonoſque mores adoleſcere, non ſit facile, quas tamen artes, exterminata hæreſi, in ſubditæ ſibi plebis animis inſerere, ſemelque inſitas excolere, Parocho eſt neceſſe, ſi in viri boni officio, mori vult & viuere. Sane ſi fuiſſent Patrum noſtrorum ſæculis, qui mala ſemina Caluini & Lutheri, ſuperiectis Catholicis, quaſi ſaxis, de ſuperiori loco forti oratione obruiſſent, virtus vbique, ac fides tantum modo nõ oppreſſę hoc tempore ab hæreſi, non gemerent vt faciunt, bonorum omnium dolore incredibili.

Dico 2. *hanc obligationem eſſe ad mortale*, eſt enim de re maxime vtili, ac populo neceſſaria, cuius omiſſio, ei nunquam non eſt ſumme noxia, cum explicationem diuini verbi eruditam ac piam, magna animorum in plebe ſequi ſoleat commotio, ac ad virtutem, chriſtiano dignam homine, ardor & incitatio.

Dico 3. *Non quoties dit religioſo aliquo, aut ſacro, populum hortari Parochus præterit, cum toties officij violati cum mortali, reum eſſe.* Cauſa eſt, quod præ dierum multitudine ac copia, quos Eccleſia, ſanctorum ac Deiteligionibus, addictos habet, vnus aliquis, aut duo, tenue ſunt quidpiam, nec eiuſmodi qui mortale poſſint efficere, de eorum ergo numero neceſſario, ad hoc genus culpæ, iudicium prudentis eſto, qui ſpectatis loci, perſonarum, temporiſque circunſtantijs, de grauitate culpæ admiſſæ à Parocho, præteritione officij, populum non adhortando ad virtutem die Dominico, arbitrabitur.

Præter leuitatem materiæ, ſunt & alia, quæ à peccato Parochum non concionantem eximunt.

Primo, inopia in Parocho tam doctrinæ, quam commeatuum, ad eum alendum, quem ſibi in hoc miniſterio, graui ac neceſſario edocendæ plebis, ſubſtitueret Ratio eſt, quod impoſſibilium nulla ſit obligatio at Parocho inſcienti & ignaro impoſſibile eſt loqui publice, ac de virtute præcepta dare, quemadmodum & alere domi, qui vicem ſuam obeat, ſi vix in poſſeſſionibus ipſe tantum habet, quantum ad vitam parcam, tenuemque eſt neceſſe.

Secundo à peccato excuſatur Parochus, non vacans concionibus, ſi in ea ciuitate verſatur, vbi ab Epiſcopo, certi ſunt homines vnus aut plures, cum authoritate docendi populi conſtituti, aut Regulares domi ſuæ in id incumbentes Poſſeuinus cap. 3. de offic. curati q. 3. cauſa eſt, quod tum hi cenſeantur, ab Epiſcopo, ſubſtituti Parochis, vt quod per ſe nequeunt, per illos ipſi faciant.

Deinde cum ſit facile cuique, è Parœcia ſua, in ædem principem tranſire, vbi diebus feſtis habetur concio, nulli ſua ignorantia, rerumque fidei inſcientia, eſſe poteſt tolerabilis, & tunc Curati inquit, Poſſeuinus iuxta concil Trid. *cenſebuntur legitime diſpenſati, vel à iuſſione Epiſcopi, ſic conſtituentis, & interpretantis iſtam legem, & ſi velis eſſe diuinam, vel quia ſic geritur, vtilius negotium populi.* Hæc ille.

QVÆSTIO XXXIII.

An præter obligationes, quæstione 5. narratas, & alias Parochus habeat.

HAbere certum est, tam ex Concilijs antiquis, quam nouo Tridenti habita.

Primo enim, secubare eos olim oportebat, decreto Episcoporum, in Turon. 2. can. 15. *Nullus Sacerdotum* (quo nomine quoque intelligi Presbyteros & Parochos dicitur in Concil. Aquisgran. sub Ludouico Pio) *Nullus*, inquam, *Sacerdotum ac Monachorum, colligere alium in suo lecto præsumat.*

Secundo, etiam habere domi suæ mulierem ad negotia domestica, illis erat prohibitum in Aurel. 2. can. 9. Toletan. 2. can. 3. *Decreuimus vt nullus Clericorum à gradu Subdiaconatus & supra, in consortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, vel ancillam.* Idem iis imperatum legitur in Aurel. 3. can. 4. Turon. 2. can. 10. & 11. Aquisgran. sub Ludouic. Pio I. can. 7. Matrem tamen, sororem, aut consanguineam habere vitæ suæ comites, ac testes, iis erat per leges Ecclesiæ licitum, Concil. Braccar. can. 15. Lugdun. 2. can. 1. Nicæn. can. 3. Elibertin. can. 27. Carthagin. 1. can. 3. Carthag. 3. can. 17. Arelat. 2. can. 3. Aruern. can. 15. & 16. Cabillon. can. 3. Synodus Parisiens. sub Odone num. 12.

Tertio, Parocho loco mulieris, ad ministeria necessaria domus, iniunctum erat, vt Clericum aliquem sibi asciscere vitæ testem, Conc. Tolet. 4. can. 22. vel vt habet Vasense Conc. socium laboris in implendo suo munere, & in prouincia successorem Vasense 2. can. 1.

Quartò, eum quoque profiteri fidem Catholicã, ac castitatem erat necesse, antequam magistratum iniret, ad quem erat electus, aut vocatus. *Quando Presbyter aut Diaconi*, inquit can. 26. Concil. Tolet. 4. *per Parochias constituuntur, oportet eos primum professionem Episcopo suo facere, vt caste & pure viuant sub Dei timore, vt dum eos tali professione obligauerit sub sancta disciplina retineantur.*

Quinto, iniussu Episcopi, aut alterius, qui eius sit loco, vllas plebi sibi cõmissæ indulgẽtias euulgare, Parocho vetitum, Trident. sess. 21. cap. vltimo de reform. Quemadmodum & quæstum aucupari ex re agraria, vsuris & negotiationibus Aquisgran. Concil. sub Lud. Pio can. 8. *Similiter & de aliis Presbyteris qui contra statuta canonum villicis fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra sectantur, & per diuersissimos mercatus, indiscrete discurrunt, obseruandum iudicauimus, vt abhinc districte feueriterque coerceantur, &c.*

Sexto, id laborandum Parocho, vt doctrinam Christianam singulis diebus Dominicis, & Festis, pueris explicet iuxta ordinationem Concilij sess. 24. cap. 4. nouo Pij V. decreto confirmatam cui principium: *Ex decreto Pastoralis officij*, & quanquam vbique, tum hic præcipue laudanda sit in verbis breuitas, in sententiis perspicuitas, eadem tamen iterato dicere, inculcare, repetere, quo in animos rudes pueritiæ penetrent altius, est necesse. Et vt operæ fructus constet, institutionis suæ initiũ ducẽt ab oratione Dominica, salutatione Angelica, & Symbolo, quæ lingua vernacula clare dici & perspicuo præstat, præeunte vno de pueris, & populo ei respondente, vt sic omnes orare, sic mysteria fidei caliere discant. Nec ei omittenda in quibus locis est recepta Bulla cœnę Domini, eius explanatio, ac Constitutionis editæ an. 1581. à Gregor. XIII. contra medicos è secta Iudaica. Secus peccato mortali non vacabit, vt patet ex verbis, quibus mentem suam Gregorius ea constitutione edisserit, pœnisque in non morigeros positis.

Septimo, penes se Parochus libros habere quinq; debet, primum, in quem omnium, qui Parochiam inhabitant, nomina, quoad eius fieri poterit, referat, alterum in quo parentum baptizati cuiusque, ipsius compatris & commatris, nomine vna cũ die anno & mẽse collati Sacramenti describat, tertiũ, in quo, cum erit opus, coniugũ nomina quibus post contractum matrimonium benedixit, testium qui eis interfuere contrahentibus, diemque ac locum datæ sibi mutuo fidei reperiat, quartum in quo fideliter omnes, & singulos, qui statuto Ecclesiæ, Eucharistico pane circa Pascha refecti erunt, recenseat, quintum, qui mortuos omnes enumeret, cum anno, mense, dieque, quo è vita egressi, sepulturæ sunt traditi Synod. Genuens. anni 1573. Rothomag. an. 1582.

Octauo, vetabantur olim Parochi soli esse, soli alienas domos intrare, sic Odonis Paris. Episc. statuta Synodalia num. 13. *Prohibetur penitus vniuersis Sacerdotibus, sine amictu, scilicet cappa, vel superpelliceo, & comite Clerico, vel Laico intrare domos alienas*, ob eam forte causam Episcopis Hispanis statuere, *placuit, vt quemadmodum Antistites, ita Presbyteri in cellulis suis testes haberent, vitamque suam sicut nomine, ita meritis tenerent.* Concil. Tolet. 4. can. 22.

Nono, residendum est Parocho in sua Parochia, Isidor. Mosconius de maiestate militantis Eccl. par. 1. cap. 21. Victorellus in cap. 1. Posseu. de Offic. Curati, Sancius in select. disp. 47. Emman. Sa ver. residentia n. 1.

QVÆSTIO XXXIV.

Quo iure & sub qua obligatione teneantur residere Parochi in loco sui beneficij.

DIco primo, *Parochos iure diuino obligari ad residentiam*, auctores huius sententiæ Theologi primarum partium, D. Tho. in 2. 2. q. 185. ar. 4. Caiet. ibid. Soto de iustit. & iure lib. 10. q. 3. art. 1. Less. lib. de iustit. 2. dub. 29. dicto 1. num. 153. Victorell. & Mosconius locis proximè citatis, pro ea faciunt in primis verba Conc. sess. 23. cap. 1. de reformat. *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oues suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, &c.*

Quæ an præstare absentes, difunctique loco à Parœciis commode valeant, ab his tesponderi mihi cupio, qui Concilij auctoritatem, verbaque præ suis facientes nihili, ad libidinem opiniones sibi fingunt.

A Petro, commendatas sibi oues, pasci Christus iubet, Ioan. 21. *quas oues, & quem gregem, non solum tunc B. suscepit Petrus, sed nobiscum illas suscepit*, inquit Ambr. in Past. *& cum illo suscepimus omnes*, à Pastore ali, ab eo ad salutaria Sacramentorum pascua duci quî possunt, si abest? *Bonus Pa-*

ſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Ioan. 10. Paſtoris ergo indignus eſt nomine, qui iis non præit ad læta beatæ immortalitatis pabula, mercenarius audire poteſt non Paſtor, qui eas alienæ curæ proſtitutas deſerit, præſentes non alit.

Quid? quod iure diuino naturali, facere debeant ſinguli, quæ ſunt ſui officij. Quæ ſunt Parochi, quę Paſtoris partes? curare, ducere, alere, defendere, Gloſſ. cap. vltimi Euang. ſecundum Ioan. affirmatrix. Paſcere oues, inquit, eſt credentes in Chriſto, ne à fide deficiant, confortare, terrena ſubſidia ſi neceſſe fuerit ſubditis prouidere, exempla virtutum, verbo prædicationis impendere, aduerſariis reſiſtere, errantes ſubditos corrigere, quibus par & æqualis abſens eſſe quî poſſit, doceri ab his peruelim, qui Parochis ſunt auctores non in partem modo ſollicitudinis alios vocare, ſed in eos turpi ac periculoſo exẽplo vniuerſam trãſmittere.

At eorum munus obire (inquiunt) vir doctus poteſt, & ita quod deberent illi exequi, iſtius ore, manuque præſtare.

Reſpondẽdum primo, id Innoc. III. non probari, vt declarat. eius decretal. 30. extirpandæ de præbendis parag. qui vero his verbis: *Qui vero Parœcialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſeruiat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit.*

Reſpondendum ſecundo, Vicario in adminiſtratione beneficij Curati locum tum demum eſſe, cum Parochum curæ maiores, Eccleſiæque vniuerſæ magis vtiles alio auocant, alias excludendum, niſi ſimultates & odia, quibus in Parœcia Parochus deflagrat, iuſtam ipſi dum deferbuerint ab ea recedendi licentiam tribuant.

Dico ſecundo, *Iure quoque naturæ interdictum eſſe Parochis abeſſe à Parochia.* Quia eſt contra rationem, vt qui fructuum, iidem quoque non ſint participes onerum, ſed Parochiæ annuos, diurnoſque prouentus, vt debitos, ſibi tam per ſe, quã publicanos Parochus colligit capitque, expedire ſe ergo, ſi rationi obſequitur paretque, à propriis eius oneribus non poteſt, qualia ſunt, adeſſe populo, operam illi in dubiis ſuis neceſſariiſque temporibus deferre, vno verbo ei opere, conſilioque præſentem eſſe.

Quid? quod quemque natura obligat, ea quorum cauſa numerantur ei ſtipendia, facere, alioqui pacta conuenta eorumque fidem falleret, à quo recta ratio abhorret Sed redditus Parochiæ, obuentiones, ac annonæ annuæ, ſtipendiorum ſunt loco, cum eæ, Parocho dentur tanquam operæ ſuæ certa ſtataque merces: ea tamen conditione ac lege, vt ipſe per ſe Eccleſiæ deſeruiat, quod ipſum facere, eſt reſidere in eaq; præſentem eſſe, Comitol. reſponſion. lib. 6 q. 42. eſt ad id ergo iure naturæ, in Parocho obligatio, *A qua nulla excuſat conſuetudo*, Sa verbo Reſidentia num. 1. *nec ſecundum Congreg. Concil. excuſat ſeruitium Epiſcopi, aut inquiſitionis, aut paucitas eorum, aut defectus domus propriæ, poteſt enim conducere, &c.* Emman. Sa ibid.

Dico tertio, *Iure quoque humano, ac Eccleſiaſtico, Parochum teneri reſidere in Parochia*, eſt id certũ ex ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus: nam in decretali, quia nonnulli 3. de Clericis non reſidentib. eſt his verbis: *Cum Eccleſia, vel Eccleſiaſticorum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam eius per ſeipſum exercere valeat*, idem decernitur in decretali Alexand. III. relatum 4. & in decretali Cœleſt. III. ex parte 8. Innoc. III. qualiter 9. eiuſdem tituli & in Conc. Antioch. can. 21. Sardic. 14. ſexta Synodo can. 18. Romano ſub Sylu. & Conſtant. can. 17. & in Conſtitut. Pij IV. de reſidentia Prælator.

Dico quarto, *Peccare mortaliter Parochos, cum domo abſunt ſine Epiſcopi facultate, vltra bimeſtre præſtitutum illis à Concil.* Comitol. lib. 1. reſponſ. qu. 62. num. 1. Moſconius de maieſtate Eccl. par. 1. cap. 21. Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 29. numer. 159.

Primo, quia lege canonica Lateran. Concil. Alexandri III. & Cœleſt. III. decretalibus quarta & octaua iubentur non reſidentes Parochi Parœciis ſuis exui, qua eos pœna poſſe ob venialem noxam affici quis credat? incurrunt ergo mortalem, ne pœnæ culpa ſit impar.

Deinde non minor à Concilio decretiſque Pontificum Parocho videtur imponi neceſſitas reſidendi, quam ſuſcipiendi intra annum Sacerdotij, ſed lex iniungens onus recipiendi ordinis ſacri, reum noxæ mortiferæ reddit non obedientem, opinione, Comit. in reſponſis lib. 1. qu. 62. ergo lex pariter reſidendi, tantam neceſſitatem imponit, vt ſine crimine negligi nequeat.

Secundo, lex quæ magni ponderis rem præcipit, violari ſine culpa lethali non poteſt, at ſunt officia caritatis, ac iuſtitiæ, exercenda à Parocho in ſubditorum vtilitatem ac commodum eiuſmodi, quibus nihil eſſe queat fructuoſius, cum iis contineatur Eccleſiæ dignitas, eorumque ſalus ac incolumitas, ergo cum hæc exhiberi niſi à præſentibus in Parochia valeant ab ea hi ſine crimine abeſſe diu, non poterunt, quod expreſſe dicit Concil. ſeſſ. 25. cap. de reform. primo.

Dico quinto, *à Parochis culpam incurri mortiferam cum habitant quidem in Parochia, non tamen per ſe, ſed alios officium faciunt.* Nam reſidere definiente Oſtienſi, & Godefredo in cap. quia nonnulli de Clericis non reſidentibus nihil eſt aliud *quam perſonaliter officium proprium ſoluere in proprio beneficio*: violat ergo Parochus legem de reſidendo qui manſione ac præſentia contentus in Parœcia, cætera ſubſtituto ſuo committit, ita Sancius in ſelect. diſp. 47. Moſconius par. 1. c. 2. Diana par. 4. trac. 4. reſol. 156. *Siquidem è duabus rebus quibus reſidentia conſtat, altera eſt, vt per ſe ipſe aliquis interſit in ſua Eccleſia, altera, vt per ſe exequatur quod exequi debet*, Comitol. in reſponſ. lib. 1. q. 62. ergo fungens iis muneribus quæ Parochialis Eccleſia requirit, peccat, nec ex ea fructus vti ſuos colligere poteſt.

Dico ſexto, *Parochum peccare quidem mortaliter cum per alios tantum Sacramenta adminiſtrat aut officium præſtat, eſſe tamen probabile eum ad reſtitutionem fructuum non teneri ſi interim in Parochia reſidet.*

Pars prima fidem habet à Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. vbi Cardinales, Epiſcopos, & alios curam animarum habentes ait: *Obligari ad perſonalem reſidentiam in ſua Eccleſia vel Diœceſi, vbi inuncto ſibi officio defungi teneantur neque abeſſe poſſe niſi ex cauſis & modis infra ſcriptis.*

Pars altera, quæ de fructibus non reſtituendis fuit, ſic probatur. Ab his duntaxat decreto Concilij reſtitutio facienda eſt fructuum, qui ſic à beneficij ſui loco abſunt, vt in eo nõ reſideant: at ei vt ſupponitur Parochus intereſt, etſi Officium ipſe ſuum per ſe non obeat, ergo à reſtitutionis faciendæ lege cenſendus libes.

Confirmatur

Confirmatur cum de pœnis agitur, lex qua imperantur proprie tam in ſe, quam verbis quibus eſt concepta, ſumi debet, cum odia reſtringi, pœnaſque, iuxta antiqua iuris axiomata, coerceri oporteat, at ſi ad eos Concilij decretum porrigitur, qui per ſe, non præſtant officium, etſi Parochiæ ſint præſentes, ſecus accidet, nam reſidere ſpectata vi ac notione nominis, non eſt facere, ac operari, quod eſt proprium Parochi, ſed præſentē eſſe Parochiæ: ergo &c.

Confirmatur 2. cum non exequi quæ ſunt officii, & male illud implere ac imperfectè, ſint hominum communi ſenſu idem, ſequeretur Epiſcopis & Parochis, & aliis qui in obeundo ſuo munere quid peccant, quia imperfecte illud faciunt: reſtituendi legem eſſe, peræque ac non reſidentibus, impoſitam, quod qui hactenus dixerit, nemo mihi ſane eſt notus, quare qui in Parochia reſidet, etſi per ſe Sacramenta non confert, reſtituere fructus non debet.

Dico ſeptimo, *Longe mihi tamen videri probabilius, Paroche non miniſtranti etſi reſidenti, fructus non deberi.*

Primo, quia non dantur niſi ob officium, quod Parochiæ præſtari oportet ex cap. vltimo de reſcriptis, & cap. cum ſecundum Apoſtolum 16. de præbendis, vbi ei de patrimonio Ieſu Chriſti viuendum Innoc. III. aſſerit, qui altario deſeruit, ergo ex oppoſito, qui nullam ei operam nauat, eius commodis carere debet ac fructibus.

Secundo, Data cum hypotheſi aliquâ, non tranſeunt à dante in dominium recipientis, niſi poſita hypotheſi quæ eſt adiecta contractui, ſed fructus Parochialis Eccleſiæ, ea tantum lege, voluit Eccleſia Parocho debitos eſſe, ſi per ſe ſuum ipſe munus obiret: *Non acquirere enim fructus Parochiæ haud feruientem, pœna non eſt, ſed conditio ſeu conuentionis naturalis adimpletio, non accipiendi ſibi debitum, ſicut operarius ſui vicini colens vineam, & ob id ſtipendiū, eo quod abeſt, non recipiens, pœnā minime incurriſſe dicitur*, Sancius in ſelect. diſp. 47 nu. 4. & in hanc ſententiam itum eſt à Victorello in notis ad Poſſeuini Curatum cap. 1. Aragonio in 2. 2. qu. 93. art. 2. Ludou. de S. Iuan in ſumma tract. de offic. diuino art. 13. Diana 3. par. tract. 4. reſol. 156.

Dico vltimo, *Fructus ab abſente Paroche perceptos, reſtituendos Eccleſiæ aut fabricæ, ante omnem ſententiam.* Cauſa eſt, quod quæ non ſunt noſtra, ſed aliena, hæc veris ſuis ac legitimis reddenda ſint Dominis, ſententia non expectata Iudicis, ſed Parochiarum fructus, ac commoda, ab abſente collecta Parocho, aut officio non fungente, eius non ſunt propria, ex dictis antea ſed pauperum aut fabricæ, quare qui abeſt à Parœcia aut beneficio curā animarū habente decreto Concilij: *Præter alias pœnas aduerſus non reſidentes ſub Paulo tertio impoſitas, & inhonatas, & mortalis peccati reatum, quem incurrit, pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facit, nec tuta conſcientia, etiam alia declaratione non ſecuta, illos ſibi retinere poteſt, ſed tenetur illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare.* Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de reform.

Eum tamen à reſidendo excuſat primo, infirmitas, qua eius valetudo cœpta eſt tentari extra Parochiam, cap. ad audientiam de Clericis non reſidentibus & de Clerico ægrot. cap. 1.

Secundo, eius recuperandæ neceſſitas, quæ illum cauſa, ab ea, domoque, abeſſe cogit.

Tertio, diſpenſatio Pontificis, quæ expreſſa eſt aut tacita, expreſſa cum de eo extant litteræ, Pontificiæ voluntatis teſtes, vt cū eum Papa plura poſſidere beneficia, eaque curata, ex diſpenſatione patiatur hocipſo enim illum à reſidendo in eorum altero liberat, Panorm. in cap. extirpandæ parag. qui vero de præbend. Rebuff. in praxi par. 1. tract. de diſpenſ. ad plura benef. num. 71.

Quarto, poteſt quoque Parochus, qui in ſua Parochiali Eccleſia, inimicitias graues habet, (verba ſunt reſponſi Congreg. Cardinalium) *abeſſe per annum de Epiſcopi licentia*, aut quoad ſimultatis cauſa ſit ſublata, Comit. lib. 1. reſponſ. q. 60. num. 3.

Quinto, præter cauſas non reſidendi quæ Parocho, ſunt cum Epiſcopis communes, de quibus nos antea, ſtudiorum cauſa abeſſe poteſt, cui opinioni fidem facit decretalis Bonifac. VIII. 34. cum ex eo de elect. in 6. Vbi Epiſcopis permittit, *vt cum iis qui Parochiales Eccleſias ſubiectas ſibi obtinent, vel obtinuerint, in futurum diſpenſare poſſint libere, quod vſque ad ſeptennium, literarum ſtudio inſiſtentes, promoueri minime teneantur.*

QVÆSTIO XXXV.

An Parochus miniſtrare Sacramenta teneatur peſte infectis.

LOcus difficilis & ad prolapſionem procliuis, quam vt vitemus ipſi, nihil de noſtra, de Doctorum mente qui in hac quæſtione ante nos ſunt verſati dicturi ſumus omnia, & quidem Parocho criminoſum eſſe pernegant aliqui, male affectis Sacramenta non dare, ſi illi forte imminet fortunarum, aut vitæ periculum, in his numerandi qui ſequuntur Rodrig. par. 1. cap. 77. Ripa in tract. de peſte in 2. parte quæſt. 5. verſu quinto peſtis excuſat.

Huius opinionis duæ videntur eſſe rationes præcipuæ.

Prima, quod Innoc. III. teſtimonio in decretali ad ſupplicationem nona de renunciat. Eborac. Epiſcopo abdicare ſe Epiſcopatu licuit: *Quod in eo non poterat ſecurè morari, & ſi acceſſum ad illum haberet, mortis ſibi periculum imminebat*, quod à Gregor. I. permiſſum eſt etiam Ioanni Liſſitanæ ciuitatis Epiſcopo, vt eſt in can. Paſtoralis 42. cauſæ 7. qu. 1. quod neuter haud dubiè facere vnquam induxiſſet animum, ſi cum in diſcrimen ſalus vocatur, aliena tuenda eſſet, cum propriæ periculo.

Secunda, ſi quæ eſt aliquando deſerendæ Parœciæ iuſta cauſa, maxime Chriſto diſpenſante, at ab ea liberat, cum reddi charitatis officia ſine caritatis aduerſum ſe iactura nequeunt, quid eſt enim ſeipſum odiſſe, quā ſibi peſſime velle? quam ſui curam negligere, quam vitam depoſcendis vltro periculis protrudere?

Secus quam iſti loquuntur ac ſentiunt, Suar. to. 4. diſp. 44. ſect. 3. Victorellus in notis ad Poſſeu. cap. 7. de officio Curati app. ad 1. Piaſecius par. 2. prax. Epiſcop. cap. 4. art. 3. his verbis: *Nullo caſu excuſari poteſt Parochus quo minus miniſtrare teneatur Sacramenta morienti neceſſaria, ne quidem metu peſtis, ſeu contagioſæ infirmitatis.* Eadem ſententia defenditur à Rebuffo in praxi par. 1. tract. de diſpenſat. in non reſidendo, Poſſeuino cap. 1. nu. 16. & cap. 5. nu. 58. de offic. Cur. Tolet. inſtitut. lib. 5. cap. 4. num. 3. Soto de inſtit. lib. 10. q. 1. art. 4. Martin. Breſſer. lib. 3. de conſc probabili cap 11.

num. 220. ab his quia diſcedere nequeo.

Dico primo, *Paſtores & Parochos ad Sacramenta adminiſtranda ouibus ſuis teneri in grani earundem neceſſitate v. c. tempore peſtis, etſi certo vitæ ſuæ periculo.*

Primo, qui aliter bonus nec eſſe, nec audire poteſt, cum eius ſit hæc laus propria, animam ſuam ponere pro ouibus ſuis.

Secundo, vt corpori præferendus eſt animus, ita & eius ſalus corpore cuique debet eſſe potior, cum in bonis, maiora, anteponi minoribus debeant, ab hoc ergo diſceſſurus eſt ordine Parochus, & proinde non ſine crimine, qui non modo periclitantes de capite, ſed ſalute quoque animæ, deſeret à Sacramentis, gratiaque inopes.

Dico ſecundo, *Ad hanc obligationem inducendã charitatẽ ſolam non ſufficere nec iuſtitiã, ſed vtramq; ad id eſſe neceſſariam.* Ita Breſſerus loco ſupra citato.

Probatur, ſi ſola ad contrahendam obligationem adminiſtrandi Sacramenti in neceſſitate caritas ſufficeret, hæc non modo Paſtorum eſſet, ſed omnium, quod pauci credunt, nec etiam ſola ſatis eſt iuſtitia, nam quis cum ratione exiſtimet, Parochum aliquo exiguo ſtipendio oppignoraſſe vitam ſuam & ſanguinem? vtrique ergo adminiſtrandi tum Sacramenti id eſt cum aperto capitis periculo, innititur obligatio in Parocho, , quæ eſt Breſſeri opinio.

Dico tertio, *Eum tamen fore ſine culpa ſi quem ſibi ad hoc miniſterium in neceſſariis populi ſui temporibus ſubſtituat.* Poſſeuin. cap. 1. num. 16. de offic. Curati Rebuff. de diſpenſ. in non reſidendo num. 31. Ratio eſt, quod tunc ſe læſas charitas & iuſtitia queri nequeant, cum populus habeat, qui abunde Parochi abſentiam ſuppleat, Sacramenta, conferat, eum Deo cœloque per gratiam reſtituat.

QVÆSTIO XXXVI.

An Parochus neceſſaria lege teneatur dicendi horas canonicas.

TEneri Theologi magni aſſerunt in quibus eſt D. Thom. Durand. Adrian. & alij, quæ enim eſt beneficiariorum omnium, eadem eſt quoque cauſa Parochi, ergo vt eſt illis orandum ex præſcripto Eccleſiæ, ita Parocho, ſi mortalis culpæ labe nolit infici, quam incurri ab iis qui horas canonicas non legunt, aut eorum partem aliquam notabilem prætereunt, colligitur ex can. Presbyter 2. diſt. 91. & ex cap. dolentes de celebrat. Miſſarum parag. finali vbi earũ lectio diſtricte in virtute obedientiæ præcipitur, ſeſſione autem nona Conc. Lateran. ſub Leone X. parag. ſtatuimus fructibus ex beneficio collectis priuantur, qui horas dicere negligunt, quare cum ab Eccleſia, hi ſoli rerum iactura vapulent, quos mortalis noxa inquinat c. nemo Epiſcoporum 11. qu. 3. nec ſuperioris imperium exequendum ſit in virture obedientiæ ſine voluntate in eodem obligandi ad lethale: maxime cum cadit in materiam grauem, qualis eſt præſens: ambigere iure nemo poteſt, quin ſacri officij præteritio à virture abſit, vitioque cohæreat, de fructuum ergo reſtitutione agitur, petiturque hoc articulo, an eius faciendæ obligatio, ita ſit ex præcepto Eccleſiæ horarum omiſſioni adiuncta, vt præteriri ſine culpa nequeat: pro reſponſione ſit.

Prima Aſſertio, *Tam Parocho, quam cuilibet alteri beneficiario fructus percepti pro rata omiſſionis horarum ſunt à temporibus*, Lateran. Concil. reſtituendi Eccleſiæ, Flaminius 1. de reſignatione q 9. n. 9. & 16. Suar. tom. 2. de relig. tract. 4. cap. 29. & 30. Nauar. in Enchir. c. 25. n. 153. & c. 7. de horis n. 31. Leſſius 2. de iuſtitia c. 37. dub. 11. n. 68. Regin. l. 30. tract. 3.

Probatur, Beneficium vt eſt in cap. fin. de reſcriptis, datur propter officium, ergo qui muneri non ſatisfacit, id quod exercendi eius cauſa recipit, redhibere debet Eccleſiæ, data enim ob cauſam, ea non ſecuta niſi ſecus videatur domino reddi oportet, lege 1. & ſeqq. de condict. cauſa data non ſecuta.

Dixi (à Lateranenſi Concilio) nam antea, horas omittenti, non alia neceſſario facienda erat reparatio, quam precibus fundendis pro Confeſſarij arbitrio. vt ſcribit D. Th. q. 3. n. 29. Anton. 3. parte tit. 13. c. 4. §. 6. quæ cum ab eo imperatæ pœnitentiæ nomine, beneficiarium in officio retinere non poſſent, enimuero viſum eſt patribus Romæ ad Lateranum aggregatis, reſtitutionem *fructuum* officio per illos præterito æquandam, iis *indicere*, quam pœnam à Pio V. confirmatam reperio *Bulla* ſpeciali, quæ recepta eſt in 4. Galliæ Synodis, Rothomagenſi, Rhemenſi, Burdigalenſi & Tholoſana.

An ſit autem pœna ante iudicis ſententiam ſubeunda neceſſario, controuerſantur auctores, & negatiuam tenent Panormit. in c. 1. de celebratione Miſſæ, Sylu. verbo Clericus 4. qu. 23, cum alus quos citat, pro reſolutione ſit

Secunda Aſſertio, *Fructus percepti occaſione beneficij, pro rata omiſſionis horarum, in conſcientia debent ante omnem ſententiam reſtitui.*

Probatur, Eſt id in conſcientia reddendum ante omnem ſententiam, quod ad eum, in cuius eſt manu, non pertinet, quodque proinde ſeruari nequit, niſi vt res iniuſte acquiſita: ſed prouentus beneficii, cui à poſſeſſore non ſatisfit lectione horarum, eius eſſe per canones nequeunt, ſunt ergo ante ſententiam repræſentandi fabricæ, Maior eſt certa: quia reſtitutionis faciendæ extra contractum, capita ſunt duo, res aliena, & iniuſta actio, quas res ambas complectitur facta hypotheſis in Maiori, nempe alterius rem eſſe quam poſſidentis, ab eoque ſeruari non poſſe ſine iniuſtitia. Minor eſt Pontificis ac Patrum in §. ſtatuimus ſeſſ. 9. Lateranenſis Concil. nam ibi prohibent, ne qui elapſis 6. menſibus à conſecutione beneficij, diuinum officium omittit, pro tempore quo ei non vacat, fructus ſuos faciat: ſed eos, tanquam rem iniuſte acquiſitam impendere teneatur, in fabricam beneficii, aut eleemoſynas pauperum.

Obiicies, pœna eſt non facere fructus ſuos, ex Nau. conſil. 11. de iureiu. n. 10. & Azorio to. 2. lib. 17. c. 2. q. 2. ſit pro argumento quod in Trid. ſeſſ. 24. c. 12. ſcribitur Canonicos in pœnam profeſſionis fidei non factæ, fructus ſuos non facere, quod haud dubiè, eſt pœnale, at legi quæ pœnam irrogat, non neceſſario parendum eſt ante ſententiam. Ergo ex eo quod vetentur beneficiarii fructus ſuos facere, ſufficienter non infertur, quod ſint hi reſtituendi ante ſententiam.

Confirmatur, vere dici poteſt, non facere fructus ſuos, qui priuari illis poteſt, aut qui poſſeſſor tantum non pleno iure illos habet.

Conſequentia argumenti neganda eſt, nam non ideo reſtituendi ſunt fructus, quia beneficiarius eos non fecit ſuos, ſed maxime, quia iniuſte [illegible]

acquiſiuit, nam iniqua actio obligationem repa- A
randi damni habet, remque in antiquum ſuum ſta-
tum reuocandi: ergo & reſtituendi, cum in eum
reduci nequeat, reſtitutione eius non facta.

Confirmatio nihil facit ad propoſitum vt patet
ac proinde curanda non eſt.

Tertia Aſſertio, *Non tantum horas omittenti reſti-
tutio eſt imperanda, ſed & exercitanti animo diſtra-
cto ac ſine attentione debita*, D. Thom. 2. 2. q. 8. a.
13. Caietanus in ſumma: verbo horæ §. 3. Nauar.
de horis cap. 13. n. 23. Suarius tomo 2. de religi. lib.
4. cap. 30. n. 14. Petrus de Nau. 2. de reſtitutione
c. 2. n. 228. Lud. de Beia. tomo 2. caſuum caſu vlt.
Leſſius lib. 2. cap. 37. dub. 11. num. 68. Sotus 10.
de iuſtitia qu. 5. Regin. n. 48. cap. ante citati & B
probatur.

Si qui ſponte inter orandum euagatur animo,
præcepto Eccleſiaſtico de horis legendis, non ſa-
tisfacit, ei non minus neceſſaria eſt fructuum reſti-
tutio, quã omnino non orãti, verum eſt prius: Quia
Eccleſia orationem præcipit, quæ religioſa ſit er-
ga Deum actio, & non tantum ſimulatio & hypo-
criſis: at religioſa non eſt, niſi facta attẽte & deuo-
te, Maior huius agumenti habetur in cap. dolentes
de celebratione Miſſæ, vbi Clerico præcipitur, vt
ſtudioſe pariter & deuote miniſterium impleat.
Minor probatur quæ actio bona eſt ac laudabilis,
ſuis affecta eſt circunſtantiis loci, temporis & mo-
di: nam bonum ex integra cauſa eſt, malum autem
ex quocunque defectu: ſed orationi nihil magis in-
trinſecum eſt ac eſſentiale, quam attentio mentis
in Deum, ex Damaſc. aut hominis cum eo collocu- C
tio ſecundum Chryſoſt. in homilia de orando
Deo.

Confirmatur, per orationem quæ oris tantum
eſt, non animi, qualis eſt, cogitationibus de Deo
non neceſſariis, aut etiam inanibus ac ſuperfluis
maculoſa ac turpis, præcepto de horis quoque die
dicendis, non ſatisfit, cũ ad vitandũ peccatũ con-
tra præceptum Eccleſiæ, iterato dici debeant: nam
earum lectio, onus eſt diei (vt aiunt) ergo tandiu
durans, quandiu dies: ſed omiſſio præcepti de ho-
ris quot hebdomadis, ac diebus reſtitutionem ha-
bet fructuũ neceſſario faciendam, ergo & eius præ-
ſtatio, vitioſa & mala qualis eſt attentione vacua.

Contraria ſententia eſt Toleti l. 2. c. 12. & Me- D
dinæ orat. q. 19. eaque opinione Leſſij c. 26. num.
8. non improbabilis, eum qui orandi animo, aut
ſatisfaciendi præcepto horas legit, alia tamen om-
nia cogitans quam quæ eſt neceſſe, etſi peccarit
mortaliter, non teneri tamen eas repetere, nec ex
conſequenti fructus reſtituere.

Non primum, quia ſubſtantiam operis præcepti
impleuit, deuotione tantum, vnica nempe eius cir-
cunſtantia præterita, quæ non aliter videtur eſſe
neceſſaria, quam vt opus conuenienti modo fiat:
nec ſecundum, quia illis ſolis imperata eſt reſtitu-
tio, qui officium non faciunt: non iis qui negligen- E
ter, qui tepide, parum religioſe ac deuotè illud ex
ſoluunt, quod quam verè, quam prudenter ab eis ſit
dictum, malo in aliorum opinione relinquere, quam
hic in eo refellendo operam meam ponere.

Quarta Aſſertio, *Parocho quemadmodum & bene-
ficiariis reliquis, ſi culpa ſua horas omiſerit, imperanda
eſt fructuum reſtitutio.* Omniumne? ita viſum Mal-
dero in 22. tract. 10. cap. 2. dub. 4. Suar. de religio-
ne to. 2. lib. 4. cap. 30. num. 4. Azorio par. 1. lib. 10.
cap. 14. qu. 5. Vaſq. in primam 2. tom. 1. diſp. 168.
num. 34. Humanior videtur eorum ſententia, qui
cenſent, ab Epiſcopo, & Parocho, præter quin-
tam partem, receptorum fructuum nihil exigen-
dum, quod pro non ſoluto officio, horiſque omiſſis
Eccleſiæ rependat aut pauperibus, huius opinionis
duces ac Patroni ſunt Syluius in 2. 2. qu. 83. art.
13. concl. 4. Homobonus de bonis in exam. Eccleſ.
par. 1. tract. 4. cap. 5. q. 42, Tolet. lib. 12. cap. 11. n.
2. Torres in 2. 2. to. 1. qu. 83. can. 9. Leſſ. lib. 2. ca.
34. num. 77. Cauſa eſt, quod fructus, commoda-
que Parœciæ, Parocho ſint debita, non tantum
propter preces quas beneficiariorum more Deo
pangit, ſed multo maximè ob titulum, oneraque
cætera ei adiũcta, quæ in animarum regimine quas
curæ ſuæ commiſas habet, ſubire eum eſt neceſſe.
De canonicis alia eſt ratio, cum enim aſſiſtendi
choro & pſallendi priuatim, aut publice (hoc tan-
tum) lex iis ſit impoſita ei ſi parere negligant, fru-
ctus ſuos non facient, quos proinde ſi conſcientiæ
ſuæ ſatisfacere volent, fabricæ reparandæ aut ſub-
leuandæ pauperum inopiæ, impendent.

Sententia tamen Henriquez lib. 13. cap. 13. eſt
non teneri eos niſi ad redhibitionem partis tertiæ
fructuum, quæ eſt probabilis, quia redditus, eius o-
pinione, Canonicis dantur non tãtum propter pre-
ces, ſed ob alia quoque onera, vt aſſiſtendi Capitu-
lo, iuuandi Eccleſiam conſilio, quas ob res, reſtitu-
tionis faciendæ de perceptis fructibus neceſſita-
tem imminui debere ac poſſe, prudenti rerum æſti-
matori videri non debet improbabile.

QVÆSTIO XXXVII.

Quæ ſint & qualia iura Parochi, & an quarta funeraria illi ſit debita.

PArocho primum competit ius decimarum.
Secundum, Oblationum.
Tertium, exigendæ à fidelibus quibus præeſt, portionis congruæ.
Quartum, aſſiſtendi matrimonio,
Quintum, miniſtrandi Baptiſmi, & Extremæ-Vnctionis.
Sextum, quartæ funeralis.

Quartarum ſpecies ſunt variæ, præcipuæ qua-
tuor Parochialis, Papalis, Epiſcopalis, Cathedra-
lis, Parochialis, nomen habet à Parochia, cui de-
fertur ex iis, quæ à Parœciano relinquuntur alteri
Eccleſiæ, in qua ſepulturam elegit, quæ & canoni-
ca portio appellatur à Bonifac. VIII. in cap. cum
quis 2. de ſepultur. in 6. præſtaturque Parocho, in
compenſationem iniuriæ, quæ ei videtur facta ele-
ctione ſepulturæ, in alia Eccleſia, vel operæ, mor-
tuo dum viueret collocatæ in Sacramentorum ad-
miniſtratione, ſuitque hæc portio, ſeu quarta, pro
regionum diuerſitate diuerſa, vt eſt ex his Clem.
III. verbis in decret. 9. de ſepulturis cuique pla-
num. *Cum autem*, inquit, *ſuper hoc articulo, diuerſa
anteceſſorum noſtrorum manauerint inſtituta. Leone
inſtitutam illam, quandoque tertiam partem, quando-
que mediam, & Vrbano quartam conſentibus, nos tale
præbemus in hac varietate reſponſum, vt ſecundum
rationabilem conſuetudinem regionis, illa iuſtitia, cir-
ca medietatem, vel tertiam, vel quartam, prolocorum
diuerſitatibus attendatur*, partem hanc autem me-
diam eſſe, tam illorum quæ circa funus deferun-
tur, quam & legatorum, quæ Eccleſiæ ſunt relicta,
ratione ſepulturæ in ea electæ (quæ duo intelligun-
tur nomine funeralium) Bonifac. VIII. in cap.
cum quis de ſepult. indicat, cum ait *portionem cano-*

nicam, id eſt quartam funeratiam, diuidendam eſſe inter Eccleſias domiciliorum, quæ defuncto erant propria dum viueret. Docent idem Ant. Butrius in ſua quadam quæſtione & Comitol. in reſponſis q. 110. probantq; auctoritate Pontif. in Clementina dudum de ſepulturis docentis, cum quis de vita exit in Parœcia aliena, in qua annum vixit, quartam funeris partem, inter eam Eccleſiam, in qua eſt ſepultus, & propriam Parochiam ſeu domicilij oportere diuidi.

Quid ſi non in Parœcia, ſed æde Religioſorum aliqua ſibi ſepulturam defunctus elegerit?

Dico primo, *Licere Mendicantibus familiares ſuos intra clauſtra morientes ſepelire in ſuis Eccleſiis*, Compend. verbo ſepultura parag. 2. ſi tamen terrę inibi mandari in eorum habitu, aut aliquo ſimili Regularium operuerint & palam, & patentor in tumulum inferri, diſcooperta facie, voluerint Sixtus quintus in Monumentis Ordinis Franciſc. conceſſione 149. Monialibus autem ſeuerè eſt à Gregor. XIII. inhibitum, ne ſęculares quos pietas domi ſuæ, hoc eſt in earum cœnobiis, ſepulturam ambire precibus induxit intra clauſtra humi condi ſinerent, exterioris Eccleſiæ partem illis vltro ac volentes annuerent Marzilla in ſuo lib. declarationum Cardinalium lib. 1. c. 10.

Dico ſecundo, *Mendicantes & alios à præſtatione medietatis quartæ funeralium Parocho, aut partis tantæ quanta ei dari, locorum conſuetudo obtinet, minimè eximi.* Trid. ſeſſ. 25. cap. 13. de reform. ibi enim antiquatis pro auctoritate priuilegiis quæ ea de re conceſſa Mendicantium ordini fuerant ſtatuit: *Vt eadem quarta funeralium, poſthac integro iure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſoluatur, non obſtantibus conceſſionibus gratiis, &c.* quem morem ſeruare Galliam, curiarum decreta indicant vt Neuſtrianæ & Gratianopolitanæ, quorum meminere, prioris quidem, Forgetus in tract. de perſonis Eccleſiaſticis cap. 33. poſterioris autem Fabric. in trac. de aliis canonicis portionib. n. 25. lit. A. & B. in marg. cum à Canonicis S. Apollinaris apud Valentiam ſuper quarta Parochiali lis intenta eſſet Minimis & hi eorum petitiones diplomatis Pontificiis, tam antiquis, quam nouis, reſponſiſque Cardinalium ſacræ Congregat. eluderent, frangerentque, præ iis tamen valuit ratio, mos gentium fere omnium, auctoritas canonum, conſuetudo Gallorum in præſtando eo iure Parocho, maxime Delphinatium, ita ann. 1614. decreto curiæ iuſſi ſunt dictis Canonicis quartæ funeralium partem alteram, iuxta morem patriæ, priſcique æui, pendere.

Dico tertio, *Regularibus tamen, & Eccleſiæ alienæ, in qua relicta propria, condi quis voluit, legem impoſitam nullam eſſe in Gallia, vocandi Parochos in cõmunionem quartæ funerariæ, cum quid eſt à defuncto relictum ſuæ Parœciæ.* Ita Bleyan. in Theoria de iuribus Epiſcopor. n. 26. cauſa eſt quod tum (inquit) rei relictæ cum prædicta quarta, cenſeatur compenſatio fieri. Sane conſtat, legata à defuncto Regularibus, in ornamenta vſumque ſuæ Eccleſiæ facta, aut victum, ac depenſum Monaſterii perpetuum, ſic eorum eſſe, vt Parochus partem ex eis ne minimam ſperare debeat.

QVÆSTIO XXXIIX.

Quid ſit Portio congrua, & an ſit Parocho debita

ESt congrua portio quam & canonicam appellat Grimaldetus in paraphraſi decimarum l. 2. cap. 8. num. 13. certa rerum quantitas, aut pecuniæ, ad Parochi vitam, dicitur *congrua*, quod rationi congruat, vt qui operam ſuam alteri accommodat, digna operæ collocatæ ſtipendia referat, *Canonica*, quod ſtata ſit, quod ordinata, quod ad regulam certam compoſita. Enim vero lege Caroli noni Regia an. 1571. præſcriptum eſt iudicibus regiis, id operam vt darent, Parocho vt ad portionem congruam, centum viginti libras annuas numerari ab his quorum id curare intererat, nomine ſuo cogerent, quod in curia ſeruari Chenutius ſcripſit in addit. ad Papon. lib. 1. titulo 12. arreſto 10. Quanquam non eſt hæc ſumma ita lege regni ſtabilis, vt eam prætergredi non ſit licitum, nam ſi Parocho alendus ſit Vicarius ad commodum fidelium, nempe quia ob anguſtias templi, aut eorum ab eo diſtantiam, vni eidemque omnes intereſſe Miſſæ non poſſint, tantum prædictę portioni addi à Parochianis oportebit, quantum Vicario ad vitã operæq; ſuæ iuſtã mercedem neceſſe erit, Maynar. l. 1. qu. cap. 39. Chenutius tit. 12. arreſto 8. Bleyanus in Theoria tit. de Canonica portione littera B. & H. ad marginem. Hoc tamen tempore portio non cenſetur canonica & congrua, niſi ducentarum ſit librarum Marillac in Codice.

Aſt enim à quo hãc exigere Parochos eſt neceſſe? Ab Epiſcopo, Abbate, aut Capitulo, quibus ius eſt decimationis, in caſtris fundis, poſſeſſionibus, aut rebus huiuſcemodi, ideoque decimarum decima appellatur vt tradit Gloſſ. in cap. fin. de decimis in 6. Quinetiam Parocho licitum, cogere ad eam Laicos, decimas infeudatas habentes, aut aliter etiam percipientes fructus decimales Grimaldetus in paraph. decimar. cap. 8. num. 21. Bleyanus proxime citatus num. 14. Cauſa eſt quod à fidelibus, ea Curioni exhiberi oporteat, ſine quibus, iuſtum ei operæ ſuę ſtipendium ſtare nequit, ergo cum iſtiuſmodi oneri reſpondeant decimæ fructuum, quas communi voluntate, fideles in pretium eſſe voluere operæ, ſibi à Parocho deferendæ, aut delatæ, ſuccedũt iſtorum loco, quoad obligationem ſatisfaciendi Curato, quotquot Papæ liberalitate, aut aliter decimas agrorum colligunt, conueniri hi ergo, ac à iudice cogi poterunt, tam Epiſcopus quam Abbas, aut Laici, vt Parocho ſtatuant, vnde viuat, cum Paulo teſte dignus ſit operarius mercede ſua.

QVÆSTIO XXIX.

In quibus rebus aſſignanda ſit hæc portio.

DE triplici rerum genere, moueri poteſt quæſtio, pecunia ſcilicet, oblationibus ac fructibus beneficij, ad ſolutionem

Dico primo, *Portionem Canonicam Parochi, aut Vicarij, non poſſe in oblationibus conſtitui.*

Primo, quia ſunt incertæ, ſunt inconſtantes, ac dubiæ, cum non conſtet, an & quid vnquam, hic aut ille oblaturi ſint Eccleſiæ.

Secundo, ali Parochũ oportet, ab his quibus operã nauat, nec enim ligari os debet bouis triturantis, cap. extirpandæ parag. qui vero, de præbendis & qui ſpiritualia ſeminant, hos æquum eſt metere temporalia, cap. cum ex officij, de præſcriptionibus, & Eccleſiaſticis vtilitatibus deſudantes, dignum eſt Eccleſiaſtica remuneratione gaudere can. Eccleſiaſticis 12. q. 2. & ſæpe accidit, oblata templis, Deoque, aduenarum dona eſſe, non locum incolentium, vbi ea fieri accidit, non in his ergo ſita eſſe poteſt Parochi portio congrua, Maynardus lib. primo quæſt. cap. 29.

Quid? quod oblationes hæretici, meretricis publicæ, manifeſti vſurarij, oppreſſoris pauperum, raptoris Eccleſiarum, admitti lege canonum non debeant? ab his ergo componi portionem congruam Parochi non eſt veriſimile, quæ eſt opinio Rebuffi tract. de congrua portione 4.

Dico ſecundo, *Cum non ſunt vlli ſtati, certique fundi, à Patrono, aut Epiſcopo, aſſignati Parochis, proportione congrua, debet eis pecuniæ ea ſumma dari, quam definitam à Carolo Rege, poſtea à Marillaco diximus, quam tamen acceptare hi non tenentur, cum præſcriptio longi temporis non facit pro efferentibus.*

Prima pars eſt certa, nam nemo, gratis alteri miniſtrare tenetur.

Secunda oſtenditur, iure communi Parocho debitæ ſunt decimæ, cum enim ſingulis Parochiis, ſinguli Presbyteri dati eſſent à Dionyſio, qui earum prouidentiam gererent, iis quoque, ad mercedem laboris, in procuratione animarum impendendi, aut impenſi, aſſignatę ſunt decimæ, quæ ad eam diem Epiſcoporum fuerant, vt eſt in can. videntes 16. cauſæ 12. q. 1. Quibus exinde querentibus, magna ſe, ob officia communia charitatis, quibus nullo non tempore, proſequebantur inopes ac aduenas, magna inquam ſe, familiamque penuria vrgeri, permiſſum à Pontifice eſt, vt de iis partem alteram, charitatiui auxilij nomine detraherent: quæ cauſa, mouit Pontifices Gallos in Aurel. Conc. 1. prout refertur in can. antiquos 10. q. 1. Parochis vt annuerẽt pro depenſo diurno annuo, redditum Parochialium ſemiſſem, quæ poſtmodum auctis Epiſcoporum facultatibus ad trientem peruenit, decreto Tolet. Concil. vt habetur in can. conſtitutum 60. cauſa 16. q. 1. *quod ſi ab iis amplius quidquam præſumptum extiterit, per Concilium reſtauretur*, inquiunt ibi Patres, *appellantibus ipſis conſiliatoribus, aut certe propinquis eorum, ſi iam illi à ſæculo diſceſſerunt.* Demum labentibus annis factum, auctoritate Gelaſij in can. vobis, & ſequentibus 12. q. 2. decimarum pars vt vna, Epiſcopo cederet, Curioni altera, pauperibus tertia, fabricæ vltima. Ita primò Parocho attributi redditus, in quadrantem ſunt mutati, quæ & quarta decimationum, eſt dicta ab Honorio III. in c. conquerẽte 16. extra de offic. ordinarij. Pars hæc ergo ſacrorũ redituũ, minimùm eſt debita Curato, proindeque vbi non eſt patrono aut Epiſcopo, ius vllum, per præſcriptionem longiſſimi temporis acquiſitum, ad aſſignandam penſionem pecuniariam Parocho, aut Vicario perpetuo, reſeruatis ſibi Parochiæ fructibus omnibus, oblatam repudiare hic, & ille ſine peccato poterunt.

Dico tertio, *Non poſſe Epiſcopum aut Patronum aſſignare Parocho fructus certi prædij, aut poſſeſſionis, qui ei ſint loco portionis.* Quia ſi non naſcerentur, aut nati perirent illico, cauſarentur Epiſcopus ac patronus, omnem eliſam obligationem eſſe, alendi à ſe Parochi, & nulla ei ſtaret portio congrua. Quare eſt hæc in omnibus beneficij fructibus collocanda, hoc ſenſu, quod ex iis primum omnium, portionem ſibi debitam detrahere Parochus poſſit, Maynerius in leg. de omnibus obligationibus digeſt. de regul. iuris, Rebuff. in tract. congruæ portionis q. 10. n. 84. ob cãque cauſam Parochus cõuenire Laicũ poteſt ſi quando ſingulari priuilegio, eos iuris ſui faciat, vel etiã clientari iure decumano Louëtus lit. D. art. 6. nec enim melior debet eſſe prophani hominis conditio, qui decimas occuparit priuilegiaria lege, quam Eccleſiaſtici eas percipientis ſed aduerſus hunc cum fructus decimales omnes percipit admittitur in foro Parochus, pro petitione portionis congruæ ſeu canonicæ, ergo & potiori iure contra Laicum Grimaldetus ſup. c. 8.

Dixi *in fructibus beneficij*, nam ſic Tholoſæ à curia ſtatutum eſſe anno 1603. pro Curione *de la Baſtille de Monfort*, aduerſus Illuſtriſſ. Albiorum Epiſcop. ſcribit Chenut. in addit. ad Papon. tit. 12. arr. 8. Pariſiis autem anno 1601. pro Curione S. Dionyſii, *de Chaſteau Roux*, apud Bituriges Louëtus loco proxime citato.

QVÆSTIO XL.

An tam dona propinquorum, quam Patrimonialis poſſeſſio, computari debeant, in portione congrua.

CAuſa dubitandi eſt, quod ceſſent data Monacho ad ſuſtentationem congruam ac decentem, vbi primum Papæ aut Abbatis indulgentia, beneficio præficitur, aut aliud aſſequitur, vnde commeatus ei ad vitam ſuppetant. Ita contendit Rebuffus in praxi tit. quando Oblati regio nomine in Monaſterijs ſint recipiendi num. 38. iuſtam militi cauſam deeſſe exigendæ penſionis annuæ, quã ab Abbate poterat iure ſuo repetere, peræque ac Religioſi cæteri, hoc præciſe nomine, quod Regi à quo Monaſterio eſt addictus ita placeat. Iuſtam, inquam, cauſam non eſſe, portionis petendæ ſibi debitæ, cum hæreditatem iniuit ſe dignam. Quia tũ ceſſat cauſa mandati, ecquid enim Rex impellitur, ab inopia quæ vrget militem, vt eum cœnobitis aggreget, quoad ius diurnæ præbendæ? *Par pitié & aumoſne, & en faueur des ſeruices que nous a faict auons donné & octroyé, donnons & octroyons, ledit lieu & viure d'vn Religieux en voſtre dicte Abbaye auquel vous deliureriez, par chaſcun iour pitance, vinres, & autres ſes neceſſitez.* At acquiſita ſucceſſio, ingens & copioſa, prædictum militem, extra pauperum numerum conſtituit, ergo & iure omni vacuum, ad portionem, ante ſibi, vt Monacho ſæculari, ac oblato debitam.

Dico tamen 1. *Quæ dono dantur Parocho, aut ei aliunde aduentunt, vt ex simplici beneficio, hæc in portione congrua computanda non esse.* Ratio est quod portio canonica, ac congrua, Parocho conueniat, ratione Parochiæ, quam in fidelium commodum administrat, sed quæ dono deferuntur, aut occasione simplicis beneficij, hæc non dantur vti merces collocatæ operę in regendis animis.

Deinde quæ per se primo, ex opere aliquo nostro non sequuntur, hæc obligationem ac nexum, quo tenemur alteri, non adimunt. At quod beneficium alterius in me extet, commune nihil habet, cum obligatione quæ cuique inest, remunerandæ operæ, quam ei detuli: ergo, &c.

Dico secundo, *Quæ industria sibi sua Parochus comparat, vt docendo, legendo, concionando, hæc portionis congruæ loco esse non possunt.* Causa est quod istiusmodi compendia, aliunde ortum habeant quam ex Parochia, cuius haud dubiè non sunt fructus.

Deinde, quod quis capit extra defuncti patrimonium, hoc legitimam non ingreditur: lege scimus §. repletionem Cod. de inofficio. testam. ergo nec quæ Parochus assequitur alio nomine, quam demandatæ sibi Parochiæ vt docendo, scribendo, meditando, hæc portionis canonicæ partem constituent. Sanè etsi Carbonello Rectori Parochialis Ecclesię *de la Bastille de Montfort*, beneficia non deessent alia, simplicia tamen, vnde non mediocres ad honestam sustentationem seque dignam ei suppetebant redditus, credidit sibi tamen Tholosana curia portioni eius congruæ addendum, quod Vicario ad vitam sufficeret Chenut. & Bleyanus supra.

Dico tertio, *Portione congrua semel assignata, peti non potest vt augeatur.*

Primo, quia congrua portio diminui per Abbatem, ac Monachos non potest, decreto Alex. III. in cap. auaritiæ de præb. ergo nec augeri, cum contrariorum eadem sit disciplina, lege, ff. de his quæ sunt sui vel alieni iuris.

Secundo imprudenter ageret Parochus, si à Patrono, vel Episcopo contenderet, vt beneficij quod possidet fructus augeret, ac redditus, cum ad id neuter teneatur, nec habeat Curatus, quem præter se culpet, qui leuitate animi, beneficium tenue ac nullorum aut paucorum fructuum, conferri sibi sit passus. At est portio canonica, obuentionum instar, huius ergo non nisi inaniter, accessio peti potest à Parocho.

Cõtraria tamen opinio probabilitatis habet speciẽ non modicam, nititurq; auctoritate Innoc. III. in decretali extirpandæ 30. de præbend. ad eum enim cæterosque Episcopos qui Concilio Lateran. intererant cum fama publica, multorumque querelæ detulissent Presbyteris, qui Parœciarum seruitiis erant deputati: *Pro sua sustentatione non obtinere nisi quartam quartæ, id est sextam decimam decimarum*, quæ iis alendis, ac earundem Ecclesiarum oneribus ne media quidem parte par & æqualis erat, statuit, *Vt (consuetudine qualibet Episcopi vel Patroni non obstante) portio Presbyteris ipsis sufficiens assignaretur.*

QVÆSTIO XLI.

De oblationibus, & an factæ in alia Ecclesia quam Parochiali, sint tamen Parochi.

OBlatio idem est ac donum, Patribus autem & Concilijs, idem ac Missæ sacrificium, priori modo vsurpatur in Concilio Moguntino sub Carolo magno can. 44. posteriori in Laodicensi & Aquisgran can. 84. his verbis, *nõ oportet in domibus oblationes celebrari à presbyteris*, id est missas dici: opinor, eam ob rem quod vna cum materijs conuertendis in Christi corpus & sanguinem, Deo patri offeratur Deus filius. Est ergo oblatio idem ac sacrificium, & donum. Moguntiacum can. 44. *Oblationem quoque & pacem in Ecclesia facere, iugiter admoneatur populus Christianus, quia ipsa oblatio, sibi & suis magnum remedium est animarum, & in ipsa pace vera vnanimitas, & concordia demonstratur.* Et can. 11. Aure. Concil. 4. oblata Ecclesijs, in Episcopi aut Abbatis conuerti potestatem prohibentur, can. autem 19. data Deo vetantur reuocari, sub pœna excommunicationis.

De his oblationibus iam quæritur.

Primò, de quibus rebus fieri debeant.

Secundò, quotuplices earum sint species.

Tertiò, an earum capaces sint laici.

Quartò, an semper sint Parochi, etiam extra Parochiam factæ ad solutionem.

Dico primò, *Quidlibet, modo sit dantis, bonumque, offerri Deo posse.*

Primò, quia in Concil Aurel. 4. can. 17. camporum sit & vinearum mentio, *quicunque pro deuotione sua, oblationis studio, in campellis vel in vineolis etiam, absque scriptura probatur Ecclesia contulisse*, &c.

Secundò, quod acceptari potest ab Ecclesia Dei nomine, potest & hoc ei offerri, at quis nescit, Ecclesiæ, & Episcopis, gratam esse aduersum se, suosque, tam mortuorum quam superstitum beneficentiam? sane multis locis Franciæ, in funebribus mortuorum exequijs, offertur pecunia celebranti Parocho, in Campania panis & vinum. Nec à Pontifice Greg. 7. in Romana Synodo certi quidpiam statuitur, quod Deo fideles offerant, sed id tantum, vacuis ad eum manibus, ne accedant. Sic enim de consecrat dist. 1. can. 69. *Omnis Christianus procuret ad missarum solennia, aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam quod Deus per Moysem dixit, non apparebis in conspectu meo vacuus.* Quare verissime mihi loquutus videtur Paschalis Pontifex, cap. causa Carpensis 13. de verborum significe. *Oblationes dici, quæcunque de propriis & licitis rebus à fidelibus offeruntur: quicunque igitur eas per potestatem obtinet secularem, preculdubio contra Deum, & Sanctorum Patrum statuta sanctiones.*

Dico secundò, *oblationum tres esse species.*

Prima, est, donatio rei inter viuos, Deo facta vel Ecclesiæ.

Secunda, fit causa mortis, & dicitur legatum.

Tertia, vocatur vsualis, quam fideles, ipsi per se, inter missarum solennia, Deo in persona Parochi exhibent, quæ hoc differt à prioribus, quod illæ, nunquam sint necessariæ, ista autem sit in certis casibus, primo, cum consuetudo longo tempo-

rum firmata tractu, obtinuit ſtatis vt anni tempo- A
ribus, Parocho aliquid offeratur, futurum benevolentiæ & amoris aduerſus illum, pignus, nam vt habetur cap. ad Apoſtolicam, de Simonia, in id incumbere debent Epiſcopi, ne inuecta cum laude in Eccleſiam, ac popularium more, vſuque corroborata, intereant, quod & authoritate ſua feciſſe olim iudices, modoque in id eis adnitendum eſſe, ſcribit Boerius in deciſion. q. 236.

Secundò, facienda eſt neceſſario Parocho oblatio, cum certi ei nulli ſunt redditus alij ab oblationibus, nam cum hæ ſint loco reddituũ, non ſunt in eo caſu Parocho negãdæ can. ſtatuimus §5. 16. q 1.

Tertiò oblationes ſunt debitæ, cum ſunt imperatę, ac de teſtantis voluntate vltima, faciendæ, vt pote in anniuerſarijs, aut mortuorum exequiis can. nulli 12. q 2. can. vltima voluntas, can. qui oblationes 13. q. 1. qua de re Sylu. verbo decima q. 2. Rebuff. de decimis q. 1. num. 24.

Difficultatis tertiæ ſolutio facilis. Enimuero cum quæ certi ſunt hominis, vſupari ab alio nequeant eo repugnante, non poteſt laicus oblata Eccleſiæ, aut Parocho, iuris ſui facere, niſi hic, & illa approbent, & in hoc ſenſu conſtat, decimarũ, ac munerum quæ ad conciliationem numinis, Eccleſiæ deferuntur, aut Parocho, prophanos homines capaces non eſſe, Pontifice tamen annuente, non video, cur hæc vindicare ſibi iure quam optimo nequeant, nam quę decimarum, eadem eſt oblationum quoque ratio, at illas, Papæ aduerſum ſe beneficentia non vulgari, Reges ac Principes colligunt, nihil ergo magnopere impedit, quo minus eiuſdem voluntate, oblata Deo, fortunis ſuis Laici, opibuſque adiungere nequeant.

Dico 3. *Quæ in Eccleſia Parochiali, aut alia, intra eius terminos poſita, Principi Deo fideles offerunt, hæc communiter in rem Parochi tranſire*, Piaſecius parte 2. praxis cap. 5. art. 4. n. 44 Zechius cap. 28. Abb. in rubric de Paroch. & in cap. paſtoralis de his quæ fiunt à prælat. Bleyanus de præſtimonijs & oblation. Ratio eſt, quod quidquid altari aduenit, ex voluntate dantis non neceſſario D
applicandum in bonum Eccleſiæ, id totum commodis Parochi cedat, At quæ in aram inferuntur, hæc Eccleſiæ vtilitatibus inſumenda, proprie non dantur, ſunt ergo in bonum Parochi de tacita dantis voluntate conuertenda. Dixi communiter, nam eorum partem alteram, interdum vindicare ſibi, Epiſcopo eſt permiſſum.

Primò, ſi in eorum communionem, illum conſuetudo aduocat can conceſſo 21. q. 2.

Secundò, ſi celebranti ſunt oblata, cap. ſuper eo de Parochiis aut in Parochiã illata ſunt religioſo animo, dum Epiſcopus ſacris in ea vacat. Hoſtienſ. in ſum. de Paroch. n 2. Socinn. de oblat. l 28. q. finali, Bleyan. loco cit. Quæ autẽ de alia Eccleſia diuerſa, à Parochia ſunt dicta, hæc de ea tãtũ debent intelligi, quæ eidẽ Parocho eſt commiſſa, nam quæ Eccleſia, bona diſtincta habet à Parochiali, aut clericum diuerſum à Parocho, ei præpoſitum, illi non Curato aut Parochiæ, ſacræ ſunt oblationes debitæ. Bleyan num. 24. tract. de præſtimo. Felin in cap. dilectus n. 2. & 3 de offic. ordinar Genuenſ. in praxi cap. 72. nu. 14. Piaſecius proxime citatus nu. 44. vbi id ait deciſum Romæ a. 1585. Orano præſide.

QVÆSTIO XXXXI.

De iure Parochi quoad Matrimonium.

ESt hoc Parochorum priuilegium non vltimum, vt conſcij conſenſus mutui coniugum, eorum matrimonia reddant valida, Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. quo de priuilegio hoc quærendum primo An ita Parochorum ſit proprium, vt, illo ſint ſemper vſi, quod idem eſt ac petere, an ſemper matrimonia clandeſtina, nulla extiterint.

Et communis eſt Theologorum opinio. Concilij B
authoritate firmata ſeſſ. 24. cap. 1. non niſi à paucis annis eſſe talia, ſcio Chaſſanæum in Catalogo gloriæ mundi pag. 12. conſid. 36. Cotraſium lib. 1. Miſcell. ca. 37. Gentian. Heruetum in oratione ad Trid. huius nullitatis initia ad Euariſt. referre.

Primò, quod 30. q. 5. can. 1. dicantur hæc connubia legitima non eſſe, ſed adulterina.

Secundò, quod ab omni æuo, interdicta fuerint ab Eccleſia Gratiano teſte 30. q. 2. can. 2.

Sed patrum ſententia potior, aſſerentium ſeſſ. 24. ca. 1. ante Conc. tempora, clandeſtina matrimonia fuiſſe valida. Equidem eſt contractus, authore D. Tho. validus, quem pars nulla, ad eſſentiam eius neceſſaria deſtituit, at erat matrimoniũ, C
clam Parocho, teſtibuſque factum, eiuſmodi ante Trident. nec enim eo tempore maior erat Parochi, quam teſtium ac denuntiationum, è loco publico neceſſitas, quas tamen nemo non intelligit tum eſſentiales matrimonio non fuiſſe, ſed accidentales tantum ac extrinſecas: ergo &c.

Ad primum oppoſitæ ſententiæ argumentum.

Reſpondendum eſt, clandeſtina matrimonia vocari non legitima, quod ab Eccleſiæ legibus abhorreant, quo nihil dici, eſſeque poteſt verius, cum ea, nunquam non execrata fuerit Eccleſia, iuxta Trid. loco citato, ob animæ periculum, ſcandalumque neſcientium, ea eſſe matrimonia à quibus cum idcirco haberentur adulteria, eamobrem D
adulterina vocata ſunt.

Ad 2. dicendum, non quæ contra Eccleſiæ decreta fiunt, hæc omnia inania eſſe, nullaque. Nam matrimonium inire temporibus vetitis, vt in aduentu & quadrageſima, malum eſt, ac contra præceptum Eccleſiæ, factum tamen tenet, ergo quod clandeſtina matrimonia fuerint ſemper prohibita, argumentum non eſt, ea fuiſſe inualida.

Quærendum ſecundò, an matrimonium in nullo euentu ſit validum, clam Parocho, teſtibuſque initum.

Reſpondendum ratum non eſſe. Nam matrimo- E
nium à non idoneis, capacibuſque contractum, eſt nullum: at vir & mulier ſunt eiuſmodi, abſentibus Parocho & teſtibus ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 1.

Confirmatur Sacramentum eſſe ſine materia ſua eſſentiali non poteſt, at traditio corporum, matrimonij eſſentialis eſt materia, & ad eam mutuo, cauſa ſua faciendam, inhabiles omnino ſunt coniuges, Parocho non præſente, ergo in nullo caſu valet, aliter contractum.

Quid ſi vrget neceſſitas, eaque extrema, ecquid Epiſcopo fas erit, in lege Eccleſiæ diſpenſare.

Reſpondendum non eſſe, primo, quod etſi materiam Sacramenti dubiam adhibere, neceſſitas extrema indigentis patiatur, non tamen aperte nullam.

Secundò, quod Episcopo, tantum audere ratio non indulgeat, vt de sacramentis eorumque materia, statuere possit arbitrio suo.

Tertiò, in lege diuina dispensare Præsul nequit, cum dispensatio iurisdictionis sit actio, qua omni caret Episcopus super diuina iura. Sed quod matrimonium præsente Parocho fiat, lex est diuina, Nam ad hanc pertinet, quicquid ad matrimonij stabilitatem essentiamque facit, cuiusmodi est veræ materiæ, formæque applicatio, cum initur, ergo cum materia formaque sacramentorum, de lege sint diuina, ad hanc legem pertinebit, præsentiâ Parochi testiumque, firmare matrimonium.

Quæritur 3. an cognito quod matrimonium inualidum fit ob Parochi defectum aut testium, vir & mulier seiungi à sese inuicem possint, authoritate propria.

Respondeo posse, primò, quod sit nullum.

Secundò, quod ea tantum authoritatem iudicit postulent, quæ eo non consulto facta, animarum saluti sunt noxia, ob periculum scandali, at hic nihil tale est timendum, omnium enim cõscientia teneri dicitur, coniugij facti inter virum & mulierem Parocho non præsente, nullitas.

Tertiò, quod est aperte nullum, aut de iure non sortitur effectum, impedimentum non præstat, regula non præstat de reg. iuris in 6. sed matrimoniũ clam Parocho initum, aperte est nullum ex Trid. sess. 24. c. 1. ergo ei in contrahentibus non est adiuncta, cohabitandi dum viuent, vlla necessitas, separari ergo à sese mutuo poterunt, cum volent.

Quæritur 4. an coniugibus extra prouinciam positis, operam suam ad matrimonium, cum effectu contrahendum, sine culpa vlla sua deferat Parochus. Sensus est an extra Parœciam aut Diœcesin Parochus, aut Episcopus contrahendis matrimonijs inter suos interesse possint.

Nauar. in volum. 2. cons. l. 4. de sponsalibus cons. 37. & cons. 52. negat eos valide ad hanc rem, præsentiam suam operamque commodare posse, quia existimat personam Episcopi, extra suam diœcesin & Parochi extra suam Parœciam priuatam esse, nec ea authoritate pollere vtrumque, quæ celebrandis matrimonijs est necessaria.

Contrariam opinionem amplectendam sibi credidere, Comitol resp. l. 1. q. 131. Sanchez 3. de matrim. disp. 19. cum alijs quos citat, & probatur.

Primò, quæ iurisdictionis sunt voluntariæ, & non contentiosæ, hæc vbique etiam extra Parochiam, exercere subditorum causa, Parocho est concessum, sed assistere matrimonio actus est iurisdictionis voluntariæ, nam cum eius non sit quisque capax, (nec enim per Concilium fas alteri quam proprio Parocho firmare præsentia sua coniugium) haud dubie in eo qui authoritatem præstat matrimonio, iurisdictionem exigit eamque voluntariam, cum expromatur in subditos, non inuitos, sed volentes, ac sine vlla actione iudicis pro tribunali sedentis, in quo à necessaria iurisdictione distingui voluntariam scripsere Rebuff. de verbor signific lege 3. Maranta de ordine iudicior. par. 4. tract. an simplex vel duplex dist. 18. num. 1. & 2.

Secundò, minus est assistere matrimonio, quam confessionẽ excipere, at hoc vltimũ potest Parochus in omni loco vt dicemus postea. Maior probatur, Parochus assistendo matrimonio nihil efficit, sed tantum interest tanquam testis qualitatem A & dignitatem Parochi habens, cum autem Confessionem excipit, agit, nam absoluit, & authoritate Dei, peccata remittit, ergo minus est, vim & authoritatem dare matrimonio, quam sacramentaliter peccata audire eaque absoluere.

Argumento Nau. Respondendum est, negatione eius propositionis, quam pro certa habet, Episcopum & Parochum, extra suæ potestatis fines & in aliena Diœcesi, personas esse priuatas, cũ enim magistratus, quem in Dei Ecclesia gerunt, sit publicus, vt pote fidelium causa institutus, quibus proinde cum semper amborum ædes pateant ad solatium, vitæque beatæ subsidium priuati dici, haud dubie nequeunt, cum qui tales sunt, sibi viuant, non alijs. B

Dico 2. falsum supponi ab aduersario, nempe cõtrahendo matrimonio, præsentiã eius esse necessariã, qui officij alicuius cõmunis ac publici, honore in republica fruitur, quod enim sustinent testes? quo funguntur magistratu Sacerdotes simplices? quos tamen sibi in hoc matrimonij contrahendi munere, subrogare posse Parochum, quis ambigit? Nihil ergo positæ assertioni incommodat, allata Naua. obiectio.

Opponunt & alia Henriquez l. 11. de matrimonio cap. 3. n. 2. Manuel 1. tomo summ. cap. 219. nu. 7. quæ quoniam ab inani, vereque falsa opinione manant, existimantium, sistere se Parochum, aut Episcopum non posse, contracturis matrimonium, sine contentiosa iurisdictione, in externo foro vt loquuntur, eorum commemoratione supersedeo. C Nec enim, si initiare ordinibus idoneos in Diœcesi nõ sua, Episcopus potest, nec maritis Parochus benedicere extra Parœciã, ideo fit illico, omnis vt vtriq; potestas sit adẽpta, assistendi matrimonio, nã illa sine tumultu quodam iudiciario fieri nequeũt, cum & maritos, inter missarum solennia, à Parocho ex altari, vti de tribunali publico, benedictione donari oporteat, & clericos ab Episcopo sacris Pontificum vestibus conspicuo, promoueri ad ordines, hinc est, propterea quod neutrum, neutri eorum extra territorij proprij fines, facere e sit concessum, quod non habet locum similiter in matrimonio aut pœnitentia, cum hæc clam, ac domi in cubiculo, nemine admisso præter Parochum, D ac testes duos fieri possint.

Quæritur 5. an Parochum Sacerdotem esse, sit necesse, vt matrimonium cui assistit sit validum.

Quæstioni satisfaciunt Sanchez 3. de matr. disp. 20. num. 3. Nauar. in Consil. to. 2. l. 4. tract. de clandest. desponsat. Consil 9. Posseu. de offic. curati cap. 10. de matr. q. 14. & omnium est hæc sententia, id necesse non esse ad effectum, qui quęritur.

Primo quod quæ iurisdictionem externi fori spectant, hæc si à potestate ordinis non pendent, obire possit non Sacerdos, ex cap. suffraganeis & ca. transmissam 15. de elect. vbi dicitur, Episcopum non consecratum, posse per se, Præsulum officia omnia præstare, cum ordine non coniuncta, quæ exequi consecrato non est prohibitum, sed adesse matrimonio, iurisdictionis est actio, non ordinis. E

Secundò, quod Parochus, vere sit talis, id non habet ab ordine, sed à potestate, ac cura animarum ei commissa; cum ante presbyterium receptum dicatur Parochus, & Ecclesia Parochialis ei permissa esse, cap. licet canon 14. de electi. in 6. & animorum curam & regimen habere cap. cum à cunctis 7. extra de electione, ergo cum præter personam Parochi ac testium, nihil requiratur

iure

nouo Concilij, sitque non Sacerdos istiusmodi, factum coram eo matrimonium, erit validum, modo cætera ad eius essentiam necessaria non desint. A

Tertiò, Ideo adhibendus est in matrimonio Parochus, vt de eo inito constare possit Ecclesiæ, at quam id testari potest Presbyter, tam cuius alteri, ea dignitate nondum conspicuo, id facere, in eoque non mentiri est licitum, potest ergo non Presbyter, Parochi munere fungens in Ecclesia, peræque matrimonio adesse valide, ac qui quam optime, in Sacerdotum est numerum cooptatus.

Ex dictis intelligere cuique pronum est ac facile, vt in Parochi non Sacerdotis potestate est, alium Sacerdotem sibi substituere, qui vices suas obeat, ita interdictum esse, hanc prouinciam committere non Presbytero. B

Pars prima, propugnatores habet, Nau. lib. 4. conf. 6. tomi 2. iuxta 2. editionem Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 3. n. 5. Sanch. li. de matr. 3. disp. 20. n. 7. & vero quod quis per se, hoc & per alium obire potest, at sacri Presbyterij insignibus destitutus, matrimonio vim præsentia sua tribuit, dabit ergo & per alium, modo Presbyterum.

Deinde quæ iurisdictionis sunt propria, hæc Parocho non Presbytero competunt, præter ea quæ à sacro ordine defluunt, at quod subrogare sibi queat idoneum, cuius in oculis fiat matrimonium, ordinis non est sacri beneficium, cum id non Parochis aggredi tentareque sit vetitum.

Secunda pars est Doctorum fere omnium, **Vegæ** l. 6. summæ casu 112. P. de Ledesma, de mat. q. 45. art. 5. puncto 3. dub. 4. & aliorum quos breuitatis causa prætereo. Probaturque, Quia Concilium, Sacerdotem exprese postulat, cum Parochus præsentem sistere se nequit, matrimonium inituris, ergo cum à mente Concil abire non sit integrum, verbaque sint secundum communem intelligentiam accipienda iuxta cap. ex literis de sponsal, factum coniugium coram clerico sed non Presbytero, etsi consentiente Parocho erit nullum. Ita Nau. l. 4. consil. consil. 6. de clandest. desponsa. C

Quæ autem hic à nobis dicta sunt de Parochijs, intelligenda sunt etiam de Vicarijs perpetuis, cum regantur eodem iure quo Parochiales, iisque æquiparentur Clem. vn. de offic. vicar. & per adeptionem secundæ Vicariæ vacet prima Clem. vn. de offic. Vicar. quemadmodum & Parochiæ cap de multa de præbendis & Extrau. execrabilis: eodem tit. D

Quare vt in Parochum ciuitatis, aut muratæ villæ assumi nequit, destitutus conditionibus ante explicatis, ita nec in Vicarium perpetuum, ei præfuturum quem insigne magisterij, aut honoris alicuius classici non decorat, aut qui saltem sine tali prærogatiua dignitatis, tres annos in Theologicis studijs, aut iuris canonici non posuit, quod sufficere etiam sine gradu in responsis docui. E

QVÆSTIO XLII.

Quæ sint affectiones Parochiæ proprie sumptæ.

PRima est, posse renuntiari, in fauorẽ tertij, Puteus decis. 85. Flami. l. 2. de resign. q. 1. nu. 104. nam Parochia est beneficium, iuxta Archid in ca. licet can. de electione in 6. cũ ei potestas sit iusq; exercendæ sacræ functionis, ac colligendi eam ob rem temporalis commodi, ex Ioan. de Selua par. 1. de benefic. q. 2. Steph. de statu & qual. benefic. n. 2. sed beneficia, iure communi possunt cum facultate Episcopi, alteri resignari, ergo & Parochia.

Secunda est, non posse ab alio, iure communi regi, quam Clerico sæculari. Rebuff. in praxi parte 1. tit. de dispen. cum regularibus facta num. 38. causa est, quod mundi curis, Religiosus irretiri non debeat, cum enim abiudicato sæculo, vitæ genus sit amplexus tranquillum & innocens, vltro relabi eo non debet, vnde illum cœli amor abstraxit, plangentis enim partes in Dei Ecclesia sustinet non docentis, can. Monachi can si cupis 16. q. 1.

Fit tamen aliquando dispensatione Pontificis, vt ei Monachus præficiatur, 1. cum id necessitas exigit, vt si sæculares nulli suppetant idonei qui eam regant, cap. inter 4. de regular. aut si ob hæreticorum vicinitatem, expediat illam committi, viro doctrina iuxta ac pietate illustri, qui habendis concionibus, docendaque plebe, Ecclesiæ splendorem in vicinis circa locis illibatum conseruet. Ita cap. quod Dei timorem 5. de statu Monachorum, permittitur Parœcialis Ecclesia, canonico regulari administranda, quod magnam spem sui fecisset, diuiniq; cultus promouẽdi, prædicatione verbi sacri. Sic Innoc. 3. dicto cap. his verbis. Licet in Lateranensi Conc. de Monachis caueatur, ne singuli per villas & oppida, per quascunque Ecclesias Parœciales ponantur, &c. Quia tamen istud de Canonicis regularibus specialiter non cauetur, quia etsi à sanctorum Monachorum consortio non putentur seiuncti, regulæ tamen inseruiunt laxiori, & per antiquos canones, etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parœcialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationibus officium (quod priuilegiatum est exercere) sic annuendum duximus postulatis vt exercens plebani officium vnum Canonicum regularem tecum habeat.

Tertia Parochiarum affectio est, vt in villa muratæ existentes solis, graduatis dentur, maxime in Gallia Concord. tit. de collationibus §. statuimus

Quarta, vt in partibus obedientiæ, ac in quibus locis receptum est Concil. non conferantur extra resignationẽ ac permutationẽ, sine cõcursu, Trid. sess. 24. cap. 18. Pius 5. in Bulla 32. Cui Initium *in conferendis*. Dixi extra resignationem, nec enim facta Parochialis Ecclesiæ cessio, in fauorem tertij: decreto Concilij cõprehenditur, iuxta Puteum decision 314. num. l. 1. Flamin. de resignatio. li. 10. q. 7. num. 14. & 13. vbi ait, id à sacra Congregatione Concilij responsum non semel, & responsionis videtur esse hæc causa, quod beneficium resignatum in fauorem tertij non vacet antequam detur cessionario, sed concursus esse nequit de beneficio alio quam vacante, ergo regula de concursu instituendo super beneficijs vacantibus, non complectitur resignata in fauorem tertij. Minor est ex Concil. euidens Maj. probatur beneficium dandum

Per resignationem in fauorem tertij non vacat, nisi cum illud vacare resignans vult, cum à sola eius voluntate id pendeat, nam si nollet, non vacaret, sed est hæc intentio resignantis in fauorem, vt à se ius beneficij sui non abdicet nisi ex hypothesi, quod erit resignatarij vt diximus tract. de resignat.

Quinta affectio Parochiarum est, vt post annũ ab earum assequutione canonica, & per Ordinarium facta, regantur à presbytero, alias vacant ipso iure, cap. licet canon in 6. de elect. quod quomodo sit intelligendum diximus antea.

QVÆSTIO XLIV.

Quibus in rebus Parochiani subijciantur Parochiali Ecclesiæ.

PRimo in Sacramentis, quæ in ea frequentanda sunt, quantum potest fieri commode, Baptismus quidem ac Extrema-vnctio, de Parochi manibus aut Vicarij eius, necessario sunt recipienda: Clem. I. § dudum de sepult. collata à Religioso, sunt valida non tamen sine pœna in conferente, qui excommunicationem ipso facto incurrit, Clement. Religiosi de priuilegijs, sicut & quo tempore, Episcopo aut Parocho non approbantibus, matrimonio interest, aut alieni iuris ac potestatis homines, viatico reficit. Clem. Religiosi de priuilegijs, & quanquã vbi locus resque ferunt, cuilibet alteri ædi sacræ, sit ad exemplũ fidelium in obeũdis sacris mysterijs, præferenda Parochia, nimium enim quantum id potest ad ingenerandum in spectantium animis pietatis studium, non est tamen vnde peccatum metuant, obnoxiæ Christo gentes, secus si facere animum inducant. Nam & assidere sacræ mensæ quolibet tempore extra Pascha, in religiosis templis Mendicantium possunt, Lælius de rep. Ecclesiastica cap. 27. nu. 13. non vero sæcularium, nec est non Parocho ad eam alienos admittere, aut salutare Christi corpus postulantibus porrigere licitum, nisi de Episcopi aut proprij Episcopi licentia Carthaginense 1. can. 7. Clem. dudum de sepultur. eaque expressa aut tacita qualem habet authore Nauarro cap. 21. Enchir. n. 52. Lælio cap. 27. n. 13. quisquis existimat id pastori proprio molestum non esse.

Peccata autem quolibet tempore, etiam Paschatis, apud Religiosos Mendicantes, aut eorũ similes in priuilegijs deponere, ac in eorum templis præcepto de audiendo sacro satisfacere posse, probauimus supra cum de Sacramentis.

Secundo, Parochiali suæ Parochianus subest, in oblationibus, primitijs, ac decimis ei non negandis Concil Romanum 356. Card. Tuscus tom. 6. concl. 97.

Tertio, in sepultura, quam de iure communi, omnes in Parochia sibi sua optare debent, factum tamen longa pridem consuetudine populi, iam vt promiscue cunctis sit integrum, in aliena sibi eam eligere, Partis secundæ petenda fides ab vsu, experientiaque quotidiana hominum, pro prima facit cap. 5. ex parte de sepulturis in hæc verba. *Ex parte canonicorum Obrigens. nobis est intimatum, quod prior de insula, quendam Parœcianum suum post appellationem ad nos factam, in sua Ecclesia sepelisse mandamus quatenus præfatum Priorem compellas, vt memoratis Canonicis, prædicti Parochiani corpus restituat, & exinde amicabiliter conueniat cum eisdem,* A quod cap. is qui eodem tit. in 6. Bonifacius quoque fieri imperat.

Quarto, in eo quoque Parochiali suæ, cultum, ac obsequium Parochianos exhibere necesse est, vt Parocho ex fide tribuant, quidquid ad funus pertinet, Lælius cap. 38. num. 13. aũt Ecclesiæ, cuius id ita proprie fieri. Vt alterius funeris prætextu, à defuncti propinquis peti non possit, docet Bleyan in Theoria trac. de reliq. exactionibus Clericorum. & Laicorum num. 26. littera P. ad marginem, quin etiam adiicit, non modo funebria luminaria, ferales tædas, lintea sarcophagi, ornamenta eius omnia, sed & aræ frontales, & Sacerdotum pullas vestes, exequiis paratas, pannos item lugubres, quibus capellę parietes sunt velati, Ecclesiæ esse ac Parochi, easque in vsum matricis Ecclesiæ, per eum ac matriculatios cõuerti posse, scripsit Bacquetus tract de iurisd. c. 20. n. 27.

B

Quid si in maiorum sepulchrum inferri, defunctus voluit? quid si tumulum sibi alibi elegit quam in propria Ecclesia? quod cuique licere canones indicant, tertius de sepulturis in 6. & 4. eiusdem tituli in decretalibus.

Respondendum Parocho, aut eius Ecclesiæ pro locorum varietate aut consuetudine, quartam esse dandam omnium, quæ sunt cum funere illata in templum, ita Alexander III. cap. de sepulturis 10. his verbis: *In vltima voluntate relicta, possint licenter accipere, soluta tantummodo quarta Parœciali Ecclesiæ, de cuius Parœcia, mortuorum corpora assumuntur, præterquam de equis & armis quæ indulta, &c.*

C

Et hæc quarta pars, canonica portio dicitur extra de sepultur. cap. de his 4. danda Parocho, nisi consuetudo vt dicebam, sit alia, quæ non nullibi obtinuit, Lælio teste, pars vt media omnium, quæ à mortuo sunt in causas pias relicta, ei sit debita, Abbas in cap. certificari de sepulturis 9.

Nomine autem Parochialis Ecclesiæ, cui quarta est danda, ea tantum est intelligenda, in qua mortuus dum viuebat, diuina audiebat, Sacramenta obibat, aut obire eum oportebat cap. 2. de sepulturis in 6 *Cum quis*, inquit Bonifacius VIII. *cuius matores, sunt soliti, ab antiquo in aliqua Ecclesia sepeliri ea dimissa eligit alibi sepulturam, canonica portio, dimissa non debetur Ecclesiæ, sed illi dumtaxat, in qua ille officia consueuit diuina audire, & Ecclesiastica recipere Sacramenta, cum ab eo qui duo habet domicilia se colligens æqualiter in vtroque, in loco tertio eligitur sepultura, domiciliorum Ecclesiæ, habebunt inter se dimidere canonicam portionem*, hæc Pontifex.

D

Ab his autem Clericis, qui Parochiam incolunt, vbi propria relicta, terræ mandari defunctus voluit, funus eius efferri posse, præeunte cruce colligit ex Oldrado in cons. 204. Forgetus tract de personis Ecclesiasticis cap. 33. num. 5. cautione hac præmissa tamen, id ne facere vt apparent, sine Episcopi aut Parochi licentia, Oldradus cons. 81. Bleyanus de reliquis exact. litera N. ad marginem, habet quidem praxis consuetudoque Galliæ.

E

Primo, vt mortui cadauer Parochus domo tollat.

Secundo, vt respõsuris Clericis, hymnum, preces aut antiphonam, *subuenite sanctis Dei* præcinat.

Tertio, vt defuncto præeat ad Parochialem suã Ecclesiam, vbi post preces modicas, ibi factas pro eius anima, si ita videbitur. ad locum sepulturæ à se delectæ, à Monachis aut aliis, quorum est hoc

manus transfertur, quem morem vt æquitatis plenissimum suprema Delphinatium curia dilaudauit, tenendumque in posterum censuit, ann. 1592. & 1614. Bleyano teste, loco citato proxime.

De pretio autem dando Parocho, Clericiſque funus comitantibus nihil habeo dicere, nisi quod olim, statum illud, certumque senatus esse voluerit, assignatis vicenis tantum assibus, sodalibus ædis S. Maximi Chinonẽsis pro funeraria locupletissimi ciuis eius oppidi insequutione, ac lugubri comitatu, duodenis autem pro mediocriter opulento, senis pro tumulandis tenuibus, Chopp. lib. 2. de polit. tit. 7. num. 26.

QVÆSTIO XLV.

An Parochi rationem exigere possint eleemosynarum, quæ fiunt xenodochiis suæ Parochiæ, aut pecuniæ datæ ad pia loca, Episcopo non probante aut consulto.

PRo affirmante parte facere hæc videtur. Primò, quod Parœciarum cura, quod regimen ac ordinatio, id Parochos pertineat, Ordinari vero res multorum communis, in Parœciis, quî potest non cognito, in quem quidque vsum cesserit? Quid factum pecunia, ad eleemosynas collata? quo modo, & in quas res, quæ mortuorum iuxta ac superstitum liberali voluntate, destinata erat fabricæ Ecclesiæ? Eius ergo rei cognitio, propria est Parochi disquisitio.

Secundò, quæ Episcopi, eadem est quoque potestas Vicarij, in his, quæ iure communi & non Episcopi arbitrio, ac voluntate, sunt illi concessa cap. 2. & finali, de officio Vicarij, ob quam causam, vnum idemque vtriusque tribunal esse dicitur, cap. Romana de appellationibus in 6. At Parochus Episcopi est Vicarius, & illi, independenter ab Episcopo conuenit, ius Parochianis suis dicere, eos audire, de eorum vita, moribus ac gestione cognoscere, ergo quæ in procuranda Parœcia, quæ in ratione insumptæ pecuniæ repetenda, ab administratoribus publicis Episcopo licita, & hæc quoque Parocho sunt permissa, ergo iis non priuandus sine causa.

Quid de quæstione proposita sentiam exponam paucis, est ergo hæc mea opinio, Primo, deligi posse ab Episcopo Parochum, vt suo nomine dati & accepti ad pauperum commodum rationes examinet. Nam si sacris est vlla Canonibus adhibenda fides, Episcopus, tam per se, quam substitutum obire potest, commissam sibi prouinciam can. Episcoporum 10. q. 1. cap. si Episcopus de offic. ordinarij in 6. paretque ex literis à S. Cardinali Boromæo olim ad Ariminensem Episcopum datis, quibus ei lustrandæ suæ Diœcesis facultatem tribuit, at ad optimam lustrandæ prouinciæ rationem pertinet potestas intelligendi, an quomodo, & in quos vsus, bona sunt inopum ab Administratoribus impensa: ergo si ita videbitur Episcopo, tenebuntur hi Parocho rei à se gestæ eandem rationem reddere quam illi, si adesset exhibere.

Secundo censeo id Parochis iure non deberi, nisi ratione consuetudinis præscriptæ, requisito per leges tempore.

Prima pars authoritate fulcitur Concilij sess. 22. cap. de reform. 9. Ibi enim hæc ad rem præsentem sequentibus sunt verbis scripta: *Administratores tam Ecclesiastici, quam Laici, fabricæ cuiusuis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, & quorumcunque locorum piorum, singulis annis teneantur, reddere rationem administrationis Ordinario.* Quæro, an in ordinariis habendi sint Parochi? an censendi ea esse potestate præditi, qua Episcopi? hac si carent, ac simul ordinarij nomine: ab iis sane non nisi inaniter, accepti ab Administratoribus, ac dati, rationes exigi posse, quis non videt?

Secundo, est computorum discussio, iurisdictionis in foro externo actio, cum non nisi ab eo, qui ius dicere cum authoritate potest, queat id fieri legitimè, ac valide, sit indicio quod ordinarij, reos male gestæ rei pauperum, aut fabricæ plectere iusta pœna possint, vt respondit Congregatio Cardinalium ad sess. 22. cap. 8.

Scire iam hoc de propugnatoribus oppositæ sententiæ auco, num Parochis ius dicendæ in reum sententiæ esse existiment? num insontis eximendi à pœnis, quas tam humana, quam diuina iura repetunt à nocentibus? id si dicere audebunt opponam eis primo Doctorum longam seriem contraria docentium, vt Sylu. verbo Archidiaconus n. 2. Piasecium praxis Episcop. parte 2. cap. 1. art. 8. nu. 11. & 12. ne aliorum commemoratione teram otium. Deinde ab eis vel Canonem vnicum exigam, eius quam asserunt rei indicem ac testem, quem cum dederint postulanti, tum ad eorum partes concedere, non erit graue, Assertionis partem alteram

Defendit Sylu. loco proxime citato indicatque sacræ Cardinalium Congregatio, explicandis Concilij controuersis quæstionibus proposita, ad cap. 8. sess. 22. Probaturque ratione, tam res, quam iura Ecclesiastica, præscribi queunt, per authenticam quas actiones Cod. de sacrosanct. Ecclesiis, & can. vlt. ac penult. causæ 16. qu 3. at est ius rationum exigendarum ab Administratoribus Ecclesiasticum ac effectiue spirituale, cum ortum habeat à iurisdictione Episcoporum spirituali, quemadmodum ius Patronatus à liberalitate Patroni aduersus Ecclesiam, cum, fundandæ sacræ ædi, fundum assignauit, quod ius tamen præscribi potest, tam à Laicis, quam Clericis, 40. annis, cum titulo, absque eo, tempore superante omnem memoriam, imo & annis 40. teste Lessio cap. 6. dub. 10. num. 35 Conclus. 2.

Addo 3. si quam Parochi alicubi sibi potestatem audiendi Administratorum computa, datique & accepti rationes exigendi vindicarunt, hanc eis à suo Episcopo posse adimi, modo ne 40. annis sit præscripta. Probatur Assertio.

Quæ molitur in administranda Diœcesi Vicarius, reuocare hæc potest Episcopus, cum ab hoc in illum, tota qua pollet deriuetur authoritas. At Parochi, Episcoporum sunt in hac parte Vicarij: ergo, &c.

Adiunxi assertioni hanc clausulam, modo ne sit Parochorum authoritas, in repetenda ratione, ab Administratoribus rerum per eos in commodum Ecclesiæ gestarum, præscriptione fundata rationabili. Enimuero suis deiici possessionibus, Parochi nequeunt sine causa, quam enim est id charitati, quam prudentiæ contrarium, tam est aduersum æquitati ac iustitiæ, cui alienæ rei custodia curæ est, peræque ac suæ, ergo si Parochi ius audiendi Administratorum computa possident, eo quod illud tempore statuto legibus præscripsere, eo priuari illos iustè posse quis dicet? est enim hoc præscriptio-

nis proprium, vt rei per eam poſſeſſæ ius omne in præſcribentem transferat, cap. de præſcript. 1. & cap. literas 4. de ſupplenda negligentia Prælator. Ratio eſt, quod præſcriptio completa ex lege 1. de vſucapione ſit acquiſitio dominij, ergo per eam res eſſe aliena deſinit, ac præſcribentis propria eſſe incipit, Regin. tom. 1. lib. 10. cap 10 nu. 300.

Nec id tamen impedit quo minus, ſe adiungere Epiſcopus poſſit, ac debeat, ſic enim ſacra Congreg. ad cap. 8. ſeſſ. 22. & ad cap. 9. in hæc verba. *Quorumcunque piorum locorum.*

Quod ſi aliis, inquit eo loco, *rationem reddere Adminiſtratores ſunt ſoliti, cum illis tamen præſentialiter eſt adhibendus Epiſcopus, qui quoties in dicto actu computorum adhibetur, in condemnatione vel Adminiſtratorum abſolutione, vnicum votum habet*, hoc Congregatio, quæ eo loco votum Epiſcopi tam ad abſoluendum, quàm condemnandum, non modo vtile, ſed & neceſſarium eſſe indicat, ex quo patet, nihil abſque eo facere valide poſſe Parochos, aut alios præpoſitos repetendis ab Adminiſtratore rationibus, impenſæ pecuniæ communis.

Argumentis allatis pro oppoſita opinione, reſpondendum, Primo quidem, negatione minoris, cum à Parocho, id vnum modo poſtuletur, vt quæ ad cultum numinis pertinent, circa altaris miniſterium hæc adhibeat, hæc curet, in Parochianorũ vitam, moreſque inquirat, cognita memoriæ cauſa in acta priuata referat; cum Epiſcopo communicanda poſtea, vt pro ſua caritate, morbo medicinam afferat.

Ad ſecundum negandum eſt quod in minori dicitur, ſcilicet Parochos Epiſcopi Vicarios eſſe, aut ius eis dicendæ ſententiæ alibi quam in tribunali conſcientiæ competere, multo minus exigendæ rationis geſtorum ab Adminiſtratoribus Hoſpitalium, aut Eccleſiaſticæ fabricæ, cum enim id Ordinarij dicatur munus eſſe proprium, eius communicatio cum Parocho, Epiſcopi haud dubiè futurum eſt beneficium.

QVÆSTIO XLVI.

An & quid Parocho pro ſepultura exigere ſit conceſſum ſine Simonia.

QVæſtioni ſatisfactum olim à Patribus Concil. Vaſenſ. 2. ac Pontificibus Alex. III. & Innoc. eius item nominis III. iſto quidem cap. ſuam de Simonia 29. illo can. non ſatis 8. eiuſdem tit. qui ſic habet. Pro ſepultura quoque & Chriſmatis & olei receptione nulla cuiuſquam pretij exactio attententur quo quid clarius? Eadem Conciliorum ſententia Lateran. relati extra de Simonia cap. 9. & Vaſenſ. can. vlt. vt colligere. ex his eius verbis integrum cuique eſt, Præcipiendum eſt ſecundum Canonum authoritatem vt de ſepulturis, & hominibus ſepeliendis, nihil muneris exigant, niſi forte qui ſepelitur, viuens iuſſerit Eccleſiæ in cuius atrio ſepelitur, aliquid de rebus ſuis tribuere. Hæc Canon, qui quoniam noſtri is eſt oppoſitus moribus vtrum authoritas eius præſtet Galliæ conſuetudini, explicandum in præſentia.

Et quidem conſuetudine regni vbique licitum, petita à Parocho prius venia, inferri in aliã Eccleſiã ab ea, cui Parochiani iure, aſcriptus erat mortuus, dũ viueret, modo in hanc, id eſt Parochiã propriã deferendum ſe curet antequam ſepulturæ detur quod & neceſſarium tam regni quam curiarum legibus res ipſa, arreſtaque Gratianopolitani Senatus fidem faciunt annis ſignata differentibus 1592. ſcilicet, contra Diui Ruffi Canonicos & 1614. aduerſũ PP. Minimos vt notauit Bleyan. tit. 7. num. 15. & ſequenti & tit. de reliquis exactionibus Clericor. vel Laicorum littera N. ad marginem.

Suppono ſecundo, regni moribus & hoc vetitum, ne quæ ſibi ſunt debita ob ſolennes inferias factas funeri, hæc Sacerdotes exigant, antequam defunctus terræ mandetur, Papon. lib. 1. tit. 3. arreſto 7. Choppinus lib. 2. de ſacra polit. tit. 7. n. 19. in margin. Cauſa eſt quod id auaritiam oleat non ſeparandam facile à ſcandalo fidelium, quibus non poteſt non eſſe dedecori, ab iis ſe hominibus regi, qui lucro metiantur omnia, pietate nihil. Ideo Montis peſſuli degentium Sacerdotum vetanda in primis viſa eſt hæc *ἀισχροκερδία*, Innocent. III. cap. Abolendæ de ſepulturis qua tumulandis functorum corporibus. non antea effodiebatur humus, quam iſthus beneficij pretium Eccleſiæ ſtaret.

Suppono 3. expertes tamen culpę videri Clericos, cum quid funerariate peracta à defuncti hæredibus poſtulãt, quod ſit honorarij inſtar, aut mercedis pro labore in inſequẽdo cadauere ac canẽdis hymnis funebribus. Quid enim ruſtius quam ſacræ operæ ſtipendia ſua eſſe? Quid æquius quam vltronea propinquorum erogatione, defuncti manes iuuari? Quod quo aſſequi modo poſſint nõ intelligo, niſi cum iis ex fide, iuſta Chriſtiana perſoluunt, hæc autem reddere, quid eſt aliud quam funeraria ſingulis ſtipendia honeſta non negare? Iam ad quæſtionem. Ecquid ſepulturæ nomine accipere Clerici quid poſſunt ſine labe Simonię? Non hic repetam quæ à me tract. de Simonia in hanc ſententiam ſunt ſcripta, quod præteriri nequit hoc ſtrictim inſequor.

Primo, *Sepultura ius cuique debitum, vt nundari non poſſe*, quæ enim effectiue ſunt ſpiritalia hæc materia emptionis eſſe nequeũt ſine Simonia, cum definiri ſoleat ſtudioſa voluntas emendi ſpiritualia aut iis annexa pro temporali, at ius ſepulturæ in loco ſacro, quidpiam eſt ſpiritale effectiue, cum qui ſacris ſemel eſt vndis tinctus, arceri cæmeterio poſt mortem iuſto nequeat, Eccleſia annuente, baptiſmi beneficio, vt quibus in vita coũti poſſumus ad ſolatium, horum congreſſione non careamus mortui. Minor eſt certa. Maior probatur, eſt omnium ſententia Simonia, vendere actus, quibus iuriſdictio voluntaria exercetur, cum hi diſtrahi nequeant, niſi vna quoque ſpiritalis iuriſdictio, cum actum vendere per quem res traditur, nihil ſit aliud, quam abalienare rem traditam, hanc autem communicare beneficio precii, ſit ipſam traditionem æſtimare pecunia, quare nec iuramentorum relaxatio nec votorum diſpenſatio quæ à poteſtate Epiſcopis commiſſa manant, ſuntque effectiue ſpirituales, addici precio queunt vt dicitur cap. ad noſtram de Simonia. At vtriuſque rei cauſa hæc vnica, quod communicatio in Epiſcopo iuriſdictionis ſuæ alteri, effectus ſit iuris, ſibi initio ad animarum commodum tradici, quemadmodum & voti iuramentique, liberalis condonatio; vera eſt, ergo Maior argumenti allati propoſitio. Quid? quod quæ numen homini conciliant, aut ei ad gloriam ſalutemque viam parant, vtpote ſupernaturalia proprie, vendi omni lege

Digitized by Google

nequeant? At quis ambigat, iter ad Beatorum ſanctimoniam ſterni homini, earum ope rerum quæ effectiue ſunt ſpiritales? Ecquid enim gratuita Antiſtitum beneficentia remiſſa vota, ei proſunt ad ſalutem, cuius ſpes exigua aut nulla eidem foret reliqua, ſi indiſſoluta perſtarent ob peccandi periculum probabile propeque certum?

Dico ſecundo, *Non ideo tamen de Simonia damnandos eſſe Clericos, qui aliquid pro ſacris funebribus, aut honore proſecutionis à defunctis hæredibus poſtulant.*

Primo, quia vt operæ exhibitæ æſtimari, ita & pro iis exigi merces poteſt, maxime cum à republ. nullũ eis ſtatutum eſt ſtipendium. At Clericis mortuum efferentibus funebreſque Deo nænias eius cauſa occinentibus, merces ab Eccleſia, aut ciuitatibus certa nulla eſt poſita, qua tamen non ſunt indigni, ergo debet tribui, ergo & poteſt exigi.

Secundo, quæ ſunt ex conſuetudine debita, aut vſu hominum communi pendi ſolita Clericis Põtifice non reclamante, hæc cum ſibi poſtulant, Simoniæ labe vacant, iuxta cap. ad Apoſtolicam de Simonia. Nec eſt vnde culpam excuſent Parochi, cum in ſolennibus nuptialis Sacramenti auſpiciis, quibus præcepto Eccleſiæ interſunt, ſtipendium exigunt, quanquam pro varietate prouinciarum varium, aut cum pro nuptialium præconiorum chartula aſſem aut plures, pro ſacra genialis lecti luſtratione, niſi quia id conſuetudo patitur, recepta regno toto. De procurationibus Epiſcopo prouinciam obeunti tribuendis dicere nihil neceſſe quas tam canon, cum Venerabilis & can. procurationes de cenſibus, quam ratio conſuetudini innixa communi, Antiſtiti non negandas edocet. Vera ergo maior propoſitio in argumento poſita, excuſari à Simonia ea quibus prætexi antiqua facta gentium poſſunt. At cui incognitum ſuper hac re ſolenne Parochorum omnium, cui Antiſtitum? Illorum in exigendo operæ ſuæ ac laboris honorario, horum in poſtulanda quarta funeraria, mortuaria nominat can. tit. de cenſibus, quadrãtem autẽ ſalarij funerei, id eſt eorum omnium quæ occaſione funeris à moriente relicta ſunt teſtamento Eccleſiis: canon. officij, & can. requiſiti de teſtam. citatus à Chop. lib. 2. ſacræ polit. tit. 7. num. 19. Ne ergo à culpa ſunt omni liberi Parochi, immunes Clerici, cum laboris ſui in tumulandis corporibus, officij in commendandis Deo manibus, precium eſſe volunt quod honeſtæ ſuſtentationis illis ſit loco, aut eleemoſynæ.

Dico tertio, *Status eſſe in Gallia huius honorarij, prorſusque limites, quos egredi per eius leges vetitum.* Ita DD. Rebuff. comment. in Concord. tit. de public. concubin. §. quia vero. Chopp. loco ante citato Bleyan. in Theoria tract. de reliquis exactionib. Clericorum vel Laicorum littera M. ad marginem.

Probatur. Certa eſt, conſtitutaque ſumma qua contenti eſſe debent cum Parochi tum Presbyteri alij, ergo & limites precij ſibi pro exequiarum honore debiti. Antec. curiæ Senatuſc. nobili olim firmatum fuit, id eſt reparatæ ſalutis an. 1411. vt eſt in Cõmentariis Parlamẽti memoriæ cauſa proditũ: Pariſienſ. enim Senatorũ iudicio vetiti ſunt Canonici Ædis S. Maximo ſacræ apud Chinonenſes, pro funere exigere à locupletiſſimo ciue, amplius quam vicenos, vt ſummum aſſes, celebrantium exequias moderati ciuis, iuſta merces credita, aſſes 12. pauperis 6. à tenuiſſimo plures ternis poſtulare, prohibiti. Hæc Bleyanus ex Choppino actiſque Curiæ.

A Quid? feretro atrata veſtis inducta? aut è linteo ad eius pendens latera, cui debita? Parocho an Eccleſiæ? quid tædę? quid feralia lumina? quid prætexta altari è ſerico frontalia, quid templo tęniæ vittęque candidis è ſerico crucibus inſignes?

Reſpondeo, ita Eccleſiæ eſſe quicquid in eam funebris pompæ cauſa infertur, vt à propinquis inde domum auehi ſit nefas, ne quidem ſi ab iis conueſtiendi forent eius loci parietes, quem ſuæ gentis ac familiæ principes ac auctores ſepeliendis è ſtirpe ſua poſteris delegerunt, dum viuerent. Enimuero exacto mœroris publici annuo ſpacio, inde refigi veſtem pullam, alibi figendam ſi lubebit, aut ſeruandam, vtendamq; ad arbitrium Curionis ac matricularioru, cenſuit Pariſienſ. Senatus id matricularis S. Ioan. in Greuia poſtulantibus, autor Bacquetus in tract. de iuriſdiction. cap. 20. num. 17.

Hæc autem an Curionis ſit aut Eccleſiæ ſolius, an vtriuſque, dicere mihi ſane difficile. Optimum factu cuiuſque gentis ac oppidi ſuper hoc morem audire, ſpectare conſuetudinem, quæ raro in duobus eſt vniuſmodi, ac ſi ferat, tam tapetia, quam cæterum apparatum funeris, vt tædas, lampades, cereos in vſum cedere Parochi, aut Clericorum adſtantium, hæc ſibi bonis auibus habeant, ſeruentque vt ſua, factum approbant, Anton. 2. parte tit. 1. cap. 5. §. 22. Sylueſt. verbo Simonia quæſt. C 11. Reginal. tom. 22. de Simon. ca. 15. ſect. 41. n. 208.

QVÆSTIO XLVII.

An funalia pannique mortuo inſtrati debeantur Parocho, & an de iis redimendis cum eo defuncti hæres tranſigere ſine culpa valeat.

D SVppono primo, pannos tam qui mortuis inſternuntur, quam quibus eorum ora, vultuſque obteguntur, Curioni aut Eccleſiæ debitos, loco perſonalium, minutarumque decimarum, quæ pridem à plebe præſtari deſiere, vbi vſus, tranſactioque Parœcos inter & Parœcianos de conſenſu amborum mutuo, contrarium non obtinuit in prouincia, vt Cænomanorum ac Andium, qui mos authoritate eſt firmatus curiæ, cum enim ferales tædas iniectaque feretro lintea, iuris eſſe ſui plebani dicerent, in quæ, dexteras proinde vindices, tumulato cadauere inferebant, placuit Ludouico earum regionum Principi, factum referre ad curiam, cuius voluntate lis dirempta, pactoque diſſidentium mutuo, diſſidiorum materia tandem E eſt ſublata, pactorum fuere hæ leges, quod familiarũ capita, ſingulis Dominicis, denarium vnũ Turonenſ. Parocho, 5. autem in Paſchate, per ſe, aut alios offerendos curarent, Exinde, pro ſe & coniuge, alios 2. in Natalitijs Chriſti Domini, & Solennitate Sanctorum omnium, ſic tamen vt in qualibet earum feſtiuitatum, non niſi vnum pro ſe, quiſque penderet, lubet tranſactionis iſtius partem à qua narrationi meæ ſit fides, hîc inſerere. *Eſt accordé que chaſque Paroiſſien d'Anjou & du Maine faiſant chef d'hoſtel, ſera tenu offrir, chacun Dimanche vn denier tournois à ſon Curé, duquel il pourra aller à l'offrande, excepté pauures mendians,*

& partant les Curez ſeront tenus d'enterrer les paroiſſiens, qui ce auront payé & offert, ſans qu'ils puiſſent exiger ne demander des hoirs & executeurs, ou ayans cauſe des treſpaſſez ne d'autres, aucune choſe, pour, ne à cauſe deſdites ſepultures, & par l'aſſemblee ſuyuante & accordé que pourtant les Paroiſſiens ne ſeront quittes de payer le tour de Paſques les 5. deniers Paſquaux tournois &c.

Suppono ſecundo, Pro ſolutione ſuorum iurium ſi negentur, adiri poſſe iudices à Parocho, ita Regin. to. 3. lib. 23. cap. 15. n. 208. Fabric in Theoria tract. de reliquis exactionibus litt. K.

Primo, quia qui ſponte, æs diſſoluere, nominaque à ſe contracta expungere, animũ non inducit, id vel inuitus vt agat, authoritate publica cogi poteſt, iuxta dicta cap. ad Apoſtolicam de Simon. At defuncti liberi, hæredeſque, Parocho clericiſque à quibus extrema ſunt officia patri ſuo, aut propinquo reddita, iuſta laboris ſui, operæq; ſtipẽdia debẽt, cum dignus ſit operarius mercede ſua, ergo pro ijs, quam optimo iure obtinendis, cũ nequeunt precario, conueniri à Parocho iudex poteſt. Quod Pariſienſes iudicio ſuo firmaſſe an. 1528. author eſt Rebuff. comment. in Concord. tit. de public. concubin. paragr. quia vero verbo fuit prolatum.

Suppono tertio, de eo quemque tranſigere honeſte poſſe cum alio, quod recipere, & alius dare poteſt ſine ſcelere, enimuero ab obiecto ſuo, vt ſpeciem, ita bonitatem quoque ſuam, noſtra mutuantur opera, ergo de eo, quod recte poſtulari poteſt, ac recipi, paciſci quoque licitum. Hinc facilis mihi ad quæſtionem introitus.

Dico ergo, *iuſtam omnem eſſe rationem liberis, aut hæredibus mortui, tranſigendi cum Parocho, aut Eccleſia, in qua terrã cõmittitur, de redemptione funalium, pompæ funebris, ac pannorum, antequam domo efferatur in templum*, Ita Regin. l. 23. cap. 15. n. 108. & probatur Paciſci licite ac ſine Simonia poteſt quilibet, vt pro re ſibi naturæ iure debita, detur alia, æque ſibi aut alteri commoda, Leon. de ſimon. dub. 8. num. 48. At panni, tædæ, luminaria Parocho ſunt ad honeſtam ſuam ſuſtentationem debita, ergo pro ijs ex pacto, exigere quidpiam aliud, eſt integrum.

Secundo, petere, aut recipere, abſque Simonia, Sacerdoti eſt conceſſum, quod ei conſtitutum eſt, publica lege, vel ſuperioris ſui voluntate, aut communi more, ergo & ex pacto dantis, ac recipientis mutuo, illud commutare cũ alio Antec. eſt certũ. Conſequentiæ autem probatio ex ſuppoſitione tertia repetenda eſt, & quanquam eiuſmodi non eſſet, quæ rationi meæ fidem faceret, habeo tamen, vnde eam reddam veriſimilem. Nam minus malum eſt, tranſigere pro temporalibus, ex conſuetudine tamen debitis, quam pro functione ſacra ac religioſa, vt eſt Miſſa, vt cohortatio ſacra, at pro vtraque de certo ſtipendio paciſci licet miniſtris rerum ſpiritualium ad ſuſtentationem honeſtam ac decentem. Ita enim vſus habet regionum omnium, prælatis non neſciis, nec tamen reclamantibus: quod tamen eos facere eſſet neceſſe, ſi pacta conuenta, in hac materia, vitioſa forent ac Simoniaca & quanquam eſſent talia ob prohibitionem Pontificum, conuẽtionem omnem improbantium in ſpiritalibus, cap. fin. de pactis, cap. quæſitum 5. de rerum Permutat. cap. cum tua nos 34. de Simonia eiuſmodi tamen eſſe deſinerent, Pontificum conſenſione tacita, quorum in poteſtate eſt fere, vt quæ actio ante erat Simoniaca, Simoniã iuris humani, talis eſſe ceſſet, abrogatione Canonum, quibus in ea erat malitiæ ſpecie poſita, &c.

QVÆSTIO XLVIII.

An Parochus qui à reſidentia excuſatur ſtudiorum cauſa, peccet ſi ſine Epiſcopi facultate abcedat à Parochia.

QVæſtionis hic eſt ſenſus, an ſub mortali teneatur Parochus aut alius beneficiarius petere Epiſcopi ſui aut Ordinarij conſenſum vt abſit ſtudiorum cauſa.

Prima ſententia eſt affirmantium.

Secunda, oppoſita Malderi comm. in 2. 2. tract. 9. cap. 2. dub. 19. Hoſtienſ. & Innoc. in cap. inter quatuor de Clericis non reſidentibus, Rebuffi in praxi benefic. tract de diſpenſatione à non reſidendo num. 25. iuxta quam.

Dico primo, *Vbi non eſt recepta Bulla Pii V. 117. in qua vult ſturos ad ſtudia ſi à culpa immunes eſſe velint, non reſidendo, ordinariorum facultate id facere, nulla eſt in beneficiario obligatio, impetrandi Epiſcoporum conſenſum, fas vt ei ſit, à ſuo abeſſe beneficio, cauſa ſtudii.* Ita Gregor. Tholoſanus cap. 8. de beneficiis præter citatos pro ſecunda ſententia.

Probatur, excuſat ſinè Epiſcopi venia abſentiam Parochi à beneficio, commodum Eccleſiæ procurandum ab abſente, niſi quis forte peccare eum exiſtimet, qui Concilio generali intereſt, aut publicis regni comitiis, vbi cum communis populi, dignitas, ac ſalus Eccleſiæ agitur. At intereſt omnium, in republ. eſſe Chriſtiana litteratos, id eſt erudione iuxta, ac moribus excellentes homines, qui eius incolumitati ſtudeant, tam optimis conſultis, quam factis, quod ſine litteris aſſequi cum laude qui poſſint, explicare eſt difficile, intelligentibus tam canonum, quam ſcriptorum, æuique priſci notitia, Eccleſiæ curandæ, conſilia, modumque contineri.

Secundo, quorum eſt, à iure communi poteſtas cuique, ad ea non eſt Epiſcopi conſenſus neceſſarius, etſi forte ſit vtilis ac optandus, ad meriti Chriſtianæq; demiſſionis materiam, nã à ſuperiore ſemel conceſſa, iterato permitti ab alio, quid eſt neceſſe? maxime ſi ab hoc, alterius beneficentia, & data venia caſtigari nequit, ac reſtringi, vt non poteſt quæ eſt conceſſa à Papa. Sed beneficiario, iure communi permittitur, ab eo loco, cui cum authoritate præeſt, ſtudiorum abeſſe cauſa, ſic enim Alexand. III. can. relatum 4. de Clericis non reſidentibus. Cum (igitur inquit) verba accipienda ſint cum effectu, tales ſi præſentati fuerint, non debent admitti & admiſſi poterunt amoueri niſi forte de licentia ſuorum prælatorum vel ſtudio litterarum, vel pro aliis honeſtis cauſis eos contigerit abeſſe, hæc Pontifex quem alternatiue de ſuperiorum facultate, aut inſtitutione litteraria loqui, etiam me tacente quilibet intelligit.

Dico ſecundo, *Iure communi, fas cuique eſſe, abeſſe ſtudiorum cauſa à beneficio ſeptennio, nec ab Epiſcopo, veniam hanc ad breuiora tempora arctari poſſe.*

Pars prima, habetur expreſſe cap. cum ex eo quod 34. de electione & electi poteſt. in 6. in hæc verba præſenti conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi

Digitized by Google

eorumque ſuperiores cum iis qui huiuſmodi ſubiectas ſibi Eccleſias obtinent vel obtinuerint (Parochiales in quibus oportet intra annum à die promotionis, ad illas initiari ad Sacerdotium eum cui ſunt collatæ) Sancimus, inquit Pontifex, vt in futurum diſpenſare poſſint liberè, quod vſque ad ſeptennium litterarum ſtudio inſiſtentes, promoueri minime teneantur, vbi (vt nemo non videt) de tempore promotionis, non ſtudij, Pontifici Bonifacio eſt ſermo.

Secunda probatur coercere, premere, ad angustias cogere, quæ iure communi ſunt conceſſa cuique, nemo poteſt, niſi qui ſuperior, cum reſtringere eiuſdem ſit, cuius & laxare, antiquo aſtipulante prouerbio, quod qua quid authoritate, in mores communes inuehitur, eadem abrogetur, at eſt Epiſcoporum dignitas, vt Pontificiæ impar, ſic & poteſtas, nunquam id ergo ſi ſapient, ſibi arrogabunt Epiſcopi, mouere vt canones audeant, quæque per eos in Muſarum gratiam beneficiariis omnibus ſunt permiſſa, antiquent aut minuant. Ita Rebuff. in praxi tract. de diſpenſ. à non reſidendo num. 26.

QVÆSTIO XLIX.

An Parocho vendere ſibi oblata liceat ſine peccato.

VErbi cauſa: In manus Epiſcopi luſtrantis, vt ſit ſuppellectilem ſacram Eccleſiæ, incidit frontale aræ lacerum, ac tantum non exeſum vſu, ornatu tamen olim eleganti, ob admirabilem hominum ſpeciem quos in gemmis illuſis auro, artifex dextera expreſſerat, artis ille excellentia captus illico incredibile præ ſe fert eius obtinendi deſiderium, quo ne excidat, loci Parocho, iuſtum partis adhuc reſiduæ pretium offert. Quæritur an hoc ille offerre, & hic oblatum ſine peccato poſſit recipere.

Pro parte negante, facere videtur quod in Synodo Romana, numero quarto ſub Symmacho id ſit inhibitum Epiſcopis in hæc verba: Ne vnquam prædium ſeu ruſticum, ſeu vrbanum, vel ornamenta, aut miniſteria Eccleſiarum, quæ nunc ſunt, vel quæ ex quibuſlibet titulis, ad Eccleſiarum iura peruenerint, abeo, qui nunc Antiſtes, ſub electione communi fuerit ordinandus, & illis, qui futuris ſæculis ſequentur, quocunque titulo, atque commento alienentur, at in ornamentis Eccleſiæ, ponendum haud dubie eſt, id frontale, quanquam attritum ſenio, quo dicuntur capti Antiſtitis oculi, ergo &c.

Deinde quæ ab humano commercio natura exemit, ius gentium, aut mores ciuitatis, eorum nulla eſſe poteſt venditio l. ſi in emptione § omnium rerum ff. de contrahenda emptione. At res ſacræ, & religioſæ, ſunt eiuſmodi, quam enim noh modo, eſt indecorum, ac turpe, ſed etiam improbum, quæ ſemel diuino ſunt mancipata cultui, hæc in vſus profanos transferre? ſunt ergo res eiuſmodi, iure gentium, naturaque, de earum ſecreta ſerie, quæ abalienari poſſunt, hæc pro parte negante. Cui tamen præferenda pars oppoſita Ad cuius intelligentiam meminiſſe cõuenit, veſtes hoc ipſo deſinere eſſe benedictas quo ob vetuſtatem ruptionemque, ineptæ eſſe incipiunt ad eos vſus quorum cauſa inſtitutæ ſunt in Dei Eccleſia Reginal. cap. 14. lib. 25. numer. 252. Ægid. de Konnch in 3. partem quæſt. 83. dub. 3. num. 352. Sylueſter verbo Benedictio.

Notandum ſecũdo, Quæ ſic ſunt lacera vt non niſi indecore in altare inferantur, hæc eodem habenda loco eſſe, ac ſi amplius non eſſent, cũ ad eũ finem, cuius cauſa principio ſunt facta, cultum ſcilicet numinis, ſint inutilia, quibus præmiſſis.

Dico primo, *Apparatum Eccleſiæ, vti ſunt frontale, aræ, corporalia, veſtes, cæteraque id genus ornamenta, vendi poſſe, cum figuram ſuam primam perdidere*, Ita Sylu. ver. Benedictio q. 7. Valerius tom. 5. lib 25. cap. 14. num. 252.

Primo, quia inter res quæ diſtrahi poſſunt, recenſentur à Synodo Romana 4. can. 6. veſtes, aurum, gemmæ, & paulo ſuperius hæc leguntur, quęcunque in gemmis, auro, atque argento, nec non & veſtibus, minus apta vſibus, aut ornatui videbuntur Eccleſiæ, quæ ſeruari ac diu manere non poſſunt, ſub iuſta æſtimatione vendantur, & erogationi religioſæ proficiant.

Secundo, Cauſa cur ſuppellex Eccleſiæ, addici non poteſt pretio, hæc vnica eſt, quod ſacra ſit, ac religioſa, quo à reſpectu inducti Principes, eam vẽdi ſuis legibus vetuere L. Sancimus 1. cod de Sacroſanctis Eccleſiis: at ex dictis, notabili 1. talis eſſe deſinit, per conſumptionem, quæ tollit formam ſeu figuram, ad ſacrum vſum in ea requiſitum. Vera eſt ergo Aſſertio.

Et quanquam non exiſtimem, communiter ad alios vlus eam vendendam, quam qui non ſunt profani ex Sylueſt. verbo Benedictio q. 7. ac proinde, eam amburendam eſſe, cinereſque exuſtæ reponendos in Eccleſia, iuxta can. ligna. de conſecrat. diſt. 1. non video tamen, quamobrem citra ſcandalum, adhiberi ad ſæculares, ac communes nequeat, quid enim vetat lapides templi, vetuſtate diruti, ac ad omnia inutilis, conuerti ad humanum commodum, reſtaurationem ædium, reparationem mœnium? Vt iam rationum poſitarum initio, facilis mihi videatur eſſe ſolutio, Nam prioris neganda eſt minor, ob rationem in 5. notabili allatam.

Secundę tam minor, quam eius confirmatio, vt enim res vere religioſæ ac ſacræ, extra earum ſint claſſem, quæ vendi nequeunt quamdiu diuinis deſtinatæ ſunt miniſteriis. Nego tamen, id de illis dici cum ratione poſſe, quæ mutatione ſui phyſica, moraliter eſſe quoque deſiere, quod erant antea.

QVÆSTIO L.

An Parocho ſuccedere eius propinqui poſſint ac debeant.

QVæſtioni viſum eſt mihi his propoſitionibus reſpondendum eſſe.

Prima propoſitio, *Iure communi fructus beneficij qui adhuc pendent ſucceſſori ſunt debiti*, res certa eſt tam ex ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus quàm ex DD. conſenſu tract. de beneficiis & quidem can. 2 Valentini Concilii in Hiſpania ſtatuere Patres, vt qui de ſacra ſupellectile, domeſtica aut libraria Epiſcopi mortui, vtenſilibus, vaſculis frugibus, (verba ſunt Canonis) gregibus animalium vel omni omnino re, quidpiam auerterent, id

ipſo iure decernuntur irritæ.

Sequitur 2. Laico aſſerenti ſibi deberi decimas credendum non eſſe, niſi eas à ſe poſſeſſas eſſe ante Concilium, aut à tempore, quod memoriam omnem ſuperet, probare valeat, quæ tamen probandi ratio nullarum eſt in Gallia virium vt tradunt Carondas in lib. 1. Pandect. tit. 13. Louëtus in littera D. art. 35. Ita ſentiendi ducem habuere Pontificem, Alexand. III. cap. cauſam 7. de præſcript. *Vbi*, ait Laicos, *cum decimas detinere non poſſint eas nulla ratione poſſe præſcribere.*

QVÆSTIO IX.

Quale peccatum ſit decimarum defraudatio.

PRima Aſſertio, *Negare Parocho decimas aut datas auferre ex genere ſuo eſt mortale*, Fernandez par. 1. c. 13. & parte 2. cap. 7. enimuero fas mihi ſit vti verbis S. Auguſt. in ſermone 219. de tempore, *Si tardius eas dare peccatum eſt, quanto magis prius peccatum eſt non dediſſe.*

Secundo, eſt grauitas pœnæ, qua plectitur actio aliqua, indicium culpæ ei inexiſtentis quæ ſit maior venali, at auferri decimas à Laicis, *ſub diſtrictionis anathemate*, prohibet Caliſtus II. in Cõcil. Roman. can. 14. recenti autem Patrum memoria, imperat Trident. Synodus ſeſſ. 25. cap. 12. exemplo Matiſcon. 4. can. 5. ac Cabillon. ſub Carolo ca. 18. eos qui decimas ſubtrahunt, aut impediunt excommunicari, à qua pœna, eoſdem abſolui vetat antequam earum reſtitutionem fecerint, *Qui eas ſubtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine niſi plena reſtitutione ſecuta abſoluantur*, cui decreto conſentaneum & ſimile multis ante ſæculis à Valentino ſub Lotharío can. 10. editum video: nam ibi, *Eos qui decimas retinent, vt ſacrilegos pellis ab Eccleſiæ liminibus*, debere dicit Eccleſia, idem ſtatutum poſtea in Synodo Romana ſub Greg. VII. can. 7.

Tertio, eſt earum negatio, rei alienæ, ac debitæ detentio, contra rationabilem Domini voluntatem, Trident. ſeſſ. 25. cap. 12. ergo mortalis ex genere ſuo, cum ſit furtum, id eſt, contrectatio rei non ſuæ.

Confirm. excludi aditu ad gloriam, Deoque æternùm priuari, effectus eſt culpæ grauis proindeque lethiferæ, ſed qui decimas retinent ſcire debent, *ſe ſacrilegij crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere*, Synodus Roman. ſub Greg. VII. can. 7. quare iis vt Eccleſiæ, Deique hoſtibus Chriſtiana ſepultura negari debet, vt habetur in Conc. Lateran. ſub Alex. III. can. 14.

Decimas autem eſſe debitas habet Synodus Moguntina ſub Rabano can. 10. in hæc verba: *Admonendum eſt vt decima Deo omnino dari non negligatur, quam Deus dari ſibi conſtituit, quia timendum eſt ſi quis Deo debitum ſuum abſtrahit, ne forte Deus per peccatum ſuum, auferat ei neceſſaria ſua.* De quo eſt excellens vereque formidanda ſingulis, Auguſtini ſententia ſerm. 119. de tempore: *Decima ex debito requirantur, qui eas dare noluerint res alienas inuaduntur, & quanti pauperes in locis ſuis vbi ipſe habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus, ante æterni iudicis tribunal apparebit, quia rem à Deo pauperibus delegatam ſuis vſibus, reſeruauit*, quæ qui ſine culpa fieri poſſe omnia, aut eorum aliqua exiſtimet, puto eſſe de Chriſtianis neminem.

Secunda Aſſertio, *Decimę Parocho ablatę, etſi ab eo non repetitæ, ei ſunt ante omnem ſententiam reddendæ.* Ratio eſt, quod eius ſint iure naturali & Eccleſiaſtico, non iniqui detentoris, at quæ ſunt aliena vero ſuo ſunt redhibenda Domino, etiam non petita, ergo, &c.

Contraria tamen ſententia in praxi eſt tuta, proindeque ſequenda, poſſe quemlibet in perceptione decimæ, tueri ſe poſſeſſione longiſſimi temporis, quia pro eo facit præſumptio, cum non ſit probabile, quenquam in fortunas irruiſſe alienas, niſi de contrario certo conſtet, itaque ſi reuocetur ius eius in dubium, æquitatem eius probabit poſſeſſione ſua longiſſima, *Ex eæenim*, inquit, Grimaldet. in paraphraſi decimar. lib. 2. cap. 6. num. 36. *præſumitur titulus, ſine quo ius decimarum Laicis competere non poteſt*, quod ſi de eo clare conſtiterit, aut verò etiam Laicus ius habuerit, percipiendi ante Concil. decimas infeudatas, præſcribere hic contra Parochum poterit in acquirendis noualibus, ſi ea 40. annorum ſpatio ſine tumultu, ac turbis poſſederit. Fabric. de extraordinariis decimationib. num. 13. litter B. in marg. cauſa eſt, quod per infeudationem, Laicus factus ſit ad inſtar perſonæ Eccleſiaſticæ, cum iure acquirendæ alterius decimæ, poſſeſſione eius pacifica quadraginta annorum tempore.

Quid ſi, ſit incertum an Laicus, qui feudi nomine ac titulo, decimas poſſidet, à tempore cuius initij nulla memoria hominum extat, ſed tamen ſciri non poteſt, an ante, vel poſt Concil. tale feudum ſit conſequutus faciet, ne ſic pro eo poſſeſſio, vt in decimarum iure relinqui debeat?

Negant Hoſtienſis in cap. Apoſtolicæ de decimis Caniſ. cap. 13. de decim. num 9. Ne tamen illis aſſentiar, cauſa me vna impellit, nempe quod poſſeſſio longi temporis, præſumptionem tituli ac iuris habeat, cum poſſidens eſt eius capax, at eſt Laicus poſſidendis decimis, quoad earum vtilitatem ac commodum, conceſſione Pontificis, & Epiſcopi idoneus, ergo ſi decimas iure hæreditario, aut donatione teſtamentaria ad ſe tranſmiſſas, & in feudum anteceſſoribus ſuis conceſſas, ab iiſque longiſſimo tempore poſſeſſas habeat, quamuis conceſſionis primæ, litteras nullas teſtes proferat, nec proinde tituli, quo tam ipſe quam illi, ad earum poſſeſſionem ac vſum retinendum nituntur, iuſtè nihilominus illas exigere, receptaſque ſeruare poterit. Ita Sylu. ver. decima qu. 10. dicto 2. Suarez cap. 27. num. 4. Couarr. 1. reſolut. cap. 17. num. 4.

QVÆSTIO X.

Quo iure decimæ debitæ ſint miniſtris Eccleſiæ.

VIctum ex fidelium eleemoſynis iam tum à primis naſcentis Eccleſiæ cunabulis, eius miniſtris dari ſolitum eſſe, res eſt omnium confeſſione notiſſima: quinetiam quod mirari ſatis non poſſumus, Chriſtus, dum adhuc ſuperſtes eſſet, ex his quæ dabantur, victum ſibi, ſuiſque parabat, *Iudas enim*, inquit Ioan. *loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Eius exemplo Apoſtoli cum non niſi aliena beneficentia viuerent, magnis quotidie, ac copioſis fidelium donis augebantur, quæ ad ſuum

pauperumque victum impenderent, hinc illa nunquam satis deprædicanda caritas eius erga fidelium, bona sua ad Apostolorum pedes afferentium, ex quibus, hi tam sibi quàm egenis, commeatus ad vitam necessarios peterent, qua laude præstitisse quoque posteros, argumento est, quod diu fuit, cum Episcopo, Clericisque, redditus hi tantum supperetrent, quos illis Christiana caritas diætim ministrabat, eleemosynis ac profusis oblationibus è re domestica, ac opibus, quæ in eorum commodũ verterẽt; sic tamẽ vt Episcopus eas, cuiq; Ecclesiæ ministro prout opus esset, erogaret, quodq; tũ eius manibus dabatur singulis, dicebatur sportula Cypr. ep. 34. ad Cler. *Cæterũ Presbyteri honorẽ designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis ijsdem cũ Presbyteris honorentur, & diuisiones menstruas*, vel vt alij Codices habent mensuras, *æquatis ponderibus partiantur*, qui hæc capiebant ab Ecclesia victus stipendia, Cyprian. epistol. 66. iuxta Pammel. edition. sportulantes nominat. Quæ nunc ratio, & forma in Clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini, Clerica ordinatione promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestiis & negotiis sæcularibus alligẽtur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant: hæc Cypr. Est autem sportula certa quædam summa pecuniæ, quæ per dies singulos aut menses, dividebatur Clericis ad victum, idque ex quarta illa bonorum Ecclesiæ parte, quæ ad vsus eius multiplices ac varios, pauperumque subsidia conferebantur à populo, sic epistola 60. ad Numidas: *Misimus*, inquit idem Cypr. *sestertia centum* (quæ summa redacta ad monetam Gallicam valet duo millia & semis aureorum solarium) vel vt alij legunt, *Sestertia centum millia nummûm*, (quod non est probabile eo quod summa illa excresceret ad duo millia myriadum aureorum, quæ longe maior est haud dubiè quam pro paupertate ac inopia illius sæculi) *Misimus*, ergo inquit, *sestertia centum quæ isthic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, Cleri, & plebis, apud nos consistentis collatione collecta sunt, quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis.*

Porro quæ tùm pro vitæ stipendio, meritisque singulorum, certa nummorum quantitas maior aut minor distribuebatur Clericis, hanc ille dicebatur tanquam, *decimam ex fructibus recipere*, Cypr. ep. 66. ex quo consequi multi aiunt, vt quemadmodum illis Ecclesiæ ac populo operam suam nauantibus, merces debetur, sic & decimæ, Concil. Arelat. sub Carolo can. 9. Turon. sub Carolo can. 16. Moguntin. sub Rabano ca. 10. Innoc. IX. in Synodo Rauenn. par. 2. cap. 9. Valfridus, Strabus de reb. Eccles. cap. 29. Synod. Tribur. can. 15. Chalcedon. 14. Chrysost. hom. 4. in epist. ad Eph. S. August. serm. 219. de tempore.

Quo autem iure sint hæ debitæ, diuino, an Ecclesiastico tantum, non vna est eademque Doctorum omnium sententia.

Pro diuino faciunt, Hostiensis in sum. tract. de decimis, Innoc. in cap. vltim. de Parœc. Baron. tomo 1. annal. ad ann. Christi 57. *Licet*, inquit, *Christi Ecclesia legalibus non astringatur, tamen iure quadam naturæ, quo præcepta moralia sunt seruanda, imo & diuino, illa debentur etiam Sacerdotibus Christianæ religionis.* Innoc. III. in Concil. Later. can. 53. *Illæ decimæ*, inquit, *necessario sunt soluendæ, quæ debentur ex lege diuina, vel loci consuetudine approbata*, Concil. Matisc. 2. can. 3. *Leges diuinæ con-*

A *sulentes, Sacerdotibus ac ministris Ecclesiarum pro hæreditaria portione, omni populo præceperunt, decimas fructuum suorum locis sacris præstare, vt nullo labore impediti legitime spiritualibus possint vacare ministeriis*, Moguntin. sub Arnulpho can. 17. *Admonemus atque præcipimus, vt decima omnino Deo dari non negligatur, quam Dominus ipse dari sibi constituit*, timendum, est enim vt quisquis Deo debitum suum abstraxerit, Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua, Eugen. II. in Concil. Rhemensi cap. 2. *Diuinarum legum manifesta est disciplina, & Sanctorum Patrum decreta sanxerunt, vt decimas Ecclesiarum, &c.* Origen. in nu. homil. vndecima. *Dominus disposuit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant, & qui altari deseruiunt, de altari participent*, Cyprian. epist. B 66. secundum editionem Pamm. loquens de decimis quæ dabantur Leuitis, *Totum*, inquit, *fiebat de dispensatione, & authoritate diuina, vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocentur.*

In contrarium abeunt hi omnes, Diu. Thom. 2. 2. qu. 85. art. 1. D. Antonin. part. 2. tit. 4. cap. 3. Henricus quodl. 4 qu. 28. Adrian. quodl. 5. art. 1. Less. lib. 2. cap. 39. dub. 1. Sotus lib. 9. de iustit. q. 1. concl. 3. huius quæstionis explicatio, duabus propositionibus continetur, quam tamen duplici notitia præmuniendam censeo.

Prima est, Decima bonorum omnium mobilium, licitè quæsitorum, pars est decima, Deo data, Parochisque debita, & in multis locis pro varietate locorum varia, modò maior, modò minor, C semper in iis tamen definita, & certa.

Secunda, Decima classicis auctoribus, idem est, ac quod Sacerdoti est ab iis quibus operam suam nauat, ad vitæ sustentationem debitum, cuiusmodi est futurum, si ad victum duarum personarum, ex prouentibus annuis, computatis oblationibus sufficiat, Abbas in cap. cum sicut num. 4. de consecr. Eccles. Piasec. in praxi par. 2. cap. 4. art. 9. de quo prudentis est iudicare, sicut & de quota seruanda in singulis prouinciis, iuxta earum morem.

D Dico ergo primo, *Decimæ materialiter spectatæ, quatenus sunt necessarium stipendium ministrorum Ecclesiæ, debitumque in Laicis illud isidem suppeditandi ad sustentationem, iure diuino ac naturali sunt debitæ*, Diu. Thom. 2. 2. qu. 87. art. 1. & quodl. 2. art. 8. Læius cap. 28. de Parocho, num. 13. Nauar. 25. Enchir. num. 28. Malder. tract. 10. ca. 4. dub. 2. Gutier. l. 2. Canonic. qq. cap. 21. n. 9.

Quid enim est tam naturale, *quam vt*, quod ait Paul. 1. ad Corinth. 9. *qui plantat vineam, de fructu eius edat: qui pascit gregem de lacte eius manducet: qui seminat spiritualia, saltem metat carnalia?* & qui militat, stipendium arripiat? Dictat enim bene informata ratio, vt laborantibus, & ministrantibus spiritualia, necessaria vitæ sustentatio præbeatur, iuxta eorum qualitatem, *dignus est enim operarius mercede sua*, Luc. 10. ergo & decimæ, vt sunt hæ E idem, ac id vnde ministros ali conuenit.

Nec minus res est de iure diuino clara, dicitur enim 1. ad Corint 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus*, & 1. ad Timoth. 5. *qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt*, dicit enim Scriptura, *non infrænabis os bouis triturantis*, & 1. ad Corinth. 9. *Nescitis quoniam qui in sacrario sunt, de sacrario edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant? ita & Dominus ordinauit eis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere*, ad eius ergo diuinum

pertinet, obligatio ſeu debitum in Laicis alendi Parochos.

Secundo ſi decimę, prout ſignificant ſuſtentationem miniſtrorum præceptæ ſunt in antiqua lege, manentque adhuc in noua ſub hac formali ratione, earum obligatio eſt iuris diuini, verum eſt prius, nam Exodi 22. Leuit. 26. de ijs ſoluendis præceptum datur, illudque diuinum haud dubie, quod in quantum erat iudiciale, remanet propter moralem æquitatem, aut honeſtatem quam in ſe continet.

Veram autem eſſe conſequentiam dictæ maioris probatur hac ratione, lex antiqua manet, qua parte naturalis eſt, & moralis, at oſtenſum eſt decimas iure naturali ſoluendas eſſe, vt ſuſtentationem ſignificant, ergo vt ſic diuino ſunt iure Parocho debitæ. Quare in quibus prouincijs deſunt ei vitæ neceſſaria ſubſidia, populus ad ea præſtãda cogi debet. Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. alimenta enim Clericis ſunt debita iure tam naturali & diuino, quam legis Euangelicæ D. Th. 2. 2. q. 87. art. 1. Couarr. 1. variarum cap. 17.

Dico ſecundo, *decimæ ſumptæ pro obligatione dandi quotam aſſignatam*, id eſt partem reddituum decimam, quintam, aut duodecimam, non deberi niſi iure Eccleſiaſtico, D. Tho. 2. 2. q. 87. art. 1. Leſſius lib. 2. c. 39. & Abulenſis ca. 22. in Matth. quæſt. 151. probatur

Primo quia authore Nauarro Enchir. 21. num. 38. tota fere Italia ſunt ſublatæ, nec in multis Galliæ locis minutæ, ex paſcuis, fructibus, ac animalibus ſolui ſolent, tollique poſſunt, quoad quotam, tam conſuetudine, cap. in quibuſdam de decimis, quàm conuentione mutua Parochi & Parœcianorum, de conſenſu Epiſcopi, vt docet Malderus loco citato, non ſunt ergo quo ad hanc determinationem aliquotam iuris naturalis aut diuini, cum neutrum humana vlla conſuetudo abrogare valeat, ſunt igitur iuris Eccleſiaſtici tantum, ita Guido Papa q. 284. Papon. tit. 2. arreſto 3. nam etſi imperentur decimæ in Synodo Rhemenſi ſub Carolo Magno can. 58. Cabillon. ſub eodẽ principe can. 59. Meldenſi tẽpore Sergij II. can. 75. Burdegal. habito anno 1270. vt canones præteream quorum eſt copia cuilibet, extra de decimis. Nihilominus eas quoad quotam à Parochianis præſcribi poſſe contra Parochum communis eſt Doctorum ſententia, ac conſuetudo in Delphinatu ac circumuicinis locis, Bleyanus in Theoria tractatu de nouali b. & decimis num. 10.

Secundo quæ iuris ſunt naturæ, vbique ſunt eadẽ, vbique talia, quare cõnexione ſui cum humano ingenio, cognoſci poſſunt à quolibet, quæ enim natura præcipit quæque vetat, initia ſui antecepta habent in animo, nec eum proinde poſſunt latere facile.

At quotuſquiſque eſt omnium qui vbique viuunt, hominum, qui hoc à natura principe inditum ſibi aſſerere audeat, certo vt iudicet bonorum partem decimam Parocho dandam eſſe, aut Clericis, potius quam quartam viceſimam, aut duodecimam? habetur quidem ex naturæ principijs Parochum alendum eſſe, ei tamen hoc aut illud dandum, præciſe, nec plus aut minus, nequaquam, ergo decimas ſolui quoad quotam iuris non eſt naturæ.

Quod autem nec id ſit præceptum diuina lege, oſtendo, quæ præcepta diuina ſunt, horum extat in ſacris litteris mentio, at quotæ decimarum, mirum in ijs ſilentium, nec enim in lege Euangelica, cuius formam Chriſtus nobis eſſe expreſſam voluit ſacro Apoſtolorum ac Euangeliſtarum calamo, verbum vllum de hac quantitate reperire eſt facile. Quid? quod ſi D. Thomæ habenda fides quodlib. 4. art. 13. iſtius legis nulla præcepta ſint alia, quam quæ de Sacramentis ſunt ac fide?

Nam de Veteri teſtamento quod dicitur, in eo iuſſiſſe Deum, vt pars bonorum decima, Leuitis cederet, ad rem non pertinet, cum quæ antiquis præcepta olim ſunt data, hæc magnam partem interierint præter moralia, quorum de numero hoc de decimis non eſſe, vt ipſe non dicam, ſatis intelligit quiſquis ſecum recolit in iudicialibus ac cæremonialibus, fuiſſe ei locũ. Erant enim præcepta iudicialia apud Hebræos quæ ad ordinem, pacem ac tranquillitatem ſeruandam à populo pertinebãt: Cæremonialia, quæ ad Dei cultum referebantur ex virtute religionis, quale fuiſſe præceptum de ſoluendis decimis coniecturæ ſequentes indicant.

Prima, quod ſpectaret ad iudices videre ecquid Leuitis penderentur decimæ.

Secunda, quod eorum eſſet animaduertere in nocentes.

Tertia, quod eorum eſſet intelligere, ecquid ex ad iuſtam ſuſtentationem miniſtrorum eſſent idoneæ.

Deinde cum decimæ, perfectionem quæ denario numero exprimitur, nobis à Chriſto expectandam eſſe innuerent, quod ad Dei cultum pertinet, cæremoniale eſſe ambigi non poteſt, quo duplici nomine præceptum hoc adhuc vigere in Eccleſia qui ſentiet, hunc quoque in ea eſſe opinione eſt neceſſe, vt exiſtimet, Iudæorum legem quoad cæremonialia ac iudicialia à Chriſto antiquatam non eſſe, quod eſt cogitatu turpe non modo, ſed & impium, cum Chriſto teſte ac iudice, lex vſque ad Baptiſtam fuerit, totaque, publicato per Apoſtolos Euangelio ceſſauerit.

Ad argumenta petita ex canonibus quibus videtur confici, decimas etiam quoad eum numerum iure diuino præſtandas eſſe.

Reſpondendum eſt, illis locis, Pontifices tantum velle, decimas quoad ſuſtentationem, earumque debitum, in Laicis eſſe iuris naturalis, ac diuini, quod eſt verum, vel ſi loquuntur de quota, illis ſignificari tãtum, Eccleſiam Dei exemplum in determinatione quotæ, hoc eſt partis bonorum decimæ, pro educatione miniſtrorum præſtandæ, ſequutam eſſe & aliud nihil.

QVÆSTIO XI.

An Laici conſuetudine à præſtandis decimis poſſint eximi.

PRima Aſſertio, *A præſtandis Parocho decimis abſolutè ſumptis, & quoad ſubſtantiam, per conſuetudinem inolitam eas non ſoluendi, liberari Laici nequeunt.*

Primo, quia conſuetudo, iuri diuino contraria fœda corruptela eſt, & vt inductiua peccati, inanis eſt ac nulla, nec proinde ſeruãda. Guid. Papa cõſil. 70. num. 2. at præſtatio decimarum, vt ſumitur abſolute, materialiter, & quoad ſubſtantiam, pro ſubminiſtratione commeatuum, qui ſunt ad vitam neceſſarij, iuris eſt diuini ex dictis antea Maior probatur, cum conſuetudo vim legis habeat, ea tan-

tum abrogat, quæ in eorum ſunt poteſtate poſita, quorum eſt legi vim dare, ſed conſuetudo non ſoluendi decimas, introducitur à populo, cuius vis nulla eſt momentumque, in ea quæ iuris ſunt diuini ergo &c.

Secundo conſuetudine fieri nulla poteſt, vt quod eſt alterius, ei negetur, cum illud reſtitui, res temporaque exigunt, At clericis operam populo nauantibus ſua merces eſt debita, & hæc præſtatur per decimas, ſopiri hæ ergo, extinguique conſuetudine nulla queunt.

Secunda Aſſertio, *poteſt conſuetudine fieri vt decima pars fructuum non exhibeatur Clerico, nec quota ipſa* Innocentius & Panormitanus, in cap. in aliquibus de decimis, quia quota decimarum iuris eſt Eccleſiaſtici non diuini, at contra Canones lex humana, & conſuetudo præualent, de quo conſultus à Strigonienſi Archiepiſcopo Lucius III. reſpondit veteſto prouinciæ mori ſtandum eſſe cap. 10. de decimis, cuius exemplum ſequutus in iudicando Senatus, rem fecit in foro, Galliaque certam, Paponius tit. 10. arreſto 3.

Ita fas in Gallia cuilibet, minutarum rerum decimas vt loquuntur poſtulanti Parocho negare, niſi de eo conſuetudo ſit contraria ſic Senatũ iudicaſſe referunt Boerius in conſuetudine Biturigum §. 12. & in fine de conſuetud. præd. Choppinus de ſacra pol. lib. 3. tit. 4. num. 4. in margine.

Narrantque Hiſtorici Andegauenſes Clericos cum prætextu frumenti ſibi debiti, vinearum quoque, & arborum quæ domi ſunt ſitæ decimã percipere vellẽt, à ſua petitione ſubmotos eſſe: Grimaldetus in §. decimarum l. 3. tit. 3. n. 5. in minutis vero decimis ponenda poma, legumina creſcere ſolita in hortis, Forgetus tract. de decimis cap. 4. num. 2. nam quæ ruri naſcuntur in Normania decimam ferunt iudicio Rothomagenſis curiæ quæ id ſanxit arreſto quadruplici vt habet Fabric. tract. de decim. & noual. litera M. ad marg. Forgetus de decim. c. 4. num. 3.

Tertia Aſſertio, *Poteſt Curio Parochiano alicui remittere ius ſacræ præſtationis, dum vinet*, habetur cap. veniens 8. de tranſact. ac ratio eſt, Quia Curio commodum decimarum ſibi obueniens dare poteſt, cui lubet cum earum ſit Dominus, ergo & antequam ſint collectæ.

Quarta Aſſertio, *decimarum remiſſio, vita remittentis clauditur*, Forgetus de decimis ca. 2. vbi id anno 1601. definitum tradit in Curia Normannica pro Ioanne Langleo contra virum nobilem Dominum Decroiſmare.

Secundo in certum ſucceſſoris ſui detrimentum, valide quid attentare nemo poteſt in beneficio, quo fruitur: faceret id verò ſi ſua liberalitas ſucceſſori damno eſſet. Maior probatur diſpoſitio ius ſupponit in diſponente circa rem datam aut dandam, at beneficiarij ius omne in beneficium finitur morte, cum ſit tantum eius vſufructuarius.

Caſus eſt vnus, in quo conſuetudo aduerſus legem decimarum introductam valet, nempe cum ſciente Romano Pontifice frequẽtatur, & accedit expreſſus vel tacitus conſenſus eorum quorum intereſt, eam conſuetudinem non induci, qui tamen non reſiſtunt, cum decimas exigere ipſi intermittunt: nam tunc lex decimarum ab eo tollitur qui poteſt nempe Pontifice, nec ſibi iniuriam fieri, aut factam eſſe cauſari iuſte Parocho licitum, cum tacite conſentiat decimas ſibi negari, & in hoc caſu nullum certum tempus abrogandæ legi requiritur, ſed tantum mora ſufficiens, & actus contra legem qui moraliter cenſentur neceſſarij), vt violatio legis decimarum, in eius notitiam peruenire potuerit, quia niſi hanc tolli ei placuiſſet reſtitiſſet.

Quod ſi legiſlatorem, id eſt Papam lateat, non ſolui decimas, lex de iis dãdis abrogabitur per contrariam conſuetudinem legitime præſcriptam, dummodo cum bona fide continuetur 48. annis, vt dicitur in cap. vltimo de conſuetud.

QVÆSTIO XII.

Cui tribuendæ ſint decimæ noualium.

Eſt nouale Iuriſperitis lib. 30. de verborum ſignificat terra præciſa, vel vt eſt apud Iſidorum proſciſſa, quæ anno vacauit, Iuris Canonici interpretibus terra recens culta, & de qua non extat memoria quod aratrum vnquam ſit paſſa, Rebuffus comm. in leg. 30. tit. de verb. ſignific. de Graff. parte deciſ. 2. lib. 2. cap. 27. nu. 44. vbi duo ad terram noualem exigit, primum, quod nullo ante tempore diligentiam agricolæ ſit experta, alterum quod ex ea nulla, aut parua vtilitas, ad dominum peruenire potuerit. Quod tamen pace eius ſit dictum, neceſſarium non videtur, nam quid obſtat ſolum illud ſterile ac incultum relinqui negligentia Domini, quod potuiſſet ei eſſe vtile? quale ſi fieri contigerit, ſedulitate domini, ad quem pertinebit pars fructuum eius decima?

Prima Aſſertio, *Ad quemcunque tandem decimæ communes perueniant, non tamen alteri ſunt dandæ noualium, quam Parocho*, Bleyanus de primitiis & decimis num. 43. littera G. Rebuffus de decimis qu. 14. num. 9. Carondas Pandect. Iuris Gallici li. 1. Graſſius proxime citatus & patet.

Primo, ex decretali Alexand. III. quoniam de decimis 13. vbi eſt his verbis: *Quoniam à nobis ſollicitudo tua requiſiuit de decimis noualium tuæ Diœceſis, quid tibi ſit ſtatuendum. Reſpondemus, vt ſi terræ quæ arabiles ſunt, intra certam alicuius Eccleſiæ Parœciã fuerint, decimas earum eidem Eccleſiæ facias aſſignari.* Alexandro aſtipulatur Senatus authoritas declarata arreſtis duobus, quæ ſunt notata faſtis annorum 1555. & 1559. contra cœnobium ſancti Dionyſij ad Pariſios pro Parocho de Serris in Bria.

Secundo cum iure communi, Parochis debitæ ſint locorum decimæ quibus præſunt, cap. cum contingat de decimis, non aliæ de eorum poteſtate ſunt ſubtrahendæ, quam quæ vſu aut voluntate Pontificis factæ ſunt alterius: at nec datæ ſunt decimæ aliarum rerum quam quæ tum vtiles erant ſuo colono, cum ſunt conceſſæ: eſt enim donatio rei veræ ac extantis in ſe aut ſpe proxima cõceſſio, nec præſcriptæ, niſi quæ extabant cum cœpit præſcriptio, quales non ſunt decimæ noualium, cum nouale, ager ſit coloni ſedulitate ex inculto ac ſterili factus idoneus ad fructus ferendos in tempore.

Maior probatur, lege Canonum & Eccleſiæ Parochus earum ſibi rerum ac prædiorum decimas iure vendicat, quæ ſunt in Parochiæ ſuæ finibus incluſæ, cap. quoniam de decimis: non ſunt ergo dandæ alteri, niſi de Papæ aut Epiſcopi voluntate

Quod autem præſcribi non potuerint futuræ noualium decimæ, oſtenditur. Eſt præſcriptio domi-

Digitized by Google

nij in rem quæ vſu capitur acquiſitio, at rei non extantis cuiuſmodi ſunt decimæ futuræ noualium, nullum eſt dominium: definitur enim ius vtendi re ſua omni modo poſſibili, quod de re quæ non eſt, dici nequit, cum vſus dicat rei applicationem ad vtentem, qualis nulla, de re non extante poteſt fieri. A

Deinde præſcriptio nō procedit ſine poſſeſſione, lege ſine poſſeſſione ff. de vſucapio. eaque continuata toto tempore ad præſcribendum neceſſario, ſed phyſica poſſeſſio nō cadit in rem futuram tantum, & non adhuc extantem, vt patet, non ergo potuere præſcribi noualium decimæ.

Secunda Aſſertio, *cui à decimis eſt conceſſa vacatio, hic quoque à præſtandis noualibus eſt liber*, Carondas Pandectarum iuris Gall. l. 1. Fabricius nu. 28. tract. de noualibus, his verbis, *decimarum exemptio, ad exemptionem noualium trahitur*, cap. ex parte de decimis. B

Deinde decimæ abſolute ſumptæ ea etiam comprehendunt, quæ colliguntur ex noualibus, fauores enim ſunt ampliandi, atqui fauorabile eſt, eximi aliquē à præſtatione decimarū, ergo ſub immunitate eas ſoluendi, comprehenſa quoque eſt obligatio dandi illas, quæ noualibus ſunt annexæ.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo ceſſent decimæ.

CEſſat obligatio exhibendi decimas tranſactione, conſuetudine, præſcriptione ac priuilegio, Malderus dub. vltimo. Leſſius dub. 5. n 21. & ſequentibus.

Conſuetudine quidem, vel præſcriptione ſopiri ius repreſentandi decimas norunt omnes, qui intelligūt vim eandem conſuetudinis eſſe, quæ legis: hac autem obligationem obrui tollique, quemadmodum & præſcriptione, poſſeſſionum antiqua iura habetur lege 3. ff. de vſucapio.

Tranſactione ceſſant decimæ, cum conuentione Parochi & fidelium mutua, earum loco quid tributur, ea conditione vt hi amodo ſint ab illarum præſtatione liberi, cauſa eſt, quod rebus quiſque ſuis cedere valeat, poſſitque Eccleſia vna, cum alia & Clerici inter ſe liberè de decimis alteri Eccleſiæ debitis licite componere cap. ſuggeſtum 9. cap. nuper 34. de decimis.

Vt autem renuntiatio in perpetuum valeat, neceſſarius eſt Epiſcopi conſenſus, cap. 2. de tranſactionibus cap. de cætero, cap. veniens eodem tit. quare talis tranſactio non continuabitur vltra vitam tranſigentis Parochi niſi fuerit Epiſcopi authoritate firmata, Piaſec. ſupra nu. 18. Priuilegio autem, quotquot ſancti Franciſci legibus, ac Beatæ Claræ vitam in Cœnobiis imitantur ac mores, à decumana penſitatione fructuum ac ſubſidiis nummariis, quæ ſuorum prædiorum nomine iis imponi poſſent, ſunt liberi reſcriptis Apoſtolicis Nicolai IV. Gregor. IX. Innocentij IV. Vrbani V. & Eugenij IV. à quo ſunt ſuperiorum Pontificum diplomata comprobata idibus Auguſti anno 1419.

Secūdo, eſt hæc quoq; Ciſtercienſibus Monachis conceſſa immunitas liberalitate Eugenij III. Alexand. III. à Benedicto XIII. Ordini militari S. Ioan. Ieroſolym. Rodrig. tom. 2. qu. 44. art. 4. Patribus item S. Hieronymi in Hiſpania, vt Cōpend. illorū habet ver. Decimæ parag. 12. 13. & 16. PP. Societatis à Greg. XIII. ann. 1573. nec Regulares hi modo ſunt à ſolutione decimarum de terris quas excolunt Pontificum priuilegiis liberati, ſed & ſæpe ipſorum coloni vt de Hieronymitis ſcribunt Portelius in dubiis regularib. ver. decimæ, de quo tamen certa dari non poteſt regula, ſed earum conſulenda ſunt priuilegia, & ſecundum ea, ſunt illorum moderanda priuilegia.

Vbi aduertendum quod etſi Innocentij III. decretali Epiſtola in cap. nuper 34. de decimis. Ciſtercienſes reuocati ſint ad antiquam formam Canonum, iiſque proinde imperatum, priſco vt more latifundia ab ijs quæſita poſt Lateranenſe Concil. ſacræ præſtationi decimarū forēt obnoxia, licet ea ſuis ipſi manibus colerent, ſunt hæc Papæ verba, *decernimus vt de alienis terris & amodo acquirendis etiam ſi eas propriis manibus aut ſumptibus excolunt decimas perſoluant Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſoluebantur, niſi cum alijs Eccleſiis aliter duxerint componendum*, fuit tamen vtraque exceptio Bulla Martini quinti ſublata, & ab ea quæ eſt Innocent. fuere Monachi abſoluti, quæ quia non eſt in Gallia poſt Martini quinti bullam recepta tam ipſi quam Religioſi quilibet alij, ſententia Curiæ non iubentur, priſcis Eccleſiæ moribus, iura decimarum ſolita de agris quos excolunt pendere Parocho, vt ſtatuiſſe Curiam, dicunt arreſtorum eius collectores, Paponius, Carondas, Loüetus. C

Dixi de agris quos Regulares per ſe colūt, aut impenſis ſuis, nēpe quia ad id vtuntur domeſticorum opera, nam quos conductoribus tribuunt, hi agri tali immunitatis priuilegio non gaudent, vt aduerſus Dionyſium Auraldum dicti Ciſtercienſis Ordinis Abbatem, ſanxiſſe curia dicitur, pro Philippo Fabro Curione, qui quoniam eius familiæ fundos, quos ſuis ipſa manibus ac impenſis non coleret, ſacræ decimarum præſtationi obnoxios diceret, has ſibi contendebat iuſte negari non poſſe, quare eaſdem, vt poſtulabat æquitas, Senatus iudicio ac auctoritate pēdi ſibi in poſterum obtinuit. D

Ab eo quoque decretū tùm fuit vt conceſſa Monachis priuilegia de non ſoluendis decimis ad eas non extenderētur, in quibus percipiendis earumq; poſſeſſione erat Parochialis Eccleſia vel alia, antequam agri ex quibus legebantur, Religioſorum dominio addicti eſſent, Oldradus conſ. 268. Renatus de polit. lib. 3 tit. 2. n. 8. ad Marginem.

Secundo, dictum quoque tūc fuit exemptionem à decimis non extendi ad colonos, agriq; conductores, Carond. l. 1. pandect. iuris Gallici tit. 13. Peleus l. 1. forenſ. act. 35. l. 2. & act. 28. Forget. tract. de decimis c. 7. n. 5. vt enim ſunt hæc priuilegia perſonalia, ac fauore ſingulari, contra ius cōmune indulta, coercenda ſunt potius, quam laxanda, iuxta regulam iuris in 6. 15. *Odia reſtringi & fauores conuenit ampliari*, quod ſi cum Monachis conceſſa beneficia, maxime iure communi contraria, ad eos ſolos pertinent, nec trahuntur ad alios cum quibus communicentur. E

Excipiendi ſunt ab hac lege Melitenſium equitum coloni, cum quibus Pontificum indulgentia, communicatur hæc immunitas, nam quantocunque longo tempore fundos illi ſuos colonis fruendos dederint, modo ne perpetua lege beneficiaria, vel emphyteutica, ſunt hi à decimarum præſtatione liberi conceſſione Greg. IX. anno 1227. Bonif. VIII. an. 1295. Clementis V. ann. 1306. Alexand. V. anno 1410. Calixti III. anno 1455.

Clem. 7. a. 1534 indicãt verba hæc, *Nos attendentes per conceſsiones & priuilegia prædeceſſorum huiuſmodi, ab exemptione ſolutionis decimarum prædictarum bona quæ in emphyteoſim aut feudum perpetuum conceſſa fuerant, duntaxat excipi, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula prædeceſſorum priuilegia approbantes, volumus illa perpetuis futuris temporibus, quoad poſſeſsiones, bona & terras, quæ ad quantumcunque longum tempus, non tamen in perpetuum feudum, ſeu emphyteoſim hactenus conceſſa fuerunt, & in futurum concedentur, inuiolabiliter per quoſcunque quauis dignitate præfulgeant. Ita quod vos, nunc & pro tempore exiſtentes, Priores Præceptores, & fratres huiuſmodi, veſtrique coloni Arrendatores, & Firmary, pro poſſeſsionibus, terris, bonis, & ad quamlibet longum tempus, nec non ſuis, & aliis pro tempore natis, aut nutritis animalibus, à ſolutione decimarum immunes, & exempti perpetuo exiſtatis, & exiſtant, obſeruari debere.*

Quam Papæ beneficentiam cum cenſeret Gallia, Parochis damnoſam fore ac noxiam, ſi eſſet quoad colonos perpetua, eos noluit beneficio immunitatis à tributo decumano frui longius, quam 9. annorum ſpatio, quæ ſunt tempora, quibus rerum Eccleſiaſticarum locatio finitur, Choppi. lib. de ſacra poſitia tit. l. 2. num. 9.

Vt vt ſit de Melitenſibus eorumque colonis, certum eſt Ciſtercienſes, cæteroſque qui eorum vtuntur immunitatibus, à lege decimarum ſolutos eſſe, vt de Societatis hominibus ſtatuiſſe dicimus Greg. 13. anno. 1578. Bullato diplomate, cuius eſt hoc initium *Paſtoralis officij*, quod integrum extat apud Piaſecium praxis Epiſcop. parte 2. cap. 4. de decimis num. 17. ſicut antea de Carthuſienſibus decreuerat Honorius 3. Clemens 4. 5. & 7. Innocentius 6. Ioan 22. Greg. 11. Martinus 5. Pius II.

Eſt, & aliud quo decimæ, earum poſſeſſori intereunt, maxime infeudatæ laico, mors nempe per eũ illata Rectori eius Eccleſiæ cuius bona decimationum poſſidet cap. in quibuſdam 12. de pœnis. Quid enim eſt indignius quam qui Eccleſiæ redditibus paſcitur, eidem vim facere, aut miniſtris quibus ad regimen ſuum vtitur?

Quarto, poſſunt quoque Laici per priuilegium obtinere ne ſoluant decimas, ad aliquod tempus, vel ad vitam, Abb. in cap. cum veniſſent num. 8. de iudiciis, concedi item illis poteſt vt eas exigant, non quidem tam ſuo quam Eccleſiæ nomine, quia cum iuris ſpiritalis ſint incapaces, ius decimandi habere nequeunt.

Quinto, præſcriptione tolli poſſunt perſonales decimæ, Piaſec. par. 2. praxis cap. 4. art. 9. & propterea nullibi fere ſoluuntur & quidem licitè, Nauar. cap. 2. num. 31.

Sexto, liberari à præſtatione decimarum quis poteſt compoſitione cum Parocho, vel earum redemptione iuſta aliqua compoſitione, vt fundo, vel prædio, Azor. inſtitut. moral. lib. 7. cap. 37. nulla tamen foret hæc compenſatio, niſi eſſet auctoritate firmata Pontificis, Piaſec. ſupra num. 14.

An autem per Laicos poſſint Clerici præſcriptione excludi à Decimis prædialibus, iam eſt videndum, &

Dico 1. *Clericos, iure decimarum ſecundario, à Laicis poſſe exui, cum titulo & poſſeſsione tanti temporis, quanũ leges ad præſcriptionem poſtulãt*, quod quidẽ pro rebus immobilibus priuatorũ, eſt ſpatiũ decennij, cum titulo inter præſentes, vicennij autẽ inter abſentes, ſine titulo 30. annorum, pro rebus

A Eccleſiæ 40. ita Doctores omnes & probabitur copioſius tract. de præſcriptione.

Secundario (dixi) quia primæuum & fundamentale acquiri non poteſt à Laico, quia eſt ſpiritale, fundatum in miniſterio ſacro, cuius Laicus eſt incapax, non item ſecundarij quod eſt ab illo primæuo deriuatum, & eſt ſola vtilitas fructuum, præciſa à iure illos exigendi, ob ſacrum miniſterium, quæ vtilitas non videtur eſſe diſtincta formaliter à iure feudali, quod ante Conc. Later. celebratum ſub Alexand. III. anno 1179. concedi Laicis erat in more, & vt hoc ius ſecundarium, ſine titulo præſcribatur à Laico contra Eccleſiam, requiritur tempus, cuius initij memoria non extet, nam tunc præſumitur poſſeſſum ab eius maioribus, ex conceſſione Eccleſiæ, proindeque cum titulo quẽ probare opus non eſſe dixit Leſſius li. 2. cap. 6. dub. 15.

B

Dico ſecundo, *Laico quoque permiſſum eſſe retinere ius decimarum, parentibus ſuis ante Concil. Lateranenſe conceſſum*, Leſſius lib. 2. cap. 6. dub. 15. num. 48. quia per Concilium non eſt imminuta poſſeſſio Laicorum circa decimas, nec ablata, ſed eis tantum prohibitum, ne nouas acquirant.

Scio Rebuffum ſentire oppoſitum, eo quod in ca. prohibemus 19. de decimis vetentur laici decimas etiam poſſeſſas cum titulo, retinere cum certo animarum ſuarum periculo, & in alios transferre, ad eos ergo non pertinent, cum quæ mei ſunt iuris, hæc inquit, dare & vendere poſſim ſine ſcelere, animæque diſcrimine, quare infert q. 10. has, etſi ſint infeudatæ, reſtituendas tamen eſſe, nec

C ſufficere poſſeſſionem omni memoria longiorem, ad eas vi ſolius præſcriptionis, exigendas legitime, cum hæc id tantum non conferat quantum eſt neceſſe, vt priuilegij, ad eam rem ſiue à Pontifice, ſiue ab Epiſcopo conceſſi, habeatur ſufficiens, idoneaque probatio.

Sed contra, quia pro iis facit maiorum ſuorum virtus, quos non eſt probabile decimas Parochorum inuaſiſſe cum culpa, ſed priuilegio Pontificis vt pleroſque alios, pro quo etſi argumenta alia non faciant, quam diuturna earum retentio, quæ probabiliter ab æquitate ac eorũ virtute ortum habuit vnicum, hoc eſt tamen ſatis, vt honeſtè poſſint ſine peccati ſuſpicione ſeruari.

Tertia Aſſertio, *A Laico cuius parentes ante Concilium poſſederũt decimas, quibus adhuc ipſe fruitur de conſenſu Epiſcopi, vendi aut dari alteri Laico nequeunt*, Panorm. in cap. prohibemus de decimis, Azor. prima parte lib. 7. cap. 26. Rebuffus qu. 10. cauſa eſt quod Concilium Epiſcopo prohibeat, ne vlli decimas in feudum tribuat, tribuit autem cum eas diſtrahi, vendi ac emi patitur.

Secundo, eſt hæc iuris tranſlatio Eccleſiæ periculoſa ac noxia, cum ſic ad eam non redeant decimæ, earum poſſeſſore defuncto ſine liberis, quod Pontifex vetat cap. citato. *Prohibemus ne Laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes in alios Laicos poſſint aliquando transferre, ſi quis vero receperit, & Eccleſiæ non reddiderit Chriſtiana ſepulturæ priuetur*, licet tamen eas attribuere Monaſterio, aut pio loco de conſenſu Epiſcopi, cap. ad Apoſtolicã de his quæ fiũt à Prælato. Ratio eſt, quod hæc attributio, non eſt tam alienatio quam rei profanæ ad Eccleſiam reuocatio. Deinde in cap. prohibemus Laicorum fit tantum expreſſa mentio, in quos vetãtur transferri decimæ non Regularium: non ſunt hi ergo ab earum poſſeſſione, vſuque excludendi.

D

E

QVÆSTIO XIV.

Quæ ſint pœnæ non ſoluentis decimas.

PRæter peccatum mortale quo ſe miſerandum in modum impiat can. decimas de decimis, ac cruciatuum æternorum periculum 16. q. 7. can. finali 16. quæſt. 4. can. 17. eſt antiqua Canonum lege de fidelium cœtu mouendus. Cabillonenſe Concil. ſub Carolo Magno can. 18. Meld. ſub Carolo iuniore can. 62 & 75. quem eo loco admonent, ne capellas earumque decimas Laicis tribuat, *Ne quod abſit* (verba ſunt Canonis) *periculum interdi-*

A *ctianathematis incurrat.* Niſi forte eas detinens aut ei cui ſunt debitæ denegans Religioſus eſſet, eiuſmodi enim eſt in pœnam culpæ ſuæ ſuſpenſus ab Officijs & adminiſtrationibus ſi quas vel quæ habeat Clem. 1. de decimis.

Quid hoc tempore? non alia pœna qui decimas inuadunt, aut fallunt in prouincijs Galliæ plurimis mulctari ſoliti hoc æuo, quam quæ fuere in vſu, Patrum noſtrorum ſæculo, ſatis enim eſt Epiſcopis, in eos ore Parochi intentare ſacra Eccleſiæ fulmina, ac horum metu illos retinere in officio.

Dixi in plurimis, extant enim Burdegalens. Synodi habitæ apud Coprinacum anno 1260. decreta multa, quibus in eiuſmodi homines fulminata eſt excommunicatio latæ ſententiæ.

Digitized by Google

TRACTATVS VNDECIMVS,

DE ABBATIBVS, CANONICIS ET CLERICIS.

QVÆSTIO I.

Quid sit Abbas & quotuplex.

ABBAS Hebræis idem sonat ac pater, teste Hieron. in Commentarijs ad epistolam Pauli ad Galatas, Lyran. in epist. ad Galat. c. 4. S. August. epistol. 177. Pelagio de planctu Ecclesiæ lib. 2. cap 23. Alciato in legem primam Codice de in ius vocando: Nobis idem est ac qui cum iurisdictione in vtroque foro, cœnobio, Monachisque præest, vnde & Cœnobiarcha appellatur ab Alciato lege citata.

Prælatus enim est, cap. quanto de officio ordinarij, at est hoc Prælaturæ proprium secundum Innocentium III. reos pœna merita afficere, manu mittere innocuos, Monachis ergo Abbas præfidet, eos regit punitque, quod eum tamen ea moderatione facere est necesse, vt se patrem esse meminerit, hoc enim est inquit August. *Pater, quod Abba-pater, sed ad Sacramentum intimandum plenius est Abba-pater, ad vnitatem significandam sufficit Pater*; Ab ea cura quam parentum more de Monachis eum oportet suscipere, Patrem illum Bernard. nominat in epist. ad Guillel. Abbatem, cui proinde est id laborandum ante omnia, ne quid vnquam, Monachis ad vitam desit, ac si per ægritudinem, cibis communibus vti non poterunt, alios eis inferri in mensam, citra aliorum scandalum præcipit Innoc. III. cap. cum ad Monasterium 6. de statu Monachorum.

Vniuerse autem tria sunt genera Abbatum: quidam professione sunt vitaque Religiosi; cap. cum ad Monasterium, cap. cum in singulis 7. de statu regular. can. cum Abbates 21. Cõc. Aurel. primi. Alij Commendatarij, quibus non nisi impropriè res Abbatis, priuilegiaque conueniunt. Tertij sunt sæculares, quia Ecclesia cui præerant est è cœnobitica, ac regulari, facta sæcularis, Monachorum translatione in locum alium, aut eorundem obitu. Et istiusmodi hominum, duæ iterum sunt classes: Prima est eorum, qui sine Monachis Abbatis nomen retinent, qualis est Tricorensis in Burgundia, Gorzensis in Lotharingia S. Fœlicis & S. Petri de Burgo, Valentiæ in Delphinatu, S. Aphrodisij apud Biterras.

Altera classis est eorum, qui nulli Canonicorum collegio præsunt, sed in Capitulo & choro eius Ecclesiæ collegiatæ in quam Abbatia est conuersa per sæcularisationem, primum dignitatis locum retinent, vt in Ecclesia sancti Mauri ad Parisios, in qua qui olim Abbas, modo Decanus dicitur, deinde id est videre in Ecclesiis sancti Fœlicis, & sancti Petri de Burgo, de quibus Hostiensis in cap. ex transmissa de renunt. Roüillardus in forensibus actione 4. Choppinus lib. 1. de sacra politia tit. 1. num. 17. inter quas Abbatias est hoc discrimen, quod Abbatia posterioris generis, non sit de iis, ad quas ius est Regi nominandi. Chopp. loco citato, Fabr. in Theoria tit. de maioribus & minoribus beneficiis nu. 67. signo S. ad marginem, quia non est amplius maius beneficium, cum tale esse desierit per conuersionem sui in collegiatam Ecclesiam, vt fit ex eo perspicuum, quod eius electio ad Canonicos pertineat, sicut & Decani in multis Galliæ Capitulis; nisi forte primo à Rege aut Principe dicta Abbatia hic fundata esset, nam tunc ad eam, vt Patroni reliqui, præsentare posset idoneos, ex Chopp. tit. 17. & Fabric. supra quod semper ei conuenit respectu prioris generis Abbatiarum, quæ etsi destitutæ sint Monachis, tales tamen semper reputantur, ac ab vno aliquo conseruantur, cum hoc titulo vt an. 1596. declaratum fuisse à magno Concilio inter Dominicum Rosseguir & Franciscum Disarny disputantes pro sancti

Aphrodiſij Abbatia tradit Peleus in forenſibus lib. 1. actione 8. A

Differunt ſecundo, quod iſti Pontificalibus inſignijs vtantur, teſte Barb. loco citato, non alij.

QVÆSTIO II.

Abbatum quis ſit Superior.

IVre communi non alius eſt Abbatis Superior quam Epiſcopus, ita Eccleſiæ viſum in Concil. Chalced. can. 4. *Eos*, inquit ibi Concil. *qui per ciuitates ſingulas in Monaſteriis ſunt, placet nobis Epiſcopo eſſe ſubiectos*, eſt id quoq; promptũ, ex can. 21. Cõc. Aurel. 1. lubet Patres eo loco audire dicentes, *Pro humilitate religionis*, inquiunt, *in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid extra regulam fecerint, ab Epiſcopo corrigantur*, cuius cenſuram accipere ſi renuerint, iubentur à Patribus Concilij Epaunenſis, ad Merropolitani tribunal ſiſtere ſe iudicandos, Epaun. can. 19. à quo ſi rei criminis erant reperti, plectebantur eius imperio vt erant meriti, memini enim ſcriptum in Concilio Aurel. 2. can. 21. ſub Ioan. 2. eos ad communionem admittendos non eſſe, niſi contumaciam humilitate ſuſcepta deponerent, parere ergo loci Ordinario, Abbates ac Monachos non exemptos eſt neceſſe, vt C præter citatos canones indicant Concilia, in quibus dicitur neganda ſæcularibus poteſtas ædificandæ Eccleſiæ ſub Monaſterij ſpecie, ſine licentia Epiſcopi: *Quia*, verba ſunt Canonis, *vbi Congregatio non colligitur vel regula ab Epiſcopo non conſtituitur, à Diœceſana lege diſceditur.*

Neque tamen Epiſcopis quidlibet eſt permiſſum in Monachos, ſed hoc tantum, *in Monaſterio vindicare Sacerdotes*, id eſt Epiſcopi, *poſſunt*, inquiunt Patres Concil. Toletani 4. can. 50. *quod præcipiunt canones id eſt Monachos ad conuerſationem ſanctam præmonere Abbates, aliaque officia inſtituere, atque extra regulam facta corrigere*, quod in can. 3. Concilij habiti apud Palatium Vernis dicitur, his verbis: *Vt vnuſquiſque Epiſcopus poteſtatem habeat in ſua Parochia, tam de Clero, quam de Regularibus, vel ſæcularibus ad corrigendum & emendandum, ſecundum ordinem Canonicum ſpiritalem, vt ſic viuant, & ſi hoc facere contempſerint, Epiſcopus in Parochia cuius eſſe videntur, emendare debeat.* D

Quare Epiſcopi, Abbates (ſi indigni ſunt) remouere Magiſtratu prouinciaque ſuâ deiicere poterunt, 18. qu. 2. can. ſi quis Abbas, quoties vero, & quam ſæpe? etiamne quando illis erit placitum? Nequaquam ſed eo tantum tempore, quo Abbates officio ſuo deerunt: Abb. in cap. quanto de Offic. ordin & in caput vltimum de ſtatu Monachorum num. 1. Abbates enim ſunt iudices ordinum ſuorum Regularium, ſaltem in cauſis pertinentibus ad Regularia Statuta, & diſciplinam, Nauarr. in comm. 2. de Regul. n. 3. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 7. quare illos punire poſſunt, incarcerare, excommunicare, iuxta cap. cum in Eccleſiis de maior & obed. Patet ex dictis Abbates ſubiacere Epiſcopis quoad ſubiectionem, reuerentiam, & obedientiam, 18. qu. 2. can. hoc autem, Concil. Tolet. 4. can. 50.

QVÆSTIO III.

Qualem eum eſſe oporteat qui in Abbatem ſuffragijs communibus eligitur.

PRimò, non eſſe alius debet, vbi de Regulari agitur, quã qui religionẽ expreſſe ſit profeſſus, Gregor. IX. lib. 4. Epiſtolarum epiſt. 4. *Cum in magiſtrum*, inquit, *aſſumi non debeat qui formam diſcipuli non aſſumpſit, nec ſit præficiendus qui ſubeſſe non nouit, mandamus quatenus, cum Abbates tales* B *eſſe non debeant, qui per profeſſionem Monachi, & Regulares Canonici non fuerint, ad amotionem eorum quos tales inueneris, procedas.*

Nec ſufficit Abbatem religioſum eſſe, niſi eius Cœnobij ſit membrum vbi præficitur. Emman. quæſtionum Regularium to. 2. q. 52. art. 3. Tamburin. to. 1. diſp. 4. qu. 11. Layman. in Canonicis quæſtionibus de Prælatorum electione qu. 192. reſp. 2. & probatur teſtimonio Pelagij, cui decernere quondam placuit, ne in Abbatem alius aſſumatur, quam qui in eodem Cœnobio religioſam vitam ſit profeſſus, aut ſi in alio, non niſi qui eiuſdem ſit Ordinis, & quidem, cum eſt inopia ac defectus capacium in eo Monaſterio cui præficitur. C *Defuncto*, inquit, *Abbate cuiuſque Congregationis, non extraneus niſi de eadem Congregatione, quem ſibi propria voluntate concors fratrum Societas elegerit, & qui electus fuerit ſine dolo, aut venalitate, ordinetur, quod ſi aptam inter ſe perſonam inuenire nequiuerint, ſolerter ſibi de aliis Monaſteriis ſimiliter eligant ordinandum.*

Si qui eligitur, alterius eſſet Religionis Religioſus, electio nulla eſſet. Zerola in praxi Epiſc. part. 1. verbo Abbatiſſa, Barboſa iuris Eccleſ. lib. 1. cap. 17. num. 33. Equidem prohibent Concordata tit. de regia ad Prælaturas nominatione parag. Monaſteriis, ne alium Rex ad Prioratus & Abbatias Conuentuales Papæ offerat, quam Religioſum eiuſdem Ordinis, in ætate 23. annorum ad minus conſtitutum, ergo hæc qualitas, Abbati regu- D lari eſt neceſſaria.

Extra Galliam autem requiritur, vt ex gremio Eccleſiæ cui præficitur, eligatur can. quam ſit 18. qu. 2. cap. cum ſignum 35. de Præbend. in 6. can. nec emeritis 12. can. obitum §. commonemus diſt. 61. niſi forte conſuetudine inductum eſſet, vt ex vicinis circa Monaſterijs peteretur idoneus, ca. dilectus 8. de conſuetudine, aut talis domi non eſſet. Ita Gregor. lib. 11. Epiſtol. epiſt. 16. *Commonemus etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera permittas eligi Eccleſia, niſi forte nullus poterit in ea dignus inueniri.*

Nomine autem Eccleſiæ intelligendus eſt etiam Prioratus Conuentualis, qualem qui poſſidet in E dignitate eſſe dicitur, cap. niſi in fine de præbendis, ideo poteſt eſſe iudex delegatus, cap. ſtatutum de reſcriptis in 6. Rebuff. in Concordata tit. de nominatione facienda §. Monaſteriis; valeret tamen (vt ait) electio facta de aliquo alterius Collegij, etſi culpa electores in eo non carerent cap. cum inter Canonicos 21. de elect.

Secundo, debet Abbas eſſe ea ætate ſcientiaque, quæ ad faciendum officium ſint aptæ, cap. eam te 4. de ætate & qualitate præficiendorum, alioqui deponendus eſt cap. finali eodem tit. Ætas hæc vero eſt 25. annorum, vt præſcribit Trident:

seſſ. 24. cap. 12. Alexand. III. in Conſtitutione quæ incipit cum in cunctis de elect. Tuſcus littera A. concl. 5. num. 11. *Abbates per Cœnobia tales conſtituantur, qui ſui vocabuli miniſterium Deo poſſint indubitanter ſupplere*, ita docti, vt peccata cognoſcere poſſint, *& emendare*, *Sacerdotalem quoque honorem ſint adepti, vt peccantium ſibi ſubiectorum fratrum, valeant omnimodo refrenare, & amputare commiſſa*, Leo IV. in Synodo Romana cap. 21. ſane ſi Abbas quæ muneris ſui ſunt prouinciæque, cognita plene nõ habeat, in infinita ſeſe pericula vitæ, morumque induet, quæ eum vitare oportet, effugere illa autem qui poteſt, ſine doctrina? hæc eſt ergo Abbati ad obeunda ſua miniſteria neceſſaria. Quid ſi concionibus habendis non eſt ob imperitiam idoneus?

Quidam exiſtimant eum tùm priuandum ſuo magiſtratu, quod ei penes quem eſt cura animarum incumbat, eas ad virtutem è Superiori loco impellere: at eſt Abbas Monachis præpoſitus, quos & ad ſtudia virtutum incitare, reprimere vero debet à vitio, ergo niſi litteris eruditus, Abbas nemo eſſe poteſt, hæc authores illi.

Contrarium ego tamen tenendum in praxi ſentio, nam in Abbate præſtat doctrinæ probitas, cuius, & præ illa, partes ſunt in procuratione mentium, omnium opinione potiores. Deinde indocto Abbati ſubrogari poteſt in aliorum cultu, ſaluteque promouenda Monachus aliquis, optimarum artium, qui eum in obeunda prouincia adiuuet, quo modo Parocho ſubſtituere Epiſcopi ſunt ſoliti viros eruditos & pios, qui eius vices gerant, in explicandis populo myſteriis Chriſtianis.

Ad argumenti maiorem dicendum eſt, ſatisfacere officio ſuo Abbates, qui per ſe, aut alium ſuos inſtruunt, quod diligentia ſua aſſequi poſſunt etiam ineruditi, modo ne incurioſi, & aduerſus eos qui vicem ſuam gerunt ſint illiberales.

Tertio, eligendus in Abbatem iure communi Sacerdotij charactere inſignitus, habetur in cap. vt Abbates 1. de ætate & qualitate Ordinandorum quia Abbas qui non eſt Presbyter, dignitate ſua eſt priuandus, vt dicitur in illo cap. ergo vt ei conferri Abbatia valeat, debet eſſe Preſbyter, proindeque annum ætatis attigiſſe 25. vt dicitur cap. cum in cunctis 5. de electione, & in Clem. 1. §. cæterum de ſtatu Monachorum quod non ſeruatur in Gallia, vbi ſufficit Abbates cum creantur, inchoaſſe viceſimum tertium annũ Concordata tit. de regia ad Prælaturas nominatione parag. Monaſteriis lege tamen regia Henrici III. promulgata Bleſſ. anno 1587. art. 9. fieri Abbates Preſbyteri debent intra annum, alioqui priuari iubentur ſuo beneficio iuxta Bouchell. in ſumma verbo Abbas, niſi de eo Pontifex cum iis diſpenſauerit, & quoniam Preſbyterium ab iis in Gallia differri longius ſolet, idque ex conſuetudine, quæ valet ſecundum Præpoſitum in can. accedens diſt. 90. & Rebuffum ante citatum, credidere nonnulli freti hac cauſa, quod caput licet decimum quartum de electione in 6. quo iubentur beneficiati habentes curam animarum, fieri Sacerdotes intra annum, loquatur tantum de Eccleſiis Parochialibus, ex quo inferunt ad Abbatiales extendendum non videri, cum odia mitigari oporteat ac reſtringi, priuilegia autem ampliari, non eſt tamen negandum primo, eos etſi defectu Sacerdotij ſuo tempore non recepti, iudicum ſententia Abbatiis ſuis non excidant, graui tamen ſe impiare ſcelere, cum prouentibus gaudent, quos eſt probabile iis A à fundatoribus conceſſos non eſſe, niſi cum obligatione recipiendi Preſbyterij tempore definito legibus. Adde ſecundo huic excuſationi locum modo nullum eſſe, cum ſtatuerint Senatores Regij anno 1624. in cauſa Abbatis S. Mariæ de Ardenna, ad Cadomum, vt poſthac, vltra annum fas non eſſet Abbati Commendatario in Gallia, differre Preſbyterium, ſecus beneficio auctoritate Regis, & ſua, priuandum fore.

Quarto, requiritur vt qui eligendus eſt in Abbatem, ex legitimo matrimonio ſit progenitus, nam ſpurius, ad dignitates cæteraſque Prælaturas Monaſticas aſſumi nequit, ſine Pontificis diſpenſatione, ſecundum Nauarr. cap. 27. nu. 201. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 86. Suar. tom. 5. diſp. B 50. ſect. 5. habetque expreſſe Innoc. III. in cap. tamen 10. de ætate & qualitate.

Quinto, non debet eſſe Simoniacus, homicida, periurus, moribus aut vita infamis.

Sexto, nec alterius Monaſterij Abbas, vnus enim duobus præfici prohibetur, 21. qu. 1. can. vnum Abbatem, quare poſſeſſo ſecundo, vacat primum, imo & cætera eius beneficia, ſi intra ſex menſes, primum non reſignauerit, Trident. ſeſſ. 25. cap. 7.

Septimo, quàm cæteris Abbas dignitate præſtat ac imperio, tam debet reliquis, moribus ac doctrina antecellere, quare ſi à viri boni officio, Canonumque præſcripto abire Religioſi nolunt, non alium ſibi Monaſterioque Patrem dicent, quam C qui probitatis laudem ſcientiæque reliquis præripit 1. qu. 1. can. hi quoſcunque in fine, can. vihiſſimus 8. qu. 1. can. qui vos & can. vltimo 23. qu. 4. qua de re elegantiſſimè Greg. in Paſtor. l. 2. cap. 4. & Aquiſgr. Conc. can. 21. *Sit rector diſcretus in ſilentio, humilis in verbo, ne tacenda proferat aut proferenda reticeſcat, ſit rector bene agentibus, per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus, vt & bonis in nullo ſe præferat, & cum prauorum culpa exigit, poteſtatem protinus ſui Prioratus agnoſcat, quatenus & honore ſuppreſſo, æqualem ſe ſubditis bene viuentibus deputet, & ergo pernerſos iura rectitudinis exercere non formidet*, D quare in Concil. Tribur. habetur, quod *ſi quis Abbas cautus in regimine, humilis, caſtus, miſericors, diſcretus ſobriuſque non fuerit, ac diuina præcepta verbis & exemplis non oſtenderit, ab Epiſcopo, in cuius territorio conſiſtit, & à vicinis Abbatibus, & cæteris Deum timentibus, à ſuo arceatur honore, etiamſi omnis Congregatio vitiis ſuis conſentiens, cum Abbatem habere voluerit.*

Neque hic modo eſt honore ac Abbatum infulis exuendus, cum eſt vitiis ſuis Deo ac ſuperis odioſus, ſed inſupet cum eam non eſt aſſequutus ſcientiam, quæ magiſtratui quem gerit in Eccleſia officioque quod obit, par ſit ac æqualis, can. qui Eccleſiaſticis diſt. 3. cap. cum in cunctis 7. de electione, cap. qualiter 27. verſu præcipue, cap. cum vobis 19. verſu illius quoque literaturę eod. tit. Aut E ea virtute non eſt prędituſ qua præſtare eum eſt neceſſe, cuius vita fratribus eſſe pro exemplo debet, cap. cum in cunctis 7. verſu grauitas morum & §. inferiora verſu & moribus commendandus de elect. cap. indecorum verſu & morum cap. eam te decet 4. de ætate & qualitate præficiendorum.

Et quia cum virtute bellum indictum habent vitia. *Nullus auaro, ac non hoſpitali, ad Abbatum inſulas locus eſt* per can. 1. & ſequent. diſt. 85. *nullus Scbiſmatico* 24. qu. 1. can. pudenda, niſi conuerſo,

Digitized by Google

& cum diſpenſatione Pontificis, cap. quia diligentia 5. de electione, *Nullas Simoniaco*, cap. ſi alicuius 59. de electione aut *excommunicato* cap. vlt. verſu ſi tamen ſcienter de Clerico excommunicato *vel ſuſpenſo* cap. per inquiſitionem 26. de elect.

Octauo, debet præ cæteris diſciplinæ tenax eſſe, inſtituti retinens, virtutum omnium & maximè temperantiæ præſtare laude. Gregor. Papæ teſtimonio epiſtola 4. lib. 4. ad Ariminenſem Epiſcopum. *Abbatem vero*, inquit, *eidem Monaſterio non alium, ſed quem dignum moribus atque actibus diſciplinæ Monaſticæ, communi conſenſu Congregatio tota poposcerit te volumus ordinare.*

Nono, quia quæ nunquam didicimus, dare aliis monita virtutiſque capeſſendæ exempla ac præcepta non poſſumus, prudentiſſimè exigit Bonifacius eius nominis VIII. de electione in 6. cap. nullus, ne quis Monaſterij gubernacula regenda accipiat niſi profeſſus, nullus Religioſus ad Abbatiam, ſeu Prælaturam, ſuæ *vel alterius religionis eligatur, niſi antea fuerit ordinem regularem expreſſe profeſſus*, quod ſi ſecus actum fuerit, eo ipſo irritum habeatur. His conſentanea dixere Pontifices alij cap. cum cauſam 27. cap. cum ad noſtram 37. cap. cum in magiſtratum 49. de electione Clementina 1. §. cæterum verſu ſane Prioratus de ſtatu Monachorum. Mitto alia eius generis quàm plurima ex quibus fit planum, non tyronem aliquem ſed multarum palmarum conſpicuum hominem, eligendum in Abbatem, nec enim præfici debet aliis, qui ſubeſſe non nouit, cap. cum in magiſtratu 5. de elect. cap. nullus eodem tit. in 6. & prius debet quis eſſe diſcipulus quam Magiſter, can. ordinatos diſt. 59. can. miſerum diſtinct. 61. can. Presbyteros 16. q. 1.

QVÆSTIO IV.

Cuius ſit electum Abbatem confirmare.

QVæſtio hic nulla nobis eſt de Franciæ beneficiis; cum in iis præterquam in electiuis, quæ ſunt admodum pauca, vt oſtendimus tractatu de beneficiis, confirmationi non ſit locus. Nam hæc eſt iuris quæſiti per electionem, corroboratiua declaratio, Cardinalis in Clementinam primam §. nos itaque notabili 20. de iureiurando: at Gallis ius eligendi nullum eſt, aut rarum, cum non alij præficiantur Abbatiis communiter, quam qui Papæ offeruntur à Rege promouendi ad hunc honoris gradum, quod ille facit, collatione plena iuris, non confirmatione acquiſiti per electionem, ergo hic mihi ſermo de Abbatibus, quales agnoſcebant ſæcula antiqua, quos certum eſt, non ſolitos confirmari niſi poſt electionem ſui factam à Monachis: Alex. III. fide, cap. 1. de ſupplenda negligentia Prælatorum.

Et dico eorum confirmationem ſolius fuiſſe Epiſcopi, cuius in Diœceſi ſitum erat Monaſterium, ad cuius regimen dicti Abbates admouebantur, Iuo Carnot. epiſt. 19. ad Paſchalem Pontific. maxime ſi de Epiſcopi iuriſdictione, eligentes, ac electus exempti non erant. Lælius de Republ. Eccleſ. cap. 25. dicto 1. num. 7. Iuo epiſt. 23. ad Petrum Pictaui Epiſcopum: ibi enim eum violatæ cum amicitiâ iuſtitiæ arguit, quod quendam ad regimen regularis Eccleſiæ ſuæ Diœceſis electum confirmare noluiſſet: *In quo non ſatis aptam* inquit, *à vobis paſſus eſt repulſam, qui præpoſtero ordine tunc de eius prælatione diſceptare cœpiſtis, quando iam facta à fratribus, & collaudata eius electione, in Prioratus ſui ſede eum ſublimare debuiſtis, in quo & illis fratri non modicam intuliſtis verecundiam & amico veſtro non minimam feciſtis iniuriam.* Fuit olim ergo in Epiſcoporum iure Abbates non exemptos confirmare; exemptis autem ad Papam aut eius legatum à latere confirmationis obtinendæ cauſa recurrendum erat; decreto Bonif. VIII. in cap. ſi Abbatem 36. de elect. in 6. & Cœleſtini III. in cap. cum Monaſterium 13. extra de elect.

Modus autem quo eam fieri neceſſe erat, hic fuit, vniuersè ac communiter excluſo nemine, omnes quorum intererat electionem ratam eſſe, aut inanem, moneri mos fuit, vt ſe ſtato die horaque, Antiſtiti ſiſterent, dicturi ſi quid aduerſum electum haberent, quamobrē cum antiqua decreta Patrum nō probarent, Bonifacij ſanctio ſic habet. *Volumus vocationem huiuſmodi nominatim, vbi eſt electus, vel apparet oppoſitor, alias generaliter in Eccleſia in qua electio facta eſt, vt ſi qui ſint qui ſe velint opponere, comparent, aſſignato peremptorio termino competenti, faciendam eſſe cenſemus*, Bonif. cap. 47. de elect. in 6. quod ſi ſe aliqui offerrent quidem, ſed conatu irrito ac inani, nempe quia nullius erant momenti ac ponderis, quæ erant oppoſita electo, eius electio confirmabatur non ſecus, vt feciſſe Innoc. III. legitur in cap. bonæ memoriæ 24. de elect. Ibi enim electionem Archiepiſc. Mogunt. confirmat. *Quod eius aduerſarij, ex tribus cauſis ſe vſque adeo reddidiſſent indignos, quod contra eum non deberent audiri.*

Nec confirmari tantum Abbatem oportet, ſed etiam benedici, vbi id vſus obtinuit. Vbani lege can. alienationes 37. cauſa 12. qu. 2. fierique ambo debent intra annū ab electione, iudicio Clement. in Clem. II. parag. ad quæ de ſtatu Monachorū, habet tamē electus à confirmatione, vt verè ſit, ac dicatur Abbas, cum in multis locis benedictioni non ſit locus, ſecundum Abbat. in cap. meminimus de accuſationib. poſſintque ſine eâ munera Abbatum omnia ab illo obiri, vt iudicare, excommunicare, ſuſpendere, etiam quæ ſunt ordinis facere, vt benedicere, Religioſos abſoluere, ſi ſit Sacerdos, cauſa eſt quod Abbatis eadem ſit quæ Epiſcopi ratio, at hic confirmatione ex vrbe habita, nihil non poteſt eorum quæ ad iuriſdictionem externam pertinent, vt habet cap. tranſmiſſa 15. de electione, ergo & Abbas. Quare cum ſuis ſubditis diſpenſabit validè, in quibus caſibus conſecrato id licet, eo quod diſpenſatio iuriſdictionis ſit actio, quæ Abbati confirmato tribuitur, ab Abbate in cap. olim de maiorit. & obedient. & in cap. at ſi Clerici de iudiciis.

Et licet quæ ſunt Ordinis, vt deſignare ad Cleticorum ſtatum per Tonſuram, initiare quatuor minoribus, ipſe per ſe ante benedictionem nequeat, cum tamen id domi ſuę per alium, facta illi ea de re facultate, facere quid vetat? cum benedictionis defectus, *Non impediat virum ad hoc electum ad procuranda bona ſpiritualia vel temporalia*, Iuo epiſt. 19. ad Paſchalem Papam, & in epiſt. 37. ad Bernard. maioris Monaſterij Abbat. reprehendit aliquos qui in ea opinione erant vt crederent, *quod promotionem Abbatis faciat Epiſcopalis benedictio, & non fratrum communis electio*: quod refutat argumento triplici.

Primo, *Quod ipſam benedictionem conferat Domi-*

nus, non ſecundum meritum dantis, ſed ſecundum fidem, puritatem & benedictionem accipientis.

Secundo, *quod in ea benedictione non ſit manus impoſitio, nec conſecratio, ſed ſimplex oratio, in qua accepta, vel non accepta, ſalus ſubditorum nec minuitur nec augetur.*

Tertio, quod Ægyptus, quod Syria, quod Prouinciæ multæ priſcis Patrum ſæculis Abbates habuerint, qui tamen huiuſmodi benedictionem ab humano ore non acceperunt, *Quibus ſubditi nihil eminus obedientiam exhibuerunt, nec de ſalute ſua propterea timuerunt.*

In quo eſt Abbatum, quam Epiſcoporum conditio potior, his enim ante conſecrationem, neque Epiſcopi nomine, neque Epiſcopalibus inſigniis vti licet, vt nec ea quæ ſunt ordinis exequi, vt ſit planum ex præiudicio Curiæ ſupremæ Toloſatum, à qua vt Boerius in qu. 171. & Papon. lib. 2. tit. 4. arreſto 5. referunt: beneficio totis annis quindecim poſſeſſo, abire eſt iuſſus. Ioan. quidam, Franciſcus cognomine, quod à nondum conſecrato, miſſoque in poſſeſſionem Epiſcopo, Tonſura initiatus eſſet, Epiſcopo tamen quemadmodum & Abbati ante conſecrationem, obire quæ ſunt iuriſdictionis non eſt illicitum, itaque Officiarios creat, vt pro Deſiderio Maillet Procuratore Fiſcali Epiſcopi Cœnoman 14. April. an. 1611. iudicatũ ſcribit Brodæus ad Loüet. in lit. C. art. 2. de Vicario item generali, ſibi prouidet Epiſcopus, ſicuti ab eodẽ Senatu iudicatum eſſe tradit, Chenut. ad Papon. lib. 2. tit. 2. arreſto 5. Fabric. de maior. & minor. n. 61. littera Y. ad marginem de Epiſcopis.

Ad Abbates redeo de quibus hæc vltimo dicere habeo, quod etſi in quibuſdam locis hoc tempore Epiſcopi non aliter eos confirment, quam quod ſolemnem illis benedictionem impendant, in quo caſu eſt benedictio loco confirmationis, Laym. in quæſtionib. Canonicis cap. 17. qu. 213. hinc tamen non ſequitur eam Abbati eſſe neceſſariam, vt functiones officij obeat.

QVÆSTIO V.

Quo die Abbates benedici debeant.

ABbates benedici certum eſt, ſi ſunt perpetui, hocque eis beneficium indulgeri, per Epiſcopos, quibus ſubiiciuntur, eorumque Monaſteria, de quo nos præcedenti quæſt. & Pontifices cap. 1. de ſuppl. negl. Prælat. & cap. cum contingat de ætate & qualitate, Tambur. item de iure Abb. to. 1. diſp. 11. qu. 9. Barboſa iuris Eccleſ. li. 1. cap. 17. niſi priuilegium de contrario habeant, vt habere Cœleſtinos, & Abbatem ſancti Panera-tij Florentiæ Ordinis Valliſumbroſæ, author eſt loco citato Tamburinus, conceſſum item eſſe Ioanni Ciſtercij Abbati memorat. qu. 11. vt Abbates, & Abbatiſſas ſui Ordinis poſſit benedicere.

Non poteſt autem talis benedictio fieri alio die quam Dominico vel feſtiuo, iuxta Panorm. in cap. cum contingat de ætate & in can. cum ſis de conſecrat. nec ordinariè differri vltra annum ab electione computandum, per text. in Clem. II. paragr. ad quæ de ſtatu Monachor. Abbatiſſa vero poteſt quolibet die benedici, Sylu. verb. Abbatiſſa qu. 1. non eſt tamen repetenda benedictio, ſi Abbas ad aliam Abbatiam eligatur, Barboſa ſupra num. 43. quia etſi hæc non ſit Sacramentum, non eſt tamen reiterabilis, quemadmodum nec alia multa Sacramentalia, quæ non imprimunt Characterem, vt benedictio nuptiarum, quæ non reiteratur cap. 1. & 3. de ſecundis nuptiis, nec pœnitentia publica, can. quamuis, & Canone in capite de conſecrat. diſt. 3.

Quid ſi Epiſcopus requiſitus benedicere, facere id renuat?

Reſpondendum eſt, Abbatem in eo caſu poſſe, *Benedicere proprios Monachos, & alia quæ ad huiuſmodi officium pertinent exercere, donec Epiſcopi ſuam duritiam recogitent & Abbatem benedicere non recuſent.* Alexand. III. in cap. 1. de ſuppl. negl. Promotionem enim Abbatis non facit Epiſcopalis benedictio, ſed fratrum electio communis vt ex Choppin. in lib. 2. Monaſt. tit. 1. num. 7. tradit. Barb. num. 47. citati capitis: nam Abbas quis dicitur ante benedictionem, cap. meminimus de accuſat. & Clement. attendentes, de ſtatu Monachorum, & baculo ac Pontificalibus vti poteſt. Barb. ibid.

QVÆSTIO VI.

Abbatis authoritas quæ ſit & quanta.

PRimo, dimiſſorias ad ordines Monachis ſuis tribuit. Sanch. in conſil. lib. 7. cap. 1. Praſecius 1. parte praxis Epiſcopalis cap. 1. num. 11. quia Abbas domi ſuæ, hoc eſt in Monaſterio cui præeſt, Epiſcopi vices gerit, ſic vt quæ iſte in ſubditorum ſuorum cauſa poteſt, poſſit & ille in Religioſorum ſuorum. Moſconius lib. 1. cap. 9. Gloſſa in Clementinam I. verbo proprij de rebus Eccleſiæ non alienandis. Barb. iuris Eccleſ. lib. 1. cap. 17. num 73. ſane iuriſdictionem in Cœnobitas habet, vt cum Pontifice in cap. quanto de officio ordinarij, ſcribunt Abbas in cap. ſignificaſti num. 2. de foro compet Nauarr. conſilio 11. de tempore ordinandorum: illis ergo commendatitias ad Epiſcopum pro tonſura litteras dare poteſt.

In his tamen concedendis tenere debet formam à Congregatione Concilij Clem. VIII. iuſſu Abbatibus præſcriptam; anno 1596. quæ in eo eſt.

Primo, vt exhibeantur ad Epiſcopum, qui vt Diœceſanus, loco præſidet, vbi ſitum eſt Monaſterium, in cuius familia is verſatur, cui commendatitiæ ad Epiſcopum dantur.

Secundo, vt Abbas non niſi cum Diœceſanus abeſt, aut cum non eſt habiturus ordines, ad alium Epiſcopum Monachos ſuos dirigat.

Tertio, vt Abbas hanc occaſionem abſentiæ Diœceſani, aut defectum ordinationum per eum futurarum non captet.

Quarto, vt ab eo à quo contigerit ſuos ſeculares ordinari, hi diligenter de doctrina examinentur.

Quinto, in caſu quo Cœnobium nullius eſſet Diœceſis, vult Clemens Religioſos ab Abbate mitti, ordinum cauſa ad viciniorem Epiſcopum, à quo etiam ad alium commendatitias petent, quando, & quoties ei per morbum aut impedimenta non erit integrum, operam dare ordinandis, hæc Clemens cum interminatione maximæ ſeueritatis exercendæ in eos qui ſecus fecerint, vt quod priuan-

Digitized by Google

di ſint officio, dignitate, eiuſque adminiſtratione, cum iure ſuffragij, tam actiui, quam paſſiui. Abbates autem & Superiores quamuis exempti qui aliis quam Monachis ſibi ſubditis, eas tribuunt, iure ſunt ipſo ab officio & beneficiis ſuſpenſi, per annum lege Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 10. niſi prædicti Abbates haberent iuriſdictionem in quodam loco ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, vt ſcripſit Genuenſis in praxi cap. 83. num. 9. talibus enim non obſtare Concilij decretum tenuit Rota in vna Salmanticenſis iuriſdictionis, coram Seraphino die 9. Maij 1594.

Sane Abbates quoſdam eſſe conſtat, qui iure Tonſuræ conferendæ Papæ priuilegio gaudeant, cum minoribus ordinibus, quia vt eſt in can. quoniam diſt. 69. & cap. cum contingat de ætate ordinandorum poteſt Abbas ſuo Monacho Lectoratum conferre, ergo & alios Minores, cum eadem omnium ſit ratio, ſintque priuilegia cum non vergunt in detrimentum tertij, late interpretanda, de quorum numero eſſe præſens, ambigere nemo poteſt, nam cum non niſi ſuos ordinare Abbati liceat, Epiſcopi queri iuſtè nequeunt, fieri ſibi iniuriam tali ordinatione, vt fieret ſi cum Monachis initiaret & Laicos.

Secundo, olim Abbas qui erat exemptus, iuſque baculi & mitram habebat, poterat non modo Religioſis ſuis, ſed & Laicis ſibi ſubditis, conferre quatuor Ordines minores. Sylu. verbo Abbas & verb. Ordo 3. qu. 5. num. 5. Piaſecius in praxi Epiſcopali parte 1. Lælius cap. 25. eoſdem quoque aggregare Clericis per primam Tonſuram, modo eſſet benedictus, & Preſbyter, & in eos Epiſcopalem aut quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem ordinariam haberet, Rebuff. parte 1. praxis tract. de Clericis & à quibus num. 14. Pontifex Alexand. in cap. Abbates de priuilegiis in 6. ibi enim dicit Abbati fas eſſe, his qui ad Monaſteria ſua conuolant, vt Monachi fiant, conferre ordines. Angelus verbo Ordo 2. Tabiena verbo Abbas quæſt. 2. quare Nouitio data ab eo Tonſura, etſi ad ſæculum redeat, tenet, quia non annullatur id quod iure factum eſt, de regul. iuris in 6. reg. iuris factum, eſt id tamen illis modo vetitum, itaque iam Abbatibus ac aliis quibuſcunque exemptis, (Tridentini ſunt verba) *Non licet in poſterum intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis vel exempti dicantur, cuiquam qui Regularis ſubditus non ſit, Tonſurã, vel Minores Ordines conferre.* Trid. ſeſſ. 23. cap. 10. modò ergo Abbates ordinare ſæculares nequeunt, etiam de aſſenſu Epiſcoporum, quibus ſunt ſubiecti, nec Regulares alios, cum facultate & litteris dimiſſoriis ſuorum Abbatum, vt reſpondiſſe Congregationem Cardinalium negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſitam, refert Seraph. deciſ. 685. par. 1. Scipio de Rubeis in Aphoriſmis verbo Abbas n. 13.

Contraria tamen opinio defenditur à Quaranta in ſumma Bullarij verbo Ordo, Bonac. de Sacram. diſp. vnica puncto quarto. Vtraque eſt probabilis, ſed magis ſecunda, quia quæ ſunt iuris communis, certum eſt non tolli per Concilium, niſi ſpecialis fiat eorum mentio, & etiam Concilij in quo ſunt decreta, ſed quod Abbas Tonſuram & Minores, Laicis in quos auctoritatem quaſi Epiſcopalem habet, conferre valeat, iuris eſt communis, inſertum 7. Synodi can. 14. & cap. cum contingat de ætate præficiendorum quibus Canonibus expreſſe, & ſpecialiter Concilium non derogat. ergo, &c.

Tertio, poteſt Abbas excommunicare & ab excommunicatione ſubditos abſoluere, Portel. in dubiis verbo Abbas, Sylu. eodem verbo qu. 2. etſi non ſit benedictus. Roſella verbo Abbas num. 1. Innoc. III. in ca. cum in Eccleſiis 10. extra de maioritate. Alex. III. cap. cum ab Eccleſiarum 3. de officio iudicis ordinarij.

Quarto, poteſt etiam reconciliare Apoſtatas, ac iis concedere vt miniſtrent in ordinibus, modo ne in apoſtaſia eos ſuſceperint, in quo caſu ſolus Papa diſpenſat, vt dicitur in cap. finali de Apoſtatis & diſtinct. 50. can. vltimo, qui canon eſt ex Concil. Aurel. 2. can. 25. deſumptus.

Quinto, permiſſum eſt ei ſi Pontificalia exerceat, benedicere omnia quæ ad ornatum altaris faciunt, Sa verbo Benedictio num. 4. modo tamen ea ſint ad vſum ſuæ Eccleſiæ neceſſaria, nam pro aliis in hac benedictionum materia Abbates ius baculi & mitræ habentes, nihil poſſe, dixit Piaſec. in praxi part. 1. cap. vltimo art. 4. num. 14. & cum eo Azor. inſtit. moral. par. 2. lib. 8. cap. 7. qu. 2. itaque cenſuiſſe Congregat. die 24. Auguſt. anno 1609. die 18. eiuſdem menſis refert Gauanta in Commentariis ad rubricas Miſſæ to. 1. par. 4. tit. 19. n 22.

Eſt hæc ſententia ſi ius commune ſpectetur veriſſima, ſi conſuetudo fundata in priuilegio, à Sixto IV. & Leon. X. conceſſo ſuperioribus Mendicantium falſa, & quidem Ioanni Abbati Ciſtercienſi, & quatuor primis eius Coabbatibus, quos Ordinis Patres nominant, ab Innoc. VIII. conceſſum aiunt, vt Calices, pixides, vaſaque conſeruandæ Euchariſtiæ idonea, tam pro domibus ſuis ac Ordinis, quam ſæcularium Eccleſiis ad ſe delata, conſecrent. Barboſa de poteſt. Epiſc. par. 2. allegat. 26. num. 36. Miranda in manuali Prælat. num. 2. qu. 40. ait 4. Portel. in dubiis ver. Abbas num. 3. Tambur. de iure Abbat. to. 1. diſp. 23. qu. 13. *Abbatibus*, inquit, *non eſt interdictum campanas ad vſum alterius loci conſecrare, vt docet communis praxis & conſuetudo, & idem dicendum puto de altaribus portatilibus & veſtibus*, idem habent Riccius in Collect. part. 4. col. 955. Naldus in ſumma verbo Abbas num. 4.

Sexto, Abbati dum celebrat in ſua Eccleſia, Alexandri IV. facultate permittitur, tam manè poſt ſacra Miſſarum officia, quam veſperè, vt poſſit poſt veſpertinas ac matutinas laudes, benedictionem ſolemnem ſuper populum elargiri, alibi autem & publicè, aut per vias, caſtra & villas minimè, Alexand. IV. in cap. Abbates 3. de priuilegiis in 6.

Septimo, accedente eius conſenſu poteſt Religioſus manere in ſæculo, ſtudiorum cauſa, cap. ſatis ne Clerici, aut ex iuſta alia cauſa, cap. ex reſcripto de iureiurando can. Monachi 16. qu. 1. qualis eſt pietas in parentes, eius opera indigentes, ad neceſſaria vitæ commoda. Lælius cap. 25. dicto 2. num. 30. Charitas exercenda in proximos, profeſſione litterarum in Academiis publicis, cap. non magnopere, ne Clerici vel Monachi, & aliæ ſimiles, quæ arbitrio prudentis creduntur iuſtæ, quæ cauſæ ſi deerunt, ne quidem de Abbatis licentia, abeſſe ei fas erit, quia contra ius diſpenſare hic nec debet nec poteſt. Diſpenſat tamen vt duo Monachi poſſint eſſe penes ſe, eique operam defetre Moſconius de maieſtate lib. 1. par. 1. cap. 9. Rebuff. de diſpenſ. ad non reſident.

Octauo, dispensat Abbas cum suo Monacho in irregularitate quam contraxit recipiendo Ordines in excommunicatione, & in aliis omnibus, his duntaxat exceptis quæ nascuntur ex homicidio voluntario, & bigamia. Soto dist. 25. qu. 1. art. 3 post primam conclusionem.

Secus quam iste docet de Avila 7. parte disp. 10. dub. 3. concl. 1. & 2. ibi enim duo dicit, primum per professionem non tolli iure, aut consuetudine aliam irregularitatem, quam quæ oritur ex defectu natalium, per eam enim illegitimi, ipso facto habilitantur ad omnes Ordines, etiam sacros, Portel. de dubiis Regular. verbo dispensare num. 1. Secundo docet, facere quidem Religiosam vitem, vt facilior sit ratio dispensationis impetrandæ super irregularitate, contracta ex causa qualibet, per eam tamen ius Abbati non esse in ea dispensandi; Vtraque sententia est probabilis, vtraque in conscientia tuta, tutior tamen secunda.

Et hoc quoque in priuilegiis Abbatis poni debet, quod de crimnibus ab his quibus præest admissis, quæstionem instituat; quare si hi tam domi intra eius septa, quam extra, quidpiam commiserint quod animaduersione dignum videatur ad eum remitti debebit, daturus eius authoritate ac imperio pœnas delictis suis pares, ac commeritas, vt Parisiensis curiæ decretis duobus statutum memorat, Choppin. lib. Monast. 1. tit. 2. ad quæ alia duo addunt Fabricius in Theoria tract. de maioribus & minoribus signo 10. & Rabotus ad Guidonis Papæ quæstionem 559. quibus Senatui placuit, Cœnobitas in crimine deprehensos, ideoque ab Episcopis in carcerem compingi iussos, inde laxari, ac ad præsidem suum, hoc est, Abbatem loci vbi religionem professi erant, remitti iusta pœna ex formula, præscriptoque Monasticæ regulæ plectendos.

Excipienda sunt crimina maiora communibus, quæ tam sua fœditate, quam facti indignitate, censuram acriorem postulant, quam mitem ac humanam Abbatis, quare de iis inquirere, munus est Diœcesani, vt Francicus Senatus sanxit olim, in causa Melitensis Equitis, qui reus agebatur Eucharistiæ conculcatæ, quo de crimine Lingonum Antistiti cognoscendum, non generali magistro pronunciauit. Bleyan, & Choppin. testibus lib. 2. de politia tit. 8. n. 23.

Decimo, iure communi, decedentium Monachorum peculia, Abbati sunt acquisita, Innocentius in cap. cum olim, extra de priuilegiis, Fabricius tract. de aliis iuribus Ecclesiasticis num. 39. talemque esse vsum Galliæ scribit Chopp. lib. 3. de sacra politia tit. 1. num. 21. à quo non discedens Curia Priori de Coincy in Campania, non autem propinquis, Ægidij Vaudræi Monachi defuncti peculium, sententia sua adiudicare voluit, quo beneficio Regulares duntaxat gaudere oportere, non vero Commendatarios. Parisiensis Senatus dixit, aduersus Condomensem Episcopum, ac simul Commendatarium Abbatem, cum eum à postulata hæreditate defuncti Monachi, calculo suo, sententiaque excluſit, eadem attributa resarciendæ Ecclesiæ, cui defunctus præfuerat aut loci paupertibus.

Porro in rem defuncti cum Abbas ingreditur præstare tenetur funeri impensas, æsque alienum, ab eo contractum, dum viueret dissoluere, modo sint eius possessiones contractis nominibus pares. Nam quis credat iustè amplius à creditoribus exigi ab eo posse, quam quantum patiuntur vires peculij prædicti? Fabric. in Theoria tit. de aliis quibusdam iuribus n. 43. lit. M.

Vndecimo, Abbas iurisdictionem quasi Episcopalem habens in subditos, cum iis dispensat in interstitiis temporum, quia potest omnia, quæ Episcopo, potestate iurisdictionis sunt permissa, at isti licet dispensare in interstitiis, ergo & Abbati habenti iurisdictionem quasi Episcopalem, hoc est Ecclesiam pleno iure sibi subiectam, Episcopo nullo modo.

Confirmatur cum de confessione agitur excipienda à sæculari Presbytero in vrbe, loco, aut Ecclesia quæ obsequitur imperio eiusmodi Abbatis, qualem hic describimus, eius est, non Episcopi eum approbare ad id munus, secundum Sylu. verbo Confessor 2. qu. 7. Sanch. in consil. lib. 7. cap. 1. dub. 21. num. 3. sed minus est dispensare in interstitiis temporum, cum initiando, quàm excipiendarum confessionum facultatem dare Presbytero, ergo vt hoc postremum potest Abbas, ita & alterum.

Confirmatur non minus pertinet ad spiritualem iurisdictionem, Reuerendas dare subditis, quam cum iis in interstitiis dispensare, primum Abbates possunt, ergo & vltimum, cum hæc ambo Episcopalis sint iurisdictionis Sanch. in consil lib. 7. cap. 1. dub. 54. n. 8.

Duodecimo, permissum est Abbati ex causa iusta dispensare cum subdito professo, vt ad laxiorem Ordinem transeat Diu. Thom. 2. 2. qu. vlt. art. 8. Angel. verbo Religiosus num. 53. in causis autem iustis, numerandæ sunt sequentes.

Prima est corporis infirmitas tanta, quæ eum seueritatibus Ordinis imparem reddat. Diu. Thom. supra Sylu. verbo Religios. 4. qu. 2.

Secunda eiusdem mala tractatio à superiore, aut sociis, quibus est exosus, ita Less. lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 102. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 14. q. 18.

Tertia, si ob aliquod crimen à se admissum, contemnitur à sodalibus, si pudore suffusus viuit in perpetuo mœrore animi, nec spes vlla eluceat consequendæ tranquillitatis in Religione, eo quod recurrente memoria admissæ à se culpæ, cum contemptu, in quo est futurus apud contubernales, recrudescet dolor, ac cum eo vitæ aut instituti odium, Sanch. in summa tom. 2. lib. 6. cap. 7. nu. 72.

Adiicienda ad has causas & altera, nempe cum est homini ob imbecillitatẽ animi, suique amorem nimium, obseruantia Regularis tam aspera & grauis, *Vt fere continuam mœstitiam ac professionis emissæ pœnitentiam, in illa Religione experiatur, quamuis ratione huius difficultatis, regulam non transgrediatur*: Barth. de Vechis in praxi Nouitior. disp. 15. dub. 8. num. 4. causa est quod tristitia vires marcescant, deferuescat ardor, bonorum operum studium langueat, quæ animi mala impediri, ac quantum fas est homini ab homine procul fieri, ne suæ salutis exitium videat, recta Charitas exigit.

Quid? quod oppresso mœroribus animo, grauis sit acerbaque Religiosæ vitæ professio? quod in ea difficultate, bene tùm operandi, odioque instituti, facilis sit pronaque ad culpam regularium-que contemptum prolapsio? quod mutatione vitæ, ex austera in suauem, ex odiosa in amicam & gratam, spes sit non leuis, perfectioris obsequij exhibendi Deo, ab eo cui hoc genus vitæ leuis & moderatæ concedetur, quam si sineretur gemere in priore, aspero illo, ac rigido?

Decimotertio, in iure eſt Abbatum, beneficia ad eorum Monaſterium ſpectantia conferre, modo ne ea collatio pactum habeat, quod in inſtitutione appoſitum, collationem reddat nullam Abbas in cap. Abbatem de reſcriptis.

Decimoquarto, duos Monachos à non reſidendo diſpenſant vt eos ſecum extra Monaſterium ex iuſta cauſa ducant, Rebuffus in tractatu de diſpenſat. de non reſidendo num. 45. Moſconius ſupra.

Decimoquinto, Abbas etſi ſit Commendatarius præſentare, & conferre poteſt beneficia, Prioratus, & Capellas quæ à Commendato ſibi beneficio dependent. Ratio eſt, quod à Pontifice, iura quæ ratione Abbatiæ, regulari Abbati competerent, ei cum titulo conceduntur vniuerſa, in his autem eſſe collationem Prioratuum, & præſentationem ad Parochias, nemo opinor eſt iturus inficias.

Quid? quod eius ſint fructus omnes beneficij? quod ei ſint iure quam optimo Papæ voluntate debiti? At præſentatio eſt in fructu, ergo &c.

Decimoſexto, Eſt penes eum poteſtas in Gallia, permutandæ Commendæ ſuæ, cum beneficio in titulum collato. Imola in cap. fin. extra de rer. permut. Rebuff. tit. de commend. num. 53. parte 1. praxis Buſæus in tract. de Commendis qu. 6. Ratio eſt quod in Gallia, Commenda locum veri tituli habeat, ob quam cauſam, reſignari quoque poteſt extra Curiam, ſed in hoc regno tantum, Bleyan. in Theor. de beneficijs in titulum & in Commendam num. 14. Cauſa eſt quod beneficium reſeruetur Pontifici per Commendam, Gomeſius in Regul. de publicand. reſignat. qu. 4. at in Gallia, reſeruationi Pontificiæ locus eſt nullus, Concord. titulo de reſeru. Rebuff. ſupra num. 59. Ob eam cauſam mortuo Commendatario in Gallia vacat beneficium, ac vt tale, vacuumque poſſeſſore, peti ac impetrari ſolet ab Ordinario, perq; que ac ſi fuiſſet defuncto collatum in titulũ, vt praxis ipſa, regnique vſus indicat, à quo quia abhorrent Itali, Commendatario vita functo, beneficium vacare per obitum, alioue vacationis nouo genere non dicunt, ſed Commendam (vt vocant) ceſſare Faber. Sebuſian. lib. 1. Codic. tit. 2. definit. 10. ex eaque cauſa, nouam fieri poſſe impetrationem beneficij, vacantis quidem, ſed eo modo quo prius, id eſt, quo vacabat antequam commendaretur, quod Gallia vt dixi non obſeruat, cum beneficium moriente Commendatario habeatur eo modo pro vacante, ac ſi in titulum, non autẽ in Commendam poſſeſſum fuiſſet. Faber loco citato.

Decimoſeptimo, eſt hoc quoque Commendatariis Abbatibus conceſſum, vt in cauſis contradictoriis pro delegatis ſumi valeant. Chaſſan. ad conſuetud. Burgund. tit. *des ſucceſſions des baſtards*, num. 58. Cauſa eſt quod Commendæ in Gallia ſint dignitates, cum adminiſtrationem temporalem bonorum habeant, quod ad rationem dignitatis ſufficere tradit Moſconius li. 1. de maieſt. Eccleſ. par. 1. cap. de Archidiacono dummodo ad eam adminiſtrationem accedat aliqua præeminentia, at pro Commendatariis faciunt res hæ duæ, in primis habentur Commendæ in Gallia pro veris beneficiis, vt ſcribunt Guido Papa quæſt. 152. Ioan. Galli qu. 14. & 18. quibus adiuncta eſt adminiſtratio redditiuum Cœnobij, cum Papæ benignitate ac indulgentia, fructibus eius gaudeant, cum præeminentia in choro, vbi rochetto induti, loco omnium digniſſimo ſedent, precandi cauſa.

Decimooctauo, dixere Boerius in deciſion. qu. 271. num. 5. Faber. Sebuſ. li. 1. Codic. tit. 3. definit. 34. in Commendatariorum iure eſſe, Eccleſiæ ſibi commendatæ, Clericos emendare, & in eos iuriſdictionem exercere. Choppin. li. 2. de ſacra polit. tit. 6. num. 13. ſed mea mens eſt opinioque oppoſita; Nam nocentium coercitio, culparum animaduerſio, ad iuriſdictionem ſpiritualem pertinet, cuius tamen partem nullam habet Abbas Commendatarius, vt patet, ſi eſſet is tamen è Cardinalium numero, exiſtimat Ferrerius Tholoſanus in additionibus nouis ad Guid. Pap. deciſ. 559. eum iuſtis afficere pœnis reos poſſe, & vt ſpe præmij, ſic & ſupplicij incuſſo metu, Cœnobitas ſuos in officio continere poſſe, de quo tamen quia exemplum non habeo, nec ſcriptoris vllius noſtri teſtimonium id aſſerentis, Ferrerio ſubſcribere non audeo.

QVÆSTIO VII.

Abbati tentare ac facere quid ſit Canonica lege prohibitum.

PRimo, non poteſt Abbas ſine Epiſcopi conſenſu, quidquam vendere eorum quæ ad Monaſterium pertinent: Concil. Agathenſe primum can. 56. *In venditionibus quas Abbates facere præſumunt, hæc forma ſeruetur, vt quidquid ſine Epiſcopi licentia venditum fuit, ad poteſtatem Epiſcopi reuocetur*: Pontificalia vero in Parochiis Epiſcopi, exercere non poteſt, nec publicas pœnitentias dare, nec Miſſas publicas cantare, Zabarella in Clement. 11. paragr. ſtatuimus de ſtatu Monachor. Gloſſ. in can. quoniam diſt. 69.

Secundo, mancipia Monachis donata manumittere Abbas nequit Concil. Agath. can. 56. & in Epaunenſi can. 8.

Tertio, nec cellulas nouas, aut congregatiuncu-lam Monachorum exſtruere, inconſulto Epiſcopo, ibidem can. 58. & can. 8. Concil. Epaun.

Quarto, nec duobus præeſſe Monaſteriis, *Vnum Abbatem duobus Monaſteriis interdicimus præſidere*, Concil. Epaun. can. 12.

Quinto, nec in Miſſa extra Diœceſim benedicere ſolemniter populum, ſine priuilegio ſummi Pontificis, cap. Abbates de priuilegiis in 6. Cauſa eſt, quod ſolemnis benedictio ſit indicium ordinis Epiſcopalis in benedicente, quare electis in Epiſcopum, aut à Rege ad eum magiſtratum deſignatis tantum, nec vnctis adhuc, ac conſecratis, eam impertiri populo, eſt vetitum Anton. conſil. 19. n. 12. De Graſſis deciſionum aurearum part. 2. l. 3. cap. 15. n. 55.

Sexto, bona Eccleſiæ ſuæ ſine iuſta cauſa aliqua diſtrahere; illi eſt inconceſſum, cum ſit Procurator non Dominus 12. qu. 1. can. ſi priuatum, quare dare nihil poteſt. 1. qu. 7. can. Diabertum diſt. 54. can. Abbati, niſi pauperi ad eleemoſynam, quam tamen moderatam eſſe oportet non nimiam, cap. cæterum de donatione, can. non ſatis diſt. 86. niſi conſuetudo loci ac Monaſterij contraria, vitium purgaret ac exceſſum, de Graſſis deciſionum aurearum part. 2. lib. 3. cap. 28. numer. 9.

Septimo, eidem interdicitur concedere decimas Laico, cap. ad hæc de decimis cum datæ olim Eccleſiis Cœnobiticis, ad ſalutem dantium transferri ſine culpa nequeant ad profanos, can. bene

quidem verſu ſancta Synodus diſt. 96.

Octauo, etſi Abbas inſignis Paſtorali baculo, mitra & annulo, initiare ordinibus minoribus, ac Tõſura poſſit, tam Laicos Epiſcoporum poteſtati obnoxios, modo eorum conſenſus adſit, quam proprios ſubditos, ad maiores tamen ac ſuperiores, vt Presbyteratum & Diaconatum, euehere non poteſt.

Nono, Monachũ in Vicariũ cum auctoritate Papæ alicui loco præpoſitum, aut datum Epiſcopo, vt eũ in Epiſcopatus regimine adiuuet, reuocare Cõmendatarius non poteſt, vt Senatum cenſuiſſe contra Abbatem *du Chaige*, ſcribit Rebuff. in praxi parte 1. tract. de forma Vicariatus num. 198. alioqui neceſſarium religioni, ſibique vtilem, repetere Monachum ſuum, iure quin poſſit, cauſæ nihil video.

Decimo, Epiſcopo alieno ad collationem ordinum vti in proprio Monaſterio, Epiſcopo loci non conſulto, Abbati eſt lege Canonica, ac Francica prohibitum: Gallica quidem, nam referunt hiſtoriæ, auditum olim à Senatu Ambianorum Præſulem, interdicto experientem aduerſus Corbienſes Monachos, qui per cauſam exemptionis ſibi quondam conceſſæ à Romano Pontifice, Epiſcopum exterum, initiandis ſuis ſubditis adhibere auſi erant, Ioan. Gallus qu. 306. Papon. lib. 1. tit. 9. Choppinus lib. 1. Monaſt. tit. 2. n. 22.

Vndecimo, Profeſſiones excipere Monachorum, Abbati Commendatario non eſt licitum, quia cum eius in Regulares ſpiritualis nulla ſit iuriſdictio ac poteſtas, profitentem in cœtum Regularium, Cœnobiique membrum admittere, non poteſt ei Canonica lege conceſſum eſſe, niſi forte qui Abbas eſt Commendatarius, idem quoque eſſet Cardinalitia purpura, honoreque conſpicuus, Choppin. li. 1. Monaſt. tit. 2. num. 2. Chenut. tit. 1. decretor. cap. 7. quod Senatus Pariſ an. 1598. ſeruandum dixit in Gallia, nam cum Cœnobitæ S. Ioan. de Vineis ad Sueſſionem, profeſſionem ab eminentiſſimo Cardinali Gondio, Abbate ſuo, negarent recipi poſſe, dixit Senatus ſententiam eorum opinioni contrariam, tantum in hoc rerum genere licere Cardinalibus, quantum Abbatibus ac Præfectis Regularibus, Bleyan. de beneficiis in Commend. n. 38.

Duodecimo, ab Abbate Commendatario deſtitui Prior Clauſtralis, cæterique Cœnobij officiales nequeunt, cauſa eſt quod id tentare ac aggredi alij nequeant, quam quibus eſt Monaſterij cura in ſpiritalibus commiſſa, at ea carere Commendatarios norunt ij, qui eorum prouinciam reſtrictam ſciunt ad temporalium rerum cuſtodiam, non autem ad animarum regimen, cuius pars quædam eſt, eaque non vltima, Prioris deſtitutio, nouique, ac recentis ſubrogatio in eius locum: Ab ea tamen regula, Cardinales Gallia excipit, quibus id licere honoris cauſa voluit, vt tantũdem in animarum regimine poſſent, quantum qui clauſtro præſident, ideoque Priorum Clauſtralium nomen habent, cuius rei exemplum nobile antiqua nobis ſuppeditant Curiæ acta, in quibus eſt, factam anno 1573. à Cardinali Borbonio Abbate Commendatario Belli loci Cœnomanorum, abdicationem Primatus Clauſtralis, quo Iacobus Pelleterius fruebatur, à Senatu approbatam eſſe: anno autem 1600. dictum eſt ab eadem, Religioſos S. Ioan. de Vineis, inſtituere ſibi Priorem Clauſtralem non potuiſſe, Cardin. eorum Abbate Commendatario minimè requiſito Bleyan. de beneficiis in Commendam littera K.

Decimotertio, etſi Pontificis gratia, quæ nec ius alterius, nec vllam legem lædit, valeat ſine vllo genere litterarum in foro conſcientiæ, in externo tamen facta Abbati non valet, niſi probetur teſtibus, talibus, ac litteris, quæ fidem faciant, proinde admonent Summarum ſcriptores quique decreta explicuere Pontificum, vt Panormitan. in cap. in noſtra de reſcriptis num. 11. Felinus in rubric. de conſtitut. pro Abbate recipi non debere eum, qui in curia eſt eam dignitatem adeptus, niſi litteras edat, teſtes collatæ ſibi dignitatis, quare ſi peccare noluerit, in poſſeſſionem beneficij à Pontifice ſibi conceſſi non veniet, ſine litterarum teſtimonio, quibus de ea conceſſione conſtare poſſit omnibus.

Decimoquarto, non eſt in Abbatum iure, bona Monaſterij in res vanas, ſuperfluas ac non neceſſarias abſque cauſa expendere, id facere eſt paupertati Religioſæ vim inferre, & cum eſt materia notabilis, culpam veniali maiorem admittere, ratio eſt quod Abbas bonorum Monaſterij adminiſtrator ſit, non Dominus, at Oeconomo, at alienarum rerum adminiſtratori, recta ratio, naturaque tantum licere nolunt, vt iis vti in vana, minimeque neceſſaria, arbitrio illi ſuo libeat: id enim velle Dominum, cuius agit negotium, quis putet? vſum hunc quidem, culpæ lethalis arguit. Nauar. de regularib. conſil 75. num. 41. & tit. de ſtatu Monachor. conſ. 3. n. 42. Sanch. to. 2. ſummæ li. 7. c. 19. n. 22.

QVÆSTIO VIII.

An poſſit Abbas contumacem Monachum Monaſterio extrudere.

FVit id quidem antiquis in more, vt Monachum peccati alicuius grandis conſcium ablegarent ex vno Cœnobio in aliud, pœnitentiæ cauſa, tam Innoc. III. decreto in cap. quoniam 40. de Simonia, quàm Gallorum Pontificum, in Concil. Altiſiodor. can. 23. Hiſpanorum in Tolet. 7. can. 5. his verbis: *Ex hoc ergo talia decernentes, opportuno inſtę ſeueritatis imputare iudicio, iubemus eos, quos in cellulis propriis recluſos, ſanctæ vitæ ambitio tenet, noſtro fauore tutos exiſtere, illos verò quos in tale propoſitum ignauia impulit, non prudentiæ cognitio deputauit, quoſque vitæ dignitas nulla ornat, ſed quod eſt deterius & ignorantia fœdat, & morum execratio turpat, decernimus ab his abiici cellulis atque locis, in quibus feruntur vagi, aut tenentur incluſi, atque ab Epiſcopis ſiue rectoribus Monaſterium ex quorum Congregatione fuerunt vel in quorum vicinitate exiſtunt, in Monaſteriis omnino deputentur* &c.

Altiſiodor. ſanctio ſic habet. *Si Monachus in Monaſterio adulterium commiſerit, aut peculiare habere præſumpſerit, & hoc Abbas per ſe non emendauerit, ad agendam pœnitentiam in alio Monaſterio detrudatur.*

An autem etiam manumitti, ſuæque id eſt antiquæ in ſæculo viuendi normæ Religioſus reddi ab Abbate ex alia iuſta cauſa queat, & ita ex Monaſterio eiici, ambigi à ſcriptoribus video, quam iuſte vero aliorum eſto iudicium.

Dico ego, domo, ordineque Religioſum expelli poſſe, authores habeo ita ſentiendi Patres atque

atque Pontifices, à poſtremis ordior can. enim 59. Concil. Meldenſ. ſub Carolo Iuniore & Sergio Papa 11. hæc ab iis ſancita leguntur: *Vt Monachus de Monaſterio, ſine conſultu aut præſentia Epiſcopi, aut Vicarij eius ad hoc regulariter deductus non eiiciatur, cuius diſpoſitione, & authoritate, de cætero vita & conuerſatio eiecti, ne perditus perpetuo ſiat, ſi aliquo modo ſaluari poteſt, ordinari debet atque decerni ab Abbate:* dimitti ergo Patrum iudicio, Monachus poteſt, ac vt contineri valeat in officio, ac vtcunque metu numinis, cohiberi à culpa ab Epiſcopo, ſi futuro honori Presbyterij reſpondet eius vita, in Sacerdotum numerum aſcribi.

De Diu. Thoma quodlib. 12. qu. vltima dicere prætereo, qui quoniam iuxta Apoſtolum malo occurrendum eſt principio; ne porro ſerpat, ac ad multorum exitium ſæuiat, concluditcum Diuo Benedicto in ſua regula cap. 28. Religioſum vita turpem, obſcœnumque, æquiſſimæ cenſuræ gladio, eximendum vt è corpore corruptum, putreque membrum, quod ſenſiſſe ſanctum quoque Bonauenturam in opuſculo defenſorio regulæ ſancti Franciſci cap. 14. Humbertum in regulam ſancti Auguſtini, cap. 99. ſcripſit Buſæus de ſtatibus cap. 3. n. 6.

Equidem eſt communis boni ratio anteponenda priuato vnius cuiuſpiam, aut duorum, at eſt è republica Cœnobij, extrudi domo hominem fœdis moribus, indoleque ad turbas facta, in quo, præter eiectum, nemo quidquam amittit; quare quod eſt effatum Auguſtini, cap. 20. ſuæ regulæ. *Si quis emendatoriæ*, vindictam ſubire recuſat, de fratrum poteſt Societate proiici, nec enim hoc fit crudeliter ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat.

Dixi ex cauſa aliqua iuſta, nec enim intelligo quomodo fas ſit Abbati mouere loco de ſuis quemlibet, vbi, quando, & quoties id ei viſum erit, gratior enim eſt acerbiorque plaga eiecti ex Ordine, quam ſpoliati tantum Prioratu aut Cœnobitico aliquo magiſtratu, at iſto Monachus exui non poteſt pro Abbatis Commendatarij arbitrio, ſed tantum ex cauſa. Gloſſa in cap. porrecta de confirmat. Gloſſa in verbo reuocari, in Clement. ne in agro paragr. ad hæc de ſtatu Monachorum. Graſſius deciſionum aurearum parte 2. lib. 3. cap. 18. num. 83. maximè ſi eſt talis Præfectura Conuentualis, cap. 2. paragr. Priores de ſtatu Monachorum Gloſſa, ibi Bleyanus in Theoria tract. de beneficiis cum dignitate perſonali, vel officio, nu. 37. & indicat expreſſe Lateran. Concil. vt eſt in cap. 2. de ſtatu Monachor. his verbis: *Priores autem cum in Eccleſiis Conuentualibus, per electionem Capitulorum ſuorum, Canonicè fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta & rationabili cauſa non mutentur, videlicet ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amouendi meritò videantur.* Nam à manuali beneficio, cuiuſmodi eſt, quod adminiſtratur ad voluntatem Abbatis regularis, remoueri poſſe, habetur in cap. vnico de ſupplenda negligentia Prælatorum in Clement. tit. 5. his verbis. *Licet Priores ſeu adminiſtratores eiuſmodi libere poſſint ad Clauſtrum (cum oportuerit) reuocari.*

Sunt autem iuſtæ dimittendi Monachi cauſæ multæ.

Prima, id feciſſe, cuius cauſa inſtituta eſt in religione dimiſſio.

Secunda, reum eſſe criminis cuius infamia vergit in detrimentum Ordinis ſi in eo viuere, cum cæteris ſinatur, nam *reſecanda ſunt carnes putridæ*, inquit Hieron. in cap. 5. ad Galat. *& ſcabioſa ouis à caulis expellenda*, ne tota domus maſſa, vel corpus ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereat.

Tertia, celaſſe eorum aliquid, quorum cauſa decreto Ordinis, ſingulis clauſus eſt ad eam religionem aditus, Leſſius lib. 2. cap. 41. dub. 14. nu. 106. maximè ſi eſt defectus, quem in admiſſione ſui reticuit, de eorum numero, qui tolerari in ordine nequeunt, quales ſunt ij, ob quos eſt aliquis iuxta ſtatutum Apoſtolicum inhabilis ad Ordinem, cum enim ſit in tali caſu irrita profeſſio, mirari nullum oportet, ſi ea facta, à religione, vt eius inca pax reiicitur.

Quarta, ſi cum tempore vitium aliquod ſe aperiat, corporis, aut animi, ratione cuius non ſit Monachus, par & æqualis oneribus Religionis, in qua eſt, quod conuenit noſtræ maxime, cuius ſuſceptæ legibus ſolui poſſunt, qui morbo impediti, obire vſitata eius miniſteria nequeunt, ſi id expetunt, aut ſaltem ſe ab eo dimitti non renuunt, dixi *ſi expetunt dimitti, aut velunt*, quia inuitus domum quiſquam ex Religione ob morbum poſt facta vota contractum, remitti nec poteſt, nec debet.

Quinta cauſa eiiciendi profeſſi è Religione, eſt cum interrogatus an morbo aliquo laboraret, ſanum ſe eſſe eſt mentitus, cum tamen affectione epileptica, aut gallico & contagioſo morbo æger eſſet, Gerſon 2. p. in tract. quarundam quæſtionum alphabeto 34. Nauar. lib. 3. conſil. 40. de Regular. editione 2. Sa verbo Religio nu. 34. cauſæ ita mihi ſentiendi duæ.

Prima, quod talis profeſſio ex parte Religionis ſit inuoluntaria, ratione fraudis, quam eſt paſſa à tacente morbum ſuum, qui ſi fuiſſet notus Superiori & Ordini, eum nunquam haud dubiè profiteri eſſent paſſi.

Secunda, puniri nocens poteſt, at admiſſus per fraudem, non eſt innocens, plectitur autem, cum è Religione expellitur, ergo, &c.

QVÆSTIO IX.

An Abbas ſit Prælatus & Ordinarius.

ESſe inter Prælatos Abbati locum, habet canon ex Synodo Eugenij tranſlatus in titulum de iudiciis, his verbis: *Epiſcopi, Abbates, Archiepiſcopi & alij Eccleſiarum Prælati, de negotijs Eccleſiaſticis, maxime de illis quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur Laicorum iudicio non diſponant.*

Secundo, eſt Prælatura dignitas in Dei Eccleſia iuriſdictionem habens in foro externo, Prælatus autem quiſquis in ea magiſtratum gerit, cui annexa eſt auctoritas coercendi ſubditos, ſaltem in foro externo. De hoc genere hominum ſunt Abbates, cum ſubditos ſuos cenſuris poſſint compeſcere, Alex. III. in cap. cum ab Eccleſiarum 3. de officio Iudicis Ordinarij, Innoc. III. cap. cum in Eccleſiis 10. de maioritate & obed. ſunt ergo Abbates Prælati, quo honore ac nomine gaudere Priores, Guardianos, & Rectores Societatis ſcripſere, Henriq. to. 2. li. 13. cap. 14. Ludouicus Portelius in dubiis Regular. verbo Abbas num. 1. habent enim iuriſdictionem externi fori, & cum lubet, cœtum ſui ſimilium, hoc eſt ſubditorum indicere poſſunt ac cogere, quæ ſunt certa Prælaturæ in-

dicia, notæ, ac argumenta.

Cadit etiam Ordinarij nomen in Abbatem: *Illud enim generaliter traditur*, inquit Gloſſa cap. cum ab Eccleſiarum de officio Ordinarij, *quod quilibet Prælatus Collegiatæ Eccleſiæ, licet ſubſit Epiſcopo, eſt tamen iudex Ordinarius in plebe ſua, & habet iuriſdictionem cognoſcendi & excommunicandi.*

Iiſdem de rebus, magis perſpicue præcipit in ſuo Commentario Innoc. III. in illud caput ab Eccleſiarum, docet igitur Ordinarium eum eſſe, qui in quopiam loco forum agit, & ius dicit, forum autem agere dicebatur inquit Feſtus qui prouinciæ præerat, cum ciues vocabat ad iudicium, cognituru de eorum controuerſiis, qua ex oratione eruitur hoc argumentum, ad eius rei fidem, quæ nobis eſt præ manibus, non leue. Eſt is Ordinarius, qui cum iuriſdictione creatur, aut à Principe, aut à Canone, aut ab Vniuerſitate, quæ omnia in Abbatem quadrant, eſt ergo Ordinarius.

Nam primo creatur à Pontifice, cum hic eum Abbatem renuntiet, electumque ad Monaſterij regimen, Monachorum ſuffragiis confirmet. Deinde, à Canone vt eſt in decretali cum ab Eccleſiis, de maioritate & obed. excommunicandi, hoc eſt dicendi iuris poteſtatem habet, cum cenſuram in contumaces Canonicos Regulares ab Abbate latam ibi Innoc. III. approbet, nec deeſt conſenſus Religioſorum, virtualis ſaltem ac tacitus, vt ſibi ab eo ius dicatur, quæ ergo res Ordinarium conſtituunt hæ in Abbate reperiuntur omnes, & ita propoſita initio quæſtio, ſoluta manet.

QVÆSTIO X.

Abbatum obligationes quæ ſint, quales, & quantæ.

PRimo, *Pernigili ſtudio gregis ſibi commiſſi curam gerere debent*, Conc. Aquiſgr. 2. ſub Ludou. par. 3. can. 2. hunc verò eſſe ſibi curæ, patebit his argumentis, primò ſi vt eſt in Cabil. Conc. ſub Carolo can. 52. & 54. Mogũt. ſub Arnulpho, tales eſſe velint, qui & præeſſe nouerint & prodeſſe, eis enim, cæteriſque animarum Rectoribus, dictum eſt, animam pro anima dãdam eſſe, quare ſubditas ſibi gentes paſcere debent, Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. Dei verbo, monitis ſalutaribus ac innocentis vitæ exemplo, *Tot enim mortibus ſunt digni, quot ad ſubditos ſuos, perditionis exempla tranſmittunt*: Nicol. Papa ad Lothar. Regem, vt refertur 11. qu. 3. can. præcipuè 3. Itaque eos admonendos ſedulo ac frequenter exiſtimant Galli Præſules: *Vt de ſeipſis, cæteris bonum exemplum præbeant, & Religioſe ſicut decet, conuerſentur, & quod vniuſcuiuſque profeſſioni inconueniens eſt, & in ſacris voluminibus prohibetur, omnino caueant*, Concil. Pariſ. ſub Ludou. & Loth. lib. 3. can. 18 mirum enim quantum ad virtutem exempla proſint, quantum vitij odium ſpectantibus imprimant, *Ipſe enim habitus ſonat, auditur Philoſophus dum videtur, grande pallij beneficium eſt, ſub cuius recogitatu, improbi mores erubeſcunt*, Tertull. de pallio, viri probi etiam dum tacent, Τὸ σχῆμα φωνὴν τὸν τρόπον παιδεύει, id eſt *diſcipulos inſtruunt*, Iſidor. Peluſ. epiſtol. 1. lib. 2.

Exemplo addere debent Abbates, verba & opera, verba quidem, quia ne ſibi officioque deſint, eos oportet impellere Monachos quibus præſunt

A ad grandia cum languent, reprimere cum currunt, docere cum neſciunt, laudare cum bene ac Religioſè viuunt. *Simul etiam diuinæ lectionis ſtudio informare, ne aut deſolati auxilio, diuinum opus explere nequeant aut torpentes otio, in laqueum tentationis incidant*, Aquiſgran. 2. ſub Ludouico parte 3. can. 2.

Imprimis autem eos virtutibus excellere, operæque fœcundos eſſe decet, nam ſi præter verba nihil habent, ſi nuda contenti eloquentia, fortia ad ſubditorum vtilitatem facta non afferant, metuendum eſt ne arborum inſtar, quæ viriditate frondium delectant quidem oculos, ſed copia abundantiaque fructuum agricolam non beant, diuina cuulſi manu, flammis conburendi dentur. Eos ſane tanquam inutiles degradandos id eſt de ſuo gradu deturbandos eſſe, locoque mouendos, vt indignos, ſanxit Triburienſe Concil. *Si quis*, inquit, *Abbas cantus in regimine, humilis, caſtus, miſericors, diſcretus, ſobrinſque non fuerit ac diuina præcepta verbis & exemplis non oſtenderit, ab Epiſcopo, in cuius territorio conſiſtit, & à vicinis Abbatibus, à ſuo arceatur honore.*

Secundo, prodet ſe Abbatum erga Monachos ſibi commiſſos prouidentia, ſi pleni animi, eorum errata arguant, peccata corrigant, admittenda impediant, *Vt ſic ſicelerum abluti ſqualore, piaque conuerſatione muniti, Sanctorum valeant conſortio ſociari.* Leo IV. in Synodo Rom. can. 17. Bernardus ſane inter cæteras Religionis peſtes, nullam Abbatum in caſtigando mollitiem inſectatur, vt vitiorum omnium fœcundam matrem, enimuero cum Monachorum ſui æui corruptos mores, cum Cœnobiorum dedecora, luxum, flagitia planxiſſet, ea Abbatibus, qui tanquam canes muti ad eorum aſpectum non tremerent, tribuenda eſſe aſſerit. *Miror*, inquit in Apologia ad Guillelmum Abbatem, *cum regula dicat ad magiſtrum reſpicere, quicquid à diſcipulis delinquitur & Dominus per Prophetam ſanguinem in peccato morientium, de manu Paſtorum requirendum eſſe minetur, quomodo Abbates noſtri patiantur fieri talia, niſi forte (ſi audeam dicere) nemo fidenter reprehendit, in quo ſe eſſe irreprehenſibilem non confidit, ſi quidem humanitatis eſt omnium, in quo ſibi quiſque indulget, aliis non vehementer iraſci.* hæc ille quæ etſi ſint veriſſima, habeantque Abbates coercitionis iura pleniſſima: his tamen non niſi moderate illis vti eſt permiſſum, ad eum pene modum, quo mariti vxores, ſeruos Domini, Diſcipulos magiſtri plectunt. Forgetus in tract. de perſon. Eccleſ. cap. 26. n. 2.

Neque culpas quaſlibet Monachi ſui, Abbati promiſcue punire licet, grauiores Diœceſani iudicio relinquuntur. Fabricius in Theoria de maionib. & minor. beneficiis num. 60. Choppinus in li. 2. n. 18. ita Lingonum Pontifici cognitionem vt ante dictum eſt, competere ſacrilegij, à quodam Monacho Melitenſi admiſſi, profanatione ſacroſancti Sacramenti Euchariſtiæ, pronunciauit Senatus Pariſ. 17. April. 1526. communes, leues ac moderatæ, & cæteræ, Monachi criminoſi culpæ, examinandæ ſunt ab Abbate, & plectendæ pro merito: Rabotus in additionib. ad Guid. Papam qu. 559. eumque criminis apud Epiſcopum, aut alios accerſitum, ſi eſt exemptus, ad Abbatem ſuum, Monaſticæque familiæ præſidem, Diœceſano poſthabito remittendum, declarauit Senatuſconſultis duobus Pariſiorum centumuiralis Curia, quibus Choppinus li. 1. Monaſticon tit. 2. & expreſſe Honorius III. cap. ea quę 8. de ſtatu Monachorum,

his verbis: *Monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciant, eisque iniungi pœnitentiam salutarem.*

Ad hanc obligationem addendæ ſequentes.

Prima, quod in Presbyterum præfixo à Canonibus tempore Ordinari Abbas debeat; Alexand. III. in Concil. Later. & cap. cum in cunctis 7. de electione. *Abbates* (inquit Pictau. Conc. can. 17.) *qui Presbyteri non ſunt Presbyteri fiant aut Prælationes amittant*, &c. Quando vero & quo tempore? Extra Galliam, poſt annum à poſſeſſione pacifica, Gregor. X. in cap. licet can. 14. de electione in 6. & Bonifac. VIII. cap. commiſſa 35. eiuſdem tit. In Gallia autem quod pacifica eſſe non cenſeatur beneficij poſſeſſio, niſi poſt annos duos, (nam ad cum qui lege Eccleſiæ, Parocho & Abbati conceditur, addendus eſt & alter,) in Gallia (inquam) antequam ob Sacerdotium non ſuſceptum priuati cenſeantur, ille Parochia, hic Abbatia; duo anni exiguntur: eſt id planum ex verbis decreti Bleſenſis ar. 9. *Où dedans deux ans enſuiuans, ils ne ſe feroient promouuoir audit Ordre, ſeront les benefices par eux tenus, declarez vacans, & impetrables, & eux mis contraints de rendre & reſtituer les fruits, qu'ils auroient perceus, pour eſtre employez & diſtribuez à œuures pitoyables.*

Contraria ſententia eſt Rebuffi in concord. titulo de Nominat. paragr. 23. annor. cauſa eſt, quod Canones non loquantur de Abbatia ſed tantum de Parochiis & Prioratibus ex quo concludit Abbates non teneri fieri Sacerdotes intra annum.

Tertia, Abbatum obligatio maxime Regularium eſt ad reſidentiam, cum enim animarum curam habeant, de quibus rationem reddituri ſunt in die iudicij, Concil. Mogunt. ſub Arnulpho can. 25. per Trid. leges ſeſſ. 23. cap. 1. à Cœnobio abeſſe nequeunt, ſine peccato, niſi iuſtam aliquam oſtendant abſentiæ ſuæ cauſam.

Quarto, tenentur ad habitum.

Quinto, cum non ſunt exempti ad obediendum Epiſcopo vt Superiori ſuo iuſta imperanti.

Sexto, ad horas canonicas.

Septimo, vetantur Abbatiæ inueſtituram de manu Laici ſuſcipere, quod ſi præſumpſerint, depoſitione multandi dicuntur ab Vrbano II. in Concil. apud Melfiam. can. 8.

Octauo, Modeſtiam in inceſſu, in victu parſimoniam, in omni vitæ ratione temperantiam ſeruare debent, quod enim in Clericis cuiuſquemodi, non eſt ferendum, in Abbatibus laudandum quis credat? vt in victu delicias, in habitu ſæcularium munditias, ornatum, ſuauitates & vnguenta appetant & quærant? ab his ſane qui huiuſcemodi nugis impliciti, animum ad diuina natum deprimunt, ad amorem terreſtrium, Religioſo nomini imponi plagam lachrymis nullis curabilem, graui oratione queritur Abbas Bernard. in Apologia ad Guillelm. Abbatem, *Quomodo*, inquit, *lux mundi obtenebrata eſt? quo modo ſal terræ inſatuatum eſt? quorum nullis vitia, via vitæ debuit eſſe, dum exemplum in ſuis actibus oſtendunt ſuperbiæ, cæci facti ſunt & duces cæcorum, quod enim ſpecimen humilitatis eſt, cum tanta pompa, & equitatu incedere, tantis hominum comitorum obſequiis, quarenus duobus Epiſcopis, vnius Abbatis inuitetur ſufficiat? mentior, ſi non vidi Abbatem, ſexaginta equos, & eo amplius, in ſuo ducere comitatu; tum deinde geſtari iubentur mapulæ, ſciphi, bacini, candelabra, & mantica ſuffarcinatæ non ſtramentis, ſed ornamentis lectorum*, & paulo anto, *vix iam in noſtris prouinciis inuenimus, quo veſtiri dignemur, miles & Monachus, ex eodem panno partiuntur ſibi cucullam, & chlamidem, quinis de ſæculo quantumlibet honoratus, etiamſi Rex, etiam imperator ille fuerit, non tamen noſtra horrebit indumenta, ſi ſuo ſibi modo præparata fuerint & aptata.* Itaque quod Clericis commendatur in Concil. Nannetenſi can. 10. can. non oportet 2. & can. nullus 7. diſtinct. 44. vt in victu temperantiam teneant, in iocis modeſtiam, hoc ſibi Abbates dictum eſſe; faciendum etiam ad animæ ſuæ bonum, ac exemplum cæterorum exiſtiment, pati non debent, *ioca turpia ante ſe fieri, ſed pauperes & indigentes ſecum ad menſam habeant, & lectio diuina ibi perſonet & ſumant cibum cum benedictione*, Concil. Remenſe ſub Leone III. anno Domini 813. can. 17.

Decimo, Abbatibus, aliiſque miniſtris, de rebus Eccleſiaſticis, vel ſacro miniſterio deditis, alienare & obligare, abſque permiſſu & ſubſcriptione Epiſcopi non licet, Concil. Aurel. 3. can. 18. pœna ſecus facienti impoſita ab eodem Concilio duplex. Prima eſt degradatio, cõmunione conceſſa, altera, eorum quæ ab Abbate fuerint in Cœnobij damnum, noxamque geſta, in irritum reuocatio per Epiſcopum, in cuius Diœceſi ſitum eſt dictum Cœnobium, additum à Paulo II. in Extrau. Ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis, vt alienanti Abbati, Epiſcopo non conſulto, aditus in Eccleſia interdictus eſſet, à qua cenſura liberari ſe ac eximi, intra ſex menſes ſi non curaret, à regimine & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, vel Monaſterij cui præſidet in ſpiritualibus, eſſet eo ipſo ſuſpenſus.

Vndecimo, videre Abbas debet, ne quid Monachis de neceſſario vitæ commeatu deſit, ne paupertatis occaſione compulſi, per diuerſa vagari, aut turpibus, *ſe implicare negotijs cogantur & relicto Eccleſiaſtico officio, incipiant indiſciplinatè viuere, & propriis voluptatibus deſeruire.* Aquiſgr. Concil. can. 121. in eandem ſententiam ſcriptus eſt canon 18. Concil. Pariſ. ſub Ludou. & Lothar. lib. 3. ſecundus item & 13. Concil. Aquiſgr. 2. ſub Ludou. parte 3. vigeſimus quartus Turon. ſub Carolo Magno, ſane cum ſe Monachi Abbatum prouidentiæ, quos & ſibi Patres eſſe volunt, totos dedant, ſitque illis probro, curam ſui ac victualium agere, inconſultè Abbas ac imprudenter faciet, ſi charitatis ſuæ, in prouidendo ſuis de neceſſariis ad vitam, fontem apertum eſſe nolit. Si Deum, ſi officium, ſi Patres ad conſilium adhibuerit, audiet id ei laborandum eſſe: *Vt Monachi habeant clauſtra & dormitoria, in quibus ſimul dormiant, ſimulque reficiantur, horas canonicas cuſtodiant, victum & veſtimenta iuxta quod poterit Abbas habeant, quo facilius ad Dei ſeruitium poſſint conſtringi*, Turon. ſub Carolo can. 24.

Duodecimo, redditiuum partem tertiam reparationibus, aliam in pauperum elemoſynas impendere Abbas tenetur, decreto Sylueſtri Papæ in Rom. Concil. can. 4. Concilij Braccarens. II ſub Clodoueo can. 3. *De obligationibus, vel agris, quos Dominus Rex contulerit, id eſſe iuſtum definimus, vt in reparationibus Eccleſiarum alimentis Sacerdotum, & pauperum refectione, quidquid Deus dare dignatus fuerit, rependatur.*

Hancque Galliæ praxim eſſe, vt reficiendis ædificiis pars obuentionum tertia impendatur, auctoritate Curiæ, notius eſt quam vt à me explicari

oporteat: Equidem memini legere me olim apud A
Loüetũ, Curiæ iussu imperioq; Cardinalis Peluxi
hæredes coactos esse, an. 1603. restaurare, quæ iste
dũ viueret, loca in Senonensi Archiepiscopatu, cui
præpositus fuerat, deperire ac destrui, per summam incuriam passus erat: Enimuero est à ratione alienum, vlli vt sit culpa sua salutaris ac vtilis, esset autem si defunctus Abbas, de negligentia sua in conseruandis beneficii sui rebus ac ædificiis, rationem nullam redderet, illique ac eius hæredibus, impunè foret, ea non curasse cum starent, aut non reparasse cum perissent, in Ecclesiæ ac successoris sui præiudicium. Quid? quod vsufructuarius rem cuius ei vsus fructus est concessus, sartam tectam, ac integram conseruare impensis suis debeat? ergo & Abbas, loca Cœnobii, cuius est non Dominus, sed vsufructuarius, quod se quoque facturum tacitè est pollicitus, cum eũ sibi magistratum à Pontifice deferri est passus, Rebuffo teste in Commentar. ordinationum regiarum titulo de Constitutionibus reddituum art. 1. Glossa 14. numer. 30. quare ad id eius quoque bona omnia obligata esse, scripsit Guymierus in pragmaticam parag. non Ecclesiarum verbo depereunt in proœmio.

Decimotertio, debet infirmis Abbas compati, iis esse subsidio non oneri, pusillanimes hortari, terrere audaces, arrogantes deprimere, mœstos solari, omnes vt filios sibi carissimos amplecti, verbum est Bernardi imprimis nobile epist. 73. ad Ramaldum Fulmascensem Abbatem, *Hoc onus*, inquit, *animarum est, & infirmarum, nam quæ sunt sana, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt, quoscunque igitur de tuis inueneris tristes, pusillanimes, murmurosos, ipsorum te Patrem, ipsorum te noueris esse Abbatem, consolando, exhortando, increpando, agis opus tuum, portas onus tuum, & portando sanas, quos sanandos portas, si quis vero ita sanus est, vt magis iuuet te, quam iuuetur à te, huius te non patrem sed parem, comitem non Abbatem agnoscas.*

Decimoquarto, *Fideliter & studiose vniuersa, quæ ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem Monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem tota potestas pertinet, debet adimplere.* Pelag. Papa vt refertur 18. qu. 2. can. nullum nono, quare de disciplina regulari aliquid minui, de obseruantia erga maiores natu quidpiam detrahi, fundatorum statuta, moresque vsu contrario conuelli, ferre sine culpa non potest: *Si enim malum est, peccatum non emendare, quomodo malum non erit non augmentare?* Bernard. epist. 69. ad Guidon. Abb. de tribus fontib. at patientia sua Monachorum culpam Abbas corroborat, conniuendo, eorum in contemnendis prisci æui moribus, Patrumque seueritate laudabili, audaciam frontemque amplificat, hic ergo charitatis erga Deũ, hic zeli sui ad instituti seruandum rigorem priscum, aculeos erigere suos omnes Abbas debet, *Vt enim peccat non minus, nimis irascendo, quam omnino non irascendo, sic non irasci, vbi irascendum est, nolle emendare peccatum est*, Bern. ep. 69. ad Hugonem Abbatem.

QVÆSTIO XI.

Explicantur dubia quædam ad Abbatis electionem spectantia.

Primum ad quem pertinet ius eligendi Abbatis aut Prælati Regularis.

Iure communi ad Capitulum aut Collegium Clericorum, Lucius Papa in cap. nullus 1. de electione, & in Synod. Later. de Monachis nigris can. 2. *Defuncto Abbate, non extraneus nisi de eadem* B *Congregatione, quam sibi propria voluntate, confors fratrum Societas elegerit, ordinetur.* Similia habet Pelagius in epist. ad Mellitum Subdiaconum, & clarissimè Gregor. lib. 4. epist. 43. vt refertur 18. qu. 2. can. 3. & 4. Non alij ergo suis suffragiis Abbatem renunciant, quam qui eius sunt Cœnobij alumni, cui Superior quæritur distinct. 31. can. vlt. dist. 62. can. 1. cap. constitutis 47. extra de electio.

Et quanquam eadem ferè sit Regularium omnium ratio in deligendo sibi Prælato, quæ Monachorum, cum Abbatem sibi creant, non est hæc tamen sic solemnis & stata pro omnibus, vt ab ea deflectere sit piaculare, ac Superiori qui est electus C inutile: Patres Capucini in Capitulis vniuersi Ordinis, quæ Generalia nominant, aut Prouincialibus, Guardianos, id est Monasteriorum Superiores ac Prælatos creant. Nobis, id est Societatis IESV Regularibus Clericis, non est alius Superior, quã qui à Generali præposito, Romæ declaratur, quare cuiusque Religionis spectanda est consuetudo, consulendæ regulæ ac statuta, quæ in electione Prælati seruari primus eius auctor ac fundator voluit.

Secundum dubium, *An professi omnes, ius Prælati eligendi habeant.*

Ab eo excluduntur primo, excommunicati vel suspensi cap. cum inter 19. parag. finali de elect. D non excommunicatione tamen qualibet sed maiori tantum; cap. illa quotidiana 19. de elect. cap. vltimo de Clerico excomm.

Secundo, iure eligendi carent, qui in loco interdicto operati sunt sacris, cap. is qui 18. de sententia excomm. in 6.

Tertio, qui regulas in electione adhibendas ex præscripto Canonum non tenuere, vel indignum sibi Abbatem dixere, cap. cum in cunctis 7. extra de electione cap. innotuit, cap. bonæ memoriæ 23. cap. scriptum 40. eiusdem tituli cap. Cumana 30. de postulatione Prælatorum. Excipiendus casus in quo talis electio effectum nullum habuisset, tunc enim ex solo suffragio ius eligendi non perditur cap. perpetuo 7. de elect. in 6. sicut & cum E per ignorantiam indignus creatur, cap. innotuit 20. extra de elect. hæc impedimenta Canonica cum absunt, iure communi Religiosis professis competit eligendi auctoritas, nisi consuetudine ac lege peculiari Ordinis secus accidat. Narrat enim Portelius in lib. de dub. Regular. verbo electio num. 2. non potuisse olim in suo Ordine Religiosos eligere, nisi post annum secundum à professione, nec Moniales nisi post tertium habitus, Compendium verbo Abbatissa parag. 5. *Et cum hoc statutum*, inquit Portelius verbo Abbatissa num. 5. *non sit Ordinis, sed Pontificis, in eo tantum differat, qui Papæ indulgentia, eius diplomata explicat ac re-*

laxat, Ad hanc Papæ voluntatem de triennio in Religione explendo, antequam in ea ius ſuffragij Monialis acquirat acceſſit anno 1612. ſtatutum Ordinis, quo ab eligenda Abbatiſſa remouentur, quæ quartum annum à votis publicè emiſſis non exegerunt.

Dico ſecundo, *Conuerſos Laicos ad electionem cum Clericis admitti non ſolere, nec poſſe, niſi in aliquo Monaſterio, per diuturnam conſuetudinem ius capitulare præſcripſerint.*

Pars prima, auctoritate Pontificis Bonifac. VIII. nititur, cuius eſt hæc ſanctio in cap. ex eo 32. de elect. in 6. *In Eccleſiis quoque Regularibus vel Monaſteriis, ij qui non ſunt tacitè vel expreſsè profeſſi, non debent cum profeſſis, vel conuerſi Laici, cum Clericis, electionibus intereſſe.*

Altera notior eſt, quam vt explicatione maiore indigeat, conſtat enim iura acquiſita elidi, aut nunquam poſſeſſa, præſcriptione acquiri: ſic enim in Authent. quas actiones Cod. de ſacroſanct. Eccleſſs. *Quæ actiones, alias decennalis, alias vicennalis, alias tricennalis præſcriptio excludit, hæſi loco Religioſo competant, quadraginta annis excluduntur, vſucapione trienny, vel quadrienny præſcriptione in ſuo robore durantibus.*

Dixi cum Clericis, vt innuerem, in his ordinibus qui rebus temporalibus occupantur, vt ſunt Militares, & Hoſpitales, locum eſſe conuerſis ad eligendum, habetur cap. ex eo de elect. in 6. & 7. de arbitris extra his verbis: *Prior ſancti Bartholomæi Lucani tenetur habere conſilium cum familia hoſpitalis eiuſdem, & tractare cum ea, de rectore*, & poſtea additur, non habere Priorem poteſtatem eligendi, niſi conſilium requiſierit eorum qui ſunt de familia hoſpitalis, veriſſime ergo eſt in concluſione facta Clericorum mentio, vt cum iis, Laicos, ſocietatem ſuffragij coire non poſſe planum eſſet.

Dubium 3. *An initiati eſſe ſacro ordine debeant qui eligunt.*

Dico primo, *In Religione non videri neceſſe*, Ludouic. Portel. in lib. de dubiis ver. electionum. 2. Ratio eſt prima quod eius rei non fiat à Canonibus vlla mentio.

Secunda, quod Moniales, quas tam ſexus, quàm ratio ab Ordine ſacro remouent, Præpoſitam ſibi à qua regantur eligant, non eſt ergo in eo qui eligit neceſſe vt ſacro ſit inſignitus charactere.

Dico ſecundo, *In Eccleſiis Cathedralibus aut Collegiatis, earumque Capitulis, carere voce*, vt aiunt, *qui Subdiaconi non ſunt*: ita Clemens V. in Clement. vt hi qui 2. de ætate & qualitate præficiendorum, idem eſſe de Canonicis Regularibus iudicium, dixere Claſſici authores, quos citata Clementina, eos pari loco ſtatuat ac Canonicos, quos vocem in Capitulis habere negat, etiamſi hoc ſibi libere ab aliis concedatur, niſi ſaltem in Subdiaconatus Ordine fuerint conſtituti, cauſa eſt quod cum Regulares Canonici, diuinis officiis ex inſtituto mancipentur, non decuit eos diu ſacro deſtitutos Ordine in Religione vitam ducere, iuſta ergo Clementi cauſa extitit, eos ad id priuatione ſuffragij in Capitulis adigere, non autem Regulares alios, quos ex primæua ſui origine conſtat, ad diuina officia vocatos, & inſtitutos non eſſe.

Dico tertio, *Profeſſos Ordinum Mendicantium qui cum facultate Pontificis ad non Mendicantes tranſeunt, licet adminiſtrationes habeant, Prioratus, vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcunque obtineant inibi, vocem aut locum in Capitulo non habere, etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur.* Clem. V. in Concil. Vienn. & in Clementinis lib. 3. tit. 9. cap. 1. de Regularibus, cum enim multi à Mendicantibus, id eſt Chriſti Domini ac Apoſtolorum diſcipulis deficerent ad Religioſos alios, quorum vita propter rerum omnium copiam, quibus abundabant eorum Cœnobia, minus ad ideam diuinæ & Apoſtolicæ accedebat, viſum eſt Concilio è re tam communi Eccleſiæ, quam priuata Mendicantium eſſe, eos retinere in Ordine, quem primo eſſent profeſſi, metu pœnæ, & ideo ius illis negare ſuffragij tam actiui, quam paſſiui, ſi eo deſerto, ſi minus turpi fœdoque transfugio, at certè parum Religioſo mitiorem capeſſerent.

Dubium quartum, *An in Prælatum Regularem poſſit eligi, qui nondum eſt Sacerdos.*

Dico primo, *Valere eius electionem qui non eſt Sacerdos.*

Primo, quia eam Canones non irritant.

Secundo, quia ſufficit in Gallia ſi nominatus à Rege ad Abbatias annum vigeſimum tertium inchoauerit, vt habetur in concord. tit. de Regia ad Prælaturas nominat. parag. Monaſteriis verbo 23. annorum, at non eſt ea ætas ſuſcipiendo Sacerdotio idonea, ergo ad Prælaturam regularem Ordo Sacerdotalis non prærequiritur vt diſpoſitio ad eam neceſſaria: cum inſtante neceſſitatis articulo poſſit in Abbatem aſſumi etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, Innoc. III. in captuam 10. de ætate & qualitate. An autem intra annum extra Galliã promoueri ad Sacerdotium Abbas debeat, dictum eſt antea, in quæſt. de Abbatum obligationibus. Cum enim Abbatia beneficium ſit curatum, exigantque Pontifices in eo qui curam gerit animarum, primo, 24. annos completos, cum tale beneficium ſibi ab ordinario delatum acceptat, cap. cum in cunctis 7. de electione.

Secundo, vt ordinem ſacrum quem tale beneficium ex propria inſtitutione poſtulat, intra annum ſuſcipiat numerandum à die adeptæ poſſeſſionis, alioqui ipſo facto priuatus eo exiſtat, cap. licet can. 14. de elect. in 6. & cap. commiſſa 35. eiuſd. tit. & lib. merito dixiſſe mihi tum videor imperandum Abbati eſſe, vt Pontificibus pareat Alexand. III. & Bonifac. VIII. poſtulantibus, vt ſe Sacerdotij charactere munendum curet, præſtituto ab ipſis tempore.

Aliter quam nos, pro Gallia ſentit Rebuff. In rubrica de Regia ad Prælat. nominat. paragr. Monaſteriis, verbo 24. annorum, nam ibi exiſtimat certum nullum præſcriptum tempus eſſe quo Abbates oporteat fieri Sacerdotes.

Primo, quia per concordata, his verbis, *Rex occurrente Abbatis ſeu Prioris vacatione, Religioſum eiuſdem Ordinis in ætate viginti trium annorum ad minus conſtitutum, nominare teneatur*, derogatum eſſe ait citatis ante Canonibus.

Secundo, Cum odia reſtringi, fauores autem ampliari conueniat, de regul. iuris in 6. Reg. 15. quæ ſtatuuntur in Parœciis & Prioratibus trahi non oportet ad Abbatias, ergo cum citati Canones de his expreſſe non loquantur quæ pœnæ ſtatutæ ſunt Parochis, ad Abbates deriuare non decet, nec exiſtimandum quod ſi in Sacerdotio ſuſcipiendo intra annum, à die adeptæ poſſeſſionis negligentes extiterint, ſuis priuati ſunt beneficiis. Hæc ille.

Quæ etſi probabiliter ſunt dicta, non eſt à communi tamen ordinariaque doctrina recedendum, de qua nos antea, ſic tamẽ vt hic annus intra quem

Abbas Sacerdos esse debet, necessario non sit continuus, sed vtilis, Laym. in quæstionibus Canonic. cap. 16. cum iustè impedito non currat cap. commissa 15. de elect. in 6.

Dubium 5. *An suffragium suum per procuratorem mittere absens valeat.*

Causa dubitandi duplex. Prima, quod electorum suffragia secreta esse oporteat, Trid. sess. 25. cap. 6. de reform.

Secunda, quod voces, votaque absentium suppleri non debeant, Trident. ibidem, quæ quo modo stare, cum Procuratore ad suffragandum electo alterius loco & nomine valeant, non est facile intelligere, nam si voluntatis meæ quispiam est conscius, quomodo secreta est, nullique nota? Et si absentis votum recipitur, quomodo non suppletur?

Dico tamen primo, *Aegroto aut impedito fas esse suffragari per alium ad id specialiter delectum*, ita Bonif. in cap. si quis iusto 46. de elect. in 6. *Si quis*, inquit, *iusto impedimento detentus, in electionis negotio nequeat commodè interesse, potest ne dum vni, sed & pluribus committere vices suas, idum tamen eorum cuilibet det in solidum potestatem.* Probaturque experientia, nam si fides est Portelio in responsionib. parte 2. casu 1. qui in Franciscanorum Ordine magistratus præcipuos gerunt, vt Generalis præpositi, Prouincialis; cum quid eis accidit, quamobrem interesse comitiis Ordinis non possint, certos sibi homines substituunt, quorum vt voce mentem suam in Capitulo explicent, sic & manu suffragium in vrnam inferant, at hoc ipsum est, Procuratoris vti opera, & per eum, absentem dare suffragium: est hoc ergo licitum.

Dico secundo, *Permissum esse absenti suffragium suum scripto obsignato mittere.*

Primo, quia id nulla est lege vetitum.

Secundo, quia incommoda quæ timentur si suffragiū à multis noscatur, ex eiusdē obsignati missione non sequuntur, nec enim ante electionem publicabitur vt suppono, nec grauius inde quid consequetur, quo communis salus ac tranquillitas violetur.

Tertio, votum per scriptum dari, iuri non est contrarium sed consonum, cum lege Concil. sess. 25. cap. 6. iubeatur esse secretum, cuiusmodi esse non est dubium, cum sic litteris committitur vt sit signatum.

Quarto talis est praxis Regularium S. Ioann. in Lusitania, quam tamen erroris arguere nec tutum est, nec laudabile, enimuero est eorum Generalis præpositi electio facta secundum statuta Ordinis rata & valida, at ad eam vota concurrunt omnium, quotquot vbique sunt eius professionis homines, qui locis licet à Capitulo generali sint diſiuncti, eo suffragia sua, scriptis exarata ac signata mittere solent, referanda à Præside ac Scrutatoribus; vacat ergo peccato, voti scripti quidem, sed obsignati, ab absente ad capitulares missio.

Ad ea quæ ex Trid. referuntur, respondendum est, eius mentem esse impedire duntaxat, ne noui titulares eligantur, vt Abbates, quibus detur ius suffragij quo carent, aut absentium vota suppleantur, vt accideret si præses Capituli; fratri cuipiam non vocali imperaret, locum sibi in eo capere, ac pro tali absente suffragium ferre, cuiusmodi nihil hic à nobis dicitur, nec ex delectu Procuratoris qui absentis loco suffragatur, clare & euidenter sequitur.

Dubium sextum, *An electio Abbatissæ quæ non est facta per schedulas sed voce tenus sit valida.*

A Pro parte negante sunt hæ coniecturæ.

Prima, quod praxis Ecclesiæ sit opposita.

Secunda, quod electionem fieri Pontifex velit per scriptum, si enim Innoc. III. in decretali quia propter 42. de electione. *Statuimus vt cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt & possunt interesse, assumantur tres de Collegio fide digni qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi.*

Dicendum tamen valere electionem hoc modo factam, modo ne desint cætera quæ ad eius substantiam sunt necessaria.

Primo, quia est de capaci ab his quæ ad eligendum sunt idoneæ. B

Secundo, quia etsi quæ suffragij iure gaudent in Capitulis, mentem suam præfidi verbis enuntient, sunt tamen eorum vota secreta, nec publicanda ante finitum cœtum, quod Concilium exigit sess. 25. cap. 6.

Tertio, cum de Abbatissa eligenda agitur, potest Superior vota Monialium ad cancellos audire, sic enim Trid. cap. 7. citatæ sess. his verbis: *Qui electioni præest Episcopus, sine alius Superior, clausura Monasterij non ingrediatur sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat.* At audire est percipere, non scripto recipere. Portel. in respons. par. 1. casu 4. ergo cum verba legis accipienda sint in sensu vsitato, & proprio, ambigi non potest quin suffragia Monialium possint esse vocalia, itáque esse vt dicimus declarauit Congregatio Cardinal. vt Marzilla testatur in lib. declarationum ad cap. 6. citatæ sessionis. C

Ad argumenta allata respondendum, ita communiter quidem fieri vt dicitur, nec tamen inde sequi quod secus fieret, fore irritum & inane, quia consuetudo vim habet legis, nisi ab his quorum interest, sit inducta, cum voluntate se obligandi, ac abrogandi quicquid secus fieret.

Ad secundum dicendum est, nolle Pontificem, vt vota sua per scriptum aut schedulam obsignatam necessario suffragaturæ exhibeant, sed tantum vt qui earum desideria audiuere ad crates cum Præside, hæc in chartam referant, vt de suffragantium numero certo constat, itaque omnis eximatur dubitandi de electa occasio. D

Dubium septimum, *An in Abbatem dignus possit eligi, digniore præterito.*

Non posse censuit Gabr. Vasquez in opusc. de beneficiis cap. 2. n. 78.

Dico primo, *Non videre mihi peccare mortaliter, qui ad Canonicatus & alia beneficia simplicia semel aut bis dignos eligunt, dignioribus prætermissis*, ita Regin. to. 2. li. 30. tract. 3. cap. 15. num. 179. Less. li. 2. cap. 34. dub. 14. quia quod semel aut bis dignissimus aut dignior non eligatur, non censetur Ecclesia notabili incommodo affici, paucorum enim mediocritas, aliorum virtute compensatur. E

Dico secundo, *Electores peccare mortaliter cum in Abbatem aut alia beneficia curam animarum habentia, alium quam dignissimum eligunt*: ita D. Th. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. ad conscientiā, inquit, eligentis necesse est eligere meliorē vel simpliciter, vel in cō-parationē ad bonum commune, astipulantur Orig. homilia 6. in Leuitic. Greg. lib. 4. cap. 4. in lib. 1. Regum. Ibi enim expresse ait dignissimum eligendum quod confirmans Innoc. III. in cap. vnico vt beneficia sine diminutione dentur sic ait. *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum beneficium in personam magis idoneam dis-*

penſare, accedit ratio, beneficia præmia ſunt virtutum quibus digniores honorari debent, facit ergo contra hunc finem qui digniſſimum non eligit.

DE CANONICIS.

QVæ de hoc hominum genere ſcripſere Concilia, quæ Romani Pontifices, quæ antiqua maiorum ſæcula, hîc referre non eſt animus, cum me dies ante deficeret, quam quæ in eorum laudem ſunt dicta, vel ex parte centeſima complecti fas eſſet. Malo quæ de eorum officiis, præcepta reperi, hîc ad exemplum diſciplinamque poſterorum ponere.

Hoc ergo primo: *Canonicis totis viribus elaborandum eſt, vt & indumenta virtutum interius habeant & per immoderatum cultum, caueant deboneſtare religionis dignitatem exterius.* Aquiſgran. Conc. ſub Ludou. Pio can. 124. age ergo id.

Videamus primo, qualibus olim induti veſtibus Canonici in publicum procederent.

Secundo, quibus eos virtutibus ornatos eſſe oporteret.

Ad ornatum corporis quod ſpectat, dici id breuiſſime, ſed tamen vere poteſt, talem eum fuiſſe, qualis decebat maieſtatem Eccleſiæ, ac perſonæ, quam in ea agebant: *Nempe qui & occaſione vanitatis careret, & nihil nouitatis & ſuperfluitatis redoleret, nihilque reprehenſionis aut detractionis haberet.* Aquiſgran. Concil. can. 124. Quare ſæcularia indumenta ne aſſumant, Zacharias in Synodo Rom. cap. 31. prohibet his enim vti illis ſi licet, *in quo eorum conuerſatio à Laicorum differet?* Concil. Aquiſgr. can. 124. Itaque eorum veſtimenta, nulla diuerſitate colorum conſpicua eſſe debent, nullis deliciis, aut affectata munditie ſpectabilia, hæc enim ornamenta, Militis magis quam Clerici damnata eſſe ab Eugenio in Concil Rhem. ſcripſit Bernardus in exitu lib. 3. de conſideratione, his verbis: *Præcepimus (aiſti) vt tam Epiſcopi quam Clerici, neque in ſuperfluitate, ſeu inhoneſta varietate colorum, aut fiſſura veſtium offendant aſpectum intuentium, ſed potius ita in ſuis actibus errata condemnent, & amorem innocentiæ conuerſatione demonſtrent, ſicut dignitas exigit Ordinis Clericorum*, hæc Bernardus, *Canonicos ſane oportet ſanctarum Scripturarum authoritate induſtos, humilitatem quam corde geſtant, actu, habitu, inceſſu, ipſa etiam equitatione diligenter demonſtrare, nec enim ſpecialiter teneatur ab omnibus nec plus iuſto cultior veſtis, nec inſolita atque deformis, inter vtrumque enim virtus diſcretionis, moderatiſſime tenenda eſt*, Concil. Aquiſgran. can. 124.

Prudentiæ ergo, demiſſionis, ac modeſtiæ laude, Canonicus florere in primis debet, ne intemperantia veſtium, hominum in ſe, ſi minus odia, at certè iudicia, dicteriaque acuat.

Exinde populo, magnarum rerum author eſſe debet, ac maturitate animi, grauitate morum ipſo denique vitæ ſuæ genere, ad regulam Canonum formatæ, oſtendere ſe aſſequendæ perfectionis Chriſtianæ deſiderio teneri, ei enim cauendum eſt, quod exigit in Sacerdote quolibet, Ambroſius libro 10. Epiſtol. epiſt. 82. *Non ſolum ne grauioribus flagitiis ſit affinis, ſed ne minimis quidem, vt ſit promptus ad miſericordiam, lapſum reuocet, compatiatur dolori, conſuetudinem teneat, pietatem diligat iram repellat, vel decoquat. Superbia autem non ſit tumidus*, inquit Concil. Aquiſgran. ſub Ludouico Pio anno 816. can. 145. *non detractionibus aſſuetus, non ebrietatis feruens, non luxuria enervatus, non iracundia turbidus, non quibuſlibet aliis vitiis ſubſtratus, non vaniloquus, non inuidus, non ſomnolentus, non piger, non murmurator, non ſuſurro, non vinolentus, non multum edax, doloſitates caueat, non vſuris vacet, non iuret, ne forte periuret.*

Et quoniam humano conſortio, vti mala lue, magnæ ſæpe virtutes afflatæ languent, diſtincta Canonicis erat olim à Laicis habitatio, ſedeſque domicilij, decreto Concil. Aurelian. ſecundæ item Synodi can. 9. exin Vetus Eccleſiæ nomotheſia cauit, eorum domos claudi, quæ ideo dicta ſunt ab hoc effectu clauſtra, Aquiſgran. Concil. can. 144. in illis, extraneos & fœminas excipere, quolibet affinitatis genere propinquas, eiuſdem Concilij Gallicaque demum recenti lege, iis eſt, ſeuere inhibitum, quare ne quæ in clauſtris templorum ſuorum, domicilia habent, hæc ſæculari vlli, nequidem propinquo locarent, vetuit Bituric. Synodus Prouincialis anni 1584. can. 8. titulo de Canonicis & Capitulis.

De modo vero ipſo, quem ſequi iubebantur in communi vita, dicere nihil eſt neceſſe, cum à domeſtica, ac familiari vulgi conſuetudine diſcretus, à Religioſo vix differret, nam eodem omnes loco prandebant, legebant, cubabant: *Sint etiam intus dormitoria, refectoria, cellaria, & cætera habitationes vſibus fratrum in vna ſocietate viuentium neceſſarij*, Aquiſgr. Concil. can. 117.

Superior omnibus vnus erat, cui ſic parebant omnes, vt eo inconſulto, domo excedere quidpiam eſſet in illis piaculare, Aquiſgr. can. 117. veſtis, Cœnobitarum more rudis, victus communis ac tenuis, can. 121. 122. domus, ſpecie, cultu ac forma, à prophanis diſtincta, cui ideo Cœnobij nomen eſt inditum teſtimonio Arelat. quartæ Synodi can. 8. & Moguntiacę ſub Carolo primo can. 21. *Præcipimus vt vnuſquiſque Epiſcopus ſciat per ſingula Monaſteria quantos quiſque Abbas Canonicos in Monaſterio ſuo habeat*, & can. 19. monentur Epiſcopi ne plures in Canonicorum, Monachorum, & puellarum Monaſteria admittant, quam eorum redditibus commode ali poſſint, Canonicis autem præcipiunt Patres Concilij Matiſconenſis, *Vt Canonice viuant, obſeruantes diuinæ ſcripturæ doctrinã, & documenta ſanctorum Patrum, & nihil ſine licentia Epiſcopi ſui & magiſtri eorum, incompoſitè agere præſumant, vt ſimul manducent, & dormiant, vbi his facultas id faciendi ſupperit, vel qui de rebus Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt, in ſuo clauſtro maneant, & ſingulis diebus manè, primò ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad menſam vero ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum Canones ſuis magiſtris exhibeant*, de conſecrat. diſt. 5. can. 34. in omnibus.

Fecit hæc communio magna morum, vitæque affinitas, quæ Canonicos inter & regulares, tum intercedebat, eos vt aliqui in Religioſorum numero ponerent, quod recenti memoria confirmaſſe aiunt Epiſcopos Germanię in Agrippinenſi Concil. anno 1536. in hunc modum: *Reſpondeat Canonicorum vita titulo, reſpondeat nomini, ſint reipſa vt ſunt nomine Canonici*, id eſt, *regulares vt prima eorum origo Monaſticæ diſciplinæ fuit, imitentur Apoſtolos & naſcentis Eccleſiæ miniſtros, &c.*

Sed quo minus pro illis ſentiam, facit communis

Eccesiæ priscæ sensus, quæ Canonicos tam professione vitæ quam nomine à Religiosis separat, aueo enim scire, quæ, aut quando, Principi Deo, aut vbi, vota nuncupauere, obedientiæ, paupertatis & castimoniæ? sine quibus tamen esse religio nulla potest. Deinde Canonicis fit potestas can. 21. Moguntiaci Concil. sub Carolo Magno transeundi ad statum Regularium si velint, non erant ergo Canonici, tum temporis Religiosi.

QVÆSTIO I.

Vnde Canonici nomen suum trahant.

CAnonicorum nomen deriuãt quidã à Canone, id est annona stata, certaque, quã de prouentibus Ecclesiæ sibi vendicãt, Lælius Zech. 1. de rep. Ecclesiastica tract. de Canonicis cap. 24. & Scholiastes Iuonis in epistol. 93. quod improbat Fabr. in Theoria tract. de simplici & duplici beneficio num. 28. Forgetus in tract. de personis Ecclesiasticis cap. 14. num. 6. cum præter Canonicos alij quoque redditibus Ecclesiæ alantur, vt Cantores, Capellani, & Clerici minores, quos tamen constat non esse Canonicos, ex capite cum dilecto & cap. pro illorum de præbendis.

Sed pace eius sit dictum, non redditus sed panis quotidianus Canonicis dari solitus, canon est appellatus, cum enim quampluribus in locis frigeret in Canonicis caritas, langueret autem in eorum moribus, ac animis, (inquit) Iuo, *disciplinæ regularis obseruantia, vt de negligentibus impigri, de somnolentis vigiles, de tardis assueti ad horas Canonicas fierent, placuit ex bonis Ecclesiæ communibus cottidianum panem fieri quem acciperent assidui, amitterent tardi*, quo stipendio liberali ac gratuito, cum multi Carnuti abuterentur, illud de eius vrbis Ecclesia sustulit, Iuo, vt de se fatetur in ep. 75. ad Paschalem summum Pontificem.

Placet eorum opinio, qui existimant, primos Ecclesiæ constituendæ principes, in imponendo hoc nomine iis Clericis, quos tàm sua sors, quàm diuina liberalitas, Episcopi, *Fratres, & conciliarios fecit*, (sic enim Canonicos nominat. Rebuff. in concord.) placet (inquam) summos illos viros, in hoc nomine, personæ dignitatem spectasse, quam Canonici sustinent in Ecclesiastica republica, nec enim est ignotum literato vlli, qui primas in iudicando partes rationi darent, hos à Pythagora eiusque schola, Canonicos appellatos, testimonio Cœlii Rhodigini lib. 5. antiquitatum c. 11 quam quia in agendo, vti ducem audire & sequi Canonici debent cum disceptandis Ecclesiæ causis in Capitulo aut Synodo intersunt, quod est honoris summi, eamobrem hoc sunt nomine appellati. Nisi malis, sic vocatos à vitæ innocentia, ad Canones, normamque exigendæ, quod enim nobis est regula, hoc Græcis est canon, *Hinc Canonica institutio* de qua fit mentio in cap. beneficium de regulis iuris in 6. qua voce, Iuris Canonici interpretes intelligũt collationem legitimam beneficii, secundum regulas Ecclesiasticorum decretorum, vt ex Dino liquet, in eodem sensu vsurpantur hæ loquendi formæ, *Canonica præscriptio, Canonicè procedere, Canonica monitio*, quibus significatur, seruatas esse leges, ab Ecclesia præscriptas, vt tam præscriptio valeat, quam monitio præmittenda censuris, & Canonica illatio cuius meminere Honorius & Theodosius in l. placet Cod. de sacros. Eccl. munus est ordinarium, quod habet certam præstationem lege impositam.

Ex his confici posse videtur non esse improbabile, Canonicos à Canone, id est regula, vel lege Ecclesiastica, cuius obseruatio illis curæ est, dictos esse Canonicos, fauet huic opinioni Iuo, in epist. 93. ad Galterium Ecclesiæ Stirpensis Præpositum sic enim ibi ille de Canonicis: *Ideo Canonici appellati, quod Canonicas regulas, vos velle obseruare, cæteris arctius denuntiastis.*

Vt vt sit de Canonicorum nomine, magna sanè eorum est dignitas, vt qui secundum Episcopum, primi sint, præstantiâ muneris quod in Ecclesia obeunt, ob quam causam cum solemniter proceditur, proximè ei adhærent, primum autem ab eo dignitatis locum sedendo obtinent in Synodis Diœcesis, nam Abbates, Priores, & alios præcedunt, Felin. in cap. Pastoralis n. 9. de Officio deleg. Paulus Piasecius parte 2. praxis cap. 2. art. primo num. 7. quod ipsum declarasse Gregorium eius nominis 13. cum postulatis satisfaceret Concil. Rhotomagensis prouincialis author est Genuensis in praxi cap. 89. quinetiam & Monachis præponendos esse Canonicos, dixere Cardinalis & Alex. in can. vlt. dist. 17. cœtum autem Clericorum, dignitate præstare tam Monachis, quam eorum contuberniis, quamuis populosissimis scripsit Glossa in cap. qualiter & quando de accusationibus, Boerius de auctoritate magni Consilij num. 14.

QVÆSTIO II.

An Canonici omnes sint vniusmodi.

ETiam me tacente notum est, vel mediocriter in rebus Ecclesiæ versato, Canonicatus nõ esse omnes vnius generis: eorum enim aliqui, præbendæ cohærent, alii minimè, de quibus fit mentio in c. cum cui c. si Clericus c. hi qui de præbend. in 6. Canonicatus qui non habent annexam præbendam, id est redditus annuos, creantur à Pontifice extra numerum. Canonicatuum duæ rursus sunt species, prima est eorum, qui designantur ac fiunt à Papa, ad habendam primo postea vacaturam præbendam, quę non debetur in eadem Ecclesia nisi Canonicis cap. dilect. de præb.

Altera species horum Canonicatuum, est eorum qui tantum sunt ad honorem, officium, personatum, seu dignitatem in Ecclesia, cuius dicuntur Canonici, Ancharanus ad cap. cum cui de præbend. in 6. sine vllo tamen proprio stipendio, vnde nomen eis factum est, Canonicorum honorariorum seu *in herbis*, vt loquuntur, quod eorum Canonicatui nulla adiuncta sit præbenda, cap. cum cui, cap. hi qui de Præbendis in 6. de quibus Rebuffus late Commentar. in Concordata tit. de reseruationibus initio.

Qui sunt his oppositi, appellantur Canonici præbendati, à Canonia illis commissa, cui annua obuentio, ex bonis Ecclesiæ (Præbendam alii nominant) est Episcoporum voluntate coniuncta, quæ duo ab inuicem seiungi posse, indicant verba Concilij in Concordatis, tit. de collationibus parag. primo, cum iubetur Ordinarius collator, conferre

conferre in Eccleſia Cathedrali, aut Metropolitana, Canonicatum, & Præbendam Theologalem inibi conſiſtentem Licentiato, aut Bacchalaureo in Theologia, nam ſi ſeparari nequeunt ab inuicem, Canonia, & Præbenda, quid eas hic fuit neceſſe copulatiue inngi?

Secundo, quia experientia conſtat, aſſignari de rebus Eccleſiæ ad vitam annuos prouentus, aliis quam Canonicis, vt Medico, Procuratori, Aduocato, Rebuff in Concordatis tit. de collationibus verbo altera Canonia, Bleyan. in Theor. tract. de reliq. ſtipendiis Eccleſiaſticis n. 4. differunt ergo Canonia & Præbenda, illa enim ius eſt ſpiritale percipiendi certos prouentus, in Eccleſia Collegiali, aut Cathedrali competens ob diuinum officium, cui Canonicus deſeruit cum ſtallo in choro & voce, ſeu iure dicendæ ſententiæ in Capitulo, Præbenda autem, vt admonet Alciatus annona eſt, quæ ob officium diſtribui ſolet beneficiatis & Religioſis, quos tamen conſtat, non eſſe Canonicos. Verum eſt tamen pro eodem apud authores claſſicos duo hæc nomina *Canonicatus & Præbenda*, ſumi ſolere, vt patet ex titulo de prębendis extra, & in 6. proprie tamen ſumpta differunt indicio eſt.

Primo, quod creare Papa ſoleat Canonicatus ad honores, quibus non ſit annexa præbenda.

Secundo, quod ſint aliquæ præbendæ temporales, quæ Laicis bene de Eccleſia meritis dantur, vt aduocato & Bidello Rebuff. in concord. rubrica de collation. parag. 1. verbo Canonicatum littera A.

Vt vt ſit conſtat Præbendatos Canonicos diuidi in eos qui ius habent ſuffragii in Capitulo, & eos qui illo carent, Priores dicuntur abſolutè Canonici. Poſteriores Aſſiſi & Manſionarii, opinor quod ex ratione propria ſui muneris choro ſemper aſſideant, ab Eccleſia nunquam aut raro diſcedant, aſſiſi enim quaſi aſſidui diuino cultui, vt nomen indicat, Gloſſ. in cap. cum ad hoc de Clericis non reſidentibus, & quia adſciti primo ſunt, ſupplendis Canonicorum muneribus, adſcititii aſcriptitiique dicti ſunt, Choppin. li. 2. Monaſti. tit. 3. n. 14. Manſionarii autem appellantur Zechio auctore cap. 24. ideo quod de reddditibus mensæ communis partem habeant, vt laboris ſui, operæque, in officio præſtando iuſtam mercedem.

Secundò præbendati diuiduntur in eos qui ius habent præbendæ in Cathedrali Eccleſia, & illos qui in Collegiali, illi nomen eſt à Cathedra vbi Epiſcopus reſidet poſteriori autem à Collegio, id eſt collectione plurium perſonarum Eccleſiaſticarum, quæ Eccleſiæ ſuæ curam gerunt Collegialiter, id eſt ſimul, collectiuè, & cum capite ſuo, qui communiter eſt Decanus.

Ad formam autem Collegii, requiritur primo, quod Collegium, ſit erectum, ab habente poteſtatem, lege final. digeſt. quid cuiuſque vniuerſ.

Secundo, vt tot ſint in eo Canonici, quot ſunt ad conſtitutionem Collegii neceſſarij.

Tertio, vt deputentur in eo ordines, & gradus, qui Eccleſiæ maieſtatem deceant eiuſdemque ſeruitio congruant, vt Subdiaconi, Diaconi & Sacerdotes.

Tertia, Canonicorum diuiſio, eſt in eos qui ius habent præbendæ integræ, & alios, quibus non datur niſi media, & horum aliqui ſtallum habent in choro, & vocem in Capitulo, cuiuſmodi Aureliis in æde ſanctæ Crucis Canonici ſunt duo, qui ad differentiam aliorum dicuntur Canonici Mamertini: Alii licet in ſuperioribus Cathedris ſedeant, locum tamen ſibi nullum ſuffragandi cauſa reperiunt in Capitulo, cuiuſmodi hominum ideam, ac exemplum ſuppeditat Syluanectenſis Eccleſia.

Rurſus diſtinguntur Canonici in ſæculares & Regulares, his locus eſt in Monaſterio, iuſque ſuffragij in ſuo, id eſt Cœnobij, non autem Cathedralis Eccleſiæ Capitulo, in qua etſi Canonicatu frui queant, vt Syluanecti, duo ſunt quorum alter S. Auguſtini regulam, Diui Benedicti profitetur alius, ſuffragari tamen cum cæteris Canonicis, eiſque cum de bonis mensæ communis, aut Eccleſiæ negotiis quæſtio incidit, adiungi nequeunt.

QVÆSTIO III.

Quid Canonici honorarij & aſciti differant ab iis qui ſimpliciter & abſolutè ſunt tales.

CAnonici aſcriptitij, differunt ab his qui ſimpliciter ſunt tales,

Primo, quod his abeſſe ex iuſta cauſa interdum ſit licitum, ex dicendis poſtea, quæ cum adeſt, ſtipendio ſibi debito, id eſt præbendæ fructu, non priuantur, cum illi, id eſt aſciti, quaſi glebæ addicti abire templo, ad quod ſunt aſcripti, vt diuina per ſe officia exequantur, non poſſint, quod ſi eos alio negotia ſua vocauerint, è beneficio commodũ ſperare nullũ poſſunt nedum conſequi, Fabric. de præbendis earumque fructibus, Zechius cap. 24. verb. rurſus Canonici. Choppin. lib. 2. Monaſt. titulo 3. art. 24. Louëtus littera C. art. 33.

Secundo, differunt, quod Aſcititiis & manſionariis in Capitulo locus ſit nullus ad dicendam ſententiam: nullus item nonnunquam in choro ſtallus, quæ duæ res Canonicorum ſunt propriæ, vt iudicatum eſſe à Senatu Pariſi. anno 1413. 20. Septemb. referunt Lucas libro 1. tit. 5. plac. 3. Papon. lib. 1. tit. 3. art. 1. memoratque Chenutius in decretis tit. 1. cap. 5. circa finem aſſiſios ſacræ capellæ Bituricenſis, iudicio Senatus a. 1543. cœtibus iis excluſos eſſe in quibus quæſtores Capituli, dati & expenſi, id eſt prouentuum communiũ, rationem reddebant, ſed eius rei notitiam ſolis eſſe reſeruatam Canonicis. Verùm quod de ſtallo dicitur, id eſt ſede obtinenda in choro, vniuersè non eſt verùm, nam qui ſunt huius generis, & modi, Syluanect. Aſſiſij, locum habent vt cæteri in Cathedris ſuperioribus quare cuiuſque Eccleſiæ ſpectanda eſt conſuetudo.

Tertio, differunt quod Canonicis ſua reſignare beneficia ſit conceſſum, non Aſcriptitiis & manſionariis ſine conſenſu Capituli, Fabric. tract. de reliquis ſtipendiis num. 16. & 17. ſub finem.

Quartò, quod Canonicorum perpetua ſint iura, quibus excidere, aut priuari, ſine ſua aliqua culpa non poſſunt, ex dictis tractatu de Beneficiis, non Aſſiſiorum, cum iis ad nutum Capituli, ſpoliari poſſe, declarauerit Curia Suprema Pariſiorum arreſto ſpeciali anni 1543. cuius exemplar extat apud Chenut. tit. 1. cap. 5. ſimiliter & ius iis ademptum eſſe reſignandi decreto eiuſdem Curiæ anno 1547. tradidit Papon. l. 1. tit. 3. arreſto 8. quod tamen in praxi ſeruare, mihi videtur eſſe admodum difficile, ſunt enim Aſſiſii beneficiati, ergo ius perpetuum poſſidentes, retinendi ſui beneficii, quo

priuari non possunt sine culpa aliqua sua præ- A uia.

Clarior est, certiorque differentia, quæ sequitur, nempe quod mansionarij dignitas, minor sit quam Canonici: ille enim, huius Vicarius est ac Capellanus vt sic loquar, & ad supplendum eius officium institutus, Fabric. modo citatus littera F. ad margin. hic autem, id est Canonicus, matricularij sit Dominus Chenut. in decret. tit. 1. c. 5.

Facilis hinc est solutio eius quæstionis, qua peti solitum est an Mansionarij proprie dicendi sint beneficiati. Et affirmans est Bleyan. de appellationibus variis stipendiorum, nu. 1. Choppin. lib. 2. Monastic. tit. 3. n. 3. in margine.

Negatiua Zechij cap. 24. Arnulphi Razæi in B tract. Regal. priuil. 15. Res est explicanda distinctione, nam si Adsciti tantum sunt ad præstanda diuina officia, sic vt functionis exercendæ spiritalis ac diuinæ, iure omni careant, quia titulum nullum habent, non erunt in beneficiariis reponendi, quia beneficium omne duo exigit, titulum, id est, ius officij fungendi, & redditus, ergo si Asciti iura nulla habent, si omni sunt destituti titulo, non sunt beneficiati, tales sunt Vicarij & Capellani Sacelli sacri apud Biturigas, tales habituati in Ecclesia B. Mariæ *D'orlhac*, quibus proinde non est suorum siue munerum, siue locorum permissa resignatio, Capitulo non consulto, quod si è contra, Mansionarij diuini cultus causa instituti erunt, sic vt Ecclesiastici prouentus, eis per modum beneficij dentur, non simplicis stipendij, vere dicendi C erunt beneficiarij. Tales sunt sempræbendæ duæ institutæ in Ecclesia Aureliorum principe quæ ad reliquarum differentiam nominantur, vt paulo ante dicebam Canonicatus Mamertini, tales & quæ Syluanecti existunt numero 4. quas qui possident, loco Canonicorum per integras hebdomadas solemnia Missarum peragunt, Euangelium legunt Epistol. canunt, Renat. l. 2. Monasticon tit. 3. n. 13.

Iam quid à vulgaribus Canonicis, honorarij differant est videndum; res erit ad intelligendum facilis, si quod illis negetur consuetudine, & Canonibus, ostenderimus.

Primò ergo, non sunt honorarij Canonici ab authoritate ordinarii exempti, etsi alij, quorum in D numerum Papæ benignitate sunt ascripti, eum solum pro superiore habeant, Ægid. de Bellamera consil. 21. apud Rebuffum tit. de reseruationibus in Concord. quia periculum esset, ne si hoc priuilegio Canonici honorarij gauderent, æquo maior foret numerus postulantium, se de Ordinariorum potestate eximi, quod eis, eorumque authoritati non parum obesset.

Secundò, non admittuntur in Capitulum, Fabric. tract. de titulo & intitulatione multiplici nu. 22. nec admissi, ius habent suffragij, Rebuff. de reseruationibus in Concordat.

Tertiò, carent quotidianis distributionibus, E Rota in decisione 26. de præbendis alias 445. ne quidem si fructus aliqui sint residui, Fabric. loco citato num. 22. Excipiendus casus, in quo ex patientia aliorum sedissent in choro, suffragati fuissent in Capitulo, diurnas obuentiones aliquoties recepissent, nam tunc in eorum communionem vocandi essent, vt iudicatum esse Gratianopoli, contra Capitulum sancti Mauritij Viennensis, pro Guillelmo Palmerio scripsit Marcius in prima parte decis. q. 19.

Quartò, collatum sibi Canonicatum, nec resignare, nec permutare possunt, nec super eo ordinem recipere, quia resignatio quemadmodum & permutatio non sunt nisi rei veræ, & extantis, id est beneficij, at Canonicatus honorarius, non est beneficium, cum ei nulli sint adnexi redditus, cum iure spiritualis ministerii.

Secundo est de ratione permutationis, vt extrema permutata eadem numero maneant etiam in beneficialibus, vt dicitur in toto tit. de rerum permutatione, at id accidere hic non potest, cum ab honorario nil ad compermutantem transeat.

Quintò, Canonicus qui tantum est nomine tenus talis, vt sunt honorarij præceditur ab aliis Canonicis præbendam habentibus Dominicus ad can. Episcopus dist. 27. Pet. Greg. partition. lib. 1. tit. 27. cap. 4.

Sextò, Canonicus honorarius dari non solet à Papa aut eius Legato iudex delegatus, Greg. ibid.

Septimò, non habet beneficium cap. in nostra de rescriptis, quare si nouum aliquod impetret, non tenetur de eo Canonicatu mentionem in litteris impetratoriis facere, Rebuff. de reseruation. in Concord.

Octauò, non tenetur residere, nec officio & horis interesse, quia officium fit ob beneficium cap. fin. de rescriptis, ergo cum beneficium Canonicus iste nullum possideat, nec officij ac horarum lege tenebitur, Rebuff. supra.

QVÆSTIO IV.

De Canonicorum ætate & aliis eorum qualitatibus.

AD Canonicatum admitti nemo debet nisi qui ex legitimo natus est matrimonio, vt fusè est probatum tract. de beneficiis, vbi iis excludi illegitimos legibus Canonicis, ostendere me memini. Ex dispensatione tamen Episcopi, illegitimis locus esse potest in Collegiali Ecclesia, Cathedrali autem nullo modo. Zech. cap. 24. Laym. lib. 4. trac. 2. cap. 14. Rebuff. in praxi benefic. titulo de dispensat. in defectu natalium.

Ad cuius rei plenam intelligentiam aduertere placet.

Primò, illegitimis id est ex coitu viri & fœminæ damnato natis, beneficia neganda esse, quod à ratione abhorrere Pontifices Romani crediderint, vt qui macula tam turpi, fœdaque notati essent, magistratum in Ecclesia gererent, olim quidem iis non modo ad Synagogę regimẽ & honores intercluſus erat aditus, sed etiam ad ministeria, quamlibet infima ac vltima. *Non ingredietur mamzer, id est de scorto natus, in Ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem*, Deuteron. 25. ergo ne Synagoga, id est lege antiqua, lege Iudaica, Christi Religio, id est, nostra, zelo castimoniæ, videretur inferior, Pontificibus visum est è re tam sua esse, quàm communi Ecclesiæ, parentum vitia in liberis eorum submotione à sacris plectere, vt fecisse eos est certum ex titulo de filiis Presbyterorum.

Secundò notare placet, ad Tonsuram, & Ordines Minores. Episcopum dispensare posse cum illegitimo, Less. lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 18. consequenter ad beneficia simplicia quibus Ordo sacer non est annexus, Rebuff. supra nu. 10.

Nisi forte ea pater immediate ante possederit: *Vt enim paternæ intontinentię memoria à locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet,*

Digitized by Google

longiſſimè arceatur, ſtatuit Concil. vt non liceret filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio in Eccleſiis, vbi eorum Patres, beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerint, quodcunque etiam diſſimile beneficium obtinere, Trident. ſeſſ. 25. cap. 15. valetque hæc conſtitutio in filiis Presbyterorum, qui ex fornicatione nati ſunt ante Clericatum, non in nepotibus Laym. ſupra nu. 5. Garcias par. 7. cap. 1. num. 15. quia appellatione filiorum in materia odioſa, non comprehenduntur nepotes, ſicuti docet Barth. in leg. liberorum dig. de ver. ſignific. hoc poſito.

Dico primo, *Epiſcopum poſſe diſpenſare cum illegitimo, ad ſimplex beneficium*, eſt Doctorum omnium, quia tale beneficium, in eo à quo poſſidetur alium Ordinem non exigit neceſſario, quam Minores, aut Tonſuram, ad quam diſpenſat Epiſcopus.

Dico ſecundo, *Illegitimum cum diſpenſatione Epiſcopi obtinere poſſe Canonicatum in Collegiali Eccleſia, non autem in Cathedrali.*

Partis primæ, hæc eſt cauſa quod Canonicatus, ſimplex ſit beneficium, ſed ad tale diſpenſare poteſt Epiſcopus cum illegitimo, vt patet ex cap. 1. de fil. Presby. in 6.

Secundo, cauſa cur Epiſcopus diſpenſare nequeat cum illegitimo ad Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ eſt, quia diſpenſare non poteſt ad Ordines ſacros, quorum capax eſſe debet Canonicus in Cathedrali Eccleſia, cuius beneficia omnia, ſacris ſunt adiuncta ordinibus ex Tridentini lege ſeſſ. 24. cap. 12. de reform. quod de Collegiatæ Eccleſiæ Canonicatibus dici nequit, cum eius nulla fiat ibi mentio, quare cum in odioſis, verba in proprio ſuo ſenſu ſint accipienda, & Cathedralis Eccleſiæ nomine, non intelligatur Collegiata, de illa tantum conſtitutio Concilij capienda erit, & non de Collegiali.

Pars aſſertionis altera, quæ eſt de Canonicatibus Cathedralis Eccleſiæ, ad quos admitti illegitimus Epiſcopi benignitate non poteſt, Patronos habet, Rebuff. loco ante citato, Laym. tract. 2. cap. 14.

Et probatur primo, quia ob eius honorem & præeminentiam vt loquitur Rebuff. num 12. non expedit ad eam admitti alios, quam natalibus virtuteque ſuâ conſpicuos.

Secũdo, ſtatuto Patrum omnibus Canonicatibus Cathedralis Eccleſiæ adiunctus eſt Ordo ſacer, in quo cum diſpenſare nequeat Epiſcopus, mirum eſſe non debet, ſi cum illegitimo diſpenſare non poſſit; vt ad Canonicatus prædictæ Eccleſiæ ſit idoneus. Si tamen & conceſſum eſſet à Põtifice, aut eius Legato, ſacris Ordinibus initiari poſſe, etſi per hoc non cenſeatur ad beneficia diſpenſatus, accedente tamen Epiſcopi voluntate ac indulgentia ad Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ admitti poſſet niſi repugnaret conſuetudo Eccleſiæ, Laym. li. 4. tract. 2. cap. 14. n. 3.

Legitimitas ergo vt ſic loquar prima eſt Canonicorum qualitas: Secunda eſt debita ætas, quæ pro omnibus ſimplicibus beneficiis & Canonicatibus debet eſſe ſecundum Trid., annorum 14. inchoatorum ſeſſ. 23. cap. 6.

Deinde in quibus locis Concil. eſt receptum, non alii eſſe poſſunt Canonici, quam qui intra annum futuri ſunt capaces eius Ordinis, quem collatus iis Canonicatus exigit, Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. Leſſius & Reginaldus de beneficiis dubio 1. de ætate ad beneficia requiſita.

Itaque qui eius generis Canonicatum ambiret, aut deferri ſibi ab Epiſcopo in iis locis ſineret, cum intentione non ſuſcipiendi Ordinis, aut reddendi ſe habilem intra tempus iure requiſitum peccaret mortaliter, in ſententia Nauar. cap. 25. num. 118. Emm. Sa ver. Beneficium num. 30. Rodrig. to. 1. ſum. cap. 30. concl. 5. ratio eſt, quod qui miniſterium ſibi aut officium, vltro ac ſponte depoſcit, cui aliqua eſt adiuncta obligatio, vt debet eo dignè ac laudabiliter defungi, ita & ea facere omnia, ſine quibus, impar erit ſuo muneri, hac enim lege duntaxat, & non alia ei committitur, quare cum officium non præſtat, fallit fidem, pactaque conuenta quæ inter committentem illi tale munus, eumque tacite intercedunt violat, proindeque non ſine culpa, eáque grauiſcum ea impleri vtriuſque interſit, idque plurimum.

Ei tamen non eſt fructuum quos percepit imperanda reſtitutio.

Primo, quia cum Canonicatus ei validè à ſuo ac legitimo collatore fuerit datus, illius quoque fuere obuentiones, fructuſque quos protulit.

Secundo, quia ius Canonicum, ob defectum intentionis ſuſcipiendi Ordinis ſacri intra tempus requiſitum, eumque verè non ſuſceptum, alios non priuat receptis fructibus, quam Parochos: non eſt ergo talis pœna communicanda cum aliis.

Sane in Gallia, aliiſque Prouinciis vbi Concilio, eiuſque decretis non eſt locus, quod inibi publicata ac recepta non fuerint, ſufficit pro Cathedralibus attigiſſe annum 14. completum, Rebuff. de pacif. poſſeſſ. num. 209. pro Collegiatis decimum Fabric. tract. de beneficiis Cathedralis & Collegiatæ Eccleſiæ num. 19. & 41. minorem quoque ætatem ſufficere ad beneficia Collegialis Eccleſiæ, Zechius innuit cum cap. 14. de Repub. num. 3. ea ait ſimplici Clerico conferri poſſe, ergo minori decenni, cum anno 8. imo & ſeptimo poſſit quis per Tonſuram Clericus fieri.

Addo inſuper non deeſſe, qui puerum ea ætate, aut ſaltem duodecimo eius anno, dixere Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ capacem eſſe. Eſt in his inter cæteros Ancharanus in cap. ex inſinuatione extra de Simonia, cuius opinioni ſecundans præcedenti proximè ſæculo Neuſtriæ Senatus, decenni adoleſcenti Canonicatum ſuffragio ſuo in Cathedrali Metropolitana Normaniæ ann. 1599. addixit: Decreti quo tùm mentem ſuam ſuper ea re explicuit, meminit Forgetus tract. de iure Regal. nu. 28. & 29. Beneficii autem ſimplicis capacem eſſe in Gallia, ac etiam Canonicatus in Cathedrali, qui annum ſeptimum attigit, ſcripſit Ruzæus priuilegio 24. Regal. Graſſalius lib. 2. Regal. cap. 1. ſpeciali 5. Guimerius in Pragmatic. titulo de collationib. parag. cenſuit in verbo Cathedralib. Rota deciſione 17. alias 314. ſub titulo de reſcriptis, Fabricius de beneficiis Cathedral. Eccleſiæ nu. 19. Laym. lib. 4. tract. 2. cap. 14. num. 4. *Iure antiquo*, inquit, *completa ſeptennij ætas ſufficit, qua de re Abb. in cap. ſuper inordinata de prabendis in 6. Rebuff. titulo requiſita ad collationem nouam, num. 36. Henriq. l. 10. c. 19. de benefic. Lalius cap. 3. Garcias parte 7. cap. 4. de beneficiis niſi in fundatione beneficij, aliter cautum ſit, id enim ſeruari debet.* Hæc ille, ex quibus ſic argumentari licet.

Lex Concilii cum non ſit publicata ab Epiſcopis nec recepta à populis, non obligat in Gallia, ſed ea tantum quæ antiqui ſunt iuris, ergo cum Concil. Tridentini nouo tantum, ſint ad Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ, admouendi qui annum ætatis expleuere quartum decimum, Gallia

qui eo non vtuntur, nec tenentur, liberum erit antiquum sequi, & sic aspirare ad prædictæ Ecclesiæ beneficia, in minori ætate quam Conc. exigit. Qua de re sic Glossa ad regulam 17. Cancel. *Licet præbendæ, beneficia sint simplicia, quæ anno 7. haberi possunt, tamen animi iudicium requirunt, fallit si super ætate ab Episcopo dispensatum fuerit*, quod eum posse facere Panormitani est opinio, in cap. super extra de præbend. Hostiensis in cap. 2. extra eod. titulo & Louëti littera E. n. 1.

Quæ quanquam sint in conscientiæ foro verissima, nihilominus, quæ est Iudicum nostratium, coniuncta cum prudentia probitas, vix admittendum credunt ad Canonicatus Cathedralis Ecclesiæ minorem annis 14. ad Collegiatæ, qui annum non attigerit decimum, quam ætatem ad eos tamen sufficere, habent tam regula 17. Cancellariæ, quam hi auctores Ruzæus de iure Regal. priuileg. 24. in fine Ruffignac. de re Sacerdotali lib. 3. tit. 1. Rebuff. in praxi benefic. par. 2. titulo de dispensat. ratione ætat. Tournetus in arrest. littera A. n. 2. Molinæus in regul. de publ. resign. n. 37.

Excipiendus est casus, in quo ageretur de præbenda à Rege collata iure Regaliæ, eo nempe tempore quo Episcopatus vacat, nam ab eo septenni datam non reuocat, aut infirmat Curia, sed calculo suo, iudicioque ratam habet, vt decisum fuisse per arrestum in persona Ioann. de Cossiaco, 18. April. anni 1588. narrat Tourn. littera A. num. 2. causa est quod *Rex tum sit loco Papæ, iuraque dispensandi omnia ab eo habeat in consequentiam iuris Regaliæ*, inquit hic auctor, quo de priuilegio. Certi nihil habeo præter vsum, regnique praxim, quam concessione Papæ niti, vt à culpa omni sit libera, mihi non est improbabile.

Iure tamen nouo, id est Tridentini Concil. sess. 24. cap. 12. decretum est primo vt dignitatibus curam animarum habentibus, nemo in Dei Ecclesia fruatur, qui 25. annum ætatis non attigerit, iuxta constitutionem Lateranensis Concilij quæ incipit, cum in cunctis parag. inferiora de electione quod si ea cura carent, cuiusmodi sunt dignitates quædam & personatus qui eas possident annorum esse debebunt viginti duorum completorum secundum Less. num. 108. Laym. cap. 14. num. 2. quos tamen inchoasse in opinione Emm. Sa ver. beneficium n. 31. sufficit.

Secundo, statuit ibi Concil. vt non alius eligatur in Archidiaconum, quam qui est Magister in Theologia, Doctor aut Licentiatus in iure Canonico.

Tertio, vt nemo ad Canonicatum censeatur idoneus, qui non fuerit eo ordine initiatus, quem præbenda ei concessa exigit, aut eiusmodi qui per ætatem ordinem eum possit intra annum à die obtenti Canonicatus recipere, quare cum in Ecclesiis Cathedralibus omnes Subdiaconi esse debeant, eiusdem Concilij decreto, sequitur neminem in iis Canonicum esse posse qui non sit assecutus eam ætatem quæ ad Subdiaconatum requiritur, aut assecuturus intra annum à die acceptati Canonicatus, & ita ante annum 21. Cathedralis Ecclesiæ, lege Concilij Canonicum esse nullum posse: verba Concil. sess. 24. cap. 12. sunt ista. *Neminem deinceps ad dignitatem & Canonicatum recipiant, nisi qui eo ordine sacro sit initiatus, quem illa dignitas, aut præbenda requirit, aut in tali ætate, vt infra tempus à iure, & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat.*

Tertium, quod est ad Canonicatum necessarium est Clericatus, quia sine Tonsura, beneficii capax esse nullus potest cap. cum adeo 17. de rescript. & cap. ex litteris 6. de transactionib.

Quarto, *Hortatur sancta Synodus vt in prouinciis, vbi id commode fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis & Collegiatis, insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, vel Licentiatis in Theologia vel iure Canonico*, Tridentin. sessione 24. cap. 12.

QVÆSTIO V.

An Canonici in Episcoporum iure sint ac potestate.

DE antiquis Canonicorum cœtibus disputatio institui nulla potest, cum id Concilia Patresque definiant.

Primo enim in Concil. Moguntino can. 91. monentur Canonici, *Vt nihil sine licentia Episcopi sui facere præsumant*, & in can. 6. habetur, *prouidendum esse, vnicuique Episcopo qualiter Canonici viuere debeant*, in Chalcedon. autem can. 8. dicitur quod *Clerici Parochiarum & Monasteriorum, & martyriorum, sub potestate Episcoporum vrbium sint, iuxta sanctorum Patrum traditionem*, facere id vero Episcopus nec potuit, nec debuit, si potestate in eos omni caruit, ergo Canonici Episcopo quique suo, priscis Patrum sæculis suberant.

Vt mutata modo sunt tempora, ita & illius æui facies, rari enim iam sunt Episcopi, rari in Ecclesia, Gallicana maxime, qui & cœtum tenere in Capitulo, & coactum possint dissoluere, suis enim legibus reguntur Canonici, non Episcopi, si quid peccant, commissi pœnam luunt non Episcopo, sed iudici, à Capitulo constituto. In summa ius Canonicis dicere, de eorum peccatis quæstionem exercere in multis Galliæ Ecclesiis Episcopus non potest, quod eos olim Romani Pontifices, cum ministris Cathedrali templo operam nauantibus, à iuridica potestate suorum Antistitum, liberauerint, quo beneficio gaudere se aiunt Ecclesiæ Cœnomanensis, & Cathalaunensis Belgicæ Campaniæ, Parisiensis & Lemouicensis, eiusque immunitatis authorem citant Clement. eius nominis VII. Clementem V. & Alexandrum III. qui cum à Canonicis Parisiensibus anno 1165. circiter magno honore, festaque pompa exceptus esset in Lutetiana eorum æde principe, ac inde, vrbe spectante, deductus in Episcopi regales ædes, quas quandiu Parisiis substitit magna sua voluntate incoluit, credidit, eius cultus, ac honoris memoriam perpetuam esse oportere, in aliquo suo erga eos beneficio, quale esse voluit, eorum ab Episcopali foro, imperioque plenam vacationem, à Clem. item V. postea concessam Pictauiensi Ecclesiæ, id est anno 1307. *Excepto*, inquit Clemens in Pontificio suo diplomate, *quod si in Episcopum, vel familiares, & in suos deliquerint, erit cognitio Episcopi, vel si beneficia extra Ecclesiam Pictauiensem tenent, subsistentur Episcopo, quantum ad illa beneficia, si Decanus, & Capitulum, neglexerint iustitiam facere, ad Metropolitanum deuoluitur iurisdictio, vel si Decanus aut Capitulum tanquam Capitulum delinquerent, aut contraherent.*

Nunquam non tamen ad Episcopum pertinet, quando in peccata Capitularium, iure, vel con-

Digitized by Google

ſuetudine, Capitulo, licitum eſt animaduertere, nũquamnon ſpectat (inquã) ad Epiſcopum, Decanũ, & alios, ſi qui forte ſint præter eũ in Capitulo quibus ſit omnium voluntate ac nomine cura cõmiſſa corrigendi Canonicos, ad Epiſcopum inquam ſpectat eos admonere officij ſui, ac ſi quid forte in eo delinquerẽt, certum iiſdem tempus præſtituere, quo tempore, ſi officium non præſtabunt, tum ipſe per ſe Epiſcopus, in peccantes, honeſte ac ſine culpa, aculeos æquitatis ſuæ eriget, vt in capite irrefragabili 13. de officio ordinarij, præcipit Innoc eius nominis tertius, his verbis: *Exceſſus Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ, qui conſueuerunt corrigi per Capitulum, per ipſum, in illis Eccleſiis quæ talem habuerunt conſuetudinem, ad commonitionem & ſuſtionem Epiſcopi corrigantur, intra terminum competentem ab eo præfigendum, alioquin ex tunc Epiſcopus vt animarum cura requirit, per cenſuram Eccleſiaſticam corrigere non poſtponat.*

Poteſt enim Epiſcopus ſuppliere negligentiam Capituli, & alterius cuiuſlibet inferioris, habentis iuriſdictionem in ſua Diœceſi? Abbas in cap. irrefragabili citatum, Piaſecius praxis Epiſcop. par. 2. c. 3. art. 2. n. 23.

Aduertere hic lubet non obſtante hac ſolutione Epiſcopalis imperij in Canonicos per Pontificem, poſſe tamen Epiſcopum, quoties de Eccleſiæ commodis agitur, ac debito principi obſequio, Capitulum ingredi, Concionatores idoneos templis dare, irrequiſito Canonicorum ſuorum Collegio, quod Choppin. de ſacra politia lib. 1. tit. 5. n. 8. Curiæ decreto confirmatum fuiſſe ait anno 1564. orantibus pro Epiſcopo Cathalaunenſi Vilcotio, pro Canonicis Montholonio.

QVÆSTIO VI.

Quæ & quantæ ſint Canoincorum Obligationes hoc tempore.

PRimo, in Eccleſia reſidere ac ſuo ipſe beneficio Canonicus præſens eſſe debet, ſolitaque in eo exhibere miniſteria, cuiuſmodi ſunt, intereſſe Capitulo, rem tueri communem, cura, ſtudio, ſuffragio, cuius, hi ſoli ius habent è Canonicis, qui ad ſacros gradus ſunt promoti. Diaconatus, Subdiaconatus, Presbyterij in Clem. II. de ætate & qualitate, Trident. ſeſſ. 22. cap. 4. eo carent Archidiaconus, & Primicerius, cum præcisè quà tales non interſint Capitulo. Abbas in cap. cum olim de re iudicata num. 7. & 8. quia Capitulum non aliis conſtat quam Canonicis, at in dignitate poſiti, vt Archidiaconus, & Primicerius, ac in Cathedralibus præbendæ fructum poſſidentes vt Aſſiſij, Canonici non ſunt, ſunt hi ergo ab eo excludendi vt verè excluſi ſunt ipſo iure.

Quod autem Canonico à beneficij ſui loco abeſſe non ſit integrum, Trident. verba indicant, *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis, vltra tres menſes ab Eccleſiis ſuis abeſſe, quolibet anno*, Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. in quo iuri antiquo nouum hoc Concilij eſt perquam ſimile, cum in tit. de Cleric. non reſidentib. cap. 4. & in cap. conquerente 6. eiuſdem tituli, eos Alexand. III. beneficio priuandos aſſerat, qui in eo non reſident, aut reſidere ſe velle negant.

Eſt autem hæc obligatio per ſe ad mortale in Canonico, ratio eſt, quod culpæ grauitas æſtimari debeat à pœna, qua plectuntur eius conſcij, at grauis in Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. Canonico imponitur abſenti à beneficio, nam primo anno debet priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ ſuos fecit.

Secundo vero, omnibus quos illo anno lucratus fuerit, quæ Concil. ſanctio, diſpoſitionem continet ſententiæ ferendæ non latæ, ſecundum Leſſ. li. 2. cap. 34. dub. 29. num. 162. Quid? quod Innoc. III. ſtatuit in cap. ex tuæ 11. de Cleric. non reſident. vt qui abeſt à loco ſui beneficii, primo citetur ab Epiſcopo. *Etſi ad ipſum non valeat citatio peruenire, tunc citationis edictum publicetur, cui ſi non paruerit iuxta Canonicas ſanctiones Eccleſia ſua ſpolietur?* quod abſentem, velit ad reſidendum cogi poſſe per ſententiam excommunicationis & ſuſpenſionis? quæ duæ res indicant haud dubiè, Canonicum ad reſidendum teneri ſub mortali.

Negandum tamen non videtur. Primo, hæc Innoc. Alexandri & Tridentini decreta, in multis Eccleſiis recepta non eſſe. Equidẽ auctores ſunt P. de Nau. l. 2. cap. 2. n. 201. & 219. Garcias par. 3. cap. 2. Laym. lib. 4. tract. 2. cap. 6. num. 2. conſuetudinem inualuiſſe nonnullibi, vt qui vno certo die reſident, & diuinis interſunt officiis, totius anni redditus lucrentur.

Secundo eſt & hoc certum, Canonico eſſe poſſe cauſas non reſidendi legitimas, Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. quatuor nominat Chriſtianam caritatem, debitam obedientiam, vrgentem neceſſitatem, euidentem Eccleſiæ & Reipub. vtilitatem, *Dat etiam*, vt habet Bonifac. VIII. decretalis vnica de Cleric. non reſidentib. in 6. *veniam excuſationis legitimæ infirmitas, & rationabilis corporalis neceſſitas.*

Quinetiam & conſuetudine ſaltem immemoriali nonnullibi obtinuere Canonici, vt à beneficio abſint ſine culpa, *Quia conſuetudo*, verba ſunt Nauar. conſil. 21. de Cleric. non reſidentib. edit. 1. *temporis immemorialis, æquipollet priuilegio, & quidquid priuilegio induci poteſt, idem & conſuetudine, at priuilegio Papæ induci poteſt, vt aliquis Rector Eccleſiæ Parochialis non teneatur exercere curam per ſemetipſum, ſed tantum per alium.* Ita in multis Eccleſiis non teneri Canonicos ſimpliciter reſidere, ſed ſub conditione ſi fructus præcipere velint docet, Laym. cap. 6. lib. 4. tract. 2. quod neque à ratione, neque à iure alienum eſſe teſtatur Innoc.

Excuſant etiam Canonicum à reſidendo negotia ſuæ Eccleſiæ vel Reip. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. & Pontifex in decretali ad audientiam & in cap. ex parte de Clericis non reſidentib.

Poſtremo licet abeſſe Canonico, cum eſt in Epiſcopi ſeruitio, Canones enim ei permittunt ſuos ſibi aſciſcere comites è Cathedrali cap. de cætero, & cap. ad audientiam de Cleric. non reſidentibus, non autem ex Collegiata, Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 6.

Secundo, cauere Canonici debent, ne ad Dignitates, Præpoſituras aut Canonicat⁹ viã ſibi prãdio aut pecunia muniant, vt enim hoc poſtremum eſt Simoniacũ, c. quoniã & c. veniẽs de Simon. ita & deductiones ex beneficii fructibus, donatiua, iucundos ingreſſus, à Neocanonico exigere eſt malum Alexand. II. teſtimonio ad Lucenſ. Epiſcop. vt refertur 1. qu. 3. can. ex multis, ea ſane omnia vt Simoniaca damnat Gregorii IX. decretalis 44. cui initium *Iacobus Canonicus*, noſtra autem ætate

Pius V. in Constitut. 104. quæ incipit, *Dorum nimis*, Concilium præ omnibus, sess. 24. cap. 14. his verbis: *Sancta Synodus mandat Episcopis vt ingressus eos qui Simoniacæ labis aut sordidæ auaritiæ suspicionē habent, fieri non permittant.* Equidem Pictauiensis Ecclesiæ decretum rescindere Senatui Paris. placuit quo cauebatur, vt Canonicus in familiam Canonicorum S. Hilarii coopcatus, aureos 40. vel vnius anni redditus Capitulo penderet, ad reparationem fabricæ, vt ex Autherio scribit Rebuff. in concord. titulo de reseruationibus parag. in Cathedralibus, quia id est Simoniacum cap. veniens 19. & cap. quoniam 40. de Simonia can. ex multis 44. causæ primæ quæst. 3. hoc enim est spirituale id est ius obuentionis annuæ pretio emere, quod iura tam humana quam diuina prohibent.

Excipiendus est casus, in quo consuetudo pridem solita, secus in Ecclesiis fieri, Episcopo sciente, nec tamen renitente obtinuit, hanc enim Lælius de Canonic. cap. 24. tolerandam asserit. Sanc Innoc. III. in decretali ad Apostolicam 42. de Simonia, Laicos reprehendit, *Quod laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam introductam, pia deuotione fidelium, ex fermento hæreticæ prauitatis niterentur infringere, sub prætextu Canonicæ pietatis.* Quare vsus Galliæ habet certis vt in locis prandio Canonici & Capellani excipiantur à Canonico recens admisso in eorum numerum, quem vsum Bellamera improbandum non esse scripsit in consilio 31. & Curia Parisiens. arresto anni 1536. de quo Rebuffus supra, quo loco scribit Episcopo Andegau. & aliis dignitatibus in more esse, dare per modum annui redditus Canonicis & Capellanis, diebus festis maioribus consueta prandia.

Quæres, *Ecquid non sit Canonico licitū spretâ parte fructuum, quæ sibi si adesset, danda foret, vt operæ suæ stipendium, eaque relicta Canonicis, qui choro interfunt, Deique laudes occinunt, deferre officium, ac sine culpa abesse tam domo, quam choro.*

Respondendum est non esse, primò, quia hoc esset diuinum cultum è templis proscribere, hoc pietatem in hominum animis extinguere, fac enim hoc vni permissum esse, cur non idem allument sibi quoque cæteri? cur diuitiis fructibus neglectis, vrbem ac templum aliorum more non deserent? quod si id illis erit impunè, mœrebunt templa, tota breui confecta senio, oppressaque silentio lugebit Ecclesia.

Secundò, cum residere in Ecclesia sua Canonicis sit necesse, ab ea recedendi ius obtendere nullum possunt, inconsulto Episcopo, at lex residendi duo complectitur, primum, interesse per se in Ecclesia cuius est membrum, alterum per se ea exequi quæ sunt officij. Residere enim Godefredo definiente, *nihil est aliud quam personaliter soluere proprium officium in proprio beneficio*, ergo sicut Canonici per alios, choro præsentes esse nequeant, ita nec psallere, in quibus locis necdum vsus inualuit vt voce demissa officium recitent.

Quæres 2. *An peccent Canonici, cum per substitutos, in locis vbi est consuetudo, officium diuinum faciant.*

Respondeo non peccare, ita Less. lib. 2. cap. 34. dub. 33. num. 186. ratio est, quod parere legi, non possit meritò vlli dari crimini, sed consuetudinis quæ est præscripta, vis est eadem, quæ præcepti ac legis: ergo cum est consuetudo in aliqua Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, faciendi officij per Cantores, aut Vicarios, culpa in Canonicis nulla est futura, si ad id eorum vtantur opera.

A Tenentur tamen Episcopi, aut alii qui iurisdictionem in Capitulo obtinent, connixi vt eo per se defungantur, sicut eis Concil. præcipit: *Omnes verodiuina per se*, verba sunt Concil. *& non substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere & inseruire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis, Dei nomen reuerēter, distincte deuoteq; laudare.*

Quæres 3. *An prætermisso cantus in choro Canonicum priuet suis fructibus.*

Respondeo, *Canonicum extra chorum orantem, fructus suos non perdere*, causa est quod per leges Ecclesiæ statutaque Concilii Lateran. & Pij quinti diploma Pontificium non alii iis excidant quam B qui non orant.

Secundo, fructus non debentur Canonico ob solum cantum, sed etiam ob alia ministeria ac officia, quę absens à choro obire potest.

QVÆSTIO VII.

Ad quid præterea tam iure nouo quam veteri teneantur Canonici.

IN primis diuinis officiis in choro interesse Canonicus debet, nisi eum excuset consuetudo contraria, alioqui priuatur distributionibus quotidianis per cap. vnicum de Clericis non residentibus in 6. confirmatum à Trident. sess. 24. cap. 12. & receptas tenetur restituere ex Regin. lib. 10. tract. 1. num. 55. Azorio 2. parte moralium lib. 7. cap. 7. cum Couarruuia 3. variarum cap. 13. etiam ante omnem sententiam si fides est, Nau. li. 3. consil. consilio 13. de celebr. quia in consilio dicitur expresse absentem à Capitulo & choro earum distributionum dominium non acquirere, at res alienæ, quales sunt eæ, quarum dominium non acquiritur, ante omnem sententiam sunt restituendæ Domino suo: ergo & distributiones. C

Sunt tamen casus in quibus absenti non sunt negandæ. D

Primus est, cum Archidiaconus aut alius in dignitate constitutus, auocatur à choro vt officio suo fungatur, nisi contrarium habeat consuetudo, Lælius de Repub. cap. 24. n. 6.

Secundus est, cum Canonicus confessiones excipit, aut Parœciæ suæ interest, quæ Canonicatui adiuncta est, quo tempore diuina in choro peraguntur, cui interesse eum oportebat, vt Trid. sess. 24. cap. 8. expresse de pœnitentiario publico memorat.

Tertio, distributiones sunt debitæ infirmo cap. vnico de Clerico non residente in 6. nisi ægritudo, eum sineret facile fungi officio, quod tamen per incuriam facere negligit. E

Quarto, nec sunt negandæ distributiones, id est, annonæ diariæ, gerenti negotia Ecclesiæ, cap. ex parte 2. de Clericis non residentibus.

Quinto, nec iniustè suspenso aut excommunicato, Caldarera consil. 7. de præbendis.

Vltimo, nec studioso academico cum Episcopi facultate extra vrbem agenti, si præter eas nihil sit in Canonicatu quod præbendæ locum teneat, Lælius de Rep. Ecclesiastica cap. 24. dicto 3. num. 6. quod censuisse quoque Congregation. Cardinal. refert Quaranta in summa, Bullarij verbo residentes, dempta tamen parte dictarum distributionum tertia, quæ seruientibus accrescit.

Tertio, debet Canonicus profiteri fidem, ac in ea ſpondere æternam cum Dei auxilio perſeuerantiam Quæ fidei profeſſio eſt facienda in manibus Epiſcopi, aut eo abſente Vicarij, idque intra duos menſes à Canonicatu ſibi collato; ſecus iiſdem pœnis plectendus erit quibus Parochus ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 12.

Quarto, tenetur obedire Epiſcopo, à quo puniri quoque poteſt, ſi reus eſſe criminis alicuius conuincitur, niſi forte eſſet dictus Canonicus cum ſuo Capitulo, ab eius poteſtate exemptus, quo beneficio cum fere omnes Galliæ Canonici fruantur, ſolius eſt Capituli de eius erratis cognoſcere, eaque iuſtâ ſuâ meritâque pœna plectere, de qua re admoneri debet ab Epiſcopo eique deſigneri terminus, extra quem non ſit proroganda correctio, ac ſi intra tempus præfixum, Capitulum pœnas de nocente debitas non repetierit, poterit in eum Epiſcopus auctoritate propria animaduertere, vt eſt in decretali irrefragabili 13. de officio iudicis Ordin. his verbis: *Exceſſus tamen Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ, qui conſueuerunt corrigi per Capitulum, per ipſum, in illis ipſis Eccleſiis, quæ talem hactenus conſuetudinem habuerunt, ad commonitionem Epiſcopi corrigantur intra terminum competentem ab eo præfigendum, alioquin Epiſcopus ex tunc, ipſos vt animarum cura requirit, per cenſuram Eccleſiaſticam corrigere non poſtponat*: ad Epiſcopum enim pertinet ſupplere negligentiam Capituli, & cuiuſlibet alterius Prælati inferioris in ſua Diœceſi, Piaſec. in praxi Epiſcop. parte 2. cap. 3. art. 2. num. 23.

A B C D E

QVÆSTIO VIII.

An Canonicus obligetur ad horas.

PRima Aſſertio, *Tenetur lege Eccleſiæ Canonicus, preces præſcriptas maiorum Ordinum Clericis, ex ritu ſacro attentè decurrere, ac denotè.*

Prima, obligationis huius principia tam à conſuetudine omni memoria priore, vt habet Laym. l. 5. tract. 2. cap. 5. num. 1. quam à Lateran. Concilio ſunt petenda, in eius enim ſeſſione nona paragr. ſtatuimus eſt his verbis: *Statuimus, & ordinamus, quod quilibet habens beneficium cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes, ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos, pro rata omiſſionis officij, & temporis, ſed eos tanquam iniuſtè perceptos, in fabricas Eccleſiarum huiuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur*, quam conſtitutionem renouauit & explicuit Pius V. in Bulla de anno 1571. vt ſcribit Flauius Cherubinus in Compendio Bullarij tom. 2. Bulla 235.

Aſſertio 2. *Adeum fructus integri ſui beneficij non pertinent, cum in horarum recitatione officio ſuo deeſt ac muneri*, non eſt hæc noſtra, ſed Romani Pontificis Pij V. aſſeueratio in citata Bulla, quam Nau. cap. 25. n. 122. Leſſius de iuſtit. & iure l. 2. c. 34. Laym. 34. lib. 5. tract. 2. cap. 3. explanantes admonent.

Primo, ab eo oportere eos reſtitui.

Secundo, hanc neceſſitatem ac legem eſſe iuſtitiæ.

Tertio, eam ſecundum ſubſtantiam ex iure naturali deſcendere, quæ tria aſſertionis capita, negant etiamnum è Neotheologis aliqui ſequuti veteres Diuum Tho. quodl. 3. art. 29. S. Antonin. 3. par. tit. 13. cap. 4. parag. 6. Paludan. in 4. ſentent. diſt. 15. qu. 5. art. 2. concl. 3. Sylu. ver. Clericus 4. qu. 13. Petr. Gregor. in ſyntagm. iuris lib. 17. cap. 2. num. 11. qui omnes aiunt beneficiario, ac proinde Canonico nihil eſſe neceſſe de perceptis fructibus è beneficio quidquam reſtituere pauperibus aut Eccleſiæ.

Opinionis huius approbator eſt Carolus Molinæus in Commentariis ad Pariſienſ. conſuetudin. tit. 1. parag. 30. n. 35. ibi enim negat decreto Lateranenſi Concil. locum vnquam fuiſſe in Gallia, quod illud Epiſcopi ac Clerici non probarent, nec ſibi proinde recipiendum crederent. Sed eius pace ſit dictum, eſt in quatuor præcipuis regni prouinciis, tam prædicti Concil. quam Pij V. decretum, magna omnium qui tùm eorundem interfuere Conciliis admiſſum, ac probatum, Remenſi titulo 4. num. 2. Rothomagenſi cap. 2. num 1. Burdegalenſi cap. 2. & in Tholoſano prima parte cap. 9. num. 2. quare etſi olim, eſſent à reſtitutione facienda Eccleſiæ, ob omiſſas horas, Canonici ac beneficiarij liberi, ſunt tamen, ad eam iure nouo, cogendi hoc tempore, quæ eſt ſententia Vaſq. 1. 2, diſp. 168. cap. 4. Azor. par. 1. lib. 10. cap. 14. q. 5. Pet. à Nauarr. lib. 2. c. 2. num. 217. Valent. to. 3. diſp. 6. qu. 2. punc. 10.

Præcipua & maxima huius ſententiæ firmamenta ſunt.

Primum, quod datur ob cauſam, ea non ſecuta poteſt repeti, digeſt. de condit. ob turpem cauſam, ſed Canonico fructus non ſunt debiti, niſi propter officium cap. fin. de reſcript. tanquam merces operæ in principis Dei cultu poſitæ: Canonicus, ergo horas omittens non facit fructus ſuos.

Secundum, qui non reſidet, iure non vendicat fructus beneficij tanquam ſuos ex decreto Concil. ſeſſ. 6. cap. 2. & multo planius ex ſeſſ. 23. cap. 1. Atqui reſidere, vt graues viri aſſerunt, non tam in manſione, quam in ſacrarum rerum adminiſtratione, & Eccleſiaſticorum munerum præſtatione conſiſtit, quæ reſpectu Canonici, ſunt in horarum lectione magnam partem poſita, ergo ſi iis operam non dederit, fructus è beneficio vti ſuos, colligere non poterit.

Aſſertio tertia, *Eſt hæc fructuum reſtitutio facienda beneficiario ante omnem ſententiam.*

Primo, quia non ſunt eius, cum decreto Concil. eos *ſuos non faciat*, ſunt ergo alterius, quod autem eſt alterius, iure naturæ ei reddi debet ante ſententiam.

Secundo, quod eſt iniuſte acquiſitum, etſi iudex taceat, tamen non eſt ſeruandum, at non niſi iniuſte beneficij ſui prouentus recipit, qui horas Canonicas ex forma, rituque Eccleſiæ ſuo tempore dicere negligit, ergo *eos tanquam iniuſte perceptos, in fabricas Eccleſiarum huiuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare tenetur*, Concil. Lateran. ſeſſ. 6. parag. ſtatuimus.

Secus ſentit Barthol. Medina in ſua ſumma ca. 12. parag. 11. nam hanc Concil. legem ait eſſe pœnalem, nec proinde obligare in conſcientia, niſi poſt ſententiam, addunt alij exorbitantem eſſe, verbiſque Pauli contrariam 1. Corinth. 9. verſu 7. 11. 13. & 14. quæ autem habentur in Concil. Lateran. ſeſſ. 9. de reſtitutione facienda poſt ſententiam poſſe intelligi: nam ille fructus ſuos non facit, qui iure poteſt illis priuari, quia iure non ſunt eius, ſed poſſeſſione ſola, donec ſpolietur per iudi-

Digitized by Google

cem, sed hæc opinio etsi nonnullis videatur probabilis, mihi tamen non videtur vlli facile sequenda in praxi. A

Assertio quarta, *Pij V. constitutio sic est temperanda, vt pars aliqua tantum reddituum beneficij reddi à Canonico aut beneficiario debeat cum non præstant officium Canonicum*, pro hac opinione faciunt Syluius in 2.2. qu. 83. art. 13. concl. 4. Henriq. lib. 13. cap. 13. num. 1. Tolet. lib. 2. cap. 12. Leſſ. lib. 2. cap. 34. num. 77. ratio eſt, quod redditus affecti beneficio, non tantum ob preces Canonicas, ſed ob alia etiam dantur munera, quibus vacare ex officio Canonicis incumbit, pars ergo non alia redditus ab illis impendenda eſt fabricæ Eccleſiæ aut pauperibus, quam quæ neglecto officio ſecundum proportionem reſpondet: Eſt hæc autem pars quarta reſpectu Canonici, reſpectu beneficiarij, cuius non eſt alia in Eccleſia functio, quam precum: tertia, quinta reſpectu Epiſcopi & Parochi, cæteras ſibi quatuor ſeruata ratione oneris ac tituli, poſſunt licitè ac ſine culpa ſibi ſeruare Homobon. in exam. Eccleſiaſt. part. 1. tract. 4. cap. 5. qu. 42. Molfeſ. in ſumma tom. 1. tract. 5. cap. 3. num. 26. B

QVÆSTIO IX.

An Canonicatus cui ex fundatione Ordo Sacerdotij eſt adiunctus, poſsit non Sacerdoti valide conferri.

NEgat Panormitanus in cap. cum in cunctis 5. inferiora de electione, cui aſtipulantur ex parte Reginald. tom. 2. lib. 30. cap. 16. ſectione 5. dub. 2. num. 231. Lambertinus de iure Patronatus lib. 3. qu. 7. art. 29. diſtinguunt enim inter beneficia, eaq; cum ſint à Laicis fundata, exigere aiunt, vt qui ad ea inſtituitur, actu ſit Sacerdos, tempore tam præſentationis quam collationis, ſi hæc in eorum fundatione eſt adiecta conditio, non item, ſi ab aliqua ſunt Eccleſia, aut Clerico ratione ſuæ Eccleſiæ conſtituta, ſed ſufficere vt hi quibus conferuntur, ea ſint ætate, collationis aut præſentationis tempore, vt intra tempus à iure ſtatutum, poſſint Presbyteri, ſine diſpenſatione fieri. Hæc illi. C

Cum quibus non faciunt cæteri Rebuff. in praxi beneficiaria 3. parte ſignaturæ num. 44. & in tract. de Nominationibus qu. 15. num. 30. Sic enim num. illo 30. *Si ſtatuto Eccleſiæ, vel in fundatione ſtatutum ſit, quod nullus præſentetur ad talem Eccleſiam vel nulli conferatur, niſi ſit talis ætatis, vel Presbyter, tunc nullus poterit derogare illis ſtatutis niſi Papa*, Clem. quia contingit de Religioſ. domib. cap. ſi pro Clericis de præb. in 6. *nec valebit collatio contra ſtatuta facta ab alio quam Papa*, ei aſſentiuntur ſcriptores Galli, qui conſideratius ſcripſerunt, Guymerius Comm. in pragm. ſanct. tract. de elect. §. ſicut, verbo ordinibus Selua 3. par. trac. de benef. qu. 11. num. 26. Ruſæus in explicatione priuileg. 49. iuris Regal. Enimuero eorum omnium vna eſt, conſentienſque opinio, qualitates fundationi beneficiorum appoſitas, eſſe oportere prouiſionis tempore in eo, cui authoritate Canonica conferuntur. Facilitatis cauſa res explicabitur ſequentibus aſſertionibus. D

Aſſertio prima. *Quando à lege aut iure communi exigitur in promiſo aliqua qualitas, puta Sacerdotium ſatis eſt, quod promiſſus compoſsit intra annum aſſequi.* Nauar. Concil. 8. de præbend. num. 2. Brodæus ad Loüetum verbo Beneficium art. 4.

Probatur primo, Parochos omnes Sacerdotij charactere oportet inſignes eſſe quod ſimus eorum commiſſi curæ, quod Sacramentis ab iis paſci, quod ſalutari Dei verbo eorum ore refici, ac à peccatis abſolui debeamus, quæ qui facere cum fructu præter Sacerdotem valeret, hactenus nemo eſt repertus, & tamen Gregor. IX. Canonica lege in decretali licet canon 14. de elect. in 6. vt Parochi culpa omni vacent, ſufficit eos intra annum à collatione Parœciæ ſibi facta in Sacerdotum numerum coaptari per Epiſcopum: idem habetur in Clementina 11. de ætate, quæ Patrum eſt noſtrorum memoria renouata à Concil. ſeſſ. 22. cap. 4. confirmata autem à Cardinalibus in reſponſis ad caput 11. & 18. ſeſſ. 24. quæ reſponſa à Romanæ Eccleſiæ praxi non abhorrent; eſt enim in Legiſlatoris arbitrio non tantum intentionem ſuam ac mentem ſed & ſenſum, vimque legis à ſe factæ exponere, explicuere vero Pontifices in Canonibus citatis, ac Eccleſia in Concilio, & Cardinales in reſponſis ad prædictum caput 18. ſeſſ. 24. nempe, ſatis eſſe Sacerdotem fieri intra annum à poſſeſſione pacifica beneficij. E

Aſſertio ſecũda, *Sufficit in Gallia, quod ea qualitas obtineri poſsit intra biennium, verbi cauſa, iure communi, promotus ad Parochiam, Sacerdos eſſe debet intra annum*, cap. licet can. 14. de elect. in 6. alioqui beneficio excidit, in Gallia non niſi poſt biennium fieri eum Sacerdotem eſt neceſſe, ratio eſt, quod ſecundum ius commune, annus initium habeat à poſſeſſione beneficii pacifica, vt habetur in cap. commiſſa 35. de elect. in 6. atqui in Gallia nemo pacificam habere poſſeſſionem beneficii creditur, niſi poſt annum ab eius collatione exactum ſine turbis ac lite, habet ergo Parochus biennium à collatione ſibi facta Parochiæ, antequam eum ordinari in Sacerdotem ſit neceſſe, & ita decretum fuiſſe per Pariſienſe Parlamentum, docet Rebuff. in praxi parte 2. tit. 19. qui eſt de non promotis intra annum num. 45. & 46.

Aſſertio tertia, *Quando in fundatione beneficii ſic exigitur aliqua qualitas, vt ſi ea deſit beneficiario, dicatur à fundatore collationem eius fore nullam, ea Canonicum inſtructum eſſe oportet, ipſo illo tempore, quo illi confertur, alioqui ex eius omnis promiſſio in conſcientia, & ante omnem ſententiam irrita.*

Probatur, Donatio hypothetica, hypotheſi non exiſtente eſt nulla, cum ad eam reſtringatur voluntas dantis; at fundatio Canonicatus ea lege vt quiſquis eo donabitur, hanc aut illam qualitatem habeat, cuius fundator meminit, donatio quædam eſt hypothetica, & quidam quaſi contractus inter illum, & Eccleſiam, ergo defectus qualitatis in Canonico à fundatore requiſitæ, collationis eſt eidem factæ irritatio. Quare cum eiuſdem voluntate, Canonicatus Presbyteris eſt tantum, aut Doctori & non aliis conferendus ab Ordinario, huiuſmodi in eo dignitatis carentia, certa eſt delati illi ab ordinario Canonicatus in inane reſolutio, quemadmodum Senatum Pariſienſ. cenſuiſſe ann. 1588. & 1590. ſcripſit Loüetus ver. beneficium art. 4. vide Nau. c. 23. Enchir. n. 67.

Quid ſi conditionem quidem fundator exegerit, ſed non cum irritatione actus, ex ea ſecuti, ſi deſit?

Reſpondent aliqui, eum nihilominus fore nullum, quod appoſita fundationi qualitas, ad vnguem

quem in ſpecifica ſua forma ſit ſeruanda. Ita Probus quæſt. 27. dicti tract. de iure Regal. numero 6.

Sed contraria mihi ſententia in præſenti, & tuta & probabilis videtur, ratio eſt quod conditionis abſentia, contractum non ſoluat, niſi id in eo expreſſe dicatur, aut intelligatur ex diſpoſitione communi iuris, habet enim contractus à voluntate contrahentium vim ſuam, voluntate inquam expreſſa & formali, aut tacita, at de voluntate partium, certi haberi quid poteſt? cum eam verbis non exprimunt, nec qualem eſſe oporteat, iura humana ſtatuunt? ſane cum oratio ſit animi index, hic futurus eſt legis ſenſus, quem verba præ ſe ferunt non alius, ergo ſi qualitatem quidem in beneficiario fundator exigat, non addito tamen, quod aliter facta collatio ſit nulla, hæc nihilominus cenſenda erit valida, iniqua tamen.

Negatum tamen non eo, quin in foro externo, Iudici eam habituri ſint pro ſubreptitia, cum iniuſta ſit, ac intentioni fundatoris contraria, ſit argumento quod in Conc. Trid. ſeſſionis vlt. cap. 5. dicatur prouiſionem ita factam, ſubreptitiam cenſendam eſſe. Nam cenſere aliquid ſubreptitium, ad ſolum pertinet cauſarum arbitrum & iudicem, vt notat Nauarr. cap. 23. Enchir. num. 110. & in cap. final. de vſuris n. 3. vbi etiam citat pro hac ſententia Bartholum & Iaſonem.

Non eſt ergo (inquies) in conſcientia, irrita beneficii collatio, authoritate Epiſcopi facta ei, quem qualitas requiſita ad eius poſſeſſionem validam deficit, cum quæ actio, iudicis tantum eſt diſſoluenda imperio, hæc ſit valida, ac ad effectum retinendi beneficii rata, & efficax.

Neganda argumenti illatio, nam beneficii priuatio, per fundatorem inducta, defectu qualitatis quam poſtulat in eo, qui ad illud animum adiicit, lex non eſt pœnalis, ſed hypothetica donatio, reſoluenda proinde abſentia conditionis, à qua pendebat vt eſſet valida Nau. Enchir. 23. n. 67.

Obiicies. non poteſt fundator derogare legi Canonicæ, aut quidpiam ſuæ inferere fundationi, ei contrarium. At per leges Canonicas ſufficit initiari preſbyterii ordine intra annum à recepto beneficio, eiuſque prouiſione. cap. cum in cunctis 7. extra de elect. parag. inferiora cap. licet 14. eodem tit. in 6. ergo non neceſſario debet qualitas Sacerdotii, eſſe in promouendo ad Canonicatum, ipſo prouiſionis tempore, hæc eſt Reginaldi loco initio allato ratio. Quæ quam tamen parum nobis incommodet, quam veritati allatæ doctrinæ, nemo opinor non intelligit, qui vim fundationi eſſe intelligit, non tam à fundatoris, quam Eccleſiæ, Epiſcopique voluntate; vt enim illius ſunt hæ partes, dare id operam, nequando res communis Eccleſiæ, detrimenti aliquid accipiat, eam regere conſilio, ſuſtinere prudentia, ita & ad illum pertinet, beneficia cũ erigũtur admittere, vacãtibus idoneos miniſtros ſufficere, quare ſi his aut illis fũdata legibus approbet, quis culpatum ibit? aut quis à Patrono, beneficiique fundatore, non autem ab Eccleſia, ac Pontifice, Canonicis eſſe legibus derogatum exiſtimet?

Sane inter Epiſcopum & Patronum, pactum intercedit, in fundatione mutuum, hunc quidem, de donatione ad Canonicatum idonea non neganda, modo qui ei præficietur in poſterum, his aut illis inſtructus ſit animi, ac doctrinæ dotibus, illum autem, de alio illi non admouẽdo quamquẽ Patronus poſtulat modo hic promiſſa ſua faciat, beneficioque, quantum eſt ſatis, ad luminaria, miniſtriquo ſuſtentationem honeſtam tribuat, quo ſi pacto, abrogantur Canonum antiquæ leges, eius eſt abrogationis author, non Patronus, ſed Epiſcopus, & ita ſoluta remanet obiectio.

QVÆSTIO X.

An Canonicus quem Patronus ad beneficium primo vacaturum præſentauit, ſit pro tali habendus, cum poſtea Canonicatus primo vacans, ei conferetur.

B Dico primò, *Collatori rationem habendam nullam eſſe præſentationis, ad Canonicatum primo vacaturum ſibi factæ à Patrono.* Ita Rebuff. in concord. tit. de nominatione ad Prælaturas Regia §. 1. verbo vacantibus Reginal. to. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 17. num. 238. & cap. 15. num. 206. nam priore loco negat vlli quam Pontifici Romano, ius eſſe reſeruandi ſibi beneficii. Poſteriore autem aſſerit omni eſſe modo neceſſe, vt Epiſcopatus ad quem Rex Galliæ nominare poteſt, *iam vacet, ita vt*, verba ſunt eius, *nominare non poſſit ad vacaturum.*

Sane vt à Canonicis ordiar legibus, eſt omnis à Rege facta præſentatio idonei, per Concordata, C inanis ac nulla, niſi quo tempore offertur ad beneficium, illud illico ſicut hæreditatem poſſeſſore vacuam, inire Papæ conceſſione poſſit. Nam quid hac oratione Leonis X. in Concord. tit. de regia nominat. parag. 1. clarius? *Per ceſſionem in manibus noſtris & ſucceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum, Canonice intrantium, ſponte factam, vacantibus, illarum capitula, & Canonici ad electionem, & poſtulationem, inibi futuris Prælati, procedere non poſſint, ſed illarum occurrente eiuſmodi vacatione, Rex Franciæ, pro tempore exiſtens, virum grauem nominare poſſit, &c.*

Ergo ſi iura, ſi Pontifices, ſi audiuntur Canones, dicta eſt cauſa, vt Regi, ita & Patrono cuilibet D alteri; interdicta nominatio erit omnis, ad beneficium non vacans, ſed vacaturum.

Quid? quod eius omnem ſibi Reges Galli, præciſam eſſe poteſtatem voluere? Franciſcus quidem primus, & Carolus octauus, ſpeciali lege, cuius eſt hæc art. 85. ſeries. *Et pource que ſouuentesfois ſommes trauaillez par pluſieurs, & par grande importunité des requerans qui nous demandent offices, benefices, eſcheoittes, amendes, confiſcations, auant qu'ils vacquent, ou qu'ils ſoient creées, ou nous ſoyent adiugées, Nous enſuyuant les ordonnances de nos predeceſſeurs Roys de France, voulons que ſi par importunité, ou inaduertance, nous faiſons, ou auions fait le contraire, que le don, ou collation qu'en aurions fait, ou ſerions fois nul, & de nulle valeur*; Hæc conſtitutio cuius, vt reſponſionis à nobis initio poſitæ, cauſæ reddi poſſunt variæ.

Prima quod electionis loco, Regia ſit, & Patronorum ad beneficia nominatio, at illa, de vacaturo eſſe beneficio non poteſt cap. bonæ 1. de electione, nec hoc antequam vacet acceptari cap. nec aptandæ, de conceſſ. præb. in 6. niſi forte legitimo eius annuente poſſeſſore, Rebuff. Comment. in proœmium concordatorum verbo alieni facti. Quia eſt hæc eius approbatio, tacita quædam renunciatio, can. beneficium de regulis iuris in 6.

Secunda, ſunt hæc, tam Regi, quam Patrono

cuilibet alteri, vitanda opera, per quæ datur aliqua fraudis occasio, cum eam captare, quærere, ac admittere, sit illi apertum exitium creare. At nominatione regia idonei, ad beneficium possessore suo necdum vacuum, est captandæ mortis alienæ votum nominato iniicere, quod tamen est Canonicis prohibitum legibus, de concessione præb. cap. 2.

Ob eamque maxime causam, scribit Valerius, tomo 2. lib. 39. tract. 3. cap. 17. sect. 2. num. 238. vacatura beneficia, reseruare legato fas non esse, quod id fieri sine mortis captandæ voto nequeat: quare nec ab eo sunt aut Rege promittenda, antequam vacent Rebuff. in Comment. ad Concordatorum proemium verbo fato & in explicatione tituli de nominatione ad Prælaturas regia § 1. verbo vacatione occurrente deque iis facta promissio, quamlibet in chartas relata, ac sigillo regio munita esset, nullarum est virium, vt habetur in cap. tenore de concess. præbend. nec iuramento firmatur, quia promissio de re legibus contraria, non obligat, quemadmodum, nec quæ in eam iuramenta incidunt, ex can. non est obligatorium de regulis iuris in 6.

Dico secundo, *Eum habendum pro Canonico cui ab ordinario datus est Canonicatus qui vacabat*: ratio est, quod à potente, idoneo & capaci homini est collatus, præter quæ, quid ad collationem ratam requiri valeat, nihil occurrit: in foro tamen externo locus esset querimoniæ, ac collationi de Canonicatu factæ rescindendæ, auctoritate iudicis, quod ei à præsentatione infirma, inani, ac nulla initium esse, ab eaque Episcopum, aut ordinarium inductum fuisse, existimandi iusta sit causa, ac proinde illam infirmandi, vt inualidam ac non ratam.

QVÆSTIO XI.

An Canonicus cui causa dubitandi suppetit, an verè sit talis eo quod Canonicatum possessore vacuum Canonice non iniit, ad eum conseruandum tueri se possit possessione triennali.

CVm litibus Romana olim tribunalia perstreperent, super beneficiorum possessione legitima, quæ etsi multis sæpe perpetuata annis, ab eorum tamen insidiis secura non erant, qui alienæ fortunæ inuident visum est Calixto eius nominis III. decernere, ne super iis triennio sine lite ac tumultu possessis, angi amodo quis posset. Huic decreto, nomen est regulæ, *de triennali pacifica possessione*, impositum, à qua id habet beneficiarius quilibet ne beneficio suo priuari possit, aut vt vacans, conferri alteri, Gomesius in Regul. Cancellariæ de triennali Azorius 2. parte instit. moral. lib. 7. cap. 37. Reginal. to. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 17. sect. 1. num. 258. & sequentib. Rebuff tom. 3. constitut. regiarum tract. de causis beneficior. possessor. Gloss. 1.

Neque possessione tamen qualibet, continuata licet triennio, ius acquiritur beneficij, sed eam necesse est esse pacificam, tituloque colorato aut vero subnixam, ita memorati scriptores, nosque tractatu de beneficiis fuse satis, ac copiose.

Est hæc vero possessio censenda tùm pacifica, cum triennio integro nõest turbata lite vlla qua ius A oppugnaretur beneficiarij, aut ipsamet eius possessio minus certa fieret, Gomez ad regul. Cancell. 10. q. 58. Titulum coloratum, id est in speciem probabilem possessioni prætexit suę, qui beneficio ab eo donatum se ait, qui poterat, aut credebatur posse, eo quod iure ad id si minus certo, ambiguo certe ac dubio fretus erat, quæ duę res cum à possessore faciunt, est hic non modo Romana Calixti, sed nostris etiam legibus, id est Francisci I. & Caroli VIII. ac authoritate insuper iudicum, contra impetentes tutus, ab his enim tùm maximè, interdicto retinendæ possessionis iuuatur, tam decreto Principis, quam veteri more: regni lex sic habet. *Nous maintenons & gardons, &c. en possession, & saisine de la chose dont il est question,* B *& autres possessions pertinentes, & en cas de delay, la recreance luy soit adiugée pour iouir de la chose contentieuse, pendãt ledit procés.* His præmissis videamus.

Ecquid Canonicus qui contra iura Canonum in beneficium quasi rem derelictam est ingressus, possessione triennali pacifica, tueri se possit, an eo priuari ab Antistite quo inscio illud occupauit.

Respond. dictam possessionem ei non prodesse. Primò, quia authoritate propria, nemo beneficiũ inire potest, est id enim furti instar, per leg. ex stipulatione ff. de acquirẽda poss. ob quã causam, collatoris mandatũ exigitur in c. cũ venissent, de restitutione spoliatorũ, at Canonicus litteras negat à se impetratas, ab ordinario, de capessendo vacante C beneficio, ergo quod prætexat facto suo, nihil est.

Secundò, intrusis prodesse non potest triennalis possessio, decreto Calixti in prædicta regula, his verbis: *Dummodo in beneficiis ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ, ex aliqua reſeruatione generali, in corpore iuris clauſa, reſeruata fuerint, non ſe intruſerit.* At beneficium possidens ante collationem, est intrusus, cap. cum iam dudum, de prębendis, & ita contra ordinarium, à Curia olim iudicatum, narrat Rebuff. parte 1. prax. tit. de forma & declaratione nouæ prouisionis num. 7. Enimuero, cum ille Legati iura qui tum versabatur in Gallia anteuertere vellet, à se prouisum de beneficio, ante expeditam D eius collationem in possessionem immisit, quod factum, cũ non probasset curia, vt intrusioni certæ coniunctum, causa, eius authoritate excidit.

Tertiò, ex dictis, triennalis possessio, sine vero aut colorato titulo, est nulla, at titulus quilibet collationem exigit ordinarij, putatiui, aut veri, ex Rebuffo de pacificis possess. num. 32. Regin. supra num. 260. hic enim idem est titulus ac ratio obtinendi ab eo beneficij, qui de iure siue generali, siue speciali, seu priuilegio, potestatem habet illud conferendi, quæ ratio, nisi impedimentum aliquod obstitisset, iusta fuisset, quemadmodum in materia pœnitentiæ, is habere dicendus est coloratum titulum, ex Ægid. disp. 8. de ministro Pœnit. dub. 43. num. 22. cui collatum est officium aliquod cum animarum cura, sed inualide, ob occultum eius defectum, ergo cum Canonicus de quo E est quæstio, collatum sibi aliquando ab ordinario beneficium non asserat, aut alio quopiam, penes quem ius simile vllum esset: ei ad retentionem beneficii, subsidium à triennali possessione, quale & quantum esse potest? quare primo quoque tempore, etiam iniussus eo abire debet, hoc est ante sententiam, quæ enim aliena, hæc absque vllius sententia, vero sunt legitimoque relinquenda Domino, can. si res 14. qu. 6. at beneficium de quo præsens est quæstio, non est Canonici, cũ eius esse possessor, nisi gratuita, liberaque eius collatione sibi

facta ab Ordinatio nequiuerit, quæ ei nunquam tamen est facta, relinqui ergo debet, nec in illius possessione, dictus Canonicus authoritate retinendus est iudicis, vt quæ sit vitiosa, nec eiusmodi, ad quã interdictum vti possidetis, extendere se queat, Paul. Parisius Cons. 74. Rebuff. prax. beneficiariæ par. 1. tit. de missione in possess. n. 4. nec id modo, sed sic intrusus fructus quoque restituere perceptos debet, vtpote non suos. Nam res non aliis esse commodæ, vtilesque solent, quam Dominis, sunt hi porro restituendi Ecclesiæ, aut successori, subductis tamen ante stipendiis operæ, in præstando officio necessariæ, *Dignus est enim operarius mercede sua*, hæc ergo, non neganda est intruso, si quæ beneficij sunt onera, vt debebat, expleuerit omnia.

QVÆSTIO XII.

An Canonicus qui beneficium pretio suum fecit, pro vero Canonico sit habendus.

DIco primò, *Inducere beneficiarium, vt certo pretio, Canonicatum habeat, quem venalem habet, culpam esse mortalem.*

Probatur esse alteri cuiuscunque sceleris admittendi authorem, ac ducem, scelus est, pro ratione culpæ, quæ suadetur graue, aut leue, at qui de beneficio vendendo eius possessorem admonet, eum in præceps trahit, licet ad eam rem, pridem voluntate propenderet, ergo beneficiarij inductio, ad Canonicatum pecunia distrahendum, non potest non esse culpabilis, Maior prob. in fraudem innocentem impellere, est charitati bellum indicere, quandoquidem cum ea, stare animi, morumque dedecora non possunt, id est vitia, labesque mentium, at qui hortator est, autorque alicui, abeundi à diuina lege, huic turpi, fœdaque impiat nota, caritatis rationibus ac pulchritudini contraria, ergo &c.

At pridem, inquies, id beneficiarius animo destinauerat, pridem cogitabat, pretio de Canonicatu suo decedere, quid est ergo in eo magnopere culpabile, qui paratum ad contrahendum, admonet esse qui eius beneficium emat, cum volet?

Primò est id vitiosum, quod eius suasu ac impulsu Canonicus, hic & nunc, induxerit animum, Canonicatum pretio addicere, quod qui vacare possit scelere, non capio. Deinde, quod ei per illum offeratur materia, causaque, hic & nunc peccandi in indiuiduo, cum societatis ad rem malam coitio, transactioque super beneficio, sit mala, & Simoniaca, iuxta cap. de pactis extremum & quintum de rerum permutat. quibus omnis omnino, in re beneficiaria pactio, reprobatur vt Canonicæ legi opposita.

Dico secundò, *Habere hoc peccatum, scandali maculam.* Ita Sanchez in opere morali lib. 1. cap. 6. Malderus 22. q. 43. dub. 6. & probatur.

Primò, quia omnis ad peccatum inductio, disiungi nequit à scandalo, vt patet, cum sit animæ, gratiæque in ea residentis euersio.

Secundò, cum sit scandalum alienæ salutis oppugnatio, ad illud pertinere id censendum est maxime, quo illi parantur insidiæ, aut vnde proximi commoda spiritalia, percelli sunt solita, at id fieri in præsenti causa, quis non videt? quis non à suasore, locum dari beneficiario, admittendæ Simoniæ, præpostera addictione Canonicatus sui, pecunia quam pro eo tanquam pretium postulat?

Dico tertiò, *Hanc circunstantiam explicandam pœnitenti esse, dum Sacerdoti conscientiam aperit.* Ratio est, quod non modo, peccata specie, ac natura à sese distincta, confessario sint narranda, sed & numero differentia, at impulsio beneficiarij ad Canonicatum vendendum, culpa est mortalis, à cæteris distincta minimùm numero. Nam etsi pridem, in eam rem incubaret animo, ac emptoris opportunitatem quæreret, tamen non se hic & nunc, in Dæmonis laqueos, ac censuras Ecclesiæ, peccando induisset, nisi hoc tempore, ac loco aliquis, mali suasor extitisset, ac author. Quare mirari satis non possum, id à scriptoribus nonnullis, aut negatum, aut non animaduersum, quod non omnino bonarum rudem artium, vix latere vllum posse puto. Ex dictis colligere cuique est facile, vt peccant, ad venerem mutuis se officiis, verbis, ac tactibus incitantes, quà viri, quà fœminæ, ita nec confitendo partes omnes pœnitentis Christiani explere, nisi se reos incitati socii ad id dedecus vltro, aut interrogati agant, quia si prece, si pretio, aut illecebris, eum à quo aliquid sunt turpiter ac fœde passi impellerent, idem in alio vt faceret: nemo eos opinor non reprehenderet, nemo non culparet, vt mortalis culpæ reos, quo admisso, aueo intelligere, ecquid vtrobique non oppugnetur castitas, euertatur pudor, fœdetur integritas, cum tam suadens, quam alter cui facinus persuader, turpiter patiuntur ac faciunt?

Ergo vt tacenda in confessione, nulli sua est proteruia, cum male feriato socio autor extitit tentandæ pudicitiæ tertij cuiuspiam, ita nec cum in se experiri placuit; quod inferri alteri, qua signis, qua ore suasit.

Nec hoc ex dictis obscurum, peccare item, qui proiectam ad libidinem, suaque sponte ad eam incitatam mulierem, hortatur vt turpiter audeat. Nec enim à parato, ea petere est licitum, quæ facere ei, sine peccato non est concessum, Sanchez 7. de matrim. disp. 96. num. 6. at alienæ se prosternere vesaniæ, meretrici nunquam est permissum, ergo nec homini, pollicitis eam aut prece ad id volentem acuere.

Multo magis errare de via est cẽsendus, qui à repugnante, corporis sui copiam extorquet, aut non cogitantem, vt velit admonet. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 16. qu. 5. quia tum maxime si vnquam alias, ei peccandi locus datur, tali ac tam pestifero afflatu, quid est enim aliud, stantem euertere, quid in fraudem insontem dare, quam ei lapsus, exitiique materiam suggerere? Maneat ergo quod erat in quæst. positum, præter Simoniæ culpam, & aliam scandali admittere, qui paratum Canonicatum vendere, eius exequendæ voluntatis, hic & nunc, tempus modumque vt capessat, scriptis aut oratione subigit.

Obiiciunt Suar. & Sotus tunc tantum ad culpam induci quis est putandus meis sermonibus, cum his, ad eam eius voluntas inflectitur. Nec enim est in vitio hominis vlla actio, nisi quæ à voluntate ortum habet, vt à principio, at quis voluntati fit impetus, quis à verbis meis, aut precibus, illis esse potest, ad turpitudinem motus? si sua ipse sponte ad eam inhiat, si feratur, ac incumbat? quæ tamen sunt, vt in quæstione exprimitur, studia abalienantis sui beneficii, ac abiicientis se fœminæ ad turpes voluptates, vota, ac desideria. Est ergo

ab omni eximendus culpa, qui tanquam vnguis in putrido fœtentique vlcere, aut in præparata materia ad flammam insufflator, sic peccandi, in volente ac parato, suasor existit, ac admonitor.

Ad minorem dicendum impressionem voluntati fieri, à cohortantis sermonibus, eisque solis tribuēdum; vt morali causæ, quod ita se in indiuiduo, labe commaculet, vt enim narrant Philosophi, habet actio vt sit hæc, aut illa, in indiuiduo, à circunstantiis loci, personæ, causarum, & temporis, quas easdem non esse sed differentes, cum quis vltro peccat ac non rogatus, & cum instinctu alterius, ergo sic peccantis culpa est numero ab ea diuersa, quam admittit, cum sine cuiusquam ministerio ac suasu, legem violat.

Dico quartò, *Vt collatio Canonicatus Simoniace acquisiti nulla fuit, ita acquirentem verè non fuisse, nec esse Canonicum.*

Partis primæ, hæc est causa, quod collatio iurisdictionis sit actio, exercenda tantum in commodum eius qui ad illam est idoneus, reique conferendæ capax, at per Simoniam potestate conferendi ordinarius conferens, & collatarius, id est ille cui beneficium confertur, capacitate illud recipiendi priuantur, sic enim Paulus II. in Extrauagant. 2. de Simonia, vbi decernit, *Vt electiones, præsentationes, collationes, & alia prouisiones beneficiorum per Simoniam realem factæ, sint irritæ, & nullum ius tribuant, & vt prouisi fructus non faciant suos, sed sub periculo animæ suæ, ad eorum restitutionem teneantur*, vera est ergo Assertionis pars prima, Vera, item & altera. Nec enim esse quis potest Canonicus sine collatione beneficii sibi facta ab eo qui potest, at eius qui sibi per Simoniam ad Canonicatum viam reperit, collatio talis non fuit, cum ius ei ad beneficium nullum tribuat, quare eo abire debet in conscientia, nisi à Pontifice culpam deprecanti, iteratò conferatur.

A non petuntur secundum Peleum in forens. lib. 1. act. 4.

Secundo, quod eorum redditibus indultarij non gaudent, nisi postquam sibi sunt collata.

Tertio, quod locus sit in illis præuentioni, excludaturque indultarius si quo tempore oportebat, illud sibi vt vacans, non petiit, quæ causa Papæ, aut ordinario extitit illud conferendi alteri, Peleus & Bleyanus locis cit. num. 18. littera L. ad marginem.

Notandum secundò, etsi beneficium non sit indultarij, nisi postquam est ei collatum, habet in id tamen ius irreuocabile, sic vt petitum tempestiue, negari ei non debeat, vt pluribus ostendi in libro de praxi fori Gallici. Quibus sic præmissis

B Dico primò, *Expugnare precibus indultarium, hisque facere, vt beneficium vacans, vi indulti sui non petat, non est Simonia*, causa est quod de ratione Simoniæ sit pretium, definitur enim, voluntas studiosa emendi temporale, pro spirituali, vel contra, iam vero nulla est, sine pretio emptio, est ergo de ratione Simoniæ pretium, at preces non habent rationem pretij, cum de eius essentia sit, esse bonum vtile temporale, quod sit auaritiæ obiectum, quorum nihil conuenit precibus. Quid? quod Simonia obligationem iustitiæ inuehit, cum sit contractus non gratuitus, quali tamen carent preces, cum gratis dicatur desistere, qui rogatus & ob preces desistit.

Dico secundò, *Demereri sibi pretio, indultarium,*
C *ne vtatur concesso sibi indulto in præiudicium tertij, aut ipsiusmet dantis, culpam esse religioni oppositam, Simoniæque macula infectam.*

Probatur, dare aliquid in spiritualibus vt eorum pretium, est Simoniacum: nam cum illa infinitis interuallis fortunæ bona superent sit Deo iniuria, cuius dona, vilibus abiectisque fortunæ mēbris iudicantur esse æqualia, at pretio indultarium ab ea mente abducere, ne iure sibi concesso vtatur, ad beneficium vacans, quo ad illud facilior sibi sit aditus, est dare temporale tanquam eius pretium, cum hæc iuris sui cessio, via sit ad beneficium & respectu indultarii, tacita quædam eius concessio, ergo cum fiat ob pretium, datur pro spirituali temporarium.

D Secundo, pecunia ius sibi comparare beneficij, est omnium opinione culpa veniali maior, & Simonia, at comparat, quisquis pretio ab indultario obtinet, ne ius suum prosequatur, cuius insecutio, vt esset alterius, id est eius qui offert pretium à beneficio exclusio, sic cessio in indultario, virtualis est ac tacita illius, ad istud admissio, ergo non sine labe Simoniæ Maior est certa, ob hanc maxime causam, quod ius ad beneficium, antecedenter sit spirituale, vt pote via ad illud, eaque necessaria, nec enim esse possessio potest vt pote collatione posterior, sine iure ad rem. Minor probatur indultarij eadem est ratio, ac concurrentis ad beneficium cum alio, aut aliis, at facere pretio, aut munere,
E vt qui merita est sua oppositurus alteri per concursum, ab eo opere desistat, sicque ius totum, ab eo deuoluatur ad eum qui dat pretium, peccatum est Simoniæ ac religioni oppositum, ergo & cum indultario quid datur, vt indulto suo non vtatur, in incommodum alterius ac noxam. Maior est clara, nam vtrique ius ad beneficium petendum competit saltem imperfectum, quod appellari solet ius ad rem, indultario quidem ratione indulti Pontificij, quod est antecedenter spirituale, quia omnia spiritualia, ab Ecclesia virtute potestatis acce-

QVÆSTIO XIII.

An pro Canonico sit habendus, qui Indultarium pretio illexit ne super Canonicatu quem obtinuit, indultum suum applicaret, aut applicato vteretur.

EST Indultum, ad proxime vacatura beneficia data à Pontifice gratia, Bleyan. de pertinentibus ad Laicorum & aliorum similium dispos. Non nunquam idem est ac dispensatio, non cuiuslibet tamen ac quelibet, sed superioris, contra statuta fundationis, aut regulas Canonum, Rebuff. parte 1. prax. tract. de dispensationibus num. 10. Eiusmodi ergo indulta, id est expectatiuas gratias ad beneficia, Rex ex rescripto Ioan. 23. Eugen. IV. Pauli III. Pontificum, de quibus Choppin. 3. polit. tit. 5. num. 15. Parisiensibus Consiliariis, pro cætera sua in eos munificentia tribuit, de quibus in præsenti quæritur, an pretio declinari, aut verius eorum retardari vis possit, eo modo quo in quæstione ponitur. Ad intelligentiam

Notandum primò, Consiliariorum indultis beneficia non magis affici, quam expectatiuis summorum Pontificum.

Ratio est primò, quod ab Ordinario aut Papa, idoneo conferri possint, quandiu ab indultario non

ptæ diuinitus inſtituta, ſpiritalibus ſunt annexa. Concurrenti autem, quatenus per concurſum, ei datur actio ad illud poſtulandum, ex Lud. de Beia tom. 2. caſuum pag. 48. Minor probatur eſt concurſus antecedenter, ac diſpoſitiue ſpiritualis, nam quis ei ab Eccleſia originem eſſe neſcit? Quis præter Clericos eius capacem eſſe neminem? quis non manare ab eo ius concurrentium, cuius oppugnatio aperta eſt æquitatis, iuſtitiæque euerſio, à qua naſci quoque eſt ſolita reſtitutionis obligatio. Iam autem cui eſt dubium, emptione rei quomodolibet ſpiritalis, ac ſacræ, committi Simoniam? debitam numini reuerentiam proſterni ac deiici?

A

Confirm. ſi contradicens electo, pro pecunia de voluntate electi tradita, à contradictione ceſſat, electus poſtea confirmatus eſt Simoniacus, iuſticio Lucii III. in decretali, Matthæus 23. de Simon. At quod iſte, idipſum quoque efficit qui indultario pecunias numerat, vt à poſtulando beneficio ſibi vi indulti debito abſiſtat, vt patet, ergo vt ille, ita & iſte labe laborat Simoniæ.

B

Obiicies, ſine re ſacra, eſſe Simonia nulla poteſt, ſed hic eiuſmodi nulla interuenit, numerantur enim pecuniæ indultario, ne indultum vacanti beneficio applicet, aut poſſeſſore vacuum ambiat. At non ambire, at tacere, at beneficium non poſtulare, remote ſibi tantum, in Indulto debitum, ſpirituale quid habet aut diuinum?

C

Minor eſt neganda, ad eius confirm. dicendum eſt actiones, quarum in ea fit mentio, conſiderari poſſe dupliciter.

Primò, abſolute ac in ſe, ſine vllo reſpectu, ac ordine ad aliud.

Secundò, cum ea habitudine, & ſpectatas priori modo, contineri rerum temporalium numero, cum ſint meræ priuationes realium actionum. Non autem ſecundò, enimuero habent humana opera, vt rerum ad quas referuntur, ac tendunt, naturam induant, ergo ſi indultarius ſilentii ſui, ſi non poſtulandi beneficii ſpiritualem ſibi finem præſtituat, erunt hæ res quoque ſpiritales, ac ſacræ, at ita res habet, nam vt dantis pecuniam, finis præcipuus eſt, obtinere beneficium, quod non eſſet ei conferendum, niſi indultarius abiret iure ſuo, ita & tacentis, iuſque ſuum ſupprimentis indultarii, finis eſt facere vt is à quo in eam rem pecuniam recipit, illud conſequatur, ſed ſpiritalia commutare temporalibus, eſt Simonia, ergo falſa minor in qua dicitur non poſtulare beneficium, abſolute & omni modo, eſſe quid temporarium.

D

Obiicies ſecundò, licet vexato redimere vexationem, oblatione pretii, at vim inferri ab indultario beneficiorum candidatis, nemo negauerit, qui meminerit eos, quo minus ad honores Eccleſiaſticos admittantur, impediri per indultarium, cuius eſt præ cæteris omnibus, antiquiſſima habenda ratio. Minor eſt neganda, ad vexationem enim iniuſtam, duo ſunt neceſſaria primum vt qui vexatur, & dat pecunias, ius habeat quæſitum in beneficio. Alterum vt vexans iure ad illud careat quorum nihil in præſenti negotio interuenit, non primum, cum in ordinarii poteſtate ſit poſitum, reſpuere quoſlibet, præter indultarium præſentatos à Patrono, aut concurrentes, per oppoſitionem meritorum ad illud; Nec ſecundum, quia voluntate Pontificis, ius ad beneficium vacans indultario competit, argumento eſt, quod petitum negari ei ab Ordinario, nec poſſit, nec debeat.

E

Dico tertiò, *Pro Canonico haberi non poſſe, qui pretio ſibi ad eum honoris gradum, viam apud indultarium munit, modo qui eſt in aſſertione poſitus.* Ratio eſt, quod collatio beneficii Simoniaca, ipſo iure ſit nulla, at ſine collatione legitima, qualis eſt, quæ Simoniæ labem non habet, aut vitium ſimile, Canonicus dici nullus poteſt, ergo nec iſte, quandoquidem in Canonicorum numerum mala irrepſit arte. Maior fidem habet ab Extrauag. Pauli II. de Simon. vbi habetur in conſcientia ante omnem ſententiam huiuſmodi collationem eſſe nullam, ſiue ſit occulta Simonia ſiue manifeſta, & ad reſtitutionem beneficii Simoniacè prouiſum, obligari ſub periculo animæ, ante omnem ſententiam.

Scio quoad hoc ſecundum, ſecus ſentire Vualdum in ſupplemento Candelabri aurei, cap. 1. n. 42. & ſequenti, ac Millardum c. 68. de Sacramento pœnit. inſtruct. 2. qui ambo putant ei qui crimen Simoniæ contraxit in beneficio, eo non neceſſario abeundum eſſe, niſi poſt ſententiam declaratoriam criminis quod Extrauagans Pauli II. eam non excludat, ergo cum *omnia iura mundi quæ dicunt pœnam imponi ipſo iure vel facto, debeant intelligi dummodo ſequuta ſit ſententia declaratoria*, præterquam in cenſuris Eccleſiaſticis, Sylu. verbo Aſſaſinus qu. vltima, quam tamen Paulus non excipit, ſequitur (inquiunt hi auctores) eam à Simoniaco expectari poſſe, ab eoque beneficium retineri, dum in eum feratur, eſt hæc opinio parum tuta, nec proinde ſequenda in praxi.

Quæ enim poſſidentur donatione inani ac nulla, hæc ſunt vero ac legitimo ſuo Domino reddenda ante ſententiam, at eſt collatio beneficij quaſi donatio, eaque Simoniaca & in conſcientia nulla, ergo illud eſt relinquendum non expectata ſentẽtia.

QVÆSTIO XIV.

An Canonicus qui fidem ex præſcripto Concilij, non eſt profeſſus, quo debebat tempore, reſtituere quidpiam Eccleſiæ debeat.

CAuſa dubitandi eſt quod id exigit, Concil. ſeſſ. 24. cap. 12. in hæc verba: *Prouiſi de Canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, non ſolum coram Epiſcopo, ſeu eius Officiali, ſed etiam in Capitulo profeſſionem fidei facere teneantur, aliqui prædicti omnes prouiſi, vt ſupra, fructus ſuos non faciant, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.*

Ex quibus verbis intelligere datur primò, hac lege non comprehendi Canonicatus Collegiatæ Eccleſiæ, aut eiuſdem dignitates, nec minora alia beneficia. Primo, quia lex pœnalis, cum proprie ſit intelligenda, non extendit ſe ad ea, quorum expreſſe non meminit, Flam. lib. de reſign. 11. qu. 11. num. 35. & ead. num. 33. *odia enim ſunt reſtringenda*, per regul. odia de regulis iuris in 6. At eſt inſtar odij, pœnæque, quod qui iure communi ab ea profeſſione liber erat, emittere illam iubeatur ſub pœna priuationis fructuum: ergo &c.

Secundò, nouæ leges, & quæ vltra ius commune, aliquid imperant, aut exigunt, non ſunt extendendæ ad ſimilia, ex identitate rationis, iuxta Nauar. conſ. 16. & 17. de præb. Piaſecium prax. Epiſcop. part. 2. cap. 5. num. 33. ergo nec præſens de facienda profeſſione fidei, à Canonicis Cathedrahibus ad Collegiatos.

Secundò, colligitur ex verbis Concilij, ad fugam pœnæ ab eo impoſitæ non profitencibus, fa-

Digitized by Google

tis non esse, eos ad id procuratoris vti opera,

Primò, quia ita definiuit sacra Synodus, Nau. teste consil. de iureiur. vndecimo, & Piasecio supra n. 90.

Secundò, cum iuramentorum personalis sit obligatio, non alij iis tenentur, quam qui ea concepere, ergo nec iuramento, quod Pius IV. professioni fidei vult subiungi, tenebitur alius, quam qui nuncupauit, at hoc non est satisfacere Pontifici, non legi, quorum est hæc in exigendo, iuramento mens & consilium, habere in fide ac obsequio aduersus Romanam sedem beneficiarios, ac Canonicos stabiles, vt patet ex his verbis Constitut. Pij IV. quæ incipit iniunctum nobis Apostolicæ seruitutis.

Publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Romana Ecclesia obedientia permansuros, spondere, & iurare teneantur, hæc Bulla iam ad quæstionem. Ecquid Canonico Cathedralis Ecclesiæ, ecquid Parocho, aut Episcopo, si profiteri fidem statо tempore omiserint, restituere fructus perceptos est necesse?

Dico primò, *Ad id Canonicum & cæteros, non teneri ante iudicis sententiam.*

Probatur nulla pœna Ecclesiastica, priuans hominem re possessa, siue sit temporalis, siue mixta, ipso iure aut facto inflicta, locum habet in conscientia, ante sententiam, ita Suarez lib. 5. de legibus cap. 8. Summistæ verbo pœna. Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 7. qu. 1. & 3. Henriquez lib. 13. cap. 56. §. 2. & 3. Caiet. in 2. 2. quæst. 62. art. 3. Emman. Sa Romæ correctus, verbo pœna nu. 1. Less. 2. de iust. cap. 29. num. 63. at quod teneatur aliquis restituere fructus beneficij, ob non factam fidei professionem, est pœna, ergo non necessario ante iudicis imperium perferenda à reo. Maior est certa, ex cap. 19. cum secundum leges de hæreticis in 6. vbi eorum bona, in pœnam hæresis, ipso iure fisco sunt acquisita, & tamen eodem can dicitur, non nisi post sententiam ab iis esse deserenda. Minor est Nau. in Conc. de iureiur. 12. num. 1. expresse, & Azorius to. 1. lib. 7. cap. 2. qu. 2. in fine & probatur, quando vult Ecclesia, homini sub mortali nexum ad aliquid in conscientia faciendum iniicere, ante sententiam, solet iis verbis, addere & alia, quibus id declaret, vt videre est in Extrau. 2. de Simon. & decreto Lateran. Concil. renouato à Pio V. de horis Canonicis, nam in Constitutione quæ ad eas beneficiarios obligat, ait eis in conscientia, hoc est sub mortali, restitutionem faciendam esse fructuum, si cum culpa, eas non recitauerint quare cum de culpa in non restituendis prædictis fructibus mentio à Concilio nulla fit, signum est ante sententiam, à nullo, vltro ac sponte restitui eos oportere.

Contraria tamen opinio est probabilis, quam defendunt Piasecius prax. Episcop. parte 2. cap. 50. tit. quomodo beneficia sint conferenda nu. 90. Sa verbo pœna num. 1. Reginald. tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 3. nu. 25. Eorum hæc est ratio, quod fructus quos suos non efficit beneficiarius, sint haud dubiè alterius, at quod est alterius, iure naturali ei est restituendum ante omnem sententiam quare pauperibus Ecclesiæque, fructus hi sunt debiti, in istorum opinione satis probabili, pro quorum acquirendo dominio facere non potest triennalis possessio, Regin. supra & Piasec. num. 91. quia fauet hæc tantum acquirendo titulo, non fructibus, ad eos ergo non est talis possessio detorquenda facile.

A Dico secundò, *Vbilibet excusari à restitutione perceptorum fructuum facienda, ob non factam professionem fidei, qui probabili se iuris eius ignorantia tueri potest*, est contra Regin. pro Azorio parte 2. moral. instit. lib. 7. cap. 2. qu. 2. Piasec. num. 90. Nau. consil. de iureiurando 12.

Probatur. vbi non est culpa; nec ibi locum pœnæ ob eam impositæ, illiusque effectui vllum esse oportet, at ab ignorantia probabili, abstergitur macula omnis non factæ professionis fidei, cui hæc retinendorum fructuum incapacitas est imposita à Concil. tanquam pœna culpæ, per eam omissionem admissę, transgressione obligationis propositæ, ergo si culpa sua nulla, ac proinde inuincibiliter Canonicus ignorauerit, obligari se ad professionem fidei, intra bimestre, ei non necessaria vlla erit fructuum perceptorum facienda in conscientia restitutio, ad eam tamen cogetur, in foro externo, quia in eo nullus est locus excusationi iuris clarissimi per can. ignorantia de regulis iuris in sexto.

QVÆSTIO XV.

An Canonico permissa sit beneficij sui resignatio cum pensionis onere, exigendæ à propinquis Resignatarij aut alijs, quos de ea post discessum suum soluenda, vades constituet.

HVius quæstionis explicationem in nonnullas assertiones conferemus, quarum intelligentiæ, præmittendæ videntur quædam hypotheses.

Prima hypothesis, non omnia beneficia pensionis sunt capacia, Gallis enim est exosa, quæ Theologali præbendæ imponitur, Bleyan. auctore de pensione beneficiali n. 36. lit. V. ad marg. cuius rei testes sunt duæ Curiarum sententiæ Burdegalensis & Lutetianæ, quarum postrema de anno 1609. reprobari Senatui placuit, quæ erat Lingonensi præbendæ Præceptoriali addita.

Secunda hypothesis, raro locus est in Gallia pensionibus, quæ cadunt authoritate Pontific. in beneficia parui redditus ex cap. finali extirpandæ tit. de præbend. & Glossa pragmat. tit. de collationibus §. ordinationes. Bergerio in additionib. ad Papon. lib. 3. tit. 5. arresto 1.

Opinor ob eam causam, quod à ratione abhorreat, ad officia, muneraque beneficiarij, aliquem adigi, cui idonei ad vitam commeatus non suppetant, quibus carere eum admodum est probabile, de cuius beneficio, tenui illo ac exili, pars altera detracta est, tribuenda pensionis nomine alteri: si tamen beneficiario tantum soluta pensione supereset quantum honestæ eius sustentationi, ac cæteris oneribus sufficit, nõ video cur ei locus in Francia esse non posset, nam tunc cessaret causa, quamobrem in huiusmodi beneficiis, pensio repudiatur à Curia.

Tertiò reprobatur reseruatio fructuum omnium in Gallia, maxime si resignanti concedantur, à Pontif. pensionis nomine, Rebuff de pacif. possess. num. 116. Papon. arresto 6. cuius rei argumenta, fideique repetenda, à scriptoribus, Choppino 3. de sacra polit. tit. 2. num. 16. in fine, Loüeto littera P. art. 31. vbi cessionem Parochiæ S. Aniani apud

Matiſconam, cum retentione omnium fructuum, loco penſionis, à Senatu Pariſ. reſciſſam eſſe ſcribit, vt Canonibus ac Pragmaticæ contrariam.

Hypotheſis tertia, moriente reſignatario, penſiones quoque moriuntur omnes quæ, quoniam noſtris aduerſantur moribus, abuſiuæ dicuntur, communi ac vſitata voce Curiæ, cauſa eſt, quod iis grauari ſucceſſorem non deceat, pro quo ratio, iura, conſuetudo faciunt, ratio quidem, nam quid à prudentia remotius, quam ad ea, aliquem adigi, quæ non debet, at penſionario indebita eſt à ſucceſſore mortui beneficiarij penſio. nec enim ad eam fide data promiſſiſque vllis ſuis aſtringitur, cum de illa, ne verbum quidem audierit. Quid? quod ei res, negotiaque nulla vnquam cum defuncto interceſſerint, aut eius penſionario? quod ius ſuum ſoli collatori eiuſque aduerſum ſe beneficæ, ac liberali voluntati debeat? nullum mortuo? ergo ſi audietur ratio, ſi prudentia à penſionis eximendus eſt onere, qui defuncto ſuccedit in beneficio per obitum, non autem per reſignationem. Nec abhorrent nã iura (nã conſuetudine poſtea) quam enim legibus, quam parum eſt æquitati conſonum, ei ſuorum partem reddituum tollere, cui integri debentur, more regni? hac vt credo inductus cauſa Canonicus, cautionem ſibi Laicam expoſtulat, promiſſæ penſionis, quam defuncto reſignatario adire liceat, & ita rem ſuam alioqui vacillantem ac incertam, in tuto ponere, quod quam iuſte fieri queat, iam eſt videndum.

Age ergo, ecquid à reſignatario reſignanti eſt conceſſum cautionem vt aiunt Laicam, exigere pro ſecuritate ſuæ penſionis, quandiu ei vita ſuperſtes erit?

Id vero non modo de tempore, mortem Reſignatarii conſequente, negauere, Suar. tom. 1. de religione lib. 4. tract. 4. cap. 35. Reginal. tom. 2. lib. 23. cap. 18. quæſt. 1. num. 251. ſed de quouis alio, itaque Simoniacum eſſe aiunt, id Papa inſcio ac ignorante paciſci, aut eundem ex pacto aſtringere vt tempora ſoluendæ penſionis occupet.

Rem diſtinctione expediendam cenſeo, aut enim agitur de tempore, quo Reſignatarius incolumis, viribuſque integer erit, vel de eo, quod mortem eius conſequitur, ſi de primo, quæſtio inſtituitur.

Dico primò, *Reſignationem factam, cum obligatione aſſecurandæ penſionis, tam aſſignatione vadis, quam prædy alicuius, quod partem efficiat patrimonij reſignatarij, aut eius propinquorum, non eſſe Simoniacam, maxime extra Galliam*, ita Flamin. de confidentiis beneficialibus quæſt. 44. num. 5. reſponſum eſſe tradit à Dominis de Rota anno 1591. præſidente Cardin. Orano, cuius nos rei, quia cauſam pluribus explicuimus tract. de Simon. qu. 21. eius explanatione copioſiore ſuperſedendum in præſenti ducimus.

Dico ſecundò, *Non poſſe Canonicum ſine Simonia, exigere à reſignatario ſuo, vt certos ſibi attribuat homines, qui penſionem ipſi promiſſam ſoluant, aut ſoluendam curent, à ſucceſſore defuncti reſignatarij, cuius olim ſe nomine illi prædes conſtituerũt ac vades.* Pro hac ſententia faciunt à me citati authores & probatur. Onus penſioni additum, opinione hominum æſtimabile pretio, quod nec illi, nec beneficio, aut eius collationi, per ſe aut per accidens eſt coniunctum, Simoniam efficit, vt ſcripſere Reginald. ac Suar. dictis locis. At penſionis aſſecuratio, poſt mortem reſignatarii, à quo debebatur penſionario, onus eſt æſtimabile pretio, cum hanc non leui pecuniæ ſummã redemptam vellet, nec ſit reperire prædes facile, præterquam amicos, aut propinquitate nexos eam gratis qui præſtent. Nec eſt hæc penſionis curandæ obligatio, ac præſtandæ à defuncto beneficiario, aut eius loco à cautionibus Laicis, (vt loquuntur) per ſe collationi beneficii, aut penſioni addita, nec per accidens, eſt ergo eius poſtulatio Simoniaca. Maior eſt certa. Nam eſt Simonia omnium conſenſione ſtudioſa voluntas, dandi pro ſpiritali pecuniam, aut aliquid ea æſtimabile, at tale eſt onus, de quo agimus, quis enim ambigit imponi à Pontifice beneficiis hæc onera? cum gratis cedi poſſint, gratis conferri, non eſt ergo collationi beneficij, per ſe adiuncta aſſecurandæ penſionis obligatio, promiſſæ à reſignatario, poſtquam naturæ fatoque conceſſerit datis vadibus, qui eam ſuo nomine præſtent penſionario, neque per accidens, cum eius nulla ſit Pontifici facta mentio in litteris, quas ad eum dedere ſupplices, reſignans ac reſignatarius.

Secundo, cum omnis conuentio, in adeptione beneficij, ſuper re ei non adiuncta, iuri ſit Canonico contraria, vt habetur in cap. final. de pactis & cap. quæſitum quintum de rerum permutatione ne hæc iſtiuſmodi foret, quam à reſignatario reſignans poſtulat, authoritate Papæ, purgari debuerat, iuxta Nauarr. lib. 5. conſiliorum de Simonia, conſil. 49. Brodæum ad Loüeti arreſta, littera C. art. 40. vbi poſtulante ſapientiſſimo Præſide Siguerio, Pariſienſis Senatus vetuit, Decem 1. a. 1588. ne cui, vlla amodo, pactioni firmitas eſſet, quam Papa non probaſſet. At hæc, de qua eſt præſens quæſtio, illi accepta eſſe quomodo potuit, cum hinc ad eum, ne vocula quidem emanauerit? Maneat ergo quod eſt inter reſignantem ac reſignatarium, motum de cautione danda diſſidium, ad ſolutionem penſionis, poſt reſignatarij obitum, iuſtum eſſe, nec illius improbæ voluntati, poſſe hunc ſine certa Simonia acquieſcere.

QVÆSTIO XVI.

An obligatio reſtituendi quam Canonicus incurrit, omittendo horas, poſſit ab eo ſupleri per eleemoſynas faciendas aut factas antea, de beneficij ſui fructibus.

SVppono primò, beneficiariis, qui ſuo muneri defuere, in recitatione penſi Eccleſiaſtici, eis reſtitutionem fructuum, à ſe perceptorum, eſſe neceſſario faciendam ſi conſcientiæ ſatis facere ſuæ appetunt, idq; ante omnem ſententiam cuius nos rei cauſas plures dedimus, trac. de horis, hic quia breues eſſe volumus minimè repetendas, dixiſſe ſufficiat, eam à Põtifice. Pio V. imperatam, Bullato diplomate, cuius meminere Doctores, Nauarrus præ cæteris Enchir. 25. num. 122. præceptam à Leone item X. in Conc. Lateran. ſeſſ. 9. can. 9. ac vt oſtenderent optimi Pontifices, reo expectandam non eſſe iudicis ſuper ea re ſententiam, de fructibus cum loquuntur, eos tanquam rem iniuſte acquiſitam, pro tempore prætermiſſi officij fabricæ reddendos aiunt, ac attribuendos Eccleſiæ aut pauperibus, quæ enim habentur iniuſte, cum non ſint eius, penes quem ſunt, reddi debent, et ad quem pertinent, etiam iudice non iubente, ergo &

Digitized by Google

fructus Canonicatus, percepti ab eo, qui pensum horarum, Deo, & Ecclesiæ vt erat necesse, non reddidit.

Suppono secundò, fabricæ nomine Ecclesiam intelligi, quæ tam propria est loci, vbi situm est beneficiū quā aliam quācunque, proindeque explere quę sunt officij, qui in commodū alterius pij loci impendit, quæ ob omissas horas, sibi sunt restituenda, Concilij imperio, pauperibus aut fabricæ, causa huius rei est, quod expresse canon 9. citatæ sess. fabricam denotat & pauperes, ergo beneficiario liberum est quibuslibet dare quæ debet, neglecti officij nomine. Ad quæstionem iam delabatur oratio, licet ne Canonico data de beneficij fructibus in eleemosynam, aut ad reparationem domus quam incolit, aut ædificij cuiuslibet, ad illud pertinentis, offerre Deo in solutum eius obligationis, quam habet restituendi, quanti æstimantur percepti fructus eo tempore, quo sibi à precibus necessariis, ex propria instituti sui ratione defuit.

Prima Assertio, *Canonicus bona quibus olim bene ac liberaliter est de Ecclesia meritus, aut pauperibus, hæc potest velle data à se eo fine esse, vt ab onere restitutionis faciendæ, ob præteritas à se horas, postea sit liber, si cum fuit in pauperes munificus, hoc ei in mentem venit, non aliter.* Antequam probetur, nota eleemosynam, posse dupliciter fieri, vno modo, nihil cogitando de ea seruāda vt postea applicetur, ad intentionem facientis, cui, & in quem finem videbitur. Altero, cum expressa, aut virtuali voluntate illam reseruandi, applicandam in posterum pro satisfactione debiti contracti, horarum omissione. Itáque declarata assertio probatur, quoad primā sui partem, occupare soluendi tempora, licitum est singulis, cum debitore anticipatis solutionibus eximere se nexui quo tenetur sit in laude, at qui erogata pauperibus vult sibi postmodum fore vtilia, ad solutionem debiti contracti, omissione horarum, solutionem anticipat, ergo sine culpa.

Secundò, licet opus liberale in pauperes, sit respectu nostri præteritum, in Dei tamen acceptatione, manet præsens, ac cum iis viribus, quas haberet, si nunc primum offerretur ei, pro restitutione perceptorum fructuum, nec enim eas amittit, ob eam præcise causam, quod actu tunc non referatur ab agente in eum finem ergo vt eleemosyna data pauperibus, ad satisfaciendum obligationi restituendi fructus perceptos, pro non recitatis horis, haberet hanc vim, si nunc offerretur, ita & cum suspensa voluntate facientis, postea ad eum effectum ab illo applicabitur.

Confirm. quas Missas, Sacerdos pro nullo dixit, potest iis applicare, quibus postea deprehendit fore vtiles, dummodo tamen, actu aut virtute, earum sibi vim, effectumque initio reseruatum esse voluerit, secundum Regin. lib. 23. cap. 17. nu. 237, ergo & velle, vt eleemosynæ suæ, iam pridem factæ, fructuum sint loco, quos fabricæ beneficij, aut inopum turbæ debet, pro præteritione officij Ecclesiastici, ac horarum.

Secunda pars Assertionis iam probatur, quæ Ecclesiæ peculiari sunt ac proprio iure debita, in eorum se communionem, aut alium quempiam, inferre nemo potest, at opus meritorium, nec reseruatum, nec applicatum vlli, ad Ecclesiæ thesaurum pertinet, cuius est dispensator solus Papa, ergo id sibi vindicare, nemo potest, sine crimine, sed data eleemosynæ nomine de se, & ex obiecto suo, sunt eiusmodi, quæ ad vitam beatam autori suo viam sternant, ergo non reseruata, aut applicata alicui in ius, potestatemque transeunt Ecclesiæ, de qua posse empi, quis existimet? eorundem relatione à beneficiario, ad expungendum nomen contractum non recitando officium.

Assertio secunda, *Beneficiarius, obligatione restituendorum fructuum prorata omissionis horarum satisfacit, cum Ecclesiam, aut quodlibet aliud ædificium, eorum, quæ ad beneficium pertinent, reparandum curat, modo tamen inter fructus debitos ac perceptos, & impensas, in restauratione loci aut Ecclesiæ faciendas, sit æqualitas.* Hæc Assertio defensorem Reginald. habet, ac patronum, lib. 30. cap. 4. num. 45. ratio est, quod in can. 9. sess. cit antea, non fiat mentio fabricæ Ecclesiæ, beneficij, sed fabricæ beneficij absolute, ergo cum tam domus, in qua beneficiarius habitat, quam quodlibet aliud ædificium, de his quæ ad beneficium spectant, dici possint beneficij fabricæ, factæ iis restaurandis impensæ, esse vice fructuum poterunt, quos rependi pro non recitatis horis est necesse. Et hæc habui quæ de præsenti difficultate dicerem.

QVÆSTIO XVII.

An Canonicus sic psallere in choro debeat, vt si non faciat ea quæ psallentibus instituto Ecclesiæ obueniunt, seruare possit.

Disputationi fit initium à Tridentina Synodo in cuius sessionis 24. cap. de reform. 12. signate Episcopis ędicitur, ne quem in communium Ecclesiæ suæ bonorum societatem, venire sinant, qui per se statam horis Canonicis cum opera præsentiam in choro non exhibet. Placet hic dictam à PP. ea de re sententiam & audire & legere. *Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant, reliqui quauis collusione aut remissione exclusa, illis careant, iuxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit consuetudinem.*

Est autem distributio mihi ac Theologis omnibus, pars aliqua sacrorum reddituum, ei data, aut danda, qui officio in choro intereſt, distincta à præbenda, vt pars à toto, quod coagmentat, nam hanc cum distributionibus diariis annona stata conflat, *Grossum* barbari vocant Petro Gregor. authore li. 15. syntagm. cap. 23. num. 12. qua de re alias dicere hic satis ad præsens negotium, obuentionibus diariis initium factum esse ab Ecclesię charitate aduersus Deū. Enimuero cum hæc non sine doloris acri sensu aduerteret, frigere templa, silere pulpita mœrere diuina officia, Canonicorum ea obeuntium paucitate mirabili, credidit optimum factum esse, eos præmio, vti pueros dulciariis, ad pietatem munusque præstandum illicere, quare seponi de communi mensa redditus certos voluit, cum iis communicandos qui adessent, non aliis, hæc ego commoda, hæc lucra, distributiones diariaque nomine, quæ quam iuste petere, ac seruare possint Canonici, qui vix inchoato officio, pedem domum referunt nec ei toti interfuntiam videndum.

Et quidem dicta causa est, si Nauarr. audimus tom. 1. consil. lib. 3. de Clericis non residentibus consil. 9. si Piasecium praxis Episcopalis parte 2. cap. 3. art. 2. num. 14. cuius in re non vulgari (nec enim à quoquam istius explicatione dubij, signatos commentarios

commentarios memini) cuius eſt inquam expreſ- A
ſa hac oratione ſententia.

Neque debentur diſtributiones intereſſentibus per medicum tempus, omnibus enim horis tenẽtur intereſſe Canonici, & per omnes horas debet fieri compartitio diſtributionum, Hæc ille.

Non ero tamen eiuſmodi in expromenda mente mea, ſenſuque vehemens, ac acer, vt notatos dictione mea, vti virgula cenſoria velim, quotquot ad hanc diem in Eccleſiis vbi conſuetudo inoleuit diſcedendi è choro, vixdum inchoatis matutinis, vt fit Metis, aut intereſſendi tantum Miſſæ vel matutinis ad obtentionem omnium diei prouentuum, vt fit Syluanecti, non ero (inquam) tam rigidus vt damnare velim qui in iis Eccleſiis præſtabili aliqua pietatis laude commendabiles vixerunt, B
quos, in hac materia prædeceſſorum ſolenne ſequutos eſſe, nunquam pœnituit. Quare eſt hæc mea ſententia dum corriguntur, (quod facere Epiſcopo eſt neceſſe, aut Papæ, ſi eius ſolius poteſtati ſubiecti, ab Epiſcopi ſunt cenſura liberi) mea inquam eſt opinio, Canonicos, vbi ſe choro ſteterint, ſub initium, finemque officij, aut horæ vni de præcipuis interfuerint, prout eos facere mos in ſuis Eccleſiis obtinuit, poſſe quicquid præſentibus obuenit, ſeruare.

Primò. quia conſuetudine rationabili, ac præſcripta, humana lex interit cap. finali de conſuetud. cum hæc iſtius ſit interpres, cap. cum dilectus de conſuetud. ſane quoniam ita conſuetudo inualuit, qui Eccleſiæ cauſa abeſt, diaria conſequitur, C
peræque ac qui officio intereſt, Nauarr. tom. 1. conſil. iuxta ſecundam edition. lib. 3. de Cleric. non reſident. conſil. 7. n. 2. quemadmodum & qui corpore eſt æger, iuxta Archidia. in c. 1. de Clericis non reſid. Nau. conſ. 10. n. 10. aut ſcripturæ enodandæ, dat operam in publico vrbis gymnaſio, aut qui pro priuato Capituli bono abeſt, magno multorum commodo, Piaſecius num. 16. at nullo non tempore Canonicis certarum Eccleſiarum, vt Metenſis v. c. ſemper fuit in more, templo egredi, ac diurnis non ſecus frui obuentionibus, quem ſane morem, nemo illico, cum ratione culpatum ibit, ſi ſecum ipſe reputauerit, è maieſtate Eccleſiæ eſſe, fas vt ſit Canonicis egredi cum aliquandiu in ſacra æde, precandi cauſa fuere cum cæteris, ac ſi velint, per ſe pſallere, & non per ſubſtitutas ad hoc operas, id vt illis ſit liberum. Equidem Gregor. ſcimus eius nominis decimum tertium, cum interrogatus eſſet de conſuetudine Eccleſiæ Cõpoſtellanæ, in qua ſenio confecti Canonici, quique 40. annis ſeruierunt, habentur quoad diurnos diſtributionum ſacrarum redditus obtinendos, eodem iure, quo qui præſentes interſunt officio, reſpondiſſe, eam tolerandam videri. Iam hoc quæro, cur quod in Eccleſiis Hiſpaniæ fit impune, ratione conſuetudinis, in noſtratibus id eſt Gallis, culpabile ſit nec ferendum?

Maneat ergo, quicquid ad hanc diem, de quotidianis diſtributionibus obtigit Canonicis qui ex E
conſuetudine inueterata, officio non adſunt, integrè, obtigiſſe prudenter, ac iuſte, nec proinde de eo quicquam reddendum eſſe.

Secundo, cum ſint diaria, Capituli bona, hæc ſibi inuicem largiri Canonicos quid vetat? ſi nulli ſint nominatim debita? at proprie, ſunt nullius. Enimuero, ea ſibi præſentes tantum vendicant, cum quibus commodis priuatur abſens, his augeri præſentes oporteat, ſecundum Trident. loco ante citato.

Tertio, lex non obligat niſi recepta Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 4. quæſt. 1. & 3. Flam. de conſidentia quæſt. 11. dum. 18. & 19. Rebell. de obligationibus 1. p. lib. 1. quæſt. 5. num. 6. At hanc de diſtributionibus Eccleſiaſticis negandis abſentibus, aut diſcedentibus è choro poſt pſalmum primum matutinarum, viguiſſe vnquam Metis v. c. quis aſſerat? Quid? quod toti officio, etſi improprie ac ſynecdochicè, intereſſe dici poſſint? cum ſua eos implere ſubſellia, tam principio quam fine ſit neceſſe.

Eſt quæſtionis pars altera communior vt quæ non eos tantum quorum hactenus iura proſequuti ſumus, ſed vniuerſe Canonicos omnes ſpectet.

Ecquid ergo eis, diuina per ſe ſunt obeunda myſteria? ecquid illis canora voce, ac modulata, legendæ horæ laudabili inſtituto Eccleſiæ?

Affirmantem tenet Ludouic. de Beia tom. 1. caſu 35. & alii quos citat. Negantem Leonard. Leſſius lib. 2. dub. 33. cap. 34. num. 184. & ſequentibus, quam probabilem quoque eſſe iudicat Regin. to. 2. lib. 30. cap. 5. n. 60. cum Couarruuia lib. 3. Variar. cap. 13. n. 4.

Dico primò, *In quibus locis, Canonicis per ſe cauere in choro vſitatũ eſt & ſolenne, eos nõ implere officium, qui id miniſterium religioſum, ac vtile, reſiciunt in ſocios, contenti priuatim orare, ac ſubmiſſa voce.*

Cauſa eſt, quod qui de bonis communibus Eccleſiæ, vitam propagat, ei quoque miniſtrare debeat, vt dicitur cap. cum ſecundum Apoſtolum de præbendis: at in quo eſt Eccleſiæ vtilis, qui præter ſpeciem ſuam, nihil ei publice, in choro accommodat? Ecquid ſunt principio inſtituti Canonici, vt Cœnobitarum inſtar eſſent? quaſque hi Deo laudes, ſtatis horis publice occinunt, & has quoque illi exhiberent, alternantibus choris? Abeunt ergo Canonici à fine cuius cauſa inſtituti ſunt, qui non niſi tacite, horas domi, aut in choro decurrunt, vetus enim eſt hoc verbum, Concil. Baſil. ſeſſ. 21. paragr. 3. *Pſallere in choro Canonicorum eſſe officium.*

Secundo, Canonicus tenetur ad perſonalem reſidentiam, at hæc interit cum ipſe per ſe non pſallit, reſidere enim nihil eſt aliud, quam perſonaliter officium ſoluere in proprio beneficio, at pars magna muneris Canonici, eſt cantus publicus, cum eam ob rem inſtituti ſint Canonici, vt cultum publicum Deo reddant, qui cultus cum eſt publicus, publicam teſtificationem habet, quæ teſtificatio magna ex parte conſiſtit in conficiendis ſacrificiis ac pangendis diuinis laudibus, peccat ergo Canonicus, qui clara voce officium non recitat, cum ſubmiſſa & ſecreta pſalmorum recitatio teſtimonio publico careat.

Dico ſecundò, *Mihi quoque videri probabile prætermiſſionem cantus in choro, Canonicum priuare aliqua parte fructus qui ſunt ei ratione ſuæ præbendæ debiti.*

Cauſa eſt, quod donationis hypotheticæ vt vis eſt nulla, conditione non poſita, ita quæ per eam ſunt habita, hypotheſi non extante ſunt reddenda: at redditus Eccleſiaſtici annui, ſunt Canonicis indebiti, niſi cauſa officij, cum ob hoc, eiuſque gratia aſſignentur ab Eccleſia, ea. fin. de reſcript. li. 1. decretal. Hoc vero, quis magnam partem conſtare neget, horarum recitatione publica? alioqui, quorſum ad eas ſignum datur? quorſum canunt? ſi id facere, Canonicorum nihil intereſt? Stulti

Tridentini Patres ac nullius Concilij homines, cum Epiſcopis, Decanis ac Præpoſitis imperant, id vt ſtrenue ac gnauiter dent operam, ne Canonici per ſubſtitutos munere fungantur, etiam pœna peccantibus addita, vt intelligere ex his eorum eſt facile ſeſſ. 24. cap. 12. *Omnes per ſe diuina & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, atque in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis, Dei nomen, reuerenter, diſtincte, deuoteque laudare.*

Secundo, ſunt inſtituti Canonici, non tantum vt interſint choro, ſed vt canendo ſint præſentes, & ideo veluti operæ ſuæ ſtipendium diſtributiones eis diurnæ, dantur inſtituto Eccleſiæ, vt eſt in Baſileenſi Concil. ſeſſ. 21. paragr. 3. & in Aquiſgran. cap. 131. ergo ſi non cecinerint, earum iure ac dominio excident, quod à Congregatione Romana reſponſum eſſe, eoſque niſi pſallant, officio ſuo non ſatisfacere, ſcribit Comitol. reſponſion. lib. 1. qu. 62. quæ eſt opinio Nauar. de orat. cap. 13. nu. 17. Beia ſupra, Soti lib. 10. de iuſtitia qu. 15. art. 4. Summæ coronæ prima parte cap. 2.

Ac vt de horum fructuum quantitate reddenda, certi quid poſſit ſtatui, meminiſſe eſt neceſſe, Canonicorum 4. eſſe munera propria, orare priuatim, ac publice, ſupplicare cum cæteris, ac cum foras proceditur religionis cauſa ad vicinum templum, locum ordinemque tenere, poſtremo, rem communem Eccleſiæ, cum de ea refertur ad Capitulum, induſtria conſilioque tueri, quibus vt partes reddituum ſingulæ reſpondeant, dandam eſſe per confeſſarium operam exiſtimant graues Theologi, vt pro omiſſo cantu, portionem quartam redditus eius diei reſtitui curet in vſum fabricæ aut pauperum: quare

Dico tertiò, *Vbi priſci aui conſuetudo, maiorumque viget inſtitutio*, quã Trid. ſeſſ 24. cap. 12. tantopere vult Canonicis commendatam eſſe, vt ipſi per ſe, horas clara voce canant in Eccleſia, eos non lucrari diſtributiones integras, niſi in choro ipſimet pſallant, Caiet. tom. 1. opuſculor. reſp. vlt. Nauar. cap. 16. de orat. num. 47. Suar. lib. 4. de horis cap. 12. num. 10. ratio eſt, quod hæ non dentur ob ſolam præſentiam, ſed maxime propter ſeruitium Deo præſtitum eo modo quem Eccleſia poſtulat, qui modus conſiſtit in pſalmodia, argumento eſt quod diuinum officium maxime publicum, ita ſit inſtitutum, vt cum à multis in templo dicitur, ita recitetur vt alteri ab alteris exaudiantur, quod ipſum eſt pſallere, à fine ergo Eccleſiæ recedit qui præter præſentiam ſuam nihil affert in templum, quo Deo honorem ac reuerentiam conciliet. Quare decreto Bononienſis Eccleſiæ pro intereſſentibus, nullo modo habendi, ſed pœna multandi dicuntur, qui priuatim officium decurrunt, cum nec muneri ſuo ſatisfaciant.

Confirmatur ſunt diaria, ex mente Concil. non aliis, quam qui choro interſunt danda, at quis præſentem exiſtimet, quem negotia domeſtica, domi volentem retinent, aut à prece quæ ſit in templo publicè, priuatæ eiuſdem preces retardant ac cohibent? Enimuero cum ratio inſtituendi chori ſit oratio publice ad omnium commodum Deo principi exhibenda, cenſendi ſunt Patres, Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. cũ volunt Canonicos pſallere per ſe in choro, de eo loqui in cũ ſenſum, qui illi ſpectata inſtitutione ſui conuenit, at chori ratio in vnius communicatione cum alio eſt poſita, ſic vt quicquid ibi precum, Deo ab vno offertur, ſit commune alteri, quod non accidit haud dubie, cum hæ aut ſubmiſſa voce offeruntur, aut nullæ dicuntur, ergo cum obligationi annexæ choro non ſatisfaciat, qui corpore, membriſque præſens, vel ſilet, vel priuatim Deo loquitur, diſtributiones diei proprias, minime lucrabitur.

Dico quartò, *Quando Cantores modulationem in choro harmonicam adhibent, aut ſi communem & non ex arte, tamen inſtituram ex more, ad Canonicorum ſubſidium, poſſe Canonicos conſequi, quidquid eis eſt fructuum ac diſtributionum nomine debitum.* Ita Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 33. Raph. de la Torre, in 22. q. 83. de horis Canonic. contr. 10. diſp. 7. P. de Nau. lib. 1. de reſt. cap. 2. num. 217.

Primò, quia in hoc caſu nihil à Canonicis exigit Eccleſia, præter præſentiam ſuam in choro.

Secundò, quia talis eſt conſuetudo Eccleſiarum fere omnium quæ vim legis obtinet.

Argumentis allatis in 2. aſſertione reſponderi debet, priori quidem negando minorem, hoc ipſo enim quod Eccleſia Cantoribus aut Capellanis vtitur ad pſalmodiam, Canonicos à canendo liberat, eoſque ſacrarum obuentionum capaces reddit, ſi horas priuatim ac ſubmiſſa voce dixerint.

Ad Conc. Trid. reſpondet Leſſius ſupra n. 186. dicendo verba eius ac præcepta ſpectare ad Epiſcopos, à quibus dicuntur compellendi Canonici vt pſallant, proinde eos peccare ſi non faciant. Quod ſi de Canonicis loqui Concilio eſt propoſitum, dicendum eſt, quoad hoc non eſſe receptum, nec curaſſe Epiſcopos. vt in hac parte exequutioni mandaretur.

Ad Concilia Aquiſgran. & Baſileenſe dicendum iis non præceptum contineri ſed conſilium: vt indicat vox *debent*, qua vtuntur, quæ nota eſt ac index non præcepti ſed conſilij.

Obiicies contra primam partem explicatæ quæſtionis, à ſuprema Tholoſatium Curia ann. 1585. reſciſſum ſtatutum eſſe, quo Canonicis in commune viſum erat, è re publica regni ſuaque eſſe, vt diſtributionibus diei integris gauderent, certis ſe horis tantum ſiſtendo Eccleſiæ: Caronda teſte in memorabilibus verbo Eccleſia, Fabricio de præbendis eorumque fructibus littera I. ad margin. pag. 244.

Reſpondeo, id ad rem nõ facere, nã quæ vno ſunt loco vetita, quia ſic eſt ſuperiori placitum, cur alio ea facere eſt nefas? Deinde, cum nihil commune Franci habeant ac Auſtraſij, cum Occitanis, cur quæ iſtis lex eſt dicta, à iudicibus prouinciæ, ad Canonicos alios regni tranſibit, tanto ab illis terrarum interuallo diſiunctos?

Tertio, cum Principis ſit ſolius legem ſciſſere, populi recipere, quarum ei rerum altera cum deeſt, vim eius quoque tolli omnem eſt neceſſe, quæro, quando, vbi, & quomodo illa Curiæ Tholoſanę ſanctio à Rege ſit probata? cui nunquam ad hanc diem innotuit. Quid? quod iudicum, quod magiſtratuum, quod tribunalium ſit Sacerdotibus parere, non ius dicere? Niſi forte Tholoſates ouium non ſunt in numero, quarum in perſona Petri, Sacerdotibus cura eſt à Chriſto vindice commiſſa? quam ergo inaniter eſt, nulloque fundamento, contra Canonicorum regni antiqua iura, Tholoſatium obiecta ſententia?

Eiuſdem eſt generis, quod de Concilio Trident. in quibuſdam Eccleſiis Galliæ Metenſi maxime promulgato narratur, ſic enim diſputant, Caroli Cardinalis à Lotharingia fœlicibus auſpiciis, in ea eſt vrbe olim euulgata Synodus Tridenti habita,

Digitized by Google

ac recepta, eius ergo teneri legibus cenſendi ſunt quotquot in illa Canonici viuunt. Neganda eſt conſequentia quod quæ Concilii decreta recepta ante in ea vrbe fuerant, & à Cardinali inducta in mores, vim ibidem vſu contrario habere deſierint, legendus Azor. par. 1. lib. 10. cap. 11. qu 6. Squillante de obligat. Cleric. p. 1. q. 29. n. 56. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 12.

QVÆSTIO XVIII.

An Canonico qui ſine Epiſcopi facultate aliquanto tempore à ſuo beneficio abfuit, Canonicalis prebendæ fructus ſint debiti.

QVod mediocriter eruditos non latet ſtatam per ſe, ac ſtabilem operam iure communi exhibere debent Eccleſiæ ſuæ Canonici, eam obrem enim luculentis prouentibus, tam diurnis, quam annuis donantur, vt Eccleſiam, ſpecie iuxta, ac cõcilio, precibuſque ſuſtineant, etſi vt ante dicere memini, nonnullibi ad eius maieſtatem ſplendoremque ſubſtitutis vti operis in lucro ponant, quod quale ſit, cum nihil ad præſens negocium faciat, dicere hic non neceſſe, ſed tantum, hanc mihi videri cauſam eſſe iuſtam, confeſſario cuilibet, iniiciendi ſcrupuli Canonico ſuper reſtitutione facienda fructuum perceptorum in abſentia.

Enimuero ſic diſputoi data ob cauſam danti ſunt reſtituenda, cum hæc non ponitur, at obuentiones ſacræ Canonicatuum, tam diurnæ quam annuæ, non alteri voluntate Eccleſiæ ſunt debitæ, quam qui reſidet: ergo cum cauſa nulla, ſperatis precibus populum, templum autem opera, induſtriaque ſua Canonicus priuauerit, quicquid ad eum interim lucri peruenit ac commodi, læſæ reddendum eſt Eccleſiæ aut pauperibus.

Nihilominus quod pace, veniaque dictum ſit ſecus exiſtimantium, non exiſtimo Canonicum ad id vlla adſtrictum lege eſſe, ante iudicis Eccleſiaſtici ſententiam. In eam inducor mentem, authoritate primo Concilij, exinde ratione, ecquid ergo Concilium? Nimirum priuari authoritate Epiſcopi, Canonicos imperat, dimidia parte ſuorum fructuum, cum vltra trimeſtre, ſine eius conſenſu abſunt, ſic enim in ſeſſ. 24. cap. 12. *Obtinentibus in iſdem Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, prebendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis, vltra tres menſes, ab eiſdem Eccleſiis qualibet anno abeſſe, aliqui, primo anno priuetur vnuſquiſque, dimidia parte fructuum, quos ratione etiam prebendæ, ac reſidentiæ facit ſuos.*

Quo ex loco ſic argumentari libet, verba imperatiui modi, quibus lex concipitur, pœnam ferendam continent, non latam, iudicem enim reſpiciunt non reum. At præſens quæ eſt de reſtituendis à Canonico fructibus, pro rata ſuæ abſentiæ, pertinet ad Epiſcopos cum iis Patres Concilii pro authoritate dent in mandatis, vt eos à reis, id eſt Canonicis, quos ſuo iniuſſu abfuiſſe contigerit, ſeruari, ne ſinãt, Teſtis ex Trid. modo recitata oratio. Teſtis, & hæc eodẽ inſerta capite: *ſique perſiſterint in eadem negligentia, priuentur omnibus fructibus & creſcente contumacia, procedatur contra eos iuxta ſacrorum Canonum decreta.* Amabo enim cuius eſt abſentem Canonicum plectere? cuius in inſequendis criminibus Canones audire? cuius contra reum procedere? quam vero nulli non eſt cognitum, munus id eſſe iuridici? niſi forte patitur humanitas, in ſe ſæuire quenquam, ac quam natura damnat in barbaris, Clericum aduerſum ſe exercere violentiam? Non eſt ergo ſimile vero, à Canonicis, quos percepere fructus beneficij dum abeſſent, redhibendos Eccleſiæ, ac pauperibus, antequam id facere iubeantur per ſententiam. Ita Sylu. expreſſe in verbo Clericus 4. n. 24.

Tempus vero abſentiæ Canonibus vetitæ in Canonico, id cenſeri debet, quod trimeſtre ſupergreditur, quo in genere id cauendum maxime.

Primò ne per Epiſcopum, eiuſque beneficentiam abſint Canonici in Natali Domini, Paſchate aut aliis anni celebritatibus, Congregatio Cardinal. in deciſionibus ſuper ſeſſ. 24. cap. 12. verbo *qualibet anno*. Exinde ne omnes, aut eorum pars maior, eodem tempore ad ſua negotia, relicto choro abeant. etiam tùm cum per Concil. domi, aut ruri, res ſuas trimeſtri toto agere, cuique eſt integrum. Congregatio Cardinal. ibidem verbo *Vltra tres menſes*, id duntaxat iis eſt licitum quibus videbitur Epiſcopo, & Capitulo, verba ſunt Cardinalium loco cit. *Non poſſunt tamen omnes eodem tempore recedere, ne Eccleſia deſtituatur ſuo debito ſeruitio, ſed tantum ea pars Canonicorum quæ videbitur arbitrio Epiſcopi & Capituli poſſe abeſſe*, hæc Cardinal. ex quibus, colligere cuique eſt facile, quod Epiſcopo dum viueret, hoc quoque ſede vacante, Capitulo in Canonicorum cauſa permiſſum eſſe de quo nos alibi.

Iam ad argumentum initio poſitum.

Reſpond. eſt negatione Minoris, licet enim peccet Canonicus non reſidens in loco ſui beneficij, aut ſi reſidet ſtatis horarum temporibus, ad templum officij cauſa non penetrans, nego tamen eum peccare, beneficij fructus ſui exigendo, aut exactos ſeruando, ante ſententiam. Cauſa eſt, quod interim dum hæc fertur, ex tacita Eccleſiæ voluntate ſint eius: indicio eſt, quod his illum ſpoliari, exuique per iudicem, tantum Concilium imperet, ergo dum hic eos retinere patitur, tacitè quoque eorundem dominium retinenti concedit, Regin. to. 1. cap. 5. num. 59.

QVÆSTIO XIX.

An liceat Religioſo Canonico Canonicatum ſuum reſignare.

PRo parte negante ſunt argumenta ſequentia.

Primum, quod reſignatio non ſit niſi beneficij aut officii ceſſio, beneficium manuale, quo de genere ſunt Canonicatus Regularium, non eſt beneficium, cum ad eius rationem pertineat eſſe perpetuum, quod manuali non conuenit, vt pote quod eſt ad ſuperioris arbitrium, nutumque reuocabile. cap. cum ad Monaſterium parag. tales, de ſtatu Monach. & Clement. vnica parag. præmiſſa de ſupplenda negligentia Prælatorum.

Secundò, cum reſignatio ſit iuris ſui ceſſio, fieri hæc à reſignante non poterit, ſi beneficium manuale, ad eum non pertineat, at verum eſt prius, ergo & poſterius. Maior eſt certa Minor proba-

tur, quæ reuocari queunt, hæc dominio pleno, ſubeſſe nequeunt eius cui adimuntur, cum iuſtè priuari re ſua nemo queat & debeat, ſitque poſſeſſio dominij proprietas, at beneficium manuale eſt reuocabile.

Tertiò, poſſidens beneficium manuale, inuiti non poteſt, regula de triennali aut annali poſſeſſore, ex Moledano deciſ. 169. alias 340. & Dominis de Rota 13. Iunij 1549. ergo nec iure reſignandi, beneficiariorum proprio.

Contrarium tamen vt probabiliùs tenent Flam. de reſign. lib. 2. quæſt. 11. num. 5. & lib. 55. quæſt. 3. Rebuff. tract. de nomin. quæſt. 9. num. 15. Bleyan. in theor. tract. de manual. & temporarijs benef. num. 4.

Ad intelligentiam notare placet primo, eſſe manuale beneficium, iſtarum rerum intelligentibus, idem ac quod ad nutum, proque voluntate ſuperioris, de vnius manu in alterius tranſire poteſt, ſaltem potentia.

Secundò, Ad rationem perpetui, in beneficiorum materia, ſufficere ſi potentia ſit tale, iuxta Syluest. verbo dignitas num. 1. Regin. tom. 1. lib. 30. tract. 3. cap. 9. num. 138.

Primò, quia ex Rebuffo tract. de nominationibus q. 9. num. 15. id eſt perpetuum, quod pro tali iudicatur, leg. ſufficit digeſt. de condit. indebiti, vel vt dicit Regin. loco proxime cit. ex lege iuriſperitos de excuſationibus in principio quod non definitur certo tempore, quantumcunque detur, ad ſuperioris beneplacitum. Quæ duo vt patet beneficijs manualibus competunt, ſunt ergo perpetua. In quo etſi me mea credulitas aut verius Rebuffi ac Regin. auctoritas falleret, ab eorum tamen abire ſenſu, in præſenti mihi negotio non eſſet facile, cum beneficia omnia manualia in Gallia ſint perpetua, autore Bleyano tract. citat. in 10. indicio, eſt quod ſemel à ſuperiore collata Monacho, ei adimi ſine cauſa, eaque iuſta nequeant, in quo peccare, eum ſi contingat, appellandi ſuperioris, à quo in antiquum ſuum gradum reuocetur, honeſtam eſſe Monacho deſtituto cauſam, narrat Rebuff. tract. de nominationibus q. 9. nu. 15. quod probat ex Innoc. in cap. inſinuante, qui Clerici vel vouentes, & gloſſa pragm. tit. de collationibus parag. & idem ordo verbo perpetuis, quem autem, ſuperioris nomine, intelligi hic oporteat, non ſatis ſcriptoribus eſt certum, Bleyanus, ait eſſe curiam, ad quam deſtituto, tanquam ex abuſu, appellare licitum eſſe ſcribit tract. cit. num. 10. littera F. ad marginem.

Verior eſt Rebuffi ſententia aſſerentis hunc eſſe aliquem vnum è Prælatis Eccleſiæ, deſtituente maiorem autoritate, ac gradu. Iam ad quæſtionem, ecquid manualia beneficia, cuiuſmodi ſunt apud aſſeclas D. Benedicti Operaria, Eleemoſynaria, Infirmaria, Æditimi cura in Clericorum S. Auguſtini reformatorum ordine, Parochia & Canonicatus in ſæculari Eccleſia? ecquid ſunt hæc inquam talia, quæ ſuperiore locali, non præbante, reſignari poſſint?

Dico primò, *Manualia prælato non conſulto reſignari poſſe, in manibus Papæ in fauorem alterius.* Eſt authorum, quos citaui proxime.

Probaturque primo, re ſua cedere quiſque poteſt in gratiam alterius, Papa maxime approbante, at Religioſi, pari iure manualia poſſident, ac alia quælibet beneficia, quorum vere ſunt Domini, & reſignatio quædam eſt ceſſio, ergo ea per illos reſignari poterunt.

Maior eſt certa, minor haud dubiam fidem habet ex verbis Gregor. eius nominis XIII. qui reſignationes manualium, peræque publicandas ait ac eorum, quæ ſunt perpetua, ſic enim ille Conſt. 37. parag. Cæterum: *De quibuſcunque Eccleſijs, Monaſterijs, Prioratibus, tam virorum quam mulierum, dignitatibus, officijs & beneficijs Eccleſiaſticis ſæcularibus, & quorumuis ordinum militarium regularibus, etiam electiuis, & manualibus, acetiam deture Patronatus,* At quis credat ſcientiſſimum iuris Pontificem ignoraſſe quæ Romani ſunt fori? quis ab eo poſita in beneficijs, quæ eius conceſſione liberali, tranſire poſſunt ad alium per ceſſionem poſſidentis, ſi de eorum non ſunt natura, quæ renuntiari valeant? ergo cum manualia lege de publicandis reſignationibus comprehendantur, vere ſunt beneficia, & vt talia relinqui poterunt.

Tertiò, cum Pontifici beneficia omnia ſic ſint obnoxia, vt ab eo conferri iure poſſint, vt dicitur cap. licet 28. de præbendis in 6. & ſecundo eiuſdem tit. Clement. item 5. §. fin. tit. vt lite pendente, quid prohibet ab eo conferri manualia digno maxime homini? at quæ beneficia dari à Pontifice, eadem quoque reſignari in eius manus poſſunt, ergo & manualia Minor probatur. Non niſi ordinario licitum, aut Papæ, recipere ceſſiones vltroneas beneficiorum, aut cum onere, id eſt hypothecas, at illiſipſis, eadem dare iure communi eſt permiſſum, ergo qui conferre, idem quoque poteſt reſignationes admittere cedentium.

Dico ſecundò, *vt tamen facta de beneficio manuali reſignatio, in alterius fauorem ſit valida, eius manualitatem exprimendam eſſe Papæ.* Ita Flamin. de reſignat. lib. 2. q. 11. nu. 7. vbi id definitum memorat à Dominis de Rota, præſidente Petra Sancta quod & aſſerit, Simonetta deciſ. 29. li. 1. Cauſa eſt quod qualitates omnes beneficij notæ Papæ eſſe debeant, cum earum ignoratio omnium aut ſingularum, gratiam ſubreptitiam efficiat, ex dicendis alio loco. Et vero probabilitate non vacat, incidere ſæpe tempora, quibus ſi natura beneficij, Pontifici eſſet cognita, aut eius qualitas, id cuilibet alteri potius, quam petenti conferretur: Iuſta ergo ei cauſa, non deeſt exigendi vt ſingula quæ beneficio accidunt, ex fide ſibi narrentur.

Dico tertiò, *non poſſe Prælatum admittere reſignatario beneficium manuale quo eſt inſtructus Papæ beneficētia ad inſtantiam reſignantis.* Ita Flam lib. 2. de reſign. q. 11. n. 9. & alij quos ibi citat, probatur, quæ beneficia ſunt perpetua, hæc auferri à Prælato ſine culpa aliqua poſſidentis nequeunt, at Pontifex admittendo reſignationem manualis alicuius beneficij dandi alteri, quam Religioſo domus, cuius membrum eſt is, à quo reſignatur tale beneficium, illud ipſum è manuali perpetuum efficit, nam prælatus non ſuum ſubditum, re quæ eius ſit propria, priuare nequit: at beneficium manuale vbi eſt à Pontifice reſignatario conceſſum, eius eſt quam optimo iure, ergo ei non conferendum.

Secundò, data per ſuperiorem alicui, hæc eidem nō poſſunt ab inferiore adimi, alioqui huius maior eſſet authoritas, quam illius, cum per eum facta, infecta reddere, in eius foret poteſtate, quo quid abſurdius? at eſt Religioſorum ſuperior Pontifici quoad omnia obnoxius, ergo quæ ab illo in aliquem de eius Cœnobio merita manabunt, propenſæque voluntatis teſtimonia, hæc iſti facere inania eſt nefas, hæc de quæſtione: Argumenta iam ſunt ſoluenda.

Primò, ſatisfieri debet negatione minoris

vnaquæ omnium, quæ ad eius fidem ſubduntur, cuius rei cauſa eſt allata, in primo notabili.

Secundi Minor item eſt falſa, quemadmodum & propoſitio maior, quæ in eius confirmatione ponitur, nec enim nouum eſt, aliqua Domino ſuo adimi, nam Parochia v. c. iam ab eo inſtanti, quo à ſuperiore confertur alicui, eſt ipſius abſolute, cum fructus eius ſuos faciat, nec teneatur reſtituere, ſi forte præceptum Eccleſiæ de ſumendis ſacris Ordinibus non impleat: & tamen ipſo iure, factoque ea excidit, priuaturque, ſi intra annum, ad ſacrum Presbyterij ordinem, non ſit promotus, quia contractus, ſeu collatio, ex vi conditionis, ei appoſitæ tacitè, ex diſpoſitione iuris reſoluitur, ſi non impleatur, nam quid impedit, quo minus aliquis, rei ſuæ dominium, in aliquem transferat, ſed cum adiectione legis alicuius, quæ ſi omiſſa fuerit, eo decidat ipſo facto? exemplum eſt, in pacto retro venditionis, de quo Leſſius lib. 2. cap. 21. dub. 15. & 14. in donatione à viro moriente, facta coniugi ſuæ, modo ad ſecundos viri amplexus non aſpiret, in beneficio per Simoniam conuentionalem habito, nam & rei donatæ à viro, dominium vere ſibi mulier arrogat, ac quandiu viro ſecundo non adhæret, eam iure quam optimo poſſidet, vti Clericus beneficium, per Simoniam conuentionalem obtentum, quibus tamen rebus, vterque ipſo iure ac facto exuuntur, hic quidem, illico ac Simoniam è Conuentionali realem fecerit, illa autem, vbi ſecundo viro nupſerit, quia tam beneficij quam rei donatæ poſſeſſio, pendet ad hoc vt ſit perpetua, ab euentu futuro, in primo quidem caſu à carentia nuptiarum ſecundarum, in priori à non præſtatione pretij, pro beneficio, quorum oppoſitum cum accidit, reſoluitur ab initio, tam ſuperioris actio, in conferendo beneficio, quam viri in bene merendo, de ſua coniuge, donatione quæ eſt hypothetica, non abſoluta.

Tertij neganda eſt conſequentia, ob cauſas in aſſertione prima, à nobis poſitas, cauſa autem cur regula, de annali aut triennali, manualia non comprehendat, hæc eſt, nimirum quod ſit de natura horum beneficiorum, vt arbitrio ſuperioris cuilibet dari poſſint, quando, & quoties ei videtur, à quo eum impediret triennalis poſſeſſio, ſi in his beneficiis, perinde locum haberet ac aliis, cum per eam titulus coloratus in verum ius, mobile tranſeat in perpetuum, vt dictum eſt in tract. de benefic. tit. de triennali poſſeſſ.

QVÆSTIO XX.

Cuius ſit conferre Canonicatus Vacantes in Curia, Pontificis Romani an ordinarij?

POntificis, ita Gregor. 10. in Concil. Later. vt refertur in cap. ſtatutum 3. de præbend. in 6. & Bonifac. VIII. in Extrauag. piæ ſolicitudinis prima de præbend. *Inde fit*, inquit, *quod nos huiuſmodi dignitates, perſonatus, præbendas, Eccleſias, & Eccleſiaſtica beneficia, quæ apud ſedem eandem intra vnum menſem ex nunc vacauerint, in futuram prouiſioni ſedis eiuſdem, auctoritate Apoſtolica reſeruamus.*

Quid ſi interim Papa naturæ concedat? quid ſi antequam de ſucceſſore in eo beneficio prouideat, in humanis eſſe deſinat?

Reſpondend. exacto menſe à die vacationis eius, ius Papæ deuolui ad Epiſcopum. Verum enim ambigunt non pauci, an menſis de quo in cap. ſtatutum 3. de præb. in 6. fit mentio, à die beneficij vacantis, numerari debeat an à ſubſtituto Pontifice in locum mortui, & ſic menſis ſede vacua (vt loquuntur) non currat, ſed repleta tantum.

Secundò, eſt & hoc incertum multis an dictus Canon tertius ſit de cæterorum albo auctoritate Bonifacij in citata Extrau. expunctus.

Dubitandi hæc eſt cauſa, quod in Extrau. memorata Bonifacius tēporis non meminerit, ſed abſolute beneficia omnia apud ſedem vacantia, aut vacatura in poſterum, eidem conferenda reſeruet, *Determendo irritum ac inane, ſi ſecus in hac parte ſcienter aut ignoranter, per quemcunque, ſeu quoſcunque, Apoſtolica, vel alia quauis auctoritate contigerit attentari.*

Et quidem viſum eſt Scholiaſtæ Canonis ſtatutum 3. menſi initium non eſſe niſi ab inaugurato Pontifice, quod in cap. ſi Apoſtolica 35. de præb. in 6. Bonifacius eius nominis VIII. meminerit eius temporis quo ad Eccleſiæ clauum, nullus Petri loco, cum poteſtate ſedet, ergo tertius eiuſdem tituli, cui principium eſt ſtatutum, ea tantum complectetur tempora, quibus Pontifex Eccleſiæ huius, aut illius prouidentiam nullam gerere videbitur, ſubſtitutione noui Magiſtratus, à quo regatur defuncti loco, hæc ille.

In quo aduerſarios habet Granutium in appendicula ad quæſtionem 31. Simonetam de reſeruationibus beneficiorum, Molinæum in regul. Cancellariæ 18. de infir. reſignantibus num. 168. Zerolam 2. parte in verbo *Reſeruationibus* parag. 2. 4. & 7. qui addit. parag. 2. *à principe conceſſa priuilegia contra ipſum, interpretanda eſſe latiſſime*, Rebuffum in praxi parte 1. tract. de forma & declaratione nouæ prouiſionis num. 13. & 14. quibus duobus locis indicat, ſimplicia beneficia, quæ vacante ſede vacauere in Curia Romana, ab ordinario conferri, ante præteritum menſem non poſſe, in ea ergo eſt opinione, vt exiſtimet, eius opera beneficioque dari non poſſe, ſiue defuncto Pontifici ſubrogetur alius, ſine non, ac perinde, menſem non à creato Papa, in locum alterius, ſed à die vacantis beneficij, inchoandum eſſe, quæ Molinæi quoque eſt opinio, cum aſſerat loco proxime citato, menſem etiam vacante ſede currere, & Commentariis in conſuetudinem Pariſienſem hæc habet: *Sic concludo falſam eſſe & erroneam opinionem Lapi in allegation. 78. non ſufficere interpretationem, ſed præcisè requiri veram ſcientiam, curſum temporis quinimo ſufficit, vt currat tempus, tam ad conferendum, quam ad præſentandum interpretatiuā ſententia, quæ eſt, eo ipſo quod vacatio publicè nota eſt, in loco vel Eccleſia beneficij vacantis, & ita obſeruatur*: in quam ſententiam, vt eam, inducor his maxime rationibus.

Prima, cum verba Canonis proprie ſint intelligenda, ex Gomeſio in regul. Cancell. de infirmis reſignantibus, qu. 13. Flam. de confid. qu. 2. Sanchez 2. de matr. diſp. 15. num. 40. maximè ſi ſit pœnalis, detorqueri non poſſunt ad aliud quam quod proprie ea lege Pontifex ſignificare voluit, at Canones licet 2. & ſi Apoſtolica 35. de præb. in 6. ſunt pœnales, ſaltem improprie, cum magnæ ſit inſtar pœnę, in Epiſcopo, poteſtate eum ſibi debita, ac officij propria priuari, quod ſit tamen illo Canone, quo ei interdicitur, quidquam in beneficiorum Romæ vacantium collatione moliri, ante elapſum menſem, ab eorum vacatione: & alia ex

parte, verba dicti Canonis, trahuntur ad aliud, quam quod iis significatur, quando intelliguntur de vacatione quæ incipiat, à die renuntiati Pontificis, & non beneficiarij mortui, Maior est certa ex can. odia de regul. iuris in 6. regul. 49. can. Pœnæ 18. distinct. 2. de pœnitentia, vbi hæc loquuntur: *Pœnæ legum interpretatione mollienda, sunt potius quam exasperanda*, at leniuntur, cum ad proprium suum sensum ac germanum voces arctãtur, exasperantur autẽ cum laxantur, & applicantur ad alia, est ergo maior vera: capi autem aliter Canonem, quam intelligi Gregor. X. voluerit, facile cuique est, ex verbis eius intelligere, sic enim Pontifex can. statutum 3. *Statutum Clementis Papæ de dignitatibus & beneficiis, in Curia Romana vacantibus, nequaquam per alium, quam per Romanum Pontificem conferendis, decernimus taliter mederandum, vt si ad quos eorundem beneficiorum & dignitatum spectat collatio, statuto non obstante prædicto: demum post mensem, à die, quo dignitates, seu beneficia ipsa vacauerint, numerandum: ea conferre valeant.*

Quo quid in rem præsentem dici poterat expressius? vbi enim vel per vmbram tantum facta, noui Pontificis antiquo succedentis mentio? Sane cum eius, non meminerit, argumento est, noluisse ad integritatem mensis, aut eius initium, rationem habendam vllam eius creationis, alioqui id dixisset, cum Pontifex, nil eorum in sua lege prætereat, quæ vult illa comprehendi, vt dicitur cap. ad audientiam 12. de decimis.

Secundò, quando canon est correctorius iuris vsitati, ac communis hic ad quemlibet est casum in quo illius ratio reperitur, extendendus, ex Nau. in can. pœnæ num. 10. de pœnitentia dist. prima, Sylu. verbo lex qu. 18. verbo pœna qu. 4. at canon licet 2. de præbendis in 6. quo beneficia quælibet Romæ vacantia reseruantur summo Pontifici, ius vsitatum mutat, communeque corrigit, quæ forte est causa, cur ex clausis reseruationibus in corpore iuris, præter eam quæ est de vacantibus beneficiis in Curia, alias omnes reprobet Gallia, secundum Guymierum in pragmatica, Bleyanum in Theoria tractatu de compluribus beneficiorum nomenclaturis num. 5. quam reseruationem nec tum quidem admittimus, cum ex humanis, erepto Præsule Ecclesiæ vacantis administratio, ad Regem est delapsa iure Regaliæ, Pelæus auctor in forens. lib. primo act. 8. etsi ante ius Regaliorum apertum, ceu quam Græci χηρεύουσαν ἐκκλησίαν vocant in Antiocheno Concilio, hanc Ecclesiam sancta sibi sedes sepositisset, aut possessoris obitu, morteque vacaret, Choppino teste de sacra Politia titul. 1. num. 5. & Bleyano loco citato proximè nu. 1. & ad marginem, littera A. quod iudicio quoque Curiæ Parlamentaris decisum esse 11. Kalend. Decemb. anno 1561. & subsequutis postea temporibus scripsit Paponius lib. 2. tit. 3. arresto 13. debet ergo hic canon, cum sit iuris correctorius, (vt loquuntur) ad eos extendi casus, pro quibus faciet ratio, à qua moti sunt ad illum sciscendum Papa, & Patres, sed hæc reperitur in casu quo sede tam destituta rectore, quam eo oppleta, beneficium Romæ vacans possessore caret. Ecquid enim Pontifices impulit? quid Patres mouit vt vellent ius Ordinariis, integrum esse, hominibus quos dignos ea persona in Republica Christiana crederent, vacantia Romæ beneficia, cuiusquemodi post mensem ab eorum vacatione elapsum committere, nisi quæ insidere cuiusque animo debet, A publica incolumitatis cura? Enimuerò, videbant in interregno Pontificio Romaque Pastore vacua, magna Ecclesiam detrimenta pati posse, de quo exempla suppetebant Italis non obscura, per Clem. IV. obitum, nam vt habet Glossa Canonis licet 2 de præbendis in 6. tenuit ea vacatio, annis 2. mensibus 9. & 11. diebus quo tempore, cum ob decretum Papæ Clementis III. recenti memoria editum, beneficia Romæ vacantia sibi reseruantis omnia, in cap. licet 2. magna essent Ecclesiarum vulnera, magna fidelium, eorum priuatione hominum qui eos salutari Dei verbo, ac Sacramentorum pabulo pascerent, operæ se suæ pretium facturos credidere, si quam Clem. III. B cap. statutum 3. Episcopis, ac locorum Ordinariis, beneficia quæ Romæ vacabant conferendi potestatem ademerat, hanc eis integram restituerent, modo ne ante mensem à die quo vacare incœperant ea vti in cuiusquam commodum ac vtilitatem animum inducerent: non ergo à creato Pontifice, sed à beneficij vacatione, vel Parochiæ, faciendum est mensis initium.

Confirm. cum prorogari, contrahi aut impediri sacra Purpuratorum Patrũ comitia, ex multiplici caussa possint, si est mensis, quo tantum exacto, Ordinariis conferre beneficia in Curia vacantia permittitur, ducendus à collata Papæ potestate, per suffragia communia Cardinalium, non modo C menses, sed & annos incredibili bonorum dolore mentiumque detrimento, Pastoribus suis carebunt Ecclesiæ: quo quid Christianæ esse Reipublicæ acerbius potest? quid Præsulibus grauius? quos oportet, intenta cura excubare, in salutem publicam Ecclesiæ, priuatamque omnium, ac ne quid patiatur incommodi, per Parochorum ac beneficiariorum absentiam, Principis Dei cultus, strenuam ac diligentem dare operam.

Tertiò, omnium opinione non est canon statutum tertius de præbend. in 6. conceptus in Papæ odium. non à Gregor. X. Patribusque Lugdun. Concilij editus castigandi Pontificis causa, si tempori Ecclesiis Pastore destitutis non consuleret in- D stitutione alterius qui mortuo succederet verum enim & illi, & istis, sciscẽda hac lege Ecclesiastica, gratificari Ordinariis placuit, eisque ius facere prouidendi beneficiis, ne iusto diutius vacarent, & ita officio merito carerent, non ergo ab inaugurato Pontifice, sed à beneficio vacante, repetendum est mensis huius initium.

Argumenti pro parte opposita allati, neganda est conseq. nec enim in cap. si Apostolica, 36. de præbendis in 6. Ordinariis facultas datur, conferendi Parochiales Ecclesias post mensem, quando sede vacante vacauerint, nam sic casus, in eo expressus, videtur excludere casum sedis vacantis, de quo in cap. statutum, sed cum Ordinariis facultatem faciat conferendi beneficij quamprimum E sede vacante vacauerit, nulla mensis mentione facta, nil ex eo concludi potest contra cap. statutum.

Quæstio fuit altera an subsecuta Bonifacij VIII. Extrauagans cui initium Piæ solitudinis, vim Canonis statutum 3. abroget. Credere id vero mihi non facile, sic enim intelligo, vim legi Pontificiæ non adimi, constitutione ei contraria, nisi id verbis expressis Põtifices significent. vel vt loquuntur iura, *Clausula illi derogatoria*, sic enim Bonif. VIII. cap. licet Romanus primo de Constit. his verbis in 6. *Quia tamen locorum spectalium, & personarum singularium consuetudines, & statuta (cum*

Digitized by Google

ſint facti, & in facto conſiſtant) poteſt ignorare probabiliter, dum tamen ſunt rationabilia, per conſtitutionem à ſe nouiter editam (niſi expreſſe caueatur) non intelligitur in aliquo derogare.

A

At Bonifacio, nil in ſua Extrauagante viſum eſt dicere, vnde Canonis à Gregorio ſanciti vis intercideret, ſic enim ille eo loco, *Inde fit quod nos præbendas, dignitates, perſonatus, Eccleſias & alia Eccleſiaſtica beneficia, quæ apud ſedem eandem intra vnum menſem à data præſentium hactenus in Curia vacauerint computandum, & quæ ex nunc apud eam vacauerint, & in futurum prouiſioni ſedis eiuſdem auctoritate Apoſtolica reſeruamus*, quæ oratio quid habet magnopere, vnde colligi valeat Lugdunenſis Concilij decreto vim factam? cum ne verbo quidem tenus, eius vlla fiat mentio, nullaque Gregorij X. ſanctioni clauſula derogatoria ſit inſerta, perſeuerat.

B

QVÆSTIO XXI.

Capituli auctoritas vacante ſede quanta ſit ac qualis?

ESt Capitulum Canonicorum collectio, eodem ſuffragij cauſa commeantium, impropriè pars eorum potiſſima, maiorque, cuius eſt eadem authoritas, quæ totius Capituli in his quæ neceſſe eſt fieri Lælius cap. 24. num. 7. dicto 4. pium aut vtile, Abb. in cap. cum omnes de conſtitutionibus non autem in arbitratus, ac quæ à ſola voluntate operantium pendent, quæ ne rata ſint, vel vnius diſſenſus ſufficit Lælius citatus proximè: quemadmodum & cum de re quapiam deliberatur, qui numero ſunt minori, firmioribus tamen ac potioribus ad faciendam fidem rationibus nituntur, quam hi à quibus multitudine ſuperantur Abb. in cap. primum de his quæ fiunt à maiori parte Capituli, id autem iudicare ſolus Epiſcopus poteſt, qui ſi Canonicis ſuſpectus erit de fraude, aut huic vacare negotio non poterit, erunt ei arbitri certo numero deligendi, per quos, res tota componatur cap. requiris 2. de appellation.

C

Ex dictis ſequitur primo, nec Capitulum ſine Epiſcopo, nec hunc ſine illo ſtatuere aliquid poſſe quod ſit magni momenti, habetur in cap. nouit & quanto de his quæ fiunt à maiore parte Capituli ratioque eſt in promptu, nam cum Epiſcopus & Canonici vnum corpus efficiant, cuius Epiſcopus ſit caput, hi autem membra, ne diſſidere ab inuicem videantur, ſibique turpe ac periculoſum bellum indicere, decet eos, idem non modo velle, ſed & facere.

D

Patet ſecundò, *Cum interſit capitis membrorum imbecillitatibus prouidere, & pro valetudinum qualitate & qualitate congrua remedia procurare*, Iuo epiſt. 13. Epiſcopo adnitendum eſſe ne qua labes Canonicis adhæreat, quæ tam illis, quam ſibi ſit probro.

E

Patet tertiò, cum capitis & membrorum tanta ſit inter ſe conſenſio, quanta eſſe poteſt maxima prodigij inſtar eſſe, cum Epiſcopis ſubeſſe Canonici, & cum illis iſti, de rebus Eccleſiæ ſuæ communicare nolunt, ſed arbitrio ſuo gerunt omnia, nihil aut pauca de fratrum ſuorum conſilio: Quam iſtiuſmodi hominum generi Cyprianus diſſimilis? qui quæ circa Eccleſiæ gubernacula expoſcebat communis vtilitas, hæc Clericorum conſilio examinata limabat. Libet eum audire de ſe loquentem in epiſt. 6. *Ad id quod ſtripſerunt mihi compreſbyteri noſtri, ſolus reſcribere nihil potui, quando à primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim nihil ſine conſilio veſtro & ſine conſenſu plebis meæ, priuata ſententia gerere, ſed cum ad vos per Dei gratiã venero, tunc de illis quæ geſta ſunt, aut gerenda, ſicut honor mutuus poſcit, in communi tractabimus.* Ab eo more primitiuæ Eccleſiæ, quo communi totius Presbyterij, id eſt Sacerdotum ac Diaconorum conſilio, gerebantur ab Epiſcopis omnia, Presbyteros, eorum conſiliarios, & Senatum, ac conſeſſum Eccleſiæ nominat Clemens Roman. lib. 1. cap. 32.

Patet hinc quarto, quanto ſe inuicem honore proſequi Epiſcopi & Canonici debeant, cum enim corpus vnum coagmentent, cuius pars eſt præcipua Epiſcopus, Canonici pro ſe quiſque, partes ac membra, vt capiti, manus pedeſque ſunt curæ, ita & ſuo Præſuli Sacerdotes & Diaconi non debent eſſe contemptui, quia ad eius miniſterij functionem ſunt neceſſarij. *Oportet*, inquit Ignat. ad Trallianos Presbyteris ſubiici, *vt Apoſtolis Ieſu Chriſti ſpei noſtræ in qua perſeuerantes in ipſo inueniamur. Oportet & Diaconis omnimodo placere, qui ſunt in miniſterijs Ieſu Chriſti, non enim potus & cibi ſunt miniſtri ſed Eccleſiæ Dei.* Et ad Magneſianos, *vnanimes omnia in Deo facere feſtinate, aſſidente Epiſcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco conſiſtorij Apoſtolorum, & Diaconis dulciſſimis mihi, quibus creditum eſt miniſterium Ieſu Chriſti*, Ad quæſtionem ergo

Quænam eſt authoritas Capituli ſede vacante, qualis, & quanta?

QVæ Epiſcopus, eadem quoque in his quæ iuriſdictionis ſunt neceſſariæ, poteſt eius Vicarius, ſeu ſede vacante Capitulum, colligitur ex cap. vnico de maiorit. & obedient. in 6. docentque Sanchez tom. 2. ſummæ lib. 4. cap. 38. num. 17. Laym. de legibus cap. 7. paragr. 4. Piaſecius prima parte praxis in proem. num. 19. Zechius cap. 24. de rep. Eccleſ. Pauinius de poteſtate Capituli ſede vacante parte prima quæſt. 2. Nauar. lib. 1. conſ. 44. de temp. ordinat. edit. 2. Suar. tom. 5. diſp. 50. ſect. 6. quare Prælato mortuo, Capitulum eius ſucceſſor appellatura Flamin. de reſign. lib. 8. quæſt. 23. Moſconio de maieſtate Eccleſ. lib. 1. cap. 15.

Itaque, *Epiſcopali ſede vacante, poteſt Capitulum, ſeu is ad quem Epiſcopalis iuriſdictio tunc temporis noſcitur pertinere, iis quibus poſſet Epiſcopus ſi viueret, ab excommunicationis ſententia, ſiue iuris, ſiue hominis fuerit, abſolutionis beneficium impartiri*, Bonifac. VIII. in cap. vnico de maioritate in 6. ratio eſt, quod Capitulum ſede vacante eſt neceſſarius adminiſtrator Epiſcopatus, Gloſſ. in verbo Capituli Clementina I. de hæretic. eſtque Epiſcopi Vicarius generalis Bonif. VIII. cap. ſi Epiſcopus 3. de ſupplenda negligentia in 7. & habet adminiſtrationem legitimam cap. 4. eiuſdem tituli: at Vicarius generalis Epiſcopatum ad miniſtrat tam in temporalibus quam ſpiritualibus, ex dictis ſupra proinde licet tùm Capitulo per Vicarium ſuũ diſpenſare in caſibus qui erant Epiſcopo reſeruati dũ viueret, in votis item, iiſque omnibus, quæ Epiſcopo competebant, Sanchez tom. 2. ſummæ lib. 4. cap. 38. num. 17. Laym. de legibus cap. 7. parag. 4. Ioan. Andr. in cap. cum ex eo de elect. in 6. & in cap. 1. de maiorit. & obed.

Digitized by Google

Dispensat item ex causa cum Parocho, aut beneficiario quolibet alio, vt studiorum causa, abſit à loco beneficij ſui, Zechius Lælius loco proxime citato item ne premoueatur ad Prebyterium niſi poſt ſeptennium, debet tamen is cum quo diſpenſaretur ne intra annũ teneretur fieri Sacerdos, initiari ordine Subdiaconatus, intra illud tempus, Bonifac. VIII. in cap. cum ex eo 34. de elect. in 6. ratio eſt, quod in his quæ neceſſariæ ſunt iuriſdictionis Capitulum ſuccedit Epiſcopo, at abſoluendi poteſtas tam à caſibus reſeruatis, quam diſpenſandi in votis, aut cum Parocho ſtudiorum gratia, eſt neceſſaria ad bonum Eccleſiæ, non fuit ergo neganda Capitulo ſede vacante. Hæc eſt cauſa cur diſpenſare quoque poſſit in omnibus irregularitatibus, quarum rehabilitatio conceditur Epiſcopo à Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. ſecundum Henriq. lib. 14. de irregul. cap. 20. parag. 1. Gutierres Canonicarum qu. lib. 1. cap. 3. num. 10. quod item per Vicarium excommunicare, ſuſpendere, interdicere, & ab iiſdem cenſuris poſſit abſoluere Bonifac. VIII. in cap. vnico de maioritate in 6. de Selua tract. de beneficiis 2. parte qu. 11. Gloſſa & DD. in cap. 2. de pœnitentiis & remiſſionibus Rebuff. parte prima praxis tractatu de deuolutionibus num. 63. & 58. quod viſitare queat Diœceſim per delegatos vnum aut plures, qui crimina corrigant, Pauin. in cap. cum olim de maiorit. & obed. Moſconius de maieſtate militant. Eccleſiæ lib. 1. cap. 15. quod congruam aſſignare portionem valeat non habenti Rebuff. de congrua portione q. 7.

Eligit etiam Vicarium, aut fungentem eo munere confirmat, Moſconius ſupra, qui Vicarius Doctoratus, aut ſaltem Licentiatus laurea in iure Canonico, inſignitus eſſe debet Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 16.

Congregat. Capitulum ſine conſenſu Laicorum, eligit Oeconomum qui curam bonorum Epiſcopatus gerat, de iiſdem rationem redditurus Epiſcopo cum electus erit can. non licet 12. q. 2. *Si vero Clerici in Eccleſia non fuerint, tunc Metropolitanus illibata omnia Epiſcopo ſeruet, qui ibi ordinabitur.*

Eſt præterea in Capituli poteſtate dare confeſſarium qui à peccatis Epiſcopo reſeruatis abſoluat, ſtatuta item facere, quæ ſucceſſori non obſint, durentque vſque ad eius aduentum, quia par in parem poteſtatem non habet cap. innotuit de elect. Indulgentias quoque concedit Epiſcopales. Pauinius part. 1. qu. 4. Moſcon. lib. 1. de maieſtate Eccleſ. cap. 15.

Vniuerſe in omnibus neceſſariis, quæque ad iuriſdictionem contentioſam & voluntariam pertinent, ſuccedit Capitulum Epiſcopo mortuo Gloſſa in verbo Capitulum Clementina 1. parag. de hæreticis, Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 7. parag. 4. nu. 12. eſt autem contentioſa iuriſdictio, facultas in eo qui habet eminentiam ſuper alios, puniendi, præcipiendi, leges ſanciendi, cauſas cùm criminales tùm ciuiles definiendi. Voluntaria vero, eſt facultas iuris dicendi iis, qui vltro ac ſponte, illud ſibi dici expetunt, aut aſſiſtendi iis quorum actus in ſua validitate pendent ab eius aſſiſtentia, aut venia, eiuſmodi eſt aſſiſtere matrimonio, dare licentiam expreſſam Confeſſario audiendæ confeſſionis, aut ei non repugnare eam audienti, coram & in oculis Parochi, aut Superioris. Item legitima re diſpẽſare in votis, iuramentis & irregularitatibus. In vtraque hac iuriſdictione ſuccedit Capitulum defuncto Epiſcopo, aut capto ab infidelibus Bonifac. in cap. pen. & vltimo de ſupplenda negligentia Prælatorum in 6. & cum id accidit inſtituit præſentatos per Patronos Abb. in c. cum olim de maiorit. Piaſecius parte prima praxis in proœmio num 19. Lælius cap. 24. Pauin. citatus parte 2. qu. 5. Rebuff. de deuolutionibus, quia nec dignitas Eccleſiæ, nec ſalus populi patiuntur beneficia diu eſſe poſſeſſore vacua, oportuit ergo ius eſſe penes Capitulum, præſentatos à patronis ad ea admittendi. Dixi à Patronis præſentatos, quia beneficia quæ Patronata non ſunt, Capitulum non confert, ſede vacante iuxta cap. 2. ne ſede vacante, & cap vn. eod. tit. in 6. pendet enim poteſtas inſtituendi, diſpenſandi, à iuriſdictione, in qua Epiſcopo Capitulum non ſuccedit, pro collatione beneficiorum vt ſanxit Innoc. III. in citato cap. illa deuotionis ſinceritas 2. ne ſede vacante, his verbis: *Nuſquam inuenitur cautum in iure quod Capitulum vacante ſede fungatur vice Epiſcopi in collationibus præbendarum, nec poteſt dici in eodem caſu poteſtas conferendi præbendas, ad Capitulum per ſuperioris negligentiam deuoluta, cum non fuerit ibi ſuperior, qui eas poſſet de facto vel de iure conferre.* Cauſa eſt, quod in fructibus computetur collatio. Gloſſa in cap. cum olim de maioritate, Rebuff. de ſucceſſionibus qu. 8. n. 30. *ſed hi futuris ſucceſſoribus debent fideliter reſeruari*, Bonifac. VIII. in cap. quia ſæpe 40. de elect. in 6. & Clem. penultima eodem tit. ergo & collatio, non eſt hæc ergo Capituli, ſed futuri Epiſcopi.

Nihilominus perſpicuitatis maioris cauſa, dicendum videtur, beneficiorum quoad rem præſentem duo eſſe genera, quædam quæ à ſolo Epiſcopo conferuntur, quædam quæ à Capitulo ſolo, Innocent. III. in cap. Eccleſiæ 31. de elect. alia quæ ab ambobus ſimul, ab Epiſcopo ſolo dantur ſimplicia: Fabricius in tractat. de beneficiis Cathedralis Collegiatę & ſimplicis Eccleſiæ, Gloſſa in caput cum Eccleſia Vulterana, num. 15. extra de electione in iiſque magis quam aliis toleratur Pontificia præuentio, Gloſſa in paragraph. item circa de collation. in pragmat. ſanctione.

Ad Epiſcopi, & Capituli collationem, pertinent iure communi beneficia Cathedralium omnium, ex dictis tract. de beneficiis, Collegialium autem, interdum ſoli Epiſcopo, aliquando ſunt relicta Capitulo. Fabricius ante citatus nu. 16. quanquam vt verum fatear, de eo certius nihil poteſt ſtatui, quam quod conſuetudine cuiuſque Eccleſiæ, ſingulis Diœceſibus eſt in more, *Sane generalis hæc conſuetudo ſeruabatur in Thuſcia, vt in Cathedralibus Eccleſiis, ſolum Capitulum, irrequiſito Epiſcopo, eligendi Canonicos haberet facultatem*, Innoc. III. in cap. cum Eccleſia 31. de electione quibus præſuppoſitis.

Dicẽdum videtur in Capituli iure non eſſe primo conferre beneficia quæ ad liberam Epiſcopi collationem pertinebant can. 2. ne ſede vacante, nec ad ea præſentare Ioan. Andr. in cap. vnicum ne ſede vacante in 6.

Dicendum 2. liberum ei eſſe præſentatos à Patronis inſtituere, quorum inſtitutio ad Epiſcop. pertinebat, cap. 1. de inſtitut. in 6.

Dicendum tertiò, poſſe Capitulum conferre beneficia quorum collatio erat Epiſcopi & Capituli communiter cap. ſi ad Epiſcopum ne ſede vacante in 6. ſecus ſi collatio erat ſolius Epiſcopi etſi cum conſilio Capituli, Rebuff. de deuolutionibus num. 70.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXII.

An Capitulum Officiales & Beneficiarios poſſit deſtituere vacante ſede.

Dico primò, *à Capitulo beneficiarios ac Officiales Epiſcopi deſtitui non poſſe*, eſt contra Ioa. Gallum qu. 173. & probatur Capitulum ex Gloſſa ver. Capitulum Clementina 1. parag. 1. de hæreticis Rebuffo parte prima praxis, titulo de deuolut. num. 58. neceſſarius eſt adminiſtrator, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, nempe quia vices tenet Epiſcopi in his, quæ ſunt iuriſdictionis neceſſariæ, ſed adminiſtratoris boni non eſt, Officiarios tollere ac mouere de gradu, nec eſt eius rei tanta neceſſitas, vt expectari non poſſit noui Epiſcopi creatio. Minor probatur, quia ad Oeconomum gnauum, ac prudentem pertinet eorum nil prætermittere, quæ ad amplificationem & cuſtodiam rerum Domini pertinent, ad id autẽ facit maxime Officialium veterũ conſeruatio, vtpote quos eſt probabile maiori eſſe in agendo peritia, nouis quibuſdã hominibus, qui eis ſubſtituerẽtur à Capitulo, quare non magis videntur deſtitui hi poſſe à Capitulo, quam expelli coloni, vt iudicatum narrant, Chenut. tit. 33. decretorum cap. 200. Bacquetus tract. de iuriſdict. cap. 17. nu. 15. Fabric. in Theoria de officio & adminiſtrationibus num. 19. at colono eripi ſine iniuria agri nequeunt, quos ad nouem annos aut pauciores excolendos certa mercede recepit à Domino, pacta enim conuenta ſunt implenda de partis cap. 1. ergo eſt agrorum vſus colonis relinquendus, dum tempus effluxerit, quo eis vt fruerentur, permiſſurum ſe Dominus eſt pollicitus, deſtitui ergo à Capitulo, defuncti Epiſcopi Officiari) nequeunt.

Nec etiam ab Oeconomis, qui loco Commendatariorum temporalium, pendente vacatione beneficiorum, dari ſolent à Rege, poſt aperturam Regaliæ, ſunt enim ſimplices adminiſtratores, & ad inſtar Capitulorum ſede vacante, meri cuſtodes, ideoque extra caſum conſuetudinis, Officiarios deſtituere nequeunt vt decreuit Curia pro Actuario Præpoſituræ Nouiomenſis 18. Ianuar. anni 1598.

Dico tamen ſecundò, *videri non improbabile hanc in Capitulo poteſtatem eſſe, vt ex cauſa beneficiarios deſtituat, quibus tribuit ius reddituum Eccleſiaſticorum, aut prabendæ.*

Primò, quia deſtitutio eius eſt propria actio cuius & collatio, at ex hypotheſi Capitulum cum Epiſcopo contulit illud beneficium, ergo &c.

Secundò, quia in his quæ iuriſdictionis ſunt neceſſariæ Epiſcopo ſuccedit Capitulum; at ſæpe eſt neceſſe Clericos incompoſitos deponi, ſuoque moueri gradu, ergo &c.

Dico tertiò, *Quæ beneficia ad Epiſcopi & Capituli collationem pertinent, ea vacante ſede conferri à Capitulo poterunt*, habetur in cap. vnico ne ſede vacante in 6. *ſi ad Epiſcopum & Capitulum communiter pertineat collatio prabendarum, mortuo Epiſcopo, vel à beneficiorum collatione ſuſpenſo poterit Capitulum vacantes conferre prabendas.*

Dico quartò, *Capitulo nil in ea beneficia competere quorum collatio ad ſolum Epiſcopum pertinebat*, ſic Rebuff. 1. parte praxis tit. de deuol. num. 70. Piaſecius in proœmio prax. Epiſcopalis tit. de electio-

A ne num. 19. habetur in cap. ille deuotionis 2. ne ſede vacante & cap. vnico eodem tit. in 6. *Cum ad ſolum Epiſcopum*, inquit Bonifac. VIII. præbendarum, *ſpectat collatio cum conſilio ſui Capituli, defuncto Epiſcopo, vel ſuſpenſo (niſi Epiſcopus in petendare laxatione huiuſmodi ſuſpenſionis ſit in mora) Capitulum ſe non poteſt intromittere de iiſdem.* Ad hoc teſtimonium, accedit quoque ratio, in gratuitis, mereque voluntariis, Epiſcopo non ſuccedit Capitulum, at liberalitatis eſt, meræque beneficentiæ, quod quæ beneficia Epiſcopus conferre poteſt, ea attribuenda capacibus, relinquat Capitulo: ergo in ea ius iſti eſt nullum.

Deinde nulla donatio, quà talis, alia eſt, quàm gratuita c. relatum de præb. c vnico, vt Eccleſiaſtica
B beneficia, & cap. licet Magiſter 3. de ſupplenda negligentia vbi collatio expreſſe vocatur *donatio*. Poteſt tamen Capitulũ inſtituere præſentatos per Patronũ quia hoc eſt neceſſitatis nempe ne hic iure ſuo excidat, & ad ſuperiorem deuoluatur. Præterea poteſt Capitulum confirmare electos, c. cum olim de maiorit. & obed. Enimuero confirmare ad iuriſdictionem Epiſcopalem pertinet, Rebuff. num. 88. in qua Prælato mortuo ſuccedit Capitulum.

Deinde minus eſt confirmare, quam conferre, electus enim ius habet ad rem, vi ſuæ electionis cap. finali de electione in 6. non is cui gratis conferendum eſt beneficium, ergo à collatione quæ
C non eſt Capituli, trahi argumentum nullum poteſt ad confirmationem.

Circa dicta quæres primò, *An commendare Eccleſias ad ſex menſes, aut breuius tempus, Capitulo liceat, maximè ſi curam habent animarum.*

Licere reſpondit Alexand. III. in cap. ſignificatum 11. de præbendis quia hoc neceſſitas exigit Eccleſiæ, ne vacua miniſtro neceſſario, damnum patiatur, & cum ea fideles: Panorm. in cap. bonæ de appellat. Rebuffus de nominat. quæſt. 8. numer. 30.

Quæritur ſecundò, *An reſignatio permutationis cauſa facta coram Capitulo valeat.*

Reſpondendum negatiue, ita Rebuff. de nomi-
D nationibus qu. 8. num. 30. ratio eſt, quod permutationes, ad gratiam pertineant, cum eas admittere, non teneatur ſuperior vlla lege.

Deinde, eſt id Epiſcopi munus proprium, Eccleſias ſuæ Diœceſis ordinare, cap. admonet 4. de tenunt. ergo cum quæ ſint diſpenſationis & gratiæ morte Epiſcopi non deuoluantur ad Capitulum, iuxta Innoc. & Bald. in cap. cum olim de maiorit. & obedient. nec eius eſſe poterit, dare conſenſum reſignationibus animo permutandi factis.

Confirm. habet beneficiorum permutatio, vt ſit ſine Ordinarij voluntate inutilis, irrita ac inanis,
E ea enim ab eo ſunt compermutantibus conferenda, & ſi ſunt prædicta beneficia, in diuerſis Diœceſibus, eſt hæc à diuerſis Epiſcopis facienda collatio, Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap. de permutat. ſed Capitulo interdicta eſt ſede vacante, eorum beneficiorum collatio, quæ in Epiſcoporum ſunt iure, Bonif. author in cap. vnico ne ſede in 6. ergo &c.

Quæritur tertiò, *An xenodochia dari poſſint à Capitulo, cum ſedes vacat.*

Dico primò, *Noſocomia, orphanotropheia Leproſorias*, vt loquuntur, *in poteſtate Capituli eſſe*, cum ad nutũ Laicis, iiſq; ſæpe inuitis ac repugnantibus adminiſtranda tradantur. Cauſa eſt, quod tum cenſeri inter beneficia non debeant, quorum natu-

ra est vt sint perpetua, ad eaque Clerici non nisi A volentes vocentur, cap. si tibi absenti de præb. in 6. quæ in xenodochia non quadrant, quibus procurandis de triennio in triennium, sæculares præfici, viros pios iuxta, ac graues, regiæ leges decernunt, annis 1544. & 1561. promulgatæ. Et quamquam in plerisque negotiis, Laici, magistratui eorum curam imperanti, non teneantur obsequi, quod multæ eis excusationes immunitatem præstent à muneribus personalibus, maxime ex legitimo quinque liberorum numero petitæ, in lege semper parag. demonstratur, digest. de vacat munerum, mandari tamen posse, ac cum agitur res pauperũ, ac xenodochiorum incolumitas, ab iisdem acceptari debere, cum sunt ad eorũ administrationem B vocati, Patronorum aut ciuium suffragiis, sanxit Parisiensis Senatus ann. 1600. 26. Ian. aduersus designatum xenodochij Bellouacensis Oeconomum, Chenut. in tit. 1. Decret. cap. 18.

Dico secundò, *Hospitalia quæ beneficij sunt loco, danturque in titulum ab Ordinario, non tangenda esse à Capitulo, sed relinquenda futuro Episcopo.*

Assertioni fides est ab auctoritate Bonif. VIII. in cap. vnico ne sede vacante in 6. parag. cum vero, ibi enim negat, *cum ad solum Episcopum præbendarum spectet collatio, Capitulum posse se intromittere de eisdem*, at quæ præbendæ, eadem quoque est ratio cuiuslibet alterius beneficij, ergo vt illam sede vacante intactam seruare debet, ita & hospitale, quod tùm est beneficij censendum nomine, cum in eius fundatione cautum fuit, vt Religiosis personis duntaxat dari posset, quæ simul & Sacerdotalem functionem, & pauperum curam subirent. Fabric. in Theor. de xenodoch. & aliis locis piis nu. 3,

Quæritur 4. *An, & quando Capitulum, possit dimissorias litteras concedere.*

Dico primò, *Concedi ab eo posse vacante sede*, ita Bonif. cap. cũ nullus 3. de temporib. ordinationum, *aut ab eo, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere*, non tamen ante annum elapsum à vacatione sedis, Trident. sess. 7. cap. 10. de reform. *Contrauenientes Ecclesiastico interdicto subiacet & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerunt, nullo priuilegio Clericali præsertim in criminalibus gaudent, in maioribus vero, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sunt ipso iure suspensi* Trid. ibid.

Dico secundò, *Ante annum elapsum reuerendas à Capitulo bis concedi posse qui occasione recepti beneficii ad ordines arctantur, aut qui ad aliquod præsentantur, cuius esse capaces nequeunt nisi minores ordines habeant, tunc enim dimissorias à Capitulo, petere & ante annum à die vacationis elapsum capere poterunt*, Trid. sess. 7. c. 10. cum enim, *quod in lege non est licitum, necessitas licitum faciat*, de regul. iuris in 6. in eam non videtur committere, quem rerum suarum ratio, non patitur ad creationem noui Episcopi differre ordines, ob quam causam, dispensationi locus est cum illegitimo, vacante sede, vigore cap. 1. de filiis Presbyt. in 6. quia facultas dispensandi dependet à iurisdictione, in qua Capitulum sede vacante succedit, eamque exercere potest in omnibus cum est necesse præterquam in casibus expressè prohibitis, Piasec. in praxi par. 1. c. 1. de conferendis ordinib. additque n. 10. non tantum in casu Concilij, posse Capitulum concedere dimissorias, sed etiam cum ordinando concessit Pontifex, potestatem suscipiendi ordinem à quocunque Antistite Catholico, cum licentia proprij Ordinarij.

QVÆSTIO XXIII.

Possitne Capitulum sede vacante simplices beneficiorum resignationes admittere.

NEgatiua Rebuffo placuit in praxi benefic. tit. de deuolutionibus nu. 94. & sequenti Glossæ item in can. fraternitatem verbo licentiam dist. 71.

Contrariæ partis sunt hi in re conscientiæ excellentes viri, Lapus in addition. ad tract. de permut. benefic. Fredericus de Senis q. 36. nu. 62. Pauinius tract. de potestate capituli sede vacante secunda parte q. 2. num. 11. Ioan Andreas in Clem. vnicam de rerum permutatione.

De re tota quid iudicij habeam, duabus assertionibus planum faciam.

Assertio prima, *Potest capitulum sede vacante eius beneficii resignationem admittere, cuius collatio, eius est, Episcopique dum viuit.* Puteus decisione 229. parte 2. Cardinalis sanctæ Crucis decisione 11. rem probabilem faciunt argumenta quæ subdam.

Primum, quod in locum Episcopi succedit Capitulum, cum de beneficio conferendo sede vacante agitur, cuius collatio erat amborum Bonifacio teste in cap. vnico ne sede vacante in 6. sed resignationi beneficij, coniuncta est eiusdem collatio, facta aut facienda per ordinarium, cum ad eum pertineat Ecclesijs dare ministros idoneos, Capitulo ergo approbante fieri potest talis beneficij cessio alteri.

Secundum, quod beneficio vacuo, per possessoris sui obitum, admoueri idoneus, capaxque per Capitulum possit, sede vacante, iuxta proxime citatos Canones, ergo & ei præfici tertius aliquis, voluntate ac prece resignantis, cum eius cessione liberali ac gratuita, beneficium vere vacet.

Obijcies primo, est resignationis approbatio, iurisdictionis voluntariæ actio, cum nihil fit necesseeã à Capitulo recipi: Sed in potestate arbitraria, D quæque est puræ voluntatis, non succedit Episcopo Capitulum, ergo &c.

Neganda minor, sunt enim pleraque, de pertinentibus ad iurisdictionem Episcopi voluntariam qua concessum est Capitulo aggredi, præsule mortuo: vt notauit Ioan. Andreas in cap. vnicum de maioritate & obedientia in 6. Flaminius de resignatione l. 7. q. 13. num. 25. & probatur nam legitimare, dispensare, beneficium conferre, actus sunt iurisdictionis voluntariæ, cum non nisi in volentes exerceãtur, vndeetiam nomen accepit: at hæc omnia, Episcopo ex humanis sublato, facere Capitulo est permissum ex dictis antea, ergo & quæ ad E iurisdictionem voluntariam pertinent.

Obijcies secundo, Capitulo vacante sede, non competit iurisdictio, nisi quatenus id est Pontificibus placitum, expressumque legibus, cap. ex indulgentia, cap. ex parte de rescript. At ne vox quidem est vlla, Canonibus inserta, qua voce, de hac Capituli potestate, in acceptanda resignatione constet, ergo &c.

Respondendum est negatione minoris, enimvero cum velit Pontifex, decedentis Episcopi potestatem ordinariam ac communem, deriuari ad Capitulum, ne si ea careret interim Ecclesia damnum ferret, vna quoque silenter ac tacite, sed ta-

Digitized by Google

men quantum eſt neceſſe, dicto Capitulo authoritatem reſignationis acceptandæ attribuit, cum eius receptio, Epiſcopalis officij, prouinciæque ſit portio.

Aſſertio ſecunda, *Poteſt Capitulum reſignationem admittere, factam in reſignantis pœnam*, authoritate iudicis, Lapus in addit. ad tract. de permut. beneficiorum Fredericus de Senis q. 36. num. 62. probatur: Epiſcopo decedenti ſuccedit Capitulum, in his quæ ſunt neceſſitatis & iuſtitiæ, ſed reſignatio de qua eſt hic quæſtio, ab æquitate oritur, cum nihil ſit, pœna in reos illata iuſtius. Quid? quod neceſſitatis inſtar habeat, tollè rep Chriſtiana ſcelera, ne communione mali, quaſi in virulenta contage, hæc ad multos penetrent?

Excipienda ſunt beneficia in quibus eſt, aperitque ſe Regalia; cum enim iuris ſint regij, eripi vni, vt committantur alteri, incõſulto Principe nequeunt, ſecus facere eſt in eius iura impetum facere, ac inſontem re ſua fallere quod eſt vitioſum ac turpe.

Huic quæſtioni affinis eſt ac cognata quæ ſequitur.

An beneficia Graduatis conferri poſſint à Capitulo dum ſedes vacat.

DVbiam rem facit commune effatum, in his nempe quæ ſunt voluntatis, Capitulo tentandum nihil eſſe, at eſt eiuſmodi vacantis beneficij delatio vni cuipiam è graduatis ſimplicibus, iis menſibus maxime, quibus eligendi poteſtas Ordinario eſt relicta, liberalis ac gratuita, donatio nullo modo neceſſaria, cum ſit in poteſtate conferentis, hunc illi, antiquo nouum, doctiori præferre doctum.

Dico, *tamen Epiſcopo mortuo, graduatis ad beneficia vacantia locum eſſe, Capituli voluntate.*

Primo quod quam late patet Gallia, ita vbique ſciente Pontifice, Curia approbante, tolerante Academia, inualuit.

Secundo, quod graduati, ad beneficium admotio per Capitulum, aut eius vicarium, neceſſitatis ſit, non liberalitatis, aut vllius aduerſus illum beneficentiæ, cum id illi detrectare non ſit integrum vt planum eſt intelligenti Leonis mentem, cuius eſt teſtis hæc eius oratio in Cõcordatis tit. de collationibus § præfatique Ordinarij, *Præfatique Ordinarij collatores, ſeu Patroni Eccleſiaſtici, quicunque fuerint, vltra dictam prabendam Theologalem, quam vt præfertur qualificato conferre teneatur, tertiam partem omnium dignitatum &c. graduatis & nominatis conferant*, ergo cum quæ fieri eſt neceſſe hæc ad Capitulum concеſſione Papæ, Epiſcopus naturæ fatoque cedens transferat; facta graduato ab illo beneficij collatio, dum huic ſucceſſor nullus eſt datus, valida erit rataque.

Hinc colligere cuique eſt facile minorem argumenti initio propoſiti falſam eſſe, vt enim Capitulo ſit conceſſum graduatum vnum aliquem, de multis ſeponere vacanti beneficio, nego tamen, ideo liberum id illi eſſe: Neque enim vt Iureconſultus ſcribit l. vnum ex familia, §. 1. ff. de legatis facultas electionis, eſt propriæ liberalitatis beneficium.

QVÆSTIO XXIV

An Capitulum viſitare, poſſit omnia Monaſteria Monialium ſede vacante.

AMbigendi non vna eſt cauſa, in primis enim ſuccedit Epiſcopo Capitulum, in his quæ ſunt poteſtatis, ac iuriſdictionis ordinariæ, & communis, vt eſt in cap. cum olim de maioritate & obedientia præterquam in caſibus expreſſe exceptis Nau. tomo Conſil. 1. Conſil. 7. de filijs Presbyterorum num. 1. quare eius loco viſitat Eccleſias Gloſſa in Clementinam 1. verſiculo Capituli de hæreticis Archidiaconus in cap. ſi Epiſcopus de ſupplenda negligẽtia Prælatorum. At Epiſcopus prouinciam ſuam obire, eiuſque Eccleſias omnes viſitare poteſt, de quarum numero, ſunt ea ad quas pſallendi cauſa, Moniales frequentes coeunt, ergo & Capitulum.

Deinde ſi ſede deſtituta homine, qui eam regat, Monaſteria virginum, Epiſcopi nomine, viceque, viſitare Capitulum non poteſt, quid illis fiet, ſi exercebunt inter ſe ſimultates? ſi inſtitutum iuraque domus ac Ordinis peſſundabunt? ſane ſus deque ferri omnia erit neceſſe, quod ne incuria ſua accidat, proindeque non ſine culpa, laborandum eſt Canonicis, Capituloque vniuerſo.

Cauſæ ſunt tamen, quæ me aliorſum trahunt.

Dico ergo, *videre mihi probabile, ius Capitulo competere nullum poſſe, ad alia Monaſteria virginum ſede vacante, in capite membriſque viſitanda, quam quæ non ſunt exempta.*

Primo quæ authoritas commiſſa eſt ac legata cuipiamà Pontifice, hæc ab illo ad alium non dimanat, cum eius ſolius ſit à committente habita ratio præ cæteris, induſtriæque, qua reliquis præſtabat, ſed eſt Epiſcopus Papæ loco, cuius quoque eſt eius beneficentia, in Monialium exemptarum cura ac regimine, delegatus ſuperior, rectorque Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. *Monaſteria ſanctimonialium, ſanctæ ſedi Apoſtolicæ immediate ſubiecta etiam ſub nomine Capitulorum ſancti Petri, vel ſancti Ioannis, vel alias quomodocunque nuncupentur, ab Epiſcopis, tanquam dictæ ſedis delegatis gubernentur, non obſtantibus quibuſcunque*, Ergo Epiſcopo mortuo Capitulum viſitare non poterit Monaſteria exempta Monialium.

Secundo, Capitulum non ſuccedit Epiſcopo in priuilegiis ei conceſſis, cum ſint perſonalia, & odioſa, ac proinde ſtrictè interpretanda Innoc. in cap. dilecti de donat. Flam. de reſignat. l. 7. q. 10. num. 24. Sed quod Epiſcopo ius ſit dicendæ ſententiæ in ſacras Deo virgines, à foro ſuo exemptas, Papæ beneficium eſt, ergo ad Canonicos, Capitulumque ſede vacante non pertinens.

Ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ. Reſpondendum eſt Cœnobia virginum, quæ Papæ voluntate ſunt ab Epiſcoporum cenſura exempta, non contineri intra ambitum poteſtatis ordinariæ præſulum, cum hoc ipſo quod ſunt de eorum ſubducta foro, nihil in illarum regimine moliri poſſint efficaciter ac valide.

Secundum nihil facit ad rem, cum infinita ſit vbique malorum ſeges, quam nec authoritate ſua opprimere Epiſcopus dum viuit, nec Eccleſiaſticæ cenſuræ gladio ſecare poteſt.

Deinde eſt quod reſpondeam, eſſe ſcilicet admonendum à Capituli Vicario Papam de re integra, ac ſi intra ſemeſtre à litteris ad eum datis, ma-

lo non occurrat, tum videri honestam rationem habere Capitulum, animaduertendi in fontes, quod si (quod existimo verius) facere id non potest, res videtur committenda Deo esse, aut ad noui Episcopi aduentum remittenda.

Potest tamen Capitulum cum sedes vacat, Monialibus exemptis, ac immediatè subiectis Papæ, dare licentiam egrediendi claustro, domoque ex causa. quia Vicarius Episcopi, eandem cum eo iurisdictionem habet, Nauarr. lib. 3. consilior. secundum primam edition. tit. de statu Monachor. cons. 6. Sanchez lib. 6. sum. cap. 15. num. 30. nisi hic eam restringat, at Episcopo competit iurisdictio delegata in Moniales exẽptas, quoad egressum è claustro, secundum Trid. sess. 25. de regularib. cap. 9. & cap. periculoso, & Capitulum sede vacante vices agit Episcopi mortui: ergo hæ ab eo vacante sede facultatem egrediendi domo ex causa impetrare poterunt, cum esse non debeant sine Prælato, ad quem confugiant.

QVÆSTIO XXV.

An magnorum criminum rei, beneficijs suis, quorum collatio ad Episcopum solum pertinet, possint sede vacante à Capitulo priuari.

POssunt. Primo, quia castigare scelera, ordinariorum est communis, propriaque prouincia, at Capitulum sede vacante, potestatem habet ordinarij, Extrauaganti execrabilis § cæterum de præbendis ergo & plectendi vitia, plectuntur autem, cum eorum author fortunis euertitur ac bonis, est id ergo Capitulo facere licitum, cum quid est à reo admissum, quod ea pœna sit dignum.

Secundo si esset Episcopus adhuc superstes, haud dubie concubinarium recti indocilem, vitaque turpem, ac eius similes, generis humani certa probra, gradu mouere posset, cum præstet Ecclesiam catere labe, quam ministros impios habere, sed ab Episcopo fatis functo, transit eius omnis authoritas communis, & ordinaria, in Canonicorum cœtum, seu Capitulum cap. cum olim de maioritate & obedientia, Paulus tractatu de potestate Capituli sede vacante parte 1. Flaminius de resignatio. l. 7. q. 23. num. 22.

Obijcies eiusdem est destituere cuius & conferre, at beneficium debet à solo Episcopo conferri, vt supponitur, non à Capitulo, ergo & ab illo, non isto, indigno tolli.

Maior est vera cum omnia sunt paria, quod hic non accidit, cum publica vtilitas, dignitasque Ecclesiæ exigant, Clericum cuius impuri sunt mores, vti putre fœtensque membrum, rescindi de Ecclesia, quare cum Capitulo, vacante sede, permissa sint omnia, quæ iurisdictionis sunt necessariæ, vt dictum est antea, nec ferri possit ac debeat, quod in perniciem grassatur innocentium, cuiusmodi est insignis culpa, quæ infirmis peccandi est causa, crederem Capitulo tum permissum esse, concubinarium ciuitati notum, aut quemlibet alium, ei vita non dissimilem, priuare magistratu, quem in Ecclesia gerit, quemadmodum & beneficia, quorum collatio ad Episcopum pertinet, digno demandare, cum res temporaque vrgent, quia in his quæ iusta sunt ac necessaria, succedit Episcopo Capitulum, sed est concubinarij submotio reiectioque à gradu honoris, quo in Ecclesia fruitur, ad istius. Deique gloriam & bonum fidelium, necessaria non tantum, sed & iusta nocentis pœna, ita & collatio magisterij quod obit, alteri facta, eiusmodi est, quæ ad creati Episcopi tempora non possit differri, ne ea prorogatio insonti noceat.

QVÆSTIO XXVI.

An Capitulum sede vacante possit ab hæresi absoluere.

NEoterici aliqui quorum duces sunt ac principes Suares de censuris disp. 41. sect. 2. nu. 13. Petrus de Led 2. tomo summæ tract. 1. cap. 6. post 20. conclusion. difficultate 5. in ea sunt opinione vt existiment opus plenum non periculosæ modo aleæ moliri Capitulum, sed & vanum, inaneque fructus ac commodi spiritalis, cum reum prauitatis hæreticæ, per se aut vicarium suum absoluit vacante sede, quam opinionem hisce argumentis tuetur.

Primum quod ad id proprie delecta sit Episcopi industria Suar. tomo 4. in 3. partem disp. 30. sectione 2. nu. 4. at quæ certo sunt homini sic commissa, vt eius, in administratione prouinciæ, quam gerit habita sit ratio, vnaque prudentiæ quâ præstat reliquis, hæc eo mortuo ad alium non transeunt, ergo nec quæ in absoluenda hæresi licitum est Episcopo, hæc permissum est facere Capitulo, vacante sede.

Secundum, quod quæ priuilegia Episcopo sunt indulta, hęc sint eius sic propria, vt illi cum alio nequeant esse communia, Abbas in cap. ad abolendum de hæreticis Cosmas in pragmat. sanct. tomo 1. titulo de collat. § item circa, at beneficium est Patrum, ac Concilij, quod Episcopus remittat hæresim, argumento est, quod id illi Patres permittant, quod id ei esse licitum velint, *liceat*, inquiunt sess. 24. cap. 6. *Episcopis in irregularitatis et omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario dispensare, & in quibuscunque casibus occultis etiam sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscunque subditos, in sua diœcesi, per se ipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, idem est in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, nouerum vicarys sit permissum*, hinc enim argumentari fic lubet.

Si potest communi ac ordinario iure Episcopus de hæresi statuere in pœnitentis commodum, si hanc illi remittere, quid fuit necesse eius rei copiam, atque potestatem illi per Concilium fieri? Quæro enim ecquid obire prouinciam, ecquid regere Ecclesiam, ecquid hærentes in cursu incitare, incitatos reprimere, omnibus magnarum rerum studia imprimere, quę propria sunt eius munera, absque Concilij commeatu licentiaque non possit?

Habet tamen oppositæ sententia propugnatores suos, Henriq. lib. 14. de irregularitate cap. 18. num. 2. de cap. 20. num. 1. lib. 6. de pœnitentia cap. 18. nu. 1. Aragon 22. q. 88. art. 12. conclus. 5. Sanchez de matri. l. 8. disp. 2. num. 10. & in decalog. l. 2. cap. 11. num. 4.

Antequam probare eam instituam notare lubet primo, quod Episcopus de hæresi occulta possit

Digitized by Google

absoluere, iuris communis esse, ea enim priscis sæculis est laxata à Patribus Ephesini Concilij, cum Quartadecimanos reconciliauere Ecclesiæ Ephesini Concilij actione 6. parte 2.

Deinde quæro, ecquid Episcopi, facultatem non habeant eam remittendi antiquo Lucij tertij beneficio? est hæc enim eius oratio in cap. ad abolendam 9. extra de hæreticis, *si qui vero fuerint qui à lege Diœcesanæ iurisdictionis exempti, soli subiaceant sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in his quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium*, quod ergo de hæresi inquirere, eaque remissa reconciliare hominem Ecclesiæ Episcopus valeat, noui non est ac specialis iuris, sed antiqui.

Secundo, meminisse conuenit, Episcopum communi iure de omni casu posse absoluere, quem sibi Pontifex speciatim non reseruauit, Caietan. verbo excommunicatio cap. 2, & expresse Innoc. III. in cap. nuper 29. de sentent. excomm. his verbis: *Quia conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non reseruauit eo ipso concessisse videtur facultatem relaxandi.*

Et id quoque in hac materia aduertere est necesse, hæresim prisco maiorum æuo, Canonumque lege, Pontifici reseruatam non esse, vt patet ex cap. non erit 49. extra de sententia excommunicationis, & cap. ad abolendam, 9. de hæreticis, nam ille, id est Honorius III. cap. non erit 49. excludit, quidem sacris ac de piorum cœtu hæreticos, qui statuta libertati Ecclesiasticæ contraria seruari curant, nec tamen indicat cordi sibi esse, vt non nisi annuente, se, ac probante, reddantur Ecclesiæ, posterioti autem datur facultas Episcopis, quemadmodum & in cap. per hoc 17. de hæreticis in sexto eos iudicandi, puniendi, restituendi templis, Ecclesiæ ac Sacramentis eius, *Si continuo post deprehensionem erroris ad fidem Catholicam vnitatem sponte recurrere & errorem sum ad arbitrium Episcopi regionis publice confiteri abiurare*, cap. 9. de hæret.

Quæ oratio si est vera, si Canonicis legibus congrua, facilis se mihi expeditaque via ad fidem postremæ huius sententiæ aperit.

Nam quæ potestatis sunt ordinariæ in Episcopo, hæc facere Capitulum potest vacante sede, vt est in cap. cum olim de maioritate & obedientia, sed absoluere ab hæresi iure est concessum Episcopo, eadem enim potest in hac causa, quæ inquisitor fidei, sicut in decretali per hoc 17. de hæretic. in 6. habet Bonif. ergo & Capitulum, cum vacat sedes.

Secundo, non dicit Concil. Episcopum absoluere posse de hæresi tanquam delegatum aut auctoritate Apostolica, facit ergo iure ordinario.

Argumentis Respondendum, primo quidem negando propositionem eius maiorem, enimuero cum hæreticos absoluendæ authoritas, inquisitori sit communis cum Episcopo, vt habetur in citato cap. 17. de hæreticis in 6. causa reddi nulla potest, quæ suadeat, insularum Episcopalium, pedique Pastoralis vllam à Papa rationem habitam esse, in istius concessione facultatis.

Secundi, minor item est neganda, cum nunquam non fuerit, quin Episcopus subditos de hæresi absoluerit, vt patet ex citatis ante Canonibus.

Ad confirmationem dicendum est, ad ius commune Episcopi, speciale quoque Tridentini accessisse, non fieri tamen cumulatione hac iuris, vt quod ei ad illam diem permissum fuerat ex officio, modo tantum fas sit illi aggredi precario, soloque Patrum beneficio.

QVÆSTIO XXVII.

Quid sit prohibitum Capitulo facere sede vacante.

PRimo, bona Ecclesiæ quæ seruãdo seruari possunt distrahere ei est Canonica lege vetitum, can. si qua 12. 2. Ioan. Monachus in cap. vnicum de maioritate & obedientia in 6. causa est quod in fructibus Episcopatus, possessiones agri, commoda, redditusque poni debeant, at sunt hi successori debiti, nec dissipandi proinde, cap. quia sæpe de electione in 6. & Clementina penultima eodem titulo, sed in vtilitatem Ecclesiæ expendendi sunt aut reseruãdi successori, Bonifac. VIII in cap. quia sæpe 40. de elect. in 6.

Nec modo bona mobilia, quæ seruando seruari possunt, abalienare Capitulo nõ est integrum, sed nec immobilia, sine sedis Apostolicæ auctoritate, Concil. Ilerdense can. 12. *Nullus Clericorum cuiuslibet ordinis, officij, gradusue sit, quidquam de domo præsumat, vel quod de vtilitate instrumenti domus esse cognoscitur, id est mobilis aut immobilis rei Ecclesiasticæ, conetur inuadere*, pœna alienantis ea bona est excommunicatio, non latæ sed ferendę sententiæ. *& vix quoque peregrina ei communio concedi debet*, Concil. ibid.

Ad alienationes autem factas à Capitulo sine auctoritate Papæ quod attinet, eas electus Episcopus, cum erit confirmatus, rescindere, aut si ad Ecclesiæ suæ vtilitatem pertinent confirmare poterit, vt iudicat can. 15. Ancyranæ Synodi his verbis. *Si qua de rebus Ecclesiæ, cum Episcopus non est, Presbyteri vendiderunt, placuit rescisso contractu ad suæ Ecclesiæ renocari*, similiter si quid Episcopus, sine Capituli consensu distraxerit, de bonis Ecclesiæ suæ immobilibus, eo rata fore aut irrita velle potest, sicuti docet Abb. in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælato.

Secundo, vt præesse Monialibus Capitulum non potest, ita nec earum quæ immediatè subiectę sunt Pontifici, professiones recipere vacante sede, Doctores in cap. licet, & cap. porrectum de regularibus Rebuff. tract. de nominationibus qu. 8. num. 30. cuius rei causa reddi hæc potest, quod in his, quæ iurisdictionis sunt delegatæ, Episcopo subrogari Capitulum nequeat, Panorm. in cap. verum de foro compet. & cap. at si Clerici de adulteriis, cuius rei hæc est causa, quod Capitulum Episcopo tantum succedat in his quæ ei competunt iure, communi & ratione Prælaturæ suæ, non autem iure speciali & delegato sed quod Nouitiæ professi tenti interesse ac præsidere in Monasterio exempto Episcopo liceat, iurisdictionis est delegatæ, cum ad hoc onus substituere sibi Vicarium nequeat, sibi ergo illud arrogare vacante sede Capitulo vetitum.

Tertio, quæ sunt fauoris & gratiæ Episcopo concessa à Papa hæc non deuoluuntur ad Capitulum: Innoc. & Bald in cap. cũm olim de maiori. & obedientia Rebuff. de nominat. q. 7. num. 30. quia quæ talia sunt ad ius Episcoporum ordinarium nõ pertinent, ergo ab eis, ad Capitula non transeunt. Antecedens patet, nam quod est potestatis ordinariæ, id à Papa, Episcopo cum tribuitur vna cum

munere ac Episcopi nomine, gratiam ei nullam facere creditur. Enimuero quæ sunt gratuita vt dari ita quoque negari possunt, quorum alterum dici de potestate ordinaria non potest, vt res loquitur.

Consequentia probatur, beneficia Pontificis, concessaque ab eo priuilegia Episcopis, cum illis intereunt, ac quo illi, eodem hæc quoque efferuntur funere, dictum est ergo veriſſime, gratias, id est, quæ à Pontifice, benigne sunt ac humaniter Episcopis indulta munera, non communicari eorum Capitulis, Ecclesia rectore vacua.

Quarto vt interdictum est Capitulo, ea beneficia conferre, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet, cap. illa deuotionis sinceritas ne sede vacante, ita & eorum permutationes recipere Flam. l. 7. q. 23. num. 38.

Potest tamen cum ministrorum est inopia à quibus regatur Ecclesia vacua, aut id iusta alia quępiam causa exigit, eam commendare idoneo homini, quia cum eam deseri non expediat, ne male quidpiam fidelibus accidat, habet hæc commendatio necessitatis instar, quæ cum vrget Ecclesiam, Capitulo licent omnia, quæ Episcopo dum viueret permissa erant, Rebuff. in praxi parte 1. tract. de requisitis ad collationem bonam.

Quinto, vt est in potestate Capituli, vacante sede, statuta condere quæ ad omnes pertineant, ita ei inhibitũ est vlla facere, quæ Episcoporũ iura minuant aut tollant, Glossa in cap. constitutionem §. cæterum de verborum significatione in 6. Rebuff. in concord. tract. de forma mandati Apostolici §. Apostolica, causa est quod à ratione abhorreat subditos principi suo legem ponere, quæque priora sæcula suis antecessoribus esse permissa voluere, hæc temerario ausu, pauculos quosdam homines tollere.

Sexto, quibus in locis lex Tridentina est recepta de promouendis ad beneficia per concursum, hanc prætergredi Capitulo est nefas, nam præterquam quod id sacræ congregationi non placet, facti quoque æquitatem ratio ipsa indicat, quid enim iustius quam iis legibus teneri Capitulum, quas in operando, Episcopum sequi est necesse?

DE CLERICIS.

QVÆSTIO I.

De Clericorum nomine eorumque multiplici differentia.

EST Clericus, quisquis attonsione crinium per Episcopum Deo initiatur ad sacras religionis Catholicæ cæremonias, Tonsura enim, quę capillorum rasionem habet, ordo non est, sed ad eum præparatio, viaque, subinde Clericum, cui est collata admonens, caduca sibi fortunæ membra omnia contemnenda esse, quo animi sui impetum omnem in Deum, cœlestiaque transmittat, Hieronymus ad Leuitam de duobus generibus hominum. Quod quoniam afflatu sit numinis, nec sine singulari eius in illum munere, quem diuina quædam sors sæculo seductum transcribit cœlo, Clericus idcirco vocari potest non immerito sorte electus κλῆρος enim Græce, Latine sors, inde huiusmodi homines vocantur Clerici, ideſt sorte electi omnes enim A Deus in suos elegit, 12. q. 1. can. 7. *vel quod in sorte Domini dentur, vel pro eo quod Dominus sors eorum sit*, Isidor. lib. de Eccl. officiis 2. cap. 1. apud Concil. Aquisgr. cap. 99. Hieronym. epist. ad Nepotian.

Nisi malis cum eodem Isidoro, Etymologiarum lib. 9. Gratiano can. Cleros dist. 21. *Generaliter Clericos nuncupatos, qui in Ecclesia Christo seruiunt quorum gradus & nomina sunt hæc, Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus.*

Ex quo apparet olim pro Clerico habitum, qui Laicus non esset: Sylu. Clericus 1. num. 1. Sane Hieronymus epist. ad Leuitam citata, alios Christianos non agnoscit à Laicis, & mancipatis diuino officio: *Quales sunt*, inquit, *Clerici, & Deo deuoti, videlicet conuersi, κλῆρος enim latine sors. Sane Clericos hinc appellatos dicunt, quia Matthias sorte electus est, sic & omnes quos illis temporibus Ecclesiarum Principes ordinabant, sorte eligebant*, Isidor. lib. 2. de Eccles. officiis cap. 1. Aquisgran. Concil. can. 99.

Eorum autem iam ab instituta Ecclesia, duo fuere genera, vnum quod abiudicatis sæculi curis ac rebus, totum se diuinæ prouidentiæ regendum tradit, sine re, sine lare, sine ære 12. qu. 1. can. Clericus, & can. cui portio Deus est eadem quæst. & causa, quorum hominum inopiæ consultum voluit Turonica Synodus sub Carolo Magno cum præcipit can. 23. *Vt victum & vestitum iuxta facultatem Episcops accipiant, ne paupertatis occasione compulsi, per diuersa loca vagari, ac turpibus se implicare negotiis incipiant. Nam quia sunt ipsi pars Domini, vel Dominum partem habent, & tales se exhibere debent, vt & ipsi possideant Dominum, & ipsi possideantur à Domino, qui autem Dominum possidet, nihil extra Dominum, habere potest*, Hieronym. in epist. ad Nepotian. *Quare si Clericus quidpiam habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus, v. c. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis, Dominus pars eius fieri non dignatur*, S. Bernard. in serm. de verbis Euangelij dixit Simon Petrus ad Iesum. Ideo illis de commeatu ad vitam necessario prouideri oportuit. Sane quia vbique Clerici vitam instituebant ex eius præscripto regulæ, quam Diu. Gregor. Responsionum cap. 1. & 2. ab Augustino Anglorum Episcopo, Anglis Clericis, ad imitandum proponi voluit: *Vt secundum eam conuersationem quæ ab initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex iis quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, necesse fuit Episcopo, Abbatibus, & præfectis reliquis, seuere à Concilio præcipi, vt in id incumberent seduli, ne quid Clericis deesset ad vestitum, aut victum, vnde violandi voti, ansam instinctu Dæmonis arriperent. *Voti* dixi quod enim viderent, sui se nominis dignitatem tueri non posse, si quid præter Deum possiderent, Hieron. in epist. ad Nepotian. quo adhærerent ei tenacius, nudi ab opibus, spem earum omnem, sibi voto concepto adimebant, Vrbanus Papa testis Epistolæ ad omnes Catholicos datæ cap. 1. quę refertur 12. qu. 1. can. 9. *Quicunque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit, se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat*, hæc ille. Vt vt sit de voto, sane constat, id Hieronymum exegisse à Clericis, *Vt victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, haberent omnia communia.*

Alterum genus Clericorum est, vt sunt nostra-

tes. ac huius æui, quibus licet aliquid poſſidere, quorum genera duo extitiſſe video, primi, vitam ex Eccleſiæ legibus agunt, alteri, poſt ſuſceptos minores ordines, à ſtatu, & conditione Clericali deſciſcunt, vel ſunt ex eo genere, quos matrimonium illigatos tenet, quibus omnibus, vt res, negotiaque proprio nomine agere licet, ita ſua ſibi habere, agros, domos, vectigalia, iſtorum meminit Gregorius ſcribens Anglorum Epiſcopo, Reſponſionum cap. 1. Gratianus 12. quæſt. 1. can. quia tua fraternitas.

Priorum autem Concil. Moguntiacum ſub Carolo Magno can. 9. vbi Patres, Clericos qui eadem omnes menſa vtebantur, ſeparat ab his, *qui de rebus Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt*, & in Synodo Aquiſgran. ſub Ludouico Pio hæc leguntur; *neceſſarium in quibuſdam Eccleſiis reperimus vt Clericorum ordo maiori aſtringatur diſciplina, & cuſtodia, ampliorique foueatur ſtipendiorum copia, vt occaſione temporalium ſubſidiorum, ſanctarum non depereat inſtitutio rerum.*

Ex quo apparet, non hoc primum tempore, Clericis attributos eſſe ad vitæ ſubſidium, commeatus neceſſarios, ſed id quoque Patrum æuo fuiſſe in vſu, Epiſcopis ac Clericis, ſtata ſua, certaque ſtipendia vt eſſent.

QVÆSTIO II.

An Miniſtris Eccleſiæ, Clerici nomen, competat præ cæteris.

NEgant Lutherus de abroganda Miſſa priuata, Caluinus lib. 4. inſt. cap. 4. ſect. 9. enim vero cum ad beatam immortalitatem omnibus aditus pateat, nec ſit vllus tam effuſe malus, quem non cupido, ſpeſque fruendi Dei teneat, non niſi ſtulta impiaque ambitione factum tradunt, vt à natione communi fidelium, Presbyteri cæterique Eccleſiæ miniſtri, glorioſum hoc Clericorum nomen ad ſe diuerterent. Quam id vero iuſte aſſerant ac honeſte, ſapientum eſto iudicium, qui quod breuiter dici poteſt, hoc non neſciunt, fœdum eſſe homini, diem venerandæ antiquitati dicere, hoc primum, deinde quod eſt alicuius proprium bonum, hoc ei adimere, vtrumque vero in hac cauſa hæretici faciunt, nam & addicti Deo ſacri homines, ab antiquis dicti ſunt Clerici à Patribus quidem Nicæni Concil. can. 1. 2. 3. 8. 17. 18. 19. his autem qui ſextæ Synodo Conſtantinopolitanæ interfuere can. 77. & 80. Clemente in Canonibus Apoſtolorum, can. 12. 13. 15. Tertull. lib. de Monogamia Cypria. de ſingularitate Clericorum Aniceto can. prohibete diſt. 23. Dionyſ. cap. 6. de cœleſti Hierarchia Epiph. hæreſi 80. Hieron. epiſt. ad Nepotian. 2.

Et licet ſit vniuerſa Eccleſia fidelium, ſors ac hæreditas Domini, quod κλῆρος ſignificat, vnde Clericis nomen eſt factum, certum eſt tamen peculiari ratione, ad hanc hæreditatem pertinere miniſtros Eccleſiæ, quatenus ſunt diuino cultui mancipati præ cæteris, in quibus vt in templo diuinitas reſidet, quare etſi poſſint Laici, quibus miniſterium diuini cultus non incumbit ex officio, communi quadam ratione vocari Clerici, obtinuit tamen vſus Eccleſiæ, vt hi ſoli, qui de ſorte, ſiue hæreditate Domini ſunt ſingulariter, appellentur Clerici, quod nomen, diſrumpantur licet odio, inuidiaque hæretici, dum erit orbis, dum in cœlo præſidens Deus, retinebimus. *Omnes enim qui in Eccleſiaſtici miniſterij gradibus ſunt ordinati, generaliter Clerici nominantur non alij*, Iſid. in lib. de officiis Eccleſ. 2. cap. 1.

QVÆSTIO III.

Per quid à Laicis fiat ad Clericorum ordinem tranſitus, & cuius ſit Tonſuram dare.

CVm de ſtatu vno ad alium, non fiat ordinarie tranſitus, ſine diſpoſitione aliqua, quæri hic poteſt, ecquid ſit in rerum natura aliquid, cuius ope Laici tranſcribantur in Clericorum ordinem, & quo illud nomine appellet Eccleſia.

Dico ergo, *Laico per Tonſuram inter Clericos locum eſſe*, eſt Doctorum omnium, vt patet ex can. 11. Concilij habiti Vernis ſub Pipino Francorum Rege, vbi Clerici, Tonſura quaſi proprio ac ſuo charactere, diſtinguntur à Laicis, hoc enim ipſo quo ea ſe inſigniri ſunt paſſi, dicuntur cogendi ad profeſſionem vitæ Canonicæ, ſub poteſtate Epiſcopi, aut Monaſticæ ac regularis, ſub Abbatis eruditi magiſterio: *De illis hominibus*, inquit canon, *qui dicunt quod ſe propter Deum tonſurauiſſent, & modo res eorum vel pecunias habent, & nec ſub manu Epiſcopi ſunt, nec in Monaſterio regulariter viuunt, placuit vt in Monaſterio ſint ſub ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub ordine Canonico.*

Sane conſtat, neminem capacem eſſe beneficij qui non ſit Clericus, Innoc. III. cap. cum adeo 17. de reſcriptis ac Alexandri III. teſtimonio cap. ex litteris 6. de tranſactionibus, non eſt hæc laus alterius propria, quam qui per Tonſuram eſt profeſſus, ſibi cum ſæculi voluptatibus, amodo commune nihil fore. Ideo enim negat hic Pontifex, certũ hominẽ de quo ab Epiſcopo Eboracenſi conſultus fuerat, beneficio donandum eſſe, *quod ſe mentitus eſſet Clericum, cum nondum eſſet in Clericum tonſuratus*, hæc can. verum eſt ergo, inter Clericos, locum per Tonſurã nanciſci Laicũ. Ita Theodorus quidã Eccleſiæ extruendæ præpoſitus, ab Ethnicis capite eſt plexus, quod cirros puerorum, licentius attonderet, Amm. Marcellinus lib. 12. hoc eſt authore Baronio, tomo annal. primo, quod eos cooptaret in Clericos.

Eſt autem Tonſuræ vſus à Nazaræis in Eccleſiam tranſlatus, *qui*, verba ſunt Iſidori de officiis Eccleſiaſticis lib. 2. cap. 4. & Aquiſgranenſis Concil. ſub Ludouico Pio can. 1. *qui*, inquam, *crine ſeruato, poſt diuina magna deuotione completa, caput radebant & capillos in igne ſacrificij, ponere inbebantur, ſcilicet vt perfectionem deuotionis ſuæ Domino conſecrarent, huius ergo exempli vſus, ab Apoſtolis introductus eſt, vt hi qui in diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazarai, id eſt ſancti Dei, crine præciſo innouentur.*

Alio trahitur à Beda, nam de geſtis Anglorum cap. 22. eius vſum reuocat ad perennem Chriſti paſſi memoriam ſeruandam in animo, maxime vero ſpineæ coronæ, qua auguſtiſſima ſeruatoris tempora ſunt tranſfixa.

Alij vt Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, aiunt Tonſuram coli Petri memoriam, cui miſſo diuinitus, ad ſementem faciendam ſacri verbi, gentes ad ludibrium detonſo reliquo corpore, coronam è crini-

bus ſuperne reliquere, *quos enim Caius pulchros & comatos nouerat, hos quoties ſibi occurrebant occipitio raſo deturpabat*, Sueton. cap. 35.

Quid ſi hac forma, libertatem filiorum propriam, qua ſi quiſquam fruitur, maxime Clerici, expreſſam Eccleſia voluit? *quienim tempeſtatem enaſcrant raſis crinibus votaperſoluebant*, inquit Lucianus in Deorum dialogo. Facit pro hac coniectura Iſidor. de officiis Eccleſiaſticis hb. 2. cap. 4. cum Aquiſgran. Concilio tempore Ludouici Pij. Enimuero Patres can. 1. memorant, Tonſura ſignificare Clericos, id ſe contendere in omni vitæ ſuæ genere, ac agere, vt omni deterſa labe eniteſcant ad gloriam Deique laudem, nam ſi vitiis animus de ſtatu deiicitur, dæmonique ſubditur, *qui facit peccatũ ſeruus eſt peccati*, Matt. 10. *& à quoquis victus eſt huius & ſeruus eſt*, hunc in libertatem aſſeri eſt neceſſe, cum è vitiorum cœno emerſus, virtutis ſtudia amplectitur, lubet Iſidorum ac Patres, in oratione ſua, vti ſpeculo agnoſcere ſic ergo illi, *Eſt Clericis Tonſura ſignum quoddam quod in corpore figuratur, ſed in animo additur, ſcilicet vt hoc ſignoin religione, vitiare ſeccentur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur, atque inde innouatis ſenſibus & comis rudibus innoteſcamus, expoliantes nos iuxta Apoſtolum veterem hominem cum actibus ſuis, induentes nouum qui renouatur in agnitionẽ Dei, quam renouationem in mente oportet fieri, ſed in capite demonſtrari, vbi ipſa mens noſcitur habitare. Quod vero detonſo capite ſuperius, inferius circuli coronæ relinquuntur, Sacerdotium regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo ſignari.*

Hæc Patres, ſed enim cuius eſt Tonſuræ notam, capiti indere? cuius ſectione crinium, in ſphæræ formam Clericis Laicum adiungere? cuius eraſo ſuperne capite capillorum circulum relinquere? fuit hæc ſecunda quæſtio.

Dico ergo 1. *Tonſuram ab alio, quam qui eſt Epiſcopus tonſurandi conferri non poſſe*, cap. cum nullus de tempore ordinat. in 6. Cauſa eſt, quod ad eum pertineat videre, an & quibus miniſtris prouincia ſua opus habeat.

Recepta à nõ ſuo Epiſcopo quoad vsũ eſt irrita, vti colligitur ex can illud 1. & can. 3. ſi quis auſus diſt. 71. vbi dicitur: *Vt ſi quis alienum ſine conſenſu proprii Epiſcopi* ordinauerit, *irrita ſit ordinatio*, addit Leſſius lib. 2. de benefic, dub. 19. nu. 92. etiam quoad Ordinis, ſeu gradus recepti priuilegium, nullam eſſe, cum eo ipſo, quod eſt quiſpiam, inſtitutus in Clericum, ab alieno Epiſcopo, omni fori priuilegio careat.

Proprius autem Epiſcopus quoad hoc eſt triplex: originis, domicilij & beneficij, vt habetur cap. nullus 3. de tempor. ordinat. in 6. Epiſcopus beneficij is dicitur qui loco præſidet, vbi beneficium eſt ſitum, requirens reſidentiam, nam eius occaſione ibi fixurus eſt ſedem perpetuam, cum ſi officio ſatisfacere velit ac ſuæ conſcientiæ, inde non ſit receſſurus. niſi ad tempus.

Dixi ſi reſidentiam exigit, nam ſimplicia, hanc poſſeſſori ſuo facultatem non tribuunt, vt ab Epiſcopo in cuius ſunt Diœceſi, ſacro ordine initiari poſſit, aut Tonſura Leſſius l. 2. c. 34. dub. 19. n. 92.

Epiſcopus originis is eſt dicendus, in cuius Diœceſi quis eſt natus, non fortuito, vt ei accidit, cuius parentes domicilium alibi conſtitutum habent, quam vbi tonſurandus, primo vſuram lucis habuit. Panorm in cap. Rodolphus 55. de reſcriptis.

Epiſcopus domicilij, eſt is qui loco præſt vbi quis domicilium ſedemque fortunarum ſuarum conſtitutam habet, quam ad rem duo ſunt neceſſaria, primo habitatio, deinde animus eam retinendi dum vita ſuperſtes erit, niſi quid auocet, nam vt domicilium non amittitur, ſola voluntate, ſed re ipſa, lege domicilium digeſt. ad municipalem vbi dicitur, re, & facto transferri, ita nec acquiritur ſolo animo, ſed ad eum accedere debet ipſa actio, nempe habitatio, cum eius perpetuandæ voluntate ad vitam. Hoſtienſ. in ſumma tit. de Parochiis §. penultimo num. 7 Angel verbo domicilium num. vnico, Sylu. eodem num. 2. Sanchez lib. de matrimonio num. 1. & 9. qua cum ſtudioſi careant quique Epiſcopo ac miniſteria domeſtica adſunt, viri alienigenæ, per eum in Clericos cooptari nequeunt, Rebuff. in praxi parte 1. tract. de Clericis, & à quibus num. vigeſimo tertio. Oppoſitum dici debet de conſiliariis, cæteriſque qui magiſtratum gerunt, aut prouinciam, aliquam commiſſam habent in Diœceſi, non interrumpendum facile, Rebuff. num. 16.

Cauſa eſt, quod tales occaſione muneris quod obeunt, cenſeantur ſedem in Epiſcopatu ſtabilem fixiſſe, nec mutandam.

Pari cum Epiſcopo poteſtate Abbates gaudent, ſi ber edicti ſunt ac Presbyteri, ſed ea vti, niſi in Monachorum, qui eorum ſunt imperio obnoxij, vtilitatem ac commodum nequeunt, cæteri per eos eſſe Clerici non poſſunt, niſi ex priuilegio Pontificis cap. Abbates de priuilegio in ſexto, aut iuris beneficio, à quo Epiſcopalem authoritatem, in certos homines ſunt adepti, Doctores in can. quoniam diſt. 69. cap. cum inter de re iudic. Rebuff. praxis beneficiariæ parte 1. tract. de Clericis & à quibus n. 14.

QVÆSTIO IV.

Quæ ſint priuilegia iure Canonico Tonſuræ conceſſa.

SEnſus eſt an Clericus vi Tonſuræ nanciſcatur aliqua priuilegia, quæ quæſtio explicatũ habet facilem, cum dubij cauſam omnem exemerit Concil. ſeſſ. 23. cap. 6. vbi de conditionibus, ad iſtiuſmodi priuilegiorum vſum requiſitis diſputans, ait opus eſſe vt Clericus Tonſuram & habitum deferat, aut in Eccleſiæ miniſterio occupatus Deo inſeruiat, hac enim oratione tacite indicat, eiuſmodi priuilegia ſibi cordi eſſe, nec improbari poſſe aut reiici.

De tempore vero quo Tonſura dari poteſt & recipi, in altercantium inter ſe Doctorum varietate tanta, quantam ſcimus, certi quid dicam vix habeo. Negant enim aliqui, ex neceſſitate præcepti, præſtitutum ei tempus vllum eſſe, quouis poſſe ſine culpa etiam antequam ſe ratio aperuerit, dari & recipi, quod ſi certum aliquod Eccleſia poſtulat, poſtulare tantum ex honeſtate, ac decentia, quod perquam ſit turpe, dari gradum aliquem in Eccleſia, non potenti eum exercere.

Huius opinionis principẽ ac auctorẽ agnoſcunt Theologi maximè D. Th. in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. q. 2. ei ſe comites adiunxere primarũ partiũ ſcriptores, Scotus ibi q. 1. Bonauẽtura ib. q. 2. art. 2. Menochius lib. 2. de arbitrariis centuria 5. caſu 427.

Ab iis diſſentit totus fere Theologorum cuneus cum negant Tonſuram ante ſeptennium vlli dandam, in his Rebuff. in praxi titulo de Clericis male promotis Gloſſa 2. num. 1. Sotus diſt. 25. qu. 1. art. 1.

Digitized by Google

art. 1. concluſ. 4. Henriquez lib 10. de ordin. cap. 19. dum. 1. A

Dico primò, *Tonſuram ſine culpa ante vſum rationis dari non poſſe*, ſuppeditat ad concluſionis fidem argumentum non leue Bonifacij VIII. decretalis quarta de temporib. ordination. ibi enim prohibet infantem adiungi Clericis per Tonſuram, niſi cum ſe Deo totum in Religione mancipat, ergo & antequam ratione polleat. Conſeq. probatur, qui infantes, iidem quoque ſunt communiter rationis prudentiæque expertes, ac vacui, at eſt Tonſura infanti neganda, ergo &c.

Confirm. negat Concilium ad Ordines acceſſum vlli eſſe oportere per Tonſuram, niſi legere ac ſcribere, vnaque fidei Chriſtianæ myſteria nouerit Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. at impos ſui, ac recti neſcius, ac rationis vſu deſtitutus vt de myſteriis fidei reſpondere ſcienter non poteſt, ita nec literaturam diſcere, iudicio ergo Concilij non eſt Tonſura infanti danda, nec proinde ante rationis obtentæ tempora. B

Dico ſecundò, *In ſeptennium impletum, Tonſuræ recipiendæ tempora cadere*, ita Doctores fere omnes auctoritate fi eti Zozimi can. in ſingulis diſt. 77. vbi ait ordinandum, à ſeptimo anno initiari poſſe minoribus, vſque ad duodecimum.

Secundo, quia illo tempore animus ſe explicat, ac diducit ad ea quæ erant ignota antea.

Iam ad quæſtionem quænam ſunt iure Canonico Tonſuræ conceſſa priuilegia? C

Primum eſt, quod magiſtratus ſæcularis ius, ac imperium in Clericum non habeat, quod priuilegium fori dicitur.

Secundum, quod nemo violentas ei manus inferre queat, quin in cenſuram excommunicationis incidat, à qua ſolus Papa abſoluit can. ſi quis ſuadente 17. qu. 4. atque hoc priuilegium dicitur Canonis, ſi tamen iniuria Clerico illata non eſſet niſi leuis, eius abſolutio dari & peti poſſet ab Epiſcopo, cap. peruenit de ſententia.

Tertium, quod qui Tonſura eſt inſtructus, beneficiorum ſit capax cap. ex litteris 6. de tranſact.

Quartum, quod à præſtatione vectigalium, ac onerum, quæ ſequuntur mere Laicos, ſit immunis, Canonica & ciuili lege, cap. finali de vita & honeſtate Clericorum & lib. 2. codice de Epiſcopis & Clericis, quod priuilegium immunitatis appellatur, de quo nos poſtea. D

Quintum, quod poteſtatis Eccleſiaſticæ excommunicandi, ſuſpendendi, abſoluendi à cenſura, per Tonſuram capax fiat, cum hi actus ordinem non exigant in eo, qui illos exerceat, ſed tantum iuriſdictionem, cap. tranſmiſſa 15. de electione.

An autem amittantur hæc priuilegia per non geſtationem habitus ac Tonſuræ, iam eſt videndum, & dico tam Romanis quam noſtris moribus, priuilegio fori excidere Clericum, qui veſte & Tonſura non ornatus progreditur in publicum, & quidem voluntatem Pontificis hanc eſſe, reſpondit ſacra Congregatio Cardinalium, Cardinali Caraffæ teſte Comitolo Reſponſionum li. 1. qu. 54. nu. 1. ab ea vero non abhorrere Galliæ conſuetudinem, decretum regium indicat, quo eſt ſanctum anno 1571. 16. Kalend. Maias, Clericos omnes qui ex præſcripto Epiſcopi, alicui Eccleſiæ inſeruiunt, ſacræ Tonſuræ priuilegio frui debere, quam Regis voluntatem probauit Senatus, cuius & extare argumenta voluit in publicis monumentis Curiæ. Videndus Renatus de ſacra polit. lib. 1. cit. 2. E

QVÆSTIO V.

Quæ ſint Clericorum obligationes & quales.

OLim quidem egredi prouincia ſine litteris Epiſcopi commendatitiis non poterant Chalced. Conc. Oecumenicum can. 19. Concilium habitum in palatio Vernis can. 12. Laodicen. cap. 41. & 42. Aurelianenſe 3. can. 15. *Presbytero, Diacono, vel Subdiacono, ſine Epiſcopi ſui litteris ambulanti iuxta ſtatuta priora, communionem nemo impendat.*

Septima Synodus can. 10. *quoniam quidam Clericorum parui pendentes Canonicam conſtitutionem, ἀπολιπόντες τὴν ἑαυτῶν παροικίαν εἰς ἑτέρας παροικίας ἀφικνοῦνται καὶ πλείους λανθάνουσι τῇ θεοφιλάτῳ καὶ βασιλίδι πόλει καὶ εἰς ἀρχιερατικὰς προάγονται, ὁ τοῖς ἑαυτῶν ἐπισκόποις τὰς λειτουργίας ποιοῦντες, τούτους οὐ χρεὼν τὰ ἴδια ἐπισκόπου καὶ τῆς Κωνσταντινοπολιτικῆς ἐκκλησίας λανθάνειν ἐν ᾧ δήποτε ὄντας καὶ ἐκκλησίᾳ.*

Pœna excedentium abſque hoc commeatu litterario, communionis erat priuatio, iuxta decretum Agathenſ. Concil. primi ſub Symmacho, can. 32. Epaunenſis can. 6. habiti in palatio Vernis can. 12. qua pœna aut non longe certe diſpari, plexos video, qui tecto illos dignabantur ac hoſpitio, mihi non ſit fides ſed Concil. *Qui vero Epiſcoporum aut Laicorum, poſt hoc conſtitutum, alterius Eccleſiæ Clericum ſuſceperit, niſi ad excuſandum rationabiliter, placuit à communione ſuſpendi & eum qui ſuſcepit & qui ſuſceptus eſt, quo vſque Clericum qui tranſlatus eſt, ad ſuam Eccleſiam fecerit reuerti.*

Quod de communione dicitur intelligendum eſſe exiſtimo de ea quæ Clericorum eſſet propria, nam can. Apoſt. 15. permittitur Clerico vt in ea prouincia, ad quam ſine facultate Epiſcopi tranſiit, *tanquam Laicus communicet.*

Et quanquam non ſit, hiſce temporibus, Epiſcoporum in circitores Clericos, ingenio vagos & mobiles, ſeueritas tanta, quod eos ad virtutis ſtudia morum humanitate, ac animi, impellere ſatagant, eſt tamen cum in eos zeli ſui aculeos erigunt, nam vinculis cuſtodiaque illos, Germani præſules arceri præcipiunt, dum communiter in Concilium Oecumenicum, ex omnibus Germaniæ partibus cuncti veniunt, Moguntiaca Synodus ſub Carolo Magno can. 22. & recenti memoria in Synodo Pariſ. anno 1608. habita, vetuit Illuſtriſſimus Henricus Cardinalis Gondius, vagantium Clericorum aliquem ad ſacra myſteria admitti, addidit exemplo priſci æui, imperium deferendi eos ad Promotorem, cuius eſt Epiſcopi nomine ſcelera perſequi, quod opinor eam ob rem factum à ſapientiſſimo Præſule, ne tãta leuiſſimorum hominum in obeundis vrbibus cum Ordinis vniuerſi dedecore probroſa licentia, impunis eſſet.

Et quoniam vt ſunt humana ingenia, temporaque, difficile eſt quenquam ita ſibi legem dicere, vt quam ſemel ſedem ſua aut parentum voluntate eſt adeptus, hanc ſtabili æternaque conſtantia retineat, ne qñid tãmẽex ea mutatione labis ac infamiæ redundaret in Eccleſiam, ſtatuit præfatus Card. cũ aliis rebus, tum hac maxime, immortalitate dignus: *Cum ab vna Eccleſia in aliam Sacerdotem migrare accidit, hunc à Curato non admitti aut eius Vicario, niſi præditus Sacerdos exhibeat atteſtationem de vita & moribus (quæ complectatur cauſam & ec-*

caſionem diſceſſus) obſignatam chirographo curati vel Vicarij eius Eccleſiæ ex qua diſceſſit.

Clerici priſcis Eccleſiæ legibus vni tantum erant Eccleſiæ deſponſi, pluribus aſcribi vetitum, can. Sanctorũ 2. diſt. 70. can. Apoſtol. 15. Conc. Nicen. can. 16. Antioch. can. 13. Synodus 7. can. 15. κληρικὸς ἀπὸ τῆς πόλεως μὴ μεταπηδάτω εἰς ἑτέραν ἐκκλησίαν, quare & in eo loco, pro quo ordinabantur, ſtabiles ſe futuros vouebant, Concil. Valentin. primum can. 6. *Nullum quiſquam Sanctorum Sacerdotum ordinet, qui localem ſe futurum primitus non ſponderit.* Opinor eam ob cauſam quod crederent, perſona quam gerebant in Eccleſia, indignum eſſe, vt animo, ſic moueri quoque corpore, Vnuſquiſque, ergo, inquiunt Patres ſeptimæ Synodi, ἵν' μὴ ἀπροσκόπως φαίνηται ἐν ᾧ ἐκλήθη εἰς τοῦτο ὀφείλει μένειν καὶ περιφρουρεῖται εἰς μίαν ἐκκλησίαν.

Tertio, qui cum Epiſcopi conſenſu domo proficiſcebatur ad negotia, hunc nefas erat ſacris occupari miniſteriis, Antiſtite eius loci ad quem diuerterat non probante, Aurelian. 4. can. 7. Sueſſione ſub Pipino anno 744. his verbis: *Statuimus vt ſuperuenientes Epiſcopi vel Presbyteri de alijs regionibus, non ſuſcipiantur in miniſterium Eccleſiæ, niſi prius probati fuerint ab Epiſcopo cuius Parœchia eſt,* ſunt his ſimilia quæ can. 7. Aurelian. 4. ea de re his ſunt verbis concepta, *Vt in oratoriis prædictorum minime contra voluntatem Epiſcopi, ad quem territorij ipſius priuilegium noſcitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant niſi forſitan quos probatos ibidem diſtrictio Pontificis obſeruare præceperit.*

Ex quo apparet primo commendandam eſſe in hoc genere Pariſienſis Epiſcopi prouidentiam, qui quod eſt ſapientiæ, quod charitatis, ac officij, cuiquam aduenæ ad ſacra miniſteria aditum in vrbe patere prohibet, niſi examinato de ordine, cuius fides extare debet, teſtata proprij Epiſcopi litteris.

Quarto, eſt hæc Clericorum obligatio propria, habere ſtata tempora ad orandum, quæ etſi, duo tantum agnouerint Toletana Synodus can. 5. & Aquiſgranenſis can. 231. matutinum ſcilicet, & inclinans ad veſperam, quibus ad Eccleſiam coire frequentes eos erat neceſſe, plura tamen notauit expreſſitque pro Sacerdote Conc. Agathenſe, vt refertur in decretal. de celebratione Miſſarum can. Presbyter. *Presbyter mane Matutinalis officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamque perſoluat, ita tamen vt horis competentibus iuxta poſſibilitatem, ante ſe aut à ſcholaribus publicè compleantur, propheta dicente,* ſepties in die, &c. *qui ſeptenarius numerus à nobis impletur, ſi Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, & Completorij tempore, noſtra ſeruitutis officia perſoluamus.* Quæ obligatio an etiam tranſeat ad Clericos Minorum Ordinum, & quatenus, exponetur tract. de beneficiis.

Quinto, debent Epiſcopo honorem ac obedientiam, *Decernimus*, inquit Patres in Synodo Francica, ſub Carolomanno anno 724. *vt vnuſquiſque Presbyter in Parochia habitans, Epiſcopo illi ſubijciatur, in cuius Parochia habitat*, idem inculcant in Concilio Vernis habito can. 2.

Pœna contumacium depoſitio ab ordine, cuius non alius futurus eſt terminus, quam pertinaciæ poſitio, Aurelian. 3. can. 19. *Si quis ſuperbia elatus officium ſum indignatione quacunque implere noluerit, Laica communione contentus, ab ordine depoſitus tandiu habeatur, quandiu digna pœnitentia, & ſatisfactione ſatisfecerit imperanti.*

Plæne de obedientia, ad honorem pertinet, quod Clerici ſui Antiſtitis latera nunquã non ſtiparent, Synodus Turon. 2. ſub Symmacho can. Epiſc. 13. *Et licet Deo propitio, Clericorum ſuorum teſtimonio, caſtus viuat, quia cum illo tam incella, quam vbicumque fuerit, ſecum habitent, eumque Presbyteri & Diaconi vel deinceps Clericorum turba iuniorum conſerunt.*

Sexto, Clerici moribus eſſe debẽt, vitaque plane tales, quales eſſe oportet, qui aſpectu ſuo vitia cõprimãt, *His igitur lege Patrum cauetur vt à vulgari vita ſeclusi, à mundi voluptatibus ſeſe abſtineant, non ſpectaculis, non pompis intersint, comminia inhoneſta & turpia fugiant, vſuris nequaquam incumbant, non turpium occaſiones lucrorum fraudiſque cuiuſquam ſtudium appetant, amorem pecuniæ, quaſi matrem cunctorum criminum fugiant. Nihil enim eſt,* aiunt Concil. Trid. Patres ſeſſ. 22. de reformat. cap. 1. *quod alios magis adpietatem & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita & exemplum qui ſe diuino miniſterio dedicarunt, cum enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam in ſpeculum reliqui oculos conijciunt, ex iſque ſumunt quod imitentur.*

Septimo, ſi fides eſt Clementi Romano ad Iacobum fratrem Domini Epiſt. 2. *Declinare debent à conſortiis inhoneſtis & infidelibus, & ſocietates habere fidelium, atque illos frequentare conuentus, in quibus de iuſtitia, pudicitia & pietate tractatur*, quod cum facere ſæculares, profanique homines nequeant, eorum congreſſu illis interdictum video, in Aurelianenſi 2. can. 9. quemadmodum & mulierum in Toletano 2. can. 3. *Decreuimus vt nullus Clericorum, à gradu Subdiaconatus & ſupra, in conſortio familiaritatis habeat mulierem vel ingenuam, vel libertam vel ancillam, quiſquis poſt datam admonitionem hanc, eorum conſortio frui voluerit, nouerit ſe non tantum à Clericatus officio retrahi, vel Eccleſiæ finibus expelli, ſed etiam omnium Catholicorum, Clericorum, vel Laicorum communione priuari*, factum & id quoque in Aurelianenſi 3. can. 4. Turonenſ. 2. can. 10. & 11. Toletano 4. can. 41. Francico ſub Carolomanno anno 742. Nec modo Concilia ſed & Patres Clerico cum fœmina nil volunt eſſe commune ſic Hier. epiſt. 2. ad Nepotian. Omnes inquit puellas & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige, ne ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas.

Neque tamen fœminæ nomine, eſt intelligenda mater, amita, ſoror, conſanguinea cum has excipiant Lugdunenſe ſecundum habitum anno 586. Guntrano Rege, Braccarenſe primum can. 15. his verbis: *Si quis Clericorum præter matrem aut germanam vel etiam, quæ proxima conſanguinitate iunguntur, aliquas alias quaſi adoptiuas fœminas ſecum retinet, & cum ipſis habitat, anathema ſit.* In conſanguineis quas Concilium lege ſua comprehenſas eſſe non vult, neptim quoque intellegit Sueſſionenſis Synodus anni 744. ſub Pipino, Clericorum autem nomine, non alios quam qui ſacris ſunt ordinibus initiati, Lugdun. Concil. 2. in can. 1. *Sanximus, vt nullis Clericum ab ordine ſancto Antiſtitis vſque ad Subdiaconi gradum, mulierem præter matrem, ſororem & amitam habere in hoſpitio liceat.*

Sane Niſſenum 3. à quo primum huius prohibitionis initium eſt factum, non ſolius Presbyteri & Epiſcopi meminit, ſed Clericorum, quibus omnibus nefas eſſe ait can. 3. habere domi ſubintro-

Digitized by Google

ductam mulierem, πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν ἢ θείαν ἢ μόνα τοιαῦτα πρόσωπα ὑπὲρ ὧν οὐδεμία ὑπόνοια. A

Optandum tamen, vt pueri quoque, id est iuniores Clerici, latentem hunc scopulum declinent si nauem integram seruatam velint: *Nec enim est mulierum societas approbabilis, quæ collisiones habet velut quibusdam fluctibus turbulentas*, Cyprianus de singularitate Clericorum, quarum vicinia delictorum est lenocinium, gluten, pedica etiam, laquei, quibus irretiri pronum ac facile. Quid si ad hoc malum, quasi ad periculi cumulum familiaritas accesserit? Nempe discrimini proximus diu tutus erit qui illud vltro sibi quærit? ecquid quod notauit Beatus Laurentius Iustinianus cap. 5. de continentia, familiaritas securos sui implicat? ecquid peccandi occasionem suppeditat? *O quam inordinabilis fœminæ propinquitas iaculatur, gluten est delictorum, viscum toxicatum, quo diabolus aucupatur, nam si inter festa potest omnis conuentio scandalizari, vbi tentator diabolus tremit, quis illic stabilem se esse promittit, vbi tentator audacter occurrit, & si turbamur illic vbi Dei iussa nos congregant, quid agimus vbi Dei iussa nos separant*, Cyprianus de singularitate Clericorum, quare cum aliis rebus tum hac vna, laudandi mihi præcipuo videntur esse Hispani Antistites, quod omnem mulierum congressum vitandum esse etiam iunioribus Clericis voluerint, ne quid labis aut tabis, ex eo contubernio ac societate contraherent, ex tribus enim his malis quæ hoc adagio suo nobilitauit antiquitas, mare, ignis, mulier tria mala, est tertium duobus longe periculosius, hic enim est scylla, hic Carybdis, hic certi latent sub fallaci vnda, virtutum scopuli, & si quid vspiam est homini metuendum. B C

Itaque Clerici vt lubricæ ætatis annos, non in luxuria sed in disciplinis Ecclesiasticis agerent, sub probatissimo seno, quem & Magistrum disciplinæ, & testem vitæ haberent, in eodem omnes cubiculo, iubebantur agere, dum adolescerent, quæ si vitæ ratio ad stomachum illis non faceret, *Vt vagantes superbique animi, regula, sicuti frano astricti, intra certi fines consisterent*, Monasteriis addicebantur, vbi vel inuiti sapere discerent Hispalense quartum canone vigesimo tertio.

Hæc de congressu? quid de opibus? quid de diuitiis dicendum? Eas in Clerico damnat Hieron. epist. 2. ad Nepotian. his verbis. Quasi Leuita & Sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum his contentus ero, & postea reprehendit nonnullos, quod possideant verba sunt Hieron. ibid. opes sub Christo paupere quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant, vt suspiceret Ecclesia diuites quos mundus tenuerat ante mendicos. Claudam hoc caput insigni oratione Patrũ in Conc. Laodic. can. 54. in qua negant fas esse ministris altaris aut Clericis spectaculis (verba sũt Cõcil.) quæ aut in nuptiis, aut in scenis exhibentur interesse, sed antequam Thymelici ingrediantur, surgere eos de conuiuiis & abire debere. D E

QVÆSTIO VI.

An Canones de vitando mulierum contubernio præceptum contineant, & quale.

TAbiena cuius meminit Comitolus responsion. lib. 1. qu. 97. num. 4. existimat rem præcepti non esse, *Quia*, inquit, *periculosa est determinatio de mortali*, eiusdem est sententiæ Armilla, in verbo Clericus num. 15. proindeque culpæ expertem ait esse, qui domo eadem cum muliere vtitur, modo ne contumaciter hoc faciat, aut scienter periculo peccandi se obtrudat.

Mihi hæc contra sententia firma insedit, & Canones quorum hactenus memini, præcepti esse, & peccare Clericum, qui fœminæ cohabitat, à cuius sibi commercio, iustum peccandi periculum metuit.

Pugnant pro hac opinione Sylu. verbo Clericus 2. n. 2. Angelus verbo Clericus 2. nu. 2. Nau. in summa cap. 25. n. 109.

Primæ partis hæ possunt esse præcipuæ rationes.

Prima, quod Ecclesia grauissimas pœnas in eos constituat, qui sibi in hac parte morem non gerunt.

Secunda, quod tam Concilia quam Canones, & Patres, vocibus vtantur in hac materia, quæ indicant in superiore voluntatem obligandi, Concilij Trid. sess. 25. cap. 14. edictum est tale, *Prohibet sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra, detinere, aut cũ iis vllam consuetudinem habere audeant, alioqui pœnis à sacris Canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur.* Decretalis autem Innocentij III. de cohabitatione Clericorum & mulierum sancit his verbis: *Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale fœdus, nihil permittit sani criminis suspicari.*

Ex his enim verbis argumentari sic licet, tunc lex censenda est sufficienter esse edita, cum iis verbis est concepta, quæ quantum est satis indicant, Principi esse propositum, per ea præceptum commune ac stabile populo ponere, est enim talis significatio legi, humanæ substantialis ac intrinseca, Suare teste de legibus lib. 3. cap. 15. at hæc duo, *prohibet sancta Synodus non permittas*, sunt eius generis. Probatur, cum sit lex humana præceptiua, proindeque obligationis vera causa, verba allata sufficienter indicabunt superiorem obligare velle, si præceptũ in se cõtinent, at cõtinent, verborum enim quæ mandatũ inferunt, quædã hanc vim habent in actu signato vt loquuntur, alia in actu exercito, priora quoad præcepta affirmantia, sunt, *præcipio, inbeo impero*, quibus rigorosam præcepti obligationem inferri tradunt Clem. V. in Extrauaganti exiuit de Paradiso & Nicolaus III. in cap. exiuit de verborum significat. in 6.

Quoad negatiua sunt, *inhibeo, veto, nolo*, Clem. & Nicol. locis proxime citatis. Eorum quæ in actu exercito præceptum significant, exempla sunt *facite, abstinete*, ac si ad Superiorem diriguntur, ne permitte, quæ ambo cũ Tridentini Patres & Innocentius adhibuerint in suis quisque legibus, dubitandi causa omnis est adempta, ecquid vsu ha-

rum vocum, prohibet, (ſancta Synodus ne permittas) ſuam obligandi Cleri voluntatem ſignate expreſſerint.

Quid? quod Cyprianus in lib. de ſingularitate Clericorum, aſſerit à Deo ſe monitum, vt fœminarum conuictu, & congreſſu interdiceretur Clericis? *de hac re* (inquit) *ſpecialiter vobis Domini correctionem ſcribere ſum compulſus, qui miſerum me, pro veſtra negligentia, cum feneritate conuenientes man dare præcepit, ne fœminæ cum Clericis commorentur.* Iam hoc quæro, ecquid non, ſi illis Dei imperio, muliebris congreſſus, domuſque eiuſdem vſus eſt prohibitus, & hunc quoque vitioſum eſſe ſit neceſſe? cum diuinæ voluntati non obſequi, homini nunquam non ſit illaudabile.

De culpæ vero genere priuſquam dicam notare lubet, quæri hic poſſe primo, num natura ſua, mulierum cum viris Deo ſacris ſocietas, fœda ſit ac turpis. Secundo ſi de ſe culpa caret, vnde hæc & à quo maxime capite, in Clericorum perniciem, caputque manet, hæc duo cum meo more expoſuero, quantum ad rei præſentis intelligentiam eſt ſatis, dixero.

Prima Aſſertio, *cohabitare mulieri de ſe turpe non eſt, ac malum*, probatur aſſertio argumentis his non contemnendis.

Sit hoc primum, quæ natura ſua bellũ cum virtute ac recta ratione indictũ habent, vt ſunt, quæcunque natura ſua ſunt mala, hæc nulla lege Canonum eſſe poſſunt licita, ſed Clericis Pontifices & Concilia facultatem annuunt, habendi penes ſe matrem, ſororem, amitam, & ſi quæ eſt alia in qua naturale fœdus nihil obſcœni facinoris ſuſpicari patitur, legenda decretalis Innoc. III. extra de cohabitatione Clericorum & mulierum cap. à nobis, conſulendi Canones, audienda Concilia Braccarenſe primum can 15. Lugdunenſe, 2. can. 1. Carthaginenſe 3. can. 17. Niſſenum. 1. can. 3. quorum afferre nomina, ſatis eſt præſidij pro hac controuerſia.

Secundum, quæ natura ſua ſunt mala, reſpectu omnium ſunt talia, cum recta ratio qua cuncti pollent ea facere ſingulis inhibeat, ſed Ioanni Apoſtolo, vitio non vertit, adhæſiſſe Virgini matri, Petro & Apoſtolis habuiſſe mulieres, itinerum ac viæ comites Paulo teſte primæ ad Corinth. 9. verſu 5. *nunquid non habemus poteſtatem, mulierem ſororem circumducendi ſicut & cæteri Apoſtoli & fratres Domini, & Cephas, aut ego ſolus & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?* Næ ergo inanis eſt ac nullus qui Clerico piaculare eſſe natura ſua memorat, domo eadem tectoque vti cum muliere.

Aſſertio ſecunda, *nec tamen vacat ſcelere, cum eas ad conſortium adhibet, quæ aut mali ſuſpicionem commouent, aut ei peccandi materiam cient*, Sylu. verbo Clericus 2. num. 2. Nauar. cap. 25. Enchirid. num. 109. Panormit. in can. 1. de cohabitat. Clericor. & mulierum num. 2. Gloſſa in can. volumus diſt. 81. placet hic Nauarri verba ponere, *peccat mortaliter qui cohabitat fœminæ, qualiſcunque ſit illa, cognata, vel extranea, formoſa vel turpis, ſerua, vel libera, iuuenis aut ſenex, credens aut credere debens, ſe voluntate, opere vel vtroque modo peccaturum*, Concluſionem probabilem efficiunt argumenta ſequentia.

Primum, quod ſcandali ratio, cum eſt voluntaria, ſeiungi nequeat à culpa, *væ*, enim, inquit Chriſtus Math. 17. *homini per quem ſcandalum venit, expedit illi vt ſuſpendatur mola aſinaria & demergatur in profundum maris*, quæ corporis animique mala, nemo credo prudens rerum æſtimator opinabitur eſſe leui noxæ debita.

Secundum, eſt grauitas pœnarum, quibus Eccleſia nocentem inſequitur, culpæ grauis indicium, cũ inter hanc & illas intercedere ſimilitudo debeat, nec par ſit iudicem amantem æqui, in plectendo, æquitatis limites egredi, at in Clericum cui conſuetudo eſt cum famoſa muliere, aut à qua aliqua noxa timetur, Clerico (inquam) dicta eſt ab Aurelianenſi Concilio 3. excommunicatio pro triennio, à Toletano 2. can. 3. Turonenſi 2. can. 10. & 11. Toletano 4. can. 41. deiectio de gradu ſacrorumque priuatio, verba Braccarenſis Concilij ſunt iſta: *Si quis Clericorum præter matrem aut germanam vel etiam quæ proxima conſanguinitate iunguntur, alias aliquas quaſi adoptiuas ſecum retinet, & cum ipſis habitat, anathema ſit.* Quorum ſunt quam ſimillima quæ in Toletano 2. ſunt ſcripta can. 3. ibi enim iubentur Clerici in hac parte Eccleſiæ non morigeri: *à Clericatus officio retrahi, Eccleſiæ finibus expelli, etiam omnium Catholicorum Clericorum vel Laicorum communione priuari*, quo quid grauius acerbiuſque contingere poſſit homini non video.

Tertium, in aperta peccandi pericula vltro ruere, hæc quærere, ſibique ſponte depoſcere, certum eſt animæ ſuæ interitum, virtutique creare, qui enim amat periculum in eo peribit Eccleſ. 3. at habet mulieris alienigenæ contubernium, pro Clerico qui familiariter illa vtitur, prope certum peccandi periculum, appoſite Hieron. Epiſtola ad Nepotianum 2. *Omnes puellas & Chriſti Virgines æqualiter ignora, ne ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas, nec ſanctior Dauide, nec Sampſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior, memento ſemper quod Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecit.* Pene ſemper ergo Clericis vitandus eſt mulierum congreſſus.

QVÆSTIO VII.

Quæ ſint & qualia in quibus Epiſcopo præſtanda eſt à Clerico obedientia.

CErtum eſt Epiſcopo ſubeſſe Clericos, eique ab illis obſequium eſſe debitum, vt definitum eſt in Synodo Francica ſub Carolomanno anno 742. can. quia frater 7. qu. 1. cap. conqueſtente de officio ordinarij iudicis, in quo autem eos maxime parere ſit neceſſe imperanti, iam eſt videndum.

Dico ergo primò, *in his quæ ad diuinum cultum faciunt, Clerico ab Epiſcopi voluntate recedendum non eſſe*, vt enim iſtius eſt Eccleſiã cõponere: ita eſt Clerici, ita omnium, viam ad id arripere, id eſt neceſſaria ad eam rem media non prætermittere, quorum de numero, eſſe meum, eſſe Clerici, eſſe omnium in procurandis ſanctorum cæremoniis obſequium, quis neget? fac enim Epiſcopum ſancire in ſua Diœceſi vt quotannis vna quæpiam dies de multis Diui alicuius addicta religionibus, populo ſit, Cleroq; ſacra, hanc abiſto nõ coli, profanamque reddi, quis ferat? equidem cum vita ſit Clericorum in excelſo Eccleſiæ loco ſita, vt ab iis virtutum documenta populus, cum boni ſunt, ita & vitiorum trahit cum ſunt mali, quare qui erit illorum caſus, eodem hunc quoque ruere, ac labi

Digitized by Google

erit neceſſe, nec proinde in Clericis obedientiam Episcopo negare in his quæ diuini ſunt cultus tolerabile.

In his dixi quæ ad religionem pertinent, nam quando agitur res Cleri communis, vt de ea ſtatuere legemque ferre Epiſcopus abſque eius conſenſu non poteſt Abbas in can. non minus num. 5. de immunitate Eccleſ. Piaſecius de ſtatutis ab Epiſc. faciendis parte 2. praxis cap. 2. art. 2. ita nec ad culpam obligare ſi iſte renuat, cauſa eſt quod in his quæ pendent ab humano arbitrio, non à ſuperiore eiuſque voluntate obligatio ab eo manat qui illam in ſe ſuſcipit, eſt ergo veriſſimum non poſſe Epiſcopum ſine Cleri conſenſu eum obligare in his, quæ ad diuinum cultum non faciunt, interſunt autem boni publici vel immunitatis Eccleſiaſticæ, nec hunc proinde in iis vllum ei debere obſequium.

Addo inſuper, Epiſcopo cum res ſancit Eccleſiæ aut ſacrorum procurationi neceſſarias, cautionem hanc tenendam eſſe, ne earum tranſgreſſores inſequatur cenſura, aut Eccleſiaſtica pœna conſimili, niſi quam rariſſime, ne contemnatur, cum eius dedecore, cuius eſt hoc modo nocentes plectere, Abbas in cap. Clericos num. 3. de cohabit. Clericor. Couarr. in can. alma mater num. 10. de ſent. excomm. in 6.

Dico ſecundo, *obedientiam Epiſcopo quoque à Clericis debitam eſſe, in his quæ pertinent ad morum cenſuram, vitæ integritatem ac decentiam.*

Probatur, peccata populi Clericus, præterire tacitus Antiſtes non poteſt, ad eum enim hæc Pauli breuis illa quidem, ſed accurata ſpectat oratio. *Argue, increpa, obſecra in omni patientia & doctrina*, nec id illi leue videri debet, pro quo rationem redditurus eſt Deo principi, quo de genere, eſt earum rerum ſilentium, quibus animæ creatur exitium, at de his arguere peccantes, aut ea in præcepto ponere, Antiſtiti tantum eſt neceſſe, in quibus iſtos oportet morem illi gerere, eſt enim imperãdi obligatio germana obligationi parendi, vnaque ſic cohæret alteri, vt abinuicem ambæ nequeant abiũgi.

Dico tertio, *non eſſe cuiquam facile, de eius ſcelere ſtatuere, qui Epiſcopi ſalubria imperantis, iuſta imperia rennit.*

Probatur habet actio à rei omiſſæ aut factæ natura, eiuſque circunſtantijs, contra præceptum ſuperioris, vt ſit hoc aut illo modo mala, ſi enim eſt grauis nec vlli contemnenda facile, quod in ea ſalus dignitaſque contineatur Eccleſiæ, aut plurium, mortalis cenſebitur, ſi ſecus: puta quia in re leui verſatur, quia paucorum intereſt aut nullius, eam relinqui, aut fieri, erit habenda pro veniali, ſed non eſt promiſcue omnium, iudicare de rerum natura ac conditione: ergo nec de genere culpæ, quę à Clerico admittitur non obtemperante ſuo præſuli.

Grauiores ſunt hæ tamen cenſendæ communiter, quibus circa diuinum officium, & adminiſtrationem Sacramentorum peccatur, nec enim maior vſpiam adhibenda eſt cautio, quam ne violetur ſacrorum Religio, quod ſine peccato non poſſe miniſtros facere pro libito, fuit Tridentini vera iuſtaque opinio, ſic enim ſeſſ. 7. can. 13. *ſi quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quoscumque Eccleſiæ Paſtorem, mutari poſſe Anathema ſit.*

QVÆSTIO VIII.

Ecquid præter numeratas obligationes, & alias Clericus habeat quas omittere ſit culpa.

DIco primo, *ad cætera, quibus ex voluntate Dei & Eccleſiæ Clericum aſtringi conſtat, hæc ſunt addenda.*

Primum, ne in cibo potuſq; præſtituto, ab abſtinentia terminos prætereat, de quo præcepto Gratianus diſt. 41. can. 1. 2. 3. 4. & diſt. 44. per totam.

Secundum vt in dictis, factis, omnique demum vitæ ſuæ genere modum teneat, quem virtus, maturitas, modeſtiaque ei præſtituunt, quem cupido habet fruendi ſemper emendato ac compoſito animo, *nihil enim eſt* (aiunt Tridentini concilij Patres ſeſſ. 22. de reformat., *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat quam eorum vita & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt, cum enim à rebus ſæculi in altiorem locum conſpiciantur, in eos tãquam, in ſpeculum reliqui oculos conijciunt, ex iſque ſumunt quod imitentur.* Quare quæ ſunt in alijs culpæ expertia, hæc ſunt in Clericis ob excellentiam nominis & gradus quem tenent in Eccleſia, illicita. Leo Papa can omnium diſtinct. 31.

Tertium ne ſectetur ſæculi delicias, de quo præceptum eſt can. his igitur diſtinct. 23. eoque pertinet obligatio abſtinendi à venatione quæ Clerico prohibetur diſtinct. 86. can. qui venatoribus 1. & 2. can. vident homines, can. Eſau. de Clerico venatore can. 1. ne Clerici vel Monachi in reſcriptis Nicolai primi tit. 10. his verbis *Epiſcopi ab omni beſtiarum vel volucrum venatione penitus alieni exiſtere debent* in Agathenſi conc. 55. Matiſconenſi circa tempora Pelagij Papæ. 1. Epaunenſi can. 2. *Epiſcopis presbyteris atque diaconibus canes ad venandum & accipitres ad aucupandum habere non liceat, quod ſi quis in hac voluntate fuerit detectus, ſi Epiſcopus eſt tribus menſibus ſe à communione ſuſpendat, duobus presbyter, Diaconus vno, ab omni officio & communione ceſſabit.*

Prohibitionis cauſæ ſunt variæ, prima quod, *quo* (verba ſunt Nicolai primi ad conſulta Bulgarorum, cap. 44.) *arctius Clerico eſt inſiſtendum diuinis cultibus, tanto ei eſt in cunctis mundi nociuis oblectamentis longius recedendum* at à religioſo Dei cultu nimium quantum venatio auocat animum, cum in eam ferri, in illa totum occupari ſit neceſſe, non eſt ergo promiſcue permittenda Clerico.

Secunda, quod ob armorum ſpeciem, exercitationiſque bellicę imaginem, quam præ ſe fert, pectus ira impleat, acuatque ad grandia, quæ à Clericorum perſona, quibuſcum humanitas ac virtus adoleſcere debent, abhorrent vt quam maxime.

Quid? quod aucupando, occidendo, venando, inſequendo, imbibitur oculis manibuſque immanitas? quid? quod in innocenti quadrupede tyrocinium ponatur barbariæ, quod fiat à belluis vt ab initijs rudibus ad homines illapſus? quorum vitæ inſidiari ſæpe non timet, qui animalium inſonti ſanguine, oculos ſuos non erubuit ante paſcere, hinc eſt quod *neminem niſi reprobrum venationes exercuiſſe ſacra deſignet hiſtoria.* Nicolaus Papa primus in reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. 44. & quod *nullum ſanctum venatorem legamus,*

Digitized by Google

Neque tamen est omnis venatio prohibita Clerico, sed assidua, sed frequens, sed saltuosa ac clamosa, cuiusmodi est ea quæ fit armis & canibus, nec nisi voluptatis gratia, Trotius in opusculo de perfecto Clerico cap. 55. & 56. nam quæ à necessitate otitur, vt à desiderio recuperandæ valetudinis, relaxandæ mentis, defatigatæ labore nimio, hæc reprehendenda non est in Clerico, modo ne sit crebra, ne assidua, ne nimia. Reginal lib. 30. tract. 3. cap. 2. nu. 19.

QVÆSTIO IX.

Ecquid oporteat Clericos Sacrorum ordinum, omnes esse cœlibes, seu quod dicunt alij, ecquid sit eorum statui cœlibatus annexus, & quo iure.

REm fecere dubiam Patres atque Concilia nam & castitatem Nepotiano suo commendat Hyeron. & Clericis fit facultas à Concilio Turon. 1. can. 4. ducendæ vxoris, quam ijs concedi nihil erat necesse, si non astringuntur lege continentiæ. Deinde, si libidinem intra matrimonij terminos repressam sequi possunt, cur in ijs Galli Antistites munditiem exigunt ad obeunda sua ministeria, maritali maiorem? cur eos admonent in id incumbere, *vt non solum cordis, verum etiam corporis puritatem seruent, ne quando cogantur imparati aut immundi facere quæ sunt officij?* Concil. Turon 1. can. 1.

Quæ mihi de hac controuersia dicenda videantur, antequam explicem, meminisse Lectotē volo. Primo, nunquam à susceptis ordinibus, Presbytero licuisse, aut Diacono, fidem matrimonij dare coniugi, constat ex can. 26. Apostolorum, ex fide ac interpretatione Zonaræ & Balsamonis, est enim ibi sic *Ex non coniugatis ad Clerum electis, coniuges accipere volentibus, permittimus Lectoribus tantum,* Subdiacono autē idipsum interdicit Concil. Neocæsariense can. 1. Romanum can. 8. & 19. Stephanus can. 14. dist. 31. Greg dist. 32. can. 9. Vrbanus II. in Synodo apud Melphiam can. 13.

Notare 2. conuenit sacros Ecclesiæ ministros, matrimonium non modo, sed & libidinem quamlibet, sibi voluisse esse, voto addito prohibitam. Arausicanum primum sub Leone primo Papa can. 22. *Sedit præterea vt deinceps non ordinentur Diaconi coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem*, idem iisdem prope verbis, memorant sacri Canones primus dist. 28. primus item dist. 31. & can. de iis dist. 28. quem ex Toletano 1. in librum suum Gratianus intulit, ibi enim hęc sunt scripta: *Canendum tamen est iis ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut ad furtiuos concubitus, vltra concurrant, quod si forte fecerint vt sacrilegij rei, ab Ecclesia habeantur alieni.*

Aduertendum 3. non videri tamen probabile, certam vllam extitisse verborum formam, qua se Deo per votum addicerent.

Primo, quia eius non meminere Canones, deinde quia dist. 84. can. cum in præterito, castitas eiusque seruandæ necessitas, dicitur cohærere ordini Presbyterij, Episcopatus ac Diaconatus, *Gradus isti tres conscriptione quadam, castitatis per consecrationes suas sunt annexi*, fiebat ergo de ea seruanda tale votum aliquando, non expresse, sed virtutē tantum. Dixi (aliquando) nam sæpe ab initiandis expressum fuisse indicat Gregor. I. sanctio Epistol. lib. 1. epist. 42. ad Petrum nam in ea Episcopis omnibus dici vult, *vt nullum à præsente die Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit*, quod an facere posthac initiandi vellent, scisitabatur de iis Episcopus, *Presbyteri Diaconi, ἢ ὑποδιάκονοι περὶ τῆς χειροτονίας ἐρωτῶνται εἰ συνοικοῦσι μεθ' ἑαυτῶν Subdiacono interrogantur an contineri & castè viuere velint*, Zonar. in can. 26. Apostol.

Quo vero primum tempore cœperit, nescitur, constat eius mentionem fieri in Concilio Arelatensi 2. Arausicano 1. can. 22. quod incidit in annum 441. Toletano 2. tempore Bonifacij Papæ II. id est reparatæ salutis humanæ anno 531. Sic enim Patres can. 1. *At vbi decimum octauum ætatis sue annum compleuerint, coram totius Cleri plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo coniugio ab Episcopo scrutetur, quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, & promissionē castimoniæ suæ, absque coniugali necessitate responderint seruaturos, his tanquam appetitores arctissimæ vitæ, lenissimo Domini iugo subdantur, ac primo Subdiaconatus ministerium probatione habita professionis suæ à vigesimo anno suscipiant.* Hæc canon.

Ex quibus est hoc primo perspicuum, non Presbyteris modo atque Diaconis, sed & Hypodiaconis, Ecclesiam castimoniæ legem dixisse, nec Hispanicam modo sed & Romanam, est enim hæc Gregorij primi sanctio Epistolarum lib. 1. epistola 42. & refertur can. nullum dist. 28. *Vt nullum facere Subdiaconum Episcopi præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit, quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata*, quod & in Africana solenne fuisse ex his verbis 28. canonis Concil. Carthagin. apud Zonaram fit omnibus perspicuum. *Adiecit*, inquit Aurelius, *id quod in diuersis Canonibus confirmatum est, vt Hypodiaconi qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi & Presbyteri, secundum propria statuta à propriis coniugibus abstineant.*

Patet 2. facere hæreticos impie, cum non ante ordines tantum, sed ab iis quoque susceptis mentiuntur, fas ministris sacris esse, vxores ducere; à quarum latere quia vllo tempore diuelli nolunt, impudenter ac malitiose blaterant, cœlibatu nihil accidere regno Christi potuisse funestius, Magdeburg Centur. ij. cap. 7.

Notandum 4. etsi pateretur olim Romana Ecclesia, coniugatis esse locum inter Sacerdotes, atque Diaconos, nunquam tamen non fuisse vsu sui matrimonij illis interdictum, fides sit Siricio Papæ epist. 1. & 4. Clementi Romano epistol. ad Iacobum Concilio Elibertino ca. 33. Arausicano primo can. 23. Aurelianensi 3. can. 7. quibus locis Sacerdotes atque Diaconi dicuntur mouendi loco esse, id est priuandi vsu ordinis sui, secundum Zonaram, aut excommunicandi, si quando in eiusdem cubiculi, thoriique societatem, fœminas admiserint de posteriori pœna decretum est in Concil. Aurel. 3. *Clerici qui volentes absque vlla reclamatione, in ætate fuerint legitimæ ordinati, cum ipsis mulieribus quas acceperint, excommunicatione percellantur*, Aurelian. 3. can. 7. quos tamen satis est Carthaginensi & Arausicano remouere ab officio, *si quis autem post acceptam benedictionem Leuiticam, cum vxore sua incontinens inuenitur, ab officio abiciatur.*

In quo Romanos à Græcis Sacerdotibus distin-

gui patet quibus vſum matrimonij, ante ordinationem initi, Eccleſia permittit, Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 18. & alij.

His munita theorematis, iam ſe propoſita quæſtio explicat aſſertionibus ſequentibus.

Dico ergo primo, *Minorum Ordinum Clericis, licere ſine culpa, aſpirare ad connubia*, res ipſa loquitur cum ſpectaculum nullum frequentius vrbes proiiciæque videant, quam eorum qui mutata repente voluntate, è Clericorum inſigni faſtigio, ſeſe ad ſæcularium vile miniſterium deprimunt. Quid? quod Eccleſia, quod Patres, quod cuiuſquemodi homines coniugatos norint eſſe poſſe Clericos? cum ſola defectione ad Laicos, nota eorum impreſſa fronti per Tonſuram ac ordines, deficere nequeat.

Dico ſecundò, *Continentiam ſacris ordinibus adnexam eſſe*, de Presbyteris dictum eſt antea, de Diaconis Cyprian. innuit epiſtola 62. ſecundum editionem Pammelij cum eos ait ſe propter regnum cœlorum caſtrauiſſe, amotos autem de iis aliquos à ſacris miniſteriis, quod cum puellis dormiſſent, *Enimuero*, fas mihi ſit nobilem ea de re ſancti Leon. orationem huc inferre epiſt. ad Anaſtaſium Epiſcopum 48. *Cum extra Clericorum ordinem conſtitutis, nuptiarum ſocietati & procreationi liberorum, ſtudere ſit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem, carnale connubium conceditur, vt etiam qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares & innupti, quod in hoc ordine qui quartus exiſtit à capite, dignum eſt cuſtodire, quanto magis in primo vel ſecundo tertioue ſeruandum eſt?* qua oratione nec quicquam ſcribi nec dici poterat ad præſentis rei fidem explicatius, quare non ero in eius probatione longior, ne iuſte vlli videar hoc eſſe imperitior, quo mea foret in re minime neceſſaria opera diffuſior.

Dico tertio, *Obligationem in Diacono & Subdiacono, retinendæ caſtimoniæ dū viuunt, originem trahere*, tā à præcepto Eccleſiæ quā voto: præcepti meminere graues Theologi D. Bona. in 4. diſt. 37. ar. 1. q. 2. n. 6. *Ordo apud Latinos*, inquit, *ex Eccleſiæ cōſtitutione habet inſeparabiliter continentiam annexam*, & num. 12. *patet etiam quod Ordo non ſolum ratione voti impedit matrimonium, ſed etiam ratione ſtatuti Eccleſiaſtici*, Eius ſententiæ comes eſt Richardus in eand. diſt. art. 1. qu. 2. nam neceſſitatem continentiæ quam Eccleſia imponit ſuſcipientibus ſacros Ordines, non refert in votum, ſed in Eccleſiæ ſtatutum, vt nemo legitimus continentiæ iugum poſſit excutere, cum his faciunt Maior in eand. diſt. & Aſtenſis in lib. 3. ſuæ ſummæ par. 2. tit. 22. art. 1. q. 23.

Quod autem ex vi non tantum Ordinis, ſed vlterius ex voto, quod eſt ordinibus ſacris annexum Diaconi & Subdiaconi continentiæ ſtudere, voluptatem fugere debeant, ſcripſere plerique doctrina iuxta ac pietate conſpicui viri, Paludan. in 4. diſt. 37. qu. 1. art. 1. Durand. id eand. diſt. q. 1. Altiſiod. in 4. ſumm. tract. de matrim.

Patetque ex citatis teſtimoniis, in ſecunda hypotheſi, etſi enim Eccleſia continentiam nemini imperet, eam tamen ab his exigit, qui ſe ſacris miniſtris accenſeri per ordines appetunt, iuxta can. erubeſcant diſt. 32. quod & ipſi tacite facturos ſe ſpondent, enimuero cum Eccleſia ſacris ordinibus, continentiæ legem adiunxerit, quam hi quoque non noſciunt, quos eorum recipiendorum deſiderium poſſidet, cum de ea, ante ſacri ordinis collationem moneantur ab Epiſcopis, quos tum conſtat erudita oratione ingerere ſingulis, vt à factis miniſteriis coniugatos reſpui, ita & voluptatum plus æquo auidos, proinde videndum illis eſſe, ecquid amodo caſte viuere, deque eo legem ſibi iniectam eſſe velint, quam ſi improbant, illico templo ſibi ac loco excedendum eſſe, manere autem, ac ſuſcipiendi ordinis cauſa, cum cæteris ad genua procumbere poſſe, ſi ligari voto placet, cum hæc inquam ordinandi non neſciant, hoc ipſo quo ſacro ſe charactere Epiſcopis inſigniendos tradunt, Religioſo ſe continentiæ Eccleſiaſticæ nexu vinciunt, cap. rurſus qui Clerici vel vouentes Clementina vnica de conſanguinitate, de Clerico coniugato cap. 2. quare & contrahendo matrimonio non ſunt ab eo tempore, Eccleſiæ legibus idonei, cap. vnico de voto in 6. cauſa eſt, quod votū, quo ſe Deo Diaconi obligant, etſi verbis non concipiatur, expreſſe ac proprie in omnium oculis, vt Religioſi faciunt, eſt tamen ſolenne, ac proinde matrimonio obicem moramque afferens, de quo nos pluribus poſtea tract. de matrim.

Dico quartò, *Quod Diaconis & Subdiaconis coniugio ſit ac licitidine omni interdictum, id iuris eſſe non diuini, ſed ſolius Eccleſiaſtici.*

Id ſuadent argumenta ſequentia, primum quod eius præceptionis nulla reperire ſit in ſcripturis veſtigia, vel leuibus impreſſa notis, etenim & Sacerdotes mariti erant, & dare liberis operam in matrimonio, honeſtum eſt, ac ſæpe neceſſarium.

Secundum, quod eſt diuini iuris, id eſt ſtabile atque perpetuum, nec proinde Eccleſiæ decreto vllo reſigendum, cum diſpenſatio, vt pote iuriſdictionis actio, in ea ſolum opera incidat, quæ imperare, mutare, aut amouere diſpenſans poteſt, ſed Eccleſia, vſum permittit græcis Sacerdotibus, matrimonij ſui ante ordinationem initi, cap. cum olim de Clericor. coniug. vt annuerat Gregorius primus eius nominis, Siciliæ ſubdiaconis lib. 1. Epiſt. 42. non eſt ergo iure diuino aut naturali votum coniunctum ordini cum in eo diſpenſare Papa nequeat,

Quid? quod Calixtus 1. can. Preſbyteris diſt. 27. matrimonia per ſacros homines contracta diſſoluenda dicat *iuxta ſacrorum Canonum definitiones.* Quod Trid. ſeſſ. 24. can. 9. definite ſanciat, ea tantum eſſe inualida, lege Eccleſiaſtica, quæ haud dubie falſa eſſent omnia, ſi caſtitas eiuſque votum, voluntate Dei cohærerent ordini, nam quæ vni cuipiam ſunt data, hęc ſi ſunt acceptata à donatario, transferri in alium nequeunt, cum acceptatione donatarij, eſſe in donantis poteſtate deſinant, ſed per votum Deo ſe vouens totum mancipat dicatque, quoad promiſſa opera, quorum ſibi licentiam vult per votum ademptam eſſe, nihil ei ergo poteſt eſſe reliquum, quod fœminæ per matrimonium tribuat. contractum ergo à Diacono aut Subdiacono iure Eccleſiaſtico non tantum, ſed diuino quoque ac naturali nullum erit, ſi quod Maior in 4. diſt. 14. aſſerit caſtitatis ſeruandæ obligatio in Diacono & Subdiacono, ad Deum eſt referenda non ad Eccleſiam.

Obijcies 1. præceptū eſſe Apoſtolicū de colenda, alenda, retinendaque domi, ſua coniuge, nec à laicis modo ſed & Clericis, ſic enim can. Apoſtolorum 6. *Epiſcopus Presbyter vxorem propriam nequaquam ſub obtentu Religionis abijciat, ſi vero tetenerit, excommunicetur, ſed ſi perſeuerauerit, deijciatur*, non eſt ergo cœlibatus coniunctus Ordini, vt ſecunda aſſertione eſt dictum.

Neganda est consequentia, vt quæ vere ex antecedente non sequitur, nec enim eo Canone propositum fuit Apostolis potestatem facere Clericis ducendæ coniugis, sed duntaxat innuere, qua hanc eos charitate complecti est necesse, quam vitæ, lectique consortem, habere antequam Presbyteri forent, diuina illis liberalitate contigit, est hic ergo sensus Canonis, non quidem maiorum ordinum Clerico, liberis esse vacandum, vt garriunt hæretici, sed prouidendum coniugi, de necessarijs, ne se ad libidinem, angustiis oppressa rei domesticę, prosternat. A

Obijcies secundò, Episcopis Ecclesiæque præcipuis magistratibus præcipi, ad Titum 1. vt intenti cœlo, curas sæculi, negotiaque, à se missa faciant, *Abnegantes sæcularia desiderio.* B

Respondendum hæc laicis communia esse cum Clericis, ad quos ista proinde Apostoli monita non magis pertinent quam ad illos, id est laicos.

Obijcies tertiò, ad Tit. 1. Episcopum à Paulo ad continentiam se dignam adigi *oportet Episcopum continentem esse*, est ergo castitas sacro ordini adiuncta lege diuina positiua.

Neganda est consequentia, primo quia ἐγκρατὴς quæ vox græcis est inserta exemplaribus, temperantem significat & fortem, qua vtraque laude præstare potest Episcopus, etiam à castimoniæ voto liber, cum & suus honos sit temperantiæ, intra præscriptos fines matrimonij.

Sed esto continentiæ meminerit hic Apostolus, C quid tum denique? Perinde ac si quæ sanxere Diui Apostoli, hæc diuini iuris cuncta forent, equidem memini Theologos primarum partium scribere, præterquam de Sacramentis & fide, à Christo Ecclesiæ præceptum nullum datum esse: quæ stare tamen ambo sine Clericorum cœlibatu possunt.

Hoc vt maxime, ex allato argumento sequitur, quod continentiæ sibi Clerici legem modo dicant, quod bellum carnis illecebris, quod impudicitiæ atque obscœnitati indicant, noui moris non esse, Petri, Pauli ac Apostolorum diuinum ac cœleste inuentum esse. nam si Sacerdotibus antiquæ legis, ab vxoribus Dei præcepto secubandum erat D in tempore vicis suæ, 1. Paralipom 24. *si Laici*, (verba sunt Concilij Turonensis primi anno 461. tempore Papæ Hilarij can. 1.) *abstinentia imperatur 1. Corinth. 7. vt possit orationi vacans & Deum deprecans exaudiri: quanto magis Sacerdotibus vel Leuitis, qui omni momento parati esse debent, in omni munditia & puritate securi, ne aut sacrificium offerre aut baptizare id tẽporis necessitas popescerit, cogantur imparati aut immundi, quid si contaminati fuerint carnali concupiscentia qua fronte excusabunt? quo pudore vsurpabunt? qua conscientia, quo merito exaudiri se credent?* factum est ergo ab Ecclesia sapientissime, cum alios ad augusta sacri altaris ministeria adhiberi noluit quam puros, quam illibatos, quam animo corporeque castos, qua de re legendi Hieron. in Epist. ad Titum Ambrosius 1. officiorum cap. vltimo, Diuus August. 2. de adulterinis coniugijs cap. 20. E

Nec audiendi hæretici, obtrudentes à Paulo imperatum esse singulis, vt habeant coniugem, vitandi lapsus causa, nam vt ipse non dicam, satis quisque ex verborum sacra serie, contextuque intelligit, ibi Apostolo sermonem esse ad Neophytos, Ecclesiæ recens aggregatos, non ad Presbyteros, Diaconos, aut Subdiaconos, nam quam istis mulierum congressus, colloquiaque odisse est necesse, tam illis, longa mali consuetudine, luxuque corruptis congredi, illico à suscepta fide, periculosum est atque difficile.

QVÆSTIO X.

Quæ sint pœnæ Clerici maiorum Ordinum qui cum sacris ordinibus matrimonium contrahit.

PRimo, beneficiis est priuatus ipso facto, *Ad hoc quippe fidelium orationes in stipendia Clericorum deputatæ sunt, vt & continenter viuant, & beneficiorum suorum peccata, sanctitatis intercessione detergere sufficiant, quatenus vt de quorum eleemosynis viuunt, hoc eorum meritis assequantur, quod suis meritis assequi non merentur, quandiu ergo in hoc agone positi, ab omnibus à quibus abstinendum est abstinent, merito stipendijs suæ militiæ habentur digni cum ea seruare contempserunt, eisdem indicantur indigni,* Iuo Carnot. epist. 220, ad Gualonem Episcopum Parisiensem.

At enim (inquies) in epist 1. de Cleric. coniugatis dicitur tantum quod sit cogendus deserere beneficia cap. autem 3. quod sit illis spoliandus. Resp. cum Glossa eorum canonum Leisi lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 21. numer. 111. Comitol. 1. responsionum qu. 56. intelligendum id esse de priuatione non iuris, sed possessionis seu facti.

Secundo, ducens vxorem post susceptum aliquem ordinem, sacrum est irregularis, ex decretali Alexandri III. quæ incipit, ex litterarum 2. qui Clerici vel vouentes matrimonium possunt contrahere, nam ibi Subdiacono permittit qui coniugem sibi contra votum copulauerat, ad maiores promoueri ordines, si Religiosæ vitæ nomen dederit, *quod si ad religionem*, inquit, *se transferre noluerit, neque in Subdiaconatu ministrare, nec ad altiores ordines promoueri iubendus est, sed in minoribus tantum ministrare.*

Tertio, constitutus in sacris, matrimonia contrahens, est excommunicatus, Clementina eos qui de consanguinitate & affinitate, quam pœnam tamen esse non existimo latæ sententiæ, sed ferendæ. Causa est quod in Aurelianensi 3. can. 7. talis iubeatur, *Cum muliere quam acceperis excommunicationis percelli*, de facto ergo excommunicatus non est, sed ea duntaxat pœna est plectendus.

Quarto, qui Sacerdos, Diaconus aut Ypodiaconus vxorem ducit deponi debet can. Presbyter dist. 23. sub Leone I. anno 441. *Si quis autem post acceptam benedictionem Leuiticam cum vxore sua incontinens inuenitur, ab officio abiciatur*, hoc est ab ordine & beneficio, deponi enim, degradari, est in can. 1. Neocesar. Conc. hæc habentur, *Presbyter si vxorem duxerit ordine suo moueatur*, moueri autem ordine est (inquit Zonaras) Sacerdotij dignitate priuari αὐτὴ τῷ, ἐκβάλλεται τῆς ἱερωσύνης, quod autem ibi de Presbytero solo dicitur, Episcopi Africani ad Diaconos & Subdiaconos pertinere volunt, in Concil. Carthagin. quibus Canones collegit, Zonar. in eorum itaque 18. est: eos ab Ecclesiastico officio mouendos, nisi ab vxoribus abstineant. Nemo enim militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauerit, postquam ergo de inferiori Laicorum gradu, quis fortitus fuerit superiorem, id est Clericalem militiam, & inde se præcipitauerit ad voluptatem coniugalem, nulla

Digitized by Google

nulla ratio ſinit, vt in illo caſu poſitus, illius Ordinis dignitate, & vt licate potiatur quam miſera voluptate commutaſſe videatur. Iuo Carnot. ep. 220. ad Gualonem Epiſcop. Pariſ.

Quinto, ſacris ordinibus ornatus, matrimonium contrahens eſt bigamus, facit enim idem ſolenne votum in religione approbata, aut tacitum in ſuſceptione ordinum, ac matrimonium re ipſa contractum, eſt enim bigamia ſimilitudinaria cum quis poſt votum ſolenne de facto matrimonium contrahit, vel cum quis diuerſis temporibus plures habuit vxores vnam de iure, alteram de facto, & ambas agnouit, quare.

Non poteſt vxore mortua inſœndere altius, Aratiſicanum primum can. 25. his verbis: *Ideneis autem probatiſque viris, quos Clericatus alligari ipſa vitæ gratia ſuggerit, ſi forte inciderint in duplicata matrimonia, placuit, vt non vltra Subdiaconatum Eccleſiaſticas dignitates capiant.* Eſt & aliud, quo iſtiuſmodi Clericorum libido plectitur, nempe vt qui ex eorum ſacrilegiis, incæſtuſque nuptiis filij naſcuntur, ſint non tantum illegitimi, ſed ab hæreditate etiam tam paterna, quàm materna excluſi, decreto Concil. Tolet. noni can. 10. quæ Concil. ſanctio habetur 15. q. vlt. can. cum multæ quem interpretans Archidiac. ait eos ad eam Eccleſiam pertinere cui ſuberat eorum pater, vel ratione Ordinis ſuſcepti, vel ratione (inquit) criminis in Parochia illius Eccleſiæ admiſſi, hæc tamen pœna non ſubitur ipſo facto, ſed poſt ſententiam, & probato delicto Comitol. reſpon. lib. 1. q. 56.

QVÆSTIO X.

An qui Vi aut metu Sacris ordinibus eſt initiatus, Voto ſolennis continentiæ obſtrictus hæreat.

HÆrere exiſtimant magni Theologi, Paludanus in 4. diſt. 37. q. 1. art. 1. concluſione 3. Panormitanus in cap. maiores de Baptiſmo §. vltimo Durandus in 4. diſt. 37. q. 1. Alexiſſiodorenſis. in quarto ſuæ ſummæ, tractatu de matrimo. impedimento quarto & quinto Comitolus reſponſion. l. 1. q. 55.

Contraria opinio defenſores habet multos, & in Theologicis exercitatos Leſſium lib. 2. cap. 40. dub. 3. num. 18. vbi cum dixiſſet votum metu expreſſum, iure Canonico nullũ eſſe, continuo ſubiungit hæc verba, *ex quo ſequitur votum & profeſſionem, ſolo metu reuerentiali, quo quis per pudorem, & reuerentiam, non audet contradicere parenti, vel ſuperiori, etiamſi aliud malum non timeat, eſſe inualida. Item cum qui tali metu ordinatus fuit, non teneri voto caſtitatis, aut ad lectionem precum Canonicarum, aut ad ſtatum Eccleſiaſticum.* Huius ſententiæ comes eſt Nauarrus in ſumma cap. 22. num. 51. quam confirmant Angelus verbo ordo 3. § 26. Emanuel Sa in verbo ordo nu. 24. Vega tomo 2. ſummæ cap. 57. caſu 6. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 29. num. 9. Rebuffus in concordatis rubrica de Regia ad prælaturas nominatione facienda §. 1. verbo ſponte.

Priuſquam exponam de quæſtione propoſita quid opinionis habeam, placet aduertere, primo, à metu graui, qui & conſtantis viri dicitur, detrimentum afferri voto, incuſſus enim iniuſtè, vim illi omnem adimit, vt dicitur cap. perlatum 1. & cap. Abbas 2. de his quæ vi metuſque cauſa fiunt.

Secundo quod Clerici temperare ſibi à carnis illecebris, luxuriaque debeant, id non oriri ab Ordine, aut impreſſo Charactere, cum Græcis Sacerdotibus vti matrimonio ſuo liceat, ſed à Canonica lege, quæ id Clericis maioribus in Eccleſia latina vetitum voluit.

Dico ergo primo, *non teneri lege Eccleſiaſtica continentiæ qui adactus metu initiari ſe eſt paſſus.*

Primo quia voluntatis tacitæ ac inexiſtentis, vis maior eſſe nequit quam expreſſæ, cum effectus veri ac realis productio, qualis eſt obligatio, magis à re exiſtente pendeat, quam abſente, & interpretatiua tantum, ſed votum actuale & expreſſum nullarum eſt virium cum à metu principium habuit, iuxta conſtitutiones Alexandri 3 cap. 1. Innocentij 3. cap ad audientiam 4. vbi hæc habentur, *Quæ vi metuſque cauſa fiunt, carere debent robore*, ergo & tacitum, cuiuſmodi eſt quod decreto Eccleſiæ, ac voluntate, ſacris ordinibus eſt adiunctum.

Secundo, votum eſt promiſſio, & obſequium quod præſtatur Deo gratis, proindeque debet eſſe omnino voluntarium authore Comitolo lib. 1. reſponſionum qu. 1. at nihil eſt tam conſenſui contrarium, quam vis atque metus quem comprobare contra bonos mores eſt, ff de regulis iuris regula 116. probaretur tamen, ſi Deo gratum eſſet, voto vim eſſe, quod ab eo ducit originem, ergo votum metu factum, vi caret ac robore.

Dico ſecundo, *Ordinatum per vim & metum, obligatione Religioſa voti teneri, ſi ordinem quo ſe inſignitus eſt paſſus verbo aut facto ratificet, eo vtendo in templo publice, vel priuatim clam arbitris, ac eius primlegia ſibi foris vendicando*: ita Sãch. l. 7. de matr. diſp. 19. Hoſtienſis commentarij ſui, n. 38. his verbis, *Sic ordinatus niſi poſtea ratificet quod factum eſt, non cogitur effectum charactheris ſeruare, nec gaudebit primlegio Clericali, niſi ſeruet, ſi tamen ratificauerit & primlegio vtetur, & continere compelletur.* Tuetur ſe hæc opinio primo, authoritate Alexandri 3. qui cap. perlatum primo, de his quæ vi metuſque ſignificat, eius mulieris votum ratum eſſe, *de qua legitime probari poteſt, eam non timore mortis Religionem intraſſe, aut quod fecit poſt modum ratum habuiſſe*, Supponit ergo, votum, quod primo inane fuerat, ac nullum, firmari, cum verbo, aut opere, ratum habetur abeo, qui illud vi, aut metu concipere primo eſt impulſus.

Secundo eſt voti ratificatio maxime libera, aut ordinis ſuſcepti voluntaria approbatio, vtriuſque quaſi non emiſſi acceptatio, ergo eiuſmodi ex qua ſequatur in approbante, obligatio faciendi ea, quæ præſtare ordinatus debet vi ordinis.

Ad id tamen eſt neceſſe, vt ratificans norit, voto ſe annexo ordini, quem coactus recepit, non teneri, cum enim incognita, non ſint volita, nunquam hic cenſebitur quantum eſt ſatis ad obligationem contrahendam, ratificare, quæ antea effectu nullo eſt aggreſſus, niſi velit eis vim ineſſe roburque, quoad eius fieri poteſt, tantum, quantum habere per conſenſum ſuum poſſunt, ſi enim ex errore, quo putabat votum ſuum eſſe validum, approbet ordinem ante ſibi collatum, vi ac metu impellentibus, nihil pro obligatione voti ſibi inferenda, valide aget ac efficaciter, quia error tollit conſenſum, lege ſi per errorem ff. de iuriſdict. omnimoda iudic.

Obijciunt aduerſarij. 1. Ordini annexa eſt caſtitas, ergo eius ſeruandæ obligatio ad eos tranſibit, quos ſacer miniſtrorum character, ac nota,

illustres facit in Ecclesia. Neganda est consequentia, negationis causam hanc reddo, quod ordinem sequi lex Ecclesiastica continentiæ seruandæ, ex voluntate Ecclesiæ non soleat, nisi sponte suscepta sitac libere, qua libertate gaudere vota nequeunt, quibus à vi, metuque initium fuit, quali impulsum esse supponimus, qui animum ad ordines applicuit.

Obijciunt secundo, ad vim voti, præter voluntatem nihil videtur à natura exigi, at cum metu, stat plena animi deliberantis actio, ac voluntas eius operis, ei i is causa motus imponitur, est ergo votum ordinati validum, Maior est falsa, nam etsi alia forte opera, vt sunt humana pacta, rata sint, validaque iure naturæ cum ea ex metu fieri accidit, non tamen vota, quæ stabilitatem habere nullam possunt instituto Ecclesiæ nisi facta capaci: at non sunt talia nisi cum sunt spontanea, pleneque libera, cap. perlatum. 1. & cap. dilectus de his quæ vi metuque eos enim qui coguntur vi aut metu vouere, non vult Ecclesia capaces esse imponendæ sibi vllius obligationis ex voto.

Obijciunt 3. cum res præcipua valet, valent etiã quæ ei cohærent, vt effectus, vt adiuncta, vt causæ, & accessoria Regula accessorum 42. de regul. iuris in 6. Sed ordini, damnum nullum à metu aduenit, ergo nec voto castitatis solenni ei adiuncto. Maior est vera, cum res, naturæ suæ relinquitur, id enim cum euenit, rem ipsam proprietates suæ effectusque sequi solent, vt causam, quasi necessariam, ex qua fluunt, quod non sit in præsenti negotio, Ecclesia, peculiari lege ac propria, oppositum statuente, per cap. dilectus & perlatum de his quæ vi metusque, & sic licet per metum ordinato inculsum, non impediatur ordinatio, quæ aliud ex institutione Christi non exigit, quam in ordinato voluntatem recipiendi Characteris, in ordinante autem voluntatem eum conferendi, cum necessarijs ex parte formæ & materiæ, quæ omnia stare cum metu possunt, per quem tamen Ecclesiæ voluntate, impeditur efficax, validaque coniunctio voti cum ordine sic suscepto.

QVÆSTIO XI

An Clerici obligentur ad habitum & Tonsuram.

Assertio prima, *Ad honestatem vitæ exigunt à Clericis*, Romani Pontifices, Concilia, & Patres congruentem habitum, id est moderatum & honestum. *A superioribus enim vsque temporibus omnis vir Sacerdotalis, cum moderato & honesto indumento versabatur*, inquit Synodus 7. can. 16. cuiusmodi censendum esse tantum quod religionem apprime deceat, dixit Agath. Conc. can. 29. sub æuum Symmachi Romani Pontificis, qualia cũ non sint Laicorum, ac sæcularia, Clericis prohibita esse video in Suession. Concilio sub Pipino anno 744. & in Matisconensi primo circa tempora Pelagij 2. can. 5. quo cauetur, ne sagum, vestesque ac calceamenta profana induant, secus facientibus pœna infligitur grauis illa, & acerba, nempe vt menstruo spatio inclusi, aqua tantum, & modico pane dietim sustententur.

Statuit Eugen. tertius in Remensi Conc. can. 2. *Vt Clericus qui bipartitis vteretur vestibus, segmẽtatis, aut discoloribus, aut in Tõsura, intuentiũ (quorũ* A *forma & exemplum esse debet) offenderet aspectum, nisi intra quadraginta dies eum habitum deponeret, Ecclesiasticis beneficiis priuaretur.* Bernard. de consider. ad Eugen. lib. 3. *Episcopi vero si præfixam pœnam irrogare negligerent, quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentesque rectores, tandiu ab officio pontificali abstinerent, donec pœnam à se constitutam, Clericis sibi subiectis imponerent*, idem ibid. quod cum tam salubri parere sanctioni, Antistites Galli ac Clericorum luxum in indumentis castigare, aut nollent, aut non auderent, de eorum mollitie apud eundem Eugen. luculenta sane oratione queritur, his verbis: *Leua oculos tuos, & vide si non æque vt prius,* B *pellicula discolor, sacrum ordinem decolorat, si non ægre vt prius fissura enormis penè inguina nudat, solent dicere. Num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? At forma hæc vestium, deformitatis mentium & morum indicium est, quid sibi vult quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt, id quidem minus est castum, minusque sincerum*, ob eamque causam animaduersione acri sed iusta à Patribus Concil. Trallensis can. 27. puniti sunt qui minus digne induti procedebant, in eo enim hæc leguntur. *Nemo Clericus indecente veste vtatur in vrbe, vel via, iter agens, si fecerit vnam hebdomadam excommunicetur.*

Hęc de veste communiter, in specie verò cauere Clerici debent.

C Primo. ne in ea, magis speciem & cultum quærant, quam vtilitatem propriam: *Quicquid enim non propter vsum & commodum, sed ostentatorium ornatum assumitur, in nequitiæ reprehensionem incurrit*, Synodus 7. can. 16. *Episcopos ergo vel Clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, corrigere oportet, sin autem permanent supplicio tradi similiter & eos qui sunt vnguentis delibuti*, Synod. 7. can. 16.

Excusandi qui in ils locis habitant, vbi consuetudo prisca contrarium obtinuit, ibi enim se Clerici, eorum moribus apud quos viuunt, ne Clericalis dignitas vilescat, conformare possunt ac debent,

D Reginald. lib. 30. tract. 3. cap. 2. num. 14.

Secundo, est id illis cauendum summopere, ne in vestibus materiam sectentur, aut colorem, quem illis interdictum voluit, Innocentius III. in Lateranensi Concil. can. 16. & cap. Clerici de vita & honestate Clericorum 15. & Clementina quoniam eod. titulo.

Et primo, *Pannis rubeis, aut viridibus, necnon manicis, aut sotularibus consuticiis, seu rostratis, frænis, sellis, pectoralibus, & calcaribus deauratis vti*, prohibentur can. illo Concilii 16. qui est 15. tituli de vita & honestate Clericor.

Secundo monentur ibi, *Ne cappas manicatas ad diuinum officium intra Ecclesiam gerant.*

Tertio iubentur, *Pallijs diffibulatis non vti in publico, sed vel post collum, velante pectus hinc inde connexis.*

E Quarto, *sed nec ex sericis texturis variatum vestimentum Clericus habere debet, neque in extremis eius partibus, adiecta alieni coloris additamenta, cum non deceat Clericos quiſe fulgidis & claris vestibus ornant: tolerari* Synodus 7. can. 16. *quare nec plus* inquiunt Patres Aquisgranensis Concilii can. 124. *vestis Clericorum iusto cultior esse debet, nec insolita atque deformis, sed statui proprio congruens, vt per decentiam* (verba sunt Trid. sess. 14. c. 6.) *habitus extrinseci, motum honestatem intrinsecam ostendant, & sicut est deuotio in mente, ita & manifestetur in*

Digitized by Google

corpore Concil. Narbon. can. 1.

Qua vero forma fieri veſtem Clericorũ oporteat, dixit Papa Zacharias in Synodo Rom. can. 11. his verbis, *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi ſæcularibus indumentis non vtantur, niſi vt deceat, tunica Sacerdotali talari, ſed neque dum ambulauerint in ciuitate, aut in via, aut in plateis ſine operimento præſumant ambulare, præterquam ſi in itinere longe ambulauerint*, Zachariæ conſentientia loquitur Martinus Papa vt refertur can. non liceat diſt. 23. *Non oportet Clericos comam nutrire, & miniſtrare, ſed attonſo capite, patentibus auribus & ſecundum Aaron talarem veſtem induere, vt ſint in habitu ornato*, qualis futurus eſt iudicio Innocentij 3. can. 15. de vita & honeſtate Clericorum, *ſi clauſus ſit deſuper, nec nimia breuitate aut longitudine notabilis*, hunc Galli Antiſtites, in Synodo Francica, ſub Carolo manno Principe, appellauere Caſulam, ab eius ſimilitudine cum dicto Clericorum habitu, *Presbyteri*, inquiunt, *non ſagis more laicorum, ſed Caſulis vtantur, ritu ſeruorum Dei*, quas Trullenſe Concil. can. 7. *Stolas*, Metenſe can. 3. *Cappas*, nominat. *Nemo Clericorum indumenta Laicalia induat id eſt cottos aut mantellos, ſiue cappam non portet, & Laici cappas non portent*, Metenſe c. 3.

Secunda Aſſertio, *Clericus maxime beneficiarius obligatur iure communi ad Tonſuram, quam Coronam communiter vocant*, habetur cap. Ioannes de Clerico coniugato, & ca. prohibete diſt. 23. vbi Anicetus Papa Epiſcopis Galliæ ſcribens hæc habet, *prohibete fratres per vniuerſas Regionum veſtrarum Eccleſias vt Clerici iuxta Apoſtolum, comam non nutriant ſed deſuper caput in modum ſphęræ radant* quem Canonem ac vna decretum Gregorij Papæ confirmarunt Galli præſules in Synodo Moguntina ſub Rabano can. 15. his verbis, *Iuxta decretum Gregorij Papæ, ſi quis comam relaxauerit, anathemaſit, vnde ſancimus vt huiuſmodi coerceantur, in priſtinum ſtatum reuerti*, qui ſtatus fuit is haud dubie cuius adhuc Eccleſia vſum habet, Tonſuræ ferendæ in capite: narrat enim Ammian. lib. 12. Theodorum quendam Eccleſiæ ædificandæ præfectum, ab Ethnicis Iuliani Apoſtatæ temporibus ſupplicio affectum, *quod*, vt loquitur, *cirros puerorum licentius detondebat*, id eſt in Clericorum numerum coaptabat, eiuſmodi enim Tonſura capillorum, initiari ſolitos fuiſſe Clericos, notius eſt, quam vt à me probari oporteat: exemplum extat in Otreio Melitenſi Epiſcopo qui S. Euthymium ordinauit Lectorem. Sic enim de eo Cyrillus in Euthymium apud Lipom. tom. 3. *Cum eum baptizaſſet, & ſtolis quæ ex lege tonderentur pueris, totondiſſet, in gradum lectoris eum coaptat*. Clericorum tamen omnium non fuit eadẽ Tóſura, Presbyterorũ lõge maior erat, ac amplior, quam ſimplicium Clericorũ, indicio eſt, quod Euagrius Scholaſticus de Presbytero loquens, eum coma abraſa deſignaũ fuiſſe Sacerdotem aſſerat. Quid? quod Monachis totum fere caput abraderetur? vt ſic nimirum, quod eſſet, ipſorum vitæ ſtudium indicarent? abraſionem enim capitis, lugentis ac mœrentis hominis ſymbolum eſſe loquuntur ſacræ paginæ, vt Iſaiæ cap. 22. *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa, ad fletum & ad planctum & ad Calui tium*, & Michææ 3. *Decaluare & tondere ſuper filios deliciarum, dilata caluitium tuum*, ob quam cauſam ſanxit Toletana Synodus tertia can. 12. *vt quicunque ab Epiſcopo vel Presbytero ſanus vel infirmus pœnitentiam poſtularet, id ante omnia ſeruet Epiſcopus, vel Presbyter, vt ſi vir eſt, primum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat*, nempe vt hac ſpecie, mœſti præ ſe ac gementis animi dolorem ferret, diceretque ſibi commune nihil amodo eſſe velle cum voluptate, nihil cum illecebris ac libidine, quod ipſum, quia propoſitum erat Monachis in ſæculi fuga, vitæque ſeueritate maximâ, quam à communi vulgo ſepoſiti, profiteri legibus ſuis iubebantur, ipſa initiatione conuerſionis ſuæ Monaſticæ, capita radebant, in modum coronæ, Zonar. in can. 5. primæ & ſecundæ Synodi, Socrat. lib. 3. cap. 1. vbi de Iuliano Apoſtata loquens, ipſum ait abraſa cute, vitam Monaſticam ſimulaſſe, qua de abraſione Paulin. ad Seuerum epiſt. 7. erudite ac diſerte: ab ea ſane multum ornamenti ac gloriæ acceſſiſſe Monachis, indicat hæc eius oratio. *Nos adeant & reuiſant conſeruuli, & compallidi noſtri, non improbi attonſi capiti s fronte criniti, ſed caſta informitate capillum ad cutem cæſi, & inæqualiter ſemitonſi, & deſtituta fronte præciſi, & ornatu pudicitiæ inornati.*

Erat autem Tonſuræ ſpecies ac forma rotunda, in modum coronæ, ad aures collique initium, raſione capillorum expreſſa, Concil. Aquiſgranenſe ſub Ludouico pio can. 1. *Quod vero detonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquatur, Sacerdotiũ regnumque Eccleſiæ figuratur*, ſimilia prope habet can. quartus Concil. Toletani 4. præſcriptus, his verbis: *Omnes Clerici ſicut Leuitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant, non ſicut hucuſque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis vt Laici comis in ſolo capitis apice, modicum circulum tondent.* Hæc Patres, vnde apparet Clericorum Tonſuram talem olim fuiſſe, qualis nunc eſt Monachorum fuitque olim Cardinalium.

Eius porro adhibendæ cauſæ fuere variæ, prima, *Vt quod in corpore figuratur, agatur in anima, ſcilicet vt hac ſigno & religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur, atque inde innouatis ſenſibus, vt comis rudibus emineſcamus, expoliantes nos veterem hominem.* Iſidorus Hiſpalenſis de offic. Eccleſ.

Secunda, vt in ſeipſos Clerici monumentum habeant ſpineæ coronę, capiti Chriſti impoſitæ. *Neque enim ob id tantum in coronam attondemur, quia ita attonſus eſt Petrus, ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ Paſſionis ita eſt attonſus, ideirco & nos, qui per eandem paſſionem ſaluari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum, cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus.* Beda de geſt. Anglor. lib. 5. cap. 22.

Eſt & alia cauſa, cur capillorũ corona, laudabili inſtituto Eccleſiæ vtantur Clerici, nempe vt Sacerdotium, regnumque Eccleſiæ in ea figuretur: *Tiara enim apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum, hæc ex byſſo confecta, rotunda erat, quaſi ſphæra media, & hoc ſignificabatur in parte capitis tonſi, corona autem, latitudo auri circuli eſt, qui Regum capita cingit, vtrumque itaque ſignum exprimitur in capite Clericorum, vt implearur corporis etiam quadam ſimilitudine, quod ſcriptum eſt, vos eſtis gens ſancta, regale Sacerdotium.*

Cauſa & altera à Germano in Theoria rerum Eccleſ. additur, nempe vt Petrum Apoſt. Clerici aliquo modo referant, cui Chriſtum annuncianti, cum fidem non haberent Ethnici, ei per ludibrium coma eſt attonſa capitis. Sed de Tonſura ſatis, noſque antea pluribus.

Tertia Aſſertio, *Omiſſione tam veſtis, quam Tonſuræ, amittitur priuilegium non Canonis, ſed fori, eam*

sine vllamonitione, vt Comitolus lib. 1. responsionum quæst. 54. num. 2. nomine Papæ & Congregationis Cardinalium respondisse sibi ait Caraffam Cardinalem.

Quarta Assertio, *Obligatio ad Tonsuram & vestes, in Clericis maiorum ordinum, & beneficiariis, est sub mortali*: ita Angelus verbo Clericus 4. num. 1. Panormitan. in cap. si quis de vita & honestate Clericorum Regin. lib. 33. tomo 2. tract. 3. cap. 2. num. 10. Natar. cap. 25. Enchyr. num. 109. his verbis: *Peccat mortaliter Clericus sacro ordine initiatus, beneficiarius, vel Monachus, habitum non gestans, & Tonsuram, aut comam non radens, nec vestes sibi decentes vestiens.*

Occasio ita illis sentiendi sumitur ex Conciliis & Canonibus, nam in Trid. sess. 14. cap. 6. de reformatione, Clementina quoniam de vita & honestate Clericorum, & in Bulla Sixti V. de anno 1589. iubetur suspendi beneficiarius ab ordinibus, officio, & prouentibus beneficii sui non ferens Clericalem habitum, ac si semel correptus, non se emendauerit, ac denuo non ferendum sibi talem habitum iudicauerit, iubetur iisdem fructibus priuari tam in Tridentino, quam in Clementina à quoniam citata. Can. autem si quis Clericus 23. dist. 13. qui est Gregorii primi tomo Concil. 3. *qui comam relaxat est Anathema*, & can. 40. Tolet. Cõcil. 4. dicitur is Catholicę fidei violatæ reus futurus, qui Tonsuræ Ecclesiasticæ modum à Patribus eo loco assignatum, non seruauerit, can. 17. Concil. Rom. cui præfuit Greg. II. Mogunt. sub Rab. canone decimo quinto, centesimo aut trigesimo primo, Synodi Romanæ, communione priuandus dicitur qui temere præsumpserit contra statuta de veste talari ferenda agere: donec (verba Concilij sunt) *quæ statuta sunt implere decernat*, sed Anathema nulli dicitur nisi ex eo mortalis peccati, quemadmodum nec neganda communio est alteri, quam qui ob lethalem culpam ea est indignus, quod est argumentum Francisci à Victoria vt refert Bann. 22. q. 12. art. 1. §. sed quoniam Reginaldi proxime citati num. 10. vt probent eos Clericos qui Tonsura & habitu Ecclesiastico non sunt insigniti, peccare mortaliter.

Confirmatur violatio religionis nunquam non est vitiosa, sed contemptu vestis externæ, & desertione eius à Clerico, Religio violatur: testimonio Patrum in Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. his verbis, *Quia etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, tanta autem hodie aliquorum insolenit temeritas, Religionisque contemptus, vt propriam dignitatem & honorem Clericalem parui pendentes, vestes etiam deferant publice laicales pedes in diuersis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus.* Hæc Patres.

Hunc autem contemptum mortalem esse, colligitur ex Sixto 5. in Bulla quæ incipit, cum Sacrosanctam, vbi ait, Pastorum non punientium Clericos, qui Tonsura & habitu non vtuntur, oscitantiam & indulgentiam, cum Religionis dedecore, nominis Dei contẽptu esse coniunctam, hinc enim argumentari sic licet, peccat Episcopus mortaliter, Clericos, beneficiarios aut initiatos maioribus ordinibus non arguens, cum habitum non deferunt, quandoquidem Papæ iudicio, est coniuncta hæc eius dissimulatio, cum propriæ salutis dispendio. ergo & Clerici, nec enim præceptum de correctione sub mortali obligat, cum res corrigenda veniale noxam non egreditur, non ferre autem Tonsuram ac habitum, grauius esse quidpiam colligitur ex eo quod, Leo 4. in Synodo Romana can. 12. puniri pœna per can. statuta imperet: *Sine ornatu Sacerdotali*, inquit, *extra domos Sacerdotem apparere non conuenit, sed ea solum modo quæ per Patres constituta videntur obseruet: contrarius autem inuentus, aut desinat, aut Canonica subiaceat disciplinę.*

Idipsũ septima Synodus œcumenica seruandum admonet in can. 16. Iexta autẽ habita in Trullo can. 27. peccantes contra decentiã vesthum, quę Clericorum sunt propriæ, vnius septimanæ spatio segregandos esse decernit: *Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati sunt, vestem sibi non conuenientem indnat, neque in ciuitate degens, neque iter ingrediens, sed vtatur vestibus, quæ iis qui in Clerum relati sunt, attributæ fuerunt, si quis autem tale quid fecerit, vna septimana segregetur.*

Circa quæ iuuat notare 1. vestis nomine significari quoque pallium oblongum, quia Canonum intentio ac Sixti Pontificis in Bulla citata, quæ incipit cum Sacrosanctam; qua habitum præcipit Clericis, eumque talarem, non est alia, quam vt distingui à Laicis eius ope possint, at hoc fit per pallium promissius quam sæcularium, vt cum protenditur ad mediam tibiam cum Laicorum sit breuius.

Secundo, libet aduertere quæ dicta sunt de obligatione Tonsuræ ferendæ, secundum probabilem quorundam sententiam, capienda non esse, nisi de beneficiariis, aut maiori ordine initiatis, vt scripsere de Graffiis decis. aurearum lib. 3. cap. 3. n. 1. & sequentibus, Nau. 25. Enchir. num. 109. Reginald. lib. 33. tract. 3. cap. 2. n. 10.

Tertio, non satisfacere officio suo beneficiarios, & maiorum Ordinum Clericos, si ex præscripto Canonum, progrediantur in publicum ornati tam Tonsura quam veste, neutrum proinde sufficere sine alio, vbi contraria pro Tonsura consuetudo non inualuit, quia præceptum est vt vidimus Ecclesiasticum de vtroque adhibendo, veste scilicet & Tonsura, quo præcepto tenentur etiam scholares si sunt beneficiarij, etsi ex beneficio suo nihil per se emolumenti ipsi referant, vt quia exiguum est, aut sunt in patria potestate, aut tutoris, omnia sibi commoda beneficij mancipantium, bene an male, nihil ad præsens negotium, quia id non impedit, vt notarunt Reginal. num. 15. de Graffiis num. 13. cap. citato, quo minus vere sint beneficiarij, argumento est quod beneficio tenui nomen quoque beneficij competat, peræque ac diuiti, iuxta cap. si proponente de rescriptis, & cap. non potest de præbendis in 6. horasque scholares legere debent, vt cæteri, si peccare nolunt, cum obligatione restituendi, ergo vt commoda, ita & beneficiorum onera, ad eos pertinent, at inter hæc numeranda est obligatio adhibendæ vestis nigræ ac Tonsuræ, ergo &c.

Sententia tamen, quam defendunt Vasq. cap. 3. num. 22. Sylu. verbo Clericus 2. num. 2. Armilla eod. num. 11. Caiet. verbo Clericus, mortale scilicet peccatum in simplici Clerico non esse, habitum & Tonsuram negligere, *si absit temeritas, contumacia, aut contemptus*, vel notabilis excessus in ea non ferenda minimè interueniat, qualis futurus esset, si maiori parte anni, mensium, aut septimanarum Clericus tam Tonsura, quam veste careret, *Tùm autem*, inquit Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 12. num. 3. *placet esse peccatum mortale, si spectatis circumstantiis personæ, loci, diuturnitate temporis,*

Digitized by Google

&c. Clericalis Tonſura, & habitus neglectus, notabiliter repugnet honeſtati, & bono exemplo Clericorum cuius gratia talis habitus præcipitur, ſin verò ex iuſta cauſa, vel ad tempus breue, ſine honeſtatis detrimento habitus deponatur, nulla omnino culpa erit. Spectanda etiam eſt cuiuſque Diœceſis conſuetudo. Hæc ille, quam in ſententiam ego plura in lib. de praxi fori Gallici.

QVÆSTIO XII.

Diaconorum munera quæ ſint & qualia.

DIaconorum, quos, (quia authore Iſidoro de diuinis officiis cap. 8. à tribu Leui accepere exordium) Concil. Toletan. 4. can. 40. Leuitas nominat. Diaconorum inquam diuerſa ſunt officia.

Primum eſt, præeſſe adminiſtrandis Eccleſiæ opibus S. Leo in ſerm. de S. Laurentio, quas quia non poſſident vt Domini, prohibentur diſtrahere, dare, commutare, Agathenſe Concil. ſub Symmach. Papa 3. can. 49. *Diacones vel Presbyteri in Parochia conſtituti, de rebus ſibi creditis, nihil audeant commutare, vendere, vel donare, quia res ſacratæ Deo eſſe noſcuntur, quod ſi fecerint, conuicti in Concilio, & ab honore depoſiti, de ſuo aliud tantum reſtituant, quantum viſi ſunt præſumpſiſſe.*

Eaſdem tamen egenis diuidere ac viduis approbante Epiſcopo, nunquam non fuit illis licitum, idcirco enim, inter cætera, delecti è tota multitudine fidelium, præcipui fuere 7. Diaconi Actor. 6. ac colligendis eleemoſynis, quæ in egentium commoda cederent, præpoſiti, Concil. Aquiſgra. ſub Ludou. Pio Imper. can. 6. Eo Clerus Roman. ſcribēs ad Carthag Clericos ep. 3. apud Cypr. reſp. exiſſe videtur, his verbis: *Sine vidua, ſine elydomeni, i. lecto affixi, qui ſe exhibere non poſſunt, ſine hi qui in carceribus ſunt, ſine excluſi à ſedibus ſuis, vtique habere debent qui eis miniſtrent,* qui certè non alij quam Diaconi, vt patet ex hiſtoria Eccleſiaſtica Baronij to. annal. 1.

Secundum Diaconorum munus eſt, Sacerdoti ſacrificanti aſſiſtere. Iſidor. de diuinis officiis ca. 8. *Ex hinc,* inquit, *decreuerunt Apoſtoli vel ſucceſſores Apoſtolorum, per omnes Eccleſias 7. Diacones ordinandos eſſe, qui ſublimiori gradu, cæteris proximè circa aram Chriſti, quaſi columnæ altaris aſſiſterent.* Nec eſt vlli non audita, hæc B. Laurentij ad Sixtum Pontificem, plena animi, conſtantiæque oratio. *Quo progrederis ſine filio Pater? quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras.*

Et hanc cauſam Gallis Antiſtitibus, in Concilio proxime citato Aquiſgran. aſſerendi fuiſſe exiſtimo. *Sine Diacono, Sacerdotem quidem nomen ſunum habere, non tamen officium. Ipſis enim Sacerdotibus,* inquit Iſidorus relatus can. 7. dicti Concilij, *propter præſumptionem, non licet de menſa Domini, tollere calicem, niſi eis traditus fuerit à Diacono, Leuitæ inferunt oblationes in altaria, Leuitæ componunt menſam Domini, Leuitæ operiunt arcam teſtamenti.*

Tertiū eſt, populū è ſuperiori loco inſtituere, fidei myſteria explicare, & ſi doctrinæ ſatis Diaconus nō habet, vt per ſe alios doceat, Patris alicuius homiliam legere, ſic Concilium Vaſenſe ſecundum in hæc verba can. 2. *Hoc etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non ſolum in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus Parochiis, verbum faciendi daremus Presbyteris poteſtatem, ita ut ſi Presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſeipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt Diaconi, quæ Chriſtus in Euangelio loquutus eſt, legere, quare indigni iudicentur, Sanctorum Patrum expoſitiones publice recitare?* Nec aliena modo opera id eſt, Patrum, quorum legebat homilias, vti Diaconus poteſt in inſtituendo populo, ſed ſui quoque inuenta ingenij cum eo communicare, è ſuperiori loco ad Dei gloriā fas ei fuiſſe, habes in can. perlectis diſt. 25. & can. in Sancta diſt. 92. Quanquam eo inclinat animus vt cenſeam, hæc Conciliorum ac Pontificum decreta, non tam proprie de ſacris concionibus intelligenda eſſe, quam de ſacri prolatione Euangelij inter auguſta ſecroſancti Miſſæ ſacrificij myſteria, in quo, Nauarrū ſic ſentiendi principem habeo conſilior. lib. 1. de offic. Iudicis delegati conſ. 7. num. 3. iuxta ſecundam edition. pro quo facit hæc ratio.

Vi ordinis ea tantum Diacono dantur ab Epiſcopo eum ordinante, quæ proxime ad miniſterium altaris faciunt, in quo genere ſunt, aram inſternere, ſacrorum codicum lectione mentem ad Deum erigere, calicem ac materias, in quibus facere Sacerdoti conuenit, inferre in altare, de concionibus mirum eſt in eius ordinatione ſilentium, ergo eas habere ad populum, Diacono ſine Epiſcopi aut Parochi facultate illicitum.

Addamus huic argumento & aliud. Solius eſt Parochi, populum ſibi commiſſum, ſalutari doctrinæ Chriſtianæ pabulo, Sacramentiſque paſcere, cum ei in perſona Petri dictum ſit à Chriſto Ioan. 21. Paſce oues meas, at Diaconus quā talis, non eſt Parochus, nec Epiſcopus, ei ergo, non aſſentiente horum alterutro, dicere ad populum, non eſt conceſſum. Quare id meditanti facere, alteruter eſt conueniendus, ab eoque impetrandus à Diacono, dicendi locus, nam qui Canones, Conciliaque olim liberam illi poteſtatem eius rei fecere, exoleuere in præſenti omnia, deſtituta vi ſua ac efficacia.

Quartum munus Diaconi eſt baptizare, vt feciſſe Philippus dicitur, id ei tamen facere ſine Epiſcopi facultate aut Presbyteri, extra neceſſitatem non licet, *Abſque Epiſcopo vel Presbytero, Diaconi baptizare non præſumant,* niſi neceſſitas extrema compellat Gelaſ. epiſt. 1. cap. 9. Actorum 8. Extra hanc facultatem, aut neceſſitatem extremam, ſacris quenquam vndis tingere, Diacono prohibitum, ac ſi id ſolemniter facere apparat, hoc eſt eo modo quo Presbyteri, eſt irregularis. Quod tunc cum aggredi Nauarr. narrat tom. 2. conſilior. iuxta 2. edit. lib. 5. conſ. 3. cum id facit ſub nomine ſeu perſona Presbyteri, talem ſe nempe eſſe fingendo, ac ordinem quo caret, præ ſe ferendo, Abbas in cap. 1. de Cleric. non ordinato miniſtrante. Quare ſi vt Diaconus, publice, ac cum ſolemnitate baptizat, & non vt Presbyter, ſacrorum non eſt vſu ordinum interdictus. quia non eſt irregularitas ſuſpenſioque inducenda, niſi in caſibus iure expreſſis vt inquit Bonifac. VIII. in ſua decret. is cui de ſentent. excomm. in 6. ſed nullo iure cautum eſt, irregularitatem contrahi à Diacono, propter Baptiſmum ab eo cum ſolemnitate collatum, ſi ſe pro tali exhibuit, & non pro Sacerdote Nau. expreſſe tomo Conſil. 2. de Clerico non ordinato miniſtrante Conſil. 3.

In contrariam partem ſunt tranſgreſſi hi authores haud obſcuri, Henriq. lib. 2. de Bapt. cap. 29. n. 1. Emman. Rodrig. cap. 166. concl. 4. Stephanus de Auila ſeptima parte diſp. 9. dubit. 14. concl. 1. cuius opinioni s præſidium vnicum.

Nempe quod cap. primo de Clerico non Ordin. miniſtrante, ſit ſtatutum, vt eum irregularitas afficiat. Qui *Baptizauerit aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus*, ſed habent hæc explicationem facilem. Enimuero vt ibi Gloſſa explicat, Pontifici duntaxat eſt in ea ſanctione propoſitum, de eo loqui qui baptizat, eo modo, ac ſi eſſet ordinatus Presbyter, quod nos nolumus.

Quinto, eſt & hoc quoque, in Diaconorum officio, non poſtremum, adeſſe Epiſcopo, in regimine commiſſæ ſibi Prouinciæ: eam conſilio ac ſpecie defendere, dictos eam ob rem illos exiſtimo eius oculos, à Clemente Rom. ep. 1. ad Iacob. fratrem Domini & lib. 2. Conſtitut. cap. 48. Euariſto Papa epiſt. prima ad Epiſcop. Africanos, *Et quidem oberrantes, ac circumluſtrantes cum verecundia actus totius Eccleſiæ, & perſcrutantes diligentius, ſi quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum eſſe peccato, vt referant Epiſcopo & ab eo reuocetur, ne corruat*, Clem. epiſt. 1.

Sexto, ſacris eos altaribus, ac ſacrificanti Epiſcopo, ſeruire oportebat: *Oportet*, inquit Ignatius epiſt. ad Trallianos, *Diaconis qui in miniſterium ſunt Ieſu Chriſti, omnimodo placere, non enim cibi & potus ſeruitores ſunt ſed miniſtri Eccleſiæ Dei*, cuius eos officij memimiſſe vult Cypr. ep. 9. l. 3. ad Rogatian. *Meminiſſe Diaconi debent quoniam Apoſtolos id eſt Epiſcopos Dominus elegit, Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cœlum Apoſtolis ſibi conſtituerunt. Epiſcopatus ſui, Eccleſiæ miniſtros. Quidenim ſunt Diaconi*, inquit Ignat. in epiſt. ad Trallianos, *niſi imitatores Chriſti, miniſtrantes Epiſcopo, ſicut Chriſtus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam?* Nec modo Epiſcopo Diaconi tum ex officio aderant, ſed etiam cum ad populum dicebat, Iſidor. de Eccleſ. officiis lib. 2. cap. 28. aut cœtum magnis de cauſis habebat in Eccleſia. *Sit ſolium Epiſcopi in medio poſitum, & ex vtroque eius latere ſedeant Presbyteri, & aſtent Diaconi ſuccincti*, Clemens. Roman. conſtit. Apoſt. lib. 2. cap. 57.

Septimo, Diaconum curare oportet, quo quiſque loco in publico conuentu ſedere debeat, Clemens ibid. de ægris ſollicite inquirere, cognitos plebi indicare, *vt viſitent eos, & neceſſaria præbeant eis, cum conſcientia eius qui præeſt vel etiam clam. De peregrinis ſimiliter referendis Epiſcopo ſuggerant, & cætera his ſimilia, quæ ad cultum Eccleſiæ, & diſciplinam eius pertinent.* Clem. epiſt. 1. *Ipſi quoque clara voce in modum præconis admonent cunctos, ſine in orando, ſine in flectendo genua, ſine in pſallendo, ipſi etiam vt aures habeamus ad Dominum clamant*, Aquiſgranenſ. Concil. can. 7. Iſidor. ſupra.

Octauo pars eorum operæ non vltima fuit adminiſtrare Dominicum ſanguinem ſit id perſpicuum ex verbis Diu. Laurentij ad Sixtum Papam apud Ambroſ. lib. 1. de Officiis cap. 41. Gelaſij Papæ epiſt. 1. cap. 10. in quo Diaconis prohibet, *ne ſacri corporis prærogationem ſub conſpectu Pontificis, ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus ſui exercendi habeant.* Illuſtre eſt ea de re Iſidori teſtimonium lib. 1. de Eccleſiaſt. offic. cap. 8. in cæteris Diaconorum encomiis memorat, *quod ſine ipſis Sacerdos nomen habeat, officium non habeat, nam ſicut in Sacerdote conſecratio, ita in miniſtro diſpenſatio Sacramenti eſt. Ille oblata ſanctificat, hic ſanctificata diſpenſat, ipſis etiam Sacerdotibus, propter præſumptionem, non licet de menſa Domini tollere calicem, niſi eis traditus fuerit à Diacone, &c.* eius miniſterium, idcirco ſacrum Cyprian. nominat lib. 2. epiſt. 8. ad Cornel. Sanctum & immaculatum, Ignat. in epiſt. ad Trallianos, cum enim eis incumberet, *Sacroſanctis altaribus imponere ſanctam panem & benedictionis calicem*, Dionyſ. Eccleſ. Hierar. cap. 3. non niſi puros, ac ab omni mundos ſcelere, id eos facere honeſtatis erat ac decentiæ Clem. Roman. Conſtitut. Apoſtol. lib. 3. cap. 19. non neceſſitatis, eos enim culpam lethalem non contrahere cum male ſibi conſcij, diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrant, opinio eſt Crucij in director. parte 2. q. 4. dub. 3.

Nono, & hoc ad Diaconorum pertinebat officium, canere in Sacroſancto Miſſæ officio Euangelium: Clemens lib. 2. cap. 57. Greg. in Synodo Romana indict. 13. can. 1. quod etſi eos in gratia facere, eſſet optabile, non eſt tamen neceſſe, Vaſquez in 3. partem to. 3. diſp. 136. cap. 4. Sotus in 4. diſt 24. qu. 1. Coninch. de Sacrament. qu. 64. art. 6. dub. 1. num. 38. Suar. in 3. par. tom. 3. diſp. 16. ſect. 4. ratio eſt quod ſacra lectio, non ſit meritorum Chriſti diſpenſatio, vt ſunt Sacramenta, nec opus in ſe tam ſanctum vt illud ſit neceſſe in gratia facere.

Contraria ſententia patronos ſuos habet Filliucium tom. 1 tract. 1. cap. 6. num. 87. Syluium in 3. partem q. 64. art. 6. quæritur 1. concluſ. 5. ſed quia fundamentum ſtabile nullum habet, non ſequenda.

Poſtremo Diaconis, pauperum cura, ac viduarum priſco erat ac laudabili Apoſtolorum inſtituto credita, Act. 6. quorũ inopiam ſubleuare, recreare ſolitudinem, rei familiaris difficultates ſi minus tollere minuere certe vt poſſent, cuſtodiendo Eccleſiæ ærario præerant, vt Stephanus in Pontificatu Cornelij Laurentius in Pontificatu Sixti: ſic à Nicoſtrato Diacono Eccleſiaſticas pecunias apud eum depoſitas, opeſque viduarum ac pupillorum auerſas, Cypr. queritur in epiſt. 12 lib. 2. *Fratribus*, inquit, *innoteſcat Nicoſtratum non ſolum Patrono ſuo Cornelio fraudes feciſſe, ſed etiam Eccleſia depoſita, non modica abſtuliſſe.*

QVÆSTIO XIII.

Diaconorum Obligationes quæ ſint & quales.

HAbent ſua onera Diaconi, vt & Presbyteri, Principem inter ea locum tenet lex ſeruandæ caſtimoniæ, de qua nos alibi.

Secunda eorum obligatio eſt, ſubeſſe Epiſcopis, priores illis in ceſſu ac ſeſſione partes tribuere, Aquiſgr. Conc. ſub Ludou. Pio can. 77. Arelat. 2. ſub Syluest. can. 15. *In ſecretario inter Presbyteros ſedere Diaconos non liceat, vel corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumant*, nec Epiſcopis modo habere honorẽ Diaconi, ſed Presbyteris quoque iubebantur, eſt de eo præceptum in Concil. Agathenſi can. 65. Tolet. 4. can. 18. Laodic. can. 20. *non oportet Diaconum prius ſedere quam Presbyterum, ſed cum iuſſione ſedeat*, ſtabat ergo honoris cauſa, nec ſedere ei, aut loqui, niſi

iusso licebat Concil. Carthagin. 4. can. 40. Agath. can. 65. Excipiendus est casus in quo Patriarchæ, Primatis, aut Episcopi vices obibat, sexta Synod. Constantinopol. can. 7. his verbis: *Diaconus etiamsi in dignitate sit, ante Presbyterum ne sedeat, præterquam si proprij Patriarchæ vel Metropolitani vicem gerens, adsit in alia ciuitate, super aliquo capite, tunc enim vt locum illius implens honorabitur.*

Extra hunc casum, præcedere Presbyterum, aut ei proximum esse loco ac gradu, Diacono prohibitum, Episcopo autem suo non obsequi, aut honorem negare necessarium, periculosum, Rogatianum Diaconus quidam oblitus officij sui ac ministerij exacerbauerat, de eo apud Cyprian. conquestus cum esset, responsum tulit, comprimendam videri eius audaciam, quam nisi pœnitentia lachrymisque suis dilueret, gradu locoque mouendum, sic enim lib. 2. epist. 9. *Oportet Diaconum de quo scribis, agere audaciæ suæ pœnitentiam, & honorem Sacerdotis agnoscere, & Episcopo præposito suo satisfacere, fungeris itaque circa eum potestate honoris tui, vt eum deponas vel abstineas*, hoc est excommunices iuxta interpretationem Pammelij.

Tertio, de Episcopatu proprio, sine commendatitijs Episcopi sui litteris commeare in alium nefas erat, quam in sententiam Canones multi editi, nam id illis est vetitum decimo quinto Apostolorum, decimo sexto Nicænæ primæ Synodi, quinto quartæ, tertio Concil. Antiocheni primi decimo sexto Concil. sexti in Trullo quod enim Diaconus auctoritatem Episcopi dignitatemque contemnat, cum alio, nulla migrationis ab eo facta potestate proficiscitur, vt est in can. 16. Concilij in Trullo, deponi iubetur, ἢ ὁ μεγάλης ἀυτὸν ἀξιώσας, & qui eum præter rationem susceperit, in Concil. autem Antioch. can. 3. prohibetur, *ne amplius ministerium vllum obeat, maxime si proprio vocante Episcopo, vt in suam Parochiam redeat, exhortantique non pareat*, in Agath. can. 51. Epaun. ca. 9. Aurel. 3. ca. 15. præcipitur, *ne communionem ei vllus impendat.*

Quarto, quia Clericalis stolæ momentum est tale, *vt de eius accursu vitia suffundantur, improbi mores erubescant*, decreuere Galli Antistites in Synodo Francica an. 742. *Vt Diaconi non sagis, Laicorum more, sed casulis vterentur, ritu seruorum Dei.*

Quinto, obligantur Diaconi ad preces Canonicas, Nauar. de horis Canonicis cap. 7. Lessius li. 2. de iustit. & iure cap. 17. dub. 9. qua de necessitate, cum de beneficiis sermo erit, nos Deo dante, pluribus.

Sexto, erat hoc Diaconis solenne olim, vt amicti orario, id est stola, maxime in sacrorum vsu incederent Zonar. in can. 22. Conc. Laod. quo ornamẽto quæ partes eorum essent in altaris ministerio, quæ munera, indicabat Ecclesia. Eius moris est mentio in Toletano Concil. 4. Theodori tempore Papæ primi can. 39. his verbis: *Si oraria duo, nec Episcopo quidem induere licet, nec Presbytero, vtique multo minus Diacono, qui minister eorum est, vnum ergo orarium oportet Leuitam gerere in sinistro humero, propter quod orat, id est prædicat: Dexteram autem partem oportet habere liberam, vt expeditus ad ministerium Sacerdotale discurrat.*

In quo Diaconi differebant à Sacerdotibus, quos orario quidem vsos constat, sed dispositio aliter, nam hi vtrumque tegebant humerum suo orario ac cervicis partem, Braccarensis Concilij tertij testimonio can. 3. non Diaconi, eoque destitutos ad sacra Missarum solemnia, aut communionem accedere, piaculare Sacerdoti erat, ac censuræ excõmunicationis obnoxiũ. *Si quis aliter egerit excommunicationi debitæ subiaceat*, Conc. Braccar. can. 2.

QVÆSTIO XIV.

De Subdiaconis.

QVod præceptis, & officiis Leuitarum subiaceant, dicti sunt Hypodiacones Isidoris de officiis Ecclesias. cap. 12. Gratianus distinct. 21. can. Cleros 1. inter sacros ministros Ecclesiæ sunt habendi, Concilium Agath. tempore Symmachi Papæ can. 66. quare tenentur lege castimoniæ perpetuæ, Gregorius primus epistolarum lib. primo epst. 42. Leo primus epistolæ decretal. 82. capitulo 4. *Nam quum extra Clericorum ordinem constitutis*, inquit, *nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis carnale, quidem connubium conceditur, vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.* Eius votum emittebant olim ante adoptationem sui ad hunc ordinem, & quidem explicitum, instituto Gregor. primi epistol. lib 1. epist. 42. quem sequuti Hispani Episcopi, sanxere in Concil. Tolet. 8. can. 6. vt cum vasis Religiosis ac sacris, quorum potestatem recipiebant in ordine, huius legis admonerentur ab Episcopo. Hoc tempore nonnisi implicite ac virtute concipitur. Nam hoc ipso quod aggregari se quis maiorum Ordinum Clericis patitur per ordinem, tacite quoque ea sibi onera imponi vult, quæ voluntate Ecclesiæ huic sunt adnexa magistratui, cuius voluntatis argumentũ, priscis temporibus, in Episcopi benedictione fuisse, hæc iudicant ex can. 6. Tolet. 8. *Quoniam*, inquit canon noster, *vxoribus copulari, licere sibi Subdiaconi asserunt, quia benedictionem à Pontifice se nescirent percepisse, proinde omni excusationum discusso velamine, id præcipimus obseruari, vt cum iidem Subdiaconi ordinantur, cum ministerij benedictionis ab Episcopo detur, omni penitus ab illis sorde mulierum, ac familiaritate remota.*

Subdiaconorum officia sunt. Primum, oblationes in templo Dei à fidelibus susciperе, & Leuitis, id est Diaconis superponendas altaribus deferre, dist. 20. can. Clero primo: quod clarius explicatur can. perlectis 2. dist. 25. his verbis. Ad Subdiaconum pertinet calicem & patenam, ad altare Christi deferre & Leuitis tradere, eisque ministrare, vrceolum quoque & aquam, mantile & manutergium tenere, Episcopoque & Presbytero, & Leuitis pro lauandis ante altare manibus aquam præbere.

Propterea dum ordinatur patenam tantum & calicem de manu Episcopi accipit, & ab Archidiacono scyphum aquæ, cum aquamanili, & manutergium, Aquisgranense Concil. can. 6. Carthag. 4. can. 5. Tolet. 4. can. 26.

Alterum est epistolas Pauli super Missam legere Concil. Remense can. 4. & psalmos ac reliquas lectiones Gregor. primus in Concil. Rom. can. 1. *Psalmos vero*, inquit, *ac reliquas lectiones censeo per Subdiaconos vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi.*

Tertium (cuius tamen modo vsus nullus) obsidere fores Ecclesiæ, in iis consistere Concil. Laod. can. 22. ibique Catechumenis & iis, qui in pœni-

Digitized by Google

tentium ordine censebantur, cum opus foret, e- A mittendis operã dare, Zonar. in eum can. *διὸ καὶ νῦν ἀνωτέω ἐκρυθῆναι τὸ οἱ κατηχούμενοι σεσίλθεσι, propterea nunc quoque illud quicunque estis Catechumeni, procedite, prænunciant.*

QVÆSTIO XV.

Quæ sint officia iure Ecclesiastico Clericis vetita.

PRimum est bellica professio, *seruis Dei*, (inquit, Francica Synodus sub Carolomanno) *per omnia, omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hostem pergere omnino prohibemus, Clericorum enim arma, lachrymæ sunt, precesque ad Deum assiduæ*, Ambrosius lib. 5. Epistolarum Moguntinum Concilii sub Carolo Magno, enimuero assumpta cœli militia, humanam interdictam sibi voluere, vt professioni suæ contrariam, *Terram enim defendere, in arma, prœliaque ruere, laicorum est, terrenaque potestatis, non Clerici*, causa 23. q. 8. can. 2. quare si quem eorum, qui Clericalis vitæ professione, à sæculo est translatus in Christi sortem, arma aliquando tractare accidat, priscis Ecclesiæ legibus, sacræ militiæ gradu pulsus, amandatur in Monasterium Toletan. Concil. 4. can. 44. eadem illos pœna plecti vult Meldensis Galliæ Synodus, can. 37. quam vt æquitatis plenissimam Yuo Carnutensis approbat lib. 3. de vita Cleric. Sanxere in eandem sententiam multi multa, est pœna quã Tibur. Conc. in eos statuit, quos furor, aut vesania, ad arma præcipitat, acerbitate sua, merito cuique timenda, venit enim ne pro illorum manibus, si quid humanitus illis in bello accideret, iusta funebria fierent, quo quid esse potest homini funestius?

Neque sunt tamen, omni tempore Episcopis, ac Sacerdotibus, occlusa castra, permittit enim Francica Synodus, Regi proficiscenti ad bellum, Episcopum vnum, & alterum, tam ad consilium, quã ad exomologesim admissorum scelerum, Præfectis autem singulis Presbyterum, qui confitentibus aurem præbeat, ac salubrem pœnitentiam indicat, magni enim tam Regis, quam Ducum ad salutem, victoriæque summam interest, habere penes se fidos consiliarios, optimos vitæ bene agendæ magistros, prudentes, ac gnauos, formandæ conscientiæ didascalos, ne perstrepente auribus tubarum sono, cura virtutis animo excidat.

Secundo est, alienarum litium, ac negotiorum procuratio in foro, (sollicitationem barbare dicimus) Clerico prohibita, 21. q. 3. can. placuit & in Carthaginensi Concil. 1. can 6. his verbis: *Nicasius Episcopus Culusianus dixit, credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ, & placere vobis, vt qui seruiunt Deo, & annexi sunt Clero, non accedant ad actus, seu administrationem, vel procurationem domorum, Gratus Episcopus dixit, & Apostolorum statuta sunt quæ dicunt, nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, proinde aut Clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio Clericorum vniuersi dixerunt hoc obseruemus.*
Quare *molestiis & laqueis sæcularibus obligari Clerici non debent, qui diuinis rebus, & spiritualibus occupari ab Ecclesia recedere, & ad terrenos actus, ire non debent*, Cypr. 66. iuxta edit. Pammelij.

Aliena dixi nam propria aut Ecclesiæ suæ negotia curare Clericum, eaque prosequi in foro, commendare iudici pro virili sua tam per se quam alios prouehere posse dixere Episcopi in Tarraconens. Concil. can. 11. Innocentius III. cap. cum deputati 16. de iudiciis, Eugenius III. cap. insuper de testibus 6. *Statuimus*, inquit, *vt liceat vobis in causis Ecclesiæ vestræ ferre testimonium, dum modo vnus ex vobis, vel duo, ad agendum aut respondendum instituantur, quorum testimonium in causis, in quibus actores, vel responsales sunt instituti, non debent admitti.*

Neque tamen damnatum imus Galliæ morem, omnino laudabilem, adiungendi regiis iudicibus in Senatu viros, ipsa vitæ professione, institutoque, Ecclesiæ addictos, à quibus tam ipsa, quam Clericorum Ordo, in difficillimis suis temporibus, contra vim in tuto lateat, quæ causa Philippo extitit, iis addendi quorum consilio vtebatur ad regni regimen, Episcopos binos, totidemque Abbates, quos secundæ iudicum classi præfuisse, vt primæ Cancellarium, narrat Choppinus lib. 2. de sacra politia tit. 7. nu. 28. & nos antea cum de Presbyterorum obligationibus est actum.

Tertio, sunt ministeria venatoris & aucupis, Clericis inhibita, de quibus vt ab eorum maiestate alienis extitere Patrum querelæ variæ: Hieron. in Psal. 90. Aug. in Psalm. 102. Nicol. can. quorundam dist. 34. Clement. V. in Concil. Viennensi, vt refertur in Clementina de statu Monachorum, Gallorum Antistitum in Aurelianensi 3. vbi Patres sciscunt, *Quod si Episcopus Presbyter aut Diaconus in hac venandi voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est tribus mensibus à communione si Presbyter duobus, si Diaconus ab omni officio suspendatur*, sed hac de re postea pluribus. Quinetiam Cypriano teste in epist. 6. iuxta editionem Pammelij statutum fuit in Conc. Episcop. ne quis de Clericis & Dei ministris, sit tutor vel curator testamento constitutus, quod statutum renouatũ est per Conc. Chalc. can. 3. exceptis tutelis miserabilium personarum, & legitimis tutelis ad quas per leges cõpelli possunt sed & his legibus postea sunt liberati, Constitutione Iustinia. Imp. lege generaliter Codice de Episc. hodie igitur nemo illorum tenetur ad legitimas tutelas, multo minus ad datiuas aut testamentarias: permittuntur tamen lege cognationis, susciꝑere tutelam, modo intra quatuor menses protestentur se vltro id facere.

Quarto principum aulæ interdictæ sunt Clericis, vt enim Regũ assecias veneretur Ecclesia, nõ tamen probare potest quod Clerici de suo sinu abstracti, pro templo forũ, pro sacris pulpitis, profana Regũ domicilia frequentẽt, quare aulici ac Curialis nomina, vana & inania, in Clericis odit, quos modestia, quos charitas animique demissio aulis exclusos, domi suæ aut in templis abditos tenere debet ad propitiationem numinis, quare si sacri officij immemores, aut deserto grege sibi commisso abscesserint, in primis vero Episcopi, decreto Sardicensis Concil. honore ac dignitate excident, ita can. 11. *Si igitur aliquis contra omnium sententiam nisus, voluerit ambitioni magis placere quam Deo, is debet fieri causis redditis, honorem dignitatemque se amissurum.* Cuius culpæ communio, cum pertineret etiam ad Clericos & Monachos, è re communi Ecclesiæ esse existimauit Carolus, vt nomine, ita factis verè magnus, illam de eorum moribus exterminare graui lege, sic enim Capitularium lib. 5. cap. 176. *Placuit vt nec Monachi, & presbyteri, nec non & Clerici, qui postposita Canonica au-*

thoritate,

theritate, passim palatium adeunt, & nostris sacrisanctis importunissimam molestiam inferunt, vt non hoc facere præsumant, quoniam in huiusmodi facto, & vigor Ecclesiasticus contemnitur, & Religio sacerdotalis, & professio Monastica vilior efficitur.

Quinto prohibentur Clerici ijs ministerijs publice operam dare 1. quæ fœda sunt ac sordida, qualia sunt lanij, macellarij, tabernarij, cauponæ, eamobrem opinor quod personam suam talibus officijs dedecorent, nam quid turpius, atque ab Ordinis dignitate alienius, quam exercendæ cauponæ Clericum præsidere? excipiendis hominibus, apponendis ferculis præsto esse? Deinde si vt est in Canone Apostolico 54. & 9 Concilij sexti in Trullo, *Clericis in cauponam ingredi non est permissum, quo pacto totos in ea dies consumere, vitamque exigere commoranti licebit?* Zonar. ibi. Quid? quod Clerici factitando has artes vltro sibi prope certa peccandi pericula accersant? *difficile enim negotiatio à negligentia exuitur, & non insistificabitur cauponatio à peccatis*, Ecclesiast. 26. Quare si tertio moniti non sapiunt, eaq; officia non relinquunt, Clericali priuilegio excidunt vt est in c. fin. de vita & honest. Clericorum de quo est can. etiã nonus Concil. in Trullo in eo enim est his verbis: *Si quid tale fecerit, vel cesset vel deponatur, si δὲ τοῦτο παρέξει, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω.* Cum autem priuilegio duplici Clerici gaudeant, fori, & Canonis, vtro hac professione, abiecta & humili priuantur? Fori quidem & Canonis retinent, immunitates autem à soluendis vectigalibus amittunt, Nauarr. cap. 25. num. 110. Rebell. 2. parte de obligationibus iustitiæ lib 9. de contract. empt. q. 18. sect. 2.

Sexto, Histrioniam exercere Clerici nequeunt, primo, quia id Innocent. prohibet in generali Concil. Secundo, quia est id plenum periculi, quid est enim theatrum tenere? aperire communem officinam luxuriæ, vocare ad publicum gymnasium incontinentiæ, ad cathedram pestilentiæ, ad omnem orchestram impudicitiæ, est enim scena Tertulliano de spectaculis cap. 7. *Libidinis impuræ consistorium, vbi nihil probatur nisi quod alibi non probatur*, Cypriano autem de spectaculis, scæna *Dæmonis inuentum, scelerum omnium magisterium; quodenim turpe factum ibi non ostenditur, quod autem verbum impudens non proferunt, qui risum mouent scurræ & histriones?* Quam est ergo parum probabile in eo operum genere Clericos versari posse, quæ sunt coniuncta cum tam aperto peccandi discrimine, aut illis fore impune, quorum saluti, precibus, exemplo, vitaque ipsa si esset opus consulere debent, hos in fraudem impellere, hos in certum salutis exitium trahere? nempe non est à iocis, dicacitatibus, atque facetijs facilis prolapsus ad lasciuiam? qua quid esse homini ad animæ interitum præsentius potest? ecquid enim Apostolo, vidua viuens in deliciis habenda est pro mortua? quare istiusmodi artem facere, vilem, ac obscœnam, Clericis Ecclesia prohibet, vsque eo vt ne quidem ferat *eos spectaculis aliquibus quæ aut in nuptijs aut in scenis exhibentur interesse, sed antequam Thimelics ingrediantur surgere eos de conuiuio & abire*, iubeat Concil. Laodic. can. 54.

Septimo peccat Clericus contra iura Canonum cum negotiatur, est id enim illi inhibitũ can. consequens dist 88. cap fornicari 9. cap. negotiatorem 8. cap. finali de vita & honestate Clericorum, alijsque multis vt in Concil. Tarrac. can. 2. qualis autem & cuiusmodi sit hæc culpa venialis an lethifera, iam dicendum,

Mortalem esse existimat Lessius lib 2. de iustitia cap. 21. dub. 1. num. 4. maxime, inquit, cum est hæc negotiatio frequens & diuturna, huius sententiæ videtur esse Comitolus lib. 1. q. 53. alijque plurimi qui scripsere de Christiano officio.

Eius ipse sum partis quæ Rebello placuit 2. parte de obligationibus iustitiæ lib. 9. de contractu emption. qu. vltima, & alijs quos citat.

Dico ergo 1. *peccare minimum venialiter Clericos, qui sed vilia negotiatorum munera, nulla personæ suæ ratione habita, abijciunt*, sunt eius opinionis causæ mihi multæ.

Prima, quod superioris imperia, nunquam subditus dedita opera prætereat sine culpa aliqua, at est Religiosis & Clericis, interdicta negotiatio in Chalcedonensis Concil. actione 6. can. 6. Tarraconensis sub Hermisda can. 6. Aurelia. 3. can. 25. & sequenti, næ ergõ violari non potest Ecclesia, sine violantis Clerici aliquali culpa.

Secunda, quæ est argumentatio D. Thomæ 2. 2. q. 187. art. 2. Clerici non solum debent his abstinere, quæ secundum se sunt mala, sed his etiam quæ mali speciem habent, at est negotiatio, malo ac culpæ quam virtuti propior: est hæc ergo vitanda Clerico, vt affinis vitio.

Tertia, cum non nisi scelera, merita pœna plectantur, est eius irrogatio, culpæ inexistentis operi quod punitur, euidens apertaque demonstratio, at sunt negotiantis Clerici magna supplicia, iubetur enim imprimis à Gelasio vt refertur can. consequens dist. 88. à Clericali officio abstinere, ab alijs de gradu deijci: negotiari ergo ei prohibitũ est sub culpa. Sane in pœnam audaciæ de Clericorum albo expungitur in Tarrac. Concil. sub Hermisda habito can. 2. degradatur in Aurel. 3. can. 16. qua pœna nulla ei infligi poterat acerbior, placet vtriusque Concilij verba hic ad terrorem Clericorum institorum ponere, Prioris ergo est hæc sanctio: *Canonum statutis firmatum est, vt quicunque in Clero esse voluerit, emendi vilius vel vendendi carius studio non vtatur, certe si hæc voluerit exercere, cohibeatur à Clero*, In posteriori hæc leguntur, *ne in exercendis negotijs turpis lucri cupiditate versetur, quodsi quis aduersus statuta venire præsumpserit, communione concessa ab ordine regradetur*, est sane tutelæ susceptio caritatis in proximum actio, est tamen hæc Clericis prohibita, *Ne in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestijs secularibus alligentur: qui autem frater excedens, ad tutelam vel curam Clericum nominabat, non offertur vltrò pro eo, nec pro eius dormitione sacrificium celebratur*, Cypr. epist. 66. iuxta edition. Pammelij num. 13. at est hæc pœna, culpæ nota in eo, cui per Ecclesiam infligitur, quam tamen (si forte est aliqua) longe minorem esse oportet, quam quę est negotiantis Clerici: est hic ergo alicuius reus.

Dico secundo, *citra scandalum, mortale non esse Clericum, negotiationi dare operam*, ad id inducor.

Primo, quod aliena ad id opera vti possit, sine vlla culpa, nam & societas ei rerum ac negotiorum cum amicis est licita Rebell. loci ante citati sectione 2. Medina codic. de restit. q. 30. Lessius l. 2. cap. 21. dub. 1. nu. 6. indicatque Eliberini Concil. sanctio, can. 19. vbi dicitur eos negotiandi causa adhibere posse filios, libertos ac seruos, at eius rei causa non est alia, quam quod negotiando per alium, cum id communiter nesciatur, cessat ratio scandali, ergo cum eius periculum est nullum,

Clerico negotiari non est prohibitum sub mortali.

Secundo, ratio culpæ mortalis in aliquo nostro opere, petitur ex pugna, quam habet cum virtute, cuius honestate priuat, at hæc non est tanta vt eius honestatis absentia, mortalem reddat negotiationem, omnis enim turpitudo actionis illius præcise consistit in indecentia, quæ in eo cernitur, quod qui Deo, eiusque cultui sacer est, lucra captet ac commoda, nec sit à laicis ipso opere, peraque ac est vitæ professione, nomineque distinctus, quæ sane macula leuis tantum est, ac humana, nequaquam proinde lethifera.

Tertio non damnatur negotiatio in Clericis nisi quia periculis peccandi patet, estque ordinata ad lucrum terrenum, cuius amor videtur in illis esse culpabilis, cum præter Deum ambire nihil debeant, meminit causæ secundæ Aurel. Conc. 3. can 26. Primæ autem D. Th. 2. 2. q. 187. at à prima, negotiatio vitiurn non trahit nisi per accidens, & occasione periculorum, quæ vitari possunt. Secunda autem, labem mortalem in negotiationem non immittit, nisi cum est lucri amor tantus, tamque vehemens, vt Clerico sit pro fine vltimo, quod rarum est, ac omnino infrequens.

Posset tamen esse tanta indecentia, tantumque in emendo ac vendendo scandalum, vt à mortali in ea re non essent Clerici liberi, maxime sacris initiati, nempe si obirent per se ipsos ea ministeria aliquanto notabili tempore, Rebell. sectione. 2. lib. 9. de contract. empt. q. 18. Vt vt sit (quod Gelasius Papa dixit olim) ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio Clerico cessandum esse, aut in quolibet gradu sit positus, mox à Clericalibus officiis, abstinendum esse, sibi à nobis Clerici dictum existiment.

Est huic quæstioni affinis ista, *An emere, aut vendere ad vitam necessaria, negotiationis sit species interdicta Clericis.*

PEndet quæstionis intelligentia, à notione rei de qua agitur. Ecquid est ergo negotiatio? nam si non est hæc commercij species, quæ ad vitam instituendam refertur, in ijs proprie commercijs, quæ negotiationis nomine Doctores intelligunt, non erit pecuniæ, cum re ad vitam vtili, aut vice versa, istius cum illa commutatio, quæstuosa licet, Clericis vetita.

Age ergo quid est negotiatio? est rei pro pretio cõparatio, eo facta animo, vt cum eam integrã, ac immutatam quis vendet, sequatur lucrũ, *qui enim*, inquit Chrisostomus hom. 38. operis imperfecti in Mathæum, *rem comparat, vt illam ipsam rem integram & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eiicitur qui autem rem comparat, non vt ipsam rem integram & immutatam vendat, sed vt opus faciat ex ea, hic non est negotiator.*

Videamus id iam ergo, ex quo causæ huius vis omnis pendet, an rerum, quæ ad vitam faciunt emptio, distractioque, de earum sint genere, quibus explicatæ negotiationis notio competat.

Non competere vero, docet Diu. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. eo quod commutatio, quæ ordinatur ad necessitatem vitæ, emendo vel vendendo, naturalis sit, politica, & œconomica, conquirit enim ea sine quibus in vita manere non possumus, quod Clerico non potest magis dari vitio, quam cuilibet è populo, Angelus verbo Clericus 9. num. 2. & Nauarr. in sum. cap. 25. num. 3. aiunt Clericum non facturum contra leges Ecclesiæ, si frumentum emat ad vsus vitæ communis, & postea quod ei reliquum erit iusto pretio distrahat. Quod ipsum ratio duplex probat.

Prima quod negotiationis, id est mercaturæ, ac commercij non frequentandi à Clericis, finis esse lucrum debeat, non necessitas, cuius solius tamen in hac parte, ratio ducitur non quæstus.

Secunda quod authore Chrisost. loco proxime citato: quicunque rem comparat non vt ipsam integram & immutatam vendat, sed vt opus ex ea faciat, hic negotiator, audire non debeat, at causa emendæ rei quæ vænum exponitur, necessariæ tamen ad vitam, non est eius distractio, sed vsus & consumptio: ergo emptio necessariorum ad vitam, proprie non est negotiatio, ex D. Thoma. 2. 2. q. 77. art. 4. Arist. 1. politic. cap. 1. sed impropria id est naturalis atque politica. *Nec est iustum negotium contradicendum propter necessitates diuersas, quia legimus sanctos Apostolos negotiatos esse, in Regula sancti Benedicti præcipitur prouideri per quorum manus negotia Monasterij procurẽtur*, cap. multa ne Clerici, qua de re plura Panormit. in cap. extremum de vita & honestate Cleric. num. 14. Immola ibidem & alij vt Angelus in verbo Clericus 9. num. 2. Nau. Enchir cap. 25. num. 3.

QVÆSTIO XVI.

An agrorum conductio permissa sit Clericis.

LIcitam esse maxime in Gallia, scribit Fabricius Bleyanus in Theoria tract. de Patrimonio Ecclesiastic. num. 39. & 40. sententiæ suæ subscriptores facit Parisiensis Curiæ conscriptos, à quibus id iudicatum esse anno 1565. 1566. 1578. scribunt cum eo Choppinus l. 3. de sacra polit. tit. 3. num. 16. Berger in additionibus ad Paponium in fine tit. 12. lib. 1. ambo enim aiunt, cum de locatione prædij Ecclesiastici agitur, in ea Laicis Clericos, & ex Clericis, receptos in Ecclesia, cuius est id quod locatur, alienigenis præferri debere, legibus Caroli IX. & Henrici III. de ann. 1568. & 1577. hanc tamen eorum sententiam non subscribunt Itali, Gallique Theologi, primo quod prædiorum conductio, vsitata sit, communique inter homines negotiandi ratio, cum qui ex illis fructus colliguntur, illibati vendi soleant ac integri.

Secundò, quod quæ contra mercaturam faciunt, hæc pariter aduersentur, Clericis prædia conducentibus, nam quis non intelligit, primo eiusmodi negotij genere implicari animum, ac à spiritalibus retrahi? cum conductorem id laborare sit necesse, ne quid detrimenti rei suæ accidat, ne agris male sit, vel eorum fructibus, quod ipsum cura non vacat. Deinde quod vulgus hominum factitat, quod populus recti inducilis ac sui, nulla laudis ac honoris commendatione præstat, in eo Clericos occupari, indecorum est ac turpe, cum qua illi dignitate nominis antecellunt, tam opere ac studiorum genere, superare illum debeant, *eos enim respicere oportet ad id quod scriptum est. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, Concil Carth. 218. Episcopor. *quod si de prophana militia verum est*, inquit Zonar. in eum canonem, *certe in eos qui diuinæ militiæ, in sacro ordine mancipati sunt, longe accommodatius quadrat.*

Quid? quod Patres hoc in illis arguunt, quod id Conciliaferre nequeunt, vt à dignitate personæ

quam ſuſtinent in Eccleſia, alienum, præter Canones, primum ſcilicet & 2. cauſæ viceſimæ primæ qu. 3. Carthag. iam citati can. 17. Apoſtolor. 6. & 83. iuuat hic & alium inſerere, veritatis huius veriſſimum teſtem. *Quoniam*, inquit ſanctum Chalced. Concil. actionis 6. can. 2. vel vt alij legunt, *aliqui Clericorum & Monachorum, pecuniæ amore languentes, curis mundanarum rerum ſe metipſos ſubiiciunt, aut poſſeſſionum conductores aut procuratores conſtituti, aut in domibus ſæcularium obuerſantes, tanquam diſpenſatores effecti, placuit huic ſancto & magno Concilio nullum Clericum conducere poſſeſſiones, aut procurationem ſuſcipere.* Pœna peccantis contra hoc ſtatutum, eſt remotio ab officio: *Clericus*, inquit can. 48. Concil. Carthag. 4. *qui non proemendo aliquid in mundinis aut in foro deambulat ab officio degradetur*, qua pœna etiam in Chalcedon. Concil. can. 3. in ſexta Synodo can. 11. Carthagin. 16. affici eum placuit conſulendi Canones.

Sunt tamen tempora duo, quibus Clerico alienarum rerum licita videtur eſſe conductio.

Primum, cum eſt ab eo ſuſcepta ſuſtentationis propriæ gratia, nempe quia illi reddituum non eſt ſatis ad vitæ commoda neceſſaria, niſi eos hoc deſpicabili, ſed tamen neceſſario munere ſuppleat, cauſa eſt, quod quæ ſunt lege illicita, hæc cuique ſine culpa neceſſitas permittat, de regulis iuris regula 4.

Secundum eſt, cum hanc prouinciam abiectam ſane & vilem, Clericus obit ſuperioris ſui imperio, Chalced. can. 3. actionis 6. in hæc verba: *Placuit huic ſancto & magno Concilio, nullum Clericum procurationem ſuſcipere, aut conducere poſſeſſiones, niſi forte ei à proprio Epiſcopo inbeatur Eccleſiaſticarum rerum habere ſolicitudinem.*

Ob eam cauſam licere Clericis exiſtimo, cereos in oratoriis, peregrinis poſtulantibus vendere.

Primo, quia id non niſi conniuente Epiſcopo, id eſt de tacito eius conſenſu faciunt, enimuero cum hic ſcelera reprimere, caſtigare ſontes, iura Canonum ſarta tecta ſeruare debeat, eſt eius ſilentium, patientiaque in hoc genere, conſenſus inſtar, valet enim hic maxime antiqua illa iuris parœmia, *qui tacet conſentire videtur*, de regulis iuris in 6. regula 43.

Secundo, quia id conſuetudo præſcripta pridem patitur, eaque rationabilis ac prudens, ſciente nec improbante præſule.

Tertio, quia non eſt rerum iſtiuſmodi, quæ ad cultum Dei faciunt venditio, aut emptio, negotiatio, ſed permutatio, cui eſt ab offerentium pietate initium. Graſſius decision. aurearum parte 2. lib. 3. num. 28. Notare tamen placet antequam gradum ad alia faciam, ne victus quidem cauſa permiſſum eſſe Clerico, factitare ea miniſteria, quæ non modo ſunt vilia, ſed etiam ſordida ac turpia, cuiuſmodi ſunt lenoniam exercere, cauponari & ſimilia, quę ne victus quidem comparandi cauſa facere licitum eſſe Clericis, ait Zonar. in can. 16. Carthagin. Concil. citati, *κὰν δὲ τῶν ἀφειδῶν πινὰς ἐπιτηδεύσωσιν μηδὲ πρὸς ἐπιτροπῆς ἐνεκεν.*

QVÆSTIO XVII.

Quæ ſint pœnæ negotiantis Clerici.

PRima eſt amiſſio honoris & gradus vt pronunciarunt Patres in Canone 11. primæ & ſecundæ Synodi & in Chalcedon. Concil. parte 6. can. 2. *Si quis autem poſt hunc terminum, aut ipſe conducere præſumpſerit, aut per alium quemlibet, hanc curam ſuſcipere, hunc Eccleſiaſtico ſubdi ſupplicio placuit, quod ſi in contentione perſiſterit dignitate privetur.*

Secunda, eſt excommunicatio, cuius author Alexand. 3. cap. 1. ne Clerici vel Monachi, ibi enim *ſub interminatione Anathematis prohibemus*, inquit, *ne Clerici vel Monachi lucri cauſa negotientur*, quæ oratio non obſcure indicat, primo, pœnam hanc ſententiæ ferendæ eſſe non latæ, eſt enim comminatoria, vt loquuntur hæc verba (ſub interminatione) At quæ cenſura præter minas nihil habet, futurum ſpectat non præſens, iudicem à quo eſt imponenda, non reum cui ſit impoſita.

Secundo cum ſit hæc pœna negotiantium, quæſtus cauſa, vt Alexander in citato cap. annuit, monentque Patres Nicæni Concil. can. 17. eius duntaxat meminerunt, *qui poſt definitionem Concilij inuentus fuerit ex qualibet negotio turpia lucra ſectari*, patet vacare culpa Clericos, qui in commercio cui incubant, ac ſtudent, ſalutem ciuitatis publicam quærunt, aut quorundam priuatam, puta quia eo omnis illorum ſpectat induſtria, vt neceſſaria vitæ ſubſidia reſpublica habeat, ipſi autem, bene de pauperibus mereri queant, cum contingeat, quantulaſcunque opes ſuas mercimonijs, curaque, auctiores factas eſſe D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. Gabriel in 4. diſt. 15. q. 10. art. 1. Medina de reſtit. q. 30. Rebell. de contract. emptionis lib. 9. q. 18. ſect. 1. eius rei eſt hæc cauſa.

Quod quæ de ſe ſunt adiaphora: hoc eſt indifferentia, hæc ex fine ad quem ordinantur, laudem trahant aut vitium, at eſt negotiatio, de earum rerum genere, quæ aperte nec bonæ ſunt nec malæ, cum ſit improbabile, peccare quotquot exportandis aliunde mercibus, prouincijs ac vrbibus conſultum eſſe volunt, & ex alia parte, conſtat Clericum nihil verſare poſſe in animo ſuo fructuoſius, incolumitate priuata, communique plurium, quæ vt ſupponitur, eſt cum eius negotiatione, curaque coniuncta, quæ ei ergo aliter piacula adhæreſceret, ab huius finis præſtantia, etianeſcit omnis, ac tollitur.

Sæcularia ſane negotia, commerciaque, in Clerico ac Monacho, Moguntina Synodus, ſub Carolo magno approbat, quibus eſt à charitate communi, aut pietate in Deum, parentes, aut inopes initium: *Nec enim*, inquit can. 14. *negotium eſt contradicendum, propter neceſſitates diuerſas, quia legimus ſanctos Apoſtolos negotiaſſe & in Regula S. Benedicti præcipitur præuidere, per quorum manus, negotium Monaſterii tranſeat.*

Hancque cauſam eſſe exiſtimo, cur beneficiario, aut maioribus ordinibus initiato Clerico, dicere interdum, ac perorare in foro, contra iura Canonum liceat, nam quę ſunt à natura cuique inſita, hæc tolli humana lege nequeunt, at ſingulos bene informata ratio admonet, ne ſe in periculo, aut amicos oppreſſos deſerant, quod ergo prohibetur

Clerico maiorum ordinum, & beneficiario, ne cauſæ ciuilis patrocinium in foro ſuſcipiant, intelligendum eſt Patrum teſtimonio in Moguntino Concil. can. 14. *exemptadefenſione orphanorum aut viduarum.*

Tertia pœna nundinatoris Clerici, in eo eſt quod bonorum ſuorum immunitatem amittat, ſi ter à ſuo ordinario admonitus modum auaritiæ ſuæ non ponit: Gloſſa & Panormitan. in caput poſtremum de vita & honeſtate Clericorum, vtrum autem vna admonitio, quæ inſtar ſit trium ſit ſatis, an negotiantem Monachum aut Clericum, ter diſtinctis interuallis temporum, admoneri oporteat à ſuo ordinario, res eſt opinionum varietate ambigua.

Vnicam tantum poſtulant Roſella verbo excommunicatio 2. num. 3. Angelus verbo Clericus 9. num. 3.

Sentiendum cum Panormitano & Immola in cap. vltim. de vita & honeſtate Clericorum, Nauarro Enchiridij cap. 27. num. 80. & 81. ita tres diſtinctas neceſſario exigi, eaſque eiuſmodi, vt inter earum vnam, & alteram intercedant dies aliqui, vt Clericus negotiationi deditus, ante illas, ne quidem in bonis in quibus mercaturam exercet, priuilegium immunitatis amittat. Multo minus ei perire priuilegium immunitatis in bonis Eccleſiæ eſt credendum, nam ſit tantum in Canone eorum bonorum mentio, quæ ſunt negotiantis Clerici propria, cuiuſmodi non eſſe bona Eccleſiæ, vt ipſe non dicam, res ipſa de ſe loquitur. Deinde delictum Clerici nocere non debet Eccleſiæ, faceret vero haud dubie, ſi quia mercaturam exercet, bona Eccleſiaſtica tributis eſſent obnoxia, ſi vectigales agri & noualia, ergo negotiantis Clerici bona non alia quam quæ in eius ciuili patrimonio cenſentur, priuilegium immunitatis perdunt.

Quarto, qui Clerici negotiationi ſeruiunt, priuantur fori priuilegio, Sylu. verbo excommunicatio 6. num. 6. haberque ſuæ ſententiæ comitem, Renatum Choppinum de ſacra politia lib. 2. tit. 1. num. 18. vbi ex Ioanne Gallo recitat Senatum anno 1388. ſummouiſſe foro Pontificio Clericum, à quo ſuſcepta erat adminiſtratio, Clericorum dignitati graduique contraria. Tabiena in verbo Clericus 3. num. 2. & Roſella in verbo excommunicatio 2. eum tantum priuilegio immunitatis in ſuis bonis ſpoliari aiunt, retinere autem ſemper priuilegium fori, Canonis autem tum maximè, cum in habitu & Tonſura res negotiaque contrahit, & mercaturam agit.

A tuque vindicant, ſed & inſtrumenta quoque contractuum, debitorum nomina, rerum, ac negotiorum teſtimonia, in quibus fortunæ priuatorum verſantur. Budæus in forenſibus in legem ſi mihi mœnia ff. de legat. 3.

De hoc ergo hominum genere, qui operam ſuam indigentibus ad res, negotiaque, manu non tam ſua, ſcriptiſque firmanda, quam authoritate publica, ac Principis, cuius ſunt in hac parte cooperatores ac coadiuuæ, quæritur: ecquid habere inter Clericos locum poſſint, aut hi illorum defungi munere.

Dico primo, *Clerico, maiorum ordinum aut beneficiario, fas non eſſe, Tabellionem in foro ciuili agere.*

B Primo, quia id illi per Canones interdicitur in rubrica ne Clerici vel Monachi cap. 8. ſic enim ibi Innoc. III. *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis, Tabellionatus officium, per beneficiorum ſubſtractionem, appellatione poſtpoſita interdicas.*

Secundo quia per quam eſt ab honore Dei cui Clericus operam ſuam addictam habet in ſacro miniſterio, & à perſonæ maieſtate quam in Eccleſia ſuſtinet alienum, profanis eum diſtineri negotijs, in ijs ætatem terere, his ſeruire, quibus in templis ac ſacro tribunali animæ, Dei principis voluntate ius dicit, vt de antiquo iure præſulum nihil dicam, quibus erat olim noſtris legibus id eſt Gallicis, ciuilium litium cognitio, diiudicatioque, promiſcue tam inter profanos quam ſacros homines permiſſa, Fabro teſte in 6 primum inſtitut. de Attiliano tutore, quæ eis eſt adempta an. 1539. Chop. teſte de polit. lib. 2. tit. 1. num. 16.

C Fecere ergo prudentiſſimè Epiſcopi cum in Concil. Mogunt. ſicut refertur in cap. multa ne Clerici vel Monachi, officia omnia ſæcularia, comparata ad laicorum obſequium, prohibita eſſe voluere Clerico, ad quæ ſi contra imperium Canonum appellat animum, maxime ad Notariatum laicum, peccat contra obedientiam, & Religionem in re graui, cum interſit boni publici, Clericos ad hæc ſe tam abiecta, viliaque miniſteria non demittere.

D De peccati genere ſcire ſi aues, reſpondebit Graſſius mortale eſſe, cuius opinioni accedere mihi non eſt facile, ob hanc maxime cauſam, quod etſi profeſſione talis artis, violetur præceptū Eccleſiæ, non tamen tale quod ad mortale obliget; quid ita vero? nempe quia non eſt de graui materia, ſeu de re, quæ grauem Dei, vel proximi iniuriam coniunctam habet, aut proprium operātis incommodum; nam etſi Tabellionatus, frequentes caſus habeat, pericula grauia, ſcandala non modica, ſuper omnia virtualem ac tacitum ſtatus Clericalis contemptum, ac Dei, cuius interminata in omni genere virtus, ac potentia, id à Clerico exigunt, totum ei vt ſe dedat, nullum illi in cultu honoreque ſocium

E adiiciat, eſt id tamen per accidens, & non ex natura officij, quare ſi adhibeatur opera, vt hæc tam pericula, quàm incommoda in hac defungenda Tabellionatus prouincia vitentur, ei vacare non erit lethale.

Dico ſecundò, *Clericum in ſpiritualibus eſſe poſſe Tabellionem ſeu Notarium.*

Primo, quia dantur Notarij à Pontifice Epiſcopis, quos Apoſtolicos nominant.

Secundo, eſt Tabellio idem ſæpe quod actuarius, ſeu vt latinæ linguæ parum periti aiunt Gra-

QVÆSTIO XVIII.

An Clerico officium Tabellionis exercere in vrbe liceat.

EST Tabellio ſecundum Rebuffum in legem 14. tituli de verborum ſignificatione idem qui antiquis Notarius: lege moris 4. ſolet ff. de pœnis, nomen ei factum à tabulis, quibus ſcribēdis præeſt, quemadmodum & tabulario, qui locus eſt, in quo acta publica, tabulæque id eſt litteræ, è quibus argumenta, fideſque rerum quæ ſunt controuerſæ ac ambiguæ peti debent cum eſt neceſſe, ſedandis litibus, inter familias, & ita litterarum hic nomine, intelligimus non documenta modo, litteris Tabellionis exarata, quæ rem communem, à caſu, interi-

Digitized by Google

pharius, Fabric. in Theoria tract. de variis adminiſtrationib. num. 42. at habet Eccleſia eiuſmodi quamplurimos, & primo quidem ſcribit Forgetus de perſonis Eccleſiaſtic. cap. 2. eorum numerum ſtatum non eſſe, ſed in Epiſcoporum iure eſſe, creare ſibi nouos recenteſque, quoties & quam ſæpe eſt placitum, & ita vilum Senatui Rothomagenſi à quo anno 1604. Mart. 19. dicta eſt ſententia in Eccleſiaſticæ Curiæ Notarios, in cauſa appellationis per eos interpoſitæ à creatione noui Actuarij ſeu Graphiarij pro eadem Eccleſiæ Curia, dictumque ab eodem, Epiſcopi eſſe, vt moderari forum ſuum, ita & eius miniſtros minuere vel augere.

Tertio, eſt pro aſſertionis fide Gregorij I. teſtimonium, cauſa quinta q. 1. can. quidã ſecundo, vbi Notario ſuo ac reſponſali factas iniurias, anathemate vindicat, quod non faceret ſi Epiſcopi Tabellionem eſſe, ſcelus eſſet.

Deinde quis non videt pertinere ad maieſtatem Eccleſiæ, quod eam turba miniſtrorum ſpecie ſua, conſilioque fulciat? quos gradus, vitæque ſuæ ratio, à vulgi conſuetudine, populique more remota, peculiariter ei facit obnoxios?

Dico tertio, *Notarium Apoſtolicum, ab Epiſcopo creari poſſe*, quem tamen Scriptores noſtri conuentorum fidem inter partes, apud nos in Regio foro non facere aiunt, quod ſcribis Pontificijs in Gallia, non aliud relictum ſit argumentum ad ſcribendum, nulla excipiendi contractus alterius poteſtas, quam qui eſt de re Eccleſiaſtica inter viros Eccleſiæ, ipſo vitæ genere, ac initiatione ſacros, Faber in legem ſecundam codice de donat, quem vſum lege Regia fulciri, lata à Philippo 4. anno 1312. ſcribit Choppinus lib. de polit. ſacra 2. tit. 1 num. 17.

Quare etſi de iure communi ſecundum Iaſon. Conſil. 168. Rebuff. tomo 1. Regiarum conſtitutionum tract. de litteris obligatorijs art. 2. Gloſſam vnicam, Notarij Apoſtolici vim vbique terrarum habeant, firmandi contractus cuiuſquemodi, fidem tamen in Francia non faciunt conuentioni de re ciuili, à ſe perſcriptæ, decreto Curiæ anni 1317. & 1392. vt in eius ſtylo narrat Aufrerius, arreſto 127. cum Rebuffo in conſtitutionibus loco memorato num. 41. ſuntque eorum inſtrumenta omnia procuratoria, appellatoria, probatoria, nullius momẽti, ac vt talia ſolent in foro profano, ac ciuili reijci. Idem de ſacra polit. l. 2. tit. 1. n. 17. niſi cum ad manum Notarij, accedit etiam de eadem re fides contrahentium, eorundem munita ſigillo, ac manu, tunc enim fas eſt eorum alteri, contra alterum niti ope magis, beneficioque ſuæ fidei, teſtatæ litteris exaratis manu ſua, quam Notarij, quę cum ab iſto pure ſunt factę ac ſimpliciter, ijs agere ac pignerari creditor non poteſt, quod forenſi vocabulo dicitur, *exequi & garnire manum*.

Habent & Notarij Apoſtolici, vim faciendæ fidei, per inſtrumenta à ſe exarata, cum iurarunt in verba Regis, ab eoque ſunt inter actuarios & Tabelliones regni ad effectum hunc admiſſi, omni autem tempore, niſi quid eos ab hoc munere auocet, Clericos in poſſeſſionem beneficii eis collati inducere poſſunt, non autem Regii.

Primo, quia non ſunt ad hoc Notarii, ſed tanquam priuati, Rebuff. in praxi par. 1. rubrica de miſſione in poſſeſſ. n. 2.

Secundo, quia hæc eis prouincia per collatores non committitur ſed Clericis ſolis.

Tertio, quia ſpiritualia eis negotia interdicta ſunt omni iure, Canonico autem præ cæteris cap. decernimus de iudiciis. Poſſet tamen regius Notarius, teſtari, prouiſum de beneficio in poſſeſſionem eius veniſſe, Presbyteri opera, à quo in eam inductus eſſet, rataque foret tam poſſeſſio, quam Notarii teſtificatio, quia de his quæ in eius oculis, coramque fiunt teſtari poteſt, cap. cum P. Tabellio de fide inſtrument. Rebuff. de litteris obligatoriis art. 2. Gloſſa 1. tomo conſtitutionum regiarum primo.

QVÆSTIO XIX.

An Clericus medicinam profiteri queat.

ESt ars ſanandorum corporum vtilis non modo, ſed ad vitæ quoque ſuauitatẽ ac commoda, neceſſaria, eius partes ſunt duæ, altera media amplectitur, quę faciunt ad ſalutem corporum, eaque exequitur vt Chirurgia. Altera ea præſtituit vt Medicina, de vtraque quæritur, ecquid ſit Clerico licita; ecquid permiſſa beneficiario?

Dico primo, *Clericis, per ſe, ac ſpecialiter inhibitum non eſſe facilitare vtramque artem, modo ne in curando adoſtionem & inciſionem adhibeant, ſintque eius artis periti, cuius ſcientiam præ ſe ferunt.*

Primo, quia res de ſe eſt plena laudis, plena commendationis ac meriti, quid enim charitate in inopes miſeroſque prædicabilius?

Secundo, quia peritia periculum nocendi adimit, curatio autem ſine flamma ferroque, mitis ac benigna, proindeque crudelitatis ac barbariæ noſcia, ſtatui Clericorum non eſt inhonora, ac fœda, quæ duæ rationes cum abſunt, vt eſt corporum tractatio, illis turpis, ac vetita, ſic cum pro ijs ambæ faciunt, honeſta eſt, ac prę ſe ferenda, ſecundum Felinum in cap. tua nos, ne Clerici vel Monachi, vbi ait ita ſeruari Romæ ac alibi, Pontifice non ſciente modo, ſed & approbante.

Dico ſecundo, *aliunde tamen eſſe has artes Clerico non tractandas.*

Primo quia curis alienis à tempore, ac honore numinis animum auocant,

Secundo quia de numero ſunt officiorum, quæ quia ſunt ſæcularia, prohibita ſunt Clericis, & beneficiarijs cap. multa ne Clerici, vel Monachi, niſi quo forte tempore ea exerceri pietas imperat, nam tunc laicorum proprie non ſunt munera, ſæculariaq; officia, ſed charitatis ac miſericordiæ opera, Stephanus de Auila 7. parte de Cenſuris diſp. 6. ſect. 1. dub. 10. quæ nullo non tẽpore ſunt honeſta, ac præ ſe cuique ferenda: Angelus verbo medicus num. 11. Tabiena num. 4. Nau. Enchir. cap. 25. nu. 111. § 24. Henriquez de irregularitate cap. 11. num. 1. in Gloſſa litera F.

Tertio, quia eſt Medicinæ profeſſio in multis cõiuncta cum inferendæ necis periculo, & proinde indigna cuius ſtudioſis cõferatur ſacer ordo, vt patet ex decret. 7. Clem. VII. de ætate & qualit. vbi hic Pontifex medico cuidam prohibet, ne ad maiores ordines gradum faciat.

Dico tertio, *etſi ſit maiorum ordinum Clericus irregularis, cum mors ſectionem membri ſequitur, aut eius curationem, non tamen cum id deficit, eſtque ipſe aliunde, curandorum corporum peritus & capax.*

Pars prima habetur expreſſe cap. tua nos 19. de homicidio vbi Innocentius III. ad quæſtionem ſi-

bi factã de Religioso Sacerdote ac Monacho, qui mulieri tumorem gutturis ferro aperuerat, quo ex vulnere, nulla eius culpa, mors erat secuuta, respondet in hæc verba *Quod licet Monachus, multum deliquerit alienum officium vsurpando, quod sibi minime congruebat, si tamen pietatis causa, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium eius accidit, adeo reprobandus, quod non possit satisfactionem condignam, cum eo misericorditer agi possit. vt diuina valeat celebrare, alioqui interdicenda est ei Sacerdotalis ordinis exequutio.*

Secunda probatur non alia membri sectio, irregularitatem infert, quam quæ ordinatur ad totius aut partis interitum, testimonio Stephan de Auila loco proxime cit. at hæc, cuius sunt authores Chirurgus, & Medicus non est eiusmodi, cum valetudinem corporis quærat, ac salutem ægri: ergo sectione membri facienda, aut iubenda, irregulares censeri non debent Medicus & Chirurgus.

Confirmatur nõest membrorum sectio, adustioque irregularitati nexa, nisi quia de se est mala, aut periculosa natura sua, at asseri primum nequit sine fœdo, turpique mendacio, secundum autem, & si veri speciem habeat, discutitur tamen hæc omnis periculi alea, tam Chirurgi scientia, quam adhibita per eum diligentia, ne ex opere cui incumbit, in damnum ægri, quid redundet, pœna ergo propria sontium, quæ est irregularitas mulctari non debet.

Ad peritiam quod attinet, erit hæc in Medico, qualis esse debet, si ægritudinis causas, eiusque curandæ modum intelligat, ad causas spectat nosse, vnde infirmitas trahat originem, in quo sit statu, quæ eius sit causa, an sit curabilis Rebuff. in commentar. ad Concord. rubrica de collationibus parag. præterea: Et si modum, intelligat si quantitatem medicinæ, qualitatem, tempus, & ordinem Butrius in consultore, ita si hæc plenè medico perspecta erunt, censebitur assecutus esse peritiam ad exercitium artis suę necessariam.

QVÆSTIO XX.

An Clerico venari, aucupari & piscari liceat.

VEnari, piscari, aucupari, res sunt eiusmodi quæ natura sua, bene ac male fieri possunt, nam quis Principem peccati arguat, qui fallendi causa otij, post propitiatum magna religione Deum in sacro, horas aliquot dat venationi, non feriato die, in proprio suoque aliquo saltu? quis aucupium damnet, humanum omnino, innocensque opus? quis ab herboso viridique littore, in summa præterfluentis amnis vnda ludentium piscium, iucundam ac insontem turmam, hamo aut retibus captasse? his enim oblectamentis capi est vtilius, quam inanibus ac tantum non impuris sermonibus, quos tamen vitare otiosæ plebi, in compitis difficile. Næ ergo errare, labique eos est credibile, qui venationem omnibus, ac quolibet tempore volunt interdictam esse, nam si de tempore agitur, non aliud esse à venatione liberum debet, per Canones, quam ieiunij publici, aut festorum, can. an putatis 13. dist. 86. quanquam nec illo ipso tendere retia, prohibitum, cum ab ea occupatione, non est rei diuinæ aut abstinentiæ Ecclesiasticæ, futurum vllum impedimentum, testis can. proxime citatus in hæc verba: *An putatis illum ieiunare fratres, qui prime diluculo, non ad Ecclesiam vigilat, non Beator. SS. Martyrum loca perquirit, sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus sylusque perlustrat?* Enimuero cum insidias feris tendere ideo sit homini culpabile, quod factum diluculo, nimium quantum, eius mentem à religioso Dei cultu auocet, reiectum sane in diei extremam partem, aut mediã culpa carebit ac vitio. Est tamen, à personarum, locique conditione, aut peccandi periculo sæpe vitiosa venatio, periculo quidem, quia ei se exponere vltro ac sponte, peccatum est lethale, loco autem, quia abire ab imperio principis prudenti ac iusto, semper est illaudabile, at suos sibi saltus habent principes, eosque legibus suis clausos cæteris omnibus volũt, quam sibi, ac familiæ: ergo in iis feras insequi malum est, ac turpe. An autem eas restitui oporteat cum sunt captæ, explicare non est præsentis negotij. Affirmantem tenent aliqui vt Malder. Comm. in 2. 2. tract 1. cap. 6. dub. 7. Negantem Medina Cod. de restit. quæst. 12. Less. lib. 2. cap. 5. dub. 9. n. 43.

Dico primò, *A capiente feram in loco obsepto manibus, vnde facile non erat ei effugium, restituendum aliquid esse vero Domino, minus tamen quam fera ipsa æstimatur.*

Prima pars probatur, qui venatur in alieno fundo, feram contra voluntatem Domini, facit ei iniuriam, cum quod ipsius est, in suum commodum conuertat, eoque inuito rationabiliter, ergo cum obligatione restitutionis faciendæ.

Confirm. qui è lacu pisces alienos surripit, peccat haud dubie, cum restituendi onere, cuius rei hæc videtur esse causa sola, quod de Domini manibus subtrahere se pisces, cum nequeant, ei videantur acquisiti, at quæ piscium, eadem est quoque ratio ferarum, quibus, refractis horti claustris aut saltus, vbi detinentur, foras erumpere in libertatem non est licitum, quid enim est vero propius, quam eas aliquando in Domini potestatem venturas?

Pars assertionis altera, iam probatur, quæ non sunt nisi in spe, tanti non valent, quanti cum extant, ac in se possidentur, at fera non est Domini, nisi quia speratur propediem futura eius, quam spem tamen fallere, multa possunt; vt fulminum ictus fortuiti, casus aut morbi, à quibus multum de iusto rei precio detrahi, nemo non intelligit.

Dico secundò, *Seclusa damno plusquam mediocri, mortalem non esse culpam in iis venari saltibus quos pœna proposita sibi ad voluptatem sepositos esse voluere Principes:* Ita Less. lib. 2. cap. 5. dub. 9. nu. 44. Medin. ante citatus, ratio est, quod seclusa grandi damno (quale vix contingit cum sylvæ sunt omnibus communes ac pernæ) præceptum de non venando in iis locis, sit leue, cum parui ad incolumitatem publicam referat, feram seruari, ac incolumem saluamque relinqui. Deinde quis existimet, Principem velle suas sibi delicias, inanes illas quidem ac leues, subsistere ac constare, alienæ salutis, id est subditorum suorum periculo? Ergo cum à voluntate sancientis Principis, vim suam sibi lex vindicet, omnis est honesta ratio existimandi singulis, non peccare mortaliter, qui armata manu in sylvam penetrat, immunitate principis sanctam, nullique in rebus suis, ferisque quas alit, tangendam.

Dico tertiò, *Communiter à restitutione liberum esse, qui contra leges principis, in sylvas irrupit, suis*

Digitized by Google

aut alienis vſibus nominatim addictam, è quaſibi, amiciſque feras ſuſtulit vnam, aut plures, modo ne ea ſylua clauſa eſſet, effugioque animantium, quas continet imperuia.

Primo, quia cum hæ ſint nullius, occupanti debent attribui, nec enim fructus ſunt ſoli, vtpote non inſiti, nec cum eo neceſſario coniuncti, niſi eas vti fungos, ex vbere fœcundaque gleba temere quis naſci dicat, quo quid ſtultius?

Secundo, cum ſua ſtet pœna inobedientibus, voluntate principis, quam pecuniariam tantum eſſe conuenit, cum culpa leuis (qualem eſſe diximus principi non parere in hoc genere) capite plecti aut corporis diminutione non debeat, ſed opum tantum, non eſt probabile, Principem velle ad B hanc mulctam, accedere & aliam, à reſtitutione feræ petitam, ergo eius faciendæ nulla obligatio.

Iam de perſonæ circunſtantia diſputandum eſt, ab eaque venationi malitia moralis, an adueniat, veſtigandum.

Partem affirmantem tenet Regin. lib. 30. tract. 3. cap. 2. n. 19.

Negantem Syueſt. verbo venatio Medin. Cod. de reſtit. q. 12. Leſſ. dub. 9. cap. 5. res diſtinctione explicanda.

Dico ergo quartò, *Si erit ad venationem armorum vſus neceſſarius, ſi clamor ad ciendas feras è ſuis latibulis, ſi non ſine periculo expectabuntur in inſidiis, vt apri, vt cerui, quos ad retia hærentes, occidere venabulis eſt neceſſe, erit eiuſmodi venatio interdicta Clericis*: Ita intelligendi can. 1. de Clerico venatore can. 1. eiuſdem tituli ne Clerici vel Monachi can. qui venatoribus 9. can. vident 10. can. Eſau 11. diſtinct. 86. Probaturque ſi cum armis ingredi, ſi tubas ciere, ſi vociferari, perſonam Clericorum dedecent, honeſtam ac grauem, in ea illos incumbere opera, vitioſum erit, ac turpe, nec enim ſibi tantum, ſed & aliis ſapere debent, quos exemplo ſuo, ad ſtudia virtutum incitari ſeruator voluit, Matth. 5. ſic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, quæ tamen reprimi, ac iniecta velut aqua deſuper, refrigeſcere eſt neceſſe, cum ſunt Clerici, Laicorum ſimiles, ad omnem petulantiam effuſi, at quid illis leuius eſſe poteſt qui confuſis ſolum paſſibus, aera inconditis feriunt clamoribus? ſe autem belluarum veſaniæ, cæciſque furoribus obtrudunt interdũ laniãdos? quæ cum omnia Clerici faciãt, venationibus occupati ſaltuoſis, ac clamoſis, in iis ſine ſcelere videntur verſari non poſſe, vt ante eſt explicatum.

Dico quintò, *Clericis omnibus permiſſum eſſe aucupari, ac venari modo ne continuo id fiat, in eamque rem adhibere retia, plagas, laqueos canesque non multos. tam animi cauſa ac honeſtæ recreationis, quam neceſſitatis, vt irritandæ famis gratia, exercitiique capiendi venando*: ita citati authores pro ſecunda ſententia, ratio eſt, quod quæ natura ſua ſunt adiaphora, id eſt nec bona nec mala natura ſuâ, vt mala acceſſu circunſtãtiæ malæ, ſunt mala, ita bona bonę, venari res eſt indifferens, cuius in Clerico finis eſt honeſta recreatio, aut virium, quæ elanguere vi ſtudiorum, aut morbi reparatio, nec alia ei aduenit circunſtantia, ratione cuius dici poſſit prohibita, cum cap. 1. de Clerico venatore, non alia damnetur, quam quæ magno fit armorum canumque ſtrepitu, quare non videntur peccare mortaliter Clerici, cum venantur, & ad id accipitrem aut falconem, vel canes aliquot vt tres aut quatuor adhibent, eoque tempore, quo propter factam meſſem, euertendarum ſegetum, aut vindemiæ, nullum A eſt periculum.

QVÆSTIO XXI.

An ad theatra ſpectanda, quæ ab aduenis incoliſque, dantur ocioſo populo, coire poſſint Clerici.

DVbitãdi cauſæ duæ, Prima, quod fabulis, quæ fiunt in ſcena, ſint interſperſi ſales, ac ioci petulantes ac laſciui, qui auditi ſæpe nequeunt ſine voluptatis impurę ſenſu. Placent enim primo alienæ fœditates, paulo poſt atroces ad eas ſentiuntur ſtimuli, ſcintillæ ſuſcitantur, ignis medullas exedit, impura ſcelera cogitãtur, ſomniantur, appetuntur. Quare cum non modo peccata ſed & eorum pericula probo cuique ſint vitanda, Clerico fugiendus eſt hic ſcopulus ſi ſe, ac ſalutem ſuã ſaluam cupit.

Secunda cum hiſtrionia, Eccleſiæ ſit exoſa vſque eo, vt qui illam factitent, domi, nullius ſint rei ac nominis, foris autem infames, non videntur omnis exortes eſſe culpæ, qui eius perpetuandæ voluntatẽ Mimis, ſua in audiendo patientia inijciũt nam cui eſt dubium frigere artes, tacere circos, elinguia theatra eſſe, cum auditoribus vacua ſunt ſubſellia? quod ſi hiſtrioni accreſcit à ſpectatore animus, vt illum ita & hunc violatæ caſtimoniæ reum C eſſe eſt neceſſe, cum quæ vitia quis non impedit, vt debebat ac poterat, hæc eadem illum facere, ac in illa inſontem impellere, communis ſit ſenſus.

Dico primo, *Comœdijs intereſſe, has ſpectare, bis capi, malum de ſe ac natura ſua nõ eſſe*: quia vacare hæ poſſunt ſcelere, carere turpitudine, ergo & audiri ſine peccati vlla labe, Anteced. eſt certum, cum quæ à viris ſanctis geſta ſunt olim, hæc in theatrum efferri, ac populum vniuerſum tenere, honeſte poſſint, conſequentia probatur quæ geri, quæ dici, liciteque poſſunt agi, hæc auribus excipi cum D laude ac prudentet quin valeant, vix eſſe exiſtimo qui negatum ibit, at ex hypotheſi, maiorum facta, dari populo in ſcena poſſunt, ergo & audiri.

Dico ſecundo, *Audire comœdias, videre ſcenas, lethale eſſe, cum periculum habent, ciendæ libidinis, in appetentia*: quis enim neſcit motus impuros illecebroſæ veneris in membris, authori ſuo verti culpæ, cum quæruntur, cum probantur, cum ex cauſa acceſſuntur non neceſſaria? at theatra ſunt eiuſmodi, cum non ſolum dicant, & oſtendant turpia, ſed etiam doceant, & oſtentent, oratione ad nequitiam elaborata, ita explicare non eſt facile inquit, B. Valerianus Cimelenſis Epiſcopus, hom. 6. quam periculoſos laqueos exhibeant mimicæ E ſtudia voluptatis, nam ſi aliquis humani poſſet pectoris ſecreta perquirere, inueniret ad ſingulos ſonos fiſtulæ, corda infelicium ſuſpirare. Replicatur enim inquit, Cypr. epiſtola 5. lib. 1. ad Demetrium, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando eſt commiſſum, admonetur ætas omnis, auditu fieri poſſe, quod factum eſt, nunquam æui ſenio, delicta moriuntur, exempla fiunt, quæ eſſe iam facinora deſiterunt, adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica. Quare exclamare liceat, cum eodem tract. de ſpectacul. inter hæc, quid Chriſtianus fi-

Digitized by Google

delis facit, cui vitia non licet nec cogitare, quid oblectatur simulachris libidinis, vt in ipsis, depositа verecundia, audacior fiat ad crimina? discit facere, dum consuescit videre. A

Dico tertiò, *Malum item esse propter scandalum, augere numerum in theatro, scenaque spectantium*, causa euidens, quia actio quæ aliter de se ac natura sua esset bona, fit à scandali circunstantia vitiosa, cum sit caritatis ac prudentiæ, hunc in agendo seruare modum, qui exitialis sit nemini, eaque in vita fugere, vnde alius ruinæ, exitiique sumet principium. Generant vero hoc scandalum, Clerici, Religiosi, Monachi, cum immixti plebi, theatrum comicum spectant, nec enim est, cui non sit mirabile, bonum otium, nugis audiendis eos conterere, quos propriæ vitæ instituto, propitiando Deo fidelibus, vacare est necesse. Quid? quod hoc illis sit prohibitum can. non oportet de consecrat. distinct. 5. & cap. Clerici 2. de vita & honestate.

Dico quartò, *Si metus nullus est obscœnitatis in sensu, nullus libidinis, aut peccati alterius admittendi in voluntate, spectare comœdias peccatum non esse plusquam veniale.* Ratio est, quod vbi absunt hæc pericula, præter curiositatis malum, nihil habere soleat Comœdiarum auditio, quod de vitio lethifero damnari debeat.

Non verborum fœditas, non orationis turpitudo, cum ei aures dare citra consensum, aut eius periculum in rem malam, lethale non sit malum, ex Caiet. 2 2. q. 148. ar. 6. Regin. to. 2. l. 22. cap. 1. sect. 4. nu. 8. Nau. Enchir. 14. nu. 42. & cap. 16. num. 11. Less. de impudicitia dub. 8. Causa est, quod deformitatem castimoniæ valdè contrariam non habeat, orationis obscœnitas, languidius enim animum audita feriunt, quam visa.

Secundo, cum verba, nostrorum sint signa conceptuum, in tantũ vitiosa sunt censenda, in quantum sunt hi, illaudabiles, ac damnandi, at conceptus, de re impura, seu fœda cogitatio, non est, extra periculum consensus in illam, aut motiuum illecebrosum, mala mortaliter, ergo nec verborum auditio.

Nec habent secundo, Comœdiæ, vt piaculare sit ac mortale illis interesse, à studio videndi, audiendi, sciendi, nam actio, suo non est motiuo tetrior, peiorque, at curiositas, quę isti dat operi initium, venialis est tantum, non mortalis, ergo

Ad argumenta allata facilis est respõsio, vbi enim periclitatur in Comœdiis honestas, vbi virtus, ab iis declinandũ est cuique, vt à scopulo, ad quem aliter animæ, honorisque certum facturus videtur esse naufragium. Itaque primum nihil nostris rationibus incommodat, nihil sententiæ vt ex dictis intelligere cuique facile. Ad secundum dicendum, histrionum malitiæ non cooperari, qui aures & oculos iis accommodant, ecquid enim est alienæ cooperari improbitati? ecquid culpæ? id in ratione vitæ sequi, quod cum turpe sit, ac indignum homine, impedire debeas & possis, at fabulas dare populo, eius oculos ac animum tenere pleno foro, res de se est eiusmodi quæ fieri honeste possit, ac sine scelere, & quanquam turpis esset ac mala quis existimet Clerico, aut alteri de populo, ei occurrendum esse sub peccato? quis Mimo, quis histrioni, à me meique similibus nullius nominis ac rei, silentium indicendum? non est ergo in theatri scenarumque spectatore quidquam, à quo theatricorum administer, ac cooperator, dici cum causa possit.

QVÆSTIO XXII.

An Clerico beneficiario liceat de beneficij sui fructibus aliquid tutori dare.

QVæ ad enodandam quæstionem videntur esse necessaria, explebo propositionibus aliquot.

Prima propositio, *Extare pupilli in tutorem amoris pignus per donationem nullum potest in Gallia, Francisci primi lege regia, ad ann. 1539. emulgata eius authoritate in Curia*, quia paucis cognita, è re communi futura videtur, eam hic illis verbis, quibus est concepta, inferere, sic ergo ille: *Nous declarons toutes dispositions d'entre vifs ou testamentaires qui seront cy apres faites par les donateurs ou testateurs au profit de leurs tuteurs, curateurs, gardiens, Baillistres, & autres leurs administrateurs estre nulles de nul effect & valeur.* Nam disponere, est de re sua statuere, ad arbitrium tam per testamentum, vt probat Rebuff. Comment. suis in leg. 150. tit. de verborum signific. §. disponere, quam aliter, vt per donationem, cum per eam, res positionem aliam habeat, situmque vt sic dicam, in manibus donatarij, quam autem id prudenter à Rege sit factum vel hinc patet: primo, quod vt sunt puerorum, in omnem partem, animi flecti faciles, maxime cum ad eorum ætatem teneram, accedit metus, nescio quis reuerentiæ, ac honoris plenus, quo maiores natu, ac maxime tutores prosequuntur, breui suam omnem substantiam perditum irent, suis exhausti liberalitatibus, quo quid absurdius? quam enim parum est probabile, & hos modum suæ cupiditati posituros, & illos animi habituros tantum, quanto opus est, ad postulata non facienda tutorum, quorum in se authoritatem, paternæ æqualem, esse non ambigunt. B C

Secundo, cum ad largitiones effusas, prona sit natura adolescentum, vt qui illiusmodi artibus, viam sibi munire ad amorem hominum appetant, ac audire liberales apud omnes, castigari hunc impetum est necesse, ac aliena authoritate, quasi reducta manu vagantem reprimi, ob quam causam, ex parte pupillis recti adhuc insciis, tutores assignantur, at si esset, in tutorum potestate, pupillorum admittere munera fieret hæc eorum indoles, eiusmodi donationibus, corroboratior, nec honeste pupillorum beneficentiam, quam in se approbant, impeditum irent factam aliis. D

Secunda propositio, *Contrahere cum pupillo, ac ab eo emere, quod iudicis authoritate, de eius rebus, venale prostat, ad subsidia familiæ, tutori per hanc legem non est inhibitum*, quia tam lex pœnalis, quam eius verba stricte sunt ac propriè vsurpanda, sunt enim fauores diducendi, vt habet commune iuris axioma, restringenda odia can. odia & can. pœnæ de regulis iuris, at est hæc Francisci lex Regia pœnalis, cum instar supplicij habeat, quod à pupillo, dona recipere tutor nequeat, constatque, eandem non esse huic voci, *Donateurs ou testateurs*, subiectam potestatem, ac verbo emendi. ergo sunt emptio, contractusque reliqui, excluſi hac lege, proindeque rem, & negotia pupillo cũm tutore suo contrahere, extra testamentum & donationem est licitum. E

Tertia

Tertia propoſitio, *Facta tutoris filio, filiaue, à pupillo donatio tenet.* Eſt contra Rebuff. Conſtit. Regiar. tom. 2. tract. de donationibus & aliis diſpoſitionibus art. 1. Gloſſ. 5. & probatur quæ lex perſonam denotat, in hæreditatem admittendam, aut ea priuandam, extendenda non eſt ad aliam lib. 1. ff. de Conſtitut. Princip. at tutoris, & non liberorum eius, in regia ſua lege, meminit Franciſcus ergo ad illum, non ad hos, pertinet incapacitas recipiendæ rei per tutorem donatæ.

Secundo, vbi verba non conueniunt nec conuenit diſpoſitio, lege 4. §. toties ff. de damno infecto, at tutorum nomine, non intelliguntur filij, vt patet, ergo nec in lege.

Tertio, non debet tutori, ſua caritas noxæ eſſe; alioqui tam propriis ſuis incommodis, quã liberorum abſterritus, ad pupilli curam, animum nonniſi inuitus appelleret, at tutori nimium quantum damnoſa forent Religioſa charitatis officia, quæ pupillo exhibet, ſi per ea excluderentur liberi, iure quod ineſt à natura ſingulis, promouendæ rei ſuæ, aliena beneficentia: de iis ergo nulla facta eſt in lege mentio.

Quarta propoſitio, *Non poteſt pupillus Clericus de bonis ſui beneficij, tutoris ſui liberis, quidquam dare, quod ſit loco gratiæ, ac compenſationis beneficij, ab eorum Patre, ſibi in rerum ſuarum procuratione collati.* Antequam probetur,

Notandum primo, Clerico licitũ eſſe compẽſare ſacris redditibus obſequia, munera & beneficia in ſe collata: Ita Nauarr. in apologet. de redditibus Eccleſiaſticis quæſt. 1. monito, 82. num. 6. Molina de iuſtitia & iure tom. 1. diſp. 145. Reginald. lib. 30. tom. 2. tract. 2. num. 108. eſtque ex Gregor. Magno Epiſtolarum lib. 2. epiſt. 18. promptum, vbi ad Theodorum Conſiliarium, hæc ſcribit Eccleſiaſticis vtilitatibus deſudantes, Eccleſiaſtica dignũ eſt remuneratione gaudere, vt qui ſe voluntariis obſequiorum neceſſitatibus, ſponte ſubiiciunt, digne noſtris prouiſionibus conſolentur.

Notandum ſecundo, facere id eum quoque poſſe, etſi abunde è ciuili ſuo patrimonio habeat, vnde accepta diſſoluat, ac ex gratitudine debita alteri rependat: ita contra Comitolum li. reſponſion. 1. qu. 76. num. 2. probabiliter teneo cum Reginal. lib. 3. tract. 3. num. 108. nam ex ſacris obuentionibus petere Clericus poteſt, quicquid eſt ad decentem ſuam honeſtamque ſuſtentationem neceſſe, vt tract. de beneficiis oſtendimus, at ad eum pertinet, iuſta ac liberalis acceptorum remuneratio, cum enim lege gratitudinis, teneamur his obnoxij, qui aliqua nobis præſtitere officia, (nam eſt hæc vis beneficij, vt naturalem quandam obligationem pariat, in eo cui eſt tributum, vt eſt in lege ſed etſi de petition. hæred.) non eſt antidoralis donatio, proprie cenſenda donatio, ſed debiti perſolutio: at eſt in poteſtate Clerici, contracta à ſe nomina, tempore quo gradum habuit in Eccleſia ac beneficium poſſedit expungere eo bonorum genere, quæ ſunt in Eccleſiaſtico eius patrimonio, quod ſane ex can. relatum 1. de teſtamentis §. licet, eſt perſpicuum. nam ibi dicitur Clericus beneficiarius, ad remuneranda ſeruorum, & amicorum obſequia, iiſdem aliquid dare poſſe.

Notandum vltimo, gratitudinem proprie nõ eſſe, niſi aduerſus eum, qui de nobis bene eſt meritus præſtatione alicuius beneficij. Cauſa eſt quod gratitudo debitũ reſpicit, cuius occaſione, aut par pari eſt reddendum, aut agendæ gratiæ, vel quid ſimile, benefactoris eſt faciendum nomine, at eſt propriè, huius ſolius debitor, qui nobis quaſi commodato, aut fœnori beneficium vtendum dedit, ergo gratitudo proprie non eſt erga alium, quam qui gratiam contulit, & Confirm. gratitudinis propria ſunt hæc munera, benefactorem agnoſcere, laudare, cultu proſequi, ac honore, ei debitas de dato gratias reddere, at hæc ignoto homini, aut de te, non ſatis bene merito, præſtare qui poſſis, non intelligo, nam ſi eius, in te nulla vnquam extitit caritas, quam honeſte ac vere eam efferes, quam prudentiæ congruenter ac conſentaneè, quaſi de accepto grates referes? Non eſt ergo gratitudo, aduerſus alium proprie, quam qui beneficium cõtulit, quibus ita præſuppoſitis, iam probatur aſſertio.

Beneficij redditus impendere Clericus nõ poteſt, niſi in res neceſſarias, ſubſidiũ pauperum, aut cõpenſationem acceptæ gratiæ, ab eo qui contulit, vt enim exhibendis officiis non producatur in recipiente obligatio ſitque ciuilis, naſcitur tamẽ antidoralis, quæ ad teſtificationem animi bene animati aduerſus eum inclinat, à quo beneficium profectũ creditur. Sed nihil eſt liberis tutoris ſuis à Clerico debitum, ſed ei tantum, cum quibus rebus, homo homini aſtringi conſueuit, hæ in illum ab eius liberis manare per ætatem, non potuerint: ergo de bonis ſui beneficij nihil illis compenſandæ gratiæ, quam eorum Patri debet, ob curata ſua negotia ſtrenue, dare ei eſt permiſſum.

Propoſitio quinta, *Etſi beneficis Eccleſiaſtici poſſeſſor, qui pupillus eſt, ac reſpectu bonorum, quæ ei in ciuili ſunt patrimonio tutori obnoxius, peccet cũ quæ in pios vſus collocari oportebat, hæc remunerandi cauſa effundit in eius liberos, nullo hos tamen reſtitutionis lege teneri eſt probabile.*

Pars prima, à nobis pluribus eſt firmata rationibus, tract. de beneficiis.

Secunda, autem hanc habet probationem, quod accepta ab eo, qui dare poteſt, non ſunt reſtituenda ſub culpa, at beneficiarius ſuorum eſt, id eſt ſacrorum reddituum Dominus, vt dicto tract. probauimus. ergo, &c.

Dices quæ donatio, lege ciuili aut Canonica, eſt illicita, hæc quoque eſt inualida, ſed non niſi cum culpa, fructus ſui beneficij, bonaque in vſus profanos impendit beneficiarius Clericus: ergo inualide: ergo ex parte recipiẽtis cum reſtitutionis onere. Maior eſt neganda, argumento eſt quod bona quæ minor, inconſulto Curatore abalienat, gratis ac libere, per contractum donationis, abalienet valide, in multorum ſententia probabili, cum eorum ſit Dominus, nec in eo legibus imperatoriis impediatur, verus effectus Dominij, qui eſt rei in alium tranſlatio, ſed tantum iuris priuatio, ad ea repetenda cum libuerit, quandoquidem Principum beneficio, gaudet priuilegio reſtitutionis in integrum. Et tamen, nemo eum peccare negauerit, cum ab eius abire conſiliis, qui illi eſt loco Patris, ſine ſcelere nequeat, ſapit id enim contemptum, ac deſpicientiam, quæ nunquam eſt à veniali minimum culpa abiuncta.

QVÆSTIO XXIII.

An Clericus beneficiarius bona sua omnia, Ecclesiæ, patre præterito legare possit.

CVm Sempronius superos sibi esse propitios in exitu vitæ cuperet, testamento bona sua omnia Ecclesiæ piisque causis diuidenda legat Patre præterito, qui solus ei hæres erat ab intestato, id ad eius aures cum veniisset, tum enimuero hic excandescere, queri, indignari mortuo filio, ac quod læsis, vbique promptum est, authoritate iudicis, legata ab eo occupare omnia, dum legitimam sibi ex iis debitam habeat.

Quæritur, iustane patris, in hoc genere videatur esse postulatio.

Notandum primo, in legatis ea duntaxat pia dici ac in pias causas erogata, quæ vel Dei, Sanctorumue honorem, aut animæ salutem intuentur: Ita Sylu legatum 4. quæst. 1. Angelus eodem tit. 2. qu. 1. Tab. eodem tit. 2. Nauar. Concil. tom. 1. iuxta secundam editionem de peculio Clericor. lib. 3. consil. 2. num. 2. Panorm. in cap. relatum 1. de testam. num. 8. dicuntur (inquit) relicta ad causas pias omnia quæ relinquuntur pro anima.

Notandum secundo, legitimam Iurisconsultis eam esse substantiæ paternæ portionem, quæ filiis, ex bonis est parentis debita, l. vnde si parens Cod. de inofficios. testamento, & quanquam sit hæc de iure ciuili introducta, fundamentum tamen habet in natura, Rebuffo teste tract. de recusationibus num. 7. est enim insita cuique, hæc eius lex, non esse Patri dimittendos suos liberos inanes, ac vacuos, ne minor eius in illos, quam alienos videatur esse caritas, quo nihil esse posset in rerum natura turpius.

Notandum tertio, vix de iusta quantitate, legitimæ inter authores certi quid statui, existimat Annæus rerum iudicatarum lib. 1. cap. 1. comprehendi eo nomine, quicquid patri aut filio, si hic aut ille intestati decederent dandum esset, & quia iure Romano pater inquit extincto filio & intestato, in omnibus succedebat, legitima ei debita æstimabatur ratione bonorum omnium. Hæc ille. Legitimam alij vt Sylvest. verbo legitima quæst. 1. & Guido Papa consil. 6. n 5. eã tertia bonorum parte definiunt, diuidenda inter liberos si tres sunt numero aut infra Media si plures tribus. Quæ sententia omnium est probabilissima, Nauarr. teste Enchir. cap. 15. num. 50. & cap. 17. num. 159. siquidem commune ius spectetur authentica nouissima & authentica vnde si parens, Cod. de in offic. testamento, non prouinciarum ac regionum proprių, nam nonnullibi media, alibi 5. bonorū paternorum pars legitimæ rationē induit, ex eodem ibi. Vt vt sit de quantitate legitimæ, est hoc certū, de legatis cuiusquemodi, posse hæredem in recta saltem linea ascendentium, aut descendentium, detrahere falcidiam, id est bonorum quartam partem, secundum Lessium lib. 2. cap. 18. dub. 13. num. 94. cap. 19. dub. 7. num. 91. Guidon. Papæ Concil. 6. nu. 5. Sylvest. verbo legitima & alios. An id autem peræque locum habeat, in piis iam videndum.

Et negantem tenent Molina, apud Filliuc. trac. 34. de donationibus cap. 6. qu. 6. num. 136. Less. cap. 18. dub. 13. nu. 95. Iul. Clarum de donatione qu. 20. num. 3. Couar. rubric. de testam. parte 2. nu. 13. Cum enim asserant donationem bonorum omnium tam quæ præsentia sunt, quam futura, Ecclesiæ factam stare, negare non possunt, ascendentium, cum de legatis in piam causam agitur, rationem habendam nullam esse.

Opposita est Gomesij cap. 11. Malderi tract. 1. cap. 10. de donatione dub. 10. Filliuc. loco proxime citato Annæi rerum iudicatarum lib. 1. cap. 1. Et probatur primo, ex lege si filius Cod. de inoffic. donatione.

Secundo, tam inofficiosa donatio, quam quæuis alia superuentu nouæ prolis reuocatur, quo ad eius legitimam l. si vnquam 8. Cod. de donationibus & l. 1. Cod. de inoffic. donatione: at ascendentes, non sunt extranei, nec est, qui ob communionē sanguinis ac eiusdem stirpis, cum mortuo illiusque sobole, non eos pari loco habeat, quo liberos: ergo quod est istis debitum, illis non est negandum, sed quam optimo sibi iure, liberi falcidiam, id est bonorum quartam partem, de legatis detractam vindicant: ergo & defuncti pater. Legem sane Antonin. Pium sanxisse memorant, qua lege, liberorū qui intestati decederent, possessionem ingredi parenti permissum erat, Zonar. teste tom. 2. Quid? quod à Papiniano est scriptum L. Pater ff. de inoffic. donatione, queri apud iudicem honeste Patrem posse, se à filio, in testamenti tabulis esse præteritum, & quanquam Iustiniano annuente, nouella 123. parag. Presbyteri autem, in potestate sit Clerici, arbitrio sibi suo hæredem facere, tamen non nisi parentibus donatis, portione sua legitima; quos lex Ripuaria tit. 58. secundo inter hæredes necessarios loco collocat.

Tertio, cum de paterna hæreditate agitur quoad filios, his magis, quam piæ causæ est fauendum, vt dicitur 17. qu. 4. can. quicunque 43. vbi laudatur factum Aurelij, qui hæreditatem Ecclesiæ Carthaginensi traditam, liberis tradentis reddidit: ergo & patri, matrique, de his quæ piæ causæ sunt collatia reddi oportet aliquid. Maneat ergo quod erat in quæst. positum, erroris arguere functi patrem, non esse facile, cum causæ æquitate fretus quæ ille placando numini, in pauperes, templaque, liberali manu effundi voluit, hæc iste authoritate Iudicis distribui vetuit, antequam sibi assignatione legitimæ, factum esset satis. Nam etsi parentibus, (fas enim sit mihi Papin. verbis L. etsi parentibus ff. de inofficiosa donatione) locum hunc claudere, etsi inquam parentibus non debeatur filiorum hæreditas, propter votum parentum, & naturalem erga filios caritatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis piè relinqui debet.

QVÆSTIO XXIV.

An Clerico ludus ſit aleæ permiſſus & quid ei conſuli oporteat, cum in hoc ludi genere pecuniæ ſummam aliquam perdidit.

CAſus eſt eiuſmodi, Clericus quidam aureorum bina millia, aleæ ludo amiſerat, quem (ſiue impetus animi fuit, ſiue recuperandi amiſſa ſpes cuique ingenita) cum longius proueniſſet, ludendi ardor, à victore 500. nummos eoſque aureos mutuos accipit, quos infeſta ſibi ſors, momento, in eius qui dederat manum, poteſtatemq; retulit. Ita rebus omnibus vacuus, præterquam amiſſæ dolore pecuniæ, ſcire auet, ecquid ad hanc authoritate iudicis redditus ſibi vllus patere poſſit, & ſi eſt intercluſus, ecquid creditam teneatur victori pendere? Quid ſciſcitanti reſponderi oporteat narrare hic placet.

Dico ergò primo, *non omnis eam culpæ videri mihi expertem eſſe.*

Primo, quia eſt alea rei familiari, quod mora in agro, in quo poſtilentia ſit, Varronis ſententia, ergo ludere alea difficile, ſine vîrtutis interitu, vt in agro eſſe, graſſante peſte, ſine corporis certa lue.

Secundo, quia eam iura prohibent, Canonicum can. Epiſcopus 2. diſt. 35. & 41. Apoſtolorum, Cæſareum, L. Alearum 2. Cod. de aleatoribus, Gallicum Caroli V. ad ann. 1369. Ludouici IX. ann. 1254. his verbis. Præterea diſtrictius prohibemus quod nullus omnino ad taxillos ludat, ſiue aleis, ſiue ſcaccis, ſcholas item Deciorum prohibemus, &c. Quorum amborum exemplo, poſtea Aureliæ in publicis comitiis interdictũ eſt ſingulis aleæ luſu, ac trunculorum, ciubus autem cuiuſquemodi, receptione eorum qui eum ludum frequentandum ſibi exiſtimarent, §. 101. At legi non parere, ab ea ſine cauſa recedere, eſt turpe ac vitioſum.

Tertio, eam actionem malam eſſe eſt neceſſe, qua quis in prædonibus, locum reperit, cum hos non niſi vitæ, operumque turpitudo tales efficiat, ſed aleatorem, auaris atque latronibus annumerat Ariſtoteles 4. Ethic. cap. 1. ὁ μὲν γὰρ κερδαίνει, ἢ ὁ λωποδύτης, ἢ ὁ λῃστὴς τῶν ἀνελευθέρων ἐστὶν ἄρχειν κερδῶν, κέρδος γὰρ ἑκατέρῳ συναμφοτέρων, ἢ ἀνάδην ἁπάντων; Eum quoque idololatriæ reum facit Cypr. tract. de aleatoribus, cum enim aleam à Dæmone dixiſſet inuentam eſſe, adiicit. Quo ſe ab imitatoribus ſuis colendum, & ſibi ſacrificandum inſtituit, ita vt qui vellet, ſtudio eius adhærere, non ante in tabulam manum porrigeret, niſi authori huius prius ſacrificaſſet: at non ſacrifico (inquies) Chriſtianus qui es, & aleæ tabula ludis, licet non ſacrifices, lege huius facinoris particeps es, aleator quicunque es, Chriſtianum te dicis quod non es, amicus Chriſti eſſe potes, qui cum inimico Chriſti tenes amicitiam? Quæ oratio ſi eſt vera, dicta eſt cauſa, nemini eſſe poteſt licita alea, niſi qui Chriſtianum fingere aut in eius nomine ludere, conceſſum putat: qua ſit alea vero inquinata macula, veniali tantum, an etiam lethifera, iam videndum.

Mortalem eſſe memorant antiqui Theol. Antonin. 2. parte tit. 1. cap. 23. §. 2. Sylu. verbo ludus q. 4. Bernard. ſen. Domin. 5. in quadrag. Angel. verbo ludus Gabr. in 4. ſent. diſt. 15. q. 13. a. 1 notab. 3. è recentioribus Comitolus reſponſ. lib. 3. q. 7. n. 3. Adeos accedo, qui in alea, etiam lucri cauſa ſuſcepta, nullum agnoſcunt flagitium, maius veniali, citra ſcandalum, iurandi, fallendi, aut ſimilis peccati periculum, nam ſi eſt alea per ſe, & natura ſua vitioſa, eam vitium ſuum trahere eſt neceſſe, à conditione ludi, qui cum fortunæ pateat, nequit eſſe non illaudabilis, aut certe ab expoſitione pecuniæ per illum: Non primum, nam quid vetat fortunam experiri, cũ iucundo quodam ſenſu animi? ac in eo quod eſt lubrica, anceps, dubia afficit? qui effectus eſt ludi.

Nec ſecundum, quid enim eſt, tam naturali æquitati conſonum, quam cuique relinqui liberum, vt de ſuis rebus arbitratu ſuo conſtituat, modo ne contra mores? Deinde peto, ecquid non ſit in cuiuſque poteſtate poſitum, quam domi pecuniam, ad varios vſus reconditam habet, dare cui eſt arbitrium? Quod ſi id licet, cur eſſet prohibitum ludentes in ludo aleæ, alterum in alterum rem ſuam transferre? Quod autem de veniali, initio dixi, id hũc habet ſenſum eius culpæ affinem eſſe, qui ſua, delectu nullo, fortunæ dominanti committit, in quantitate notabili, nam ea effundere prodige, non vacat ſcelere, quod tamen de ſe, non exiſtimo mortale eſſe: at prodigalitatis inſtar habet, quod quis rerum ſuarum, ita ſit negligens, vt eas in quantitate nõ omnino deſpicabili, colluſoris eſſe velit, ſi eius voluntati ſors faueat, aut euentus reſpondeat, non igitur culpam maiorem veniali ſuſcipit, qui in ludo aleæ pecuniam, & otium conterit.

Ad authores aduerſæ ſententiæ, reſpondendum loqui eos de alea, non nude ac in natura ſua ſpectata, quomodo ſumptam pauci poſſunt arguere, ſed vt eam comitari ſolent incommoda varia, eius proles certiſſima, qualia numerat Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 23. §. 2. viginti numero. Primo ingens fœnus, cum ludens, ſæpe ſibi vnico aureo, 10. acquirat. Deſperationem, cum multi à teſſeris, iuerint ad laqueum, amiſſis fortunis, animum perdiderint exhauſto marſupio, bonis ſe quoque cœleſtibus, ac diuinis, momento vacuos viderint.

Tertio, furtum, cum reperire ſit, qui iuuenes opibus ſuis euertant, qui fraude ſibi, ac dolo viam ad lucra, per ludum facienda muniant, & ſic de aliis: quæ tu ab eodem authore repete.

Nobis in præſenti ſatis eſt dicere, quod tract. de contractibus, cum de ludo mentio incidit, memini non omiſſum, primo lege de alea vitanda beneficiariis, Religioſis, & Clericis, & quidem ſub mortali, in tribus euentibus Laicos non teneri ex Nauarr. Enchir. 20. num. 11. his verbis, Vereor nihilominus aſſerere, tam graui lege humana, prohiberi Laicis vſum aleæ, etiam principaliter ob lucrum etiam magnum, tum quia leges prædictæ ſuper eo latæ non videntur ſeculares obligare ad mortale, ſiue quia intentio legiſlatorum non fuit eiuſmodi, ſiue quia quoad hunc effectum non videntur receptæ cum in omnibus orbis partibus cuiuſq; Ordinis Laicos, videamus ingentẽ pecuniatum ſummam exponere, & maximam eorum partẽ principaliter quæſtus cauſa ludere, & à confeſſariis ſine propoſito nunquam de cætero ita ludendi abſolui, quod facere nequirent ſi in eo mortaliter peccarent. Addo quod leges illæ non agunt de materia iuſtitiæ ſed temperantiæ vel modeſtiæ, quæ vt plurimum ſolum ad veniale obligant. Hæc Nau.

Caſus autem in quibus eſt alea Clericis ſub mortali interdicta, ſunt iſti.

Primus, cum grandem æris ſummã ei exponũt.

Secundus, cum illam frequenter iterant.

Tertius, quando longo tempore, & cum ſcandalo, Valentia 1. 2. diſp. 5. q. 8. puncto 5. de Beia tom. 1. caſu 6. Hieron. à S. Fauſto de reſtitut. diſp. 32. q. 4. Nauarr. Enchir. cap. 20. num. 9. cauſa eſt, quod can. 1. Epiſcopus, diſt. 55. iubeantur, Subdiaconus, Cantor, & Lector, communione priuari, ſi non abſiſtant aleis, cap. autem inter dilectos 11. de exceſſibus Prælatorum vocantur peſtes animi, ludi illi voluptuoſi, quorum occaſione ad materiam diſſolutionis deuenitur, at excommunicatio non niſi ob mortale infligenda eſt: eſt ergo mortalis alea in Clericis, cum ea pœna multari, ob eius amorem, vſumque debeant.

Dico ſecundo, *Etſi Iuſtiniana lege Cod. de Religioſis & ſumptibus funerum quæ incipit alearum vſus fas ſit forte Germanis, & aliis gentibus, amiſſa in ludo aleæ repetere, non tamen Gallis*: Rebuff. in proœmio regiar. Conſtit. num. 56. nec enim ea repetitio, vlli eſt licita, niſi vi priuilegij Cæſarei, at huic locus nullus eſt in Gallia. Quid ita? nempe quod ad eos tantum, Regum beneficia priuilegiaque pertineant, quibus ius dicunt, at Gallis nihil eſt commune, cum Cæſare, ergo ſi perdita ludo poſſunt repeti, id in Gallia, non fiet niſi beneficio legis alicuius Gallicæ, qualem extare nullam pro certo habeo.

Addo inſuper, fas Italis forte nõ eſſe amiſſa ludo aleæ repetere, nam Maiori in 4. diſt. 15. q. 9. Sylueſt. verbo ludus qu. 11. placere video, iura Cæſarum antiqua abrogata eſſe, quibus, authoritate iudicis, quilibet ad amiſſa in ludo quaſi poſtliminio redibat. Sane negat Nauar. in ſumma cap. 20. nu. 10. leges quæ ludum magnæ ſummæ prohibent, receptas eſſe, negare ergo debuit, vigere vllibi poteſtatem, ea repetendi, quorum quis iacturam fecit, in ludo alcatorio, quod ipſum aſſerit à Caſtro in ſecundo de lege pœnali cap. 2. Corollar. 3. Quod ſi imperatoriæ legi, qua victo concedebatur, rei amiſſæ repetitio, vis eſt adhuc inter homines aliqua, vt habere exiſtimant Medina de rebus reſtit. qu. 21. art. 2. Angel. verbo ludus num. 7. Richard. in 4. diſt. 15. art. 5. q. 8. quamobrem eius opera beneficioque, ſua à victore victus repetere nequeat, non video, nam vt iuſtæ parere legi, omnibus eſt neceſſe, ſic & eius vti priuilegio, permiſſum cuique.

Pars quæſtionis tertia fuit, num perditã teneretur Clericus exhibere victori. Duplex opinio. Prima affirmantium negantium altera. Prioris opinionis Principes Alphonſus à Caſtro de lege pœnali lib. 2. cap. 2. coroll. 3. Salas. 1. 2. q. 3. art. 6. Poſtremam defendunt Couarr. 2. parte relectionis in regulam peccatum §. 4. Adrian. tract. 4. de reſtit. q 15. nec alia videtur eſſe opinio Nauarri in Enchir cap. 20. num. 17. Molinæ tom. 2. diſp. 315. cui patrocinatus eſt quoque Leſſius lib. 2. cap. 26. dubio 4. n. 24.

Mea ſententia eſt, ſi ſumma debita petatur, in cõſcientia ſoluendã eſſe in Gallia, cauſa eſt, quod iure naturæ, promiſſa libere facta, implere quiſque debeat, niſi ea Principes irritent; aut poteſtatem ea non faciendi, promittenti tribuant, at victus ſua ſponte, & non coactus, animum ludo applicuit, quæque in eo amitteret, ſoluturum ſe libere eſt pollicitus, & hoc pollicitum, non alia lege non præſtare eſt permiſſum, quam Cæſaris, cuius in Gallia nulla authoritas, ergo cum ab illa, eius non impediatur promiſſi executio, victo in victoris gratiam implendum erit.

A Confirm. contractus ludi eſt validus, cum per eum res ludo expoſita, de conſenſu ludentium mutuo, transferatur in victorem, vt ex eo patet, quod etiam in illis locis, vbi iura Cæſarea, robur ſuum obtinent, res acquiſita per ludum non ſit reſtituenda ante ſententiam, vt colligitur aperte ex lege alearum 2. Cod de religioſis & ſumptibus funerum ergo eſt implendus. Non impletur, ſi pecunia amiſſa non ſoluitur, eſt hæc ergo victori à victo danda.

Addidi ſi petatur, nam eius non exactio, tacita quædam eſt illius à creditore debitori facta condonatio. Deinde, quia tam ex iuris communis diſpoſitione, quam Gallici, cenſetur ludus inſtitui, cum hac conditione, vt victus ludens credita tantum B pecunia, eam non teneatur victori pendere, niſi petitam.

Obiicies ſoluta repeti poteſt, ergo & debita non ſolui, nam qui ad agendum admittitur multomagis eſt ad excipiendum admittendus regul. qui ad agendum de regulis iuris in 6. excipitur autem contra victorem cum res ei debita negatur. Antecedens propoſitio, eiuſque confirmatio veræ non ſunt in Gallia, ſed in iis tantum prouinciis quarum forum legibus Imperatoriis componitur.

QVÆSTIO XXV.

C

An Clericus beneficiarius ius in beneficium initio male acquiſitum ſibi comparet, poſſeſſione triennali pacifica.

CAſus eſt talis, cum Clericũ morbis ac longæuę ætatis ſitu languidũ, in obitum inclinare Laicus frater animaduerteret, homo vafer, quiq; pridẽ in rẽ domeſticam fratris Clerici intenta cura excubabat eum quam per ſe, tam per amicos communes iteratis precibus ſubigit, vt generis non immemor, nepoti ſuo, beneficio, cui ad eam diem voluntate Pontificis præpoſitus fuerat, per reſignationem D cederet, quorum ille poſtulata cum feciſſet, die à reſignatione duodeuiceſimo, fato fungitur, eius rei, præter domeſticos conſcio nemine, cum ne ad populum fama emanaret, ſedulo à reſignatarij parente, cautum eſſet: ita biduo reſignantis auunculi celata morte, tertio tandem die, ab eius obitu effertur, curatiſque de more iuſtis funebribus, literæ ex vrbe aduenium, Pontificiæ voluntatis ſuper reſignatione defuncti admiſſæ indices, quibus fretus defuncti nẽpos, beneficium capeſcit, repugnante nemine ipſumque triennio pacifice poſſidet, ſine turbis ac clamore. De hoc poſſeſſore, tria poſtulantur primum an is de eorum ſit genere, qui exturbari beneficio, Romæ, in Gallia, & vbique nequeunt, alterum, an eius reſignandi poteſtatem habeat.

E Tertium, an ab eo collecti fructus, ante exactum triennium pacificæ poſſeſſionis ac quietæ illius ſint, an cuiuſpiam alterius.

Lubet ordiri à re vulgatiſſima, voluntate nempe Pontificis eius beneficij ceſſionem nullam eſſe, cui cedens ſuperſtes nõ extitit 20. diebus, ab ea ceſſione facta in alterius gratiam, qua de nullitate, extat Cancellariæ regula, à Bonifacio VIII. primũ edita confirmata ſecutis temporibus à Mart. V. Nicol. V. Innoc. VIII. Paulo II. Iulio II. Adriano VI. Clement. VII. Paulo III. Sixto V. his verbis. Voluit quod ſi quis, in infirmitate conſtitutus, re-

Digitized by Google

ſignauerit aliquod beneficium, ſiue ſimpliciter, ſiue ex cauſa permutationis,& poſtea, infra 20. dies à die, per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, ac ipſum beneficium conferatur, per reſignationem ſic factam, Collatio huiuſmodi nulla ſit, ipſumque beneficium per obitum vacare cenſeatur. Ita vero ſtatuendi Pontifici cauſæ extitere plurimæ.

Prima, ne vllus locus eſſet fraudibus, contra ordinarios, Mandatarios, Graduatos, nominatos, ſic enim ſæpe vſu veniebat, vt quos Clerici, in republ. Eccleſiaſtica magiſtratus plenos honoris, & commodi gerebant, eos vrgente morbo, morte proxima commutarent in obſcuros, ac tenues propinquorum, non minori ſuo vitio, quam mandatariorum & graduatorum malo, quos ſic excluſos eſſe oportebat locupletibus beneficiis, cui incommodo obuiam vt irent ſacri Pontifices, illis legem hanc, Eccleſiæ ſummo bono ſciſcere viſum eſt, aut verius, renouare iam latam, de renuntiatione in 6. cap. 2. ſi te præbendam.

Secunda, quod animo, vi morbi oppreſſo, non ſit facile, hominem ſibi ſubrogare, ad Eccleſiæ regimen idoneum, can. quamuis 14. 7. qu. 1. labi cuique pronum, maxime inclinanti in diſceſſum, quo maxime tempore, ſi vnquam alias, futuri euentus neſcio, mens pauida, ad omnia trepidat. Quid? quod inſita propenſione cuique à natura, propagare per gentem honores, quos geſſit in vita optimus quiſque aueat, qua ex indole, vitium hoc naſci eſt neceſſe, vt tum ſubſtitutio ſibi certi hominis ad beneficium, maxime propinqui, ſpeciem patriæ ſucceſſionis habeat, cuius vel ſolum nomen à Chriſtianorum auribus, animoque explodendum eſſe memorat Hilarius Papa, in Synodo Rom. can. 5. in hæc verba. Plerique Sacerdotes, in mortis confinio conſtituti, in locum ſuum, ferunt alios deſignatis nominibus ſubrogare, vt ſcilicet, non legitima exſpectetur electio, ſed defuncti gratificatio, pro populi habeatur aſſenſu, quod quam graue ſit exiſtimate, atque ideo ſi placet, etiam hanc licentiam, generaliter ab Eccleſia auferamus, ne quod turpe dictu eſt, homini quiſquam deberi putet quod Dei eſt. Ab vniuerſis acclamatum eſt, hæc præſumptio nunquam fiat, quæ Dei ſunt, ab homine dari nunquam poſſint.

Fecere ergo prudentiſſime Pontifices, cum quæ Eccleſiæ dignitas, publicaque incolumitas poſtulant, hæc ſuis ad nos legibus, manare voluere. Ne quem nempe, beneficio ſibi reſignato, ab infirmo gaudere accidat, quem mors ante viceſimum diem, ab eo facto occupauerit.

Ad eam rem vero ſufficit infirmitas quælibet, modo talis, quam creſcente paulatim lue, vique eius, fatum ſequatur, intra 20. dies, à dato conſenſu, Rebuff. in praxi tit. de infirm. reſignant. Flam. lib. 12. de reſignat qu. 6. n. 11. Fac ergo podagrum, mutum, cæcum, febri etſi leui tentatos, beneficiis ſuis quibus ceſſere, in commodum ac fauorem vt aiunt tertij, ante tempus lege præſtitutũ vti reſignatio vim habeat emori, beneficium ad ordinarium, iure deuoluitur, vt vacans per obitum. non tamen, ſi cum ad reſignandum appulere animum, ſani erant, vt mente ita & corpore.

Cum autem de beneficiis agimus, quælibet intelligi hac regula volumus, quod enim verbum ei facit initium (ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignauerit aliquod beneficium) vtpote indefinitum, vniuerſali æquiualet, ex Baldo in leg. in fraudem ff. de teſtamen. militis & aliis apud Flamin. lib. de reſign. lib. 12. qu. 4. n. 1. Rebuff. Gloſſa 1. in hanc regulam n. 3. & 5.

Vacant ergo beneficia quælibet, & vbilibet, ab ordinariis conferenda quibuſlibet, à quorum reſignatione libera, per legitimum ſuum poſſeſſorem facta canonice, ſuperſtes eſſe hic 20. diebus non potuit. Dixi vbilibet, vt innuerem comprehendi hac lege beneficia omnia, tam curiæ, quam quæ extra eam poſita relinquuntur alteri poſſidenda cum voluntate Papæ, cuius eſt ceſſionem eorundem beneficiorum admittere,& probare cum hac clauſula, nec alias nec aliter Caſſadorus deciſ. 31. ſuper reg. 9. Rebuff. in tract. nominationum qu. 17. & in praxi ſuper hanc regulam Gloſſa 3. & concluſ. 72. num. 8. Flam. q. 5. lib. 12.

Valere ſane hanc regulam in Gallia ſcripſere inter Italos Flamm. lib. 12. qu. 11. num. 3. è noſtratibus Molinæus in hanc regulam Petrus Du Clos ad q. 5. Flam. lib. 12. n. 8. Rebuff. Concil. 72. n. 8. & alibi.

Eſt hoc, inter nos tamen, & gentes alias, inſigne diſcrimen, quod ad rem præſentem attinet.

Primo, quod temporis requiſiti per hanc regulam initium, à die conſenſus præſtiti repetant, non item Galli, ſed præſtandi à Pontifice aut ordinario, Rebuff. ad hanc regulam Gloſſa 10. Papon. li. 2. recollectionis placitorum tit. 2. art. 1. Petrus du Clos in Flaminij lib. 12. qu. 11. num. 2. Molin. ſuper hac regula n. 10. & ſequentibus.

Quare vt vacare credendum eſt beneficium extra Galliam, cuius poſſeſſor, idemque eius in alterius gratiam tranſmiſſor, ab eius reſignatione facta canonice, non ſuperuixit dies 20. integros, ita & in Gallia, cum fatiſcente corpore doloribus, mors reſignantẽ perennare non eſt paſſa viceſimũ diem, à dato Romæ conſenſu, admiſſaque à Papa, eius voluntate, id eſt ceſſione, alterius cauſa liberali, atque gratuita, quod Boerius qu. 348. ſcripſit authoritate ſua, calculoque confirmaſſe Parlementa Franciæ.

Secundo, & hoc ab aliis gentibus differimus, quod reſignationes ſimplices, cuiuſmodi cenſendæ omnes, quæ fiunt in ordinarij manibus, non comprehendantur hac regula in Gallia, Petrus du Clos in Flam. lib. 12. qu. 5. num. 8. Imbert. in Enchir. pag. 184. pro qua ſententia citat. Ancharan. in conſ. 297. Philip. Decium Conc. 114.

Quod Loüetus quoque innuit, in arreſt. littera G. art. 8.

Simplices dixi, nam permutationis cauſa factæ, earum quæ ſunt admittendæ à Pontifice legem ſubeunt, iudicio curiæ ex Charonda in memorabilibus Petro Guenois ad citatum Imberti locum nu. 107. proindeque ſi compermutantium alterum naturæ concedere accidat, à conſenſu ſuper permutatione facienda, ab ordinario præſtito, diebus 20. necdum præteritis, vacabit eius beneficium regni legibus, vt declaraſſe Senatum an. 1555. publica ſententia ſcribit Guenois proxime citatus & hæc habui, quæ quæſtionis hic poſitæ enarrationi præmittenda duxi, quæ nemo non videt eſſe eiuſmodi, vt cauſam omnino iugulent reſignatarij, neque tamen committam, vt non intelligenter ac perſpicue, mentem commiſiſſe meam huic chartæ vlli videar, pro ſolemni ergo meo

Dico primò, *Reſignatario, ob factum cuius ſit in caſu mentis, ius poſſidendi beneficij, nullum Romæ, aut à reſignante auunculo tranſmiſſum eſſe*: cauſa eſt quod donatio hypothetica, non teneat, abſente hypotheſi, cum qua eſt facta, nec enim patet illa

latius, quam patere donanti est placitum, à cuius est voluntate, ac animo petendus donationis modus, qua benigne ac liberaliter, mereri de alio satagit. Sed resignatio, donatio quædam est, eaque hypothetica, ex interpretatione communi iuris, nempe si resignans superuiuat 20. dies, à consensu dato in cessionem sui beneficij causa resignatarij, cum à vero abhorreat, Pontificem, cuius vita nobis esse pro exemplo debet, à Canonicis abire legibus, nisi id se facere, ex causa indicet, ergo cum ante ea tempora, diem suum resignans obierit, in nihilum omnis Pontificis rescisura est, aduersus defuncti nepotem liberalitas, & ita nunquam non fuit, ei vt intruso, abeundum in conscientia auunculi beneficio, Iudicis sententia expectata nulla, nam quis existimat, nisi impius alienum retinere se posse sine scelere, tacente licet Iudice? at quæ Ecclesia resignantis olim fuerat, hæc defectu conditionis, iure Pontificio necessariæ, possessore vacat, cum in eam, authoritate sua ingredi resignatarius nequeat, sed solius Pontificis, qua tamen ad eam rem caruit, relinqui ergo ab eo nullo non tempore debuit.

Dices legi pœnali, mos non est gerendus in conscientia ante sententiam: at quod collatio beneficij sit nulla, quia ab eius resignatione 20. dies resignator non superuixit, est pœna, ergo resignatario non necessario subeunda, antequam in eum dicatur sententia. Minor est neganda, pœna enim supponit culpam, cuius expers, est mors resignantis præpropera. Deinde nõ alia priuatio in pœnis locũ habet, quam quæ eius est rei, quæ omnino & absolute ad eum attinebat, cui eripitur: quod hic haud dubie non accidit, cum beneficium in resignatarij manus, potestatemque nunquam venerit, nec Papa concedere voluerit, nisi resignante remanente incolumi, dies 20. totos, à cessione beneficij, per eum facta alteri. Quod cum repentinus casus aliquis, aut morbus, qui humanitus accidere multi possunt, impedit, beneficio decedendum est resignatario, quamuis iniusso, quia conditione tantum posita, impletaque superuicturi resignantis, ad spacia iure necessaria, beneficium erat absolute futurum eius. Sic Parochia, sic beneficia, sic eorum fructus & commoda annuuntur Clericis, illa quidem, si intra annum ab eius possessione pacifica sacro initientur Sacerdotij ordine, secus ipso facto dicitur vacatura, nulla etiam monitione præuia iuxta cap. licet canon 14. & cap. commissa 35. de electione in 6.

Hæc autem, id est beneficia, si non sunt Clerici matrimonij vinculo vllo nexi, ex can. 1. 2. & 8. de Clericis coniugatis, Trid. sess. 22. cap. 4. nec iis impedimentis tenentur irretiti, quę collationem iure nullam efficiunt, de quibus nos tract. de beneficiis. Isti autem, id est fructus si preces vsitatas Deo pangant, si laudes occinant, si horas statis, suisque tẽporibus orando decurrant, non aliter vt ex Lateranensi sess. 9. colligere cuique est promptum.

Dico secundò; *Quod beneficium resignatarij primo non fuit, eius tamen possessorem factum esse iure, quam optimo, possessione triennij, eaque pacifica,* vt probetur aduerte Cancellariæ regulas esse multiplices, earumque tres tantum, vsu communi regni esse receptas in Gallia scilicet de infirmis resignãt. de publicandis resignationibus, de pacificis triennio toto possessoribus. Petrus Guenois ad Imbert. cap. 59. lib. 1. practicæ, quæ enim regula originem suam debet, priscis Patribus Concil. Africani, quibus tũ placuit, patrocinari possessori longi temporis, can. 86. hæc labentibus annis, consuluit prudentia Pontificum, Calixti III. à quo regulis est inserta Cancellariæ, Adriani VI. à quo circunstantiis quibusdam est aucta, Leon. X. qui illam Concordatis intulit, sub tit. de pacific. possess.

Nec valet hæc modo in exteriori foro, sed & interno animę, alioqui iniusta foret, enimuero abactis veris; pastoribus, falsos & inanes obtrudere, nec id ad annum aut mensem tantum, sed quam est eorum vita longa, factum est impium, homineque indignum. Deinde si dat triennalis possessio titulum, valebit non modo in foro, hominum arbitrio sed Dei in sacris conscientiæ tribunalibus.

DE CLERICORVM PRIVILEGIIS.

QVÆSTIO XXVI.

Clericorum priuilegia quæ & qualia.

SVnt Clericorum immunitates multæ ac genere ipso variæ.

Prima, ordine, non tamen dignitate, est posse alicui ab intestato succedere, cuius tutelam ac curam non teneantur suscipere. Qua enim lege attinentur consanguinei, ab hac sunt immunes Clerici, enimuero cum filio suo moriens pater, tutorem in tabulis sius testamentariis nullum dedit aut per easdem aliquis vnus de multis ei est assignatus, delecto per iudicem, aut dato per patrem, suscipienda est tutoris nomine pupilli cura, ac bonorum quæ ad eum morte patris obueniunt, (quæ duæ tutelæ species, testamentariæ dicuntur ac datiuæ) non tamen Clericis, quos Innoc. III. extra de postulando cap. ex parte 2. *Negat esse posse forensis negotij susceptores aut executores nisi forte ad Monasterij expositat utilitas,* vel Episcopi, aut Papæ Romani authoritas, id imperantis accedat, quod Chalcedonense Concil. can. 3. vt refertur dist. 86. can. peruenit multis ante sæculis sanxerat: *Decreuit,* inquit, *magna & sancta Synodus neminem deinceps horum conducere possessiones, aut miscere sæcularibus procurationibus, nisi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas, siue curationes inexcusabiles attribuuntur, aut cui ciuitatis Episcopus, Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernaculum, vel orphanorum, vel viduarum, quæ sunt indefensa.* Vbi hoc te Lector aduertere volo cum leges hic audis, tibi non intelligendas esse Regum, ac ciuicas, *Iampridem,* enim: *Episcoporum consilio statutum est ne quis testamento suo tutorem de Clericis det, ac si quis hoc fecerit, non offeratur pro eo, nec sacrificium, pro dormitione eius celebretur.*

Ecquas hic ergo leges inculcant Patres quæ hic decreta nominant? quæ iura hic sibi intelligenda putant? pietatis ac naturæ, à quibus est hoc Clericis, peræque ac aliis innatum, vt propinquorum curam suscipiant, hos defendant, eorum bona administrent: ac quantum est homini licitum, prouidentia sua augeant, quæ tutelæ ratio, legitima dicitur, quod eam lex naturæ præcipiat, quo sensu Rebuff. ait tract. de sentenr. prouisionalibus art. 3. Glossa vltima compelli posse Clericos ad tutelam miserabilium, etsi alias tutores esse non debeant authentica Presbyteros 3. codice de Episcop. & Cleric.

Digitized by Google

Secundum Clerici priuilegium eſt in eo, quod quiſquis violentas in illũ manus iniicit, ſit excommunicatus ipſo facto excommunicatione reſeruata ſummo Pontifici, Innocent. II. decreto in Synodo Lateranenſi, can. 15 & refertur 17. qu 4. can. ſi quis ſuadente diabolo, cui adiungenda eſt Alexandri III. conſtitutio cap. non dubium de ſententia excommunicationis Eugen. Papæ II. circa annum 824. in Concil. Rhemenſi can. 8. *Decreuimus vt ſi quis in Clericum, vel Monachum, violentas manus iniecerit, anathemati ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico preſentetur aſpectui*, ſed de hoc priuilegio plura nos tract. de excommunicatione.

Tertium, eſt in immunitate, quarũ immunitatũ prima Clericorum verſatur in perſonis, à qua habẽt vt ipſi principũ authoritati quoad vim coactiuãnõ ſint ſubiecti, *Non enim*, inquit Vrbanus 23. q. 8. can. tributũ 22. *Eccleſia dari imperatori, nũ Pontificalis apex, qui ore capitis præminet, ſubiici poteſt regibus*, & in Concil. Later. generali ca. 43. quæritur Innoc. III. nimis de iure diuino ſibi Laicos vſurpare, *cum viros Eccleſiaſticos, nihil temporale continentes*, ab eis, ad præſtandum fidelitatis *iuramentum compellunt. Quia vero ſeruus Domino ſuo ſtat aut cadit, ſacri auctoritate Concil. prohibemus*, inquit ibi Innoc. *ne tales Clerici perſonis ſæcularibus præſtare cogantur huiuſmodi iuramentum.*

At Romanos Pontifices, *Regibus eſſe ſubiectos ſacra Scripturæ præcipiunt*, (inquit Pelagius ad Childebertum Francorum Regem ſcribens) can. ſatagendum 25. qu. 1. male mihi tu hos ergo (dicat aliquis) Principum poteſtati ac cenſuræ ſubtrahis.

Reſpondeo poteſtatem principum eſſe duplicem, dirigentem vnam, cogentem aliam, priore prout eſt politica componitur reſpublica, poſteriore vindicantur humana ſcelera, illa Regibus eſt in ſciſcendis legibus vſui, hæc in exterminandis ab hominum animis, culpis ac vitiis, cum ergo Clerici dicuntur à Pelagio ſubeſſe principi, de ſubiectione directiua eſt eius intelligenda oratio, quo modo, tractatu de legibus, in eos iuriſdictionem Regi competere, hunc illis imperare poſſe diximus, Vrbani autem & noſtra oratio capienda eſt de altero poteſtatis genere, nempe coercitiuæ quam iſti in illos nullam habent. Politicam dixi nam cum Clericorum vniuerſitas ſit ſacra, profanæ Laicorum turbæ in negotiis animæ ſubeſſe non debet, ab hac præcepta augendæ virtutis, vel acquirendæ media, modos & accipere, ab ea in ſalutis viam dirigi non oportet, ſed Laicos à Clericis ſalutaribus imbui monitis, ac ad magna duci trahique, tam verbo, quam exemplo eſt neceſſe.

Secunda immunitas eſt fori, ſeu iudiciorum, nempe vt in ius, & ad profana magiſtratuum tribunalia, vocari Clerici nequeant, nec apud eos cauſam dicere, quam enim id turpe factu, dictuque fœdum eſſet, ſi qui præſunt, his, in quos voluntate Dei, poteſtatem habent parere deberent ac obſequi? at ſunt Clerici, Laicis à Deo præpoſiti, vt paſtores ouibus, his enim, eſt in perſona Petri dictum, Ioan. 21. *Paſce oues meas*, par ergo fuit Clericos, ſpirituales ſcilicet homines & ſacros, quibus iudicium ſæcularium eſt à Deo creditum, ab his nec iudicari, nec plecti, quo nihil æquius, nihil ad rectam rationem accedere poteſt propius.

Quare id illis inhibitum eſſe, volunt Patres, Concilia, Pontifices, non ero abſonus, quoniam in ea tempora vitiis noſtris incidimus, quibus nihil eſt orbe fere toto Clericis contemptius, ſi de multis aliqua, exempli cauſa hic ponam quæ aduerſariis, Eccleſiaſticam libertatem ac immunitatem violantibus, præpoſteris ſuis factis, os obtrudant.

Ducat aciem in hac pugna Academica, incruenta ac miti, Pontificum lectiſſima cohors, Chriſti nobilitas, Petri ſoboles, *ſi qui ex fratribus* (inquit Clemens Romanus in Epiſtola) *negotia habent inter ſe, apud cognitores ſæculi non iudicentur, ſed apud preſbyteros Eccleſiæ, quidquid illud eſt diriminatur*, meminerat, ab Apoſtolis ſæcularia tribunalia, in maximis ſuis doloribus, tentata nunquam eſſe, nunquam aduerſus Chriſti domini, ſuoſque hoſtes appellata eſſe, nec ignorabat à Paulo Catholicos dirimendis controuerſiis de re ciuili inter fideles, non Principum cognitores, ac iuridicos delectos eſſe, *audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? an neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis.* Quare tam Chriſti exemplo, quam Pauli ire Catholicos Clemens prohibet ad forum ſæculare, in eoque litium ſuarum exitum quærere.

Clementem æquis prope paſſibus Alexander primus inſequitur, cum in Epiſtola ad omnes orthodoxos, Eccleſiam, cuique vult in difficillimis temporibus aſylum eſſe, ac contra litigantium impetus perfugium, *peruenit*, inquit, *ad ſedem Apoſtolicam, quod quidam æmuli Chriſti eiuſque ſanctæ Eccleſiæ inſidiatores, ſacerdotes Dei, ad iudices publicos, accuſare præſumant, cum magis Apoſtolus Chriſtianorum cauſas, ad Eccleſiam deferri, & ibidem terminari præcipiat*, Sed amabo te lector tantiſper hic gradum ſiſte, ecquid audis, inſidias Eccleſiæ ſtruere, Chriſto bellum indicere qui per Clericorum latus illum petunt? eius dignitatem infringere, qui hos ad laicorum tribunalia importune ſiſtunt? Quo quid ab optimo Pontifice dici poſſet eruditius vix apparet, ab his enim bellum eſt per Iulianum inchoatum in Eccleſiam, quos *denuo curijs addidit, & leges eorum cauſa latas abroganit* Zozomen. lib. 5. ca. 5. quæ optimæ parentis vulnera, dedecoraque, ſibi ſananda Theodoſius cum putaſſet, legem ſtatuit optimam illam, vereq; laudabilem, quo quidquid à Principibus in Clericorum cauſa conſtitutum eſſet, vel quæ ſinguli quiq; Antiſtites, pro Eccleſiis iudicaſſent, æternum foret, ac ratũ lege 47. cod. Theod. de Epiſcopis Eccleſiaſticis & Clericis, vt enim non eſt facile, maius vllum nefas in Eccleſiam concipere, vt dixiſſe olim Martinum narrat Sulpitius lib. 2. hiſtor. quam dum ſtatus Eccleſiaſtici odio, vel inuidia, de ſtatu deijciuntur Clerici, aut ad ciuile forum iudicandi attrahuntur, ſic facere Reges, in Eccleſiæ commodum vtilius nihil poſſunt, quam dum eius Maieſtatem, contra Laicorum impetus retinent, præſtanda ſecuritate eius mẽbris hoc eſt Clericis: laudãdus ergo Theodoſius, vel hoc maxime nomine, commendandi Pontifices, ſuſpicienda longa retro priorum ſæculorum ſeries, quibus noſtra, quibus Eccleſiæ, quibus Clericorum illuſtris cum dignitate authoritas chara ſemper fuit.

Extat Euſebii Papæ decretalis Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ ante annos 1300. data, legitur & alia Caij ad Fœlicem, Adriani item & Stephani altera, qua impenſe Clericorum immunitatibus cauent, nam de Concilijs dicere nihil attinet, cum

Digitized by Google

eorum decreta cuique sint ad manum, vt Constantinopolitani primi Oecumenici can. 6. Chalcedonensis can. 9. εἴ τις κληρικὸς πρὸς κληρικὸν πρᾶγμα ἔχει μὴ καταλιμπανέτω τὸν οἰκεῖον ἐπίσκοπον, ἢ ὑπὸ κοσμικῶν δικαστηρίων κρινέσθω, Aurelianensis 4. can. 20. his verbis, *Clericus cuiuslibet gradus sine Pontificis sui permissu, nullum ad sæculare iudicium præsumat attrahere, neque Laico inconsulto Sacerdote, Clericum in sæculare iudicium liceat exhibere.*

Sunt his consentientia decreta Concilij Roman. 3. sub Sylu. a. 325. can. 1. Epaunensis sub Gelasio 1. can. 24. Aurel. 3. cap. 31. Concilij Romani Patrum 113. sub Nicolao II. Carthag. 2. can. 9. Lateran. sub Alexand. III. cap. 8. mirandum magis quod Constantinus adhuc à sacris Catholicorum mysteriis alienus, in Romano Concilio sub Melchiade anno 313. indignum existimauerit, Clericos de capite, fortunis ac fide, causam apud profanos fori magistratus dicere. Quod Basilio Imperatori idem visum, sic enim in Oratione quæ ad Patres Concilij Generalis 8. *Laicis*, inquit, *nullo modo licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari*, hæc enim, *inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, quæ regiminis officium sortiti sunt, qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claues, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, & à ligamine solui egemus.*

Sunt ergo Clericorum causæ à Laicorum tribunalibus secluſæ, nec vnquam licuit nisi apud Episcopos, Ecclesiasticosque iudices eas actitari, ac iudicari. Hoc primum sanxit Paulus, hoc Petrus statuit vt auctor est Clemens in 1. epist. sua decretali. Hoc Patres in Chalced. Conc. can. 6. hoc Africani in Concil. Carthag. can. 15. & 31. Et quidem si Episcopus extra tempus Synodi criminis arcessebatur, audiebatur à duodecim Episcopis decreto Carthag. Concil. *Si autem fieri non potest vt multi conueniant, vt ipse in crimine non hæreat, à duodecim Episcopis audiatur, Presbyter à sex, & proprio, Diaconus à tribus*, Concil. Carthag. can. 12. quod si cum Episcopo suo, disceptabat Clericus, controuersiq quæ inter eos orta erat Metropolitanus diiudicator erat ac arbiter, aut Synodus ipsa, Concil. Antioch. can. 4. Carthagin. his verbis can. 31. *Similiter placuit vt Presbyteri & Diaconi & reliqui inferiores Clerici, in iis, quas habent causas si de propriis Episcoporum iudiciis querantur, vicini Episcopi consensu, quæ inter eos intercedunt, controuersias ab ipsis euocati Episcopi, componant.* Sin autem Metropolitano suo lis intendebatur ab Episcopo, controuersiæ arbitrium ad Exarchum Diœceseos, id est vt ego cum Zonara in can. Chalcedon. Concil. 9. & 17. interpretor Patriarcham aut Roman. Pontificem, decreto Concilij can. 9. deferri oportebat. In cæterorum autem qui sacris erant initiati, quin & in Monachorum controuersiis, eius cui subiecti tum erant, Episcopi propria cognitio fuit. Quare si quis Clerico diem dicebat, siue illatam propulsaret iniuriã siue rei capitalis, siue ciuilis, aut pecuniariæ quæstio esset coram ipsius Episcopo rem transigi erat necesse, Zonar. in can. 15. Concil. Carthag. 217. Episcoporum sub Honorio Papa & Theodosio primo Imperatore habitum.

Pœnæ in non obsequentem æquissimis his legibus constitutæ variæ. Prima fuit, causa cadere propter quam ab Episcopo ad Imperatorem, aut magistratus ciuiles, Clericus appellauerat, nec posse vnquã si ab iis renũciaretur innocens, priſtino reſtitui tui gradui, *Si quis à proprio Episcopo depositus Presbyter vel Diaconus vel Episcopus, ausus fuerit Imperatoris auribus molestiam exhibere cum oporteat ad maiorem Synodum conuerti, & ius quod se habere putat ad plures Episcopos referre, eorumque examinationem suscipere, qui Imperatori molestus fuerit, is nulla venia dignus neque sui defendendi locum habeat, nec restitutionis futuræ spem expectet.* Concil. Antioch. can. 12.

Secunda est excommunicatio non latæ sententiæ, sed ferendæ Concil. Agathense primum can. 7. *placuit vt si Clericus relicto officio suo propter districtionem ad sæcularem forte iudicem confugerit, & ad quem recurrit solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur.* Quæ pœna inflicta quoque legitur in Venetico can. 9. his verbis: *aliter à communione quoque habeatur alienus*, cum enim sæcularis iudex potestatem nullam in Clericum habeat, non modo in criminali, sed nec in ciuili causa per cap. nullus 11. & decretalem Bonifac. VIII. capite sæculares 2. de foro competenti in 6. eo quod ille huic obsequi, non imperare debeat, patet ab eo cum Ecclesiastica libertate quam violat, Canonum quoque iura, & Pontificum decreta lædi, proinde non sine culpa, quam æquitati esse contrariam Antisiodorense Concil. innuit, his verbis: *Quicunque iudex, aut sæcularis, Presbytero, Diacono, aut cuilibet de Clero, absque audientia Episcopi iniuriam inferre præsumpserit, anno, ab omnium Christianorum consortio habeatur extraneus*, Antisiod. can. 43. quam culpam cum aliis pœnis, tum censura maximè, id est priuatione sacrorum, aditu Ecclesiæ congressuque fidelium puniri iuste posse quid vetat? Ei porro additæ & aliæ pro Clericis ad sæculares iudices appellãtibus. Eorum prima, minusque vsitata in Dei Ecclesia, fuit publicæ verberationis: in Matisconensi Concil. primo statuta can. 8. his verbis: *Si Clericus hoc implere distulerit, (de non appellando ad Laicos) si iunior fuerit vno minus, de quadraginta ictus accipiat, si honoratior, triginta dierum inclusione mulctetur.*

Secundo, ab Episcopi iudicio, qui sæcularium appellabat subsellia, quamuis apud eos euaderet superior, in pœnam tamen contempti canonis, ordinum vsum habebat nullum, Concil. Carthagin. proxime citatum can. 15 Quinetiam si eorundem iudicum communi suffragio, culpæ sibi obiectæ renunciabatur expers, locum tamen proprium, τὸν ἴδιον βαθμὸν καὶ τὴν ἱερατικὴν τιμὴν ἐπολάμβανεν, *gradum scilicet ac Sacerdotij dignitatem amittere inhibebatur*, Zonar. ibid.

Res ergo Clericorum omnes illibatæ, sanctæque esse debent iuridico Regio, quare ab eorum causis cuiusquemodi, tam quibus vita, saluſque agitur, quam fortunæ, puras eum habere manus, animumque est necesse. Propositionis partes sunt duæ in earum priore dicitur, cognoscere de criminibus Clerici, non esse iudicis laici, secunda, ab eius quoque examine & censura, ciuilia, vt æs alienum, pactaque conuenta eximit.

Priorem signate affirmant antiqua Concilia Carthag. 3. can. 17. *si quis Clericorum in causam criminis incurrerit, & abnuerit, iudicium Ecclesiasticum, debet periclitari*, hinc enim argumentari sic libet, quæ legibus sunt naturæ aut regijs, permissa singulis, hæc nocere cum fiunt, non solent, enimuero plectuntur solæ culpę, in quibus, locum non habet, quod nec natura, nec humana iura respuũt, cum ratio, sceleris amica esse nequeat, in qua vis est.

Digitized by Google

eſt, naturaque legis ſita. Sed nocet Clerico tribunalium ſæcularium aditio, prodeſt autem eidem imploraſſe æquitatem Eccleſiæ, hæc ei ergo, non illa adeunda ſunt opis gratia, ſane eũ in cauſis criminalibus pleniſſimum fori priuilegium obtinere, docet, Gratianus ex multis Pontificum decretis cauſa 11. qu. 11. & lib. 2. decret. titulo de iudiciis capit at ſi Cleric. cap. qualiter & quando.

Quare enixe Laico iudici imperat Eccleſia in Aurelian. 5. can. 20. *Ne quenquam Clericorum pro ſua voluntate conſtringere, diſcutere audeat, vel damnare*, quæ tria ſunt propria iudicis officia, cum eius ſit ſontium comprehenſio, diſcuſſio, condemnatio.

Quid? quod in Agathenſi primo can. 32. vetentur ſinguli litem Clerico intendere, ei diem in foro coram iudice regio dicere? *Id eſt criminale illi negotium in ſæculari iudicio proponere*, quod in Romano primo ſub Syluestro dicitur, *nulli Clerico licere ante iudicem Laicum ſtare*, ſunt Clerici ergo non ſua magis ſpecie atque maieſtate, contra fori ciuilis aculeos tuti, quam Pontificum, Eccleſiæque æquiſſima voluntate, addamus & Imperatorum vt Conſtantini 1. apud Ruffin. lib. 10. hiſtoriar. cap. 2. & lib. 16. Cod. Theodoſiani, & lib. 7. de Epiſcopis, quam immunitatem à Iuliano violatam, reuocarunt Theodoſ. & Valentinianus eodem tit. Codic. lib. 45. 46. & 47.

At enim dicat aliquis, cum impunitate muniatur audacia, ſi in eam vim legum erigere regius Quæſtor nequit, breui Clericorum nulla erit in templis religio, nulla in pactis fides, nulla domi virtus, nulla aduerſus pares æquitas, nulla in dictis factiſque moderatio, quis enim coercebit indociles? quis æqui neſcios, ac modi, in ſuis appetitionibus expertes frænabit? Pro ſolutione ſit

Secunda Aſſertio, *ad Epiſcopum pertinet, natas inter Clericos prouinciæ ſuæ controuerſias, tam de criminibus, quam pecuniis, iudicii ſui æquitate dirimere.*

Primo quia cum hæ æternæ eſſe non debeant, finem habeant eſt neceſſe, quem tamen videre nequeunt, niſi diremptæ auhoritate iudicis, non laici, ac ciuilis, vt patet ex dictis, ergo Eccleſiaſtici.

Secundo, eſt Epiſcopus, Eccleſiæ cui præeſt, Rector ac Pater, Clerici autem Eccleſiæ pars ſunt præcipua, ad cuius fortunatum regimen pertinere nemo negauerit, his eam compoſi legibus, quibus ſingulorum priuata, publicaque omnium incolumitas continetur, at hæc iurgijs tollitur, pace communi gliſcit ac alitur, ergo vt eſt hæc, ab eo in Eccleſiam inuehenda, ita & illa ſunt exterminanda, at eliminantur iure dicendo Clericis ex æquo & bono, quod facere ex fide, ac vt eſt neceſſe, ſolius Epiſcopi eſt munus.

Adeundus ideo Chriſti imperio *ſi peccauerit in te frater tuus dic Eccleſiæ*, Math. 18. nec cõſcientiæ ſuæ ſatisfacit, qui eo dimiſſo deflectit ad ſæcularia tribunalia. Carthag. Concil 3. can. 12. quare qui virtute cæteris præſtitere regibus, Reges & ipſi, Clericos à ſuis emiſſos tribunalibus, reiecere ad ſacra Eccleſiæ, à Chriſti aſſeclis id eſt Epiſcopis iuſta pœna multandos, teſtes libri, teſtes hiſtoriæ, teſtis retroacta ſæculorum ſeries.

Antiſtitum vitia, in ſupplici libello oblata ſibi, ne volante quidem oculo libare Conſtantinus voluit. Quæ Clericorum priuilegia crudelibus edictis vſta, transfuga Iulianus imperio abegerat, hæc mitiſſimi vir animi Theodoſius, diuino auſu, quaſi poſt liminio in Eccleſiam reuexit l. 47. Cod. Theod. de Epiſc. Eccl. & Cler. vt paulo ante eſt notatum.

Quid Gallos Reges eloquar? quid Carolos, Ludouicos, Robertos, Henricos, quorum, quam præclara de Epiſcoporum in reos Clericos authoritate, iudicia extiterint, nihil me neceſſe eſt in omnium conſcientia dicere, inter ſacræ Gallorum Hierarchiæ, varios Antiſtites, Engolimenſis emicat, hunc vt multos alios, Regum liberalitate, verius, quam inolita vlla conſuetudine, indiſtincte de cauſis omnibus ciuilibus, cognoſcere olim ſolitum, narrat Ioan. Faber apud Choppinum lib. 2. de ſacra polit tit. 1. num. 16. ad marginem.

Quid ſi Epiſcopus ipſe ſit reus? quid ſi Clerico ſuo ſuſpectus, quid ſi ob offenſam acceptam, ipſi minus placidus.

Cum res Epiſcopi agitur, aut Clerici, cui cum ſuo Epiſcopo non conuenit ob certas cauſas, tam iſtis, quam illi cui cum Epiſcopo negotium aliquod intercedit, appellanda eſt Epiſcoporum Synodus ad iudicium, aut Metropolitanus. Fabianus Papa author Epiſtola ad Hilarium 3 cap. 2. *ſi quis*, inquit, *Epiſcoporum, ſuper certis accuſetur crimnibus, ab omnibus audiatur, qui ſunt in prouincia ſua Epiſcopis, quia non oportet accuſatum alibi, quam in foro ſuo audiri.*

Morem hunc quidem Galliæ, priſco Patrum æuo fuiſſe, colligere cuiqueeſt facile ex can. 5. Vaſenſis Conc. a. 442. tẽporibus Leonis primi, *ſi quis Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit recurrat ad Synodum*, ſimilia præcipit, canon 20. Aurelianenſis Cõcil. tertii ibi enim iuberur Clericus de nimia Epiſcopi aduerſum ſe ſeueritate conquerens, recurrere iuxta antiquas conſtitutiones ad Synodum, quod aliquanto ante tempore vniuerſæ Eccleſiæ Chalcedonenſis Oecumenica Synodus fieri imperauerat actionis 15. can. 9. his verbis, *ſi Clericus aduerſus Clericum habeat negotium, non relinquat ſuum Epiſcopum, & ad ſæcularia iudicia non conturrat, ſed prius negotium agitetur apud proprium Epiſcopum, vel certe (ſi fuerit iudicium ipſius Epiſcopi) apud arbitros ex vtraque parte electos, audiatur negotium, ſi quis vero contra hæc fecerit Canonum ſubiaceat correptioni, & ſi Clericus aduerſus ſuum, vel alium Epiſcopum, habeat cauſam, apud audientiam Synodi prouinciæ eius, conqueratur.* Nefas ei tamen fuit, Epiſcopiſque in cœtum coactis, accuſatum præſulem damnare, abſque Romanæ ſedis authoritate. Damaſus Papa primus Stephano Archiep. Epiſt. 3. cap. 3. & refertur à Gratiano cauſa 3. q. 6. canone diſcutere ſexto, canone dudum 9. can. multum ſtupeo 8. eiuſdem quæſtionis & cauſæ.

Nefas tamen fuit læſo Clerico, apud eoſdẽ Epiſcopos in Synodo, queri de Epiſcopo ſuo, ac cum eo iudicio experiri velle, niſi prius de eo reſciuiſſet, vtrum ſibi ſatisfacere, iniuriamque tollere, indueeret animum, quod ipſum facere ſi renueret, tum demum ſummis primatibus cauſam indicare offenſo fas erat, *ac ſi primates eos pacificare non poterant, legitimo tempore conuocabant ad Synodum.* Fœlix primus Epiſtola ad patres Alexandrinos, à qua tamen ad Pontificem appellare faserat can. non licear 14. cauſæ 3. q. 6. & Damaſus Stephano Archepiſc. Epiſt. 3. cap. 2. ibi enim aſſerit omnibus licitum eſſe appellare ad ſanctam ſedem cum eſt neceſſe, ab eaque ſingulos fulciri in periculis, oportere.

Neque in criminalibus ſolum cauſis, ſed ciuilibus ac pecuniariis coram iudice Eccleſiaſtico con-

ueniendi ſunt Clerici de quo dubitare nemo poteſt qui legerit decreta Pontificum, in can. nullus Epiſcopus can. placuit 11. q. 1. caput at ſi Clerici de iudiciis cap. diligenti de foro competenti, vbi id tam diſerte & expreſſe Pōtifices ſignificant, nihil vt ab illis dici potuerit expreſſius.

Accedit & ratio, Nam cum bona, realem, ſibique propriam obligationem non habeant, ſequuntur conditionem & ſtatum perſonæ, ſed Clerici à iuriſdictione ſunt liberi ſæcularium principum, ergo & bona eorum: ergo de iis inſtitui proceſſus nō poteſt, ab eorum iudicibus, cum id fieri nequeat, niſi eos vocando, examinādo, imperando, à quibus rebus abſtinere hi debent, cum iis ſubiecti non ſint Clerici.

QVÆSTIO XXVII.

An interdum laico de cauſis Eccleſiaſticis cognoſcere liceat & quando.

LIcere tradunt D. Antoninus 3. parte tit. 9. cap. 2. §. 3. de Graffiis deciſionum aurearum lib. 4. cap. 18. num. 128. quando autem & quo tempore iam eſt videndum.

Primo ergo ſubeſt Laico Clericus in materia feudi, quod litibus, quæ de eius natura, vi & effectibus, oriri ſoleant, his per immediatum feudi Dominum, modus imponi lege canonica debeat cap. ex tranſmiſſa 6. & cap. verum de foro competenti. *Quia cum iudex Laicus cognoſcit in cauſa feudali, potius iudicat ſuper re ſua, quam de Clerico, cum tantum ſit iudex reſpectu cauſarum quæ oriuntur occaſione feudi*, Abbas in cap. verum de foro & in cap. dilectus de præbendis.

Secundo, cognoſcit Laicus de Clerico eiuſque cauſis, cum facultate, licentiaque Epiſcopi quia Clericus Laici magiſtratus operam implorare poteſt, annuente proprio Præſule, Concilium Carthag. primum can. 18. & habitum in palatio Vernis, can. 18. ergo & magiſtratus regius de eiuſdem Antiſtitis voluntate, eam petenti præſtare.

Quid? quod tribunalibus regis, ac principum, excludantur tantum Clerici, cum illis ad id ſuperiorum facultas deeſt? Concil. Veneticum primum can. 9. *Clerico niſi ex permiſſu Epiſcopi ſui ſeruorum ſuorum ſæcularia iudicia adire non liceat*, Aurelian. 3. *Clericus cuiuſlibet gradus, ſine Pontificis ſui permiſſu, nullum ad ſæculare iudicium præſumat attrahere*: ergo cum Epiſcopo viſum erit concedere Clericis, vt ciuile forum ex cauſa adeant, in eo recipi, audiri, iuuari, à magiſtratu loci præſide poterunt.

Addamus his cauſis & alteram, à re ipſa naturaque petitam, quæro enim, quæ Pontificem ratio maxime impulerit, vt ſe inconſulto ac neſcio forum Clericis clauſum eſſet? opinor, vt hoc facto ſtaret eorum dignitas, Eccleſiæ maieſtas efflorēſceret, quam flacceſcere, ac inanem reddi, eſt neceſſe, ſi quibus, principum legibus, hominum quiſquiliæ cōpinguntur in vincula, his mandato iuridici regij, tenerentur & Clerici, hoc enim ipſum eſſet ſeruo dominum ſubijci, vt loquitur Conc. Veneticum primum can. 9. ſubditum Regi iura dare, ab oue Paſtorem regi, quæ vt naturæ oppoſita, bene inſtituta ratio odit. At nihil de luce Eccleſiæ, nihil de Clericorum excellenti ſpecie deperit, cum de iſtorum crimi.nibus quæ lionem laici inſtituunt, voluntate præſulum, ſic Nicolaus Pontifex cauſa 2. q. 7. can. 41. Imperatori eſt author, mittendi in vrbem, qui examinent, ecquid eorum eſſet criminum reus, quorum ab inuidis ac gloriæ ſuæ æmulis, arguebatur, *nos*, inquit, *ſi incompetenter aliquid egimus, & ſubditis noſtū legis tramitem nō conſeruauimus veſtro ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare iudicio* & poſt pauca, *& non tantum hæc ſola quæ ſuperius diximus, quærimus vt examuſim exagitent, ſed ſiue minora ſiue maiora illis ſint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in poſterum nihil ſit quod ab eis indiſcuſſum, vel indefinitum remaneat*, quæ enim hi verſant, quæ agitant, quæ tractant, Eccleſiæ authoritate magis, quam ſua verſant, ad cuius honorem facit haud dubie, quod ſibi in dicendo iure ſubſtituere poſſit è foro viros gnauos, nobiles ac induſtrios.

Eſt hoc tamen diſcrimen Papam inter ac Epiſcopum, quod ille vti opera laici poſſit ad omnes cauſas, etiam capitis ac vitæ, nequeat autem Epiſcopus, niſi in re pecuniaria ac mere ciuili, iuxta Gloſſam ad cap. decernimus de iudiciis verbo non præſumant.

Tertio, ſubeſt laico Clericus, cum non eſt ornatus Clericatus inſignibus, cuiuſmodi ſunt tonſura & veſtes, nec de iis abhibendis in communi vita, inceſſu, & congreſſu tertio admonitus, culpam emendauit, eorum enim omiſſio, eſt priuilegiorum omnium amiſſio quæ Clericis iure ſunt conceſſa, ex cap. contingit 2. de ſentent. excom. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. Heuia in Curia Philippica parte 3. nu. 16. Riccius in praxi par. 2. reſol. 172.

Quarto iſti Laico ad iudicium Clericus poteſt ob negotia, quæ mercatorum more agit in republica cap. Sacerdotibus ne Clerici vel Monachi, quia turpe eſt, fœdumque, ei opem ferri ab Eccleſia, per quem conſtat in ea ſcandalum generari, Auſterius in tractatu de poteſtate ſæculari regul. 1. fallent. 17.

Item ſi in arte quam profitetur quidpiam peccet, quod cenſuram mereatur, de quo Caroli IX. decretum extat anno 1563. art. 21. & 4. conſtitutionum quas Bourdinus explicat: *Et auſſi ſans preiudice de la iuriſdiction temporelle & ſeculiere contre les gens mariez & non mariez, faiſans & exerceans eſtats ou negotiatiōs, pour raiſon deſquelles ils ſont tenus & ont accouſtumé reſpondre en cour ſeculiere, où ils ſeront contraints de ce faire, tant en matiere ciuile que criminelle, ainſi qu'ils ont fait par cy deuant.* Qui autem Clerici, immunitate gaudere debeant, explicatur in comitiis Molinenſibus art. 40. & in collatione ordinationum art. 2. his verbis. *En quelque matiere que ce ſoit, ciuile ou criminelle, nul ne pourra iouyr du priuilege Clerical, ſoit pour eſtre delaiſſé, ou rendu au Iuge d'Egliſe, ou pour autre cauſe, s'il n'eſt conſtitué aux Ordres ſacrez, & pour le moins Souſdiacre ou Clerc beneficial, ou actuellement reſidant, & ſeruant aux offices & miniſteres qu'il tient en l'Egliſe, ou Eſcholier actuellement eſtudiant.* Ita hunc tamen tertio monendum, prius eſſe vt mercaturæ ſtudia ſibi ſectanda non exiſtimet, alioque cogitationem ſuam transferat, quam à iudice ſæculari puniri valeat, dixere Megala in 3. par. lib. 3. cap. 11. qu. 1. num. 31. Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 11. num. 314. Ceuallos tract. de cognit. per viam violent par. 1. qu. 70. num. 6. quam eis mentem iniectam eſſe à Pontificū decretis non eſt improbabile. Sic enim Honor. III. in cap. 16. de vita & honeſtate. *Mandamus quatenus ſi tales terciterò commoniti, ab huiuſmodi non reſipuerint, ſed*

prætermissis diurnis officiis, negotiationibus insistere: aut supradictis, cum facto abiciant priuilegium Clericale, in quominus, dum his se implicant, de suis facultatibus, stipendiis & consuetudinibus patriæ subiaceant, non defendas eosdem. De eo autem, qui profitetur militiam sic Clemens III. in cap. 15. de sentent. excomm. *Huiusmodi Clerici, si à Prælatis suis certo commoniti, militaria arma noluerint deponere, de priuilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debent.*

Quinto, inquirit de Clerico Laicus, cum ille non religionis studio, non zelo, ac amore status, à laicorum numero transiit ad Ecclesiam, sed impunitatis assequendæ causa, ac vitandi fori laici, vbi pœnas daret delictis suis æquales. Sylu. verbo iudex primo n. 6. Reginal. tom. 1. lib. 9. cap. vltimo num. 386.

Sexto Clericus coram iudice laico conuenitur super arreragijs census annui quando petuntur ratione prædiorum censualiũ. Rebuff. in tract. quando sæculares cognoscere possunt de Ecclesiast. nu. 79. causa est, quod tunc magis videntur conueniri possessiones, & possessores prædiorum, quam personæ sacræ: lege Imperatores ff. de publican. & vectiga. Secus dicendum cum non vectigalia, sed personæ essent ad eorum solutionem astrictæ, puta quia census est personalis, aut quia pro eius præstatione, alterius nomine Clericus vadem se constituit, nam tunc quia Ecclesiastici fori res est, ad illud recurri debet, Aufrerius in tract. de potestate sæcularium super Ecclesiasticis personis regula 2.

Septimo cum Clericus, recti indocilis, erratis modum non ponit, nec se corrigit Glossa in can nec licuit dist. 17. Regin. lib. 9. cap. 23. num. 350. tunc autem censetur incorrigibilis, cum ad idem peccatum relabitur, de quo cum iudex, publice sententia sua arguit, Sylu. verbo incorrigibilis, vel qui de crimine condemnatus, cum nequeat in Monasterio custodiri, ad eadem aut maiora scelera reuoluitur, quam sint ea de quibus à iudice per sententiam, quam è tribunali in eum dixit, ante est notatus Reginaldus proxime citatus.

Causa est quod vitia impunita esse non oporteat, ergo nec ea omitti media quæ lege, vel natura, sunt ad eorum vindictam instituta, at eiusmodi est laicorum Iudicum authoritas, qua eos Deus haud dubie instructos esse voluit vt reprimeretur audacia, plecterentur scelera, omnis è republica exularet improbitas, potestatem hanc ergo laxari in nocentes, incitari in fures Clericos cum accidit eos esse tales, fit sine emittentis iudicis culpa vlla.

Octauo licet iudici laico potestate sua vti in Clericum, cum conuenitur ciuiliter iuxta cap. 1. & 2. de mutuis petitionnibus & can. 1. § cuius in agendo 3. q. 8. quem enim quis iudicem adhibet ac exacuit in alium, tacite huius se quoque vult aculeis ac authoritati obnoxium esse.

Est hæc sane lex reconuentionis, vt qui iudex esse iure non poterat, per eam, lege quam optima, agat in non sibi subditum. Graphius 4. decisionum aurearum cap. 18. num. 128. quid enim æquius, quam *cuius in agendo quis obseruat arbitrium, eum habere etiam contra se iudicem non dedigneturꝰ* 3. q. 8. can. 1.

Notat autem Reginaldus cap. 23. lib. 9. num. 352. reconueniri Clericum non posse.

Primo, cum de solutione facienda pecuniæ agitur, ad quam est Laici iudicis sententia damnatus, superioris enim est cogere, non alterius, at talem non esse magistratum regium, nec authoritate in Clericum præditum ad id esse sufficienti longe est certissimum, cessat ergo Clerici reconuentio apud Laicum, cum est cogendus ad pecuniam præstandã collitiganti ad quam est condemnatus.

Secundo cessat in repetenda possessione iuxta cap. ex conquestione de restitutione spoliatorum.

Tertio cum Clericus vim est passus, à laico, tunc enim si ille aduersus hunc agat, reconueniri vicissim à laico Clericus non poterit, vt dicitur in cap. celatum §. ad hoc de iure patronatus.

Nono est laici tribunal, forumque Clerico subeundum, cum laico litem intentat, quia rei forum actor sequitur in causa ciuili, cap. si generale de foro competenti, Glossa ad cap. si Clericus verbo actor de foro competenti, non in spirituali, quod eiusmodi rerum cognitio Laico sit interdicta Pontificis decreto cap. 2. de iudicijs.

Decimo, subest Laico Clericus cum histrioniam factitat, & quidem si per annum in ea arte versatur, ipso iure omni priuilegio Clericali priuatur, si minori tempore, ter est admonendus ab ordinario, & si non desistit priuandus est priuilegio cap. vnic. de vita & honest. in 6.

Vndecimo, cum reperitur in flagranti delicto, aut illius præsenti periculo can. si quis Diaconus dist. 50. & lege palam parag. qui in adulterio dig. de ritu nuptiar. de quo à Leone decimo anno 1516. priuilegium Francisco primo concessum esse, scribit Grassal. de iure liliorum.

Duodecimo, cum est coniugatus & incedit sine Tonsura & habitu. Barbosa iuris Eccles. lib. 1. cap. 39. parag. 2 num. 72. Bobadilla in Politicis tom. 1. lib. 2. cap. 18. Riccius in praxi tom. 2. resol. 172.

QVÆSTIO XXVIII.

Quid habeat Gallia peculiare circa Clericos, eorumque iudicia.

Dico primò, *In Gallia posse conueniri Clericum coram iudice Laico, cum de recognoscendo instrumento agitur, quo contra eum Laicus nititur ad petitionem eius sibi debiti.* Ita Franciscus primus art. 92. legum publicatarum in curia anno 1539. *Que toutes personnes qui seront adiournees en leurs personnes en cognoissance de cedules seront tenues icelles recognoistre, ou nier en personne, ou par Procureur especialement fondé pardeuant le Iuge seculier, en la iurisdiction duquel seront trouuez sans pouuoir alleguer aucune incompetance, & ce auant que partir du lieu, où lesdites parties seront trouuees, autrement lesdites cedules seront tenues pour confessees par vn seul defaut, & emporteront hypotheque du iour de la sentence comme si elles auoient esté confessees.* Erit hæc tamen iudicis cautio prima, ne Clericum ad debiti præstationem cogat, Rebuff. tract. de Chirographorum & cedularum recognitione art. 1. n. 1.

Ratio est, quod sic concessæ sibi potestatis limites iudex excederet, cum agnitionis solius Franciscus meminerit in sua lege, solutionis nullo modo, *seront tenus icelles recognoistre.*

Secundo, dabit iudex operam vt cognita manu Clerici, eum illico ad competentem iudicem, hoc est suum, proindeque Ecclesiasticum remittat, vt eius authoritate ad id cogatur, quod suadebit æqui-

Digitized by Google

tas, quale eſt præſtare promiſſi fidem, vt facturum ſe eſt pollicitus, Aufrerius in ſtylo Parlamenti arreſto 205. & 405. vel debitum ſoluere, integrum quidem cum eius exhibendi tempus aduenerit, partem autem ſi eam ſe daturum recepit certo tempore.

Tertio, laborandum eſt Iudici ante omnia, vt eius imperio ſiſtatur ſibi Clericus, alioqui non ſatisfacit legi, quæ vtrumque haud dubie, his verbis exigit, *qui ſeront adiournez en leurs perſonnes*, à qua abire iudici non licet, niſi de principis ac Legiſlatoris oppoſita voluntate, certa vel admodum probabili coniectura ei conſtiterit, lege ſi non aliter ff. de legat 3. quod tamen extra Galliam licere iudici negat Duardus in Bulla cœnæ lib. 2. can. 15. q. 11. num. 53.

Secundo eſt hoc Galliæ peculiare in hoc genere, vt de depoſito commiſſo Clericis, præſes regius quæſtionem inſtituat, eoſque cogat, illius reſtitutionem facere deponentibus, Choppin. lib. 2. de ſacra politia quod in vſu quoque Hiſpanis eſſe docent Borellus de præſtantia Regis Catholici cap. 71. Salſago de protectione regia tom. 2. par. 4. cap. 14. Gutierr. de tutelis par. 3. cap. 1 num. 1.

Tertio, eſt hoc fori Gallici, proprium, vt qui vice principis, illi cum poteſtate præſidet, condemnare Clericum teſtium ore conuictum, de plaga Laico impoſita, poſſit ad omnia, quæ iſte dum curatur, ad vitæ ſumptus, medicorumque operam impendit: auctor iſta audendi Carolus VIII. in decreto de ſententia prouiſionali art. 51. *Auons ordonné qu'eſdittes prouiſions d'aliments, dommages, medicaments les prouiſions données par ſentence Iuge Royal ſeront executees nonobſtans oppoſitions ou appellations, & ſans preiudice d'icelles.*

Ne quid tamen in eo iudex peccet, oportet ſic ei Clerici crimen certum eſſe, vt de eo quamuis alia in eum non producantur argumenta, nec in illum immittatur nouus actor, argui tamen, ac conuinci poſſit, Rebuffus dicti tractatus art. 1. Gloſſa 4. num. 13. quod ſi eſſet facti fides, probatioque neceſſaria, Laico iudici procedendum non eſſet contra Clericum, ſed læſo Eccleſiaſtici authoritas, auxiliumque contra eum implorandum eſſet.

Ratio eſt, quod cum Clericus à poteſtate ſit Laici iudicis, foroque, iure canonum exemptus, ab hoc nulla in eum exerceri poſſit de vita ac ſalute quæſtio, vt accideret, ſi in eum iudex, teſtes armare, armatos recipere, ac audire in publico prætorio, populique luce poſſet.

Secundo cum ſit incertum, quibus alimentis, ac pharmacis, vulneratus egeat, adhibere iudex debet medicinæ peritos ad conſilium, qui eidem ſpectata vulneris natura, ac magnitudine, quid ſit, & quantum, ad eius curationem neceſſarium, interpoſita iurifiurandi religione referant, vt id læſo dari curet à Clerico, non amplius, authentica de non alienandis rebus Eccleſiæ paragr. quod autem.

Tertio Martini V. beneficio, iudex in Gallia cognoſcit inter perſonas Eccleſiaſticas, de cauſis beneficiorum poſſeſſoriis vi Bullæ ea de re à Martino V. conceſſe, eſt hæc eiuſmodi.

MArtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad futuram rei memoriam. Apoſtolicæ ſedis æqua & circumſpecta prouiſio, quorumlibet & iura & tranquillitatem confouere ſatagens: cum verisimiliter timetur ne cupiditas improba ſe à vetitis abſtinere neſciens, ſtatutis, ordinationibus à ſe huiuſmodi prodeuntibus, laxato freno rationis abutatur, per prouiſionis debitum remedium, nunc vero per optimum declarationis officium nititur obuiare. Dudum ſi quidem prouide conſiderantes, quod licet Clerici, Eccleſiaſticæque perſonæ, quorum cauſas, & querelas in his præcipue, quæ de iure vel conſuetudine ad forum Eccleſiaſticum pertinere noſcimus, eo tamen derelicto, ſæcularibus iudicibus ſe ſubmittere, ſeu partes ſibi aduerſas ad forum de iure vetitum conuenire, vel contrahere præſumebãt, grauibus proinde pœnis, tam ſpiritualibus quam temporalibus, etiam iure diſponente alligarentur. Pœnas tamen ipſas non ſine propriæ ſalutis periculo ſæpius videbantur habere in contemptum. Nos qui ex debito paſtoralis officij ſalutem quærimus ſingulorũ, ſuper his opportune prouidere volentes, per alias noſtras literas, ſtatuimus & etiam ordinamus, quod quicunque ex Clericis & perſonis eiſdem, de cætero reus talis præſcriptionis exiſtentis, niſi à præmiſſis deſiſteret, omni commodo conceſſionum & gratiarum ſibi à ſede prædicta conceſſarum careret. Ipſeque in graues tunc expreſſas & alias iuris pœnas incurreret, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem pro parte Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Caroli Regis Francorum illuſtris nuper nobis fuit expoſitum, quod à nonnullis vertitur in dubium: an per huiuſmodi noſtram conceſſionem derogare voluerimus iuri, & iuriſdictioni Regiæ: præſertim in caſu poſſeſſorij retinendæ poſſeſſionis ſuper ſuis Eccleſiis, & beneficijs Eccleſiaſticis regni Franciæ & Delphinatus Viennenſis, per quam Iuriſdictionem præfatus Rex ſibi aſſerit licere in omni caſu etiam iuridice tueri poſſeſſores. Nos ad omne ambiguitatis tollendũ dubiũ, ſuper his opportune prouidere volẽtes, eiuſdẽ Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati authoritate Apoſtolica: tenore præſentiũ declaramus noſtræ intentionis non fuiſſe, neq; eſſe per dictam aut per aliã quamcunque conſtitutionem eidem Regi & eius Regiæ Iuriſdictioni, per quam (vt aſſeritur) tam Rex quam ſui progenitores ſuper omni poſſeſſorio à tanto tempore, citra quod de eius contrario memoria hominum non exiſtit, conſueuerunt cognoſcere, in aliquo derogari voluiſſe, aut velle, quoque modo ipſoſque Regem & iudices detinentes partes moleſtatas ſuper earum conſeruatione, ad ſuorum beneficiorum poſſeſſionem, ipſius Regis auxilium implorantes (dummodo in contemptum Iuriſdictionis & libertatis Eccleſiaſticæ, vt partes ſibi aduerſas in rebus Eccleſiaſticis diutius perturbarent, hoc non fecerint) pœnas in dicta noſtra conſtitutione contentas, nullatenus incurriſſe, aut debere incurrere quouiſmodo. Per hoc autem nullum ius ſeu Iuriſdictionem in præmiſſis co-

Digitized by Google

gnoſcendi eidem Regi de nouo acquiri volumus, ſed antiquum ſi quod habebat tantummodo conſeruari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, conſtitutionis & voluntatis infringere, & ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctos Apoſtolos Calend. Maij, Pontificatus noſtri anno 12.

A nere, ex hominum vita, congreſſuque exigi, mea tamen non eſt opinio, fas eſſe Laico iudici, hac acerbitate cruciatuum inſequi Clericum, ad quem hæc culpa pertinet, portus armorum (vt loquuntur) quod Clericus de eorum non ſit numero, in quos Regi ſit permiſſum pœnam ac legem capitis ſancire.

A teſt inquies, hoc crimen, de iis quæ capite ſuo Clericus luit, authoritate communis fori, nam quem improbę mentis væſania, furentem eò prouexit, vt peſtifera contra Regem, aut commune bonum conſilia agitet, ab hoc leges, vti maieſtatis læſæ reo, capitis, pœnas exigunt, ſed armorum portu maieſtas principum infringitur, publica regni ſalus læditur vt habet Henrici III. edictum his verbis in Bleſenſibus comitiis conceptum art.

B 278. *Defendons à tous Gentils-hommes & autres, de faire aſſemblee de gens ſoubs pretexte de querelles particulieres, ou autres que ce ſoit, ſur peine d'eſtre punis comme criminels de leſe Maieſté, & perturbateurs du repos public de noſtre Royaume.*

In hac ergo pœna, profani magiſtratus imperio, quam in perduelles ſanxere leges, hærendum erit Clerico, qui armatus, cum armatis, impetum in vitam aut fortunas alienas fecerit.

Reſpondeo ea tantum crimina in Clerico, per Laicum iudicem puniri morte in Gallia, quibus propriè Regum maieſtas impugnatur, aut priuata charitas. Priorem euertit coniuratio in rempublicam, vis in principem, cum hoſte communi inita

C ſocietas. Poſteriorem autem homicidium, omniſque in proximi vitam impetus, at iſtorum nihil à Clerico fieri, aut factum eſſe ſupponimus, cum principi, cum ciuitati, cum regno factæ inſidiæ ab eo non dicuntur, ſed legibus, ſed edictis principum, & quidem abſque cuiuſquam iniuria.

Tertius caſus in quo magiſtratui regio contra Clericum progredi in foro conceditur, eſt cum hic in functione muneris quod in Repub. Senatu aut regno obit Regis nomine, quidpiam commiſit pœna dignum. Ioannes Gallus in ſuis arreſtis art. 59. alias 168. Chaſſan. in Rubrica *des Iuſtices*, & Graſſalius Regalium Franciæ iure 17. Cenedo in

E collect. iuris can. par. 1. collect 37. Suar. contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 34. Laym. lib. 4. tract. 9. cap. 4. num. 3. Ceuallos de cognit. per viam violent. par. 2. q. 65. Ita Senatori Clerico concuſſionario, graues olim pœnas, ſed tamen iuſtas à Curia inflictas ſcripſit Chaſſan. in §. 5. *des Iuſtices*, fallentia 15. nam primò Senatorum numero eſt motus. Secundò magiſtratu quem geſſerat, ſpoliatus omnium ſuffragio: poſtremo mulctatus eſt certa ſumma pecuniæ fiſco applicandæ regio. Sic vero in eos aduertēdi poteſtatem ſibi eſſe factā à Romano Pōtifice declararunt Franciſcus primus anno 1540. art. 38. & Henric. II. anno 1549. art. 20. in hæc verba: *Suiuant l'Indult de noſtre ſainct Pere, & Ordonnances de nos predeceſſeurs, par leſquelles, ſi aucuns de nos Officiers ſont trouuez delinquans en leurs offices, ils doiuent eſtre priuez de leurs Clericatures: Declarons qu'affineurs, rogneurs, ou leurs receleurs ne ſeront receus encas de delict commis au fait de nos monnoyes à alleguer, ny eux ayder d'aucunes lettres & priuileges de Clericature, &c.*

Quartus caſus eſt cum Clericus peccat in Iudices regios aut Officiales vt loquuntur publicos regni, vt ſi eorū famæ detrahit, ſi eos maledictis lacerat, ſi eorū poteſtatem conficit ac vulnerat, ſi cū officiū faciunt eos lædit: Ita cū in prætorio ſpectante vrbe, loci præſidē minus religioſe, ac honeſte, interpellaſſet quidā Clericus, Curiæ placuit, hominis au-

Quarto licet profano magiſtratui pœnas de Clerico repetere in caſibus quos priuilegiatos nominant, Graſſalius lib. 2. de regalibus Franciæ priuilegio 17. Auſrerius in allegat. repetition. Clementinæ I. Benedict. in repetitione canonis, Rainutius in verbo & vxorem nomine Adeleſiam Chaſſan. in commentario conſuetudinis Burgundicæ tit. *des Iuſtices* §. *Si aucun commet ſimple larrecin*, in Gloſſa ſuper verbo, *s'il n'a grace*, Maſuerius in ſua prattica tit. de Iudiciis §. item ſciendum.

Primus eſt cum inſignia regia domui aut templo ad ſecuritatem affixa (ſaluam gardiam barbari appellant) audaci manu Clericus refigit, hanc enim eius cum improbitate coniunctam amentiam, iuridici mulcta minimum pecuniaria vindicant Chaſſan. in commentario conſuetudinis Burgundicæ rubrica *des Iuſtices*, ad verba, *s'il n'a*

C *grace*, num. 80. & 81. Eius rei hæc eſt cauſa, quod aduertere in cuiuſquemodi læſæ maieſtatis reos, regij cauſarum capitalium quæſtores poſſint & debeant, at eſt ſaluagardiæ violatio, regiæ maieſtatis imminutio, de ea ergo cognoſcere licitum eſt magiſtratui regio.

Secundus eſt, cum Clericus ſocietatem maleficij coit cum Clericis, aut Laicis, eiuſque efficiendi gratia, in publicum armatus progreditur, aduerſarios, ac obuios cum aliis infeſto gladio aggreditur, inter quos ſeipſum & ſocios, pugna ſic conſeritur, vt de omni turba, vnus ſaltem aliquis vulneretur, aut cædatur, & hic caſus *armorum portus*,

E dicitur à iuriſperitis Gallis, Graſſalio regalium Franciæ iure 17. Imberto praxis criminalis & ciuicæ lib. 3. cap. 8. Petro Guenois in cum Imberti locum littera T. ad marginem, ab aliis *via facti*, *cœtus illiciti*, *vitioſa contio*, Ac ſi tùm accidat à Iudice aut eius miniſtris Clericos armis ſuis ſpoliari, hæc illis non tenetur reddere, vt ex Iul. Clero lib. 5. ſentent. in practica crimin. qu. 36. num. 27. probat P. Gregor. lib. 2. partition. tit. 9.

Pœnæ vero Clerici tumultuantis in prouincia, aut cum ferro graſſantis ſunt variæ.

Primo dicta eſt in eum excommunicatio, lege Canonica, Innoc. III. in cap. veritatis 8. extra de dolo & contumac. nam ibi Curienſem Epiſcopum homicidij accuſatum & conuictum à com-

E munione fidelium ſubmouet.

Secundo lege ciuili, plectitur iactura ſeu priuatione omnium bonorum, aut partis eorundem, & quanquam in eos qui armati prouincias tenent, qui latrociniis infeſta reddunt itinera, qui militum delectum habent, qui armatorum cœtum cogunt pugnæ cauſa, aut maleficij, capitis pœnam Carolus VIII. anno 1487. Carolus IX. anno 1560. ambo Reges dixerint, eoſque imitatus Henricus III. anno 1579. vt refertur in libro decretorum regiorum, tit. 12. illos voluerit vt perduellos ac maieſtatis violatæ reos, omni ſuppliciorum ge-

Digitized by Google

pecuniaria coercere ad exemplum, vt narratur in tract. arreſt, art. 138. à Chaſſan. & P. Gregor. in partition. iuris lib. 1. tit. 9. cap. 11.

Quintus eſt, cum Clericus iura Regis violat, eius poteſtatem vſurpando, aut impediendo, nam tunc abſtinere ab iniuria, aut audaciæ ſuæ modum facere cogitur, per vindicationem reddituum, quos ex beneficio poſſidet, in eos enim Regis nomine manus (vt aiunt) iniicitur, dum abſiſtat iniuria, vt recenti memoria factum ſcimus à curia aduerſus Epiſcopum Andegauenſem, Patrum autem æuo, contra pleroſque vt narrat ſtylus Parlamenti tit. de perſonis Eccleſiaſt. in fine.

Sextus caſus in quo Laico Clericum audire diſceptantem, ac punire licet, eſt, cum accuſatur monetæ, contra Regis voluntatem, licentiamque, cuſæ: ita Franciſci primi leges Regiæ art. 38. Henrici II. art. 20. *Suiuant l'Indult de noſtre ſainct Pere & Ordonnances de nos predeceſſeurs, par leſquelles, ſi aucuns de nos Officiers ſont trouuez delinquants en leurs Offices, ils doiuent eſtre priuez de leurs Clericatures: Declarons que les maiſtres gardes, tailleurs, eſſayeurs, & contregardes de nos monnoyes, pareillement les Preuoſts, ouuriers & monnoyeurs, d'icelles, enſemble tous faux monnoyeurs, rogneurs, & billonneurs, ou leur receleurs, ne ſeront receus en cas de delict commis au fait de nos monnoyes à alleguer, ny eux aider d'aucunes lettres & priuilege de Clericature, ny requerir eſtre rendus aux Iuges d'Egliſe, mais ſera procedé contre eux par nos Iuges à la punition deſdits crimes ſelon l'exigence d'iceux.*

Septimus caſus, de quo ſpeciali priuilegio cognoſcere Laico eſt licitum contra Clericum eſt, cum hic, arguitur corrupiſſe teſtes, chartis mendacibus inſtrumentis ac tabulis falſis vſus, eſſe in iudicio, cõtra collitigãtẽ Gallicè *d'auoir produit quelques pieces qui ſont maintenues de faux*, P. Gueuois annotationibus in Imberti praxim lib. 3. cap. 8. littera L. ad marginem, Charondas primo Pandectarum iuris cap. 13. vbi ad eius rei fidem, iudicia curiæ bina profert, ſignata annis 1545. & 1559. quorum altero, iuſſus eſt Clericus, corruptelæ à ſe admiſſæ, in ſimulandis litteris procuratoriis ad reſignandum, veniam, in publico caſtelleti prætorio deprecari à conſeſſu iudicum, quo habitu ſpecieque rei ſolent, cum condemnãtur ad emendam vt loquuntur honorabilem, capite nudo prælata manu face, reſti è collo pendula, genibus flexis, manibus ad pectus applicitis.

Octauus, Clericos ad ſe ſubſelliaque fori ciuilis, trahere profani magiſtratus ſolent, cum accuſantur magnorum ſcelerum, qualia ſunt Doctorum opinione, furtum, homicidium, blaſphemia in Deum & Sanctos, apoſtaſia, vſura, iudaiſmus, Sodomia, ſortilegium, magia, veneficium. Ioannes faber, Salicetus in leg. 1. Cod. de his qui ad Eccleſiam confugiunt, Canonici iuris interpretes in cap. inter alia de immunitate Eccleſiarum, Guenois ad Imberti prax. in lib. 3. cap. 8. littera I. ad marginem.

Quo de more hoc primum habeo dicere, eum eſſe Patrum ſanctionibus oppoſitum, nã quis neſcit Epiſcopos olim ius de adulterio, rapina, publica, atroci iniuria, quæ parum abeſſet ab homicidio dixiſſe Clericis? cui non cognitum in Eccleſiaſtico foro, contra Eccleſiæ miniſtros ac aſſeclas, à ſacris Eccleſiæ magiſtratibus quæſtionem habitam quondam eſſe? ecquid Paulum Diaclinæ ciuitatis Epiſcopum, turpis culpæ conuictum, loco ſuo mouere præſules in Synodo? quo de facto Gregorius in regiſtro ad Ioan. Epiſcopum cap. 216. ſcribens hæc habet *lator præſentium ad nos veniens indicauit quod Paulus Diaclinæ ciuitatis Epiſcopus inter alia mala in corporali crimine lapſus, à ſuis Clericis accuſatus atque conuictus Epiſcopali ſententia depoſitus eſt poſtea cum auxilio &c.* Ecquid Guillandum preſbyterum, de morte Epiſcopi ſui infamatum, præſuli ſuo, defuncti ſucceſſori legitimo examinandum, ac ſi facti eſſet conuictus, iuſtis plectendum pœnis commiſit Alexander Pontifex? 2. q. 5. Canone ſuper 11. ecquid in Agathenſi primo ſub Symmacho Papa 3. anno redemptæ ſalutis 506. circiter, cauſa furis Clerici diſcutiendi tradita eſt Epiſcopo, ac mulctanda communione Laica, *ſi quis Clericus* (inquit can. 5.) *furtum Eccleſiæ fecerit peregrina ei communio tribuatur*, Iure ergo communi ac priſco Canonum, de Clericorum peccatis cuiuſquemodi inquirere, ac ius dicere, ſacri fuit olim, non profani iudicis. Clericum quendam ſuũ è medio Epiſcopus Syluanenſ. cũ iratus ſuſtuliſſet, dati ei fuere quæſitores ac indices non è Senatorũ turba viri Principes, ſed Epiſcopi: *Non vſurpamus, officium iudicis in iſto negotio ſicut vos velle dicitis*, inquit S. Fulbertus epiſt. 48. *cum nullus eſſe poſſit cauſæ ſuæ aſſertor & index: verum enimuero ſatis admirari nequimus, quid nam mali eſt, quod tam audaciter ad iudicium properatis, niſi forte quod publice damnari eligitis quam ſecreta ſatisfactione purgari.*

Nec eſt quod aduerſarij decretum Concil. Matiſconenſis primi, circa annum 576. Ioanne Papa 3. opponant, quo ſæculari iudici Clericum in vincula dare prohibetur, *abſque cauſa criminali id eſt homicidio, furto, aut maleficio*, can. 8.

Nam contendo primo, non eſſe vnius cuiuſpiam prouinciæ legem dare cæteris. Deinde cum in Clericorum cauſis duo ſint maxime, quæ ad hunc locum pertinent.

Primo, capitis ſententiam in nocentes, dictam exequi.

Secundo ſontes prehendere, ſingulorum merita diſcutere, librare ſcelera, vitam ad Canonum formam exigere, voluere ibi Patres etſi hoc poſtremum de duobus, ita ſit Eccleſiæ, Clericorumque munus proprium, vt illud vindicare ſibi laicus nequeat, his & illa repugnantibus, primum tamen illis committi conſueuit, maximè cum admiſſorum atrocitas, omnium pœnarum Canonicarum, tam quæ temporariæ ſunt, quam quæ ſpiritales, modum ſuperat, quas tamen in eorum auctorem exeri, ad exemplum ac vindictam, è re videtur eſſe communi, ac ab æquitate exigi.

Addo 3. illo ſuo Canone indicare Concilium, nihil eſſe quamobrem Eccleſia ſibi in quæſtione habenda de Clericis, laicum ſubſtituere nequeat, quod non negamus.

Equidem cum eſt delictum Clerici eiuſmodi quod ob grauitatem ſubduci foro Eccleſiaſticorũ ſit neceſſe, iſtis de eo inquirentibus, aſſident Regij iudices in Gallia, cuius decreti, quantum meminiſſe datur etſi princeps fuerit ac author Carolus eius nominis 9. anno 1566. confirmator Henricus 3. anno 1580. vſum tamen, vimque niſi ab Epiſcoporum tolerantia habet nullam. Eſt autem Caroli decretum his verbis in art. 39. comitiorum quæ Molinis ſunt habita: *Ordonnons que tous iuges inſtruiront & iugeront en tous cas les delicts Priuilegiez contre les perſonnes Eccleſiaſtiques, auparauant que faire aucun delaiſſement d'icelles, à leurs iuges d'Egliſe pour le delict commun, lequel delaiſſement ſera fait à la charge de tenir priſon, pour les peines de*

deliſt priuilegié, où elles n'auroyent eſté ſatisfaictes, & deſquelles reſpondront les officiers de l'Eueſque, en cas d'eſlargiſſement par eux fait auant la ſatisfaction deſdites peines.

Ita cum anno 1586. Maceus Durantus, Decanus Lauallenſis veneficij cauſam diceret ſimiliſque item culpæ affinis ac conſcius diceretur anno 1593. Iſaacus Spifameus viſum eſt Senatui ſtatuere, nequid in eorum cauſa fieret, cuius vterque iudex non foret conſcius. Itaque ambo tam examinandis teſtibus, eorumque moribus ac fidei, quam cauſæ momentis, criminiſque notioni ſic interſunt, vt, vnius ſine altero opera, inanis ſit ac nulla. Robertus Annæus rerum iudicatarum lib. 1. cap. 6.

Crimina ſunt tamen alia, eaque non pauca Clericorum, de quibus Curiæ in Gallia, iudicare eſt in more.

Primum eſt, cum Clerici graſſantur in cædes innocentium, cum immunitate ſtatus, dignitate, ac prærogatiua ordinis abutuntur in Reip. exitium: nam ſi eos Papa non reprimit, ſi eorum audaciæ frænos non inicit, Principi non eſt in vitio, ſubditis ſuis conſulere, vim vi repellere, nocentes in vincula mittere, de iis etiam, ſi eſt ad tranquillitatem communem neceſſarium, pœnas repetere: ita Fernandez in examine Theologiæ moral. par. 2. cap. 6. par. gr. 1. num. 4. Ludouic. Molina de iuſtit. & iure tom. 1. tract. 2. diſp. 31. num. 10. ratio eſt, quod cuique licet, ſalutem ſuam cum in diſcrimen vocatur, in tuto ponere, ſeque contra aggreſſores defendere, ergo & Reipublicæ permiſſum erit, tueri ſe contra Clericos, cum ſibi, ciuibuſque ſuis vim inferunt, ergo ſi tam ſuum, quam ſuorum iugulum petierint, retorqueri in eorum capita, petitiones hæ, honeſte poterunt, ac cum laude, modò id fiat cum inculpatæ tutelæ moderamine Benedict. in cap. Rainutius verbo vxorem num. 454. Nauar. in cap. cum contingat de reſcriptis remedio 1. verſu 1.

Secundum crimen eſt Sodomiæ tertium parricidij, Imbert. in cap. 8. li. 3. praxis. quartum eſt crimen omne depoſitione dignum, aut quod eſt eiuſmodi, propter quod eius auctor ſacræ dignitatis priuilegiis excidit. Ex his cauſis ſunt ſequentes, ſi Clericus artem ſcenicam per annum exerceat. Si eſt aſſaſinus aut aſſaſinorum fautor vel ſummiſſor de homicidio in 6. *Nam contra hos omnis poteſtas tribuitur à Domino ad iuſtitiam, rectumque iudicium exercendum.* Innoc. IV. de homic. cap. 1. in 6. Si eſt degradatus & curiæ ſæculari traditus Abb. in cap. nouimus de verbor. ſignificat quia talis fit exauthoriſatione ſæcularis Innoc. III. in cap. nouimus 27. de verborum ſignificat. Idem dicendum ſi ſit verbo depoſitus & incorrigibilis, de quo extat Cœleſt. III. decretalis in hæc verba cap. cum ab homine 10. de iudiciis: *Qui ſi depoſitus, incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia creſcente, anathematis mucrone feriri, poſtmodum verò ſi in profundum malorum veniens contempſerit, quum Eccleſia non habeat vltra quid faciat, per ſæcularem eſt comprimendus poteſtatem.* Præterea excidit Clericus priuilegiis, iure Pontificum conceſſis ordini, ſi veſtibus indecoris, ſi abſonis, ſi alienis à ſtatu ornatus, in publicum prodeat. Itē ſi Clericorum proprias abiecit, ſæcularium variegatas ac diſcolores ſumpſit, quod in coniugatis tantum valere, iiſq; qui poſt trinam monitionem non ſapiunt, auctor eſt Imbert. ſupra. Item ſi eſt Apoſtata, ſi ſe pro Laico gerit, proque tali communiter habetur Alex. III. cap. 1. de Apoſtat. quale iudicium fieri tamen non poſſe ſcribit Chaſſan. in Comment. ſuper conſtitut. Burgund. niſi quarto poſt menſe, quam relicto ordinis habitu, ſæcularium more vitam inſtituit, de quo reſcriptum extare Leonis X. ad Franciſc. primum cui initium eſt *Romanum decet Pontificem*, habet idem auctor ibid.

Similiter ſi contra canones 19. Elibert. Concil. 3. Tarraconenſis quibus negotiari prohibetur, Clericus Oeconomum agit aut Procuratorem in Principis familia, nam ſi minus fideliter quam oportet, rem eius promouet, aut eam dilapidat, niſi tertio monitus ab ea prouincia deſiſtat, puniri à Laico magiſtratu poterit cap. Sacerdotibus, ne Clerici vel Monachi, hanc autem monitionem oportere eſſe ſpecialem, nec ſufficere vnam pro tribus dixit Aufrer. 10. de poteſtate ſæcular. regula, fallent. 17.

QVÆSTIO XXIX.

In qua agitur vt in priore de Regis ac regiorum magiſtratuum, in Clericorum cauſis diiudicandis, conſuetudine.

PRimo de beneficiis in regalia vacantibus cognoſcit Curia, tam in petitorio, quam poſſeſſorio, Ludouici XI. decreto de anno 1464 quod in inſtructionibus abbreuiatis, titulo de cauſis, quarum cognitio ad curiam pertinet, extare aiunt. Qua poteſtate, ab eo ſemper tempore, regios Magiſtratus vſos, eamque ſuis firmaſſe ſententiis conſtat, duarum meminit Forgetus titulo de regalia additque Graſſallus iure regaliæ 12. hanc eorum poteſtatem, ad omnia patere beneficia, quorum collatio ſolius eſt Regis, aut parrocinium quod tamen ſcriptoribus aliis non probatur, niſi de eo diploma à Rege habeant quod vulgo appellant litteras protectionis gallice, *Lettres de garde gardienne*, Fabricius de beneficiis Cathedralium Eccleſiarum num. 13. littera D. ad marginem.

Secundo, quæ ſuper poſſeſſorio beneficij cuiuſlibet lites mouentur, has Senatus vt proprias ſuique iuris diſcutit, fretus auctoritate Martini quinti de qua nos antea, eiuſque diplomate, cuius initium, *Apoſtolicæ ſedis æqua & circunſpecta proniſio.*

Secundo ad eam quoque rem conſuetudine ſe priſci æui niti Senatus ait quam Sixtus quartus approbauit vt legitimam in Extrauaganti, quæ incipit ad vniuerſalis Eccleſiæ §. præterea inter communes de Treuga his verbis: *Cæterùm vero ſimiles cauſæ beneficiales, inter quoſcunque pendentes, & quæ quibuſuis iudicibus ſeu auditoribus commiſſa reperiuntur aliquibus iudicibus competentibus iure quo Francia, auctoritate Apoſtolica conſiſtantur audienda. Præterea quæ ex ſupradictis cauſis in eadem Romana curia ſuper petitorio & diuerſis curiis ipſius regni ſuper poſſeſſorio tractantur, volumus quod in iiſdem cauſis, in diuerſis curiis ſuper petitorio & poſſeſſorio vnico & eodem contextu pendentibus, in poſſeſſorio in curiis earundem iudicum, coram quibus cauſa poſſeſſorij pendent de præſenti procedant.* Hæc Sixtus, cuius etſi authoritas pro Senatu non eſſet, faceret tamen, (inquiunt ſcriptores Galli,) longæui vſus temporis, qui cum eſt rationabilis & præſcriptus, habet vim legis cap. finali de conſtit. & cap. ſuper quibus, de verborum ſignificat. proindeque eiuſmodi, quem ſequi non ſit culpa, hinc ſane excuſandæ culpæ cauſam iuſtam eſſe ſingulis: cum de

Digitized by Google

poſſeſſorio in beneficiis, eorumque materia ſibi cognoſcendum eſſe putant, dixere, Guido Papa deciſione prima iuxta ſecundam editionem, Boerius in commentariis, de Butiricum conſuetudine tit. de iuriſdictione iudicum §. 4. Ferraldus de iure liliorum 31. Graſſalius lib. 2. cap. 5. Benedictus in can. Raynutius verbo & vxorem, deciſ. 6. de teſt. Feraldi ſunt hæc verba: *vndecimum liliorum ius eſſe dignoſcitur, ex cognitione cauſarum ciuilium inter perſonas Eccleſiaſticas in poſſeſſorio de cauſis ſpiritualibus, & hoc ex antiquiſſima conſuetudine quæ ius tribuit.*

Addunt alij minuendę culpæ cauſa, ſi quæ eſſet in hoc genere, nihil iſtiuſmodi cognitione à magiſtratibus peccari contra Canones, quia poſſeſſio pure eſt temporalis vt habetur cap. 7. qui filij ſint legitimi, vbi ab Alexandro III. dicitur Regis eſſe iudicare de poſſeſſionibus non acquirendis, ſed ſeruandis, de qua plura Guido Papa q. 85. & Graſſal. proxime citatus.

Sunt hæc porro quæ ſequuntur in cauſis beneficiorum poſſeſſoriis iudici ſeruanda in Gallia.

PRimo ne quæſtionem vllam exerceat de petitorio quia eius eſt incapax, vt colligitur ex cap. finali de iudiciis, ſcribitque Bourdinus art. 4. regiarum conſtit. eſt ergo ad Clericos reiicienda petitorij cognitio vt ſanxit Carolus eius nominis VII. in edicto ea de re ſpeciali ac proprio art. 69. quo loco, poſt admonitos iudices, vt in id oculos curamque intendant ſuam, ne de manibus ſuis elabi poſſeſſoria ſinant, illico quæ ſunt ſpiritalia, à ſpiritualibus tractanda ſubiicit: *Et renuoyent le principal de la matiere en cour d'Egliſe, où de ſa nature elle doit eſtre traictée*, & in conſtitutionibus Regiis art. 4. *ſans preiudice toutesfois de la iuriſdiction Eccleſiaſtique, és matieres des Sacrements, & autres pures ſpirituelles, & Eccleſiaſtiques, dont il pourroit cognoiſtre contre leſdits purs Laiz, ſelon la forme de droict.* Vt enim notauit in eum locum Bourdinus, *ſpiritualium rerum cognitio, & ratio non niſi ad ſpirituales homines ſpectare poteſt*: At petitorium in materia beneficiali, ſpirituale eſt, vtpote fundatum in iure ad beneficium quod ipſum eſt ſpirituale, & quoniam non ſunt cauſæ omnes vniuſmodi, prudẽter admonet Carolus in art. 76. eiuſdẽ ordinationis, in diſquiſitione poſſeſſorij præcipuã eius, ac cauſarũ rationem habendã eſſe, proque earũ varietate, varios earundem oportere eſſe iudices ac arbitros.

Nam magna præcipuæque notæ beneficia, in Senatu vult diſcuti, item & per Regaliam vacantia, communia autem, vulgariaque, in ſubalternis regni curiis: *Et voulons & ordonnons que ſelon la grandeur des difficultez qui vray-ſemblablement peuuent eſcheoir en icelles, elles ſoyent commiſes en icelle noſtredite Cour, au regard des grands benefices, difficultez & matieres, & pardeuant nos Seneſchaux & Baillifs quand aux autres.* Idem quoque Franciſco primo placitum vt tutam ex his ſanx. 13. ordinationis 26. verbis, fit planum, *& à ce que les benefices ne demeurent longuement litigieux, ordonnons que noſdits Baillifs, Seneſchaux, &c.*

Aduertere tamen hic lubet primo, contra poſſidentem in Francia, decreto Franciſci primi poſt annum ab inchoata poſſeſſione elapſum, audiri neminem, ſic enim ille art. 61. publicatorum in Curia anno 1539. *Qu'il ne ſera receu aucune complainte apres l'an, tant en matieres prophanes que beneficiales, ſinon qu'il apparuſt eſdites matieres beneficiales, le defendeur n'auoir tiltre apparent pour iuſtifier ſa poſ-*

A *ſeſſion.*

Aduertendum ſecundo, argumentum certũ poſſeſſionis eſſe, vſum rei ac dominium, eo tempore quo poſſeſſori lis eſt intentata ſuper ea Matth. de afflictis qu. 394. in deciſion. Neapol. cauſa eſt quod præſumantur eius poſſeſſionis initia iuſta eſſe, iuſta item eius continuatio, ac retentio, Rebuff. tract. de materia poſſ art. 2. Gloſſa 3. n. 14.

Tertio eſt in præſenti materia de cauſis ſuper poſſeſſorio in beneficiis hæc ſeruanda cautio, vt collitigantes obſignatis agant titulorum ſuorum tabulis, quas vſus habet, iam tum ab initio cauſæ magiſtratui examinandas dari, ac in publicum proferri cap. Ordinarij de offic. Ordinar. in 6. de Pacificis poſſeſſor. in pragmatica, parag. inquirant,
B Rebuff. tomo 3. tract. de cauſa beneficiorum art. 3. Gloſſa 1. num. 8. Guenois ad Imbert. lib. 1. praxis cap. 15. littera G. iubentque expreſſe Carolus VII. Ludouicus XII. Franciſcus primus, Caroli ſeptuageſima quinta ordinatio ſic habet: *Et pource qu'és procés & matieres des benefices les droicts des parties apparentes doiuent apparoir, par leurs lettres & tiltres, nous voulons qu'iceux procés ſoient expediez, decidez & determinez, le plus brief & ſommairement que faire ſe pourra, par les lettres & tiltres des parties, & par vn ſeul appoinctement ſur la determination dudit poſſeſſoire.* Equidem tituli inopia, certa eſt cauſæ ruina, Pariſius conſilio duodecimo hunc
C tamen ſufficit coloratum eſſe ac probabilem, Gomez in regulam de pacifica poſſeſſione triennali, Rota deciſione 257. qualem efficit ſuperioris collatio quælibet, etiam vitioſa, Gomez ſupra, Rota deciſione 393.

Quarto, Bullæ ſi perierint, aut earum non habeatur copia ad manum, ab eo cui deſunt, temporis tantum poſtulabitur à Iudice, quantum eis curandis, eſt neceſſe, eo elapſo vlterius fieri eius non poteſt vlla prorogatio ſi fides eſt Maſuer. ad edictum D. Adriani §. item ſi altera, Rebuff. loco proxime citato.

Quinto, ad petitionem partium, fiet beneficij ſequeſtratio (vt aiunt) & ſi propter iuris vtrimque
D ambigui implexas ambages de poſſeſſore legitimo veroque, iudici necdum ſatis conſtet, ei præ altero erit adiudicanda recredentia, cuius ius videbitur eſſe planius & certius: ita Ludouicus XII. in publicatis anno 1499. his verbis: *Combien que par les Ordonnances de nos predeceſſeurs, les matieres poſſeſſoires beneficiales, ſe doiuent iuger ſommairement & de plain, neantmoins par la ſubtilité des parties elles ont eſté & encores ſont immortelles, dont pluſieurs maux & inconueniens en aduiennent, pour auſquelles obuier, & afin que les Egliſes ne ſoient longuement en ſequeſtre, auons voulu & ordonné, voulons & ordonnons que les ſentences de recreance, ou de plain poſſeſſoire expediées par tiltres qui ſont données par nos Iuges, ou leurs ſieges principaux ſeront executées, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques.*

E Eſt autem recredentia Imberto in praxi fori lib. 1. cap. 15. num. 4. & Budæo in legem 2. verbo vindicias ff. de origine iuris, fiduciaria beneficij poſſeſſio ſub manu regis. Aliis idẽ eſt, ac præiudicialis poſſeſſorij ſententia, beneficiique iterata conceſſio, quod enim beneficium primo à Papa per collationem & inductionem in poſſeſſionem datum eſt alicui, ſecundo quoque, eidem demandatur, creditur que à Principe, eiuſque magiſtratibus per ſententiam poſſeſſoriam, & ab eo recredentiæ nomen eiuſmodi ſententiæ eſſe factum, docet, Rebuff. tract. de ſententia executoria art. 1 Gloſſa

4. Dixi

4. Dixi *præiudicialis*, nam cuius poteſtati beneficium à iudice creditur, ſtare ius ab eius partibus argumentum eſt fere in moralibus euidens: Rebuff. de ſententia executoria tomo conſtitutionum regiarum primo, art. 1. Gloſſa 4. numero 3. 4. & ſequentibus, & in Concordatis tit. de annatis verbo quinta tamen. Probatur, ſunt Franciſci & Caroli imperio diſcutiendi à Iudice tituli, quibus quiſque collitigantium fretus in cauſam venit, habentique meliorem, ſi eſt beneficij capax, adiudicanda eſt recredentia, cum obligatione repræſentandi in tempore fructus eius omnes, ſi eum cadere cauſa accidat, ergo aſſignatio recredentiæ, fides quædam eſt tacita futuræ victoriæ.

Sexto, dum cauſæ cuiuſque momenta iudex diſcutit, dum titulos vimque ſingulorum expendit, collitigantes agere, & literis ſcriptiſque ſe tueri debebunt, quæ intra triduum examinanda, mutuo ſibi tradent, & octauo quoque die dum liti finis imponitur, ſi quid aduerſum oppoſita habuerint, exponent. Sic Franciſci lex Regia art. 48. *& auront communication de leurs productions dedans trois iours, & de huictaine en huictaine apres pourront bailler leurs contredicts & ſaluations autrement n'y ſeront plus receus ainçois ſera le procez iugé en l'eſtat ſans autre forcluſion & ſignification de requeſte.*

Septimo, ad iudicem Eccleſiaſticum appellari ſuper petitorio non eſt integrum niſi cauſa poſſeſſorij diiudicata ac finita, *& apres poſſeſſoire intenté en matiere beneficiale ne ſe pourra faire pourſuitte pardeuant le iuge d'Egliſe ſur le petitoire iuſques à ce que le poſſeſſoire ayt eſté entierement vuidé par iugement de plaine maintenue, & que les parties y ayent ſatisfaict, & fourny tant pour le principal que pour les fruicts, dommages & intereſts.*

Expenſis ergo damniſque appellantem ſatisfacere hac lege conuenit priuſquam à iudice appellato audiatur, quod niſi appellans fecerit, citato ad ſuperiorem Eccleſiaſticum reſpondendi nulla eſt futura neceſſitas.

QVÆSTIO XXX.

Sint ne præterea alij caſus in quibus de Clericorum negotiis ſolita eſt cognoſcere Curia.

SVnt: primus eſt, cum pacta conuenta, reſcindi Clerici cupiunt, in quibus fraude malaque arte, alter è contrahentibus detrimentum eſt paſſus ab alio in pretio, & quidem ſi poſtulatum, eſt media parte maius quam oportebat, tunc à læſo impune ſæcularia tribunalia appellari poſſe, Rebuff. ait, tomo 2. conſtitutionum regiarum tract. de reſciſione contractuum, Gloſſa 5. art. vnico, cauſa eſt, quod abrogari contractus nequeat, ſine litteris quæ Regis nomine dentur ad iudicem, aut eum cui cura demandata eſt authoritate publica examinandorum contractuum, ratine ſint an irriti, at hunc oportet ſæcularẽ eſſe decreto Ludouici XII. de anno 1512. ergo cum reparanda erit iniuria, aut tollenda, quam eſt Clericus contrahendo paſſus, implorare ad eam rem Laici iudicis authoritatem poterit.

Secundo, aditur iudex Laicus à Clericis, quibus de beneficio, quouis modo vacante, in forma gratioſa, per ſolam & ſimplicem ſignaturam eſt prouiſum, quibus tamen cum nullus eſt è Clericorum numero executor datus, à quo in poſſeſſionem eius mitti queant, nam tunc à Cancellaria literæ impetrantur regiæ ad prouinciæ præſidem, aut de regiis magiſtratibus alium, vt comperto per Campſores, aut alios quos talium rerum experientia vluſque peritos facit, litteras Roma miſſas, veras eſſe, nec fallaces, patiatur beneficiarium eius poſſeſſionem capeſſere actualem & realem, (vt loquuntur) cum obligatione faciendi officij, du Clos in quæſt. quintam libri primi Flaminij de reſignatione. Neque tamen exiſtima eum inſtructum licet regiis litteris, in beneficij poſſeſſionem mitti poſſe à Laico, ſuper ſignatura Papæ ſimplici, ſine intruſionis vitio, quia ſtylus Curiæ qui vim legis habet, pridem obtinuit, ne poteſtas iucundæ poſſeſſionis beneficiariæ, deriuetur ab alio, quam Epiſcopo, aut eius Vicario in Clericum.

Tertio, tum Laici magiſtratus auctoritate, ac opera vti Clericis eſt in more, cum agitur de pactorum fide implenda, vt de numerando pretio, aut re viciſſim danda eius cauſa, vt eſt inter contrahentes conuentum, Rebuff. in proemio conſtitutionum regiarum Gloſſa prima num. 72. Quia regiis legibus parendum eſt Clerico, cum ea in eius commodum vertunt, at eſt ei vtile pacta conuenta fieri & ob eam cauſam eum cogi, qui rem ſibi venditam dare aut differt, aut renuit, vt illam ſibi iuſto pretio, promiſſoque exhibeat, ergo cum Iudici ex officio incumbat veros contractus ac legitimos, præſtandos curare, tam Clericus contra Laicum, quam iſte, contra illum, publicum fori quæſitorem eius cauſa implorare poterunt.

Quarto, cum Epiſcopis aut Clericis dies dicitur, & in ius ambo vocantur, vt litteras quas ſcripſiſſe, aut ſigillo ſuo obſignaſſe dicuntur, ſuas eſſe fateãtur, quod ſi exaratas manu ſua faſſi fuerint, tũ iudicis imperio numerare pecuniã iubebuntur, ei cuius ſe debitores, aut vades, alterius nomine eſſe ingenuè non abnuent, Boer. deciſion. 94. num. 8 Pyrrhus in can. conſuetudinis Bituric. 20.

Quinto, ſi Epiſcopus, & Clericus, in ære ſint alieno, cuius extet fides litteris obfirmata regalibus, Gallice dicimus, *Paſſees ſoubs le ſeel Royal*, ante iudicem ſæcularem à creditore conueniri poterũt, ac citari eiuſque iuſſu ſi moras nectant ſi ſoluere abnuũt, executio (vt loquuntur) in eorũ bonis fiet lege Regia Franciſci I. de anno 1539. art. 45. Cauſa eſt, quod qui lege in proprium commodum vtitur, reſpuere eam nec debeat, nec poſſit imperantem alienum reddi, aut ius læſo fieri, ſed obtinere Clericus poteſt & ſolet, tam æquitate quam prædicta lege fretus, vt ſibi Laici ſatisfaciant, contracta nomina præſenti ære expungant, ac ſi facere renuãt, ad id occupatione bonorum quæ poſſident, vt cogantur, impetrat à iudice, cui à Franciſco eius nominis primo, vt id poſtulantibus annuere ne recuſet, præcipitur his verbis: *Que les obligatoires faictes & paſſees ſous le ſeel Royal, ſeront executoires par tout noſtre Royaume.*

Bonorum vero nomine, intelligi mobilia poſſe non videntur, quod in iis executionem fieri vt loquũtur, ſit tam edicto primo Philippi Pulchri prohibitum in rubrica, *des biens des Prelats & Clercs non mariez*, quam Senatuſconſulto Curiæ, in cauſa Ioannis Michaelis contra Pariſ. Epiſcopum anno 1400. niſi forte is eſſet Clericus, cuius vita moreſque à maieſtate perſonæ quam ſuſtinet in Dei Eccleſia abhorrerent, vt ſi militiæ, ſi mercimoniis operam daret, Rebuffus conſtitutionum regiarum tomo primo titulo de litteris executoriis art. 2. Gloſſa vnica num. 120. vel in vectigalibus regni,

aut ſocietatis humanæ commerciis, res negotiaque multa ac varia haberet implicita, Aufrer. de poteſtate ſæcularium ſuper Eccleſiaſt. & perſon. in 2. regula: Eſt ergo in immobilibus duntaxat facienda hæc executio, Chaſſ. in conſuetudinem Burgundiæ in rubricam, *des Iuſtices*, §. 4. Gloſſa prima & in aliam, *des ſucceſſions des Baſtards*, §. 20. eiuſmodi ſunt tecta, vineta, agri, redditus beneficij fructuſque à ſolo non ſeiuncti, Maſuer. rubri. de execut. §. item executio, modo ex illis relinquatur ad vitam Clerico quod ſit ſatis, quia eum famem pati, aut grauius aliquid in communi vita, non decet, Rebuff. ſupra num. 108.

Comprehendi tamen Clericum ciuici magiſtratus imperio, & in carcerem compingi poſſe pro debito, maxime ſi ſe obligauerit in perſona, Rebuff. aſſerit in tractatu de ſententia prouiſion. in præfat. & de litteris obligatoriis art. 2. Gloſſa vnica num. 11. quod mihi tamen (pace ſit eius dictum) non eſt probabile, alioqui ſacer non eſſet, in quem tantũ audere, Laico fas foret, quod ſi ei nõ ſuppetit, vnde creditori faciat ſatis: beneficio ceſſionis vti ei eſt integrum, per Canonem Oldradus de ſolutionibus, vel petere vt terminus ſoluendæ pecuniæ ſibi prorogetur, quod ſit interdum Regis conceſſione ad quinquennium, de qua vide ordinationem Philippi Pulchri art. 8.

Sexto, de reparationibus Eccleſiarum cognoſcunt Laici, eaſque ne hæ collabantur, cadãt ac fieri imperant, Fabricius de Bleyns de Eccleſiis & ſacroſanctis rebus earum, num. 54. quo loco id à Senatu definitum fuiſſe ait in cauſa magiſtri Petri de Launay Aurelianenſis Archidiaconi & Stephani de Noyon Theſaurarij Laudunenſis arreſto veteri Curiæ Pariſienſis anni 1389. de quo Paponus lib. 1. titulo 5. arreſto 21. nam vt nauim in qua ſtare debẽt Laici, ab iis cum eſt ruinæ proxima reſtaurari oportet, ita & chorum à Clericis: fidem faciunt bina Curiæ præiudicia, notata faſtis annorum 1375. & 1377. de quibus Chenut. in collect. decret. tit. 1. cap. 14. Clericorum autem nomine quorum hic fit mentio, intelliguntur hi ſolum, qui fructus decimales in Parœcia colligunt, vt Abbates, Priores, Parochi, ſingulique pro rata, Maſuerius li. 1. quæſt. 31. Renat. lib. 3. tit. 3. nu. 15. de politia.

Septimo, propria eſt Laici cognitio de tumultibus à Clerico iuxta, ac profanis hominibus, excitatis in templo, aut religioſo quopiam alio loco, Fabricius de Eccleſiis num. 35. Choppinus 3. de ſacra politia tit. 4. num. 24.

Quod etſi videatur eſſe pragmaticæ ſanctioni contrarium, titulo ne his qui tempore diuini officij vagantur §. prohibeatur, vbi non alium: miniſterij ſacri læſi vindicem eſſe oportere ab Eccleſiaſtico, eſt tum communibus ſuffragiis decretum: anno tamen 1549. cenſuit Curia hoc cauſæ genus mixtum eſſe, & quia hoc nomine, erat tam ſacri quam ciuilis fori negotium, ad ſæculares iudices reiiciendum videri.

Octauo, Clericis deambulantibus, negotiantibus, aut quid indecore agentibus in templo, aut locis ei vicinis, quæ Religioſis Eccleſiæ cęremoniis ſunt ſacra, vt eſt cæmeteriũ, pœna per forẽſem iudicem imponi poteſt, quæ decreto Curiæ anni 1550. & regni conſuetudine pro prima vice decem eſt librarum, pro ſecunda, vinculorum ac carceris, in quem mitti quoq; poſſe aiũt, auctoritate regij iudicis: Inde emiſſi, ſi tertio contra religionem templorũ, ac ſacri loci cultũ peccauerint, plecti eos corpore, membriſque erit neceſſe, Lucas in titulo primo 2. & 3. Choppinus li. 3. de ſacra politia tit. 4. n. 24. Broll. in Cod. for. lib. primo tit. 3. deciſione 3.

Nono, de decimis quæſtionem inſtituit Laicus.

Primo, cum earum eſt ius ambiguum, vt iudicatum eſt inter præceptores & Moniales Andini 24. Martij Fabricio auctore & teſte in tract de primitijs num. 30. Bergerio in additionibus ad Paponum tit. 12. art. 98.

Secundo, cum earum poſſeſſio eſt dubia, qualis cenſenda eſt quoties ambigitur an vnquam in poteſtate decimatoris extiterint. Forgetus in materia de decimis cap. 6. num. 6.

Tertio, cum Parochiani decimam iuſto maiorem, quam ſæculis antiquis ſit ſoluta, à Parocho exigi queruntur, aut vice verſa hic minorem ab ijs quam deceat ſolui, Brodæus in additionibus ad Louetum in litera D. articulo 29. veritatis enim indagatio, in hoc rerum genere ſæcularium eſt iudicum, quod res ſit facti meri, non iuris.

Quarto, decimarum cognitio Laici eſt, cum ſunt infeudatæ, vt iudicatum eſſe in iuridicis Pictonum diebus 29. Septembris anni 1521. & in ſuprema Pariſienſi Curia 4. Martij 1538. ſcripſere Paponius lib. primo tit. 5. arreſt. primo & 2. Fabricius in tract. de extraordinarijs decimationibus nu. 15. & litera D. ad marg. vt autẽ quis Eccleſiaſtici iudicis authoritatem defugiat in decimarum cauſis, ſufficit obtrudere aduerſario, earum naturam vt quod ſpirituales non ſint & Eccleſiaſticæ, ſed infeudatæ, Laicales & patrimoniales, nam hoc ipſo, exortæ controuerſiæ diiudicatio ad iudicem profanum deuolutur, Renatus lib. 2 ſacræ politiæ tit. primo num. 5. & 6. nudaque infeudationis exceptione propoſita, ceſſare partes Eccleſiaſtici iudicis ſcripſit Bleyan. in Theoria de extraordinar. decimationib. num. 17. cauſa eſt quod regiis magiſtratus de re temporaria quæque pure ſit in fide manuque Regis, cognoſcendi ius habeat, ac decimæ infeudatæ ſunt tales, cum & vendi & oppignorari poſſint, Fabricio teſte de profanis decimationibus littera D. art. 9. proque iis, continuari homagij, iuriumque clientelarium præſtationem oporteat id ibid. num. 21.

Decimo, coram domino conueniri poteſt Eccleſiaſticus, cliẽtelæ ac poſſeſſionis cauſa, ſi eſt vaſſallus, Aretin. in can. cæterum num. 14. de iudiciis, Lælius, Zechius de ſtatu Eccleſ. tract. de Clericis num. 3.

Item ſi Eccleſia ſuccederet Laico, cui pro bonis ſuis, aut eorum parte, lis intentata eſſet, eaque coram magiſtratu non ſacro inchoata foret, nam tunc iſto audiente, diſceptante ac præſide hanc in eius foro hoc eſt regio ac publico terminari oportet, Boer. deciſ. 69. num. 32. 34. & 49. Guido Papa deciſ. 421. niſi de conſenſu mutuo partium diiudicanda daretur alteri, quod fieri poſſe nemo negat, ſpectat item ad Laicum donorum ac munerum, quæ ſunt Eccleſiæ, ſi ſummam attingunt 500. aureorum nummũm, catalogum texere, eaque actis inſerere publicis quod *inſinuari* dicunt Barbari, Lælius ſupra num. 21.

Item cum res bonaque, ſunt cenſenda mortui, eorum omnium ſeriem ac numerum deſcribere, ac vt loquimur inuentarium facere, ſæcularis eſt iudicis opus ac negotium.

Quia in his quæ politiam ſpectant, quæ ad regimen publicum ac ciuile pertinent, Clerici prin-

Digitized by Google

cipum tenentur astricti legibus peræque ac è populo, plebeque viri alij

QVÆSTIO XXXI.

Quo iure sibi Iudices Regij Causarum Ecclesiæ disquisitionem ac censuram attribuant.

PRimo de spiritalibus in materia possessorij cum quæstionem Laici instituunt, id se facere aiunt Martini quinti facultate, vt patet ex eius Pontificio diplomate, cuius paulo ante facta est mentio.

Secundo, quod Regij Iudices Clericos veste destitutos ac Tonsura, mittant in vincula, exacturi de illis merita supplicia cum sunt nocentes, niti se asserunt priuilegio Pontificis, narrant enim Boerius decisionum Burdegal. qu. 69. Petrus Guenois ad Imberti librum tertium cap. 8. littera l. ad marginem Bullato diplomate concessum esse anno 1516. à Leone X. Francisco I. vt in Clericos, non indutos veste Clericali, & Tõsura notatos, quoties aliquid se minus dignum, regiisque legibus puniendum facerent, iudices ab eo præstituti, aduertent peræque ac in Laicos, ac ne quis excusationi locus esset, aiunt ijdem auctores, statuisse Pontificem, vt tribus septimanis frequenti concione rescriptum suum inter Missarum solemnia, è superiore loco Parochus, clara distinctaque voce, Clericis iuxta ac Laicis legeret: quanquam quid priuilegio ad id opus? cum decreto Honorij III. cap. finali de vita & honestate Clericor. & Clem. III. de sentent. excomm. cap. 25. Clericorum priuilegio non sunt digni, qui à Clericorum dignitate moribusque recedunt.

Tercio, quod Clerici parem cum Laicis, in Gallia, iudiciorum legem experiantur in multis, nonnulli tribuendum existimant inueteratæ de ea re consuetudini, Grassalius regalium Franciæ lib. 2. iure 5. & 18. Ferraldus in tractatu de insignibus peculiaribus Regis Franciæ. Eiusdem sententiæ sunt Couarr. practicar. qu. cap. 35. Garsias de nobilit. Hispanica, Glossa 9. num. 48. Riccius parte 4 decis. 89. num. 4 Ceuallos tract. de cognitione per viam violent. Glossa 4. Gonzales ad regul. 8. Cancellar Gloss. 33. num. 4. Salsago de protectione regia, tom. 1. par. 1. cap. 1. prælud. num. 138. eamque iudicum potestatem, consuetudine iudicandi de Clericis immemorabili niti aiunt, sic ergo disputant: Iurisdictio consuetudine longo firmata vsu acquiritur, Glossa in legem primam & final. Cod. de emancipatione liberorum, Doctores in cap. cum contingat, de foro compet. Glossa in canonem conquestus 9. qu. 3. Comitolus lib. 6. respõnsionum qu. 51. num. 2. & colligitur aperte ex decretali Innocentij III. dilecti de arbitris ex can. conquestus 9. qu. 3. qui canon est Nicolai Papæ: ita habere Parochos à consuetudine longi temporis, potestatem mouendi Parochianos suos sacris, ac Ecclesia, id est eos excommunicandi, | Panormitanus scripsit in cap. ab Ecclesiarum, de officio iudicis ordinarij, sed ex hypothesi, nullo non tempore, cognouere Laici in Gallia de Clericorum causis, ac crimiuibus, quorum in præcedenti quæstione, facta est mentio, possunt id ergo (inquiunt) honeste, ac sine crimine.

Confirmatur vsus seu consuetudo immemorialis legis, ac priuilegij vicem, & æqualem obtinet dignitatem, Narbona parte 2. de appellat à Vicario ad Archiep. fundamento 4. num. 4. pro quo est lex hoc iure 5. ductus aquæ, ff. de aqua quotidiana & æstiua, sed est vsus Galliæ, super citatione Clericorum ad Laicos, in casibus priuilegiatis memoria omni antiquior, vt constat, ergo legitimæ (vt putant) facultatis ad eam rem concessiuus.

Obijcit contra Reginaldus lib 19. cap. vltimo, num. 67. consuetudo rationi non consona inanis est ac nullarum virium, habet enim hæc duntaxat vim legis, quæ est agendorum recta ratio, æternæ similis, cuius est imago quædam ac vmbra, cum qua tamen quid habere commune potest vitium? cuiusmodi est id omne quod est irrationabile: Sed qui mos in Gallia alibique inualuit vti Clericorum causis præessent Laici, hic cum ratione, prudentiaque non satis congruit, cum seruari sine peccato nequeat eoque graui, vt ei addita excommunicatio ipso facto incurrenda indicat, per cap nouerit de sententia excommunicationis & Canonem 15. Bullæ cœnæ Domini, iudex ergo non vacat culpa, Clericorum in Gallia vitam, factaque, iuxta morem prouinciæ in ius euocans, ac cum est necesse puniens.

Argumenti minor est neganda, nam quæ consuetudo in mores communes hominum inuehitur, annuente principe expresse vel tacite, hæc culpam habere nequit, cũ istius consensio, legis sit prioris irritatio, at non modo sciente Pontifice, sed eo insuper approbante, iudices Regij à sacris Clericorum tribunalibus ad sua Clericos cogunt, sint argumento Bulla Martini V. Leonis X. & aliæ: quarum vt exempla in Curiæ tabulario senatum, ita autographa, in archiuis suis seruare Regem, scripsit cum multis alijs Grassalius Regalium Franciæ lib. 2. iure 17.

Ad confirmationem Respondeo 1. Bullam cœnæ Domini in Gallia quo ad hoc receptam non esse, cum iudicum nemo ponat id vitio, eam non seruare, vt faceret si hæc vim legis per acceptationem Episcoporum & populi haberet. Addo quod licet recepta esset, eius tamen publicatio non noceret Gallis, quibus constat de voluntate Papæ contraria.

Secundo, quæ habentur cap. nouerit 49 do sententia ad rem non facere, supponit enim consuetudinis quæ est contra libertatem Ecclesiæ, Pontificem approbatorem ac authorem non esse, quod cum accidit, est populi ad eam seruandam coactio, religionis ac iustitiæ violatio, nec proinde sine peccato, quale tamen nihil dici potest de Gallia, cum eius in agendo consuetudinem Papa non nesciat, eamque nõ semel à prædecessoribus suis diplomatis bullatis approbatam.

Obijcitur 2. consuetudine priuilegium non acquiri, si non faciat ab acquirente capacitas, quantumuis enim idem quispiam sæpe iteret, si tamen non est iuris capax, quod sibi repetitione talis actus vindicare satagit, nihil promouet iuxta Ioannem Monachum in cap. 11. de præbendis Felinum in cap. causam de præscript & in cap. quanto de consuetudine, at est Laicus iurisdictionis in Clericos, incapax, cum sit contra naturam, pedes præesse capiti, seruos heris, subditos Dominis, vassallos Regi.

Argumenti minor, absolute sumpta, est neganda, nam can. Mennam 7. causæ 2. q. 5. Gregorius Papa primus, Brunechildi iudicium committit Episcopi, *purgationem tamen, ante duobus sibi fe-*

cerdotibus inuictis, vbi accusator cessauerit, eundem ex se præbere tuo committimus arbitrio & Canone nos si incompetenter 41. causæ 2. q. 7. Nicolaus causæ suæ habenas Imperatori permittit, ac oratoribus ab eo mittēdis aut missis, est ergo propositio allata vera, hoc sensu, quod Laicus ex hypothesi facultatis sibi non concedendę, aut cōcessæ à Pontifice, iuris Clerico dicendi sit incapax, non absolute tamen, vt qui accedente Papæ consensu, atque voluntate, id legitime faciat, ac honeste, Deinde (quæ est responsio Grassal. li. 2. iure 17.) *Ista restrictio seu limitatio non habet locum quando cum tali immemoriali possessione concurrit fama priuilegii quia tunc pro priuilegiis præsumitur, nonobstante incapacitate*, vt accidit in præsenti, nam Rex & à se præpositi dicendo iuri, *ex consuetudine immemorabili, & priuilegio, facultatem habent puniendi Clericos & prælatos pecuniariter, & ciuiliter in certis casibus*, Grassalius loco citato.

Obijcit Reginaldus tertio, præscriptio omni destituta robore concidit, cum caret titulo, bonaque fide, vtrumque enim Canones exigunt, primum quidem cap. si diligenti de præscriptionibus alterum cap. finali eiusdem tituli, at aduersus magistratus vrbani fori ac ciuilis, ambo faciunt, quî enim stare bona fides potest, cum transgressione facta præcepti Canonici, à sciente? aut quo hic niti iusto titulo, cui aduersantur iura, leges, homines, Concilia? agunt ergo imprudenter profani iuridici, cum consuetudine sola freti sui similium in foro hominum, diribitores ac arbitri esse volunt causarum inter Clericos.

Neganda est minor, cum enim nemo sit in suspicionem criminis vocandus sine causa, credendum est in ijs magistratibus qui nunc forum regunt, culpam hærere nullam, cum exemplo ac more priorum Iudicum quibus succedere animum ad causas Clericorum diiudicandas appellunt, cum quod illi fecere, & quidem vt putant licitè, & se quoque tentare posse credunt, facit ergo pro iis bona fides.

Quid? quod iudicandū est pro priuilegio nonobstante incapacitate, quando immemoriali eius possessioni, adiungitur fama, communisque rumor populi, de illo obtento à Pontifice, Zabarella in cap. cum Apostolica, de ijs quæ fiunt à prælatis Grassalius regalium Franciæ lib. 2. iure 17. at nemo ambigit in ea opinione senatores omnes esse, vt existiment, iure se quam optimo de Clericorum vita moribusque, quæstionem Papæ voluntate instituere, stat ab ijs ergo bona fides, quemadmodum & titulus quem illi duplicem agnoscunt.

Primus est immemorialis eius rei possessio, hoc est iudicandi de Clericis consuetudo, cuius nescitur origo.

Secundus, est Papæ concessio, vt ex Bullis patet, quarum se copiam habere Senatus memorat in antiquis curiæ tabulariis, Grassal. supra.

Tertio, sua de Clericis iudicia, excusant Magistratus regij, Pontificis consensu tacito, ac tolerantia, in quo iis assentiuntur hi authores, Salsago de protectione regia tomo 1. parte 1. cap. 1. prælud. 3. num. 139. Turrian. in 2. 2. tom. 2. disp. 14. dub. 4. nu. 12. Vasq. in opusc. de restit. cap. 6. parag. 1. num. 33. Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 5. num. 39. vbi loquens de præscriptione seu consuetudine contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam hæc habet. *Respondeo non posse quidem eam valere, inuito Pontif. sed nō accedente libero eius consensu, sed præsumi posse hunc interuenisse propter commo-*

A *da Principum, nam hæc consuetudo non erat omnino à ratione aliena, præsertim ob multitudinem Clericorum, quorum plerique ideo fiebant Clerici vt à tributis eximerentur, absque vllo animo consequendi ad statum Ecclesiasticum.* Hæc ille.

Obiicies primo, quod Pontifex sciat & toleret aliquid fieri, non sufficit, vt dicatur eius voluntate ac consensu fieri; quam enim multa dissimulat in Christiana Repub. quæ tamen non approbat: vsuras enim ac pellicatum, vbique fere terrarum, regnare scit impunè, Romæ quoque, eas artes exerceri magno fœnore, quas tamen iuste, ei cordi esse, aut fuisse vnquam quis dicat? ergo quod Papa sileat, quod Clericos, Laicorum iudicium subire permittat nec puniat, argumentum esse nequit, quod id à Laicis fieri sine culpa consentiat.

Ad maiorem respondendum, non posse quidem ex Papę silentio, argumentum vllum peti forte & efficax consensus eius, absoluti & actualis, cum consentire sit velle actu, & de facto, quod qui silet, non facere per se, ac precise vi silentij, planius est, quam vt probetur, non tamen inde sequitur, tacite eum, ac virtute consensum non dare, cum contra pugnet regul. iuris in 6. *Qui tacet consentire videtur.*

Obicit 2. Filliuc. tom. 1. tract. 16. cap. 10. num. 259. simplex tolerantia non sufficit, cum Princeps malo mederi non potest, at auctoritate sua Pontifex, quamlibet velit tamen facere, nequit, ne quod sibi permissum esse regij magistratus existimant, Clericorum causas negotiaque in foro discutiant: ergo &c.

Maior est falsa, quia hoc ipso, quod Princeps non reclamat, nec contrariæ voluntatis argumentum vllum dat intuentibus, censetur assensum dare iuxta regulam 43. citatam: *Qui tacet consentire videtur*, quid enim esse potest facilius homini, quam nutu, verbo, aut scripto testari, rem sibi non probari? iusta est ergo cuique causa existimandi, Principem, cum silet, subditorumque opera non arguit, ea vt fiant, si minus copiam, at saltem assensum dare facientibus.

D Deinde, minor est falsa, nam quis putet, Senatores Gallos, viros pietate iuxta, ac religione, erga sanctam sedem conspicuos, morem Papæ monitis non gesturos, iustæ eius voluntati prælaturos suam, cum detrimento salutis propriæ? eloquatur clare ac diserte quid velit, quid expetat, tum intelliget iis non parendi voluntatem deesse, sed eius causam.

Quarto tuentur se Iuridici regij in Gallia priuilegio, quod Regibus à Pontifice concessum aiunt, cognoscendi de Clericis, eorumque causis, ita Grassalius de iure Regaliorum lib. 2. iure 17. Aufrer. in allegat. repet. Clem. I. & in addit. in 13. fallent. de offic. Ordin. Chassan. in commentar. consuetud. Burgund. in tit. *des Iustices*, paragr. *si aucun commet simple larcin*, in Glossa super verbo, *s'il n'a grace*, 16. fallent. Eius autem priuilegij testes esse Bullas Roma ad Regē missas, scribit de Grassal. loco citato, his verbis: *De quo priuilegio est bene munitus Rex Christianissimus per Bullas autenticas, & publica instrumēta*, quæ in archiuis regni ac Curię seruari omnia, fidelissime author est Ferald. in suo tract. de insignib. peculiar. Regni Franciæ. Tale autem concessum olim Regibus fuisse priuilegium, indicat præter authores citatos.

Primo fama eius, quæ tam in Gallia, quam extra, communis est, ac publica. Hinc natum no-

men *casus priuilegiati* à priuilegio scilicet, quod sibi indultum Romaque missum Rex ait.

Secundo. Regum qui fuere antea, maxime Caroli Magni, & S. Ludouici probitas, quos non est probabile, homines nempe, ea virtute præditos, quidpiam ausos, multo minus molitos esse, contra dignitatem Rom. Pontificis, ac immunitatem Clericorum, aut iurisdictionem in eos spiritalem, contra fas omne, sibi auctoritate propria vindicasse.

Tertio, quod quæ primo instituta sint contra leges, priuilegij vim habeant, quando ea tempore & vsu longæuo, quorum initij non extat memoria, sciente Pontifice, & non improbante, fuere in praxim redacta, quia tolerantia cum silentio inducit consensum secundum Bald. in leg. qui in aliena, digest. de acquirenda hæred. dispensationem autem, secundum Panorm. in cap. à nobis de decimis & in cap. Clerici de vita & honest. Cleric. At nunquam non fuit, quin de Clericis, eorumque causis in Gallia, Laici cognoscendum sibi crederent: ergo ab hoc priuilegio, eorum est libertati derogatum.

Neque id Gallis modo Regibus est concessum, sed & aliis, Rempubl. quidem Venetam in certis quibusdam casibus, ad suum tribunal, cogere posse Clericos, vt ibi iudicum fidem implorent, ac probent, affirmant Zenard. in direct. Confess. tom. 3. cap. 50. Decian. tom. 1. lib. 4. num. 66. Hispaniarum autem Principi licere per suos magistratus, Papæ beneficentia, ac priuilegio, cum Clericis in foro, quod appellant de la fuerza agere pari iure, quo cum Laicis sibi subditis, dixere Bann. in 2.2. qu. 67. art. 1. dub. 1. conclus. 2. Ioan. de la Cruz in director. consc. par. 1. præcept 8. qu. 3. art. 1. dub. 1. concl. 3. Pesantius de immun. Eccl. disp. 3.

An autem hoc priuilegium, cetetáque eius generis, reuocentur quotannis per Bullam cœnæ, dubitant authores. Placet mihi eorum opinio, qui id non existimant, eo quod, cum sint immemorabilia, transierunt in iura regia: ita Zipæus in Analysi iuris canon lib. 2. de foro compet. num. 41. Rationem alteram Malderus affert in par. 2. q. 9. art. 4. Nempe quod quæ voces, plus seueritatis habere videbantur in ea Bulla, Pontificum voluntate, si non sunt sublatæ, at certe sic sunt temperatæ, vt merito dubitari debeat an per eas reuocentur gratiæ quibus gloriantur Principes.

Vt vt sit dicendum est primo, *Si verè priuilegium concessum est vnquam à sede Apostolica Regibus vt potest, iustè eos excusari posse, & tunc dicendum est, legem posteriorem vniuersalem, non derogare priuilegio anteriori speciali, atque ita Regem Galliarum & Hispaniarum, habere aliqua priuilegia testantur Bannes & Grassalius, quod præsumi potest in Regibus aliisqui Catholicis, & piis.* Hæc Filliucius to. 1. tract. 16. cap. 10. num. 258.

Secundo dicendum, quod etsi in Pontificum iure esset, reuocare prædicta priuilegia, vt docent Sairus de censur. lib. 3. cap. 25. num. 10. Duard. in Bull. cœnæ lib. 3. parag 5. qu. 1. non expedire tamen eos id facere, Henriq. lib. 10. cap. 15. num. 5. & in Gloss. littera G. eo quod sint data remunerationis gratia, suntque immemorabilia.

His tamen an vti sine culpa Iudici Regio, aut Clericis, ab Episcopo, eiusque Vicario ad profana commeare prætoria liceat, & quatenus, ab Iuone Carnot. Episcopo quam à me dici malo: consulens enim à Beluacensibus Canonicis, vtrum magistratui regio sicuti iubebantur, Clericum è suo cœtu, magnorum criminum reum dedere, diuina lege conscientiaque minimè repugnante possent, respondit, his verbis in epist. 162. *Sciat fraternitas vestra, quia in tribulationibus vestris contribulor, & passionibus vestris compatior: sed quia res vestra in angustiis posita est, prout oportet, certum consilium dare non possumus; quia in hoc negotio vestro, nisi Deus misericorditer consulat, oportet vt aut legem offendatis, aut Regem. Si enim Canonicum vestrum criminaliter impetitum, alibi quam in Ecclesia, examinari concedetis, Canonicam legem offenditis. In qua disceptatione cum ipsi, & ratione, & auctoritate fretatis quid sit verius, tamen pro temporum opportunitate sequi vos oportebit, quod infirmitati vestræ erit tolerabilius. Si autem fortemes vos esse paratos, vt cum gaudio tolerare possetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari, vt sequeremini consilium Susannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quam Dei legem derelinquere.* Quare quod ille Beluacensibus olim, & hoc modo Clericis omnibus dictum volo, sibi Laicorum prætoria subeunda nunquam esse, nisi coactis, & cum ab Episcopis aut eorum Officialibus, audiri nequeunt & iuuari.

QVÆSTIO XXXII.

An Clericorum bona sint ab exactione sæcularium magistratuum libera.

PRiuilegia, rebus, personis, & actionibus, conceduntur, de personis Clericorum ex parte dictum est q. præcedenti, ostensumque, eos iudiciorũ sæcularium immunitatem habere, hoc est ad magistratuum regiorum prætoria iure cõmuni trahi nõ posse, nec enim inferiori, superiorem subesse, ratio patitur can. inferior dist. 21. at Laicis dignitate præstant Clerici 6. q 1. can. beatus, quare vt his illi imperare non debent cap. Ecclesia 7. de constitutionib. & cap. final. de reb Ecclesiæ non alienandis ita nec isti obsequi, est enim potestas spiritalis Ecclesiæ, & iurisdictio, ciuili dignior, cum salus animæ, quam pro fine habet, tranquillitate communi, ac publica, multis sit partibus prior, quæ tamen magistratui politico, ac ciuili est obiecta pro fine, ergo hunc in personas sacras, ac eorum causas, exercere ius posse, non est probabile, cum parentes à filiis, Pastores ab ouibus, sacros homines à profanis ac sæcularibus iudicari & plecti lex diuina non sinat.

An autem eorum bona, proinde sint à Laici magistratus, ac Principum potestate libera, iam est videndũ. Non esse, probare videtur canon Tributum 22. causæ vigesimæ tertiæ q. 8. vbi Vrbanus Papa, ait Ecclesiam *de exterioribus, quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, qua Imperatores tueri nos & defensare debent, tributum eis persoluere.*

In altera parte, contra exactiones Laicas, pro immunitate Ecclesiæ, sunt Theologi, Pontifices, & Concilia. Theologorum quidem præcipui numerantur Driedo in lib. 1. de libert. Christiana cap. 9. consideratione 7. Victoria li. 1. relectionum de potest. Ecclesiæ lect. 7. concl. 2. Couarr. lib. practicar. quæstion. cap. 31. Sotus in 4. dist. 25.

q.2. art.2. concluſ.6.

His authoribus, addendus Iuo Carnotenſis, qui de præſenti quæſtione, in epiſtolis ſuis erudite ſcribit ac grauiter, octogeſima ſecunda, monet Adelam comitiſſam, ne iniuſtè Monachos Boneuallenſ. Monaſterij angariis opprimat, ne tale factum, *Sit poſteris ſuis in exemplum, ſibique in peccatum æternum.* Ducenteſima 66. Ludouicum Francorum Regem edocet, de anathemate, contra Eccleſiæ Carnotenſ. præpoſitos illato, quod Clericos ſuæ Diœceſis oneribus granarent: *Non minuitur*, inquit, *aliquid de iure præpoſitorum, ſed auctoritate Apoſtolica, eis interdicuntur illicitæ angariæ, & pauperum vexationes, quas non tantum Clericis, ſed ne Laicis, licet exercere, vel exigere. Quod cum ex relatione Clericorum, more Eccleſiaſtico peruentum ſit ad aures Apoſtolicas, ne illicitæ angariæ amplius in pauperes Eccleſiaſticos fiant, Papa ſub anathematis vinculo prohibuit, & quod prohibuit, ſcripto firmauit.*

Et de his angariis ſuper Presbyteros minime faciendis, legitur in Concil. Tolet. 3. can. 20. *Neque in angariis Presbyteri, aut Diaconi, neque in aliquibus fatigentur indictionibus.* Ad decretalem autem Bonifacij VIII. cap. quanquam 4. de cenſibus in 6. addi quid poſſit non video, nam & quo iure, Clericis cõpetat hæc immunitas, & in quid cadat, his verbis explicat: *Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ ac res ipſarum, non ſolum iure humano, quin imò & diuino, à ſecularium perſonarum exactionibus ſunt immunes.*

Quæ etſi tàm authoritate tantorum hominum, quàm ratione ipſa ſint certa, iuuat tamen perſpicuitatis maioris gratia, rem ipſam excutere paulo accuratius, vt de eius veritate cauſa dubitandi, nulla ſit reliqua, vt autem ordine progrediamur, ac ad intelligendum facili methodo, meminiſſe primò eſt neceſſe.

Bonorum de quibus eſt hic quæſtio, rationem tripertitam eſſe. Quædam ad Chriſti & pauperum patrimonium pertinent, vt ſunt Eccleſiæ, iis adiuncta cæmeteria, vaſa ſacra, veſtes, & quæcunque Deo, Epiſcoporum precibus, ac benedictione ad eius ſunt cultum dicata, beneficia item Eccleſiaſtica, prouentus annui, qui ex his colliguntur, & horum bonorum, partem nullam Imperatores, aut Reges vſurpare ſibi poſſunt ſine ſacrilegio, aut ea tributo ſubiicere, ac communibus oneribus, quibus Laicorum bona, eorum ſunt voluntate obnoxia.

Ratio eſt, quod vaſa ſacra, in Chriſti patrimonio ſint, ergo de iis aliquid detrahere, aut ea imminuere eſt malum, cum id ſine ſacrilegio, eiuſque ad quem pertinent, detrimento ac iniuria eſſe nequeat, minuuntur autem, ſaltem in æſtimatione hominum, cum iis tributum imponitur, quia eius occaſione minoris fiunt, quam ſi nullum paterentur: ergo &c.

Secundo, Tributum à principe exigi poſſe non videtur, niſi de re, quæ quoad ſubſtantiam, aut vſum, aliquo modo ſit in eius iure. At quæ diuino ſunt mancipata cultui, non ſunt eiuſmodi, primo, quia aliò transferri nequeunt, nec à Principe conſumi, euerti, aut ad alios vſus applicari quã religioſos, argumẽto ſunt hi canones can. ligna 38. can. altaris palla 39. & quadrageſimus ſecundus diſt. 1. de conſecrat. in quibus, prohibetur ne quod ſacris aliquando religionibus addictum fuit, ad profanos vſus conuertatur, aut tanquam quid vulgare, promiſcuè ac libere, tractetur à plebe, at quæ iuris

A ſunt humani, at quæ in dominio ſunt Regis aut alicuius priuati, ſunt hæc ita in eorum poteſtate ac manu, vt de iis ſtatuere poſſint quodlibet, hoc eſt arbitrio ſuo eas conſumere etiam ad voluptates, non ſunt ergo vaſa ſacri miniſterij in Imperatorum aut Regum iure.

Confirmatur, eiuſdem rei, duo ſimul vno eodemque tempore, domini eſſe non poſſunt, at dicata Deo, ad Eccleſiam pertinent, cum ea quando ſibi ſunt donata, acceptauerit Dei nomine irreuocabiliter, Vrbani fuit hic ſenſus, vt eſt in canone 3. cauſæ 12. q.2. his verbis, *Nulli liceat ignorare, omne quod Domino conſecratur, ſiue fuerit homo, ſiue animal ſiue ager, vel quidquid fuerit ſemel conſecratum, Sanctum, Sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum*, non eſt ergo, penes Principes aut Magiſtratus authoritas, de rebus ſacris decerpendi ſibi quidpiam impoſitione tributi, aut vectigalis noui, ſine vſurpatione ſacrilega.

Confirmatur, cum quæ à fidelibus, ad Dei honorem ſunt oblata, aut à fundatoribus donata, vt à Prælatis Eccleſiarum, tãquam adminiſtratoribus, in pium vſum, puta Eccleſiæ ornatum, miniſtrorum, & pauperum ſuſtentationem traducantur, ſint in Chriſti & Eccleſiæ patrimonio, non poſſunt exactione vlla grauari ſine diminutione diuini cultus, amborumque id eſt Chriſti & Eccl. irreuerentia ac iniuria, quorum poſſeſſiones ac bona, redi-
C guntur in ordinẽ cæterorũ, tractanturque vt profana, cõtra quã æquitas ſuadet ac ratio, nã hoc ipſo, quod ad Dei cultum finemque ſupernaturalẽ ſunt à fidelibus oblata Deo, per manus Prælatorum Eccleſiæ, eorum adminiſtratio, ac diſpoſitio, ad illos pertinet, nullo modo ad ſeculi poteſtates, ſunt ergo ab earum tributis & exactione libera, vt habetur in cap. quanquam de cenſib. in 6. cap. aduerſus 7. de immunitate Eccleſ. & Clem. vnica eod. tit.

Alterum genus, ea bona continet, quæ ſibi Clerici, ciuili iure ac titulo acquirunt, vt ex teſtamento, donatione, legato, aut ſucceſſione, vel aliter vt ex induſtria ſua, ac labore, & talia bona, quemadmodum & præcedentia, à communi lege
D pendendi tributi, pro ratione cenſus, exempta eſſe, aiunt Panorm. in cap. extremum de vita & honeſt. Clericor. vbi eiuſdem ſententiæ patronos citat. Ioan. de Lign. in Clementin. præſenti de Cenſib. Ioan. Andream & Archidiacon. in cap. 1. de immunitate Eccleſiar. Tabienam in verbo excommunicatio 5. caſu 18. Sylueſt. in verbo excommunicatio 9. qu. 13. vbi quæſtionẽ ponit, & exponit his verbis: *Quæritur ſi ad Clericum, aliqua de iuſta cauſa caſamentum ruſtici, & poſſeſſiones perueniant, & pro modo illarum, & quantitate ſoluebat ruſticus in quæſtis & collectis, quæ communiter ſiebant in loco reginiminis, vel alia, vtrum ipſe Clericus teneatur ſimiliter in prædictis, pro modo, & rata poſſeſſionum, omiſſis allegationibus, pro & contra, finaliter dici poteſt, quod talis Clericus liber eſſe debet.* Ratio eſt, *quod exempta perſona, res quoque eius ſint exemptæ, & mutata perſona, mutetur etiam conditio rei*, ſicuti ex communi Doctorum ſententia tradit D. Martha parte 4. caſu 125. num. 2. & 18. ergo cum hæreditas, per teſtamentum aut mortem Patris Clerici à iure profani hominis, & qui in principis poteſtate erat, tranſeat ad ſacrum, id eſt Clericum, cui hic ius dicere, & à quo exigere præter honorem, & obſequium, in re ciuili nihil poteſt, ab eo amodo dicta hæreditas præſtatione, grauari nulla poterit.

Confirm. cum tributa, ceu munera, quæ non

habent certam præſtationem, quotannis recurrentem, imponantur præciſe contemplatione perſonarum, & non rerum, ſi hæ ſubditæ non ſunt imponenti, nec illa ei neceſſario præſtanda erunt, at in Clericos ius ac imperium nullum obtinent Reges ac Principes, ergo eis pendendi vectigalia quæ ſuis ſubditis imperant, neceſſitas eſt nulla, habetur expreſſe in l. omnis & in Conſtitutione. Item nulla Cod. de Epiſcopis & Clericis: ratioque eſt euidens, nam ſoluere tributum, proprium eſt ſubditorum, cum id ſit ſignum ſubiectionis Apoſtolo teſte ad Rom. 13. *Neceſſitate ſubditi eſtote propter conſcientiam ideo enim & tributa præſtatis*, ſed perſonæ Eccleſiaſticæ immunes ſunt à iuriſdictione ſecularium Principum. Hæc Laym. A

Tertium genus, bona ea complectitur, quæ data ſunt Eccleſiæ cum pacto, vt pars eorum aliqua annuatim in vſus certos, aut bonum & vtilitatem dantis, vel liberorum eius cederet, vel cum eſſent onere, penſione, ac tributo certo & immutabili obligata, in Eccleſiæ poteſtatem, iuraque ſunt tranſlata, his affecta oneribus, & hæc bona, perinde cenſa vt Laicorum, Principi pro ratione cenſus aut fundatori tributum, quod eſt inter eum, & Eccleſiam conuentum, ſoluere debent. Ita authores ferè omnes Panorm. in cap, extremum de vita & honeſt. Clericor. Layman. lib. 5. tract. 9. cap. 6. Comitol in reſponſ. lib. 1. quæſt. 94. nec argumenta deſunt, quibus aſſertioni ſuæ fidem faciant. In primis, quod ad fundationem pertinet, cui conditio eſt addita, penſionis alicuius dandæ quotannis fundatori ex bonis pro ea fundatione datis res eſt plana. Quia vt habetur c. 1. de pactis pacta cõuenta ſunt implenda: ergo ſi fundator, Epiſcopi, aut Superiorum conſenſu, partem ſibi aliquam fructuum rei à ſe datæ Eccleſiæ, aut præſtationem moderatã ſibi quotannis de ea exhibendam reſeruauit, vt hæc ab eo iuſte exigi, ita & ab Eccleſia honeſte & cum ratione non poteſt negari: ita Lucius III. in decretali præterea 23 de iure Patronatus, ibi enim negat Patronos, aduocatos vicedominos, & id genus homines, bene de Eccleſia meritos, in ea quidpiam, *præter antiquos, & moderatos redditus, & locorum ordinariis inſtitutos, poſſe exigere*, meminit & Innoc. III. in decretali. præterea de donationibus cuiuſdam donationis, quæ penſionem quandam ac determinationem habebat inſertam, quam implendam eſſe eo modo quo fuit cõcepta tradit, idq; appellatione omni poſthabita. B

Pars altera, quæ eſt de bonis, reali aliquo onere, tributo, aut penſione fixa, immutabili ac rata obligatis, antequam peruenirent in ius Eccleſiæ, propugnatores habet Molin. tract. 3. diſp. 661. n. 2. & diſp. 772. Gutierr. lib. 1. practicar. q. 43. n. 15. ratio eſt prima, quod res tranſit ad acquirentem cum ſuo onere cap. litteris de pignorib.

Secunda quod de ſuo liberalis eſſe quiſque poſſit, nõ de alieno, ergo cũ res donata Eccleſiæ, obligata ſit Principi pro penſione annua, tributo, aut angaria, hoc eum iure quia illã dat Eccleſiæ, priuare non poteſt, alioqui donatio quæ eſt gratuita ac liberalis, & actus virtutis, talis non eſſet, cum bonũ ex integra cauſa, & circunſtantiis omnibus conſtet, malum autem ex quolibet defectu, qualem hic reperiri nemo ambigit, quandoquidem donare cum detrimento tertij peccatum ſit, caritati ac iuſtitiæ oppoſitum, nec enim æquum videtur, quempiam ſuo iure, nulla culpa ab eo contracta priuare: ergo ſi agri erunt vectigales Principi, tales quoque ſunt futuri poſtquam in eorum poſſeſſionem Eccleſiæ venerit. C

Quæres, vnde cognoſci poſſit, bona Clericorum eſſe talia, præſtandique tributi, aut penſionis, annuæ neceſſitatem nexumque realem habere.

Primo ex natura penſionis, ſecundo ex modo, quo debetur, tertio ex ratione contractus, quo eiuſmodi bona inceperũt eſſe in iure ac poſſeſſione Clericorum aut Eccleſiæ, quarto ſi prædicta onera præſtanda ſunt à perſonis, quæ non ſint Principi aut Regi ſubiectæ.

Et primo, quidem munera, ſeu onera realia erunt, proindeque à Clericis exhibenda Principi, ſi hæc bonis eorum, ac poſſeſſionibus inhæreant, trahantque originem ab aliquo pacto emphiteutico, cenſuali, aut feudali.

Secundo, ſi peræque à non ſubditis, & extraneis Clericis, exhiberi debent ratione prædiorum, quæ primo poſſeſſori hac cõditione, & lege à Principe ac Magiſtratu ſunt cõceſſa, lege reſcripto, & lege Imperatores dig. de publicanis, quia hoc eſt indicio, quod non perſonis imponantur, tanquam ſubditis, ſed rebus, ſine vlla habitudine ad Clericos, à quibus hoc tempore poſſidentur. D

Idem dicendum, cum eſt penſio perpetua, ac quotannis recurrens, nam cum tributa, pro ratione neceſſitatis publicæ, aut priuatę Principum, maioris aut minoris, variari debeant, minuique aut creſcere, vt ſint iuſta, ſi hæc ſibi ſemper conſtent, ſi inuariata quotannis penduntur, ſignum eſt, ea rebus inhærere, ac poſſeſſionibus, perſonæ nullo modo, Panormitani eſt hic ſenſus in cap. finale de vita & honeſt. Comitoli loco ante à me citato, vbi ſcribit in hunc modum.

Bona Laicorum, quæ fiunt Eccleſiæ ſine teſtamento, ſine legato, priuſquam in Eccleſiæ patrimonium peruenirent, aut onus fixum, certum, & perpetuum, nec varium habebant, aut onus varium, nec ſemper idem, ſi onus ſuſtinebant immutabile & perpetuum, vniuerſitatis Laicæ, ſeu Principi ſoluent illud ipſum, quod antea ſoluebant: ſin onus mutabile fuit, quia maiorem, modo minorem æſtimationem habuerunt, & nunc tributum maius, alio tempore minus eſt ſolutum, ſine vllo onere, perueniunt ad Clericos. Hæc ille. E

QVÆSTIO XXXIII.

An ſint aliqui caſus, in quibus Clerici, teneantur ad onera publica.

OMnino, primus eſt, cum eiuſmodi onera, præſtationes, ſeu angariæ, ex antiquo, ipſis rebus ſeu poſſeſſionibus indictæ ſunt, ratione feudi, cenſus, aut alterius contractus ſimilis, quia cum talia onera rebus inhæreant, & vero inhærerent, antequam Eccleſię fierent, ab ea ſunt ferenda, quoties & quando exiguntur, quia cum hac obligatione ei ſunt datæ, & ab ea acceptatæ, vt earum intuitu, ac cauſa, ſolita ſeruitia, ac tributa exhiberentur vero ac directo Domino. E

Secundus eſt, cum Princeps, ac Reſp. premuntur inopia, è qua eis emergere non eſt facile, niſi Clericorum beneficentia, ac largitione aliquanta pecuniæ, quæ eorum redditibus reſpondeat. Ad eam rem tamen ſunt conditiones quæ ſequuntur neceſſariæ.

Prima, vt neceſſitas vel vtilitas ſit communis omnium, non aliquorum tantum.

Secunda, vt tali neceſſitati occurri non poſſit

pet ſolos Laicos.

Tertia, vt Epiſcopus cum Clero, iudicet talia ſubſidia à Clericis conferenda eſſe, quia Laicorum facultates, ad dubia Reip. tempora ſubleuanda non ſufficiunt.

Quarta, vt ea ſponte, non coacte pendantur.

Quinta, vt antequam dentur, conſulatur Pontifex Romanus, quæ omnia complexus eſt Innoc. III. in decretali quæ incipit. aduerſus de Immunit. Eccleſiarum, his verbis: *Quo circa ſub anathematis diſtrictione ſieri de cætero talia prohibemus, niſi Epiſcopus, & Clerus tantam neceſſitatem & vtilitatem perſpexerint, vt abſque vlla coactione, ad releuandas vtilitates vel neceſſitates communes, vbi Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia exiſtiment conferenda, prius tamen Romanus Pontifex conſulatur cuius intereſt, communibus vtilitatibus prouidere.*

Neceſſitatis porro nomine, non alia intelligenda, quam quæ directè, & immediatè bona Eccleſiæ reſpicit, aut Eccleſiaſticorum, vt ſi hoſtes fidei impetum in prouinciam faciant, deuaſtaturi Eccleſiaſticorum bona, niſi reprimantur, & ad eam rem Laici per ſe non ſufficiant, nec eorum opes, tunc ad cogendos milites, aut ex prouincia abigendos hoſtes, muneribus ac pecunia, Clericis iure naturæ contribuendum eſſe aliquid de ſuo, dixere, Layman. tract. 9. cap. 16. num. 7. Abbas in cap. non minus 4. de Immunit. Eccl. præmiſſa tamen antea deliberatione Clericorum, & Præſulum, quorum res agitur, quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet cap. ad hæc de Offic. Archid. & de reg. iuris reg. 29. in 6.

De Pontifice conſulendo, quod in citato cap. & in Later. concilio dicitur, id intelligendum eſt in caſu, quo per tempus licet, nam ſi res vrget, ſi premunt hoſtes, ſi delectus habendus eſt militum quam poteſt fieri citiſſimè, ad quem à Clericis pecunias ſubminiſtrari ſine mora eſt neceſſe, vt hæ colligi authoritate Pontificum: ita & à Clericis, inconſulto Pontifice Romano, offerri ad id poterunt: Ita Abbas & Laym. locis citatis, ratio eſt, quod in neceſſitate ſilent leges, nec ſe audiri aut expectari tum ſinunt, cum cuilibet natura ſuadeat vt ab ea ſe, quocunque modo virtus ac ratio patiuntur, expediat.

Tertius caſus, in quo, Clericis ſubeunda ſunt onera publica, quemadmodum & Laicis, eſt, cum eorum intereſt, ſicut & Laicorum, Rempublicam regnum, aut ciuitatem malis quibus vrgetur eximi, ratio eſt, quod ad omnes, naturali quodam nexu ac obligatione pertineat, inuigilare Reipublicæ, vrbẽ ac prouinciam cuius ſunt membra protegere, tueri ac defendere: at Clerici pars ſunt Reipub. ac vrbis, in qua habitant, licet ex prærogatiua quadam honoris cæteris illuſtrior. Quid? quod Eccleſias quibus præſunt, omni qua poſſunt ope, certo prope direptionis, periculo, vaſtationis, ac ruinæ, quæ timetur, eximere Clerici debeant, at male eſſe Prouinciæ, male vrbi non poteſt, quin Eccleſiis & earum bonis, ac poſſeſſionibus male vertat, vno eodemque impetu ac caſu, vrbem ruere, & Eccleſiam, eiuſque bona omnia, eſt neceſſe. Ob eam cauſam cum ad ſternenda lapidibus itinera, reparandos pontes, opponenda fluminibus repagula, ne agros inundatione obruant, aliquid authoritate publica exigitur, contribuere Clerici debent pro copiarum ſuarum modo, Henriq. lib. 10. cap. 15. num. 8. Molina tract. 2. tom. 3. diſp. 674. Abb. in cap. non minus, Annæus Rober. lib. rer. iudicatar. 2. cap. 12. Papon. lib. 11. arreſto 17. & 19. cauſæ id poſtulandi à Clericis hoc tempore ſunt multæ.

Prima priſci æui exemplum, ac præiudicium magnorum hominum, nec enim Conſtantino religioſius quidquam fuit, nec Carolo magno ſanctius & tamen ab vtroque fuere in has leges coacti cum Laicis Clerici, *ad inſtructiones itinerum pontiumque* (inquit imperator lege, ad inſtructiones Cod. de ſacros. Eccleſiis) *etiam diuinas domos, & venerabiles Eccleſias, tam laudabili titulo lubenter aſcribimus*, non abſimilis eſt hæc, ea de re Caroli magni oratio Capitul. lib. 6. cap. 107. *poſſeſſiones ad religioſa loca pertinentes nullam deſcriptionem agnoſcant, niſi ad conſtitutionem viarum vel pontium, ſi tamen intra eadem loca habuerint poſſeſſiones.* Quare quod tantis viris culpabile non extitit, vitio ſibi ſenatus verti non poſſe exiſtimat, ſi quibus illi legibus, Clericos ſubeſſe voluere, harum iſte ab illis cuſtodiam ac obſeruationem exigat.

Secunda, quod quæ Clerici ſternendis vijs ac reparandis pontibus impendunt, id in rem ſuam cõmodumque abſumant, nam quo ſunt planiora itinera, quo pontium ſtructura firmior, hoc eſt viarum labor minor, hoc traiectus ab vno loco in aliũ facilior.

Tertia, quod qui fructum ex re percipit, ad hunc quoque pars onerum peruenire debeat, at à vilitate annonæ, eiuſque copia, in republica, magna redundant in Clericos commoda, quo enim eſt hæc maior, hoc minor eſt eius valor, quæſtuſque proinde Clericorum vberior, quorum fortunis tanta credenda eſt acceſſio fieri, quanto res ſibi ad vitam vtiles minoris comparant: ergo cum vehendi importandique facilitas rerum pretium diminuat, & hãc viarum inſtructio pariat, habet ſenatus iuſtam cauſam credendi, cõmunem hunc vſum, & commune commodum, communi ſumptu impenſiſque omnium tuendum eſſe: ob eam cauſam ſumptus queq; præſtare Clerici debent, ad reſtaurationem mœnium, decreto magnorum dierum Molinenſium 7. Octobris an. 1550. cui accedit authoritas Paponii lib. 5. tit. 11. arr. 19 Redeamus ad inſtitutum: ergo.

Quarto, conferre apud nos Clerici debent in commune, cum Laicis, quantum eſt neceſſe ad apparatum & pompam qua Rex in vrbem inuehitur Claud. le Bret in actione 16. Chenutius in additionibus ad Papon. l. 5. tit. 11. art. 15. deque eo extat arreſt. vt vocant ſupremæ Curiæ vectigaliũ ſeu iuuaminum anni 1506. Clerici ad onera tenentur.

Quinto, cum hoſtis metuitur, vt in obſidione eos ad portarum excubias ablegant Fabricius in Theoria tit. de patrimonio num. 16. & litera l. ad marginem, Choppinus de ſacra politia tit. 1. nu. 5. quod vt faciant inducuntur ab his rationibus.

Prima quod olim reſponderit Gregorius eius nominis 9. can. perũenit de immunitat Eccleſiæ, à murorum cuſtodia, noctumiſque excubijs neminẽ ſacræ functionis prætextu excuſari. *Fraternitas tua*, inquit, *nullum per noſtræ vel Eccleſiæ ſuæ nomen, aut alio modo, à murorũ vigiliis excuſari patiatur, ſed omnes ad hoc generaliter compellantur.*

Secunda, quod bene inſtituta ratio præcipiat ſingulis vt quacunque ope licet, ſuam ac reipublicæ ſalutem tueantur ac propugnent, an autem ad id quoque cogi Clerici pignorum capione poſſint, ac debeant, dicetur poſtea.

Tertia, capi poſſunt redditus Clerici pendentes, hoc eſt quorum ſoluendorum, nec dum dies aduenit, capi inquam poſſunt à Laico pro executione rei iudicatæ, ſi occaſione fundi, aut domus debeantur, quia fructus pendentes pars ſunt rei, lege fructus

Digitized by Google

ctus ff. de rei vendicatio at creditor res immobiles iudicis authoritate vſurpare ſibi poteſt, ergo earum fructus pendentes. Imbertus in inſtitutione forenſi.

Fructuum autem pendentium nomine, bona non intelliguntur mobilia, vt aiunt, cum in ijs exequutio eſſe nulla poſſit Philippi Pulchri lege Regia rubrica *des biens des Prelats & Cleres non mariez* quam non raro in dicenda ſententia Senatum ſequutum eſſe ſcripſere Paponius, Chenutius & alij.

In quibus ergo bonis facienda eſt (inquies) hæc executio, ſi ab ea mouentia excludi placet?

Nõ alijs quã immobilibus Chaſſan. in conſuetudine Burgundiæ in rubrica *des inſtices* §. 4. Gloſſa prima & rubrica *des ſucceſſions des baſtards*, § 20. Talia ſunt rura, domicilia, agri, vineta, redditus beneficij, ac qui fructus à ſolo non ſunt ſeiuncti. Maſuerius rubrica de execut. § item executio, modo ex illis neceſſaria Clerico ad vitam ſubſidia ſuppetant, nec enim patiuntur æquitas ac honeſtas, ad eas illum redigi anguſtias, vnde niſi morte ſequuta ex fame, emergere nequeat.

Quid ſi præter mobilia nihil in ære ſit Clerico? nil domi foriſque ab his diſtinctum?

Reſpondeo Epiſcopum admonendum tum eſſe, vt eum ad officium ſolutione debiti, etiam cenſuris ſi eſt opus adhibitis adigat, quia ad Epiſcopum pertinet, idoperam dare, ne quid detrimenti, ſalus Reipublicæ publica, aut ſingulorũ priuata capiat, & ad id ſi res, cauſaq; poſtulent, intentare Eccleſiæ fulmina, at multum nomini, ſplendorique Eccleſiaſtici ordinis officit, quod Clerici, æs contrahant multum ac varium, cui ſoluendo non ſint pares. Quid? quod hoc creditoribus noceat? cum arduum omnino ſit atque difficile, læſos non iraſci, priuatos re ſua, non erumpere vltra quam par ſit, in probra & odia, quæ mala ne accidant, vt ipſe non dicam, omni eſt ope, induſtriaque, cauendum Epiſcopis.

Sexto, ſoluunt Clerici in Gallia partem eius pecuniæ, quam ab hoſtibus obſeſſa ciuitas, in communem ciuium vtilitatem impendit, Choppin. lib. 3. de ſacra politia tit. 2. num. primo.

Cauſa eſt, quod cum eorum interſit peræque ac aliorum ciuium, in poteſtatem non venire hoſtium, ad id autem neceſſariæ ſint impenſæ aliquæ, nil eſſe videtur æquius quam eas cum ſunt factæ, diuidi inter Clericos & Laicos.

Octauo etſi quam ſacri ſunt Clerici, tam eorum profana bona, profanis profanorum magiſtratuum manibus, ſacra eſſe ac intacta debeant, quemadmodum & ſeruos per can. Eccleſiarum ſeruos qui eſt 69. cauſæ 12. quæſt. 2. quæ cauſa Gallis principibus extitit prohibẽdi lictoribus, ne ſe aliquãdo authoritate iudicis inflecti ſinerent, adoc cupanda bona Clerici mouentia, pro ſolutione contracti æris, exequi dicunt pariſioni Galli *exequuter* quæ optimorum Regum amoris aduerſus Eccleſiam ſingularia indicia, ſequi ſenatum in iudicando, fidem faciunt eorum hac de re decreta multa ac varia, quorum meminit Bouchellus in additionibus in Petri Guenois collationes regias titulo 5. li. 1 litera K. ad marginem.

Tamen vt ſunt tempora, nihil hac ætate de Clerici ſuppellectile lictori imperuium eſt, ac clauſum, vſurpare vniuerſam poteſt, modo ne ſit ſacra, hac enim vna excepta, reliqua eius eſt permiſſa voluntati, vt inde creditori ſatisfaciat contractaque nomina deleat Bouchellus ſupra litera M. Imonec ab ea neceſſario abſtinendum eſſe, cum agitur de ſtipendio conductæ domus exoluendo, ſcripſit Carolus Molinæus in conſuetudinem Stampenſem art. 148. Bleſenſem art. 258. Rebuf. tractatu de Literis obligatorijs art. 4. Gloſſa 2. numero 16. cauſas eius rei has producunt.

Primo, quod Clerici teneantur regni legibus, quoad vim directiuam, cum vrbis ſint ciues, parteſq; Reipublicæ quam componunt, quæ hanc ergo ſtatuta ſtringent, ab his Clericus immunis eſſe non poterit, at Franciſci primi lege, cuique eſt integrum, capione pignorum à quocunque, pro conductę domus mercede iuſta, ponere ſe extra damni metum: ſic enim articulus ſexageſimus ſeptimus publicatarum anno 1539. *Item s'eſt loiſible à vn proprietaire d'aucune maiſon par luy baillée à ſilire de loyer de faire proceder par voye de gagerie en ladite maiſon pour les termes à luy deubs pour ledict loüage ſur les biens du conducteur eſtans en icelle maiſon.*

Secundo, quod quiſque iuris in alium ſtatuit, hic eius vim experiri in ſe debet, per caput cum omnes de conſtit. & can. ſi in adiutorĩ diſt. 10. cum hunc à lege diſcedere æquitas non ferat, qui ea vtitur in alium, hac enim conditione eius poteſtatem in alium exerit, vt illam quoque in ſe dominari velit, cum peccabit, Aufrerius in regulam 2. in fine de poteſtate ſecularium ſuper Eccleſiaſticis perſonis, ſane qui ſtatuta aliqua, vt ſibi ſunt commoda recipit, & ea quoque ſeruare debet quoad onera, Bald. in leg. primam in fine Cod. de contrahenda empt. Sed Clerici qui domos locant, Laicis, eorum bona occupare poſſunt in ſolutum ſtipendij pro locatione debiti: ergo & Laici Cleticorum. Pyrrhus in cõſuet. Aurelian Benedictus in can. Raynutius in verbo & vxorem num. 333. Bona dixi, nam ipſe capi nequit. Cauſa eſt quod in Clericum ius ac poteſtas nulla Laico competat, cap. ſi diligenti, cap. ſignificaſti de foro competenti cap. vnico de Clerico coniugato in 6.

Quid ſi ſe in perſonam vt aiunt obligauerit?

Exiſtimat Rebuff. in eo caſu illum prehendi poſſe, & ad carceres Epiſcopi duci ibique detineri, quòd ſi nihil habeat vnde creditori ſatisfaciat ceſſionis beneficio vti poſſe itáque in libertatem aſſeri Rebuffus tractatu de literis obligatorijs articulo 2. Gloſſa vnica num. 10.

Nono, non ſunt Clerici in Gallia immunes à portorio *barragium*, vulgo nominant, quod pendi ſolet in aditu vrbis ac regni Gallice, *pour l'entrée de foraine* Annæus rer. iudicatar. lib. 2. cap. 12.

QVÆSTIO XXXIV.

An Clericus coniugatus iiſdem priuilegijs gaudeat, quibus non coniugatus.

PLacet initio adnotare, Clericorum priuilegia non eſſe omnia vniuſmodi, quædã enim appellãtur fori, & Canonis, alia pro obiecto habẽt vacationẽ à cõmunibus regni oneribus qualia ſunt gabellas præſtare, munera ſæcularia obire, ad portas excubare, arma ſumere, regis in bello latera ſtipare

Nec eſt hoc ſilendum, coniungi virum poſſe fœminæ quæ virgo ſit, corrupta aut vidua, ac de vtriſque immunitatibus, quæſtionem hic eſſe, an eę coniugato cuilibet, tam qui virginem ſibi deſpondit in fœminam, quam viduam, ſint debitæ.

Dico primo, *Clericis coniugatis ea priuilegia neganda eſſe, quę ſunt de tributis non ſoluendis, realibus aut perſonalibus*, Gloſſa in cap. vnicum de Clerico

coniugato in 6. verbo in cæteris Couarr. quæstionum practicarum cap. 31. num. 9. Azor lib. institut moral. 13. cap. vlt. q. finali.

Assertionis firmamenta præcipua tria, primum, quod intercedere distinctio aliqua in priuilegijs debeat, inter coniugatum Clericum, & cœlibem.

Secundum, quod consuetudo regnorum habeat, vt onera subditis à Principe imposita, coniugati Clerici subeant, ergo cum hæc si est rationabilis, & præscripta, vim legis habeat, cui parere oporteat, non erunt ab his oneribus Clerici coniugati liberi non magis quam Laici.

Tertium lex ciuilis approbata à Canonibus Clericos obligat peræque ac alios cap. vt inquisitionis officium de hæreticis in 6. ea enim nostra facimus quæ approbamus, cap. si Apostolicæ sedis de præbendis in 6. & lege 1. §. omnia Cod. de veteri iure Aneclean: vt quod coniugati Clerici tributa pendant, Regi obsequia solita exhibeant, sit Pontifice sciente, nec tamen aduersante, ea ergo, Regi aut Reipublicæ, cuius sunt membra, si culpæ expertes esse volunt, religiosè præstabunt ac integre.

Dico 2. *Clericos qui contraxere cum virgine, gaudere priuilegio Canonis & fori, dummodo Tonsuram & vestes Clericales deferant, & alicui Ecclesiæ, cui seruiãt, fiat ab Episcopo ascripti.* Ita Bonifacius eius nominis 8. in constitutione quæ incipit *Clerici qui cum vnicis*, de Clericis coniugatis in 6. Trid. sess. 23. cap. 6. de reformat. patet hinc primo Bigamos, id est qui cum duabus matrimoniũ iniere: aut cum vidua, vel si cum vna sola, eiusmodi tamen quæ ab alio iam corrupta fuerat, carere vtraque hac immunitate, si modo secundum matrimoniũ consummauerint, aut illa quæ dicitur incommodum virginitatis suæ passa, hoc dedecore sit ab alio affecta, quam ab ijs, aut eo, cui, vel quibus nupserat.

Patet 2. ad huius priuilegij vsum exigi, vt Clericus non vna tantum aliqua Clericorum veste amictus procedat in publicum, sed omnibus. Causa est quod cap. vnico de Clericis coniugatis in 6. Clericorum vestium mentio fiat numero multitudinis, & non vnitatis tantum, quemadmodum & cap. iudex de sentent. excommunicat. in 6. ergo si præter thoracem & caligas coloris atri, Clericus coniugatus nihil habeat, quod Clericum oleat, vt fieret, si pallio vteretur rubro, viridi, aut cinericij coloris, foro non gaudebit eodem quo Clerici alij.

Addit insuper Barbosa lib. 1. iuris Eccl. cap. 39. ad vestem, adiici oportere Tonsuram, neutrum seorsim sine alio, sufficere ad priuilegiorum vsum.

A Imola in cap. vltimum de vita & honestate Clericorum, Clericum quemlibet, puta etiam negotiationi deditũ in his bonis in quibus mercaturã exercet, ante trinam monitionem retinere priuilegium.

Quam sententiam subscripsit his verbis Angelus ver. Clericus 9. n. 3. *Nec sufficit trina monitio, sed oportet quod sit specifica & non generalis, nisi fieret per viam statuti, quia statutum habet vim legis, & Prælatus potest statuendo augere pœnam iuris, & infligere pœnam sine monitione verbali, alias requiritur monitio.* Paria cũ Angelo sentiũt Tabiena in verbo excõmunicatio 5. n. 24. Syluester verbo Clericus 3. n. 3.

Verum enim sententia quæ sequitur, sola retineri debet, nullam exigi monitionem, aut iudicis declarationẽ, sed amittere Clericũ immunitatẽ in bonis, B hoc ipso quo matrimoniũ cõtrahit, fori autẽ & Canonis, quo sine tõsura aut Clericali habitu incedit.

Huius opinionis patroni præcipui ac principes sunt, Iulius Clarus lib. 5. recept. practic. crim. q. 36. num. 19. Bossius practicar. lib. primo de foro competenti num. 128. Abbas in cap. Ioannes num. 19.

Probatio est vnica: Defectus conditionum, quas priuilegiũ, voluntate concedentis exigit, illius vim omnem adimit, at quod Clericus à foro ciuili, ac profano, vacationem habeat, donum est Pontificũ ac Ecclesiæ qui ad eius firmitatem, vestem postulant ac Tonsuram Clericalem: ergo his carere, est Clericale priuilegium perdere.

Confirmatur cum immunitatis concessio, donatio sit res, facta ab eo qui potest, est vis eius omnis C arcessenda, à donantis voluntate, vt fonte suo ac capite, ergo si hic beneficio quod alteri vult collatũ, modum addat ac limites, vt hi prætereundi non erunt, sic nec ille, donationis enim mensura ac regula, est voluntas humana donantis, sed Pontifici placuit suæ in Clericos beneficentiæ modum ponere, ac immunitati illis concessæ conditionem adijcere, nempe si cœlibes viuerent, si coniuges non essent, si cum Tonsura ac veste Clericali incederent, sic Trid. sess. 23. cap. 6. his verbis, *Is etiam fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum ac Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat vel in* D *seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel vniuersitate de licentia Episcopi quasi in via, ad maiores ordines suscipiendos versetur, in Clericis vero coniugatis seruetur constitutio Bonifacij, quæ incipit Clerici quæ cum vnicis, modo hi Clerici alicuius Ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidẽ Ecclesiæ ministrẽt, & Clericali habitu & Tõsura vtãtur.*

Confirmatur, A communi sensu hominum, ac prouinciarum, legis est sensus intelligentiaque petenda, sed communis mos gentium est, vt Clerici coniugati, priuatim domi suæ, aut in foro publice per iudicis sententiam doceantur, se Clericorum priuilegijs excidere, aut excidisse per matrimonium, non est hæc ergo monitio necessaria.

E Confirmatur, Quod Clericus sistere se iudici Laico, quod cæterorum more tributa pendere, quod onera subire regni, principum humana lege non debeat, priuilegium est status, non huius aut illius hominis in particulari: sed Clericus statum amittit, ascita sibi fœmina in coniugem, (cum sic maritis annumeretur non Clericis) ergo & priuilegia.

At nemo (inquies) subijcere se ferendæ pœnæ debet nisi coactus à iudice, sed est amissio immunitatum à foro & Canone, peccati pœna, cum his priuari Clerici non alij soleant quã qui se notis status exuunt, Tonsura scilicet & veste, aut damnata castimonia amores ambiunt, amplexusque fœminæ,

QVÆSTIO XXV.

An oporteat Clericos admoneri vt absistant à prohibitis per Canones antequam priuilegia fori & Canonis amisisse censeantur.

QVæstionis sensus est duplex, primus ecquid oporteat admoneri Clericũ coniugij cupidũ, ipsi habendum eũ esse priuilegio Clericali in bonis suis, ac vacatione ordini concessa à tributis, obsequijs, indictionibus, illico ac desertis Clericis, eoque vita cœlibe trãsibit ad fœcundã coniugum.

Secundus an similiter doceri Clerici debeant, nõ ferentibus habitum & Tonsuram, priuilegium fori & Canonis perire, ac proinde ambo eis in communi vita adhibenda esse, si eo nudari nolint.

Doctorum super hac re disputantium classes sunt duæ, Primam ducit Panormitanus cum quo sentit

honeſtos licet quia intra iuſti matrimonij limites ſe cohibent, non ſunt ergo Clerici ante ſententiam aut monitionem iudicis redigendi in ordinem ſæcularium, iactura ſuarum immunitatum. A

Neganda eſt minor, nam quid habet culpæ confugium? quid turpe deſertio veſtium, in Clerico minorum ordinum? cum Eccleſia animum in eo immobilem, cum ſtatam, ac perennem in eodem voluntatem non exigat ſeruandæ caſtitatis? Quis enim iſtiuſmodi hominum religioni ducit nuptias? Quis matrimonium? quam multos vbique habet Eccleſia, coniuges ſimul & minoribus Eccleſiæ ordinibus inſignes? quos tamen culpæ nemo arguit.

Quod ſi Oſtiario ſi Acolytho, aut Exorciſtæ vxorem duxiſſe non datur culpæ, non eſt ſane immunitatum amiſſio, quę horum ſunt ordinum proprię, peccati in contrahendo matrimonio certa pœna, non ſunt hæ ergo à Clerico coniugato tollendæ, aliqua iudicis ſententia. B

Obijcies 1. haberi in decretali Clementis 3. in audientia, quæ eſt can. 25. tituli de ſententia excõmunicat. Clericis, qui, *arma militaria relicto habitu Clericali geſtare nullatenus erubeſcũt, ſi à prælatis ſuis tertio commoniti militaria arma noluerint deponere*, his inquam Clericis, *de priuilegio Clericorum aliorum, ſubſidium expectandum non eſſe*. Trina ergo monitio prærequiritur amiſſioni priuilegii.

Reſpondeo vera narrari, ſpectato iure antiquo Canonum, non item recenti ac nouo Tridentini Concilij, quo eſt ſancitum tacite, vt indicta ſententia, Clericus non ferens habitum, priuilegijs ſuis abeat, nam cum Patres ad eorum perennitatem ac vſum, hanc circunſtantiam poſtulent, & alias, de quibus Conciliũ his ademptis, & ea quoque perire eſt neceſſe, cum quibus cauſis quid ponitur, ijſdem & conſeruetur: ſunt autem hæ circunſtantię numero quatuor. C

Prima, vt Tonſura.

Secunda, vt habitu ſint inſigniti Clerici.

Tertia, vt ex præſcripto Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiant.

Quarta ſi non miniſtrant Eccleſiæ, vt inſtituantur in aliqua ſchola ſeu academia eiuſdem Epiſcopi conſenſu, eo animo vt ad maiores ordines progrediantur.

Nec præteribo hoc loco, quod reſponſum ſibi à Cardinali Caraffa fuiſſe aſſerit Comitolus, nempe Clericos, qui Tridentinæ Synodi decreto, priuantur priuilegio fori, eo quod non habeant omnia quę ad poſſeſſionem eius priuilegij exigit, non tamen illico priuilegio canonis excidere. D

Secundo, Clericum minoribus ordinibus præditum, niſi beneficium obtineat Eccleſiaſticum, ſine habitu, & Tonſura incedentem, omni prætermiſſa admonitione, prædicto priuilegio fori exui, ei tamen alia omnia, à priuilegio fori & canonis ſepoſita, conſeruata eſſe: ita Comit. lib. 6. quæſt. 20. E

QVÆSTIO XXXVI.

Quo iure humano, an diuino, Clerici, à poteſtate ſecularium ſint exempti.

ESt hæc quæſtio copioſe pertractata à Rebuffo ſub finem Concordator. rubrica de eorum protectione, Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 9. Azor. parte 1. lib. 5. cap. 12. qu. 1. Bonac. de contractib diſp. 10. qu. 2. punct. 1. & aliis, quorum eſt hæc conſtans conflataque opinio, Clericorum immunitatem, ſiue in perſonis eorum, ſiue in cauſis, ſiue in bonis ſpectetur, à iure naturæ, & diuino fluxiſſe, *Clerici*, inquit Bernard. de Laurenti Toloſani Senatus Præſes primus, *ſunt exempti à poteſtate Laicorum auctoritate ſummi Dei*, in eandem ſententiam è Iuriſperitis iuere Couarruuias in li. practicarum quæſtionum cap. 31. concl. 2. Felinus & Decius in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ de conſtitut. hanc inter ſummarum ſcriptores defendunt, Laym. lib. 4. tract. 9. cap. 8. Duardus in Bullam cœnæ lib. 2. verſu 15. qu. 18. Peſantius de immunit. Eccleſiæ diſp. 1. num. 5. Alterius de Cenſur. tom. 1. diſp. 16. lib. 5. cap. 2. Homobonus de exam Eccleſiaſt. par. 2. tract. 11. cap. 4. q. 6.

Ab iis diſſentiunt è Theolog. Medina Cod. de reſtit. qu. 15. Sotus in quarto diſt. 15. qu. 2. art. 2. conclul. 3. 4. & 5. Malderus in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 7. Salas de legib qu. 96. tract. 14. ſect. 11. nu. 12. è Iuriſperitis Mort. in emporio iuris par. 1. tit. 2. qu. 12. Caſtill. contra Iur. lib. 2. cap. 5. nu. 29. ex Canoniſtis Garſias de nobilit. Hiſpan. gloſſ. 9. num. 18. Soſia in Bul. cap. 19. diſp. 91.

Mihi tamen magis ad veritatem videntur accedere, qui aiunt, immunitatem quæ in perſonis, ſacro cultui ab Eccleſia addictis, verſatur, iuris diuini eſſe.

Primo, quod ſit hæc eorum opinio, certa Oecumenicorum Conciliorum auctoritate firmata.

Secundo, Pontificum.

Tertio, authorum teſtimoniis.

Quarto, argumentis omni luce clarioribus. Ordiamur à Conciliis, eſt in Trident. ſeſſ. 25. cap. 20. de reformat. *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione & Canonicis ſanctionibus, conſtitutam eſſe*. In Concil. Lateran. ſub Innoc. III. dicitur: *Nimis de iure diuino, Laicos quoſdam vſurpare, cum viros Eccleſiaſticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præſtandum ſibi fidelitatis iuramentum compellunt. Quia vero, ſecundum Apoſtolum, ſeruus ſuo Domino ſtat, aut cadit, ſacri auctoritate Concil. prohibemus, ne tales Clerici, perſonis ſæcularibus præſtare cogantur huiuſmodi iuramentum*, Concil. Later. can. 43.

Eſt præterea in Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 9. non longè ab extremo hæc eiuſdem in eandem ſententiam oratio: *Cum à iure tam diuino, quam humano, Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit*, quo nihil eſſe poteſt ad fidem quæſtionis propoſitæ expreſſius, hanc ſententiam Pontifices quoq; Romani, vt certam, vt indubitatã ſcriptis ſuis commendauere poſteris. Martinus V. in conſtitutione ad reprimendas loquens de Laicis ſic ait. *Nos attendentes quod Laicis in Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas, & illorum bona nulla ſit attributa poteſtas*. Innoc. 3. qui tempore Martinum præcucurrit, eandem veritatem hiſce verbis comprobat,

in decretali Ecclesia S. Mariæ de constitut. *Nos attendentes, quod Laicis, etiam Religiosis, super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Mens eadem fuit Bonifac. VIII. in sua decret. quanquam, de censib. verba ipsa indicant. *Cum Ecclesiæ, Ecclesiastica que personæ, ac res ipsarum, non solum iure humano, quam imo & diuino, à secularium personarum sint immunes.*

Tertio hanc ipsam sententiam confirmant, Imperatores & Principes, antiquissimus omnium, quod sciam, Clericos de iure Dei esse, dixit in Concil. Nicæno Constantinus Magnus, vt refertur in can. continua 5. causæ 11. qu. 1. cum ad eum Episcopi, mutuas in se se inuicem querelas detulissent: *Vos à nemine diiudicari potestis*, inquit, *quia ad Dei iudicium reseruamini*, Ecclesiastica quoque historia testatur quia cum ei *Scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant Episcopos conuocans, in eorũ conspectu, libellos quos acceperat incendit dicens. Ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignũ non est, vt iudicemus Deos*: Greg. li. 4. epist. 31. & refertur 11. q. 1. can. Sacerdotibus 41. Constantinum sequuti sunt Theodos. & Valentinian Imperatores, cum enim de cunctis, qui Ecclesiæ necessitatibus inseruiunt, sancirent, vetuere eos ad iudicia pertrahi. *Habent enim illi*, inquiunt, *suos iudices, nec quidquam iis, publicis commune est cum legibus*, can. continua 11. qu. 1. *& si Imperator Catholicus est, quod salua pace ipsius dixerimus, filius est, non præsul Ecclesiæ, quod ad religionem competit, discere eis conuenit, non docere, habet priuilegia sua potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est, vt eius beneficiis non ingratus contra dispositionem cœlestis ordinis nihil vsurpet. Ad Sacerdotes enim, Deus voluit quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suę Sacerdotibus voluit esse subiectas.* Ioann. Papa dist. 96. can. si Imperator 11. & paulo post: *Non à legibus publicis non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus, omnipotens Deus, Christianę religionis Clericos, & Sacerdotes, voluit ordinari, & discuti, recipique de errore remeantes: Imperatores Christiani subdere debent excusationes suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre.*

Ad has authoritates, addenda sunt rationum momenta.

Prima, non nisi circa propriam suam materiam, versari potest iurisdictio seu potestas magistratus forensis, ac regij, habere enim iurisdictionẽ, est nactum esse subditos, quibus ius dicatur, at non alienis, sed suis, id est propriis redditur cum fructu, & sine crimine, extraneos ad sua tribunalia cogere extra casus, quibus quisque forum sortitur, turpis est ac fœda iudicij vsurpatio, proindeque vitiosa, est ergo hæc propositio vera, iudici ac Regi prohibitum esse naturæ iure, de re cognoscere, aut iudicare, quæ est extra genus, seu terminos obiecti sui. At Clerici, non sunt de iis, ad quos se iudicum ciuilium potestas, tanquam ad suam propriam materiam extendat, per se, ac propria virtute, hæc enim est temporalis, ac politica, Clerici autem, eorumque bona sunt sacra.

Hanc autẽ temporalem esse, probat hæc ratio. Materia, seu obiectũ cuiusque potestatis, petitur ex fine, qui ei est directè in agendo propositus. Iam quæro quid Principes, quid eorum iuridici, quid ciuilis Resp. in omni vitę suæ genere, spectent? nisi id quo salus, ac incolumitas publica multorum continetur? id autem temporale esse, nemo negauerit, qui sacra à profanis segregare nouerit, pax enim inter ciues, commercia inter mercatores, fides inter hospites, viarum ac itinerum securitas, quibus maxime rebus florent, vigentque Respub. procurandæ cùm primis, & ante cætera Principi, ac constituto per eum Magistratui, profana sunt bona, de eorum numero, quæ vt sunt circunscripta loco ac tempore, ita cum eo desinunt, ac finem capiunt, cuiusmodi esse Clericos, omniaque, quæ ad sacrum altaris ministerium pertinent, & ab iis ad sacrificium Missæ adhiberi sunt solita, quis dicet?

Enimuero quæ Deo religiose sunt ac sanctè, ex formula Ecclesiæ oblata, sacra sunt non temporalia, Clerici tam inductione propria animi, quam precibus Episcopi, ac Tonsura capitis, Deo sunt affecti, addictique peculiariter eius cultui, ideoque suapte voluntate, ac institutione Ecclesiæ sacri, consequenter extra obiectum sæcularis iurisdictionis positi, ergo ab ea iudicari aut puniri non possunt.

Secunda ratio, est Potestas Ecclesiastica à Deo instituta, totaque in Romano Pontifice collata, in persona Petri cui claues regni cœlorum sunt promissę Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* traditæ autem Ioan. 21. cum cuncti Christiani, infimi, medij, summi, sunt ei, tanquam Pastori, & Patri commissi, vt eius industria, curaque, inducerentur in salutaria verbi Dei, & Sacramentorum pascua, *Pasce oues meas*, ergo cum potestas, seu iurisdictio, esse sine propria sua materia nequeat, quæ in personis consistit in quas est exercenda, sunt hæ quoque diuino iure, ac Christi institutione attributæ Pontifici, vt ab eo cognoscantur, iudicentur, defendantur, facit ergo contra hanc Dei ordinationem, qui eas ab eius foro abstractas, ad forense deuocat, in eo dicturas causam, coram non suo iudice, de capite, honore, ac fortunis.

Tertia iure diuino sunt Ecclesiæ ministri in spiritualibus, Laicis priores, ergo hos illis imperare, eosdem à iudicibus Ecclesiasticis ad sæculares, à suis Ecclesiis muneribusque, ad profana tribunalia, aut opera, à sua dignitate aliena abducere, est tali iuri iniuriam facere, illudque non sine graui sacrilegij crimine pessundare.

Neque sunt modo iure diuino Clerici à sæcularium potestate liberi, sed eorum quoque bona secundum Comitolum, lib. 1. respons. q. 63.

Probabilius hi mihi loqui, & sentire videntur, qui non nisi Regum ac Principum beneficio, bona Clericorum à tributis pendendis exempta, aiunt, ita Diu. Thom. in epist. ad Rom. cap. 13. interpretans verba illa Apost. *Ideo enim tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.*

Ab hoc debito, inquit, *liberi sunt Clerici, ex priuilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet, vnde etiam apud Gentiles, liberi erant à tributis, illi qui vacabant rebus diuinis.*

D. Thomæ assentiuntur Medina in Cod. de rebus restituendis qu. 15. Driedo in 1. lib. de libertate Christiana cap. 9. consider. 7. nec nisi priuilegio Principum Ecclesiam immunitatem bonorum assecutam volunt, & sane honore ab Artaxerxe affecti leguntur in lege veteri Sacerdotes, Leuitæ, cantores Nathinæi & ministri domus Dei, vt prouinciarum & ciuitatum Rectores, *Vectigal, & tri-*

Digitized by Google

butum, & annonam non haberent poteſtatem imponendi ſuper eos. Quid Conſtantinum memorem? à quo Clericorum vniuerſitas, quæ ad eam diem, mirandum in modum ab Imperatoribus Chriſtiano nomini & Religioni infenſis, vexata fuerat, omni tributorum onere eſt leuata. Pari in eos liberalitate vſi Theodoſ. & Valentinianus, Imperatores ambo, à Iuliano enim Apoſtata, miſerabiliter, ac fœdè in religionis odium oppreſſos, ſuis veteque decretis, in libertatem aſſerunt: *Priuilegia Eccleſiarum, quæ ſæculi ſui Tyrannus inuiderat, prona deuotione, ſanctis ambo conſilijs & animis renouarunt: Clericis item, quos indiſcretim ad ſeculares iudices debere deduci, infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſeruarunt, fas enim non eſt, vt diuini muneris Miniſtri, temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio*, Cod. Theod. lib. 45. quibus verbis indicant Clericorum immunitatem, ſic eſſe diuino iure conſtitutam, vt non ſine tyrannide, & ſacrilegio violetur à Principe. Quare in id ei incumbendum eſt ſedulò, ne quid in eam per ſe, aut aſſeclas ſuos, fori miniſtros, peccet, ne quod timere boni omnes debent, in his pœnis hæreat, quas in Clericorum contemptores, ac legum, quibus à Magiſtratuum iniuria proteguntur, ſtatuerũt Concilia, Pontifices, Imperia. *Quicũque enim iudex, aut ſecularis, in Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet de Clero, aut de iunioribus, abſque audientia Epiſcopi, Archidiaconi, aut Archipreſb. iniuriam inferre præſumpſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio habeatur extraneus.* Concil. Altiſiodor. ſub Papa Deusdedit can. 40. Ex quo palam eſt, hoc delicti genus, quo ius Epiſcoporum, atque libertas Eccleſiaſtica violantur, excommunicationis cenſura puniri, an autem ſit hæc, ipſo facto incurrenda, ac latæ vt loquuntur ſententiæ, an ferendæ tantum, non conſtat, verum dubitandi cauſam omnem adimit particula (habeatur) canoni huic inſerta ſicut & iſta, pellatur, quæ eſt in Agath. can. 7. quæ cum non ad præſens, ſed futurum tempus referatur, non ſententiam latam, ſed ferendam ſignificat.

Secus eſt tamen de his qui Clericis, eorumque bonis onera imponunt ac vectigalia iudicandum, intuentibus quæ ab Innoc. III. ſcripta ſunt in Lateran. Concil. can. 46. ibi enim qui iudiciali auctoritate Clericos pro dignitate non tractant, ſed eos vectigales eſſe Regi more popularium ſuorum cogunt, excommunicationis ipſo facto incurrendæ nexu vinciuntur, canon eſt his verbis præſcriptus. *Aduerſus Conſules, & alios, qui Eccleſias, & viros Eccleſiaſticos tallitis, ſeu collectis, & exactionibus aliis grauare nituntur, Concil. Lateranenſe, immunitatis Eccleſiaſticæ volens prouidere, præſumptores huiuſmodi, ſub anathematis diſtrictione prohibuit, excommunicationi præcipiens ſubiacere tranſgreſſores, & fautores eorum, donec ſatisfactionem impendant competentem.* Simili pœna animaduertit Pontifex quotannis in eos, *qui ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque, perſonas Eccleſiaſticas coram ſe ad ſuum tribunal, audientiam, cancellariam, conſilium, vel Parlamentum præter iuris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæſito colore.* Bulla cœnæ can. 15. Quia tamen nunquam hæc Pontificia ſanctio promulgata fuit in Gallia, nec à populo recepta, quæ duæ tamen res, ſunt neceſſariæ, vt lex obliget, hæc enim promulgatione inſtituitur, ac conditur, firmatur verò ac perficitur, (vt nimirum omnes ac ſingulos è communitate conſtringat) poſteaquam à maiore vel potiore ſeu digniore populi parte acceptata, & vſu comprobata fuit, ſecundum axioma commune Iuriſperitor. relatum à Grat. in diſt. 4. *Leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus vtentium comprobantur*, cuius eſt hic ſenſus leges ſubſtantiam ſuam intrinſecam promulgatione acquirere, accidentaliter autem perfici, cum acceptantur à populo, quia (inquam) Bulla cœnæ, Gallis nunquam innotuit iuridicè, nec ab iis recepta fuit, qui in eam peccant, cenſendi non ſunt aliqua excommunicationis cenſura notati.

Quid ſi ſponte, quid ſi vltro, ac non coacti, de conſenſu mutuo, Clerici dirimendis controuerſiis quæ caſu, inter eos de fortunis ac honore ſunt ortæ, de turba Laicorũ, arbitrum aliquẽ ſibi legant?

Nec hi iudices eligere, nec obtruſos recipere poſſunt, qui cauſæ ſuæ præeſſe iure nequeunt, eſt hæc reſponſio è ſanctionibus Pontificum petita, nam in Decretali ſignificaſti, de foro compet. quæ decretalis eſt Greg. IX. ita præcipitur: *Licet priuatorum conſenſus eum, qui iuriſdictioni præeſſe dignoſcitur, ſuum poſſit iudicem conſtituere, Clerici tamen in iudicem non ſuum, niſi forte perſona ſit Eccleſiaſtica & Epiſcopi Diœceſani voluntas accedat, conſentire non poſſunt*, & in ſua Decret. ſi diligenti eod. tit. Innoc. III. *Clericus non poteſt iuri ſuo renunciare & in cauſis temporalibus ſibi Laicum iudicem conſtituere*, eodem pertinent quæ proximè præcedenti quæſtione ſunt ex Conciliis Antiocheno 1. can. 12. & Carthaginenſi can. 15. allata quæ hic repetenda non ducimus. Poſſe tamen, eidem in ciuilibus ſubmittere ſe tanquam arbitro, ſcripſere, Dian. in tract. de immunit. Eccleſ. reſol. 106. Tann. in 2. 2. diſp. 4. qu. 4. dub. 1. num. 29. ſi tamen eius ſententiæ ſtare nolint: ad id cogi non poterunt.

QVÆSTIO XXXVII.

An Clerici, ſaluo iure ſuæ immunitatis, ſoluere poſſint vectigal aliquod Principi, non coacti, ſed ſponte.

Dico primò, *Clericos, non poſſe ſibi onus imponere ſoluendi tributi Principi, nec promiſſum, aut ſponte acceptatum, Romano Pontifice inconſulto pendere.*

Primo, quia abdicare ſe priuilegiò, ſeu iure immunitatis integro, aut eius parte, nemo poteſt ſine crimine, 11. qu. 3. can. inolita 42. cap. ſi diligenti 12. de foro compet. ſic enim vniuerſitati Clericorum faceret iniuriam, ſic ius læderet Romani Pontificis, in cuius dedecus, ac contumeliam redundat haud dubie, quod contra eius voluntatem, ac decreta, Laico ſe quis ſubmittat, ac tali ſubmiſſione, in ordinem vulgi ſe redigat.

Secundo, ſi poſſunt Clerici, ſoluendi tributi neceſſitatem ſibi inferre, poſſunt quoque publicani, aut quæſtores regij, iuſte illud ab iis ſine crimine exigere. Conſequens eſt falſum, nam non eſt in iure priuati alicuius hominis, ſine facultate ſuperioris, ab obligatione legum quas fanxit, eximere eius ſubditos: ergo cum Pontificum, & Conciliorum legibus, prohibeantur Laici tributi nomine, quidpiam à Clericis poſtulare, ac tanquam debitum exigere, falſum eſt, id eis per priuatos Clericos permitti poſſe: ita autem ſtatuiſſe Concilia patet ex Tolet. 4. can. 46. & tertio can. 10. Lateranenſi ſub Innoc. III. can. 46. in primo enim præ-

cipitur, *vt omnes Clerici, pro officio religionis ab* A *omni publica indictione, atque labore habeantur immunes, vt libere Deo seruiant.*

In secundo, vetantur publici Magistratus, Ecclesiarum seruos, Episcoporum, Presbyterorum & Clericorum omnium, fatigare exactionibus & angariis.

In tertio damnantur violatæ libertatis Clericorum, qui eos vectigales Principum faciunt, tributaque, ab iis ad Reipublicæ commodum inconsulto Pontifice exigunt, vera est ergo minor, Pontificum & Conciliorum sanctionibus, Clericos à pensitandis tributis liberos, ac immunes esse, cui priuilegio nulla sua pactione obesse possunt, sic enim Innoc. III. in sua decretali si diligenti 2. de foro competenti: *Manifeste patet, quod non solum inuiti, sed etiam voluntarij pacisci non possunt, vt* B *laricis iudicia subeant, cum non sit hoc beneficium personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit indultum, cui priuatorum pacto derogari non potest.*

Secundo, renunciare priuilegio sibi concesso nemo potest, cum tertij detrimento, quia quâ parte est ea renunciatio tertio cuidam noxia, vitiosa est, & illicita, cum prodesse omni tempore singulis liceat, nunquam vlli obesse. Sed abdicatio Clericalis priuilegij, facta à priuato quopiam, iuri Pontificis Romani derogat, quia eximendo aliquem à potestate sæcularium, eum sibi ac iurisdictioni suæ immediate subiicit, quam subiectionem perdit, per spontaneam abdicationem eius priuilegij, à Clerico, in fauorem principum factam: Ita Panormit. in decretal. Innoc. III. cum tempore de arbitris.

Dico secundo, *Nec soluere posse Clericos, saluo iure suæ immunitatis, id quod sponte soluturos se sunt polliciti, & à Laicis, Principi dari iure vectigalis.*

Est hæc conclusio, tùm rationibus ante allatis certa, tùm maxime auctoritate Pontificum, Innoc. III. cap. aduersus de immunit. Eccles. Leon. X. in Concil. Lateran. sess. 9. Bonifac. VIII. in cap. Clericis 8. de immunit. in 6. Benedic. XI. in Extrauag. quod olim de immunitatib. Ecclesiar. qui omnes seuere Clericis prohibenti ne quid tributi nomine pendant vnquam magistratui Laico, in subsidium egentis Reipub. nisi Papa annuente & consulto.

Dico tertiò, *Excommunicatos esse Principes, eorumque ministros omnes, qui onus Clericis imponunt soluendi quidpiam, aut præstandi, sine auctoritate Romani Pontificis:* Ita Innoc. III. in Concil. Later. can. 46. Leo X. in Concil. item generali Lateranensi sessione 9. in qua sacro approbante Concil. Constitutiones Bonifac. VIII. ad libertatem Clericorum pertinentes, quæ à Clemente V. in Concilio Viennensi reuocatæ fuerant, ab eodem Leone sunt restitutæ, iisdem penè verbis ac cum omnibus Censuris, quas pro libertate Ecclesiastica Bonifac. antea sciuerat. Sane cum Principes, nullam in Ecclesiasticas personas, potestatem habeant, nec aliquam eis competere, tribuique oportuit in eorum bona, quibus si vectigalia imponerent, & personis quoque ad quas pertinent, præcipere possent, easque ad illa soluenda, pro suo iure cogere, quod tamen negant Concilia Lateran. & Trident. sess. 25. cap. 20. vbi hæc leguntur *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus instituta est.*

Dico quartò, *Excommunicationem, qua in eos animaduertitur, qui præstationem, Ecclesiasticis personis imponunt, sine Pontificis assensu, esse latæ sententiæ, eique reseruatam, præterquam in mortis articulo.*

Primo est id planum ex can. 18. Bullæ cœnæ.

Secundo, ex decretali Bonifac. VIII. cui initium est Clericis 8. de immunit. Ecclesiar. parag. nec igitur in cuius postrema parte districtè, *personis Ecclesiasticis & Prælatis omnibus, in virtute obedientiæ, & sub depositionis pœna prohibet,* ne quid sæcularibus soluant absque expressa sedis Apostolicæ licentia: *Et si soluerint, vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto, à supradictis autem excommunicationum & interdictis sententiis, nullus absolui valeat (præterquam in mortis articulo) absque sedis Apostolicæ auctoritate & licentia speciali.* Non credit tamen Toletus, in sua summa, tract. de casibus in Bulla cœnæ reseruatis excommunicatione nona, censuta irretiri eos qui sponte soluunt, quos tamen irretiebat Bonifac. quod in Bulla cœnæ neque in Concil. Lateran. renouatam esse non appareat.

Dico quintò, *Quo priuilegio Clerici gaudent, & Ecclesiæ, eodem quoque gaudere eorum familiam, domesticos, & seruos:* ita Diana in tract. de immunitate Eccles. resolut. 97. Leo in Thesauro fori Eccles. parte 1. cap. 11. Habetque hæc assertio fidem à can. 10. Concil. Tolet. 3. vbi prohibentur Iudices & alij Magistratus ciuiles, Ecclesiarum seruos, ac Clericorum omnium fatigare exactionibus publicis, ac angariis: *Si quis vero iudicum,* inquit canon, *aut actorum, Clericum, aut seruum Clerici, vel Ecclesiæ, in publicis aut priuatis negotiis occupare voluerit, à communione Ecclesiastica, cui impedimentum facti, censeatur extraneus.*

Obiicies, *Fori priuilegio,* secundum Trident. *it tantum gaudere debet, qui beneficium Ecclesiasticum habet, aut Clericalem habitum & Tonsuram deferens, aliena Ecclesiæ, ex mandato Episcopi deseruit, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via, ad maiores ordines suscipiendos versatur,* sess. 23. cap. 6.

At in seruis, familiaque Episcopi, reperire aliquid tale non est facile.

Primo vt latine nesciunt? ita beneficia regere nequeunt. Deinde delecti ad custodiam Episcopi, aut procurationem domus, de ordinibus sacris, suo tempore locoque recipiendis non cogitant, fitque sæpe, vt eorum nullus, aut pauci, per Tonsuram, sacro sint Clericorum ordini aggregati, ex quo Pereira in tract. de manu regia par. 1. cap. 19. nu. 13. planum fieri asserit, immunitatem à tributis aliisque regni oneribus priuilegium quidem Clericorum esse, nullo modo eorum, quorum opera vtuntur ad ministeria domestica.

Respondendum, eo loco, qui est in obiectione notatus, de Clericis duntaxat Concilium agere, non aliis, qui aliunde fori priuilegio, & Ecclesiastica immunitate fruuntur, Papæ aut Conciliorum indulgentia. Diana supra, Cenedo in quæst. Canon. q. 4. n. 16. & alij.

Digitized by Google

Explicantur dubia quædam ad Clericorum immunitatem ſpectantia.

PRimum, *An Clericus, ob delictum, priuari poſſit feudo, aut Emphyteuſi, quam aliena voluntate poſſidet, vt Principis, aut priuati hominis.*

Feudum à Clerico poſſideri poteſt, quâ talis eſt, ac nomine Eccleſiæ ſibi commiſſæ, vel agnationis, aut hæreditatis iure. Si primum, non poteſt à principe, aut eius iudice ſpoliari feudo, annexo Eccleſiæ, antequam ab Eccleſiaſtico magiſtratu, dicta in eum ſententia fuerit, ratio eſt, quod de Clericorum criminibus cognoſcere directè aut obliquè Laici nequeant. Quid? quod æquitas non ſinat Eccleſiam, ob vnius cuiuſpiam hominis noxam, rebus ſuis exui? ſi reus eſt, puniatur ſane, vt eſt commeritus, tam capite, quam ſoli mutatione, hoc ipſo nihil eſt iuſtius, ſed ea duntaxat lege, ne noceatur Eccleſiæ, ne eius fortunis, ac prouentibus detrahatur, aliquid, in pœnam admiſſæ à Clerico culpæ, nam cum Eccleſia nihil peccauerit, cum ſit innocens, ac ſceleris omnis expers, cur agris, cur poſſeſſionibus ſuis, ac feudi priuatione aliena ſcelera lueret? eo ergo ſpoliari Clericus non poterit, ſi ad ipſum pertineat nomine Eccleſiæ, quam adminiſtrat.

Poſſe autem, ſi more ſæcularium, donatione amicorum gratuita ac liberali, aut ſucceſſione, ius ad eum feudi ſit delapſum, communis eſt Canoniſtarum opinio, quia tunc conſideratur feudum, ſine ordine ad Eccleſiam.

Confirm. certum eſt merita de Clericis, cum peccant, ſupplicia poſſe exigi, ac non tantum aliquantâ pecuniæ ſummâ Iudicem Eccleſiaſticum poſſe, eos mulctare, ſed & agris, poſſeſſionibus, ac feudis, cum culpæ merentur hanc pœnam, nam ſi vita ob peccata eis poteſt adimi, cur non & opes? cur non feudum? cur non & cætera fortunæ caduca membra?

Argumento hoc fretus, Suarez lib. 4. defenſionis fidei Catholicæ cap. 34. conſuetudinem damnari poſſe negat ſecũdum quam Imperator in vaſſallos ſuos Clericos, aut Rex in miniſtros, & Conſiliarios, item Clericos inquirit, eoſque pecuniis, depoſitione ab officio, aut feudi priuatione mulctat. *Quia tunc*, inquit Laym. tract. 9. cap. 5. *non conſiderantur, niſi ſub reſpectu mere ciuili, & maximè quia ſub ea conditione & pacto, ad ea miniſteria acceptantur, quod pactum neque contra bonos mores, neque contra Eccleſiaſticam exemptionem eſſe videtur.*

Quod ſi crimen, ob quod Clericus diem apud Imperatorem aut Regem dicit, eſſet per ſe ac directè oppoſitum fidelitati, obedientiæ, ac honori, quem vt feudatarius, eis debet vt directis Dominis, etiamne tùm eſſet iudicis Eccleſiaſtici requirenda authoritas, eius expectanda contra illum ſententia?

Nequaquam, cum enim penes Imperatorem, aut Regem, feudi quod eſt Eccleſiæ traditum directum dominium maneat, ad eos propriè pertinet de controuerſiis, ſuper feudo motis, aut mouendis, quæſtionem habere, teſtimonio Alexand. III. in cap. ex tranſmiſſa 6. & cap. verum 7. de foro competenti: at à fide domino debita diſcedere, bellum ei perfide indicere, eidem obſequia neceſſaria non reddere, culpæ ſunt eiuſmodi, quarum turpitudo, ac fœditas, à conditione feudi, peti maximè debet: ergo ad Imperatorem, aut Regem, non Epiſcopum, de his Clerici feudatarij criminibus cognoſcere, eaque vindicare ſpectat.

Dub. ſecundum, *An Clericus apud Laicum iudicem, quæſtionem poſſit inſtituere contra Laicum.*

Reſpondendum poſſe, ita Alexand. III. cap. ſi Clericus Laicum 3. de foro competenti, ratio eſt, *quia actor, forum rei ſequi debet*: Excipiunt aliqui caſum, in quo contraria conſuetudine ſecus fieret in aliqua prouincia, ſed huic exceptioni locum non eſſe, indicant hæc verba decretalis citatæ proximè, *Actor forum rei ſequi debet, licet in pleriſque locis, de conſuetudine aliter habeatur.* Quid ſi crimen eſſet mixti fori? In actoris eſt arbitrio, reõ litem intentare, coram quo iudice erit ei placitum: libet audire ea de re reſpondentem Lucium Pontific. III. in decretali cum ſit 8. de foro: *Cum ſit generale, vt actor forum rei ſequatur: verum quoniam ſeculares iudices in exhibenda iuſtitia perſonis Eccleſiaſticis, ſæpe in iudicio ſunt remiſſi, in fauorem Eccleſiæ eſt introductum, vt maleſactores ſuos, qui ſacrilegi ſunt cenſendi, venerabilium locorum rectores, poſſint ſub quo maluerint iudice conuenire.*

Dub. tertium, *Quæ ſint cauſæ, criminaque fori mixti?*

Cauſarum tripertita eſt diſtributio, quædam ſunt merè ſpirituales, ciuiles aliæ, mixti fori tertiæ, ſpirituales, quæ & Eccleſiaſticæ nominantur, ſunt eæ, quæ propriè ſpectant ad regimen Prælatorum Eccleſiæ, cuiuſmodi ſunt, quæ ad Dei cultum, animæque ſalutem pertinent, ſpeciatim de doctrina fidei, ſacrificio, Sacramentis, miniſtrorum ordinatione, votorum obſeruantia, conſecratione templorum, altarium, virginum, peccatorum fuga ac odio, &c. Suar. lib. 4. de legib. cap. 11. Couarr. in prattic. quæſtionib. cap. 31. concl. 1. ratio eſt, quod vt poteſtas, ſeu iuriſdictio, denominationem ſumit ac ſpeciem, à materia quam pro obiecto habet, ita & cauſæ, quæ diſceptantur in foro, at ſunt ea omnia, quæ pro exemplo ſunt allata, ſpiritualia, hoc ſenſu, quod ad Dei cultum, ac animæ ſalutem referantur, ſunt ergo cauſæ ſpirituales, eæ omnes quæ cõcernũt Dei, bonumque animæ ſpectant.

Cauſæ mere ciuiles, ſunt eæ, quæ verſantur in diſcuſſione rei, quæ ad tranquillitatem Reip. pertinet, aut in quibus agitur bonum ciuitatis, aut ſingularium perſonarum, ita quæ ſunt de agris, eorum terminis, dominio, ſubiectione ac tutelis, earumque iure, cauſæ nominantur ciuiles, non ſpirituales, aut mixtæ.

Quales eæ haberi debent, quæ ad vtrumque forum vocari poſſunt, quod accidit in criminibu quæ dicuntur mixti fori, de quibus poſtea.

Vt enim eſt in cauſis diuerſitas, ita & in criminibus, quædam enim ſunt Eccleſiaſtica, ſeu ſpiritualia, alia ciuilia appellantur, poſtrema mixti fori. Priora, ſunt ea quæ iure Canonico prohibentur, non diuino, vt violatio ieiunij, aut præcepti alicuius Eccleſiaſtici ſimilis. Ea item quæ iuri naturæ aduerſantur, ſed à Principe, aut eius magiſtratu, in iudicium non vocantur, quia aliquid ſpiritualitatis continent, vt Simonia & hæreſis, vel ideoquod ciuili iure non vetentur, vt eſt pacti ſimplicis violatio, deceptio in emptionibus intra dimidium iuſti pretij.

Ciuile crimen, ſeu fori tantum ſecularis, eſt tranſgreſſio legis merè politicæ & ſæcularis. Mixti fori peccatum eſt, quod repugnat tam Eccleſiæ legibus, quam Principum ſæcularium, vt eſt con-

cubinatus Clerici, venatio cum armis, & clamosa in locis, quæ sibi Princeps reseruata esse ad voluptatem voluit, vel quæ iure naturali sunt vetita, licet propriam spiritualitatem non habeant, statum tamen tam Politicum quam Ecclesię oppugnant, eique sunt contraria, cuiusmodi crimina sunt, vsura, concubinatus. Sodomia, Clarus in pract. crimin. qu. 37. Piasecius in praxi Episc. parte 1. cap. 4. art. 3. num. 13. Sponsaliorum violatio Abb. in cap. ex litteris 2. num. 4. de sponsal. Sanch. lib. 1. de matr. disp. 29. num. 9. maxime si agatur de eorum valore, non pœna inferenda alteri duorum, per quem stat, quo minus impleantur, quia cum tale crimen sit mere seculare, secundum Molinam to. 3. disp. 70. num. 9. ei per Episcopum iuste imponi pœna non potest, cum iurisdictionis eius limites. exeat quidquid seculare est ac ciuile.

Præter hos casus, sunt & alii, in quibus per Ecclesiasticos iudices corrigi possunt Laici, Auferius in suo tract. de iurisdict. Eccles. in sæculares centum quadraginta nouem enumerat, pauciores Glossa in cap. Cum sit Generale ver. malefactores & cap. licet verbo vacante de foro compet. quos omnes complexa est his versibus.

Hæreticus, Simon, sæuus, periurus adulter, Pax priuilegium, violentus sacrilegusque: Si vacat imperium, si negligit ambigit, an sit suspectus iudex, si subdita terra, vel vsus, si quis pœniteat, miser aut sit, causaque mixta, si denuntiat Ecclesiæ, quis iudicat? ipsa.

Dubium quartum, *In quo fundetur potestas Ecclesiæ, cum de criminibus supradictis iudicat?*

In iure cùm naturæ, tùm Dei, naturæ quidem, quia eius est vindicare crimina, qui vetuit, cum potestas directiua, sine coercitiua sit inutilis, ergo cum Ecclesia, adulteria prohibeat, Simoniam, & periurium, ne operam videatur ludere, hæc eam crimina castigare est necesse, quæ sunt repugnante lege admissa. Dei autem, quia Episcoporum est, ac Præsulum, subditos sibi populos pascere, vitiis eorundem occurrere, cum sunt facta emendare, ne corrobata impunitate audacia, porro serpat, ad virtutum, ac authoris sui interitum Cum peccata Pontifices puniunt, *Non humanæ constitutioni, sed diuinæ potius innituntur, quia eorum potestas, non est ex homine, sed ex Deo proindeque ad eorum officium pertinet, de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, eiq; correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere.* Innoc. III. de iudiciis cap. nouit 13. Iure ergo tam naturali, quam diuino, licet Episcopis inquirere, *super quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocent à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem, præcipuè, cum contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis.* Innoc. ibid. Imò & canonico, vt statuisse Patres aiunt qui Romanæ interfuere Synodo sub Ioanne. Decreti, quo id tùm sanxere, verba sunt eiusmodi. *Habent Episcopi, singularum vrbium, in suis Diœcesibus liberam potestatem, adulteria, & scelera inquirere, vlcisci, & iudicare, secundum quod canones censent, absque impedimento alicuius,* de Offic. Iudic. cap. pernicioſa primo. Sane cum blasphemia periurium, magia, ac sacrilegium, sint contra Deum, supernaturaliter nobis cognitum, ac reuelatum, proindeque cum contemptu aliquo religionis coniuncta, sortilegium autem, cum fidei periculo, Dei irreuerentia, violatione rerum sacrarum, iactura animarum, decuit Ecclesiam de iis criminibus cognoscere, ea plectere, ne nocerent, studio suo, operaque impedire. Verum est tamen, Lucij tertij, concessione, in cap. 8. de foro competenti, *quoniam seculares iudices in exhibenda iustitia, personis Ecclesiasticis, sæpe sunt in iudicio remissi, in fauorem Ecclesiæ introductum esse, vt malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium locorum rectores, possint sub quo maluerint iudice conuenire.*

Dubium quintum, *An Laicus de causis spiritualibus, quæstionem habere aliquando possit, sine crimine.*

Aut in iis, de iure agitur, aut facto, si de iure, vt cum quæritur an hic contractus sit vsurarius, an licitus, an matrimonium ratum, aut irritum, sponsalia valida, aut nulla, iuramentum obligatorium, aut inane, ac nullarum virium, talium causarum discussio, ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, quis cum sint spirituales ex fine, cuius causa sunt institutæ, ab alio examinari nequeunt quam qui dirimendis eiusmodi litibus ex Dei institutione præsidet. Tales sunt Ecclesiastici, quorum curæ commissa est Ecclesia, ergo & controuersiæ, quibus continetur salus animæ, cum qui finis, idem quoque mediorum sit arbiter, cuiusmodi esse respectu salutis, conscientiæ pacem, quietem à litibus, explanationem iuris in animæ causa ambigui, nemo non intelligit, ergo de eorum conditione operum, vt an valeant, necne, tam propter spiritualitatem, quæ est eis annexa, quam iudicandi modum ac regulas, quæ ex sanctionibus Pontificum, Conciliorum decretis, Patrum disciplina sunt petendæ, quo in genere scientiæ, Laici raro excellunt, cognoscere Clericis est permissum.

De vsura docent Piasecius loco citato Clarus parag. fin. qu. 37. Laym. tract. 9. cap. 2. de Immun. Eccles. eorum ratio est, quod secundum sacros canones, quorum communiter Laici non sunt scientes examinari oporteat, qui contractus sint vsurarij.

Si tamen essent in aliqua prouincia, aut ciuitate, præscriptæ à Magistratu certæ leges, quas ad vsuræ fugam seruare esset necesse, vt est Laici iudicis officium inquirere an sint seruatæ, ita & punire qui eas fuerint transgressi, vnáque decernere, contractum, ea forma damnata instituendum esse, quia in eo casu non de iure alieno, sed proprio iudicat.

De iuramento, & periurio, loquitur Innoc. III. in cap. nouit 13. de iudiciis, his verbis: *Cum inter reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera, & vtrinque præstito proprio iuramento firmata, quæ tamen vsque ad tempus prætaxatum seruata non fuerint, nunquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesiæ non est dubium pertinere.* Neque modo iuramenti violatio, disquisitionis est Ecclesiasticæ tantum, sed etiam incertitudo, an valeat: Ita Abbas in cap. cum contingat de iure iur. *Cum ex rationum, & opinionum conflictu, redditur saltem probabile dubium, de valore iuramenti, non potest index secularis cognoscere, sed debet referre ad iudicem Ecclesiasticum.* Hæc ille. Ex quibus fit planum, quæstiones quæ de iure mouentur, super causis spiritualibus, in foro Ecclesiæ dirimendas esse, vt de matrimonio docent, Honorius III. cap. 3. de ordine cognitionum, Alexand. III. in decretali ad Londinens. Episcop. quæ ordine est septima in titulo. Qui filij sint legitimi, ibi enim ei præcipit vt de matrimonio matris Regis Angliæ, quæstionem instituat, modisque omnibus, quibus poterit,

rit, ſcire ſatagat, ſitne legitimum necne. Et quamquam ea cognitio Innocent. III decreto, in cap. accedentibus 12. de Exceſſibus Prælatorum, ſoli reſeruetur Epiſcopo, ſitque iure nouo, Trident. Concil. ſeſſ. 24. cap. 20. adempta Decanio, Archidiacono, & aliis Prælatis inferioribus, committi tamen Vicario Epiſcopi poſſe, vſus ipſe fori docet, quem probant Rebuff. de foro Vicarij Archiep. num. 155. Bertrach. in tract. de Epiſcopis lib. 4. par. 6. qu. 20. Piaſe. lib. 2. cap. 4. art. 4. num. 1.

Pars diſtinctionis altera fuit de facto, cauſiſque in quibus an ſit, necne inquiritur, v.c. an is, qui accuſatur furti, verè ſit eius conſcius, an qui arguitur, pecuniam dediſſe fœnori, contra legem de mutuo, gratis dando peccauerit, & iſtarum notitia, examen, ac ſententia, ſecularis iudicis opus eſt, ac demandatæ ſibi à Principe prouinciæ in iudicando, pars non minima, quare ſi ambigitur, non de natura contractus, non de effectu iuramenti, ac promiſſi, qui eſt nexus, vinculum, ac obligatio illud præſtandi, ſed de facto, an pactio vſuraria cum mutuatario interceſſerit, an cum iuramento res aliquando ſit promiſſa, poteſt iudex ſecularis, ſuſpectum de crimine, & accuſatum, ſiſtere ad iudicium, vt cauſam dicat, teſtes audire, tabellas inſpicere, verba pacti excutere. reumque conuictum de crimine, alieno ore, id eſt teſtium, aut ſuo, per confeſſionem, metu iuſtæ pœnæ, ad præſtationem promiſſi iurati, ac vſurarum reſtitutionem integram ac plenam, quantum eius facultates ſinunt, adigere, modo ne conuictus de eorum ſit numero, qui per Clericatum, in Chriſti militiam ſit tranſcriptus.

Dubium ſextum, *Qua ſit in Iudicem Laicum, de cauſa Clericorum Spiritualis cognoſcentem, conſtituta pœna per Canones.*

Prima, quod eius actio ſit nulla, iudicium inane ac nullarum virium, Gregor. ad Ioan. defenſor. lib. 11. epiſt. 18. & refertur 2. qu. 1. can. in primis 7. & can. Clericus, can. Sacerdotibus 11. quæſt. 1. cap. Et ſi Clerici de iudiciis 4. vbi ſic Alexand. III. loquitur: *Etſi Clerici coram ſeculari iudice conuicti fuerint, vel confeſſi de crimine, non ſunt propter hoc à ſuo Epiſcopo condemnandi, ſicut enim ſententia, à non ſuo iudice lata non tenet, & ita confeſſio facta coram ipſo,* In eandem ſententiam ſcripſit pleraque Imper. maxime Codice de Epiſcopis & Cleric. Authentica ſtatuimus, vbi corriguntur Iuſtin. conſtitutiones duæ, comprehenſæ authentica cauſas, & Authent. Clericus eiuſdem tituli.

Quid ſi pro Clerico Laicus pronuntiauerit? quid ſi ei cauſam adiudicauerit? *Si derelicto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit; etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione. In ciuili autem, perdat, quod euicit.* Concil. Carthagin. 3. can. 9. Cauſa eſt, quod ſententia ſine iuriſdictione dicta, ſit nulla, & ea carere in Clericum magiſtratus regios docetur in Synodo Eugen. Papæ, relata ex parte à Grat. in cap. decernimus 2. de iudiciis, ab Alexand. III. in cap. 4. eiuſd. tit. Bonifacio VIII. in cap. vnico de Cleric. coniugat. in 6 Innocent. III. in cap. Eccleſia S. Mariæ 10. de conſtitut. in hæc verba. *Nos attendentes quod Laicis (etiam religioſis) ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi, à quibus, ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpicit commodum, & fauorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi fuerit ab Eccleſia approbatum.*

Eſt etiam in Laicum, ius parantem Clerico dicere, inconſulto Papa, aut eius Epiſcopo, excommunicationis lata ſententia, à Gregor. I. epiſt. 10. lib. 11. & à Martino V. in conſtitutione cuius initium ad reprimendas de anno 1429. die autem prima Februar. quam hic latæ ſententiæ, ac ipſo facto incurrendæ, nec ab alio quàm à Pontifice, præterquam in mortis articulo abſoluendæ, eſſe voluit: *Eos autem, qui Clericos ad forum, ſiue iudicium Laicale, directè, vel indirectè, trahere præſumpſerit, eo ipſo cauſâ ipſâ, omnique iure priuat, eis, ſiue in poſſeſſorio, vel petitorio, in re, vel ad rem, cauſâ vel occaſione, quomodolibet competenti,* ſingulares autem perſonas excommunicatione, Capitula autem, & Conuentus, ſuſpenſione, in pœnam malè à ſe tentati iudicij afficit. Quod in Gallia non ſeruari, litteris tradidit P. Greg. in partit. iuris lib. 2. tit. 9. littera e. in commentariis, vſus enim fori & Regni pridem obtinuit, vt iudices Regij cognoſcant de crimine priuilegiato Clerici, Rebuff. in præemio ordination. regiarum Gloſſ. 5. num. 33. eodem Clerico, in poteſtate, ſureque ſui Epiſcopi relicto, vt pro communi delicto eum puniat, Chaſſanæus ad rubricam *des Juſtices*, ad verba *& droit d'eſtelles*, numero 49. in conſuetudinibus Burgundiæ.

Impunè quoque non tantum, ſed & cum laude capi, & pecuniæ aliquanta ſumma plecti poſſe à Laico Iudice Clericum, non tamen corporaliter, cum arma noctu defert, tradunt iidem authores qui ſupra. Inſuper, cum in ea arte quam profitetur, ſincerè, ac ſine fraude, non verſatur, lege fin. Codice de iuriſdict. omnium Iudicum. Quid ſi armis ab eodem priuetur? Spoliabitur ſine culpa. Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ parte 2. qu. 54. Babadilla in Politic. tom. 1. lib. 2. cap. 18. quia ita habet conſuetudo, nec deeſt tacita Pontificis ac Epiſcoporum permiſſio, ob quam etiam cauſam cogi nequeunt Laici iudices, ea reſtituere Clerico, cui ſunt erepta, ſatellitum aut cuſtodum miniſterio.

Dubium ſeptimum, *An miniſtri regij poſſint Clericos venationi operam dantes ſpoliare auibus, plagis, ac retibus, quibus ad eam rem vtuntur.*

Poſſe communis eſt opinio, quam ſcriptis ſuis inſeruere Villalob. in ſumma tomo 2. tractatu 10. difficult. 16. nu. 2. Cenedo in Collect iuris par. 1. collect. 37. n. 19. Salſedus in addit. ad Diaz cap. 68. niti videnturhi auctores hac vna cauſa. Quod ad id à Pontifice, cæteriſque Præſulibus, facultatem habeant, ſaltem tacitam, quod vbique, id ſit in more Epiſcoporũ reclamante nemine. Rationem aliam profert Vaſq. tom. 2. diſp. 167. cap. 4. num. 32. nec contemnendam. Nempe, quod non ſit contra iura Eccleſiæ, Clericis opem ferre, vt leges tam canonum, quàm Reip. ac Principum obſeruari curent, faciunt id miniſtri regij, cum arma Clericis ſubtrahunt, quibus in ſtatuta Regum incurrunt, eaque euertunt, quare non eorum crimen aliquod, aut culpam, ſpoliatione retium aut auium, quibus hi ad venandum vtebantur, miniſtri regij vindicant, ſed ad legis cuſtodiam, priuatione rerum iſtiuſmodi adiuuant, in quo nihil habent Clerici quod querantur, iura ſua imminui, lædi libertatem, ac priuilegia, hancque Galliæ & Hiſpaniæ conſuetudinem eſſe, vt arma iis ablata non reddantur docent. Couarr. lib. 2. reſolut. cap. 20. & in pract. quæſt. cap. 33. Iulius Clarus in pract. crimin. qu. 36. num. 26. Nauarr. lib. 5. conſil. conſ. 27.

Quod probant hi auctores Suar. lib. 4. defens. cap. 34. num. 14. Vasq. 1. 2. disp. 167. cap. 4. Layman. lib. 4. tract. 6. cap. 4. nam erepta aiunt eis reddi oportere, aut ad magistratum Ecclesiasticum transmitti.

Dubium octauum, *An liceat Clericis, appellare ad tribunalia secularia, cum ab Episcopis, aut Superioribus suis, queruntur se grauari.*

Causæ dubitandi duæ, prima, quod lege naturæ, licitum est cuique, vim à capite suo propulsare, seque, cum iniuste ad necem quæritur, aut eius honori struitur insidiæ, seruato inculpatæ tutelæ moderamine defendere, ergo & eorum implorare auxilium, qui sub sinu suæ protectionis positos, tueri possint & valeant.

Secunda, quod talis sit regni, talis fere consuetudo omnium gentium, quam silentio ipse suo, patientiaque Pontifex approbat.

Quare non impunè modo, sed & honestè posse Clericos, ab Ecclesiasticis, à quibus opprimi se aiunt, ad seculares confugere, vt sibi in dubiis suis temporibus opem ferant, credidere è Theologis, Rodriguez in summa tom. 1. cap. 155. num. 8. Llamas in instruct. Confess. parte 1. cap. 7. parag. 18. Henriq. lib. 14. cap. 12. num. 6. Portelius in additionib. ad dubia regul. verbo appellante nu. 3. iuuat hic eius verba apponere: *Religiosus*, inquit, *si per appellationem, vel alia via intra ordinē potest vitare vim sibi iniustè illatam, incurret censuras, si ad iudices seculares recurrat. Si verò neque sit locus appellationi, vel illa non recipiatur, & superior, ad quem posset recurrere, longe distat, itaut non possit illum adire, instante grauamine, vel etiam capto, & sit iniustè illatum arbitrio boni viri, tunc credo Religiosum, vel Clericum posse recurrere ad Principem secularem, qualis est Rex.* Hæc ille, quæ confirmari posse videntur ex eo, quod Rex tum aditur non vt iudex competens, vt aiunt, sed vt auxiliator oppressorum, qui appellantem iuuare poterit, nouos auctoritate sua dando iudices, abrogando veteres, vel si mitius agere placet, rogando Prælatum, vt subdito fiat placabilis, vimque illatam ipse adimat, aut locum det appellationi, de cuius negatæ iniuria, quia ei, aut eius magistratui, constare certo non potest, nisi ex actis, ea legere, ea postulare & examinare poterit. Ratio est, quod qui tueri potest, & ea quoque adhibere ei est permissum, sine quibus, esse defensio non potest. Quid? quod actorum inspectio, per se, ac propriè iurisdictionis non sit actio, cum arbitrantes ea possint inspicere: ita Malderus in 2. 2. qu. 96. art. 4. Sousa in Bullam cœnæ cap. 15. disp. 78. nu. 2. estque hæc sententia tam propter eorum authoritatem, quam rationes initio positas, probabilis, dummodo qui vim patitur, patiatur iniustè, & hāc iudices Ecclesiastici, quamuis rogati tollere noluerint, aut ob distantiam locorum, de eo rogari non possint, & tamen periculum sit in mora, iniuriaque manifesta, & nil fiat per modum vsurpatæ iurisdictionis, sed necessariæ defensionis.

Verùm non placet hæc opinio his Theologis Serario in lib. 4. contra Reg. Angliæ cap. 34. Azorio parte 2. lib. 5. cap. 12. & 14. Reginal. tom. 1. lib. 9. cap. 12. Sairo de Censur. lib. 3. cap. 18. nu. 6. Laym. lib. 4. tract. 9. cap. 4.

Quam communem sententiam, & Curiæ Romanæ consuetudinem, haud obscuris verbis confirmant Concilia Chalcedon. can. 9. Agathense can. 32. quod ipsum sit quoque ex epistolis decretalibus Pontificum planissimum, in decret. Innoc. III. ad Vercellem. Episc. quæst 17. de iudiciis est his verbis: *Præcipiatis ex parte nostra prælatis, vt Laicis, de Clericis conquerentibus, plenam faciant iustitiam exhiberi. Nonobstantibus appellationibus frustratoriis, quas in eorum grauamine Cleri frequenter apponunt, ne pro defectu iustitiæ, Clerici trahantur à Laicis ad iudicium seculare, quod omnino fieri prohibemus.* Sunt & aliæ, Romanorum Episcoporum, in eandem sententiam scriptæ epistolæ, ex quibus constat, Clericorum causas, à Laicorum tribunalibus, secludendas esse, nec vnquam licuisse, nisi apud Episcopos, Ecclesiasticosque iudices, eas actitari, ac iudicari. At enim, inquies, consuetudinis magnam vim esse, cum scitur, nec ei reclamatur ab his, quorum loqui interest, tūc enim habetur pro lege: ex quo sequitur, & Clericos, cum acerbe, habentur, & iniuste à suis superioribus, nec spes est, quod violentiæ suæ modum sint imposituri, secularia tribunalia tentare posse, nec cum id faciunt peccare, quia legi obsequi, ac parere, non est in vitio, cum est rationabilis, quemadmodum nec consuetudini, cum est præscripta.

Respondendum, Pontifices morem hunc non probare, cum eum, in prouinciis vbi auctoritas canonum viget, radices agere non sinant, ad præscriptionem quod attinet, dicendum est, hic nullam esse, quia qui incapax est possidendi, est etiam præscribendi, vt in simili prope causa respondit Alex. III. Parmensi Episcop. cap. cum causam 7. de præscript. ibi enim, cum ageretur de decimis, quas se longa temporis intercapedine, possedisse narrabat vir nobilis, proindeque sui eas iuris esse aiebat: vno hoc verbo rem confecit: *Quod cum Laici decimas detinere non possint nec eas vlla valent ratione præscribere.*

Dubium nonum, *An Clericus, capi possit, inuentus noctu cum armis, & mutato habitu.*

Dictum est antea, Clericum in crimine deprehensum, capi posse à magistratu regio, in eaque sententia esse Peregrin. de immunit. Eccles. cap. 16. Duard. in Bulla cœnæ lib. 2. can. 19. qu. 7. Bonac. de legib. disp. 10. qn. 2. punc. 1. parag. 1. Laym. loco supra cit num. 6. iam videndum restat, an repertus cum armis, nocte concubia, capi à lictoribus regiis, ac in publicos carceres compingi possit.

Posse negat Megala in 3. par. lib. 3. cap. 11. art. 7. per causam Bullæ cœnæ Domini, in qua excommunicantur Magistratus, quomodolibet operam suam accommodantes, ad capturam Clericorum nisi id illis per Pontificem liceat.

Affirmant Bobadilla in politic. lib. 2. cap. 18. Sousa in Bulla cœnæ cap. 16. disp. 82. nu. 9. Laym. lib. 4. tract. 9. cap. 4.

Primo, quia caritatis est, obuiam ire peccatis, eaque impedire, cum licet, id facit magistratus regius, cum Clericos in tenebris vagantes comprehendi mandat. Enimuero cum ferre arma, cum plateas aut vrbis vicos obire de nocte in armis, leges tam canonicæ, quam ciuiles vetent, facit prudenter, ac cum laude, quisquis tam verbo quàm facto Clericos adiuuat, ne in eas, culpâ suâ ac scientes incurrant.

Secundo, non modo cum vis infertur, sed etiam cum paratur, ab ea se expedire cuique naturæ legibus est licitum, vel mutatio habitus in Clerico, eiusdemque in publicum progressio cum armis, eoque tempore maximè quo omnibus quieti indulgere est in more, tacite indicant consilia eum agitare aut turpia ac fœda, aut priuato alicui noxia,

Digitized by Google

ergo cum ſe, alioſque defendere, iudici ſit neceſſe, priuatis autem ſemper in laude, magiſtratui eiuſque miniſtris, vitio dari nequit, ſi Clericos probabiliter in capita, aut fortunas priuatorum, noctu cum armis graſſantes capiant. Qua de re ſic Crucius in direct. conſc. par. 1. præcept. 8. qu. 3. art. 1. dub. 3. concl. 3. *Index ſecularis iure defenſionis ſuæ, aut alterius innocentis, licite comprehendit Clericum, non ſolum in actuali aggreſſione, & crimine patrando ſed etiam prœueniendo illum, & impediendo poſtquam eſt factum ne fugiat.* Ad eam rem tamen, ne ſit vitioſa talis captura, concurrere debent ſequentia, primum, vt non leuia miniſtris regis argumenta ſuppetant, Clericos in armis eſſe, vt noceant, quia ſi his accincti domo exeant, vt ſe tueantur à vi aperta, aut inimicorum inſidiis, vt tùm non peccant in legem, quæ hunc caſum probabiliter nunquam eſt complexa, ita nec eius pœnis, de quarum numero eſt captura, tenen debent.

Secundum, quod Clericum comprehendi ſit tùm neceſſe: Nam ſi hic aliquem offerat qui damna ſe præſtiturum recipiat, ſi quæ forte vlli intulit, aut qui eius nomine ſpondeat, recta ſe iturum ad ordinarium, vt de cauſa mutati habitus, aut progreſſionis in publicum cum armis eum edoceat, capi & incarcerari non debebit.

Quia cum cauſa iuſta eſt aliqua Clerico, ferendi arma, dies ei, violatæ legis canonicæ, aut ciuilis, dici non poteſt, cum eiuſmodi caſum comprehendere lex non ſoleat.

Tertiò requiritur, vt Superiores, vt puta Papa, & Epiſcopi, non querantur iniuriam ſibi, ac immunitati Eccleſiaſticæ, tali captura fieri, nam vt hæc vitium non habeat, tacitum conſenſum Prælatorum exigit, alioqui non videtur futura, ſine probabili vſurpatione iuriſdictionis in Clericos, at eſt ſilentium eorum, quos loqui, ac opponere ſe capturæ Clericorum oportebat, tacitæ Epiſcoporum voluntatis, vt id impunè fiat à ſeculariibus, qualecunque indicium: eſt hæc ergo ad vitandam culpam in hoc genere neceſſaria.

Dubium decimum, *An praxis fori ſit probanda, ſecundum quam iubetur Epiſcopis à Senatu, vt à ſe excommunicatos ob culpam abſoluant, actaque per ſe in hac materia reſcindant.*

Dico primò, *ſpectato iure communi, & ſeclusis ſpecialibus priuilegiis, praxim hanc damnandam per ſe in hac materia eſſe.*

Primo, quia nec Deus, nec natura patitur, vt filij parentibus ſuis, oues Paſtoribus ſerui Dominis imperent, ſed ſæculares iuridici, Sacerdotalis ordinis ſunt filij, Sacerdotes, eorum parentes, ac Paſtores, & hi illis imperant vt ſupponitur: ergo præter rationem, non eſt ergo probanda hæc praxis.

Secundo, non niſi ſuperiori competit. comparatione ſui inferioris, eum cogere ad reſciſſionem actuum ſuorum: ſed Magiſtratus Eccleſiaſticus, non eſt ſubordinatus politico, nec hic, in eum iuriſdictionem vllam habet, niſi in ciuilibus, quo de numero, non eſt excommunicatio, aut cenſuræ alicuius ſimilis illatio, facit ergo Senatus, quod ei, nec ratio magiſtratus, quam gerit in Repub. nec natura ipſa permittit, cum Epiſcopo, aut Prælato alteri præcipit, vt cenſuram à ſe latam tollat, in qua læſum ſe quis queritur, eſt ergo iudicium hæc praxis damnanda, quidquid dicat Couar. in pract. qq. cap. 35. num. 3. parag. cæterum.

Dico ſecundò, *Per eam immunitatem Eccleſiæ violari, niſi eam excepſet ſpeciale Papæ priuilegium, aut commiſſio.* Ratio eſt, quod in Eccleſiæ miniſtros, iuriſdictio vſurpari nequeat, ſaluis eorum priuilegiis, ac immunitatibus, ſed vſurpatur, vt ſupponitur, cum iubeantur Epiſcopi, metu amittendi temporalia ſua; reum expediendi è vinculis Eccleſiæ, quibus eum ex cauſa irretierant.

Dico tertio, *Non peccare fideles, cum cenſuris iniuſtis oppreſſi, appellant ſæculares, neglectis Epiſcopis, aut eorum ſuperioribus, à quibus ſunt repulſi, ſine auxilio*: Ita Couarr. loco citato, Laym. lib. 4. cap. 4. tract. 9. cauſa eſt, quod defendere ſe quiſque naturæ iure. & ad ſui defenſionem aduocare poſſit quoſcunque modo idoneos.

Dico quartò, *Cum eſt iuſta Clericorum querela, quod accidit, cum cenſuris ſine culpa vlla ſua opprimuntur, à quibus eos Superiores, quamlibet rogati, noluerunt abſoluere, poſſe Iudices, acta omnia, & proceſſum cauſæ ad ſe aduocare, eumque examinare, ac ſi iniuſtitiam commiſſam repererint rogare Eccleſiaſticos, vt querelæ cauſam amoueant, oppreſſis opem ferant*: Sic enim nihil de Clericorum dignitate detrahunt, ſic in re vlla, eorum priuilegia non infringunt.

Dubium vndecimum, *An Iudex ſecularis poſſit de Decimis cognoſcere.*

Dico primò, *Cum de iure agitur, vt cum quæritur, ad quem decimæ pertineant, quo titulo exigantur, an ad hunc, aut illum ſpectent, quod iudicium, proprietatis, ſeu petitorium appellatur, ſolius eſſe Iudicis Eccleſiaſtici, ei præeſſe, in eo quid ſequendum, quid tenendum reſolnere.* Conſtat ex cap. 2. & 3. de iudiciis, & probatur, quia tale ius, eſt conſequenter ſpirituale, vtpote ortum ex beneficio, eiuſque titulo, de quo inquirere, an ſit legitimus necne, ſolius eſt Iudicis Eccleſiaſtici.

Dico ſecundò, *Cum de facto, ſeu poſſeſſione agitur, vt cum petitur, quis decimas poſſederit, & à quo tempore, quod dici ſolet iudicium poſſeſſorium, probabile mihi eſt, iudicem Laicum, in eo quæſtionis genere verſari poſſe.*

Dicunt hanc ſententiam Selua parte 1. de benefic. quæſt. 7. num. 13. Gregor. Tholoſ. de benefic. cap. 40. num. 10. Nicol. Garſias par. 1. de benefic. cap. 2. num. 50. Fagund. de præcept. 5. lib. 3. cap. 5. num. 1. & 2. Moneta de decimis cap. 8. qu. 1. nu. 5.

Et prima eorum ratio eſt, quod poſſeſſio rei ſpiritualis, temporalis ſit, vtpote quæ non in iure, ſed in mero facto conſiſtat: Ita patet, quæſtionem de decimis eſſe mixti fori, ſpectatamque vno modo, iuris eſſe Eccleſiaſtici, ciuilis alio, Eccleſiaſtici quidem, cum agitur diſquiſitio iuris ad illas, vt cum poſtulatur à iudice Eccleſiæ, vt decidat, vtrum qui præſcriptione temporis, ſuperantis omnem memoriam, ſe à ſolutione decimarum excuſat, ab iis ſit vere liber, vt eſſe Fagundez dicit. Ciuilis autem, cum Clericus cauſatur ſibi factam à Laico iniuriam, negatione decimarum, quas ſibi perpetuo ſolutas ante actis temporibus aſſerit, agitque interdicto retinendæ, aut recuperandæ poſſeſſionis. Ab hac opinione abeunt, Homobon. de exam. Eccleſ. par. 1. tract. 8. cap. 8. qu. 24. Azor. par. 1. lib. 7. cap. 36. qu. 5. Laym. tractatus præcitato cap. 4. num. 11. Nituntur hac vna cauſa, quod poſſeſſio ſit ius inſiſtendi, ſeu detinendi rem aliquam vt definit Gloſſ. in lib. 1. digeſt. de acquirenda vel amittenda rerum poſſeſſ. Leſſ. lib. 2. de iuſtit. Ergo cum tale ius ſit ſpirituale conſequenter, vt pote fundatum in beneficio, eiuſque titulo, poſſeſſio quoque rei ſpiritualis, itidem ſpiritualis erit. Sed reſpondendum

Antec. proprie loquendo, falſum, eſſe quia poſ-

ſeſſio, mera eſt occupatio, ſiue detentio rei, in facto conſiſtens, quod ſi ius nonumquam dicitur, cauſa poſſeſſionis efficiens, in eius deſcriptione, pro formali, & quidditatiua ponitur. Hæc de Anteced. conſequentia quoque eſt neganda, poſſeſſionem ſcilicet ſpiritualem eſſe, ſi ius materiale non fuerit, indicio eſt, quod ius, inquirendi de matrimonij validitate, admatur ab Alex. III. Regi Angliæ, tanquam incompetenti Iudici, relinquatur autem eidem quæſtio de poſſeſſionum iure. Sic enim ille in decretali cauſam 7. Qui filij ſint legitimi: *Non attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Eccleſiam, de talibus poſſeſſionibus iudicare, ne videamur iuri Anglorum regis detrahere, qui ipſarum iudicium ad ſe aſſerit pertinere, fraternitati veſtræ mandamus, quatenus regi poſſeſſionum iudicium relinquentes, de cauſa principali, videlicet, vtrum mater prædicti regis de legitimo ſit matrimonio nata, plenius cognoſcatis, & cauſam huiuſmodi terminetis.*

Dubium vndecimum, *An Clerici exportantes pecuniam extra regnum, contra legem, ea ſpoliari poſſint à Laico, Regis miniſtro, aut ipſimet exulatum mitti ob hanc culpam.*

Dico primò, *Clericos peccantes contra legem, de pecuniis non exportandis extra regnũ ſine Regis facultate, iſdem priuari poſſe*, Heuia in Curia Philippica par. 3. parag 3. num. 11. Bobad. in polit. to. 1. lib. 2. cap. 18. num. 117. ratio eſt, quod Clerici vt ciues, ciuilibus, id eſt, quæ ad commune bonum ciuitatis pertinent, ſtatutis ac legibus teneantur, ſunt enim membra Reip. quibus eſt obſequendi capiti neceſſitas, non iubendi, quare niſi paruerint. in pœnam contempti Principis imperij, pecuniis ſpoliari ſuis poterunt, non tanquam ab his iudicibus, quorum poteſtati ſubſint ipſo iure, ſed à delegatis ad hunc effectum tacite, ac virtute à Papa, aut Epiſcopis, per ſpeciale priuilegium. Quia cũ è re ſit communi Eccleſiæ, eiuſque maieſtate, Clericos honeſtate vitæ, ac bonorum omnium genere, præ lucere Laicis, interſit autem ad id plurimum, eos culpæ expertes eſſe, in eam mentem venio, vt credam, placere Papæ & Epiſcopis, vt de eorum criminibus iuſtæ repetantur pœnæ à Laicis, ne in eas ſpe impunitatis ſæpe recurrant, in quo quid læditur Clericorum dignitas? quid Eccleſiæ? quæ quod per ſe facere ipſa poteſt, exequitur per alium.

Confirmatur, cum pecuniæ nerui ſint bellorum ac regni, intereſt Reip. ac Principis, videre ne ex earum auectione extra regnum, detrimenti aliquid patiatur vt vere patitur, quo enim earũ maior tranſportatur copia, hoc quoque fit ipſe infirmior, hoc ad reſiſtẽdũ hoſtibus debilior, impetitur ergo quod ammodo ac læditur, exportatione iſtiuſmodi: ergo cum defendere ſe, ac tueri à vi imminenti, Principi liceat, licebit etiam fiſco ſuo, tales pecunias addicere, non per modum iuſtæ punitionis, ſed inculpatæ tutelæ, ac defenſionis.

Dico ſecundò, *Laico Principi permiſſum non eſſe, Epiſcopos delinquentes aut Clericos, exilio plectere, aut emiſſione è regno.* Ita Molina to. 1. tract. 2. diſp. 3. concl. 6. Becan. in ſum. tract. 3. par. 2. cap. 1. ſect. 9 Vaſq. to. 2. diſp. 167. cap. 4. Bonac. trac. de legib. diſp. 1. q. 1. pun. 6. num. 19. ratio eſt, quod pœna exilij, imponenda ſit à ſuperiore, delinquenti, non ab alio, cum enim Principi diſceſſionem è regno imperanti, reum obſequi oporteat, nec obſequia noſtra alteri ſint, quam ſuperiori debita, conſequens eſt, in eo poteſtatem ac iuriſdictionem exigi, qui A ciectum ciuem ex vrbe, ob peccata, ablegit in exilium. Sed ea carent in Clericos Laici: ergo, &c.

Deinde quam indecorum eſt, ac turpe, vt qui homines, iudicium dare debent in ſæculares, ij ab iſtis, hoc eſt parentes à filiis iudicentur ac puniantur? quo quid poteſt eſſe à recta ratione diſiunctius? accideret id vero ſi quod Iuriſconſulti quidam aiunt, Principi Laico aut eius magiſtratui fas eſſet capitis pœna, aut exilij animaduertere in Clericos. Maneat ergo quod eſt in concluſione poſitum, ac auctoritate præſtantiſſimorum hominum firmatum, Clericos ſacros eſſe, vt in vita, & fortunis, ſic in domo, ſoloque patrio, lædi non poſſe ſine crimine, quare nec ad illud commutandum exilio cogi poſſe. B

Obiicies, debent Clerici, vt ciues, parere Principi in re iuſta, quæque ad commune bonum pertinet: ergo & puniri, pœna ab eo contra delinquentes poſita, ſi quid eos admittere contigerit, quod eius bono commodiſque aduerſetur.

Neganda eſt Conſeq. cauſa eſt, quod ad primum, Princeps poteſtate ſit præditus ſufficienti & idonea, non ad alterum, eo quod ſint Clerici ab eius poteſtate coercitiua, exempti per Pontificum priuilegia. Alexandri III. in cap. etſi Clerici 4. & Luc. III. in cap. Clerici 8. de iudiciis.

Obiicies 2. ſi expelli regno Clerici nequeunt à Principe, per viam iuriſdictionis contentioſę & iudicialis, (vt aiunt) quid impedit hũc in eos animaduertere, vt ſolent Patres in filios, Domini in ſeruos, at in iure Dominorum eſt, ac Patrum, filios, ac ſeruos, quamlibet Clericos, extũ bare domo, ſi pacem eius ac trãquillitatem violant, aut quidpiam aliud ſimile peccent, quo eorum in ſe iuſtam offenſionem ſubeant: ergo & Principi ſimiliter licebit; Clericos immorigeros, aut peccati conuictos, regno extrudere, ad exulandum cogere. Maior eſt neganda, quod enim Clerici, qui operas ſuas locant alteri, ab eo poſſint manumitti, filij à Patre, paterna domo excludi, cauſa eſt hæc, inter plurimas non vltima, quod ius non habeant commorandi Clericus apud Dominum qui ſibi eum ad rerum ſuarum curam delegit, filius apud Patrem, niſi quandiu & quanto tempore erit eis placitum, quod in Epiſcopis & Clericis locum non habet reſpectu Principum, cum enim ab eis, eorumque opera, non adhibeantur in Eccleſia, ad eius miniſteria ſed à Papa, qui eos beneficiis ac animarum curæ præficit, ius habent ea retinendi, ac in iis commorandi ſi volent dum viuent, quare à Principibus iis exui, aut ab iis expelli non poſſunt, vtpote conſtituti à Papa ad eorum regimen, cuius voluntati aduerſari illi, nec poſſunt nec debent. C D

Dubium duodecimum, *An Clericus, Magiſtratui ſæculari parere debeat imperanti, vt reſponſurus de re aliqua, ſuo ſe tribunali ſiſtat certo die, ac hora.* E

Reſpondendum, non teneri, quia ſuo non iudici, morem gerere, & obſequi, nemo tenetur. Addo amplius, nec id Clericũ honeſte poſſe, ac ſine crimine facere. Cauſa eſt prima, quod obſecundare iudici, in re mala, ſit cooperari eius culpæ, peccat Iudex regius, cum Clericum, ad ſe cum mandato euocat, cum enim non ſit hic, eius poteſtati obnoxius, habent eius in illum imperia, vſurpatæ iuriſdictionis ſpeciem, proindeque & culpæ labem, quandoquidem ius exerceri, dies dici, pœna ſtatui in non ſuũ ſubditũ non permittit æquitas, certo violanda

Digitized by Google

propter iniuriam, quæ fit vero ac legitimo Iudici Clerici, ad forenſe tribunal citati.

Secunda ratio, Priuilegiis à ſancta ſede conceſſis ordini, derogare Clericus non poteſt, ſine Papæ licentia, vt eſt in decretali Innoc. III. ſi diligenti de foro compet. & in alia cui initium ſignificaſti eod. titulo, & clariſſime canone non liceat 14. cauſæ 3. q. 6. vbi Innoc. prohibet Clericis, ne relictis, *his Sacerdotibus, qui in eadem prouincia, Dei Eccleſias gubernant, nutu diuino, ad alias conuolare prouincias, vel aliarum prouinciarum iudicia expetere, præſumant aut pati*, eo quod vt loquitur ibi Gloſſa explanans hoc verbum, *expetere, ſi Clericus ſine conſenſu ſui Epiſcopi conſentiret in alium iudicem, ſic poſſet euacuari iuriſdictio Epiſcoporum, eo quod eius exemplo, alij induci poſſent ad conſentiendum in alium iudicem*, quod ſine iniuria ſtatus, & Antiſtitum eſſe non poteſt: ergo cum Clericus, ſæcularis magiſtratus tribunalia, eiuſdē imperio frequentans, cō-tra priuilegia Ordini conceſſa faciat, ei obſequi, nec tenetur, nec poteſt, cum ad ea vocatur.

Ita loquitur Piaſec. in praxi Epiſcop. parte 2. cap. 4. art. 3. num. 8. *Nec poſſet reputari Clericus contumax, ſi citatus non compareat, coram Iudice ſæculari, etiamſi citetur ad docendum de ſuo Clericatu, dummodo vulgo habeatur pro Clerico, non enim poteſt licitè comparere coram illo, neque bannum, ad contumaciam huiuſmodi latum illi præiudicaret.* Hæc ille.

Infertur ex dictis, Clericum, ad iurandum Laico iudici, cogi, aut induci non poſſe, quia id ei lex Eccleſiaſtica prohibet, 22. qu. vltima can. nullus 22. *Nullus*, inquit lex, *ex Eccleſiaſtico ordine, cuiquam Laico, quidquam ſuper ſacroſancta Euangelia iurare præſumat.* In eam qui peccant, puniendi dicuntur priuatione communionis Eccleſiaſticæ, ſic Concil. Cabillon. can. 12. *Statuimus vt ſi iudices publici, præſumptione, vel poteſtate qua pollent, Clericos & Abbates, coram ſe comparere fecerint, à communione omnium Sacerdotum eos ſequeſtrari.*

Secundo infertur, non poſſe Laicum iudicem, compellere Clericum, ad exhibenda nomina, quibus eſt ei obligata Reſpublica, quia ab eius eſt imperiis immunis ac liber. Cum tamen de texendo catalogo agitur, aut inuentario vt loquuntur bonorum, quæ quis poſſidebat dum viueret, quia creditores ac legatarij ei intereſſe debent cum ſit authoritate Iudicis, & in eius oculis, mihi videtur eſſe non improbabile, ab eo, creditorem Clericum citari poſſe per edictum, aut ſpecialiter nomine proprio per apparitorem, aut aliquem fori miniſtrum, ei non abſimilem. Ceuallos in tract. de cognitione per viam violentiæ parte 2. qu. 78. nu. 3. Gironda de Gabellis parte 4. parag. 1. num. 18. Ratio eſt, quia talis citatio, vera non eſt, ſimplexque citatio, ſed potius monitio, vt iudici præſentem ſe Clericus exhibeat, ſi voluerit, quæ de iure non ſupponit iuriſdictionem cum ad parendum iure non obliget. Ne tamen fraus Clericorum immunitati vlla fiat, non niſi cum conditione, ad illud vocari debent nempe ſi ſua intereſſe putauerint, non abeſſe à foro: ita citati authores quibus placet inſuper, creditorem de Clero, citari poſſe à Iudice ciuili, cogique, iura vt ſua, ſibi exhibeat, quando de conſenſu maioris partis creditorum, debitor prorogari ſibi poſtulat tempus ad ſoluendum præſtitutum ex pacto eorum mutuo: ratio eſt, quod in tali caſu, Clericus non conuenitur vt reus, ſed excitatur vt actor, ad manifeſtationē nominum quibus ei debitor aſtrictus hæret, ne quid ei de illis, iurequeſuo ad illa depereat.

Quid? quod ea citatione vis immunitati Clericali nulla fiat? cum in eius poteſtate maneat, parere aut abnuere, foro ſi velit intereſſe, aut abeſſe, ſi videbitur.

Dubium decimum tertium, *An Priuilegia data Clericis, adeo ſint fixa, vt ob nullum flagitium illa amittant,*

Priuilegia ordini Clericotum conceſſa, bipertito diuiduntur, quædam fori, alia appellantur canonis. Priuilegium fori, eſt immunitas, vi cuius trahi ad ſæcularia tribunalia nequeunt, Canonis autem, vt lædi, ac male tractari non poſſint, ſine cenſura, 17. qu. quarta can. ſi quis ſuadente, ab his dimanant alia, quæ Cardinalis in Clementin. I. de vita & honeſtate, & Syluester in verbo Clericus 2. retulere in commentarios.

Primum, quod à præſtatione onerum realium, ac perſonalium quæ ciuibus imperantur, ſint immunes, de immunitate Eccleſiarum cap. non minus.

Secundum, quod data Eccleſiæ, antequam eidem ſint tradita à donante, vindicare valeant cap. ex litteris de conſuetudine.

Tertium, quod eorum familia conuentri coram iudice nequeat.

Quartum, quod facientes ſtatuta contra Clericos ſint excommunicati.

Quintum, quod ad Eccleſiæ ac beneficiorum regimen, admoueri ſoli poſſint.

Sextum, quod ſportulas dare non teneantur, de vita & honeſtate Clericorum cap. cum omni. De his ergo Romanæ ſedis aduerſus Clericos ſingularibus, ac prope diuinis beneficiis quæritur, an eorum culpa aliqua, caduca fiant. Et pro parte negante ſtetere aliqui, pro affirmante fere omnes, quid ſentiendum exiſtimem ſuper hoc quæſtionis genere exponam paucis.

Dico ergo primò, *Multa incidere tempora, cum priuilegium canonis omnino concidit, & delinquenti Clerico deperit*, quinque numerat Caietan. in ſumma verbo excommunicatio circa manus violentas num. 14. Sylu. in verbo excomm. 6. quatuordecim colligit Diu. Thom. ſeptem in 4. ſentent. diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 1. ad 1. quæſtiunculam. Age ergo, quibus Clericis canonis priuilegium non faueat, quibus fori immunitas, ſit per canones conciliaque adempta, videamus.

Et primo quidem, *Qui Clericalis ordinis dignitati, non modicum detrahentes, ſe ſeculatores, ſeu goliardos faciunt aut bonſones, ſi per annum artem illam ignominioſam exercuerint, ipſo iure, ſi autem tempore breuiori, & tertio moniti, non reſipuerint, careant omni priuilegio Clericali*, Bonifac. VIII. de vita & honeſtate Clericorum in ſexto cap. 1.

Secundo, iure Clericali excidunt hæretici, cum expediat, *Vt qui intra Eccleſiam poſiti, contra fidem, & Eccleſiæ diſciplinam agunt, rigore principum conterantur, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas, exercere non præualet, cernicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat.* Iſidorus lib. 3. ſentent. de ſummo bono cap. 53. & refertur 23. quæſt. 5. canone 20. quare & propter hos crimen depoſiti, traduntur ſæculari magiſtratui, vt de iis, pœnas culpæ ſuæ pares repetat: *Præſenti nihilominus ordinatione ſancimus*, verba ſunt Lucij III. in decretali ad Abolendam 9. de hæretic. *vt quicunque manifeſte fuerit in hæreſi deprehenſus,*

ſi Clericus eſt, vel cuiuſlibet ordinis, obumbratione fuſcatus, totius ordinis Eccleſiaſtici prærogatiua nudetur, & ſic omni officio, & beneficio ſpoliatus, ſecularis relinquatur arbitrio poteſtatis, & ita iudicatum olim fuiſſe in Gallia ſcribit Chaſſanæus in commentarium ſuper conſuetudine Burgundiæ ad paragraph. *des Iuſtices*, verbo *s'il n'a grace*, num. 77.

Tertio, eſt Clericus omni Clericorum priuilegio ſpoliatus, qui poſito habitu vitam agit libidinibus infeſtam, qui fœditate morum, & operum, in quibus verſatur, Eccleſiaſticum nomen infamat. Oſtienſis in cap. Perpendimus de ſententia: ratio eſt, quod ſit indignus quem Eccleſia protegat, tueatur, ac prærogatiuis augeat, qui eam turpibus ſuis factis dedecorat. Oſtienſem ſequitur Ioan. Andreas in eadem decretal, Sylueſt. verbo excommunicatio 6. num. 7. vbi ait in Clericum magnorum ſcelerum reum, à ſæculari iudice animaduerti poſſe: *Quando iudices Eccleſiaſtici, ſunt in puniendo negligentes, vel periculum in mora, non patiuntur eos adire, vel enormitas facinorum, pœnam maiorem expetit, arbitrio bonorum, quam Eccleſia poſſit inferre, vt quia ſunt publica, ſcandaloſa, & Reip. valde nocina.*

Contra hos authores pugnant Panormitanus in illam decretal. Perpendimus de ſententia excommunicationis, Tabiena in verbo excommunicatio 5. nu. 20. Vigianus in tractatu de immunitate Eccleſiæ diſput. 2 concluſ. 2. Zanard. in director. Confeſſor. tomo 3. cap. 30. aiunt enim hi omnes Clericum, de horrendo aliquo ſuſpectum crimine, à Magiſtratu regio capi poſſe, captumque, ad Eccleſiaſticum deducendum, vt hic in eo exemplum ſtatuat.

Quam opinionem iudicio ſuo communit Clemens VIII. cum enim è Religioſa familia quiſpiam accuſatus, & conuictus proditæ Turcarum principi, partis non vltimæ, regni Neapolitani, capite luiſſet facinus, enimuero vt debebat, factum non approbans, iudices grauiter increpuit, de immunitate Clericorum in eo homine violata, quod cum hi exemplo ſimili defenderent, damnandum reſpondit, ac ne quid ſimile tentarent in poſterum, ſeuere edixit. *Quare hac diſputatio in hoc regno*, Neapolitano ſcilicet, *finem accepit, vt cognitio talis criminis, pertineat ad Eccleſiaſticum, niſi cauſa delegetur à ſumme Pontifice, quæ delegatio à Clemente VIII. facta, demonſtrauit apud Iudices Laicos circa tale crimen, iuriſdictionem extare.* Genuenſis in praxi regni Neapolitani cap. 72.

Quarto, tam fori, quàm canonis, priuilegium non retinent, qui poſt ſuſceptos Minores Ordines, à ſtatu, & conditione Clericali, tranſierunt ad coniugalem, aut facti ſunt bigami cap. 1. de Bigamis in ſexto, aut actualiter ſunt degradati, vel ſi verbo tenus ſunt tales, non tamen præterita peccata eluunt, nec quæ in vita ſua detorta ſunt, & obliqua corrigunt. Comitol. reſponſion. li. 1. q. 96. Quod ſi eſſe meliores, & fieri niterentur, neutro ſpoliandi eſſent. De priuilegio fori diſerte aſſirmat Panormitanus in cap. tuæ diſcretionis de pœnis, & de vtroque, tam canonis, quam fori, in cap. ad Abolendam de hæreticis, ſic loquitur: *Si ſequitur incorrigibilitas poſt diſpoſitionem, ſecundum verum intellectum capitis cum non ab homine de iudiciis, perdit Clericus omne priuilegium Clericale, & abſque alia traditione, comprimi poteſt per iudicem ſæculare.*

Quinto, cum lege Eccleſiæ, prohibitum ſit Clericis in Clement. prima de vita & honeſtate Clericorum, *Carnificum, ſeu macellariorum, aut tabernariorũ officiũ publice & perſonaliter exercere*, ſumma prouiſione animi, iſta ſunt illis vitanda miniſteria, *Quod ſi tertio moniti ab his non deſiterint, aut ipſa, exercendo reſumpſerint quandocunque contingat omnino, non contingat in rebus, etſi omnino, incedant vt Laici, in perſonis priuilegium Clericale, quandiu præmiſſis inſiſterint, eo ipſo amittant*, Clem. V. Clement. 1. lib. 3. quæ incipit Dicœceſanis.

Sexto, cum Chriſti exemplo, Clericos præſtare Laicis oporteat, lenitate morum, ac facilitate animi erga omnes, prohibentur armis aliis, quam ſpiritualibus vti, idque ad Dæmonis, & vitiorum victoriam, tam quibus eorum virtus, quam aliena impetitur, quod ſi relicto Clericali habitu, militiæ dent operam, armatique procedant in publicum, nec tertio moniti, ad bonam frugem redeant, armaque deponant, Clericale priuilegium, tam Canonis, quam fori, nullum retinent de qua re Clemens tertius in decretali in audientia 25. de ſentent. excommunication. interrogatus enim cum eſſet, an Clerici, qui arma militaria, relicto habitu Clericali, geſtare nullatenus erubeſcunt, priuilegio canonis frueretur reſpondit, *Quod cum fruſtra Eccleſia imploret auxilium, qui cõmiſit in ipſam, & lex ſecularium principum, huic reſponſo, ſatis efficax afferat argumentum, qua manifeſtè cautum habetur, matronam, cuius pudicitia attentata fuerit, non poſſe iniuriarum agere, ſi in veſte meretricali, fuerit deprehenſa, huiuſmodi Clerici, ſi à Prælatis ſuis tertio commoniti, militaria maluerint arma deponere, de priuilegio Clericorum ſubſidium aliquod habere non debent*, quare & in cap. Perpendimus 23. eodem titulo, impunè occiditur Sacerdos, qui habitu Clericali depoſito, ſeditionis auctor extiterat, & in cap. cum non ab homine decimo quarto eiuſdem tituli paragr. finali reſpondet Clemens III. *Occiſores Clericorum, aut Presbyterorum, qui contempto Clericali habitu, tyrannidi, & enormitati ſe inuerecunde immiſcent, in odium Clericalis exceſſus, & terrorem, atque correctionem ſimilium, canone latæ ſententiæ minimè coerceri.*

Dixi antea, ſi poſt tertiam monitionem, non ſapiant, ſi arma non abiiciant, ſi habitum Clericorum proprium non reaſſumant, id enim lex Eccleſiæ poſtulat in decretali Innocent. III. cui initium contingit interdum, quadrageſimo quinta, tituli de ſententia excommunicationis, his verbis: *Verum quia priuilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, ac fruſtra legis auxilium inuocat, qui committis in legem, volumus, & mandamus, vt tales, ſi tertio à recommonitis ſeipſos contempſerint emendare, illius efficiantur immunitatis exortes, quæ pro Clericorum tutela, & Laicorum violentia coercenda, dignoſcitur inſtituta*, cum Innocentio ſentiunt Sylueſt. verbo excommunicatio 6. numero 6. Bonacina de legibus diſput. 10. quæſt. 1. paragr. 2. numero 20. Barboſa iuris Eccleſ. lib. 1. cap. 39. de priuileg. Clericorum num. 11. ex eorum ergo mente dicendum, per ſolam dimiſſionem habitus Clericalis, Clericum, prærogatiuis conceſſis Ordini, non exui, niſi fuerit, ter ab Epiſcopo monitus.

Digitized by Google

Vltimo, bonorum immunitatem amittit nundinator Clericus, niſi poſt trinam Ordinarij monitionem, negotiatione abſtineat, Gloſſa, & Panormitanus in capite poſtremo de vita, & honeſtate Clericorum, inſuper addit Panormitan. Clericum negotiationi deditum, in illis ipſis bonis, in quibus mercaturam exercet, ante trinam hanc monitionem, priuilegium retinere, de qua re nos pluribus antea

Dubium decimum tertium, *Quinam intelligantur Clerici nomine, in hac materia.*

Primo, qui per Tonſuram, Eccleſiaſticæ militiæ ſunt aſcripti, Nauarr. in manuali cap. 27. numero 79. Anglez in floribus quæſt. de excommunicatio Barboſa iuris Eccleſ. lib. 1. cap. 39. num. 32.

Secundo, Clericorum nomine intelliguntur, qui quatuor minoribus ſunt inſigniti can. Cleros diſt. 21. can. Clericum diſt. 72.

Tertio, regulares omnes vtriuſque ſexus, qui Religionem à ſancta ſede approbatam profitentur, de Graſſis de effect. Clericorum effectu 9. numer. 68. Squillante de priuileg. Clericorum cap. 6. num. 27. Gregor. I. epiſtol. 54. lib. 11. ad Ioann. defenſorem vt refertur vndecima quæſt. 1. can. de perſona 38. ibi enim ex nouella conſtitutione Imperator. dicitur, Monachos, Monaſtrias, & Aſcetrias, alio, quam ad Epiſcopos, iudicij causâ, trahendos non eſſe. Regularium autem nomine, comprehendi quoque Nouitios vtriuſque ſexus, docuere Nauarrus conſilior. 5. de foro competent. Galet. in Margarita caſuum conſcient. verbo Nouitius. Ratio eſt, quod communem cæterorum, qui votorum nexu, ac obligatione tenentur, viuendi formam teneant, ac religionis ſuo tempore profitendæ votum ac voluntatem habeant. Sane tam eos quam qui conuerſi nominantur, dici poſſe Clericos, planum ſit ex can. duo ſunt 7. cauſæ 12. quæſt. prima, vbi qui *diuino mancipati ſunt officio, & deditи contemplationi, & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſant, Clerici appellantur, & Deo deuoti videlicet conuerſi.* Ergo quo Clericos, eodem quoque fori, & canonis priuilegio, gaudere Nouitios. & conuerſos eſt certum.

Confirmatur, Qui vilia ſeruorum miniſteria, in Monaſteriis obeunt, ſub conuerſorum nomine, vbi ſunt profeſſi Religioſa vota, vere ſunt Religioſi, ergo ab eorum priuilegiis non excludendi.

Quarto, habendi ſunt pro Clericis Eremitæ, qui paupertatis voto emiſſo, aut alia obligatione ſimili, ex tacita, vel expreſſa ſummi Pontificis voluntate, vitam degunt ex præſcripto alicuius regulæ, in cœtu hominum, qui ex Superioris imperio ac nutu aguntur, Gloſſa in can. qui verè cauſa decima ſexta quæſt. 1. Sylueſt. verbo Eremita, Nauarrus cap. 27. numero 70. Graſſius in deciſion. parte 1. lib. 2. cap. 18. numer. 27. Ratio eſt, quod huiuſmodi genus hominum, diuino ſit officio mancipatum, cultuique numinis, tam ſua quam aliena voluntate propriè addictum, qua religione, fieri, ac dici Clericos, author eſt Hieronymus relatus à Gratiano, cauſa duodecima quæſt. 1. can. duo ſunt 7.

Secus ſentiendum de his, qui ſoli viuunt, ſoli dormiunt, ſine canone, ſine lege, hac vna contenti quam ſibi in otio, ac quiete præſtituunt, homines vt plurimum recti indociles, ad voluntatem alienam flecti neſcij, vagi, inconſtantes, ad omnem auram mutabilitatis expoſiti, nullo certo, ac definito vitæ genere obligati, ad hos enim Eccleſiam, Regeſque, Clericorum priuilegia propria peruenire nolle, communis eſt opinio quæ eſt etiam Barboſæ loco ſupra citato numero 23. Excipiendus caſus, in quo loco ſacro addicti eſſent, cum ſpeciali ſubiectione ad Epiſcopum ex voto aut pacto, ob quæ dici poſſit perſona ſacra Portelius in dub. Regul. verbo manus violenta num 8.

Quinto, Clericis adiungendi ſunt Equites Melitenſes, cæterique, qui Eccleſiam, ex inſtituto Ordinis, quem ſunt profeſſi, armis ſuis protegunt, Vega prima parte ſummæ moral. cap. 85. caſu 147. paragr. ſeptimo nota Ludouic. Portelius in dubiis Regularibus verbo manus violenta num. 7. ratio eſt, quod hi equites ſint Religioſi, votis Obedientiæ, ac caſtitatis obligati. ergo Clericis æquales in priuilegiis.

Dub. 14. *An Clerici renunciare poſſint exemptioni ſuæ.*

Non poſſe narrant hi authores Fernandez in examin. Theolog. moral. parte ſecunda cap. 6. paragr. primo, Peſantius tractatu de immunitate Eccleſ. Surdus tomo 1. can. 2. numero 31. Saloníus in 2. 2. quæſt. 67. articulo 2. Gloſſa in canon. non liceat tertia quæſt. 6. quum explanat verbum *expetere.*

Probatur autem aſſertio. Primo, teſtimonio Innocent. III. qui in ſua decretali ſi diligenti duodecima de foro compet. imprudentiæ Piſanum Archiepiſcopum arguit, quod crederet licitum eſſe Clericó, renunciare ſaltem in temporalibus cauſis iuri ſuo, & ſibi Laicum iudicem conſtituere, *immemor conſtitutionis qua cauetur, pacto priuatorum, iurè publico minimè derogari.* Quod definitiua conſtitutione, multo antea ab alio Innocent. iudicatum fuerat vt perſpicuum eſt ex can. non liceat decimo quarto cauſæ 3. quæſt. 6. can. inolita 42. cauſæ 11. quæſt. 1. Concil. Carthaginenſis 3. can. 9. in quo Patres placuiſſe ſibi aiunt: *Vt quiſquis Epiſcoporum, & Diaconorum, & Clericorum, cum in Eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi dereliцto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum perdat, & hoc in criminali actione, in ciuili autem perdat quod euicit.*

His Pontificum teſtimoniis, addenda eſt ratio. Priuilegio renunciare nemo poteſt, quod eſt communitati conceſſum, ſic Innocent. tertius in capite ſi diligenti duodecimo de foro, ſed priuilegium immunitatis datum Clericis, non eſt huius, vel alterius proprium, ſed totius vniuerſitatis, *Cum ergo non ſit hoc beneficium perſonale, cui renunciare valeat, ſed potius toti Collegio Eccleſiaſtico publicè indultum ei priuatorum pacto derogari non poteſt.* Innocent. cap. ſignificaſti citato.

Secundo, ſic iuri ſuo renunciare quis poteſt, vt tamen alieno non obſit. At à ſe abdicare ius immunitatis ſuæ, Clerico non eſt integrum, niſi vna quoque iuriſdictionem Pontificis eiuſque voluntatem lædat, contra quam eſt, quod Clerici tributa pendant, iudici ſe Laico ſiſtant, vt notauit Panormitanus in decretal. Innocent cum tempore de arbitris: *In priuilegio exemptionis*, inquit, *tangitur nedum fauor exempti, ſed*

Digitized by Google

etiam fauor superioris ipsius, qui eximit eum, & eximendo ab alijs, immediate illum suæ iurisdictioni subiecit, vnde interest non perdere istam immediatam subiectionem. Hæc ille.

Tertio, non decet Clericos inconsultis Episcopis, quidquam moliri quod causam communem pessundet, cuiusmodi est à suo iudice ad alium secedere, ac priuilegia propria missa facere.

Quarto, est contra maiestatem Ecclesiæ, sacra tribunalia vacua esse, Episcopis causas eripi, Laicis attribui, quia sic posset euacuari Episcoporum iurisdictio, si omnes Clerici consentirent in alium iudicem, inquit Glossa in can. non liceat 3. q. 6. ergo id Clericis non debuit.

TRACTATVS

TRACTATVS DVODECIMVS, DE MATRIMONIO ET SPONSALIBVS.

QVÆSTIO I.

Quid ſit, & qui ritus in eo contrahendo ſeruari debeant.

MATRIMONIVM eſt, *maris ac fœminæ conſunctio individuam vitæ ſocietatem retinens.* Alexãd. tertius de præſumpt. cap. 11. & poſt eum Magiſter in 4. diſt. 27. Clarius definietur, ſi dicas. *Matrimonium eſſe contractum legitimum, quo vir & fœmina, reciprocam in ſua ſibi corpora poteſtatem tradunt, cum debito conſenſu, tàm interno, quàm externo, ſub indiſſolubili vinculo ad prolem ſuſcipiendam.*

Dicitur, *contractus*, quia eſt ſignum externum practicũ, id eſt formalis locutio, ſcriptura, aut aliud externum Symbolum, quo vir, & fœmina, mentem ſuam exprimunt, ac obligationem ſibi mutuam inferunt.

Appellatur *legitimus*, quia perſonæ quæ ſtabilem vitæ ſocietatem per Matrimonium inter ſe coeunt, debent eſſe ad contrahendum habiles, cuiuſmodi ſunt futuræ, ſi nihil ſit quod eas, tam iure naturæ, quam Eccleſiæ, contrahere impediat.

Particula tertia, tam effectum Matrimonij primarium indicat, quam eius obiectum, quod eſt, corpus vtriuſque contrahentis, transferendum cũ iure in ſeſe inuicem, ad eo vtendum, quod quoniam eſſe nequit niſi ambobus id placeat, additum eſt in definitione *cum debito conſenſu*, &c. eſt enim Matrimonium, contractus humanus, qui reuocatur ad hoc genus contractuum *Do vt des* at contractus vera forma, eſt conſenſio legitima contrahentium, ſigno aliquo declarata, vtriuſque ergo recte in definitione facta eſt mentio, quæ clauſa A eſt adiectione huius vocis. *Sub indiſſolubili vinculo.* cum enim ſit Matrimonium *communctio individuam vitæ ſocietatem retinẽs inter perſonas legitimas* cap. 11. de præſumpt. ea non niſi morte diuidi poteſt, iuxta veridicam hanc diuini oraculi vocem, quod Deus coniunxit homo non ſeparet.

Porro Matrimonium, nuptiæ, connubium, & maritalis coniunctio, promiſcue vſurpantur, *coniunctionem*, nominat, Tertull. lib. de pœnit. *connentionem*, inter virum & fœminam: *Penes nos*, inquit *coniunctiones occultæ id eſt non prius apud Eccleſiam profeſſæ, iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.* Matrimonij quoque meminit ſub nomine nuptiarum *Impares*, inquit, *nuptiæ* B *& præterea in villa, ſine teſtibus & patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſunt videri.* Iuo epiſt. 156. ad Gaufridum Vindocinens. Comitem & epi. 185. his verbis ad Radulphum, Eccleſiæ Remenſ. Præpoſitum eadem eſt voce vſus: *De viro qui cum muliere, cuius nuptiæ interdictæ non erant, pactum iniit coniugale, poſtea vero ad alterius nuptias tranſiit, hoc ſentio, quia Sacramentum quod cum periurio, & pacti coniugalis violatione vſurpatum eſt, aut eſſe irritum aut manere ad iudicium.*

Matrimonium permutationis quoque nomine à Chryſoſtomo vocatũ video, ſic enim ille homil. 74. in Matthæum, *Audiui multos dicentes commutauit ille, vel illa, id eſt copulati ſunt.* Et verò συναλλαγμα (qua voce ibi vtitur Chryſoſt. & quod permutatione exercetur) eſt contractus proprie, ſeu commercium, quod emptione, aut venditione exercetur, quę notio matrimonio competit, quod non tantum emptione conſtabat, ſed habebat inſuper, ſocietatem vitæ perpetuam, ac communionem rerum omnium. Emptionis meminere Boet. Cicer. in Top. lib. 2. & Cornel. in hæc primi Reg. cap. 18. *Non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia*, interrogãti enim viro mulierem, ſibi ne mater familias eſſe vellet, & viciſſim hunc poſtulanti à viro, an ſibi vir eſſe vellet, cum hic illi, & illa viro reſpondebat, id vero in

votis ſibi eſſe, dicebantur ambo matrimonium per coemptionem facere, quem ad morem alluſiſſe videtur Poeta, in hoc verſu. A

Teque ſibi generum Thetis emit omnibus vndis,

Erat autem iſtiuſmodi coniunctionis per coemptionem, hoc proprium, vt præmorienti ſine liberis alterutri coniugum, qui ſuperſtes erat, ſuccederet. Seruius author in hæc verba,

Rex tibi coniugium, & quæſitas ſanguine dotes
Abnegat, externuſque in regnum quæritur hæres.

Poſteris tamen temporibus factum, vt ſuperſtitius non eſſet in totam hæreditatem, ſed tantùm in dimidiam, aut tertiam partem dotis, Piſo Socius de ſponſalib.

Vt vt ſit, ſane conſtat fœminas, à viris olim coemi ſolitas, non Romanis modò, ſed & Iudæis Geneſ. 29. à Labano Iacobus Patriarcha, Liam & Rachelem ſuis ſibi ſudoribus ac labore emit: *Seruiam tibi*, inquit, *pro Rachele filia tua iuniore, ſeptem annis*, primo Reg. 18. *Num parum tibi videtur Regis generum eſſe?* qua oratione ſignificatur Dauidē nihil habere in ære, quod offerret in pretium filiæ Regis, Oſee coniugem ſuam *ſodit ſibi*, id eſt fecit ſui iuris, *quindecim argenteis, & coro hordei & dimidio cori hordei*, Oſee 3. ab ea emptione, permutatione, ac commercio, dictum eſt Matrimon. à Chryſoſtom *συνάλαγμα*. Connubium, ab obnubendo, ſeu velando, quia velo, quaſi nube, virgo obtegitur, dum benedicitur. B

Nobis id eſt Catholicis, erant & alij olim matrimonij contrahendi ritus.

Primus, omniumque antiquiſſimus eſt, vt contraheretur præſente Presbytero: Ignat. epiſt. 11. ad Polycarp. in hæc verba. *Decet vero, vt & ducentes vxores, & nubentes, cum Epiſcopi arbitrio coniungantur, vt nuptiæ iuxta præceptum Domini, non autem ob concupiſcentiam eoſſe videantur*, ſtatuitque Alexius Comnenus vt non tantum in ſponſalibus ſed etiam nuptiis, ſponſis à Preſbytero caſta daretur benedictio: vt eſt in Conſtitutione 3. in iure Orientali. C

Secundus, vt in matrimonij confœderatione, Deo offerretur ſacrificium, vt hæc nouis maritis benè, proſpereque verteret Tertull. author ad vxorem lib. 2. *Vnde ſufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij, quod Eccleſia conciliat, confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renuntiant Pater ratum habet?*

Tertius, vt vir, & mulier fidem ſibi mutuam darent, non tantum audiente, & ſpectante Presbytero, tanquam ſtipulatore, *Sed Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis, interuenientibus etiam in Eccleſia viduis, maiore celebritate*, Tertull. de monogam. cap. 11. vnde Siricius Papa in Epiſtola quam ad Mediolanenſes ſcripſit, hæc ait: *Nos ſane nuptiarum vota non aſpernantes accipimus, quibus interſumus, ſed virginum nuptias Deo deuotas, maiori honorificentia veneramur.* D

Quartus, *Fuit dexterarum interiunctio, oſculi ſancta libatio, atque velatio*, Tertull. de veland. virginib. cap. 11. *Ad deſponſationem velantur, quia & corpore, & ſpiritu maſculo mixtæ ſunt, per oſculum, & dexteras, per quæ primum reſignarunt pudorem ſpiritu.* Ad queni ritum iungendi dexteras reſpexit Gregor. Nazianzenus epiſt. 51. ad Anyſium, cum ſe excuſans quod nuptiis non interfuiſſet eius filiæ, ad quas erat inuitatus, ſic loquitur. *Animo & voluntate adſum, ſimulque celebro feſtum, inuentaſque dexteras inter ſe iungo, atque vtraſque Dei manui.* E

Quintus, à parentibus, ac paranymphis, offerebantur noui cōiuges à Sacerdote benedicendi, Cōcil. Carthag. can. 13. *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis, & paranymphis offerantur. Quicum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.*

Ad hos ritus adiunxit & alios Eccleſia, primo enim in Trident. Synodo ſeſſ. 24. cap. 1. ſtatuit vt ad diuinam gratiam conſequendam, coniuges ipſo die nuptiarum, aut ante, peccata ſua diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè ac religioſe accedant.

Secundo, ne ante benedictionem, in templo à proprio Parocho ſuſcipiendam, ac ſuſceptam, vel ab alio Sacerdote eius vices gerente, aut ab Ordinario, facultatem habente, in eadem domo cohabitent.

Tertio, cum ij quorum nuptiæ ſunt in publico populi conuentu proclamatæ, ad tēplum venerint, Sacerdos ſtola collo inſerta, pro foribus templi, aut pro ara conſiſtens, ſponſoque ad dexteram poſito, ſponſa ad læuam, debet vltimo nuptias promulgare, populumque admonere ſedulo, vt ſi quid in ſponſis aduerterint, quod ex præſcripto Canonum, eorum coniunctionem impediat, id vero ne turpi ſilentio ſupprimant.

Quarto, vt coniugibus, ex futuro ſuo coniugio, maior cum honoris dignitas, ac voluptas animi, tum promiſſi conſtantia, ac fructus accedat, Sacerdos in mandatis habet, eos admonere, de re quam moliuntur, eiuſque naturâ, matrimonium nempe, rem friuolam, aut leuem cæremoniam, humanique ingenij inuentum non eſſe, ſed Sacramentum, quo, vt inſtrumento Deus religionis ſtudioſis, ac cultoribus, dona ſua, cœleſteſque diuitias, plena manu ſuppeditat, proinde videant, ne imparati ad illud ſuſcipiendum accedant.

Quinto, coniuges interrogandi ſunt à Sacerdote, ecquid animum induxerint matrimonio ſibi coniungi mutuo, annuentibus hic dat annulū, non ferreum illum, qualem apud Romanos ſuo tempore in vſu fuiſſe obſeruat Plinius lib. 33. capite 1. ob auri inopiam, ſed aureum aut argenteum, aureum quidem, Clemens Alexand. in Pædago. lib. 3. cap. 11. ait mulieres Chriſtianas geſtare ſolitas, non ornatus cauſa, ſed vt eo obſignarent quæ domi erant, ob eam cauſam ſigna quædam ac notæ ei inſculpebantur, nec alia quam quæ Chriſtianos decerent. *Nobis*, inquit Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11. *ſignacula ſunt, columba, piſcis, vel nauis, quæ celeri curſu, à vento rapitur, vel lyra muſica, qua vſus eſt Polycrates, vel anchora quam inſculpebat Seleucus, & ſi ſit piſcans aliquis, meminerit Apoſt. & puerorum, qui ex aqua extrahuntur, neque idolorum ſunt imprimendæ facies, ſed nec enſis vel arcus iis qui pacem proſequuntur, nec poculi, iis qui moderati ſunt ac temperantes.* Hoc tempore qui ſponſis annuli dantur, notam eiuſmodi nullam habent, effectum tamen antiquis illis non abſimilem indicant, qui eſt coniunctio animorum vtriuſque coniugis inter ſe, vt enim annulus principio ac fine caret: ita fidem, quam ſibi mutuo, vir & fœmina religioſe pollicentur, ac ſancte, oportet eſſe integram ac ſtabilem, ſine fine, ſine extremo, ac exitu.

Sexto, poſt datam acceptamque vtrinque fidem, Parochus dexteras coniugum inuicem nectit, quo ſymbolo, pacta fieri, fidem ſponderi ſolitam

Digitized by Google

antiquitus, obſeruauit Cœl. Rhodigin. lib. 4. cap. 3. ſimulque declarari perfectam animorum conſenſionem dixit in Hieroglyph. Pierius, quia ex coniunctione manuum efficitur numerus denarius, qui prima quadratura à Pythagora eſt dictus.

Septimo, Preſbyter manus amborum, ſtola ſua circunuoluit, eoſque ſimul copulans ait: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, tùm demum coniunctos aſpergit aqua benedicta, eoſque in templum ſi pro eius foribus acta hæc fuerint, introducit, inquiens.

Dominus cuſtodiat introitum veſtrum, & exitum veſtrum ex hoc nunc & vſque in ſæculum Amen.

QVÆSTIO II.

Quid ſint ſponſalia & Vnde dicta.

SPonſalibus nomen eſt à ſpondendo, quod qui coniugem vellent, eam ſibi futuram ſtipularentur, ac ſponderent, leg. 2. & 3. dig. de ſponſal. erantque eiuſmodi ſponſalia apud Hebræos, non minoris momenti quam nuptiæ, vt author eſt Philo lib. de ſpecial. legib. ſi quidem in ſolenni amicorum conuentu, ſponſi & ſponſæ nomina ſcribebantur in tabulis, & ſi quid hanc, contra datam fidem, peccare in domo paterna contigiſſet, obruebatur lapidibus, non minus quam nupta, quæ adulterij conuicta erat.

Sunt autem ſponſalia, *futurarum nuptiarum promiſſa*, Nicol. Papa ad conſulta Bulgaror. cap. 3. & 30. q. 5. can. noſtrates 3. vel vt loquuntur alij, *mutua promiſſio futuri matrimonij, eiuſque inchoatio*, Comitol. Reſp. moral. lib. 1. qu. 123. num. 4. Definit etiam hoc modo ſponſalia Hotom, *vt ſint mutua futurarum nuptiarum promiſſio, recte atque ordine inter eos facta, quibus iure licet*. Appellantur, *promiſſio*, quia voluntas contrahendi connubij non efficit ſpõſalia, ſed voluntas ſe obligandi, declarata, & acceptata abeo, ad quem dirigitur, aut ab alio, eius nomine, tam enim virum mulieri, quam mulierem viro repromittere oportet. Debet inſuper hæc promiſſio eſſe deliberata, id eſt, facta cum aduertentia plena rationis ad id quod agitur, ſpõſalia enim perfecta obligationem contrahendi matrimonij inferunt, at talem inuehere, qui poſſunt ſi non ſunt deliberata? quæ enim naturæ impetu inconſultè fiunt ac temerè, hæc non niſi imperfecte ſunt humana ac voluntaria, ergo nec obligatoria.

Debet etiam habere hæc promiſſio, pro obiecto, perſonam certam, determinate hanc vel illam, quia matrimonium eſt contractus, quo certæ ac determinatæ perſonæ, mutuo ſibi coniunguntur, nexu perpetuo: ergo & ſponſalia, certam perſonam exigunt cui fiat matrimonij, eam ea ineundi, promiſſio, tali aut tali tempore. Et quia acceptari ab eo debet cui fit, ideo eam vtrinque, externus exprimi conuenit, ratio eſt.

Prima, quod quæ latent, quod quę animo incluſa hærent, intelligi nequeant: ergo nec acceptari.

Secunda, quod promiſſio interna, iure naturali, ac ciuili, non obliget: ergo cum ſponſalia, eſſentialiter ſint promiſſa, verbo ſunt, aut ſigno aliquo declaranda.

Tertia, ſunt ſponſalia contractus, de eorum genere qui exprimuntur his vocibus, *Do vt des*. At contractus omnis, cum ſit ſignum, aut locutio, quâ contrahentes mentem ſibi ſuam viciſſim exprimunt, iuraque commutant, in ſenſus incurrit, ſi non omnes, ſaltem in eorum aliquem: ergo & ſponſalia,

Additur quod hæc promiſſio ſit coniuncta, *Cum libera actuali, aut ſaltem virtuali voluntate ſe obligandi ad matrimonium*. Cauſa eſt, quod omnis obligatio, oritur à lege ſuperioris, aut voluntate propriâ: ergo cum ſponſalia, id eſt futuri matrimonij promiſſio, ſit obligatoria, nec procedat hæc obligatio à lege, aut Superiore, originem trahere hæc ſuam debet à propria voluntate promittentis, actuali, id eſt formali aq; expreſſa, aut virtuali, qualis ſufficit ad collationem Sacramenti, ex dictis antea.

Poſtremo dicitur in definitione, *Sponſalia promiſſionem eſſe, non cuiuſlibet rei ſed matrimonij futuri, eamque mutuam, directam, & immediatam*. Directa eſt, nam ſi indirecta ſufficeret, hoc ipſo quod quis diceret ſe promittere fœminæ ſponſalia, cenſendus eſſet vera contraxiſſe ſponſalia quod eſt falſum, nam rei exhibendæ promiſſio, differt ab ea, vt exhibita.

Maior probatur, promiſſio ſponſaliorum eodem modo ſe habet ad ſponſalia, quo hæc ad matrimonium, ſed in ſponſalibus, indirecte, ac mediate, continetur matrimonium: ergo & in promiſſione contrahendi ſponſalia, ſponſalia ipſa.

Debet præterea hæc promiſſio ſponſalitia, eſſe *mutua*, Quia ordinatur ad matrimonium, quod eſt eſſentialiter duorum in idem conuentio, ac contractus: ergo ipſa quoque ſponſalitia promiſſio eſt contractus: debet ergo reciproca eſſe ac mutua.

Confirm. ſponſalia ad præſtationem ſui obligant vtrinque, at huius rei cauſa non eſt alia, quam quia promiſſionem habent, vtriuſque ſpondentis mutuam, vera eſt ergo propoſitio, in qua dictũ eſt à nobis, ſponſalia, promiſſa eſſe non quælibet, ſed mutua, ob quam cauſam appellantur à Iuriſperito in lege 1. dig. de ſponſalibus repromiſſio, id eſt reciproca promiſſio. Additur *inter eos quibus iure licet*. Nam ſponſalia inter eos demum poſſunt contrahi, inter quos nuptiæ, lege ſi quis tutor paragr. quamuis dig. de ritu nuptiarum, ætate tamen excepta leg. 14. dig. de ſponſalib. quæ non eſt eadem pro ſponſalibus & matrimonio.

Patet ex dictis primo, materiam circa quam verſantur ſponſalia, eſſe futuras nuptias, id enim eſt contractus materia, de quo contrahentes inter ſe paciſcuntur ac tranſigunt, at id ſponſi pro fine habent, ſibi vt nuptiarum legem indicant, contrahendi ſuo tempore matrimonij neceſſitatem inferant.

Patet 2. ſponſaliorum formam ac modum, in ſignis externis ſufficienter expreſſis conſiſtere, ſiue hæc ſint verba, ſiue nutus, ſiue litteræ, aut quælibet exterior actio manifeſtatiua interni conſenſus, quia id eſt forma in moralibus, quod eſt notius, materiamque ad certum effectum determinat, eiuſmodi ſunt ſigna externa reſpectu conſenſus interni: in his ergo ſponſaliorum ſita eſt forma. Horum autem formam hanc profert Plautus in Pœnulo Agreaſt. *Audi tu patrue, dico, ne dictum neges. Tuam mihi maiorem filiam deſpondeas, Pactam habere, A. Spondeſne igitur? P. Spondeo A. mi Patrue ſalue, nam nunc es plane meus.* Item in Trinum. *Spondên' ergo Tuam gnatam vxorem mihi*, Char. *Spondeo & mille auri, Philippum datis* Lyſim. A. *Iſthac lege*

filiam tuam ſponden' mihi vxorem dari? ch. *Spondeo* Lys *& ego ſpondeo idemhoc.*

Ad hanc formam reuocanda eſt annuli, ac arrharum donatio, dotis aſſignatio, de qua Nicol. ad conſulta Bulgarorum cap. 3. ſcribit, his verbis: *Poſtquam arrhas, ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei annulo inſignitum deſponderit, datemque vtrique placitam, ſponſus ei cum ſcripto pactum continente coram inuitatis ab vtraque parte tradiderit, (aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præſumatur) ambo ad nuptialia fœdera perducuntur*, hinc enim fit planum ab arrhis & dotis aſſignatione, ſponſalibus initium fieri, ambaſque aut earum alteram pertinere ad ſponſaliorum formam.

QVÆSTIO III.

Sponſaliorum quot ſint ſpecies.

SPonſalia alia ſunt de præſenti alia de futuro, vt notauit Gregor. IX. de ſponſalib. & matrim. cap. 31. ſponſalia de futuro, promiſſionem futurarum nuptiarum continent, eamque per verba de futuro expreſſam, proindeque non habent conſenſum matrimonij abſolutum, & purum, ſed futurum & pendentem à tempore, vt indicant hæ voces. Ducam te in vxorem, quibus ſponſus ſignificat non conſenſum præſentem in ſponſam, tanquam in ſuam, ſed futurum ſuo tempore.

Sponſalia de præſenti ſunt ea, quæ per verba exprimentia conſenſum de præſenti contrahuntur, & continent purum, abſolutum, & præſentem conſenſum veluti: *Accipio te in meam*, & habebo te amodo pro marito, tibique fidem tanquam viro proprio ſeruabo, & hæc ſponſalia, verum ſunt matrimonium, Alexand. III. cap. ex parte 9. de ſponſ. *quæ non concubitus ſed conſenſus illud efficit*, Iuo epiſt. 46. & 69. *itaque vbi vtriuſque perſonæ conſenſu contracta ſunt, coniugij nomen accipiunt*, vnde dicit Ambr. ad exhortation. virginitatis lib. primo. *Deſponſata viro coniugis nomen accepit*, Iuo Carnot. epiſt. 46.

Male ergo (inquies) ſponſaliorum nomine, non matrimonij, appellatur hæc ſponſio. Nequaquam cum enim hæc ordinem habeat ad executionem, & futuram copulam, ratione cuius, quia hæc ſpondetur tacite, & virtute, in conſenſu præſente, ſponſaliorum nomen rite ſibi ac honeſte vendicat.

Secundo, diuiduntur ſponſalia in iurata, vt cap. ex litteris Syluani 10. & cap. ſicut ex litteris 12. de ſponſalib. & in ea quæ fiunt ſimpliciter, cap. 1. de ſponſal & in 6. cap. 2. eod. tit.

Tertio, diuiduntur in abſoluta, ſeu pura, & facta ſub conditione, ſeu adiectâ die. Pure contrahuntur, quando vir & fœmina, purè ſimpliciter, & abſolutè, ſe ſibi inuicem futuros coniuges pollicentur, ſine vlla conditione, etſi multæ tacitæ, ac ſubintellectę cenſeantur de quibus Pontifex in cap. quemadmodum 25. titul. de iureiurando, vt quod res & perſonæ in eodem ſtatu maneant, &c.

Contrahuntur ſponſalia adiecta die, quando certa illis apponitur, extra quam protrahi non poſſint, & tunc ſi non impleantur is per quem non ſteterit, quominus dicta die præſtarentur, poterit ſecundum Thadæum Soacium parte 1. fol. 5. tranſire ad alias nuptias.

A Sub conditione ſponſalia fiunt, quando contrahentes obligationem ſuam pendere volunt, ab euentu aliquo, vt ſi dicant, Ducam te in vxorem ſi pater conſenſerit, ſi te conſtantem in amore erga fratrem præſtiteris, ſi Papa diſpenſauerit, vt tecum iugare nuptias poſſim

Quid ſi Pontifex conceſſerit, quid ſi annuerit, vt fœminam, cui ſponſus matrimonium eſt pollicitus, vxorem ſuam efficiat, etiam ne tum promiſſum facere? præſtare fidem datam eſt neceſſe?

De hac re, ſubtiliter & copioſe diſputatur à Theol. in 4. ſentent. Adrian inter cæteros in tract. de ſponſal. dub. 10. & multorum eſt opinio, teneri, rationes, quibus impulſi, in eam mentem

B venere, ſunt ſequentes.

Prima, quod ſtandum eſt promiſſis, quando ſuapte natura nec ſunt mala, nec vlli iuſtæ legi aduerſa. Talis eſt pactio de ineundis ſponſalibus, cum conſanguinea, cum Rom. Pontificis authoritas accedet, nam matrimonium conſanguinei cum conſanguinea, non eſt naturâ ſuâ malum, alioqui ne quidem per Romani Pontificis conceſſionē, fieri vnquam poſſet, quod eſt falſum, & vbi eius conſenſus interuenit, lex Eccleſiaſtica nulla infringitur: ergo data fides, de faciendis ſponſalibus cum conſanguinea, ſi Papa diſpenſauerit, obtenta diſpenſatione eſt implenda.

Secunda, etſi beneficiarius, cui placet beneficio ſuo cedere in fauorem alterius, de penſione annua

C paciſci cum iſto abſolutè nequeat, eo quod legibus Eccleſiæ, & Canonum, beneficia dari debeant integra, nec reddituum parte vlla imminuta, vt præſcribitur in iure Canon. nihil eſt tamen quod obſtet, quamobrem conuenire reſignans & reſignatarius nequeant, de penſione quotannis ab hoc illi ſoluenda, ſi Papa conſenſerit, at tam pugnat hæc pactio cum lege Canonum, ac altera, de deſponsenda ſibi conſanguinea, ſi Romanę Cathedræ adſit authoritas: ergo &c.

Tertia, ſi ſponſalia, de quibus eſt hic ſermo, non ſunt implenda, maxime quia pendent ab euentu, qui eſt extra poteſtatem ſpondentium, at hoc non impedit quo minus accedēte arbitrio eius, in cuius voluntatem ſunt collata, fieri ea oporteat.

D Minor prob. Qui vouet Religionem, ſi conualuerit, votum, quo ſe obſtrinxit, reddere tenetur vbi priſtinę ſuæ redditus erit valetudini, & tamen appoſita voto iſti conditio, in eius poteſtate non eſt ſita: ergo qui ſponſione matrimonij alteri ſe, cum aſſenſu Romani Pontif. obligat, eo dato, ab illa recedere non debet.

Ita Baſil. Pont. de matr. li. 3. cap. 15. nu. 5. Comit. reſp. lib. 1. qu. 145. de Coninch. diſp. 19. de ſacr. dub. 1. conc. 5. num. 18. Adrian. in 4. tract. de ſponſal. dub. 10.

Secus tamen eſt viſum his authoribus, Valero in differentiis vtriuſque fori ver. matrim. diffic. 7. Barboſæ in coll. to. 2. lib. 4. tit. 5. cap. 5. Riccio in

E praxi par. 1. reſolut. 217. & in horū ſententia dicēdū eſt talia ſpōſalia eſſe nulla, ac vtrique, aut alteri ſaltem ſpondentium, fas eſſe, tam ante quam poſt obtentam diſpenſationem Pontif. abijs, inuito alio recedere, cauſa eſt, quod conditio impoſſibilis adiecta matrimonio, aut ſponſalibus, reijcitur vt non addita, quo fit vt matrimonium, ac ſponſalia remaneant in eodem ſtatu ac ſi dicta conditio illis non fuiſſet appoſita. Sed hæc conditio ſi Papa diſpenſauerit eſt impoſſibilis, ergo ea reiecta, manent ſponſalia, pura & abſoluta, & proinde minimè obligatoria, quia ſunt inter perſonas inhabiles

& contra bonos mores.

Minor fidem habet à cap. poſtremo de conditionibus appoſit. vbi Gregor. IX. hæc habet: *Aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debent propter fauorem matrimonij pro non adiectis haberi.*

Minor probatur. Conditio quæ in Principis voluntatem reijcitur, ab eaque dependet eſt impoſſibilis, vt habetur lege continuus digeſt. de verborum obligat. *Nec ad rem pertinet*, inquit ibi Iuriſp. *quo ius mutari poteſt, & id quod nunc impoſſibile eſt, poſtea ſit poſſibile fieri, non enim ſecundum futuri temporis ius ſed ſecundum præſentis æſtimari debet ſtipulatio.* Hæc opinio eſt probabilis & in conſcientia tuta, tam in matrimonio, quàm ſponſalibus, vt oſtendetur poſtea pluribus, noſtra tamen probabilior & ſequenda.

QVÆSTIO IV.

Quæ ſint impedimenta ſponſalium.

COmmuniter eadem, quæ matrimonij, cum enim finis prohibetur alicui, prohibita quoque cenſentur & ea, quibus ad illum venitur, itaque nec cognatus, affinis, & Ethnicus, cum cognata, affini, aut Chriſtiana, ſponſalia licite ac validè contrahere poſſunt, alioqui fruſtra id ac inaniter prohiberet Eccleſia, fruſtra inter eos celebrari coniugia nollet, ſi ad ea per ſponſalia, pateret vlli aditus ſine culpa.

Dixi regulariter, impedimenta enim ſunt duo effectu ab inuicem diſtincta, nam eorum vnum dirimit matrimonium, non ſponſalia, alterum ſponſalia, non matrimonium, nam contractus clandeſtinus in matrimonio eſt irritus ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. in ſponſalibus non item. Contra vero votum caſtitatis ſimplex, non irritat matrimonium, irritat tamen ſponſalia ſubſequentia, Celeſt. tertius cap. 6. Qui Clerici vel vouentes, interrogatus enim an qui obligatus voto caſtitatis, iurauerat ſe quandam ducturum in vxorem, teneretur præſtare, quod cum iureiurando erat pollicitus, quæſtioni ſatisfacit, his verbis: *Vnde à fraternitate tua requiſiti arbitramur, quod cum ſimplex votum apud Deum non minus obliget quam ſolemne, pro eo quod iuranit temere, pœnitentiam agat, & votum quod Deo fecit, ſtudeat implere.*

QVÆSTIO V.

An taciturnitas filij & puellæ, ſit ſignum conſenſus in ſponſalia quæ alij eorum nomine contrahunt.

DIco primo, *Ex taciturnitate viri & fœminæ, colligi poſſe eorum conſenſum in ſponſalia, quãdo alij eorum nomine, precibus, aut imperio illa contrahunt.*

Ratio eſt, quod tum eorum conſenſus, ac voluntas cenſeantur eſſe in voluntate, ac conſenſu contrahentium.

Confirm. quod quis facit per alium, ſeipſo quoque creditur facere: ergo in conſenſu contrahentium alieno nomine ſponſalia, eſt etiam conſenſus eorum, quorum nomine hæc contrahuntur.

Dico ſecundo, *Quando pro filiis parentes contrahunt, illorum taciturnitatem eſſe argumentum ſufficiens conſenſus eorundẽ*, colligitur ex decret. Honorij ad Euſeb. Epiſcop. concepta, his verbis: *Poteſt filium nondum adultum* (voluntas cuius diſcerni non poteſt) *pater, cui vult matrimonio tradere Et poſtquam filius peruenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc implere.* Patet hoc idem clariſſime ex oratione Bonifac. VIII. quæ habetur in ſexto de deſpenſat. impuber. cap. vnico ibi enim hæc habet. *Porro ex ſponſalibus, quæ parentes, pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipſi filij ſi expreſſe conſenſerint, vel tacite, vt ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur iuſtitia publica honeſtatis*, ſi tamen puella diceret, ſibi nunquã in animo fuiſſe conſentire, ſed ob reuerentiam, non fuiſſe auſam contradicere, ei credendum eſſet, quia in foro animę, ſeu Sacramentalis pœnitentiæ, vt fides habetur dicenti contra ſe, ita & pro ſe. In foro tamen externo, probationibus opus eſſet, ac cõiecturis, ad opinionẽ hanc ingenerandam animis Iudicum, alioqui cogetur matrimonium contrahere, ac iuſtæ iudicis ſententiæ parere, ſecundum Laym. lib. 5. tract. 10. cap. 1. num. 13.

An autem eadem ſit tutoris, quæ Patris ac Matris authoritas, in hac materia, ſic vt eo ſtipulante ſponſalia pro filia, & hac tacente, & non reclamãte, tenſeri hac rata firmaq; debeant Doctores ſollicitè inueſtigant & vt in reliquis fere rebus: Ita & in præſenti, in diuerſas opiniones abeunt, nominatiores ſunt quæ ſequuntur.

Prima patris Sanchez. tom. 1. lib. 1. diſp. 22. num. 7 quod patri, idem tutori non permitti, vt filiæ mẽtem explicet, & pro ea, ſtipuletur ac ſpondeat futuras nuptias vir o, ratio eius eſt, quod Canon ſolius patris meminerit non tutoris.

Altera eſt Baſil. Pontij de matr. lib. 2. cap. 14. num. 7. Henriq. lib. 11. cap. 2. nu. 6 quam & Laym. loco proxime citato ait eſſe probabilem, tutoribus ius eſſe, quemadmodum & parentibus, reſpondendi pro puella, non autem alijs, qui eius curam non habent: ratio eſt, quod tutor, ſit puellæ, loco patris: ergo ſi ei non repugnet, pro ſe ſponſalia pollicenti, cenſenda erit eius promiſſis aſſenſum dare.

Quid ſi abſit, dum parens aut tutor eam viro deſpondent? Exiſtimant Henriqu. lib. 11. cap. 13. num. 5. Sotus in 4. diſt. 27. qu. 2. art. 2. ad 1. hoc ipſo quod eorum acta, promiſſaque non improbat, eadem rata eſſe velle.

Ægid. de Coninch. de Sacram. diſp. 21. dub. 3. n. 39. vt difficultatem ſoluat, ait rationem habendam eſſe eorum, à quibus puella certior redditur de ſponſalibus, per Patrem aut tutorem ſuo nomine contractis, nam ſi ij erunt ad quos non ſpectet ex officio de eo puellam docere, quamlibet iis id illi enuntiantibus hæc non reſpondeat, negat ex eius ſilẽtio argumentum peti vllum poſſe conſenſus ad ſponſalia, futuraſque nuptias neceſſarij, cauſa eſt quod nulla ſit ratio, quæ eam inducat vt illis aſſenſum præſtet. Quod ſi contra, parentes aut tutor, factũ illi proponãt, nec illud improbet ſigno aliquo ſed ſileat, ſed ipſa nihil eloquatur, aut dicat, quo animi ſui ſenſũ exprimat, tũm enimuero eiuſmodi ſilentium conſenſus ſignum eſſe, quia tenetur illis talia narrantibus, aperire mentem ſuam, atque ita repugnare, vel manus dare, quod communi iudicio ac opinione hominum, conſentire illis, eo-

rumque factis credatur, dum tacet.

Placet mihi sententia, cuius author Bonifac. VIII. in cap. 1. de desponsatione impuberum in 6. parag. porro. ibi enim duo asserit primum, *Ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus aut impuberibus contrahunt, ipsos filios, si expresse consenserint, aut tacite, vt si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligari, & ex eis oriri iustitiam publicæ honestatis.* Alterum, similiter quoque censendum esse eos obligari, *Si filij, tempore sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia, post ea scientes ratificauerint tacite vel expresse, alias ex sponsalibus contractis à parentibus pro filiis, nec ipsos filios obligari, nec publicæ honestatis iustitiam inde surgere.*

Quia tamen sponsi sua sibi mutuo sensa animi per procuratorē, exponere possunt, eoque, tāquam suæ voluntatis interprete vti, ac eiusdem ope obligare se inuicem, mea est idcirco opinio, sponsalia posse per procuratorem idoneum contrahi: lege generali mandato 34. de ritu nuptiarum.

Ad id tamen est necesse, primo, vt procurator, ad ea contrahenda speciale mandatum habeat.

Secundo, quod alium sibi non substituat, nisi id ei, ab his, quorum partes agit, sit concessum.

Tertio, quod ante fidem datam eius nomine, à quo id facere iubetur, non sit eius potestas reuocata: ita Bonifac. eius nominis octauus de procuratorib. in 6. cap. procurator 9. his verbis: *Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum* (idem est de sponsalibus) *quam si ad hoc habuerit mandatum speciale, & quantumuis alias is qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum, sane si procurator antequam contraxerit, fuerit reuocatus, contractum post modum matrimonium ab eodem, nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequiuit.*

QVÆSTIO VI.

De effectibus Sponsaliorum.

PRimus, isque præcipuus sponsaliorum effectus, est iustitiam publicæ honestatis inducere, cuius vis est in eo, vt matrimonium impediat inter consanguineos sponsi, & sponsam, quos illos vero? olim quidem ante Concil. eo comprehendebantur nomine, quotquot sponsum sanguine, in quatuor primis propinquitatis gradibus attinebant, inter quos & eius sponsam nulla intercedere lege canonum coniugij aut sponsaliorum communio poterat, iisdem per mortem, aut aliter inter eum, sponsamque resciſſis· habetur cap. iuuenis 3. de sponsalib. & matrim. & clarissime cap. sponsam 8. eiusdem tituli vbi Alexand. III. sic loquitur; *Sponsam alterius, maxime si est nubili ætati proxima, nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare*, hoc tamen tempore, ita statuente Concil. sess. 24. cap. 3. impedimentum hoc primum gradum non excedit.

Secundus effectus sponsaliorum est in eo, vt qui ab illis resilit, aut moram eorum præstationi facit, ac coniugio, cuius causa sunt contracta, teneatur impensas refundere eorū causa factas, vt si Notarijs qui præstiterunt operam suam, in obsignandis tabulis, quibus suam sibi fidem mutuo sponsi obligarunt, aut dotem soluto matrimonio sunt A pollicitι; merces est soluta, si amici opipare sunt habiti, si vestes emptæ ad splendorem, & ornatum dici, hæc æstimanda erunt omnia, & præstanda illi ab eo, qui fidem fefellit ac promissa, arrhas insuper datas, & acceptas perdet, tantundemque de suo refundere tenebitur, quanti alterius intererat non decipi l. mulier Cod. de sponsal.

Tertiùs est, quod vir, & mulier, stare pollicitis debeant, nec ab iis, sine culpa, resilire queant, vt dicitur cap. 1. de pactis, quam ego mortalem esse sentio, cum inuita parte altera, promissa non siunt. Ratio est, quod iustitiæ violatio in re graui, sit letalis, at lædi sponsalia nequeunt, nisi vna quoque lædatur æquitas. Nam contractus omnis, qui B fit mutuo consensu partium, haberque vtrinque onus, obligat lege iustitiæ, sponsalia enim non concubitus, sed assensus facit, iisque, vti suæ causæ, magna sunt vtrinque adiuncta onera, ab eorum ergo fide, ac lege discedere, est mortale.

Confirm. testimonio Patrum, in Concil. Elibertino, can. 54. nam ibi, patri ac matri, neganda communio dicitur, si contra fidem promissi, filiam suam desponsam viro, dare nuptam noluerint: *Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennij tempore abstineant se à communione, si tamen iidem sponsus vel sponsa, in illo graui crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes si vero in eodem fuerint vitio, & pollnerunt se consentiendo, superior sententia seruetur.* Hinc enim sic argumentamur C cum excommunicatio pœna sit eiusmodi quâ in Ecclesia nulla sit grauior 24. qu. 3. can. corripiantur nec hæc infligi debeat, nisi cum reus, recti insolens, pertinaciam non ponit, nec Ecclesiæ salutaribus monitis non proficit can. tam Sacerdotes, & can. ecce autem ead. qu. & causa incuti hæc per decreta Pontificum ac Conciliorum non finitur, nisi ob noxam mortiferam, sed à sacris sunt altaribus remouendi, decreto huius Conc. qui obligatam fidem suam pro filiis non præstant, est ergo mortale quod per sponsalia quis est pollicitus, matrimonium non facere.

Quare tam pater, quam is cuius nomine contraxit, ad sponsaliorum præstationem, si repugnent, censuris cogi poterunt, Alex. III. author in D decretal. ad Pictau. Episcop. vt refertur in tit. de spons. cap. ex litteris Syluani 10. & ratio est, quod peccatum mortale, iurisdictioni subest Ecclesiæ, ad quam etiam pertinet censuris impedire ne fiat. At fractio sponsalium etiam simplicium, sine causa rationabili & iusta, peccatum est: ergo censura puniendum, &c.

Secundo, *Studiosè agendum est*, vt ait Papa Gregor. *vt ea quæ promittuntur opere compleantur*, de pactis cap. 3. quam ad rem potest etiam cogere Ecclesia, cum ad eius caritatem pertineat, dare operam, ne quid fideles peccent contra bonos mores: sed sponsalia futuri matrimonij sunt promissa, E & est è re publica, ac priuata alterius de duobus sponsis, ea impleri: ergo ad facienda, poterit Ecclesia cogere eum, qui est in mora ac culpa, cogere autem non potest nisi per censuras: ergo si has intentauerit, faciet quod ratio iustitiaque postulant.

Si tamen obstinate sponsorum alter abnueret promissa facere, Lucij III. opinione ac sensu de sponsal. ac matrim. cap. requisiuit 10. *Cum libera esse debeant matrimonia, monendus esset potius quam cogendus, cum conditiones, difficiles soleant exitus frequenter habere.* Et sic secundum Soacium de sponsalib. parte prima, toleranda potius esset

ſponſalium fractura, maioris mali euitanda cauſa, quam repugnantem ad matrimonium, vnde naſci ſolent incommoda non pauca, cenſuratum metu impellere.

Quartus effectus eſt, quod ſi alter deſponſorum diem ſuum obeat, antequam celebrentur nuptiæ, quicquid ſuperſtiti, doni nomine ab eo datum, fuit patri reddi debeat, aut eius propinquis, & vice verſa, niſi forte defuncto daretur vitio, quod ipſe non celebraſſet, lege 3. Cod. de ſponſ. ratio eſt quod donationes ſponſalitiæ, interpretatione communi iuris, tacitam hanc conditionem habeant, ſi nuptiæ ſequantur l. quum veterum Cod. de donationib. ergo iis impeditis tam morte alterutrius è duobus, quam eorumdem voluntate, ſuapte ſponte in nihilum recident.

Fuit & aliud ante Concilium, quod operabantur ſponſalia, contracta, ſubſequuta copula, nempe vt veri matrimonij inſtar eſſent, ac initum poſtea in facie Eccleſiæ cum alia diſſoluerent, indicat decretalis Honorij III. de ſponſal. cap. is qui 30. concepta his verbis: *Si is qui fidem dedit mulieri ſuper matrimonio contrahendo, carnali copula ſubſecuta, etiam in facie Eccleſiæ ducat aliam & cognoſcat, ad primam redire tenetur, quia licet præſumptum primum matrimonium videatur, contra præſumptionem tamen huiuſmodi non eſt probatio admittenda. Ex quo ſequitur quod nec verum, nec aliquod cenſetur matrimonium, quod de facto eſt poſtmodum ſubſecutum.*

Hoc tamen tempore, matrimonium eiuſmodi eſt nullum, quod per decreta Concil. ſeſſ. 24. cap. 1. celebrari oporteat, Parocho, ac teſtibus duobus conſciis, alioqui nullarum ſit vitium.

QVÆSTIO VII.

An Matrimonium per Verba de præſenti contractum contra decreta Concil. ſaltem Vim Sponſalium habeat.

DE matrimonio duntaxat hic agitur, quod eſt inualidum, quia clandeſtine contrahitur, aut eo tempore, quo per canones non licet, vt inter impuberes, & quæritur, an conſenſus quem tam hi quam puberes, clam Parocho, & teſtibus, ad nuptias afferunt, vim ſponſalium habeat.

Non habere ſcripſerunt Nauarr. lib. 4. conſil. tit. de ſponſal. conſ. 1. num. 3. Tolet. lib. 7. cap. 20. Gutierrez de iuram. confir. par. 1. cap. 51. nu. 26 Ledeſma de matrim. q. 45. art. 5.

Ab his diſſentiunt Henriq. lib. 11. cap. 5. nu. 4. Vega in ſum. tom. 2. ca. 34. caſu 25. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 1. cap. 1. n. 18. Coninch. diſp. 21. dub. 4. num. 46.

Mihi in opinionem Nauarr. abire libet, primo, quia qui clandeſtine contrahunt ad id lege Eccleſiæ, in Trid. ſeſſ. 24. cap. de reform 1. ſunt omnino inhabiles: ergo eorum contractui vis ineſſe ſponſaliorum nulla poteſt, alioqui non eſſent ad contrahendum inhabiles, nec eorum contractus irriti.

Secundo, cum ſic contrahendo, vir & fœmina peccent contra præceptum Eccleſiæ, non videtur hæc, eorum actui dare velle vim ac robur vllum in foro conſcientiæ, ac externo, ad ſe obligandum, quod tamen fieret, ſi matrimonium quod eſt clandeſtinum, qua tale, irritum, eſſet vt ſponſalia, validum.

Hactenus de puberibus, de aliis, qui infra ætatem, ad contrahendum per conſtitutiones Pontificum neceſſariam, matrimonia per verba de præſenti celebrant quid tenendum?

Ea, propter defectum ætatis inualidè inita, habere vim ſponſalium, niſi expreſſa contrahentium intentio ſit contraria, huius opinionis aſſertores reperi hos Pontifices Bonifac. in decretali de deſponſat. impuberum cap. vnico in 6. & Innoc. III. eod. titulo in decretalib. Prior ille diſputans de matrimonio impuberum, ait non valere quidem factum ante pubertatem. *Per contractum tamen eiuſmodi, qui valuit vt potuit, non ſicuti agebatur, publicæ honeſtatis iuſtitiam, eſſe inductam.* Alter quid ea de re ſentiat his verbis declarat cap. 34. *Quod ſi puella nobilis non erat ætatis, cum ſæpe fatus vir eandem deſponſauit, ætatem in ea prudentia non ſupplebat, proculdubio inter eos non coniugium, ſed ſponſalia contracta fuerunt, quamuis ab ipſo viro eadem fuerit ſubarrhata,* Hæc Innoc. ad eius authoritatem accedit & ratio. Nam ſponſalia ſunt valida, facta à non impeditis cum conſenſu mutuo, at impuberes contrahentes inter ſe matrimonium per verba de præſenti, ſponſalia implicite faciunt, vt patet: nam ſe obligant ad cohabitandum futuro tempore & ad alia matrimonij onera, ſaltem implicite: ergo ſi matrimonium per verba de præſenti contractum, ob defectum ætatis non valet inter impuberes, quà matrimonium eſt, valebit vt ſponſalia.

QVÆSTIO XI

A quibus, & qua ætate, ſponſalia poſſint contrahi.

ASſertio prima, *Non niſi à ratione vtentibus fieri poſſunt ſponſalia, & cum effectu;*

Ratio eſt, quod hæc promiſſionem faciendi promiſſi habeant, ſed hæc eſſe, nequit ſine ratione eſſe eiuſq; vſu, in iis qui ſe obligant, eſt enim hoc onus voluntariũ: ergo ex perfecta, plenaque eius notitia ortum, ſed eiuſmodi notitiæ, capaces non ſunt alij, quam qui rationis compotes, qua cum inſani careant, à ſponſalibus, & matrimonio excludi debent, proindeque ab ijs inita, ſunt nulla, cap. dilectus de ſponſalib. & Clementina ſi furioſus de homicid. niſi lucida interualla habeant 7. qu. 1. can. quamuis.

Secunda Aſſertio, *Sponſalia contrahere poſſunt muti, & ſurdi, modo intellectu non deſtituti, & voluntatem ſuam ſignis exprimant.*

Ratio eſt, quod eos à nuptiis arceri, non ſit æquum, quos vis rationis, ac naturæ quædam propenſio peræque ac mortales reliquos, impellit ad coniunctionem legitimam, *quare videtur quod ſi tales velint contrahere, ſibi non poſſit, nec debeat denegari: cum quod verbis non poſſunt, ſignis valeant declarare.* Innoc. III. in cap. cum apud ſedem 23. de ſponſal. & matrim. & cap. quæ 25. eiuſdem tituli.

Aſſertio tertia, *Tempus contrahendi ſponſalia, vtroque iure, definitur ſeptennio, ante quod impletum, tam mas, quam fœmina, ſunt ad contrahendum inhabiles,* habetur expreſſe cap. de illis, cap. litteras 4. cap. acceſſit 5. de deſpõſatione impuber. & cap. vlt. eod. tit. in 6. Cauſa eſt, quod ſecundũ Diu. Thom. in 4. diſt. 27. q. 2. eo ſe tempore, ratio eiuſque vſus aperit, iſque tantus, quantus ad contrahendum exigitur, non ante, lege ſi infanti parag. vlt. & le-

Digitized by Google

ge potuit Cod. de iureiur. deliber.

Excipiendi ſunt caſus duo, primus eſt, cum tempus, quo ſeptennium præuertitur, eſt exiguum, quale eſt in opinione Couarr. 1. par. 4. decret. cap. 10. num. 2. Gutierrez de matr. cap. 22. n. 6. vnius diei, duorum, aut trium, hebdomadæ autem integræ in ſententia Viualdi, in Candelabro aureo prima parte de ſponſal. cap. 4. quia moraliter ſeptennium cenſetur eſſe completum, quando ad eius abſolutionem octo tantum, aut nouem dies deſiderantur. Quæ ſententia etſi ſit probabilis, & in conſcientia tuta, in praxi tamen, ſequenda eſt opinio Thomæ Sanchez diſp. 16. lib. primi & Ægid. de Coninch. diſp. 21. de ſacram. dub. 5. nu. 51. ad ſponſalium validitatem exigi, vt ſeptennium B metaphyſice, & proprie ſit completum. Eorum fundamentum eſt, quod cum iura, certam exigant ætatem in agente, vt eius actio valeat, hæc ſit ad eius validitatem neceſſaria, patet in profeſſione, quæ facta ante 16. completum eſt nulla, per Trident. ſeſſ. 25. cap. 15. de regularib. ergo cum iura poſtulent ſeptennium, vt ſint valida, eo non impleto, contrahentur inualide: ita Pontifex in cap. litteras, cap. ad diſſoluendum de deſponſat. impuberum.

Secundus, caſus, in quo ſeptennio minores, poſſunt ſibi matrimonium efficaciter promittere, ac valide, eſt, cum malitia ætatem ſupplet quod fit, cum ſufficiens vſus rationis in ijs, ante illam ætatem reperitur: Innoc. III. in cap. tua nobis 34. de deſponſatione impub. Valent. de ſponſal. qu. 2. par. 4. Vega in ſumma caſu. 101. Coninch. diſp. 21. dub. 4. de Sacram. nu. 52. ratio eſt, quod Eccleſia, eam ob rem ante ſeptennium ſponſalia fieri vetuerit, quod raro, infantes ſcire queant ante id tempus, quæ ignorari non debent à contrahentibus, vt quod ſibi promittant coniugium, hoc eſt perpetuum conſortium, hoc eſt vitæ, ac rerum omnium, inter ſe commercium: ergo ſi ante ſeptennium id noſſe poterunt, iudicio, atque prudentia ætatem ſupplente, facta per eos ſponſalia erunt valida.

Secundo, cum ſponſalia, matrimonij cauſa fiant, ad quod etiam ordinem habent, eius legem ac naturam ſequi haud dubie debent, ſed tempus, quod eſt lege Eccleſiæ ad celebrationem matrimonij præſtitutum, præuerti poteſt, cum prudentia ætatem ſupplet, Papæ teſtimonio in cap. tua nobis 34. de deſponſ. impuber. ergo & ſponſalium.

An huic autem parere legi oporteat, ſub mortali, eadem non eſt, ſibique conſtans Doctorum opinio.

Eſſe ex genere ſuo mortale docuere Sylueſt. in verbo ſponſalia q. 4. dicto. 1. Tabiena ver. matrim. 1. q. 6. Syluius in 3. parte q. 43. art. 2. Bonac. de matrim. q. 1. punc. 4. num. 6. Henriquez lib. 11. cap. 13. num. 13. eo quod in re non contemnenda ac vulgari, præceptum Pontificium violetur. Sic enim Nicol. Papa cap. 2. de deſponſat. impuberum. Diſtrictius inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem Canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur, niſi forte aliqua vtgentiſſima cauſa, interueniente neceſſitate, vt pote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.

Mortale non eſſe ſcripſere, Pont. lib. de matriom. 12. cap. 5. nu. 4. Coninch. diſp. 2. de Sacram. dub. 5. num. 53. Barboſa in collect. to. 2. lib. 4. tit. 2. cap. 2. ſic enim diſputant. Impuberes contrahendo ante ſeptennium, nullam Sacramento faciunt iniuriam, nec ſibi, nec vlli tertio, non Sacramento quidem.

A Primo, quia ſponſalibus Sacramenti ratio non conuenit.

Secunda, quia peccatum nullum eſt niſi deliberatum, impuberes quibus lux rationis necdum eſt orta, deliberare nequeunt, ergo nec peccare. Similiter ſibi nõ nocent, quia cum inualide contrahant, ex eorum promiſſis nulla reſultat obligatio contrahendi matrimonij.

Ad argumentum petitum ex authoritate Pontificis, reſpondendum eſt, loqui eum de matrimonio per verba de præſenti, quod nulla ratio ſuadet ante ætatem præſcriptam fieri, niſi cum id incolumitas publica Reip. aut priuata familiarum duarum exigit.

B Reſponderi ſecundo poteſt, Pontific. his verbis vetare tantum, ne ante celebratum matrimonium ſponſi ſimul cohabitent, eadem domo vtentes, ac tecto. Ita Antonin. Diana tract. 4. de Sacr. reſol 275.

QVÆSTIO IX.

Ad quid obligentur ſponſi, vi ſponſalium.

PRimo obligantur ad contrahendum matrimonium, quia hoc directe in ijs promittitur: Qua C obligatione? ſub mortali, D. Thom. q. 2. art. 1. & alij apud Sanch. lib. 1. diſp. 13. quia obligatio quæ oritur à virtute iuſtitiæ in re graui, eſt ad mortale, ſed obligatio ſponſalium ab ea virtute proficiſcitur, quemadmodum & Contractuum quos oneroſos appellamus, hoc ipſo enim, quod das pecuniam pro equo v. c. aut illam promittis, tuus eſt, nec negari ab eo tibi poteſt, qui tanto pretio daturum ſe illum tibi eſt pollicitus, niſi peccet contra iuſtitiam, Sed ſponſalia, contractus ſunt oneroſi, vt patet, cum ea ſe tantum lege, ſponſorum alter, alteri obliget, vt viciſſim ab altero fidem recipiat matrimonij, ergo ſponſalia ſub mortali obligant Coninch. diſp. 2. de Sacr. dub. 2. n. 12.

Quid ſi promiſſio non ſit reciproca, ſed ſponſorum alter tantum, fidem ſuam alteri vinciat?

D Exiſtimat Sanch. l. 3. de matr. teneri cum peccato mort. eam præſtare, ſi ille, aut illa, quibus eſt data, eam acceptauerint, eo quod promiſſio acceptata in eius amplius non ſit poteſtate qui fecit, cum in gratiam acceptantis, exequutioni mandari debeat.

Coninch. diſp. 2. dub. 2. ait implendam quidem eſſe, ſed ſub veniali tantum, eius fundamentum eſt, quod vt liberalis promiſſio, deficit à perfecta ratione iuſtitiæ, ita etiam poſſit conſiſtere cum obligatione non ſtricta, quæ ſola eſt inquit nu. 12. eſt de eſſentia commutatiuæ iuſtitiæ.

Veriſſima opinio eſt, eum qui gratis, ac liberaliter matrimonium promittit alteri, non peccare, E ſi fidem fallat, ita Baſil. Pont. lib. 12. de matr. cap. 4. Dian. tr. 4. de Sacr. reſol. 244.

Ratio eſt, quod peccatum contra fidelitatem promiſſorum, non admittitur, quãdo ſunt hæc ſine voluntate ſe obligandi facta: at omni caruit, qui ſolus matrimonium eſt pollicitus, nam ſponſalium contractus, inſtar eſt contractus cuiuſdam commutationis, inquit Vaſq. in 3. par. to. 4. dub. 4. de matr. cap. 3. num. 33. qui reuocatur ad hoc genus contractuum, qui explicantur his vocibus, *Do vt des* proindeque continet mutuam obligationem vtriuſque, cum non ſit probabile, quenquam alteri tradere

ri tradere ſe velle in ſponſum, ac ſocium perpetuum vitæ, ac lecti, niſi ille viciſſim, ſeſe ei totum dedat ad vſus futuros coniugij, ex quo infert, nec eum qui gratis matrimonium promiſit, nec alium qui acceptauit, eodem modo, hoc eſt gratis, ad quidquam teneri, ſed ſponte poſſe cogitare de aliis nuptiis.

Dixi gratis, nam ſi is cui data eſt fides matrimonij, viciſſim alteri, idque expreſſe, aut tacite, ſe addiceret ad illud cum volet contrahendum, ſponſalia valida eſſent, cum obligatione ea implendi ſtato tempore.

Secundo, obligantur ſponſi vi ſponſaliũm, ad liberandum fidem ſuam, eo tempore quo eſt inter illos conuentum, quia tempus in hoc caſu pars eſt materiæ, ſeu obiecti ſuæ promiſſionis, ei ergo non ſatis facient, ſi quo tempore eis placuit, matrimonium non contrahant.

Quid ſi dies præſtituta nulla eſſet?

Reſpondendum, in eo caſu, matrimonium celebrandum eſſe prima data occaſione, quia cum hac conditione tacita, cenſentur ſponſalia facta eſſe. Sane debitor, æs alienum ſoluere debet, cum creditor petit ſibi ſatisfieri: ergo cum ſponſi, ſibi mutuo ſint obligati, altero eorum exigente, vt promiſſum præſtetur, impletio non eſt differenda, niſi de eius conſenſu, qui præſumitur adeſſe, cum eam hic non vrget, niſi forte ab ea re retardaretur per metum, aut deſperationem profectus.

Tertio, ſponſi obligãtur ea vitare in ſe, quæ facta à coniugibus, eſſent contra fidẽ matrimonij: ratio eſt, quod per ſponſalia, acquirunt ſponſi ius mutuum, licet tãtum inchoatum in ſua corpora, quod ius quia non eſt perfectum, eius violatio culpa eſt, non oppoſita iuſtitiæ, ſed luxuriæ, eſtque ſimplex fornicatio, cum circunſtantia aggrauante intra eandem ſpeciem.

QVÆSTIO X.

Quid requiratur vt ſponſalia ſint valida.

PRimo, ea abeſſe eſt neceſſe, quæ matrimonium impediunt: ratio eſt, quod ad ea, quæ ſine culpa fieri nequeunt, nulla poſſit eſſe obligatio, ergo cum contra præceptum Eccleſiæ peccent, qui matrimonio iunguntur, cum impedimento aliquo de iis, per quæ dirimitur cum eſt contractum, aut impeditur contrahendum, ſtare non poterunt ſponſalia, cum eorum vno, aut pluribus, qua de re nos antea.

Secundo, vt ſponſalia ſint rata ac valida, requiritur conſenſus vtriuſque ſponſi, ſignis aut verbis expreſſius, quod ſi prædicta verba dubia erunt, debebunt accipi ſecundum communem eorum intelligentiam, prout præcipitur in cap. 1. & cap. ex litteris de ſponſalib. ad hanc autem multum iuuat, orationis ipſius qua ſponſi in obliganda fide ſua ſunt vſi, tota ſeries, cauſæ item ſunt ſpectandæ quæ eos impulere ad ſic loquendum: modus item dicendi, hæc enim rudem informare poſſunt ideam, tam conſilij ſponſorum in ſpondendo, quam voluntatis ac conſenſus eorundem, in faciendo ſponſaliorum contractu, habetur in cap. Intelligentiæ de verb. ſignif. & cæteris paribus, in dubio ſtandum eſt pro matrimonio, dicendaque in eius fauorem ſententia, ſecundum Gregor. IX. in cap. vlt. de ſentent. & re iudicata. Vtriuſque ſponſi dixi quia cum res eorum agatur, intereſt boni tam publici, quam priuati eorundem, vt ipſi ſibi legem dicant matrimonij ineundi ſuo tempore, non alij: ergo in illud, ipſos conſentire oportet, aut ſi fecerint alij eorum nomine, id ab ipſis approbari.

Tertio, debet hic conſenſus abſolutus eſſe, ſponſalia enim conditionata conditione proprie dicta, id eſt de futuro, ſunt inualida, antequam hæc ponatur, quod probatur ex eo quod cap. vnico de ſponſalib. in 6. parag. finali dicatur, ex iis impedimentum publicæ honeſtatis non oriri, & tamen decreto Concil. ſeſſ. 24. cap. 3. ex quibuſcunque ſponſalibus, modo ratis, hanc reſultare non eſt ambiguum, ſponſalia ergo illa, nullarum ſunt virium, ante conditionis exiſtentiam.

Obiicies ſponſalia hypothetica, incipiunt eſſe abſoluta, accedente copula, etiam antequam ſit conditio poſita: ergo bona erant, ac valida.

Neganda eſt conſequentia quia matrimonium idcirco eſt ratum, non quod ſponſalia fuerint valida, ſed quia per copulam ab appoſita ſe conditione recedere, eique acquieſcere nolle, indicat is qui illam ſponſioni ſuæ adiecerat, quæ ſententia eſt Alexand. III. in decret. ad Panorm. Epiſcop. quæ tertia eſt tituli de condit. appoſit. & Innoc. III. in cap. per tuas 6. eiuſd. tit. *Nos*, inquit, *conſultationi tuæ reſpondemus, quod cum liquido conſtet, quod poſt contracta ſponſalia, carnalis eſt inter eos copula ſubſecuta, pro matrimonio eſt præſumendum, quia videtur à conditione appoſita receſſiſſe.*

Quarto, vt ſponſalia obligent, ſintque valida, neceſſe eſt, vt cum certa ac determinata perſona fiant: ratio eſt, quod ex incertis non naſcatur impedimentum iuſtitiæ honeſtatis publicæ verba ſunt Bonifac. VIII. in titulo de ſponſalib. in 6. cap. vnic. *Ex ſponſalibus conditionalibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis iuſtitia oritur*, ergo cum ſponſalia quælibet, modo ſint vera, hoc impedimentum adiunctum habeant ex Trid. ſupra, concludi debet, incerta non eſſe talia, cum huius impedimenti non ſint cauſa.

Quinto, ſponſalia abſque metu fieri debent, grauis ea irritat, in quorundam ſententia, in aliorum, ius tribuit ea irritandi, ſicut & contractus reliquos, Leſſ. lib. 2. de iuſtit. cap. 17. dub. 6. num. 37. & colligitur aperte ex decret. Vrbani III. in cap. ex litteris 11. tit. de deſponſ. impuber. in qua hic Pontifex puellæ quæ *dolens, & inuita, & minis parentum impulſa, deſponſata fuerat puero annorum* 10. poteſtatem facit accipiendi alium virum. Vera eſt ergo aſſertio.

Confirm. non poteſt eſſe obligatio ad id quod iure canonico eſt nullum, aut in irritum reuocandum, per iudicis ſententiam, ſed ſponſalia, metu graui facta, ſunt eiuſmodi: ergo vt obligent, carere metu debent.

Quid ſi ad promiſſionem addatur iuramentum?

Implendam tunc eſſe, dixit Henriquez lib. 11. cap. 9. num. 6. non præciſe, qua eſt promiſſio, ſed vt ei adiuncta eſt iuramenti religio: ratio eſt, quod reuerentia Deo debita exigit, ne in teſtem falſitatis aduocetur. Deinde iurans ſoluere vſuras, tenetur obſeruare iuramentum ex cap. Debitores de iureiur. ergo à pari, promittens ſponſalia, ſtare debebit pollicitis iuratis, licet expreſſis metu.

Huic opinioni ne accedam, faciunt ſequentes cauſæ.

Prima, quod actus, primo & per ſe, ob fauorem publicum prohibitus, iuramento confirmari

nequeat, eo quod vt est in decretali Innoc. III. de foro compet. numero 12. *Cum non sit hoc beneficium personale, cui renuntiari valeat, sed communitati hominum indultum, ex priuatorum pactis, derogari non potest.* Sed publicæ vtilitatis causa, visum est magistratibus, pertinere ad eorum prouidentiam, vetare ne metu grauiter contracta sponsalia, vim haberent: ergo iuramento, quod eis aduenit, non firmantur.

Secunda, quando actus est irritus, aut certe irritari potest, non confirmatur iuramento, Less. lib. 2. cap. 17. num. 56. Sed sponsalia, quibus initium est à metu, aut sunt nulla, aut annullanda, decreto Vrbani 3. in cap. ex litteris desponsat. impub. ratione iniuriæ, tenetur qui metum incussit, eum, cui est iniectus, reponere in antiquo suo statu, quod faciet, relinquendo ei liberum contrahere, ac spondere alteri fidem matrimonij, aut negare: vnde is cui promissa metu fuerat, nullum solidum ius acquirit, in matrimonium futurum, & qui iurauit, ad nihil tenetur, eo quod eius iuramentum sit irritum in sententia Less. supra Barbosæ in collect.

Tertia, sponsalia vt nomen ipsum indicat, spontaneũ, & non illiberalem consensum exigunt, spondere enim, à quo nomen sponsalibus est factum, idem est ac promittere sponte, Varronẽ teste, lib. 5. de lingua Lat. & sane cum sponsalia, via sint ad matrimonium, quod esse sine libertate nequit, decuit ea esse quam maxime libera. Sed libertati, metus quilibet, maximeque grauis officit: ergo ne sponsus, iniectam sibi necessitatem putet, contrahendi matrimonij, debet eius ineundi obligatio, esse quam maximè libera: ergo & sponsalium.

QVÆSTIO XI.

Explicantur dubia quædam circa ante dicta.

DVbium primum, vtrum hæc sponsalia sint rata: *Nullam aliam præter te ducam.*

Huius promissi sensus est duplex: primus hypotheticus, nempe si aliquam mihi vxorem despondero, tu eris illa, non alia, & sic promittens, non tenetur eam sibi copulare coniugem, si animum inducit, castitatem intra cœlibatus fines, ac continentiæ seruare, quia conditio, cum qua duntaxat promissio obligat, non extat.

Altera propositionis huius notio, est absoluta ac simplex, sensumque hunc habet. Ducam te, non aliam. Et si hæc verba serio prolata sunt, non ioco, promissa iis contenta, præstanda erunt non fallenda.

Dubium secundum, *An filii stare debeant promissis parentum.*

Respond. id quidem statui in cap. 1. de despons. impuber. sed id intelligendum esse ex æquitate quadam iuris, non necessitate. Hoc tamen non impedit quominus sponsalia possint contrahi per procuratores, vt ante est dictum; tunc enim non censetur deesse consensus sponsorum, si ab illis, prædicti procuratores missi fuerint, nec reuocati: de qua re nos alias pluribus.

Dubium tertium, *An qui sponsalia est pollicitus cum conditione, teneatur expectare euentum conditionis, & quandiu.*

Tandiu est ei expectandum, quandiu moraliter loquendo, est necesse, vt conditio impleatur, quo elapso tempore, sponsorum alter amplius non tenetur, sed cum quolibet alio ei contrahere licitũ erit.

Pars prima est certa, qui enim sic spondet, pollicetur quoque tacite, ac implicite, quæ sunt ad promissi fidem implendam necessaria, at de rerum istarum numero, est conditionis sponsalibus additæ positio: ergo antequam sponsor censeatur esse solutus promissi sui fide, debet expectare aliquanto tempore vt hæc existat, priusquam de aliis sponsalibus consilia capiat.

Pars altera patet, nam hoc ipso, quod conditio non ponitur aliquanto tempore post inita sponsalia, censetur impossibilis, eiusque obligatio omnis aut desinere, aut remitti ab altera parte.

Dubium 4. *Quid si Pater, consensum quem dedit reuocet.*

Respondendum, standum esse primæ eius voluntati, non secundæ, illa enim operatur illico ac est: ergo eius ope, ac beneficio, fuere sponsalia valida, at hæc dirimi, aut tolli nequeunt, nisi de mutuo consensu sponsorum, aut per aliquam de iis rebus, quarum fiet proxime mentio: ad quas non pertinet hæc reuocatio paterni consensus.

Quid si taceat? quid si rem sibi placere non significet?

Si ex signis ac circunstantiis, de eius consensu ambigi non poterit, sponsalia futura sunt valida, secus minimè, maximè si ad eius voluntatem, res vniuersa de sponsorum consilio relata esset.

Dubium quintum, *An repugnet libertati sponsalium, vnũ è duobus sponsoribus, ad ea præstanda cogi.*

Non repugnat. Quia promissio legalis, qualis est quæ testibus, vel scripto fit, dat actionem in iudicio, at sponsalia ordinariè sunt eiusmodi: ergo si sunt publica, si celebrata spectante Parocho, ac testibus, si manu exarata Notarij, aut signata, poterunt authoritate Iudicis executioni mandari, cum enim sint deliberata, habeantque probationem competentem, si super his lis sit orta, quid obest, quo minus ei finem iudex imponat, imperando reluctanti, facere promissa sua, vt sic ea implendo, fidem liberet?

Obicitur contra, quod Papa Lucius eius nominis tertius, interrogatus qua censura compellenda videretur mulier, quæ iurisiurandi religione neglecta, renuebat ei cui fidem dederat nubere, responderit in cap. requisiuit de sponsalib. videri sibi, monendam potius esse, quam cogendam, quod matrimonia debeant esse libera, factaque vi, difficiles sæpe nanciscantur exitus.

Respondendum cum Glossa in cap. citat. parag. quod libera, Pontificem non prohibere, ne qui promissa sponsalia facere renuit, ad ea adigi nequeat, sed velle eum prius offerij sui admoneri, tum demum, si sibi deesset, adhibenda arma quibus Ecclesia vti consueuit, ad exprimenda vel ab inuitis necessaria obsequia. Nec propterea dici debet matrimonium coactum esse, nam coactus non dicitur aut inuitus, qui propter promissa præcedentia, libera tamen, ad ea præstanda vrgetur, 12. q. 1. can. quicunque veluti qui Parochiale beneficium recepit, si postea ad ordines sacros cogitur, non dicitur inuitus ordinari, distinct. 30. can. innouamus.

Respondendum secundo, aliud Alexand. III. visum esse, quam Lucio III. in cap. requisiuit 17. citato, nam ille in cap. ex litteris 10. vult eum qui contra fidem datam futuræ matrimonij cum certa fœmina, de alia ducenda cogitat, censuris cogendũ esse ad standum promissis prioribus. *Quia igitur*

Digitized by Google

inquit, *prædicto G. periculosum est contra suum iuramentum venire, fraternitatis tuæ mandamus, quatenus si hoc tibi constiterit, cum moneas, & si non acquieuerit monitis, Ecclesiasticis censuris compellas, vt ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in vxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

Respondendum tertio, loqui Lucium Papam in cap. requisiuit, de his qui post facta sponsalia, causam aliquam habent, eamque iustam, non exequendi matrimonij cuius causa erant inita, vt si capitales exortæ sunt inimicitiæ inter propinquos, si minus sibi sunt sponsus & sponsa grati quàm antea, quia si cum eiusmodi causa cogeretur sponsa nubere sponso, periculum esset, ne quæ coniunctio pacis, ac amicitiæ conciliatrix esse debet, iurgiorũ, ac contentionum mater esse inciperet; ideoque visum est Põtifici, in hoc casu sponsũ monẽdũ esse, vt pollicitis satisfaciat, nõ cẽsuris impellendũ.

Neque de hoc hominum genere, & cum hac circunstantia, sermo nobis fuit in responsione, sed de his duntaxat, qui iniustè, ac sine causâ, à sponsalibus resiliunt, hos enim, petente parte primo admonendos esse, vt stent promissis, & si nolint parere, per censuras, aliáque iuris remedia cogendos esse, communis est Doctorum opinio, & nostra. Quia sunt hæ partes iudicis, videre non modo ne quid Respublica eiusque membra, detrimenti recipiant, sed multo maxime, cum est illatum, dare operam, vt authoritate sua tollatur, itáque cesset iniuria. Sed Respublica læditur, in suo membro, cum quis iniustè ac sine causâ, non implet sponsalia, facit enim iniuriam sponsæ: ergo ad Iudicis officium pertinet impedire ne id accidat, facit hoc vero iudex cum reluctantẽ cogit, vt datã fidem impleat; omnem ergo rationem honestam habet, adhibendi in hoc casu censuras, earumque metu subditos continendi in officio, etsi aliquando per accidens, ob grauia incommoda quæ ex huiusmodi coactione metuuntur, vt quod coactus ficte contrahat, aut perpetuas acturus sit simultates cum parte, iis vti non sit operæ pretium.

Dubium sextum, *An sit contra libertatem sponsalium, pœnam adiicere quam soluere teneatur, qui ab iis iniuste resilit.*

Communis sententia docet non esse.

Primo, quia solus metus iniustus ea irritat.

Secundo, quia contrahentes eam sibi legem mutuo consensu indicunt, ab eorum ergo voluntate cum, pendeat hæc eorundem libertati non præiudicat.

Tertio, paciscí inter se sponsi possunt, vt qui promissis non steterit, non modo amittat arrhas, sed insuper duplum earum pretium alteri pendat: at arrharum amissio, dupli, ac tripli solutio, pro non factis pollicitis, pœna est: ergo eius appositio facta sponsalibus, ea non irritat.

Quarto, tam Dei lege quam naturæ, puniri potest nocẽs cum laude, at qui contra fas, æquumque, ludit alterum, non præstando quæ est ei pollicitus, non est innocens: hanc ergo culpam si in ære luat, quis factum iniustitiæ arguat? multo minus reprehendi sponsi debebunt, si, ne quid peccetur in eo genere, pœnam ipsi sibi contrahentes, vltro ac sponte inferant, luendam ab eo qui erit nocens.

Obiicies, prohibere Gregor. IX. in cap. Gemma 29. de sponsal. ne pœna quæ apposita sponsalibus fuerat, soluenda ab eo qui fidem falleret, exigatur ab eo per quem non stat, quo minus impleantur, eo quod *cum matrimonia libera esse debeant, talis stipulatio, propter pœnæ interpositionem merito sit improbanda.* addi ergo sponsalibus, ac matrimonio non debet. Consequentia est neganda, nam Greg in cap. citato, non loquitur nisi de iis qui iustam habẽt causã recedendi à fide data sponsaliũ, de quorũ numero sunt haud dubie, quicunq; ea ante pubertatem contrahunt, quos pœna mulctari non decet, vtpote culpa vacuos, sine qua tamen puniri vllum non oportet, quod cum in eo, qui à dictis sponsalibus iniuste resilit, locum non habeat, est enim nocens, ac proinde eiusmodi, qui impunitus esse non debeat, mirum esse nulli debet si concesso Antecedente Consequentia argumenti est negata, quæ nemine excluso, omnes & singulos complectitur, qui ex quacunque causa etiam iniusta, & nulla, sponsaliorum fidem non implent, à quibus pœnã ea iniuste ac sine ratione frangenti appositam, exigi posse scripsere Coninch. de Sacr. disp 22. dub 5. Concil. 2. Basil. Pontius de matr. lib. 12. cap. 19. num. 8. Laym. tract. 10. lib. 5.

QVÆSTIO XI.

An iniuste à Sponsalibus resiliens, teneatur ante omnem sententiam soluere pœnam constitutam ei qui sic resilit, ac arrhas acceptas reddere

SVnt arrhæ, argumentum sponsalium, inquit Iurisper. in lege si quis 38. digest. de ritu nuptiarum & lege 3. Cod. de sponsalibus lib. 5. vnde arrhæ sponsalitiæ, dici cœptæ munuscula, quæ sponsæ dabantur à viro, quasi pignus futuri matrimonij, quod enim in auctionibus emptor venditori offerebat, quasi pignus numerandi precij, ac argumentum contractæ emptionis, id in iure arrha dicebatur Instit. de Empt. & Venid. inde nomen translatum ad nuptias, idemque valet ac donatio, quam vir facit vxori in præmium dotis, aut pignus quod eidem tribuit, in signum complẽdi contractus matrimonij. Sensus ergo quæstionis hic posita est, an eiusmodi dona reddi oporteat, quando id non fit, cuius causa sunt sponsalia, nempe matrimonium &

Dico primò, *Arrhas restituendas esse, cum sine culpa eius, qui eas dedit, nuptiæ impediuntur.*

Ratio est, quod dantur cum ea conditione: ergo ea non posita donatio est nulla, si nulla, dominium non acquiritur rei datæ, domino ergo suo reddi hæc debet, ab eo qui accepit, cum conditione sequuturi matrimonij.

Dico secundò, *Cum est conuentum inter Sponsos, vt iniuste resiliens, arrham reddat, & præterea duplum eius valorem, aut triplum, standum est conuentis, ac pactis inter eos mutuis.*

Causa est, quod sint honesta ac iusta, honesta quidem, quia matrimonij causa fiunt, quo nihil est honestius, iusta, eo quod nocenti impunè esse non debet, cum peccat, at à peccato immunis non est ac liber, qui iniuste, ac sine causa, post contracta sponsalia, matrimonium inire renuit: ergo relinquendus non est sine pœna, eaque culpæ admissæ pari, talis esse potest arrharum amissio, dupli ac quadrupli earum valoris solutio, ad vtrumque ergo teneri est censendus, qui iniuste, & cum culpa, à sponsalibus eorumque fide recedit.

Quod autem peccato non vacet, qui à sponsalibus detrectat matrimonium.

Probatur, possunt per censuras in rebus minoris

momenti compelli contrahentes, vt licita pacta seruent Concil. Africanum relatum in cap. primo de pact. at cē iuræ sine culpa præuia. eaque mortali, infligi nulli queunt, vt habetur in Concil. Meldensi can. 16. & refertur causa 11. qu. 3. cap. 41. & sequenti, & interest sponsæ, à viro eam non falli, quod fieri sane non potest sine magna eius iniuria, nec proinde sine culpa, vera ergo est minor.

Dico tertiò, *Videri mihi nihilominus probabile, eum qui arrhas accepit, si iniuste resiliat, non teneri eas restituere, aut pœnam resilienti propositam, ex conuentione vtriusque sponsi mutua soluere, ante sententiam iudicis:* Ita Nauarr. cap. 23. num. 68. Adrian. quæll. 6. art. 1. Less. lib. 2. cap. 20. dub. 15. nu. 236. Vasq. in part. 2. to. 2. disp. 173. cap. 1. num. 2. & 3. Homob. de exam. Eccl. par. 3. tract. 9. cap. 15. q. 47. ratio est, quod vt habet Ludou. de Beia par. 1. casuum, casu 41. non videntur contrahentes ad aliud obligare se velle, quam ad numerandam pecuniam, quæ pœnæ loco est apposita, ac soluenda ab eo, per quem stat, quo minus sponsalia effectum habeant, cum ad id authoritate magistratus cogentur.

Secundo, lex pœnalis non obligat ante iudicis imperium maxime si pœna executioni mandari nequit, sine concursu ac opera eius, qui peccauit in legem, Laym. in Theol. moral. tract. 4. cap. 15. num 3. Diana tract. 10 resol. 23. Ludou. de Beia loco proximè citato, sed lex quam sibi contrahentes dicunt, soluendi quidpiam sibi mutuo, si desint officio, promissi fidem non implendo, pœnalis est, conuentionalis tamen, quia ab vtriusque voluntate pendet, vt à causa, ergo ei non necessario est parendum, antequam iudicis accedat imperium.

Contraria sententia propugnatores habet Reginal. lib. cap. 12. num. 228. Mald. in 2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 18. Molin. tom. 2. disp. 517. Petr. de Nauarr. de restit. lib. 3. cap. 2. num. 235. estque non improbabilis, proindeque in conscientia tuta: fundamentum eius est, quod ex dispositione legis, talis pœna non sit debita. sed ex conuentione partium: ergo ab his, aut earum altera, est infligenda, & non à iudice. Quare vt istius, cum imperat pœnam lui quæ lege est in reos constituta, detrectare imperium est nefas, ita etiam vitiosum est ac malum, negare parti repetenti, quod sibi ex pacto violato, est debitum.

QVÆSTIO XII.

Quibus modis Sponsalia dissoluantur, & an Puberum, mutuo eorundem dissensu soluantur ac cessent.

Dico primò, *Sponsalia puberum mutuo eorundem dissensu dissolui:* ita Pontifex in cap. 2. de sponsalibus.

Et probatur per quas causas oritur obligatio, iisdem quoque tolli potest, vt indicat prima regula de reg. iuris in 6. his verbis: *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Sed obligatio sponsalium oritur à mutuo sponsorum consensu, cessatura est ergo ex mutuo eorundem dissensu.

Dico secundò, *Puberum sponsalia etiam iurata, dirimi mutuo dissensu partium.* Diu. Thom. in 4. disp. 27. qu. 2. art. 3. ad 5. & 22. q. 89. art. 9. Soacius de sponsalib.

Ratio est, quod iuramentum promissioni aduenies non obliget, si hanc relaxari contingat, ab eo cuius interest impleri, Less. lib. 2. cap. de iuram. *Accessorium enim naturam sequi congruit principalis,* de regul. iuris in 6. regula 42. ergo cum promissio, quæ principem locum tenet in hoc negotio, remitti possit, condonari quoque iuramentum poterit in commodum promissarij præstitum, cum eius faciendi causa alia non fuerit, quam promissionis firmitas.

Secundo, iuramentum sortitur conditiones actus, cui apponitur, cap. quemadmodum de iureiur. at sponsalibus, quemadmodum & aliis promissionibus, quæ pertinent ad vtilitatem eius, cui fiunt, tacita conditio inest, nisi postea remissa, aut mutuo consensu dissoluta fuerint: ergo sponsalia, iurisiurandi religione firmata, contrahentium voluntate, ac mutuo consensu possunt perimi, quod erat probandum.

Quid si ad pactionem iuratam ventum est, non tam causa pacisentium, quam Dei, poteritne alter alterum, stipulationis iuratæ nexu liberare?

Panormitani opinio est in ca. præterea de iureiur. obligationē quæ comite iureiurando est contracta, non cōsensu cōtrahentiū, sed Ecclesiastica authoritate remouendam esse, cum cōtrahentes in paciscendo, non tam suam vtilitatem, quam Dei honorem spectarunt. A Panorm. faciunt Sylu. in ver. sponsalia qu 10. Angel. eod. titulo num. 20. Soacius de sponsalibus, Diu Thom. in 2. 2. qu. 89. art. 9. in resp. ad 2. vbi ab eo omnis est controuersia diiudicata his verbis: *Ad secundum dicendum, quod homo potest alteri promittere aliquid sub iuramento dupliciter, Vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipsius, puta, si sub iuramento promittat se seruiturum ei, vel pecuniam daturum, & à tali promissione potest absoluere ille, cui promissio facta est, intelligitur enim, tamen soluisse promissum, quando facit de eo secundum eius vtilitatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorum, puta si aliquis sub iuramento promittat alicui, se intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum, & tunc ille cui promittitur, non potest absoluere promittentem; quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo, nisi forte sit interposita conditio, ratione cuius possit, scilicet si illi videbitur cui promittitur, vel aliquid aliud tale.* Hæc S. Doctor quæ multo sunt veriora, quam quæ proferuntur à Nau. Eechirid. 22. n. 25. parag. porro sponsalia, hæc nēpe mutuo eorum à quibus facta sunt & iurata consensu perimi posse, etsi propter Deum, adiunctum habeant iusurandum. Suæ sententiæ astipulatores habet, Coninch. disp. 23. dub. 1. num. 2. Laym. lib. 5. tract. 10. parte 1. cap. 2. num. 1. Viuald. in candel. de sponsal. cap. 5. Henriq. lib. 11. cap. 14. num. 6. quam quia, tam doctrinâ suâ, quam pietate, ac nomine, probabilem reddunt, erroris aut culpæ, argui hi mihi posse non videntur, qui quælibet sponsalia iurata, nulla adhibita exceptione, in sponsorum potestate sic collocant, vt ab iis, quando, & quoties est placitum, dissolui posse velint.

Ab iis dixi, numero multitudinis, vt indicarem, vnius non esse tantùm, sponsalibus renuntiare valide. Quia vt ab vtroque sponso, necesse est sponsionem matrimonij fieri, ita & ab ambobus oportet ea dirimi, quia vnus, alteri inuito, ius suum sine iniuria tollere non potest, quæ accedente vtriusque

Digitized by Google

voluntate, non eſt timenda, quia vt habetur in inſtitut. tit. parag. vltim. Quibus modis tollitur obligatio. *Obligationes quæ conſenſu contrahuntur, contraria voluntate diſſoluuntur*, & cap. 2. de ſponſal. Innoc tertius eſt author Exonienſi Epiſcop. id vt laboret, ne qui de matrimonio contrahendo mutuam ſibi dedere fidem, eam violent, *tolerandos tamen eſſe ſi ſe ad inuicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, vt talem ſcilicet vir ducat quam odio habet.*

Tolerandos inquam, *vt ad inſtar eorum, qui ſocietatem, interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt*, iura ſibi mutuo relaxare ſua valeant.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo ſponſalia impuberum diſſoluantur.

EST hæc quæſtio ab Alexand. III. pridem diiudicata in decretali de illis 7. de deſponſat. impuberum illic enim reſpondit, *maiores* ſeptennio contrahentes ſponſalia, reſilire per mutuũ conſenſum ante pubertatem non poſſe: *De illis*, inquit, *qui intra annos aptos matrimoniis, ſponſalia contrahunt, ſiue vterque, ſiue alter reclamet, antequam ad annos matrimoniis aptos peruenerint, & poſtulent ſeparari, non ſunt vllatenus audiendi.* Statim tamen atque peruenerint ad pubertatem, vterque iis renuntiare poterit, Alexander author in decretali proxime citata, his verbis: *Si is qui minoris ætatis eſt, cum ad annos illos peruenerit, reclamauerit, nec in alterum voluerit conſentire, iudicio Eccleſiæ poterunt ab inuicem ſeparari.*

Ratio primæ partis eſt, quod nec è re publica, ac communi familiarum, nec priuata ſit cõtrahentium, impuberes multis ſpondere matrimonium, quod tamen facerent, ſi iis, per Eccleſiæ decreta integrum foret, antequam matura eſſet eorum ætas, ſponſionem ſuam futuri matrimonij reuocare, eamque irritam reddere, decuit ergo, hanc iis ab Eccleſia facultatem adimi.

Aliunde tamen oportuit, eorum ſaluti conſuli, ob eamque cauſam, relinqui illis poteſtatem, tranſeundi cum ad pubertatem venerint à primo contractis ſponſalibus ad alia, vt enim maior eſt tùm eorum prudentia, viſque ingenij, quam cum pueri, inter pueros, in impubertate viuerent, ita nouæ ſe rationes offerre poſſunt, quamobrem noua conſilia captare, ac ducere ſponſam à priore diuerſam eis ſit vtile.

Dixi cum pueri in impubertate viuerent inter pueros, nam ſi pubes cum impubere contraheret, illi poſtmodum fas non eſſet, arbitrio ſuo ac voluntate, ſponſionem futuri matrimonij, eiuſque obligationem excutere: ratio eſt, quod cum in eo iudicij maturitas exiſtimetur eſſe tanta, quantâ pollere eos eſt neceſſe, qui ſe ſponſaliorum nexu, fœminæ deuinciunt, decuit illum lege ea non comprehendi, quæ impuberes à promiſſorum fide exinit: ita porro eſſe declarat Papa Alexand. III. in decretali de illis 7. tituli de deſponſat impuberum *Mulier autem*, inquit, *quæ poſtquam annos nubiles attigit, ei, qui nondum ad annos matrimoniis aptos venerat, nupſit, cum is cum ſemel conſenſerit, amplius non poterit diſſentire, niſi ipſe cui nupſit, poſtquam ad legitimam ætatem peruenerit, in cum ſuum negauerit præſtare aſſenſum.*

An autem alter ſponſorum reclamare illico poſſit, ac ſit pubes, non expectata pubertate alterius & an ambo id poſſint, cum iuriſiurandi religione ſua firmarunt ſponſalia, iam eſt videndum.

Naldus in ſumma verbo ſponſalia num. 1. vult puberem aſtringi tam lege canonum ac Eccleſiæ, quam honeſtatis ac decentiæ, ad præſtolandum, dum alter per ætatem pubes fiat.

Pro ſententia aduerſa argumentantur Baſil. Pontius de matrim. lib. 12. cap. 9. num. 5. Coninch. de Sacram. diſp. 23. dub. 2. Gutierr. de matrimon. cap. 29. num. 2. Sanch lib. 1. diſp. 51. num. 9. eorum potiſſima ratio fundamentum habet in communi ac peruulgato iuris axiomate, fruſtra ſcilicet expectari euentum, cuius nullus eſt effectus: ergo cum pubes, ſponſalia à ſe facta in minori ætate, hoc eſt in impubertate, reprobare poſſit, quare illico, ac ipſemet pubes eſſe incipit, non expectata pubertate alterius facere id non poſſit, non video.

Hæc de prima quæſtione, nunc videndum eſt ſeparatè de altera, cuius proprium eſt inquirere, an à ſponſalibus iuramento firmatis, reſilire poſſint impuberes, cum ad annos pubertatis venerint.

Non poſſe aſſerit Villalobos in ſumm. tomo 1. tract. 12. diffic. 12. num. 27. pro quo authores nulli faciunt, eo quod relaxatio iuramenti, inuita parte, fieri ſine eius iniuria nequeat, à qua abſtinere quiſque cum debeat, ei quoque abſtinere eſt neceſſe ab eo, quo, cum charitate lædi æquitas poteſt, quo de genere, eſt receſſus à ſponſalibus, eorumque non præſtatio, parte reclamante altera, quare ea tùm implenda eſſe ſcripſit ad Pictau. Epiſcop. Alexand. III. in decretali ex litteris X. de ſponſalib. & quia periculoſum eſt venire contra iuramentum ſuum, homini præcipit, vt qui ſub iuramento pueri promiſerant, matrimonia ſe facturos, eoſdem primo officij admoneat, & ſi non acquieuerint monitis, eos Eccleſiæ cenſuris compellat adimplere quod iurauerant.

Aiunt tamen aliqui, Epiſcopum, in eo iuramento diſpenſare poſſe, vt ſponſorum alter, licite reclamet, maximè ſi non fuit ea prudentiæ, ingeniique vi præditus, cum iurauit, quæ eſt neceſſaria, vt intelligat, quam ſibi legem iurando imponat, & ad quid eum iuramenti ſui religio obliget, Quam opinionem ne ſubſcribam, duo faciunt.

Primum, quod Epiſcopus, vni cuipiam prodeſſe nequeat, cum detrimẽto tertij, quod tamen faceret, ſi iure ſponſæ neglecto, eius ſponſo concederet, alteram ſibi deſpondere fœminam, contra ius priori acquiſitum, vt hic, alteram ſibi à ſe diuerſam, nuptam eſſe non velit.

Secundum, quod Alexand. tertius, eum in cuius pollicitatione futuri matrimonij interpoſitum fuerat iuſiurandum, cenſuris ad eius præſtationem cogendum dixerit, non Epiſcopi diſpenſatione iuuandum, vt debebat, ſi relaxatio iuramenti, de quo nos hic diſputamus, in Epiſcoporum iure eſſet.

QVÆSTIO XIV.

An ingressus in Religionem, sponsalia irritet.

DIco primo, *Ingressu in religionem solo ac simplici, sponsalia non dirimi*, ratio est quod quæ priuilegia professioni sunt concessa, hæc ingressui in religionem non cõpetant, patet, nam si is qui eã est ingressus, non secuta professione, ea egrediatur, cogetur datam olim sponsaliorum fidem præstare sponso volenti, & hucusque expectanti. Ita Ledesma qu. 43. art. 3. dub. 2. Laym. tract. 10. 2. num. 3. contra D. Tho. q. 45. art. 3. Angel in verbo sponsal. parag. 22. Sanch. disp. & alios.

Dico secundo, *remanentem in sæculo posse si velit cum alio aut alia sponsalia contrahere.*

Quia hoc ipso quod vnus è sponsoribus, religionem ingreditur, tacite significat, sibi nihil amplius esse vellecommune cum priori sponso, ergo alteri, vt pote soluto ac libero, est integrum cum alio, aut alia cõtrahere, sine obligatione restituendi arthas, quas in pignus futuri matrimonij, ab alio acceperat, vt habetur lege de nobis Cod. de Episcop. & Cleric.

Confirm. promissa non obligant cum sunt remissa, at qui Religionem ingreditur, ab eorum fide liberat eum, qui se sibi sponsaliorum nexu reciproco obligauerat.

Primo, quia hoc ipso indicat voluntatem se mutasse, ac renunciare sponsalibus.

Secundo, quia remanens in sæculo, non videtur se voluisse obligare quando contraxit cum alio, ad hunc euentum, nam præterquam quod ei graue admodum esset ac durum, eum habere pro coniuge, qui per inconstantiam animi, cum habitu vitæ religiosæ instituta abiecit, etiam est perquam difficile, carere tandiu optatis nuptijs, quandiu alter non profitebitur. Quare verissime mihi loqui videntur, qui asserunt, sponsalia dissolui per ingressum Religionis, quoad eum qui in sæculo manet. Huius opinionis assertores duos reperio, Gabr. in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. casu 6. Rebell. lib. 4. q. 8. sectione 6. quæ longe mihi probabilior iudicatur, quam quæ à Toleto defenditur lib. 7. cap. 21. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 45. dissolui scilicet sponsalia, solo Religionis ingressu, quoad vtrumque.

Dico tertio, *multo magis perimi sponsalia professione religiosa, quam ingressu in Monasterium, ac sacrorum virorum Sodalitium, vt quis in eo paupertatem, castitatem, & obedientiam profiteatur*, quia per eam matrimonium ratum dissoluitur, vt scribit Alex. III. in decretali 2. de conuers. coniugatorum, ergo multo magis sponsalia.

Quid si interposita iurisiurandi religione, sponsi pacti inter se nuptias fuerint, etiamne per ingressum in Religiosorum contubernium, aut professionem, stipulationis iuratæ nexu erunt liberi?

Fuit opinio Papæ Alex. III. in decretali commissum de sponsal, *quod eis sit tutius (religione iuramenti seruata) prius contrahere matrimonium, & postea si elegerint, ad religionem migrare.* Non facit tamen hæc Alex. opinio, ad multorum stomachum.

Primo, quia est periculosa.

Secundo, quia multis est incommodis pernia. Est periculosa, nam quid facilius, quam legitime inter se copulatos, consummare matrimonium? præsertim cum in eo peccati metus sit nullus, Viam quoque hæc opinio multis incommodis sternit,

Primo, si est vera, fœmina apud vicinos vocabitur in suspicionem violatæ pudicitiæ, cum nemo sit futurus paulo acutior, qui non illico existimet, aliquid à viro in ea visum ac cognitum, quod illi eius, ac nuptiarum odium impresserit.

Secundo, fœminæ fiet iniuria, cum nescientem ac ignaram, ad matrimonium vir alliciet, illud haud dubie non facturam si eius consilia habuisset perspecta ac cognita.

Tertio, etsi fœmina nubere alteri possit, priore sponso religionem ingresso, fiet id tamen non nisi ægre, cum pauci admodum sint futuri, qui nuptam illam velint, & ambiant iisdem conditionibus, in quas vltro descendissent, si alteri nunquam nupsisset, à quo corruptam esse, vt suspicax est humanum ingenium, iure possunt metuere: quare

Dico quarto, *nil esse necesse, à sponsis matrimonium fieri antequam eorum alter, repudiato sæculo, Deo se in religione consecret.*

Quia id non nisi frustra ac infructuose fieret, cum sit illico per ingressum in religionem, dissoluendum. Nec refert quod futuri connubij mutua, eademque iurata sponsione, sese sponsi ambo deuinxerint, nam in sponsalibus, ex dispositione iuris tacita, hæc conditio subintelligitur, nisi religionem ingredi voluero, ita & in iuramento ijs appositio, quod vt quidpiam accessorium ac consequens, iusiurandum, eius naturam sequitur, eadem conditio subintelligitur, vt tradunt Henriquez & Ægidius dub. 3. disput. 23.

Ad cap. commissum, Respondendum primo, hæc verba *tali tutius esse prius contrahere*, habere consilium, non præceptum, & ita consulere Pontificem ingressuro Religionem, vt contrahat cum ea, quam sibi ante despondit, id tamen non præcipere.

Secundo dici potest, ea verba *tutius esse &c.* referri ad vulgi sensum, quod quia in ea est opinione vt existimet, renuntiantem sæculo, post non impleta sponsalia, quæ sponsionem futuri matrimonij continent, periurum esse, longe est in omnem partem securius ea præstare, liberando se à fide data contrahendi matrimonij, quam eo non contracto, confitmare prædictum vulgus, in antecepta illâ sua opinione, violatæ fidei per eum, qui religionem capesseret eo non contracto.

QVÆSTIO XV.

An votum Castitatis, aut susceptio Ordinum, Sponsalia irritet.

DIco primo, *Sponsalia non dirimi per susceptionem minorum Ordinum*, quia cum castitatis seruandæ votum non habeant, matrimonio non obsunt: ergo sponsalia non dirimunt, cum his initiatum, ex formula Ecclesiæ, connubij incapacem non faciant.

Dico secundo, *per susceptionem sacri Ordinis, sponsaliorum vim omnem ac obligationem tolli.*

Ratio est, quod sacri Deo homines per Ordinem, eumque sacrum, abiudicatis à se sensuum, carnisque voluptatibus, vitam à libidine, coniugiisque

illecebris remotam voueant, omni ergo ſe poteſtate, vltro volenteſque priuant, ducendæ vxoris, perit ergo per ſacrum Ordinem vis omnis eius promiſſionis, qua ſibi ad id legem, ac neceſſitatem in ſponſalibus indixerant.

Dico tertiò, *Per votum item ſimplex continentiæ, ſolui ſponſalia, poſt tale votum facta.* S. Thom in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 1. qu. 2. ad 3. Caiet. in ſum ver. periurium promiſſorium, Henriq. lib. 11. cap. 4.

Tuetur ſe hæc opinio primo, authoritate Alex. III. in cap. veniens 5. qui Clerici vel vouentes, vbi diſpenſat cum quadam muliere, *Vt poſt fidem, & votum ſimpliciter oblatum, matrimonium contrahat*, quod eum facere non fuiſſet neceſſe, ſi votum, matrimonio contrahendo, impedimentum non afferret.

Secundo, cum ſtatus matrimonialis, ſtare cum continentia, ac obligatione ad illam nequeat, non niſi ſuperflue, promitti ille poteſt, per contractum cui nomen eſt ſponſalium, cum matrimonij vſus, ſit ei interdictus qui eſt voto caſtitatis ac continentiæ ſimplici irretitus. Quare qui poſt tale votũ, promiſit alicui matrimonium per ſponſalia, ab iis præſertim clam celebratis, reſilire poterit, animo amplectendi ſtatum perfectiorem continentiæ, non ad tempus, ſed in perpetuum.

Dico quarto, *Probabile mihi videri, per votum ſimplex continentiæ, ſponſalia prius contracta perimi*, docet Palud. in 4. diſt. 34. qu. 1. caſu 5. Sylu. ver. ſponſalia, qu. 7. & ver. matr. 7. qu. 5. dicto 5. Nau. cap. 22. n. 27.

Probatur, dona Deus non acceptat, quæ cum tertij iniuria ſunt coniuncta, ſed vouens caſtimoniam, ſe membraque ſua Deo, quaſi munus cœleſte, ac diuinum conſecrat, nec ſine iniuria alterius, cui fidem ſuam, ante per ſponſalia obligauit ad matrimonium futurum: ergo tale votum non tenet.

Maior eſt certa, nam ſi voui, daturum centum pauperibus Dei cauſa, tali voto non tenor, ſi illa centum ſint neceſſaria, ad ſolutionem paris debiti, quod à creditore, hic & nunc repetitur.

Minor probatur violatio iuris alieni, nunquam eſt, ſine iniuria tertij, at ſponſus ius habet acquiſitum per ſponſalia, cui nunquam renuntiauit, ergo ſi alter, ab iis ſe ſubducit, vouendo caſtitatem, id non ſine eius aperta fiet iniuria.

Obiicies, ſponſi, cum mutuam ſibi futuri matrimonij dant fidem, in id conſentiunt, nam ſponſalia contrahunt ſecundum leges expreſſas, aut tacitas, locorum in quibus degunt: at ex diſpoſitione iuris tacita, hæc conditio ſubintelligitur in ſponſalibus, niſi vouero, aut ſtatum perfectiorem elegero.

Minor eſt neganda, cum ex nullo iure poſſit colligi hanc conditionem ineſſe ſponſalibus, excepto, ſi quis religioſum inſtitutum amplecti velit.

Obiicies 2. melius eſt continere in ſæculo ex voto, quam cum vxore viuere.

Reſpondendum, ſuppoſitis ſponſalibus, in quibus, ſe quis alteri aſtrinxit ad matrimonium, cum eo celebrandum, melius ei non eſſe, caſte ex voto viuere in ſæculo, quam cum vxore, ad prius enim nulla eſt obligatio, nam cum Deo grata non ſit promiſſio, quæ cum alterius iniuria, & damno eſt iuncta, eam hæc nõ acceptat, nec proinde obligat, à ſponſalibus autem eximere ſe ſponſus non poteſt, ob fidẽ matrimonij datãparti, quam fidẽ ſine peccato fallere, & ab ea recedere non poteſt, eo quod pacta conuenta ſunt implenda, cap. 1. de pactis.

Obiicies tertio, non eſt malum poſt ſponſalia caſtitatem Deo promittere, ſi promiſſa prius ſponſalia, non lædantur per votum, verũ eſt conſequens, nam iuxta veram Alexand. ſententiam, in decretali peruenit 2. de iureiur. *Promiſſum non infringit, is qui in melius commutat.*

Minor eſt falſa, & ad cap. allatum, dicendum eſt, ibi ſermonem eſſe de voto, quod iure optimo in melius commutatur, quia idem eſt promiſſarius nempe Deus, at in cauſa præſenti, id non accidit, cum ex vna parte, ſponſiõ matrimonij facta ſit homini: caſtitatis autem ſeruandæ pollicitatio, Deum eiuſque cultum vti finem reſpiciat.

Explicantur dubia quædam circa ſupradicta, & primo, an qui poſt contracta Sponſalia, votum edidit caſtitatis, poſſit remanere in ſæculo.

Si quod eſt conſcientiæ, quod religionis, ac iuſtitiæ ſpectemus, eiuſmodi homini manendum eſt in ſæculo. Ratio eſt, quod (vt ante monuimus) ſponſalia detrimentum nullum à ſubſequente voto capiant, implenda ſunt ergo, per celebrationem matrimonij, cuius ſunt promiſſio, quod ipſum eſſe nequit, niſi manendo in ſæculo vt patet. Vera ergo noſtra eſt reſponſio.

Sane communis eſt Doctorum opinio, in concurſu iurium, quorum vnum præualet alteri, maiori minus, fortiori, poſtponendum eſſe laxius, ſed obligatio iuſtitiæ, quæ eſt annexa ſponſalibus, ſtrictior eſt, fortiorque quam religionis, ad quam virtutem pertinet votum, eiuſque præſtatio: ergo ſponſo, vt ſatisfaciat officio, neceſſe eſt, matrimonium contrahere, non votum implere.

Et quamquam in aduerſariorum ſententia, poſſit in foro animæ, obſtrictus voto continentiæ ſimplici, domi ſuæ in cœlibatu viuere, ſi tamen ſponſa, apud Iudices Eccleſiæ, queratur factam ſibi eſſe iniuriam, eorum authoritate, ac imperio, ſponſus qui poſt ſponſalia, continẽtię votũ emiſiſſe ſe fatebitur, compelletur ſponſaliorum fidem ſeruare, vel intra præfixum ei tempus, religionem ingredi ſicut notauit Laym. lib. 5. tract. 10. cap. 2. num. 7. aut certe ordinem ſacrum ſuſcipere, qua ſuſceptione, Iudicem contentum eſſe deberẽ, ſcripſit Sylu. ver. ſponſalia q. 7.

Dubium ſecundum, *An qui poſt ſponſalia ſimplex continentiæ votum edidit, aut emiſſo voto, matrimonium contraxit, teneatur ante eius conſummationem ad imperium Iudicis, religionem ingredi.*

Reſpondẽdum, *non teneri*, primo, quia eam non vouit.

Secundo, quia votum, quo tenetur, ſeruare poteſt in ſæculo.

Tertio, quia cum religioſa profeſſio, difficultates habeat nec paucas, nec paruas, non videtur eſſe in poteſtate Iudicis, quenquam ad illam vrgere, nedum cogere.

Quarto, cum pœnæ, culpis eſſe pares debeant, nec grauior vlla, maiorque cogitari poſſit iactura libertatis, quæ omnis per profeſſionem Religioſo adimitur: quis credat tantùm aggredi, ac audere poſſe iudicem, vt pro culpa leui pœnam hanc à quoquam iure repetere poſſit ac cum laude?

Dubium tertium, *An qui post sponsalia, voto se seruanda castitatis astrinxit, possit in Iubilæo, eorum relaxationem obtinere.*

Respondendum, *non posse*, primo, quia cũ dispensatio stricti sit iuris, ad disparata non extenditur, at sponsalia, & votum, specie inter se differunt: ergo qui voti vim omnem tollere, aut eam in opera alia commutare, authoritate Papæ potest, idem quoque sibi in sponsaliorum causa fas esse, non nisi imprudenter ac temere censere potest.

Secundo, Papæ authoritas, concessaque alicui per eum, ad commune bonum dispensandi facultas, prodesse debet fidelibus, nocere nulli. At obesset si remitti sponsalium obligatio posset, sic enim ius sponsi, aut sponsæ, ad secuturas nuptias tolleretur, nec sine aperta eorum dem noxa, cum sit è re vtriusque, matrimonium fieri, nec vnum ab alio decipi.

Tertio, cum facultas dispensandi, alieno iuri præiudicat, accipienda est stricte, nec ad illud extenditur, de quo peculiaris nõ fit mentio, quia Princeps non præsumitur, quidpiam alicui concedere, quod obfuturum est alteri, nisi id conceptis verbis significet. At à sponsalibus resilire sponsus vnus nequit, sine alterius iniuria, cum per ea habeat ius acquisitum ad matrimonium futurum: ergo nec ab eo contrahendo liberari ab Ecclesiastico iudice in Iubilæo.

Quid si sponsalia prædicta, Deo per votum promissa essent, vt si quis ei pollicitus esset, se pro vxore habiturum certam fœminam, posseine Confessarius in tali voto, vt Iubilæi dispensare?

Respondendum non posse, quia sub simplici, non continetur mixtum, nec dispensatio facta, aut facienda de simplici, porrigitur ad simul iuncta, vt habetur in l. omnes populi digest. de iust. & iure, sed in voto, de quo est in dubitatione quæstio, duo sunt, votum Deo, & promissio nuptiarum, & sub voto non comprehenditur nuptiarum promissio: ergo dispensatio facta aut facienda de voto, non extenditur ad votum, & sponsalia simul.

Secundo, non potest dispensari in sponsalibus, sine iniuria alterutrius è sponsis ob causam ante allatam, at eam facere nulli est licitum, per naturæ Deique iura: ergo nec dispensare in sponsalibus, sponso vtroque reclamante, aut saltem eorum altero.

Dubium quartum, *An sponsalia secunda, prima dirimant, si illa sint irrata, non ista id est prima.*

Causa dubitandi est, quod in secundis sponsalibus, vltra promissionis obligationem, ac nexum, est etiam iuramenti vinculum: ergo, *Cum à maiori, quod superuenit, soluatur minus*, secundum Gloss. in cap. veniens de sponsal. sponsalia simplicia perimentur à iuratis posterioribus.

Nihilominus dicendum est, priora sponsalia, quamuis simplicia, implenda esse, non secunda: ita Innoc. III. in cap. sicut ex litteris 22. de sponsal. accedit & ratio.

Iuramentum sponsalibus secundis additum, ea non confirmat: ergo si de se non sunt valida, vim à iuramento nullam accipient, verum est prius, quia vt habetur in can. in malis promissis 3. causæ 22. q. 4. *In malis promissis, fides est rescindenda, in turpi voto, mutandum decretum, impia enim est promissio, quæ scelere impletur.*

Confirm. sponsalia priora, per secunda non dissoluuntur, nisi quia hæc sunt facienda, non illa, at id est falsum, cum enim per prima, ius sponsis sit quæsitum ad nuptias, non possunt ea sine culpa negligi, & secunda fieri, at quod à culpa separari nequit, cum moraliter sit impossibile, dissoluere aliud non potest, quod de se, ac naturâ suâ, est validum.

Probatur, sponsalia prima, perimuntur à secundis, quia hæc, in illorum locum substituuntur: at illicita, cum fieri nequeant, non succedunt in locum aliorum: ergo hæc non dirimunt.

Ad argumentum allatum initio dicendum est, promissioni, vim à iuramento accedere, quando illa bona est, ac honesta, nam si est turpis, si illicita, iuramento non confirmabitur, quod repugnet authoritati diuini nominis firmari aliquem ad malum, quare cum secunda sponsalia, licet iurata, sint illicita, ipsa vt sic, à iuramento robur nullum habent ac pondus maius, quam si sine eo facta essent. *Dominus*, enim vt habetur 22. qu. 5. canone Iuramenti 5. *inter iuramentum, & loquelam nostram, nullam vult esse distantiam, quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam: ita quoque in verbis nostris, nullum vult esse mendacium, quia vtrumque diuini iudicij pœna damnatur.*

Dubium quintum, *An qui post votum Religionis, aut castitatis, corrupit fœminam sub pacto coniugij, teneatur illam ducere.*

Negat Viuald. in Candelabro aureo 3. p. cap. 14. num. 65. sententiæ suæ magistrum habet Nauar. lib. 4. consil. tit. de sponsal. consil. 21. rem vniuersam triplex explicabit assertio.

Prima Assertio, *Si fœmina, quæ corporis sui copiam alteri fecit, sub promissione matrimonii, conscia fuit voti eius, hæc eam ducere non tenetur.*

Ratio est, quod cum ignotare non debuerit, obligatum voto, matrimonio coniungi non posse, censeatur ipsa se decepisse, ac vltro ex complexu alterius, ac nefando coitu, voluptatem quæsisse.

Secunda Assertio, *Si copulam non præcesserit villa promissio, causa nulla est viro, asciscendæ sibi puellæ in coniugem, post votum castitatis, aut Religionis, ab eo editum.*

Ratio est, quod promissio votiua castitatis, hominem Deo obliget, eique corpus addicat ad temperantiam, ac voluptatum omnium fugam, tradi ergo alteri nõ potest ad vsum, operaq; matrimonij.

Confir cum per votum, ius sit acquisitum Deo, non potest vouens illud tollere, statum suscipiendo illi contrarium.

Tertia Assertio, *Qui sub spe matrimonii, à puella, aut vidua bonæ famæ, ignara tamen voti, quo is tenebatur, copulam extorsit, aut eam familiaritatem, ex qua grauis immineat infamia, quæ alter amerti nequit quam per matrimonium, tenetur is illud cum ea contrahere.* Docent Gabr. Vasqu. in opusc. de restitut. cap. 3. Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 45. nu. 3. Coninch. disp. 23. dub. 3. Conc. 6. Capeauilla cap. vlt. fui trac. q. 17. Diana tract. 4. resol. 105.

Probatur, votum cessat obligare, cum illi fortior, eaque incompossibilis obligatio, qualis est iustitiæ, superuenit, sed cum puella, spe matrimonij corrupti se est passa ab aliquo, grauis obligatio superuenit, nempe compẽsandi damna puellæ, aut viduæ illata per copulam, quæ compensatio, fieri non potest nisi per matrimonium: ergo celebrandum est, voto posthabito.

Placet tamen Basilij Pontij opinio de matrim. lib. 6. cap. 12. num. 9. astrictum voto immundæ religionis, teneri quidem implere promissa, ac fœminam, qua ad præposteram voluptatem, iniecta spe matrimonij est abusus, ducere in vxorem, sed ea lege, vt ante eius consummationem, Religioni

gioni det nomen. Ratio eſt, quod ſic explet om- A
nes numeros viri boni, & primo quidem æquitatis iura ſeruat. ſarciendo per traditionem ſui, damna quę puella eſt paſſa, iacturâ ſui honoris. Deinde voto ſatisfacit, renunciando ſæculo: ergo ad vtrumque eſt obligatio: ergo per matrimonium viri, cum corrupta, non ceſſat vis voti, de capeſſenda Religione, nec neceſſario debet differri. Sed nos contrariam opinionem in praxi tutam, & ſequendam ante oſtendimus cum P. Layman. tract. 10. cap. 2. num. 9. Ægid. de Coninch. diſp. cit. dub. 3. ratio eſt, quod nemo videatur obligatus eſſe ad vtendum priuilegio ſibi conceſſo, at eſt gratia, fauor ac priuilegium, quod quis contracto matrimonio, religioſus poſſit fieri, antequam conſummetur: ergo ad id cogi non debet.

Dubium ſextum, *Ad quid teneatur qui cum voto Religionis, aut Caſtitatis matrimonium contrahit.*

Dico primò, *Qui cum voto caſtitatis, emiſſa ante aut poſt ſponſalia, vxorem ſibi quæſiuit per legitimas, ac veras nuptias, teneri ſibi temperare à petitione debiti.*

Quia quantum eſt in ſe, debet operam dare, ne quid contra votum peccet, ſed cum voto, carnis illecebræ omnes, cottuſque ipſe pugnat, euitandus eſt ergo, donec ab Epiſcopo, aut priuilegiato ſuper ea re fuerit obtenta diſpenſatio, quæ facile concedi debet ob periculum incontinentiæ.

Dico ſecundò, *Si ad votum ſimplex Religionis, non eſt additum votum caſtitatis, qui primum edidit ad nihil tenetur aliud contracto matrimonio, quam vt diſpenſationem habeat ſecundi incundi, mortua coniuge, aut non ingrediendi Religionem.* B

Probatur, vi talis voti, continere non debet: ergo nec neceſſario abſtinere à petitione debiti. Quia tamen vis voti de religione profitenda, non tollitur, aut interit per matrimonium, ſed tantum ſuſpenditur eius executio, dum matrimonium ſubſiſtit, ac conſtat, reuocanda ad praxim, quando diſſoluetur morte vxoris, ob eam cauſam, expedit ei qui tali voto obligatur, obtinere eius diſpenſationem à ſummo Pontifice, ne mortua vxore, cogatur Religioni nomen dare, à qua tamen tunc forte eius abhorrebit animus.

Dico 3. *Poſſe ſponſum honeſtè, ac ſine ſcelere reſilire à ſponſalibus, vbi ſciuerit ſponſum habere votum Religionis aut caſtitatis,* quia tali voto res ſunt notabiliter mutatæ, nec videtur obligata ad cõtrahendum matrimoniũ, cum certo prope periculo honoris, ac famę amittendæ, quando vir eius, ante conſummatum matrimonium, abiudicatis curis ſæculi, Deo ſe dedet hoſtiam in religione. D

Deinde quis eam exiſtimet teneri iure ſponſalium, cum onere repetendi debiti perpetuo à marito, cum verecundæ præſertim fœminæ, ea petitione grauius eſſe nihil queat, omnis eſt ergo ei honeſta ratio excutiendi huius oneris, diſſoluendo ſponſalia antea cum viro bona fide contracta.

QVÆSTIO XVI.

An fornicatio ſponſi aut ſponſæ, ius ſoluendi ſponſalia, det eorum alteri qui eſt innocens.

DIco primò, *Sponſalia ſolui poſſe, ab eo cuius ſponſus aut ſponſa ſunt fornicati, poſt ſponſalia:* auctor Innoc. III. in decretali quemadmodum 25. de iureiurando: cauſa ei ita ſentiendi iſta. *Quoniam,* inquit, *cum in contractu ſponſalium, quam iuramento eis adiecto, talis ſubintelligenda eſt conditio, ſi videlicet illa in legem coniugij non peccarit.*

Secundo, contractus hypotheticus non tenet, ſi conditio tollitur, cum qua eſt factus: at ſponſi, cum conditione tacita, fidei ſibi mutuo ſeruandæ deſponſantur: ergo ea violata, ſponſalium vinculum ſoluitur. Quare à Ioanne octauo Epiſcopus Metenſis arguitur, quod Alpertum quendam cenſuris Eccleſiæ cogeret, *ſumere in coniugium deſponſam ſuam nomine Walatam quæ adulterino concubitu à Presbytero prægnans reperta erat,* Ioann. 8. epiſtol. 54.

Excipiendi ſunt duo caſus, primus eſt, cum pars læſa diſſentit, nec ſponſaliorum diſſolutionem admittit, quia peccatum prodeſſe nulli ſuum debet, C
prodeſſet autem, ſi fornicario recedere à fide data, ob fornicationem à ſe admiſſam: fas eſſet.

Secundus eſt, cum fornicatio præceſſit ſponſalia, Innoc. III. author in cap. quemadmodum citato his verbis: *Pro fornicatione, quam mulier ante commiſiſſet, non poſſet eam dimittere, ſed pro fornicatione, quam poſtea perpetraret, eam dimittere poſſet,* quod Innoc. dictum, de eo duntaxat debet intelligi, qui ſciens ac volens, fornicariam duxit, nam ſi eius vitium ignorabat, cum ea non tenetur nuptias celebrare, ſuamque per connubium facere, Henriq. lib. 11. cap. 14. n. 6.

Primo, quia contractus non tenet, qui eſt de re repugnante abſolutæ, aut conditionatę voluntati contrahentium, alterius, aut amborum. Sed ſponſalia contracta cum ignoratione probabili fornicationis admiſſæ à ſponſa, ſunt eius generis, nam vir, non vult aliam ſibi deſpondere quam virginem,

Secundo, contractus cui error cauſam dedit, poteſt à decepto reſcindi, cum non ſit voluntarius, ob defectum cognitionis rei, circa quam error verſatur, ex dictis de contractib. in genere, at contractus de quo agimus eſt talis, cum ſponſus crederet ſponſam ſuam eſſe virginem, vnde non conſentit in corruptam niſi deceptus, & per errorem, talis ergo contractus irritari poteſt, & conſequenter diſſolui ſponſalia, quibus error eiuſmodi cauſam dedit.

E Dico ſecundò, *Idem ius ſponſæ competere, quoad diſſolutionem ſponſalium, quod ſponſo ipſi, ac proinde, poſſe eam renunciare ſponſalibus, cum illo contractis, ſi ſit fornicatus.*

Primo, quia fidem frangenti, ſeruanda non eſt fides.

Secundo, quia fœmina vereri iuſtè poteſt, ne quod fœdè à viro eſt inceptum poſt ſponſalia, idque cum iacturâ amoris ſibi ab eo debiti, perſeueret poſt factas nuptias.

Tertio, valet in fœmina, peræque ac viro, Innocentij ratio. *Nam ſi poſt contractum coniugium,* in-

quit, *poteſt propter fornicationem, licitè vxorem à ſuâ cohabitatione dimittere, longe fortius, ante coniugium celebratum, propter eandem cauſam ſponſus poteſt in ſuam cohabitationem non admittere ſponſam, quia turpius eiicitur, quam non admittitur hoſpes.* Cur non idem fœminæ, reſpectu peccantis viri licebit? Iam quæ cauſa ad diuortium ſufficit, eadem quoque ad diſſoluenda ſponſalia virium habere ſatis eſt credenda, ſed fœminæ, iuſta cauſa ſuppetit, ſecedendi à viro ſuo, cum hic turpes amores ſequitur, peccat in fidem initio ſibi datam: ergo &c.

Secus tamen, quàm nos opinantur authores bene multi, quos refert, & ſequitur Antonin. Diana tertiæ part. tract. 4. reſol. 284. rationes quibus in eam mentem ſunt impulſi, ſunt iſtæ.

Prima quod longe ſit turpius viro, habere fœminam, cuius vita libidine ſit infeſta, quam iſti, virum ad venerem, amoreſque plus æquo propenſum.

Secunda, vt ex continuatione ſponſalium, viri cum fœmina fornicaria, damnum metui poteſt, ita ob incertitudinem ſequuturæ prolis, ea diſſolui poſſe admodum eſt rationabile, quæ cauſa, cum in viro reſpectu fœminæ, locum non habeat, hinc eſt, quod exiſtiment hi authores, fœminam non poſſe reſilire à ſponſalibus, quamuis eius ſponſus ſit fornicatus, noſtra tamen ſententia, vt probabilior, eſt ſequenda in praxi.

Dico tertiò, *Iuramentum ſponſalibus ſuperadditum, non impedire, quominus ea poſſint ſolui per fornicationem alterutrius è ſponſis*, docet Innoc. III. in cap. quemadmodum 25. de iureiurando, & probatur quia in iuramento, eædem ſubintelliguntur conditiones quæ ſunt in contractu, cui apponuntur, per regulam, 42. in 6. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.*

Dico quartò, *Ius ſoluendi ſponſalia propter fornicationem ſubſequentem, ſoli competere innocenti.* Ratio eſt, quod nocens, ex iniquitate ſua, reportare commodum non debeat, quare ad nuptias compelli poteſt, ſi alteri videbitur, quia *quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*, de reg. iuris in 6. reg. 6.

Quid ſi vterque datam fidem fallat? quid ſi ambo ſponſi deſint officio, & fornicentur? Paludani opinio eſt in 4. diſtinct. 27. quæſt. 1. art. 3, nu. 17. Bonac. de matrim. qu. 1. punc. 8. an. 6. neutrum in eo caſu reſilire poſſe à ſponſalibus.

Primo quia delictum vnius, compenſatur delicto alterius.

Secundo, cum vterque coniux committit adulterium, neuter poteſt facere diuortium, ergo nec ſponſalia, ob fornicationem ſoluere, ſi crimen ad vtrumque pertinet.

A Paludano diſſentit Pontius de matrim. lib. 12. cap. 17. num. 3. aſtipulatores habet authores qui ſequuntur, Laym. lib. 5. tract. 10. parte 1. cap. 2. num. 12. Regin. lib. 31 cap. 36. num. 262. Sanch. lib. 1. diſp. 55. num. 9. ratio eſt, quod delicta viri & fœminæ in materia luxuriæ, pari turpitudine non cenſeantur, longeque ſit ſponſo ignominioſius, impudicam ducere, quam huic, virum nactam eſſe fœdis amoribus implicitum, argument. lex etſi crimine Cod. ad leg. Iuliam de adulter. Quare licebit ſponſo, à contractis recedere ſponſalibus, ſi ſe ſponſa alteri conſtuprandam proſtituat, non vice verſa Coninch. diſp. 23. dub. 7. num. 63. quia fœdior eſt fœminæ incontinentia, quam viri, ipſique proli ob patris incertitudinem, longe periculoſior. Ita negandum eſt quod in primo argumento Bonacina profert, viri & fœminæ, par & æquale delictum eſſe, etſi enim id in conſcientiæ foro, forte ſit verum, in externo tamen, ac opinione hominum eſt falſum, à quibus, longe grauius peccare fœminam in hoc genere, quam virum, & iudicatur, & ſcribitur.

Ad alterum argumentum Reſponderi debet negatione conſequentiæ, eſt enim vtriuſque diſpar ratio, nam matrimonium, niſi morte alterutrius coniugis non ſoluitur, perimuntur autem ſponſalia, valide & licite, de conſenſu vtriuſque partis, aut ex cauſa iuſta aliqua, & honeſta, illicitè autem, reclamante earum partium altera.

An autem viro ſimiliter liceat repudiare ſponſam, ſi vi eſt compreſſa, aut imprimi ſibi oſculum eſt paſſa, vel impudice tacta non cohorruit, dubitationis eſt: fuitque olim de eo, vehemens inter claſſicos Doctores lis, ac controuerſia, quæ tamen eſt hoc tempore, aut nulla, aut ſi aliqua, eiuſmodi tamen quæ cuique ad intelligendum ſit obuia.

Scriptum eſt enim can. raptor 33. cauſæ 27. qu. 2. in poteſtate eſſe ſponſi, raptam ducere, aut eam dimittere, *Ipſi autem raptæ ſi eidem crimini conſentiens non fuerit, licentiam eſſe nubendi alij.* Fauetque ratio, nam ſponſo, non poteſt non eſſe turpe ac fœdum, eam ſibi vxorem habere, quæ explendæ alienæ libidini ſeruiuit. Quid? quod quiſque virginem ambiat, quod corruptæ, etſi culpa nullâ ſuâ, amplexus horreat? ergo ſi vis illata ſponſæ fuit, ſponſo licet ab ea, ad aliam amorem ſuum, ac beneuolentiam transferre, eamque ſibi in conſortem thalami ſui, ſociamque, fide quàm optima deſpondere.

De tactibus, ac oſculis, parum pudicis ac caſtis, quod eſt quæſitum. Dico ſi ea ſponſa ab alio, quam à ſponſo admiſerit, iſti ius eſſe reſiliendi à ſponſalibus, ac aliam adoptandi ſibi in coniugem. Ratio eſt, quod eiuſmodi tactus, eorumque tolerantia, iuſtam marito cauſam tribuat metuendi, ne ab his ad opus ipſum, cum quo, tactus ipſi cohærent, vti media cum fine, tranſitus fiat.

Secundo, quia intereſt ſponſi, non habere ſponſam vilem, abiectam, & deſpicabilem, atque adeo luxuriæ infamia laborantem, qualem tamen euitare fœmina non poteſt niſi ægre, quæ ſe tangi impudice patitur.

Quid ſi crimen hoc ad ſponſum pertinet? quid ſi culpæ, quam reprehendit in ſponſa, ipſe notam habet ac maculam? etiamne quod illi natura, ratioque tribuunt, iſti hoc eſt ſponſæ, integrum erit ac impune?

Negant Baſil. Pontius de matrim. lib. 12. cap. 17. num. Regin. lib. 31. cap. 36. num. 266. eo quod viri impudicitia, quæ in ſolis tactibus eſt ſita, ſponſæ famam grauiter non lædat, nec enim tam eſt fœminæ probroſum, marito iungi, paulo plus, quam patiatur honeſtas, ac ratio, ad libidinem propenſo, quam iſti iugari fœminæ, vitâ, moribuſque infami. Excipiendus eſt caſus in ſententia Laymanni lib. 5. tract. 10. parte 1. cap. 6. num. 11. Ægid. de Coninch. de Sacram. diſp. 23. dub. 7. n. 56. in quo tanta eſſet iſtiuſmodi tactuum frequentia, vt ſponſæ, iuſta cauſa foret metuendi, ne maritus cum tempore, animo eſſet in ſe parum æquabili, ac propenſo, aut non ſeruaturus fidem ſibi datam.

Digitized by Google

QVÆSTIO XVII.

An præter fornicationem ſint alia peccata quibus diſſoluantur ſponſalia.

SVnt, eaque non pauca, notiora ſunt hæreſis, Idololatria, & cætera id genus, quæ nominantur, ſpiritalis fornicatio, à S. Auguſt. in ſerm. Domini in monte li. 1. cap. 27. *Idololatria*, inquit, *quam ſequuntur infideles, & quælibet noxia ſuperſtitio, fornicatio eſt: Dominus autem permiſit cauſa fornicationis vxorem dimitti.* Et lib. 2. de adulterinis coniugiis. *Non ſolum*, inquit, *mœchatio eſt illius, quæ carnem ſuam coinquinat, ſed etiam quæ ſimulachrũ facit, mœchatur. Quod ſi in his factis perſeuerat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli viuere cum illa.* Hæc Auguſt. Gratian. plura cauſa 28. quæſt. 1. can. 5. Idololatria: & can. non ſolum, eodem pertinet odium, ac ſubortæ inter ſponſos inimicitiæ, eæque periculoſæ ac graues, Sylu. in ver. ſponſalia num. 10. ratio eſt, quod ſe mutuo proſequi odio ſponſi nequeant, ſine diſſenſu, ac tacita condonatione vinculi, quo tenebantur ſibi inuicem aſtricti, ergo cum diſſenſu partium, ſponſalia euaneſcant ac ceſſent, ceſſabunt & odio.

Ad odium addi debent crimina quædam, quæ cum natura ſua fœda ſint & turpia, in apertum ſponſi damnum vergunt, qua eſt contra eius intentionem, habere ſibi pro coniuge fœminam, quę peccatorum, ac vitæ infamia laborat apud ſuos ciues.

Secundo, nemo tenetur promiſſa facere, quando mutatio grauis aliqua, atque ſpectabilis interuenit in perſona, ex D. Thom. 2. 2. qu. 110. art. 3. Sylu. in verbo ſponſalia num. 7. & 10. At eiuſmodi mutatio accidit cum poſt facta ſponſalia, piaculare aliquod, ac turpe factum, eſt ab altero ſponſorum admiſſum. In hoc enim, ſita videtur hæc mutatio, quod res promiſſa, fiat impoſſibilis, illicita, inutilis aut pernicioſa promiſſario, quorum poſtremum hic contingit, cum innocenti laborioſius longe ſit, quam ante, ac vero etiam probroſum, fœditate culpæ alicuius grauis, ac lethiferæ notabilem ſponſam ducere.

QVÆSTIO XVIII.

An ſponſalia dirimantur per matrimonium ſubſequens.

NEgat Sanch. lib. 1. diſp. 49. eo quod inquit prioris ſponſæ ius non perimitur, per fidem matrimonij de præſenti, datam cuilibet alteri.

Ab hoc authore diſſentiunt Baſil. Pont. lib. de matrim 12. cap. 14. nu. 4. Diana de Sacram. tract. 4. reſolut. 210. Ægidius diſp. de Sacram. 23. diſp. 4. n. 28.

Dico primò, *Sponſalia dirimi per matrimonium ſubſequens*: ita Auguſt. de fide pactionis relatus in rubrica de ſponſa duorum cap. 1. his verbis: *Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere, ſi aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita, manebat tamen cum illa quam duxit.*

A Probatur, quod eſt abſolute alteri datum, ei auferri non poteſt, vt detur alteri cui erat debitum vi promiſſionis anterioris, at vir totum ſe dat fœminæ in matrimonio, & hæc vice verſa, dominium ſui in illum transfert, quod facturam ſe duntaxat in ſponſalibus receperat, ſunt ergo priora ſponſalia, per matrimonium ſubſequens contractum cum alio à ſponſo, aut ſponſa, omnino irrita, ac nulla, quandiu matrimonium conſiſtet. An autem, eo per mortem coniugis diſſoluto, teneatur ſponſus, ducere priorem ſponſam, ſi id exigat, iam eſt videndum.

Negat Palud. in 4. diſt. 28. q. 1, art. 1. concluſ. 4. & 2. Henriq. lib. 11. cap. 14. num. 2. Sanch. lib. 1. de matr. diſp. 25. Gabrielis ſupplementum in 4. B diſp. 28. q. 2. art. 2, Conc. 2.

Affirmant Ledeſma qu. 43. art. 3. dub. 2. Coninch. diſp. 23. dub. 4. num. 32. quæ ſententia mihi priori probabilior, tutiorque videri ſolet, ob has rationes.

Prima, quod ius prioris ſponſæ non interit per matrimonium ſubſequens, ſed ſopitur ac dormit, vt ſic loquar, excitandum iterum ad mortem ſecundæ: ergo ſi illa poſtulet, debebit ſponſus ei ſatisfacere. Quod non extinguatur ius prioris ſponſæ, ſic probatur. Ius quod cuipiam competit ad aliquid, non interit niſi eius voluntate aut lege, voluntate cum illud remittit vltro ac ſponte. Lege autem, cum ex cauſa iuſta, à principe, aut magiſtratu adimitur ei, qui illud poſſidet, at neutrum C hic accidit. Non primum, quia vt ſupponimus, promiſſa compleri ſponſa poſtulat, non alterum, quia talis lex nulla proferri poteſt, Ciuilis aut Canonica.

Secunda, obligatio validè contracta, non tollitur per impedimentum ſuperueniens, ſed ſopitur tantùm, vt patet in eo, qui poſt votum ſimplex caſtitatis, aut Religionis, matrimonium contraxit, hic enim, mortua coniuge, tenetur caſte viuere, ac religionem ingredi; at poſt ſponſalia, vxorem ſibi per verba de præſenti, contra iuſtitiam adiunxit, non aliter eximitur ab eorum impletione, quam reddendo illam impoſſibilem per matrimonium: ergo ſi iſto ſoluto, priora ſponſalia impleri poſſunt, D vt verè poſſunt, ad ea eſt obligatio.

Obiicies, quando ſecundum vinculũ eſt fortius, priore & eiuſdem rationis cũ eo cui ſuperuenit, extinguitur prius, ſi ſecundũ illi repugnet, ſed vinculũ matrimonij, longe eſt ſtrictius, quã ſponſaliũ, poſtremũ, enim ſolui poteſt non primũ. Maior eſt falſa, quia ius vni alicui acquiſitũ legitime, nõ tollitur per ius alterius, quod eo eſt poſterius vt rationes allatę indicãt. Ad id autem quod dicitur, ius matrimonij contracti, repugnare iuri ſponſalium priori, reſpõderi debet, verum id eſſe, ſi ſenſus ſit, eum qui cõtraxit matrimonium, non teneri ducere priorem E ſponſam, quandiu talè matrimonium durat, falſum autem, ſi ea propoſitione intelligitur, per matrimonium ſubſequens, ius acquiſitum ſponſæ, per priora ſponſalia perimi, ſopitur enim tantum, & non extinguitur.

Obiicies ſecundo, qui poſt votum ſtrictioris Religionis, profitetur in laxiore, liberatur priore voto, vt dicitur in cap. qui poſt de regularib. in 6. ergo à pari contractus matrimonij, priorum ſponſalium obligationem adimet.

Neganda eſt conſeq. primo, quia à ſimili non valet argumentum.

Secundo, quia per profeſſionem in Religione

laxiore, res promissa redditur Deo, licet modo imperfectiore, quam cum in strictiore vita traducitur, at in nostro casu, diuersæ sunt personæ, ius item diuersum, nec vni satisfit per aliud.

Tertio, quod professio facta in Religione laxiore, elidat votum de strictiore amplectenda, prouenit ex lege Canonica, at talis nulla extat vspiam quæ sponsalia priora, eorumque vim omnem elidat in fauorem matrimonij subsecuti, ab hac ergo obiectione, assertioni nostræ nullum est præiudicium, & proinde manere debet (quod erat in quæstione) mortua vxore, teneri sponsum lege caritatis ac iustitiæ, coniungi priori sponsæ, si se velle significet.

QVÆSTIO XIX.

An quando vnus ex sponsis est in mora, complendi Sponsalia, alter ab iis sit liber.

Dico primò, *Quando tempus certum est præfixum faciendo matrimonio, extra quod Sponsores, nolint sibi amplius esse liberum contrahere, eo elapso, is per quem stetit quo minus fieret, liber est ab omni obligatione*, habetur expresse in cap. sicut de sponsalib. & probatur contractus hypotheticus, non tenet, nisi conditione posita quam includit, & cum qua fit. Sed vir & fœmina, supponuntur velle fidem suam de futuro matrimonio, pendere à conditione eiusdem faciendi, certo ac determinato tempore, quo elapso, omnis eorum obligatio finem habeat: ergo eo tempore posito nec redacto ad opus, per impletionem sponsalium, dicta sponsalia cessabunt.

Excipiendus est casus, in quo alterutri sponso, mora non potest dari vitio.

Primo, quia per eum tunc proprie non stat, quo minus pacta conuenta impleantur.

Secundo, quia legitime impedito tempus non currit, capite quia diuersitatem, de concessione præb.

Tertiò, cum non est mora culpabilis, non est punienda pœnis, quibus peccata plecti sunt solita: ergo neque solutione sponsalium, cum hæc instar pœnæ habeat.

Dico secundò, *Cum tempus adiicitur, non obligationis finiendæ, sed eius statuendæ causa, vel exequendæ, stant ab illo tempore, sponsus sit in mora, & ad implenda promissa sponsalium cogi possit, etsi hic sit in mora, alter tamen non est ab obligatione sui pollicitis liber.*

Probatur, quia dies ac tempus non sunt apposita sponsalibus, vt his transactis cesset eorum obligatio. Deinde cum quis sponsalia contrahit, vt in Paschate v.c. nuptiæ executioni mandari debeant. primo, sibi necessitatem imponit, contrahendi matrimonij, voluntariam tamen, ex promissione præuia. Secundo, obligat se ad tali tempore celebrandum, sed ex eo præcise quod sponsorum alter desit officio, nec vt erat pollicitus, nuptias stata die, aut tempore faciat, nõ cessat prior obligatio, cum spõsalia sint absoluta, ordinem tamen habentia ad tẽpus certum, quod vbi illuxerit, ius sit alteri sponsorum, exigendi matrimonium fieri: ergo vere in assertione est dictum, quod quando sponsalia contrahuntur adiecto die, non vt tunc finiatur obligatio, sed vt is, per quem stat, quominus fiant nuptiæ, censeatur esse in mora, & ad contrahendum cogi possit, vere inquam est dictum, alium qui paratus est promissa sua exequi, non esse ab obligatione sponsalium liberum.

Excipe casum in quo mora tanta esset, vt prudenti iudicio is in quem cadit, censeatur renuntiare sponsalibus, & contra datam fidem peccare mortaliter, nam tunc moneri debet cum interminatione resiliendi à sponsalibus, nisi præstet conuenta, fidemque suam liberet, quia aliter non potest sciri an sit in culpa, & an habeat iustum impedimentum.

QVÆSTIO XX.

An dentur alii modi dissoluendi Sponsalia.

Dantur, primus est per absolutionem factam à Iudice eo quod quis ante pubertatis annos contraxit, potest enim, qui impubes ad futuras nuptias se astrinxit, factus pubes petere ab iis absolui.

Secundus est, cum conditiones sponsalibus appositæ non seruantur cap. de illis de conditionib. appositis.

Tertius, cum his superuenit affinitas, veluti si quis fide interposita, desponsauit sibi aliquam, & consanguineam eius postea cognouit, intra gradum prohibitum, affinitatem cum sponsa sua contrahit, quæ matrimonium cum illa impediet cap. veniens de eo qui cognouit consanguin. vxor. suæ, & cap. super eo de consangu. & affinit.

Quartus est, per omissionem implementi eius quod est promissum, v.c. si sponsa, certam summam pecuniæ pro dote promittat viro, quam tamen dare postea recuset, aut propter paupertatem nequeat, est hic à sponsalium obligatione liber. Soacius de sponsal. rubrica de modis quibus dissoluuntur sponsalia n. 9.

Quintus est, cum est fama, Canonicum aliquod impedimentum intercedere, sponsum inter & sponsam, vi cuius nullum esse inter eos matrimonium, lege Canonica aut naturæ valeat, Sylu. ver. sponsalia q. 2.

Sextus, cum aliquid accidit, quod si præuisum à sponsis fuisset, eos haud dubie à sponsione sibi faciendæ futuri matrimonij reuocasset, Nauar. cap. 22. num. 27. Debet tamen hic euentus esse notabilis, in rebus minimis sponsalibus non officit D. Thom. ib 4. dist. 27.

Septimo, acquirit sponsa ius recedendi à sponsalibus, per discessum sponsi in longinquas regiones sine eius licentia, maxime si inde non creditur redditurus tam cito, habetur expresse in cap. de illis de sponsalib. & ratio ipsa indicat. Nam hoc ipso, quod sponsus diu abest à natali solo, sponsâ ante non præmonita, videtur tacite renuntiare iuri suo, eique concedere facultatem alteri nubendi.

Si tamen sponsus, posset absentiæ suæ iustam causam prætendere, aut tarditatis in reditu, sponsæ tandiu expectandum esset, quandiu iudicio prudenti hominum esset necessarium ad tollendum hoc impedimentum. Ratio est, quod tunc sponsus non sit in vitio, nec mora eius culpam habeat.

Excipiẽdi sunt ab ea regula casus duo, primus est

periculi incontinentiæ, ac fornicationis, cui per sponsi absentiam sponsa exponeretur, Alter est pacti contrarij, puta si inter eos, aliter esset conuentum, statutumque communi vtriusque consensu, vt qui abesset sine alterius licentia, hic censeretur sponsalibus remittere nuntium, ac alteri potestatem facere nouæ contrahendi.

Vbi hæc cessant, estque iusta causa sponso, manēdi extra prouinciam, tūc secundum ius ciuile expectandus hic erit biennio, si intra eam versetur, triēnio si extra leg. 2. Cod. de sponsalib. quæ lex cum sit iusta, nec vnquā per Pontificias aut Conciliares abrogata fuerit, ei parendum est in conscientiâ, nisi Iudex Ecclesiasticus inspecta qualitate sponsæ, aliisque circunstantiis, tempus prætertendum ererederet, nam tunc sponsum, eius authoritate ac imperio moneri oporteret, vt intra certum tempus domum redeat, promissa facturus, alioqui sponsam ab ipso liberam fore: ratio est, quod cum Ecclesia, salutem spectet animæ, in id tam per se, quam ministros suos, incumbere debeat, vt præcisa omni peccandi materia, bene fidelibus sit consultum in rebus animæ; si ergo sponsa sibi periculum imminere incontinentiæ, à dilatione matrimonij absentiâque sponsi queratur, omnis erit honesta ratio Iudici Ecclesiastico, accelerandi reditum eius, ac nisi pareat, eum priuandi acquisito iure sponsalium, cum sponsâ suâ.

QVÆSTIO XXI.

An si sponsa de formis fiat, sponsalia eius dissolui possint.

CErtum est primo, dirimi posse sponsalia propter vitium, quod oris formam maculat, veluti si nasus præscindatur; si eruatur oculus, vel alius defectus corporis, magnam deformitatem, aut infirmitatem inducens, inferatur.

Certum est secundo, morbi & corporis deformitates quæ superueniunt, matrimonium iam contractum non dirimere, secundum Innoc. III. in cap. quemadmodum 25. de iureiurando, & Vrbanum III. in cap. litteras fin. de coniugio leprosorum.

Certum tertio, non teneri virum sumere sibi in coniugem, fœminam, quæ à contractis sponsalibus, facta est paralytica, aut leprosa, Vrbanus III. in decretali litteras de coniug. leprosor. *Quia postulasti*, inquit ibi, *vtrum si post sponsalia de futuro inter legitimas personas contracta, antequam à viro mulier traducatur, alter eorum, lepræ morbum incurrat, alius ad consummandam copulam maritalem compelli debeat, respondemus quod ad eam accipiendam cogi non debeat, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum.*

Quid si deformitas non sit tanta, etiamne viro, ius est futurum, copulandi sibi sponsam aliam, priore relicta, cuius species, formaque, superuentu noui morbi, detrimentum aliquod est passa?

De ea quæstione, vnus idemque scriptorum non est sensus, Gutierrez de matrim cap. 21. num. 3. ait à lepra, paralysi, aut iactura oculi, nasi aut aurium sponso potestatem fieri, dissoluendi sponsalia, ante contracta cum ea, quæ erat ab his morbis libera, non autem à deformitate vultus, aut fœditate quapiam, quæ illam minus sponso gratam reddat,

Sanchez primo de matrimon. disput. 57. num. 4. Antonin. Diana tract. 4. resol. 285. Villal. tom. 1. tract. 12. difficult. 12. num. 18. Pontius de matrim. lib. 11. cap. 17. num. 5. censent diminutam speciem oris, ac vultus, in sponsâ, à præstatione sponsalium eximere sponsum, cui proinde sit liberum, ob hoc impedimentum, cum qualibet alia contrahere matrimoniū. Pro hac opinione est Innoc. in cap. illo quemadmodum 25. de Iurejur. nam ibi non solius lepræ meminit, aut paralysis, sed cuiuslibet turpitudinis, sic enim ille. *Si post huiusmodi iuramentum, mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius contingeret, nunquid vir teneretur eam ducere in vxorem? profecto ductam non posset dimittere.* Sane soluuntur sponsalia, cum aliquid inopinate, ac præter spem accidit, quod si præcessisset non fuissent contracta. At est deformitas, de qua in præsenti fit mentio, talis, cum ita sint affecti ferè omnes, vt formosas sibi fœminas velint, & ambiant, indecoras respuant.

Tertio mutatio notabilis in obiecto, sponsorum animos auocat sine culpa, à præstanda sibi inuicem data fide sponsalium, at quę in vultu, oculis, ac ore, maculæ nouæ residen, quæ fronti, aut corpori fœditas superuenit, sponsam minus viro acceptam efficit, eamque quoad ea quæ illum ad sui amorem illiciant, minus potentem ac fortem reddit, magnam ergo in ea mutationem accidisse est necesse, ex qua tanta in viri animo facta est amoris, ac beneuolentiæ ergo illam imminutio.

Quid? quod imminutâ fœminæ pulchritudine, res in eodem statu esse desierint, cum hæc amodo apta minimè videatur esse, ad tollenda in viro fornicandi desideria, hæc enim intereunt, cum decoram vxorem habet, vigent, viuuntque, cum turpem, ad quam accedere horret animus, multo magis si ei congredi, ac misceri est opus.

Quid si quidpiam humanitus viro accidat, vnde minus quam ante gratus sit sponsæ? quid si speciem, aut eius partem potissimam amittat vi superuenientis morbi? etiamne quod isti, hoc similiter sponsæ licebit? vt alium sibi virum eligat?

Respondendum, non à qualibet deformitate viri, sponsæ ius esse resiliendi à sponsalibus, magnam hanc esse est necesse, vt si naso, si oculo, si labris careret aut lingua, in summa omnis ea deformitas quæ spectantibus horrorem incuteret, aut ineptum ad ea munia redderet, sine quibus se, suosque ac familiam alere non potest. Quælibet alia minor, est quam oportet, vt ab ea iusta sponsæ detur occasio, recedendi à sponsalibus cum eo factis. Coninch. de Sacram. disput. 23. dub. 8. num. 66.

A

QVÆSTIO XXII.

An ſponſalia, diſſoluantur in prædictis caſibus ipſo iure, vel Iudicis authoritas ſit neceſſaria.

DIco primò, *Communiter non eſſe licitum diſſoluere Sponſalia ſine authoritate Iudicis, etſi ad eam rem iuſta cauſa intercedat*, Ioann. Andr. in cap. de illis de ſponſal. Hoſtienſ. in ſua ſumm. paragr. fin. Soacius de ſponſal. rubric. vlt. Sylu. ver ſponſalia qu. vlt. Nauar. cap. 22. num. 28.

B Primo, quia Iudex nemo eſſe debet in ſua cauſa.

Secundo, cum authoritas Iudicis non interuenit, ſponſaliorum diſſolutio, facta authoritate propria eſt ſcandaloſa, ob quam cauſam fuit prohibita in Concil. Pariſienſi anni 1557. ſub pœna excommunicationis, item ab Alex. III. in cap. de diuortiis, & in Concil. Carthagin. cui interfuit S. Auguſt. can. 30. in Agathenſi can. 17. hæc habentur: *Sæculares qui coniugale conſortium nulla culpa grauiori dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſſidii probabiliter proponentes, propterea matrimonia ſua dimittunt, vt aut illicita, aut aliena præſumant, ſi antequam apud Epiſcopos comprouinciales diſſidii cauſas dixerint, & priuſquam in iudicio damnentur, vxores ſuas abiecerint, à communione ſanctæ Eccleſiæ, & pop. cœtu, pro eo quod fidem, & coniugia maculant, excludantur.*

C Dico ſecundò, *Quando ſponſa moraliter eſt certa, de fornicatione ſponſi*, quia v.c. audiuit à teſte, omni exceptione maiore, propria authoritate reſilire poteſt à ſponſalibus, quando putat ob defectum plenæ probationis ſe in iudicio nihil obtenturam, Sanch. li. 1. diſp. 69. n. 7. Laym. tract. 10. cap. 2. nu. 12. ratio eſt, quod ſecundum Nau. cap. 22. nu. 28. Sylu. in verbo ſponſalia q. 11. Soacium loco ſupra citato, non requiritur iudicis Eccleſiaſtici authoritas, quando cauſa ſoluendi eſt notoria quantum ad veritatem, & iuſtitiam, qualis eſt cum eſt vera, & de iure ſufficiens, quæ duo amplectitur fornicatio, vt patet. Vera eſt ergo aſſertio quæ patronos habet ac defenſores Coninch. diſp. 23. n. 70. Sanchez lib. 1. diſp. 69. Soacium ſupra.

D Dico tertiò, *Sponſalia diſſolui poſſe ſine authoritate Iudicis.*

Primo, cum ſunt occulta, quia tunc ceſſat periculum ſcandali, cuius euitandi cauſa, requiritur Iudicis authoritas.

Secundo, cum alter ſponſorum, contrahit cum altera per verba de præſenti, aut ingreditur religionem, quia cum in iſtis caſibus matrimonium fieri nequeat, ſtare ipſo iure ſponſalia nequeunt.

E Tertio, ad diſſoluenda ſponſalia non eſt Iudicis authoritas neceſſaria, cũ æquitas exigit ea reſcindi, quod accidit, quando cauſa ab iis recedendi eſt de iure ſufficiens, puta quia eam Concilia, aut Patrum decreta, talem eſſe ſignificant, & haberi volunt, Sylu. ver. ſponſal. q. 11. Nau. c. 22. n. 28.

SYNOPSIS TRACTATVS DE SPONSALIBVS,

Seu eorum quæ de illis ſuperiori tractatu ſunt ſcripta breuis & compendioſa Epitome ex Conciliis, & Canonibus.

CAP. 1. *VT ſponſalia futurarum nuptiarum promiſſa fœdera, quæ conſenſu eorum qui hæc contrahunt, & eorum in quorũ ſunt poteſtate contrahuntur*, Nicol. ad conſulta Bulgaror. cap. 5. à ſpondẽdo nomen habent, Vlpian. in lib. 2. ff. de ſponſalib. Varro 5. de lingua Latina Gell. lib. 4. cap. 4. Pet. Gregor. in inſtitut. iuris lib. 3. tit. 20. eo quod in more haberent veteres, ſtipulari, & ſpondere ſibi futuras vxores, Henricus Caniſius in tract. de ſponſal. concl. 1. contrahuntur ſolo conſenſu coniugandorum, cap. tuæ fraternitati 25. de ſponſal. Honorius cap. tua nos 10. de deſponſatione impuberum Alexand. III. eod. tit. cap. acceſſit 4. & cap. 2. eod. tit. in 6. Iureconſ. in Pandect. lib. 23. tit. 1. *In ſponſalibus*, inquit, *conſenſus eorum exigendus eſt, quorum in nuptiis deſideratur. Et ideo ſicut in nuptiis, ita in ſponſalibus filium familiæ conſentire oportet.* Iuo Carnot. epiſt. 26. ad Manaſſ. Remenſ. Arch.

Conſenſum hunc autem ſufficit exprimere verbo vel facto: ita Bonifac. cap. 1. de deſponſat. impuber. in 6. ait ſponſalia ab infantibus facta, publicæ honeſtatis iuſtitiam non inducere, proindeque nulla eſſe, *niſi per cohabitationem eorum, mutuam, ſeu alias, verbo ipſorum, aut facto, liquido apparent, eoſdem, in eadem voluntate factos maiores ſeptennio, perdurare.* Bonifacio aſtipulatur Iuriſconſ. in leg. ſed ea digeſt. de ſponſal. quare inter abſentes per litteras, nuntium, aũt ratihabitionem fieri poſſunt, leg. ſufficit & l. fin. de ſponſal. de ratihabitione, eſt expreſſa Bonifac. opinio in decretali ſi infantes 2. de deſponſat. impuber. paragr. Porro ex ſponſalibus in ſexto, per eam ſponſalia valida effici, his verbis: *Et eſt idem, ſi filiis tempore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia, poſt ſcientes, ratificauerunt tacitè, vel expreſſè.* De procuratoribus, ac nuntiis, ad contrahenda ſponſalia, alieno nomine idoneis, extat eiuſdem Bonifac. teſtimonium tit. de procurat. 19. in 6. cap. finali, ad eam rem neceſſe tamen eſt, vt ad hoc mandatum ſpeciale habeant, aliter viro & fœminæ abſentibus, operam ſuam nauabunt conatu irrito, ac inani.

CAP. 2. Et quamuis *poſſit filium nondum adultum cuius voluntas diſcerni non poteſt, pater cui vult matrimonio tradere*, ſecundum Honorium extra de deſponſat impuberum cap. 1. & lege ſi pater pa-

Digitized by Google

ctum 4. de ſpõſalib. non debet tamen filius neceſſario voluntati paternæ ſtare, quia matrimonia debent eſſe libera cap. cum locum, cap. cum gemma de ſponſal. accedit authoritas Hormiſdæ Papæ 31. qu. 2. can. tua ſanctitas 2. & Vrbani ead. qu. & cauſa can. 1. ibi enim habetur liberos patriis promiſſis non obligari, niſi conſentiant, eſſet enim id contra bonos mores, & ad contumeliam filij pertineret; cogi à patre ducere vxorem, vt queritur Pamphilus apud Terent. in Andria ſcena 5.

Quando tamen parentes, liberos conſcios, ac ſpectantes deſpondent, mentem ſuam, iiſdem ſignificare hi debent, ac reclamare, ſi ſponſus aut ſponſa non placent, quia tacendo, cenſentur Parentum approbare conſilia, eaque rata eſſe velle. Ita Iuo ait in ep. 78. ad Guill. Eccleſiæ Pariſienſ. Archid. ea ſponſalia valida eſſe quæ Pater nomine filiæ ſuæ fecerat, præſentis, nec repugnantis *De miſite*, inquit, *qus de filia ſua pactum cum alio fecit, hoc dilectioni veſtræ, pro intellectu meo reſpondeo. Si petitor aduerſus eum teſtes produxerit, qui ipſis ſponſalibus interfuerint, vel alioqui ipſum patrem puellæ in ſua præſentia confitentem, hęc ſponſalia ſe feciſſe teſtificati fuerint, & hac iureiurando firmare voluerint, ſponſalia rata eſſe oportebit.*

Patet hinc à Parentibus poſſe deſponſationem filiarum fieri, quod etiam colligitur ex can. qualis 4. cauſæ 30. quæſt. 5. & aperte ſcripſit Bonifac. de deſponſat. impuber. in 6. cap. 2. parag. vlt. his verbis. *Porro ex ſponſalibus quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt*, vt hęc autem deſponſatio teneat, vtriuſque ſponſi conſenſus facit, *leges enim ſæculi diſſentiente filio familias, ſub eius nomine, ſponſalia fieri non permiſerunt.* Iuo ep. 200. & lib. 12. Cod. de nuptiis: ergo, *Ipſi filii ſi expreſſe conſenſerint vel tacite, vt ſi præſentes fuerint, nec contradixerint obligantur*, Bonifac. de deſponſatio impub. in 6. cap. 2. non aliter vt eſt in dig. 11. de ritu nuptiarum.

Cap. 3. Solent porro, ſponſalia dupliciter accipi, primo impropriè, pro matrimonio, quod necdum carnis copulâ eſt conſummatum, & eſt contractum per verba de præſenti, ita ſumitur ab Alexand. III. in decret. ex parte 9. extra de ſponſal. & à Gregor. IX. in cap. ſi inter 31. eod. tit. & 27. q. 2. can. coniuges 6. & can. qui deſponſatam 11. eiuſd. qu. & cauſæ clariſſime. Iuo Carn. epiſt. 46. ad Gualonem. *Poſtquam ſponſalia, vtriuſque perſonæ conſenſu contracta ſunt, coniugij nomen accipiunt vnde dicit Ambr. ad exhortationem virginit. lib. 1. Deſponſata viro, coniugis nomen accipit.* Item Iſidor. Ethymologiar. lib. 9. *Coniuges veri appellantur à prima deſponſationis fide quamuis adhuc ignorentur coniugalis concubitus.*

Secundo, ſponſaliorum nomine intelligitur proprie futurarum nuptiarum reciproca promiſſio ſponſo, *vtroque dicente Ego te accipiam in meam, & ego te vicißim in meum*, aut aliquid ſimile quo mentem ſuam ſuper futuro matrimonio, eiuſque promiſſione ſignificent, Gregor. IX. cap. ſi inter 31. de ſponſal. Panorm. in cap. penult. de ſponſal. Et horum quidem ſponſalium quædam ſunt iuramento firmata, Innoc. III. in decret. ſicut ex litteris 22. tit. de ſponſal. & in cap. ſi inter 31. ibid. alia ſunt pura: *Ex quibus, etiamſi ratione conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, aut alia quauis ratione ſint nulla, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus oritur efficax impedimentum ad impediendum & dirimendum ſequentia ſponſalia vel matrimonia.* Bonifac. cap. 1. de ſponſalib. in 6.

Cap. 4. Præter hos duos modos contrahendi ſponſalia, ſunt & alij duo, quorum meminere Pontif. in ſuis decretalib. de ſponſalib. primus appellatur hypotheticus, & contingit, cum contractui ſponſaliorum additur conditio, à qua ſpondentes pendere volunt executionem ſui promiſſi, & eorum alter: *Si peſtmodum ante conditionis euentum, cum alia prioris conſanguinea, per verba contraxerit de præſenti, cum ſecunda remanere debebit, cum ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis, nullo publicæ honeſtatis iuſtitia oriatur.* Alter modus contrahendi ſponſalia eſt, cum reiiciuntur in certum diem, ante quem contrahentes fidem ſibi mutuam matrimonij futuri dare nolunt, dabunt autem, cum ad eum diem venerint, & hi, ſi promiſſa non faciant. peccabunt quidem, ſed à ſponſaliorum lege erunt liberi.

Cap. 5. His vero contrahendis, quodnam eſt legibus humanis præſtitutum tempus? Ciuili certum nullum definitum eſſe ſcribit Iuo ep. 46. & colligitur ex l. 14. dig. de ſponſal. & Leone Philoſopho in Nouella 109. Eccleſiaſtica autem ante ſeptennium fieri nequeũt. *Quapropter à primordio ætatis ſponſalia effici poſſunt, ſi modo id fieri ab vtraque perſonæ intelligitur id eſt ſi non ſunt minores quã 7. annis.* Iuo in epiſt. 46. quæ ei mens fuit à Bonifac. VIII. iniecta, cap. 1. de deſponſat. impuber. in 6. *contracta ante hoc tempus per lapſum dicti temporis minime conualeſcunt, & ideo cum ſint nulla, ratione defectus conſenſus, publicæ honeſtatis iuſtitiam non inducunt*, Bonif. ſupra, & extra de Impub. deſponſatione cap. litteras 4. cap. acceſſit 5. eod. tit. ibi enim Eboracenſ. Epiſcop. Alexander admonet. *deſponſationes, & matrimonia, ante ſeptem annos fieri non poſſe, ſi conſenſus non accedat poſtea*, quare non tam ratione prædicti conſenſus, dati ante ſeptennium, quam ſecuti, & renouati in pubertate, ſponſalia iſta valent, ſecundum Doctores, in cap. duo pueri cap. atteſtationes de deſponſat. impuberum.

Sane cum olim contractæ fuiſſent nuptiæ (ſic enim veteres ſponſalia nominabant, *à prima deſponſationis fide*) ſecundum Iſidorum lib. etymolog. 9. cum (inquam) puer & puella ſponſalia feciſſent, cum adhuc pene in cunis eſſent, ea rata eſſe non poſſe, datis ad Gualonem Epiſcop. litteris ſignificauit Iuo Carn. in epiſt. 245. quod ab iis ea ætate, contracta ſine fide, & conſenſu, non poſſent pro ratis, ac legitimis haberi.

Non eſt tamen ætas ſeptennij, ſic determinata, ac præciſa, vt hæc malitia vel prudentia contrahentiũ ſuppleri nequeat iudicio Alex. III. in decret. de illis 9. extra de deſponſat impuber. & de ſponſal. cap. iuuenis 3. quare cũ illa, id eſt ætas, ab hac ſuperabitur, diſſolui non oportere ſcribit Caniſ. de ſponſ.

Cap. 6. Quando hæc ergo dirimi poterunt, & qnam ob cauſam?

Primo ſoluuntur mutuo conſenſu ſponſorum, extra de ſponſal. cap. 2. Abbas ib. & in cap. *ſuper eo, de eo qui cognouit conſanguineam vxor.* num. 5. Nauar. conſil. 3. de deſponſat. impuberum in antiquis Piaſecius in praxi parte 2. cap. 4. n. 26.

Quid ſi iuriſiurandi religione firmata fuerint? dirimi non ſecus reciproco vtriuſque diſſenſu poterunt, ac ſi iurata non eſſent. Felinus ad cap. 2. de ſponſal. quia iuſiurandum, præſtitum ad commodum hominis remitti poteſt ab eo in cuius eſt vtilitatem præſtitum, habetur extra de iureiurando cap. 1. & 2. de renuntiatione ibi enim Alex. III. aſſerit *iuramentum non afferre impedimentum*

quod quis de eodem non petendo vlterius, proponebatur præstitisse, si consensus maioris & sanioris partis canonicorum Ecclesiæ intercessit. Iusta ergo causa dissoluendi sponsalia est, si desponsati, nolint se admittere, ne ex matrimonio quidpiam illis accidat, quod eorum pacem interturbet, *vt talem scilicet vir ducat, quam odio habet*, nam tunc opinione Innoc. III. in cap. 2. de sponsalib. *ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc potest impatientia tolerari.*

Secunda causa discedendi à sponsalibus est, si tempus elapsum sit, quod erat constitutum inter sponsos ad contrahendum matrimonium: ita Innoc. III. in decret. 22. tit. de sponsalib. respondit, eum qui primam fidem irritam fecit, ad eam seruandam compellendum non esse. *Nisi forsan in iuramento suo, certum terminum, intra quem dictam P. duceret in vxorem præfixit, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummauerit.*

Tertia, si post sponsalia de futuro, alter ex sponsis, cum alio, vel alia, per verba de præsenti matrimonium contraxerit, cap. sicut 22. cap. 2. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, cap. si inter cap. de illis ext. de sponsalib. Si tamen secunda sponsalia, facta non sint per verba de præsenti sed de futuro tantum, *iuramentum primum, sicut licite factum est, ita quoque est seruãdum*, imposita pœnitentia competenti de secundo: Innoc. III. in cap. sicut 22. extra de sponsal. quod est indicio, sponsalia prima per secunda non tolli.

Quarta, dissoluuntur sponsalia si sponsus cum cognata sponsæ, vel sponsa cum cognato sponsi concubuerit, cap. 2. de consanguin. & affinit. cap. præterea 12. de sponsalibus cap. discretionem 6. cap. ex litteris 8. *de eo qui cognouit consanguin. vxoris suæ, inhonestum est enim, vt ei quis nubere valeat, cuius coniunctam decepit*, Eugen. Papa cap. iuuenis 3. de sponsalib. Alexand. III. cap. litteras 4. de desponsat. impuber.

Quinta ratio discedendi à sponsalibus est, si alter sponsorum religionem profiteatur, ita Euseb. Papa in can. desponsatam causa 27. qu. 2. Greg. in regesto. lib. 4. epist. 20. relatus à Grat. causa 27. qu. 2. can. decreta 28. & extra de conuersione coniugator. cap. ex parte 9. & cap. ex publico 7. Sane apud veteres causa olim diuertendi honesta, Sacerdotium habebatur, lege vitricus, 60. dig. de donation. inter virum & vxor.

Sexta, si vir sacris ordinibus initiari se finat, cap. vn. de voto & voti redempt. in 6. & in titulo, qui Clerici vel vouentes, cap. de Diacono 1.

Septima, si sponsa rapta fuerit ab alio, etiam inuita, & sponsus eam admittere noluerit, nubere, hæc alteri poterit, sic enim canon 33. causæ 27. qu. 2. his verbis: *Raptor pœnitentia publica mulctetur, raptæ vero, si eam sponsus recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alij, non negetur.*

Octaua, fama publica impedimenti alicuius superuenientis, vt affinitatis, consanguinitatis &c. cap. super eo de consangu. & affinit. & cap. cum in tua 27. de sponsalib. expresse Innoc. III. his verbis: *Si persona grauis cui fides sit adhibenda, tibi denuntiet, quod hi, qui sunt matrimonio copulandi, se propinquitate contingant, & de fama, & scandalo doceat, aut etiam per teipsum possis certificari de plano, non solum debes iuramenta parentum sponte oblata non recipere, verum etiam eos, qui sic contrahere mituntur, si moniti induci nequiuerint, compellere, vt à tali contractu desistant, vel contra famam huiusmodi, iuramenta exhibeant propinquorum.*

Nona ratio, eaque legitima, distrahendi sponsalia, est cum alteruter sponsorum, peccat in corpus proprium, qui enim est innocens, potest in tali casu, separare se, à priore sponso, vel sponsa, & alteri fidem promittere, habetur in cap. quemadmodum 25. de iureiur. Idem dicendum, quando sponsa fit leprosa, paralytica, deformis, aut morbo aliquo laborat, quo minus grata, acceptaque viro suo reddatur, cap. quemadmodum citato: ratio est, quod his incommodis affecta, apta esse nequeat ad id, cuius causa à viro appetitur, nam quis putet, grata ei esse posse commercia, congressumque, cum fœda aut morbida? ergo si sponsa exosa erit, si grauis ob morbum, aut incommodum aliquod simile, iusta futura est viro occasio, ea relicta, adiiciendi animum ad aliam, eamque eligendi in sponsam.

Decima, si inter sponsos interuenat, secta aut religionis diuersitas ante matrimonium, 28. q. 1. can. non solum, can. iam nunc 8. August. de adulterinis coniugiis lib. 2. *Non solum*, inquit, *mœchatio est illius, quæ carnem suam coinquinat, sed etiam quæ simulachrum facit, mœchatur. Quod si in his factis perseuerat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, noli viuere cum illa. Si autem, & tu particeps peccati illius eris.*

Vndecima, soluuntur sponsalia per defectum implementi eius, quod ab altero sponsorum est promissum: ita Vrban. III. in decret. super eo 5. de condit. appos. ait eum qui in quandam mulierem consenserat, si pater eius, suum præberet assensum, *nisi voluntas eius postmodum intercedat nequaquam cogendum esse ad matrimonium contrahendum*, qui Alexand. III. sensus fuerat, aliquot annis antea, interrogatus enim à Panormit. Episcop. an qui cum iuramento receperat, quandam se pro coniuge habiturum, si centum sibi aureos, pro dote sponderet, respondit in hæc verba in decret. de illis eod. tit. *Reus periurij non habebitur, si eam soluere sibi nolentem, quod sibi dari petiit, non acceperit in vxorem, nisi consensus de præsenti, aut carnalis inter eos sit commixtio subsecuta.*

Duodecima, sponsalia perimuntur, ac cessant, professione Religiosa, aut ingressu in Cœnobium aliquod eius causa: *Decreta enim legalia, desponsatam, si conuerti voluerit, nullo omnino censuerunt damno mulctari*, Gregor. lib 6. epist. 20. ad Fortunat.

Cap. 7. Ex his sic dissolutis modo rite ac legitime primò contracta fuerint, impedimentũ iustitiæ publicæ oritur, ratione cuius matrimonium esse nullum potest cum consanguineo alterutrius de sponsis in primo gradu, *Vt enim esset honestum connubium & thorus immaculatus, diligentissimè præcauerunt patres, vt desponsata fratri, alteri fratri non nuberet, vel confœderatus vni sorori, alteram in vxorem non duceret.* Iuo epist. 248. ad Lisiardum Episc. Suess. & 46. ad Gualonem Episcop. Paris. ait à Concil. Tribur. can. 5. decretum esse, *vt quamuis mulier nupta esse non potuerit legitimo viro, desponsatam tamen fratri, frater habere non possit.*

Habent hoc quoque sponsalia, dirimi vt sine causa iusta nequeant, inuita parte altera, absque culpa, eaque graui, meminit culpæ Syricius epist. 1. cap. 4. his verbis: *De coniugali velatione requisisti, si desponsatam alteri puellam, alter in matrimonium posset accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles eiusdem sacrilegij instar est, si*

vlla

vllatransgreſſione violetur. Enimuero ſi ſacrilegij A
inſtar, ſpeciemque habet, ſponſa deſerta priore, copulare ſibi ſecundam, officio deeſſe, fideique datæ de ea ſibi in coniugē aſciſcenda, non poteſt nō eſſe culpa, de cuius grauitate, ac natura, æſtimare cuique eſt facile ex pœna, quam ei adiunctam eſſe voluere Concilia. Sic enim in Elibertino ſanxit Eccleſia can. 54. *Si qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennij tempore abſtineant ſe à communione. Si tamen iidem, ſponſus vel ſponſa, in illo grani crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. Si vero in eodem fuerunt vitio, & polluerunt ſe conſentiendo, ſuperior ſententia ſeruetur.*

B

DE MATRIMONIO ſecundum ſe.

QVÆSTIO I.

Quotuplex ſit Matrimonium.

MATRIMONII ſpecies ſunt multæ, aliud enim eſt ſpirituale, carnale aliud, poſtremum Eccleſiaſticum. Spiritale, Chriſtum inter & animam intercedit, virtutibus illuſtrem, qua laude quia præ cæteris in Dei Eccleſia, præſtant Deo dicatæ virgines, eam ob rem appellantur ab Ambroſ. in lib. ad virginem lapſam, *Spōſa Chriſti, templum Dei, habitaculum Spiritus ſancti, Nupſiſti*, inquit Tertull. cap. 24. de veland. virgimb. *Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi deſponſaſti maturitatem tuam, incede ſecundum ſponſi tui voluntatē.* Quare ſi quando virgines propoſiti immemores, capi ſe carnis illecebris ſiuerint, Chriſti Domini adulteræ audient, quo eas nomine appellant, Cypr. lib. de diſcipl. & habitu virgin, & ep. 62. D. Ambr. ad virgin. lapſam: *Quæ ſe*, inquit, *ſponſit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, iam nupſit, iam immortalis iuncta eſt viro, & iam ſi voluerit nubere, communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Eſt ergo Religio, *ſpirituale nubendi genus quæ autem contemptis ſæculi voluptatibus, nomen ei virgo non inuita dedit, in nuptias iam ſponſi venit, voluntate, & profeſſione ſua.* Optat. Mileuit. lib 6. quare vt nouæ nuptæ caput obnubitur, can. mulier 33. qu. 5. & hoc in ſignum ſubiectionis, & iugi maritalis, deinde vt ſe viro ſubiectam ſciat, ac humilitatem ipſo habitu diſcat 30 qu. 5. can. fœminæ 7. vel vt ait Ambr. in lib. de Patriarchis, vt in omni vitæ ſuæ genere, tam oratione, quàm opere, verecundiam præ ſe ferat. *Inde enim*, inquit, *nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia, ſe puellæ obnuberent*, 30. q 5. can. nec illud otioſum,

Sane ab Abimelecho pecuniæ magna ſumma donata eſt Sarræ Gen. 20. *vt eſſet in velamen oculorum*, hoc eſt, vt ex ea ſibi velum coemeret, quo ſe contra curioſos hominum intuitus vti ſcuto tueretur, vt (inquam) *fœminæ dum maritantur velantur*, Iſidor. lib. de off. cap. 19. ita & Chriſti ſponſæ, Innoc. epiſt. 2. cap. 22. *quæ Chriſto*, inquit, *ſpiritaliter nubunt, à Sacerdotibus velantur*, & quia id non niſi adhibitis precibus ex formula Eccleſiæ, facere erat in more, vt velum, quo virginis caput obtegebatur, *Sacrum*, Ambroſ. nominat. lib. ad virgin. lapſam: ita & quæ ferebat ſancta ab Hieronymo nuncupatur epiſt. ad Demetr. 8. *Scio ad imprecationem Pontificis, flammeum virginale ſanctum operire caput.* Et hęc de priori matrimonio dicta ſunto.

Eccleſiaſticum eſt, quod inter Epiſcopum, & Eccleſiam, cui authoritate Apoſtolica præeſt, contrahitur, & de hoc matrimonij genere, extat decretalis Innoc. III. ad Scholaſticum Moguntin. his verbis de tranſlat. Epiſc. cap. licet, *Sicut legitimi matrimonij vinculum, quod eſt inter virum & vxorem, homo diſſoluere nequit, Domino dicente in Euangelio, quod Deus coniunxit homo non ſeparet, ſic & ſpirituale fœdus coniugij, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in conſecratione intelligitur conſummatum, ſine authoritate illius ſolus non poteſt, qui ſucceſſor eſt Petri.*

Carnale eſt. quod virum inter & mulierem initur, eſtque eorum coniunctio, indiuiduam vitæ conſuetudinem continens, cap. illud 11. de præſumpt. & 27. qu 2. can Beata Maria 3. *Conſenſus enim cohabitandi, & indiuiduam vitæ ſocietatem retinendi interueniens, B. Mariam & Ioſephum coniuges fecit: indiuidua vero vitę conſuetudo eſt, talem ſe in omnibus exhibere viro, qualis ipſa ſibi eſt, & è conuerſo.*

C Carnale rurſus diuiditur in abſolute contractum, & in contractum ſub conditione.

Secundo, in publicum, & clandeſtinum,

Tertio, in legitimum, & putatiuum. Putatiuum ita dicitur ab opinione, tam communi hominum, quam coniugum ipſorum, qui ſe exiſtimant legitima connubij ſocietate nexos, cum tamen inter eos vera nulla intercedat, ob impedimentum quo naturæ lege, aut Eccleſiæ prohibentur contrahere. Legitimum, eſt quod ſecundum leges patriæ, vbi fit, recte ac conſentanee contrahitur, non autem in fide Chriſti: tale eſt Iudæorum ac Gentium de quo Innoc. III. in cap. quanto 7. & cap. gaudemus 8. de diuortiis.

D Quarto, diuiditur in ratum, & non ratum, non ratum, eſt quod in vſu eſt, apud infideles, Ratum, Chriſtianorum eſt proprium, quod præter firmitatem quam habet, ex ratione contractus & aliam quoque ſibi vendicat, in quantum eſt Sacramentum, Innoc. c. quanto de diuortiis.

Rurſus, vtrumque duplex eſt, conſummatum, & non conſummatum, conſummatum, tale ſit per copulam carnalem, à qua etiam habet, vt dicatur, ſitque vere perfectum, non quod ad rationem Sacramenti eiuſmodi conſummatio pertineat, ſed quia eſt actio, quæ matrimonium accidentaliter perficit, ſicut homo, ſine debito augmento, eſſentialiter eſt homo, debita tamen quantitas, ad perfectionem eius integrantem pertinet, qua cum caret, dici non poteſt plene, & quoad omnia perfectus eſſe. Verum enim, eſt & alia cauſa maioris huius perfectionis in conſummato matrimonio, quam rato duntaxat, petitur hæc verò ex ſignificatione, quæ in conſummato, longe eſt expreſſior, quam rato tantùm. Significat enim hoc vltimum charitatem ſolum, aut verius vnionem animæ cum Deo, cuius caritas mater eſt, ac cauſa, iuxta illud Apoſt. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum illo*, cum conſummatum, præter eam, deſignet & aliam, quæ conſiſtit, in repræſentatione vnionis Chriſti cum Eccleſia tanquam ſponſa. Lubet audire Innocent. III. ea de re ſic ſcribentem in decretal. debitum paſtoralis officij ad Me-

tens. Episcop. de Digamis non ordinand. *Ita duximus respondendum, quod cum duo sint in coniugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat caritatem, quæ consistit in spiritu inter Deum, & iustam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apost. Qui adhæret Deo unus Spiritus est cum illo, reliquum vero designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud quod Euangelista testatur & Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis, profecto coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam, per incarnationis mysterium est contractum.*

A

QVÆSTIO II.

An Matrimonium in noua lege sit Sacramentum.

MAtrimonium duobus modis sumitur.

Primo, pro contractu, quo coniuges mutuo sibi tradunt dominium suorum corporum.

Secundo, pro vinculo, quod ex tali contractu, inter coniuges oritur. His præsuppositis

Dico primò, *Matrimonium primo modo sumptum, esse inter baptizatos nouæ legis Sacramentum.*

Non placet hæc doctrina hæreticis, Luthero de captiuit. Babylon. cap. de matrim. Calum. lib. 4. cap. 19. Melanchthon in locis Theol. cap. de coniugio.

Sed his contradicunt Patres & Concilia, est apud Clem. Alexand. lib. 3. stromat. hæc sententia, æterna digna memoria: *Si lex sancta est, sanctum est matrimonium, Sacramentum ergo hoc ad Christum & Ecclesiam ducit Apost.* Augustini idem sensus etsi dispar oratio, *vsque adeo fœdus illud initum nuptiale, cuiusdam initi Sacramenti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat*, lib. de bono Coniug. cap. 7. clarius cap. 18. eiusd. lib. *in nostrarum, quippe nuptiis plus valet, sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas vteri.*

De Conciliis nihil attinet dicere, cum nulli non constet de Matrimonio ea loqui vt de Sacramento, in horum enim numerum à Florent. in decreto vnionis ascribitur & Trid. sess. 7. can. 1 sess. 24. can. 1. & in cap. de doctrina Matrim. vbi eam ob rem Sacramentis adnumerandum dicitur, *quod veteribus connubiis gratia præstet*, accedit ad Ecclesiæ iudicium ipsa ratio.

Ad Sacramenti essentiam tria duntaxat sunt necessaria.

Primo, cæremonia externa, & sensibilis.

Secundo, Dei institutio.

Tertio, promissio gratiæ, sed hæc tria reperiuntur in Matrimonio, primo enim est signum rei sacræ, nempe caritatis, & coniunctionis Christi cum Ecclesia, secundum Innoc. tertium in cap. quanto 7. de diuortiis, proindeque est matrimonium, cæremonia religiosa ac sacra, ob eamque causam à Paulo, Sacramenti nomine appellatum, ad Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo & Ecclesia*, quæ verba de Adami coniugio, aut spirituali Christi coniunctione cum Ecclesia vt quidam putant, intelligi non posse, colligitur ex Pauli verbis, nam primo, narrat tantam esse, viri erga fœminam inclinationem animi, vt eius causa, relicturus sit patrem & matrem: *Propter quod, relinquet homo, patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, quod de Adamo, dici verè non posse, quis non videt?

B

Secundo, patet ex scopo Apost. eo enim spectat omnis eius labor in eo capite, vt ostendat, viro dilegendam esse vxorem suam quod *Nemo vnquam carnem suam odio habeat sed nutriat & foueat eam sicut Christus Ecclesiam*, deinde quod matrimonium, quo inuicem vir & fœmina sanctè sunt ac religiosè nexi: *Sacramentum magnum sit in Christo & in Ecclesia*, id est institutum ab eo diuinitus ad significandam eiusdē cōiunctionem cum Ecclesia.

Confirm. pronomen demonstratiuum (*Hoc*) quo Apostolus vtitur, debet ad illud referri, quod immediate ante præcessit, & de quo ibi agitur, at Paulo sermo erat in eo capite, de matrimonio viri & mulieris, prout in lege noua contrahi solet à fidelibus: ergo cum sit Sacramentum, reperietur in eo ritus sacer, quæ res est prima de tribus: quæ ad rationem Sacramenti pertinent.

Reperiri quoque institutionem Christi, indicat hæc eius oratio, Matth. 19. *Non legistis quia qui fecit hominem, ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit propter hoc dimittet homo Patrem &c, itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.*

Habere quoque matrimonium promissionem gratiæ sanctificantis, hæc Pauli verba 1. ad Timoth. 2. significant, *Saluabitur autem*, nempe vxor, *per filiorum generationem, si permanserit in fide*, scilicet erga maritum, *& dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*, nam vitam æternam, ac salutem consequi, nemini concessum est sine gratia, at hanc vna cum dilectione, ac sanctitate animi, matrimonio acceptam coniux debet Apost. authore: ergo vt Sacramento, pro tali ergo habendum est à fidelibus in Ecclesia.

C

Eiusmodi esse agnouit Augustin. lib. de fide & operibus cap. 7. *In ciuitate Domini, in monte sancto eius, in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur vt non liceat alteri suam vxorem tradere*, & lib. 1. de nuptiis cap. 10. *Cuius Sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, hoc est in Ecclesia Christi.* Ambrosij mens eadem ac opinio, sic enim ille lib. 1. de Abraham cap. 7. *Qui sic egerit*, vxorem scilicet nouam antiquæ superinducendo, *peccat in Deum, cuius legem violat, gratiam soluit, & ideo quia in Deum peccat Sacramenti cœlestis consortium amittit*, id est, secundum Ægid. disp. 24. de Sacram. dub. 2. num. 15. sanctificantem gratiam. Eodem pertinent verba hæc Chrysostom. hom. in Genes. 56. *An non audis*, inquit, *Paulum dicentem, quod Sacramentum sunt nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declarauit?*

D

Dico secundò, *Matrimonium sumptum pro vinculo non est Sacramentum.*

Primo, quia est eius effectus, ideo enim, mutuo sunt inter se nexu colligati coniuges, quod reciproco consensu, sua sibi inuicem corpora tradiderunt, ergo cum hæc eorum reciproca traditio, deliberate ab vtroque coniuge facta matrimonium constituat, in ea sita erit eius essentia, non in vinculo.

E

Secundo cum sit hoc vinculum, dominium corporum mutuum, ac correspondens ei subiectio in coniugibus, sim eo natura matrimonij essentialiter residet, toties vir & fœmina Sacramentum nouum facient, quoties sui sibi corporis vsum cōmodabūt mutuo, quia tali vsu se sibi inuicē submittūt: At hoc fidem omnem superare, vt ipse non dicam

Digitized by Google

dicam ſatis omnes intelligunt: ergo & id quod in A aſſert. eſt poſitum.

QVÆSTIO III.

An Matrimonium, Sacramentum in lege Veteri, ac innocentiæ fuerit.

Dico primò, *Matrimonia quæ Chriſti aduentum præceſſere, in veteri lege Sacramenta non fuiſſe.*

Ratio eſt, quod Sacramentum propriè ſumptum non eſt ſignum, quomodocunque ſignificans rem ſacram, quia ſic ſerpenti æneo Sacramenti ratio competeret. Sed eſt ſignum ſacrum, ex diuina inſtitutione, ſignificans, & efficiens ſuo modo ſanctificantem gratiam, quod matrimoniis antiquis haud dubiè non conuenit, cum non gratiæ conferendæ, ſed propagandi humani generis cauſa, ſint à Deo inſtituta ac permiſſa, hoc eſt vt alij loquuntur in officium naturæ, ac propagationem ſobolis, non autem ad conferendam iuſtitiam, aut ſanctitatem vllâ homini: *Nam gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, Ioan. 1. Lex autem vetus, *nihil ad perfectum adduxit, ſed erat introductio melioris ſpei*, ad Heb. 7. non

Dico ſecundò, *Matrimonia infidelium Sacramenta eſſe.* Concluſio eſt hæc Magiſt. ſentent. in 4. diſt. 39. c. extremo de matrim. cui ad vnum omnes aſſentiuntur Theologi, imò non Theologorum modo eſt hæc ſententia, ſed certiſſimum eſt Romani Pontificis Innoc. tertij decretum, in cap. quanto de diuortiis vbi loquitur his verbis: *Nam etſi matrimonium verũ inter infideles exiſtat, non tamẽ eſt ratum, inter fideles autẽ, verũ & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei, cum ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur.* his ſimilia loquitur D. Ambr. in c. 7. prioris ad Cor. *Non enim*, inquit, *ratum eſt matrimonium, quod ſine Dei deuotione eſt.* Itaqi Richar. in 4. diſt. 39. art. 1. q. 2. diſtinguit matrimonium in legitimum & nõ ratum, in ratum, & non legitimum, in legitimum & ratum. Legitimum & nõ ratum, eſt matrimoniũ infideliũ, quod legali inſtitutione, & patriæ moribus contrahitur. Ratum & non legitimum, eſt coniugium contractum inter fideles, contemptis ſolemnitatibus, quæ debent adhiberi, ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem, & patriæ morem, tale erat clandeſtinum ante Trid. Ad teſtimonia tantorum hominum, ratio adiungenda duplex.

Prima, quod Baptiſmus, ſit ad Sacramenta omnia aditus, ac ianua, eorum ergo eſt incapax, quiſquis ſacris aquis non eſt lotus.

Secunda, Eſt matrimonium, quod à fidelibus, ſecundum conſuetudinem patriæ, ac conſtitutiones Eccleſiæ contrahitur, ſtabile, nec niſi alterutrius cõiugis morte ſolubile. At infideliũ, non eſt tale, cũ ſit ſeparabile per alterius conuerſionẽ ad fidẽ altero in infidelitate remanente, vt dicetur poſtea quare bonum Sacramenti quod in Chriſtiano ineſt matrimonio, abeſt ab infidelium coniugio, cum non ſit perpetuum, nec coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, aut cœleſtis gratiæ cum anima ſignificet, non eſt ergo matrimonium infidelium, nouæ legis Sacramentum, cum non ſit ratum, hoc eſt firmum hoc eſt ſtabile, atque perpetuum.

QVÆSTIO IV.

An Matrimonium poſſit per Procuratores contrahi, & an ita contractum ſit Sacramentum.

Dico primò, *Matrimonium per Procuratores contractum, eſſe validum.*

Primo, quia cum matrimonium eſſentialiter ſit contractus, eius eſſentiæ id duntaxat erit oppoſitum, quod cum natura contractus, ſtare non poterit, at ab hac non abhorret, fieri ab abſentibus per Procuratorem, qui eorum vicem ſuppleat, vt praxis quotidiana indicat.

Secundo, nemo eſt, qui de Principum matrimoniis, eorumque valore prudẽter in Dei Eccleſia ambigat, at hæc magnam partem alienâ, id eſt Procuratoris fiunt induſtriâ ac operâ.

Obiicitur primo, cum ad matrimonium Procurator adhibetur, Eccleſiæ conſtare non poteſt, an hi quorum nomine hic contrahit, verè in illud conſentiant. Negari id debet, nam quid repugnat inſtrumenta conſuli, litteras legi, quibus id negotij Procuratoribus coniugum amborum nomine, eſt commiſſum? id ſi Parochus, ac teſtes agere, animum induxerint, eſſe illis ambigua, dubiaque abſentium voluntas, non potent.

Obiicitur 2. Lege Trident. Concil. conſenſum ipſi ſuum, coram Parocho & teſtibus, per ſe exprimere ambo contrahentes debent, ſi coniunctionem ſuam clandeſtinam eſſe nolunt, at his ſe ſiſtere abſentes nequeunt: ergo nec coram illis, ſenſum ſuum eloqui.

Maior argumenti eſt falſa, nam id Trid. non exigit, ſed tantum, vt conſenſum ſuum, coram illis declarent, quod per Procuratores, tanquam per ſuos interpretes, vere & propriè faciunt An autem matrimonium ſic contractum, Sacramenti rationem, nomenque habeat iam eſt videndum, & de ea quæſtione.

Prima ſententia fuit Eſtij in 4. diſt. 19. parag. 5. Syluij in 3. part. q. 42. art. 1. quæritur 3. concl. 2. eaque negans, quam ſubſcribunt plerique alij, doctrina ac eruditione perilluſtres Magiſtri apud Antonin. Dian. 3. parte tract. 4. de Sacram.

Contraria, eaque probabilior defenſores habet ac patronos Ioan. de la Cruz in direct. parte 2. de matr. Baſil. Pont. de matr. lib. 1. cap. 10. num. 2 Ægid. de Coninch. diſp. 24. dub 2. conel. 5. num. 23. Villalob. tom. 1. tract. 13. diffic. 9. n. 3.

Ratio eſt, quod Matrimonium fidelium cum intentione debita contractum, ſit Sacramentum, quia eſt ratum, & inſeparabile, ſecundum Trident.

Confirm. Illud tantum in iure matrimonium vocatur ratum, quod eſt Sacramentum, quod vero non eſt Sacramentum, vt inter iuſideles, dicitur quidem verum matrimonium, ſed non ratum, vt patet ex cap. quanto de diuort. ergo cum matrimonium omne fidelium, ſit ratum, omne quoque futurum eſt Sacramentum: ergo, & quod per Procuratores eſt contractum.

Obiicitur primo, Sacramenta abſenti conferri nequeunt, eo quod exigant vt miniſter applicet formam ad materiam in ſubiecto præſenti.

Reſpondendum eſt, antecedens verum eſſe in

aliis Sacramentis, quia ex institutione Christi requirunt præsentiam subiecti, cui cum materia, forma applicetur, quæ longè magis est determinata in aliis Sacramentis, quam in isto, in quo sola signa sufficiunt.

Obiicitur 2. Ideo forma Sacramenti pœnitentiæ, super absente pronuntiari non potest, quia continet pronomen secundæ personæ, quo significatur præsens esse qui absoluitur. At idem pronomen reperitur in forma matrimonij, in qua contrahentes vicissim mentem suam sibi indicant his verbis: *Accipio te in meum, vel meam*, quæ non nisi de præsenti, vera esse possunt.

Ad minorem Respondetur pronomen *Te* aliter poni in forma matrimonij quam in formâ Sacramenti Pœnitentiæ, in hac enim ponitur tanquam quid essentiale formæ, in illa autem nequaquam, cum ad essentiâ formæ matrimonij sufficiant quælibet signa expressiua præsentis consensus, quare sicut contrahentes possunt consentire in absentem: ita possunt hunc suum consensum sufficienter per se, vel alios tanquam per sua instrumenta manifestare.

QVÆSTIO V.

Quæ conditiones censeantur necessariæ, vt per Procuratores, matrimonium valide contrahatur, ac licite.

PRimò, *Debent ad id speciale mandatum habere*, quia cum in matrimonio agatur pax & tranquillitas contrahentium, eaque, magna ex parte, ex coniugum mutuâ aduersum se beneuolentiâ, ac inclinatione animi pendeat, non videtur è re communi, ac familiarum bono fuisse, vt qui ad cætera negotia procurator existit, absque peculiari imperio, ac mandato eorum, quorum interest, iisdem in virũ, aut fœminam asciscat, quos ouit sibi placitum. Cum enim à matrimonio vitæ status pendeat, nemo cum eo, aut ea, censendus est contrahere velle: quem, aut quam non nouit, ob eam causam, fœmina designari debet Procuratori à Domino, quam sibi ad matrimonium quærit, vt eam suo sibi nomine, in coniugem adoptet lege generali 34. digest. de ritu nuptiarum.

Secundo, *Debet ipse procurator per se rem gerere, aliena ad id opera vti, vt est prouinciæ sibi commissæ limites egredi, ita & laborem in coniuge quærenda Domino, sumere effectu irrito ac inani*, cum enim ad transigendum hoc negotium electa sit industria personæ, ei facultas non est relicta, substituendi sibi alterum, qui ei suo loco det operam.

Tertio, *Vt acta Procuratoris sint rata, ea geri oportet antequam eius potestas reuocetur*, quia cum hic nihil agat efficaciter, ac valide, nisi dependenter à voluntate, ac mandato Domini, eius reuocatio, certa est irritatio eorum, quæ ab ipso fient, post reuocationem prædictam.

Quid si dicta Procuratori non constiterit? quid si de Domini voluntate, nuncius ad illum nullus venerit?

Respondendum, matrimonium à Procuratore, Domini nomine contractum, in foro conscientiæ nullum esse: ratio est, quod talis reuocatio consensum adimat, sine quo stare maritalis coniunctio non potest. In foro tamen externo, non crederur Domino, asserenti potestatem omnem faciendi coniugij suo nomine, Procuratori ademptam esse, nisi id aliorum testimonio probauerit, aut ante contractum à Procuratore suo nomine, ostenderit ipse despondisse sibi aliã per verba de futuro. Nã hoc ipso, quod fidem suam alteri super futuris nuptiis obligat, implicite indicat, sibi nihil in posterum commune esse velle, cum ea quam Procuratori imperauerat, è multis vnam, pro se, suoque nomine postulare in vxorem.

QVÆSTIO VI.

An ad validitatem matrimonij sit necesse, Parochum & testes videre instrumenta quibus Procuratori committitur potestas contrahendi nomine Domini.

DIco primò, *Vt matrimonium in foro externo probari possit, videri necesse, vt extet aliquod testimonium voluntatis eorum, quorum nomine à Procuratore contrahitur.*

Ratio est, quod secundum mentem Trident. Concilij constare debet Ecclesiæ, matrimonium inter hunc, & illam factum esse, ne postmodum illis sit arbitrio suo liberum mentiri, se nõ esse cõiuges. At data potestate Procuratoribus, nullæ sunt exaratæ literæ, si nulli testes, vnde, & à quo, certum Ecclesia rescire poterit, hunc & illam, pro quibus Procuratores contraxere connubium, legitimo eius fœdere inuicem deuinctos esse? fac enim id eos negare, fac palam dicere, nunquam à se adhibitos, qui suæ voluntatis essent interpretes, nedum conciliatores matrimonij inter eos perpetui, quis eos reuincet mendacij? quis commissi adulterij arguet? si vicissim sibi nuntium remittant, ac ad alia vota transeant? Est ergo necesse, ad fidem facti coniugij in foro externo, vt Procuratores ostendant authentice, siue per publicum instrumentum, siue alia ratione, prouinciam sibi fuisse à Dominis suis traditam, matrimonij cum hac aut illa contrahendi suo nomine.

Dico secundò, *Esse essentiale matrimonij, vt Parocho & testibus constet certo moraliter, siue per inspectionem instrumenti, siue per sufficientia testimonia, aut alia ratione legitima, hunc aut illam mandasse Procuratori suo, vt cum hac, aut illa, suo nomine contraheret.*

Ratio est, quod de essentia matrimonij sit vt contrahatur in facie Ecclesiæ, quod accidit cum Parochus & testes qui ei interfuit, testari possunt hunc, & illam, verè, secundum omnem externam apparentiam, in se se mutuo, de præsenti consensisse. At id Parochus, & testes, facere nequeunt, nisi de mandato Procuratori dato, contrahendi pro alterutro illorum, eis certo moraliter constiterit, nam si illud ignorant, dicere quidem poterunt Procuratorem significasse Catharinæ, v. c. Paulum eam accipere in vxorem, non autem hunc per suum Procuratorem, cum ea contraxisse matrimonium, quod tamen est necessarium, ne sit clandestinum proindeque legitimum, ac validum. Ita Coninch. disp. 24. dub.

QVÆSTIO VII.

An ſecunda matrimonia ſint Sacramenta.

SEcunda matrimonia, in Sacramentis non habenda centuere è Patribus, quicunque dixere ea à libidine originem trahere, aut ab ea ſeiungi non poſſe, vnus ſit pro exemplo Chryſoſt. in Matthæum hom. 32. *Vbi ſecundas adire nuptias ſecundum veritatis rationem, fornicationem eſſe ait.* Equidem Epiſcopi in Concil. Neocæſar. can. 3. & 7. eas non probare videntur, quandoquidem eluendas earum ſordes aſſerant, publica pœnitentia, decretum Concil. eſt eiuſmodi. *De bis, qui frequenter vxores ducunt, & de bis quæ ſæpius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ, bis manifeſtum conſtitutum eſt: Presbyterum vero conuiuio ſecundarum nuptiarum, intereſſe non debere, maxime cum præceptatur ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere, quis erit Presbyter, qui propter conuiuium illis conſentiat nuptiis?* Extat & in iure Orientali, Conſtantini Porphyrogenetæ Nouella 1. c. 2. de Polygamis, in qua habetur prohibitum ab Imperatoribus fuiſſe, ne quis defunctæ vxori tertiæ, quartam ſubſtitueret, quod ſi id auſu nefario tentaſſet, abiiciendum fore ab Eccleſia, ac priuandum eius communione, quandiu cum quarta maneret. Hinc enim argumentari ſic libet. Cum ſint Sacramenta, non modo gratiæ ſymbola, ſed eius quoque producendæ, in hominum animis, inſtrumenta ac cauſæ, non debet eorum frequentatio vlli dari vitio, ſed laudi, at quiſquis olim ad iteratas nuptias appellebat animum, male audiebat in populo, à Patribus autem vt plus æquo voluptatum appetens, plecti iubebatur pro culpæ merito, non ſunt ergo ſecundæ nuptiæ, de earum genere, quæ inter Sacramenta locum habent: hæc aduerſarij.

Nihilominus dicendum puto, cum Patrib. ac vniuerſa Theologorum ſchola, ſecunda, tertia, & quarta Matrimonia, ab illis, qui ad ea ſunt idonei, legitime contracta, vera eſſe, & Sacramenta, & quidem quod ſint permiſſa & licita, ſcribit Auguſt. lib. 2. contra aduerſarium legum ac Prophetarum cap. 11. & in epiſt. 1. ad Corinth. hæc enim Apoſtoli verba explanans, *quod ſi dormierit vir eius*, hæc habet. *Non dicit primus, vel ſecundus, nec quotus, vnde nec nobis definiendum eſt quod non dicit Apoſt. Vnde nec vllas damnare debeo nuptias, nec eis verecundiam numeroſitatis auferre, dominus autem ſeptemuiram non damnauit, vnde nec contra humanæ verecundiæ ſenſum audeo dicere, vt quoties voluerint nubant, nec ex corde meo quotas libet nuptias condemnare*, quam in ſententiam ſcripſere multa Pontifices, in titulo de ſecundis nuptiis, in decretalib. D. Hieron. relatus à Grat. cauſa 31. qu. 1. can. quomodo virginibus 10. Quanquam quid in re minimè dubia, argumentis eſt opus? quis enim neſcit Ruth nupſiſſe ſecundo viro? ſingulis autem, quorum fratres defuncti eſſent ſine liberis, imperatum, vt de eorum vxoribus liberos ſibi tollerent, mortuiſque ſemen ſuſcitarent? Non eſt ergo fœmina in vitio, cum viro priore fatis functo, alterius ſocietatem appetit, eique nubit, facit enim, quod eſt prudentiæ, infirmitati ſuæ conſulit, ſibi metuit, à viro ſuſtentari quærit, vbi enim naturæ conceſſit, viuereque deſit, *liberata eſt mulier cui vult nubere poteſt tantum in Domino* 1. ad Cor. 7.

Iã verò quod hæc Matrimonia Sacramenta ſint.

Probatur primo, quia ſunt veri contractus ciuiles, qui ad eſſe ſupernaturale Sacramenti eleuantur à Deo.

Secundo, quia ſic ſunt rata, vt non niſi alterutrius obitu, poſſint dirimi.

Tertio, quidquid in primis nuptiis Sacramentum conſtituit, in ſecundis cernitur, conſenſus interior, verbis, aut ſignis expreſſus, cum actuali traditione corporum, quæ tria Sacramenti naturam componere, communis eſt Doctorum opinio: ergo vt primò, celebratæ nuptiæ, Sacramenti vim ac ſanctitatem habent: ita & ſecundæ, magis tamen probantur primæ, quam repetitæ, can. quomodo virginibus 10. cauſæ 31. qu. 1. quæ benedicendæ non ſunt vt dicitur in cap. 1. de ſecundis nuptiis & tertio, *Capellanum autem (quem benedictionem cum ſecunda celebraſſe conſtabat) ab officio beneficioque ſuſpendit*, Alexand. III. cap. 1. de ſecundis nupt. benedici tamen poterunt iidem coniuges, ſi antea benedicti non fuerunt ex hæreſi, aut negligentia, aut quia per temporis anguſtias non licuit. Poterit itẽ virgo benedici quæ nubit viro prius benedicto, modo vir non benedicatur, imo in quibuſdam locis benedici ſolent ſecundæ nuptiæ, quando alter contrahentium ante benedictus non fuit, ſiue ſit vir, ſiue mulier, & talem conſuetudinem licitam eſſe Nau. aſſerit num. 83. Ad argumenta reſpondend. in ea fuiſſe opinione veteres, non Eccleſiam, hanc audiendam, non illos in hac cauſa.

QVÆSTIO VIII.

An quando Infideles conuertuntur, eorum Matrimonium ſit Sacramentum.

AFfirmat Sanch. li. 2. de matrim. diſp. 9. n. 5. Negat Baſil. Pont. de matrim. l. 1. cap. 9. num. 8. Vaſq. tom. 2. in 3. part. diſp. 138. cap. 5. Ægid. de Conninch. diſp. 24. dub. 2. concluſ. 7. num. 25. Diana de Sacram. 253.

Aſſertio, *Matrimonium infidelium non incipit eſſe Sacramentum cum conuertuntur.*

Primò, quia Sacramentum nullum eſſe poteſt, niſi collatum baptizato, cum Baptiſmus ſit ad Sacramenta omnia aditus, ſed Infideles, cum primò ineunt Matrimonium nondum erant baptizati, nec quo primum tempore, errorem deponunt, eorum contractus, in ſe exiſtit: ergo cum id quod ratum initio non fuit, tractu temporis non corroboretur, matrimonium infidelium, quod initio Sacramentum non fuit, cum eſt contractum, tale eſſe non incipit per ſubſequentem Baptiſmum.

Secundo, ſi matrimonium Infidelium incipit eſſe Sacramentum cum baptizantur, eo quoque tempore recipient gratiam propriam Sacramenti Matrimonij: at id eſt contra ſenſum, nam conferri non poteſt ratione contractus qui Baptiſm. præceſſit. Nec ratione Baptiſ. recens ſuſcepti, cum is ad ſolam regenerationis gratiam dandam ſit inſtitutus. Nec ratione vinculi, quia cum ſit inſenſibile rationem Sacramenti non habet, nulla ergo datur infidelibus Baptizatis gratia Sacramenti propria: ergo contractum ab infidelibus ante Bapt. non fit eius beneficio Sacramentum.

Obiicit Sanchez Matrimonium infidelium, cum eſt poſt Baptiſmum initum, eſt ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia: ergo eſt Sacramentum.

Antecedens est negandum, nec enim alteri coniugio conuenit, esse signum talis coniunctionis quam ei, quod à Deo est ad hunc effectum institutum, quale tantum est fidelium, & baptizatorum, cum Doctorum & Ecclesiæ sensu, Baptismata sit Sacramentorum ianua: ergo cum consensus infidelium in mutuam traditionem corporum, verbis aut nutu declaratus præterierit, non repræsentabit vnionem Christi cum Ecclesia, cum infideles curant se baptizari, cum id ei non conueniret antea.

Obiicies 2. matrimonia infidelium conuersorum, incipiunt esse perpetua per Baptismum, nec vnquam proinde dissoluenda: ergo sunt Sacramenta.

Neganda est consequentia, quia contractus prior, nullo modo in se existit, sine quo tamen nullum est matrimonium. Nec refert quod per Baptismum dicta infidelium coniugia insolubilia fiant, eo quod contracta inter fideles sunt talia, per eorundem consummationem, quæ tamen dicere nullus audeat tunc primum fieri matrimonia.

Obiicies 3. debetur his coniugiis specialis gratia, cuius ope, ac beneficio, mitigentur eorum onera: at hæc gratia, effectus est Sacramenti proprius.

Neganda est Minor, quicquid enim coniugibus olim infidelibus, modo conuersis, datur à recepto Baptismo ad sui victoriam, & perpetuationem amoris mutui erga se, est id totum, diuinæ erga illos beneuolentiæ tribuendum, quæ suppeditandis identidem actualibus auxiliis, matrimonij onera lenit.

QVÆSTIO IX.

An infideli recenter ad fidem conuerso liceat vxorem suam relinquere, propterea quod non conuertatur.

DIco primò, *Id ei non licere, iure antiquo, nisi in tribus casibus.*

Primus est, cum matrimonium contra ius naturæ, fuit inter personas inhabiles contractum: vt accideret si filia patri nuberet, si quis superstite adhuc, & viuente priore coniuge, aliam sibi sumeret.

Secundus est, cum nuptiæ, contra leges patriæ sunt à prædictis infidelibus celebratæ, cum enim hæ inter eos Sacramenti rationem non habeant, sed contractus tantum, quod isti conuenit, nempe vt si quando legibus Principum aduersetur, aut gentis moribus, irritari queat, hoc in eorum quoque nuptiis vsurpari poterit.

Tertius casus est, quando non conuersus, aggregatæ ad Ecclesiam, cohabitare renuit, sine Creatoris iniuria, fidei contumelia, aut peruersionis, ruinæque periculo, tunc enim si quando, valere debet Pauli consilium. *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est in huiusmodi frater, aut soror*, 1. ad Corint. 7. Quod autem iure antiquo, fideli, id est recens baptizato cohabitandum sit, cum coniuge infideli, si is sine Creatoris contumelia, & inductione ad peccatum, cohabitare velit, indicant Apost. verba loco proximè citato. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam. Et si*

A *quæ mulier fidelis, habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Astipulatur & ipsa ratio, nam fidelis operam dare debet, vt cõiugem, pro caritate qua illam prosequitur, ab errore traducat ad veri Dei notitiam, at certa, si minus vnica, ac sola ad eam rem via, est eius cohabitatio cum infideli, nam hæc illius exemplo illecta, paulatim errorem gentium exuet, pietatem & fidem erga Deum, eiuratis Dæmonibus, induet.

Dico secundò, *Iure nouo, posse ab infideli fidelem discedere, si ille conuerti renuit, licet habitare cum illo velit sine Creatoris iniuria*: ita Sotus in 4. dist. 39. q. 1. art. 3. ad 3. Fernandez parte 3. cap. 19. parag. 2. num. 4. Magist. in 4. dist. 39. Augustin. lib. 1.
B de adulter. coniug. cap. 18. *sic enim*, inquit, *recedere ab infidelibus vxoribus vel maritis fideles viri vel fœminæ, non prohibentur à Domino, vt neque inbeantur.* Hæc autem separatio, seu discessus, intelligenda est quoad thorum solummodo, seu cohabitationem, non quoad vinculum Nauar. cap. 22. num. 49. Fernand. loco citato.

Dico tertio, *Debere conuersum à non conuerso discedere quando periculum est ne eius verbis, aut exemplo ad pristinos errores redeat*: ita sentiendi causa vnica: Cuique pro ea caritate qua salutem suam prosequi debet in id est incumbendum, ne eam in discrimen vocet, *qui enim amat periculum*, Sapiente teste *peribit in eo*. ergo recens baptizatus, infidelem vitabit vt scopulum, ad quem, præuidet hoC noris se ac animæ facturum naufragium. Accedit ad hanc rationem Ecclesiæ imperium in Concil. Tolet. 4. can. 61. ibi enim iubentur Episcopi admonere Iudæos, vt si cum conuersis coniugibus permanere velint, Christiani efficiantur, quod si admoniti minime paruerint, separandos videri, quod magnopere sit timendum inquit can. 12. causæ 28. qu. 1. ne Catholicus viuendo familiariter cum infideli, fidem perdat ab eoque tursus, ad antiquos errores, non minus fœdè quàm impie transferatur verba Concil. sunt ista. *Iudæi qui Christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Episcopo ciuitatis illius, vt si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur, quod si admoniti noluerint separentur.* Hanc sententiam sequitur D. Thom. in 4.
D dist. 39. qu. vnica. *Nisi vxor*, inquit, *infidelis conuerti velit, non permittitur ei cohabitare sine sit Gentilis sive Iudæa.* Idem Richard. scribit in eand. dist. art. 2. qu. 1. Gabr. in eam ipsam dist. qu. vn. art. 2. concl. 5. his verbis: *Tametsi olim ex consilio Apostolico licuit conuerso fideli manere cum infideli coniuge, pro eius conuersione in casu certo, hodie tamen non licet, nisi monitus vt conuertatur, quantocius conuerti & baptizari voluerit*: hoc idem testatur Comitol. respons. lib. 1. qu. 124. num. 4. Fidelem autem posse ab infideli separari thoro, quod diximus antea, indicat Augustin. lib. 1. de adulter. coniug. cap. 18. *Prohiberi*, inquit, *fidelis à Domino non debuit infidelem dimittere, quia iustitia permittit à fornicante discedere, & infidelis hominis fornicatio est magis in corde.*
E

CIRCA DICTA QVÆRITVR PRIMO, *An conuersus ad fidem, relicta coniuge infideli aliam asciscere sibi valeat, maxime si illa, viro suo non sit molesta, nec Creatori, moribus, ac verbis suis contraria.*

Coniugem ex infidelitate, hoc est erroribus Gentium, traductum ad Christianæ lumen fidei, posse ad secundas nuptias transire, etsi alter coniux in infidelitate perstitens, pacifice, & sine iniu-

ria Creatoris cohabitare velit dixere Sotus in 4. dist. 39. q. vn. art. 4. Hentiq. lib. 11. cap. 8. n. 4. Saver. matrimonium de eius impediment. n. 8. Sanchez lib. 7. disp. 74. num. 9. Laym. tract. 10. par. 2. cap. 3. num. 4.

Negant Panorm. & Hostiensis in cap. quanto de diuort. Diu. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 6. Angel. matrimon. 3. impedimento 10. num. 3. Nauar cap. 22. num. 49, Fernandez parte 3. cap. 19, parag. 2. num. 6. quorum sententiam subscribo, ob eam maxime causam quod per cõuersionem ad fidem, prius matrimonij vinculum non soluitur, nisi cum infidelis, conuersum ad peccatum attrahit aut contumeliam diuino nomini facit: hos enim duos casus duntaxat tangit Innoc. in cap. quanto de diuortiis iudicium penes lectorem esto: *Si enim*, inquit ibi Pontifex, *alter infidelium coniugum ad fidem conuertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat, frater enim vel soror, non est seruituti subiectus in huiusmodi.* Ergo si nihil eorum timebitur, quorum hic meminit Innoc. non licebit conuerso ab infideli discedere, & cum altero matrimonium facere.

Patet ex dictis tres esse causas, cur matrimonia inter infideles contracta dissoluantur, cum alteruter ad Christi fidem conuertitur.

Prima est, cum infidelis, fidelis respuit conuictum.

Secunda, cum non vult sine iniuria Creatoris, cum fideli commorari.

Tertia, cum ex infidelis conuictu, pernicies atque exitium ad fidelem permanat.

QVÆRITVR 2. *Vnde & à quo, beneficium hoc sibi fidelis vendicat, vt à coniuge insolente, & de Deo eiusque religione pessime sentiente, & loquente cum probro, diuertere possit, ac aliam impune, & sine culpa ducere?*

A Christo, ita Bonau. in 4. dist. 39. art. 2. qu. 2 Sotus ibi dist. 27. q. 1. art. 4. colligitur ex loco Pauli 1. ad Corinth. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi*, ac proinde tandiu durat matrimonij vinculum, quandiu fideli est placitum, si enim alteri coniungitur, vinculum omnino dissoluitur, vt notat D. Th. in 4. dist. 29.

Est tamen id laborandum fideli, antequam cogitata de secundis nuptiis consilia, exequi paret, vt alterum admoneat, sibi vt ab iniuria Dei probrisque fidei, ac iniqua suasione temperet: ita habetur expresse in can. Iudæi 28. q. 1. & in Glossa cap. gaudemus de diuortiis.

QVÆRITVR 3. *An conuersus ad fidem, possit relicta infidelis coniuge, emittere votum continentiæ.*

Si est spes aliqua, fore vt tandem aliquando, exemplo viri sui, vxor errorem deponat, ac ad Religionem Catholicam veniat, suadendum est viro, ne se religione voti deuinciat, quia hæc non nisi ægre postea, traduci ad bonam mentem poterit, cum se à viro suo, si minus neglectam, at certe derelictam viderit. Quod si spei nihil elucebit super eius conuersione, ac meliori fruge, & est periculum ne maritus, ex conuictu infidelis fœminæ, damnum capiat, aut hæc eius conuersationem respuit, tunc marito iusta causa suppetit, suscipiendi sacros Ordines, aut profitendi in Religione, qua de re tamen, expedit eam prius moneri, ne se lædam queri possit, aut deceptam à marito.

Quid si marito, sacris iam initiato Ordinibus, aut Professo, Baptismum fœmina expetat? gentium Deos respuat?

Respondeo, ne tunc quidem spem ei vllam fore reditus ad maritum, quod enim leges Canonicæ permittebant hic fecit, Deo admonente seipsum, per votum Religionis, aut castitatis, superis victimam obtulit, quare promissa facere debet, carnis voluptates, odisse, fœminam non nosse, vno verbo caste viuere, quod si est hoc vxori graue, si asperum, hoc tarditati suæ imputet, hoc negligentiæ in amplectenda fide.

Quinetiam existimant Sylu. matrim. 8. qu. 10. Samuel de Lublino, verbo matrim. parag. Cultus disparitas, etsi spes afforet conuersionis in coniuge, & quidem proxima, posse conuersum de religione capessenda consilia capere, eaque perficere vxore licet inuita, ac repugnante, sed hæc sententia non probatur iis, qui negant ius esse fideli dissoluendi matrimonij, nisi cum aliqua de tribus causis allatis q. 1. interuenit.

QVÆRITVR 4. *Quid sit dicendum de muliere, quæ marito conuerso, nupsit alteri & an teneatur redire ad priorem virum, si accidat, illum redire ad simulachra, fide deserta.*

Respond. 1. non posse infidelem sine scelere, nouum coniugium subire, est hæc D Gregor. sententia apertissima, in can. si infideles 28. qu. 1. Contumelia creatoris (inquit) soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur, infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium: nec est ei fides seruanda coniugi, quia propterea discedit ne audiret Christum &c. Idem tradit D. Tho. in 4.

Respondendum est, ad id cogendam esse, quia secundum matrimonium, ab ea contractum est inualide nondum soluto priore, supposito quod maritus, aliam non duxerit, cuius rei argumentum est, quod facultas soluendi matrimonij per transitũ ad secundas nuptias concessa sit fidelibus, in gratiam religionis, non autem alteri permanenti in infidelitate, habetur expresse causa 28. qu. 2. can. si Infidelis vlt *Contumelia quippe creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur. Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium, nec est ei fides seruanda coniugi, quia propterea discedit, ne audiret Christum, Deum Christianorum coniugiorum.*

QVÆRITVR 5. *An vxor, quæ post mariti conuersionem, transit ad alias nuptias, ipso in fide persistente, & ad alias nuptias non transeunte, an vxor* (inquam) *si ad fidem conuertatur, debeat ad priorem maritum redire, secundo derelicto.*

Debet, quia ius, quod marito competit in vxorem, non perit, per conuersionem sui ad fidem, nec soluitur matrimonij vinculum, quod intercedit inter virum & fœminam, quandiu iste post baptismum receptum, alteram sibi non adoptat ad coniugium, sed ex hypothesi maritus cœlebs manst, solaque fœmina nupsit: ergo est hæc marito suo priori reddenda.

Si tamen metus esset, ne minus bene, placideque, isti conueniret cum vxore, aut casus timeretur aliquis grauis ex huiusmodi matrimonio renouato, Pontifex rogandus esset, vt cum eius facultate, liceret dictæ fœminæ, posteriori marito adhærere, cum enim matrimonium eius, cum priori viro, nunquam fuerit ratum, ac insolubile, secundum Nauar. lib. 3. consil. 3. de conuers. coniugator. potest Pontifex ex iusta causa, qualis est præ-

ſens, diſpenſare, vt ad priorem maritum redire ne cogatur, Layman. tractatu 10. parte 2. cap. 3. num. 2.

QVÆRITVR 6. *An ſi in poteſtate conuerſi, qui multas vxores in infidelitate habuit, deligere quam volet, vt cum ea habitet.*

Dico primò. *Si omnes ſunt conuerſæ, iure naturæ adhærendum eſſe primæ.*

Ratio eſt, quod cum ea ſola, matrimonium proprie ſit contractum, non cum aliis: Enimuero ad eius eſſentiam pertinet, vt ſua ſibi mutuo corpora coniuges tradant, at vir, qui cum prima contraxit, dare ſecundæ nihil poteſt, cum quidquid eſt, primæ dederit, ea ergo proprie vera eſt vxor, non alia, vt colligitur ex cap. Gaudemus de diuort. 8.

Dico ſecundò, *Si prima conuerti nolit, accedat autem ad Eccleſiam ſecunda, tertia, aut vltima, liberum erit marito, quam de tribus viſum erit, deligere vxorem:* ita Fernandez loco ante citato, & Samuel de Lublino, verbo matrimon. parag. cultus diſparitas: aiunt enim à Pio V. Gregor. XIII. ita cum Indis & Æthiopibus diſpenſatum, iiſque authoritate Apoſtolica conceſſum eſſe, vt manerent cum ea, quæ Eccleſiæ nomen dediſſet, etſi eſſet de coniugibus vltima.

QVÆRITVR 8. *An coniugi innocenti liceat ac fideli, aliud matrimonium contrahere, ſi vir Apoſtata fiat.*

Reſpondendum eſt non poſſe, Innoc. eſt hæc opinio, expreſſa in decretali quanto 7. de diuortiis, in hæc verba: *ſi alter fidelium coniugum labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc caſu, is qui relinquitur, vinculo altero poſſit ad ſecundas nuptias conuolare, licet in hoc caſu maior appareat contumelia Creatoris*, Cuius rei hæc ab eodem Pontifice ratio redditur, quod *Etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum, inter fideles autem, verum & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit coniugij Sacramentum, vt ipſum in coniugibus ſibi durante perduret.*

QVÆRITVR 9. *An prioris Matrimonij vinculum illico ſoluatur, ac alter coniux ſit Chriſtianus.*

Nequaquam, quia auctore Innoc. III. *Cum veritas in Euangelio repudium reprobet nunquam viuente coniuge, conuerſus licitè poteſt aliam habere, niſi poſt converſionem ipſius, illa renuat cohabitare cum ipſo, aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum*, cap. Gaudemus 8. de diuortiis ergo non illico matrimonia inter infideles contracta diſſoluuntur, ac alteruter ad fidem conuertitur.

QVÆRITVR 10. *An cum infidelis, in ſuum conſubernium fidelem admittere non vult, aut ſi recipit, non ſine fraude fidei, ac probabili pernicie converſi, ipſo iure, prioris matrimonij vincula ſint rupta.*

Ita placet Angelo, in ver. matrim. 3. num. 3. Richardo in 4. diſt. 39. art. 2. qu. 2. Eiuſdem opinionis ſunt Scotus in eand. diſt. art. 1 in ſolut. dub. 2. Anton. in 3. par. tit. 1. cap. 6. Panorm. in quanto num. 6. & 7. & in cap. gaudemus de diuortiis præcipuum & vnicum huius ſententiæ hoc eſt fundamentum, quod Gregor. vt eſt in can. ſi infideles 28. qu. 2. ſcribat his verbis: *Contumelia Creatoris ſoluit ius matrimonij, circa eum qui relinquitur*, nam ſi comierſo, ius eſt migrandi ad nouum coniugium, prius oportet eſſe diſcuſſum.

A Aduerſantur his auctoribus è Theologor. ſchola viri Principes Diu. Thom. in 4. diſt. 39. qu. 1. art. 5. Maior in eand diſt. qu. vn. Palud. ibid. qu. 1. art. 2. can. 3. eandem opinionem complexi ſunt Sylu. in ver. matrimon. 8. qu. 10. caſu 6. Armil. eod. n. 36. his enim non placet fidei Chriſtianæ profeſſione, aut aliqua de tribus cauſis quæ ſunt poſitæ in cap. Gaudemus ceſſare matrimonium infidelium ipſo iure, ſed tunc demum, cum eſt ſecundum, legitime à conuerſo celebratum, quam ego opinionem, priori præferendam exiſtimo, ob hæc verba Innoc. III. in cap. gaudemus citato: *Quod ſi conuerſum ad fidem, & illa converſa ſequatur antequam propter cauſas prædictas, legitimam ille duxerit vxorem, eam recipere compelletur*, hinc enim ſic

B diſputo, infidelis, cum Chriſtiano Bapt. eſt ablutus, ſine nouo conſenſu in priore matrimonio permanet: ergo ante peremptum non erat. Frangi quidem poſſe propter alterutram de cauſis ante memoratis Bonau. aſſerit in 4. diſt. 39. art. 2. qu. 1. & cum alia converſum contrahere poſſe, eius ergo opinione, ac ſenſu, iure ipſo non eſt fractum, ſed frangi poteſt.

Ad teſtimonium Gregor. quo maximè nituntur Aduerſarij, dicendum eſt hæc eius verba. *Contumelia ſoluit ius matrimonij*, ſenſum habere cauſalem, id eſt iuſtam cauſam ſoluendi matrimonij afferre, non autem iure ipſo prioris coniugij

C vinculum incidere, ſignificant ergo non ſolutionem iam factam, ſed cauſam illius faciendæ.

QVÆSTIO X.

An Matrimonium hæretici cum Catholica, aut contra, ſit licitum, & Sacramentum.

DIco primo, *Qui veræ & Catholicæ religionis ſunt alumni, nuptias cum Paganis & Iudais contrahere non poſſe licite*, habetur in Concil. Vrbani relato à Gratiano 27. qu. 1. can. 17. his verbis: *Si quis Iudaicæ prauitatis coniugali ſocietate iungitur ſiue Chriſtiana Iudæo, ſiue Iudæa mulier Chriſtiano, carnali cõſortio miſceatur, quicunque eorũ tantum nefas admiſſe cognoſcitur, à Chriſtiano cœtu atque conuiuio, & à communione Eccleſiæ protinus ſegregetur.* Quod enim cum eſt factum, non laudem & approbationem Eccleſiæ meretur, ſed cenſuram, bene non poteſt ac fructuoſe fieri, ſed ex ſupradicto can. ſacris eſt priuandus, piorumque ſuffragiis ac precibus, quiſquis Chriſtianorum initiatus myſteriis, cum Iudæo, aut Pagano, matrimonij fœdus facit, qua pœna nulla poteſt eſſe grauior, non ſunt ergo huiuſmodi fœdera licita, cum

E in eorum authores, feratur eo loco excommunicatio, iure autem ciuili, pœna quæ in adulteros eſt decreta: lege ne quis Chriſtianam 6. Codice de Iudæis. Sane eiuſmodi coniunctiones, Deo ſic olim inuiſas fuiſſe, narrant monumenta ſcripturarum vetera, vt ob eas proluuie, & inundationibus omnia deleuerit Gen 6. Paulus ideo fideles in priore ad Corinth. cap. 6. adhortatur ne velint, *Iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ conuentio lucis cum tenebris?* Scitum eſt illud 3. Reg. cap. 11. *Et auerterunt vxores alienigenæ cor Salomonis poſt Deos ſuos.* Celebre eſt etiam illud oraculum, quod inſtinctu Spiritus ſancti, Moſes dixit cap. 7. Deuteron. *Quum introduxerit te Dominus Deus tuus, in terram,*

quam

Digitized by Google

quam poſſeſſurus ingrediēris, & deleueris gentes multas coram te, &c. non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis coniugia, filiam tuam non dabis filio eorum, nec filiam earum inges filio tuo.

Dico ſecundò, *Peccare mortaliter, vt plurimum, qui Religionem Catholicam profitens, hæreticæ fœminæ coniux vult eſſe.*

Probatur 1. authoritate Conciliorum, & quidē occurrit primo loco Chalced. in cuius can. 13. matrimonia Patres prohibent eorum, qui fide inter ſe ac Religione differunt. Idem fecere Epiſcopi in Eliberino, *eo quod nulla poſſit eſſe ſocietas fidelis cum infidelis*, can. 16.

Ambroſij quoque lib. 1. de Abraham cap. 9. par fuit ſenſus, nam ibi Catholicum admonet, *ne Gentili aut Iudæo, filiam ſuam tradat ne alienigenam, hoc eſt hæreticam, & omnem alienam à fide ſua, vxorem accerſat ſibi.*

Accedit ad hæc Patrum teſtimonia, ratio ipſa. Exponere ſe periculo amittendæ fidei, culpa eſt veniali maior, At non eſt coniunctio Catholicæ cum hæretico vnquam ab hoc abiuncta periculo, Diu. Thom. teſtimonio in 4. diſt. 39. qu. vn. art. 1. Cajet. in ſumma ver. matrimonium, Nauar. in Enchirid. cap. 22. n. 49. & 4. conſil. iuxta primam edition. titulo de clan deſt deſponſ conſil. vltimo.

Confir. accedere ad Sacramentum, animo non tantum imparato, ſed etiam corrupto per culpam, lethale eſt vitium, at vir & fœmina qui ſocietatem matrimonij inuicem coeunt, religione & fide diſpares, ad Sacramentum animum vt oportet bene præparatum non afferunt, nam ſunt in peccato mortali propter alterutrius hæreſim, & violationem canonum in re graui. Patet ex pœnis, eorum transgreſſioni adiectis per Concilia, nam primò: *Si contra hoc interdictum fecerint parentes*, dando ſcilicet filias ſuas Catholicas hæreticis, *& abſtinere per quinquennium*, placuit Patribus Concil. Eliberini can. 16. Decreto autem Chalcedonenſis Concil. pœnis regularibus ſubeſſe debent: *Si quis*, inquit Concil. can. 13. *hanc definitionem ſanctæ Synodi præterierit, regularibus condemnationibus ſubiaceat.*

Dixi (vt plurimum) quia cauſæ eſſe aliquæ iuſtæ poſſunt homini Catholico, ſumendæ ſibi fœminæ hæreticæ, in vxorem, aut contra Catholicæ, nubendi hæretico: Ita Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 72. num. 5. Azor. to. 1. lib. 8. cap. 11. q. 5. Coninch. de Sacram. diſp. 31. dub. 3. concluſ. 3. Bellarm. de matrim. lib. 2. cap. 23. Anton. Diana de Sacram. tract. 4. reſol. 269. *& quidem in locis, vbi hæretici, mixti cum Catholicis palam habitant, & agunt, ceſſante omni coniugis, & prolium periculo*, inquiunt Sanch. & Coninch. loco citato num. 45. *licite Catholici cum hæreticis contrahunt, & hoc ibi ſicut alia negotia permittitur.*

Cauſæ autem, quæ à culpa excuſant in hoc contractu, Catholici cum hæretica, ſunt ſpirituale commodū alterutrius è coniugibus & ſpes magnæ vtilitatis, vt augendæ, & propagandæ Eccleſiæ, tranquillandi ſtatus, aut libertatis procurandæ Catholicis, qui ſub aliquo Rege aut Principe oppreſſi tenentur Anton. Diana loco proxime cit. ſpes conuertendi ipſiuſmet hæretici, quem Catholica ſibi virum vult eſſe.

Sane in hoc caſu, matrimonium eorum eſſe licitum, habent duo Concilia, Laodicenum & Chalcedonenſe, illud quidem can. 21. iſtud autem 15. his verbis; *In matrimonio iungi non oportet hæretico, Iudæo, vel Pagano, niſi forte ſpoponderit, ſe venire ad orthodoxam fidem, dum coniungitur perſonæ orthodoxæ.* Et tunc non peccare Catholicum, ducendo hæreticam in vxorem, docent expreſsè Candid. diſquiſ. 28. de matrim. dub. 34. Laym. ante citatus; cuius effati cauſa duplex eſſe poteſt, prima, quod in Sacram. matrimonij, quilibet contrahens in ſententia probabili illud ſibi miniſtret non Parochus, nec alter cum quo vel qua contrahitur. Secunda, quia in caſu propoſito, Catholicus non cooperatur peccatis hæreticæ fœminæ, ſed illud permittit ob eius bonum ac conuerſionem ad fidem.

Patet hinc reſponſio ad quæſtiones duas. Prima eſt, ſitne intrinſece malum, Catholicum copulari hæreticæ, vel contra.

Secunda, an matrimonium infidelis cum fideli, iurè naturæ aut diuino ſit irritum.

Ad priorem Reſpondeo, mihi videri vero ſimilius, id cum natura non ſic pugnare, vt malum dici poſſit intrinſecè. Quia quod eſt tale, eſt humana poteſtate indiſpenſabile, at ex graui cauſa diſpenſare poteſt Pontifex, vt fidelis cum hæretico, aut non baptizato contrahat, Candid. to. vlt. diſquiſ. 28. dub. 35. maximè ſi ſcandalum non timetur, nec eſt periculum peruerſionis in Catholico, & ſpes elucet magni quæſtus, bonique ſpiritualis ex tali matrimonio, Laym. to. 2. lib. 5. tract. 10. parte 4. cap. 14. num. 2. Ita anno 1596. circiter conceſſit Clemens VIII. Henrico II. Duci Barrenſi, vt Catharinam Nauarræam Henrici Magni ſororem, à Catholicorum ſacris, fideque alienam, in vxorem, ſibi à fratre, potentiſſimo Principe oblatam acciperet, & noſtra memoria, à Paulo eius nominis V. indultum Henriettæ lectiſſimę Principi meminimus, vt Britanniæ Regis, hominis hæretici, vxor eſſe poſſet. Hinc enim ſic argumentamur, Papa diſpenſare non poteſt cum vllo, ei vt ſit integrum facere ac impune, quod malum eſt naturâ ſuâ, ac intrinſece, quia cum malitia, actioni tali ſit innata, ab ea nullius puri hominis authoritate, ſeiungi poteſt: ergo cum Catholico interdum liceat per Pontificem, tranſire in familiam hæreticæ, ac eam habere coniugem, non ſunt eorum nuptiæ de earum rerum genere, quæ turpes ſint ac malæ intrinſece.

Confirmatur, id non eſt intrinſece malum, quod circunſtantiis aliquibus additis, aut mutatis, licite, & ſine peccato poteſt fieri, patet exemplis ex odio Dei, & mendacio petitis, quæ in nullo caſu, nec ob quemcunque bonum finem vlli ſunt permiſſa. Sed nubere Catholica mulier, viro hæretico poteſt, ſine peccato, quando vtriuſque coniunctio magnum allatura commodum creditur integræ alicui prouinciæ aut regno, aut ipſimet hæretico, cuius ſperatur conuerſio per tale matrimonium, & aliunde nihil eſt, quamobrem timeri poſſit proli futuræ, quia eam hæreticus, paſſurus eſt Catholicis præceptis ac moribus imbui Coninch. diſp. 31. de Sacram. dub. 3. num. 43. Sanchez lib. 7. diſp. 72. & alij ante citati: maneat ergo, matrimoniū hæretici cum Catholica, intrinſece malum non eſſe.

Obiicies miniſtrare Sacramentum indigno ſcienter, malum eſt intrinſece. At Catholicus contrahens cum hæretica, Sacramentum ſibi adminiſtrat nec ſine peccato, cum violet Conciliorū ac Pontificum præcepta, in re graui.

Neganda eſt minor, quia vir proprie reſpectu ſui non eſt miniſter Sacramenti matrimonij, ſed fœminæ cum qua contrahit, vt enim ille huic ad-

miniſtrat Sacramentum, ita & hæc viro.

Dices ergo vt fœmina peccat mortaliter miniſtrãdo Sacramentum in malo ſtatu ita & Catholicus. Sequela eſt vera, negamus tamẽ hoc miniſterĩ intrinſece malũ eſſe, quia poteſt bene fieri, & obligantur cõtrahentes ei vacare vt oportet, cum gratia, quod autem hæreticus deſit officio, vertì debet vitio, non Catholicæ, quæ cum ius habeat petendi ab eo Sacramenti, etiam habet poteſtatem miniſtrandi, cum recipere illud non poſſit niſi miniſtrando.

Confir. nec Parochus peccat dando Euchariſtiam publice ei, quam ex confeſſione nouit eſſe in peccato mortali, quia hanc ei in tali circunſtantia negare non poteſt ſine ſcandalo, ex quo patet, quod talis miniſtratio intrinſece non ſit mala, & coniuncta culpæ, alioqui nunquam eſſet ex cauſa licita. Similiter permiſſum eſt ſubdito, petere à ſuo Parocho quem ſcit eſſe in malo ſtatu, Sacramentum confeſſionis, quia cum ius ad illud habeat, & Parochus poſſit cũ Dei gratiâ ſi velit, pœnitere, & confiteri, & ita ſine culpa aures dare confitenti, & illum abſoluere, vt tũc ergo non cenſetur pœnitens eſſe cauſa peccati admiſſi à Confeſſario, illum abſoluendo in malo ſtatu, ita nec Sacramenti pœnitentiæ receptio, & adminiſtratio à Parocho imparato, mala eſt natura ſuâ, & intrinſece. Quia non eſt intrinſece malum ob vtilitatem ſuam, aliquid dare, aut petere ab eo, qui dare, & recipere illud bene poteſt etſi ex malitiâ, non ſit hic, & nunc, illud ipſum recepturus ſine culpa. Exemplum eſt in mutuo, quod non eſt quis daturus ſine vſura, & in iuramento, quod quis non eſt facturus ſine periurio, quæ tamen peti, & dari poſſunt honeſte, & licitè, cum tàm mutuans, quam iurans, per contritionem conſtituere ſe poſſint in ſtatu gratiæ, & vitare cum auxilio Dei peccata, quibus eſt infeſta hominum vita. Quare cum tam hæreticus, quam Catholica, matrimonium bene & religioſe poſſint contrahere, hæreticus quidem, eiurando hæreſim, Catholica non nubendo niſi homini ſuæ religionis, non eſt eorum coniugium, de genere rerum, quæ ſunt ita malæ intrinſece, vt nulla circunſtantia, reddi licitæ queant: ita Sanch. loco ſupra citato de Lugo de Sacram. diſp. 8. ſect. 14. n. 226.

Obiicies ſecundo, exponere ſe periculo peccandi peccatum eſt, habet enim eiuſmodi expoſitio, voluntatem virtualem, ac interpretatiuam affectus ad peccatum, in cuius ſe diſcrimen ac periculum quis cõiicit. At amari malum nequit, ſine malo ac vitio: ergo nec periculum eius admittendi, malum ergo eſt intrinſece, ſe peccandi periculo exponere. At illud ſponte depoſcit ac volens, qui hæreticam ſibi vxorem eligit, *cum enim non ſit vllius mulieris ſocietas approbabilis, quæ colliſiones habet, veluti quibuſdam fluctibus turbulentas.* Cypr. de ſingular. Clericor. tùm maximè hæreticæ, vt enim ſpeculum etiam terſiſſimum, maculam trahit ab anhelitu, ſic homo cæterà optimus, ab hæreticæ vxoris ſocietate, labem in fide ac moribus ſolet recipere: *Mulier*, inquit Cypr. de ſingular. Clericor. *gluten eſt delictorum, viſcum taxicatum, quo Diabolus aucupatur*, hæretica ante cæteras. At quanti hac vna peſte perierunt, qui venenum infidelitatis, quod fortiter reſpuerant auribus, hauſerunt fœminæ moribus, & exemplo? Blanditur, orat, lachrymatur, ſe miſeram, ſe marito exoſam clamitat, niſi hic eam vt affectu, ſic religione, & moribus in vita referat vix Eua deliquerat & mox in ſocietatem peccati, maritum attraxit. Veriſſime Romanus ſapiens lib. 3. de ira, cap. 8. *Sumuntur*, inquit, *à conuerſantibus mores, & vt quædam corporis vitia in contactos tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus, conuictores ſuos in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem quoque & ſi licenum virum emollit. Dum ſpectant laſos oculi, laduntur & ipſi.* Quæ omnia eo ſpectant, vt intelligamus, fieri raro poſſe, vt hæreticæ fœminæ, quiſquam aſſueſcat, ſine manifeſto peruerſionis eius ac corruptelæ diſcrimine, cui cum ſe exponere intrinſece ſit malum, à malo non aberit viri Catholici cum hæretica, vel contra, Catholicæ cum hæretico connubium.

Maior non eſt abſolute vera, ſed tantum, cum cauſa iuſtâ nulla, ac probabili, peccandi periculum cui ſe quis obiicit, ſpeciem honeſti trahit, vt enim dicebatur antea, vbi ſpes eſt aliqua iuuãdi proximi, propagandæ Eccleſiæ, expugnandæ hæreſis: tranquillãdæ prouinciæ, hæreticum quo cũ celebratur matrimonium, traducendi ad fidem Catholicam, Catholicæ eſt in laude, illum ſibi virum poſtulare, Ratio eſt, quod etſi vt habet Baſil. Pontius de matr. in append. cap. 6. exponere ſe ſalutis amittendæ periculo, ſit peccatum, non tamen de eorum genere, quæ quauis circunſtantia poſita, vel ablatâ ſuam deformitatem retinent, nam tota culpæ ratio, quæ eſt in eo, quod quis ſe periculo offerat, pendet ab hac aut illa circunſtantia mala, cui cum non præualet cauſa neceſſaria aliqua, vtilis, aut honeſta, quærere periculum peccandi, aut illud non vitare, eſt peccatum.

At in aſſertione ſupponitur iuſtam eſſe cauſam vito Catholico, deligendæ ſibi vxoris hæreticæ, maculam ergo non habet vllam à periculo amittendæ fidei eius coniugium cum aliena à ſacris noſtris fœmina. Quod autem culpa omnis ceſſet, cum cauſa vtilis aliqua, aut neceſſaria, periculum peccati admonet vitandum non eſſe, ſed vltro ac ſponte depoſcendum. ſcripſere Diu. Thom. 22. qu. 16. art. 9. Armilla ver. periculum Sanch. in ſumma to. 1. lib. 1. cap. 8. num. 3. Nauar. in manuali cap. 3. num. 14. Caiet. in ſumma verbo periculum num. 2. *Secundo*, inquit, *eundo ad locum ſine ſocietatem, vbi eſt periculum peccandi mortaliter propter aſpectum, perſuaſiones, commoditates, aut aliquid huiuſmodi, & hoc quidem ſi ſine vrgentis neceſſitate ſit, ad incautelæ peccatum ſpectat. Non eſt autem ex ſuo genere peccatum mortale, quia in ſuæ libertatis arbitrio reſtat peccare mortaliter, etiam præſentibus talibus occaſionibus peccandi.* Hæc Caiet. quæ videntur confirmari poſſe hac ratione. Qui in certum peccandi diſcrimen, ſciens ſe ingerit, ſpe illectus ſecuturi commodi, non periculum ipſum, ſed bonum, quo tamen ſine periculo peruenirì nequit, amat ac diligit: ergo cum peccatum, ſine voluntate ſit nullum, nec hæc feratur in periculum, ſed tantum in bonum, ad quod periculum iter ſternit, eius permiſſio ex cauſa iuſta, culpa vacat: & ita ex obiectione allata, nullum ſit aſſertioni præiudicium.

Quæſtio fuit altera, *An matrimonium infidelis, cum fideli, iure naturæ aut diuino ſit irritum.*

Non eſſe, probat hæc ratio. Nihil eſt in natura, quod coniunctionem hæretici, Pagani, aut Iudæi, cum Catholica, inanem reddat ac nullam. Non religionis ac morum diſparitas. quid enim vetat, inuicem coire animos religione ac cultu diſſimiles in ſocietatem ac fœdus connubij? *Matrimonium enim conſenſus facit.* Iuo Carnot. epiſt. 46. quod ex vtriuſque voluntate, viri ſcilicet & fœminæ,

Digitized by Google

coaleſcere eſt certum, at quis exiſtimet Iudæo, ſi naturæ iura ſpectentur, non Eccleſiæ, poteſtatem ademptam omnem eſſe, tradendi ſe Catholicæ in virum, & vice verſa. Ecquid enim ambo ſui ſunt iuris? ecquid ſe dedere mutuo alter alteri, ſine cuiuſquam iniuria poſſunt? ergo & conſentire in matrimonium, cum quo, eiuſque vſu, aueo ſcire de aduerſariis, quam tandem fidei, ac religionum diuerſitas, repugnantiam à natura habeat?

Nec eſt etiam matrimonium fidelis cum infideli irritum iure diuino. Quia tale ius, non extat in lege gratiæ, in qua matrimonium prout habet rationem contractus qui mere eſt ciuilis, relictum eſt primæ ſuæ inſtitutioni.

Huic quæſtioni affinis eſt quæ proxime ſequitur. Nempe: *An Catholici matrimonium, cum hæretica, aut contra, ſit validum, & Sacramentum.*

Validum eſſe probant rationum momenta plurima, quæ cuique in mentem venire poſſunt, præcipuæ hæ mihi videntur eſſe.

Prima, quod hæreticorum nuptiæ, requiſita omnia habeant ad ſubſtantiam veri matrimonij, in ratione contractus, includunt enim conſenſum voluntarium inter partes liberas, ratione præditas, nõ coactas, non impuberes, non affines, nec vllum aliud impedimentum habentes, quod ad dirimendum matrimonium ſufficiat, nihil ergo deeſt hæreticorum nuptiis ad verum contractum.

Secunda, qui contractus, eſt traditio reciproca corporum, viri & fœminæ, eaque rata & efficax, hic vere, & proprie eſt matrimonium, at hæreticorum coniugium eſt tale,

Primo, quia toleratur in Eccleſia, nec punitur à Repub. vt neceſſe eſſet, ſi foret eorũ inter ſe coniunctio inceſta, ſi nulla, ſi veri contractus legibus oppoſita, nam Francica lege Henrici III. inſerta comitiis Bleſenſibus anni 1581. & Cæſarea Theodoſij, lege 1. Cod. ſi nuptiæ ex reſcriptis: contra illicitos thoros, eadem pœnarum ſeueritate eſt læuiendum Magiſtratui, quâ contra concubinarios aut raptores.

Secundo, quia ſunt liberi, ex coniugio hæretici cum Catholica, aut contra, vel hæreticorum inter ſe, Gallica lege legitimi, quales non habendi alij, quam qui ex legitimo matrimonio, & probato per Eccleſiam ſunt nati, Papon. author 3. notarior. li. 4. & tit. de litteris & diſpenſ & lib. 6. tit. de legitimat. & aperte colligitur ex decret. Innoc. III. cap. cum inhibitio copulæ, paragr. ſi quis de clandeſt. deſponſ. vbi hæc leguntur: *Si quis vero huiuſmodi clandeſtina, vel interdicta coniugia inire præſumpſerit in gradu prohibito, etiam ignoranter, ſobolem de tali coniunctione ſuſcepta, illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia, nullum habitura ſubſidium.* Cum ergo hæreticorum liberi cenſeantur legitimi, & vt tales, in eorum hæreditatem veniant, non poſſunt eorum matrimonia, non eſſe rata, ac valida.

Addo inſuper ea Sacramenta eſſe, in iis enim eſt remota materia, perſonæ ſcilicet baptizatæ, habent & propinquam, verba, nutus & ſigna, cum conſenſibus, prout à ſeſe inuicem determinantur, nec forma deeſt, nempe verba, aut nutus, & ſignia, quatenus ſe mutuo ad conſenſum ſignificandum perficiunt.

Confirmatur, nullum eſt inter baptizatos coniugium, quin ſit Sacramentum, ſecundum Ægid. ante citat. & Laym. par. 2. tract. 10. cap. 2. num. 2. quia ratio Sacramenti, ex inſtitutione Chriſti, eſt annexa contractui matrimonij, qui hoc ipſo quod eſt ciuiliter validus, eleuatur à Deo ad eſſe ſupernaturale Sacramenti. At eſt coniugium hæretici cum Catholica, vel contra, aut hæreticorum inter ſe, verus contractus ciuilis inter baptizatos, quo mutuo corpora ſua ſibi tradunt: ergo & Sacramentum.

Obiicitur primo, hæretici, non credunt matrimonium eſſe Sacramentum: ergo nec intendunt illud recipere: ergo nec vere illud recipiunt.

Conſeq. probatur, Sacramentum ab intentione miniſtri pendet vt ſit, hæretici talem habere nequeunt cum matrimonium contrahunt: ergo eorum matrimonium non eſt Sacramentum.

Neganda eſt prima conſeq. quia quicunque ex baptizatis, verè matrimonium contrahit, etiam virtualiter Sacramentum accipere intendit, modo id velit exequi, quod eſt Eccleſiæ propoſitum in vſu cæremoniarum, quæ ex Chriſti inſtitutione faciunt Sacramentum, at id hæretici ſatagunt, interrogati enim quid contrahendo ſpectent, quid quærant, aut velint, reſponderent id ſe velle quod Chriſtus inſtituit, & matrimonium contrahere vt fideles faciunt & eſt conſuetum in Eccleſia, quæ generalis intentio ſufficit, cum conſenſu declarato per verba, ad ponendum Sacramentum. Laym. tract. 10. cap. 2. n. 2.

At non credunt Matrimonium eſſe Sacramentum. Omnino, ſed inde non ſequitur ab eis propterea non fieri, quia fides in Miniſtro, non eſt neceſſaria, ad validitatem Sacramenti, vt dicitur 1. qu. 1. can. ſic autem 35. can. ſicut can. ſic iuſtus 30. can. dedit Baptiſmum Iudas 45. Sitamen abſolute loquendo nollent hæretici Sacramentum recipere, conſequens eſſet, vt neque matrimonium vellent contrahere, & ſic eorum contractus eſſet irritus vt notauit Sanch. lib. 2. diſp. 10. n. 6.

Obiicitur ſecundo, Matrimonium quod eſt clandeſtinum, vt eſt irritum, ita nec eſt Sacramentum, at ſunt hæreticorum coniugia omnia clandeſtina: ergo nulla, ergo nec Sacramenta.

Reſpond. ad maior. matrimonium clandeſtinum in iis tantum locis non eſſe ratum, vbi lex concilij eſt recepta, at in Gallia & Germania, vbi hæretici cum Catholicis promiſcuè viuunt, decretum Concil. Trident. quoad illos non eſt admiſſum, indicio eſt, quod eorum liberi, decreto Senatus cenſeantur eſſe legitimi, quales eſſe nequeũt nati ex illicito coitu. Deinde etſi Chriſtianiſſimorum Regum decreta multa extent de hæreticorum connubiis, vt Caroli IX. & Henrici III. qui ea in gradu prohibito inita, voluere irrita eſſe ac nulla, de eorum tamen clandeſtina contrahendi ratione, mẽtio ab iis facta eſt nulla, quod eſt argumẽto, eam illis annuentibus ratam eſſe, alioqui improbaſſent, vt improbarunt factam in gradu prohibito.

Ita probabile mihi eſt (ſaluo in omnibus aliorũ meliori iudicio) nuptias hæretici cũ Catholica ritas non eſſe, etſi abſente Parocho & teſtibus initas, quod Curiæ Pariſienſis iudicium eſſe, indicat reddita in cauſa filij Præſidis Nannetenſiũ, ſententia. Enimuero cum eius Pater in Senatu contenderet, nuptias quas ſe inſcio ac ignorante cum hæretica puella contraxerat, inanes eſſe, proindeque reſcindendas, quod eis non Parochus, ſed Caluinianus Miniſter interfuiſſet, Senatus cenſuit, recte factas videri, nec in iis quidquam ſubeſſe vitij.

Attenetur Tridentini lege Catholica mulier: ergo cum hæretico nubit, debet in Parochi ſui oculis, mentem ſuam, ſuper matrimonio exprimere.

Neganda eſt conſequentia, quia lex Concilij non obligat, niſi quatenus, & quomodo eſt recepta: at quoad hoc, receptam non eſſe, vt teneatur Catholica mulier, ad validitatem matrimonij quod cum hæretico init, vti ſuo Parocho, indicat primo praxis ipſa regni 2. liberorum ex eo ſuſceptorum qualitas, qui ſunt, & cenſentur in regno legitimi ac vt tales patriam & auitam hæreditatem ineunt, quo priuilegio gaudere non poſſent, ſi eſſet Catholicæ matrimonium, cum hæretico inualidum, ex defectu Parochi ac teſtium.

Obiicitur tertio, Congregationem, quæ controuerſijs Concil. dirimendis eſt præpoſita, cenſuiſſe hæreticorum matrimonia, in quibus locis promulgatum eſt Concil. nulla eſſe, facta ſine Parocho.

Reſpondend. primo, id ſpectare Belgij prouincias, non Galliam, cum de illis, non iſta, ſpecialis eſſet apud Cardinales inſtituta quæſtio. Deinde dico, ſolus eſſe Pontificis, ac Regis, ius dicere Galliæ, & illius quidem, in his quæ ad externam politiam pertinent, non niſi approbante Principe.

Obiicitur quarto, tale connubium, iudicatum eſſe à Patribus, irritum ac nullum, in Concil. Quinti ſexti ſic enim illi can. 72. *Non licere virum Orthodoxum cum muliere hæretica, nec Orthodoxam cum viro hæretico copulari, ſed ſi quid eiuſmodi ab vllo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimari, & nefarium coniugium diſſolui.*

Reſpondendum eſt tales nuptias dici irritas, quoad effectum Sacramenti, qui eſt gratia, quam hæreticus, & Catholica contrahentes, contra leges Eccleſiæ non recipiunt, vt pote eam impedientes per peccatum ſuum, eorum tamen matrimonium, propter characterem Baptiſmi, quem hæreticus retinet, ratum eſſe Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 8. Longus in ſumma Concil. can. 72.

QVÆSTIO XI.

An matrimonium ſit in Præcepto, & quis eius author.

DE Matrimonio præceptum extare naturale aut poſitiuum, proprie ſumptum, negauit Medina lib. 4. de ſacrorum hominum continentia controuerſia prima, ſed tantum impropriè, in quantum naturæ congruit, hominem ſtirpis cauſa coniungi mulieri, per matrimonium, ad quam coniunctionem quia natura propendet, coniugij actus, ab eiuſmodi appetitu profectus, naturalis dicitur, id eſt naturæ conformis, quod non impedit, quo minus iuri ſuo renuntiare quis poſſit, ac ſibi in tali propenſione vim inferre, hoc poſito.

Dico primò, *Deum authorem eſſe Matrimonii*, eſt contra antiquos, qui Cecropem Athenienſium Regem, inſtituiſſe nuptias ante Deucalionis tempora credidere, ob eamque cauſam, bifrontem dictum eſſe, ſed noſtra aſſertio eſt de fide, loquendo de matrimonio vt eſt Sacramentum, etenim ſeſſ. 24. Trident. Concil. can. 1. Patres eum pro anathemate haberi volunt, *qui dixerit Matrimonium non eſſe verè & propriè Sacramentum vnum ex ſeptem legis Euangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum.*

Matrimonium eſt etiam à Deo in ſtatu innocentiæ, ante peccatum in Paradiſo voluptatis, primis parentibus imperatum, Geneſ. cap. 2. his verbis: A *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*, ibique inſtitutum, *vt eſſet immaculatus thorus, & honorabiles nuptiæ, ex quibus ſine ardore concupiſcentiæ conciperent, & ſine dolore parerent*, 32. qu. 2. can. ſicut nunc 2. fuit ergo matrimonium in eo ſtatu inſtitutum, in officium naturæ ſimpliciter, ratione prolis procreandæ, ad reparationem Angelorum.

Secundo inſtitutum eſt à Deo matrimonium, in ſtatu naturæ corruptæ, poſt diluuium, cum Noemo, & eius liberis egreſſis ex arca in libertatem, matrimonij præceptum dedit: *Vos autem creſcite, & multiplicamini, & ingredimini ſuper terram, & implete eam*, Gen. 9. & matrimonij tùm inſtituendi cauſa fuit, naturæ infirmitas, quæ prona ad ruinam B turpitudinis, & libidinem, honeſtate coniugij iuuari debuit: vnde Apoſtolus ad Corinth. ſcribens ait, *Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem, & vnaquæque ſuum virum habeat.*

Tertio, inſtitutum eſt matrimonium in ſtatu naturæ reparatæ, Matth. 19. non ſolum ad duos ſupradictos fines, ſed etiam in Sacramentum, vt gratiam conferat, de quo Trident. ſeſſ. 24. can. 1. & ſequentibus, & nos toto hoc tractatu.

Altera quæſtio fuit, *An Matrimonium ſit in præcepto*, de qua priuſquam quid ſentiam, aperium.

Notandum eſt, duobus modis, aliquid eſſe in præcepto.

Primo, ſic vt ad omnes pertineat, altero ad ali- C quos tantum.

Notandum ſecundo, aliquid eſſe poſſe in præcepto multimodè, naturali ſcilicet, diuino, & ciuili.

Notandum tertio, aliquid eſſe de iure naturæ duobus modis primario & ſecundario, de iure naturæ primario, ſunt principia prima, per ſe lumine naturæ nota, & concluſiones quæ inde deducuntur apertè & clarè, vt quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. De iure naturæ ſecundario, ſunt hæ concluſiones, quas non eſt euidens ac notum omnibus, perſpicue deduci ex primis principiis, ſed tantùm ſapientibus, aliis autem probabiliter, aut nullo modo, his præſuppoſitis.

Dico primò, *Matrimonium eſſe de iure diuino, ciuili, Canonico, & Gentium*, diuino quidem quoad D inſtitutionem, Gentium, quantum ad conſenſum, quo contrahitur Ciuili demum ac Canonico, quàtum ad ſolemnitates & prohibitiones, exceptis iis, quæ ſunt de matrimonio non contrahendo in linea recta aſcendentiũ & deſcẽdentiũ, & collateraliũ in primo gradu, nam hæ prohibitiones ſunt de iure diuino vt eſt in decretali Innoc. III. cui initium eſt litteras 13. de reſtitutione ſpoliatorum.

Dico ſecundò, *Matrimonium, eſſe de iure naturæ ſecundario.*

Primo, quia à natura illius rei eſt præceptum quod eſt neceſſarium ad bonum publicum, at tale eſt matrimonium, cum ab eo dependeat humanæ E ſobolis propagatio ex D. Th in 4. diſt. 26. q. 1. ar. 2.

Secundo, eſt id de iure naturæ ſecundario, in quod quiſque fertur naturæ impetu ac pondere: tale eſt coniugium, vt pote, quod eſt ad conſeruationem ſpeciei conuenientem neceſſarium: ergo eſt matrimonium hoc ſecundo modo de iure naturæ, nempe quoad inſtinctum coniunctionis, & conſeruationem ſpeciei.

Tertio finis coniugij eſt generatio, & debita prolis educatio: at cum eo ſane pugnant vagi concubitus, vt natura ipſa docet: ergo eadem inſpirante ac duce, certus eſt eligendus ad ſuſceptionem prolis, qualis tantum eſt maris & fœminæ in ma-

Digitized by Google

trimonio: eſt ergo matrimonium de iure naturæ quoad inſtinctum coniunctionis, & ſuſceptionem prolis,

Dico tertiò, *Nullum tamen eſſe hoc tempore præceptum, ſingulos actu, & nominatim obligans, ad contrahendum matrimonium*, quia 1. ad Corinth. 7. laudatur virginitas. *Dico autem non nuptis*, inquit Paul. *& viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint ſicut & ego.* Et infertur. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene iungit & qui non iũgit melius facit*, quibus verbis indicatur, cœlibatum in laude eſſe, nec proinde matrimonium, omnibus eſſe neceſſarium, quod caſtitati eſt poſtponendum, ex Trid. ſeſſ. 24. can. 10.

In caſu tamen neceſſitatis, obligatur communitas, aut certè eius authores, membra Reip. cui præſunt, ad illud cogere, quia bonum commune præſtat priuato, eique anteferri debet, ſed propagatio generis humani, bonum eſt commune, cum omnes reſpiciat, continentia autem, priuatum, vnius, aut paucorum, ergo hæc eſt illi poſtponenda, cum neceſſitas communis exigit. Quare peccarent vir & fœmina, ſi in extrema neceſſitate, qualis foret, ſi orbis ad eos duos redactus eſſet, matrimonij ſocietatem inter ſe coire nollent, quia tunc maximè ſi vnquam, præceptum eſt de ſeruando humano genere per matrimonium. Nec ſimiliter culpa vacarent, qui copulari inter ſe nollent, cum eſt eorum coniugium, ad ſedandas lites, aut finiendæ bella neceſſarium. Quanquam non habet hæc neceſſitas originem præciſè, tam ex præcepto contrahendi matrimonij, quod obligat tantum ratione multiplicandæ ſpeciei, quam ex mandato, quod ſingulis eſt impoſitum, vitandi peccati, & impediendi ſcandali cum poſſunt.

Dixi in aſſertione actu & nominatim obligans, quia etſi præceptum de matrimonio in neceſſitate faciendo perſeueret, non tamen actu, & in particulari obligat.

Prima pars probatur, Deus præceptum nullum naturale abrogauit in lege reparatæ gratiæ, ſed tantum cæremoniale, quale non eſt iſtud de ducenda vxore in neceſſitate.

Pars ſecunda, ſic oſtenditur, præceptum de ineundo matrimonio actu non obligat niſi in neceſſitate, at nunc talis nulla cernitur. Remanet tamen præceptum, cum per ceſſationem neceſſitatis, præciſè non ceſſet, ſed actu non obliget hoc tantum.

A 2. & verba Innoc. allata.

Confir. Reus eſt adulterij, quiſquis dimiſſa vxore, aliam ſibi copulat Matth. enim 19. & Lucæ 16. abſolute dicitur: *Omnis qui dimittit vxorem, & aliam ducit, mœchatur*: at ſi virum vnum, pluribus fœminis ſociari non eſt malum, ducendo ſecundam, & tertiam, ac iis ad vſum matrimonij vtendo, adulter audire non poterit, quia erunt eius vxores, à quibus marito permiſſum eſt, ſuſcipere liberos.

Dico ſecundò, *Nulli citra diſpenſationem fas eſſe, viuente prima vxore, ſecundam ducere*: Ita Innoc. in cap. citato de diuort.

Ratio eſt, quod per matrimonium, vir totum ſe quantus eſt, tradit fœminæ: quare iuris ſui eſſe deſinit, vt tranſeat in alienum, nempe fœminæ: ergo cum ſecunda, ſecundas contrahere nuptias non poteſt.

B Conſeq. probatur, eſt de eſſentia connubij, vt per illud, plena & integra fiat, corporum à ſponſis in ſeſe inuicem traditio: at hæc à viro, ſic eſt in fauorem primæ coniugis facta, vt quod tradat alteri, plane nihil ei ſit reliquum, non poteſt ergo vir vnus, ſecundã vxorem ducere: *Quæ ſententia*, inquit Inn. III. probatur etiam de teſtimonio veritatis teſtãtis in Euang. *quicunque dimiſerit vxorem ſuã niſi ob fornicationem mœchatur. Si ergo vxore dimiſſa, ducit de iure alia non poteſt fortius & ipſa retẽta, per quod euidenter apparet, pluralitatem in vtroque ſexu, cum non ad imparia ſuderentur, circa matrimonium reprobandam*, cap. Gaudemus 8. de Diuort.

C Obiicitur primo, quod eſt de iure naturæ, id eſt Gentibus cum Chriſtianis commune, at Indi, non vnam, ſed plures ſibi fœminas, matrimonij lege addictas habent.

Secundo, & Iudæis, in vſu fuit olim, propagare ſobolem, coniugum operâ plurimarum, quas enim concubinas ſcriptura nominat, fuiſſe illis vxorum loco, narrant Patres, etſi eſſent dignitate præcipuis impares, cum eadem non eſſet in familia, ac ſeruorum regimine, earum authoritas ac vxorum. Sane inter Salomonis coniuges quæ ſeptingentas excedebant, quædam appellantur Reginæ, quod vna cum ſcepiri, ac diadematis honore, eodem quoque lecto fruerentur, vt author eſt Pineda de reb. Salomon. Deinde palam, ac cum pompâ, præcipuæ coniuges tranſibant in vni familiam, non concubinæ, quare & earum filij, hoc à præcipuarum coniugum liberis differebant, quod iſtis daretur hæreditas, non aliis iuxta ſcript. Geneſ. 15. vbi Abraham filiis Concubinarum munera tantùm dediſſe dicitur hæreditate tranſiuiſſa in Iſaac.

E Ad primum, Reſpond. eſt, eo tantum probari, matrimonium vnius, cum vna, de iure naturæ primario non eſſe, de ſecundario autem non cuincere. Nam cum ratio in illis nationibus, valde per peccatum langueat, ſi nunus fracta: at certe debilitata in multis, non poſſunt niſi magno labore, ac ægre colligere, vt pote ex principiis quæ ſibi non ſunt cognita, pluralitatem fœminarum eſſe iure naturæ prohibitam, ac matrimonio oppoſitam.

Ad ſecundum reſpondebitur ſequenti quæſt.

QVÆSTIO XII.

An Matrimonium ſit vnius cum vna.

D Ico primò, *Matrimonium ex prima ſuâ inſtitutione requirere vt ſit vnius tantum cum vna*, lubet audire Innoc. III. ea de re diſputantem in cap. Gaudemus de diuortiis his verbis. *Abſonum videtur, & inimicum fidei Chriſtianæ, quum ab initio vna coſta, in vnam fœminam ſit conuerſa, & ſcriptura diuina teſtetur, quod propter hac relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna, non dixit tres aut plures, ſed duo, nec dicit adhærebit vxoribus ſed vxori, nec vnquam illi infimul plures licuit habere vxores niſi ex reuelatione.* Sane ſi liceret vni cuipiam homini plures vxores habere, iam non eſſent duo in carne vna, ſed quatuor, quod eſt contra Scripturam Geni-

QVÆSTIO XIII.

An Polygamia ſit licita & ſi non eſt, quo iure.

LIcitam eſſe tradit Luther. in propoſitionibus 65. & 66. de Bigamia Epiſcoporum, quod cuique non ſit, non laudabile, Patriarcharum acta, moreſque, ſequi in vita, & opere.

Sententia Catholica fide certa, habetur in ſeſſ. 24. Concil. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis, plures ſimul habere vxores, & hoc, nulla lege eſſe prohibitum, anathema ſit.* Quaid ergo lege vetetur, iam eſt videndum, cum de eo nihil ſcribat Concilium.

Quidam vt Abulenſis 1. Reg. cap. 8. qu. 25. Durand. in 4. diſtinct 33. qu. 1. credidere Polygamiam plurium vxorum, reſpectu vnius viri, ſolùm eſſe prohibitam lege Euang.

Alij omni naturæ repugnare aiunt, tam vt vir vnus, plures habeat vxores, quam plures viri, vxorem vnam.

Vt quæſtioni ſatisfiat Notandum eſt primo vt prænotauimus antea aliquid eſſe de iure naturæ dupliciter, primario, & ſecundario, primario quidem, quando continetur in primis naturæ principijs, qualia ſunt contenta in Decalogo, in quo Deus diſpenſare non poteſt. Secundario autem, quod ex illis principiis elicitur, tanquam concluſio, & in eo Deus diſpenſare poteſt.

Notandum 1. aliquid dici poſſe, eſſe contra ius naturæ tripliciter.

Primo, quia ſecundum ſe intrinſece, prout eſt actus phyſicus, habet malitiam obiectiuam, vt eſt mendacium, & odium Dei, & in huiuſmodi rebus diſpenſare Deus non poteſt.

Secundo, aliquid eſt contra ius naturæ, quod ſecundum ſuam ſpeciem, non ita ei repugnat abſolutè, quin ſæpe licitè fieri poſſit, tamen ei quandoque eſt contrarium, ratione alicuius adiuncti, ita homicidium eſt contra ius naturæ, quia per illud fit iniuria proximo, ſi tamen Deus aut magiſtratus, illud imperent, in vindictam culpæ admiſſæ, vitio omni carebit.

Tertio, aliquid eſt contra ius naturæ, ratione periculi peccandi contra illud, quod ei adiunctum eſt communiter, quod periculum quando abeſt, illud iuri naturæ, non eſt contrarium, nec malitiam vllam habet, exemplum eſt in eo, qui familiariter verſatur cum impijs, ex quorum conſortio, & ipſe vitium trahere poteſt, & proximus cauſam ſcandali, quæ duo iure naturæ ſunt euitanda ſingulis, ſi tamen ſperetur, inde nihil ſecuturum incommodi, erit congreſſus, ac conuerſatio, cum malæ famæ hominibus, culpæ omnis expers. Iam ergo

Dico primò, *Polygamiam, non eſſe contra ius naturæ, primo modo de duobus, qui ſunt poſiti in vtroque notabili,*

Primo quia non continetur in primis principiis naturæ, quæ cuique ſunt cognita, & habentur in Decalogo.

Secundo, quia Deus diſpenſare non poteſt in eo, quod ex naturâ ſuâ, & intrinſece eſt malum, nam hæc diſpenſatio, eſſe non poteſt, niſi concedendo ei cum quo diſpenſaretur, vt non peccet, faciendo id quod dicitur iuri naturæ eſſe contrarium, hoc autem eſſe nequit, niſi mutentur rerum

A eſſentiæ, quod eſt contra hypotheſim: ergo cum Deus Patribus olim conceſſerit, vt plures domi ſuæ coniuges alerent, ex quibus, cum luberet, liberos ſuſciperent, non eſt Polygamia plurium vxorum, reſpectu vnius viri, iuri naturæ, alterutro de duobus modis prioribus, deſignatis in vtroque notabili, contraria.

Dico ſecundò, *Polygamiam eſſe contra ius naturæ ſecundarium.*

Ratio eſt primo, quia inſtar habet ac ſpeciem iniquitatis, quod ſe vxor totam marito tradat, non item maritus, illi.

Secundo, cum ſit de iure naturæ ſecundario rixas fugere, earumque cauſas, oritur enim hæc concluſio ab hoc principio proximus eſt amandus, caritas ſeruanda erga omnes, vitanda odia, quæ notio
B vna eſt de iis, quæ continentur in Decalogo, ei iuri repugnat quærere rixarum materiam, dare vlli offenſæ cauſam, at hoc facit, quiſquis vna non contentus, plures ſibi vxores copulat, vt enim omnes, æquè viro caræ eſſe nequeunt, ſit autem mulierbre ingenium ad iram facile, facilius ad inuidiam, ſui, ac ſuarum rerum, vltra modum ac rationem amãs, quis non videt, viri vnius cuiuſpiam coniugium, cum fœminis pluribus, rixarum odnique inter illas, fore ſeminarium, teſtes ex veteri inſtrumẽto Agar & Sara, Lia & Rachel Gen. 30. Anna & Phenenna 1. Reg. 1. inter quas rara fuit amicitia, rarior concordia, vt neceſſe fuerit Abrahamo, tranquillandæ
C Saræ cauſa, Agar domo extrudere, ſolum cum Sara ſola viuere.

Dico tertiò, *Polygamiam plurium virorum, reſpectu vnius, eiuſdemque fœminæ, eſſe contra ius naturæ, ſecundo modo ſumptum in ſecundo notabili.*

Primo, quia talis polygamia, nulla circunſtantia honeſtari communiter poteſt, quæ eam à culpa excuſet, cum repugnet finibus, quorum cauſâ matrimonium inſtitutum fuit à Deo in Eccleſia.

Primus authore Soto in 4. diſt. 33. qu. 1. art. 3. eſt prolis ſuſceptio, eiuſdemque educatio: at quæ mulier, ſui copiam, promiſcue multis facit, reddi-
D tur ad conceptum impotens, planeque ſterilis, vt experientia conſtat in proſtibulis.

Secundus eſt vitæ communis ſocietas, familiæ adminiſtratio, officiorum domeſticorum partitio. At ſtare hæc nequeunt cum virorum multiplici copia, qui in familia id ſunt quod in corpore capita duo, quod in mundo diuerſi ſoles, in regno, duoparum inter ſe amici Reges, quibus, qui ſe ſic obſequi poſſe credit, vt ambobus ſit charus, hunc in maxima earum rerum ignoratione verſari eſt neceſſe, quas ad conciliationem gratiæ adhiberi oportet: *Nemo ſane duobus Dominis ſeruire poteſt*, nedum placere, ac vtrique gratus eſſe.

Tertius eſt, vt coniuges, poſſint vti ſuo coniugio in remedium concupiſcentiæ: at ne hoc quidem poteſt fieri, ſi pluribus, vna eademq; ſit vxor: fac enim duos, ſimul ab ea debitum exigere, quid
E ſecundo fiet, id eſt ei, cui ſe vxor non ſubſternet, niſi poſt expletam libidinem prioris, ecquid eſt timendum ne interim eius periclitetur continentia, & ſic matrimonij finis euertatur, & intereat?

Quartus eſt, vt ſit Sacramentum Chriſti & Eccleſiæ, at huic fini aduerſa eſt Polygamia, nam vnus eſt Chriſtus, cui Eccleſia iungi debet, nec ſine fornicatione Deos plures poteſt agnoſcere. Eſt ergo viroum Polygamia reſpectu vnius eiuſdemque fœminæ, iuri naturæ modo explicato contraria.

In ea tamen, per abſolutam ſuam potentiam diſ- A
penſare poteſt Deus, non ſolum in caſibus imagi-
narijs vt ſi ſola eſſet mulier inter homines, eaque
nupta viro ſterili, ſed etiam vulgaribus, vt ſi vir poſt
conſummatum matrimonium, fieri vellet religio-
ſus, ſi à coniuge abeſſe ſemper, aut diu, aut ſi per
ætatem grauem annis, ac tantum nõ decrepitam,
ad generationem aptus nõ foret, nec enim iſti mu-
lieri virum alium cum priori, duci tùm repugnat
ex parte finis, vt patet, neque ex parte vinculi,
quod apparet primo in Polygamia viri.

Secundo, in matrimonio B. Virginis, cuius vin-
culum non repugnabat perfecto vinculo caſtita-
tis.

Tertio, in ſolemni profeſſione coniugati. Dein- B
de, quid vetat, quo minus Deus abſolutâ ſuâ po-
tentiâ, incommoda omnia impediat, quæ apta ſunt
ſequi ex tali matrimonio? id ſi eſt in poteſtate Dei,
negari ei ſanè non debet, ius in eo quoque coniu-
gio diſpenſandi.

Dico quartò, *Polygamiam, tam viri quam mu-
lieris, eſſe contra ius Euangelicum*, Nam Matth. 5.
& 19. Marc. 10. Luc. 19. docet Chriſtus, eum qui
dimiſſa vxore, aliam ducit, mœchari: ergo & qui
priori aliam ſuperinducit.

Conſeq. probatur, cauſa, cur qui aliam, ſibi à
propria coniuge dimiſſa aſſociat, reus eſt adulte-
rij, eſt, quod propriæ iniuriam faciat, coïtendo
alia ad opus matrimonij, at eodem modo læditur, C
cum ei ſuperinducitur noua, vt patet, iuſtam enim
habet quærendi cauſam de viro, ac fide coniugali
per eum violata, quando ſibi nouam thalami, lec-
tique ſociam adiungit.

Secundo, ideo viuente adhuc coniuge, haberi
nõ poteſt alia, quod quæ ſuperſtes eſt, licet relicta,
vxor ſit mariti, at hæc ratio pugnat peræque pro
coniuge domi remanente, cui tamen noua ſuper-
inducitur, ac pro dimiſſa: ergo vt Chriſti teſtimo-
nio peccat, qui dimiſſa vxore aliam ducit: ita &
qui adhuc viuenti, aliam adiicit, ad opera matri-
monij.

Obiicies matrimonium verum eſſe non poteſt,
niſi vir & mulier in ſeſe poteſtatem ſuorum corpo- D
rum transferant, nam vt ait Apoſtol. 1. ad Cor. 7.
mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir,
ſimiliter & vir, ſui corporis poteſtatem non habet,
ſed mulier, atqui is qui vnam vxorem habet, non
poteſt ſui corporis poteſtatem alteri tradere: ergo
&c.

Minor probatur, quia faceret iniuriam vtrique
vxori, diuidendo dominium corporis ſui, quod in
ſolidum tradere debebat. Deinde quia ſi vtraque
conſentiente id fieret, eſſet tamen inæqualitas ſal-
tem materialis, cum illæ ſe totas tradant, & in ſoli-
dum, maritus tantum ex parte.

Minor argumenti eſt neganda, quia cum Deus,
pleniſſimum habeat dominium in omnes creatu- E
ras, obligare poteſt mulierem vt dominium ſui
corporis tradat marito in ſolidum, & recipiat tan-
tum partiale, in mariti corpus, neque tamen po-
teſt de iniuria conqueri, quia Deo concedente tale
ius, non cenſetur inæqualitas formalis, ſed tantùm
materialis.

Ad locum Apoſtoli reſponderi debet, loqui il-
lum de caſibus ordinarijs extra diſpenſationem, &
maximè in lege Euangelica, quæ nullam talem
diſpenſationem admittit,

Obiicies ſecundo, ſaltem mulier poterit reſer-
uare partiale dominium ſui corporis vt fiat æ-
qualitas, alioqui erit rationabiliter inuita, & ſic
nullum contrahetur matrimonium. A

Reſpondetur, talem reſeruationem fore inuti-
lem, nam vel fieret eo animo ac fine, vt ſe alteri
traderet marito, vel vt negaret debitum primo.

Non primum, quia Polygamia eſt contra ius
naturæ, modo ante explicato.

Non ſecundum, nam partiale dominium, quod
marito competeret in eius corpus, ſufficeret ad pe-
tendum debitum quouis tempore, & loco decen-
ti, nam & ipſa tale ius acquireret, nec eſſet ratio-
nabiliter inuita, quia maritus vteretur iure ſuo di-
uinitus conceſſo, præterquam quod ex quorundam
ſententia poſſet Deus inuitos coniungere, etſi hoc
non ſit naturis rerum conſentaneum ac propterea
nunquam exiſtimetur eſſe factum. B

Dico quintò, *Polygamiam ex diſpenſatione Dei,
fuiſſe in lege veteri licitam.*

Patet argumento à poſteriori, petito à ſanctita-
te Patriarcharum, quos conſtat, nunquam pluri-
bus vxoribus vſuros fuiſſe, ſi res Deo minus grata
fuiſſet, ac accepta, quis enim credat, eos ſi plura-
litatem coniugum diuinis legibus putaſſent oppo-
ſitam, præter vnam expetituros fuiſſe & aliam?
Sane auhor eſt Innoc. III. in cap. Gaudemus de
diuortiis: *Nemini vnquam licuiſſe inſimul plures vx-
xores habere, niſi cui fuiſſet diuina reuelatione conceſ-
ſum*: ergo eius opinione concedi poteſt.

Et confirmatur, nam ſi non eſt diſpenſatio ne-
ceſſaria, licebit Gentilibus hoc tempore plures v- C
xores ducere, cum non teneantur legibus Euange-
lij ante Baptiſmum, id autem eſt falſum. Quia ſi
Polygamus, Chriſtianus fiat, cogetur omnes vxo-
res dimittere præter primam, quod non fieret, ſi
fuiſſent hæ veræ Polygami coniuges, *cum per Sa-
cramentum Baptiſmi, non ſoluantur coniugia*, ſed
crimina vt ait Innoc. in cap. Gaudemus de Diuor.

Dico ſextò, *Hanc diſpenſationem Patriarchis ſig-
nificatam eſſe per inſpirationem internam, non per lo-
cutionem aut ſcripturam*, Diu. Thom. q. 65. addition.
art. 2. Bellar. cap. 11.

Probatur, eodem argumento quo vtũtur. Qua-
lis eſt lex, talis etiam eſſe debet eius diſpenſatio, D
ſed lex Polygamiam prohibens, tempore Patriar-
charum, ſcripta non erat ſed impreſſa mentibus,
hoc ipſo enim, quo Deus, vnicam vxorem Adamo
dedit, quæ eum iuuaret in neceſſarijs humanæ vitæ
officijs, eſſetq; cum eo communione tam morum,
ac voluntatis, quam corporis, caro vna, collegit
velle Deum, ſibi vna vt eſſet vxor, non multæ, quod
ab eo exinde manauit ad poſteros ab his, verbo aut
exemplo ad cæteros. Ita quod hi plures ſibi vxores
iugauerint, id eius inſtinctu factũ eſſe nõ eſt impro-
babile. Sanè vt refert ſcriptura Gen. 16. Abrahã ad
preces Saræ vxoris ſuæ: *Tulit Agar Aegyptiam, an-
cillam ſuam, poſt annos decem, quam habitare ceperant
in terra Chanaan, & dedit eam viro ſuo vxorem*, quæ
ergo Abrahamo fuere coniuges, Sara & Agar. Ia- E
cobo itẽ Lia & Rachel Gen. 29. quibus de earun-
dem voluntate additæ aliæ duæ, Balam & Zepha,
Geneſ. 30. quod eis non modo fuit impune, ſed &
vniuerſæ Hebræorum genti, vt ſcriptura indicat
Deuter. 21. ibi enim quæ Patris partes eſſent, cum
de diuidenda hæreditate ageretur, inter liberos ex
duabus coniugibus ſuſceptos, declarat his verbis,
quæ clarè denotant, diuino conceſſu ac munere, in-
ter Hebræos Polygamiam in vſu fuiſſe: *Si habue-
rit homo, vxores duas, vnam dilectam, & alteram
odioſam*, & quæ ſequuntur. Quod autem populo
Dei tum licebat, eius permiſſu. Gentibus quoque
in vſu fuiſſe, ſcribit Auguſt. lib. 2. contra Fauſtum

Digitized by Google

cap.47. & 16. de ciuitate cap. 35. & colligitur ex Scriptura, nam Esau, non erat ex eorum numero, quos sibi Deus, in populum elegerat, fuitque Laban, idolorum studiosissimus, & vtrumque scimus vnica vxore contentum non fuisse. Eorum exemplo Socrates, binas domi habebat, Athenæus lib 15. cap. 1. totidem Euripides Gell. lib. 15. cap 20.

Dico septimò, *In lege gratiæ, hanc à Christo sublatam dispensationem, coniugiaque omnia nouæ legis, ad primam institutionem reuocata esse.* Est de fide, interrogatus enim Dominus Matth. 19. *An liceret vxores missas facere respõdit non licere, quia qui fecit hominẽ ab initio, masculum & fœminam fecit eos, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod Deus coniunxit homo non separet.* Et cum vrgerent Pharisæi, Moysem permisisse libellum repudij, Christus iterum, ad primam institutionem, rem totam reuocans addidit: *Ad duritiam cordis vestri, permisit vobis*, dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic

Probatur secundo, ex Matth. *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causâ facit eam mœchari*, & qui dimissam duxerit, adulterat, plures ergo vxores habere, nulli est permissum.

Conseq. probatur, nam adulterij causa afferri alia non potest, quam quod secundum matrimonium, non est durante priore validum.

Obiicies primo, Marcum dicere cap. 10. non absolute mœchari, sed mœchari super eam: ergo non est adulterum proprie, sed abusiue tantum, nempe in prioris iniuriam.

Neganda est consequentia, nam illud *super eam* rationem adulterij non tollit, sed addit aut iniuriam prioris coniugis, vt quidam volunt, vel vt interpretatur Maldonatus paritatem criminis, vox enim Hebræa significat etiam contra, vt sit sensus, æque virum mœchari, ducendo aliam coniugem, atque ipsa faceret fornicando, aut viro alteri nubendo.

Obiicies secundo habere id quidem locum cum vxore inuita alia ducitur, non autem cum de eius voluntate ac assensu alia ducitur, nam tunc vir super eam non mœchatur.

Respondetur in Polygamia licita, consensum non requiri vxoris, sed esse omnino per accidens siue consentiat, siue non, nam semper perseuerat matrimoniale vinculum.

Obiicies tertio, à Greg. III. permissum esse cuidam, professione Catholico, vt secundam sibi coniugem quæreret, à qua in subsidium familiæ, liberos tolleret, non est ergo Polygamia in lege noua sublata. Anteced. clarum est ex decretali eius epistola ad Bonifac. IV. & refertur à Grat. causa 32. qu. 7. can. quod proposuisti 18. his verbis: *Quod proposuisti si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid eius faciat ingalis, bonum esset, si sic permaneret, vt abstinentia vacaret, sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non potuerit continere, nubat magis: non tamen opem subsidij subtrahat ab illa, quam infirmitas prædit, non infirmitas excludit.*

Respondendum, Gregor. non dispensasse in Polygamia, cum hoc eius potestatem excederet, sed declarasse matrimonium non fuisse validum, propter perpetuum impedimentum. Non potuisse autem dispensare Pontificem, in Polygamia ostenditur hoc modo. Quæ iure diuino sunt prohibita, hæc esse nequeunt authoritate vlla hominis licita, sed Polygamia est à Deo speciali lege vetita, Trident. sunt hæc verba, sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit licere Christianis, plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum anathema sit.*

QVÆSTIO XIV.

An Matrimonium sit indissolubile quoad vinculum.

B Dico primò, *Matrimonium quoad vinculum esse iure naturæ insolubile ante mortem alterutrius coniugis.*

Probatur, verbis Pauli ex cap. 7. ad Rom. *Mulier alligata est viro, quandiu vir eius viuit.*

Secundo, bene informata ratio indicat, in id maxime incumbendum esse parentibus, vt eorum liberi, formentur ad bonas artes, excolantur iis virtutibus, quę adolescentiam deceant, præterea vt necessaria vitæ subsidia, eis non desint, at esse neutrum potest, si natura patitur., coniugij vincula abrumpi, virumque à fœmina abscedere, & res suas sibi habere: est ergo matrimonij vinculum, naturæ iure perpetuum, nec vtrumque coniugis, aut alterius tantum voluntate solubile.

C Dico secundò, *Ex institutione quoque Dei habere matrimonium, vt sit perpetuum nec nisi alterutrius coniugis morte finiendum*, pro hac assertione faciunt scripturæ testimonia aliqua, primum est Adami Genes, 2. *Propter quod relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna*, his enim verbis significat tanto inter se, tamque firmo, virum & fœminam, nexu colligandos esse, vt nequidem parentum charitas, amorque ei præualeret. Quod Christus Dominus authoritate sua corroborans, negat dissolui debere opera hominum, quod manibus ipse suis, sanctissime nexuit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et ibidem, antiquorum morem, dandi libelli repudij, concessi lege Mosaica reprobans, ait. *Ab initio sic non fuisse.* Additque. *Quicunque dimiserit vxorem suam*

D *nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur*, quod non esset verum, si per dimissionem coniugis, posset matrimonij vinculum solui.

Sane non tantum fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius vinculum fides est, verumetiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus: huius procul dubio Sacramenti res est: vt mas & fœmina, connubio copulati, quandiu viuunt, inseparabiliter coniuncti perseuerent, nec liceat excepta causa fornicationis, à coninge coniugem dirimi, Augustin. in lib. de nuptiis & concup. *Hoc*

E *enim custoditur in Ecclesia, vt viuens cum viuente, in æternum nullo diuortio separetur, in ciuitate Domini nostri, in monte sancto eius, hoc est in Ecclesia Catholica*, Concilium apud Tussiacum sub Carolo Calvo anno 860.

Dico tertiò, *Matrimonia morte alterutrius è duobus coniugibus, quoad vinculum dissolui*, est de fide ad Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri*, ratio est, quod Matrimonium, propagandæ sobolis causa, sit à Deo institutum in Ecclesia: ergo qui vitæ, idem quoque futurus est eius terminus, *Nam in cælo neque nubent, neque nubentur,*

Digitized by Google

nubent vir, sed erunt omnes sicut Angeli Dei, Matth. 22. itaque ibi Sara non magis est futura Abrahæ vxor quam Dauidis. Nec Adamus maritus Euæ, potius quam alterius cuiuspiam fœminæ, & si vi diuina, redituus è mortuis, ad suos rediret fato functus aliquis, non teneretur reuerti ad coniugem superstitem. Cum enim matrimonium, morte cessauerit, renouari debet reciproco vtriusque partis assensu, perinde ac si vni è duobus, nihil vnquam commune fuisset cum altero.

Dico quartò, *Iudæorum matrimonia, sic dato repudij libello, solui solita, vt ijs ad secundas nuptias transire fas esset*: ita Doctores in 4. dist. 35. vt Durand. ibi qu. 2. Abulens. in cap. 19. Matth. qu. 19. Bellarm. lib. 1. de Matrim. cap. 12. in solutione obiectionis 14. Henriq. lib. 11. cap. 2. parag. 3. littera O. Maldonat. in cap. 19. Matth.

Probatur primo authoritate scripturæ Deuter. enim 24. fit facultas viro dimittendi vxorem, & huic nubendi alteri viro: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua, cumque egressa alterum maritum duxerit.* Hinc enim, sic argumentamur. Licet fœminæ, quam maritus missam fecit, alteri nubere: ergo matrimonium eius quoad vinculum est solutum, alioqui coniunctio eius cum secundo, fuisset adultera quod non est credibile, cum eam Moyses, vt vitiosam non arguat, nec sit simile vero, legem Dei publicam, & continua toleraſſe adulteria.

Secundo, quod loco longe deteriore fuissent mulieres, quàm viri, nam his erat diuina concessione licitum, vxores plures ducere, quod tamen fœminis interdictum fuisset, respectu virorum, quibus abdicatis à viro suo, viuendum fuisset in perpetuo cœlibatu.

Tertio, Seruus post annum septimum, Exod. 21. libertatem seruituti præferens, eam Domino annuente consequi poterat. *Sin autem*, inquit ibi scriptura, *Dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios & filias, mulier, & liberi eius, erunt Domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo.* Iam quis credat, huic in solitudine animi, angoreque perenni, vitam sine marito, ducendam fuisse diuina lege.

Quarto, Deuteron. 24. mulier quæ repudiata à viro, nupserat secundo, prohibetur redire ad primum, secundo mortuo, at id, non nisi inique, vetuisset Moyses, si per repudium, primum matrimonium non fuisset diremptum, nam quandiu perseuerat eius vinculum, vxor quæ est repudiata, manet legitima eius vxor.

Obiicitur, at id Iudæis non nisi propter cordis duritiam permissum esse Christus ait Matth. 19. erat ergo repudiatio vxorum eius temporis per viros, mala.

Conseq. est neganda, causa est, quod quæ malitiæ, isti actioni suberat ante dispensationem, eius beneficio tollatur, quod ei cum plerisque aliis, est commune, votum enim prætergredi exempli causa, vitiosum est, ac culpabile, nullo modo, si Deo id permittente fiat.

Obiicitur secundo, Matth. 5. & 19. Christus morem Iudæorum de repudianda vxore improbat. Dictum est inquit, quicunque dimiserit vxorem suam exceptâ fornicationis causâ facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat. Erat ergo Hebræorum repudium, cum potestate alterius vxoris ducendæ illicitum, contra voluntatem Dei, ac naturam, cum eius repudij, neque lex naturæ, neque Scripta, nec Euangelica approbatrix vnquam fuerit. Antec. est falsum. Nam de solo fidelium coniugio Christus ibi loquitur, quod est ratum, & verò cum esset eo tempore Polygamia licita, si quis dimissa vxore ducebat aliam, non nisi impropriè poterat dici mœchari.

Dico quintò, *Matrimonium infidelium etiam consummatum, ex causâ solus posse etiam quoad vinculũ.*

Probatur, Matrimonium infidelium non habet aliam firmitatem, quam legis naturalis, & institutionis diuinę, non autem Sacramenti, at ex eo potissima indissolubilitatis ratio petitur, de qua re nos antea pluribus: ergo.

Obiicies primo, Christi, testimonio, separati nequeunt ab inuicem, qui sunt Deo auspice, inter se coniuncti iuxta illud. *Quod Deus coniunxit homo non separet*: at sunt infideles per verum matrimonium, à Deo inter se copulati: ergo &c.

Respondend. dirimi non posse ab homine, quod Deum solum authorem habet, quo minus autem idipsum soluatur, impedimenti nihil esse, quia per quas causas quid ponitur, per easdem quoque tolli nihil vetat, quod in præsenti negotio locum habet, cum authore Paulo, Dei sit beneficium, quod infidelis, à consorte infideli abscedere possit in casibus memoratis antea, & fideli iungi per matrimonium.

Obiicies secundo, dimitti vxor non potest, nisi ob fornicationem, Matth. 5. & 9. non est ergo infidelitas, de earum rerum genere, quæ matrimonij perennitati officiunt.

Ad Antec. dicendum cum August. lib. 1. de adulter. coniugis cap. 1. & 2. Christum iis locis agere tantum de Christianorum matrimoniis, quæ non tantùm sunt vera, sed etiã rata vi Sacramenti.

Obiicies 3. Est hæresis, infidelitatis species, per quam tamen matrimonij vinculum non tollitur: falsa est ergo Assertio.

Neganda est conseq. ratio est, quod hæreticorum matrimonium, sit ratum, vtpote à Christianis initum, & semper Sacramentum, cum in eo contrahendo animum habent expressum, aut implicitum faciendi quod facit Romana Ecclesia.

Dico sextò, *Matrimonium fidelium ratum & non consummatum posse dissolui*, est de fide, sic enim Trident. sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit*, idem habetur cap. ex publico, cap. ex parte tua cap. verùm de conuersione cõiugatorum, cuius decreti ratio reddi hæc potest, quod à statu minus perfecto, transitus esse possit ad perfectiorem cum laude, modo id fiat sine cuiusquam præiudicio, ac noxa. Sed maritis præstant regulares in omni virtutum genere, nec est quod se læsam, vxor queri iustè queat, cum intacta à viro relinquitur: ergo &c.

Minor probatur nam cùm in eam, infamia redundet nulla, ex huiusmodi repudio, non impeditur nubere alteri, sibi genere ac opibus non impari, vera est ergo minor.

Obiicies, matrimonium ratum, à consummato non distinguitur essentia, sed istud non perimitur per religionis ingressum, ergo nec ratum.

Neganda est conseq. quia ad hunc effectum, sufficit integralis differentia, qualis est inter hominem, membro aliquo mancum, & eum, cui ad perfectionem corporis nihil deest, differre autem Matrimonium ratum, à consummato, eo genere differentiæ, patet, nam in matrimonio triplex est significatio, prima gratiæ qua Deus vnitur animæ, secũdæ

QVÆSTIO III.

De neceſſariis in Matrimonio tam neceſſitate præcepti quam Sacramenti.

EOrum quæ requiruntur in Matrimonio, quædam poſtulantur neceſſitate Sacramenti, alia præcepti tantum, eorum quæ Sacramenti neceſſitas, ac natura exigunt, duo ſunt genera, quædam poſitiue adeſſe debent, vt ea omnia quæ ex parte conſenſus ſe habent. Alia negatiuè tantum, quo de B genere ſunt ea quæ neceſſario abeſſe debent, vt matrimonium ſit validum, cuiuſmodi ſunt impedimenta maiora, quæ impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum.

Duo ſimiliter ſunt genera eorum, quæ neceſſitate tantum præcepti exiguntur in matrimonio, quædam enim adeſſe debent, ac etiam præcedere contractum, vt ſponſalia, ac matrimonij publicatio, quædam ſubſequi, vt cohabitatio, & rectus vſus matrimonii.

Alterum genus earum rerum, quæ præcepti neceſſitate, ſunt neceſſariæ in matrimonio, eſt earum, quas ab eo abeſſe oportet, & hæ dicuntur impedimenta minora, quod coniugium impediant ne contrahatur, contractum autem non dirimant. Ex quo patet impedimenta matrimonij, in duplici eſſe differentia, quædam enim ſunt maiora, minora alia. Illa matrimonio faciendo obſtant, factumque diſſoluunt, eo quod ſi cum illis contrahatur, non tantùm ſit illicitum, ſed etiam inualidum, & talia impedimenta, duodenario numero comprehenduntur, non minore.

Error, conditio, votum, Cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis
Hæc ſocianda vetant connubia facta retractant.

Cum minoribus impedimentis validum eſt connubium, ſed non licitum.

Alij hæc impedimenta diuidunt in ea quæ ſunt iuris naturæ, & humani ſeu Eccleſiaſtici. Prioris generis ſex numerantur, comprehenſa hoc verſu.

Mens ægra, & coniux, vis, error, ineptia, ſanguis,

Poſterioris nouem

Ordo ſacer, votum, nec non ſponſalia firma
Atque duplex crimen, quadruplex cognatio, raptus
Si Baptiſma deeſt, ætas, teſtes Parochuſque.

QVÆSTIO IV.

An Eccleſia potuerit conſtituere aliqua impedimenta dirimentia Matrimonium.

DE fide eſt poſſe, ſic enim Trident. ſeſſ. 24. can. 4. *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit*, patetque ex praxi Eccleſiæ, quæ vt in fide, ſic in moribus non poteſt errare. Deinde etiam id euincit ratione poteſt. Nam matrimonium non tantum eſt Sacramentum, ſed etiam contractus, at contractui conditiones apponi ab Eccleſia quid vetat quæ ſi non obſeruentur, futurus ſit nullus? Deinde condere poteſt leges neceſſarias, vel valde vtiles ad bonam gubernationem fidelium, in quibus, A quid prohibet eſſe aliquas, quæ ad matrimonium, eiuſque naturam faciant? poteſt ergo Eccleſia leges ponere tam prohibitiuas, quam irritatiuas matrimonij.

At Paulus 1. ad Timoth. 4. non probat prohiberi nuptias. *Spiritus*, inquit, *manifeſtè dicit quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere.*

Nuptiæ prohiberi poſſunt vt naturâ ſuâ malæ & illicitæ, vel vt minus conuenientes loco, tempori, perſonis, aut aliis circunſtantiis, primum fiebat ab hæreticis, quos B. Paul. arguit, vt à malo ſpiritu afflatos, alterum eſt vſitatum in Dei Eccleſia, quæ ob iuſtas cauſas, puta ob ſalutem quorundam, adminiſtrationem nuptiarum honeſtam ac decentem eas prohibet, quas & irritare poteſt. Ea enim eſt authoritate à Deo prædita, quæ eſt ad aſſequendum finem ſuum, qui eſt ſalus animarum neceſſaria, alioqui eſſet Reſp. imperfecta, at eſt ſæpe neceſſe ad ſalutem fidelium, matrimonium inter certas perſonas inane reddi ac nullum, ob eam cauſam, quod eorum animæ officiat ob apertum peccandi periculum, cui patet expoſitum vt videre eſt in diſparitate cultus, gradibus conſanguinitatis, affinitatis, & in nuptiis clandeſtinis.

C Obiicies matrimonium non tantum eſt contractus, ſed etiam Sacramentum à Chriſto inſtitutum: at Eccleſia nihil poteſt circa Sacramentorum eſſentiam: ergo nec poteſt facere, vt quod erat ante Sacramentum, tale eſſe deſinat.

Confirm. facere Eccleſia non poteſt; ne vinum Hiſpanicum, ſit materia conſecrationis, ergo ſimiliter nec ſtatuere, ne contractus clandeſtinus, Sacramenti Matrimonij ſit materia.

Ad minor. Reſpondendum eſt, verum eſſe Eccleſiam non poſſe mutare Sacramentorum eſſentiam, efficiendo, vt id, quod prius erat legitima Sacramenti materia, incipiat ſine ſui mutatione non eſſe talis, poteſt tamen hoc efficere, illud immutando, v. c. vinum, materia eſt conſecrationis D calicis, nec vi vlla humana poteſt effici ne ſit talis, quandiu remanet incorruptum, ſed ſi vini naturam amittat, tranſeatque in aliam, vt aceti, aut cuiuſpiam alterius liquoris, verum erit dicere talem ſubſtantiam non eſſe conſecrabilem. Ex quo apparet reſponſio ad conſequentiã. Cum enim Matrimonium eſſentialiter ſit contractus, hicque vt ſit validus, pendeat à certis rationibus moralibus, quas Eccleſia in ſuis ſubditis impedire poteſt, ſi contractus qui ante erat legitimus, ac proinde Sacramentum, ab ea modo irritetur, euidens eſt, & eius quoque authoritate fieri, vt id quod Sacramentum erat, modo tale eſſe deſinat, ſicque neganda conſequentia argumenti, primo loco poſiti, ac confirmationis allatæ. Sane ſi in Eccleſiæ poteſtate eſſet decreto ſuo ſtatuere, ne vinum Hiſpanicum, amplius vinum eſſet, efficeret etiam, ne conſecrationis materia foret, quod cum in contractibus tentare ei ſit permiſſum, permiſſum eſt ſimiliter facere, ne qui contractus antea Sacramentum erat, modo quoque tale eſſe perſeueret.

Secunda Aſſertio, *Cauſa inſtrumentaria, ac ſecundaria Matrimonij, vt eſt Sacramentum ſunt ipſi coniuges*, quia ſibi mutuo Sacramentum conferunt, ita tamen, vt alius ſemper ſit miniſter, alius ſuſcipiens, vir eſt Miniſter, quando profert hæc verba accipio te in meam, mulier ſuſcipiens, & vice verſa, & ita Florentinum innuit, cum ait cauſam efficientem Matrimonij eſſe mutuum conſenſum contrahentium per verba expreſſum, cum enim hæc ab iis dependeant vt à cauſa, dicendi ſunt eſſe proprie cauſa Matrimonij. A

Tertia Aſſertio, *Cauſa effectiua Matrimonij vt eſt contractus, eſt conſenſus vtriuſque partis*, quia contractus omnis, eſt pactum. At de ratione pacti eſt, vt ſit duarum voluntatum concurſus in idem: ergo. B

Quarta Aſſertio, *Materia circa quam verſatur Matrimonium, ſunt corpora coniugum.*

Probatur primo, Quia quod in contractibus datur, vel promittitur, hoc communiter habetur pro materia eorum circa quam, at vir & coniux ſibi inuicem ſua corpora tradunt in Matrimonio: ergo ſunt eius materia ſaltem remota.

Secundo. eſt id materia quod habet aptitudinem ad formam, at vir & fœmina idonei ſunt ad contrahendum, & exprimendum ſuos conſenſus per verba.

Confirm. hoc inter contrahentes agitur, vt mutuum ſuorum ſibi corporum dominium transferant, ſicuti in aliis omnibus contractibus id eſt materia circa quam, de quo alienando vel communicando, partes inter ſe conueniunt, & paciſcuntur, vt domus, eſt materia venditionis, locationis &c. C

Aſſertio quinta, *Matrimonij fines, varij ſunt, ac multiplices*, Primus, eſt propagatio ſobolis ad Dei gloriam, vnde Plato lib. 6. de legib. operam liberis dandam eſſe ait, vt ſit qui nobis in Deorum religionibus ac cultu ſuccedat.

Secundus eſt Reipub. conſeruatio, ſic Romani cenſebant, liberos Reip. naſci magis, quam parentibus, ideoque de nuptiis admodum erant ſolliciti, nec quempiam niſi ex iuſta vrgentique cauſa, cœlibatum colere nuptiaſque negligere ſinebant, quod de Lacedæmoniis refert Plutarch. in Lycurgo. D

Tertius eſt, vt haberent homines, aduerſus carnis vitia, ſalutare pharmacum, vitarentque per matrimonium ſtupra, adulteria, &c. 1. Corinth. 7. *Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat.*

Quarto, eo ſpectauit Deus in inſtituendo matrimonio, vt homini ſtudiorum ac laborum conſortem, non minus quam thori daret, iuxta illud Gen. 1. *non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.*

Quinto, vt eſſet typus & figura illius coniunctionis, quæ eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam, qua ratione vocatur Sacramentum, quo datur coniugibus gratia, ad toleranda Matrimonij onera. Factumque hinc exiſtimo, vt dicerent Theologi, Matrimonium ante lapſum Adæ, fuiſſe inſtitutum in officium naturæ, id eſt ad propagandam ſobolem. Poſt peccatum, ad concupiſcentiæ remedium, nempe ne vagæ eſſent hominum libidines ſed eas intra coniugij limites arcerent. Poſt Chriſti aduentum, vt eſſet nouæ legis Sacramentum, conferens gratiam, & coniuges perpetuo inter ſe vinculo aſtringens. E

QVÆSTIO II.

Quæ ſit materia & forma Sacramenti Matrimonij.

DE hoc quæſtionis genere, quinque præcipuæ extitere ſententiæ.

Prima eſt corpora contrahentium, eſſe Sacramenti huius materiam, verba formam: ita P. Soto lect. 3, de matrim. parag. requiritur Couarr. 4. decretal. parte 2. cap. 1. parag. vnico, Laym. lib. 5. tract. 10. cap. 2. n. 3.

Secunda, docet materiam huius Sacramenti in actibus contrahentium conſiſtere, hoc eſt in conſenſu declarato per verba, de præſenti, *Ego te accipio in meam, vel meam*, formam autem in verbis Sacerdotis: *Ego vos coniungo*: Ita Canus de locis Theolog. lib. 8. cap. 5.

Tertia, dicit materiam eſſe internum conſenſum, verba formam Ita Nau. cap. 22. nu. 20. Sylu. verbo matrim. 1. n. 1.

Quarta, materiam eſſe verba coniugum, vt ſunt traditio corporum, formam autem eadem verba, vt obligationem perſonalem actu inducunt: ita Ioan. de Lugo de Sacram. in genere diſp. 2. ſect. 1.

Quinta, defenditur à Suar. 3. part. tom. 3. diſp. 23. ſect. 1. Bellarm. 1. de matrim. cap. 6. Ægid. de Coninch. diſp. 24. dub. 3. aitque conſenſus ſignis aut verbis expreſſos, eſſe ſibi ſub diuerſa ratione materiam & formam, materiam quidem, quatenus habent rationem traditionis corporum, formam autem, vt ſubeunt vicem acceptationis eorundem.

Aſſertio prima, *Materia huius Sacramenti non conſiſtit in verbis contrahentium, nec forma in benedictione Sacerdotis.*

Ratio eſt, quod matrimonium ſine Sacerdote inter fideles contractum, ſit ratum, ſecluſo decreto Concil. vt habetur in ſeſſ. 24. cap. 1. ergo eſt Sacramentum, ergo Sacerdos non eſt eius miniſter.

Conſeq. prima, habetur in cap. quanto de diuortiis ibi enim dicit Pontifex, *Sacramentum fidei*, id eſt Baptiſmum, *ratum efficere coniugij Sacramentum.*

Secunda autem probatur, Sacramentum conferri nõ poteſt, ſine proprij miniſtri operatione in quibus locis, decretum Concil. non eſt receptum, matrimonia clandeſtina ſunt valida: ergo eorum Miniſter non eſt Parochus, ſed contrahentes ipſi.

Confirm. ſi verbis Sacerdotis intrinſecè componitur matrimonium, ſequitur illud eſſe inualidum, quòd coram Parocho & teſtibus initur, ſi hic taceat cum contrahitur, id autem eſt abſurdum, & manifeſte falſum.

Primo, quia ante Trid. clandeſtina matrimonia erant valida, quæ tamen certum eſt fieri clam Parocho.

Secundo, cum matrimonium ſit contractus, aliud eſſentialiter & intrinſece non exigit, quam quilibet alius contractus, at hic regulariter non exigit conſenſum alterius quam contrahentium.

Tertio, ſi Cani ſententia vera eſſet, Eccleſia caruiſſet vero Sacramento matrimonij 1300. nec

let, ſed poteſtatis coactiuæ, vſus eſt nullus, ſaltem laudabilis, atque fructuoſus, ſine præuia noticia culpæ admiſſæ, contra directum, vera eſt ergo Maior argumenti, Minor fidem habet à citatis canonibus, & Trident. ſeſſ. 24. in cuius canone 12. hæc eſt à Patribus opinio firmata, his verbis: *Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad Iudices Eccleſiaſticos, anathema ſit.*

Quarto probatur Aſſertio, ſi poteſt Princeps ſæcularis impedimenta ſtatuere dirimentia Matrimonium Chriſtianorum ſibi ſubiectorum, erit Eccleſiæ, ac Epiſcoporum munus, ſeparare quos reperierint in ſua Diœceſi contraxiſſe contra dicti Principis legem. At ſecus fàciunt cum enim quidam oriundus è Gallia homo militaris, nobilem mulierem quam lege Saxonum duxerat in vxorem, repudiaſſet, quod eam non ſua, id eſt Francorum lege deſponſaſſet, definiuit ſuper hoc ſancta Synodus Tiburtiſis, *vt ille tranigreſſor Euangelicæ legis ſubiiceretur pœnitentiæ, & à ſecunda vxore ſepararetur, & ad priorem cogeretur redire*, de ſponſalibus cap. 1. quod eſt argumento non exiſtimaſſe Patres, qui tùm præſentes interfuere Tiburtenſi Concilio, fas eſſe Regibus, obſtacula faciendis matrimonijs arbitratu ſuo ponere, quorum transgreſſio, eorum eſſet certa, ac indubitata irritatio, *quoniam Pontifex*, inquit Sanchez lib. 7. diſp. 3. nu. 4. *hanc eis poteſtatem ademit, & ſibi reſeruauit. Quippe cum matrimonij contractus hodie naturæ limites excedat, & ad eſſe ſupernaturale Sacramenti elenatus ſit, dedecet vt tanti Sacramenti diſpoſitio ad Principes ſæculares pertineat.* Eiuſdem opinionis ſunt Coninch. diſp. 30. dub 1 Victoria relect. de matr. 1. par. 2. nu. 2. Barthol. à Ledeſm. dub. 29. de matrimon. concluſ 1.

Obiicitur primo, Principes poſſunt ferre leges de bonis moribus, & virtutibus, ergo & de matrimonio.

Probatur conſequentia virtutes & peccata, virtutibus oppoſita, ſunt res ſpiritales: ergo quod matrimonium ſit ſpiritale, non obſtabit, quo minus Princeps de eo poſſit cognoſcere.

Neganda eſt conſequentia, & ad eius confirmat. Dicendum: Principes, & ſæculares magiſtratus, conſiderare quidem virtutes, ſed non eodem modo quo Eccleſia matrimonij, illarum enim notionem Politici Principes eatenus ſibi vendicãt, quatenus principaliter conſeruant, aut deſtruunt bonũ ciuile, non autem vt promouent ſpiritale animæ, ac eius ſalutem. At matrimonium vt Sacramentum, eſſentialiter eſt ſpiritale, quia inſtitutum eſt à Deo, ad productionem gratiæ, & repræſentationem coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, iuxta illud D. Pauli *Sacramentum hoc magnum eſt, dico autem in Chriſto & in Eccleſia*, quæ duæ res, cum ſint ſpiritales, earum diiudicatio, notio, ac omnium quæ ad eas referuntur, ac pertinent, diſpoſitio, fori non debet eſſe ſæcularis ac regij, ſed Eccleſiaſtici.

Obiicitur ſecundo, Regis Chriſtiani non minor eſt poteſtas modo, quam fuerit olim Imperatoris à fide Chriſtiana alieni, cum fides Chriſtiana poteſtatem non imminuat. Sed huic ius erat, eſtque modo, ferendi leges, à quibus natura firmitaſque pendeat matrimonij, contracti à ſubditis ſuis, non fidelibus: ergo & idem ius competit Chriſtiano.

Maior eſt falſa, quia poteſtas Ethnicorum Principum, ideo ſe extendebat ad matrimonium, quia tantùm erat contractus ciuilis, eorum autem intererat videre, ne quid per eum Reſpublica detrimenti caperet, quare & eorum partes erant, conditiones ac leges ei adiicere, quas ſinguli in eo faciendo ſeruarent, ſi eum ſubſiſtere ac valere vellent. At Matrimonium, apud Chriſtianos, Sacramentum eſt, quod ex inſtitutione Chriſti, producendæ gratiæ cauſa, in Eccleſia frequentatur, quamobrem & iuſtiſſima ei cauſa fuit, ſubducendi illud de earum rerum numero, de quibus ſæculari magiſtratui cognoſcere eſt licitum. Poteſtas enim temporalis, ſpiritali & æternæ ſubiacet, vt ſcribit Anaſtaſio Imperat. Papa Gelaſius, *& Imperator, filius eſt, non præſul Eccleſiæ, quod ad religionem competit, diſcere ex conuenit, non docere, habet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus eſt conſecutus. Ad Sacerdotes, Deus voluit quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere*, inquit Ioann. Papa vt refertur diſt. 96. can. 15. ergo matrimonij diſpoſitio, & impedimentorum poſitio, ad Eccleſiam, nullo autem modo ad Principes pertinent, quare ſi quæ decreuerint, ſi quas de matrimonio, certo modo, loco, aut tempore contrahendo, leges tulerint, ab iis ſeruandas, qui illud firmum ac ſtabile eſſe volent, ſi ab Eccleſia non fuerint approbatæ, eo ipſo nullæ futuræ ſunt, ac irritæ, Innoc. III. in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ 10. de conſtitutionibus.

Obiicitur tertio, ergo eſt Chriſtianorum Principum authoritas, minor quam fuit olim, eſtque modo Infidelium, cum hi, ſubditorum ſuorum matrimonia, temperare poſſint his legibus, quas è re communi Prouinciarum quibus præſunt, eſſe iudicauerint.

Vera eſt ſequela, cum enim ea res; quæ antea profana erat, ex Chriſti inſtitutione tranſlata ſit in claſſem ſpiritualium, hæque è poteſtate ſæcularium Principum ſint ſubductæ, neceſſe eſt, vt de ea aliquid ſit detractum, cum quæ antea erant illis permiſſa, hæc modò illis, authoritate Eccleſiæ ſint vetita, omnis enim quæſtio de matrimonio; ac cauſis pertinentibus ad eius qualitates ac eſſentiam, eis eſt modo interdicta, & attributa magiſtratui Eccleſiaſtico, quod eſſe non poteſt, ſine deceſſione aliqua eius authoritatis, qua fruebantur ante Chriſti aduentum.

Dico tertiò, *Principes ſæculares, quorum in terris, infideles, de eorum voluntate, ac conſenſu, pacifice, ac ſine turbis viuunt, poſſe certis legibus eorum matrimonia reſtringere, quæ neceſſario ſint ſeruanda, vt ea valeant, ac ſint rata.*

Primo, quia Eccleſiæ, ius in alienos à noſtris ſacris, nullum competit: ergo nec ab ea coerceri poteſt poteſtas Principum in illos, quia hæc non ſubiicitur Eccleſiæ quemadmodum nec infideles ipſi, ergo ad eam poteſtatem non ſe extendit reſeruatio executionis facultatis conſtituendi impedimenta, quam fecit Eccleſia.

Confirm. Matrimonium infidelium, non eſt Sacramentũ ſed tantum ciuilis contractus: ergo eius eſt naturæ, vt more aliorum contractuum ciuilium, certis contrahi limitibus, ac conditionibus ad eius eſſentiam neceſſarijs, poſſit affici, quare infidelis, qui cum impedimẽto dirimente, conſtituto ab Infideli Principe in terris ſuis contrahit, facit id inaniter, ac ſine effectu. Quid ſi Chriſtianus idem ſibi audendum crederet? quid ſi in locis vbi Princeps myſteriis noſtris non imbutus, ſummum imperium exercet, cum impedimento aliquo eiuſmodi, à quo matrimonium vult diſſolui, Chriſtianus (inquam) illud iniret, quid iuris?

Respondendum fore nullum, quia ratio Sacramenti, superaddita Matrimonio fidelium, non impedit in Principe infideli potestatem constituendi impedimenta dirimentia, quia cum hæc non sit subiecta Ecclesiæ, ab ea suspendi non potest talis potestatis executio, quia vt habet Innoc. III. in cap. gaudemus 8. de diuortiis: *Pagani constitutionibus canonicis non arctantur, quid enim ad nos secundum Apostolum de his quæ foris sunt iudicare?*

QVÆSTIO VI.

An Consuetudo possit impedimenta dirimentia inducere aut tollere.

OMissis sententiis quas hac de re varias commemorat Sanchez lib. 7. disp. 4.

Dico primò, *Consuetudinem noua matrimonij impedimenta inducere non posse, niſi tacite, aut expresse, fuerit approbata à Pontifice.*

Primo, quia consuetudo cum vim legis habeat, vt dicitur in can. diuturni mores 6. dist. 12. non obligat nisi more aliarum legum, at hæ, vt subditos stringant, ferri debent à volente, & potente: ergo si alterutrum consuetudini defuerit, vis ei quoque nulla obligandi inerit, deest autem, cum approbatorem Pontificem non habet, vera est ergo assertio, consuetudini, quæ nesciente, aut verò etiam improbante Pontifice, impedimentum Matrimonij dirimens inuehèret, obsequendum non esse: est enim Innoc. III. verissimum dictum in sua Decretali ex litteris de consuetudine.

Consuetudinem, quæ Canonicis obuiat iniſtitutis, nullius debere esse momenti. Quare sapienter Chrysost. homil. 1. in Genes. præcipit, vt ne temerè consuetudini seruiamus, sed cunctas res nostras ratione administremus, eandemque sententiam iterat, ac persuadet homil. 50. in eundem librum.

Rationi quoque accedit authoritas, interrogatus enim Innocent. III. an tolerandi essent, qui prætextu consuetudinis, quam libidini suæ obtendebant, in gradibus prohibitis, fœdera inter se coniugij sanciebant, respondit, ferendos non videri, aut enim eam consuetudinem non vigere apud probos viros, & Christiani officij colentes, aut illam ipsam, non consuetudinem, sed fœdam corruptelam appellandam esse, neque enim consuetudo contra leges Ecclesiæ non abrogatas, & quæ peccati est fomes & procreatrix, consuetudinis nomen meretur, *Saltem non usque adeo sui valitura momento est, vt aut rationem vincat, aut legem*, lib. 8. Cod. titulo quæ sit longa consuetudo, quare: *Consequens est*, inquit Nicol. Pap. 1. & Michael Imperat. *vt quod ab huius sedis rectoribus plena authoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, propriis tantum sequendo voluntates remoratur, sed firmiter atque inconcusse teneatur.*

Dico secundò, *consuetudine impedimenta matrimonij induci posse, aut recepta tolli, si eius consuetudinis Papa sit conscius, nec repugnet.*

Probatur primo, quia vt habent Theol. cum D. Thom. in 2. parte q. 79. art. 3. Canonistæ in cap. vlt. de consuet. Legistæ l. de quibus digest. de legib. Gregor. IX. cap. cum tanto 10. de consuetud. *Consuetudo iuris positiui præiudicium generat si fuerit rationabilis ac legitimè præscripta*, at nihil vetat dari in præsenti materia consuetudinem eiusmodi, quæ tanto tempore perseueret, quanto est opus ad præscriptionem, eamque rationabilem, cum nihil rationi ac naturæ contrarium habeat: ergo si canonicæ legi erit opposita, per eam tolletur quod ea præcipitur, aut vetatur.

Secundo probatur assertio Alexand. III. testimonio, hic enim cap. 1, & 3. de cognatione spirituali ait, consuetudine patriæ matrimonia permitti posse inter cognatos in gradibus prohibitis: *Verum*, inquit, *si de consuetudine habeatur, vt talia coniugia permittantur, in Ecclesia tua dissimulare poteris, ita quod nec contradicere, nec tuum videaris præstare assensum.* Hinc enim sic argumentamur. Eiusdem est authoritatis impedimenta ab Ecclesia constituta tollere, ac in eam noua inducere, Pontifice tacite aut expresse ea approbante, Sed consuetudo firmata longo vsu, impedimenta lege Canonum præstituta, abrogat, Alexand. testimonio: ergo & noua, si Papa non improbet, inuehet in mores communes Ecclesiæ.

Obicies, At reclamat Innocent, his verbis in cap. quod super his de Consanguin. & affinit. *Ne autem intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publicè inhibere, & præsumptores Ecclesiastica districtione punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda potius est corruptela.* quo quid clarius ab eo dici potuit, ad eius rei fidem qua de agitur, consuetudini vim deesse necessariam infirmandis Ecclesiæ sanctionibus, de matrimonio, eiusque impedimentis?

Respondend. morem contrahendi in gradibus prohibitis, fuisse tùm paucorum, non omnium, nec vbique receptum, proindeque mirum non videri, si hunc Innoc. reprobandum, ac corruptelæ loco habendum duxerit: ita vero se rem habere, vt asserimus, textus ipse ac series tota Canonis indicat, nec enim Episcopus, qui Innoc. eo tempore ad consilium, super hac controuersia adhibuit, omnes in ea opinione esse narrat, sed aliquos tantùm, qui intra tertium & septimum gradum contraxerant, vnde patet fuisse potius aliquorum abusum, quàm publicam consuetudinem: quia non est probabile fas fuisse omnibus, promiscue ac passim, in tertio gradu contrahere, cum tunc etiam septimus esset vetitus, & hæc causa Pontifici extitit asserendi, in eo can. talem consuetudinem corruptelam esse.

De Matrimonio quoad essentiam.

Quæ positiue requiruntur in Matrimonio, necessitate Sacramenti.

EA omnia se tenent ex parte consensus, quem oportet esse mutuum, liberum, absolutum, & non conditionatum expressum per verba de præsenti, cum obiecto debito, ante Parochum & testes duos, aut tres, ne sit clandestinus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VII.

An interior Conſenſus vtriuſque coniugis ſit de neceſſitate Sacramenti Matrimonij.

PRima Aſſertio, *Conſenſus coniugum mutuus, eſt neceſſarius in matrimonio neceſſitate Sacramenti.* Huius aſſertionis præcipua fundamenta ſunt iſta.

Primum Pontificum authoritas, quia vt Papa Nicol. Hincmaro ſcribit: *Matrimonium facit conſenſus, non coitus*, vnde in lib. Pandectarum continetur lib. 23. tit. 1. *In ſponſalibus conſenſus eorum exigendus eſt, quorum in nuptiis deſideratur, & ideo, ſicut nuptiis: ita Sponſalibus filiam familias conſentire oportet*, Iuo Carnot. epiſt. 46. ad Gualonem: Conſentientia Nicolao ſcripſere Alexand. III. in decretali cum locum 14. & Innoc. III. in cap. tuæ fraternitati 35. de ſponſalibus Gregor. in expoſitione Euang. homil. 26. & refertur 27. qu. 2. canon. ſic quippe 25. paragrapho non defloratio virginitatis.

Secundum, per matrimonium coniuges ſibi tribuunt poteſtatem in ſua corpora, at traditio tam ſui, quam ſuarum rerum, eſſe non poteſt ſine conſenſu: ergo &c.

Tertium vim habet à Pauli teſtimonio 1. ad Corinth 7. vbi hæc leguntur: *Si vxli tantum nubat in Domino*: Quibus ex verbis ſic argumentari licet. Velle eſt conſentire in rem volitam: ergo cum ex Pauli ſententia, tàm vir quàm fœmina velle debeant, vtriuſque conſenſus eſt neceſſarius, vt eorum matrimonium conſtet.

Quartum, Sacramentum matrimonij eſt pactio, vt habetur cauſa 27. qu. 2. can. 45. at pactum definitur eſſe duorum conſenſus atque conuentio, lege 1. dig. de pactis neque enim deſpenſatio ſeu ſponſalium, ac matrimonij ratio, ſine mutua promiſſione, & vera pactione eſſe poteſt: ergo nec ſine conſenſu paciſcentium.

Quintum, Sacramentum matrimonij nullum eſt ſine intentione in miniſtro, ſaltem virtuali, faciendi quod facit Eccleſia, in ſuſcipiente autem recipiendi effectum Sacramenti, ſaltem virtute, iuxta definitionem Trid. Concil. ſeſſ. 7. de Sacrament. in genere. Sed vir & fœmina, miniſtri ſunt Sacramenti matrimonij, ſimulque ſubiectum: ergo carere non debent intentione ad eius validitatem neceſſaria, ſed hæc in conſenſu eſt poſita, aut certè ſine eo eſſe non poteſt: ergo &c.

Quid ſi eorum alter, promiſſionem acceptet, non tamen ipſe repromittat.

Reſpondet Sanch. lib. 3. diſp. 50. nu. 12. eum qui matrimonium eſt pollicitus, teneri fidem promiſſi ſui facere, non alium qui acceptauit, ſine reciproca ſponſione acceptantis. *Quis tamen*, inquit Sanch. *ſi diu differat repromiſſionem, & matrimonium perficere, cenſetur illud contemnere, atque ita qui promiſit manebit liber ex tacita remiſſione*, hæc Sanchez.

Mea eſt opinio, è contrahentibus, vnum obligari non poſſe, ſine altero, cauſa eſt, quod contractus matrimonij, inſtar ſit commutationis hypotheticæ, quæ pertinet ad hoc genus pactionis *Do vt des*: ergo ſi eorum alter, ſeipſum dare noluerit, nec de facto dederit, deeſt in altero voluntas tradendi ſe acceptanti. ſed non repromittenti: ergo ad nihil obligatur.

Confir. obligatio quæ non eſt à lege, aut ſuperiore, manat ab obligati voluntate, ſed ex hypotheſi, qui matrimonium promittit alicui, efficaciter ac validè non vult illud promittere, niſi alter tacite, vel expreſſe matrimonij fidem ei repromittat: ita Baſil. Pont. de matrimon. lib. 12. cap. 4. nu. 2.

Habet tamen hic contractus imperfectus rationem ſponſaliorum, à quibus neutri reſilire eſt integrum, ſine conſenſu vtriuſque mutuo.

Ratio eſt, quod in acceptatione promiſſi alieni, continetur virtualis promiſſio futuri matrimonij, nam nõ poteſt ſponſio, corporiſque alterius traditio acceptari, ab eo ad quem dirigitur hæc ſponſio, niſi cum voluntate repromittendi, ac tradendi ſe alteri, at hæc promiſſio, ſponſaliorum nomen habet: ergo implenda eſt, niſi relaxata eius obligatio fuerit, ab eo cuius intereſt eam præſtari.

QVÆSTIO VIII.

An conſenſus Coniugum exprimi verbis debeat.

SEmo eſt de neceſſitate Sacramenti, eiuſque eſſentia, & quæritur, an adhãc pertineat, vt internus conſenſus coniugum, verbis, aut ſignis ſe prodat, & quorundam eſt opinio, id non exigi, quod in cap. cum locum 14. de ſponſal. dicatur, matrimonium ſolo conſenſu contrahi.

Dico primò, *Intrinſecum ac eſſentiale eſſe matrimonio, vt habet rationem Sacramenti, vt coniuges conſenſus ſuos verbis aut ſignis declarent*: ita præſtantes Theologi Paludan. in 4. diſt. 27. qu. 2. art. 2. Scotus ibid. q. 1. art. 3. Comitol. reſponſion. moral. lib. 1. q. 120.

Probatur, de ratione Sacramenti eſt, vt ſit ſenſibile, Matrimonium tale non eſt, niſi conſenſus interior, aliquo modo ſe prodat, fiatque viſibilis, per ſigna, nutus aut verba: ergo &c.

Secundo, eſt matrimonium traditio reciproca corporum, in ordine ad copulam, ſaltem potentialem, ſed traditio vera eſſe nequit, & obligatoria, niſi ad alterum directa, ab eoque acceptata: ergo cum dirigatur per verba, nutus, aut ſigna externa, iiſque acceptetur, ea ad eſſentiam matrimonij pertinebunt vt rationem habet Sacramenti, quare veriſſime dictum eſt ab Innoc. III. in ſua decretali tuæ fraternitati 25. de ſponſalibus quod etſi. *Matrimonium in veritate contrahatur per legitimum viri & mulieris conſenſum, neceſſaria tamen ſunt, quantum ad Eccleſiam verba conſenſum exprimentia de præſenti.*

Dico ſecundò, *Pertinere ad eſſentiam Matrimonij, vt eſt contractus, vt coniuges conſenſum ſuum, externo aliquo ſigno declarent*: quia vera contractus forma, eſt contrahentium legitima conſenſio, ſigno externo declarata, ex quibus componitur actus humanus, qui eſt emptio, promiſſio, aut aliquis talis contractus: ergo verba, nutus aut ſigna, ſunt eſſentialia Matrimonio, vt eſt contractus.

Confirm. eſt contractus, ſignum practicum, quo contrahentes mentem ſuam ſibi inuicem manifeſtant, ac iura commutant: ergo tam conſenſus, quam ſigna ſunt de eius eſſentia.

Dico tertiò, *Signa illa externa non neceſſario eſſe verba*, nam muti, valide contrahunt, vt eſt in de-

cretali Inn. III. eũ apud ſedẽ 23. de ſpõſal. *cum quod verbis non poſſunt, ſignis valeant declarare*, & clarius his verbis cap. tuæ fraternitati 25. eiuſd. tituli. *Surdi & muti poſſunt contrahere matrimonium per conſenſum mutuum ſine verbis, & pueri ante annos legitimos per verba ſola non contrahunt, cum intelligantur minimè conſentire.* Non ſunt ergo voces & verba, matrimonio eſſentialia, cum muti naturæ vitio, loqui nequeant, quos tamen maritos eſſe poſſe, declarat Innoc.

Secundo, ſecundum Ambroſ. lib. de virginitate & refertur cauſa 27. qu. 2. can. 45. ſi quippe, ſponſi contrahere poſſunt per ſolam copulam, affectu maritali ſuſceptam, quod tamen poſt Concil. Trident. non ſufficit ſed copula non eſt oratio verbis comprehenſa, non ſunt hæc ergo, neceſſitate Sacramenti ad matrimonium neceſſaria.

Dico quartò, *Decere tamen, vt à ſanis, quantum fas erit, voces exprimendis animi ſui notionibus adhibeantur.*

Primo, quia ita omnis aditus errori præcluditur.

Secundo, quia per eas, Eccleſia de voluntate contrahentium ac conſenſu certior redditur, quam per nutus.

Dices ſecundum Innoc. III. in cap. cum ſedem 23. de ſponſalibus: *Sufficit ad Matrimonium, ſolus conſenſus illorum, de quorum, quarum ue coniunctionibus agitur*: Et quamuis cap. 25. eiuſd. tituli idem aſſerat verba eſſe neceſſaria, nõ tamẽ abſolute eſſe talia, & ad eſſentiam Matrimonij pertinere, indicant adiunctæ voces hæ duæ: *Quantum ad Eccleſiam*, fruſtra: ergo verba à nobis ſigna aut nutus poſtulantur ad Matrimonij eſſentiam.

Negandа eſt Conſeq. nam in priori can. particulâ (ſolus) non excluduntur verba omnia, & ſigna, ſed tantum determinata & certa.

In ſecundo, ſit verborum ſpecialis mentio, non ſignorum, & nutuum, quia illa, ad probationem matrimonij, maiorem vim habent, quam ſigna quælibet alia, hæc ergo particula (quantum ad Eccleſiam) non eſſentiam & naturam matrimonij, ſed eius probationem, ac fidem reſpicit, in foro externo.

Patet ex dictis conſenſus coniugum reciprocos, eſſe cauſam non tantum efficientem & extrinſecam matrimonij, vt eſt Sacramentum, ſed etiam formalem & internam, nam conſenſus mutui in traditionem corporum, verbis declarati in probabili ſententia, ſunt ſibi inuicem forma, & materia in hoc Sacramento. Vt autem matrimonium ſumitur pro coniunctione maritali viri & fœminæ, conſenſus vtriuſque eſt tantum eius cauſa extrinſeca & efficiens, quia hæc coniunctio, eſt aliquid morale, de cuius eſſentia non eſt entitas vlla phyſica.

QVÆSTIO IX.

An conſenſus vtriuſque debeat ſimul exiſtere, vt matrimonium valeat.

Dico primò, *Non eſſe neceſſe, vt matrimonium valeat, vtriuſque coniugis conſenſum eſſe actu ſimul.*

Primo, quia matrimonium per procuratores poteſt contrahi, at cum id accidit, vtriuſque coniugis conſenſus non neceſſario ſunt ſimul, cum poſſint ambo ab inuicem loco eſſe diſſiti, & cum eorum nomine, procuratores contrahunt, eorundem conſenſus non eſt ſimul, ergo vt matrimonium valeat, non eſt neceſſe, conſenſum vtriuſque coniugis actu ſimul exiſtere.

Secundo, Matrimonium eſſentialiter eſt contractus, atqui non eſt neceſſe conſenſum contrahentium eſſe actu ſimul, vt inter eos eſſe contractus poſſit ſimus, ac ratus, nam quid vetat abſentes contrahere, eumque qui Romæ verſatur approbare voluntatem mercatoris, qui Mediolani degit, ſuper pretio, quo hic rem certam alteri, qui eſt Romæ vult vendere? quod cum facit, haud dubie cum altero contrahit, remque eius emit, & tamen venditor, vt pote eorum, quæ cum emptore, Mediolani geruntur ſuo nomine neſcius, actu in venditionem non conſentit: ergo de ratione non eſt contractuum, vt conſenſus contrahentium actu ſimul, eodemque tempore exiſtant, conſequenter nec hoc matrimonium exigit: ita Sanchez lib. 2. n. 12. & 13. vbi ſic ait.

Tertio infertur ſatis eſſe ſi ficte, vel metu conſentiens, poſt vero aſſenſum præbeat, quocunque temporis ſpatio interiecto, quia quando vnus adfuit conſenſus, oportet alterum abſque longa mora conſentire vt prior conſenſus virtute maneat. Hæc ille, eiuſdem opinionis eſt Gutierrez de matrim. cap. 46. n. 14. Ægid. de Coninch. diſp. 24. dub. 7. & alij apud illos.

Dico ſecundò, *Ad valorem matrimonij ſatis eſſe, ſi conſenſum contrahentium, moraliter ſint ſimul.*

Ratio eſt, quod tum coaloſcere poſſint in vnum contractum.

Confir. non maior vnio poſtulatur inter partes contractus, conſenſus ſcilicet vtriuſque partis, ex quibus ille componitur, quam inter Sacramenti partes cernitur, at has ſufficit, vt Sacramentum conſtent, moraliter ſibi præſentes eſſe: ergo, &c.

Tunc autem moraliter erunt hi conſenſus partium ſibi coniuncti, cum alter alterum non præcedet magno interuallo temporis quale eſt anni vnius, opinione Ledeſmæ de matrim. dub. 15. duorum, ſecundum Henriq. lib. 11. cap. 3. n. 6. Liberaliores æquo ſunt Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. ar. 3. Lop. in inſtruct par. 2. cap. 39. cum ſeptennium negant maius eſſe ſpatium, quam ſit neceſſarium, vt inter viri & fœminæ conſenſus, moralis ſimultas intercedat. Ego cum Petro Ledeſ. de matr. q. 45. art. 3. dub. 2. exiſtimo rem totam viri prudentis arbitrio committendam eſſe: Vniuerſe hoc dici poteſt, conſenſus tum præſentes eſſe, quando ſaltem habitualiter exiſtunt. Exiſtere autẽ hoc modo, quãdo non ſunt reuocati ſaltem implicite. Reuocari verò cum partes conſentiunt in alterum vel alteram, aut cum tempus ad contrahendum præſtitutũ, eſt elapſum. Nã hoc ipſo quod quis promiſſa non implet de contrahendo, tempore præſtituto, cenſetur eius conſenſus habitualis deſiſſe, & loco coniugis quam ſibi ante adamauerat, aliam ambire. Quod ſi nullum tempus definite præſcriptum eſſet perficiendo contractui matrimonij, eſſet prudentis illud determinare, eoque elapſo is per quem ſtabit, quominus redigatur in actum, cenſebitur non perſeuerare amplius habitualiter in ſuo conſenſu, ſed eum implicite reuocaſſe,

QVÆSTIO X.

An Matrimonium poſsit ſine coniugum conſenſu ſubſiſtere, Deo, aut Eccleſia illum ſupplente.

MAtrimonij ratio duplex eſt, prima in contractu eſt poſita, qui ſit de eorũ genere qui explicantur his vocibus, *Do vt des*, alter in ſtatu permanenti conſiſtit, ordinato ad ſuſceptionem prolis, eiuſque educationem, iuxta multiplicem hanc matrimonij notionem ad propoſitam quæſtionem, non vna ſed multiplex debet eſſe reſponſio.

Prima Aſſertio, *Si matrimonium pro contractu ſumitur, conſenſus contrahentium, proprie & formaliter ſumptus, ſuppleri à Deo non poteſt.*

Primo, eſt conſenſus coniugum cauſa non modo effectiua matrimonij, ſed etiam formalis, at hæc à Deo ſuppleri nequit.

Secundo, res eſſe non poteſt, ſine eo quod ad eius eſſentiam pertinet, ſed conſenſus coniugum matrimonio eſt eſſentialis ac intrinſecus, ex dictis antea: ergo eo ſublato matrimonium corruit.

Tertio, implicat actum vitalem, quà talis eſt, ſuppleri à Deo, ſed conſenſus coniugum vt ſic, & formaliter, eſt actus vitalis: ergo talis, quem ſupplere Deus nequeat.

Secunda Aſſertio, *Matrimonium ſecundo modo acceptum pro ſtatu firmo & ſtabili, fieri à Deo poteſt viro & fœmina nihil operantibus.*

Probatur. coniugium hoc modo ſumptum, ſtatus eſt, in quo coniuges, mutuum habent dominium in ſua corpora: ergo ſi coniugibus, non modo nihil operantibus, ſed etiam reclamantibus, ac inuitis, poteſt Deus iiſdem dare poteſtatem in ſua corpora, poteſt quoque independenter ab illis, ſupplere conſenſum matrimonij, ſed poteſt primum, vt enim in eius manu eſt rerum vniuerſitas: ita & coniuges, ergo Deus inuitos matrimonio ſic copulare poterit, vt mulier ſit viri vxor, & vir mulieris maritus: ita Victor. in relect. de matrim. parte 1. nũ. 4.

Probatur ſecundo, ſupplere Deus poteſt efficientiam cauſæ ſecundæ, ſed conſenſus coniugum effectiua cauſa eſt iſtius vinculi, iuris & obligationis: ergo &c.

Obiicies, finis matrimonij eſt amor mutuus, & propagatio ſobolis, quæ duo eſſe nequeunt Deo ſupplente conſenſum viri & fœminæ.

Neganda eſt Minor, cum enim in manu Dei, cor ſit humanum, quocunque vult illud inflectere, viroque ac fœminæ, amorem erga ſeſe mutuum, curamque ſuſceptæ, aut ſuſcipiendæ prolis, quantam oportet, poteſt imprimere.

Aſſertio tertia, *Poteſtas humana nulla, matrimonio coniungere inuitos poteſt.*

Primo, quia repugnantes, ſeiungi ab inuicem vir, & fœmina nequeunt, authoritate alterius quam Dei, ergo nec coniungi.

Conſequent. probatur, omne vinculum, quod humana conſtitui poteſtate eſt idoneum, eadem quoque poteſt dirimi, *per quas enim cauſas quid ponitur, per eaſdem & tollitur de regul. iuris reg.* 1. Sed matrimonium ratum, humana authoritate, partibus inuitis ſolui nequit, eſt enim perpetuum, ac ſola alterutrius morte ſoluendum, iuxta illud Matth. 9. *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet*: ergo nec eadem authoritate, poteſt inter inuitos, ac ſibi voluntate diſcrepantes conſtitui.

Secundo, ſi quo tempore, Petrus v. c. Mariam ſibi conſociat, eandem ſummus Pontifex, Ioanni addiceret, eſſet hæc aut duorum vxor, aut nullius. Probatur quia hic cauſæ ſunt duæ, effectiuæ matrimonij, eæque ſufficientes & idoneæ, nempe voluntas Pontificis, & conſenſus partium: ergo vel vtraque habet effectum, & ſic Maria vxor erit duorum, vel ſeſe mutuo impedient, & tunc nullum erit matrimonium.

At enim inquies, Papæ voluntas, anteponenda eſt conſenſui partium, cum ſuperior ſubditum authoritate ſuperet.

Sequela eſt neganda, primo, quia cum Epiſcopi in ſua Diœceſi, in cauſa ſalutis publicæ, idem poſſint, quod Pontifex in vniuerſa Eccleſia, niſi ſpecialiter hoc ſibi reſeruauerit, dicendum eſſet ab iis peræque ac à Pontifice, inuitos matrimonio coniungi poſſe, quamest id vero parum credibile?

Secundo, cum. Deus, & natura, matrimonium in eos vſus inſtituerint, qui non niſi à voluntariis poſſunt exigi, vt eſt debiti redditio, mutua cohabitatio, prolis ſuſceptio, & educatio, non eſt in hac cauſa, præ contrahentibus, audiendus Pontifex, cum illorum, non iſtius res agatur.

Quid? quod illi, quemadmodum Deo, non ſunt viri & fœminæ corpora obnoxia, vt de iis arbitratu ſuo diſponere queat in ordine ad vſum matrimonij, quod iis, amorem erga ſe mutuum imprimere, quod eoſdem è nolentibus volentes, ex inuitis ac repugnantibus, ſpontaneos reddere nequeat.

Obiicies, ab vno in alium transferre rerum dominium, magiſtratui tam Eccleſiaſtico, quam ciuili licet, ex iuſta cauſa: ergo & corporum.

Neganda eſt conſeq. diſparitatis cauſa eſt vnica, nempe quod magiſtratus in externa, ratione finis politici quem ſpectat, ius ac arbitrium habeat non in corpora, cum vſus eorundem non ſit ita in eius poteſtate, niſi in caſu quo periclitaretur Reſpublica, vt enim eam quiſque tueri, ac propugnare debet, proprij capitis periculo, ita & eo loco collocari à magiſtratu poteſt, vbi certo occumbet, v. c. in capite exercitus, vbi ardet pugna, in ſtatione alex pleniſſima. Deinde tranſlatio dominij bonorum externorum, quæ fit inuito proprio Domino, non pugnat cum fine poſſeſſionis eorundem, nam tam eſt vſui domus, aut ſeruus, acquiſitus contra voluntatem Domini, quam ſi vtrumque eo conſentiente, ac probante fieret, quod de viro & vxore, in ordine ad matrimonium dici non poteſt, nam ſine eorum voluntate conſtare nequeunt mutua eorundem erga ſe inuicem officia, prolis ſuſceptio, eiuſdem educatio, vnde coniunctio maritalis, appellatur coniunctio animis.

Aſſertio vltima, *Matrimonium vt eſt vinculum viri & fœminæ inter ſe, ſeu moralis coniunctio, ſuppleri non poteſt à Deo*, quia quæ moralia ſunt, entitatem realem non habent, aut ſi quam habent, ab opinione hominum pendet.

Secundo, eſt hoc vinculum relatio viri ad fœminam, vt ad aliquid, in quod habet dominium, cum ſubiectione tamen aliqua eidem fœminæ, & vice verſa, fœminæ ad virum, cum eiſdem reſpectibus. At relatio eſſe nequit ſine ſuo fundamento, quod eſt conſenſus mutuus coniugum, quem Deus ſupplere non poteſt: ergo &c.

Secundo, eſt hoc vinculum, eſſentialiter vnio voluntatum inter ſe, eaque indiſſolubilis, orta ex conſenſu præuio contrahentium, at hæc vt ſic ſup-

pleri à Deo non potest: ergo nec matrimonium vt est vinculum formaliter.

QVÆSTIO XI.

In quid ferri debeat consensus contrahentium, seu quod nam sit obiectum consensus eorum.

DIco primò, *Consensum coniugum, expresse non debere ferri in copulam, vt redigendam in actum.*

Primo, quia constat matrimonium cum hac conditione initum, vt non teneantur coniuges sibi obsequi in petitione, aut redditione debiti, esse validum: ergo obiectum consensus coniugum, non est copula, vt in actum redigenda, consequentia est certa.

Anteced. probatur, coninges possunt inter se contrahere, cum intentione & voluntate seruandæ castitatis, aut capessendæ Religionis.

Primo, quia intendere potest quilibet, quod ei de iure licet, modo ne cum damno tertij id accidat, at cuique est permissum, ante consummationem matrimonij, religionem ingredi: ergo & matrimonium contrahere, cum obligatione, vt vterque aut saltem eorum alter, non teneatur reddere debitum nec petere.

Secundo, quia Dominium separari potest ab vsu rei, & dari cum obligatione non vtendi dicta re, in quam tale dominium cadit: ergo & corpora, sine voluntate, vt corpora sibi inuicem seruiant in re matrimonij. Quod autem Dominium sit separabile, ab vsu rei.

Patet primo, in Religione Minorum, cui permissus est vsus rerum, quibus donatur gratis ac liberaliter, non autem dominium. Huius sententiæ authores primi, ac patroni, Romani Pontifices, Nicol. III. in Extrauag. exiit qui seminat de verb. signific. in sexto, postea Clemens V. in Clementina exiui de Paradiso eod. tit. Ante Nicol. in eadem sententia fuere Innoc. IV. Alexand. IV. Gregor. IX. qui omnes docuere: *Dominium rerum, quibus Franciscani vtuntur, ad Papam pertinere, non autem ad eorum Congregationem*: & in Concil. Lateranensi sicut refertur in capite Monachi. secundo, tituli de statu Monachorum: Monachis permittitur habere cũ licentia Abbatis, *peculiũ pro iniuncta administratione*, & tamen eius dominium penes conuentum remanet, nam vt habet Innoc. in cap. cum olim de priuileg. *Monachus quidquid acquirit, acquirit non sibi sed Monasterio*, quæ omnia indicant, verissime dictum esse, dominium esse ab vsu separabile, ac proinde in matrimonio, translationem esse posse corporum, absque eo quod reuocari debeat ad actum.

Confirmatur, si ad essentiam matrimonij pertinet, vt contrahentes actu & expresse ferantur in copulam carnalem, vt reuocandam ad actum, erit contra eius substantiam, ex mutuo consensu seruare continentiam, quod falsum esse, infinita docent exempla Sanctorum, vt Henrici primi, & Cunegundis Reginæ, Eduardi Anglorum Regis, Elzearij & Delphinæ, quos constat post contractum à se matrimonium, Deo continentiam vouisse.

Tertio, interrogatus Pontifex quid ei consulendum esset, qui cum cuidam mulieri de contrahendo matrimonio fidem dedisset, seque cum ea intra biennium per verba de præsenti contracturum, A præstito iuramento firmasset, propositi sui pertæsus, ad alia vota aspirabat. Respondit in cap. commissum 16. de spõsalibus. *Quod tutius est ei (religione iuramenti seruata) prius contrahere, & postea si elegerit, ad religionem migrare.* Hinc enim sic argumentamur. Qui cum voluntate religionis ineundæ matrimonium contrahit, in eo, castitatem se seruaturum secum ipse, expresse vel tacite proponit, at huic proposito, est proprij corporis traditio, ad matrimonij actualem vsum opposita, vt patet, cum per eum omnis coniugibus ad religionem intercludatur aditus, non est ergo essentiale matrimonio vt coniugum consensus expresse feratur in copulam, vt redigendam in actum.

B Dico secundò, *Coniugalem copulam explicite velitam, carnalem autem tantum implicite, esse secundum quosdam obiectum consensus contrahentium*: Ita D. Thom. 3. parte q. 29. art. 2. & q. 48. addition. art. 1. Valent. disp. 10. q. 3. punc. 5.

Probatur primo. quia vir & fœmina consentire debent in cõtractum matrimonij, hic autem essentialiter includit copulam coniugalem, id est vinculum quo coniuges inter se ligantur, fiuntque vna caro, translato hinc inde corporum dominio.

Secundo, id est obiectum consensus in matrimonio, sine quo esse hoc nequit, sed matrimonium esse non potest, sine consensu in copulam coniugalem, est hæc ergo obiectum consensus contrahentium.

C Minor probatur, copula coniugalis, materialiter est traditio ipsa mutua corporum, at hæc proprie est obiectum consensus coniugum, ergo & copula coniugalis.

Maior est certa, Minoris veritas sic ostenditur Matrimonium stare nequit, nisi consensus qui verbis exprimitur sit verus, nam falsitas formæ Sacramentum reddit nullum. Sed hæc verba *Accipio te in meum, accipio te in meam*, significant traditionem corporum, ac proprij eorum dominij, vera est ergo minor propositio.

Pars secunda Assertionis fuit, carnalem copulam implicite, obiectum esse consensus coniugaD lis, probatur hæc vero hoc modo, qui consentit in causam, virtualiter & implicite consentit in effectum, sed copula coniugalis, præbet ius, & obligationem ad carnalem, ergo carnalis implicite & interpretatiue cadit sub voluntatem, cum datur consensus in coniugalem.

Patet hinc primo, consentire coniuges necessario, in mutuam traditionem suorum corporum, ad vsum coniugalem, quia in ea traditione dominij propriorum corporum, consistit essentia matrimonij.

Secundo, in matrimonij vinculum ex natura suâ perpetuum.

Tertio, in obligationem reddendi debiti, id est non negandi vsuram corporis sui alteri, cum debite petetur.

E Quarto, in bona tria matrimonij, quæ sunt fides, proles, Sacramentum, de quibus nos postea.

Obiicies, Beata virgo verum contraxit matrimonium, & tamen nunquam consensit in copulam carnalem, ne quidem implicite, nam hoc perfectæ eius virginitati derogasset.

Respondet Diu. Thomas 3. parte q. 29. art. 2. B. Virginem non nisi post nuptias, cum B. Iosepho contractas, virginitatis se voto obligasse, itáque cum sunt factæ, consensisse in coniugalem copulam, non autem in carnalem, nisi cum condi-

Digitized by Google

tione, ſi Deo placeret. Dicunt alij, B. Virginem longo ante nuptias ſpatio, virginitatis voto obligatam fuiſſe, ab eo tamen, nullum matrimonio eius impedimentũ iectum eſſe, eo quod diuinitus edocta fuerit, nihil ſibi nec virginitati ſuæ metuendum eſſe à Ioſepho, viro integerrimæ innocentiæ. Quare quod Hieronymus ait in cap. 5. 1. ad Timoth. Vouentibus virginitatem, non ſolum nubere, ſed etiam velle, damnabile eſſe, de noſtri ſimilibus, id eſt ad peccandum, naturæ quodam impetu prouis hominibus, intelligi debet, quos etſi cæteræ deeſſent illecebræ peccandi, quæ in hac morum ac temporum corruptela, multæ ſunt ac variæ, ipſa tamen natura, acciſa culpa primigenia, ac actualibus: in certum exitium, aut certe eius periculum tracturа eſſet.

Reſpondent alij, conſenſum in copulam carnalem, ne quidem implicitum, eſſe de eſſentia matrimonij, ſed tantum in ius, & obligationem ad illam, quod cum neque virginitati nec voto illius repugnet, facile eſt intelligere quomodo Beata virgo ſalua virginitate potuerit verum matrimonium cum Ioſepho contrahere.

Quod autem de matrimonij eſſentia, non ſit conſenſus, etiam implicitus ad copulam, probat hoc argumentum. Id matrimonio duntaxat eſt intrinſecum, quod ſignificatur verbis, quibus communiter matrimonium ſolet in Eccleſia Dei contrahi *Accipio te in meum, accipio te in meam*, at his traditio dominij in corpora exprimitur, non copula, ergo conſenſus in iſtam, vt actu futuram, non eſt matrimonio intrinſecus,

QVÆSTIO XII.

An oporteat coniuges conſentire expreſſe in fines matrimonij, eoſque intendere.

TRiplex poteſt eſſe intentio, & finis eorum qui matrimonium contrahunt, Prolis ſuſceptio, fornicationis remedium, gratiæ conſecutio.

Secundo, de matrimonio ſermo eſſe poteſt, vt eſt contractus, aut Sacramentum.

Tertio, quæri poteſt, an ſit neceſſe hos omnes fines intendere poſitiue, an contra negatiua intentio non ſufficiat.

Dico ergo primò, *Finem matrimonij, vt eſt contractus, eſſe mutuam traditionem corporum, ac animorum vnionem inter ſe*, quia finis matrimonij vt eſt contractus, eſt id, cuius cauſa celebratur, & ad quod refertur, at talis eſt traditio corporum, ac coniugum inter ſe vnio: ergo &c.

Dico ſecundò, *Coniuges debere expreſſe intendere hunc finem*, quia contrahentes dum contrahunt, velle debent, id quod eſt de eſſentia contractus, quem celebrant, at traditio mutua dominij corporum, eſt eſſentialis contractui matrimonij: ergo &c.

Dico tertiò, *Finem matrimonii, vt eſt Sacramentum, eſſe ſanctificationem coniugum, & hanc, non neceſſario appetendam eſſe expreſſe, & actu.*

Pars prima probatur, finis Sacramentorum proximus, eſt iuſtificatio fidelium, remotus Dei honor, ſed matrimonium eſt Sacramentum: ergo.

Secunda pars eſt, item aperta. Quam enim pauci ſunt in Dei Eccleſia, qui de gratia conſequenda cogitant, cum contrahunt? quam pauci, maxime inter rudes, & indoctos, qui Sacramenta, & præcipue matrimonij, ad ſanctificationem animæ inſtituta eſſe ſciant? hanc ergo non intendunt, cum intentio finis eſſe, ſine eius cognitione præuia, in intendentis animo nequeat.

Dico quartò, *Finem matrimonii vt eſt inſtitutum in natura officium, qui eſt concupiſcentiæ remedium, ac ſuſceptionem prolis, expreſſe ad eius valorem, intendendum non eſſe.*

Pars prima probatur, nam naturâ, cuique eſt inſitum ſe tueri, ac immortalitatem conſequi ſi liceret: ergo cum in ſe nemo id poſſit, aſſequi hoc ipſum in prole conatur, ſane hunc finem matrimonij eſſe in dicaſſe Deus videtur Gen. 2. his verbis: *Creſcite & multiplicamini &c.* Adamus item ibid. cum virum & fœminam dixit, *futuros in carne vna duos*, nempe per copulam.

Pars ſecunda oſtenditur. Ex probabili multorum opinione, matrimonium poteſt contrahi valide, cum hac conditione, vt neuter teneatur alteri debitum reddere, ſeu vt vterque teneatur caſtitatem ſeruare. Ita Paludan. in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. concluſ. 2. Coninch diſp. 24. dub. 4. nu. 43. ergo cum hic finis, ſeu intentio, ſuſceptionem prolis excludat, non eſt ad valorem matrimonij neceſſe, concupiſcentiæ remedium, ac liberos in matrimonio actu, & expreſſe intendere.

Conſequent. eſt euidens Antec. probatur, matrimonio ea poteſt apponi conditio, quæ eius eſſentiæ non eſt oppoſita, at præſens eſt iſtiuſmodi. Probatur, quæ conditio matrimonio iam contracto non repugnat, nec eius ſubſtantiam deſtruit, hæc contrahendum non impedit, at poſſunt coniuges de mutuo conſenſu, manente matrimonij vinculo vouere continentiam omnimodam, aut ad tempus: ergo & ante contractum.

Secundo poteſt aliquis, ad compeſcendos concupiſcentiæ motus, quos acres, & frequentes experitur, deligere ſibi coniugem ſterilem, quia liberos nullos appetit, quod iis alendis non ſit ſatis, ob inopiam, quæ tamen ad concupiſcentiæ, ac tentationum remedium ſufficiat, at electio fœminæ ſterilis, quæ ad conceptum non ſit idonea, ac puerorum ex ea ſuſcipiendorum excluſio, actus ſunt, cum intentione expreſſa habendæ prolis incompoſſibiles, cum vnus alterum deſtruat: ergo non eſt neceſſe ad valorem matrimonij, actu & expreſſe, in eo contrahendo, proles intendere, imo ſi fides eſt Roſellæ v. Debitum nu. 11. Nau. cap. 16. nu. 33. Palud. in 4. diſt. 31. qu. 3. art. 2. concl. 5. dum coniuges vtuntur matrimonio, licitè optare poſſunt ſibi liberos non naſci.

Confirm. etſi finis ſuſcipiendæ prolis deſit, remanere tamen poſſunt alij duo fines matrimonii, tam vt eſt Sacramentum, quam contractus, quos licet intendere priore omiſſo, cum ex cap. commiſſum 16. de ſponſalibus, matrimonium poſſit in aliquo caſu contrahi, cum animo illud non conſummandi.

Dico quintò, *ſtare tamen matrimonium non poſſe cum voluntate contraria bono Sacramenti, prolis aut fidei*, ita Gregor. eius nominis nonus in ſua decret. ſi conditiones ſeptima, de conditionibus appoſitis, in hæc verba. *Si conditiones contra ſubſtantiam coniugii inſeruntur, putaſi alter dicat alteri, contrahe tecum ſi generationem prolis euites, vel donec inueniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque ſit fauorabilis, caret effectu.*

Secundo, eſt perpetuitas, matrimonio eſſentia-

lis ac intrinſeca, nam eſt eſſentialiter repræſentatio vnionis Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt futura perpetua, cum portæ inferi aduerſus eam non ſint præualituræ: ergo velle implicite, vt Sacramentum matrimonij, de finatur certo tempore, quoad vinculum, eſt velle contraria eius eſſentiæ, ac proinde illud non contrahere. A

QVÆSTIO XIII.

An Parocho conſtare debeat de partium conſenſu inter ſe.

REſpondendum eſt affirmatiue, quia certus eſſe debet de validitate matrimonij, inter contrahentes: ergo de eorum conſenſu, cum ſine eo non ſubſiſtat. Hæcque eſt cauſa, cur ex eis, Sacerdos lingua vernacula, ſciſcitari debeat, ex ſponſo quidem, num in animum induxerit, fœminam quam præſentem habet vxorem ſibi adiungere, eique fideliter præeſſe, ſicut Adam Euæ, ac tanquam infirmiori vaſculo mulcbri (vt D. Petrus loquitur) parcere, eam vt ſeipſum, vitamque ſuam diligere, cum ea, honeſtè, ac perhumaniter, vſque ad mortem viuere, quo annuente præſtiturum omnia, ſponſam ſimiliter interrogat Sacerdos, an velit præſentem N. in legitimum maritum habere, ei fideliter cohabitare, ei obedire, vt Eua Adæ, eum obſeruare, vt Sara Abraham, cum eo viuere, dum vita ſuperſtes erit, qua reſpondente, certum id ſibi eſſe, dexteras vtriuſque ſponſi nungit, annuloque inuicem tradito, quid vtrumque ſignificet aperit. Manum quidem porrectam indicare, quod coram Deo, & Eccleſia, ambo ſe ſponſi quaſi iureiurando deuinciant, alterum ab altero nunquam, ne in rebus quidem aduerſis ſeceſſurum, ſed in hac inita matrimonij ſocietate, ad extremum vſque vitæ diem, conſtantiſſimè perſeueraturum.

Annulum autem, rotunditate formæ quam gerit, innuere mortalibus, quam ſponſi ſibi in Matrimonio fidem dant mutuo, principium quidem habere poſſe, ſed non finem.

An autem hæc Parochos facere neceſſario oporteat, ad fugam culpæ Doctores magna animi contentione diſputant, omniumque fere eſt opinio, eos ad id teneri ſub peccato veniali, teſtes Ægid. de Coninch. & Diana, ille diſp. 27. dub. 8. concl. 4. num. 74. Iſte tractatu 4 de Sacramentis reſolutione 194. Ego, quod eorum bona pace, veniaque ſit dictum, credo, omni culpa Parochum vacare, etſi ſponſos de conſenſu ſuo non interroget, ſitne liber, an coactus, ſpontaneus, an precibus, aut minis extortus, quia aliunde quam ex eorum ore, de eius natura conſenſus, ac qualitatibus, conſtare ei poteſt quam pleniſſime.

QVÆSTIO XIV.

An valide contrahant, qui putant, falſo tamen habere ſe aliquod impedimentum dirimens.

TAles inualide contrahere, ſcripſit de Coninch. de Sacram. diſp. 24. dub 6. num 52.

Secus quam ille opinantur, Sanch. lib. 2. diſp. 33 num. 2. Gittier. de matrim. cap. 47. num. 1. animi mei ſenſum complectar aſſertione duplici.

B Prima Aſſertio, *Qui exiſtimat teneri ſe impedimento, à quo, matrimonio contrahendo obſtaculum naturale, aut Eccleſiaſticum oritur, ſeriſque illud ſic contractum non valere, non poteſt cum eo impedimento, quod reipſa eſt nullum, contrahere.*

Probatur, contractus conſenſum exigit contrahentium, At hic non fertur in rem impoſſibilem, & quæ pro tali cognoſcitur non ergo conſentire in matrimonium coniuges poſſunt quod iudicant fore nullum.

Confir. eſt matrimonium contractus, de eorum genere qui explicantur his vocibus, *Do vt des*, at cum interuenit impedimentum aliquod dirimens, non poſſunt coniuges ſua ſibi corpora dare mutuo, cum id ius naturale, aut Eccleſiaſticum impediat vt ſupponimus: ergo cum impedimento dirimente, C quo falſo tamen, & cum errore animi, contrahentes exiſtimant ſe teneri, valide contrahere, & cum effectu nequeunt, nemo enim poteſt ſeriò intendere, quod omnino credit eſſe ſibi impoſſibile.

Obiicies, poſſunt contrahentes, dare velle actioni ſuæ vim tantam, quanta eſt in eorum poteſtate. At ex hypotheſi, quod impedimentum non ſit verum, ſed tantum ex errore apprehenſum pro vero, nihil operabitur ſi conſenſus ſuos valere ſponſi tantum velint, quantum natura ſua ad tranſlationem dominij mutui corporum ſuorum valent: ergo tale impedimentum matrimonio non officiet in eo caſu, D

Maior eſt neganda, nec enim ſponſis eſt integrum, contrahere velle quantum poſſunt, cum omnino credunt ſe non poſſe, quia voluntas non fertur niſi in id, quod ei per intellectum proponitur vt appetendum, cuiuſmodi tantum eſſe id ſolet, quo tanquam poſſibili, ac ſibi vtili, frui poteſt, ſub aliqua ratione boni.

Secunda Aſſertio, *Cum vir & fœmina ambigunt, an inter eos, fœdus intercedere matrimonij valeat, & nihilominus illud ſi poſſunt, inire volunt, matrimonium eorum eſt ratum, ac validum.*

Ratio eſt, quod matrimonium cum conditione E de præſenti initum valeat, ſi hæc ſubſiſtit, cum fit, at ſponſorum conſenſus, in caſu dubij quod eis occurrit, an vere in eos cadat obex aliquis, quo retardentur legibus Eccleſiæ, conſociare ſe iure matrimonij, ſponſorum inquam conſenſus eſt hypotheticus, explicandus hoc modo, ſi nihil obſtat, quominus vnà, coniugij ſocietatem coire nobis liceat, vere & ex animo illam inimus: ergo cum nihil ſimile, ſe illorum voluntati obiiciat, eſt eorum coniunctio futura rata ac valida, quandoquidem vt ſupponitur impedimentum quo ſe teneri putant, reale non eſt, ac verum.

Digitized by Google

QVÆSTIO XIV.

Quid conſulendum ſit ei, qui contraxit cum duabus ſucceſſiue, cum ſecunda vere, & adhibito conſenſu debito, cum prima ſine illo & ficte.

RAtio dubii eſt in eo, quod vna quidē ex parte ſi hic cohabitauerit primæ, eique debitum reddiderit reus erit læſæ calſimoniæ, vere & coram Deo, fornicator, cum matrimonium nullum fuerit. Aliunde autem, ſi res in iudicium Eccleſiaſticum reducatur, compelletur ab Eccleſia per cenſuras, & excommunicationem ad cohabitandum primæ vxore ſecunda deſerta vt habetur cap. is qui, & cap. tuam de ſponſalibus cum Eccleſia tantum iudicet ſecundum allegata & probata.

Reſpondendum, talem vxori primæ cohabitare, nec debere, nec poſſe, multo minus debitum ei reddere, conſulendum ei proinde eſſe, vt excōmunicationis ſententiam potius humiliter ferat, quam cum ea cohabitet, & fornicetur D. Thom. q. 45. art. 5. ad 3. cum communi ſententia. Quare errauit Magiſter cum diſt. 28. aſſeruit, ei in tali caſu licere obedire præcepto Eccleſiæ, & vxori primæ debitum reddere,

Noſtra tamen ſententia definita eſt ab Innoc. III. in cap. Inquiſitioni 44. de ſententia excom. his verbis: *Inquiſitioni tuæ reſpondentes credimus diſtinguendum, vtrum alter coniugum, pro certo ſciat impedimentum coniugii, propter quod, ſine mortali peccato, non valet carnale commercium exercere, quamuis illud apud Eccleſiam probare nō poſſit, an non ſciat pro certo, ſed credat. In primo caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.*

Fatentur tamen omnes, teneri iſtum parere Eccleſiæ præcepto in omnibus, præter quam in redditione debiti, vt in mutuis obſequiis & ſimilibus.

Aſſerit Palud. illi conſulendum eſſe in tali caſu vt petat abſolutionem excommunicationis à ſummo Pont. Verum hoc conſilium videtur inutile, nam ſummus Pontifex non poteſt alio modo abſoluere ab excommunicatione illa, quam ſubaudiendo, ſi res ita ſe habet, vt dicitur, ita tamen, vt ſcandali vitandi cauſa, quandiu veritas probati non poteſt, ſententiæ excommunicationis pareat in foro externo, abſtinendo à communione Sacramentorum, & diuinorum coram aliis, & clam ea illi permittendo. Verum hæc omnia illi licent ſine Pontif. abſolutione, cum enim ex ſuppoſitione, prima vxor. non ſit vera & legitima, ſed ſecunda, illa excommunicatio ſub cuius pœna tenetur cohabitare primæ vxori, habet tantum vim in foro externo, non in conſcientia: quam vt euitet duo ei tantum media ſuppetunt, primum eſt, vt ſi matrimonium non ſit conſummatum, ingrediatur Religionem. Alterum quod conſulit D. Thom. vt in regionem longinquam fugiat, in qua ignotus lateat.

Quid ſi maritus aſſerat defuiſſe ſibi in Matrimonij contractu interiorem conſenſum, etiamne vxori fas erit, fidem ei id aſſerenti dare?

Reſpondendum licere, ſi iudicio viri prudentis & pij, ſit probabile, id quod vir narrat, habere ſpeciem aliquam veri. Non licere autem, ſi hoc non ſit eo modo probabile, ſed adulteram cenſendam eſſe fœminam, ſi ad ſecundas nuptias tranſeat

A in quibus neque petere neque reddere debitum poterit. Roſella Matrimon. 4. parag. 3. Sylu. matrim. 4. q. 9.

Iudicari autem poteſt id eſſe probabile, ſi ſtatim poſtquam vir contraxit indicauerit ſuam deceptionem, & cum alia contraxerit, aut religionem ingreſſus fuerit, aut ſuſceperit ordinem ſacrum.

Secundo, ſi deceptionem poſtea iuramento confirmet, licet non ſtatim eam declarauerit, & ſit fide dignus. Denique ſi adeo diſpar eſt viri & fœminæ conditio vt non ſit veriſimile, illum vere voluiſſe cum iſta matrimonium contrahere. Et in hoc caſu, poteſt vxor, ſi vir nolit de nouo contrahere, tranſire ad ſecunda vota, aliique viro nubere,
B idemque viro omni eſt lege permiſſum reſpectu coniugis.

QVÆSTIO XV.

Quid conſulendum ſit coniugibus, cum adhibent in contrahendo verba dubia, & ad expreſſionem mutuæ vtriuſque voluntatis ambigua.

C PRima Aſſertio, *Cum dubia eſt verborum ſignificatio, ſtandum eſt in foro conſcientiæ intentioni proferentium, in externo ſententiæ Iudicis.*

Probatio primæ partis petenda eſt ex cap. intelligentia 6. tit. de verborum ſignificat vbi ſic legitur: *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi quia nō ſermoni res, ſed rei eſt ſubiectus ſermo.*

Secundo, contractus ex intentione contrahentium vim habent, obligatio enim omnis quæ non naſcitur à lege, aut voluntate ſuperioris, oritur ex propria, ſed Matrimonium contractus eſt: ergo verba quibus fiet, alium ſenſum habere non debent ab eo, quem contrahentes intendunt.

Secundæ partis, ſunt hæc firmamenta.

D Primum, Iudicis eſt explicare ius ambiguum: ergo verba contrahentium in eum ſenſum erunt capienda, quæ hic ea intelligenda eſſe iudicauerit non alio.

Secundum ad Iudicem pertinet lites componere, rempublicam regere, vtrumque fit ſedatione iurgiorum, quæ inter Coniuges eſſe queunt, ex ambigua vocū notione, quibus in cōtrahendo hi ſunt vſi, eſt hoc ergo propriū eius munus, ſenſū vocibus maxime proprium & vſitatum tribuere, quem habent ex inſtituto hominum: Ita Alexand. Papa III. in cap. ex litteris 7. de ſponſal. interrogatus enim à Cantuar. Archiep. in quam partem trahenda verba forent contrahentium, cum ſunt obſcura, reſpondit. *Ad communē verbi intelligentiam recurrendum eſſe, cogendoſque ambos verba prolata in eo ſenſu retinere, quem ſolent recte intellegentibus generare.* Deinde eſt hæc in explicatione orationis, aut
E vocis dubiæ adhibenda cautio, vt verba tam præcedentia, quam quæ in eiuſdem orationis ſerie, ac contextu ſequuntur, cauſaſque dicendi omnes, exploret Iudex cap. intelligentia 6. de verborum ſignificat. & cap. ſollicitæ 6. de maiorit. & obed.

Quod ſi ne ſic quidem, eluceſcit vis verbi, quo redditur oratio ambigua contrahentium, iudici inclinandum ei erit in fauorem matrimonij vt habetur in cap. finali de ſentent. & re iudicata.

QVÆSTIO XVII.

Quæ sint signa ex quibus præsumere solet Ecclesia, fieri consensum de præsenti in Matrimonium.

PRæcipua quatuor, primum est, matrimonij consummatio per copulam, post sponsalia de futuro, in his maxime locis in quibus non est receptum Concil. valentque proinde clandestina coniugia: habetur in cap. veniens, cap. is qui fidem, 30. & tua nos fraternitas 26. de sponsalib. Nam ne vir & fœmina peccasse videantur, præsumit Ecclesia, talem copulam ex affectu maritali profectam esse, ac cum intentione vera faciendi matrimonij cap. veniens 15. de sponsal. quæ causa est, cur contra eam præsumptionem, nō admittatur vlla probatio: Gregor. IX. cap. is qui 30. de sponsal. *Ex quo sequitur*, inquit, *quod nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum.*

Secundum est taciturnitas pueri aut puellæ, cum pro iis Pater aut Tutor contrahunt, fidemque matrimonij eorum nomine offerunt, de quo extat decretal. Bonif. VIII. si infantes paragr. vltim. de sponsal. in 6. vbi est his verbis: *Ex sponsalibus quæ parentes pro filiis impuberibus, vel impuberibus plerunque contrahunt, ipsi filij si expressè consenserint, vel tacitè vt si præsentes fuerint nec contradixerint, obligãtur, & ex eis oritur iustitia publicæ honestatis.* Hinc enim sic argumentari lubet. Valent sponsalia quæ à parentibus fiunt filiorum nomine, ex prædicto can. quæ à fratre pro *sorore præsente & consentiente*, secundum Alexand. III. in cap. 1. de matrimon. contracto contra interdictum Ecclesiæ. At eadem est ratio matrimonij quæ sponsalium: ergo si puellæ taciturnitas fratre pro ea respondente, habetur pro consensu vero ac proprio, habebitur quoque in causa matrimonij, eiusdem silentium pro voluntate actuali Patre ac Tutore pro ea stipulante.

Sane cum ex regula iuris 43. de regul. in 6. *Qui tacet consentire videatur*, maxime quando eius intererat loqui, quod in re præsenti locum habet, cum puella pro se loquentibus reclamare possit ac debeat, iusta est causa cuique existimandi, signum consensus ad matrimonium necessarij, esse pueri aut puellæ silentium, cum loqui eos esset necesse, ac mentem suam exprimere.

Dixi si Pater aut Tutor, nam si alius ab iis pro nubili filia respondeat, ex huius taciturnitate, argumentum nullum peti certum poterit de eius consensu. Quia non tenetur respondere, cum qui eius loco loquitur, nullam in eam authoritatem habeat, ex quo sequitur proinde, in eius consensu, interpretatiue non includi puellæ consensum secundum Rebell. de matrim. lib. 2. qu. 10. num. 9. Sot. in 4. dist. 29. qu. 1. art. 3. concl. 2. Pro quo facit & alia regula iuris. *Is qui tacet, nec consentire videtur, nec dissentire*, quod de eo intelligitur, qui interrogatus, mentem suam interroganti explicare necessario non debet, alioqui eius silentium haberetur pro confessione tacita rei de qua interrogatur iuxta Couar. in 4. decretal. par. 2. cap. 4.

Tertium signum consensus, est acceptatio annuli ab eo dati qui ante per verba de præsenti consensit, is porro annulus, siue gemma, in digitum puellæ, qui minimo est proximus, immittebatur, eo quod, in eo, vena quædam, vt fertur sanguinis, ad cor vsque perueniat. Etenim subarrhatio, ex communi dispositione iuris, censetur esse coniuncta consensui dantis, proque tali reputatur, nisi ex verbis aut ab nutu recipientis, de contrario cōstaret.

Quartum est, cum sponsa, tempore ad contrahendum præstituto, solenni pompa, comitantibus amicis, deducitur in ædes sponsi sui, cum quo etiam cohabitauit non paruo tempore. Olim quidem noctu, aut vespertino crepusculo, nouæ nuptæ deductio fiebat, & non nisi noctu marito coniungebatur, hoc tempore, plena die domum mariti ingreditur, progressura inde in templum, vt vna cum eo sibi Deum propitiet, ac in oculis Ecclesiæ consensus suos sibi mutuo hæc & ille significent.

QVÆSTIO XVIII.

An renouandi sint ambo consensus contrahentium, quando accidit Matrimonium esse nullum, ex defectu consensus alterutrius de contrahentibus, aut habilitatis vtriusque.

CErtum est, matrimonium omni iure irritum esse, quando alter contrahentium non serio, sed simulate egit, fingendo se consentire in præsentem, habetur in cap. tua nos de sponsal. quia coniugium non coitus facit, sed consensus, vt ex Nicol. Papa refert Iuo Carnot. epist. 46. quod Alexand. III. relatus à Grat. causa 27. qu. 2. can. sufficiat 2. suo calculo confirmant, at consensus simulatus, consensus non est, sed eius aliqua species & vmbra, hoc tantum. Quare peccat, tam contra Religionem, quam iustitiam, qui ore tenus consentit, de animo nihil ac veritate sollicitus. Contra religionem quidem, quia incipit Sacramentum, cum conscientia lethalis culpæ, quæ species est quædam sacrilegij: contra iustitiam, quia in re graui decipit alium, eique facit iniuriam, quæ compensari plerumque alia ratione non potest secundum æqualitatem, quam cum simulatione deposita elicitur verus consensus circa illam quæ decepta dicitur, an autem deceptor lege iustitiæ illam ducere teneatur: dicetur postea. Iam ad quæstionem.

Dico primò, *Cum impedimentum matrimonium dirimens, non fuit error conditionis aut personæ, sed aliud, optimum modum supplendi defectum præteritum, esse, exigere abeo qui non est eius conscius, vt nouum consensum eliciat, quod commode fiet, si is qui illum scit, ab eo petat, vt in matrimonium de nouo consentiat, dicendo: volo te pro mea coniuge, vel contra.* Quia ea verba significant assensum plenum, & perfectum in rem, nec satis esset dicere, si non te duxissem in vxorem ducerem, quia hæc verba non significant actualem consensum in matrimonium, qui tamen est necessarius, sed habitualem tantum, & in præparatione animi.

Existimat tamen Sanch. lib. 2. disp. 36. sufficere cum copula, ex affectu maritali habita, quando periculum esset scandali, aut mali alterius, vtquod vir fœminam deserturus esset. Quia cum multi authores id defendant, & aliunde timeantur incommoda, quæ euitari possunt modo prædicto, non videtur improbandus, cum ex continuatione matrimonij eo modo renouati, per copulam scilicet maritalem, & consensum hypotheticum, nullum

nullum periculum timeri possit.

Dico secundò, *Cum matrimonium est nullum ob incapacitatem personarum, puta, quia inter eas intercedit impedimentum dirimens, ambas debere iterato consentire in coniugium.*

Primo, quia matrimonium, vi prioris consensus validum non fuit, cum vt sit tale, consensus cadere debeat super materiam legitimam, cuiusmodi non sunt ij, qui ob impedimentum consanguinitatis, aut aliud simile, ad contrahendum sunt inhabiles.

Secundo, quia non sufficit renouare priorem, nam cum nullus fuerit, ob defectum materiæ capacis, renouari propriè non potest, cum renouatio, permanentiam rei existentis exigat, consensus autem qui nunquam fuit, permanere proprie non potest.

Dico tertiò, *Satis non esse, alterum iterum consentire, quando matrimonium fuit nullum, ob errorem personæ, vel conditionis, sed vtriusque consensum ad eius validitatem exigi*, quia matrimonium esse non potest, sine vero consensu contrahentium in materiam habilem: ergo cum consensus esse non queat sine notitia, quam error sustulit, iterum est ab vtroque renouandus.

Dico quartò, *Esse mihi probabile oportere vt vterque cognoscat, se ex errore personæ, aut conditionis contraxisse, vt consensus postea datus valeat.*

Primo, quia cum coniuges suos consensus renouant, non intendunt denuo matrimonium contrahere, putant enim legitime contractum esse, & nihil est volitum nisi præcognitum: ergo denuo non contrahunt, nisi cognoscant vitium primi sui consensus. eique nouo suo consensu remedium afferre velint. Actus enim agentium, non operantur vltra eorum intentionem, lege non omnis dig. si certum petatur.

Secundo, quia qui ignorans matrimonium à se factum esse ratum, illud ratificat, per consensum quem ei dat, vult tantum matrimonium illud, quod validum esse existimat ex errore, non aliud, ergo vt illud primo factum non valuit: nec valet vt ratificatum.

QVÆSTIO XIX.

An possint non legitimi Coniuges contractum repetere Matrimonij ante litteras dispensationis Roma acceptas.

FActum est eiusmodi, vir sibi vxorem poscit, quæ se tertio consanguinitatis gradu attingit, sed bona fide, quia coniunctiones istiusmodi, inter propinquos, legibus Ecclesiæ nescit esse prohibitas, discit deinde è Sacerdote haud imperito, in ratio se, iustoque coniugio minime locatum esse: opus esse dispensatione Pontificis, sine qua diutius cum vxore versari sibi non licere, quare eam à Pontifice implorat, & impetrat, sed inopia pecuniæ, eam vti par est, Apostolico sigillo munitam, à Notariis publicis obtinere nequit De hoc ergo pari coniugum quæritur, an possint tutâ conscientia clam & remotis arbitris, fidem sibi dare matrimonij, quamuis ad eos allatum non sit diploma Pontificium.

Negat Comitol. resposion. moral. lib. 1. qu. 16. Verum mihi probabilior est sententia contraria.

Primo, quia vt consanguineis contrahere, ac mutua sibi coniugum officia præstare sit impunè, satis est si id agant annuente Pontifice. Annuit autem, cum vt supponitur, eis facultatem fecerit viuendi quo more ac ritu solent in Dei Ecclesia vir & fœmina, legitimè inter se nexi: ergo vbi de hac illis gratia constiterit, non expectatis litteris, quæ eam continent, vir & fœmina, coniuges non legitimi, contrahere modo quam optimo poterunt.

Confirm. gratia Pontificia, vt sit gratia, & efficiat id ad quod tribuitur, litteris nullis eget, voce eius qui eam largitur est contenta. *Actus enim tantum valet sine scriptura, quantum cum ea*, Rebuff. in reg. Cancel. reg. 34. de signatura per verbũ *fiat*. Quare vt cum eodem scribit Abbas in Clement. dudum de sepulturis potest quis vti gratia sine litteris, quæ Roma mittuntur tantũ ob eã causam, vt quod est concessum earum ope probari possit. Glossa in Clem. dudum de sepult. & Iurisper. in lege in contrahitur dig. de pignor. eademque sententia fuit Rebuffi loco citato Baldi in legem humanum Cod. de legib.

Confirm. lege Gallica, permissum est Resignatario, defuncto resignante, possessionem inire beneficij sibi resignati, sine signatura, Bullis, aut breui Pontif. si constet placuisse Papæ vt eius possessor fieret, valeretque resignatio in eius fauorem à defuncto facta: ergo à pari, dispensationis beneficium, & gratia à Romano Pont. concessa consanguineis ad fœdera matrimonij inuicem facienda valebit, etsi à is apud quem collocatur beneficium de eo litteras nullas Roma delatas acceperit.

Confir. vt actus aliquis ratus sit, ac legitimus, duo sunt satis, voluntas & potestas in eo qui agit, sed Pontifex impedimentum affinitatis tollere potuit, & voluit, & sustulit ante litteras confectas & perlatas: ergo.

Quæ ab aduersariis afferuntur pro opinione contraria, tantum probant, litteras beneficij obsignatas, in publico iudiciorum foro, exigi, vt iudici ac populo constet impedimentum remotum esse, & ita scandalo, ac offensioni omnis præcludatur aditus.

QVÆSTIO XX.

An consensus in matrimonium liber esse debeat & qua libertate.

CErtum est primo, consensum in matrimonium debere esse liberum, atque ex certa, ac deliberata voluntate profectum.

Primo, quia matrimonium humana est actio ac moralis, qualis esse nulla potest nisi deliberata, actus enim humanus is est, ac dicitur, qui homini cõuenit quà homo est: sed vt sic, per rationem agit & voluntatem liberam, liberum autem, est, quod ab ea sic fit, vt posset non fieri, voluntarium quod est à principio cognoscente singula, in quibus est actio.

Certum est secundo, matrimonium cum errore personæ initum, inualidum esse, qualem errorem accidere constat, cum persona vna, loco alterius, contrahenti supponitur: vt Ioanna loco Luciæ, cuius rei causa est vnica, nempe quod consensus liber, cum errore subsistere nequeat, vt est in lege nihil consensui ff. de regulis iuris, his verbis: *non videtur qui errant consentire*, & in lege si per errorem ff. de iurisdictione omnimoda Iudicum hæc ha-

bentur, *nihil tam consensui contrarium est quam error*, debet ergo coniugum consensus in matrimonio, liber esse, cum vt habetur in decretali Alexand. III. cap. cum locum de sponsalibus, *locum non habeat consensus vbi metus vel coactio intercedit.*

Certum est tertio, debere consensum hunc, excludere non modo coactionem, sed etiam metum cadentem in constantem virum, qualis est mali grauis, instantis, iniustique, sibi ab homine inferendi vehemens opinio Dico *grauis*, quia leui non perturbatur vir constans, *Instantis*, quia quæ longe absunt, etsi certo euentura, non formidamus tamen: *Grauis*, ob eam causam, nunquam inducet animum vir virtute constantiaque præditus, vt ob quoduis malum siue corporis, siue famæ, culpam subeat quamuis leuem, quia peccato, malum contingere homini grauius nullum potest.

Certum est proinde quarto, matrimonio libertatem inesse oportere non tantum à coactione quæ simpliciter ac sine addito sit talis, acciditque cum quis inuitus ac reluctans ad illud cogitur, sed ab ea etiam quæ est imperfecta ac secũdum quid, qualis est quæ à metu graui, & probabili oritur, de quo metu est in cap. cum veniens 15. de sponsalibus & cap. cum locum 14. eiusdem tit.

Certum est quinto, matrimonium metu non irritari, nisi iniectus sit ab extrinseco, vt ab homine, extorquendi consensus causa, & quidem iniuste, quod fit quando nulla causa est, cum qui terretur, inducendi ad matrimonium, quia contractus, in quo alter contrahentium cogitur sine causa, habet coniunctam iniuriam quæ tolli nequit, niti restitutione coacti in antiquum suum statum, quod fit sola eius irritatione.

Dixi *iniuste* nam vbi est occasio postulandi matrimonij, ea postulatione non irritabitur vt dicetur postea.

Certum est sexto, ad hoc vt metus censeatur esse iustus, ac viri constantis requiri.

Primo, vt malum quod timetur sit magnum, quale est stuprum in virgine, in alio quolibet soli mutatio, mors, incarceratio, mutilatio, infamia, bonorum amissio.

Secũdo requiritur vt malũ quod metuitur, minus sit, eo quod minans illaturum se proponit, nisi qui terretur, morem sibi gerat, quod non sit constantis viri, quem oportet in operando sequi prudentiam, maius malum eligere, ad vitandum minus, quare inter malum quod quis interminatur, ac matrimonium, ea debet intercedere proportio, vt sit optatius vtiliusque homini, ingratam habere coniugem, quam id pati cuius timor iniicitur.

Tertio est necesse, vt malum quod timetur, probabiliter immineat, alioqui quomodo fortis audiet & constans, qui malo quidem commouetur, sed nunquam futuro, sed eiusmodi, quod sibi euenire vix posse intelligit 31.q.2.can. finali vbi glossa ad notat, duo esse, quæ probabiliter malum euenire non posse indicant, terrentis impotentiam, virium, ad id quod se facturũ iactat, inopiam, vt si sit pauper, si iuuenis, si mulier si senex, vis autem, facultasque animi ac corporis, in eo cui metus imponitur ea sit, ac tanta, quæ discutiendis eiusmodi terroribus ac minis, sit satis. Ex quo patet non alterius esse, quam viri sapientis de natura ac qualitate metus statuere: In foro quidem conscientiæ solius confessarij, in externo vero iudicis, Nauarr. in summa cap. 22. num. 51. Glossa in cap. cum dilectus de his quæ vi, metusque quia ab vna quapiam circunstantia, aut pluribus, res incipit esse alia, mediocriter à seipsa diuersa ac varia, vt dicitur in lege metus autem ff. ex quibus causis.

Quarto, ad hoc vt metus sit iustus, requiritur vt viro aut fœminæ incutiatur matrimonij celebrãdi causa, hoc est vt metuens ita à metu sibi intentato incitetur ad matrimoniũ, vt eo sublato ac cessante, facturus illud non esset, factũque ei displiceat cap. cum locum 14. de sponsalibus quia si contractum placeat, valet ex quorundam sententia quam tamen non probo quod *quæ ab initio non valuere, tractu temporis non corroborentur*, vt dicitur de reg. iuris in 6. nisi forte ab eo contracto is cui metus incussus esset, necessitate in rationem versa ei, assensum daret.

Quinto, vt metus sit grauis, oportet eum non modo executioni mandari posse, sed terrentem facta verbis solere addere, nam si præter voces nihil habet, vt cum communiter quod facturum se recepit non præstat, non est cur territus hominem timeat, inaniter tantum minas iactantem.

Sexto, debet metus incuti ab extrinseco, quod fit quando ab alio imprimitur, ab intrinseco cum à territo suscipitur, quod eum imminentis sibi mali suspicio, aut leuis aliqua opinio perstrinxerit vel cum res quæpiam rationis expers, vt morbi, mors, tempestas, ei timorem faciunt.

Prima Assertio, *Consensus nuptialis, omnino debet esse liber, nec graui expressus metu*: ita Pontifex in decretali cum locum de sponsalib. & in cap. 15. veniens & de eo qui duxit cap. 2. *alioquin est matrimonium irritum*, pro hac sententia sunt Diu. Thomas in supplemento qu. 44. & in 4. dist 27. Scotus in 4 dist. 29. qu. 1. art. 2. Richard. eadem dist. art. 1. q. 1.

Primo, quia vt est in prædictis constitutionibus qui dimissa prima vxore, cum qua contraxerat, impulsus metu aliam sibi asciscit, remanere cum secunda potest, quod esset falsum, si ex metu factum coniugium foret validum.

Secundo, etsi cum tali metu, id est, graui stet consensus absolute voluntarius, cum spectatis omnibus, hic & nunc, sit ab homine, vt se à periculo ac vexatione liberet, tamen quia non expedit matrimonia, vtpote perpetua, ac amicitiæ conseruandæ causa, inter coniuges facta, odiorum esse seminaria, non debuerunt hæc esse coacta, cum paci ac perpetuandæ inter coniuges amicitiæ, omnis sit coactio contraria.

Tertio metu facta, aut consensu carent, aut liberum non habent, Alexand. III. testimonio in decretali cum locum de sponsalibus vbi est his verbis: *Cum locum non habeat consensus, vbi metus vel coactio intercedit: necesse est, vt vbi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur*, huc pertinent, quæ de metu & errore allata sunt quæstionis huius initio, quæ hic repetere nihil est necesse, dum constet, libera non censeri, quæ originem à metu habent. *At matrimonium facit consensus non coactus* Nicol. Papa in respons. ad Bulgaros, vt pote quod *est fœdus inter duas personas ex vtrarumque voluntate compactum*, Iuo epist 46. ad Gualonem Episcop. Parisiens. ergo connubia, metu facta nulla sunt & irrita iure Ecclesiæ.

Quarto, si inuiti coniuges contrahent spes eis nulla erit reliqua, aut si aliqua, non nisi exigua suscipiendæ prolis, nam hæc perpetuitatem, mutuamque coniugum habitationem exigit, cui repugnat metus, fac enim eos minis ac verbis parentũ asperis perterrefactos, coniugij inter se lanxisse fœde-

ra aut ad id vi adactos ecquid ſe mutuis proſequuturi ſint amoris ac benuolentiæ officiis? quam eſt id vero parũ probabile, quã alienum à veri ſpecie? quod ſi amore, vir & fœmina, mutuo ſibi non erunt nexi, quam firma quàm longa futura eſt eorum coniunctio? quam diuturna eorundem in eodem loco commoratio? leui negotio & ſine cauſa diuertent ab inuicem, *quod enim quis non diligit contemnit, nec quem metuit, vltro amare poteſt*, Ariſtot. 2. Rhetor. cap. 4. A

Nec modo matrimonij finem incidit metus ſed eius bona quoque omnia conuellit: quid enim de fide mutua inter coniuges, quid de perpetuo conuictu ſperare conuenit? quæ bona ſunt matrimonij vbi illud non amor, ſed metus inſtituit?

Quinto, quæ culpa contractum maculat reſtituendi neceſſitatem adiunctam habet, ſi eſt iuſtitiæ oppoſita: At eſt metus incuſſio, iuris violatio eaq; iniuſta: ergo à reſtituendi onere non abiuncta, ſi ei, cui ad capeſſendum matrimonium, metus infertur, aufertur libertas conſenſus, lege mulier ff. de eo quod metus cauſa, & cap. cum locum de ſponſalibus: ergo hæc ei libertas reſtitui debet, facere id verò non eſt facile, ſi matrimonium metu initum eſt ratum, nam læſo, ex iuſtitiæ commutatiuæ præſcripto non poteſt ſatisfieri, niſi reſtituatur in integrum, eique id in quo læſus eſt reddatur: ergo cum in libertate ſua ſit læſus, pro infecto haberi debet quod eſt factũ inter coniuges, nullum eſt ergo eorum matrimonium, quod quidem ex ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus planum eſſe, quæ ſunt notatæ aſſertionis huius initio, indicant. B C

Secunda Aſſertio, *Metus cuius inferendi cauſa eſt iuſta, matrimonium non irritat*: quia tunc nulla infertur contrahentibus iniuria, vt dicitur in cap. 1. & 2. de adulteriis, nam ibi habetur, eum qui ſtuprum Virgini intulit, ad eam ducendam in vxorem, pœnis etiam propoſitis cogi poſſe Sic enim in decretali ſecunda de adulteris: *Peruenit ad nos quod Felix virginem quandam ſtupro decepit: quod ſi verum eſt, quamuis eſſet de lege plectendus, nos aliquam legis duritiem mollientes, hoc modo diſponimus, vt aut quam ſtupranit vxorem habeat, aut ſi renuendum putauerit, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque, in Monaſterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur.*

Secundo, cum metus iuſte incutitur, non tam ab extrinſeco cenſendus eſt inici, hoc eſt ab homine, quam ab ipſomet territo, qui ſibi ipſi cauſa extitit recipiendi talis metus, lege ſi mulier ff. de eo quod metus cauſa: iniuria ergo ei fit nulla, ſi ad officium metu carceris aut pœnæ cogitur.

Confir. valet votum in morbo mortis euadendæ cauſa conceptum cap. ſicut de regularibus: ergo & matrimonium vitandi mali cauſa contractum, quod in morbo metuitur, in mortis periculo, vrbis oppugnatione ac tempeſtate graui: & ob eam cauſam eſt eius coniugium, qui ducit concubinam in vxorem, intuitu infamiæ ſubeundæ ni faciat, ratum ac firmum, item & illius qui imminens in mortem, ad quam eum ſua damnauere ſcelera, eam coniugio cum puella nullius nominis ac rei redimit, vt ſunt meretrices ac ancillæ, quod in multis Galliæ prouinciis olim à ſuſpendiariis fieri priſci æui mos erat.

Quid ſi metus ſine cauſa incutitur? quid ſi repugnante iuſtitia? vt fieret ſi culpa nulla ſua ageretur quis in carcerem, ob alium tamen finem, quam matrimonij à quo vt ſe expediat, virum ſe filiæ incarcerantis futurum offert.

Reſpondet Ægidius diſp. 28. de matrimonio dubio 1. valere: quia metus, tum non eſt per ſe cauſa facti coniugij, ſed via euadendi periculi, quare ſi illud iura reſcinderent, omnem quoque miſeris viam ſalutis præcluderent, quod eſt cauendum. Sane conſtat pacis ſeruandæ gratia, tam inter principes, quam priuatos, nuptiarũ fœdera fieri, etſi cauſæ interdum iuſtæ nullæ ſuppetant, vni de duobus, eius redimẽdæ ab alio, nuptiis filij ſui vel filiæ cum alterius filio: ergo cum eas Eccleſia non improbet, ecquid eſt argumentum, in ea illam opinione eſſe, vt exiſtimet in tali caſu, eas metu non reddi nullas?

Tertia Aſſertio, *Metus ob aliquam aliam cauſam quam celebrandi matrimonii gratia iniectus, illud non irritat*, quia iura matrimonium metu contractum reſcindunt, ne peccata foueant, ne libertati ſponſorum, ac nuptiarum propriæ noceant, hic ceſſat hæc ratio vt patet: ergo &c.

Quid ſi ſponſalia ſimiliter metu fiant?

Reſpondendum eſt fore irrita, quia vt reſpondet Alex. III. in decretali quæ incipit cum locum de ſponſalibus, conſenſus locum non habet, vbi metus vel coactio intercedit, ſine conſenſu autem conſiſtere ſponſalia quî poſſunt? vnde in lib. Pandectar. 23. tit. 1. *In ſponſalibus*, inquit Iurec. *conſenſus eorum exigendus eſt, quorum in nuptiis deſideratur, & ideo ſicut nuptiis, ita ſponſalibus filiam familias conſentire oportet.*

Quare Alex. Pont. de his quæ vi metuſque cap. Abbas, *quæ metu*, inquit, *& vi fiunt, debẽt de iure in ſtatum reuocari.* Adde, quod non naſcitur ius ex iniuria: ergo cum metum inferre alicui, illumque terrore ac minis cogere, ad contrahendum ſponſalia, ſit iniuria, non videtur ex illis, ius aliquod verum ei acquiri, cui fides datur futuri matrimonij. Quid ſi matrimonio ac ſponſalibus iuramentum aduenit? quid ſi ea ſe pro validis habiturum coactus affirmat?

Ne tunc quidem aliquid efficit, nam iuramentum contractui adueniens, eius rei defectum non ſupplet, quæ tam voluntate Eccleſiæ quam eſſentialiter ad eum exigitur, nec efficit vt conſenſus coactus qui in matrimonio & ſponſalibus non ſufficit, talis non ſit, vereque coactus. Deinde iuramentum appoſitum contractui, qui propter vtilitatem publicam eſt vetitus, nullam obligationem parit, vt probabitur alias, at intereſt boni publici, ſponſalia metu extorta non conſiſtere, non firmantur: ergo ſacra iuriſiurandi religione appoſita. E

Vltima Aſſertio, *Matrimonium ſimiliter eſt nullum, cum metus à tertio incutitur puellæ, eo nullo modo conſcio, cum quo ei eſt contrahendum*: ita Pontifex cap. veniens 15. de ſponſalibus, ibi enim negat Alexand. III. valere matrimonium eius, *quem pater puellæ ſimul cum ea, in vno lecto inueniens, ipſum eam per verba de præſenti deſponſare coegit*, eo quod, *metu coactus, qui in virum conſtantem caderet, eam deſponſauerat.* E

Secundo, pœna canonica ad eos pertinet in quibus reperitur cauſa, quæ Pontificem, ad eam ferendam impulit, quod hic accidit, cum coniugia omnia libera eſſe oporteat.

Tertio, Cum qui metum patitur à tertio, æque ſit inuitus, ac ſi ab eo inferretur, cum quo iubetur contrahere, non eſt vlla ratio exiſtimandi, alteri coniugum patrocinari debere tertij flagitium, fieret id verò, ſi coacto, ſeruanda fides foret data alteri, per vim & metum ei à tertio quopiam impreſſum. Et hæc de metu: quæ etſi dicta breuiter, ac

paucis, quantum ad inſtitutum attinet ſufficere valeant, lubet hic tamen intelligentiæ maioris cauſa, dubia quædam attexere, vnde lux quæſtioni explicatæ, accedat.

Primum, *An matrimonium cui initium eſt à metu leui, ratum iure conſcientiæ ac ciuili ſit cenſendum.*

Sanchez lib. 4. diſp. 14. affirmat inter omnes conuenire ex metu leui effici matrimonium. Huic opinioni ſuffragantur Ægidius Coninch. diſp. 28. dub. 1. & 8. Rebell. lib. 2. qu. 11. ſect. 1. concluſ. 3. Pontius de matrim. lib. 4. cap 18.

In contraria ſententia ſunt Gabr. in 4. diſt. 29. q. 1. art. 2. conclu. 4. Nauar. in ſum. cap. 17. n. 29. & cap. 2. num. 51. Couarr. in 4. decretali part. 2. cap. 3. parag. 6. quam probabilem quoque eſſe agnoſcunt Sanchez ſupra & Diana tract. 4. de Sacram. reſol. 230.

Dico primò, *matrimonium leui metu contractum iure Eccleſiaſtico, ac ciuili ratum eſſe.*

Primo, quia iura metum leuem non conſiderant, vt patet ex lege metum accipiendum, & metum autem, & lege timorem ſeptima digeſt. de eo quod metus cauſa Innocent. tertius in decretali 3. cum dilectus filius 6. de his quæ vi metuſque vbi Pontifex audiendos negat Ciſtercienſes de violentia ſibi facta conquerentes, quod hæc *neque metum mortis, neque cruciatum corporis continerent, ideo non debuerat cadere in conſtantes* & cap. veniens 15. de ſponſal. Alex. 3. matrimonium, metu factum, reſcindendum ait, non quolibet tamen, ſed eo duntaxat qui in virum conſtantem caderet, ex quo conficitur in leui, facultatis tantum ac virium non eſſe, vt per eum, matrimonio poſſit offici.

Ad hæc teſtimonia ratio quoque accedit duplex: prima quod Iudices tam Eccleſiaſtici, quam Regij, nõ facile animum inducant, vt credant, quempiam leui aliqua perturbatione inductum, agere quod agit, quare rationem eius nullam habent, eum negligunt, nec querentem, ſibi de eo iniecto audiunt.

Secunda, his, quos metus leuis duntaxat percellit ac commouet, nulla in foro externo datur actio, vt litibus præcludatur aditus, quæ & frequentes forent, & graues, ſi locus eſſet expoſtulantibus de metu leui, ſibi ad contrahendum impoſito, cum puellæ, virique ætatis adhuc non prouectæ, eum ob defectum virium ac iudicii, facile ſibi patiantur imprimi. Deinde quæ ſunt leuia, ius, ac ordinem rerum maximarum peruertere non debent, at nihil habet humana ſocietas, matrimonio ſanctius, nec in omnem partem, commodis ſuis, ac vtilitatibus opportunius, leui ergo metu illud concuti, aut diſrumpi non decet.

Dico ſecundò, *Videri mihi, vero quam ſimillimum, in foro animæ ac Dei, leui metu impediri matrimonium, perinde ac graui, ſi non ſecus ac iſte, libertati conſenſus obſiſtat*, Probatur.

Primo, quia coniugia eſſe debent quam liberrima, ex hypotheſi libertas conſenſus, metu quolibet etiam leui interit, per eum enim vt ſupponitur, tollitur indifferentia ad vtrumlibet.

Secundo, nullum eſt fœdus, nullum vinculũ connubij, quod non ſit firmum, ſtabile, ac perpetuũ, cætera enim poſſunt dirimi, matrimonij durabile eſt, ac ſoluendum ſola morte, par ergo eſt, vt inter virũ & fœminam intercedat amicitia, quæ hoc fœdus corroboret, ſed quolibet iniuſto metu hæc incidit, *nec enim vllus amat quem metuit* inquit, Ariſt. in 2. Rethor. cap. 4. ergo ex metu leui, modo iuſto, non poteſt matrimonium legitimum gigni.

Tertio, id quod facit contractum iniuriæ affinem ac proximum, facit illum ipſum nullum eſſe, ſed metus leuis, matrimonio obiectus, cum cauſa nulla eſt iuſta eius inferendi, admiſcetur iniuriæ, ergo matrimonium ex tali metu initum eſt nullum & irritum. Maior eſt certa, nam ex iniuria verum ius naſci non poteſt, cum eius ſit oppugnatrix, pariatque reſtituendi legem neceſſariam, & pro ea ſatisfaciendi, quam ad rem eſt neceſſe vt læſus reuocetur ad eum ſtatum, quem habebat ante contractum, quod eſſe non poteſt ſi hic perſeueret ratus & firmus, ergo reſcindendus, ergo erat nullus; Minor probatur, quod fit, voluntate cum cauſâ, eâque iuſta repugnante, fit cum iniuria, nec enim iuſte quis repugnat alteri, niſi cum ius eius infringitur, lædi autẽ nequit ſine iniuria, quæ definitur *iuris alieni violatio*, ſed metus quilibet quãuis paruus, modo iniuſtus, obijcitur matrimonio, voluntate admodum aduerſante & contraria, facit enim vt quis connubium eligat quod nunquam metu ſublato eligeret, ergo tali connubio admiſcetur iniuria, ergo iuſtum non eſt, nec ratum.

Eſt hæc argumentatio non ſolum ſua vi, ſed etiam extranea non indoctorum diſputatorum authoritate fulta: Gabr. enim in 4. diſt. 29. q. 1. art. 2. conc. 4. his verbis conſtituit *coactio leuis impediens*, & tollens conſenſum, *impedit & dirimit matrimonium in foro conſcientiæ, ſed non in foro Eccleſiæ, quia Eccleſia præſumit de meliori & ita de conſenſu libero*, Nauar. cap. 22. Enchir. num. 51. illud ipſum confirmat his verbis, *ad reddendum actum inefficacem coram Deo, ſufficit quilibet timor, etiam minor iuſto, modo ſit cauſa ſine qua non, ſaltem principalis eius: Et probatur efficaciter quia leges conſtituentes diſcrimen inter alium, & alium metum, ſe fundant ſuper præſumptione, quia præſumunt alium eſſe cauſam actus, alium vero non, & lex fundata in præſumptione, non habet locum coram Deo, ſi veritas ei non reſpondet.* Hæc Nauar.

Obijcies, ſed enim leges metum accipiendum, & metus autem dig. de eo quod metus cauſa, metus leuis rationem nullam habent, neque actionẽ ei dant qui metu commouetur eiuſmodi.

Reſpondendum, cum Nauarr. loco ante citato Angelo in ver. metus parag. 15. eiuſmodi leges intelligendas eſſe de foro contentioſo, in quo non audiuntur, qui metum leuem cauſantur, quod exiſtiment Iudices talem metum non fuiſſe cauſam rei geſtæ.

Dub. ſecundum, *An matrimonium ſit ratum eius hominis qui deprehenſus à patre filiæ, cui ſtuprum intulit, eam ſibi deſponere cogitur coniugem, ea lege, vt pater factum ſupprimat, eique litem non intendat.*

Cauſa dubitandi eſt, quod huic connubio initium ſit à metu, eoque graui, cum non videatur probabile, iuuenem, qui libidinis explendæ cauſa, Virgini vim intulit, in eam mentem venturum vnquam fuiſſe, vt vellet eam ſibi eſſe coniugem, ſi ſe pater reliquiſſet liberum.

Contractum tamen ea lege, quæ in quæſtione narratur firmum eſſe ac legitimum, docent Baſ. Pont. de matrim. lib. 4. cap. 19. num. 10. Anton. Dian. tract. de Sacram. 4. reſolut. 228.

Dico primo, *matrimonium eſſe nullum, quod à corruptore initur cum corrupta, vt metu ſe liberet, quem parens, aut conſanguines deflorat æ Virginis, ei intentarunt.*

Ratio eſt, quod metus quilibet iniuſte illatus, creat contractus nullos, nam euertit iuſtitiam, per-

Digitized by Google

turbat hominum genus, ſocietatem communem A diſtrahit, iura profligat, iniuriam patienti irrogat, eſt hęc ergo ab eo qui imponit tollenda, tolli vero nequit niſi reſtitutione territi in antiquum ſuum ſtatum, quem & hic iuſte poteſt exigere, ergo cum hic iſti reddi nequeat, niſi reſciſſione contractus facti, cum tali metu, haberi is non debet pro validо, ergo nec matrimonium.

Et huius ſententiæ ſunt Rebell. part. 2. q. 11. ſect. 2. n. 14. Pontius de mat. lib. 4. cap. 19. n. 13.

Secundo, probatur aſſertio, Virginis corruptæ conſanguinei, interminando mortem corruptori, niſi contrahat cum illa, peccant contra iuſtitiam, quia minantur malum, quod inferre nequeunt, ergo matrimonium, quod occaſione talis metus ſuſ- B cipitur eſt nullum. Conſeq. prob. corpus viri ratione iniuriæ, quam patitur à conſanguineis filiæ, quam decepit, non manet obligatum omni modo puellæ, eo quod conſenſus per iniuriam extortus, non transfert rem ſolidè, & irreuocabiliter, ſed eo modo, vt maneat ius in rem, & perſonam quæ iniuriam intulit, ergo cum ſit de ratione coniugij, vt ſit traditio corporum viri & fœminæ firma, irreuocabilis ac non finienda niſi morte, quod initur propter metum mortis, aut cruciatuum, quem parens, aut amici, puellæ iniiciunt, non erit validum.

Dico ſecundo, *matrimonium ratum eſſe, ſi celebretur eo ſolo tantum nomine quod pater, aut affines puellæ minantur corruptori, eum ſe delaturos Iudici, ac ſeruaturos domi ſuæ, donec eius authoritate mittatur in carcerem.* C

Primo, quia metu qui iuſtè incutitur, etiam directe, obtinendi matrimonij gratia, matrimonium non redditur irritum Ægid. diſp. 28. dub. 10. num. 14. concl. 4. at nocentem, at corruptorem filiæ ſuæ, pater per ſe, aut amicos, comprehendere poteſt, & comprehenſum, de ſtupro accuſare apud Iudicem: ergo & de eo minas inferre, niſi cum corrupta contrahere animum inducat.

Secundo, poteſt pater aut conſanguinei puellæ, id ab eo exigere, à quo vim eſt paſſa, quod etiam non petitum ab eo præſtandum eſſet, ſed conſcientiæ ſatisfacere hic non poteſt, niſi puellam ſibi legitimo connubio aſſocіet, cum compenſatio quælibet alia, ſit iacturæ pudoris, ac pudicitiæ, quam puella fecit, inæqualis ac impar, ergo hanc pater, eiuſque propinqui omnes, poſtulare iure poſſunt. D

Obijcies vetat pontifex Alex. 3. in decretali veniens 15. de ſponſalibus ne matrimonium eius adoleſcentis ſit ratum, quem pater inuentum in eodem lecto cum filia ſua, coegerat eam ſibi in coniugem aſſumere, & tamen erat hic metus iuſtus.

Reſpondetur agi in eo capite de matrimonio contracto iniuſtè, & eam ob rem tantum, quod mors contrahenti obiecta eſſet à patre puellę, quod cum facere non potuerit, niſi iniuſtè, mirandum E non eſt, ſi ex conſenſu iniuſtè extorto, factum matrimonium, declaretur ab Alex. fuiſſe irritum.

Obiicies 2. metus quilibet contractum vitiat, cum conſenſus libertatem tollat.

Reſpondetur falſum id eſſe, cum iuſtè incuſſus, libertati non obſtet, vt enim is cui imponitur, ei metui cauſam dedit, ita etiam cenſetur eidem voluntarium omnino eſſe, quod ex tali metu ſequitur.

Dub. tertium, *quo iure metus matrimonium vitiet.*

Qui metu leui matrimonia irritari negant, aiunt iure ſolo Eccleſiæ, metum eis officere, quia inter metum leuem, & grauem, non eſt alia differentia, quam quod ille minorem iniuriam inferat, quam grauis, ex quo hoc confici aiunt, vt ſolo iure Eccleſiæ, metus grauis, connubia impediat, contracta dirimat. Pro reſolutione

Dico primo, *matrimonium factum metu, non reddi à iure diuino poſitiuo, inane ac nullum*: quia tale ius nuſquam extat, nuſquam lex lata à Deo, qua lege conſultum velit libertati contrahentium, quod ergo matrimonia debeant eſſe libera libertate à metu, non eſt Deo, eiuſque decreto tribuendum.

Dico ſecundo, *à natura habere metum leuem modo iniuſtum, quod matrimonium ſure conſcientiæ incidat, nullumque faciat*, ita Almainus in 4. diſtin. 15. & in tract. de pœnit. q. 2. Nauarr. & alij ante citati, quam eorum opinionem ſubſcribit vt probabilem Leſſius, de contract. in genere cap 17. dubio 6. n. 39. ratio eſt, quod cum metus iniuſte illatus tam paruus quam magnus iniuriam adiunctam habeat, nullum ius parit in rem, quæ per metum extorquetur, iniuria enim non ius habet, ſed neceſſitatem, & legem reſtituendi, ſed qui contraxit, reſtitui nequit in integrum, niſi id ei reddatur, in quo eſt læſus, ergo cum eius libertas, in contrahendo ſublata fuerit, reſarciri, ac priori ſuo loco reponi debet, eſſe id vero non poteſt, niſi matrimonium, quod ex metu eſt initum, habeatur pro infecto, ac nullo alioqui contrahentes non reſtituerentur in priſtinum ſuum ſtatum, ergo quod matrimonium irritetur in foro conſcientiæ per metum iniuſtum, iuri naturæ eſt tribuendum, non Eccleſiaſtico.

Secundo, ius Eccleſiaſticum nullibi irritat matrimonia metu facta, ſed ſupponit eſſe irrita, ergo alio iure ſunt nulla.

Tertio, repugnat naturæ, vt aliquis per iniuriam ius acquirat in alium, at per metum quemlibet modo iniuſtum, infertur iniuria ei cui irrogatur, & per matrimonium, acquirunt coniuges ius mutuum in ſua corpora, ergo à natura oritur, quod matrimonium irritetur per metum quemlibet modo iniuſtum, quid enim eſt magis à ratione ac æquitate alienum, quam vt per iniuriam, ius ſibi quis in alium acquirat?

Hanc ſententiam ſubſcripſere Theologi fere antiqui omnes Diu. Thom. in 4. diſtinct. 29. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. Bonau. in eand. diſt. art. 1. q. 1. Scotus in eand. diſt. q. 1. art. 2. Richard. ib. art. 1. q. 1. Durand. q. 2. Altiſiodorus lib. 4. ſummæ cap. de 6. impedimento matrim. omnes enim hi probant, libertatem conſenſus quo vis & metus excluditur, non ſolum Eccleſiæ, ſed iure quoque diuino, & naturali requiri: Naturali quidem, quia vt habet Scotus, loco citato proxime, matrimonium eſt datio etſi non liberalis & gratuita, quia vir dat, vt detur ſibi æquale, at donatio naturæ iure, debet eſſe libera. Diuino autem, quia tranſlationem mutuam corporum in matrimonio Deus ſumme liberam eſſe voluit in lege naturæ, indicant hæc ſcripturæ verba. *Adhærebit vxori ſuæ*, Geneſ. 2. nec enim quis adhæret illi, quod inuitus tenet, & Geneſ. 24. dicitur de Rebeccæ propinquis, *vocemus puellam & quæramus voluntatem eius*, & ſtatim quæſierunt parentes, *vis ire cum homine iſto*, reſpondit *Ibo*: ergo cum quæ olim, erant eſſentialia matrimonio, ac ad illud neceſſaria iure diuino, ſint quoque hoc tempore talia, quin iure non tantum Eccleſiæ, ſed Dei & naturæ, coniugum requiratur aſſenſio, eaque omni modo in matrimonio libera, dubitare omnino nefas.

Dubium quartum, *quanam ſunt quæ metuit vir fortis & conſtans.*

Quæ cuique merito formidoloſa videntur, ac timenda, vt mors, & acerbus cruciatus, Innoc. 3. in cap. dilectus 6. de his quæ vi metuſque, deinde ſtuprum, ſeruitus, ſtatus amiſſio, diuturna, longaque incarceratio, quæ omnia ſcriptores memoriæ cauſa, complexi ſunt hoc verſu: *ſtupri ſine ſtatus verberis atque necis*, Status nomen, bonorum iacturam notat, quæ in malis eſt ponenda, quæ fortem terrere ſolent Angelus in verbo metus parag. 3. Panorm. in cap. Abbas de his quæ vis metuſque Nauarr. Enchirid. cap. 22. num. 51. quia cum ſine illis vita traduci nequeat ac ſeruari, merito eorum eſt ſpoliatio, iacturaque prudenti cuique pertimeſcenda, ſicut & infamia, quam formidari à viro forti, ſiue ſibi ſiue vxori, ſiue filiis intentetur, dixit D. Thom. in 4. diſt. 29. q. 1. art. 1. quibus Gabr. ib. art. 2. prop. 6. addit. perſonam patris, matris & aſcendentium.

Dubium quintum, *an ſit metus cadens in conſtantem virum quando Princeps aut loci Dominus, alicui præcipiunt, aut eum rogant, vt in matrimonium certam ſibi puellam ſumat.*

Mea eſt opinio in ea iuſſione, aut prece, metum non eſſe, de eorum genere, qui virum conſtantem commouent, ratio eſt quod metus in virum conſtantem cadens, ſit opinio vehemens inſtantis grauis, iniuſtique mali, ſibi inferendi ab homine, ſed poteſt matrimonium à Principe præcipi, ſine voluntate nocendi ſubdito, ſi parere abnuat, ergo &c.

Si tamen preces armatæ eſſent, ſi importunæ, ſi frequentes, ſi coniunctæ minis, ſi aſperæ ac graues, ſi iubens, aut rogans tyrannus eſſet, aut moribus tam efferatis, vt in eos ſæuire ſoleat qui ſibi non obtemperant imperanti, aut roganti, eorum mihi tum probaretur opinio, qui aiunt, matrimonium hoc modo factum, id eſt, occaſione imperij, ac precum, fore nullum.

Dubium ſextum, *an quando matrimonium non poteſt fieri ſine peccato mortali, vt cum ab eo contrahitur, qui habet votum ſimplex caſtitatis, metus mortis qui illi incutitur, dici poſſit cadere in conſtantem virum.*

Reſpondendum negatiue, quia cum peccatum mortale quodlibet, malum ſit morte ipſa grauius, vt habetur expreſſe 31. q. 2. can. finali & extra de his quæ vi metuſque cap. quinto, nunquam animum inducet vir conſtans, vt ob quoduis malum impendens, ſiue corporis, ſiue famæ, ſiue fortunarum, culpam vllam contrahat etiam inter mortales leuiſſimam: ita Clem. III. in decretali quinta de his quæ vi metuſq; dicit, eum qui per metum inductus, excommunicato communicat, excommunicatum eſſe, *quia licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorſus excludit, cum pro nullo metu, debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis inquinatur labe.*

Quid ſi de veniali culpa tantum agitur, eritne conſtantis animi, eam admittere cuiuſpiam alterius mali vitandi cauſa?

Non exiſtimant Comitolus reſponſion. lib. 3. q. 2. num. 6. Ægid. diſp. 28. dub. 2. n. 21. ne tamen ad eorum opinionem accedam, inducor hac ratione, quod non ſit in hominum cœtu vllus, qui interdum ea peccata non admittat quæ leuitate ſua ſunt venialia, ergo ſi eorum electio, præ quolibet alio malo in virũ conſtantem cadit, non erit in ſocietate hominum vllus, virtute & conſtantia præditus, cum non ſit qui non peccet ſaltem venialiter.

Dubium ſeptimum, *An ad metum qui in conſtantem virum cadat, pertineat timor excommunicationis & cenſuræ.*

Diſtinctione res eſt explicanda, aut enim is, qui minatur excommunicationem, iuſtam eius inferendæ cauſam habet, aut nullam, ſi nullam, non pertinet: nam non alia Eccleſiæ fulmina ſunt timenda, quam quæ vera, non alia metuenda excommunicatio, quam quæ iuſta, ergo cum cenſura, quæ ſine cauſa fertur, effectum in conſcientiæ foro nullum habeat, proindeque non ſit vera, timor eam incurrendi, non poteſt eſſe de earum rerum genere, quæ virum conſtantem conuellere poſſint ac debeant, ſecus eſt dicendum, quando iuſte irroganda eſſet, puta ob peccatum, nam cum malum nullum ſit priuatione Sacramentorum, ac ſuffragiorum Eccleſiæ grauius, eaque maxime, quæ à peccato vt à cauſa oritur, non eſt viri prudentis, ac conſtantis, ob quoduis malum impendens, ea facere aut dicere, propter quæ ſit excommunicandus.

Dubium octauum, *an reſpectu omnium requiratur æquale malum ad conſtituendum metum grauem.*

Nequaquam. Ita Abbas in cap. cum locum de ſponſal. n. 6. Nauarr. cap. 22. n. 5. ratio eſt, quod non ſit omnium eadem conſtantia, idem animus, multique ſint, qui his malis non tangantur ad quæ ſubeunda conſtanter, neceſſe eſt vt alij, magnam vim ſibi inferant, quare præſtantes Theol. dixere, duplicem eſſe metum grauem, vnum, qui abſolutè eſt talis, alterum qui reſpectiue tantum. Metus abſolute eſt grauis, & cadens in conſtãtem virum, quando malum per ſe, & in ſe, vere eſt graue, & tale quod virum conſtantẽ mouere poſſit, vt aliud ei præeligat, vel vt loquuntur alij, ad quod ſubeundum neceſſe eſt, vt vir fortis ſibi vim faciat. Reſpectiuè, metus eſt grauis, quando malum quod timetur, non eſt terribile abſolute viro conſtanti, eſt tamen tale, reſpectu huius perſonæ, quæ ob imbecillitatem ſexus, rerum inſcitiam, doloris, ac cruciatuum inſolentiam, tale malum apprehendit, vt ſummum, & hic metus dicitur grauis, non abſolute ſed reſpectiue tantum.

Dubium nonum, *An metus parentum, ſit metus cadens in conſtantem virum.*

Reſpondendum huiuſmodi metum eſſe iuſtum, & grauem, quando niſi pareatur parentibus in matrimonio faciendo, filii timent ſibi damnum notabile ab ijſdem iniuſte ſibi infligendum: habetur extra de deſponſatione impuberum, cap. ex litteris 11. vbi Vrbanus III. admonet Piſanum Epiſcopum, vt puellæ cuidam, quæ de voluntate parentum, potius quam de ſua, miniſque eorumdem, iuueni deſponſata fuerat, *accipiendi alium virum, liberam tribuat facultatem* & cap. de illis 9. eiuſdem tituli Genuenſi Archiepiſc. reſpondet, Alex. III. pueros *cuiuſcunque ſint ætatis, ſe poſſe per illatam violentiam excuſare, niſi poſt violentiam, conſenſus accedat.*

Quare tunc primo metus reuerentialis parentum, liberorum matrimonio, aut eorum profeſſioni in religione obeſt, cum timetur grauis eorum, ac diu duratura indignatio, aut alterius perſonæ, à qua eorundem liberorum vita, ac fortuna, ſpectatis circunſtantiis dependet.

Secundo, quando voluntati parentum, aut imperio, minæ ſunt coniunctæ, quas executuri creduntur quorum alterum cum deeſt, à reuerentiali metu infirmari matrimonium negant, Leſſ. lib. 2.

Digitized by Google

cap.17. num.55. Coninch. diſp. 28. dub.2. Sanch. lib. 4. diſp. 6. qu. 1. & 2. Henriq. lib.11. cap.9. nu. 2. Magis ad meum ſenſum faciunt, qui etiam ab hoc metu, matrimonium trahere vitium aiunt, vt Nauar. conſil lib. 1. conſil. 9. & 10. de his quæ vi Rodrig. tom.2. ſummæ cap. 8. concl.10. nam matrimonium iure naturæ debet eſſe liberum, at eam libertatem metus quilibet impedit.

An autem filio præcipere parens poſſit, puellam ſibi certam vt eligat in fœminam, in eoque hic obedire illi debeat, res eſt, non ſatis opinione Doctorum explicata, ac perſpicua. Et id quidem, ab eo non poſſe præcipi filio, probat Diu. Thomas in 4. diſt. 29. q. 1. art. 4. Bonau. in eandem q. 2. art. 1. Richard. in eand. art. 1. q. 3. *Poſſet autem*, inquit Gabr. in eand. diſt. qu. 1. art. 3. dub. 1. *Pater præcipere filio vt cum hac aut illa, de hac familia contrahat, maxime dum filius, alias ſine præcepto patris contrahere tenetur*, vt inquit Præpoſitus in cap. cum olim de ſponſal. *aut dum ex præcepto diuino, ſtante hominum paucitate, præceptum de contrahendo obligaret, pro loco & tempore.* Extra hoc tempus aut ſimile, interdictum eſt patri, filium ad nuptias, tum certa, & deſignata perſona cogere, quod electio fœminæ, ad eas res non pertineat, quæ patriæ ſubiectæ ſunt poteſtati, ſunt enim omnes in iure deligendi ſibi ſtatus honeſti, ac decentis, à natura pares, cui patria poteſtas incommodare, nec poteſt, nec debet.

Tractare tamen ſine peccato, ac ſtatuere de futuro matrimonio liberorum impuberum, parentes poſſe, & id iuramento firmare, colligitur ex decretali Alex. III. cui initium eſt, ex literis 10. de ſponſalib. eſt tamen hoc iuſiurandum hypotheticum, hoc eſt cum conditione factam, ſi conſentire liberi voluerint, ſi cum adoleuerint, induci ſe ad illud precibus ſuis ſiuerint.

Dubium decimum, *an infamia locum habeat inter mala quæ vir fortis & conſtans metuit.*

Negat D. Thomas in 4. diſt. 29. q. 1. art. 1. ad 3. eo quod metu vehementi perturbari non ſoleant alii quam quibus malum imminet, cui humana diligentia occurri non poteſt, at eſt in poteſtate cuiuſuis, efficere ne male audiat, aut propter crimen, eiuſque ſuſpicionem, aliquam infamiam ſubeat.

Aduerſaria ſententia defenſorem habet Ægid. Coninch. diſp. 28. dub. 2. num. 34. ad quam accedo, hoc potiſſimum nomine, quod infamia malum ſit eiuſmodi, quod optimus quiſque, vita ac fortunarum omnium iactura redimere honeſte poſſit, ac cum laude, vt enim virtus, eiuſque fama, opibus præſtat: ita nihil eſt quod non tolerandum eſſe ſibi viri fortes exiſtiment, vt infamiam vitent.

Dubium vndecimum, *An hæc mala, metum tantum generent, quando timentur perſonæ propriæ, & non parentis, aut vxoris, vel liberis.*

Reſpondendum, cum magna ſit patrem inter, & filios, maritum & vxorem neceſſitudo rerum omnium, quæ mala filios vulnerant, hæc communione ſanguinis, ac animi, ad patrem redundant, & quæ coniugis bonum nomen lædunt, ad ſe pertinere maritus exiſtimat, patet ex lege iſti quidem 8. digeſt. quod metus cauſa; vbi dicitur *hæc quæ diximus ad edictum pertinere nihil intereſt, an in ſe quis veritus ſit, aut in liberis ſuis, cum pro affectu magis in liberis parentes terreantur.*

Dubium duodecimum, *An matrimonium metu factum ſit validum quando iuramento eſt firmatum.*

Valere exiſtimant Panorm. in cap. 2. de his quæ vi metuſque Sylueſt. matrim. 8. q. 11.

A Dico primo, *quando contrahens iurat ſe valide conſentire, cum eius conſenſus eſt coactus vi, aut expreſſus metu graui, matrimonium eius non confirmatur iuramento oppoſito.*

Ratio eſt, quod conſenſus qui vi eſt extortus, aut metu, obligationem non inferat, ergo nec iuramentum, quia *acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*, de regul. iuris in 6. reg. 42. & iuramentum promiſſionibus aduenientes, eas non mutat, ſed confirmat.

Dico ſecundo, *qui metu matrimonium contrahens, iurat ſe valide contrahere, tali iuramento matrimonium non confirmat.*

Ratio eſt quod coniugium ex metu factum ſit nullum, ergo eiuſmodi, quod iuramentum confirmare nequeat.

B Confir. perſonæ, quibus metus grauis infertur, ſunt ad contrahendum inhabiles, quandiu metus durat, ergo iurando non confirmant contractum ſuum. Vi ergo huius iuramenti ad quid tenentur? ad aliud nihil, quam vt quantum eſt in ſe, animum habeant vere contrahendi hic & nunc, quo ſi carent, peccabunt quidem, ſed ad nihil in futurum obligabuntur, cum id expreſſe per iuramentum non promittant.

Dubium decimum tertium, *An conſummatio matrimonij per metum cadentem in conſtantem virum illud reddat validum.*

C Dico primo, *Conſummare matrimonium ſine conſenſu, & affectu maritali, ex quacunque metu id fiat, eſſe peccatum mortale*, quia eſt fornicatio.

Dico ſecundo, *Qui ex metu cadente in virum conſtantem, cognouit carnaliter fœminam quæ illi proponitur in coniugem, ſine conſenſu alio, quam qui eſt in coacto per metum grauem, matrimonium validum non facit*: quia talis metus illud irritat iure Eccleſiæ.

Dico tertiò, *In foro tamen exteriori, iudicandum eſt tale matrimonium valere*, habetur extra, cap. conſultationi 28. de ſponſal. vbi Innoc. III. mulieres audiendas negat, quę aſſerunt ſe nunquam in
D matrimonium conſenſiſſe, niſi metum ſibi factum dicant nam tunc Innocent. iudicio audiri poſſunt. Ratio eſt, quod in dubiis, Eccleſia debeat præſumere, id quod eſt melius: ergo & hunc, de quo eſt ſermo, non acceſſiſſe animo fornicandi, ſed veluti ad vxorem, & ſi acceſſit, aliter quam debebat, iuſtiſſime poterit ob tale peccatum cogi ad matrimonium, & conſenſus qui ex hac coactione exprimetur, ſufficiet ad matrimonium, quia iuſtiſſime extorquebitur in cuius rei fidem, facit vt quàm maxime Clem. III. decret. 4. de his qui accuſare matrimonium poſſunt, ibi enim, hic Pontifex conſultus de æquitate reſponſi mulieris cuiuſdam, quæ etſi à marito cognoſci ſe paſſa eſſet, cauſabatur tamen, animo ſe
E ſemper ab eius matrimonio diſſenſiſſe, reſpondit in hæc verba. *In hoc caſu ſentimus, quod aduerſus matrimonium audiri non debet, quæ cum potuit, non reclamauit, ſicut enim ante legitimum conſenſum, qui in duodecimo anno ſpectatur, potuit diſſentire, ſic poſtquam legitimo tempore accedente, ſemel etiam copulæ carnali conſenſit, ex ratihabitione, ſibi ſuper hoc ſilentium non ambigitur indixiſſe.*

Dubium decimum quartum, *In dubio, vtrum metus grauis, matrimonij cauſa exiſterit, quid cenſendum?*

Cum ſunt omnia adhibita ad cauſæ notitiam acquirendam neceſſaria, nec tamen de re, eiuſque qualitate certo conſtat, inclinandum eſt in eam partem, vt matrimonium ſit ratum, quia eum eius

cauſa ſit fauorabilis, propter reuerentiam, ac honorem Sacramenti, non eſt conſulendum vlli facile, vt de eo ſoluendo, conſilia agitet. A

Secundo in dubio, melior eſt poſſidentis conditio, quam non poſſidentis, at vbi matrimonium ſemel eſt contractum, facit pro eo poſſeſſio, proque eius valore præſumptio: Nauar. lib. 3. conſ. vltimo de conuerſ. coniugator. edit. 2. Laym. lib. 5. tract. 18. par. 2. cap. 5. num. 4.

Dubium decimum quintum, *An viro affirmanti, ſibi conſenſum defuiſſe ad matrimonium neceſſarium, credi oporteat.*

Nequaquam, niſi argumentis omni luce clariorib⁹, vera ſe loqui probet: enimuero vt habet Innoc. III. cap. per tuas 10. de probationib. *cum nimis indignum ſit (iuxta legitimas ſanctiones) vt quod ſua quiſque voce dilucide proteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare*, ei ſecus aliquid affirmanti, quam quod ante dixit, credi non debet, ſine ratione probabili, ſed cum vir, ſocietatem matrimonij coiuit cum puella, eam ſibi eſſe velle coniugem, dixit coram Parocho & teſtibus: fides ergo ei adhibenda eſt nulla, niſi fraudis ac ſimulati ſui conſenſus indicia exhibeat, quæ diſſoluendo matrimonio ſufficere, iudex Eccleſiæ renuntiet. B

Dubium decimum ſextum, *An matrimonium quod contractum metu eſt nullum, diuturna conſuetudine in eadem domo, & thoro conualeſcat.*

Cauſæ dubitandi duæ, prima quod coniugij per ſponſos conſummatio eius videatur eſſe approbatio, quam enim eſt parum probabile, eos liberis operam dare velle, niſi poſſent ſine crimine? quam ab omni alienum eſt veri ſpecie, cum libidinis impediendæ cauſa, intra matrimonij limites venerem exercent, peccare? quod tamen facerent, ſi conſenſu vero ac legitimo, antiquum qui ſimulatus tantum fuit ac proinde nullus, non ſuppleſſent. C

Secunda, quod Bonifac. eius nominis VIII. ſcribat in ca. vn. de deſponſatione impuberum parag. 1. ſponſalia impuberum quæ defectu conſenſus ſunt nulla, nõ poſſe conualeſcere niſi cohabitatione mutua, eaque diuturna: ergo à pari, quanquam in cauſa diſſimili, puberum matrimonium, ex defectu conſenſus in eorum altero nullum, vſu eiuſdem domus, ac lecti aſſiduo, ratum erit.

Nihilominus ſtat mihi firma ſententia, quantalibet magna mora temporis in eodẽ lecto, aut tecto matrimoniũ quod ante erat nullũ, nõ fieri validũ. Quia vt ſit ratum, ac legitimum, vtriuſque coniugis coire debet conſenſio libera, eaque ſigno externo declarata, at hæc mora nec eſt cõſenſus formaliter nec effectiue vt patet: ergò ex commercio ſponſi & ſponſæ mutuo, certum nullum reparati conſenſus habetur indicium. Senſit id Gabr. in 4. diſt. 29. qu. 1. art. 3. propoſ. 3. hiſce verbis. Probabile eſt, quod quantumcunque longæus habitatio, ac perſonæ coactæ taciturnitas, amplexus, oſcula, adiuncta carnali copula, contractum ex metu iuſto nec perficiunt, nec ratificant nec confirmant, ſine actu poſitiuo nouo, mutui & liberi conſenſus coniugalis ſufficienter expreſſiuo.

Ad cauſas dubitandi initio poſitas dicendum, eas præſumptione niti, quæ contra veritatem nullius eſt momenti ac ponderis. Dicendum 1. decretali Bonifac. locum non eſſe poſt Tridentinum à quo mutuus conſenſus exigitur coram Parocho & teſtibus.

QVÆSTIO XXI.

An matrimonium factum cum conditione de futuro teneat.

VT coniuges nude ac ſine modo, mutuam ſibi fidem coniugij ſpondere poſſunt, ita & cum addito, vt enim contractui cuilibet, ita & matrimonio conditiones addi non repugnat, hæ autem vel ſunt præteritæ vt contraho tecum ſi pater tuus obijt, vel præſentes vt ſi es virgo, aliæ ſunt futuræ & hæ tripartito ſunt diuiſæ, namque aliæ ſunt neceſſariæ, & naturalem habent cauſarum efficientiam, vt tecum contraho ſi es moritura ſi ſol cras luxerit, aliæ ſunt impoſſibiles vt duco te in vxorem ſi millionem mihi pro dote dederis, ſi me qui ſum indoctus hodie in virum eruditum mutaueris, poſtremæ cum cauſis neceſſarijs nullam connexionem habent, ſed accidentalem tantum, quæ an matrimonio interitum afferant hac quæſt. eſt videndum, eius tamen explicationi nonnullæ hypotheſes ſunt præmuniendæ.

Prima, fit contractus duobus modis abſolutè & determinate, abſolutè, vt *accipio te in meam* determinate, *accipio te in meam ſi Conſtantinopolim ceperis*

Secunda hypotheſis, contractus determinatur quadrupliciter per demonſtrationem, cauſam, modum, & conditionem, demõſtratio eſt adiectio declarans qualitatem materiæ, circa quam verſatur contractus, eius nota, eſt relatiuum, qui, quæ quod, & nomen quodlibet qualitatem rei indicans Modi huius in contrahendo ſunt, hæc exempla, *contrabo tecum quæ honeſta es, duco te virginem*, quia nomen *virgo* qualitatem perſonæ indicat, *duco te quæ vitam mihi ſeruaſti.*

Cauſa eſt ratio impellens alterutram partem ad contrahendum, eius index eſt particula, *quia*: vt *duco te, quia nobilis es.* Modus eſt adiectio determinans contractum in ſimilitudinem cauſæ finalis, ſignum modi, eſt particula *vt*, *duco iſtam puellam vt familiæ meæ aliqua fiat acceſſio.* Conditio, eſt adiectio referens veritatem contractus in aliquid quod præſens eſt, præteritum, aut futurum, Conditionis notæ ſunt, *ſi, cum, niſi*, vt *accipio te in vxorem ſi virgo es, ſi Cæſar Pompeium vicit*, ad conditionem autem reuocatur dies tam certus quam incertus, vt *duco te cum pater tuus obierit*, etſi enim obligationem contrahendi ſubeat, qui ſic agit cum fœmina, tamen eius executio ſuſpenditur vſque ad occurſum temporis præſtituti. D

Hypotheſis poſtrema, conditionum quæ ſunt contingentes tres ſunt ſpecies, quædam ſunt poteſtatiuæ, quædam caſuales, quædam mixtæ, poteſtatiuæ ſunt, quæ pẽdent ab alicuius libera poteſtate, vt *duco te ſi ad Eccleſiam ieris*, Caſuales pendent ex cauſis per accidens, *duco te ſi hodie coruus viſus erit* mixtæ quæ vtraſque cauſas exigunt liberas ſcilicet & contingentes: Conditionum autem poteſtatiuarum, aliæ ſunt turpes, aliæ honeſtæ, aliæ indifferentes, turpes ſunt in duplici differentia, quædam ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, & bonum eius, aliæ cum vtroque poſſunt conſiſtere. E

Prima Aſſertio, *Si futurum quod matrimonio additur, tanquam conditio, eſt neceſſarium, per illud vis eius non ſuſpenditur.* Ita D. Thom. in 4. diſt. 29. q.

29. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. quem ſequitur Panormit. in cap. penult. de conditionibus appoſitis huius aſſertionis ſunt hæ cauſæ.

Prima, quod talis conditio in apprehenſione contrahentis iam ſit præſens, ergo vt contractus cum conditione de præſenti celebratus eſt validus, ſi hæc ſubſit, cum ſit contractus, ita & matrimonium, cui conditio alicuius euentus neceſſario futuri adijcitur.

Secunda, quia contrahentes appoſitione alicuius circunſtantiæ neceſſario futuræ, ſignificant ſe tam efficaciter, & valide contrahere, quam eſt neceſſaria illa conditio futura certo, vt habet, lex pupillus, de nouationibus his verbis *qui ſub conditione ſtipulatur quæ omnino futura eſt, purè videtur ſtipulari*, & in Inſtitutis de verborum obligationibus parag. conditiones: hæc habentur *quæ per naturam rerum certa ſunt, non morantur obligationem, licet apud nos incerta ſint*, ſi tamen contrahentes nolint conſenſum ſuum ſortiri effectũ, ante euentũ conditionis poſitæ, matrimonium non eſt futurum ratum, antequam hæc ponatur, ex cap. 3. & 5. de conditionibus appoſitis, cuius rei eſt hoc argumentum, quod matrimonium, debeat eſſe actualis corporum traditio, & non eorum nuda tantum promiſſio, ſed conſenſus ad matrimonium, cum conditione de futuro, non eſt niſi pura corporum promiſſio, & non actualis eorum traditio, ergo non tenet quandiu ea conditio non ponitur, quia conditio propriè dicta, & in futurum collata, ſuſpendit actum cui appenditur, iuxta cap. de illis, & cap. ſuper eo de conditionib. appoſit.

Secunda Aſſertio, *Matrimonium ſub conditione de futuro poſſibili contingenti ſuſpenditur, donec ea ponatur.*

Ratio eſt quod coniuges velint conſenſum ſuum ab ea pendere, ergo cum matrimonium ſine conſenſu ſit nullum, & hic à conditione ponenda pendeat, ante eius euentum, non erit validum.

Conf. matrimonium non ſubſiſtit niſi per conſenſum coniugum, eumque completum, at hic completus non eſt, ac perfectus, ante poſitionem conditionis, cum qua matrimonium initur: Minor probatur, vt primum coniuges plane conſentiunt, & perfectè in abſolutam traditionem ſuorum corporum, validum eſt coniugium, & perfectum, at tale non eſt eorum qui illi conditionem adijciunt de futuro contingenti poſſibili.

Argumento eſt primo, quod alter coniugum reſiliendo à contractu, vt alteri conſocietur, contrahit valide etſi non licite.

Secundo, quod matrimonium poſita conditione non ſubſiſtat, ſi antequam poneretur, alter eorum conſenſum ſuum reuocauerit Minor ergo propoſitio eſt vera, ſcilicet matrimonium prout rationem habet contractus, qui eſt initio incompletus, pendet à futura conditione vt compleatur, An autem illico ac exiſtit conditio, ſit matrimonium ſine nouo partium conſenſu, ambigere doctores video.

Prima ſententia affirmat quam tuetur Coninch. diſp. 29. dub. 1. nu. 10. Palud. in 4. diſt. 29. qu. 2. Pet. Soto lect. 3. de matrim parag. quarto denique Laym. lib. 5. tract. 10. cap. 7. num. 2. Nauarr. cap. 22. num. 62.

A ſenſu Paludani & Ægid. diſiunctus eſt Diu. Thom. in 4. diſt. 26. q. 1. art. 3. quæſtiuncula tertia quem ſequuntur hi authores Bonau. in 4. diſt. 28. art. 1. q. 3. Maior diſt 27. q. 4. Adrian. in tract. de conſenſu matrim. q. 2. art. 6. Gabr in 4. diſt 28. q. 2. art. 3. dub. 1. Couarr. in Epitom. 4. decretal. part. 2. cap. 3. aſſerunt enim hi omnes, matrimonium ſuſpendente conditione fieri non poſſe, nec ea adueniente eſſe, niſi nouus contrahentium conſenſus adhibeatur. Probatur

Primo, quia ſponſalia conditionata non ſunt valida, nec inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, niſi poſtquam conditio eſt poſita, & non ante vt patet ex cap. vnico de ſponſal. in 6. parag. cum ex ſponſalibus, ergo nec matrimonium, cenſendum eſt vnquam vim habere, niſi beneficio iterati conſenſus, nam coniugum, ac conſenſus coniugum in illud, nulla ſunt; niſi eorum obiectum ſit tale, vt cõſenſus in illud cadere poſſit, & perſonæ contrahentes ſint tales, quæ coniungi inuicem valeant, ſed duo conſanguinei v. c. qui contrahunt, ante diſpenſationem pontificis, hoc modo, *contrahimus ſi Papa diſpenſet*, ante eius conceſſionẽ, (inquam) non ſunt habiles, ergo conſenſus in tale matrimoniũ, cum conditione futura diſpenſationis eſt nullus, ergo iterandus vt matrimonium valeat.

Secundo, ſacramentum cum eſt, non poteſt pendere à conditione de futuro, nec enim abſolutio, v. c. data cum hac conditione, *ſi reſtitueris abſolute* valida eſt, quia ſacramenta cum ſunt, ſic operantur neceſſario, vt eorum effectus impediri nequeat: ergo cum partes contrahunt, modo quo diximus, ſcilicet dependenter à conditione de futuro, eorum contractus non eſt tum perfectus, ſed erit cum impetrata Pontificis diſpenſatione, aut patris facultate, aut conditione exiſtente, quæ in contractu ponitur, fidem ſibi dabunt mutuam per verba de præſenti.

Confirm. maior eſt eius obligatio inquit Bonau. qui ſimpliciter, & abſolute de futuro promittit, vt *ducam te, accipiam in meam*, quam qui id præmittit ſub conditione, nempe *ſi pater conſenſerit*, ſed prior modus parit tantum ſponſalia: ergo matrimonium contractum conditionato conſenſu matrimonium non eſt, ſed ante euentum conditionis, mera ſponſalia conditionalia, ſed promiſſio, quæ ſponſaliorum naturam habet, matrimonij rem, & nomen non induit, ſine nouo conſenſu, eoque abſoluto, per verba de præſenti: ergo matrimonium conditionis futuræ adiunctione factum, non fit ratum præciſe per eius euentum.

Tertio Matrimonium fit per verba de præſenti, conſenſum cõiugum in ſeſe mutuo exprimentia, ſed contractus, cui adiuncta eſt aliqua conditio contingens poſſibilis, *vt accipiam te in meam ſi pater conſenſerit*, non fit verbis quæ de præſenti conſenſum declarent partium, ſic enim Vrbanus III. in decretali ſuper eo de conditionib. appoſitis his verbis *conſenſus huiuſmodi non eſt de præſenti habendus, licet per verba de præſenti euidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, ſed habendo conſiſtit*, extat etiam decretalis Innoc. III. per tuas litteras eod. titul. vbi conſenſum expreſſum de præſenti, interiecta conditione, *ſi pater aut patruus conſenſerint* dicit eſſe ſponſalia, nunquam matrimonium, ergo vt incipiat eſſe tale, debent coniuges, accedente conſenſu patris, aut patrui, conſenſus ſuos formare.

Quarto, ſi conditione impleta, non eſt opus nouo conſenſu, vir & fœmina, qui contraxerunt cum conditione de futuro poſſibili, ſeparari ab inuicem non poterunt, ſed cogendi erunt metu cenſuræ, cohabitare ſibi inuicem, ad id falſum eſſe, indicat Vrbani III. decretalis ſuper eo 5. de condit, appoſitis in hæc verba, *poſtulaſti, vtrum ille qui in quandam mulierem conſenſit, ſi pater eius, ſuum præſtaret*

assensum, sit ad matrimoniũ compellendus. Respondemus, quod cum consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reseruatur, ac conditionem ipsam canonica non improbent instituta, nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum. Hæc ille ex quibus est euidens non fuisse matrimonium ante conditionem impletam, alioqui non diceretur contrahendum sed contractum.

Confirm. Vrbani testimonio, qui conditione interposita de futuro, matrimonij societatem coit, ea subsecuta *cogendus est ad matrimonium contrahendum: ergo eius positio, præcise & per se propriè non facit matrimonium, sed consensus consugum, tunc petendus.*

Tertia Assertio, *Conditio de futuro impossibili, non impedit matrimonium, modo non sit eius essentiæ contraria*, est huic assert. fides.

Primo, ab authoritate Greg. IX. cap. si conditiones extra de conditionbus appositis vbi definit hoc differre conditiones, matrimonij bonis, aut essentiæ cõtrarias, ab his quæ vocantur, ac sunt impossibiles, quod priores illud impediant, *quæ autem turpes sunt, aut impossibiles, debeant propter fauorem matrimonij, pro non adiectis haberi.* Gregorium sequuntur Nauarr. cap. 22. num. 62. Laym. tract. 10. cap. 7. num. 11. Sanch. lib. 5. disp. 17. eiusque decisionem in sponsalibus quoque valere aiunt.

Sane vt licuit principibus leges scribere, quibus conditiones turpes & impossibiles, in legata ac testamenta insertas remittunt, proque non adiunctis haberi volunt, institutis de legatis, §. postremo, & ff. do conditionibus institutionum: ita & Pontifici Romano, fas fuit, habere rationem matrimonij, & facere, vt conditio impossibilis ei adiuncta, saltem in externo foro non valeret, *vt duco te in vxorem si Lutetia Romam ueneris vno die.*

Secundo facit pro hac assertione hæc ratio: si coniuges consensum suum valere nollent, haud dubie ea verba adhiberent inter contrahendum, quibus dissensum suum exprimerent, at conditio impossibilis, & pro tali cognita, à contrahentibus, indicium potius est consensus in matrimonium, quam dissensus, cum posito quod eam impossibilem nouerint, eius rationem haberi nullam probabiliter velint.

Excipiendus est casus, in quo verè & serio, hæc conditio ab illis apponeretur consensui suo, vt possibilis, cum intentione non contrahendi, nisi ea posita, quia tunc ea absente, nulla est in foro Ecclesiæ matrimonij obligatio vt Theologi asserunt.

Primo, quia conditio impossibilis implert nunquam potest.

Secundo, quia matrimonium est irritum sine consensu contrahentium, at hic desinit deficiente conditione, cui fuit illigatus, ex lege non solum ff. de actionibus & obligationibus, vbi dicitur eum qui conditionem impossibilem adijcit suo consensui, non vere consentire saltem regulariter, quare in tribunali conscientiæ, pronunciabitur contractus nullus, cum constabit coniuges matrimonio assentiri noluisse, conditione non extante, cum qua contraxerunt, siue ea sit impossibilis, siue turpis, quam sententiam communem esse dicit Adrianus in tract. de consensu matrimonij art. 6.

Quid si de voluntate contrahentium non constet, & an serio, vel ioco, abijs conditio adiecta sit suo consensui, quid iuris? Resp. censendum ioco adiectam non esse.

Primo, quod Iudici in eam partem inclinandum sit, quæ facit pro matrimonio, iuxta cap. finale de sententia & re iudicata, quare semper credendum est valere, quando de contrario certo non constat: quæ est opinio Syluest. in verbo matrimonium 3. Couar. 2. part. Epito. cap. 3.

Secundo, quia nemo præsumitur velle peccare, aut in re adeo graui & sancta, vt est matrimonium nugari velle, ac actum suũ nullũ esse, de moralibus enim loquendum est moraliter, quare cum iocus in rebus sacris, ingens sit scelus, ne peccasse putetur, qui eum contractui suo adhibet, Ecclesia huiusmodi conditionem impossibilem, quæ est prudenti cuique ridicula, pro non adiecta reputat.

Confirmatur, Ecclesia, nullum arcessit criminis, aut de eo commisso condemnat, ac arguit, nisi cum de eo clara supperunt fortiaque indicia, lege merito ff. pro socio, est enim hoc eius solemne, in meliorem partem omnia trahere, can. estote misericordes de reg. iuris, qua ratione ante Trid. Concilij tempora, sponsalia, per copulam carnalem, transibant eius opinione in matrimonium, cap is qui fidem 30. de sponsal. vt haberet Ecclesia vnde coniuges excularet à culpa fornicationis, eaque proinde mortali, eius vsum, ante cõtractum in facie Ecclesiæ matrimonium, præuertentes, iudicabat enim eos non miscere sibi inuicem, nisi maritali animo; Idem hic accidit, vt enim à contrahentibus voluntati suæ hypothesim impossibilem adijcientibus, culpam mortalem remoueat, quam haud dubie non fugerent, si illi serio inhærere vellent, eam ideo Ecclesia eodem loco habet, quo non appositam, cuius rei causa à priori est, quod quilibet contrahat, aut contrahere velle debeat, ex legibus Ecclesiæ, & principum, ergo cum hi, & illa, conditionem impossibilem adiectam contractibus improbent, eam quoque contrahentes respuere, non est improbabile, saltem voluntate consequente, quæ est absoluta, & deliberata voluntas legis obseruandæ, & obedientiæ, ei ac legislatori exhibendæ.

Quarta Assertio, *Conditio de futuro possibili, sint sit honesta, vt cum dicitur, contrahe tecum si eleemosinã dederis*, siue turpis, matrimonio adhibita, impedit, ne sit vere tale, ac contractum verè sed ad summum efficit, vt sit eius ineundi promissio. Est hæc sententia D. Thomæ, in 4. dist. 29. art. 3. q. 1. quæstiuncula 3. quem sequitur Diuus Bonau. in 4. dist. 28. art. 1. q. 3. cum Adriano tract. de consensu matrimonij q. 2. art. 6. nititur hæc assertio decretalibus Alexandri III. in cap. de illis extra de conditionibus appositis Innoc. III. cap. per tuas. Vrbani III. cap. super eo eodem tit. in eo enim apertè asserit, consensum hac interposita conditione *si parentes consenserint* suspendere cõtractum, sic vt non sit validus antequam impleatur, nec consensum esse de præsenti, etsi verbis eius generis exprimatur.

Secundo, ad authoritatem pontificis, accedunt & hæc argumenta.

Primum vt contrahatur matrimonium validum, requiritur consensus de præsenti, qui tamen hic deest, cum sit tantum consensus à futura conditione pendens, quæ proinde hoc tempore non est, ergo matrimonium ei subiectum, non est validum sine noue in illud consensu.

Secundum, cum hæc conditio *contrahe tecum si pater consenserit* sit honesta, ac possibilis, haberi non potest pro non adiecta, ergo ex ea pendet consensus, atqui non est hæc præsens sed futura, ergo nec præsens consensus, nec præsens matrimonium.

Tertium, qui ſic contrahit *accipio te in meam ſi pater aſſenſus fuerit* eo non repugnante, ſibi illam vir in vxorem cogetur aſſumere, cumque ea contrahere, ex decreto Vrbani III. cui inuitum ſuper eo extra de conditionibus appoſitis ergo ante, valide non contraxerat, alioqui iteraretur matrimonium, ac conſenſus ad illud requiſitus ſine neceſſitate, quod eſt ridiculum.

Quartum, matrimonium Sacramentum eſt, quod illico ac eſt, operatur, at ſacramento adijci non poteſt conditio, quæ ſuſpenſiua ſit effectus eius, ergo appoſitione conditionis honeſtæ futuræ, impeditur matrimonium, nec proinde tale vnquam extitit: ſed ſponſaliorum rationem habuit, de quo extat Innoc. III. decretalis per tuas literas titulo, de conditionibus appoſitis, nam ibi conſenſum expreſſum de præſenti hac conditione interpoſita *ſi pater approbauerit* appellat ſponſalia non matrimonium, quare viro & fœminæ ſi coniugium ſtare ſuum velint, ſuus erit in illud cõſenſus renouãdus neceſſario Theol. teſtimonio vt Soti. in 4. diſt. 29. q. 2. art. 1. concl. 3. Comitol. 1. reſponſ. q. 113. ita exiſtimandi cauſam hanc habeo, quod ſponſalia, in matrimonium non tranſeant, ſine conſenſu abſoluto coniugum, eoque declarato vocibus de præſenti, ſed habet matrimonium ſubiectum conditioni honeſtæ futuræ, rationem ſponſalium, teſtimonio Innoc. III. in can. per litteras 6. extra de conditionibus appoſitis ergo ad conſenſum illum primum, quem conditioni de futuro coniuges coniunctum eſſe voluerunt, ea extante debent hi nouum addere.

Aſſertio quarta, *matrimonium eſt nullum, cui adiicitur conditio, eſſentiæ eius contraria vt contrabo tecum ſi mihi licuerit tranſire ad alias nuptias ſi fœtum impedieris* &c. ita Auguſt. de bono coniugali cap. 5. & de nuptijs & concupiſc. lib. 1. cap. 15. refertur-que 32. q. 2. can. ſolet. 6. & can. aliquando 7. cui ſuffragatur Gregor. 9. extra de conditionibus cap. finali & probatur res nulla eſſe poteſt ſine ſua ſubſtantia, ergo nec matrimonium ſi aliqua ei adijciatur conditio fini ſuo intrinſeco contraria, licet enim inquit Grego. 9. in proximo citato can. aliæ conditiones appoſitæ matrimonio, *ſi turpes aut impoſſibiles fuerint debeant propter fauorem eius pro non adiectis haberi. Non tamen ſi contra ſubſtantiam coniugis inferantur, puta ſi alter dicat alteri contrabo tecum ſi generationem prolis euites, matrimonialis contractus, quantumcunque ſit funerabilis caret effectu.*

Aſſertio quinta, *Conditio de præſenti*, vt ſi Virgo es, *non ſuſpendit matrimonium, ſi reperiatur puella talis eſſe*, quia hæc conditio aut eſt honeſta, qualem eſſe tradunt Hoſtienſis in capite extremo de conditionibus appoſitis Adrianus tract. de conſenſu matrimonij art. 6. dub. 6. vel vana & futilis.

Si primum, matrimonium eſt verum, quia per ea verba vir ſignificat, ſe tam vere contrahere, quam eſt prædicta conditio vera,

Si ſecundum, haud dubie matrimonium non impedit, cum ioco cenſeatur adiecta, quandoquidem certa nulla ſigna virginitatis in mulieribus dari, Medici & Philoſophi aſſerant.

Secundo, retardari nequit effectus matrimonij, niſi conditione quæ ſit vera, & de qua certo conſtare queat homini, at non eſt de hoc conditionum genere virginitas.

Primo, quia culpa interit tàm puellæ propria, cum ipſa ſe libidinoſe, ac fœdè contrectat, quam aliena, vt cum à viro cognoſci ſe patitur aut alterius manu ipſa ſe conſtuprat quinetiam ſi quæ ſunt in eius inſtrumento muliebri virginitatis veſtigia, hæc peccato eius nullo perire ſolent, eo maxime tempore, quo illi, aut vteró male affecto, pharmaca à medicis apponi eſt neceſſe quibus membrana, quæ in ea ſignum eſt ſeruatæ pudicitiæ abrumpitur.

Secundo, quia certa eſſe dicuntur ſuccorum genera, quibus laxata vteri ſpatia, per virilem coitum, coaleſcere ſoleant, quos cum ſit incertum, ecquid ſibi puella adhibuerit, admodum eſt probabile, de virginitate eius nulla eſſe poſſe certa teſtimonia, & proinde, conditionem cuius fit in aſſertione mentio, nullius eſſe ad matrimonium cohibendum, ponderis ac momenti.

Excipiendum eſt id tempus, in quo vir, ſiue ex errore animi, ſiue voluntatis ad id obſtinatæ peruicacia, parum laudabili ac honeſta, matrimonio ſuo vim nullam eſſe vellet, niſi de caſtitate puellæ certo ſibi antea conſtet, tunc enim à fide data recedere liberum illi eſſe crederem, ſi aut ipſa eſſet corrupta, aut à matronis non fuiſſet prius eius virginitas diſcuſſa, & probata.

Aſſertio 6. *Demonſtratio, cauſa, & modus, etſi falſa, matrimonium nec impediunt, nec ſuſpendunt, niſi rationem conditionis induant.*

Pars prima probatur, modus legatis aut teſtamentis additus, ea non ſuſpendit, ſed vim ſuam, ac valorem habent antequam hic impleatur, & quidem ſic vt ea ſub tali modo, ante eius impletionem, ad hæredes, aut legatarios tranſeant, lege à teſtatore digeſt. de conditionib. & demonſtrat. ergo ſimiliter à modo, & demonſtratione, mora non fiet matrimonio, nec eius valori, nã qui contrahunt, animũ habent abſolute tranſigendi negotij, etiamſi quidpiam rei declarandæ de qua agitur ac ſignificandæ menti ſuæ adiiciant, vnde etſi hi in illo fallantur, non tamen ideo irritum eſſe volunt id de quo inter ſe conuenerunt.

Excipiendus eſt caſus, in quo demonſtratio incideret in errorẽ perſonæ, aut conditionis inſtar eſſet vt cum dicitur, *accipio te in meum, qui es primogenitus, duco te, quia es libera*, aut modus conditionis naturam ſumeret, quod ſæpe accidit vt dicitur lege 1. & 2. Cod. de iis quæ ſub modo relinquuntur, vt *duco te vt patri meo prius des 100. aureos*, in iis enim & ſimilibus, cenſentur contrahentes habere voluntatem conditionatã, vt actus nihil valeat niſi ſit, aut fiat prius id quod ipſi deſiderant, quanquam in foro externo ſæpe contrarium præſumitur.

Aſſertio ſeptima, *Vt conditiones impoſſibiles, habentur pro non appoſitis*, ex cap. extremo de conditionibus: *ita turpes ſi ſunt bono matrimonij contrarię obſtant ne ſit ratum*, exempla conditionum huiuſcemodi ſunt, *tecum contrabo ſi venena ſterilitatis procuraueris*, eſt enim contra prolem, *ſi te omnibus ſubſtraueris*, contra fidem, *ſi poſt annum, mihi fas erit, aliam te relicta vxorem quærere*, contra perpetuitatem vinculi quod æternum eſſe oportet inter coniuges, ita expreſſe Pontifex in cap. vltimo de condit. appoſitis, reliquæ conditiones, quæ turpes ſunt quidem, ſed matrimonij bonis minime contrariæ, reiiciuntur vt nullæ. Aſſertionis hæc eſt cauſa, quod qui contrahit, ſecundum leges prouinciæ vbi degit, & principis cui ſubeſt, contrahere eum ſit neceſſe: ergo cum Eccleſia conditiones impoſſibiles & turpes reſpuat, vt matrimonio non adiectas, eum quoque, qui in Ec-

cleſia fœminam quærit, ex eiuſdem legibus quærere eſt veriſimile.

Ergo vt illa, in fauorem matrimonij conditiones impoſſibiles & turpes improbat, ac quaſi non additas reputat: ita & ſingulos, qui in Eccleſia, eius legibus viuunt, contrahere eſt putandum: & ita, licet voluntate ſimplici & naturali, contrahere vellent aliter, quam Eccleſia præcipit, voluntate tamen conſequente, quæ eſt voluntas legis, præcepti, & obedientiæ, credendum eſt, eos ſecundum quod Eccleſia ſtatuit, tranſigere velle.

Si tamen animum, prædictis conditionibus affixum haberent, matrimonij effectum, vſque dum ponerentur, ſuſpenderent, eſt enim conditio, vt ſcribit Nauarr. cap. 22. nu. 61. diſpoſitionis ſuſpenſio donec aliquid fiat quod eſt futurum.

Circa dicta proponuntur quædam dubia, quorum notitia, non parum eſt ad præſentis quæſtionis intelligentiam neceſſaria.

Et primò, *An Parochus matrimonio conditionato, intereſſe debeat, vt valeat.*

Dico primo, *nihil eſſe opus vt Parochus ac teſtes matrimonio interſint cum contrahitur ſub conditione de futuro.*

Primo, quia talis futuri matrimonii pactio, eius eſt promiſſio, non matrimonium, at nihil eſt neceſſe Parochum intereſſe ſponſalibus, vt valeant, ergo nec matrimonio, inito ſub conditione in futurum relata.

Secundo, cum partes de præſenti in mutuam traditionem corporum non conſentiunt, vere matrimonium non contrahunt nihil eſt ergo neceſſe aduocare Parochum, vt teſtem ſe ſponſionis, exhibeat quam de matrimonio faciendo, vbi conditio euenerit, dant hæ ſibi mutuo.

Dico ſecundo, *Parochum & teſtes intereſſe debere coniugibus, cum conſenſus ſuos, conditione poſita ſub qua contraxerant, ſibi de mutua traditione ſuorum corporum, inuicem exprimunt.*

Ratio eſt quod tùm matrimonium contrahant, ergo cum Parochus, teſteſque eo requirantur tempore, vt intelligant, matrimonium vere & ſubſtantialiter contractum eſſe, de quo etiam in foro externo teſtificari valeant, quin ii tùm præſentes eſſe debeant, ambigere iuſte nemo poteſt.

Confirm. cum Parochus contractui intereſt facto cum conditione relata in futurum, *vt duco te ſi pater velit*, teſtificari quidem poteſt de matrimonio inchoato, pendente, ac ſolubili, non autem de completo, perpetuo, & inſolubili, quia tale non eſt, niſi per conſenſum abſolutum, qui tamen adhuc non eſt, ſed erit poſtea: ergo intereſſe iſti debet, cum fiet, fit autem cum vir & fœmina, conſenſus ſuos ſuper ſuorum traditione corporum mutua, per verba, ſigna aut nutus exprimunt.

Dub. 2. *An ſufficiat ad validitatem matrimonij, contrahentes coram Parocho, & teſtibus dicere, conditionem quam contractui ſuo appoſuerant, impletam eſſe.*

Affirmant Coninch. diſp. 29. dub. 1. concl. 4. num: 17. Laym. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 7. n. 3. cæterique omnes, qui poſitione conditionis ſeu euentus, aiunt matrimonium abſque alio partium conſenſu efficit his enim ad valorem connubij ſatis ſuperque eſſe placet, ſi vir & fœmina, coram Parocho & teſtibus affirment, conditionem quam contractui appoſuerant impletam eſſe, nam hoc ipſo (inquiunt) cenſentur purificare ſuos conſenſus, hoc eſt vt interpretor ratos habere eoſque virtute, ac tacite, quantum eſt ad eorum firmitatem ſatis renouare. Nos qui matrimonium conditionato A conſenſu contractum, cenſemus eius quidem habere nomen, non naturam, ſed ſponſaliorum duntaxat: credimus ratum eſſe non poſſe, ac validum, niſi iterato ſuam ſibi mutuo fidem obligent, amboque in ſeſe mutuo, coram Parocho & teſtibus conſentiant, quia à ſponſalibus ad matrimonium non fit tranſitus, niſi nouo conſenſu matrimoniali, eoque abſoluto per verba de præſenti Comitol. lib. reſponſ. 1. cap. 113. & alij apud eum, Nauarr. 4. conſilior. de ſponſal. conſ. 14. contra Sanchez diſp. 8. q. 2. Coninc. dub. 1. concl. 5.

Dubium tertium, *An matrimonium cum intentione adulterandi contractum, aut impediendæ prolis ſit validum.*

Dico primò, *A voluntate dimittendæ coniugis, impediendæ prolis aut negandi debiti, matrimonium vitium non trahere, quo reddatur nullum.* B

Ratio eſt quod cum conſenſu in traditionem mutuam corporum, in quo eſt eſſentia matrimonij, vt eſt contractus, voluntas peccandi contra tria bona matrimonii, ſtare queat, ſicut cum pacto dandi mercem pro pretio & contra, in quo emptionis ratio eſt ſita, non repugnat contrahentes habere voluntatem fallendi ſe mutuo.

Dico ſecundo, *Matrimonium non valide contrahi, cum quę illi ſunt oppoſita, eiuſque naturæ contraria, deducuntur, in pactum*, nam quæ ſunt talia, directe aduerſantur, obligationi ſtatus eius, à quo coniuges mutuum ſibi in ſua corpora dominium cum ſubiectione reciproca acquirunt: vnde in cap. vlt. de C condit. appoſitis hæc habentur *ſi conditiones contra ſubſtantiam matrimonij inferantur, puta ſi alter dicat alteri, contrahe tecum ſi generationem prolis euites &c. matrimonialis contractus quantumcunque ſit ſanorabilis, caret effectu.*

Dubium quartum, *An peccent qui contrahunt, cum conditione diſpenſationis obtinendæ ſuper impedimento, quo tenentur.*

Dico primò, *Conſanguineos, aut alios, quibus per leges Eccleſiæ, coire ſocietatem connubij non licet, vacare culpa, cum illud facturos ſe pollicentur, ſi per Papam licuerit.*

Ratio eſt, quod quæ ſunt licita, hæc promitti, & ſuper his fidem obligari ſuam à cõiugibus non repugnet, at cognato nubere, Papa annuente, puella D poteſt ſine crimine: ergo & id ei ſancte ac religioſe ſpondere, ſi Pontifici viſum erit è re vtriuſque eſſe permittere. Dixi *per leges Eccleſiæ*, nam ſi vincula, quibus ſtringuntur ambo, ſi impedimẽta inter eos intercederent eiuſmodi, quæ à Pontifice non poſſent ſolui, quia iuris ſunt naturæ, idque notum eis foret, ſponſione coniugij, in tali euentu, non deberent culpa omni, exiſtimari vacui. Ratio eſt, quod velle, quod amplecti, quod per quæ nõ poſſunt eſſe ſine ſcelere: ſcelus ſit non mediocre, habent enim voluntatis noſtræ actus ac animi, à re ſibi obiecta, vt naturam, ita bonitatem ac malitiam, at eſt turpe, ac fœdum, naturæ, aut Dei leges euertere has oppugnare, his bellum indicere: ergo & neceſſitatem ad id ſibi imponere, per promiſſum. E

Dico ſecundò, *Marem & fœminam, qui ſibi fidem mutuam ſpondere futuri coniugij, ſi Papa eius impedimentum tolleret, abearefilire, ſine conſenſu mutuo non poſſe.*

Primo, quia eſt pactorum fides ſancta, nec fallenda temerè cap. 1. de pactis, falluntur, autem cum alterutro repugnante non præſtantur: ergo &c.

Secundo, ſponſalia cum non implentur, peccatur, at pollicitis de futuro matrimonio, ſi Papa diſpenſauerit, mas & fœmina ſponſalia contra-

Digitized by Google

hunt ſub conditione, quam ambo, expectare, eaque eueniente, id eſt impetrata diſpenſatione nuptias contrahere tenentur, ſi in fide data perſiſtant, Ledeſma q.47. art. 5. dub. 2. concl. 3. Sanch. lib. 3. diſp. 5. num. 12. Quid ſi eorum alteri ſtare pollicitis non placet? Ne peccet, horum alterum faciet, alterius voluntatem ad ſuam inflectet, aut à Pontifice poteſtatem ſponſalia promiſſa non præſtandi petet, quam ad rem, tacite ſe ſponſos obligare dum contrahunt, ſcripſere Armilla verbo ſponſalia num. 11. Sanch. lib. 3. diſp. 3. q. 9. n. 36.

QVÆSTIO XXII.

An conſenſus parentum Matrimonio ſit eſſenſialis ac intrinſecus.

PRIMA Aſſertio, *Expedit filium de matrimonio cogitationem nullam ſuſcipere, parentibus inſciis* eius rei exempla nobis ſcriptura ſuppeditat vt in Iſaaco Gen. 24. & in filiabus Labani, quas certũ eſt patris voluntatem in contrahendo, cum Iacobo Patriarcha ſecutas fuiſſe, cõmendant id ſane liberis omnibus Pontifices, 3. q. 3. can. noſtrates & 22. q. 2. can. hoc Sacramentũ, à quo officio videntur filii abire nõ poſſe ſine dedecore, præcipit enim bene inſtituta ratio, ad patrem à filio referri de ſerie vitæ ſecuturæ, hunc ab illo adhiberi ad conſilium, ſuper re tanti momenti, quanti eſt coniugium.

Sane tunc inter ingenuos, & inter æquales legitima fiunt coniugia, cum à parentibus, quorum intereſt, petita, & legaliter deſponſata, & dotata, & publicis nuptiis honorata fœmina coniugij copula ſociatur: Hincmarus in epiſt. ad Rudolphum Bituricenſ. ſcripta iuſſu Synodi apud Tuſſiacum. Idem habet Euariſtus quartus à B. Petro Romanæ ſedis Epiſcopus in epiſt. ad Epiſcopos Africanos.

Secunda Aſſertio, *eſt tamen matrimonium, ſine conſilio parentum initum, modo in aliis, ſibi eſſentialibus, ac intrinſecis, non ſit mancum, ratum & firmum*, tam decreto Innocentij III. cap. cum apud, extra de ſponſalibus, Hormiſdæ cap. tua fraternitas, de deſponſatione impuberum quàm Tridentini ſeſſ. 24. cap. 1 de reformatione à quo anathemate damnati leguntur qui *falſo affirmant* (verba ſunt Concilij) *matrimonia à filijs familias, ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe*, nec deſunt pro confirmando hoc liberorum iure argumenta.

Primum, petitur ex facto Eſau. Geneſ. 20. & 30. qui tres ſibi coniuges aſſumpſit parentibus inſciis, duas quidem Geneſ. 26. quæ Iſaaco & Rebeccæ cum eſſent infeſtę, eorumque animum grauiter offenderent, contra eorum voluntatem, non potuit non eſſe factum cum illis matrimonium.

Secundum, quod in filiorum connubiis abſque parẽtum conſenſu initis, interuenire poſſint omnia, quæ ad eorum faciunt eſſentiam materia, forma ac liberorum intentio, cauſæ ergo eſſe nihil magnopere poteſt cur rata eſſe nequeant ac valida.

Tertium, ſunt liberi in his quæ ad propriã perſonam pertinent conditionis liberæ ſuique iuris, at in his quæ iure cuique licent, quo de genere eſt matrimonium, à Deo inſtitutum procreandis liberis, quo inclinat natura hominum, quilibet obligare ſeipſum poteſt: ergo &c.

Quartum, ſi à Patre, expectanda eſt vxor filio, nec arbitrio ipſe ſuo coaptare ſibi ac fingere vllam poteſt, ſæpe habebit exoſam, ingratam, ac parum rationibus ſuis commodam, ex quo inter eos, magna animorum ſequi diſſidia neceſſe erit, quibus quid poteſt eſſe in familia pernicioſius? Sanè filius abſque patris conſenſu addicere ſe religioni poteſt per votum: ergo & fœminæ per matrimonium.

Obijcies poſſunt parentes filiorum vota irritare, ergo & matrimonia.

Reſponſio duplex, prima, conſequentiam eſſe falſam, ob rationem vtriuſque diſparem, diſparitas eſt in eo, quod per votum ius ſoli Deo acquiratur in rem promiſſam, per matrimonium autem perſonę tertiæ, nempe coniugi, quæ patri ius ſuum eſſe permiſſum nõ patitur, ſicut Deus, cuius facultatis argumentum prope certum eſt, praxis parentum, in communi Doctorum & Eccleſiæ ſenſu fundata, quæ id Dei nomine prædictis parentibus indulget.

Secunda reſponſio eſt, Antecedens eſſe falſum, nec enim vota alia filiis reſcindere patri eſt licitũ, quam quæ ſunt perſonalia, nec de hoc genere quælibet, ſed emiſſa tantum ante pubertatem, nam realia ſuſpendere quidem pater poteſt, quando eſt eorum executio illi grauis & noxia, non tamen irrita reddere.

Obijcies ſecundo, non debet ea coniunctio pro vero haberi matrimonio, cuius Deus approbator non eſt, ac author: cum dicatur Matth. 19. quod Deus coniunxit, homini ſeparandum non eſſe, at cum matrimonia parentibus inconſultis obita, Deo ſint exoſa, ea ipſe non coniungit. Minor eſt neganda, vt enim ea coniugia Deo ſint grauia, & inuſa, ob peccatum quod admittit filius, ducendo vxorem patre non rogato, nec proinde ea Deus coniungat quoad effectum ſacramenti, qui eſt gratia; cum eius eſſe capax qui peccati reus eſt nequeat, vt eſt filius, nihil de voluntate ſua matrimoniali ad patrem referens, ea tamen de facto, & quo ad ſubſtantiã copulat, ob pactum eius cum Chriſto initum, de concurrendo cum miniſtris idoneis, ad validitatem Sacramenti ſũ neceſſariam omnia afferentibus, quod facere coniuges poſſunt contrahentes ſine conſenſu parentum, vt eſt oſtenſum.

DE IMPEDIMENTIS Matrimonij quæ iuris ſunt naturæ.

QVÆSTIO I.

An pueri & amentes contrahere valeant.

ERum quæ ſunt in matrimonio neceſſariæ, neceſſitate Sacramenti, duplex eſt, bipertitaque diuiſio. Primæ poſitiuè poſtulantur ad illius eſſentiam, alteræ negatiue tantum: de prioribus diſputatum eſt tractatu præcedenti, in quo de conſenſu, poſtremæ ſunt hic explicandæ.

Et quidem matrimonium ea negatiue exigit eſſentialiter, quæ tolli debent, vt exiſtat, quo de genere ea ſunt, quę nos impedimẽta dicimus: conſenſum enim impediunt, ſine quo tamen matrimonij natura ruit: ideoque negatiuè ad eius eſſentiam dicuntur exigi, bipertito autem diuiduntur hæc impedimenta, primo in maiora, ſecundo in minora

priorum duæ ſunt ſpecies, quædam ſunt iure naturæ talia, & hæc ſunt ſex numero, non plura, comprehenſa hoc verſu.

Mens ægra, & coniux, vis, error, ineptia, ſanguis.

Alia, lege Eccleſiæ tantum, matrimonio officiunt, & hæc ſunt duodecim numero votum ſolemne affinitas, conſanguinitas vſque ad quartum gradum incluſiue, & alia de quibus poſtea, & hæc impedimenta dicuntur dirimentia, quia matrimonium contrahendum impediunt, & contractum diſſoluunt; cuius propoſitionis hic eſt ſenſus, fieri poſſe hæc impedimenta facultatē Eccleſiaſtico iudici, ſeparandi eos, qui cum iis impedimentis contraxerunt, vt non verè & legitime coniunctos, Nauarr. Enchirid. 22. num. 29. quod ei per minora impedimenta non conceditur, quorum hic eſt effectus, facere, vt contrahentes cum illis, peccent quidem, non ſic tamen, vt quod per ea fit, ſit inualidum, quod explicant alij his verbis, cum dicunt impedire matrimonium contrahendum, ſed non dirimere contractum, decem vero ſunt numero, votum ſimplex caſtitatis, ſponſalia cum alio, vel alia contracta, interdictum Eccleſiæ, traditio Catechiſmi, inceſtus, vxoricidium, raptus alienæ ſponſæ baptiſmus filij proprij, Preſbyteri interfectio, coniugium cum moniali, his præmiſſis.

Reſpondendum quæſtioni propoſitæ aſſertione duplici.

Prima Aſſertio, *Pueri ante vſum rationis non poſſunt valide matrimonium contrahere.*

Ratio prima eſt, quod matrimonium conſenſu contrahitur, de ſponſalibus cap. cum locum 14. at pueri ante rationis vſum contrahere voluntariè ac deliberate nequeunt, nam deliberatio, animi præſentiam exigit, ad id quod fit, plenamque eius aduertentiam, cuius eſſe pueri, capaces an poſſint, haud ſatis intelligo.

Secundo, coniunctio ſtabilis nulla eſt & firma, quæ non ſit voluntaria, & libera, ſed facta à puero adhuc experte rationis, cōmuniter non eſt talis: ergo ab eius defectu, matrimonium in eo futurum eſt nullum.

Idem de amente dici debet, maxime ſi laborat inualetudine mentis perpetua, nam vt dicitur in cap. dilectus 24. de ſponſalibus, in eo, *propter alienationem furoris, legitimus intervenire non poteſt conſenſus.* Secus arbitrandum eſt, cum furioſus, & amens, lucidis gaudent interuallis, nunquam tamen non eſt eorum connubium vitioſum cum fieri prohibeatur 32. qu. 7. can. 26. peccantque maxime fœmina & Parochi, fœmina quidem, quæ illum ſibi virum eligit: Sacerdotes, qui ſciunt talem coniunctionem, & non impediunt, & quidem non eſt fœmina culpę expers, quia copulando ſe furioſo, ac amenti, tam ſe quàm prolem, veſo mortis futuræ diſcrimini obiicit. Hi autem, quia iſti culpæ aſſenſum præbent & auxilium.

Excipiendus eſt caſus, in quo ad eius periculi fugam adhiberetur cautela ſufficiens, quæ quoniam vix aut raro affetri poteſt cum viri fœminis viribus anteſtent, maxime amentes ac furioſi, nec his iſtæ iungi, nec Sacerdotes ſine culpa illis eſſe poſſunt auctores aut approbatores faciendi inter eos matrimōnij.

Pueri tamen non à defectu tantum rationis, ſed ab ætate quoque impediuntur à matrimonio contrahendo valide, nam communis eſt opinio, quod puerorum matrimonia, iure Eccleſiæ ſint nulla, facta ante pubertatem & cap. tuæ nobis 34. de deſponſatione impuberum finali, his verbis habetur: *Si puella nubilis non erat ætatis, cum vir deſponſauit eandem, & ætatem in ea prudentia non ſupplebat, preſumitur inter eos non coniugium, ſed ſponſalia contracta fuerunt, quamuis ab ipſo viro fuerit ſubarrhata.*

Contingit autē pubertas in viris, anno 14. aperit ſe vero in fœminis 12. de deſpōſatione impuberum cap. 36. & 10. & extra de delictis puerorū cap. 1. An autem completa eſſe debeat hæc ætas ad effectum validi matrimonij DD. ambigunt, Barboſa tom. 2. lib. 4. tit. 2. cap. 14. Villalob. tom. 5. tract. 14. diff. 12. nu. 1. tradunt matrimonium ratum in foro conſcientiæ, & Dei, cenſendū eſſe, quādo contractum eſt die vltimo anni duodecimi in fœminis, decimi quarti in viris.

Gutierrez de matrimonio cap. 2. n. 22. cap. 2. n. 2. ait matrimonium, non tantum aliquot hebdomadis ante hoc tempus initum valere, ſed etiam multis menſibus, modo prima dies anni duodecimi in fœmina, decimiquarti in viro ſit inchoata.

Contraria ſententia eſt Baſil. Pontij de matrimonio lib. 8. cap. 65. eaque in praxi tenenda: matrimonio, vim contractus nullam fore, ſi vel vna dies deſit, ad complemcntum anni decimi quarti, quia vt diximus tractatu de principiis, cum tempus certum ſtatuitur operi, vt ſit firmum, illud completum eſſe oportet, quare ſi præuertitur, tempus contrahendi matrimonij vel tantillo temporis ſpatio, non habebit coniugium aliam vim quam ſponſaliorum, vt dicitur de deſponſatione impuberum in 6. cap. 1. parag. 2. niſi in viro malitia ſuppleuerit ætatem, ibid. §. 2. cap. nobis, & cap. puberes extra de deſponſatione, quæ etiam vocatur prudentia carnis, eodem titulo cap. finali, & pubertatis proximitas ibidem cap. 9. Agnoſcitur hæc vero, quemadmodum & malitia ætatem ſuperans, primo ex copula carnali, inter dictos pueros habita, eodem titulo, cap. 8. etſi vir vnum aſſerat, fœmina aliud, in foro externo crederetur mari iuranti, eodem titulo cap. 6. & extra de frigidis & maleficiatis cap. 1. & ſi vterque aſſerueri, habitam eſſe copulam, in quacunque ætate, vbi Trident. non eſt receptum, quo vetantur clandeſtina matrimonia, probabile eſt eorum coniugium validum fore, ſi ad copulam acceſſerit animus maritalis, poſterior ſponſalibus præuiis, quomodo eſt intelligendus canon à nobis de deſponſatione impuberum 8.

Sane refert Hieronymus in epiſtol. 132. ad Vitalem, puerum decennem, ſuo tempore generaſſe filium, & de Achas Rege item conſtat, in pari ætate produxiſſe Ezech. 4. Reg. c. 16. Etenim erat Achas 20. annorum cum regnare cœpit & ſexdecim Iudææ præfuit: ergo cum non vixerit niſi triginta ſex, haberetque Ezechias, cum Achas diem ſuum obiit 25. vt dicitur 4. Regum 18. non fuit Achas filio ſuo, Ezechias ſenior niſi 11. annis, & ita decimo generaſſe debuit, cum proles ordinarie nouem menſibus maneat in vtero: in citata item epiſt. ad Vitalem de Salomone aſſeritur, cum ætatis anno decimo generaſſe Roboam.

Tradit autem Oſtienſis in cap. vltim. de eo qui cognouit conſanguineam à puero vndecim annorum conſanguineæ vterum impletum eſſe. Refertque in ſuo lexico verbo matrimoniū Albericus de Roſate, puellam annorū nouem peperiſſe, Gloſſa cauſa 29. qu. 1. addit à puero item 9. annorum nutricem ſuam redditam eſſe grauidam. Hieronymi ſunt hæc verba. *Domine*, inquit, *teſte non mentior, quædam muliercula, expoſitum nutriret quum infantem, & inſtillaret cibos, ac nutricis officio fungē-*

retur, cubaret que cum ea parvulus, qui vſque ad decimum, iam peruenerat annum, accidit vt hæc pluſquã puellaria patitur, ſe mero ingurgitaret, accenſaque libidine, obſcenis motibus, ad eorum duceret infantem. Prima, Ebrietas, & alterius noctis, & ceterarum deinceps fecit conſuetudinem, necdum duo menſes fuerant euoluti, & ecce fœmina vterus intumuit. Ex congreſſu ergo pueri cum fœmina, eiuſque ad illum aptitudine, cognoſcitur ætatem à malitia ſuppleri.

Secundo, agnoſcitur malitia, ſeu pubertatis proximitas, ex ſignis, ac habitudine corporis, de quibus conſulendi medici & canon 2. de deſponſatione impuberum.

Tertio ex copula, à viro cum quacunque habita cap. 9. de deſponſatione impuberum, nam qui fœminis quibuſlibet promiſcue eſt aptus, poteſt & cum coniuge ſua congredi, Gloſſa in cap. 9. dicti tituli, ſic igitur qui ante tempus pubertatis præſcriptum vim procreatricem habent, ritè nuptias contrahent, quia vis generandi legitimam ætatem ſupplet.

QVÆSTIO II.

An vis & coactio matrimonio officiant.

DVobus modis maculari coniugium à coactione accidit, primus eſt cum non tantum, libertatem conſenſus adimit, ſed ipſummet impedit, puta, quia coactus, reuera non conſentit, ſed conſentire ſe fingit, & illud matrimonium, omni iure eſt inualidum, quia eſſe ſine conſenſu viri & fœminæ non poteſt, vt dicitur in cap. conſultationi de ſponſalibus, can. tua ſanctitas, can. ſi verum 31. qu. 2. Modus alter eſt quando coactio non conſenſum aufert ſed libertatem, vt cum coactus vere conſentit, ſed inuitus, propter vim & metum, & conſtat talem coniunctionem eſſe irritam, ſaltem iure humano & Eccleſiæ, extra de ſponſalibus cap. veniens 15. cap. cum locum 14. ibidem canone præſens, 20. qu. 3. & de eo qui duxit cap. 2. nam cum territus, quorundam opinione omnibus conſideratis, hic & nunc, aſſenſum in matrimonium voluntarie præbeat, vt à præſenti periculo ſe liberet, non videtur à natura matrimonio interitus eſſe, cui metus grauis dedit initium, quia tamen cum odio, aut abalienatione animi à viro ſuo, non facile mulier inducitur ad matrimonij onera, vt ſunt debiti ſolutio, liberorum educatio, perpetua cohabitatio cum viro, iuſta fuit cauſa Eccleſiæ, eius matrimonij diſſoluendi quod à metu grauitraxit initium, de quo nos antea pluribus.

Dices, eſt Baptiſmus metu ſuſceptus, & per vim validus, ergo & matrimonium.

Neganda eſt conſequentia, diſparitatis cauſa eſt, quod matrimonium ſit contractus moralis & politicus, qui pro fine procreationem liberorum habet, perpetuumque vitæ conſortium, quibus rebus ſtabilitas nulla eſſe poteſt ſine benevolentia viri & fœminæ mutua, quam metus iugulat, cum vt eſt tritum communi adagio, cuius meminit Ariſtoteles 2. Rethor. cap. 4. diligi non ſoleat quod metuitur, quarum rerum cum baptiſmus nullam habeat, nec enim eſt contractus, nec ſocietas, patet quod deillo dicitur, in matrimonio ob metum facto, ſimiliter locum non habere: etſi forte cum de vi agitur, quæ matrimonij, eadem quoque ſit baptiſmi ratio, præcipue in adultis, potiſſima tamen ratio eſt Eccleſiæ definitio quæ cum matrimonium eſſe nullum voluerit per, metum initum, non autem baptiſmum, eſt hic, cum illo ſuſceptus, ratus, non illud.

QVÆSTIO III.

An Matrimonium ex errore contractum ſit validum.

HVic quæſtioni certæ quædam hypotheſes à Theologis approbatæ præmittendæ ſunt.

Prima, diuidi errorem in antecedentem, conſequentem, & concomitantem. Antecedens dicitur, qui matrimonio dat cauſam per accidens, remouendo prohibens, ſcilicet ſcientiam, quæ ſi habita fuiſſet, impediuiſſet matrimonium deducendo ab eo contrahentes, aut eorum alterum, talis error eſt eius, qui ſeruam accipit, quam ſibi habere vxorem nollet ſi liberam non crederet. Concomitans eſt is, qui matrimonio accidit, qualis eſt eius, qui etſi ſciret oppoſitum eius quod ignorat, nihilominus contraheret, & tam hic error, quam antecedens, poteſt eſſe circa ſubſtantiam, & accidentia. Erratur circa ſubſtantiam, cum res vna ſumitur pro alia, à qua ſubſtantialiter eſt diuerſa, in accidentibus cum error eſt in qualitate, vt ſi pauper ducatur pro diuite: Ex quo patet errorem antecedentem ſic inducere ad volendum, vt eo non exiſtente actus non fieret: concomitantem vero non inducere, ſed ita comitari actum, vt eo poſito, adhuc hic fieret.

Secunda hypotheſis eſt, errorem, eſſe iudicium veritati oppoſitum, errare enim eſt vnum pro alio putare, in quo differt ab ignorantia, quæ eſt carentia notitiæ rei, quæ ignorari dicitur, & quidem ſi conſiſtat intra terminos puræ priuationis, vocatur ignorantia meræ negationis, quia nullam cognitionem præuiam habet, quod ſi iudicium ei aliquod falſum addatur, dicitur ignorantia prauæ diſpoſitionis, vbi notandum eſt, errorem concomitantem, non efficere inuoluntarium, cum ſit cauſa repugnantis alicuius voluntatis, neque etiam voluntarium cum nihil poſſit eſſe actu volitum quod eſt ignoratum: his præmiſſis.

Prima Aſſertio, *Tam ignorantia, quam error perſonæ antecedens, craſſus ſit licet & vincibilis, matrimonium contrahendum impediunt, & contractum iure naturæ dirimunt*: Ita D. Bonau. in 4. diſt 30. qu. vnico art. 1. Nauar. Enchir. 22. nu. 32. Couar. 2. parte caq. 3. & 7. Reginald. lib. 31. cap. 14. n. 92. & alij.

Probatur primo, conſenſus debet eſſe in matrimonio voluntarius & circa ſuum obiectum, ſed talis non eſt, cum erratur circa ſubſtantiam, aut eadem ignoratur, ſed eſt omnino inuoluntarius, quia non cadit in perſonam præſentem, ſed in aliam, quæ ſub illis accidentibus apprehenditur, cuius rei indicium eſt, quod ſi error fuiſſet cognitus, nunquam omnino matrimonium eſſet initum, cum contrahentium alter, nolit contrahere cum hac perſona ſingulari præſente, ſed altera, quam ſibi animo repræſentat.

Secundo, voluntarium ex Ariſtotele in 3. Ethic. cap. 4. Damaſceno 3. de fide orthodox cap. 24. Gregor. Niſſeno lib. 5. cap. 3. eſt quod fit, à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt

actio, at id errori non conuenit, vt qui repugnet cognitioni eámque tollat, non secus ac ignorantia, nam de errore dicitur lege si per errorem ff. de iurisdictione omnium iudicum, *non consentire eos, qui errant quid enim*, inquit, *lex tam, contrarium consensui quam error* ob quã causam, in lege non idcirco Cod. de iuris & facti ignorantia dicitur, *errantis nullum esse consensum, nullam voluntatem*, in l. cum testamentum eodem titulo.

Confirm. Error circa obiectum substantiale in quo contrahitur, contractum vitiat, vt si loco vini quod putatur emi vendatur aqua, aut ceruisia, sed persona, determinate cognita contrahenti, est primum, & substantiale obiectum consensus matrimonialis: ergo.

Secunda Assertio, *Matrimonium initum ex errore concomitante personam, cum qua contrahitur, non est validum*, ita Ledesma de matrimonio dubio 30. conclusione secunda, quia coniugium stare nequit sine consensu actuali in illud, sed in errore concomitante, deest consensus, esse enim hic nequit nisi voluntarius, qualis non est cum hoc errore, quia nihil est volitum, quod non cognitum, cui cognitioni contrarius est haud dubie error concomitans, vt patet, qui in hoc tantum ab antecedente differt: quod iste inuoluntarium, concomitans autem actũ non volũtarium efficiat, & vt ille causa est operis, in quantum si abfuisset error, contractus factus non fuisset, sic concomitans causa non est operis, quia contrahens sic est habitualiter affectus animo, vt etsi non errasset, sed sciuisset esse aliam personam quam putabat, cum ea tamen contrahere voluisset.

Secundo, matrimonium non est nisi per verba de præsenti, at nullus est eorum vsus in illo, qui cum errore concomitante contrahit, explicatur enim hoc erroris genus, his verbis, duxissem etsi sciuissem eam non esse, quam mihi fingebam, at hæc verba, vt apparet, non sunt de præsenti, quia voluntas habitualis, seu ponenda tantum sub conditione, in actu nihil operatur.

Obiic. cæteri contractus sibi constant, etsi erretur in substantia, errore concomitante, modo detur æquiualens rei circa quam erratur, vel minuatur eius pretium pro rata inæqualitatis quæ inter rem & illud intercedit: ergo vt contractus relinqui, firmum quoque erit coniugium factum cum tali errore.

Neganda est consequentia, quia in aliis contractibus consideratur æqualitas rei cum pretio, seu æstimatio & pretium rerum, quod æquatur earum dignitati: in matrimonio autem, quod est personalis contractus, spectatur persona in individuo, alias omnes excludens, cum qui matrimonium init sic cum vna hoc celebret, vt cum nulla alia, illud contrahere velit: ita patet magnũ esse discrimen inter cætera Sacramenta, & matrimonium, nam ad illorum valorem, non faciunt qualitates personarum, illa recipientiũ, cum sit ad essentiam confirmationis impertinens, quod puer confirmandus, sit filius v.c. Ioannis hic aut ille: spectet autem matrimonium, conditiones personarum contrahentium individuas, inter quas initur perpetua vitæ societas, in quo ratio matrimonij consistit. Est & aliud discrimen, nempe quod aliorum Sacramentorum minister non necessario suam intentionem coarctare ad certam personam debeat, sed ad eam tantum, quam habet coram se, possint autem coniuges, cum in eorum potestate sit nolle contrahere nisi cum hac aut illa.

Tertia Assertio, *Error in accidentibus vt pulchritudinis, nobilitatis & opum, non dirimit matrimonium*: ita expresse canon primus causæ 29. q. 1.

Et probatur, cum errore qualitatis, stat consensus absolutus in personam, quæ est voluntatis obiectũ.

Primo, quia vir consentit in vxorem præsentem, & hæc in virum, quem videt, quod sufficit, nam matrimonium, initur consensu contrahentium, circa traditionem, & acceptationem mutuam suorum corporum, at in eo, vir & vxor consentiunt, licet errent in qualitatibus, quas in sese inuicem falso concipiunt, ac inesse fingunt.

Confirmatur, consensus non versatur circa qualitates, tanquam circa obiectum suum, vt dicitur can. quod autem 29. q. 1. nam sunt hæ extra essentiam matrimonij, vt accidentia rei, quam afficiunt, quare tantum se habent vt causa voluntatis motiua extrinseca, aut finalis, secundum quid tantum, quatenus contrahenti displicet, eas rei non inesse, & ita tenet matrimonium eius, qui duxit corruptam, quam putabat esse virginem. Sanchez expresse, lib. 7. disp. 18. num. 18. & alij apud illum indicantque hæc verba petita ex causa 29. qu. 1. can. 1. *Ad hæc non omnis error consensũ euacuat. Qui enim accipit in vxorem corruptam, quam putat virginem, vel qui accipit meretricem, quam putat esse castam, vterque erat, quia ille corruptam, existimat virginem, & iste meretricem reputat castam, nunquid ergo dicendi sunt non consensisse in eas? aut dabitur vtrique facultas, dimittendi vtrãque & ducendi aliam?* his enim verbis, ac similibus innuitur, non errore quolibet, sed eo duntaxat, qui est circa substantiam lædi matrimonij essentiam.

Confir. ideo ab errore in qualitatibus vitium nullum contractui stricti iuris aduenit, quod hæ sint extra eius essentiam: ergo si qualitas, in qua erratur cum fit matrimonium, sit extra obiectum consensus in illud, ab eo non irritabitur, verum est prius, nam vir sibi vult fœminam, fœmina virum, non speciem, non opes: ergo in iis falli, non est vim coniugij elidi.

Excipendi duo casus primus est, cum consensus errantis circa accidentia est hypotheticus, id est pendẽs ab accidentibus, vt à conditione necessaria, tũc enim, iis non positis, matrimonium est nullũ, secũdũ Petrum de Ledesma dubio tertio de matrimonio, cõclusione tertia: potest autẽ intendi qualitas dupliciter, primo actu, secundo virtute, actu quidẽ per opus voluntatis expresse eam designantis, vt matrimonium valeat, vt si quis dicat, *Duco te fore virgo, si nobilis & non aliter*: virtute autem, cum ẽ illam prius voluit, nec voluntatem suam reuocauit vllo actu contrario, nam hæc intentio sufficit, cum posita est ad matrimonium faciendum, fitque ex eo planum, quod per procuratorem possit contrahi, quod cum accidit, sæpe consensus non est alius ex parte alterius duorum, quam virtualis: ergo si voluntas contrahentium virtute feratur circa conditionem aliquam, eius absentia ad matrimonium dissoluendum sufficiet, si hæc virtute tantum perseueret sub voluntatatem cadere, causa est, quod talis conditio, sit honesta, & ad suspendendum effectum matrimonij apposita, ad illud tempus quo ponetur: ergo ea non extante, matrimonium vim nullam est habiturum.

Secundus casus est, cum error qualitatis, aut fortunæ, recidit in errorem personæ, quod fit cum qualitas determinat intellectum ad concipiendum determinatam personam, quam voluntati quoque proponit, vt distinctam ab ea, cum qua contra

ctum

contractum celebrat, vt ſi filia cum qua contrahendum eſt matrimonium, apprehendatur vt primogenita, nam error in hac qualitate, facit vt decipiatur circa obiectum conſenſus ſui, iudicando illum, vel illam, cum quo, aut qua contrahere ſe exiſtimat eſſe illum, vel illam, cui præſenti loquitur, cum non ſit: ergo in illum, vel illam, non conſentit, ſed in abſentem, tollit ergo errorin qualitate, recidente in perſonam, obiectum conſenſus matrimonialis, quemadmodum & cum cadit in qualitatem, quæ cum ſit expreſsè volita non reperitur in perſona.

Confirmatur, errorem qualitatis, errorem perſonæ inuoluere, nihil eſt aliud, in præſenti, quam illum cauſam eſſe, cur quis credat, hanc perſonam cum qua exterius contrahit, eſſe aliam, quam reuera ſit, itaut verum ſit dicere, eum non contrahere cum hac, ſed cum ea, quam putat eſſe, ſit hoc autem in caſu poſito. Itaque ratio cognoſcendi an error circa qualitatem, recidat in perſonam, eſt ſi qualitas, in qua eſt error, deſignet perſonam indiuiduam, in quam, per ſe directe, vt affectam tali qualitate, fertur conſenſus alterius de contrahentibus, conſequenter autem in particulari in hanc, quæ putatur qualitatem eam habere, cum non habeat, quia deficientibus qualitatibus, cum quibus matrimonium intenditur, conſequenter perſona deficit, & connubium eſt nullum, iuxta D. Thomam in 4. diſt. 30. qu. 1. Sylueſtrum verbo matrimonium 8. qu. 1. dicto 4.

Econtrario ſi conſenſus feratur primo ac directe in perſonam præſentem, vt præſens eſt, in particulari autem, ſeu indiuiduo, & conſequenter in perſonam, quæ habet talem qualitatem annexam, error tantum eſt qualitatis, non perſonæ, quare matrimonium quoque erit validum, ſecundum Reginald. cap. 14. lib. 3. num. 64. quia contractum eſt cum conſenſu ſufficienti ad connubium validum, cum ea perſona.

QVÆSTIO IV.

Quomodo error conditionis matrimonium dirimat.

COnditionis nomine, non alia hic intelligenda eſt quam ſeruilis, nec quæcunque, ſed propria tantum, eſt autem triplex ſeruitus, propria, adſcriptitia, originaria, à qua diuerſitate, ſeruorũ quoque triplex differentia eſt, quidam enim vere ſunt tales, quo de genere ſunt ij omnes quos Domini diſtrahere poſſunt ac vẽdere; adſcriptitij addicti ſunt glebæ, & agrorum culturæ, redditurj domino omnes eorum fructus, demptis expenſis & neceſſario victu. Originarij dicuntur qui ex illis ſunt natide quibus eſt decretalis 2. de Iudæis.

Dico primò, *Per errorem antecedentem conditionis, quæ propriè ac vere ſeruilis eſt, matrimonium ſerui cum libera, nullum redd:* ita canon ſi quis ingenuus & liber 29. q. 2. & decretales, prima & ſecunda de coniugio ſeruorum. Cauſa eſt eadem, quæ aſſertionis primo poſitæ, quæ ſt. præcedenti, nec enim credibile eſt, quemquam ita animo, ac prudentia deſtitui, vt velit matrimonium ſui cum ſerua, cuius conditionem ignorabat, ratum eſſe, *addidi cuius conditionem ignorabat*, nam cognita, matrimonium non vitiat, cum ſcienti & volenti non fiat iniuria.

Secundo, qui matrimonium contrahunt æquale ſibi ius, mutuo in ſua ſibi corpora tradere debent ad finem generationis, alioqui par non eſſet vtriuſque conditio, & ita fieret alteri eorum iniuria, at ſeruus nec ſe ad indiuiduam vitæ ſocietatem poteſt aſtringere, cum à Domino vendi, & in externas regiones ablegari poſſit, nec plenam ſui corporis poteſtatem libero dare ad vſum matrimonij, cum quo tempore, liberis hic operam dare volet, ſeruus à Domino negotiis occupari ſuis: aut alienis poſſit, & ita à reddendo debito abſtrahi, vnde ſcribit Leo Papa Rottico Narbonenſi Epiſcopo, *Non omnis mulier, viro iuncta, vxor eſt: nuptiarum quippe fœdera, inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales:* ergo inter liberum & ancillam, ſeruum & liberam mulierem, ſecundum Leonem eſſe nuptiæ nequeũt, *& vbi aliter euenit licita ſunt diuortia*, Iuo Carnot. ad Ioan. Epiſcop. Aurelian. epiſt. 222. *& cum ſeparamus eos, qui non ſunt lege Eccleſiæ coniuncti, non dicimus eſſe coniugium, quod non continet Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum*, Iuo epiſt. 244. ad Audoenum Ebroicenſ. Epiſcop. vnde Iuſtinian. in Codice Nouellarum nouella 22. de nuptiis: *Si quis per errorem*, inquit, *ancillam mulierem, duxerit vxorem, liberam eam eſſe putans, vel è contrario, ſi libera mulier, ſeruo per errorem iuncta ſit, poſtea quàm veritas reperta fuerit, dicendum eſt omnino nuptias non conſtitiſſe.*

Dico ſecundò, *Ab errore ſeruitutis non veræ, ſed adſcriptitiæ, ac originariæ, matrimonium non dirimi:* quia qui ea premuntur, vere ſunt liberi, non ſerui, non mancipia, vt eſt in Codice de agricolis & cenſitis lib. 11. & cap. 2. de Iudæis expreſsè his verbis: *Hi qui in poſſeßionibus ſunt, licet legũ diſtrictione ſint liberi, tamen quia colendis terris eorũ, diutius adhæſerunt, conſuetas viris prædictis penſiones pendãtes &c.*

Dico tertiò, *Matrimonium liberi cum ſerua valere.*

Primo, ſi ille ea conditione paciſcatur cum iſta, vt inter eos, matrimonium valeat, hæc enim intentio non cadit ſub errorem, ſimiliter ſi dubitans de conditione eius, quam ſibi vult eſſe vxorem, nihilominus cum ea contrahat, habet enim hæc agendi ratio, voluntatem ſaltem hypotheticam contrahendi cum ea, etſi ſerua eſſet, alioqui cur eius rei ſe periculo exponeret? cur eam qualicunq; tandem è gente eſſet, qualicunque conditione inſtructa foret, coniugem ſibi eſſe vellet?

Secundo, valet inſuper liberi matrimonium cum ſerua, ſi illi, iſtius ſeruitus nota erat, quare ſi de diuortio inter vtrumque agatur, eius faciendi, *Licentiam non habebit*, inquit Iuo epiſt 244. ad Audoenum Ebroicenſ. Epiſcop. *ſi primi ſcientes conditionem ſuam, & conſentientes, matrimonium contraxerunt: quia coniugium conſenſus facit, non coitus, vbi ergo bona fide, coniugia contracta ſunt, ibi valet. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet: vbi vero humana deceptio fœdus nuptiarum vitiauerit, tales nuptias non facit Deus, ſed homo, earum autem ſeparationem facit Deus, non homo.*

Dico quartò, *Probabilius videri, matrimonium liberi, cum ſerua inire tantum Eccleſiæ, dirimi.* cauſa eſt, quod contractum à ſciente tale vitium, ſit validum, non eſt ergo à natura, quod ſeruitus, vim matrimonij diſſoluat.

Conſequentia probatur, contra ea quæ iuris ſunt naturalis & diuini, perſona priuata nihil poteſt, quantumuis ſuo iure decedat, nec eius eſt matrimonium ideo validum, quod ita videatur alterutri contrahentium, eſt tamen ius Eccleſiaſticum in naturali fundatum, cum æquitas non videatur pati

posse, seruum, à sua coniuge distrahi, quo ei tempore obsequi in re coniugali est necesse, quod tamen non est facile, eo per conditionem status sui herilibus obsequiis occupato. Quid? quod susceptam prolem educare serua mater nequeat, cum enim sit domini, eam alere hic poterit, quo volet, aut vendere, cum qua facultate educationem prolis stare posse quis putet? Et hæc mihi interdum videri causa solet, cur existimauerint è Theologis aliqui, hoc errore, cum est antecedens, matrimonium iure naturali ac diuino subrui.

Primo, quia non est canonica vlla lege impedimentum hoc in mores nostros inductum, sed ab Ecclesia approbatum.

Secundo, quod copula serui & ingenuæ non videatur continere Sacramentum Christi, & Ecclesiæ, *in qua non seruatur præceptum dilectionis: non enim verum est, inter eas personas veram esse dilectionem, quarum altera, alteram suo contubernio redigit in seruitutem: cum ergo principale præceptum sit Euangelicum, vt diligamus inuicem, constat à Deo non esse coniunctos, nec esse verum coniugium, quod contra Dei legem, constat esse præsumptum.* Iuo ep. 244. ad Audoen Ebroic. Episcop. hinc enim disputare sic libet, est coniugium ingenuæ cum seruo, contra Dei legem, secundum hunc authorem, ergo non iure duntaxat Ecclesiæ prohibitum est ac inane, sed Dei, sed naturæ.

Nihilominus retinenda est prior opinio, vt mitior ita conditioni miseræ mortalium gratior, fas enim sit mihi Iuonis vti verbis cum de hac re ad Ioann Aurelian. Episcop. epist. 222. scribit: *Si diuinum instituta & legem naturæ consulimus vbi neque seruus est, neque liber, non mihi potest facile persuaderi, vt propter conditionem quam natura non habuit, nec diuina lex à lege coniugali excepit, lex humana posterius lata cassare possit coniugij Sacramentum, quod veteri & Euangelica lege constat esse confirmatum.*

Obiicies, consensus liberi in seruum, est inuoluntarius: ergo insufficiens ad coniugium. Antecedens est falsum de inuoluntario absolute, verum autem, de inuoluntario secundum quid, cum enim is qui est seruus, præsentem, quæ conditione est libera, & contra liber seruam, simpliciter velit, ac mutuo, suorum sibi corporũ potestatem ambo tradant, eorũ cõsensus absolute & simpliciter voluntarij dici debent, quia tamen qui est liber is in eam personam præcise vt defectum seruitutis habet non consentit eius consensus secundum quid est inuoluntarius.

Quid si connubio ancillæ repugnet Dominus? quid si eam cum libero aut seruo contrahere prohibeat?

Faciet inique & inualide. Est enim à natura insitum cuique conseruandi sui desiderium, eam quoad speciem vt loquuntur, quam individuum: ergo vt impedire dominus non potest ne seruus alimentis ad conseruationem individui necessariis vtatur: ita nec vetare ne matrimonium contrahat, sine quo propagandi hominis spes esse reliqua quæ potest?

QVÆSTIO V.

An Matrimonium valeat viuente prima coniuge.

PRima Assertio, *Matrimonium quod priore coniuge adhuc superstite, cum alia contrahitur est inualidum*, etsi primum tantum sit ratum, secundum autem consummatum, habet fidem hæc assertio à testimonio Pontificum, Conciliorum & ratione. Pontifices qui eam defendunt sunt duo, Innocentius tertius in decretali tuas finali de sponsa duorum, & Alexander III. in cap licet 3. eiusd. tituli in quibus, vterque cum August. lib. de fide pactionis, asserit, non licere ei, qui fidem vxori, & consensum dederit, aliam ducere, & si duxerit, etsi carnalis copula sit secuta, separandum esse, *Eo quod nulli vnquam licuit in simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum*, cap. gaudemus de diuortiis, quod ipsum quoque Concilium Suessionense sub Pipino Rege habitum anno 744. præcepit, his verbis: *Statuimus vt marito viuente, suam mulierem alius non accipiat, nec mulier viuente suo marito alium accipiat, quia maritus non debet suam mulierem dimittere*, ad Concilium & Pontifices adiungenda est ratio, eaque duplex.

Prima, quod vna eademque res, dari duobus non possit in solidum, sed per primum matrimonium, vir dat se totum fœminæ, & hæc vice versa viro suo: ergo nihil illis superest quod sibi inuicem per secundum tribuant: ergo scienter contractum, erit inualidum, sic decernente Clemente III. in cap. cum ex litterarum, & in cap. cum haberet de eo qui duxit in matrimonium quam per adulterium polluerat, nec dispensare voluit cum eo, qui prima viuente, secundam duxerat, & ex ea decem liberos susceperat, decennio quo cum ea versata fuerat, *cum multiplicitas prolis ita susceptæ magis eorum crimen exaggeret, & diuturnitas temporis peccatum non minuat sed augmentet.* Idem ibidem.

Quid? quod canone gaudemus 8. de diuortiis præcipitur infidelibus, vt si ante baptismum plures habuerint vxores, cæteris dimissis, vnam, id est primam retineant, quod non dixisset Innocentius tertius, cuius est hæc decretalis, si matrimonia cum pluribus contracta, valida essent, nam quæ sunt rata & firma, hæc post baptismum remanent talia, vt patet ex cap. quanto 7. & cap. gaudemus de diuortiis, vbi permittitur fideli conuerso cohabitare *infideli, si velit, & infidelibus ad fidem conuersi, matrimonialiter copulari, & licite remanere coniunctim, cum per Sacramentum Baptismi, non soluantur matrimonia, sed crimina dimittantur.*

Secunda ratio, quæ contra leges sanctissimas Ecclesiæ, fœdera matrimonij fiunt, hæc sunt iure irrita, si ea Ecclesia irritet, *nullum enim pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter vos valere volumus subsequutum, qui contrahunt lege prohibente contrahere* (inquit lex non dubium cod. de legibus) sed Ecclesia secunda coniugia non vult valida esse, nisi contrahentibus opituletur certa notitia coniugis prioris demortui, vt est in decretali Clementis III quæ incipit, in præsentia de sponsalibus, an autem semper sit peccatum cum secunda priore viuente contrahere, ostensum eo.

QVÆSTIO VI.

An ſit peccatum contrahere cum ſecunda viuente primâ.

PRima Aſſertio, *Peccatum eſt contrahere cum ſecunda priore adhuc ſuperſtite niſi excuſet ignorantia, vel reſpectu infidelium conſuetudo contraria.*

Pars prima probatur, quod eſt certi hominis, alteri dari non poteſt efficaciter ſine culpa, ſed mulier corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir, quod tamen transfert in ſecundum maritum, priore adhuc viuo: ergo non ſine culpa.

Secundo, contra Eccleſiæ voluntatem mortale quidpiam admittere ſcienter ac ſponte, quod in detrimentũ tertij vergat aut animæ, peccatũ eſt mortale: At certæ ſunt leges, quæ ſecunda matrimonia, prohibent, niſi de morte prioris coniugis certũ ſciatur, ſic enim ſtatuit Clem. III. in decretali ſua in præſentia de ſponſalibus, ſic Alexand. in cap. licet 3. & finali de ſponſa, duorum, nec eſt vlli ambiguum, nocere ſibi, ac alteri, qui viuæ ſuæ coniugi, ſuperinducit nouam: peccant ergo qui matrimonij ſecunda fœdera iciunt, prioribus necdum diſſolutis morte ſui primi coniugis.

Pars ſecunda probatur cum ignorantia cognitionem remoueat, ſine qua actio non poteſt eſſe voluntaria, in caſu quo putatur maritus mortuus, iteratio matrimonij, quum accidit, ducendo ſecundam, priore adhuc incolumi, iteratio (inquam) matrimonij non eſt quoad formale vitij voluntaria: ergo nec vitioſa. An autem cum maritus non comparet, & putatur iuſta ex cauſa, & grauibus argumentis mortuus, poſſit vxor alteri nubere, dicetur poſtea, veſtigandum id nobis in præſentia.

Quæ ſint indicia moraliter certa, ac proinde ſufficientia ad ſecundas nuptias, & quanta requiratur certitudo de morte coniugis, vt ſuperſtes licite cogitare de ſecundis nuptiis valeat.

Credidere Iuriſperiti ad eam ſufficere abſentiam quadriẽnij, vt dicitur in Cod. de repudiis, leg. vxor. Sed cõtra: quia in dubio mortis, aut vitæ primi cõiugis, alium ſibi mulier aſciſcere non poteſt, cum in dubio melior ſit cõditio poſſidentis matrimonij, at ex abſentia deſignata quatuor annorũ, non reſultat certitudo, ſed dubium tantum de vita, vel obitu mariti: ergo ſi præter abſentiam eius, nihil facit pro coniuge, alium ducere non poterit.

Confirmatur cap. in præſentia 19. de ſponſalibus ſtatuit Clemens tertius ne mulieres quæ ſeptennio viros ſuos præſtolatæ erant, cum alio contrahant, ſine certa notitia mortis eorundem, habita per certum nuntium: ergo ſatis ad matrimonium non eſt opinione Pontificis, abfuiſſe à coniuge quadriennio, imo quanto maximo temporis ſpatio.

Licet, inquit Romanus Pontifex, *ſollicitudinem ſuper hoc adhibuerint diligentem, & proiuuenili ætate, ſeu fragilitate carnis, nequeant continere, petentes aliis matrimonio copulari Conſultationi ergo tuæ taliter reſpondemus, quod quantocunque annorum numero remaneant, viuentibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè conuolare, nec auctoritate Eccleſiæ permittas, contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

Ex quibus patet, quamuis è viuis maritus exceſſiſſet, nulla tamen ſecundarum nuptiarum fœdera extare, quando certa notitia prioris coniugis demortui iciuntur, ſi quidem Eccleſia non vult ſecunda coniugia rata eſſe, niſi certo conſtet de morte prioris coniugis, aut contrahentibus probabilis eius defuncti ignorantia opituletur Comitol. reſp. lib. 1. q. 129.

Quid ſi fama publica eum mortuum eſſe narret? eritne hæc fœminæ, ad quærendum ſibi virum cauſa idonea?

Affirmat Clarus lib. 5. ſentent. parag. fornicatio num. 31. verſu ſed pone Veracrux par. 1. ſpeculi art. 42. concluſ. 2. quid iudicij ſuper hoc quæſtionis genere habeam explicabunt concluſiones ſequentes.

Dico primò, *Famam de morte viri, non ſufficere, vt mulier ſine culpa alteri iungi queat*: ita Panormitanus in cap. in præſentia de ſponſalibus, vel vt ait Bartolus explanans legem de minori digeſt. de quæſtionibus numero 7. fama eſt *communis opinio voce manifeſtata ex ſuſpicione proueniens*, aut vt idem loquitur communis eorum opinio, qui ſcire debent, *& ad quos ſpectat hoc ſcire*, ergo cum ſuſpicio certam cognitionem non generet, nec conſtet, aut conſtare raro poſſit, ad eos, à quibus fama oritur, pertinuiſſe de morte viri cognoſcere, fama mortem probare non poteſt.

Confirmatur. fama ſecundum Bartol. in leg. Iudices Cod. de iudicibus debet oriri ex veriſſimilibus cauſis, inducentibus populum ad ſic opinandũ, alioqui eſſet vana vox populi: ergo cum populo raro eiuſmodi cauſæ ſuppetere poſſint, & licet ſuppetant, tamen non faciunt rem certam moraliter, ſed relinquunt dubiam, & proinde non ſine periculo: ne matrimonium ſecundum inualide contrahatur, & fornicarie conſummetur, vi talis famę, matrimonium iniri non poterit, cum pars tutior ſit tenenda, ne peccatum fiat.

Secunda Aſſertio, *Matrimonium nouum petere fœmina nequit, niſi ſit de morte prioris coniugis certa*, ſic ſtatuit Clemens tertius in cap. in præſentia 19. de ſponſalibus, vbi decernitur mulieres quæ per 7. annos maritos ſuos expectarant, occupatos extra prouinciam in rebus tam publicis quam priuatis, non poſſe ob ſolam maritorum abſentiam, quanticunque temporis, aut carnis fragilitatem, ad ſecundum migrare matrimonium; verba decretalis, quæ ſunt paulo ante allata ſic habent: *Conſultationi reſpondemus, quod quantocunque annorum numero remaneant, viuentibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonice conuolare, nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*, Eſt autem in decretali Lucij III. cui initium eſt Dominus & eſt ſecunda de ſecundis nuptiis, ſuper matrimoniis, quæ quidem, nondum habita abſentis coniugis certitudine ſunt contracta, *Id vobis reſpondemus, vt nullus amodo, ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod ab hac vita migrauerit coniux eius.*

Ratio Aſſertionis eſt quod mulier, cui de morte viri ſui non conſtat, ſociando ſe ſecundo viro per matrimonium, exponit ſe periculo fallendæ fidei promiſſæ, primo coniugi, quod eſt vitandum.

Quam ſententiam ſubſcribunt Pontius de matrimonio lib. 7. cap. 2, Villalobos in ſumma tomo 1. tract. 1. difficult. 25. num. 2. Sanchez lib. 2. diſp. 46. quæſt. 1. quia quandiu non habetur moralis certitudo, de morte mariti, ſed remanet dubium vtrum viuus ſit an mortuus, mulier exponit ſe periculo contrahendi ſecundum matrimonium

Digitized by Google

inualide, ac fornicandi.

Tertia Assertio, *Probabile tamen est quod si fama adiungantur indicia, seu coniecturæ verisimiles de morte viri, posse fœminam cum secundo, coniugij fœdus inire.*

Ratio est, quod quæ singula non probant seorsim, simul coniuncta fidem faciant.

Secundo, quod canon Clementis III. ab Innocentio III. qui eo, tempore posterior extitit, correctus fuit in cap. 5. paragr. si autem, de lite non contestata, in eo enim sic habetur. *Si autem de carnali coniugio sit agendum, tandiu alteruter coniugum expectetur, quamdiu de ipsius obitu, verisimiliter præsumatur.* Ex his enim verbis duci potest hoc argumentum. Quæ sunt tantum probabilia, hæc pro certis haberi non debent, sed præsumptio, verisimilis tantum est opinio, qua freta tamen fœmina, ad secundum connubium aspirare potest: ergo hæc illi sufficit, ne peccet nubendo secundo viro, in moralibus enim, in quibus certitudo omnis haberi nequit, ad culpæ fugam, operaque, rectè ac laudabiliter instituenda, sufficit homini probabilis opinio, quod in iis versari honestè possit, seu præsumptio quod sint licita, hæc enim cum est probabilis moralem dubitationem excludit, vt colligitur ex cap. quoniam de lite non contestata: in præsenti autem materia, quod prior maritus, sit mortuus: ita Laym. lib. 5. tract. 10. parte 2. cap. 3. nu. 1. Diana tract. 4. de Sacramentis resol. 214. Nauar. lib. 4. cons. 1. de secundis nuptiis, & in secundo volumine suorum consil. parte 4. consil. postremo, ait relinqui arbitrio iudicis an fama coniugis mortui, satis id probet sola, vel cum aliis coniecturis, etsi nulli sunt testes, deponentes de visu, vel scientia.

Pugnant contra Layman. Sanch. tom. 1. lib. 2. disp. 46. qq. 1. Villal. to. 1. tract. 1. difficult. 25. nu. 2. Basilius Pont. de matr. lib. 7. cap. 52. nam his omnibus, eorumque assertis visum est, certum nuncium, famamque de morte viri requiri, vt mulier sine culpa, alterum sibi copulet.

Quando autem sit verisimilis præsumptio, quando non: relinquendum est iudicio viri prudentis, vt iudicis Ecclesiastici, Episcopi, Confessarij. Argumenta autem quæ probabiliter indicant, virum absentem mortuum, sunt ista, primum quod multi in eo loco, vbi dicitur fato functus, testentur de eo famam esse publicam, eum desisse viuere, quod ex quo est ingressus in prælium, amplius non sit visus, quod infirmus, quod senex, iter longum ac difficile sit ingressus, quod oculatus testis vnus, eum concessisse naturæ asserat quod in amentiam actus, aliquoties sibi ipsi necem inferre tentauerit, quod è custodia elapsus, quo tandem euaserit ignoretur. Hæc enim indicia, etsi generandæ certitudini non sufficiant ingenerandæ tamen opinioni probabili de morte eius viri, qui cum his incommodis domo abfuit septem aut decem annis, sunt satis: Et in hoc casu opus non esse, vt ordinarij licentia petatur, sed Parochum absque ea, matrimonio assistere posse, quamuis sit tutius rem ad dictum Ordinarium deferre, cum dubitatur an certitudo, aut præsumptio de obitu coniugis sit sufficiens, dixit Laym. lib. 5. tract. 18. parte 2. cap. 3.

An autem, peræque ac fœminæ licet, secundo viro nubere, ita iudici quoque liceat, propter verisimilem præsumptionem, & probabilem credendi causam, eidem concedere, vt secundo potiatur connubio, iam est videndum.

Quarta Assertio, *Iudex facultatem fœminæ dare non potest, transeundi ad secundas nuptias, quando argumenta de eius morte non proferuntur alia, quam probabilia.* Probatur

Primò, ex decretali Clementis III. in præsentia 19. de sponsalibus, & Lucij III. cap. Dominus 2. de secundis nuptiis vbi sunt hæc verba: *Sane super matrimoniis, quæ quidam ex vobis cõtraxerunt, (nondum habita obeuntis coniugis certitudine) id vobis respondemus, vt nullo modo ad secundas nuptias conuolare possit, donec ei constet, quod ab hac vita migrauerit coniux eius.* Hinc enim sic argumentamur.

Vetantur fœminæ ascisere sibi secundum virum, cumque eo, fœdus inire connubij, nisi prioris exploratam mortem habeant, at quando nec de ea certum allatum est nuntium, nec eius indubitata vlla proferuntur indicia, certitudo de ea habetur nulla: ergo fœminæ concedere non potest iudex, vt se secundo viro iungat, per matrimonium, nisi indicia de morte prioris indubitata sint, ac certa.

Sanè tribunalium omnium morem hunc esse aiunt, vt qui his præsident secundarum nuptiarum licentiam non tribuant, leuibus inducti indiciis, quæ præsumptionem tantum faciant verisimilem, à qua praxi temere, & pro arbitrio recedere, cuique non est tutum, cum citati canones, Ordinario præcipiant, ne permittat mulieri copulari viro secundo, nisi de morte prioris certum sciatur, & ita sentiunt Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 46. q. 1. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 3. num. 2. Potest tamen ipsa vt est dictum antea ex præsumptione verisimili, seu opinione probabili, ac iusta credendi causa, quod maritus eius sit mortuus, alium sibi optare, oblatumque admittere, à quo auctoritate iudicis post celebratas nuptias, non erit à iudice in foro externo separanda, nisi vbi maritum priorem constiterit viuere, Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 214.

QVÆSTIO VII.

An mulier suo primo viro reddi debeat, si accidat eum domum reuerti post longam absentiam.

Dico primò, *Restituendam videri*, sic decernente Leone primo in epist. 77. cap. 1. vt refertur 34. q. 2. can. cum per bellicam.

Primo, ibi enim authoritate Christi fretus, qui coniugia perpetua esse voluit, nec separandos, quos Deus coniunxit, necesse ait esse, vt secundarum fœdera nuptiarum redintegrentur, & remotis malis, quæ hostilitas intulit: *Vnicuique hoc, quod legitimè habuit reformetur, omnique studio procurandum esse, vt recipiat vnusquisque quod proprium est*, vbi ponderanda hæc sunt verba, (*vnicuique quod legitime habuit reformetur*) ex iis enim peti debet assertionis causa, & veritas.

Res enim quæque suo vero domino est reddenda, cum cognoscitur, at mulier sua non est, sed prioris viri: ergo ei debet restitui, nec permitti, vt versetur cum secundo, ob scandalum, ac adulterij metum.

Quid si prior diem suum obeat? quid si naturæ concedat, etiãne potest mulier redire ad secundũ?

Dico secundò, *Si mulier erat dubia, ecquid adhuc inter viuos esset vir prior, quando cum secundo contraxit, aut posset ab illo se cognosci, postquam eum viuere, rumore nuntio intellexit, cum eo inire fœdus*

matrimoni jnon poteſt, quia adultera, legibus Eccleſiæ non meretur ad eius aſpirare matrimoniũ, cum quo, marito intulit iniuriam: at fœmina ex quo cum alio viro cubauit, adultera eſſe incipit, vt eſt in Cõcil. apud Vernas referturque à Gratiano 34. qu. 2. can. ſi virgo, petitum ex Auguſt. de fide & operib. cap. 7. ergo poſt primi viri mortem, inter eos non poteſt conſiſtere matrimonium, ſic decernente Clem. III. in cap. ex litterarum de eo qui duxit in matrimonium.

Dico tertiò, *Si bona fide mulier cum viro ſecundo fecerit connubium, poſſe eam poſt primi mortem, ei iungi*, Syl. in verbo matr. 8. q. 13.

Ratio eſt, quod leges Eccleſiæ inceſtis duntaxat & adulterinis connubiis reſiſtant, at ſi virgo neſciẽs, viro nupſerat alieno, hoc ſi ſemper neſciat nũquam ex hoc eſt adultera, vt dicitur in Concilio proxime citato, ergo bona fides & opinio veriſimilis, de prioris viri morte, dant ius fœminæ, vt ad ſecundas nuptias aſpirare valeat, quod Innocentius tertius approbat in cap. veniens 7. de eo qui duxit in matrimonium, his verbis: *Licet*, inquit, *viuente vxore legitima, prædictam M. ſibi copulare nequiuerit in vxorem, quia tamen vxore defuncta, vtpote à lege ipſius ſoluta, in eandem M. de nouo potuit matrimonialiter conſentire, dummodo non præſtiterit fidem adultera, vel machinatus fuerit in mortem vxoris.*

Ex quo patet quod ſi ambo pactum inter ſe, futuri matrimonij inijſſent cum adulterio, aut ſi gnari vitæ primi mariti, mutuam ſibi fidem connubij polliciti eſſent, hoc, eo è viuorum ſublato numero, ſtabile inter eos ſubſiſtere non poſſe, prohibente id Clemente III. in capite ex litterarum 4. & cap. cum haberet 5. tituli de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, ibi enim iubentur viri, authoritate iudicis ab iis ſegregari fœminis, cum quibus contra Dei legem ſuperſtite adhuc earum coniuge, fœdè quid ac turpiter egerant, *hoc enim connubium tam Gregor. Papa, quam Tiburi Synodus deteſtatur, & vtrumque hoc modo commiſtum, præcipit publica pœnitentia ſubiici, ac perpetuo ſine vlla ſpe coniugij permanere.*

QVÆSTIO VIII.

An mulier quæ de viri morte nihil certum habet, nec vt certior fiat, vllam dat operam, debitum ſecundo viro reddere & vicißim ab eo poſſit exigere.

DIco primò, *Non poſſe*, quia inter eum & ſecundum virum matrimonium iuſtum nullum eſt, ac verum: ergo reddere, aut petere debitum, ei omnimodo eſt illicitum.

Antecedens probatur, Eccleſia ſecunda coniugia non vult eſſe rata, niſi contrahentibus opitulentur, notitia certa mortis prioris viri, aut probabilis eius ignorantia, at neutrum cum negligentia inquirendi de ea ſtare poteſt, vt apparet: ergo &c.

Dico ſecundò, *Ea quæ nupſit, dubitando an prior maritus adhuc viueret, non poſſe cum eo dubio debitum exigere, poſſe tamen reddere*, habetur in cap. 2. de ſecundis nuptiis: *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris coniugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei quæ ſibi nupſit debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen non erit vllatenus exigendum, quod ſi poſt hoc de prioris coniugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem coniugem reuertatur*, hæc Lucius, ſimilia habet Innocentius tertius in cap. inquiſitioni 44. de ſententia excommunic. vtriuſque eſt hæc ratio, quod maior certitudo requiratur, vt alteri non liceat reddere quod ei eſt debitum, quam vt eidem non ſit permiſſum petere, quod eſt ſuum, nam in priori caſu fit iniuria alteri, non in poſteriori, quare, vt quis ſine peccato petat, id quod eſt ſuum ſatis eſt, eum non improbabiliter credere ſui id eſſe iuris, & non alieni, ſed vt peccet reddendo alteri quod tanquam ſuum exigit, neceſſe eſt vt non tantũ probabiliter exiſtimet, ſed etiam certo ſciat id non eſſe alterius, nam quãdiu conſtat non eſſe alterius, ei negari non debet.

Dico vltimò, *Qui ſciens vxorem ſuam viuere, alteram duxit, præter peccatum quod committit, incurrit pœnas, quæ ſequuntur.*

Prima eſt, quod quadraginta diebus cum ieiunare oporteat, in pane & aqua; extra de ſponſa duorum cap. 2. & præterea pœnitere 7. annis canõ ſic habet: Accepiſti illam in vxorem tibi, quam alter ſibi deſponſatam habuerat, dimitte illam, quia nunquam poteſt tibi fieri legitima, & 40. dies in pane & aqua (quod carinam vocant) cum 7. ſequentibus annis pœniteas.

Secũda, eſt irregularis quia, Bigamus eſt, extra de Bigamis cap. nuper. Tertia matrimoniũ quod cum ſecunda duxit eſt nullum, extra de eo qui duxit in matrim. cap. 1. Quarta eſt ipſo iure infamis, lege cum qui duas, codice ad legem Iulian. de adulter. & extra de Bigamis cap. nuper.

QVÆSTIO IX.

De impedimento impotentiæ, quidſit & quotuplex.

DE hoc impedimento agitur 23. qu. 1. & in decretalibus titulo de frigidis & maleficiatis, vbi frigiditatis nomine, intelligitur impotentia naturalis ad coeundum, maleficij autem accidentaria.

Eſt autem impotentia defectus facultatis aut virium ad actum matrimonialem, quæ duplex eſt, naturalis, & accidentalis, naturalis oritur ex defectu ætatis, aut ex naturæ vitio, per defectum quidem in puellis & frigidis, per exceſſum in nimis calidis. Accidentalis oritur ex morbo corporis, aut ingenij, vt ſi tantum ſit, & tam ácre odium viri, aduerſus fœminam, vt rem cum ea nullam habere poſſit, vel certe prouenit hæc impotentia, ab arte hominum, vt in Eunuchis, aut impietate dæmonis quali laborare dicuntur maleficiati can. liberæ 7. de frigidis & 33. q. 1. can. per ſortiarias.

Aſſertio prima, *Omnis impotentia ad copulam carnalem antecedens, cum eſt perpetua, ſiue naturalis ſit, ſiue accidentaria, iure tam naturali, quam Eccleſiaſtico matrimonium contrahendum impedit & dirimit contractum*: Eſt hæc aſſertio tam ex ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus, can. ſi per ſortiarias 4. cauſæ 32. q. 1. quam rationibus certa.

Prima eſt, eſt hic contractus nullus quo alter contrahentium ſe obligat ad id dandum quod in eius non eſt poteſtate, ſed impotens, impotentia quæ eſt antecedens & perpetua, nequit id exſoluere, ad quod tamen præſtandum ſe per matrimoniũ obligat, eſt ergo eius coniugium nullarum virium,

Secunda, eſt hic contractus iure naturæ irritus, qui directæ, abſolutæ, aut conditionatæ voluntati contrahentium repugnat, ſed matrimonium factum ab impotente, repugnat directæ, aut conditionatæ voluntati eius, qui ad illud habilis non eſt, quia finis contrahentium non eſt alius, quam copula & mutua ſolutio debiti coniugalis: ergo ſi ea exhiberi non poterit ab vno coniugum, repugnabit alterius voluntati.

Tertia, matrimonium conſiſtit eſſentialiter in traditione mutua corporum ad vſum matrimonij, quatenus ſunt hæc ad illum apta, ſed impotens impotentia perpetua, ita vſum ſui corporis, in alium transferre non poteſt, nec enim eius rei dominium dari poteſt, quæ non eſt in poteſtate dantis, ſed impotens non habet vſum liberum ſui corporis pro matrimonio: ergo eum alteri, nec concedere, nec ſpondere poteſt, quia de eſſentia contractus eſt, id ex quo ſequitur obligatio, vt dicitur leg. 19. Labeo ff. de verborum ſignificatione, ſed obligatio ſuſcipiendæ prolis in fœmina ſupponit in ea capacitatem naturæ, & corporis, quam tamen omnem tollit impotentia: ergo ab ea ratio contractus matrimonialis tollitur, quare ab impotente, cum eo qui eſt potens, aut impotentibus inter ſe quamlibet velint: coaleſcere coniugij ſocietas nulla poteſt.

Secunda Aſſertio, *Impotentia cum non eſt perpetua, matrimonij vinculum non rumpit*, nititur aſſertio primo decretali Innocentij III. cui initium eſt ab hac voce fraternitatis, de frigidis & maleficiatis in qua ſcribit, impotentiam, quæ humana arte tolli poteſt, non officere matrimonio. ergo vt ab impotentia, matrimonio fiat mora, debet hæc eſſe perpetua.

Nec id modo ſacri Pontifices aſſerunt, ſed & ratio, nam qui ad tempus eſt impotens, vt pueri, eo elapſo, abſolute eſt potens, ergo cum facultate habita contrahendi ob eam cauſam impotentia quæ eſt in pueribus, quandiu tales ſunt, matrimonium non irritat ex Panormitano in cap. puberes de deſponſatione impuberum, quemadmodum nec ſi impotentia matrimonio ſuperueniat, can. hi qui 32. qu 7. cauſa eſt, quod matrimonium ſit indiſſolubile; ergo inter eos ſemel initum, qui ſunt habiles dirimi per ſuperuenientem impotentiam non poteſt, alioqui eſſet ſeparabile, quod nemo admitteret.

Ad hoc ergo vt impotentia ſit talis quæ matrimonium verè dirimat, requiritur primo, vt ſit impotentia ad ſeminandum 27. q. 2. can. non eſt dubium decimo ſexto, can. cum ſocietas nuptialis 17. eadem quæſt. & cauſa cap. laudabilem 5. de frigidis.

Ratio eſt, quod conſummatio matrimonij fiat maxime mixtione ſeminum, per quam iuxta Panormit. in cap. quod ſedem de frigidis, vir & vxor fiunt vna caro. Deinde ad eſſentiam matrimonij, requiritur traditio poteſtatis in corpus ad copulam coniugalem, at non eſt copula, deficiente ſemine, cum hæc ordinetur ad actum coniugalem, qui perfectus non eſt, cum ſemen deficit.

Secundo, impotentia debet præcedere matrimonium, quia valide ſemel contractum, nunquam dirimitur can. hi qui 32. qu 7. can. ſi vxorem decimo quarto, cauſæ 32. qu. 5. can. præcepit, & can. hortendus eod. q. & cauſa niſi per profeſſionem, aut Pontificũ diſpenſationem, antequam conſummetur, quare ſi accidat aliquem impotentem fieri morbo, aut maleficio alieno, tenetur alter coniugum non impotens, ſeruare caſtitatem, niſi matrimonium tantum ratum eſſet, & non conſummatum, nam tunc ex probabili ſententia, diſpenſatio impetrari à Papa poterit, vt perſona habilis, & non impedita, tranſeat ad ſecundas nuptias.

Tertio, debet eſſe perpetua, ſecundum Innoc. in cap. fraternitatis de frigidis, nam temporalis matrimonium non diſſoluit, ex communi certaque Theologorum ſententia, in quartum ſententiarum.

Eſt autem impotentia, cenſenda perpetua Innocent ſenſu, ſi ſine miraculo tolli nequit, ſi ſine probabili vitæ periculo, ſi ſine peccato mortali, aut abſque maleficio: Innocent. in cap. fraternitatis citato, aut ſine magno incommodo vt ſi ſectione, dilatari vas debet, ſi ſimile aliquid moliendum, quod pudor, verecundiaque horrent, id iudicandum eſt eſſe moraliter impoſſibile, nec proinde tentandum.

Quid ſi tolli hæc à Mago poſſet? ſeque hic vltro, operamque ad id ſuam offerret abſque pretio & pacto?

Audiri non debet, nam cooperari culpæ alienæ culpa eſt, ad eam autem qui eſt impotens, operam ſuam accommodat, cum ſua cauſa Dæmonem inuocari patitur. Si tamen mali curatio, tantum conſiſteret in ablatione ſignorum, illo tum ad hanc rem vti, culpa non eſſet, nam hæc tam abillo, quam nobis remoueri poſſunt cum laude.

An vero ſi auferri impotentia poſſet, leui aliquo ac moderato alterutrius coniugis cruciatu ac dolore, hic impotenti tolerandus eſſet, dubitant authores.

Affirmant Villalobos in ſumma to. 1. tract. 14. diſt. 18. Sanchez lib. 7. diſp. 93. num. 32. habentque opinionis ſuæ hanc cauſam, quod viro quem natura gignendis liberis fecit idoneum, ius in coniugis ſuæ corpus competat, eiuſque vſum, proinde & ad copulam: ergo cum hæc haberi nequeat, quandiu eſt impotens, eximere ſe honeſte ac cum laude iis moleſtiis non poteſt, quas eam ſubire neceſſitas exigit, ne vir qui eſt ad matrimonium idoneus, eius ſine perpetuo careat. Quid? quod vxor videatur ad id obligata ex charitate, nempe ne maritum certo peccandi diſcrimini obiiciat? Quod quæ ſe mulier ad matrimonium, eius vſum, debitique ſolutionem obligat, etiam ſe ad ea, adſtrictam velit, quæ ſunt neceſſaria ad hunc finem?

Verum enim Baſilius Pontius de matr. l. 7. cap. 62. n. 2. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 201. mitius de fœmina, benigniuſque ſentiunt, hanc enim negant ad ea teneri remedia, quæ adhibere poteſt etiam ſine dolore acri ac magno, proindeque cum viro ad actum coniugalem non eſt apta, ab onere matrimonij manere liberam, alterique poſſe nubere, quæ ſententia videtur eſſe propter authores ſuos probabilis, eo quod per contractum matrimonij, non tradidit mulier ius in corpus niſi viro apto, in non idoneum nullum tranſtulit, & ita facilis eſt reſponſio ad argumenta allata pro ſententia oppoſita.

Quarta Aſſertio, *Cognoſci inſuper poteſt, impotentiam eſſe perpetuam*, confeſſione coniugum, quibus id conſtat, vt ſi fœmina certo ſciat ſe eſſe virginem, ſi corpori nullam illatam eſſe maculam, ſi ſigillum vteri (vt loquuntur) eſſe integrum, non ſufficit tamen hæc ſola confeſſio: deſtituta enim ſignis, ac coniecturis ad huius rei fidem neceſſariis, nihil certo ac euidenter conficit, dubitare enim tam coniuges poſſunt, quam alij, an ea impotentia ſit perpetua, an accidentalis tantum, Filliuc. tract. 10. p. 2.

cap. 4. qu. 9. nu. 107. quare conſulendi ſunt Medici, adhibendæ obſtetrices: & quidem de viri impotentia illi æſtimabunt ſi virili membro careat, ſi eſt debile, ſi aridum, ſi propter nimias vaſorum muliebrium anguſtias fœminam cognoſcere nequit, erit hæc, cenſenda impotens.

Eſt etiam ſignum impotentiæ perpetuæ, triennio toto, quod ab Eccleſia ad experiendum conceditur conſummare non potuiſſe matrimonium, de quo eſt coniugibus ipſis, habenda fides, & tunc diuortij ſententia ab Eccleſiaſtico iudice pronunciabitur, ex ſanctione Celeſtini III. laudabilem de frigid. & maleficiatis.

Quid ſi eſt probabile, impedimentum procedere ab infirmitate virium, aut tenera ætate coniugum?

Non erit permittendum iis matrimonium, ne forte in eius vſu peccent, quod ſi illud conſummare poſt pubertatis annos nequiuerint, initium triennalis experientiæ ſumendum erit à perfecta pubertate, quæ viro contingit anno 18. fœminæ 14. qua peracta, ſi impedimentum non ceſſat, diuortij ſententia ab Epiſcopo, aut eius in cauſis Eccleſiaſticis Vicario pronunciabitur, vt eſt dictum antea.

De triennali autem cohabitatione, quod dicitur, id intelligi tantum debet in dubio capacitatis vtriuſque coniugis ad actum, nam ſi manifeſta eſt impotentia, qualis eſſe deprehenditur cum aliquid eorum interuenit, quæ ſunt à nobis notata ſupra: peccatum eſt permittere copulam, vt pote quæ naturæ matrimonij ſit contraria, eſt enim inſtitutum à Deo, & natura, ad generationem, quæ eſſe nequit per hanc copulam, vt ſupponimus ſeminatione vacuam.

Deinde vir & fœmina non ſunt vna caro niſi permixtione ſeminum 33. qu. 1. can. requiſiuiſti, ſecundo, & extra de frigidis cap. 5. quod in hac coniunctione impotentium non accidit.

Secundo, triennium experientiæ tantum conceditur in caſu dubij, aut obſcuritatis rei, at ex hypotheſi, res eſt probabiliter clara & certa; ſufficit ergo tum, iuramentum partium aſſerentium ſe coire non potuiſſe, & propinquorum affirmantium, credere ſe vera eos loqui, ita Greg. in epiſt. ad Rauennat Epiſcop. relatus cauſa 33. qu. 1. can. 2. his verbis: *Quod ſi mulier cauſatur, & dicit, volo eſſe mater, & filios procreare, viroque eorum ſeptima manu propinquorum, tactis ſacroſanctis reliquiis, iureiurando dicat, vt nunquam per commixtionem carnis, vna caro effecti fuiſſent, videtur mulierem ſecundas nuptias contrahere poſſe.*

Dixi vbi ſigna ſunt prope certa impotentiæ, nam qui ex coniuge defuncta liberos ſuſcepit, poteſt & ſperare à ſecunda, & ita fas eſt ei ob eam cauſam dare matrimonio operam, etſi id ſæpius irrito conatu tentauerit, quia vſus coniugis eo refertur, quod non eſt illicitum ex Caietan. 22. qu. 154. art. 1. ſi tamen ex arctitudine fœminæ naſceretur vitium impotentiæ, ei abſtinendum eſſet ab vſu matrimonij, quod in tali caſu ſit certum, finem eos ſuum aſſequi non poſſe.

Ex dictis ſequitur primo, impotentiam perpetuam hominis ex frigiditate, naſci ſi vim non habeat emittendi ſeminis, ex calore autem, cum ex nimio ardore, nequit expectare fœminæ congreſſum.

Sequitur 2. impotentiam fœminæ perpetuam, ex eius arctitudine nimia oriri, ratione cuius, virum non patitur, nec proinde ſemen intra vas recipit, ſic enim confirmari matrimonium nequit.

A Infertur 3. quod cum impotentia eſt reſpectiua; nempe comparatione eius qui eſt capax & ratione cuius dicitur alter impotens, poſſe virum qui ideo eſt impotens, quod cum virgine congredi nequeat, corruptam ducere, & ita de fœmina ratiocinandum eſt reſpectu viri. Circa dicta.

Quæritur 1. *Vnde naſcatur impotentia in fœmina.*

Naturalis ab arctatione ſola, ratione cuius viri non eſt patiens, nec ad reddendum ei debitum idonea, quod accidit cum viri actionem pati nequit in naturali membro, quare in quacunque complexione corporis, modo viri ingreſſum ad clauſtrum pudoris patiatur, matrimonium inire poterit, nec ſi libidinis ardorem facile concipit, aut eſt
B ad eam frigidioris naturæ, ideo cenſeri debet impotens, modo non ſit ad copulam ob arctationem corporis inepta.

Quæritur 2. *An impotentia cenſenda ſit perpetua, ſi per miraculum eſt ſublata.*

Omnino, quod enim nullo medicamine, aut humano remedio, ac ordinario tolli poteſt, eius curatio moraliter loquendo, habetur impoſſibilis, ergo perpetua, Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 11. num. 1. proindeque matrimonium potentis cum impotenti, quod fuit initio irritum, non conualeſcet, niſi per nouos conſenſus, quæ autem impotentia per exorciſmos Eccleſiæ ſanatur, etſi id fiat non naturaliter, eius tamen curatio miraculoſa
C non creditur, eo quod prouenit veluti ordinarie.

Quæritur 3. *An matrimonium eius, qua veneficiis reddita eſt impotens, pro rato haberi debeat, ſi per exorciſmos Eccleſiæ, apta viro reddi poteſt?*

Omnino, quia impotentia, quæ tempore definitur, impedimentum matrimonio non affert, nec eius rumpit vinculum, at cum curatur, finemque exorciſmis Eccleſiæ accipit, eſt talis.

At eſt (inquies) valetudo, quæ exorciſmis redditur, ſaluſque reparata corporis, eorum ope, effectus naturam ſuperans, ergo cum impotentia, cenſeatur perpetua, quæ humano modo, aut arte non
D eſt curabilis, præſens de earum eſt habenda genere.

Neganda eſt conſequentia, quia vt impotentia locum inter perpetuas habeat, neceſſe eſt, vt ordinario modo non ſit ſanabilis, quod in præſenti non accidit, cum valetudo, quæ per exorciſmos procuratur, communiter & ordinariè abijs, & per eos homini accidat.

Quæritur 4. *An Spadones & Eunuchi matrimonij ſint capaces.*

Affirmat Gloſſa prima can. 2. cauſæ 32 qu. 7. quia cum coire & membrum erigere valeant, mulieri ſatisfacere, (inquit), eiuſque libidinem implere poſſunt.

Aduerſaria ſententia quam tuentur Paludan. in
E 4. diſt. 34. Diu. Antonin. 3. par. tit. 111. Fernandez par. 3, cap. 16. parag. Sanchez lib. 7. diſp. 92. Gutier. l. 1. q. can. ca. 16. habet fidē à motu Sixti V. qui vti Pontificē decebat, Gloſſam & alios in quo qui eiuſdem cum ea opinionis erant, erroris arguēs, negat Eunuchorum matrimonia eſſe, aut fuiſſe vnquam rata ac valida, quod ſi ſint aliquando permiſſa, aut ab Eccleſia tolerata, factum eſſe ideo, quod de veritate nondum conſtaret. Eodem accedunt, Sylu. in ſumma verbo matrimonij impedimenta num. 16. Canoniſtæ in cap. quod ſedem de frigidis Soacius de ſponſalibus parte 2.

Secundo, facit pro hac ſententia aperta ratio.

Habet contractus matrimonij, quod obligationem inferat in coniugibus, dandi sua sibi inuicem corpora ad perfectam copulam idonea. At Eunuchorum non est eiusmodi, cum talia sint tantum per emissionem seminis intra vas muliebre, ratione cuius vir & fœmina, vnum sunt corpus, vna caro.

Quæritur 5. *An impotentia seminandi in fœmina matrimonium impediat.*

Nequaquam, quia ex communi Medicorum doctrina, semen viri ad generationem sufficit, muliebre cum non sit necessarium, etsi eius emittendi, fœmina non sit capax, constare inter eam, & virum, poterit connubium, ei enim, siue sperma resoluat, siue non, satisfacere potest, modo se illi substernere, ac virile membrum intra claustra pudoris per naturam recipere liceat, habeatque omnia, quæ ad connubium eiusque firmitatem iura canonica exigunt.

Quæritur 6. *An inter coniuges, quos constat impotentes esse, intercedere possint tactus & oscula.*

Dico primò, *Nisi horum permissum esse coniugibus, si impotentia, eorum matrimonium antecessit*, quia tactus & oscula, non sunt concessa aliis, quam veris coniugibus, at cum impotentia præcedit matrimonium, eius vinculum impedit ac effectum. Res est certa tam ex priscis Ecclesiæ Romanæ constitutionibus quam ex communi veroque Theologorum consensu in 4. dist. 34. his enim placet, coniuges illico

Thero separandos esse, ac Medicorum, aut obstetricum iudicio, constat cum alterutrius, aut vtriusque impotentia, matrimonij societatem inter eos coalitam.

Thero dixi nam si eadem domo vti velint, ac mensa, pari charitatis & amicitiæ colligati nexu, quo inter se fratres solent, sibique ab impuritate corporis & animi temperare, ac iis carere rebus, quæ ad eam iter muniunt, vt sunt tactus & oscula, Cœlestini III. beneficio, iudicioque, in decretali laudabilē 5. id eis est omni iure licitum. Dixit eandem sententiam Gregor. vt est in causa 33. qu. prima can. requisisti 2. his verbis: *Ipse si non potest eam vti pro vxore: habeat eam quasi sororem.*

Dico secundò, *Ab impotentia, quæ est matrimonio posterior, tactus & oscula, extensus inter coniuges à culpa.*

Ratio est, quod ea, connubij vinculum non abrumpat, quod vbi semel coaluit, beneque ac firmiter est connexum, non nisi alterutrius morte dissoluitur, at sunt oscula, tactusque inter coniuges licita: ergo & cum impotentia, quæ contractas nuptias est sequuta: ita Laym. tract. 10. par. 4. c. 11. n. 4.

Addunt aliqui etiam tum, illis veneri operam dare permissum esse, ac quandiu spes est aliqua, consummandæ copulæ, ad eam conniti posse totis viribus, etsi præter intentionem, eos pollui accidat. Huius sunt sententiæ, Caiet. 22. qu. 154. ar. 10. Nauar. cap. 22. numer. 60. Secus opinandum est quando claustra pudoris, eorum alter penetrare, in eaque semen emittere nequit, nam ne tunc pollutione carnem commaculent: amplexus mutuos vitare debent.

Quæritur 7. *quidnam sit facto cum vnus coniugum impotentiam neget quam fatetur alter.*

Respondendum ab inuicem seiungendos non esse, nisi is qui stat contra matrimonium, probet impedimentum, per iustum iudicium, cuiusmodi est futurum opinione Abb. in cap. laudabilem de frigidis & Soacij de sponsal. parte. 2. si mulier facta triennali experientia, probet se virginem, aut vir frigidum.

Verum si soluto matrimonio per Ecclesiam, is qui credebatur copulæ impotens, eam habuisse conuincatur, cum dimissa à se fœmina, aut alia, eo ipso tempore, quo prior illa; de Ecclesiæ licentia alteri viro nupsit quid vtrique suadendum? quid iubendum.

Assertio prima, *Ecclesia de perpetuitate impedimenti matrimonij iudicans falli potest*, patet à decretali Innoc. fraternitatis, tuæ de frigidis, vbi fatetur sententiam diuortij inter duos qui putabantur impotentes ad copulam, per errorem fuisse prolatam, *& de talibus*, hoc est impotentibus, *non est facile iudicare, cum finale iudicium pendeat ex futuro.*

Assertio secunda, *Quando est erratum à iudice Ecclesiastico, in proferenda sententia diuortii*, quia coniuges erant reuera potentes, ideoque matrimonium existebat validum, Ecclesia diremptum matrimonium redintegrat, & dissoluit secundum, docentur hæc ab Innoc. III. in cap. fraternitatis, vbi matrimonium secundum, contractum à fœmina, quæ dicebatur ad amplexus prioris viri sui impotens, cum tamen non esset, nullum pronunciat, eamque proinde à secundo viro distrahendam, ac primo restituēdam, cum enim impedimētum illud non fuerit perpetuum, matrimonium prius tatum fuit, ac legitimum: ergo non soluendum, solueretur autem, si fœminæ fas esset viuente primo coniuge, alteri matrimonialiter nubere: ergo &c.

Quæritur 8. *An constitutus in mortis articulo possit contrahere.*

Causa dubitandi est, quod ad copulam non videatur idoneus, eò quod fœminæ corpus quidem tribuat, sed ad vsum, cuius causa est institutum matrimonium, inhabile.

Nihilominus affirmatiua mihi opinio videtur vera, quæ enim duæ res ad actus alicuius firmitatem exiguntur, hæ in homine ad extrema redacto, reperiuntur ambæ, voluntas & potestas, vult enim, vt supponimus certam fœminam, esse sibi coniugem, quam & ab iis, quorum interest dare, & consensum præbere, dari sibi postulat, potestque vicissim ipse, se ipsum illi ad opera connubilia tradere: ergo cum in omni traditione reciproca corporum, eaque voluntaria, ratio sit, & essentia matrimonij, quilibet agens animam, modo sui compos, connubium inire poterit.

Obiicies, matrimonium non constat, nisi inter aptos, idoneosque ad copulam, at in agone positus, potentiâ exercendi actus coniugalis est priuatus. Minor est falsa, hanc enim habet, vt antea, etsi impeditam, ob vim morbi, per accidens autem est, quod ob propinquitatem mortis, morbique vehementiam, deduci in actum nequeat.

Quid si ipsa generandi potentia secundum se, sic sit destructa, vt humana arte nulla sit reparabilis?

In eo casu matrimonium contrahi ab ægro non potest, quia tum est extra potestatem eius ex hypothesi, dare corpus ad copulam habile, parum autem aut nihil admodum interest, qua ex causa impotentia non sit curabilis & an natura, aut causa aliqua extrinseca, vitium id homini attulerit.

Quid si ea de re certum nihil sciatur, quid si ægri, quid si senis potentia, ad actum coniugalem sit dubia?

Respondendum, standum esse in dubio pro ægro, inclinandum ad partes senis, quia pro vtroque

que facit poſſeſſio, quam ambo putandi non ſunt A amiſiſe, niſi in contrarium argumenta ſuppetant, eaque firma, iuxta commune axioma iuris, in dubio conditionem poſſidentis, præſtare non poſſidenti.

Quæritur, *Quomodo diſſoluendum ſit matrimonium, quando impotentia eſt maleficialis.*

Nonniſi à triennali cohabitatione inter coniuges habita, & iuramento præſtito ab vtroque coniuge, cum ſeptima manu propinquorum, aut vicinorum, ſi propinqui deſunt can. requiſiſti cauſa 33. qu. 1. & cap. finali de frigidis & maleficiatis. Accidit autem hæc maleficialis impotentia, Magi ope, ac miniſterio, qui per ſpiritus malos vim effectricem genituræ præpedit, cum Deus patitur. Etenim duabus admodum rebus ad venerem B idonei ſunt coniuges, calore & ſpiritu, at vtrique poteſt à dæmone vis fieri, calori quidem, cum refrigerando, ſpiritui autem præcludendo ei tranſitum: ergo & venus impediri.

Secundo, cum dolore, timore & mœſtitia, non modo deprimantur motus animi, ſed ardor etiam corporis & membrorum deferueſcat, iiſdem affectibus impediri rei venereæ facultatem eſt neceſſe, at eos affectus Dæmon imprimere poteſt homini, eamque partem animi quæ eſt phantaſmatum capax, ita perturbare, vt officium non valeat facere commode, ergo vim generandi impedire.

Quod cum his quoque modis facere ſolitum, ſcripſere Fernelius de abditis rerum cauſis lib. 2. c. 16. Palu d. in 4. diſt. 34.

C Primo, *Locis ſeiernendo coniuges aut ſe interponendo, ne eorum corpora agglutinentur.*

Secundo, *Refrigerando appetitum coniunctionis.*

Tertio, *Mouendo phantaſiam, ac menti obiiciendo ſpeciem faminæ deformis, vt eam inuiſam reddat.*

Quarto, *Retinendo membra genitalia.*

Quinto, *Occludendo ſpiritus qui coniunctionis appetitum inuehunt*: ita Soac. de ſponſalibus parte 2. fol. 34.

Quæritur 9. *Quid his conſulere oporteat qui maleficiis impediti esse nequeunt.*

Hortandi ſunt, (inquit Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus) relatus à Gratiano 33. qu. can. 4. D *Vt corde contrito, & ſpiritu humiliato, Deo & Sacerdoti, de omnibus peccatis ſuis duram confeſſionem faciant, & profuſis lacrymis, & largioribus eleemoſynis, atque ieiuniis, Domino ſatisfaciant, & per exorciſmos, & per Eccleſiaſticam medicinam, miniſtri Eccleſiæ tales ſanare procurent.*

Quæritur 10. *An inter impotentes, matrimonium eſſe poſſit, quando ſua illis eſt impotentia cognita.*

Eſſe poſſe, iuriſperiti quidam cum Soacio aſſerunt, nam ſi copulati connubio, legem continentiæ ſibi dicere de conſenſu mutuo poſſunt, can. quod Deo 33. q. 5. quid eſt rationis, quamobrem iure cedere ſuo coniuges nequeat, viro qui eſt ſobolis generandæ potens, fœminam quæ pati virum E neſcit, habente ſororis loco? Hæc ille.

Sententia omnium veriſſima eſt non poſſe, quia eſſentiæ matrimonij, aduerſatur impotentia: ergo ab ea dirimitur, etiam cognita à contrahentibus, quia cohabitare tanquam coniuges non poterunt, ſed ſicut frater & ſoror, id eſt honeſte & ſancte: extra de frigidis cap. 4 & 33. qu. 1. can. requiſiſti 2. Poſſe dixi, eſt enim, id conſilij non præcepti, quam enim id eſſet parum Eccleſiæ humanitati conſonum, ſi qui legibus eſt ſolutus coniugij, hunc illis repugnantem ac inuitum ſubmitteret.

Quæritur 11. *An impotentia ex ſenectute proueniens, matrimonium diſſoluat?*

Exiſtimat Filliucius tract. 10. de Sacramento matrimonij cap 3. qu. 5. nu. 75. nullam ſenum impotentiam impedire, ne ſint ad matrimonium habiles.

Alij de impotentia, cum diſtinctione loquuntur, nam hæc, aut eſt ad copulam, & ſeminationem abſolute, vel tantum ad generationem; ſi primum, matrimonium omnino impedit, quia per eam tollitur eius finis ac eſſentia, finis quidem qui eſt prolis ſuſceptio, eſſentia autem, quia connubio eſſentialis eſt traditio poteſtatis ad copulam, quæ cum via ſit ad actum coniugalem, ſtare hæc nequit cum ſeminandi impotentia, ſi ſecundum, id eſt deſtitutio facultatis ad generandum talis debilitas, & virium priuatio matrimonio ſenum non obſtat.

Primo, quia matrimonium dicitur eſſe legis obſequium, & humanitatis ſolatium.

Secundo, quia non raro cum defectu generandi, eſſe poteſt coniugalis actus, ac ſeminis emiſſio, etſi non prolifici.

Tertio, quia vt ſcribit Marcinus in commentariis ſuis titul. 12. inſtitutionum iuris canonici, ſenex quandoque habet habitum, reducibilem ad exercitium.

Quæritur 12. *An à ſterilitate, impedimentum ſit ineundo matrimonio?*

C Reſpondeo non eſſe, primo, quia ob eam non diſſoluitur ab Eccleſia, vt patet in ſenibus.

Secundo, quia etſi ſterilitas finem matrimonii primarium impediat, qui eſt generatio, non tamen ſecundarium, qui eſt ſedatio concupiſcentiæ, ac libidinis mitigatio, copulæ beneficio.

Tertio, quia impotentia ad generationis effectum, non eſt impedimentum matrimonij, modo adſit potentia ad copulam, argumento eſt, quod ſenes contrahere poſſint, etſi generare nequeant. iuxta gloſſam in cap. quod ſedem de frigidis & maleficiatis.

Quæritur 13. *Quid intelligatur nomine ſeptimæ manus, de qua in hac quæſtione facta eſt mentio.*

D Reſpondeo, eo nomine intelligi ſeptem propinquos conſanguineos, quales ſi non ſuppetent, ſumendi erunt vicini, qui ſint bonæ famæ, ſi tot haberi non poſſint, ſufficiet adhibere pauciores, arbitrio iudicis, ante quos iurabunt coniuges, tactis Euangeliis, aut imagine Crucifixi vel Reliquiis, vt dicitur trigeſima tertia quæſt. 1. can. requiſiſti 2. bona fide triennio toto operam dediſſe carnali copulæ, ſed eam non potuiſſe perficere.

DE IMPEDIMENTIS quæ jure Eccleſiaſtico matrimonium dirimunt.

QVÆSTIO I.

An & qui ordines matrimonium dirimant, contractum, & contrahendum impediant.

IMPEDIMENTA jure Eccleſiæ matrimonium dirimentia nouem ſunt numero, his verſibus inclusa.

Ordo ſacer, votum, nec non ſponſalia firma
Atque duplex crimen, quadruplex cognatio, raptus
Si baptiſma deeſt, ætas, teſtes, parochuſque.

DE quibus ſuis ac propriis quæſtionibus eſt agendum ac primo de Ordine.

Aſſertio prima, *Iure Eccleſiæ, per ordinem ſacrum Subdiaconatus, Diaconatus, & Preſbyteratus diriminitur matrimonium contractum, & impeditur contrahendum.* Eſt de fide in Trident. ſeſſ. 24. can. 9. habeturque diſt. 27. can. Preſbyteris 9 can Preſbyteri 8. qui Clerici vouentes cap. 1. de voto cap. vnico, de Clerico coniugato cap. 1. & titulo de Clericis cap. 1. Cum enim Preſbyterorum functiones, ac eorum qui ſacris ſunt ordinibus initiati, religioſæ ſint & ſacræ, eos quoque religioſe & caſte viuere eſt æquum, vt ſit inter illos, ſuaque miniſteria ſimilitudo aliqua, at nulla eſt, ſi ſacrati Deo homines per ordinem, mariti eſſe poſſunt, cum qui obligatus eſt vxori, Paulo teſte, cogitet quæ ſunt vxoris, ſitque ita à Deo diuiſus: ſane conſtat nunquam licuiſſe ordinatis etiam in Eccleſia Græca, tranſire ad ſecundas nuptias, & ſi facere attentarent eorum matrimonium fuiſſe nullum: vt ex can. ſi quis eorum, diſt 32. & 6. probat Azor. tom. 2. inſtit. lib. 13. q. 3. & 5.

Græcis tamen licuit, licetque modo, poſt matrimonium primo initum cum virgine, ſacris ordinibus initiari, ea tamen vti, ab his ſuſceptis, omnino fuiſſe illis inhibitum, habent ſanctiones Eccleſiaſticæ can. eos qui 6. can. ſi laicus 7. can. lex continentiæ 10. diſt. 30. & can. præter 6. & can. multorum 2. diſt. 32.

Nobis id eſt Latinis Preſbyteris, licuiſſe nunquam matrimonio, & Chriſto, operam dare, mulieri & altari inſeruire, loquuntur hiſtoriæ: vniuerſis autem caſtitatem vt ſeruent, in mandatis datum eſſe indicat Canon. 2. Conci. Carthag. 3. his verbis, *placuit & condecet ſacroſanctos antiſtites, & Dei ſacerdotes, nec non Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulatur impetrare, vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus: Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, omnibus placet, vt Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus abſtineant.*

A Quod autem non ſit hæc inhibitio, effectus alterius legis, quam Eccleſiaſticæ, colligitur ex verbis Calixti diſt. 27. can. Preſbyteris 8. vbi ſic loquitur *Preſbyteris, Diaconis Subdiaconis, matrimonia contrahere penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab huiuſmodi perſonis diſiungi, & perſonas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta ſacrorum Canonum definitiones iudicamus.*

Secundo, Græcis licitus eſt ac permiſſus vſus matrimonij ſui, ante ſacros ordines initi, cap. cum olim de Clericis coniugatis, quod & Subdiaconis Siciliæ conceſſit Greg. 1. lib. 1. Epiſt. 42. at huius rei cauſa non eſt alia, quam quia caſtitas, eiuſque ſeruandæ neceſſitas, adiuncta eſt ordini per Canones in quibus Papa, & Eccleſia, diſpenſare poſſunt ex cauſa.

B Deinde ſi iure naturæ eſſet matrimonium irritũ, quod ineunt ſacerdos & Diaconus, eius rei cauſa repetenda eſſet haud dubie ab ordine, aut voto continentiæ ei adiuncto, at ex neutro oritur. Non primum, quia vxorati in Eccleſia Græca, poſſunt eſſe Preſbyteri, olimque contraxiſſe Subdiaconos fidem facit canon ante Triennium 1. diſt. 31. vbi à Grego 1. prohibetur Epiſcopis, ne quem in Subdiaconum ordinent, qui ante non promiſerit ſe caſte victurum, & Epiſcopos diſpenſare poſſe, vt Diaconi poſt ordinationem vxorem habeant ſignificatur in can. 8. diſt. 28. *Diacons ſi in ordinatione proteſtati ſunt dicentes, velle ſe habere vxores, nec poſſe continere,* Hi ſi poſtea ad nuptias venerunt, C *maneant in miniſterio, propterea quod Epiſcopus eis licentiam dederit.* Nec ex voto, nam ſimplici non irritatur matrimonium, ergo nec ſolenni, ſi ius naturæ ſpectes, cum huius ac illius, vis ſit eadem ac natura.

Tres autem ſunt conditiones, ad hoc neceſſariæ, vt quis cenſeatur obligatus ratione ordinis ad continentiam.

Prima eſt, vſus rationis in ordinato, quo ſi carebit, cum initiabitur, à continentiæ lege futurus eſt liber: quia nemo poteſt lege caſtitatis aſtringi per votum, niſi ſui compos, cum votum liberum eſſe debeat, ac deliberatum, quæ duo afferre impos ſui nequit, cum agit.

D Secundo, nemo ſine proprio ſuo conſenſu, aut culpa, poteſt priuari iure contrahendi matrimonij, cum hoc omnibus à natura ſit permiſſum, at conſenſus proprius in eum non cadit, qui non eſt ob defectum rationis plene ſui iuris, ergo &c.

Secunda, conditio neceſſaria, vt quis obligetur ad continentiam ratione Ordinis, eſt vt initiandus intentionem ſtatus Eccleſiaſtici habeat, ſine qua, quiſquis Epiſcopo initiandum ſe offert, ab omni eſt ſacrorum ordinum obligatione liber, *quia durum atque incompotens videtur* inquit, Greg. Epiſt. 42. lib. 1. *vt qui vſum eiuſdem continentiæ non inuenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur à ſua vxore ſeparari:* quare exigit, Ancyrana E Synodus can. 10. vt ordinandi profiteantur continentiam, vt ad eam obligentur.

Secundo probatur, votum non obligat ſine ſpeciali intentione vouentis, eſt enim lex priuata, quæ vim ſuam à voluntate legiſlatoris trahit, à qua pendet, ſit argumento quod qui intentionem ſuſcipiendi ordinis non habet, non ordinatur, etſi exterius ceremoniam ordinis accipiat ergo ad eum onera non pertinent, quæ ordines comitantur, laudabile tamen eſt in praxi, diſpenſationem petere.

Tertia, conditio vt quis obligetur ad continentiam vi ordinis eſt libertas plena, & deliberata,

reſpectu eorum quos Clericus ſuſcipit, hoc eſt vt ſponte illis inſigniri velit Rebel. lib. 3. de impedimentis matrimonii q. 12. Sanchez lib. 7. diſp. 30. & 29. Reginal. lib. 31. cap. 17. num. 121. nam caſtitas, adiuncta non eſt ſacris ordinibus, niſi vi voti illis adiuncti, ex intentione Eccleſiæ, at votum non libere emiſſum eſt irritum, ex cap. 1. & cap. dilectus de his quæ vi metuſque, ergo qui non libere, ordine ſacro initiatur, in foro animæ, eſt ad continentiam Clericorum propriam adigendus Sylu. verbo Ordo 4. Non tenebitur ergo lege caſtitatis Eccleſiaſticæ, qui propter metum cadentem in conſtantem virum, ad ſacros ordines acceſſit.

Non teneri, matrimoniumque ſi contrahatur, ratum eſſe Gloſſa confirmat, in paragr. finali cap. maiores de Bapt. idem in illud caput docet Oſtienſis Commentarij ſui num. 38. his verbis, *hic ordinatus, niſi poſtea ratificet, quod factum eſt, non cogitur effectum characteris ſeruare*; huius ſententiæ approbator eſt Andreas in eandem decretal. num. 37. ſuæ interpretationis. Nauar. in ſumma cap. 22. num 11.

Contrariam opinionem ſequuntur Panorm. in cap. maiores de Bapt. eiuſdem ſententiæ comites ſunt Theologi Paludanus in 4. diſt. 37. q. 1. art. 1. concl. 3. Durand. in eandem diſt. q. 1. Altiſiodor. in ſumma tract. de matrim. impedimento 4. & 5. Bonau. ib. art. 1. q. 2. num. 9.

Prior opinio, mihi ad veritatem magis accedere videtur, quia votum non obligat factum ex metu graui, at Ordo ſacer, ad caſtitatem non aſtringit recipientem, niſi ratione voti ei adiuncti, ergo ſi Ordo ſacer recipiatur ex metu cadente in conſtantem virum, qualis ſæpe ſolet eſſe reuerentialis, maxime ſi ei preces importunæ adijciantur, neceſſitatem ſeruandæ caſtitatis non inferet.

Obijcies, in can. de Iudæis diſt. 45. qui eſt conc. Tolet. 4. can. 56 ſtatui vt qui Iudæi regnante Siſebuto principe, Baptiſmi ſacramentum ſuſceperant, fidem Chriſtianam, eiuſque iuſſa, ac cæremonias ſeruarent, at eadem eſt ratio ordinis, & obligationum ei adiunctarum, ac Baptiſmi.

Neganda eſt minor, quia ſtatuto Eccleſiæ, nemo colendæ continentiæ legi patere debet, niſi qui eam vltro ſuſceperit, cap. 1. & ſequent. de his quæ vi metuſque quod de præceptis Eccleſiæ, ad quæ Catholici obligantur, dici non poteſt.

Obijcies qui metu ad ordines adigitur, vere iis afficitur, cum ad receptionem ſacramenti, ex parte ſuſcipientis, ſufficiens in eo eſt capacitas, cum voluntate illud ipſum recipiendi, ergo cum caſtitas eiuſque obligatio, comitetur ordines, qui his initiabitur, ad eam quoque virtutem tenebitur, cum acceſſorium naturam principalis ſui ſequatur.

Conſequentia eſt neganda, quia votum debet eſſe liberum, quale non eſt ortum ex metu, quæ conditio non eſt ad ordines neceſſaria, cum ſufficiat eos voluntarie recipi, quo modo recipiuntur, cum initiato, manus eo tacente, & non repugnante imponitur.

Ad confirmationem reſpondendum eſt, axioma illud verum tantum eſſe, cum eadem eſt ratio principalis, & acceſſorij, cuiuſmodi hic nulla reperitur, cum Eccleſia votum irriter metu factum, non autem ordines, quibus ea animi affectio, paſſioque initium dedit, vt pote qui ſunt ea non obſtante voluntarij.

Circa dicta quæres primo, an qui ordines ſacros ſuſcipit ante pubertatem, teneatur lege Eccleſiaſticæ caſtitatis? Reſpondendum eſt non teneri, quia votum ſolemne expreſſum, in religione approbata, ante pubertatem emiſſum, non obligat, niſi poſtea ratificetur, ergo nec votum ſolemne tacitum, in ſacri ordinis ſuſceptione, quia licet hoc votum, tantæ forte non ſit efficaciæ, quantę eſt votum ſolemne profeſſionis, vere tamen conſtituit hominem in ſtatu, iure Eccleſiaſtico incompatibili, cum matrimonio, ergo non eſt veriſimile, Eccleſiam voluiſſe, impuberem hoc voto ligari, ante pubertatem nec ante decimum ſextum annum, vt de regularibus Trid. ſtatuit ſeſſ. 25. cap. 15. cum inter votum ſolemne caſtitatis, in religione approbata, & emiſſum in ſuſceptione ordinum, nō videatur eſſe alia differentia, quam quod ſolemne religionis, ex ſe & natura ſua, ex quorumdam opinione, ſit ſolemne, votum autem ſacrorum ordinum, tale non ſit, niſi per accidens duntaxat, ac extrinſece, nempe propter diremptionem matrimonij, iure Eccleſiaſtico illi annexam.

Quæres 2. *An qui initiatur minoribus aut tonſuræ, impediatur à contrahendo matrimonio.*

Dico primo, *à minoribus impedimentum matrimonio nullum eſſe*, Probatur

Primo, in tantum, matrimonium impeditur per ordines, in quantum habet votum caſtitatis annexum, at minoribus non eſt adiectum, ergo nec ab ijs, matrimonio periculum vllum diſſolutionis imminet.

Dico ſecundo, *Per tonſuram primam, matrimonium ſubſequens non dirimi*, quia tonſura non eſt Ordo, ſed via ad illum, ac diſpoſitio.

Quid ſi ordinandus putet caſtitatem tam tonſuræ quam minoribus cohærere inſtituto Eccleſiæ?

Reſpondeo, nihil referre, nec ab ea opinione, habere Clericum neceſſitatem vllam ſeruandæ caſtimoniæ, nec enim ſe intendit ad eam aſtringere, per ſe primo, ſed tantum acceſſorie, & in conſequentiam ſtatus, ob conſtitutionem Eccleſiæ, at quando principale non valet, id quod venit in conſequentiam, effectum nullum poteſt producere.

Dices, qui vouet caſtitatem in religione non approbata, quam talem tamen eſſe exiſtimat, tenetur voto, ergo & qui ordinem ſuſcepit, cui ex errore obligationem hanc adiunctam eſſe credit.

Neganda eſt conſequentia, nam qui profitetur in religione, emittit per ſe, & principaliter votum caſtitatis, ideoque valet quantum valere poteſt, ergo cum non valeat vt ſolemne, ob defectum acceptationis, requiſitæ ab Eccleſia, ſaltem valebit vt ſimplex, cuius oppoſitum in ordine accidit, cum ordinatus, non niſi acceſſoriè, & extrinſecè, eius occaſione ad caſtitatem ſe obliget.

Quæres 3. *An Ordo ſacer matrimonium ratione ſui dirimat, an Voti tantum, ei inſtituto Eccleſiæ annexi.*

Lege generali Eccleſiæ, ordinatum teneri caſtè viuere, dixere Paludanus in 4. diſt. 37. q. 1. art. 1. concl. 3. Durand. in illam ipſam diſt. 4. 1. Bonau. ante citatus. Richard. ibid. art. 1. q. 2.

In ſumma Theologi fere omnes, cum eo neceſſitatem continētiæ, quam Eccleſia imponit ſuſcipiētibus ſacros ordines, non in votum, ſed in Eccleſiæ ſtatutum referunt, quare etiamſi hi nullo modo vouere, intenderent, vouerent tamen, inquit Altiſiodorenſ. lib. 4. ſuæ ſummæ tract de matr. impedimento 4. cum ipſo facto, id eſt ſuſceptione ordinum id agant, nam ſiue in eos conſentiant, ſiue

non ait Durandus loco memorato, impedimentum hi secum inuehunt, quo perimitur matrimonium. A

Quod autem id faciat non votum, iis adiunctum, sed Ecclesiæ constitutio, quæ illis initiatos, reddit ad coniugium illegitimos, persuadere videntur hæ causæ.

Prima, quod si Ordo sacer ratione voti dissolueret matrimonium, Ordo & votum non duo efficerent impedimenta, sed vnum, quod non probant Anton. in 3. parte tit. 1. cap. 8. Sylu. verbo Ordo 4. parag. 1.

Secunda, quod multis hoc modo daretur occasio, non concipiendi voti continentiæ, neque deuinciendi se Deo, sponsione huius virtutis, quod B est vitandum.

Sed ad primam responderi debet negatione maioris, ratio enim diuersitatis inter impedimenta, peti debet ex diuersitate modi, qui inter ea cernitur, at aliter in ordine sacro, castitatis sibi legem dicunt ministri sacri, quam religiosi, qui eam solemni ritu profitentur in Ecclesia, illi enim indirecte tantum, & virtute eam nuncupant, nempe in susceptione ordinis. Hi autem proprie, directe, ac formaliter.

Ad secundam negandum est, dari hinc vlli causam fallendi Ecclesiam, sibi enim quisque est malus, sibi hostis, & quanquam lege Dei, & in foro animæ, talis castitatem non teneatur colere, in fo- C ro tamen externo, cum lex inuitis etiam ac repugnantibus imponatur, spectetque tantum Ecclesia, quod apparet, talis ad fœdera nuptiarum, eius lege esset inhabilis.

Mihi probatur sententia affirmantium habere ordinem sacrum, vt nemo eorum quibus confertur, continentiæ iugum possit excutere legitimè, ratione tantum voti, quod ab ordinatis, Ecclesia fieri exigit.

Primo, quia vxoratis in Ecclesia Græca, permittitur matrimonium: ergo quod Ordo sacer illud impediat, id non à se, sed à voto habet.

Secundo, iure naturæ initiatus ordinibus, non tenetur seruare continentiam, quia cum hæc est D perfecta, & integra, vt in virgine, *suaderi potest, imperari non potest, quia res est magis voti quam præcepti*, vt dicitur in can. integritas 13. causæ 32. qu. 1. nec continentia debetur, nisi voluntariè assumpta can. ante triennium dist. 31. quæ causa Gregor. impulit eo loco, vt Episcopis omnibus præciperet, ne quem ad Subdiaconatum admitterent, qui se castitatis seruandæ voto, ante non obligasset. Sane ad eam libere se astringunt, ordinum sacrorum Clerici, cum iis insigniri volunt ab Episcopo, *Lex* enim *continentiæ* inquit Leo Papa 1. Epistola decretali 90. ad Rusticum Narbon. Episcopum capitulo 3. *Lex*, inquam, *continentiæ, eadem est in ministris, quæ in Episcopis, atque Presbyteris, qui cum essent Laici, siue Lectores, & licite vxores ducere, & filios procreare potuerunt, cum ad prædictos* E *gradus pervenerunt, eis non licere incipit quod ante licuit.*

QVÆSTIO II.

An quando post ratum matrimonium ordinari se quis patitur, hoc ipso dissoluatur eius coniugium, & an teneatur Religionem ingredi.

DIco primò, *Non dissolui matrimonium ratum per susceptionem sacri ordinis*, indicat extrauagans Ioannis 22. Antiquæ de voto & voti redemptione, illic enim dicitur, ordinatum post matrimonium, non consummatum, si remaneat in sæculo censuris Ecclesiasticis ab Episcopo cogi posse ad eius consummationem, maxime petente coniuge, qua reclamante & inuita, ordinari voluit, verba Extrauag. sunt eiusmodi: *Ad ingressum huiusmodi sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, & induci, quod si forsitan renuerit adimplere, ipsum, si forsitan eius sponsa institerit, decernimus per censuram Ecclesiasticam compellendum matrimonium consummare.* Non est ergo istius Pontificis opinione, matrimonium per susceptionem ordinum nullum, alioquin male dixisset Pontifex, ordinatum, censuris Ecclesiasticis cogendum esse ad copulam.

Secundo, non potest dirimi matrimonium per ordines, nisi occasione voti iis adiuncti, at istius hanc ad rem vis est nulla, cum incidit in matrimonium iam contractum: nam votum vouentem non stringit nisi acceptatum, at Deus non acceptat traditionem, quam ordinatus ei facit suæ libertatis, circa vsum licitæ veneris, eo quod sit hic coniunctus matrimonio, quia acceptaret in detrimentum tertiæ personæ, puta coniugis, quod est improbabile. Vt vt sit de veritate huius rationis.

Certum est primo, ordinatum, teneri debitum vxori suæ postulanti reddere.

Secundo, ei omni modo prohibitum esse, ab ea petere, quia in id incumbere debet, ne quando violati voti reus fiat,

Tertio, susceptione ordinis esse irregularem tam ad vsum susceptum, quam receptionem superiorum.

Quarto, esse omnis beneficij incapacem Ioannis 22. decreto in Extrauaganti antiquæ de voto & voti redemptione. *Ordinamus si secus à quoquam attentatum fuerit, quod nec matrimonio soluto in sic suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines promoti, nec ad aliquod beneficium Ecclesiasticum, aut officium valeat promoueri.*

De secunda quæst. duæ sunt sententiæ. Prima negans Reginald lib. 31. cap. 17. num. 122. Scoti in 4. dist. 28. qu 7. art. 1. non teneri ordinatum, religionem ingredi, si matrimonium eius cum coniuge tantum est ratum, & non consummatum.

Nituntur hi authores citata Extrauaganti Ioannis 22. vbi dicitur ordinatus inducendus suauiter ab Episcopo ad instituta vitæ religiosæ, quæ si capessere noluerit, & vxor liberis operam dare velit, cogi tùm posse, ac debere Ecclesiasticis censuris, ad ei parendum, quod argumentum est (inquiunt) nullam ei esse iniundæ religionis necessitatem ad voti à se emissi obseruationem

Contraria est Syluestri in verbo matrimonium

Digitized by Google

7. qu. 5. Sanch. lib. 7. diſp. 99. & aliorum quos citat & habent huius ſuæ opinionis argumenta plurima, potiſſimũ eſt. Quod quilibet Deũ, ac naturæ legibus, omni qua fieri ratione licitum, teneatur, vota à ſe nuncupata facere, at id coniugi ordinato moraliter impoſſibile, niſi abiudicatis ſæculi curis, totum ſe Deo, in Religioſo Monachorum cœtu mancipet, quod ipſum, ei & facile eſt, & licitum, cum iure Eccleſiæ ante conſummatum coniugium, fas ſit, vtrique coniugi religionem relicto ſæculo ingredi.

Ad extrauagantem reſpondetur, in ea Ioannem agere de matrimonio conſummato, aut ſi de rato tantum, loqui eum de maritis remanere in ſæculo volentibus, quos tum nemo ambigit impellendos eſſe vt voti ſibi ſui vincula, nexuſque laxari à Papa impetrent, aut in religioſi ſe clauſtri tenebras caſte victuri abdant. Quibus autem & quam acribus caſtigare pœnis, Eccleſia eum ſoleat, qui ſacris inſignitus ordinibus matrimonium contrahit, declarauit Clemens Papa quintus in Clementina eos qui de conſanguinitate & affinitate.

Primo enim locum ei nullum eſſe vult in Eccleſia, à qua eſt reſciſſus per excommunicationem ipſo facto incurſam. Pœna par ac ſimilis religioſos omnes profeſſos, ac profeſſas cõprehendit, qui fœdera nuptiarũ, poſt profeſſionẽ contrahunt, Prælatis inſuper præcipitur, vt illos, quos eis conſtiterit taliter contraxiſſe, publicè excommunicatos eſſe denũtient. Nam in conſtitutione illa cauetur, his verbis: *Qui diuino timore poſito, in ſuarum periculum animarum, ſcienter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non Religioſos & moniales, ac Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ, ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipſos excommunicationis ſententiæ, ipſo facto decernimus ſubiacere.*

Secundo qui Clericus ſacris ordinibus ornatus matrimonium contrahit, eſt irregularis decreto Alexand. III. in decretali ex litterarum qui Clerici vel vouentes: & Synodi Ancyranæ can. 18. vt refertur in can. quotquot 28. qu. 1. ibi enim ſtatuitur eos: *Qui virginitatem pollicitam ſunt prænaricati, inter bigamos hoc eſt qui ad ſecundas nuptias tranſierunt*, habendos eſſe. At Bigamis, aditus ad ſacros Ordines clauſos eſſe, niſi eis recludantur à Pontifice, notius eſt, quam vt dici ſit neceſſe, ergo & Clerico maiorum ordinum coniugato, qui in pœnam contracti connubij poſt receptos ordines, tertio loco, eſt priuatus ipſo facto ſuis beneficiis: ita Pontifex cap. 1. 3. & 4. de Clericis coniugatis & Gloſſa ibi.

Quarto, tenetur pœnis Concil. Toletani 9. can. 10. ſtatuentis, vt qui ex ancillæ, vel ingenuæ deteſtando connubio in honore ſacrorum ordinum conſtituti, filios procreauerint, cenſura damnentur canonica, proles autem quæ ex ſacrilegis huiuſmodi inceſtiſque nuptiis ſuſcepta erit, non ſolum hæreditate patria careat, ſed etiam eius Eccleſiæ, de cuius Sacerdotis, vel miniſtri ignominia nata fuerit perpetuæ ſeruituti ſit addicta, non eſt tamen hæc conſtitutio qua parte pœnam infligit proli recepta niſi poſt ſententiam Iudicis, & probato delicto Comitol. Reſponſ. lib. 1. q. 56.

Nec deſunt, qui aſſerant in hos flagitioſos Clericos animaduerti poſſe tanquam in homines, nomine hæreſeos ſuſpectos, deponi certe debent, vt dicitur in can. Presbyterum diſt. 28. hoc eſt abordine & beneficio teſte Archidiacono, *ſufficit enim eis quod implorent à Deo, vt dimittatur eis iniquitas ignorantiæ ſuæ*, diſt. 28. can. 16.

QVÆSTIO III.

De impedimento publicæ honeſtatis, quid ſit & vnde ortum habeat.

EST publica honeſtas, quædam affinitas, aut veritus eius inchoatio, inter ſponſum ac ſponſæ ſuæ conſanguineos, & contra, quæ impedimentum affert matrimonio contrahendo inter ſponſum, & conſanguineam vxoris ſuæ, in primo gradu.

Ex duplici capite oritur, Connubio nempe, etſi rato tantum, & non conſummato, & ex ſponſalibus de futuro cap. ſponſam extrauaganti de ſponſalib. & cap. vnico de ſponſal. in 6. can. ſi quis deſponſauerit 27. qu. 2. can. ſi quis vxorem 14. eiuſdem cauſæ & quæſtionis, quia eſt contra honeſtatem, ac decorum, virum, reiecta ſibi deſponſata puella, conſanguineis eius coniungi per matrimonium, ob eam cauſam vocatur hoc impedimentum iuſtitiæ, ſeu honeſtatis publicæ.

Sponſalia pórro ex quibus hoc impedimentum oritur, debent eſſe valida, certa & abſoluta, vt decreuit Bonif. VIII. ca. 1. de ſponſal. in 6. & recenti Patrum memoria, Trident. ſeſſ. 24. cap. 3. nam inualida ex quacunque cauſa, nempe quia ſunt contracta cum conſanguinea, aut Moniali, publicæ honeſtatis impedimentum non inferunt, nec proinde coniunctioni futuræ, moram vllam faciunt, vt inferebant olim iure antiquo, modo ne eſſent inualida, & nulla ex defectu conſenſus, aut occaſione conditionis de futuro appoſitæ, vt ſi diceret ſponſus, ſponſabo te: habetur in cap. vnico de ſponſalibus in 6. & quia ſponſalia, quemadmodum & matrimonia, metu vel errore perſonæ, ac inſcienter contracta carent conſenſu, ſimiliter non inducent hoc impedimentum, qua de re Nauar. cap. 12. Enchir. num. 17. Sanchez lib. 7. diſp. 68. Henriq. lib. 12. cap. 10. hæc de cauſis honeſtatis publicæ.

Ad quem gradum excurrit hæc vero, ad quem impedimentum, ex ſponſalibus oriri ſolitum?

Olim quidem, modo inualida non eſſent ex defectu conſenſus, impediebant matrimonium vſque ad quartum gradum affinitatis incluſiuè, extra de ſponſalibus cap. inuenit & cap. ſponſam eodem titulo iure autem nouo id eſt Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. prohibitum eſt primo, ne ſponſalia matrimonium impediant niſi valida.

Secundo, factum eſt quoque ne ex ſponſalibus validis, hoc impedimentum ſe extra primum gradum extenderet: ergo excepta matre, ſororibus, aut filiabus ſponſæ, ſi quas habet, cum aliis omnibus conſanguineis, valide contrahi matrimonium poteſt, ex rato autẽ, non tamẽ conſummato, vſque ad 4. gradum incluſiue, excurrere hoc impedimentum docent ſummarũ ſcriptores omnes, quia quæ iuris ſunt antiqui, ea non fuere lege Trident. abrogata niſi quo ad ſponſalia vt declarauit Pius V. in Extrauag. cuius initium ad Romanum Pontificem edita anno 1568. Kalendis Iulij, quare in matrimonio contracto durat adhuc impedimentum in omnibus caſibus, & gradibus, quibus de iure veteri introductum erat. Hæc Pius.

Quid ſi ſponſalia ſint hypothetica? quid ſi in-

tium petat, ad petitionem viri non ſunt aliquatenus ſeparandi.

Secundo loco dubitatur, *An adulter cum ea poſſit contrahere, cui vivente coniuge fidem quidem futuri dederat matrimonij, ſi vxore defuncta, ſecundam duxit quæ etiam obiit.*

Poteſt, Enimuero ea promiſſio, ſpeſque contrahendi matrimonij, poſteriore fuit extincta, addo amplius, quod ſi fuit ſub priore coniugio adulterium commiſſum, fideſque data ſub poſteriore, non idcirco tamen matrimonio ineundo impedimentum vllum fieri: ita docent, Coninch. diſp. 31. dub. 1. Laym. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 10. num. 4. cuius ſententiæ principes fuere Innoc. III. cap. ſignificaſti 6. & Gregor. IX. cap. ſi quis vxore 8. tituli de eo qui duxit, his verbis: *Si quis vxore vivente, fide data, promiſit aliam ſe ducturum vel cum ipſa, de facto contraxit, ſi nec ante, nec poſt (legitima eius ſuperſtite) cognouit eandem, quamuis virique ipſorum, pro eo quod in hoc grauiter deliquerunt, ſit pœnitentia iniungenda, non eſt tamen matrimonium, quod cum ea contraxit, poſt vxoris obitum dirimendum.*

Tertio dubitatur, *An hoc impedimentum reſultet ex adulterio, cui promiſſio quidem eſt adiuncta futuri matrimonij, ſed non acceptata, ab eo, vel ea, cui eſt facta.*

Nequaquam: quia omnis promiſſio, proprie ſumpta eſt pactum, ſed eo non poteſt appellari nomine, niſi acceptetur, eſt enim pactum, *duorum pluriumue, in idem placitum, ac conſenſus*, lege 1. digeſt. de pactis; vt enim fiat pactum, neceſſe eſt, vt duæ voluntates in idem conueniant, reciproco conſenſu, Leſſ. de contract. in genere dub. 1. vt autem ſit hic talis, hoc eſt reciprocus ac mutuus, debent qui paciſcuntur ac tranſigunt, conſenſus ſuos in ſe mutuo dirigere, quod eſſe nequit ſi quæ adulter ſponder, ea adultera non acceptet facienda cauſa ſua, eſt hæc ergo acceptatio neceſſaria, vt promiſſio connubij ineundi cum adultero, impedimentum, matrimonio contrahendo afferat.

Confirm. eſt promiſſio, quæ gignit hoc impedimentum dirimens inter adulterum & adulteram, deſponſatio de futuro, vt tradit Sylu. At hæc ſine mutua promiſſione, & vera pactione eſſe non poteſt, hæc autem, id eſt pactio, niſi vni duorum promittenti, ſtipulantiue, alius quidpiam repromittat aut reſtipuletur.

Dubitatur quarto, *An matrimonium eſſe poſſit inter adulteros, ſi non abſolute ſed ſub hac formula, ſibi fidem pactionis faciant. Alium, aut aliam quam te, ſi præmoriatur vxor mea, non ducam.*

Poſſe, reſpondent Sylu verbo matrimonium 8. q. 9. Layman. loco ante citato, & probatur primo, quia non habet hæc oratio, ſponſionem vllam coniugii, nullam nuptiarum, per eam vir duntaxat indicat, quo inclinet eius amor, quam belle ſit ac ſuauiter, animatus erga fœminam, quam ſibi ſolam fore coniugem neglectis reliquis enunciat, non ergo promiſſa, fideſque futuri matrimonij iis verbis declaratur ſed animus tantum, ſeu propoſitum loquentis ſuper eo aliquando ineundo, ſi ſe locus, occaſioque offerant.

Secundo, promiſſio hypothetica, cum non ſit ſimplex, ſed ſuſpenſa, ac pendens à futuro euentu, non eſt de earum numero, quæ matrimonio officiunt, ſecundum Nauar. lib. 4. conſil. 2. de eo qui duxit Rodrigu. part. 1. ſummæ cap. 229. concl. 5. at promiſſio, ſub hac verborum forma concepta, *non ducam niſi te* non eſt abſoluta ſed conditionalis reſoluenda in iſta, ſi aliquam vnquam mihi vxorem copulauero tu illa es futura, qua de re fidem tibi meam obligo, ab ea ergo promiſſione, matrimonio impedimentum non gignitur.

Dubitatur quinto, *An promiſſio qualibet etiam ſimplex futuri matrimonij, vivente adhuc prima coniuge, ſubſequens diſſoluat ac dirimat.*

Quæſtioni ſatisfacit Gregor. IX. in cap. ſi quis vxore 8. de eo qui duxit, his verbis: *Si quis vxore vivente, fide data promiſit eam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto contraxit, ſi nec ante, nec poſt, legitimæ eius ſuperſtite, cognouit eandem, quamuis virique ipſorum, pro eo quod in hoc grauiter deliquerint, ſit pœnitentia iniungenda, non eſt tamen matrimonium quod cum ea contraxit, poſt vxoris obitum dirimendum.*

Sexto quæritur, *An quando alter adulterantium, vere matrimonio innctus non erat, licet ab ea, quæ ei ſe fœde proſtrauit ac turpiter, maritus putaretur, talis coitus ſit impedimentum, matrimonium dirimens.*

Nequaquam: cauſa eſt, quod vt matrimonium occaſione adulterij ſuperuenientis ſit nullum, vtrique peccantium nota eſſe iniuria debeat quæ vero ſit ac legitimo coniugi per adulterium, at ex hypotheſi neuter amborũ, vere ac reipſa hæret religioſo connubii aſtrictus nexu, ſed falſa tantum, ac inani eorundem opinione, ac ſenſu; ergo &c.

Secũdo, vt promiſſio matrimonium ſoluat ac impediat, ſiue illam adulterium ſequatur, ſiue antecedat, requirit, vt vterque adulter, mulier (inquam) & qui illam adulterio polluit, coniugis ſuperſtitis opinionem ſaltem probabilem habeat, at ea careat eſt neceſſe, qui non niſi vana deluſus imagine, eum ſibi maritum fingit, qui nunquam fuit: ergo, &c.

Septimo quæritur, *An adulterium promiſſione qualibet, etiam ficta contrahendi, poſt obitum viri mulieris adulteræ, verum impedimentum matrimonio afferat.*

Aſſerunt hi authores Sanch. de matrim. lib. 6. diſp. 70. num. 10. Coninch. de Sacram. diſp. 31. dub. 5. num. 57. Verracruz in ſpeculo part 1 art. 34. concl. 9. quid de hac re ſentiam exponam ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio, *Qui ficte & non ex animo, promittit adulteræ eam ſibi poſt mortem viri ſui futuram coniugem, nullum impedimentum contrahit, vi cuius vetetur eam ducere*: quia qui ficte promittit, non vere promittit, fictaque promiſſio non eſt promiſſio: ergo cum canones promiſſionem exigant, non ſunt intelligendi niſi de vera, qualis non eſt ficta, & ita tenent Dian. de Sacramentis reſol. 198. Laym. lib. 5. tract. 10. parte 4. cap. 10. n. 4.

Aſſertio ſecunda, *Non eſt ſatis ad contrahendum hoc impedimentum quod vnus de adulteris*, vir v. g. promittat adulteræ, quod eam ducet, mortuo viro ſuo, aut vxore ſua, ſed requiritur inſuper acceptatio expreſſa, & mutua, ſeu reciproca promiſſio, eaque expreſſa, & non tantum tacita, & virtualis, eſt authorum quos pro prima aſſertione produximus, ex eoque probatur, quod ante acceptationem promiſſio non obliget, ergo cum de ea loquatur Pontifex à qua ſine peccato reſilire non ſit licitum, qualis tantum eſt acceptata, promiſſio vnius ex adulteris debet coniungi cum recepta alterius.

Patet ex dictis, requirere crimen adulterij, quæ ſequuntur, vt ſit impedimentum dirimens matrimonium.

Primum eſt, vt adulterium ex parte vtriſque

committatur formaliter, nam si puella, cum cui fidem suam cum pudicitia obligat, maritum esse nesciat validè vbi naturæ ac fatis vxor eius concesserit, iugari ei poterit. Mea non est solius, sed Alex. quoque tertij opinio, in cap. propositum primo de eo qui duxit in matrimonium, vbi est his verbis: *Licet in canonibus habeatur, vt nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat, vxore sua viuente, quia tamen præfata mulier erat infirma, quod ille aliam haberet vxorem viuentem, nec dignum est vt præditus vir, lucrum de suo dolo reportet, consultationi tuæ respondemus, quod nisi mulier diuortium petat, ad petitionem viri, non sunt aliquatenus separandi.*

Secundum est, vt adulterium, vallatum sit, aut fide data, aut promisso, cum iureiurando futuri matrimonij: ita Innoc. III. in decretali significasti, quare qui viuente coniuge contrahit cum ea, cum qua adulteratur, vel dat fidem, aut præstat iuramentum contrahendi, mortua vxore, contrahere nequit, nec contractum matrimonium valet, cap. cum haberet cap. significasti de eo qui duxit in matrimonium can. relatum 31. q. 1.

Tertium, vt qui adulterio thorum alienum violat, non tantum claustra muliebria inuadat, sed etiam intra vas naturale, ad generandum fabricatum, semen effundat, si copula quidem interuenit, sed imperfecta, qua intra vas mulieris, pollutio non sequitur, ex ea hoc impedimentum non contrahitur, sicut nec affinitas.

Quartum, vt promissio futuri coniugij ab vno facta, sit vicissim acceptata ab altero, quanquam & hoc ipsum non sufficere scripsere Henriq. lib. 12. cap. 14. n. 3. Laym. lib. 5. tract. 10. parte 4. cap. 10. Bellarm. lib. 1. de matr. eo quod acceptatio, fieri tacite possit ac silenter, quod ad faciendam fidem, seu promissum futuri matrimonij, quantum est necesse, vt ei postea impedimentum, ac obicem afferat, non est satis: quia hæc promissio videtur intelligenda eodem modo, quo alias desponsatio de præsento, vel de futuro fieri solebat, at hæc consensum habebat vtriusque mutuum, expressum verbis, aut nutibus vt tradit Syluest. verbo matrimonium 8. qu. 9. dicto 4. Laym. supra num. 4. opinio tamen opposita, quæ est Soti in 4. dist. 37. qu. vnica art. 4. Sanchez lib. 7. disp. 79. num. 20. nostraque, vt communior, sic est in praxi tutior.

Septimo quæritur, *An vt adulterium vim inducendi impedimenti habeat, sufficiat matrimonium ratum esse, an contra sit necesse, illud ab adultero, cum coniuge propria consummatum esse.*

Sufficit quod sit ratum, quia non habet præpostera copula, adulterij maculam, ex consummatione matrimonij præuia, cum vxore propria, sed exiniuria, facienda vel facta coniugi legitimo, cuius vxorem thorumque maritalem adulter nefaria libidine commaculat, at hæc vna est, eademque, tam quando coniugium duntaxat est ratum, quam cum est consummatum, quia vtrobique, re aliena ad voluptatem fœde adulter contra prudentem Domini voluptatem vtitur, quod etiam locum habet, cum est matrimonium quoad thorum ac domicilium, Ecclesiæ authoritate solutum. Ita cum quidam, vxore propria ad Monasterium ablegata ob adulterium, aliam sibi, contra iura Dei, ac naturæ asciscendam putasset: decreuit Clemens III. in cap ex litterarum 4. de eo qui duxit, illos ab inuicem nulla interposita mora seiungendos, sic tamen, *Vt idem vir, indicta ei de adulterio pœnitentia, aliam ducere posset in vxorem.*

Octauo quæritur, *An virum occidisse, sit impedimentum, matrimonium dirimens homicidæ cum vxore defuncti coniugis, ac abeo necati.*

Non ita Pontificibus visum est non Doctoribus, nam quantum ex eorum decretalibus epistolis colligere est licitum, vis coniugi, aut fœminæ inferri debet, matrimonij ineundi causa, nam si alio fine aut ob causam aliam, vt in bello, vel casu, aut odio tollatur de medio, inter eius relictam, ac qui sustulit, stare matrimonium poterit Cœlest. III. iudicio in decretali laudabilem prima de conuersione infidelium: rogatus enim sententiam dicere, super Saracenorum matrimonio cum Christianorum vxoribus quos in belli certamine occiderant. Respondit, *quod cum tales non procurassent virorum interitum defunctorum, matrimonium inter huiusmodi personas licite posse contrahi*, & taliter copulatos postulare non posse diuortium.

Quare ad impedimenti præsentis effectum ratihabitio necis illatæ coniugi, aut inferendæ suo nomine non sufficit: iuxta Glossam in canone si quis viuente 31 q. 1. & aliam in ca. laudabilem de conuersione infidelium.

Quæritur nono, *An solum homicidium sufficiat sine adulterio.*

Sufficere dixit Hostiens. eo quod adulterinæ effusionis Cœlestinus mentionem non faciat in cap. laudabilem, sed solus homicidij. Alij adulterium exigunt.

Verissima sententia est, quod cum ambo adulteri mortem sunt machinati sufficere hanc sine adulterio vt colligitur ex cap. laudabilem sin autem eam vnus duntaxat intulit, alio non conscio, hæc sola non est satis, nisi adulterium interueniat Ioan. Andr. in cap. super eo de eo qui duxit.

DE IMPEDIMENTO raptus.

Quid sit raptus, & quando impedimentum Matrimonio afferat.

EST raptus, violenta puellæ à domo patris abductio 36. q. 1. can. 2. vel vt loquuntur alij, actio, qua puella, per vim iniustam ac inuita, aut si volens, contra rationabilem parentum voluntatem, aut tutorum, corrumpenda domo abducitur: Sed hanc definitionem raptus non probat Diana, ait enim tract. 4. de Sacr. resol. 261. eam tantum raptus speciem puniri in Concil. Trid. sed. 24. cap. 6. de reform. per quam vis infertur puellæ, non autem parentibus: Est ergo raptus proprie, vt de eo hic agitur, abductio puellæ cum iniuria, & contra eius voluntatem, matrimonij cum ea contrahendi, aut libidinis exercendæ gratia, Impropriè, cum iniuria in parentes committitur, aut tutores, sub quorum potestate, puella, vidua, aut coniugata existit. 36. q. 2. can. raptores, eaque, abducitur non tam matrimonij, quam libidinis causa, etsi ipsa in abductionem consentiat, vt constat ex can. raptoribus 36. q. 1.

Prima Assertio, *Ita raptus, est impedimentum matrimonij, vt esse nullum possit inter raptorem & raptam, quandiu hæc in illius est potestate*, Trid. sess. 24. cap. 6.

Ratio

Ratio eſt, quod matrimonium liberum eſſe debeat. At eſſe tale quî poteſt? Raptor penes ſe & in ſua poteſtate filiam habet quam vi adhibita patri ſubduxit, tuta omnia metuit, qui futurus eius eſt animus, ſi ad ſexum natura pauidum, carcer accedat aut vincula?

Sunt hæ tamen ad raptum conditiones neceſſariæ.

Prima, vt puella domo extrahatur, matrimonii, & non tantum explendæ libidinis gratia Sanchez 7. de matrimonio diſp. 13. Ægid de matrim. diſp. 31. dubio 4. Rodrig. tom. 1. cap. 213. num. 17. quia eſt hoc impedimentum authoritate Eccleſiæ in mores hominum inuectum, matrimonii cauſa, nempe vt ſit liberum, non coactum, & ne mulier inuita, cogatur illud contrahere, non ergo explendæ tantum libidinis, ſed matrimonii cum illa contrahendi gratia, debet puella de parentis poteſtate ſubtrahi.

Secunda conditio eſt, vt puella vi, non precibus aut promiſſis abducentis victa, fugere conſentiat Rebell. qu. 10. de impedimentis, Reginal. cap. 21. lib. 21. lib 31. num. 136. quia cum ſe, ad fugam flecti precibus puella ſinit, metui non poteſt, ne cum raptore matrimonium fiat minus libere, quod tamen maxime ſpectauit Concilium. At enim habet ea fuga, licet ſpontanea, parentum iniuriam, ius eorum infringit ac violat, quiſquis illecebris, aut prece delulam, ex eorum oculis iureque puellam ſubducit.

Primo, negari debet, fuga ſpontanea puellæ è domo patria, ius lædi patrium, quia ei obeſſe nihil ſolet præter vim & iniuriam, cum qua precibus quid commune?

Secundo, vt eſſet ea puellæ ſeceſſio à domo patria, coniuncta cum eius iniuria impropriè ſumpta, prout hæc repugnantiam dicit aliquam, nego tamen matrimonium ideo non eſſe validum. Quia vt ſit tale non neceſſario exigit patris conſenſum, ſed tantum partium: ergo etſi hic diſſentiat conſentiente filia, ratum erit eius coniugium.

Secundo, pœnæ ſunt ſumendæ propriè, ſic vt eos tantum comprehendant, non alios, qui verè, ac ſecundum germanum ſignificatum vocum, quibus lex conſtat, eam non ſeruant, ſicque pœnis eam violanti debitis ſubiacent, ſed proprie raptoris nomen ei non conuenit, quem filia ſponte ſua eſt ſequuta, aut precibus obtinuit, vt operam ei ſuam ad id deferret, Reginal loco ante citato.

Requiritur tertio ad raptum, vt puella extra domum ſuam, aut Patris, aſportetur alio, per vim ac iniuriam, quia raptus eſt abductio violenta raptæ, à raptore, quæ loci mutationem inuit, 36. q. 1. can. finali de raptoribus.

Patet ex dictis, caſus tres eſſe in quibus qui mulieri eſt auctor, relinquendæ paternæ domus, matrimonii cum ea ineundi cauſa, in Raptorum numero non ſit ponendus.

Primus eſt, cum eius faciendi, fidem ſibi mutuam antea dedere per vera ſponſalia, argumento eſt quod 36. qu. 2. can. ſi quis virginem dicatur futurus anathema, *qui virginem, aut viduam rapuerit aut ſuratus fuerit in uxorem, quam ante non deſponſauerit*, non eſt ergo deſponſatæ abductio raptus.

Secundus caſus, in quo vir non videtur arguendus huius culpæ, eſt cum ante raptum, præceſſit tractatus de nuptiis, patre ac amicis probantibus 36. q. 1. can. 2.

Tertius, cum rapuit quidem inuitis parentibus ſed conſentientem, ſed volentem, ſed matrimonium cum raptore ambientem, extra de raptoribus cap. 6.

His vero pœnis affici raptores ſolent, iure quidem ciuili, bonorum mulcta lege vir Cod. de raptu, quam Ambroſ. in Apolog. Dauid. cap. 8. relatus à Gratian. cauſa 36. quæſt. 2. can. denique 9. vult drachmarum eſſe quinquaginta. Eſt quoque canonum ſanctionibus, ne impunitum hoc facinus relinqueretur, prouiſum: nam in can. 92. Concilii in Trullo, Clerici iuxta ac Laici iſtiuſmodi culpæ conſcii, graui ambo pœna ſunt plexi, ſeuiore tamen Clerici, ſunt enim hi depoſitione mulctati, anathematis verò irrogatione, ea noxa in Laicis vindicata, quas pœnas communione culpæ ad cooperantes tranſire, habet prima lex Codicis de raptoribus virginum, & Chalcedon. Concilii can. 27. *Eos qui nomine coniugij, mulieres rapiunt, vel opem ferunt, ac conſentiunt iis qui rapiunt, ſtatuit Synodus. ſi quidem ſunt Clerici proprio gradu excidere, ſin autem Laici, anathematizari.*

Quæ pœna raptores quoque vapulant, in Conc. Pariſienſi 1. ſub Childeberto anno 557. ſic enim habet canon 5. dicti Concilii. *Quod ſi contra interdicta quis venerit, & Sacerdotē ſuum audire neglexerit, in præſenti à communione Eccleſiæ Catholicæ habeatur extraneus, & perpetuo anathemate feriatur*, & in Romano Concilio ſub Gregorio Magno eadem pœna afficiuntur, qui ad id raptori aut raptæ, operam ſuam deferunt, ſic enim eo loco Pontifex can. 10: *Si quis virginem rapuerit, aut ſuratus fuerit eam, cum ſuis conſentientibus, anathema ſit.* Vbi notandum cum Zonara in canon. 27. Concil. Chalcedon. citato per facinoris ſocios eos intelligi, qui ad illud patrandum operam ſuam accommodant, per adiutores, *eos quorum manus à ſcelere quidem abſint, conſilio tamen ac ſtudio, ſe cæteris ad flagitium, duces ſunt profeſſi*, Zonar. ſupra.

Secundo ſunt raptores iure canon. infames Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.

Tertio, omni ſunt Eccleſiæ honore, ac magiſtratu exuendi; quas pœnas tamē in ſeipſis exequi, ac per ſe, & vltro ſubire raptores neceſſario non debent ante ſententiam, ex probabili ſententia, quam pluribus probauimus tractat. de axiomatis Theolog. moralis, quod in ſeipſum nemo ſæuire debeat, aut Legis pœnalis imperia facere, niſi coactus, vbi tamen viget Tridentinum cenſendi ſunt raptores excommunicati ipſo facto, cum hæc cenſura hoc ipſo dicatur ab illis incurrenda eſſe, quo vim puellæ inferunt, & ad eam patientis actio nulla ſit neceſſaria, præter violatam, quæ pœnam anteit, & cuius cauſa hæc imponitur.

Quarto, inter raptorem, & raptam, quandiu hæc eſt in raptoris poteſtate, matrimonium ſtabile nullū eſſe poteſt Trid ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. quare debet hæc eo loco ſtatui, vbi extra metū omnem poſita, ſuique iuris, liberè ſibi raptorē in virū ſi velit eligat, & id quidē tum facere animum ſi inducat, matrimonium inter eam, & illum, ratum eſſe poſſe certa eſt, firmaque Doctorum ſententia. Quod autem de matrimonio, idem quoque ſentiendum de ſponſalibus, quæ raptorem inter & raptam, valida eſſe nequeunt, quandiu eſt hæc in illius iure, ac manu, quia matrimonio prohibite: vetita quoque cenſentur eſſe ſponſalia, cum ad prohibēda vtraque eadem ratio impellat ac cauſa, nēpe libertatis plenæ ac integræ in rapta, defectus ac priuatio, ſine qua tamen ſtare coniugium poſſe, ſponſaliaque quis putet?

Quare *desponsas aliis puellas, & ab aliis postea raptas, visum est iis quibus desponsa erant reddi, etiamsi vim ab ipsis sint passæ*, Concil. Ancyran. can. 11. nec raptorem, prius ad pœnitentiam admitti sinit canon Basilii magni 22 quam à se abductam mulierem, priori sponso, si tamen adhuc eam ducere, in animo habeat, reddiderit.

DE IMPEDIMENTO cognationis.

QVÆSTIO I.

Quid sit cognatio, quotuplex & quomodo dignosci possit, quibus gradibus inter se contrahentes distent.

EST cognatio vniuersim triplex, carnalis & dicitur consanguinitas, alia spiritalis quæ oritur à Baptismo, & Confirmatione, & dicitur cognatio spiritalis, alia denique est legalis, quæ intercedit inter adoptantem & adoptatū, arrogantē & arrogatum. Est vero consanguinitas sumpta causaliter id quod impedimentū matrimonio affert, effectiue autem ipsummet impedimentū, ratione cuius, habent personæ quæ ab eodem communi stipite descendunt, vt matrimonium inter se celebrare nequeant, formaliter autem & proprie sumpta consanguinitas, est vinculum personarum, ab eodem communi authore & parente, seu stipite propinquo descendentium, seu quarum vna, descendit ab alia, carnali generatione contractum.

Distinguitur autem cognatio per lineas, & linea per gradus: est autem linea materialiter sumpta, ipsæ personę consanguineæ, collectim sumptæ, & formaliter, earum collectio seu ordinata series personarum, ab eodem stipite descendentium, diuersos gradus continens, & numeros distinguens: Sic connexio personarum sanguine iunctarum, id est habentium inter se consanguinitatem, vt filius pater, auus, proauus, appellatur linea.

Est hæc vero triplex, Ascendentium, Descendentium, Collateralium: Linea ascendentium & descendentium recta dicitur, collateralis autem, transuersalis: Et quidem est linea Ascendentium, illa qua continentur personæ, à quibus originem duximus, vt Pater, Auus, Abauus seu cum infernè, à liberis ascenditur ad primum authorem stirpis, facto initio talis ascensionis à patre, inde ad auum, deinde ad proauum, & ita consequenter.

Linea descendentium est in qua continentur personæ, quæ à nobis vitam duxerunt vt filij, nepotes, pronepotes, trinepotes, & in hac linea, ab eo qui genti dedit originem, patre v. c. delabimur ad filios, inde ad nepotes, vt quota consanguinitatis distantia, ab inuicem differant, cognosci queat, ex quo patet hanc lineam in eo consistere, vt vnus ab alio sit procreatus vt pater ab auo, filius à patre.

Linea transuersalis seu collateralis, est ea qua continentur personæ, quæ ex latere, seu transuersim copulatæ sunt, vt Fratres, vt Patruus, vt Amita, à quibus nos non duximus originem, neque ipsæ à nobis, & tamen ab vno stipite communi ortum trahimus, vt Fratres, & eorum filij.

A Est porro hæc transuersalium linea rursus duplex, æqualis & inæqualis; æqualis est, quando gradus illorum, de quorum consanguinitate quæritur, æqualiter distant à communi stipite, vt duo Fratres, inæqualis est quando vna persona aliam præcedit in gradu, & personæ de quarum consanguinitate agitur, non pariter distant à communi stirpe: est autem gradus, secundum Ioan. Andr. in arbore consanguinitatis, distantia vnius personæ ab alia, in eadem linea quo gradu cognoscitur quota generationis distantia, vna distet ab alia.

Tres porro assignantur regulæ quibus intelligitur quo gradu inter se distent consanguinei, quarū, prima est pro linea recta, aliæ duæ pro trāsuersali, sit hæc ergo prima, quot sunt personæ in
B linea, tot sunt gradus vno dempto, vt cum componitur linea, ex filio, Patre, & Auo, sunt tres personæ, & filius, est auo consanguineus in secundo gradu, Pater autem filio, & filius patri, in primo.

Secunda regula, personæ quæ æqualiter distant à communi stipite, eodem gradu inter se differunt, exempli causa, duo cognati germani, nati parentibus qui sunt fratres, in linea sunt transuersali æquali, quia æqualiter distant à communi stipite, scilicet patre, & in secundo gradu, quia inter eos, & communem stipitem, qui est Auus, non mediant nisi duæ personæ.

C Tertia regula, si hi quorum gradus quæritur, sunt in linea transuersali inæquali, nempe quia earum alter pronepos est communis patris, scilicet Aui, & alter trinepos, supputatio graduum petenda erit ab eo, qui est remotior à communi stipite, & quot gradibus distabit ab eorum Auo, totidem inter se distabunt personæ ex, quarum gradus quæruntur.

In quibus gradibus matrimonium consanguineorum iure naturæ sit nullum.

D Iu. Thomas 2. 2. q. 154. Caiet. ibidem art. 9. ad 3. & alij, quos Sanch. citat. l. 7. disp. 52. num. 10. existimant matrimonia alia nulla à natura prohibita esse, quam ascendentium & descendentium, ideoque omnino nulla esse, pro quibus stant Toletus lib. 7. cap. 6. n. 7. Bellarminus Cardinal. li. 1. de matrimonio cap. 28. Reginal. l. 31. cap. 16. n. 119. illic enim isto asserit gradum tertium, & quartum, efficere matrimonium iure naturali illicitum improprie, nempe (inquit) illud efficiendo tantum minus licitum, eo nomine scilicet, quod ratio dictet, honestius esse, & vtilius Reipub. cum talibus gradibus matrimonium non contrahere, quam contra, quid de hac quæst. probabiliter sentiendum sit, exponam sequentibus assertionibus.

E Prima Assertio, *Filij cum matre, patris cum filia, matrimonium iure naturæ est vetitum.* Bonauent. in 4. distinct. 40. quæst. 2. Caietan. 22. qu. 154. art. 9.

Ratio est Primo, quod cum ea copula sit viciosa & impia, vt pote naturæ inimica, non potest dici à Deo permissa esse, cum eius vsus maxime sit turpis, & à rationibus naturæ abhorrens, ergo cum in matrimonio, coniuges copiam sui, corporumque non faciant sibi inuicem, nisi prout Deo est placitum, matrimonium patris cum filia, erit nullum: Et ob eandem causam videtur inter ascen-

Digitized by Google

dentes & deſcendentes, vt neptem & auum adnepotem & auiam, conſtare matrimonium nullum poſſe.

Secundo, ea eſt natura matrimonii, vt mulier ſit viro ſubdita, & ſimul eius ſocia, at eſt contra reuerentiam, iure naturæ parentibus debitam, vt Auia v. g. cogatur obſequi nepoti, poſtulanti ſolui ſibi debitum coniugale, aut ſit illi ſubdita, per quam eſt indecorum ſimiliter, ac turpe, nepotem quodammodo æquari Patri, vel Auiæ: ergo huius cum illa coniunctio eſt inualida, quæ & inceſtuoſa appellatur, lege nuptiæ 53. & vltima de ritu nuptiarum.

Confirmatur de ratione matrimonij eſt, primo, vt per illud duo coniuges efficiantur vna caro cum ante non eſſent. Secundo, vt in eo homo relinquat patrem & matrem Geneſ. 2. at neutrum fit in coniunctione parentis cum filia.

Primo, quia hæc cum eo non fit vna caro cum ante eſſet, ex eius ſanguine, ſemineque concreta.

Tertio, obſtat etiam vſus coniugij ipſius qui conſiſtere non poteſt cum reuerentia quæ parentibus naturaliter debetur: vnde Leuitici 18. turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies, mater tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius. Vbi notandum quod cum dicitur matrimonium in primo gradu iure naturę nullum eſſe, id habere hunc ſenſum, non quod lumine naturæ, id eſt operatione intellectus, cuilibet ſit peruium honeſte id fieri non poſſe, ſed quod eo ipſo quod eſt matrimonium inſtitutum à Deo, hæc illi proprietas ſit adiecta, vt inter patrem & filiam, filium & matrem eſſe non poſſit, ſicut ſuppoſita lege diuina, iuris eſt naturæ vt matrimonium ſit vnius cum vna & inſeparabile, cuius rei hæc eſt cauſa, vt coniugium ſymbolum ſit vnionis Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt perpetua, & vnius perſonæ cum natura humana per incarnationem.

Aſſertio ſecunda, *Gradus primus conſanguinitatis in recta linea, ſic efficit matrimonium inualidum, vt nulla ex cauſa poſſit eſſe licitum*, ita Sotus diſt. 40. art. 3. Reginal. cap. proxime citato num. 118. quia ſic eſt contra naturam, filium diſcooperire turpitudinem matris ſuæ, vt dicitur Leuitici 18. nulla vt ex cauſa, videatur id poſſe pati æquitas, quare merito, magni facinoris arguuntur filiæ Lothi Geneſ. 19. quod ei ſe prolis cauſa ſubſtrauerint, itaque & lis illis, dieſque patri intenditur ab Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 44. naturæ violatæ, admiſſique inceſtus ſaltem in ſpeciem: ſane diſt. 35. can. 6. *Ebrietas dicitur origo inceſti & peſſimæ regenerationis partus deterior*, & 5. qu. 1. can. inebriauerunt habetur, Lothum de inceſtu culpandum videri, & tamē erant in ea opinione eius filiæ, vt crederent mundum ad ſe, Patremque redactum eſſe, proindeque eius copula propagandum; Dixi *in ſpeciem*, quia cum mens oppreſſa vino, ſui poteſtatem non habeat, nec de re, in qua verſatur liquidam vllam cogitationem, ac ſinceram ſuſcipere valeat, proprie Lothus peccare non potuit præpoſtero filiarum vſu, nec proinde inceſtus argui, niſi ſpecie tenus.

Hæc de primo gradu Aſcendentium, de ſecundo & ſequentibus, quid ſit tenendum, non vnus, idemque eſt omnium ſenſus.

Opinio fuit multorum in omnibus gradibus rectæ lineæ Aſcendentium, quamuis extendantur ſine modo & fine, prohiberi matrimonium iure naturæ. Ita Maior in 4. D. Antonius in 3. part. tit. 1. cap. 14. Soacius de ſponſalibus parte 2. quare narrant, Adamum ſi ſuperſtes eſſet extincta Eua, vxoremque ſibi aliquam de omnibus, quæ vſura lucis iam fruuntur expeteret, nullam ſibi futuram ad matrimonium idoneam Abbas in cap. non debet de conſanguin. & affinit. n. 8.

Diu. Thomæ qu. 54. addit. art. 3. Caiet. 22. q. 154. art. 9. Roffenſi de matrimonio Regis Angl. Bellarmino de matrim. cap. 28. firma hæc, certaque inſidet opinio, præter primum gradum, non eſſe alium, qui iure naturæ matrimonium dirimat.

Media via incedunt alij, traduntque, ſecundum gradum & forte tertium habere à natura quod ſint impedimento coniugio, quia neptis pars eſt Auiæ aliqua, vt inſinuatur Leuitici 18. vnde & Aui vocantur magni patres, negant tamen hoc impedimentum extendi in infinitum, quia eſt hæc conſanguinitatis ſeries infinita, ridicula, vt pote quæ progreſſu temporis deſinit, ceſſatque.

Ad quæſtionis propoſitæ plenam notitiam notandum eſt quidpiam eſſe poſſe iure naturæ illicitum tribus modis, primus eſt, cum ſic eſt contra naturam, vt propter nullam cauſam, finem, vel circunſtantiam, poſſit eſſe licitum & propterea vocatur, intrinſece malum, vt odium Dei, mendacium, periurium.

Secundus eſt cum in ſe quidem ſpectatum, eſt contra naturam, dari tamen poteſt cauſa aliqua, aut circunſtantia, quæ illud licitum faciat, vt homicidium, non ſtare promiſſis, non reddere depoſitum, hæc enim ob grauem cauſam fiunt aliquando licita.

Tertio, poteſt aliquid eſſe contra ius naturæ improprie, quia ratio naturalis dictat eſſe minus vtile, & honeſtum, quam eius oppoſitum, hoc poſito.

Dico primo, *Omnes gradus qui prohibentur iure Eccleſiæ efficere matrimonium illicitum, iure naturali, tertio modo id eſt improprie*, quia ſcilicet efficiunt illud minus honeſtum, longe enim eſt vtilius Reip. obſeruari huiuſmodi gradus, quam eos negligi.

Dico ſecundo, *Omnes gradus qui Leuitici 18. prohibentur, quales ſunt, primus & ſecundus gradus conſanguinitatis, & affinitatis, efficere matrimonium illicitum iure naturali, ſecundo modo.*

Probatur ex Conc. Trid ſeſſ. 24. cap. 5. ibi enim ſtatuitur vt in ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter perſonas principes, & ob publicam cauſam.

Secundo, Leuit. 18. dicitur quod Deus extermināuit gentes quæ antea fuerant in terra promiſſionis, propter huiuſmodi peccata, ſed illæ gentes non obligabantur niſi ad legem naturæ.

Dico tertio, *Solum primum gradum conſanguinitatis in recta linea, efficere matrimonium ſic illicitum vt nulla ex cauſa poſſit licite fieri*, quia contractum in iſto gradu, eſt inualidum, quod autem eſt tale, non poteſt fieri licite.

QVÆSTIO II.

An Matrimonia contracta in linea collateralium ſint irrita.

PRima Aſſertio, *In nullo gradu lineæ tranſuerſæ conſanguinitatis, matrimonium iure naturæ ſic eſt interdictum, vt ſi idem ius præcisè attendatur, ſit irritum, ac proinde inter fratres, ac ſorores poteſt eſſe licitum, ex aliqua cauſa.* Opinionis huius author eſt Beatus Thomas 2. 2. qu. 154. art. 9. ad 3. ad ſtipulatores Scotus & Alenſis: ratio ipſa conſtimatrix.

Non peccarunt filij Adæ, cum propagandæ humanæ genti, acceperunt in coniuges ſorores ſuas, Auguſt. teſte lib. de ciuitate Dei 15. cap. 16. & refertur 35. qu. 1. can. cum igitur primo, nam vnde gignendo multiplicaretur genus hominum, *nõ erat, quando niſi fratres, & ſorores, ex duobus illis primis, nulli homines erant: fieri ergo debuit quando potuit, vt exiſtente copia, inde ducerentur vxores, quæ non erant iam ſorores*, erũt ergo culpæ expertes & alij, qui eorum exemplo idem ſibi ex ſimili aliqua eaque iuſta cauſa faciendum credent. Deinde quis culpæ Abrahamum arguat cum Saram ſibi vxorem eſſe voluit? & tamen ſi fides eſt Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim, eodem hæc Patre cum Abrahamo prognata fuit, proindeque eius ſoror, etſi alij ſecus ſentiant vt Pererius in Geneſ. cæterique quibus cõiectura ſatis probabili eſt viſum, cognatam eius tantum extitiſſe. Sane fratribus intercedere poſſe connubium cum ſorore, iure naturæ, ex ſcripturæ verbis colligi non eſt difficile.

Enimuero cum eo redactam ſe Thamar animaduerteret, vt à fratre Ammone opprimenda, de pudicitia periculum faceret, reprimendæ eius libidinis cauſa, patrem dixit rogandum eſſe, vt inter eos nuptias fieri ſineret. *Loquere*, inquit, *ad Regem, & non negabit me tibi*, 2. Reg. 13.

Tertio, non eſt inter fratrem & ſororem, tanta ſanguinis communio, quæ eos in vnum coire, fierique carnem vnam impediat, quare Athenis, ſororem fratri nubere moris erat, vt Cimonis exemplum indicat, de quo Plutarch. in eius vita: ſane Eccleſiam permittere poſſe, vt frater ex cauſa rationabili ac iuſta, vxorem defuncti fratris ſui, ducat, modo ne ex ea liberos ſuſceperit, probat factum Innoc. III. de quo ſic ipſe in decretali Deus qui nona de diuortiis, *propter infirmitatem gentis eiuſdem, concedimus*, vt matrimonijs contractis, cum relictis fratrum vtantur: ſi tamen decedentibus fratribus, ſine prole, vt ſemen defuncti iuxta legem Moſaicam ſuſcitarent cum talibus contraxerunt, ne tales, ſibi de cætero, poſtquam ad finem venerint copulent, prohibentes.

Obiicies prohiberi ſingulis Leuit. 18. ne coniugij ſibi fœdus feriendum patent, cum fratris vxore: ergo & modo. Cõſequentia eſt neganda & ad Antecedens dicendum, loqui ſcripturam de coniugio, quod cum viuentis adhuc fratris coniuge iniretur, poſt datum libellum repudij, vel quod fieret eo mortuo, relictis liberis qui hæreditatem capeſſerent.

Secunda Aſſertio, *Etſi iure naturæ, conſanguineorum matrimonia in ſecundo gradu ſint vetita, non tamen ſic ſunt illicita, vt accedente Papæ conſenſu, celebrata valide non poſſint.*

A Probatur authoritate Trident. ſeſſ. 24. cap. 5 de reformatione, nam ibi Patres aſſerunt, cum Principibus diſpentari poſſe in ſecundo gradu, ex iuſta cauſa, non eſt ergo maritalis coniunctio, in hoc gradu inter eos eiuſmodi, quæ naturæ ſit contraria: cum Papæ voluntate & indulgentia, poſſit eſſe licita. Equidem ſcriptura Gen. 11. matrimonium approbat contractum inter Abraham, & Saram, Nachor & Melcham neptes ſuas. At patruus & neptis à ſe inuicem ſecundo tantum gradu differunt, non eſt ergo matrimonium in ſecundo gradu factũ, inter conſanguineos, iure naturæ irritum, Abraham autem in eo peccaſſe quis dicat? & ſi peccaut, quod eſt improbabile, quis eum in mortali
B culpa clauſiſſe diem, aut ad extremum vitæ ſpiritum perſeueraſſe exiſtimet?

Equidem eius cum Sara connubialia fœdera fuere Deo quam gratiſſima, ſcriptura teſtis, Geneſ. 17. *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Sara, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum.* At hæc cognatos nectebant inuicem, gradibus inter ſe non niſi duobus diſcretos, iure ergo naturæ, non eſt propinquorum in ſecundo gradu coniunctio vetita.

Quid? quod inter conſanguineos huius generis, propinquitas ſanguinis, nec inæqualitas ætatis ſit tanta, quæ matrimonio vim faciat, aut eius finem impediat? non erit ergo initum inter huiuſmodi
C perſonas, naturæ iure irritum.

Sanè cum tam hic gradus, quam tertius, & quartus conſanguinitatis, non niſi impropriè matrimonium iure naturæ illicitum faciant, cum aliqua cauſa de proxime memorandis intercedit, Papa diſpenſante eſt validum Regin. teſte lib. 31. num. 119. quia id iure naturæ tantum eſt illicitum impropriè, quod ratio dictat eſſe minus vtile, quam quod eſt ei oppoſitum, cuiuſmodi ea eſſe quæ humanæ leges prohibent Theologorum eſt opinio. Nam quia lex naturæ, ea non penitus reprobat vt vetita, lex humana, conſtituens ea obſeruanda eſſe, illorum quoque contraria efficit illicita. At eſt minus honeſtum ac vtile Reipublicæ Chriſtianæ,
D matrimonia celebrari inter conſanguineos tertij & quarti gradus, quam non propinquos, cum ſobolem, eiuſque beneficio, amorem propagari per alias familias, bonum ſit ac expetendum.

Quæ autem cauſæ Pontificem ſolent inflectere vt conſanguineis inter ſe in ſecundo, tertio & quarto gradu matrimonia celebrare ſinat, communiter ſunt ſequentes.

Prima, moralis neceſſitas, quæ eſt in eo quod haberi vxor alia, non poteſt commodè quam conſanguinea vt in paruis vrbibus.

Secunda, ſpes conſeruandæ religionis, quæ marito & fœmina, diuerſa ſectantibus in ritu religionum, periclitari poſſet, cum mulieres, cor virorum blanditijs peruertere, oppugnare illecebris vt
E plurimum ſoleant.

Tertia eſt retinendæ pacis ſtudium inter familias, quæ alioqui turbas cierent in prouincia, ſanguine miſcerent omnia. Ad pacem, bona quoque pertinent, quæ ne ad alios tranſeant & ita gentis dignitatem minuant, iuſtiſſima eſt Pontifici ratio concedendi viro & fœminæ ex eadem gente, ac conſanguineis, lege ſe nexuque connubij ſtringere. Sic Geneſ. 29. Iacobum eodem tempore ſorores duas feciſſe ſibi cõiuges ſcriptura narrat, & quia id iuſſu, conſilioque Labani eſt aggreſſus, nẽpe ne inter eas, iurgia literq; forẽt, culpa illũ in eo vacaſſe omni, dixere viri eruditione iuxta, ac virtute conſpicui.

Aſſertio tertia, *In omni conſanguinitatis gradu* A *diſpenſare Deus poteſt*, Sotus in 40. diſt. 40. q. 1. art. 30. Belarm. cap. 28.

Ratio eſt, quod nullus ſit inter eos, in quo, contractum matrimonium, ita ſit intrinſece malum, vt ex cauſa nulla bonum eſſe poſſit, patet: Nec enim ab aliquo eorum graduum, finis matrimonij primarius tollitur, nam quid obſtat, quo minus à matre ſuſcipere liberos filius valeat? aut à filia pater? aut quid eſt in natura rerum, quamobrem cum ſunt hi nati, educari honeſtè non poſſint? quare exiſtimat Sotus, dari poſſe tempus, in quo, patri omnis ſit honeſta ratio aſſumendæ in vxorem neptis, aut filiæ, nempe ſi ad eam inopiam, ac raritatem hominum, redactus eſſet orbis, vt præter patrem & filiam, reliqui nulli forent ex quibus, ad poſteros propagaretur humana ſoboles, & hæc forte cauſa extitit Ambroſio lib. 1. de Abraham cap. 6. Chriſoſt. hom. 44. excuſandi à culpa filias Loth, cum prolis cupidine, ac amore, eum impulere ad facinus in ſpeciem turpe, reipſa autem earum genti vtile, *Pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terra, dormiamus cum eo, vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen* Gen. 19.

Aſſertio vltima, *Iure Eccleſiaſtico, conſanguinitas hoc tempore, vſque ad 4. gradum inclusiue, impedit matrimonium, & dirimit contractum*, ita expreſſe Papa in Clement. vnica de conſanguinitate, & Eccleſia, in Trid ſeſſ. 24. can. 4. & in cap. non debet de conſanguin. & affinitate nam priori loco, excommunicantur ipſo facto, qui ſcienter in eo gradu contrahunt, dictæ autem ſeſſ. cap. 5. iubentur ſeparari ſine ſpe vlla diſpenſationis, qui intra eos gradus, coniugia capeſſunt ignoranter aut ſcienter. Dixi hoc tẽpore: nam olim inter conſanguineos vſque ad ſeptimum gradum exiſtere matrimonium non poterat: ſic enim canon 5. Concilii Valent. in Hiſpania tomo 2. Conciliorum his verbis, *hæc præcauenda ſalubriter ſancimus, ne quis fidelium, propinquam ſui ſanguinis, vſquequo lineamenta affinitatis, generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari*, & in can. conuenit 4. Concil. Pariſienſis primi hæc leguntur, *nullus illicita connubia contra præceptum domini, ſortiri præſumat* id eſt *fratris relictam nec nouercam, nec relictam patrui, aut quamcunque cognatam*, quæ omnia authoritate ſua firmaſſe Gregorius legitur in can. 9. Concilii Romani, addito anathemate ſecus facienti, in pœnam violati Eccleſiaſtici præcepti.

De cognatione ſpiritali, in quo conſiſtat, & ad quem vſque gradum ſe extendat, quoad effectum diſſoluendi Matrimonij.

EST cognatio ſpiritalis, propinquitas ex natiuitate ſpiritali proueniens, inter baptizantes & baptizatos, confirmantem & confirmatum, ſeu vt loquuntur alij, vinculum, quo duæ perſonæ inter ſe colligantur, ex adminiſtratione aut receptione Baptiſmi & Confirmationis, quibus duobus Sacramentis, homo ſpiritaliter gignitur, & fouetur in Eccleſiæ vtero, firmatur ad labores, Chriſti cauſa nomineq; glorioſe perferendos, quod non habent Sacramẽta alia quæ animam cœleſti diuinæ gratiæ pabulo alunt, feſſam iacentemque erigunt, viribuſque imminutam reparant, vel ad officium aliquod Eccleſiaſticum deſtinant.

Quicquid ſit de cauſa, certe conſtat ab hac cognatione dirimi matrimonium vt eſt planum ex can. ſi quis filiaſtrum & can. de eo 30. qu. 1. & decretali ſexta Innoc. III. in rubrica de cognatione ſpirituali. Nec id modo ſed à cõtrahente cum eiuſmodi cognatione, excommunicationem incurriſtatuit Gregor. I. in can. 4. Concilii Rom. 2. in hæc verba: *Si quis commatrem ſpiritalem duxerit in coniugium, anathema ſit*, facilitatis tamen maioris cauſa.

Notandum eſt, cognationem hanc, fuiſſe olim triplicem, paternitatem, compaternitatem, fraternitatem, Bonifac. auctor in decretali nedum prima de cognat. ſpirituali in 6. Paternitas, eſt quæ contrahitur inter baptizantem, confirmantem, & B patrinos ex vna parte, & baptizatum & confirmatum ex altera, & ſub hac paternitate comprehenditur etiam ſuſcipientis vxor, ante ſuſceptionem carnaliter cognita ab eodem cap. 1. de cognat. ſpirituali in 6. Compaternitas eſt inter Patrem, & matrem baptizati, ex vna parte & ex altera inter baptizantem, confirmantem, & patrinos, & hæc cognatio ſimiliter à viro transfundebatur ad vxorem, eo quod vna caro reputatur, cum viro ſuo, ſic Clem. III. in cap. Martinus III. extra de cognat. ſpirituali. *Conſultationi tuæ reſpondendum duximus, quod cum ſecundum verbum Domini, vir & mulier, efficiantur per connubium vna caro, liquidum eſt Trebergam, non poſſe matrimonialiter copulari Martino, qui compater eius fuerat, cum qua vna caro Trebergæ* C *noſcitur extitiſſe.*

Fraternitas eſt inter filios carnales baptizantis, confirmantis, & patrinorum ex vna parte & baptizatum ſeu confirmatum ex alia.

Hoc tamen tempore, iure nouo Concil. *inter patrinos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum, ſpiritualis cognatio contrahitur*, Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. *ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egreditur*, ibid.

Quare licet olim fuerint tres ſpecies huius co- D gnationis dirimentis matrimonium, hoc tamen tempore non ſunt niſi duæ, paternitas, & compaternitas. Paternitas eſt, vt diximus inter baptizatum, & confirmatum, & baptizantes ſeu confirmantes, qui ſunt patres ſpiritales iuxta Paulum, *Ego per Euangelium vos genui*, Compaternitas eſt, inter patrem & matrem carnalem baptizati, & confirmati ex vna parte, & omnes patres ſpiritales eorundem ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 2.

Porro inducendi huius impedimenti Eccleſiæ cauſæ fuere duæ. Prima reuerentia Sacramenti, altera amicitiæ inter homines propagatio, quæ de rebus iuriſperiti, & interpretes canonici iuris. E Dixi *inter patrem & matrem* baptizati ex vna parte & baptizantes ex alia: nam inter patrinum & matrinam conſtare poſſe matrimonium Doctorum eſt opinio apud Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 54. num. 12. Equidem vir & vxor, puerum de baptiſmi fonte leuantes vt aiunt, non priuantur ea ſuſceptione iure petendi debiti ab inuicem, quod eſt argumento fore, vt ſi matrimonio coniuncti non eſſent, illis liberum nihilominus eſſet & integrum, ſuſceptione prædicta non obſtante, fœminæ quidem dare ſe viro nuptui, iſti autem, illam in vxorem recipere.

Vt autem ſpiritalis hæc cognatio contrahatur, conditiones hæ ſunt neceſſariæ.

Prima vt ſuſceptor, baptiſatum teneat cum lauatur, aut eum immediate, de baptizantis manu aut confirmantis ſuſcipiat, dum ab Epiſcopo inungitur. Reginal. lib. 31. cap. 20. ſect. 3. num. 152. quia iura quæ hoc impedimentum ſtatuunt, vtuntur his verbis: *Tangit, tenet, ſuſcipit, recipit*, quæ verum, & realem contactum manus denotant, non extremitatis tantum digiti, cum in ea corporis parte, communiter nec homo ab alio recipi, nec teneri ſoleat.

Secunda, eſt vt patrinus baptizato nomen imponat, eumque cum intentione muneris obeundi quod eſt ſuſceptoris proprium, de fonte leuet, Sanchez lib. 7 diſp. 58. quia tactus quilibet, ac materialis vt (aiunt) pueri ſuſceptio, inducendæ cognationi de qua eſt hic quæſtio, non ſufficit, alioquin communis eſſet omnium, qui eum tangerent, vt obſtetricis, vt matris, vt Parochi &c. quod nemo dicet: ſatis eſt tamen, ſi eiuſmodi intentio virtualis fuerit, cum enim ſit cognatio, voluntate Eccleſiæ inſeparabiliter annexa huic muneri, hoc ipſo quod quis illud conſulto obit, eaque quæ ſunt in Patrinorum iure efficit, vt puerum ſuſcipere, nomen ei dare, eam quoque cenſetur velle.

Tertio eſt ad hanc cognationem contrahendam neceſſe vt in perſona ſuſcipienda ſuſceptor non erret, nam ſi aliam quam quæ ei obuerſatur animo, ſuſcipiat, nulla erit ex tali ſuſceptione futura cognatio, quia vt dicitur cap. 2. de cognatione ſpirituali, *ignorantiæ eum excuſat*.

Quarto, debet ſuſceptor baptizati loco reſpondere ac nomine, quod tamen neceſſarium non eſſe, probabiliter ſcribit Syluester verbo matrimonium 8. qu. 7. dub. 13. quia ſuſcipere, & reſpondere, munera ſunt diuerſa, & eiuſmodi quæ à diuerſis obiri poſſint. Deinde eam conditionem Concilia non exigunt, ſed contactum tantum aut ſuſceptionem.

Quinto, oportet vt hi, inter quos contrahitur, hæc cognatio, ſacris ſint baptiſmi renati vndis.

Cauſa eſt 1. quod hoc impedimentū ſit Eccleſiaſticū, ad hos ergo tantum pertinet, in quos Eccleſia habet imperiū, tales ſunt baptizati, non alii: ergo ſi non baptizatus baptizet, vel ſuſcipiat queinpiam cum eo quem baptizat, vel ſuſcipit, cognationem nullam ſpiritalem contrahit: ita dixerunt hi authores Scotus in 4. diſt 42. qu. 1. art. 3. Ioan. Andreas reg. iuris in 6. Panormitanus ad can. in baptiſmo de conſecrat. diſt. 4.

Confirmatur legibus Sacramentorum, ac ſacrarum ceremoniarum, quas Eccleſia in cultu Dei, ſanctè ac religiosè adhibet, non deuinciuntur Iudæi ac reliqui, qui à nobis, cultu numinis, ac ſanctorum veneratione abhorrent: ergo neque lex ſpiritalis de cognatione, ad eos deriuabitur.

Secunda, nemo alteri ſanguine, ac ſtirpe coniungi poteſt, niſi naturaliter ſit natus; ergo neque ſpiritualem ſuſcipere cognationem poterit, niſi ſpiritualiter, in baptiſmo generatus.

Contrariam ſententiam dixere Syl. in ſumma ver. matrimonium 8. q. 8. dicto 12. Comitolus li. primo reſponſ. qu. 113. ſuæque opinioni patrocinium quærit à teſtimonio Angeli in verbo matrimonium 3. num. 11. Roſellæ in verbo impedimentum, impedimento 6. num. 26. Antonini in 4. parte tit. 1. cap. 13. §. 13. verum quod cum Theologis in hac parte docemus firmum videri & haberi debet.

Poſtremo debent ſuſceptores; deſignati eſſe à parentibus pueri ſuſcipiendi, aut à Parocho, qui

A præter eos, iure nouo nullus alius cognationem ſpiritualem contrahit: quare nec alium ab illis, Parochus admittere, nec ſi admittat, & puerum de fonte ſuſcipiat, cognationem ideo contrahet, *Conſtitutionibus, in contrarium facientibus, non obſtantibus*, Trident. ſeſſ. 24. cap. 2.

Quid ſi nulli, qui patrum munere fungantur deſignati erunt? Quorundam probabili ſententia quotquot baptiſatum tum tāgent cognationē hāc contrahent quia eſt Parochi permiſſio, conſenſus inſtar formalis & expreſſi, vt declarauit congregatio Concilij, ſi fides eſt Rebello de obligationibus iuſtitiæ part. 2. & in appendice ad lib. 4. num. 65. quia à iure antiquo recedendum non eſt, niſi in

B caſibus exceptis à nouo, at ius nouum caſum excipit in quo vnus, aut duo, diuerſi ſexus appellati eſſent ad hoc munus, & deſignati à pueri parentibus: ergo ſi definiti nulli erunt antiquo iuri ſtandum erit, quo ſtatuitur vt qui puerum tangunt cognationem omnes contrahant.

Quid ſi per procuratorem id fiat, etiamne ad eum deriuanda eſt cognatio cuius ille vices explet?

Syluester in verbo matrimonium 8. q. 7. & Armilla eodem num. 12. ab ea ſuſcipientem per procuratorem liberant, quod ſuſceptio ſpiritalis quædam ſit generatio, at per alium nemo generat, nec adoptat lege 15. Codice de adoptionibus.

Secunda, onera ſunt, ſicut & odia reſtringenda, regula odia de regulis iuris, in 6. regula 15. at

C hæc ſpiritalis cognatio onus eſt, non gratia, coercetur autem cum ad ſuſcipientem non deriuatur, ſed in ſolo procuratore conſiſtit, ergo &c.

Tertia, is tantum impedimentum hoc contrahit, qui præſentiam ſuam baptiſato accomodat, hoc non facit, qui procuratori dat in mandatis, vt ſuo nomine puerum de baptiſmo leuet: ergo &c.

Contraria tamen opinio quam defendunt Emmanuel Sa verbo matrimonium de impedimentis dirimentibus num. 5. Henriq. lib. 12. cap. 11. Toletan. lib. 7. cap. 8. mihi priore videtur eſſe longe probabilior.

Primo, ob præiudicium ſacræ Congregationis quæ expleandis Concilii difficultatibus præſidet,

D interrogata enim de hoc quæſtionis genere reſpondit, à Legato cognationem ſpiritualem non contrahi, ſed ab eo duntaxat cuius vices obiret.

Secundo, opinionem hanc mihi perſuadet praxis Principum communis, qui in leuandis de fonte pueris, Procuratorum vtuntur opera, quos tamen nemo non habet pro patrinis, non eorum procuratores, vt eſſet tamen neceſſe, ſi hi cognationem ſpiritalem contraherent, non illi.

Argumentis reſpondend. Priori quidem, quod contrahendæ cognationis ſpiritalis, eadem non ſit ratio, quæ naturalis, hæc enim influxum phyſicum prærequirit cauſarum, non alia, namque perſonas, inter quas cognatio naturalis verſatur, na-

E tura ipſa conſtituit, per actionem realem ac phyſicam, non autem Eccleſia alias, quas eo affinitatis genere vincire potuit, & realiter ac per ſe tangentes, & non tangentes niſi per procuratorem aut alium.

Ad ſecundum, dicendum eſt ideo Procuratorem à cognatione ſpirituali eximendum, quod hæc ſit onus, nam cum alieno, non ſuo puerum nomine ſuſcipiat, iis grauandus oneribus non videtur, quæ Patrinorum propria eſſe voluit Eccleſia.

Tertiū major eſt neganda, cauſa non alia, quam

communis Doctorum ſenſus qui Eccleſiam ſecus A
velle cenſent, quam in ea propoſitione dicitur.

Quæres 2. *Quo tempore & quando contrahi hoc impedimentum ſoleat?*

Cum ſacramenta dantur confirmationis, & baptiſmi, non ante, aut poſtea.

Ratio eſt quia tunc quis Chriſto naſcitur, cum hic eum vita ſpiritali impertit, facit hoc Chriſtus, miniſterio preſbyteri in baptiſmate, Epiſcopi in confirmatione ergo &c. Quare non contrahit hanc cognationem qui catechizat, qui exorcizat, qui vngit, aut alias adhibet cæremonias, nec qui infantem dum hæc fiunt, inſtituto ac more Eccleſiæ, manu vtraque ſuſtentat.

Quid ſi puer baptizetur inualide? Ne tunc quidem B
vlla inter eum & baptizantem ſpiritalis intercedet affinitas, cauſa eſt quod hæc regenerationem præſupponat, vti cauſam, at eſſe regeneratio non poteſt, cum baptiſmus vitioſus eſt, ac parte aliqua eſſentiali deſtitutus.

Quid ſi in Baptizati anima character quidem imprimitur, ſed in eam gratia non infunditur, eo quod ſcelerata ille mente, ac nefaria ad Baptiſm. accedit?

Reſpondeo ne tunc quidem eum huius cognationis capacem eſſe.

Cauſa eſt, quod ſpiritualis natiuitatis, & ortus veriſſima cauſa, ſit gratia, per quam nos ſibi Deus in adoptionem mancipat, qua tamen caret qui Baptiſmum ſuſcipit ſine ſuorum expiatione ſcelerum, C
eo quod animum ad illum non attulit præparatum, vt erat neceſſe.

Quæres tertio, *Qua actione maxime, contrahatur hæc cognatio.*

Ea qua quis in baptiſmo, Deo & gratiæ naſcitur, aut in eo ſuſcipitur: quare qui reſponderet nomine infantis, aut eum faſcijs inuolueret, nihil iſtis rebus acquireret, quod eum remoueret à matrimonio faciendo, cum puella, aut puero, quibus hæc caritatis officia detuliſſet, tenere autem cum hic dicimus, ea voce ſignificare nolumus, eſſe neceſſe infantem ex ſacro fonte attollere, aut tenere manu ne labatur, ſatis eſt eum tangere ſiue immediate, vt manu, ſiue mediante linteo, pelui, veſtimento &c. Angel. verbo matrimonium 3. impediment. 7. num. 13. D

Quid ſi puer quidem tangitur, ſed ſine voluntate, contrahendi per eum actum impedimenti?

Dicendum contrahi non ſecus, ſi qui tangit, ea facit quæ patrinis ſunt in more.

Ratio eſt quod hæc cognatio ex patrinorum voluntate non pendeat, ſed ex lege, ſtatutoque Eccleſiæ, quæ eam ſuſceptioni infantis, adnexam eſſe voluit.

Quæres 4. *An qui puerum Gentilis natum ſuſcipit, cum ſacro baptiſmate abluitur, cum eius matre cognationem ſpiritualem contrahat, vi cuius, cum ſimiliter renata fuerit eam in matrimonium ducere nequeat.* E

Non contrahi dixere Sotus in 4. diſt. 42. qu. 1. art. 3. Nauar. conſil. 3. de cognat. ſpirituali & alii apud Henriq. lib. 12. cap. 11. parag. 3.

Perſuadent contrariam ſententiam, D. Anton. in 3. par. tit. 1. cap. 11. Angel. ver. matr. 3. n. 11. Sylu. verbo matrim. 8. dicto 12. eamque firmiſſima hac confirmant ratione. Quod qui infidelis filium Sacramento impertit ac donat, vere eum Deo generet: eſt ergo vere, cognationis ſpiritalis inter ſe, parẽque & matrẽ baptizati, procreator ac miniſter.

Hæc citati auctores quorum in ſententiam diſcedere nequeo, quod vt ſcripſit Diu. Thomas in 4. diſt. 42. qu. 1. art. 31. *non baptizata, vitæ ſpiritualis ſit expers*, ex quo concludit non baptizatam mulierem, cognatam non euadere tenenti, aut baptizanti virum, cui eſt iugata, maximè ſi à ſuperſtitione pagana auelli nequit.

Quid? ſi infidelis, aut non baptizatus, baptizet? quid ſi hic Chriſtiani filium ſuſcipiat? etiamne cum eo quem ſic baptizat, aut ſuſcipit, cognationem vllam ſpiritalem contrahet?

Contracturum credidere hi authores Bellarm. in verbo impedimentum impedimento 6. num. 26. Comitol. reſponſ. lib. 1 q. 123.

Secus quam illi ſentiunt alij his maxime inducti cauſis.

Prima, quod non baptizatus, cognationis ſpiritalis ſit incapax: prius enim eſt, eſſe ac naſci, quam alicui cognatum eſſe & affinem, cum ſint hæc naturæ ornamenta ac accidentia, quæ ſine ea haud dubie conſtare nequeunt, at non baptizatus, ſpiritualis vitæ eſt expers, ergo ad eum ſpiritualis nulla deriuatur cognatio ex baptiſmo collato Chriſtiani filio, nam ſi cognatio naturalis exigit cognatum naturaliter natum eſſe, cur non etiam ſpiritualis, poſtulabit eum à quo contrahitur ſpiritualiter natum eſſe?

Secunda, non probat Eccleſia quod qui ſuperſtitionibus gentium eſt implicitus, puero nomen tribuat, eumque de baptiſmo ſuſcipiat, ergo nec ei eſt placitum, vt cognatus euadat eius, cuius filium baptizat, aut à ſacris vndis leuat.

Quæres 5. *An cognatio ſpiritalis, matrimonio ſuperueniens illud dirimat*, Nequaquam, ſed tantũ eius vſum impedit, coniugiũ non dirimit, quia legitime contractum ſola morte diſſoluitur. Impedit vſum, quia vt habet decretalis Alex. III. ſi vir tit. de cognat. ſpirituali, qui ſcienter aut ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſcipit, huic debitum reddere, lege antiqua canonũ permiſſum erat, non exigere, quod ſi vir ex malitia, & in propriæ coniugis fraudẽ, filiũ ſuũ de ſacro fonte ſuſcepiſſet, alteri ea mortua, copulari nõ poterat 3. q. 1. can. de eo, niſi eũ ignorantia, aut extrema pueri de vita periclitantis neceſſitas, extra culpã omnẽ poneret, Ioan. Papa VIII. in decretali epiſt. ad Anſelm. Lemouic. Epiſcop. & refertur à Grat. 30. qu. 1. can. ad limina 7. verba Concil. Moguntini can. 10. ſunt eiuſmodi. *Si coniuges legitimi, vnus, aut ambo, ex induſtria fecerint, vt filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi innupti permanere voluerint, bonum eſt, ſin autem, grauis pœnitentia infidiatori iniungatur, & ſimul maneant, & ſi prauaricator coniugio ſupernixerit, acerrima pœnitentia mulctetur, & ſine ſpe coniugii maneat.*

De impedimento affinitatis quid ſit & quotuplex.

EST affinitas, propinquitas prouenies ex copula tam honeſta, quam turpi modo conſummata, ſi tamen perfecta eſt, & ſufficiens ad generationem ſobolis, qualis eſt ea, in qua virile ſemen intra vas fœminæ effunditur, quare pro certo habeo, affinitatem ex matrimonio rato tantum, nullam naſci, ſed tantum impedimentum honeſtatis publicæ, quod ſe extendit duntaxat ad primum gradum. Ita facilis eſt ad primam quæſtionem

responsio quid sit hæc affinitas, quæ lege Ecclesiæ matrimonium dissoluit, dici enim debet Affinitatem, propinquitatem esse personarum duarum, quarum vna, cum consanguinea alterius, copulam habuit, ex qua apta est sequi generatio, quæ enim est huiusmodi, affinis est consanguineis eius, cum quo, vel qua, se miscuit, vt habetur causa 35. q. 3. Om. extraordinaria, idque siue honeste fiat, siue libidinose ac præposterè, cap. discretionem de eo qui cognouit: cuius rei hæc est causa, quod per quamcunque copulam, vir & fœmina fiant vna caro, de fornicaria enim dicit Paul. 1. ad Corin. 6. *qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur cũ ea*, at copula legitima, ideo affines aliquos cõstituit, quod eius beneficio, inter virum & fœminam, carnis & membrorum communio intercedat, per emissionem seminis, ergo cum id habeat vitiosa in fornicatione, aut adulterio, ab ea similiter, ac à legitima in matrimonio, contrahetur affinitas.

Ita patet quod ad affinitatem contrahendam requiritur.

Primo, carnalis copula siue sit voluntaria, siue coacta, aut cum dormiente, cap. discretionem de eo qui cognouit.

Secundo, debet hæc copula esse perfecta, qualis est ea, per quam semen viri in vas fœminæ naturale ad generandum mittitur, can extraordinaria 35 q. 3.

Patet 2. affinitatem esse duplicem, legitimam, & illegitimam, legitima dicitur quæ per legitimas nuptias contrahitur, illegitima quæ inducitur per coniunctionem carnis prohibitam.

Prioris fit mentio in Conc. Compendiensi sub Pipino anno 757. can. 2. his verbis: *Si duo in tertio loco sibi pertinent siue vir sive fœmina aut vnus in tertio, alter in quarto, vno mortuo, non licet accipere vxorem eius, & si inuenti fuerint separentur, vna lex est, de viris & fœminis*, & can. 7. eiusd. Concil. habetur, *quod si quis vxore accepta inuenit eam à fratre suo contaminatam, ipsum dimittens, possit accipere aliam*: nempe quia lege Ecclesiæ, affinitas ex coitu incesto nata, matrimonium dirimit, de quo testimonium est illustre in Concil. Tussiaco, aut verius in Epistola Hincmari ad Rudolfum Bituricens. & Frotarium Burdigal. Archiepisc. ibi enim factum à Stephano cum filia Regimundi Comitis matrimonium, ratum ac stabile esse non posse ait, quod cum aliqua eiusdem puellæ propinqua, hic quondam se carnali commercio miscuisset vt de se ipse fatetur. *In me reuersus*, inquit, *& sciens quid fecerim, ad confessorem meum perrexi, & consilium eius quæsiui, vt quoniam inuenis fœmina, cum qua carnali commercio mixtus fueram, propinqua istius puellæ existit, & audieram, quod in quarto genu, & in reliquum pertinentes, sibi copulari non valerent, vtrum cum hac desponsata mihi puella, sub pœnitentia occulte manens, sine mea, & ipsius æterna damnatione in connubio illam mihi possem coniungere. Qui ostendit mihi librum, & legit coram me, quoniam quandiu potest affinitatis propinquitas computari, mihi nec cuiquam Christiano, cum cognata sua vel quam cognatus habuit, salubriter liceret coniungi, & quandiu in tali incestu manseremus, nec ego, nec illa pœnitentiam fructuosam agere possemus.*

His consentanea scripsit Hiiac Lingonensis in canonibus collectis à R. P. Sirmundi in Conciliis.

Quando porro, & in quo gradu, hæc ex copula coniugali affinitas, matrimonium dirimit?

Prima Assertio, *Affinitas ex copula coniugali, in nullo gradu transuersa lineæ, est impedimentum iure naturæ, matrimonium dirimens, sed ritum Ecclesiæ*: quod non naturali, probant facta veterum & primo quidem scimus Adoniam Dauidis filium Sunamitidem petiisse sibi dari in coniugem 3. Regum 2. filio autem suo Antiocho Seleucus, in matrimonium Stratonicem, vxorem propriam tradidisse Historiæ memorant, quod factum non modo probat, sed etiam deprædicat Valerius lib. 5. cap. 7. quæ duæ res, haud dubium argumentum suppeditant, matrimonium tale, non fuisse iure naturæ irritum, cum nec primario eius fini, nec secundario aduersetur, nec sit inter affines lineæ transuersæ, ea reuerentiæ & subiectionis ratio, quæ est in gradibus consanguinitatis lineæ rectæ.

Equidem constat Iacobum Patriarcham, Liam & Rachelem, sorores duas habuisse sibi in coniuges. Gen. 29. Deuteronomii autem 29. cap. legem latam fuisse scimus vt frater vxorem fratris sui defuncti sine liberis, sibi ingeret in matrimonium, Patrum autem nostrorum memoria, concessit Adrianus 6. Emanueli Regi Lusitaniæ, vt duas filias Regum Catholicorum succedentes duceret, Henrico autem 8. Anglorum Regi Iulius 2. vt Catharinam, fratris sui Arcturi coniugem sibi copularet, nostra autem ætate, Pauli V. voluntate, Sigismundus Poloniæ Rex, defunctæ suæ coniugis sororem Archiducis Austriæ filiam Ferdinandi secundi sororem germanam, in vitæ sibi ac lecti communionem, vero sibi licitoque connubii fœdere nexam iugauit, quæ Principum facta indicant, è iure naturæ, impedimenti nihil esse, quo minus affines, inter se matrimoniorum fœdera iciant.

Secunda Assertio. *Affinitas quæ oritur ex fornicatione, nec est naturalis, nec iure naturæ matrimonio officit. Non est naturalis*, quia parere non potest amicitiam, sed simultates sed odia, propinquis iustè mœrentibus, iuri ac verò iniustam esse suo nomini notam, præposteris eorum amoribus, qui contra sanctissima Dei iura, incesta se libidine inquinant: Quod autem matrimonium iure naturæ non dirimat, ostendit hæc ratio quæ ex fornicatione affinitas oritur, non est secundum ius naturale ac gentium, tã perfecta, quam quæ ex cõiugali proficiscitur, effectum hunc ergo non habet vt matrimonium factum dissoluat, aut aliud, quominus licite ob iustam causam contrahatur, impediat.

Assertio tertia, *Ex iusta, ac rationabili causa dispensare potest Pontifex vt matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ collateralis, contrahatur licite.*

Innocent. III. decretalis vltima de diuortiis sit pro fide: ibi enim his qui in infidelitate secundum gentis suæ consuetudinem contraxerant, cum vxore fratris sui defuncti sine liberis, permittit, vt ad fidem conuersi, matrimoniis *contractis cum relictis fratrum suorum vtantur.*

Secundo, etsi habeat eorum coniunctio qui hoc modo sunt affines, deformitatis aliquid, sicut hæc verba indicant Leuitici 18. *turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est*, *eam tamen tã honestas causa quam Papæ dispensatio ac facilitas abstergunt, ac diluunt.* Deinde quid continet ea coniunctio, matrimonio contrariũ ac repugnans, præter indecentiã ac speciem irreuerentiæ, quamobrẽ pro nulla haberi debeat? ex ea nasci possunt liberi, ac honestè à parentibus & Christianè ali, qui duo sunt fines matrimonii, non est ergo inanis ac nulla, si Pontifice approbante sit facta.

Assertio quarta, *Probabile est primum gradum affinitatis in recta linea ascendentium, & descendentium, iure naturali dirimere matrimonium contractum, & impedire contrahendum*, Antequam probetur.

Notandum

Notandum eſt tres eſſe ordines affinitatis aſcendentium, deſcendentium & collateralium, ſicut de conſanguinitate eſt dictum Aſcẽdentium nomina ſunt, ſocer, ſocrus, Vitricus, nouerca, ſocer eſt mariti pater, ſocrus vxoris mater, Vitricus eſt præſens maritus matris meæ, à quo tamen non ſum progenitus. Nouerca eſt præſens vxor patris mei, quæ me tamen non peperit. Deſcẽdentium nomina ſunt gener, nurus, priuignus, priuigna, Gener eſt filiæ maritus. Nurus vxor filij, Priuignus eſt vxoris filius, priuigna filia item vxoris ex alio marito aut vxore ſuſcepti. Nomina collateralium ſunt Leuir, ſororius, Glos, fratriſſa, Ianitrices. Leuir eſt frater mariti, ſororius, maritus ſororis, Glos ſoror mariti, fratriſſa vxor fratris, Ianitrices quæ duorum fratrum ſunt vxores: ſic declarata aſſertio probatur.

Primo, quia nunquam in eo gradu diſpenſaſſe legitur Eccleſia.

Secundo, quia ab illis connubijs, nullo non tẽpore abhorruerunt gentes, argumento eſt quod Paul. 1. ad Corinth. 5 ea vt inceſta, maleque ominata arguit; *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat*, & propugnatores huius ſententiæ ſunt Victoria, Sotus. Belarm. cap. 28. Valent. locis quos ante indicauimus.

Oppoſita tamen opinio, Doctorum tam numero, quam pondere rationum, priori non impar, habenda eſt pro probabili, ac tuta in conſcientia.

Obiicitur primo, contra aſſertionem tertiam quod Leuitici 20. habetur *facere eum rem illicitam qui duxerit vxorem fratris ſui: reuelauit enim turpitudinem eius.*

Reſpond. primo, contrarium ab eodem Moyſe præcipi Deuter 25. *Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui.*

Obijcitur ſecundo, Haberi in Triburienſi Concilio can. 5. vt refert Grat. in can. quidam cauſa 27. q. 8. & Iuo Carnot. Epiſt. 248. quod *vir ſororem ſibi prius deſponſatæ in coniugium habere non poſſit ſicut nec frater deſponſatam fratris vxorem, cum de paribus idem ſit iudicium, quia per hanc licentiam ſallente diabolo poſſent multa inhoneſta, & inceſtuoſa prouenire coniugia.*

Reſpondendum his verbis Iuonis ac Concilij, hoc vnum duntaxat confici, quod nos vltro aſſerimus, matrimonium inter affines, lege Eccleſiæ conſtare non poſſe, de iure autem naturæ nullam Iuoni mentionem eſſe, ſeriesipſa, contextuſque indicat Epiſtolæ, maximè autem hæc eius verba: *Addidi ſententiam legis, quia vnus maritus duas ſorores non poſſet habere in coniugium, ſicut nec vna mulier, cum duobus fratribus, legitimum poſſet inire matrimonium.*

Obiicitur 5. finem legi veteri, Baptiſta impoſuit, & tamen Marci 6. Herodem hbidinis arguit quod contra ius faſque omne, haberet vxorem fratris ſui.

Reſpondeo primo habuiſſe Herodem vxorem fratris ſui, non quomodolibet, ſed adhuc viuentis, quod eſt contra naturæ legem.

Reſpondeo ſecundo, etſi diem ſuum obiiſſet maritus Herodiadis, quod Maldonato non probatur, in cap. Matthæi 14. iuſtè tamen eſſe à Ioanne reprehenſum Herodem, quod peccaret in legem diuinam, quia prohibebatur, ne frater, aduocaret ſibi in comitem, ac ſociam vitæ ac lecti, vxorem defuncti fratris, quando huic nati erant liberi, qui hæreditatem eius, bonaque capeſſerent, quod autem Ioannes dicitur finem impoſuiſſe legi, id hunc habet ſenſum quod Prophetarum vltimus fuerit, non quod legem abrogauerit, quod Chriſtus fecit.

QVÆSTIO III.

Ad quem vſque gradum affinitas inter Eccleſiaſtico matrimonium dirimat.

Dico primò, *Matrimonium inter affines, affinitate quæ ex legitimo matrimonio prouenit, inter Eccleſia legitimum eſſe non poſſe, vſque ad quartum gradum inclusiuè.* Innoc. III. teſtis in cap. non debet 8. de conſanguinitate & affinitate his verbis: *Prohibitio copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum non excedit, quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt abſque graui diſpendio, huiuſmodi prohibitio generaliter obſeruari,* eſſeque impedimentum dirimens declarauit Pius V. in Extrauag. ad Romanum.

Quid ſi affinitas matrimonio iam rato ſuperueniat?

Reſpondend. per eiuſmodi copulam cum conſanguinea intra ſecundum gradum, inceſtum committi, tamen matrimonium non ſolui, ſed per eam duntaxat fieri, vt qui fuit in culpa, non poſſit citra diſpenſationem debitum petere, etſi teneatur reddere, vt dicitur in cap. 1. & cap. diſcretionem de eo qui cognouit: haneque pœnam ſubire canonica lege debet, ſiue inceſtus occulte ſit commiſſus, ſiue innotuerit publice. Gloſſa in can. qui dormierit 32. q. 7.

Dico ſecundò, *Tam decreto Pij V. in Bulla quæ incipit ad Romanum Pontificem, impedimentum affinitatis cui eſt initium à congreſſu vetito, non extendere ſe vltra ſecundum gradum inclusiue*: Ita Concil. ſeſſ. 24. cap. 4. *Synodus*, inquit, *eiſdem & aliis grauiſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem, ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, adeo tantum, qui in primo & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringi &c.*

Quid ſi vir probabiliter neſciat, fœminam cui commiſceatur carnaliter, eſſe vxoris ſuæ conſanguineam?

Reſpondendum, affinitatem quæ ex tali copula oritur, obſtare quidem matrimonio, non autem petitioni debiti. Obſtat matrimonio, quia iura quæ hoc impedimentum inuehunt, ad omnes pertinẽt, ſcientes æque, ac ignorantes capiunt, excludunt neminem. hæc copula petẽdi debiti poteſtatem non adimit, quia iuris huius priuatio, pœna eſt, inceſtus, ergo & culpæ, admiſſæ, at hæc, vtpote quam voluntariam eſſe eſt neceſſe, cum ignorantia quæ malitiæ notitiam adimit, ſtare non poteſt: ergo &c.

A

De Impedimento cognationis legalis.

DE hac cognatione quæ vix eſt in vſu hoc tempore, agitur extra de cognatione legali, eſtque propinquitas perſonarum proueniens ex adoptione vnius de illis ab alia in filium ſuum, vel filiam. Nam eſt adoptio apud auctores iuris, extraneæ perſonæ in filium, aut filiam, vel nepotem, aut neptem aſſumptio, eſtque hæc duplex, perfecta vna, imperfecta ſeu ſimplex altera, Imperfecta, eſt in qua perſona extranea in parentis poteſtate exiſtens, aſciſcitur in filium, aut filiam, ſic tamen vt è patris poteſtate non exeat, nec patri adoptiuo, neceſſario in teſtamento ſuccedat. Perfecta vocatur arrogatio, & eſt cum aliquis iuris ſui exiſtens, ex reſcripto Principis alteri ſit filius adoptiuus, ita vt in eius poteſtatem, ac familiam tranſeat, eſtque adoptanti inſtar filij legitimi, cum iure ſuccedendi arroganti, in quarta parte bonorum eius. Ægidius diſp. 32 dubio 2. quam etiam capeſſit ab inteſtato, abſque eo tamen quod eum legitima ſua priuare arrogator poſſit in quo adoptio, quæ eſt aſſumptio, ab arrogatione diſtinguitur, illa enim optat quidem, & exigit in filium, ſed ſine tranſitu allecti in dominium allegentis, cuius oppoſitum habet arrogatio ex dictis proxime. Hæc autem illud dirimit in linea recta inter arrogatam, & eius deſcendentes ex vna parte, maximè ſi ſunt in eius poteſtate, & arrogantem ex altera lege, adoptiuus lege per adoptionem digeſt. de ritu nuptiarum cap. vnico, præterea inter arrogantem & vxorem arrogati, & vice verſa lege quin etiam & lege adoptiuus ff. de ritu nuptiarum. In tranſuerſali autem, inter filios legitimos, ac nepotes adoptantis, & adoptatum, dum modo tamen prædicti filij & nepotes, ſint tempore contractus in patris poteſtate, nam ſi ſunt emancipati, vel adoptio ceſſauerit, ceſſabit & hoc impedimentum, contrahique inter eos matrimonium poterit, vt dicitur in rubrica de cognatione legali, ſecus eſt de coniunctione adoptantis, aut eius vxore, cum adoptato, ſemper enim retinet hæc cognatio vim ſuam, etiam in emancipato, lege quin etiam titulo de ritu nuptiarum.

An autem hoc impedimentum ſimiliter naſcatur ex adoptione imperfecta authores ambigũt, mihique negatiua opinio, videtur eſſe rationi conformior, quia ius poſitiuum, hanc cognationem introduxit, ad impediendam fornicationem, quæ facile poteſt contingere inter perſonas eadem in domo morantes, quod periculum non eſt in imperfecta adoptione metuendum, cum ſic adoptatus, non traducatur in ædes adoptantis, nec in eius ſit poteſtate, ergo talis adoptio matrimonium impedit.

Deinde cum matrimonium res ſit fauorabilis, verba canonum quæ cognationem legalem inducunt, ad proprium & perfectum eorum ſignificatum ſunt arctanda: ſed imperfecta adoptio non eſt eiuſmodi, ſed potius via quædam ac diſpoſitio ad perfectam: ergo &c.

De Impedimento diſparitatis cultus.

PEr cultum diſparem intelligitur religionum diuerſitas, ſeu coniugum in religione, & fide diſſidium, quale eſt tantum inter baptiſatum, & non baptiſatum, & de hoc impedimento.

Dico primò, *Iure naturali aut diuino, induſtum non eſſe*, quia cum ex coniugibus, Chriſtianæ fidei myſteriis nec dum imbutis, aut alienis ac fide, eorum alter Chriſtiana ſacra ſectatur, fitque Catholicus, non ideo tamen matrimonium interit B quod eſt argumento, iure illud naturali, aut diuino non eſſe irritum.

Secundo erant in lege naturæ ſtata ac firma inter religione differentes matrimonia, ecquid enim non Iacobus Patriarcha, iam in coniugem fide ac cultu in Deum ſibi diſparem duxit? hic enim cum genere Iſraelita eſſet, profeſſione autem principis Dei ſacris addictus, haud dubie, fide in eum erat ſincera, & recta, qua tamen eius vxores caruiſſe patris infidelis exemplo & more, quis non intelligit? non eſt ergo, ad vim matrimonij, iure naturæ neceſſaria, inter coniuges ſimilitudo religionis, aut fidei.

Quid? quod olim in lege Euangelica, coniugia, C inter quoſcunque nullo fidei diſcrimine, permiſſa fuiſſe dicat Aug. de fide & operibus c. 19. quæ tamen inania fuiſſent ac nulla ſi ea natura horruiſſet.

Dico ſecundò, *Quæ ſiunt à fideli, cum gentilis matrimonia, illicita hæc eſſe, iure antè Eccleſiaſtico inuadali.* Doctorum eſt hæc omnium opinio. Equidem viciosa ſunt, & illicita, quia dubia ſũt, quia periculoſa, quia fere ſemper cõiuncta aleæ faciendi in fide naufragij, cultuque, erga Deũ, ac cœlites, quare Deuterono. ſeptimo, ea ſibi prohibenda graui hac oratione Dei nomine credidit Moyſes. *Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum, neque ſociabis cum eis coniugia: filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat diis* D *alienis, iraſceturque furor Domini, & delebit te cito.* Hinc enim patet, Chriſtiani cum idololatra muliere connubia, mala eſſe, nec ferenda, cum ea Deus oderit, familiarũ exitio, pernicieque plectat.

Equidem ſunt hæc non modo Parentibus exitialia, ſed & liberis, eorumque ſaluti noxia, ſic enim ſæpe fit, vt ſi quæ eſt labes in familia, ſi quæ in parentibus macula, hanc conſectentur liberi auide, hanc in vitâ moribuſque ſuis exprimant.

Quid? quod parentes ipſi, pro ſe quiſque, eos, ad ſe in religionum cultu imitandos, non tantum illiciant, ſed quod eſt dolendum, ſæpe verbis, factiſque cogant, ita de Auguſt. ſcribitur, quod optante fideli matre vt baptizaretur, contradicente Gen- E tili patre, eius baptiſma eſt dilatum, eſt ergo ob periculum prolis, quæ raro Chriſtiane educari poteſt, patre alieno à fide Catholica, quem non eſt improbabile facturum in tenera liberorum mente, errorum ſuorum ſementem, fidelis cum infideli, matrimonium illicitum, ideoque prohibitum à Paulo 2. ad Corinth. 6. *nolite iugum ducere cum infidelibus*, 1. autem ad Corinth. 6. monetur fœmina vt *ſi dormierit vir eius, nubat tantùm in Domino*, id eſt Chriſtiano Chriſtiana, vt interpretatur S. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum cap. 34.

Equidem Sacramentum Catholicus recipit, ac etiam ex multorum ſententia, illud ei cum quo ma-

trimonium contrahit, confert ac tribuit. At ei Sacramentum conferre non eſt licitum qui ſcitur eſſe infidelis, quid ita vero? Nempe quia Sacramenti collatio indigno facta, mortalis eſt & ſacrilega, vtpote rei ſacræ violatio contra Chriſti præceptum, naturale & diuinum, *Nolite ſanctum dare canibus*, Matth. 7 Enimuero ſunt miniſtri Sacramentorum, *diſpenſatores myſteriorum Dei*, 1. ad Corinth. 4. quo nomine, infidelem vocandum quis credat? Deinde qui cum non baptizato matrimonium contrahit, priuat ſe Sacramento eiuſque fructu: Sacramento, quia qui baptiſmi vndis non eſt lotus, miniſter Sacramenti alterius eſſe nequit, quam baptiſmi, ob ſummam eius neceſſitatem, fideli ergo Sacramentum vt miniſter non impertit.

Quod autem iure Eccleſiaſtico talia matrimonia ſint etiam illicita, decreta loquuntur Pontificum, & Conciliorum, quorum ſit mentio 28. qu. 1. eſt ad manum Concilii Agathenſ. can. 67. Chalcedon. 14. S. Ambroſ. teſtimonium lib. 1. de Abraham cap. 9. Nec Cæſarum ſtatuta, ſcitaque deſunt: eſt enim in lege ne quis Chriſtianus Codice de Iudæis ne quis Chriſtianus, Iudæam ſibi vxorem eligat, niſi mori velit, in Codice autem Theodoſiano lib. 3. tit. 14. Chriſtiano, ne ſocietatem connubij cum Gentili coeat, mortis pœna prohibetur.

Quod autem talia connubia eodem iure ſimiliter ſint nulla, etſi ex Conciliis non conſtet, aut legibus vllis Canonicis quæ nuſquſ extant id patet tamen ex conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ, quæ à priſcis introducta temporibus habet vim legis, dirimentis ea coniugia vt notarunt Fernandez in exam. Theol. parte 3. cap. 16. parag. 2. ſect. 6. num. 2. Couarr. 2. par. de matr. cap. 6. parag. 11.

De Impedimento Voti.

IN claſſe impedimentorum ac ſerie, quæ iuris ſunt Eccleſiaſtici, locum ſibi habet ſolemne caſtitatis votum, in religione approbata emiſſum, per profeſſionem tacitam, vel expreſſam poſt annum probationis, & decimum ſextum ætatis, tali enim voto, omnis ad matrimonium intercluditur aditus, ab eoque contractum, qui illud ſincero animo, iniit, nullarum eſt, coram Deo vitium, vt definitur in Trident. ſeſſ. 24. can. 9. & cap. conſuluit cap. inſinuante, cap. rurſus qui Clerici vel vouentes & de voto in 6. cap. vnico in Concil. Carthag. 4. can. vlt. Toletano 1. can. 16. Matiſconenſi can. 12. habetque tale coniugium præter culpam mortalem, excommunicationem etiam annexam, quam decreto Clementis quinti, incurrit ipſo facto, quiſquis immemor officij, votique, fœminam ſibi matrimonio copulat. Clement. vnica de conſanguinitate, & in Chalcedon. Concil. can. 16. *Virginem quæ ſe Domino Deo dedicauit ſimiliter & Monachos, non licere matrimonio coniungi, ſin autem hoc feciſſe fuerint inuenti, ſint excommunicati*, Ancyranæ Synodi 19. canon ſic habet: *Qui ſe voto virginitatis obligauerit, ſi fidem promiſſi fregerint digamorum legibus iudicentur.* Trullanæ 44. *Monachus*, ait, *qui cum ſcorto deprehenſus fuerit vxoremue duxerit ſcortatorum pœnas luat, τῶν τῶν πορνευόντων ὑποβαλλέσθω ἐπιτιμίοις*, quod etiam in Baſilij vndecimo canone eſt decretum.

Voti ſolemnis facta eſt mentio, vt innuerem ſimplici matrimonium non lædi, peccat quidem qui eiuſmodi voto obligatus, fœminæ ſi-

A dem dat connubij, per verba de præſenti, ſed Eccleſiaſtica lex eſt nulla, aut diuina, quæ eam reſcindat inanemque ac ſine effectu eſſe iubeat, cap. meminimus cap. conſuluit cap. rurſus qui Clerici vel vouentes.

Excipienda ſunt vota tria ſimplicia quæ in Societate Iesv, poſt exactũ biennĩ Nouitiatus, emitti ſunt ſolita, his enim tam vere ac proprie Religioſi ſumus quam qui è diſciplina ſunt SS. Dominici ac Franciſci, ac publicè eorum legibus, tria vota ſolemni ritu ſunt profeſſi, quare ſi quem è ſocietate, ad ſæculum, poſt emiſſa hæc tria vota, remigrare contingeret, præterquam quod Apoſtatarum pœnis eſſet obnoxius, etiam contraheret inualidè, hoc eſt effectu irrito, ac nullo, nam vt eſt in
B Bulla Aſcendente Domino, cuius auctor eſt Greg. XIII. his votis Religioſi efficimur, ergo vt cæteri à contrahendo impedimur per ea, conſequenter matrimoniũ faciendum dirimunt, antea tamen contractum non dirimunt, ſecundum Vaſq. tom. 2. diſp. 165. cap. 10. Sanch. 5. moral. cap. 1. n. 29.

Eſt impedimentum hoc vero iuris ſolius Eccleſiaſtici Gloſſ. in cap. rurſus qui Clerici vel vouentes.

Patetque primo, quia voti ſimplicis vis eſt eadem ac natura quæ ſolemnis, cum vtriuſque idem ſit obiectum, & *ſimplex apud Deum non minus obliget quam ſolemne*, extra qui Clerici vel vouentes
C cap. rurſus 6. *ſitque ſolemnitas ex ſola Eccleſiæ conſtitutione inuenta*, de voto in 6. cap. 10.

Secundo, profeſſio tacita eſt tantum de iure Eccleſiaſtico, item quod religiones approbari debeant ab Eccleſia: ergo & impedimentum quod ex his conditionibus dependet.

Equidem vult Innoc. Papa II. in Concil. Roman. can. ſeparari 7. Monachos ac conuerſos profeſſos, qui *Sanctum tranſgredientes propoſitum, vxores ſibi copulare præſumpſerunt, quod huiuſmodi copulatio quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non ſit*, 27. qu. 1. can. vt lex continentiæ. Viden' vt coniugium à Mona-
D cho profeſſo celebratum, dicatur eſſe contra decreta Eccleſiæ? non naturæ aut Dei?

Sane eſt in iure ſummi Pontificis, relaxare ex cauſa iuſta votum ſolemne caſtitatis religioſorum, iiſque concedere, vt matrimonium contrahant, Richard. in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 9. Scotus ibid. qu. vnica, Antonin. 2. parte tit. 11. cap. 2. & probatur, nam voti perpetui tollere obligationem, nexumque poteſt: ergo & ſolemnis: quod enim ſit tale à voluntate pendet Eccleſiæ, opinione Boniface. Papæ octaui de voto in 6. cap. vnico. Illud enim ſolum votum ſolemne dicitur, *quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit, per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut*
E *profeſſionem expreſſam, vel tacitam, alicui de religionibus per Apoſtolicam ſedem approbatis.* Bonifac. proxime citat. Hinc enim diſputandi, ſic ſe mihi locus occaſioque prodit.

Eſt voti ſolemnitas *ex ſola Eccleſiæ conſtitutione inuenta*, de voto in 6. cap. vnico: ergo in ea, quin hæc diſpenſet, quando & quoties illi erit collibitum, nihil obſtat, idem ergo in huius effectu voti, qui eſt impedire contrahendum matrimonium, & contractum dirimere, tentare poteſt Eccleſia, ac aggredi, non fluit ergo hoc impedimentum naturæ, ac Dei lege, à voto caſtitatis in Religione approbata nuncupatæ, aut in ſacrorum ſuſceptione ordinum.

Eſt tamen non modica, Monachos inter ac ma-

iorum Ordinum Clericos, quoad rem præsentem differentia, nam votum solemne continentiæ, quod est voluntate Ecclesiæ sacris ordinibus aduersum, matrimonium ratum & non consummatum non soluit, sed tantum impedit. & dirimit contrahendum, cum religiosa professio ratum etiam dissoluat.

Pars prima habetur in Extrauag. Ioan. 22. de voto & voti redempt. cap. vnico ibi enim habetur, his verbis: *Quod licet votum solemnizatum, per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum, ad dissoluendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum (quum nec iure diuino, nec per sacros canones hoc reperiamus statutum) inualidum est censendum*, quare si maritus, ante consummatum matrimonium, sacro se ordine initiandum curet, irrequisito assensu coniugis, est irregularis, monendusque sedulo, non cogendus tamen, vt Religionem ibi aliquam deligat è multis vnam, vbi Deo, salutique suæ det operam, atque illic solemnis professionis pignore Christo duci authoretur, *quod si forsitan reuuerti adimplere, ipsum (si sponsa eius institerit)* inquit Ioan. Papa 22. *per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus, contractum matrimonium consummare*, quod de Monacho aut Religioso alio quolibet professo solemniter, nusquam scriptum legitur, habet enim eius professio, vt coniugium legibus Ecclesiæ, rituque ab eo celebratum antea, modo ne consummatum fuerit, dirimat, quia *qui moritur priori vitæ*, inquit D. Thom. in 4. dist. 38. art. 3. qu. 2. *non tenetur ad ea, ad quæ tenebatur in illa*, quæ causa est ait Caietan. in 2. 2. qu. 88. art. 12. cur iure ipso vota omnia, in sæculo facta, exspirent in professione, sed est religiosa professio, spiritualis quidam interitus, cum hominem eo loco statuque constituat, vt rerum præsentium, mundique sensum, peræque ac mortui nullum habeat, hinc prolixæ vigiliæ, humi cubationes rigidæ, inedia perpetua, insulsi & insuaues cibi, vestitus asperrimus, mira in omnibus patientia. *Mortui sumus omnes*, quotquot in Christi castra concessimus facturi in religione stipendia, sub honoratis crucis amantissimæ insignibus, *& vita nostra abscondita est in Christo, in Deo*, quæ si sunt vera, dicta est causa, solemnis in religione approbata professio, matrimonium ratum perimit per eam eius omnis obligatio, nexusque interit, quod auctoritati Ecclesiæ tribuendum, Sotus indicat lib. 7. de iustit. q. 4. art. 3. patetque ex decretali Bonifacij VIII. de voto & voti redempt. in 6. nam etsi votorum omnium, quibus se castimoniæ legibus astrictum quis cupit, vis naturaque sit eadem, hæc tamen *etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum: & quanto manifestius sunt emissa, tanto propter plurium scandalum, & exemplum, durior pœnitentia transgressoribus debeatur: non tamen matrimonia rescindere possunt post contractu.* Quod autē hoc solēni conueniat, Ecclesiæ, quæ sic voluit, decretis est ac legibus tribuendum, quæ irreuocabiliter (vt aiunt) Dei nomine, quam sui traditionē profitendo quis efficit, acceptat cū obligatione reciproca, ex qua mors quædam spiritualis, seu (vt loquuntur alij) spirituale quoddam matrimonium consequitur, cui prius secundum carnem editum cedat, oportet: Qua acceptatione Ecclesiæ, cum careat votum simplex, nec enim fit necessario in cœtu populi publico, illud acceptante Episcopo, aut Prælato quopiam alio, hinc est, quod connubia ne licite fiant, ac sine crimine impediat, facta tamen, postquam est emissum, aut ante, non soluat, Alexand. III. testimonio in cap. meminimus 3. consuluit 4. tituli qui Clerici vel vouentes quæ fuit etiam Cœlestini III. opinio in cap. rursus sexto eiusd. tit.

DE MATRIMONIO clandestino.

QVÆSTIO I.

An Matrimonia clandestina, id est sine Paroco, & duobus testibus facta, sint inualida iure naturæ.

Vpponendum primo, clandestinum dici dupliciter.

Primo, vt idem sit ac quod fit non præmissa promulgatione trina cap. fin. de desponsatione clandestina.

Secundo, quod occultè fit & sine testibus, vel vt alij loquuntur, non in facie Ecclesiæ Soto dist. 28. art. 2. Couatr. 2. parte epist. art. 6. cæterarum enim solemnitatum omissio, matrimonium proprie clandestinum non efficit, sed minus solemne, Caiet. verbo matrimonium.

Supponendum secundo, Ecclesiam ad vetanda clandestina connubia hac maxime inductam causa esse, quod eorum occasione, ac causa, incommoda erant vbique perquam frequentia: cū enim de iis certi nihil haberet Ecclesia vt quæ essent solis cōtrahentibus cognita, sæpe vsu veniebat vt ad secundū quod palā, & in oculis ciuitatis aut Parœciæ, factum erat contrahentes adigeret, quod tamē non erat matrimonium, sed cōcubinatus: Quid si in eam mentem veniſſe dicatur Ecclesia, quod Sacramento debita reuerētia exigat, vt non nisi bene præparato detur, cuiusmodi esse, aut fore, qui de matrimonio suscepta consilia: clam parente & aliis exequitur quis putet? Quid? quod clandestina contrahendi matrimonij ratio, tam eius perennitati aduersetur, quam fidei? cum nihil sit tam facile quā perditos homines contra fidem clam arbitris, occulte ac silenter datam, publicè ad alia vota transire, nouam sibi quærere coniugem, & cum ea, ad finem vsque vitæ manere? quo quid animæ periculosius, quid timendum magis esse potest?

Supponendum 3. nunquam non fuisse vsitatum in Ecclesia, vt se Sacerdotes contrahentibus præsentes sisterent, fit enim huius moris in Carthagin. Concilio 4. cap. 13. mentio: fidem hæc verba faciunt, *vt sponsa & sponsa, cum benedicendi sunt a Sacerdote, à parentibus suis, vel paranimphis*, offerantur, nempe vt quod erudite notauit, Ignat. ep. 2. ad Polycarp. *Nuptiæ iuxta præceptum Domini, non autem ob concupiscentiam coniungi videantur.*

Supponendum 4. & hoc priſco æuo in more fuisse Catholicis, vt inituri matrimonium Eucharistiam ex ritu, formaque perciperent Ecclesiæ nec hoc modò sed, eorum quoque dexteræ iungebātur inuicem, vt perspicuum est ex cap. 7. Tobiæ &

Xenophonte lib. 4. rerum Græcarum: In digitum, etiam puellæ qui minimo eſt proximus immittebatur annulus, ob eam cauſam quod crederent, in eo, venam quandam eſſe ſanguinis, quæ cor tangeret, eoque mearet, hos ritus claudebat capitis velamen quo obnubebatur noua ſponſa, à quo nuptiis nomen factum, quæ omnia expreſſit in reſponſis ad Bulgaros cap. 3. Nicolaus poſt Euariſtum in epiſt. 1. ad Epiſcop. Africæ, & Hormiſdam. cap. 6. decretalis epiſt. Sic ergo ille: *Fœdera conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur: & poſtquam arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei annulo inſignitum deſponderit, dotemque vtrique placitam. ſponſus ei cum ſcripto pactum hoc continente, coram innuptiis ab vtraque parte tradiderit, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur, & primum quidem in Eccleſia Domini, cum oblationibus, quas offerre debent Deo, per Sacerdotis manum ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem & velamen cœleſte ſuſcipiunt*, quo de ritu poſt Euariſtum in epiſt. ſua, hæc etiam Tertull. ad vxorem lib. 2. in fine, *Vnde ſufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio? Mulæ ſacrificiũ & obſignatum Angelis, id eſt Sacerdotes renuntiant.*

Supponendum 5. occultas nuptias ſemper fuiſſe Eccleſiæ Deoque exoſas, vt Tertull. lib. de pudicitia declarat, his verbis: *Penes vos occultæ quoque coniunctiones, id eſt non prius apud Eccleſiam profeſſæ, ſuxta mœchiam, & fornicationem iudicari periclitantur*, quare *nullus fidelis cuiuſcunque conditionis ſit, cauſſe*, inquit Hormiſda Papa cap. 6. *nuptias faciat, ſed benedictione accepta à Sacerdote, publice nubat in Domino.* An autem eas ſimiliter natura abhorreat iam eſt videndum.

Prima Aſſertio, *Matrimonium clandeſtinum iure naturali non eſt nullum*, quia ante Trident. erat validum: ergo à natura, non habet quod ſit irritum.

Secundo, non poteſt hoc modo eſſe illicitum, niſi ob incommoda quibus patet, quæque ei ſunt adiuncta, cuiuſmodi ſunt ſcandala, peccandi illecebræ, occaſiones & alia, at hæc cum ſint extrinſeca matrimonio, quare vitari nequeunt? vt pote ex hominum malitia profecta?

Tertio, cum matrimonium ſit contractus humanus qui reuocatur ad illud genus contractuum *Do vt des*, vera autem contractus forma, ſit contrahentium legitima conſenſio, vt conſtet matrimonium, non requiritur niſi conſenſus mutuus perſonarum, externo ſigno declaratus, quæ ſint ad contrahendum habiles: At coniuges, abſente Parocho, conſentire in mutuam traditionem ſuorum corporum quid vetat, ſi ſeclusò iure Eccleſiaſtico ſunt habiles? ergo ſi eius nulla habetur ratio, nulla Eccleſiæ, nulla legis quæ clandeſtina connubia prohibet, ſed tantum naturæ ac iuris eius proprij, matrimonia eiuſmodi quin ſint hoc iure valida, rataque, nihil impedit.

Quarto, vbi eſt vera forma & materia Sacramenti, ibi neceſſe eſt verum exiſtere Sacramentum, ſed ſi naturam conſideres, ſi eius iura, qui procul Parocho, eoque non intelligente, ſoli fœdera nuptialia contrahunt, fideque reciproca ſtabiliunt, veram materiam adhibent, quæ eſt mutua corporũ traditio, nullo diuinæ impedimento, vitiata, legitimam item formam, quæ eſt mutua conſenſio ſigno exteriore declarata, non ſunt ergo clandeſtina connubia iure naturæ nulla.

Secunda Aſſertio, *Iure tamen Eccleſiæ tale matrimonium eſt prohibitum, & nullum*, habetur expreſſe in Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. his verbis: *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, aut ordinarij licentia, & duobus teſtibus contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos decernit*: fecit id vero Eccleſia duobus modis.

Primo indirecte, faciendo pro iure, ac auctoritate ſua, vt eſſent vir & mulier inhabiles ad ſic contrahendum.

Secundo, directe, annulando vt ſic dicam immediate ac in inane reuocando coniugium ſic contractum, verba ipſa in capite citato poſita indicant, *eiuſmodi contractus irritos eſſe, ac nullos eſſe decernit prout eos præſenti decreto irritos facit.* Mihi tamen minime eſt dubium à Concil. matrimonium irritari indirecte tantum, vt eſt Sacramentum, quatenus irritando contractum, in quo fundatur Sacramenti ratio, matrimonium ex conſequenti reſcindit, ac irritat vt Sacramentum.

Quod vt accidat, requiritur primo, vt in eo loco, vbi contrahitur, decretum Trident. Concilij de clandeſtinis coniunctionibus fuerit promulgatum, alioquin non ſunt hæ nullæ, Trid. ſupra vbi vult hoc Patrum decretum, in vnaquaque Parochia non habere robur, niſi poſt 30. dies ab eius publicatione.

Debent ergo ſecundo, ab ea effluxiſſe tot dies vt contractus de matrimonio clam initus, inanis ſit ac nullus, quia ſic Eccleſiæ viſum, ſic Concilio placitum, vt patet ex cap. 1. dictæ ſeſſ. 24. alioqui quod pro charitate eſt inſtitutum, in eius vergeret damnum, fidelium que omnium, nam Eccleſiæ quî poſſunt morem gerere, ſi illis non conſtet de eius voluntate? hanc autem noſſe cui integrum, niſi cum illam patefacit, ac ſuperiorum ore euulgat?

Tertio, lex non obligat vbi non eſt recepta, non poteſt autem recipi niſi promulgata, debet ergo præceſſiſſe promulgatio huius decreti, in ſingulis Parœciis, antequam ad ſui cuſtodiam, fideles nõctat ac vinciat.

Tertia Aſſertio, *Fit matrimonium proprie clandeſtinum, per abſentiam Parochi proprij, aut alterius, de eius, vel ordinarij licentia, & duorum teſtium*: Trid. ſupra, quia hæc tria vt eſſentialia ad valorem matrimonij Concilium exigit.

Excipiuntur caſus aliqui, in quibus huius legis violatio, matrimonij eſſentiam ac valorem tollit.

Primus eſt defectus Parochi, aut Sacerdotis, in locis vbi non ſunt Parœciæ, nec vlla Sacerdotum copia, nec ſpes habendi, nec ad eos è ciuitate propria, tranſitus eſt facilis ac peruius vt declaraſſe Clementem VIII. habet Ægidius n. 11. dub. 1. diſp. 27. Graſſius lib. 2. deciſion. cap. 86. nu. 9. ibi enim aſſerit conſtare matrimonium eorum, qui in articulo mortis poſiti, clam omnibus, mutua ſe aſſenſione voluntatum copulant, filiæ item nobilis, quæ in metu violentiæ ſibi à tutore inferendæ, vt vitum natalibus ſuis, ſtirpeque indignum, ſibi iungat, alteri fidem de præſenti tribuit, ſine Parocho ac teſtibus. Eadem eſt Laymani ſententia, tom. vltimo tract. 10. par. 2. cap. 4. num. 7. nam Catholicos ait validè matrimonium contrahere in Saxonia coram prædicante: *Sed etſi*, inquit, *in aliqua ciuitate decretum promulgatum fuerit, modò tamen expulſis Catholicis Sacerdotibus, non adſint proprij Pa-*

flores, valide, ſicut prius, coram Prædicante, vel ſine Prædicante, matrimonia contrahi poſſunt.

Sunt in oppoſita ſententia viri eruditione graues Cenedo qu.10. num. 18. Nauarr. cap.22. Enchir. n.70. Fernandez par.3.cap.18.parag.1.de matrim. ſecundum ſe, in nullo ſcilicet caſu, valere matrimonium Catholicorum, contractum ſine Parocho & teſtibus, quæ opinio quoniam ſe tantorum authoritate hominum tuetur, probabilis cenſeri debet. Probabilior tamen, mihique iſta mitior videri prior ſolet.

Primo, quia veri ſpeciem habet non modicam, Papa in decreto Concilij in huiuſmodi euentu, diſpenſare ob Presbyterorum inopiam.

Secundo, cum in eorum defectu carentiaque, Conc. Trid. ſanctio ſeruari nequeat, abhorret à recto credere, matrimonij capeſſendi libertatē impeditā eſſe, vt reſponſum tuliſſe ſe ab Eminentiſſ. Cardinali Bellarm. ſcribit Chappeauilla qu. 15.cap.6.

Secundus caſus eſt, cum vir & fœmina contrahunt, in locis, vbi quia Concilium non eſt receptum, nullius eſt ponderis, nullarum ad obligationem inferendam virium lex enim neminem niſi promulgata & recepta ſtringit, vincitque.

Tertius caſus eſt, cum Papa patitur Sacerdotem ac teſtes à ſponſis non adhiberi, ſed permittit, vt ſoli remotis arbitris, conſcioque nemine, fidem ſibi matrimonij de præſenti mutuo ſpondeant quod eum poſſe facere certum eſt, cum ſit ſupra Concilium, ac conſequenter in eius decretis diſpenſare valeat.

QVÆSTIO II.

Quis in hac materia cenſeri debeat ordinarius & an matrimonium clandeſtinum habeat rationem ſaltem Sponſalium.

ORdinarij nomine intelligitur Papa, quemadmodum, & in confeſſionis materia.

Secundo eius Legatus in ea prouincia vbi Papæ vices, Legati nomine obit, quia par ibi, eius eſt ac æqualis authoritas cum loci Antiſtite, & quidquid hic in ſua Diœceſi poteſt, licitum eſt & Legato ex tit. de offic. Legati in 1. Decretalium.

Tertio, inter Ordinarios habendus eſt Archiepiſcopus, ex probabili tutaque ſententia, cum actu viſitat, aut cum eſt ad eum cauſa deuoluta, cap. Venerabilibus 7. de ſententia in 6. Suar. tom. 4. diſputationum 25. ſect. 1. num. 140.

Quarto, Epiſcopus in ſua Diœceſi.

Quinto, eius Vicarius in ſpiritualibus, quia cum eius vices gerat, vnumque habeat cum eo tribunal, cap. Romana 3. de appellat. in 6. decuit, vt tantundem illi in hac cauſa fas eſſet, quantum & per leges conceditur, cuius eſt Vicarius: quare facultatem facere poteſt futuris coniugibus vtendi opera Sacerdotis cuiuſlibet, vt ſuo, aut Parochi loco, aſſiſtat eorum matrimonio.

Patet hinc, ordinarij nomen pertinere immediate tam ad Parochum, quàm quemlibet alium, qui ratione officij, habet ordinariam iuriſdictionem, cui eſt annexa cura animarum etiam Parochiali maiorem.

De ſecunda parte quæſtionis, diuerſi, diuerſa ſentiunt, exiſtimat enim Henriq. lib.2. de matrimonio cap. 5. num. 4. cum Vega tom. 2. ſummæ cap. 34. caſu 25. eos inuicem ſibi necti, ſponſaliorum lege, quare & ad celebrationem legitimam matrimonij teneri, cum ſe dabit honeſta eius faciendi occaſio, idem cum illis ſentiunt Layman. lib. 5. tract. 10. cap. 1. num. 18. Coninch. diſp. 21. dub. 4. concluſ. 18.

Sed contrarium ſentiunt Nauar. lib. 4. conſilio 3. de clandeſtina deſponſatione, Sanchez lib. de matrimon. diſp. 20. num. 3. & probatur ex contractu nullo, nulla eſt in contrahentibus apta ſequi obligatio, ſed contractus coniugum clandeſtinus, eſt nullus: ergo nullo modo obligatorius: Maior probatur, obligatio eſt effectus veri contractus, cum proprietas non fluat niſi ex natura exiſtente: ergo contractus nullus, non modo non eſt verus, ſed nec eo nomine dignus. Minor probatur, contractus nequit eſſe verus, ſine ſua materia, & conſenſu partium non impedito, ſed clandeſtinus vtroque caret, nam materia matrimonialis contractus, remota ſunt perſonæ, quæ ſe ſibi inuicē tradunt, at qui clandeſtinè contrahunt, ſuorum ſibi poteſtatem corporum non tribuunt, cum ad id ſint inhabiles per Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. cuius hæc ſunt verba: *Ad ſic contrahendum eos ſancta Synodus omnino inhabiles reddit.* Itaque cum ſic contrahentes, peccent contra diſpoſitionem Concilij, & ſuperioris imperium, actum faciunt malum, potius quam verum, iuſta plectendum pœna, ergo non approbandum ab Eccleſia, ergo nec vt ſponſalia.

Dices probare id quidem, matrimonium eſſe nullum, non tamen ſponſalia.

Sed contra quia in his, eſt inchoatiuè matrimonium: ergo ſi illius ſint incapaces, qui clandeſtinè contrahunt, erunt & illorum.

Obiicies 2. dici in cap. vnic. de deſponſatione impub. in 6. impuberes qui contraxere matrimonium inualidè, vere obligari per illud, non vt eſt matrimonium ſed vt ſponſalia, at quæ eſt impuberum, eadem eſt quoque quorumlibet aliorū ratio.

Neganda eſt minor, quia non redduntur impuberes, ad contrahendum inhabiles, ſicut qui id grandi iam ætate clandeſtinè faciunt: ergo etſi illi ſe obligent, non tamen hi. Facit tamen hic canon, vt exiſtimem, impuberum matrimonia clandeſtina, aut publica, nulla tamen ob defectum ſolemnitatis, aut formæ, id eſt conſenſus legitimi in ætate incompetenti, aut puberis, cum impubere quæ ſunt nulla, tranſire in ſponſalia, ſi hi contrahere velint, omni modo quo valide poſſunt, quia obligatio futura ex actu, petitur ex tacita, aut expreſſa voluntate contrahentium, at eſt probabile impuberes habuiſſe voluntatem ſaltem tacitam, in caſu quo matrimonium non poſſent: contrahere ſaltem ſponſalia, cuius oppoſitum eſt dicendum, in caſu quo expreſſe matrimonium tantum inire illis fuiſſet propoſitum: nam tunc in foro conſcientiæ, nequidem ad ſponſalia aſtricti eſſent.

QVÆSTIO III.

Qui teſtes & quot, ſint ad validitatem matrimonij neceſſarij.

PRima Aſſertio, *Teſtes duo minimum, cum Paroche, ſunt ad validitatem matrimonij neceſſarij*, habetur expreſſe in Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. vbi diſſoluitur initum cum minore numero, nec poteſt eorum vicem ſupplere Parochus, quia quando ſtatu-

Digitized by Google

tum exigit, ad certum actum genera perſonarum duo diſtincta, vna vnius generis, vicem gerere nequit vtriuſque Felin. in cap. ex litteris de probat ſed Sacerdotem, teſteſque duos vt minimum exigit Concilium iique omnium opinione perſonæ ſunt, diuerſorum generum, ergo non poteſt à Parocho, cum vno teſte, teſtis munus obiri.

Secunda Aſſertio, *Teſtes futuri matrimonij, debent eſſe rationis compotes*, quia alioqui illud factum eſſe teſtari nequeunt: Et ita amentes, ebrij, infantes ſomno oppreſſi, de eorum ſunt numero excludendi, quia teſtimonium eſt relatio rei viſæ aut auditæ, quod amentes, & ſomno oppreſſi, efficaciter præſtare non poſſunt.

Confirm. Parochi teſtiumque præſentia, moralis eſſe debet, vt intelligant quid agatur, & teſtificari poſſint, matrimonium vtriuſque conſenſu factum eſſe, ſed id facere, rationis compotes ſoli poſſunt: ergo, &c.

Quid ſi teſtes ſint infames? Exiſtimarunt aliqui, tales ad faciendam fidem matrimonij contracti, idoneos non eſſe, ſed requiri, omni vt ſint exceptione maiores, ex cap. 1. de conſanguineis, quales ſunt qui nullum patiuntur vitium, quia cum matrimonium (inquiunt,) res ſit grauis, non quibuſlibet eſt credendum, ſed piis, ſed prudentibus, ſed honoratis inter ſuos, bonæque famæ ac nominis.

Tertia Aſſertio, *Quamuis in cauſa matrimonij etiam infamis, teſtari poteſt moderationis compos*, ita Ledeſ. de matrim. q. 45. art. 5. Henriq. lib. 2. de matrim. cap. 3. num. 9. Sanchez lib. 3. diſput. 41. num. 5. Fernandez de matrim. parte 3. cap. 18.

Primo, quia vt habet Iuo Carnot. in epiſt 78. *in cauſis criminalibus & ciuilibus, diſcretio perſonarum & teſtium, ſolummodo debet obſeruari.*

Secundo, in cauſa fauorabili teſtes omnes, etiam inhabiles ob cauſæ fauorem poſſunt recipi. At cauſa matrimonij cauſa eſt talis, vt habetur cap. vlt. de ſentent. & re iudic. & ſemper præſumitur pro eius valore, ſecundum Ægid. diſput. 27. dub. 4. num. 42. Quare quod eſt in aſſertione poſitum, manere debet vt certum, indubitatum ac ſtabile, quoſlibet, id eſt puberes & impuberes, fœminas, viroſque cuiuſque modi, excommunicatos, & infames poſſe hic teſtari.

Et licet in aliis rebus, repelli poſſint à iudice, aut partibus, valide hic tamen ex eorum conſenſu admitti, quod quando fit, eorum teſtimonium recipitur & auditur ex cap. 1. de exception. in 6. niſi aliud cautum ſit aliqua lege, qualis hic nulla reperitur. Sane Trid. non exigit qualitates vllas in teſtibus ſed tres tantum, aut ſaltem duos adhiberi imperat, ad fidem matrimonij faciendam, cum opus erit: *Credo autem*, inquit Iuo epiſt. 78. ad Guillelmum Pariſienſem Archidiaconum, *quia ſicut in Chriſto, neque ſeruus eſt, neque liber, neque maſculus, neque fœmina, ita in contractibus Chriſtiani populi, quos communes habent liberi cum ſeruis, & omnes homines cuiuſcunque conditionis, ſi de his controuerſia orta fuerit, quaſcunque perſonas ad teſtimonium rationabiliter poſſe admitti, & in ciuilibus cauſis, vel criminalibus, hanc diſcretionem perſonarum ſolummodo debere obſeruari.*

Deinde ſi non niſi omni exceptione maiores, ad teſtimonium adhiberi debent in re matrimonij, omnia plena erunt litibus, cum in pagis, reperire ſit admodum paucos eiuſmodi, & quamquam iis ornati eſſent virtutibus quæ hominem aliquo in loco ponunt, cum tamen ſint hæ ignotæ, merito poſſet ambigi, an qui rure degunt ruſticani homines, iis vere ſint prædiți, & ita omnia forent incerta, ambigua omnia. Quid? quod vt dicebam paulo ante, & notauit Fernandez ſupra: Trident. nullum excipiat: cauſæ ergo eſſe quid poteſt, cur quos lex non excipit, excipi à nobili debeant?

Secundo, quiuis teſtes, ſi tantum ſint inſtrumentarii, id eſt appoſiti inſtrumento, de conſenſu contrahentium, ad probandum in iudicio, factum eſſe contractum, fidem facere poſſunt, ex Gloſſ in Autent. de teſtibus § & licet Bald. in leg. parentes cap. de teſtibus, ſed teſtes requiſiti in matrimonio, ſunt inſtrumentarij, nihil amplius, nam teſtari debent, inter coniuges celebratum eſſe matrimonium, hoc tantum, ob quam cauſam, ei moraliter vt dicebamus antea, præſentes eſſe oportet, cũ contrahitur, *nam coram Titio aliquid facere iuſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi intelligat, itaque ſi furioſus ſit, vel infans, vel dormiens non videtur coram eo feciſſe*, lege 20. digeſt. de verborum ſignificat.

Adde Parochum, eiuſque librum, in quo nomina teſtium deſcripta habet, ſupplere quidquid vitij in iis eſſe poteſt, cum enim de eorum fide dubitabitur, aut matrimonij bonitate, ad eum recurſus habebitur, vt inde iuſta petantur ſubſidia Sacramenti. Deinde quia teſtes licet incapaces, adiuncti tamen alteri, cui fides negari non debet propter vitæ meritum, teſtimonium poſſunt reddere validum, talis eſt Parochus.

Et ita excommunicati, dummodo non denunciati publice, infideles, coniugum conſanguinei, vt pater, mater, & fratres fœminæque omnes teſtari in hac cauſa, ſunt idonei, Sanchez ſupra nu. 5.

Dixi modo *non ſint denunciati*, quia denunciatorũ infirma eſt fides, infirma auctoritas in foro, & cum de humanis contractibus agitur, ad eos firmandos adhiberi nequeunt, cum eorum congreſſu commercioque interdictum ſit omnibus.

Quarta Aſſertio, *In teſtibus tempus ætatis, ſatum nullum eſt, quo ad hoc miniſterium cenſeri debeant idonei*, quia aptitudo teſtandi in cauſa præſenti, id eſt coniugali, peti debet ex eorum notitia quæ aguntur à coniugibus. At hanc habere quidam prius poſſunt tempore, quam alij, ergo ad reddendum teſtimonium de matrimonio, tempus nullum ætatis eſt certum.

QVÆSTIO IV.

Quomodo oporteat Parochum & teſtes matrimonio præſentes eſſe.

QVæſtionis hic eſt ſenſus, an præter præſentiam realem, & phyſicam, moralis quoque requiratur, in teſtibus & Parocho, quæ in hoc eſt ſita, quod hi actum contrahentium ſecundum ſuam ſpeciem naturamque intelligant, id eſt, ipſos hoc moliri vt matrimonium celebrent. Moralis enim præſentia eſt in eo, quod qui moraliter eſt præſens, ſic rebus interſit quæ geruntur, vt earum poſſit eſſe teſtis oculatus aut auritus, qualis eſt habendus, qui ita rem actam audit, aut intelligit, vt eam iuramento factam eſſe affirmare valeat.

Prima Aſſertio, *Tam Parochus quam teſtes, ita præſentes eſſe debent matrimonio, vt ſciant illud vere fieri*, quod idem eſt ac non ſufficere eos tantum corpore præſentes eſſe.

Probatur ex fine aſſiſtentiæ, quam ab iis Trid.

exigit: quorsum enim intereſſe eos matrimonio eſt neceſſe? nempe vt Eccleſiæ de eo contracto conſtet, deque eo tam Parochus, quam teſtes reſpondere rogati poſſint, ne videlicet ſuperſtite prima vxore, vir ſecundam ducat, ſed præſentia ſola corporis ad id nihil confert, ſi enim dum vir & fœmina contrahunt, teſtes dormiant, præſentes quidem erunt corpore, nec tamen vt apparet, teſtari de re geſta poterunt. Requiritur ergo in Parocho, & teſtibus, moralis præſentia, cum aduertentia ad ea, quæ à viro & fœmina fiunt.

Secundo vult Concil. à Parocho benedici coniuges eorum conſenſu intellecto, ergo de mente Concilij, requiritur præſentia moralis, id eſt aduertentia rationis ad ea, quæ fiunt.

Tertio, ſi in Parochi & teſtium oculos incurrerent externa quædam ſigna, & nutus, quibus coniuges ſuos conſenſus exprimunt, nec tamen eorum ſignificatum intelligerent, ſufficienter teſtes non eſſent, cum internum illorum conſenſum, qui matrimonij cauſa eſt effectiua, non videant. At in re, eadem eſt ratio eius, qui præſens non eſt moraliter ac non intelligentis ſigna externa, eorumque notionem ac ſenſum.

Quid ſi vir & fœmina, diuerſo vtantur idiomate, opuſque ſit interprete?

Reſpondeo, hoc non obſtare quo minus Parochus & teſtes dicantur præſentes, eaque quæ geruntur ac fiunt, intelligere, neque enim in Sacramento matrimonii, maior eorum quæ fiunt exigitur notio, quam in Sacramento pœnitentiæ, in quo confeſſarius iudicem agit, ſed obiri confeſſio per internuncium ac interpretem, honeſte poteſt, cum Pœnitentem, Sacerdos capere non poteſt.

Secunda Aſſertio, *Etſi tam Parochus quam teſtes caſu tantum, vel vi & dolo intereſſe cognoſcantur matrimonio, nihilominus ratum erit*, Piaſec. 2. parte praxis cap. 4. n. 16. art. 4. Laym. tract. 10. par. 2. cap. 4. n. 6. Ægid. diſp. 27. de matrimonio dub. 4. n. 44.

Primo, quia *ad fidem rei geſtæ faciendam non rogatus teſtis intelligitur*, lege 11. digeſt. de teſtibus.

Secundo, quia cogi, quia vi, ac metu ad ſpectandum detineri, res non ſunt eiuſmodi quæ notitiam rei geſtæ aut gerendæ per coniuges, ſpectatori adimant, aut impediant ne de contracto matrimonio Parochus & teſtes teſtari valeant, maximè cum vt eſt apud Iuriſc. *Scire teſtis non etiam velle debeat, & inuito eo, recte fiat quod eſt inſſum.*

Peccant tamen mortaliter qui Parochum, ad id vi adigunt, quia per eius vt ſic dicam latera, petitur Chriſti perſona, fit iniuria Eccleſiæ, quæ in ſuo miniſtro, impreſſione metus ac violentiæ efficta, læditur, niſi forte ita rem geri neceſſitas exigeret, vt ſi ſine iuſta cauſa intereſſe ipſe nollet, nec recurſus eſſet ad ſuperiorem, tunc enim aſtu ſine mendacio, tamen induci ad hoc opus poſſet vt notauit Layman. ſup. & Coninch. diſp. 27. dub. 4.

Qui pro Parocho pugnant contra coniuges, ſic argumentari poſſunt: *Nulli fraus, & improbitas debet eſſe emolumento*, eſſet autem ſic contrahentibus ſi iuſtum ac ſtabile matrimonium foret, coram Parocho vi, & metu detento initum.

Ad maior. Reſpondend. eſt, veram eam videri, cum fraus conſenſum tollit, quod non accidit in præſenti negotio, cum ſupponatur vtriuſque coniugis adeſſe conſenſio.

Obiiciunt 2. cum nihil ſit tam conſenſui contrarium, quam vis & metus, vt eſt in cap. cum locum de ſponſal. cap. veniens & ca. conſultationi eod. tit. Parochi & teſtium, qui matrimonio interfuere, A graui metu perterrefacti, conſenſus ei defuit neceſſarius: ergo cum fine eo conſtare nequeat, initum coram Parocho inuito, vitioſum erit.

Negandum eſt Parochi conſenſum ad matrimonij valorem exigi: requiritur autem eius præſentia, vt eiuſdem teſtimonio poſſit eſſe compertum, fuerit ne legitimè celebratum, quod ſciri poteſt eorum teſtimonio, qui etſi inuiti adfuere.

QVÆSTIO V.

Cuius Parochi præſentia, aut licentia, ſit ad matrimonium neceſſaria.

B

PRima Aſſertio, *Si vir & mulier duarum ſint Parœciarum, ſufficit ad validitatem matrimonii, ſi ineatur coram alterutro eorum Parocho, vxoris quidem, ſi matrimonium celebretur in eius Parœchia, mariti autem, cum in templo pagi, aut vrbis, cuius eſt ciuis*, Henriq. lib. 11. de matrimon. cap. 3 nu. 1. Sanchez lib. 2. diſput. 19. num. 11. & diſp. 25. num. 14. Regin. lib. 31. cap. 23. num. 177. Nauar. in Manuali cap. 25. n. 144. vbi id ita à Pio V. & Gregor. XIII. declaratum narrat; probatur autem aſſertio.

Primo, quia ratione connexionis quæ eſt futura inter vtrumque coniugem, qui Parochus eſt vnius illorum, eſt etiam & alterius. C

Secundo, cum matrimonium ſit duorum inter ſe vnio, nec neceſſe vtrumque eſſe eiuſdem Parœciæ, quæ facultas data eſt Parocho coniungendi ſuum Parochianum legitimo matrimonio, extendere ſe debet tam late, ac modus ipſe contrahendi matrimonii ſe porrigit, ſed hic eſſe poteſt inter diſpares ætate, ei domicilium [illegible]

Quid ſi Parochus ſponſæ [illegible] ad oppidum traducta viri, vbi matrimonium ſolemniter fieri debet, ei ſe præſentem ſiſtat?

Nauar. lib. 4. de ſponſal. conſil. 11. negat id firmando connubio ſatis eſſe, quia cenſet perſonam Parochi, extra ſuam Parœciam priuatam eſſe, & non pollere ea authoritate publica, quam Concil. videtur requirere in celebrandis matrimoniis. D

Ne tamen ad eius partes tranſeam faciunt cauſæ ſequentes.

Prima, quod eminentiſſimorum Cardinal. congregatio, ad quos ſpectat Concil. Tridentini declaratio, teſte eodem Nau. ſignificauerit, contrahendis matrimoniis inter ſuæ, & alterius Parœciæ homines, vbique intereſſe Parochum poſſe, & proinde alterutrius de contrahentibus, ad eorum validitatem ſufficere, tam in ſua, quam in alterius Parœcia.

Secunda, quod forma in capeſſendis coniugiis præſcripta à Conc. in eo ſit, vt duo teſtes eis adſint cum Parocho, cætera vt locus, tempus ſint eiſdem extrinſeca, ergo cum in matrimonio, de quo eſt quæſtio, ſeruentur eſſentialia ipſum haud dubiè ratum erit. E

Confirm. ad validitatem matrimonij, alterius Parochi præſentiam non exigi quam proprii. At Parochus ſponſæ, ex eo, quod hæc tranſeat ad maritum, non deſinit eſſe proprius eius Parochus, & quidem iuriſdictione, ad eam ſponſo coniungendam neceſſaria, præditus.

Tertia, Parochus, vbique conferre poteſt Sacramenta ſuis ſubditis, quæ non requirunt iuriſdictionem

iuriſdictionem contentioſam, id eſt notitiam iudicis in tribunali ſedentis, vt habetur lege 2. §. de officio proconſulis & cap nouit. de off. leg. quia tum nihil habet, proprius eius territorii iudex, in quo læſum ſe eſſe queri poſſit, cum ei non fiat iniuria, ſed matrimonium non exigit talem iuriſdictionem, ſed tantum voluntariam: ergo non peccat, ſponſæ Parochus, qui in aliena Parochia, ſolemniter ac publice, ei contrahenti aſſiſtit, Comitol. lib. 1. qu. 131. Laymañ. de matrim. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 3.

Ab his auctoribus diſcrepat, vt dixi paulo ante, Nauar in Manual. cap. 25. & lib. 4. conſil. de ſponſal. lib. 37. & de clandeſt. deſponſ. conſil. 14. nec validum fore matrimonium ſic contractum ante Parochum in non ſua Eccleſia, ſcripſit cum eo Baſil. Pontius de matrim. lib. 5. cap. 26. nititur hæc eorum opinio iudicio vt (inquiũt) Cardinalium (de quo tamen non extat inter eorum reſponſa ſuper Concil. Trid. vlla mentio) quos reſpondiſſe aiunt, matrimonium fieri non poſſe valide, niſi præſente Parocho eius ſponſi, in cuius oppido, vel vico, celebratur.

Sed reſpondendum, id ab illis ſi vnquam eſt dictum, dictum eſſe non per modum præcepti, ſed conſilii.

Deinde dici poteſt, Cardinales velle tantum, ſufficere vxoris Parochum, quando matrimonium fit in eius Parœcia, non addi tamen, illum præciſe requiri, ſic vt eius abſentia, ſit Sacramenti certa diſſolutio.

Parocho tamen eius ſponſi, qui in aliena Parœcia, Eccleſiæ inſtituto matrimonii lege coniungitur, non licet ei ac ſponſæ, benedictionem impertiri in Parochia non ſua, quia benedictio quæ cũ ſolemnitate datur intra miſſarum ſolemnia, ſtrepitũ habet, ſimilem iuriſdictioni contentioſæ, quam exercere Parocho non eſt licitum extra Parochiam.

Patet hinc eum carere culpa, cum præſto eſt eorum connubio, qui eius fœdere iunguntur in non ſua Parochia, quando alter contrahentium ſibi eſt ſubditus, quia minus eſt aſſiſtere in alieno territorio, viro & fœminæ ſe copulantibus, legitimo matrimonio, quam miniſtrare Sacramentum confeſſionis, cum aſſiſtere aliud nihil ſit, quam præſtare authoritatem matrimonio, cui aſſiſtitur, ad quod non tanta videtur requiri iuriſdictio, quanta ad adminiſtrationem Sacramenti.

Ad argumentum Nauar. reſpondend eſt, male enim aſſerere, publici officii auctoritatem per ſe requiri in Parocho, alioqui teſtes è priuatorum hominum claſſe eſſent exempti, quod eſt abſurdum, ſufficit quod tam hi, quam ille, fidem matrimonij contracti, Eccleſiæ poſſint facere.

Secunda Aſſertio, *Si vir & mulier ſint alienigenæ, eorum Parochus cenſendus eſt iuxta declarationem Cardinalium is, in cuius Parœcia tunc habitant*, quia proprius illis paſtor eſt aſſignandus, à quo Sacramenta ſuſcipiant, at non eſt facile reperire alium, quam qui loco cum poteſtate præſidet, vbi verſantur.

Quid ſi ruri habitent recreationis cauſa? quid ſi caſu ſint in vrbe, per modum tranſitus, itineris, aut etiam negotii gratia.

Communis eaque vera opinio habet, contrahendo per eos matrimonio intereſſe eius loci Parochum non poſſe, dixere hanc ſententiam Barboſa de poteſtate Epiſcopi 2. parte alleg. 32. num. 66. Riccius in praxi to. 1. reſolut. 214. num. 2. Diana de Sacram. reſol. 231.

Docuere contrarium Baſilius Pontius lib. 5. de matrim. cap. 13. parag. 1. num. 4. Sa verbo Parochus num. 2. aiunt enim hi auctores, quoſlibet, vti poſſe ad contrahendum Parocho loci vbi habitant, quo tempore matrimonium inter ſe ineunt. *De Parochia*, inquit Emman. Sa loco citato, *efficitur quis, acquiſitione domicilij, quantum ad pœnitentiam autem*, & Euchariſtiam, *ſufficit habitatio per ſex menſes, at melius alij aſſerunt, ſufficere quantum ad Sacramenta, illic habitare, & non poſſe commodè ad proprium ire, ad matrimonium autem ſufficit vel modica habitatio*, id eſt vt explicat verbo matrimonium num. 2. *habitare in Parochia dum contrahitur*, idipſum à Cardinalibus quoque reſponſum eſſe, ſcripſit Baſil. loco citato num. 5. in hæc verba. *Proprius Parochus eſt is, in cuius Parochia contrahentes habitant tempore quo matrimonium contrahitur*, quæ ſi ſunt vera, dicta eſt cauſa, erit in Parochi poteſtate, commodare ſe, ac operam ſponſis dum relaxandi animi cauſa, ruri, aut in ſuburbano aliquo ſuo, auram captant.

Prior mihi tamen opinio vt probabilior, ita in praxi ſequenda videtur ſingulis.

Primo, quia abhorret à vero, eiuſque ſpecie omni, tantula ac tam breui mora, quanta eſt diei vnius, aut duorum, fieri aliquem loci ac Parochiæ incolam, Epiſcopi ac Principis ſubditum.

Secundo, habent ſponſi alium iudicem, in foro externo, coram quo conuenire debent. Ergo & alium Parochum ſeu iudicem in foro conſcientiæ.

Tertio, domicilium, facit incolam loci vbi eſt conſtitutum, eiuſdem qui illud ſibi ad habitandum conſtituit, voluntate, ac delectu, ſed errones, ſed vagi, ſed temerè, conſilioque certo nullo, per prouinciam, aut Vrbem aliquam tranſeuntes, in ea domicilium ſtabile nullum habentes, ac ſimiliter qui ruri degunt recreationis cauſâ, cum ſi nolunt manere, nec ſedem ad annum, aut annos, ibidem figere durabilem, non ſunt ergo eius loci incolæ, nec Parochi vbi præſidentis, ſubditi.

Obiicies, Peregrino legibus Eccleſiæ conceditur confiteri Parocho loci vbi verſatur, quamlibet ibi breuiſſimo ſit tempore, nec ſit acceſſus adſuum, ergo & inire matrimonium.

Conſequentia eſt falſa, diuerſitatis hæc eſt cauſa, quod Parocho, primum tantum ex priuilegio, vel delegatione Papæ Eugenii IV. liceat: à quo conceſſum eſſe fidelibus memorant, vt Sacerdote, ad confeſſionem vti fas illis foret, qui loco præeſſet quà eos tranſire neceſſitas cogeret, vt refert Caietanus verb. abſolutio. Addunt alii, hoc conuenire fidelibus voluntate proprii Parochi tacita, cuius vſus communis, moſque hominum eſt interpres: neutrum autem illis reſpectu matrimonii competere, niſi qui illud contrahere conſtitutum habent, de vagorum ſint gente, in hos enim (quod ſede omni domicilioque careant) auctoritatis plus habet Parochus, quam in quoſlibet alios, quibus alibi ſuum eſt domicilium, ſua ſedes: peccabit tamẽ eos iungendo, niſi facta prius per ſe, vel alium, diligenti inquiſitione, de eorum ſtatu, conditione, domo & habilitate ad contrahendum, reque vniuerſa ad ordinarium delata, & facultate ab eodem accepta eos copulandi, Trident. ſeſſ. 24. cap. 6.

QVÆSTIO VI.

Qualis Parochi licentia ad validitatem matrimonij ſit neceſſaria.

QVæſtionis eſt hic ſenſus, an Sacerdos quilibet, matrimonio aſſiſtere legitime poſſit ac valeat, hoc præcisè nomine, quod exiſtimet Parochum id probaturum, cum reſciet.

Prima Aſſertio, *Parochi licentia expreſſa eſſe debet, nec ratihabitio, ſeu conſenſus eiuſdem futurus ſufficit.* Ita Nauar. de clandeſt. deſponſatio conſil. 12. Ægid. dub. 3. & Reginald. locis ſupra citatis num. 18.

Probatur, matrimonium eſt nullum, niſi præſente Parocho aut altero de eius licentia factum. At hæc non datur niſi petita, cauſaque cognita, quæ duæ res in ratihabitione locum non habent.

Secundo, quæ eſt ad matrimonium in Sacerdote licētia neceſſaria, eſſe hæc debet cū conuges illud celebrant, at quæ habetur per ratihabitionem, eſt de futuro, non præſenti, nempe quia qui ei intereſt, credit probaturum Parochum, quod ipſius nomine, hic & nunc, matrimonio interſit, vtroque & fœminæ illud contrahentibus.

Secunda Aſſertio, *Debet hæc licentia, verbis aut ſignis externis dari & acceptari*, quia conceſſio donatio quædam eſt, aut quaſi donatio, at hæc non eſt valide & ſufficienter efficax, niſi humano modo fiat, nec cognoſci niſi verbis, aut ſigno aliquo explicata fuerit, vera eſt ergo aſſertio.

Aſſertio tertia, *Non eſt tamen improbabile, valere matrimonium conſ[illegible] Sacerdote initum, cui facultas aſſiſtendi deſi[illegible]ta, quam tacita, ex ratihabione de præſenti aut præterito,*

Probatur, ex multorum opinione abſolutio conceſſa cum ratihabitione futuræ licentiæ eſt rata, ergo & connubium cum ratihabitione de præſenti, cum ſic non exponatur periculo nullitatis, ſicut accidit per ſuſpenſionem conſenſus, ab euentu futuro.

Secundo ad valide aſſiſtendum matrimonio, ſufficit conſenſus Parochi, ſaltem tacitus, iſque de præſenti, at de eo tantum præſens eſt aſſertio.

Confirmatur, vbi requiritur licentia in actu, ſufficit tacita & præſumpta ex ratihabitione de præſenti, vt patet in confeſſione, quæ audiri valide poteſt, cum ea licentia, quæ tunc cenſetur non deeſſe, cum Parocho vidente, nec repugnante, pœnitens abſoluitur, aut ſi de matrimonio agitur, cum ei Sacerdos intereſt, Paroche ſpectante, nec improbante.

Circa dicta quæritur, *An aſſiſtere matrimonio, actus ſit iuriſdictionis in Parocho.*

Reſpondeo non eſſe, quia vt excommunicati nulla eſt iuriſdictio, ita nec ab eo quidquam fieri poteſt, quod illam poſtulet, ſed Parochus excommunicatus toleratus, modo non ſit actualiter depoſitus, aſſiſtit ſecundum omnes valide.

Secundo, quæ ſunt iuriſdictionis, exerceri nequeunt ab inuito, & contra intentionem exercentis, cum vſus iuriſdictionis à voluntate libera pendeat, ſed Parochus etiam inuitus, matrimonio aſſiſtit valide: Eſt ergo aſſiſtentia, actus notitiæ publicæ, teſtandi cauſa, ad maiorem ſolemnitatem, & ſecuritatem, alligatus iuriſdictioni, vel officio Parochi, etſi negari non debeat, effectiue & per accidens, actum poteſtatis eſſe, in quantum, nemo aſſiſtere poteſt matrimonio, niſi ſit iuriſdictione, hoc eſt poteſtate ad id neceſſaria, inſtructus.

Tertio, cum lex Concilii ſit odioſa vtpote iuris antiqui correctoria, ſuoque modo libertati contrahentium aduerſa, ac proinde pœnalis, ſtrictè eſt interpretanda, hoc eſt, vt præ ſe verba ferunt, in propria ſua, germanaque notione accepta, ſed forma præſcripta à Concil. & ſeruanda in celebrandis matrimoniis, in eo intrinſece, & eſſentialiter eſt ſita, vt adſit Parochus, vel alius de eius licentia, ergo cum eſſe talis per cenſuram non ceſſet, quandiu in actuali poſſeſſione ſui beneficii toleratur, matrimonio aſſiſtere excommunicatus vtiliter ac fructuoſe poterit.

Explicantur dubia quædam circa matrimonia.

Primum, *An denuntiationum omiſſio, quas banna nominant, matrimonium clandeſtinum efficiat.*

Clandeſtinum matrimonium propriè ſumptum, eſt quod clam Parocho, & teſtibus contrahitur, at non ſequitur illicò, authoritatem Parochi & teſtium, præſentiamque deeſſe, ac matrimonium inter virum & fœminam futurum non publicatur, ergo bannorum omiſſio, matrimonium propriè clandeſtinum non reddit.

Secundo, banna per Epiſcopum deprecanti conjugi remitti, ex cauſa rationabili ac honeſta poſſunt, non ſunt ergo matrimonio eſſentialia, vt eſſent, ſi eorum omiſſio id proprie clandeſtinum faceret.

Eſt tamen matrimonium clandeſtinum impropriè, cum ex more Eccleſiæ ac inſtitutione Concilii, non publicatur die feſto, in conuentu populi. Quia tùm non fit eo modo & ritu, qui eius notitiam populo imprimat, quod eſt eſſe clandeſtinum vt notauit Peleus lib. 7. act. 2. quo ſenſu matrimonium clandeſtinum appellatur ab Alexand. III. in cap. quod nobis 2. de clandeſtina deſponſat. patet ex verbis quibus in ea decretali vtitur ad Epiſc. Bellou. *Quod nobis ex parte tua ſignificatum eſt, vtrum in clandeſtinis matrimoniis diſpenſare debeamus, non videmus quæ diſpenſatio ſuper his ſit adhibenda, ſi enim matrimonia ita occulte contrahantur quod exinde legitimi teſtes non appareant, qui ea contrahunt, ab Eccleſia non ſunt aliquatenus compellendi: verum ſi perſonæ contrahentium hæc voluerint publicare, niſi rationabilis cauſa præpediat, ab Eccleſia recipienda ſunt, tanquam à principio in Eccleſia conſpectu contracta.*

Dub. 2. *An licentia data à Paroche Sacerdoti, ad aſſiſtendum ſuo loco matrimonio, ſpecialis eſſe debeat.*

Specialem multi exigunt, eo quod facultas delegata certum rei genus ac ſpecificum denotet ad quam ordinem habet.

Nau. conſ. 47. de ſpōſ. in antiq. & Piaſec. in praxi par. 2. c. 4. generali ſunt contenti, qualis eſt eorum, quibus Sacramentorum adminiſtratio, generaliter committitur, tam verbo quam ſcripto Nauar. conſil. 27. de ſponſal. quæ conceſſio probari poteſt per teſtes, Rota deciſ. 750. num. 2. par. 1. Nauar. conſil. 41. de ſponſa. in antiquis: aut voce ipſiuſmet Parochi, cui hac in re fides eſt habenda, Piaſec. ſupra Rota deciſ. cit. vt pote facienti in eo quod eſt officii ſui, ac muneris.

Dubium tertium, *An Matrimonium clandeſtinum per Epiſcopum irritari debeat,*

Cum iure ſit nullum, inane reddi, aut in irritum

reuocari, nihil eſt neceſſe, ſatis eſt Epiſcopi labore ac opera, declarari nullum, itaque reſpondiſſe congregationem interpretum Trident. Concilij Author eſt Praſec. loco citato num. 7. proindeque ſi lubebit arbitrio ipſi ſuo ab inuicem, qui ſic contraxere, ſeparare ſe poterunt, etiam non expectata auctoritate iudicis, Nauar. de clandeſt. deſponſ. conſil. 5. & conſil. 1. de ſponſalib. in nouis. Congregationis autem reſponſum ſic habet. *Congregatio cenſuit Epiſcopum, irritum declarare, non irritare, quia cum Concilium irritum fecerit, non eſt vlterius irritandum, ſed opus eſt declaratione quod ſit irritum.*

Dubium quartum, *Quid ſit contrahere in facie Eccleſiæ.*

Contrahere in facie Eccleſiæ, idem eſt in quibuſdam prouincijs, ac contrahere in ianua Eccleſiæ, alibi tantundem ſonat, quantum in Eccleſia ipſa, alibi eſt contrahere in præſentia multorum, maximè propinquorum. A tempore Concil. ſufficit contractum coram Parocho & duobus teſtibus fieri, præter quos, & alij inſuper duo ſunt in Gallia neceſſarij, non quidem vt ſit ratus, ſed vt à cenſura liber ſit Parochus. Placet hic verba ipſa decreti apponere quod Bleſis eſt conceptum, tam ad fidem, quam eorum lucem quæ ſunt hic allata. *Seront nos ſubiets eſpouſés par le Curé Parochial, & pour teſmoigner de la forme, qui aura eſté obſeruée eſdits mariages, y aſſiſteront quatre perſonnes, dignes de foy, pour le moins, dont ſera faict regiſtre, le tout ſur les peines portées par les Conciles.*

Dubium quintum, *An Matrimonium clandeſtinè initum, proindeque nullius ac ſine effectu, ratificetur per ſequentem copulam.*

Nequaquam, primo quia quæ ſunt rei eſſentialia, ſupplere nequeunt per ea quæ ſunt extra eius naturam, ac ea poſteriora tempore, at eſt de eſſentia matrimonij, ſaltem antecedenter, vt contrahatur coram Parocho, ac duobus ſaltem teſtibus, copula autem ipſa ad eam non pertinet, cum ea ſe, de conſenſu mutuo, priuare poſſint ambo coniuges: ergo per eam connubia, quæ natura ſua, aut decreto Eccleſiæ ſunt irrita, rata eſſe non incipiunt.

Dubium ſextum, *An ſit neceſſe ad validitatem matrimonij, Parochum aliquid dicere.*

Non eſt de neceſſitate Sacramenti Parochum aliquid eloqui, quia non eſt eius miniſter, ſed vir & fœmina, nec eſt opus vt illud approbet.

Primo, quia ab eius aſſenſu non pendet, ſed coniugum.

Secundo, quia Parochus adigi vi poteſt vt ei præſentiam ſuam inuitus ac non volens accommodet, vt ante eſt dictum.

Dubium ſeptimum, *An liceat Parocho in Gallia intereſſe matrimonio futurorum coniugum, non cognito prius conſenſu eorum, quorum authoritas ſubſunt.*

Non licere, communis eſt fori opinio. Primo, quia cum nuptiæ ſine teſtibus, & patre non conſentiente factæ legitimæ eſſe non videãtur, Curiæ, vt ſcribunt Peleus l. 7. actione 2. Fotenti & 3. Bouchellus in ſumma verbo matrimonium, probare non poteſt, quod iis à Parocho, eiuſque precibus ac benedictione, authoritas aliqua videatur accedere, quare in eum ob hoc factum, animaduertere grauiter ac ſeuerè eſt ſolita, anno quidem 1606. eius authoritate, quidam cui nomen erat Bonnetus in carcerem iuſſus eſt agi, quod in Parochia cui præerat ſe ſpectante ac conſcio, filiam quandam annorum 15. paſſus eſſet nubere militi, non requiſito antea, ac viſo parentum eius aſſenſu, ſupra dicto connubio. Pari pœna anno 1615 eiuſdem authoritate Curiæ, multatus alius legitur, capite autem tertius quidam anno 1634. nam perinde ac ſi raptus admittendi, ac admiſſi author fuiſſet, ac ſuaſor, animaduerſum eſt in eum pœna capitis, qua plectendum huiuſmodi hominum genus eſſe, lex Henrici ſtatuit in hæc verba: *Enioignons aux Curez & Vicaires, de s'enquerir ſoigneuſement de la qualité de ceux qui ſe veulent marier, & s'ils ſont enfans de famille, ou ſoubs la puiſſance d'autruy, nous leur defendons de paſſer outre à la celebration deſdits mariages, s'ils ne leur appartient vn conſentement des Peres, & tuteurs, ſoubs peine d'eſtre punis comme fauteurs du crime de rapt.*

Dubium octauum, *An Parochus excommunicatus, matrimonio aſſiſtens, peccet mortaliter.*

Matrimonio intereſſe poſſe ſuſpenſum, irregularem, & excommunicatum, etiam denunciatum, & non toleratum, dixere Doctores claſſici non pauci, vt Laym. de matri. clandeſt. Anton. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 214. in quo, an genus hoc hominum ſit à culpa liberum, eſt pro officio noſtro indagandum.

Eius autem omnino expers eſſe, ſcripſere Sanchez de matrimonio tom. 1. lib. 3. diſput. 21. n. 8. Villal. tom. 1. ſum. tract. 15. difficultate 18.

Ratio eſt, quod communicatio excommunicati cum fideli in re neceſſaria, pro lethifera ac mortali haberi non debeat, *eo quod in lege, quod non eſt licitum, neceſſitas, licitum facit*, de regul. iuris regul. 4. At inter cætera à quibus fideles habent, illis vt ſit impunè, ac integrum, verſari cum præciſo, ac rem negotiaque cum eo agere, tam priuatim, quam publice, neceſſitas in primis locum habet, vt declaratur hoc verſu, *vtile lex humile res ignorata neceſſe.* Ergo cum Parochum intereſſe matrimonio oporteat, vt munus ſuum impleat, cum id aget non peccabit mortaliter. Habet tamen eiuſmodi communicatio venialem maculam, quia exercere actum iuriſdictionis, cum cenſura non tolerata ab Eccleſia, culpa eſt, & quidem leuis, ac modica, ſi nullius eſt præiudicio coniuncta, nec Sacramento contraria & in re quam omitti aut fieri non intereſt ad Dei gloriam, at eſt de hoc communicationum genere, ea quam præciſus non toleratus habet cum ſponſis, eos impertiendo hac benedictione: *Ego vos coniungo &c.* eius ergo communicatio culpam venialem non excedit, quid enim de Dei honore, quid de proximi bonis, ac ſalute deperit, ſi verba ea ex incuria Parochus negligat? ſi ſuper coniunctos, proferre omittat?

Quid ſi toleratus operam ſuam ac præſentiam iiſdem ſponte nec rogatus accommodet? Mea eſt opinio, in hoc, cum à culpa omni eſſe vacuum, quia per Eccleſiam, licet ei, quæ ſunt officii ſui, ac muneris obire libere, ergo & matrimonio præſentem eſſe.

Dubium nonum, *An excommunicatus non toleratus, & denunciatus, poſſit alteri committere, ſuo vt nomine interſit matrimonio.*

Laym. tract 10. libri 5. par. 2. cap. 4. nn. 5. De Coninch. de Sacram. diſp. 27. concl. 8. hanc ei facultatem adimunt.

Concedunt Sanch. lib. 3. diſp. 21. num. 7. Baſil. Pontius de matr. lib. 5. cap. 17. num. 14. cum quibus vt aſſentiar facit hæc ratio. Quod per ſe poteſt ordinarius, poteſt & per alium, ſi res eſt eiuſmodi, quæ à charactere Epiſcopali non pendeat, ſed

præcisus non toleratus, & denuntiatus, ex proximè dictis interest sine culpa mortali matrimonijs, ergo & eius authoritate quilibet, cui hoc munus committendum iudicauerit.

Dubium decimum, *An Parochus audito consensu contrahentium benedicere eos debeat, & an peccet si id facere nolit, aut omittat.*

Quandoquidem est id in vsu vbique, vt post rem diuinam, aut si hæc non fiat, post matrimonij ceremonias, ante aram, coram Sacerdote, sponsi genua flectant, hicque eos stola indutus benedicat, ex formula, quæ cuiusque Diœcesis est propria, ambigere nemo potest, quin ei liceat hac eos impertiri gratia, nam omnium opinione, consuetudo, quæ multos annos in Republica tenuit, habet vim legis, non est ergo præcreunda temere, ne cum nota imprudentiæ, incurratur & alia violatæ obedientiæ.

Quæ, lethalis sit necne, disceptare autores video. Rebel. par. 2. lib. 2. qu. 7. sentent. 2. num. 4. Cenedo in quæstionibus canonicis qu. 30. nu. 38. mortalem credunt, quod benedictio etsi non sit de necessitate Sacramenti, cum ad formam eius non pertineat, sit tamen adhibenda de necessitate præcepti, sub mortali obligante.

Ad eorum partes tranieo, qui in ea omissione, culpam venialem maiorem non inueniunt, causa mihi ita sentiendi vnica, quod Presbyteri benedictio, res non sit tanti, quam omisisse, lethale, coniugibus periculosum ac piaculare esse debeat, maxime cum est eius omissio sine scandalo, ac contemptu Ecclesiæ, quare si grauis alicuius peccati eos ideo arcessere nemo honeste potest, quis Presbyterum, quod illos non benedixerit, de eo iuste arguat ac prudenter? Nemo: si fides est his authoribus, Gutierrez de matrim. cap. 69. n. 16. Piasecio in prax. par. 2. cap. 4. num. 57. Sanchez lib. 8. disp. 38. de Coninch. de Sacr. disp 27. dub. 4. num. 43.

Neque tamen, quemadmodum est sponso & sponsæ solemne, cum sunt virgines, in templo benedicit, ita & cum matrimonio iam sunt defuncti, ac secundas inter se nuptias coniungunt, similiter eos benedici est necesse. Quod si vir solus aliam vxorem habuit, mulier autem nulli vnquam nupsit, benedici tum eos posse multi asserunt, nisi cum Diœceseos consuetudo obstat, quod si mulier quum nubere parat, sit vidua, vir autem eius tùm primum ad matrimonium accedat, neutrum benedici oportebit, Manuale Salisburgense de benedictione cap. 1.

Dubium 11. *An ordinarius vices suas alteri committere possit quam Sacerdoti.*

Qui loco Parochi matrimonio contrahendo interfit, alius eligi non potest quam Sacerdos, Nauar. consil. 30. de sponsal. num. 5. in antiq. & consil. 44. eiusd. tituli, cuius rei repetenda est causa à decreto Concil. sess. 24. cap. 1. vbi cum de substituendo homine agitur, qui Parochi vices suppleat, cum ei per impedimenta, interesse contrahendo Matrimonio non licet, semper Presbyteri meminit, nunquam Laici: *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel ordinarii licentia, &c. & paucis instructis, statuit*, inquit Conc. *sancta Synodus benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quo quam nisi ab ipso Parocho vel ordinario licẽtiam ad prædictam benedictionẽ Sacerdotalem faciendam alijs Sacerdoti concedi posse.* Quare cum abire à decretis Concilii, ac Pontificum nulli sit hominum licitum, nec Episcopo, aut Parocho permissum erit, alteri hominum generi quam qui in Concilio sunt expressi, potestatem dare, suo loco, ac nomine, assistendi matrimonio.

Dub. 12. *An matrimonium domi contractum sit clandestinum.*

Occasio vnica dubitandi, nempe quod matrimonium domi factum, non videatur in facie Ecclesiæ contrahi, sine quo tamen, clam, ac proinde effectu irrito, ac inani, censendum est fieri.

¶ Rata tamen huiusmodi coniugia, validaque esse, pro certo habeo.

Causa est, quod de eorum essentia, non sit locus sacer, sed solus duntaxat consensus partium, at hic esse vbique potest, vt enim pro ara in templo, societatem vir & fœmina coire possunt coniugij, spectante Parocho, & propinquis, ita & domi suæ, aut alienæ, quod tam videtur quibusdam certum vt existiment, in Episcopi potestate non esse, prohibere coniugibus valide, ne mutua Matrimonij fœdera domi suæ faciant, duratura quamdiu ipsi.

Opinionis huius fautor Barbosa de potestat. Episc. alleg. 31. cap. 18. quare vt veram congregatio Cardinalium sequendam in vita moribusque censuit, his verbis: *Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonium domi celebretur, seruata Concilij forma, sed cum maxime deceat ea celebrari in Ecclesia, ad id hortari debet, non præcipere.*

Ad id quod est allatum. Respondendum est, matrimonium in Ecclesia, hoc ipso contrahi, quod fiat in oculis, ac cœtu fidelium, vt scribunt Abbas in cap. finale de clandestinis desponsatione n. 9. Sylu. verbo matrimonij num. 2. qu. 17. vel coram Parocho, & duplici teste, ac denuntiationibus præmissis, Diana tract. 4. de Sacramentis resolut. 179. quod accidit cum matrimonium domi fit à coniugibus.

DE REQVISITIS IN HOC Sacramento necessitate præcepti tantum.

TORVM aliqua matrimonium præcedunt, subsequuntur alia, præcedunt eius promulgatio, & sponsalia, subsequuntur cohabitatio coniugum, & rectus vsus coniugij: Duæ ergo sunt futuræ partes huius disputationis, in prima de prioribus, de posterioribus agetur in altera.

QVÆSTIO I.

An sit necessarium matrimonium promulgari antequam contrahatur.

Dico primò, *Talem promulgationem, esse necessitate præcepti necessariã*, habetur eius expressa mentio in Trident. sess. 24. cap. 1. de reformatione in hæc verba. *Sancta Synodus præcipit vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis festiuis*

diebus, in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia, publicè denuncientur, inter quos matrimonium ſit contrahendum.

Dico ſecundò, *Etſi matrimonio, præmittenda ſit trina denunciatio, ab ea tamen coniugium non pendere in ratione Sacramenti.*

Prima pars, habetur cap. final. de clandeſtin. deſponſ. & 30. qu. 5. can. 6. & in Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. *Nullum ſine dote fiat coniugium, nec ſine publicis nuptiis quiſquam nubere, vel uxorem ducere præſumat*, Concil. Arelat. can. 6. *Statuimus*, inquit Innoc III. de clandeſtina deſponſat. *Vt cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Preſbyteros publicè proponantur.*

Secunda pars probatur, in iis quæ eſſentialia ſunt Sacramento, diſpenſare non poteſt Ordinarius, at permittit Concilium loco citato, diſpenſari ab Ordinario, in his denunciationibus: non ſunt hæ ergo ſubſtantiales matrimonio.

Secundo, quæ præcedunt, aut ſubſequuntur Sacramentum, hæc ad eius eſſentiam non pertinent, denunciationes ſunt eiuſmodi, nam permittitur Ordinario, vt eas contractui præponat, aut poſtponat: ergo &c.

Tertio, ante Tridentinum erat matrimonium clandeſtinum in conſcientia validum, nec quidquam eſt à Concil. circa denunciationes factum, ratione cuius hæ modo, magis ad eſſentiam matrimonij pertineant, quam pertinerent antea, ſed tantum quod de iis Concil. Lateranenſe decreuerat, renouatum eſt à Patribus, vt patet ex his eius verbis: *Sacri Lateranenſis Concilii veſtigiis inhærendo*: ergo vt ante Tridentinum denunciationes non fuere matrimonio eſſentiales, ac intrinſecæ; ita nec ſunt modo, ſunt ergo neceſſariæ, non vt valide contrahatur ſed licitè: quare qui eas negligit, puniendus eſt pœna arbitraria, extra de clandeſtina deſponſatione cap. 3. in multis etiam locis excommunicatur. Valet tamen matrimonium ſine eiuſmodi denunciationibus factum, non modo conſcientiæ iure, ſed fori quoque vt ſententia duplici definitum eſſe à Senatu Choppin. narrat lib. 3. de ſacra polit. tit. 7. num. 14. Tournetus tom. 2. arreſtor. Curiæ, littera M. articulo 34.

Dico tertiò, *Peccare tamen grauiter, tam Parochum, quam partes, illum qui denuncium matrimonio intereſt, illos cum celebrant, non præmiſſis denunciationibus neceſſariis*, quia vterque facit contra præceptum Eccleſiæ, quod eſt in Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. & in cap. finali de clandeſt. deſponſ. & quidem in re graui, cum ſit talium denunciationum omiſſio, incommodis maximis peruia, vt quod matrimonium, v. g. illis prætermiſſis, poſſit ab impeditis fieri, & cum eorum ſcandalo, qui talis ſunt impedimenti conſcij.

Deinde, qui denunciare matrimonium negligunt, hi contemptores & temerarij nuncupantur à Concilio, ſeſſ. 24. cap. 5. iſque ſpes negatur omnis obtinendæ diſpenſationis in tali impedimento, at quis credat, Eccleſiam ob venialem culpam, vocare aliquem temerarium, contemptorem ſui, eique ad vſum matrimonij ſui licitam, diſpenſationem negare velle?

Non eſt tamen, denunciationum omiſſio mortalis in quinque caſibus, ſecundum Sylu. verbo matrimonium 6. q. 7.

Primus eſt, cum moris non eſt, eas in illa prouincia fieri.

Secundus, cum ſunt omiſſæ per ignorantiam contrahentium probabilem.

Tertius, quando ſunt relictæ per diſpenſationem Epiſcopi.

Quartus, cum vrget grauis cauſa, eas omittendi, nec tamen poteſt conueniri Epiſcopus, vt id per eum liceat.

Quintus, cum publicè conſtat de matrimonio, nam tunc ceſſat finis huius legis, ob eam cauſam pro matrimoniis principum promulgationes nullæ ſunt neceſſariæ, quia certum eſt hæc omnibus eſſe nota.

Quid ſi non omnes ſed vnica tantum omittatur denunciatio, Parocho ſi minus ſuadente, at certe (vt debebat) minime repugnante?

Peccare eum mortaliter aſſerunt Baſil. Pontius de matrim. lib. 5. cap. 3. num. 3. Coninch. de Sacram diſp: 27, dub. 5. num. 51. quod eius omiſſio res ſit grauis, vt finis ipſe indicat, cuius cauſa publicari matrimonium eſt neceſſe, nempe ne inter propinquos, aut lege canonica quapiam impeditos, celebrentur nuptiæ, ac demum commixtione inter ſe mutua corporum, conſcientiam ipſi ſuam cruentent.

Verum quorum maior eſt auctoritas & numerus, eorum verior, imo ſola vera nobis, eſſe debet ſententia. Thomas ergo Sanchez de matri. li. 3 diſp. 5. num. 8. Parochum à culpa eius generis cuius ſit in quæſtione mentio, eximit: ei aſſentiuntur Villal. in ſumma to. 1. tract. 13. diſp. 24. num. 3. Barboſa de poteſt. Epiſc. parte 2. allegat. 30, nu. 5. Gutier. de matrim. cap. 57. num. 1.

Horum hæc videtur eſſe firmiſſima ratio, quod publicationis vnius omiſſio, non ſit tanti, vt ob eam hominem damnari oporteat, nec habeat ea periculum ſpiritualis vllius incommodi ſubeundi à maritis, cum ſi quid eſt in illis, quamobrem copulari matrimonij vinculo inuicem nequeant, id videatur diſcuſſum totum, promulgatione duplici quæ præceſſit, cum poſt eam, ſecundo repetitam, nemo videatur in Parœcia, futuri inter eos coniugij ignarus, ac obligationis ſibi per præceptum Eccleſiæ impoſitæ reuelandi Epiſcopo aut Parocho impedimenti ſi quod forte inter eos occurrit.

QVÆSTIO II.

An cum ſponſi ad diuerſas Parochias pertinent, fieri in vtraque, denunciationes debeant.

Dico primò, *Si vir & fœmina ad diuerſas Parœcias pertineant, in iis, matrimonium denunciandum videri*, Sylu. verbo matrimonium 6. qu. 7. poſt Panormit. & Ledeſm. qu. 45. art. 5. punct. 3. Ægidium diſp. 17 dub. 5. n. 50.

Primo, quia Concilium vult à proprio contrahentium Parocho, denunciari matrimonium contrahendum, at viri & fœminæ, diuerſantium in diuerſis oppidis aut Parœciis, eiuſdem vrbis, duo ſunt Parochi, ergo ab vtroque denunciandum eſt eorum coniugium.

Confirm. ideo decreto Concilij, euulgandum eſt è ſuperiori loco, in frequenti cœtu populi futurum inter partes connubium, vt ſi quid illud contrahi, legibus canonicis obſtet, in notitiam Parochi veniat, ſciri id vero non eſt facile, niſi vtrobique promulgetur, quia ſæpe accidit, quæ in vno loco impedimenta ſunt cognita, in altero perfecta non eſſe. Ob eam cauſam, publicari matrimonium in iis locis Innocentio placuit, vbi ſpõſi plurimum ſunt diuer-

sati, sic enim ille cap. 3. de clandestina desponsat. A *Statuimus vt cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesijs per Presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito vt intra illum possint fieri*: Nam si in vna tantũ Parœcia, facienda est denunciatio, si ab vno tantum Parocho, cur sunt Ecclesiæ à Pontifice, cur Sacerdotes numero multitudinis nominati?

Aliorum tamen est opinio, eaque probabilis, satis esse, si in eius Parœcia, in qua nuptiæ sunt celebrandæ, matrimonium denuncietur.

Primo, quod Tridentinum nomine vnitatis, sess. 24. cap. 1. dicat publicandum esse matrimonium à proprio Parocho non Parochis.

Secundo, quod in his quæ iuris sunt positiui cum quid est incertum, non satis clare declaratum, inter authores dubium, maxime sit habenda consuetudinis ratio, quæ est interpres legis, at hæc habet in plurimis Ecclesiis, vt denunciationes tantum fiant in eius sponsi Parœcia, in qua nuptiæ celebrantur Laymano teste tract. 10. parte 2. cap. 4. Ibique eas fieri posse, ac debere tantum, scribit Basil. Pontius, lib. 5. de matrim. cap. 30. nu. 5. *Ex declarationibus*, inquit, *Cardinalium, colligo in iis tantum Ecclesijs debere fieri proclamationes, de quarum Parochia sunt, nam cum Concil. Tridentin. dicat, eas debere fieri à proprio Parocho. declarant Cardinales proprium Parochum esse, in cuius Parochia contrahentes habitant, tempore, quo matrimonium contrahitur.* B

Est hæc opinio probabilis vt dixi, contraria tamen vtpote magis in speciem menti Concilij, ac fini consentanea, cuius causa denunciationes fiunt vt Parochia, videtur in praxi tenenda.

Quid si futuri coniuges locum subinde mutent, vt opifices vel milites?

Respondeo, matrimonium ibi publicandum esse, vbi plurimum sunt versati Sanch. 3. de matrimonio disp. 6. num. 6. nam denunciationum finis est hic præcipuus, nosse per eas, ecquid sit aliquid quod matrimonium contrahi impediat, nusquam autem id intelligitur commodius, quam vbi coniuges futuri plurimum sunt versati, obtinuit tamen consuetudo, vt contracturi, denuncientur in loco, vbi diuersantur, cum consilia agitant de matrimonio, quæ consuetudo in praxi seruari potest sine culpa.

Atenim vbi, & quando est denunciatio matrimonii facienda?

Dico quintò, *Faciendam esse in cœtu frequenti populi, vt inter missarum solemnia, aut cum habetur concio, & id non aliis diebus quam festis, isque tribus, ac continuis, nec continuitas, de morali est intelligẽda, non physica*, nam si sic essent continui, vt se contingerent, Parochianis iusta non supperterent temporum spatia, quibus de impedimentis inquirerent, cogitata, & cognita deferrent ad ordinarium, debent ergo hi dies aliquanto temporis interuallo, vt bidui secundum Laymanum supra, ab inuicem esse discreti, sicuti decretum fuisse in Concil. Colonensi sub Adolpho cap. 32. & Moguntino sub Sebastiano Archiepiscopo scribit is cuius paulo ante meminimus Laymannus. C D E

QVÆSTIO III.

An denunciationes omitti sine culpa possint, & ad quem pertineat dispensare ne fiant.

Dico primò, *De Ordinarii licentia omitti posse*: ita Doctores omnes, assertioni fides est, à praxi Ecclesiæ.

Dico secundò, *Et iure antiquo fas non esset Episcopo concedere ne possent denunciationes fieri nisi in casu necessitatis*, vt habet Antoninus 3. parte tit. 1. de sponsalibus, id tamen ei hoc tempore extra illum per Concilium licere.

Prima pars probatur, quia cum eæ imperatæ essent à Lateranensi Concilio & Pontifice Innoc. III. cap. 3. de clandest. desponsat. nec in eorum legibus, Episcopus sine iusta, eaque rara causa, dispensare possit nemini ambigua esse, dubiaque esse res hæc debet.

Pars altera ostenditur hoc modo, licet ordinario per Concilium dispensare cum maritis ne seruent, quæ de trina denunciatione sunt imperata, at est Episcopus secundum Roman. Pontificem præ reliquis omnibus numerandus in Ordinariis, vt est probatum antea: ergo &c.

Dico tertiò, *Idem iure communi, permissum esse eius generali Vicario.*

Ratio est, quod vt ante ostendimus, Episcopi Vicarius, vulgo numeretur inter ordinarios, ei ergo potestas hæc negari non debet.

Excipiendus est casus, in quo Episcopus hanc sibi reseruatam facultatem vellet, nam tunc Vicarii cessaret authoritas, quia vt in Episcopi iure est, totum per se officium agere, nullius in hac re vti opera, ita & reuocare priuilegia à se concessa Vicario, reuocat autem cum sibi displicere significat, remitti maritis denunciationum consueta onera.

Non facit hæc sententia ad stomachum Basilii lib. de matrim. 5. cap. 31.

Primo, quod Congregatio Cardinalium, Vicarium, in hac causa, nomine Ordinarii habendum non credat, teste Henrig. lib 11. cap. 5. n. 5.

Secundo, quod aliter Episcopus quamlibet secus vellet, Vicarium à remittendis denuntiationibus impedire non posset, quæ enim à Concilio, eiusque voluntate licent alicui, ei ab Episcopo tolli posse quis credat? repugnante hoc verò, Vicarium negotia Diœcesis suscipere, aut animarum procurationi operam dare posse, quam est rationi, prudentiæque parum consonum? hæc est causa, cur in Vicarii iure neget esse Pontius, in denuntiando futuro connubio dispensare.

Nostra tamen sententia, vt plurium auctoritate corroboratior, ita est in praxi mitior, hanc vero defendunt, Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 7. nu. 11. Riccius in praxi tom. 1. resolut 216. Coninch. de Sacrament. disp. 27. dub. 6. Villal. to. 1. tract. 13. difficult. 14.

Ad argumenta Pontii negandum est authentice constare de responso Cardinalium.

Ad secundum, neganda est eius maior, quia vt nomen, ita & rem eo nomine significatam, Vicarius, Episcopi benigna voluntate habet: erit isti ergo liberum, quoties videbitur, cum nomine Vicarii, rem eiusque potestatem reuocare,

Dico quartò, *Quod Vicario permittitur non item licere Parocho*, quia hic ante Trident. in iis denun-

cationibus dispensare non poterat, vt pote quæ A præcepta erant à Concil. Lateran. & Innoc. III. in cap. 3. de clandestin. desponſ. ergo nec modo, quia Tridentinum ius antiquum non correxit, aut ei vim intulit, sed firmauit, renouauit, ac auxit.

Secundo, dispensare hac in re, non alij quam ordinario competit: at Parocho nusquam in iure data est ordinarii appellatio: ergo &c.

Causæ iustæ dispensandi in denunciationibus, sunt. Primò timor probabilis futuri ex publicatione scandali, infamiæ, subeundi dedecoris, vt si aperetur de connubio inter eos contrahendo, qui semper antea sunt habiti veri coniuges, tunc enim non sine famæ suæ, ac liberorum damno prope certo, posset eorum publicari coniugium, sicque iusta omnis causa foret Ordinario, eximendi ab B hoc onere coniuges, quia Ecclesia non censetur velle obligare fideles ad custodiam legum suarum, cum tanta seueritate.

Secunda causa remittendi denunciationes est cum damnum aliquod corporis, aut animi ex publicatione metuitur, puta si coniuges habent timēdi causam ne magicis artibus reddantur steriles, aut aliter impediatur soboles, vt si tempus instaret, quo prohibentur nuptiæ, vel si matrimonium contrahēdum foret cum persona quæ parentes habet, aut tutores, suæ voluntati parum propitios, ac fauentes, à quibus haud dubie impediri poterit, si de eo certi fiant, in Ecclesia per Parochum, tunc ei concedi poterit, ne publicetur.

Huic timori addendus & alius, nempe si iusta C est timendi causa coniugibus, ne eorum connubio à superiori loco vulgato, habeantur ludibrio, puta quia sunt senes, quia genere, & opibus dispares, vt si dues pauperem, nobilis ignobilem, sibi in coniugem destinaret, Ant. 3. parte 10. cap. 16. Sylu. verbo matrimonium 6. qu. 7. dicto 2. Sotus in 4. dist. 28. q. 1. art. 2.

Vniuersè iusta causa non publicandi matrimonij, censeri debet, quæ arbitrio prudentis est talis, vt si res moram non patitur, si Episcopus adiri non potest, si Principes viri, Legato interprete matrimonium parant, nam est eius in hoc procurando opere, labor, industriaque futuri matrimonij sufficiens & idonea in plebe euulgatio, Sylu. verbo matrim. 6. q. 7.

Notat tamen Piasecius in praxi Episcop. parte 2. cap. 4. nu. 5. & cum eo, Genuensis in praxi Curiæ Neapolit. cap. 26. num. 4. in his & similibus casibus, consultum esse, quæstionem prius instituere de futuris sponsis, ac rescire ab iis, quibus sunt noti: Ecquid inter eos legibus Ecclesiæ constare matrimonium possit, ac si interrogati respondeant, nihil esse quod ei officiat, tum Episcopo fas esse, eis concedere, vt illud aiunt omissis, publicationibus, inter se fide quam optima contrahant.

Adnotauit insuper Layman. tract. 10. parte 2. cap. 4. cum non est ad Episcopum facilis aditus, E & est periculum in mora, Parochum denunciationes omittere posse, & debere, aut saltem vnam adhibere pro trina, eaque facta eos coniungere, cuius opinionis comites habet & socios Henriquez lib. 11. cap 6. Rodriguez cap. 217. concluſ. 1. Sanch. lib. 3, disp. 10. quia etsi ad ius Parochi non pertineat dispensare, nisi ex delegatione Episcopi, eum tamen nemo iuste arguat imprudentiæ, aut culpæ, si cum res temporaque exigunt, & est necesse, significat sponsis, legem de euulgando matrimonio, per Episcopi licentiam cessare, quod enim ei licet iub finem vitæ, nempe cum vir morti vicinus, petit coniungi concubinæ, quæ est existimata à tota vicinia, eius vxor, hoc eidem negari non debet, alio quouis tempore, vbi par est necessitas denunciationibus prætermissis, coniungendi virum & fœminam, non expectato responso ex vrbe, aut dispensatione absentis Episcopi.

At enim tenetur ne qui impedimenti alicuius inter sponsos est conscius, deferre illud Parocho, & quomodo?

Tenetur: & quidem sub mortali. Primo, quia id præcipitur fidelibus ab Ecclesia sub excommunicatione.

Secundo, quia est huius rei omissio, certo modo indirecta incommodorum omnium volitio, quæ sponsos, cum impedimento in quo contrahunt, incurrere est necesse, quæ incommoda sæpe sunt perpetua, nec tollenda temporis spatio fere vllo, quamuis diuturno.

Sunt tamen casus aliqui in quibus ea delatio non videtur necessaria.

Primus est cum sponsi impedimentum suum ignorant sine culpa, & inuincibiliter, Nauar. cap. 22. Enchirid. nu. 85. & tale impedimentum est adeo occultum, vt sit probabile nunquam venturum ad notitiam contrahentium, nisi ipsis indicetur.

Secundus est, cum impedimentum sponsis obesset si nossent, vt si parere Ecclesiæ v. c. animum non inducerent, cap. quia de consanguinit.

Tertius, cum deferenti fides non adhiberetur, nempe quia hic non est de iis quibus est permissa delatio, aut si est ea morum innocentia, cui labes nulla adhæreat, cognita tamen & delata probare nequit Sylu. verbo matrimonium 6. q. 9.

Quinque porro sunt hominum genera, quibus prohibetur delatio impedimentorum, quæ norunt esse inter coniuges.

Primum est iurare nolentium, vera esse quæ nunciant, nec sponsorum, odio se hoc munus suscipere, sed sincere.

Secundo, non admittitur extraneus ad accusationem, præsentibus consanguineis, de impedimento testari volentibus, 35. qu. 6. can. 1. nisi extraneus per istos impedimentum probare vellet, ex Diu. Thom. in 4. dist. 41. art. 5. ad 4.

D Tertio excludendi sunt à denunciatorum classe absentes, qui matrimonium non nisi per litteras accusare possunt, aut volunt, Clemens tertius in decretali à nobis 2. de his qui matrimonium accusare possunt.

Quarto, qui id non faciunt nisi lucri causa. Idem cap. 5 eiusdem tituli.

Vltimo, reiiciuntur qui non accusarunt antequam matrimonium fieret, nempe post eius promulgationem factam, in Parœcia, nisi probare possunt sibi tum primum fuisse impedimētum cognitum, aut se antea legitime impeditos fuisse: extra qui matrimonium accusare possunt cap. final. *Cum enim rationabiliter præsumitur, quod denunciationem publice factam non ignorauit, existens in Diœcesi, tanquam suspectus proculdio est repellendus.*

Sufficere hæc quidam possint ad necessariam earum intelligentiam, quæ ad hunc locum pertinent, ne cui, tamen officio defuisse videar, pauca quædam, quæ ad præsentem materiam faciunt, subiiciam more meo explicanda breuiter, & primo

Quæritur primò, *An impedimentum, quod probari nequit quia est occultum vi denunciationum manifestari debeat.*

Manifestandum aiunt Sanchez lib. 3. disp. 13.

num.1. Fagundez præcepto 1.lib. 6. cap. 5.

Adeos concedo, qui secus quam præcedentes autumant, hi sunt Basil. Pontius de matr lib. 5. cap. 34. num. 5. Maior in 4. dist. 22. qu. 2. art. 3. quæ me in hanc mentem cum illis inducit, ratio est vnica. Nempe quod Ecclesiæ quidpiam imperanti, non necessario sit parendum, cum id esse sine periculo, ac damno obsequentis non potest, at denunciantibus quod probare nequeant, causa est, iusta timendi ne calumniatores audiant, ac infames. Deinde quid contra reum testis vnus potest? quid probare vnus quispiam de vulgo sine re, sine nomine? quare Deuteron. 19. prohibetur ne stet testis vnus contra aliquem, *quidquid illud peccati & facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.*

Obicies, at est vnico tantum teste contentus Pontifex, in causa matrimonii, vt habetur cap. præterea 12. de sponsalibus.

Respondendum, ita quidem dici ab aduersæ opinionis authoribus, sed non probari. Sanè in tota serie, contextuq; citatæ decretalis, de ea re ne verbum quidem Alexander, qui eius est author, inserit: verum est quidē in titulo capitis id haberi, sed negamus ei fidem dandam esse, nisi ad testimonium vocemque denunciantis, accedant & alia faciendæ fidei adminicula.

Quæritur 2. *An denunciationes extra Ecclesiam fieri possint.*

Negat Pontius lib. de matrim. 5. cap. 30. Affirmant Layman. supra cap. 4. num. 10: Villal. to. 1. tract. 13. disput. 24. num. 3. eorumque sententiæ subscribo lubens, quod extra Ecclesiam, multitudo populi tanta, ac vero etiam aliquāto maior coire possit, quam in ea, à qua ad cæteros rumorem futuri matrimonij manare quid vetat?

Quæritur 3. *An denunciationes in die festo fieri necessario debeant.*

Faciendas esse quidam asserunt vt sint ratæ, ac validæ, quod aliis non probatur nec sine causa. Quorsum enim de futuris nuptiis, admonetur è superiori loco populus, nisi vt Ecclesia de impedimentis, si quæ forte sunt, sponsam inter & eius virum, reddatur certior? at de matrimonio inter hunc, & illam futuro, tam profesto die populus doceri potest quam sacro, quemadmodum & instrui Ecclesia, de causis quæ obstant inter eos fieri coniugium, ergo, vt die festo, ita & profesto denunciationes connubiales fieri cum effectu poterunt: ita Villalobos loco proxime citato, Diana tract. 4. de Sacram. resol. 136.

Quæritur 4. *An absque speciali delegatione Episcopi, possit eius Vicarius foraneus ex causa dispensare ne fiant promulgationes vna, aut triplex in Ecclesia.*

Respondendum, Vicarios qui & Officiales dicuntur, amplius nihil posse circa matrimonia, ac dispensationes ne denuncientur quam quod eis licet per Episcopos, quorum sunt Officiales, quia non sunt ordinarij sed delegati tantum. Hostiensis in cap. Romana de appellat. in 6. Piasecius 2. parte prax. cap. 4. proindeque non se eorum potestas effert amplius, longiusque, quam quantum eam progredi vult Episcopus, vt est in cap. licet de officio Vicarij in 6.

Quæritur 5. *An denunciationis vnius omissio sit mortalis.*

Negat Sanch. lib. 3. disp. 5. num. 8. Affirmat Pontius lib. 3. cap. 3. num. 3. Coninch. de Sacrament. disp. 27. dub. 5. num. 51.

Rem eiusmodi esse existimo, quam prætermittere sit peccatum graue, primo quia est contra præceptum, quod vix violari potest, nisi quoque virtus violetur ac charitas, fac enim subesse aliquid inter virum & fœminam, quod eos, Ecclesiæ lege inter se coniungi non sinat, eiusque impedimenti conscios, dedita opera, expectasse donec tertio matrimonium promulgaretur à Parocho, si hic inconsulto Episcopo, ac auctoritate ipse sua, tertiam hanc denunciationem prætermittat, de impedimento nihil ipse, ac coniuges intelligent, & ita contrahent non sine periculo peccandi, contra decreta Pontificum, & Ecclesiæ, quæ id fieri prohibent.

Ad hanc rationem adiungenda est alia, nempe quod non nisi peccatis, quæ maiora sunt vulgaribus, pœna debeatur, eaque grauis, at omnium opinione, non leui censura est dignus, qui ad arbitrium, de numero denuntiationum, vnam prætexit, qua non raro, coniugum salus & honor continetur, peccat ergo non vulgariter, qui sine Episcopi aut ordinarij facultate, tres denunciationes non adhibet, sed vnam duntaxat, aut duas.

Contraria tamen sententia pro qua cum patre Sanchez scripsere Barbosa de potestate Episcopi par. 2. alleg. 32. Gutierrez de matrim. cap. 57. nu. 1. Villal. to. 1. tract. 13. diffic. 24. est in conscientia probabilis & tuta.

Quæritur 6. *An si contrahentes ad diuersas Diœceses pertineāt, censeatur alter coniugum dispensatus, ne in sua Parœcia fiant proclamationes Bannorum, hoc ipso, quod cum altero proprius eius Episcopus dispensauerit.*

Nequaquam, quia dispensatio est actio iurisdictionis, at Episcopo qui proprius est viri, v.c. non subest fœmina ei iungenda per matrimonium: ergo cum ea dispensare nequit, ne quod Pontificum sanctiones imperant, promulgetur eius coniugium, in frequenti populi cœtu.

Secundo, non sunt vir & fœmina ante facta matrimonij fœdera, quidpiam vnum morale, cum à sponsalibus voluntate mutua resilire possint, ac transire ad alia vota: ergo quod vni sponsorum conceditur à suo Episcopo, ob connexionem eorum, non censetur permissum alteri.

Quæritur 7. *An denunciationes quæ statuit Ecclesia, matrimonia præmitti ternæ debent, in tribus diebus festiuis continuis, Pentecostes, & Paschatis fieri valeant.*

Non posse, persuadet mihi hæc ratio, quod conscii impedimentorum, quæ coniugio officiunt, tantum indulgendum sit temporis, quantum est necesse, vt de iis doceri Episcopus aut eius Vicarius valeat, at cum dies inter denunciationes nulla interiacet, spatium habere illi tantum nequeunt, quanto ad eam rem est opus, ergo &c.

Quid si interpolatè fierent? hoc est interiecta Dominica vna inter duas alias, in quibus proclamationes sunt factæ: quæ tamen Dominica sit à proclamatione vacua?

Henriquez culpæ id arguit lethiferæ in Parocho, lib. 11. cap. 7. nu. 3. Glossa littera C. Mitius alij loquuntur, & ad fidem accommodatius, cum eum peccati venialis damnant, à mortali liberant, vt Coninch. de Sacrament. disp. 27. dubio 5. n. 44. horum opinioni accedo, priori, vt habenti seueritatis plus æquo, acquiescendum non existimo.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Quæ ſint pœnæ clandeſtinè contrahentium.

PRima Aſſertio, *Qui à matrimonio proprie clandeſtino liberi naſcuntur ſunt illegitimi*, habetur expreſſe cap. 4. inhibitio de clandeſt. deſponſ. & probatur.

Non alij habendi ſunt in legitimis, quam qui orti ſunt ex copula legitima, ſi illos excipias qui orti ſunt ex fornicaria, parentibus tamen eo adhuc tempore ſolutis, nam eo ipſo quod poſtea iunguntur matrimonio, eorum proles legitimantur, cap. autem qui filij ſunt legitimi, ſed clandeſtina matrimonia non ſunt legitima, ſed ſtupra, & contubernia fornicaria, 30. quæſt. 1. can. 1.

Secunda Aſſertio, *Non excuſat in hoc negotio bona fides cõiugum arbitrantium huiuſmodi matrimonia ſibi eſſe licita*, quia cum bona fide, ſtare non poteſt ignorantia improbabilis, ſeu vitioſa legis, quæ actum prohibet, at talis eſt ignorantia legis Eccleſiaſticæ, prohibentis contrahere clandeſtine, in locis, vbi Concilium eſt receptum, quia nemo eſt eorum qui die Dominico ſacris interſunt officiis, cui non ſit cognitum, præmittendas eſſe denunciationes: vnam, aut plures matrimonio, quod ſi non ſit, id ſuæ in nõ audiendo ſacro negligentiæ imputet, in qua indirectè eſt volita ignoratio dictæ legis, clandeſtina connubia prohibentis.

Tertia Aſſertio, *Si matrimonium eſt nullum ex impedimento conſanguinitatis aut alio ſimili, quod non eſt detectum propter omiſſas denunciationes, filij ſimiliter, ſunt illegitimi, etſi ſint nati ex matrimonio putato valido.*

Eſt hæc aſſertio ex ſacris conſtitutionibus certa nam in decretali tertia Innocentij de clandeſt. deſponſat. parag. ſi quis vero eſt his verbis: *Si quis verò huiuſmodi clandeſtina, vel interdicta coniugia inire præſumpſerit, in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de talis coniunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia, nullâ habitura ſubſidium.*

Nec deeſt à nobis ratio, nam cum quis rei illicitæ dat operam, eius error nihil operatur, nec excuſat, ſed inſpicitur contra eum veritas lege eum qui nocentem digeſt. de iniurijs paragr. ſi iniuria. At celebrare matrimonium omiſſis denuncationibus eſt malum vt pote contra præceptum Eccleſiæ: ergo &c.

Secundo bona fides in eum non cadit, qui omittit requiſita ad aſſequendam veritatem, vt ſtudium & diligentiam, iuxta Gloſſam capitis innotuit 20. de elect. verbo ignorantia, at eſt trina denunciatio talis, quæ tamen ſcienter omittitur, vt in hypotheſi ponitur: ergo &c.

Quarta Aſſertio, *Sacerdos quilibet, ſive regularis ſive ſecularis, qui ſine licentia proprij Parochi aut ordinarij, matrimonio clandeſtino intereſt, tandiu ſuſpenſus eſt, ipſo iure ab officio, & beneficio, quandiu placet Ordinario Parochi ad quem pertinebat benedicere coniuges, & eis aſſiſtere contrahentibus*, Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. in quo differt ius antiquum à nouo, nam illo ideſt antiquo, ſuſpenſio ab officio, ferenda tantum erat vt dicitur in cap. final. de clandeſtina deſponſat. *Sane ſi Parochialis Sacerdos tales coniunctiones prohibere contempſerit, aut quilibet etiam regularis qui eis præſumpſerit intereſſe, ab officio per triennium ſuſpendatur*, at iure nouo Concilij, dicta ſuſpenſio non habet alios limites durationis ſuæ, quam voluntatem Epiſcopi.

Quinta Aſſertio, *Matrimonium improprie clandeſtinum ex ſola omiſſione denunciationum, ſi alioquin non eſt nullum, non infert pœnam illegitimitatis in prole*, eſt Ledeſmæ qu. 45. de matrim. art. 5. §. eſt tamen dubium quia lex pœnalis non debet extendi extra ſuum caſum, proprie ſumptum, ſed matrimonium non præmiſſis denunciationibus factum, clandeſtinum non eſt extra Galliam ergo nec illatiuum pœnarum, quæ proprie clandeſtina ſequuntur connubia.

Contraria tamen ſententia eſt Sanchez lib. 3. diſp. 42. num. 6. Regin. tom. 2. lib. 31. cap. 29. nu. 222. quæ etſi ſit forte in loco externo probabilis, eſt tamen pro interno falſa, cum conſtet nullam excommunicationem, aut cenſuram, iure communi impoſitam eſſe contrahentibus, ſine matrimonij promulgationibus: quod & Soto teſtatur in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2.

Sexta Aſſertio, *Liberi ſuſcepti in clandeſtino matrimonio, legitimantur, cum incipit eſſe validum*, quia pœnę non ſunt extendendæ, extra eum caſum, cuius cauſa ſunt impoſitæ, cum ſint in materia odioſa, & graui cap. is qui de ſentent. excommunic. at non habetur textus vllus, in quo dicatur, manere pueros illegitimos, ſi matrimonium quod clandeſtinum fuit, reualidetur: ergo &c.

QVÆSTIO VLTIMA.

An teneatur pater dotare filiam ſine ſuo conſenſu nubentem,

OCcaſio dubitandi petitur ex ordinationibus Henrici II. promulgatis in Gallia anno 1556. & Henrici III. ſupra art. 41. quibus ſignificatur, ad matrimonium, parentum conſenſum exigi, quem ſi non dederint, cenſeatur nullum.

Eiuſmodi legibus, vim ac pondus adúcere conatur, aliqui à canonicis. Extat enim Hormiſdæ Papæ decretum apud Iuonem, quo nuptias occulte factas, hoc eſt non conſultis ante parentibus, pro non legitimis habendas tradit, & Papa Euariſtus, inquit idem Iuo epiſt. 16. *Contubernia, non coniugia dicit eſſe illarum mulierum, quæ non ſunt à parentibus traditæ, & legibus dotatæ, & à Sacerdotibus ſolemniter benedictæ*, nec enim (vt legitur) *coniugium eſt, niſi ab his qui ſuper ipſam fœminam dominationem videntur habere, vxor petatur, & à propinquioribus parentibus ſponſetur, & ſuo tempore Sacerdotaliter vti mos eſt, cum precibus & orationibus à Sacerdote benedicatur, & paranymphis vt conſuetudo eſt, cuſtodiatur*, hinc enim inferunt, non peccare modo liberos cum parentibus inſcijs matrimonium contrahunt, ſed in eo quoque operam ludere, nec aliquid quod firmum ſit ac ſtabile facere. Adduntque ante citatæ Regum leges, liberum eſſe parentibus, filios abſque ſuo conſenſu contrahentes, afficere his pœnis.

Prima eſt, vt poſſint exhæredari Bouchellus in ſumma verbo matrimonium.

Secunda, vt contra hanc pœnam audiri in Senatu nequeant, ad eum enim cum anno 1615. appellaſſet Michael de Villers, origine Camotenſis cauſa excidit, pœnaque in eum à Patre ſtatuta exhæredationis, quod ſe inconſulto, vxorem duxiſſet, vt rite & ſecundum leges poſita, eſt eius authori-

tate confirmata,

Tertia, vt quæ illis obuenire possunt commoda, lege patriæ, his omnibus ratione matrimonij sic contra voluntatem parentum, aut sine eorum consensu initi, cadant, quibus,

Quarta est, addita ab Henrico III. art. 42. & 43. capitalis in maritum animaduersio, si filiam minorem 25. annis volentem licet & assentientem, parentibus insciis, aut non rogatis, duxerit. In fœminam autem pœna similiter capitis est decreta, si maritum minorem triginta, blanditiis, aut alter deceptum, ad amorem sui coniugalem illexisset, aut certe exilij.

Verba legis sunt eiusmodi. *Voulons que ceux qui se trouueront auoir suborné fils, ou fille mineure de 25. ans, soubs pretexte de mariage, ou autre couleur, sans legé, sceu, vouloir, & consentement exprés des peres, meres, & instimés, soient punis de mort, sans esperance de pardon.* Ita anno 1602. authoritate Curiæ Hieronymus de la Planche qui cum Bartholomæa de Flé inscio parente contraxerat, iussus est capite nudo, flexo vtroque genu, ab eo veniam admissi criminis petere, estque eius coniugium, prædicta de Flé valere iussa: declaratum inane ac nullum: *Et faisant droict la Cour sur ledit proces, & instance de rapt, a declaré & declare ledit pretendu mariage d'entre lesdits Hieroſme de la Planche, & ladite Flé nul, & non valablement contracté, ordonne que ledit de la Planche fils, declarera en la Chambre, estant teste nue & à genoux en la presence de sondit Pere, qu'il a comme mal aduisé, & au deſcen de sondit Pere, contracté & executé ledit mariage, & pour la faute commise par ladite Flé: la bannie de la ville, Preuosté, & Vicomté de Paris pour neuf ans*, Ioan. Chenut. q. 13.

Quæ leges an eandem peræque vim vbique exerceant, iam est videndum.

Prima sententia est filios contra iustam parentum voluntatem matrimonia coeuntes, ab iisdem exhæredari posse, ita Iurisconsulti huius temporis Romani omnes.

Secunda opposita sequentibus assertionibus explicanda.

Prima Assertio, *Iure Cæsareo liberos suos parentes, ob matrimonium eis non consultis celebratum hæreditate priuare nequeunt.*

Ratio est, quod non sint plectendi tanta pœna, per hanc legem, nisi meriti, at quoties liberi insciis parentibus, ac vero etiam repugnantibus contrahunt, non peccant in legem Cæsaream, sed tùm tantummodo, cum vir triginta annis minor, filia 25. parentibus eos collocare, ac dotem secundum vires suæ substantiæ tradere volentibus, non obtemperant, sed impuros suos amores honestis præferunt coniugiis: ergo non omnis contra voluntatem parentum matrimonialis coniunctio, causa iis iusta esse potest suos exhæredandi liberos, sed tantum cum filia luxuriose viuit, aut oblatum sibi à parente maritum arroganter ac superbe respuit.

Secunda Assertio, *Liberos suos in Gallia exhæredare parentes possunt, cum eos super futuro matrimonii fœdere ad consilium non adhibent*, praxis ipsa regni, recepta in omnibus fere eius tribunalibus indicat.

Secundo, iusta in reos pœna animaduertere, magistratui licitum est aut Principi, at liberi sine parentum consensu, mutuam sibi dantes matrimonij fidem, rei sunt violatæ reuerentiæ eis debitæ: ergo de ea sic violata, pœnæ iustæ possunt repeti: ergo & exhæredari liberi, cum priuari opibus, fortunis exui, sperata hæreditate spoliari, non sit homini bonorum auido, pœna non modica.

Tertio potest superior, noui supplicii metu continere homines in officio, punire peccantes non verbis modo, sed & factis in viam errantes reducere, sed exhæredatio pœna est, & cum de matrimonio agitur ad consilium patrem & matrem non adhibere, culpa est, vt dictum est antea: ergo eiusmodi quæ exhæredatione puniri iuste possit.

Quarto, principum est ita inuigilare Reipublicæ vt odii, litiumque materiam omnem tollant turbis viam obstruant, paci familiarum ac quieti studeant, faciunt id vero Christianissimi Reges, cum potestatem læsis parentibus esse volunt, puniendæ factæ sibi à liberis suis iniuriæ, celebratione matrimonii sine suo consensu: hanc ergo hæreditate expectata si plectant, conscientiæ iura non valuerunt.

Tertia Assertio, *Probabilius est quicquid dicant ea de re Itali, Franciscam*, hanc legem, non corrigi à canonica. Quia ius nullum est Pontifici, contractibus ciuicis legem ponere, quæ à non suis subditis seruari debeat, nisi in quantum est id necessarium ad finem ei propositum, salutis scilicet animarum, sed matrimonium ita Sacramentum est, vt etiam sit contractus, & liberos nõ admitti ad hæreditatem, cum non paruere parentibus, aut ad eos non retulere de coniugio quod destinabãt animo, res nõ est eiusmodi, quæ viam ad beatorũ immortalitatem præcludat, non est ergo per Pontificem, correcta lex Regia Franciæ, de liberis in pœnam non potiti patrii ad matrimonium consensus, hæreditate excludendis, Minor probatur ideo ad salutem videri potest esse necesse dari hæreditatem liberis, quod eius priuatio aduersetur libertati matrimonij, ab eoque deterreat. at neutrum est verum, non primum quia vt Sanchez disputat, pœna quæ est in lucro non acquirendo, officere libertati matrimonij, non est solita, sed ea duntaxat quæ reale damnum infert, at exhæredatio proprie non est damni illatio, sed lucri futuri, ac certi priuatio.

Nec secundum, quia filio tum demum omnis est honesta ratio sumendæ sibi coniugis, cum pater, consilia eius omnia de matrimonio contrahendo improbat, petitamque eius ineundi facultatem recusat.

Quarta Assertio, *Tenetur tamen pater etiam in Gallia*, tam filium quam filiam, qui se inscio, ac sæpe etiam reclamante assumere sibi coniuges sunt ausi, eos alere si sunt pauperes, ita Ema. to. 1. summæ lib. 14. num. 4. quia patri incumbit ex officio, sufficere liberis ad vitam necessaria, qua obligatione, cum sit pietatis aduersus illos, liberari eorundem culpa, mihi non est verisimile.

Secundo etsi peccent liberi cum insciis parentibus consilia de matrimonio capiunt, factum tamen ab iis est validum: ergo non puniendum earum priuatione rerum, quæ illis sunt ad vitam necessariæ. Peccare quidem liberos contrahendo sine parentum voluntate ac consensu, certum est, quia vt hi illos ætate, ita & prudentia superant, sunt ergo in re qua maioris momenti esse nulla potest adhibendi ad consilium, *Nec virginalis pudoris est, maritum sibi eligere* (inquit) Ambros. lib. 1. de Abra. cap. 9. quem Gratian. refert. 32. qu. 2. can. honorantur.

Secundo parentum est, vt familiam, ita & filios regere, regunt autem maxime, cum eis coniuges destinant, faciunt ergo contra ius parentum liberi,

cum ſibi vxores quærunt, ſine eorum aſſenſu ac conſilio.

Valere autem vt ante eſt dictum factum à filiis ſine parentum conſenſu coniugium habent, Lud. de Bera, tom. 1. caſ. 18. Soacius de ſponſalibus part. 2. requiſito 2. contra ſcriptores quoſdam Gallos, qui cum viderent conſenſum parentum, vt diximus antea ab Henrico II. lege publicata anno 1556. ab Henrico item III. alia promulgata anno 1585. ad valorem matrimonij filiorum exigi, cenſuere cum hic deficit, matrimonium quoque deficere, eique vim nullam eſſe.

Sed noſtram aſſertionem probant Romani Pontifices, ratioque ipſa: In primis 27. cauſa 2. can. ſufficiat: *ſufficiat*, inquit Nicolaus ad conſulta Bulgarorum c. 3. *ſecundum leges, ſolus eorum conſenſus de quorum coniunctionibus agitur.* Lucius autem eius nominis III. in tit. de raptoribus cap. cum cauſa 6. ait raptorem dici non poſſe, *qui habuit mulieris aſſenſum, & poſtea prius eam deſponſauit, quam cognouit, licet parentes reclamarent*, his teſtimoniis addenda ratio.

Prima, quod in his quæ ſunt naturalia, homo hominis poteſtati, non ſit obnoxius, cum in his pari omnes vtantur iure, pari omnes fruantur libertate, Deoque ſoli pareant, ſed matrimonium eſt de his, quæ ad naturam pertinent, in qua tam liber eſt filius, quam pater, cum ſeipſo poſtea futurus ſit genitor: igitur non tenentur liberi parentibus obedire in contrahendo matrimonio.

Secunda poteſt filius non modo inſcio, ſed etiam reclamante patre, Deo ſe, per votum ſolemne religionis dedere, conſecrare, addicere: ergo & dare fœminæ per coniugium.

Probatur conſequentia reſpectu obedientiæ patri debitæ, plus eſt vouere Deo religionem, quam vxorem ducere, cum religio magis à poteſtate parentis, eiuſq; obſequio ſubducat filium, quam matrimonium, ſed poteſt primum ſine patris conſenſu. Ergo & ſecundum.

Minor Probatur in his quæ ſunt proprij iuris, & quibus vnus alteri non ſubeſt, obligare ſe quilibet poteſt independenter ab alio, ſed filius in electione ſtatus, ſui eſt iuris, nam vbi attigit annum 14. in his quæ ad propriam perſonam ſpectant, non pendet ab alio, ſe ergo poteſt tunc pro libito obligare Deo in Religione: ergo & eodem iure patre, irrequiſito, aſtringere ſe fœminæ in matrimonio: vt fecere Tobias iunior & Eſau, quod cuique etiã permiſſum eſſe, habetur in Trid. ſeſſ. 24. cap. 1.

Et vero ſi parentum conſenſus eſſet neceſſarius, ſequeretur, eos filiis coniuges dare poſſe ſibi parum gratas & ſæpe etiam exoſas, ac graues, quæ eis ſui odium imprimerent verius quam amorem, nec à fœdis eos amoribus abſtraherent, aut fornicandi periculo, cum ad eam acceſſus non ſit facilis, quæ non diligitur.

Quinta Aſſertio, *Probabile eſt, non modo iure canonico, ſed nec ciuili conſenſum patris ad matrimonij validitatem eſſe neceſſarium*: ita Soacius par. 2. de ſponſalibus Guibertus Coſtanus in ſuis memorialibus.

Probatur, ſi naturalis ratio, patris conſenſum in nuptiis expoſceret, nulla eſſet, inter filium in poteſtate patris adhuc poſitum, & emancipatum differentia, ſed diſpoſitum in vno, valeret quoque in alio, cum lex naturalis mutationem neſciat, & ideo iure ciuili abrogari nequit, aut tolli, nec proinde emancipatione, id autem aſſerere, quid eſt aliud quam rationi experientiæque vim facere?

A Ad argumentum allatum initio, dicendum eſt primo, leges ciuiles, quæ ſunt Canonicis contrariæ, ſeruandas non eſſe.

Secundo, eas contrario vſu Galliæ, abrogatas eſſe, imo nec videri, receptas vnquam fuiſſe.

Tertio, cum laudabile ſit ac honeſtum, Reipublicæ autem maxime fructuoſum filios, filiaſque de nuptiis contrahendis ſine parentum conſenſu conſilia non capere, Reges optimos, illa ſua lege hoc duntaxat voluiſſe, vt matrimonium parentibus inſcijs contractum, ratum non eſſet quoad impunitatem.

Ad authoritatem ex Euariſti teſtimonio petitam.

B Reſpondendum eſt primo, non videri eius epiſtolam decretalem authenticam, argumento eſt, quod initio dictæ decretalis affirmet ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, traditum eſſe, tum demum connubij iura, pactaque valere, cum parentes, eius non modo auctores, ſed & contracti probatores extitere, quod tamen præter eum nemo vnquam dixit, nec dicturus videtur.

Secundo, etſi foret hæc Euariſti epiſtola huiuſmodi, cui fides habenda eſſet, eam tamen tanti non videri prudentibus, vt ſeculorum omnium, quæ ſunt conſequuta, Eccleſiæque vniuerſæ, iudicio præponderare debeat.

C *Eſſe hoc verò peccatum liberorum, cum inconſultis parentibus, matrimonia contrahunt*, mortale: affirmant Nauarr. & alij, cauſa eſt quod in re graui, eorum detrectare imperia, grauis ſit culpa, at eſt electio coniugis, res eiuſmodi, qua nulla videtur dari poſſe ad tranquillitatem animæ vtilior, nulla ſedandis odijs, componendiſque familijs cum ſit prudenter, ac cum ratione aptior. Maxime vero tenentur liberi, parentibus matrimonium cum certa aliqua imperantibus obſequi, quando agitur in eo pax familiæ, aut neceſſarium creditur ad ſedanda iurgia, rixas ac diſſentiones ſubortas inter familias, quam ſententiam ſubſcribunt Couar. 2. par. cap. 3. num. 6. Sotus diſtinct. 29. qu. 1. art. 4. mihique in praxi videtur ſequenda, niſi filio, iuſta aliqua cauſa eſſet, non obtemperandi parentum imperio, de cuius æquitate iudicare non eſt cuiuſlibet, ſed viri prudentis.

D His de liberorum in parentes officio, ac culpa, cum eos ſuper futuro ſuo coniugio non conſulunt, præſuppoſitis, probatur ea propoſitio, quæ fuit prioris argumenti conſequentia, nempe puniendum non videri, priuatione rerum, ſine quibus, non niſi ægre, vitam ac ſpiritum trahere liberi poſſunt. Parentes conſulere pietatis lege liberis debent iiſque prouidere de commeatu, annonaque ad communem vitam neceſſaria, at obligationem hanc nexumque, nulla filiorum delere culpa poteſt, quamlibet enim ſit fœda, quamuis importuna, &
E officio contraria, nomen in iis tamen, ſenſumque patris non obliterat: ergo nec debitum eiuſdem erga illos, ab eo ergo ali debebunt, ſi in has rei familiaris redacti ſint anguſtias vt patris liberalitas, curaque illis ſit retinendæ vitæ neceſſaria.

A

DE IMPEDIMENTIS *Matrimonij non dirimentibus, ſeu de iis quæ in eo requiruntur negatiue, præcepti neceſſitate, & nihil amplius.*

IMPEDIMENTA minora, ſunt ea quæ matrimonium contrahi vetant, contractum tamen non irritant, ſeu B quæ illud illicitum, non tamen nullum efficiunt, ſunt hæc autem numero ſedecim, comprehenſa memoriæ cauſa his verſibus.

Votum interdictum, raptus, ſponſalia, cædes
Conſors, ſine tori, Preſbyterive ſacri
Inceſtus, fœduſque, ſacratum virgine, vinclum,
Edere, ſſe fidem, pœnituiſſe palam.

Primum locum tenet, votum ſimplex caſtitatis, vel religionis amplectendæ, aut matrimonij non ineundi, Nauar. cap. 22. num. 73. Caiet. tom. 2, Opuſc. tract. 11 qu. 1. eum enim qui tali nexus voto, fœminæ ſe per matrimonium copulat, peccare eſt certum, *cum votum ſimplex non minus obliget,* C *quam ſolemne*, cap. rurſus 6. qui Clerici vel vouentes, cum quo tamen contrahere velle matrimonium, malum eſt: ergo & cum voto ſimplici. Quod à ſolemni, in hoc tantum eſt diſtinctum auctore Cœleſt. III. in cap. rurſus citato, quod *matrimonium impediat quidem contrahendum, non tamen dirimat contractum*, quod etiam habet decretalis prima de voto in 6. & canones ferme omnes cauſæ 27. q. prima.

Neque modo quis peccat, cum poſt emiſſum votũ ſimplex continentiæ, ſibi coniugem ſociat, ſed etiam, cum defunctæ aliam ſubrogat, eſt tamen inter hanc, & illum, factum connubium, ſi non licitum, validum tamen, cap. rurſus 6. qui Clerici D vel vouentes, & cap. 5. eiuſd. tit. cui initium meminimus, ibi enim interrogatus Alexand. Papa tertius, ecquid religioſa inſtituta capeſſere, ac abiudicatis mundi curis, cogendus is eſſet caſtè viuere, qui ſe religioni deuouerat, habituque ſuſcepto, profeſſionem fecerat, reſpondit in hanc ſententiam, *Si nec habitum ſuſcepit, nec profeſſionem, ſed votum ſolummodo fecit, & ſe ad religionem tranſituram promiſit, licet poſtea matrimonium contraxerit, cogendum non videri, ad religionem tranſire, & matrimoniale vinculum reſcindere.*

An autem peccatum æternis puniendum ignibus admittat, qui cum voto non nubendi, aut ſeruandæ caſtitatis, vxorem ſibi ſociat, ſine voluntate tamen eius cognoſcendæ, ſed religionis primo E quoque tempore ineundæ, dubitationem habet, quæ auctores incertos tenet ac ancipites.

Culpam talem in contrahentibus agnoſcunt, Sylu. verbo matrimonium 7. qu. 5. Sotus diſt 38. qu. 2. art. 1. Roſella apud Nauar. cap. 22. nu. 73. eo quod naturæ voti, eiuſque eſſentiæ, oppoſitum eſt coniugium, fitque vt ait Nauar. cap. 16. num. 30. coniugi, quæ fidem ſuam viro obligat, iniuria, nam quis ita ſe decipi, quis in fraudem impelli æquo ferat animo? quis innocentiæ ſuæ, patientiæque illudi ſpecie matrimonij, quod propediem, religioſæ vitæ profeſſione, futurum eſt nullum, non credat?

Nihilominus, hi mihi opinari videntur prudentius, qui ab eo contractu, culpam omnem remouent, vt Gabr. & Scotus in 4. diſt. 38. tuenturque ſe his rationibus.

Prima, quod in operando ius ſequi, culpa ſit nulla, at eſt iure cuique licitum, iugare ſe fœminæ, per matrimonium, eoque non conſummato, nuntium remittere ſæculo, vt poſtmodum ex forma Eccleſiæ, religionis ſe nexibus, votiſque ſanctè deuinciat in aliquo cœnobio, cap. ex publico de conuers Coniugat.

Deinde non eſt connubium, per ſe voto caſtitatis oppoſitum, ſed eius conſummatio, in actu, aut intentione, vt patet in B. Virgine quæ voti ſui iactura nulla, B. Ioſepho eſt deſponſa, eo quod in ea intentio nulla talis erat. Nec vlla fœminæ infertur iniuria, per ingreſſum in Religionem, quia viro alteri nubere poteſt. Quid? quod conſummandi matrimonij, neutri coniugum cum contrahunt, neceſſitatem iniectam ſibi velint? cum nec matrimonium id expreſſe dicat, nec aliter ab his fiat, quam cum ſub intellecta hac conditione, niſi religioſe vixero, niſi me manumiſſis amicis, ac opibus, diuino cultui in Religione totum addixero.

Interdictum eſt, cum Epiſcopus, Parochus, aut iudex Eccleſiaſticus, viro & fœminæ prohibent, ne contrahant, dum de impedimento certo conſtiterit, quod inter eos verè aut falsò intercedere fama narrat, & de hoc impedimento eſt integer titulus in decretalib. de matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ: & quanquam ei morem non gerere, malum ſit ac turpe, quod obſequi ſuperiori iuſta imperanti oporteat, conſtat tamen matrimonium, ſi impedimentum de maioribus nullum ſubeſt cap. 1. & 2. de matrim. contracto contra interdictum, in eorum enim canonum poſtremo, qui eſt Alexand. III. hæc leguntur: *Mandamus quatenus ſi nihil conſtiterit quod impediat, præter conſenſum de futuro, qui inter præfatos R. & M. aſſeritur præceſſiſſe, ſecunda matrimonia, inuiolabiliter obſeruanda ſublato appellationis obſtaculo indicetis. Licet enim contra interdictum Eccleſiæ, ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non eſt tamen conueniens, vt ob id ſolum coniugij Sacramentum diſſoluatur, alia tamen pœnitentia ei debebit imponi, quia contra prohibitionem Eccleſiæ hoc fecerunt.*

Peccatur item contra præceptum Eccleſiæ, quando non ſeruatur tempus contrahendi, præſtitutum ab Eccleſia, ſed celebratur in feriis, quibus cuique matrimonium facere eius lege interdicitur, his vero feriis initium olim erat ab Aduentu & terminabantur Epiphania, renouandæ poſtea in ſeptuageſima, & duraturæ vſque ad Octauam Paſchæ incluſiue: item in primo die Rogationum, nec ſiniendæ ante octauam Pentecoſtes ca. Capellanus de feriis, & 34. qu. 4. can. cum oportet. Modo tamen feriata nulla ſunt tempora, iure nouo Trid. Concil. quam quæ continentur Aduentu, vſque ad Epiphaniam, & Quadrageſima vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè: Concil. ſeſſ. 24. cap. 10. de reformat. quo tempore, prædicti Concilij lege licitum eſt matrimonia, ſi videbitur, etiam præmiſſis denuntiationibus de mutuo amborum conſenſu contrahere. Quod ergo his feriis tentare & aggredi coniugibus Concilium inhibet, id ad duo reuocandum eſt capita, nuptialis ſcilicet benedictionis, & traductionis ſponſæ cum ſignis lætitiæ, ad ſponſi familiam, nã vt illa dari nequit à Parocho, ita nec hæc ſpectante populo fieri poteſt ſine vitio, quod Concil. cap. 10. citato nuptias his feriis *Solemni-*

ter celebrari prohibeat, consequenter & illa duo fieri quorum proxime facta est mentio, quæ ad eius celebritatem pertinere, nemo non videt.

Locum inter hæc impedimenta tertium, *Raptus* habet, sed de eo alibi. Quartum *Sponsalia* nam cum fidem alicui datam fallere, sit in vitio, nec hanc præstet, qui neglectis sponsalibus, quibus certo futurũ se certæ fœminæ virum est pollicitus, aliam sibi associat per verba de præsenti, verissime dicitur à sponsalibus, habere matrimonium, vt iniri cum alia, quæ est sponsata, sine peccato nequeat, factum tamen, fracta fide tenet, cap. veniens, & cap. sicut de sponsalib.

Quinto loco, facturis coniugia obstat spiritualis cognatio, ex catechistica institutione orta, cap. per Catechismum de cognatione in sexto, vt enim olim, cum matura iam ætate viri, ad sacra Christianæ religionis mysteria, appellebant animum, non ante diuinis tingebantur Baptismi vndis, quam necessaria rerum nostrarum scientia imbuti essent, de quo vt Sacerdoti constaret, informatos à se præ foribus Ecclesiæ, de Deo, eiusque verbo, interrogabat strenuè ecquid hæc & illa crederent, quod facere se cum dicebant, admouebãtur aquis, salutis ac æternæ vitæ cõciliatricibus. Vt (inquã) primis Ecclesiæ nascẽtis tẽporibus pro se adulti respõdebant, ita & modo pro puero loqui per ætatem nescio, respondet Patrinus Presbytero, renũtiare eum satanæ, mundo, eiusque põpæ, hocque charitatis in eum officio cognationem cum eo spiritualẽ legibus Ecclesiæ contrahit, à qua matrimonio inter eos futuro, impedimentum oritur, cuius modo tamen, nullus in Ecclesia vsus est reliquus, quod à Concil. sess. 24. cap. 2. sublatum videatur, vbi decernitur, vt omni impedimento sublato, *inter baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem*, (quo nomine susceptores quoque intelliguntur) *& baptizatum, baptizatisque patrem, & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur*, qui autem tantummodo in catechismo tenet, pro eo qui tum instituitur de fide, respondendo interroganti Presbytero, nec baptizat, nec suscipit: ergo spiritualem cognationem non contrahit.

Sexto loco, inter impedimenta matrimonij reponenda sunt certa crimina, ob quæ, eorum auctori, erat in pœnam, abstinentia à matrimonio imposita antiquis canonibus.

Primum est *Raptus*, de quo hæc extat Meldens. Concil. sanctio can. 66. *Raptores sine spe coniugij perpetuo maneant.*

Secundum *Presbytericidium*, cap. qui Presbyterorum de pœnit. & remission, & in Concil. Trosleiano can. 13. *Si quis Sacerdotem, vel Leuitam aut Monachum interfecerit, vel debilitauerit, in Monasterio diebus vitæ suæ, sub ardua pœnitentia Deo seruiat, nunquam postmodum sæculo, vel sæcularibus militaturus, neque vxori copulaturus.*

Tertium est *Vxoricidium*, 33. qu. 2. can. admonere, 31. qu. 1. can. 5. si quis, qui est ex Concil. Meldens. can. 69. desumptus vbi est his verbis: *Si probatum fuerit* (adulterum machinatum esse in mortem vxoris, vel contra) *sine vlla spe coniugij, cum pœnitentia perpetuo ambo maneant*, requiritur ergo ad hanc pœnam probatio, criminisque admissi conuictio in iudicio Quandiu occultum latet, aut iuridice de eo reus peragi fide testium non potest, non tenetur adulter, lege canonum, interdicere sibi matrimonium.

Par ac simile de eo, qui Presbytero vim intulit, facere iudicium, est necesse, cum conuictionis canon expresse meminerit in capite qui Presbyterum 2. de pœnitent. & remissionib *Qui Presbyterum occiderit 11. annorum pœnitentia ei secundum canones imponatur*, & infra. *Conuictus, vsque ad vltimum tempus vitæ suæ, militiæ cingulo careat, & absque spe coniugis maneat.*

Quarto, qui cum consanguinea vxoris suæ, vsque ad quartum gradum, aut affine, rem habuit, de matrimonio efficaciter cogitare nequit, ab illo enim eum Concilia remouent, habitum quidem apud Metiam vt refertur cap. si quis primo de eo qui duxit in matrimonium quam polluit, & Triburiense can. 45. his verbis: *Qui cum duabus sororibus fuerit pollutus, vsque ad exitum vitæ, pœnitens & continens permaneat, & soror, quæ posterior se scienter cum eo commaculauerit, vsque ad finem vitæ, pœnitens & continens perduret*, consulendi ea de re canones sequentes cap. veniens cap. transmissę cap. ex liberis & vltim. de eo qui cognouit consangui. & 27. qu. 2. cap. qui dormierit in fine 32. qu. 7. can. si quis viduam 35. quæst. 2. cap. qui propinquam. Idem dicendum de vxore cognoscente consanguineum. vel affinem sui viri, vt notarunt Diu. Anton. tit. 1. cap. 16. parag. 4. Armilla verbo matrimon. num. 57.

Oportet autem vt aduertit, Fernandez in exam. parte 3. cap. 16. parag. 3. coitum formalem esse, hoc est scienter fieri, vt impediendi matrimonij vim habeat Palud. in 4. dist. 34. qu. 1. num. 13. & cum consanguinea non propria, sed vxoris, aut sponsæ viuentis, & non mortuæ. Non *propria* quia decretum quo prohibetur nuptis, qui peccarunt cum consanguineis, vxorem ducere, est prohibitorium ac pœnale, ideoque non extendendum vltra casum expressum, at canones, quibus in pœnam incestus, decernitur abstinentia à coniugio, non meminere nisi consanguineæ vxoris, aut contra, ergo excludendi, qui sunt viri & fœminæ peccantium proprij, aut alterutrius de duobus, iam defuncti.

Ratio est, quod hoc impedimentum sit inductum, in pœnam criminis, quo per incestum cum consanguinea, impeditur vsus coniugalis, cum propria coniuge, ob reuerentiam, at hæc ratio cessat cum esse in viuis desiit. Ita Sotus in 4. dist. 37. qu. vn. art. 1. Henriq. lib. 2. cap. 2. nu. 1. Sa vet. matrimon. impedimenta non dirimentia, num. 7. contra Sanch. lib. 7. disp. 15. Fernand. loco proxime citato.

Quinto qui scienter prolem suam de sacro fonte suscipit, vt coniugem suam à petitione debiti excludat, spe matrimonij contrahendi, cum erit mortua priuatur in can. de eo causa 30. q. 1.

Sexto, qui sciens & volens, coniugium cum Moniali fecit 27. qu. 1. can. hi ergo decimo tertio.

Septimo, qui pœnitentiam, in pœnam admissorum, egit aliquando publicam, nam *secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit, quam castitas perseuerans, & mentis, & corporis*, Leo epist. 90. cap. 11. ad Rustic. Narbon. à qua, si recedebat tentatione victus, aut amicorũ sermonibus persuasus, prohibebatur aditu Ecclesiæ, lege lata in Concilio Arel. 2. can. 21. *Pœnitentes quæ defuncto viro, aliis nubere præsumpserint, vel suspecta, vel interdicta familiaritate se cum extraneis iunxerint, eumdem ab Ecclesiæ liminibus arcẽtur.* Si tamen ob ætatem, colloquiaque cum aliis priuata, de lapsu pereclitabatur castitas prædictorum pœnitentium Episcopi benignitate ac indulgentia, permittebantur

infirmitati suæ subsidium, à coniugio quærere.

Dicti huius repetenda fides est à Meld. Concil. in cuius can 65. hæc leguntur: *Post peractã pœnitentiã publicam* (de raptore & rapta loquitur) *si ætas, & incontinẽtia exegerit, legitimo, & ex vtriusq; partibus placito cõiugio focientur. Quod si vnus ex coniugatis obierit, is, qui publicam pœnitentiam egit, & superstes extiterit, iterare coniugiũ non præsumat, nisi forte Episcopus præuiderit, aliquam concedere indulgentiam, vt grauiorem possit amouere offensam.* His consentanea scripsere Leo ep. 90. ad Rustic. Narb. cap. 11. & Hispani Episcopi in Concil. Tolet. 6. *In adolescentia constitutus*, inquit Leo, *si vrgente aut mortis metu, aut captiuitatis periculo pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem fecisse videtur venialem.*

QVÆSTIO I.

Quinam possint dispensare in impedimentis matrimonij.

DIco primò, *Dispensare posse neminem, in his impedimentis, quæ iuris sunt naturæ*, quia dispensatio, potestatem in dispensante exigit, ac iurisdictionem in res, aut personas, in quibus, & cum quibus dispensat, at quæ natura vetat, quæ respuit ac improbat, vt non satis rationi, prudentiæque consentanea, hæc in iure non sunt hominum: ergo &c.

Eius generis impedimenta sunt 4. Coeundi Impotentia, defectus consensus, consanguinitas in primo gradu, lineæ rectæ tam descendentium, quam ascendentium, & postremo ligamen, hoc est matrimonij tam contracti consummatio, nam etsi in rato tantum, dispenset Pontifex, non tamen in altero.

Dico secundò, *Dispensare posse Pontificem, in omnibus impedimentis, quæ sunt iuris Ecclesiastici.*

Ratio est, quod sit eiusdem potestatis legem statuere, & in ea dispensare, dispensare enim, est ab eius obligatione subditum eximere, sed impedimenta Ecclesiastica, habent à Pontifice originem suam, in iis ergo dispensare Papa potest, sine causa valide, cum ea etiam licite, quia sic est supra hoc ius, vt ab eo totum dependeat: ergo vt Legislator quilibet alius, valide in sua lege dispensat, ita & in his impedimentis Pontifex, non tamen omnino, sine aliqua specie culpæ: nam à communi lege eximendus est nemo, nisi specialis aliqua ratio eum aliis dissimilem faciat, alioqui quod est in Principe turpe, iuste arcesseretur Pontifex inæqualitatis in amore erga subditos, ac proinde culpæ non leuis.

Quare sapienter omnino, ac cum ratione, quædam circa dispensationem in gradibus prohibitis statuisse Concil. legitur, sess. 24. cap. 5.

Primum, vt in ineũdis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel si quam interdum dare est necesse, hæc non nisi raro, & ex causa, gratisque concedatur, *in secundo autem gradu, nunquam dispẽsetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Vnde patet, dispensare posse Pontificem multo certius, in multis impedimentis maioribus, quàm in quibusdam minoribus: nam si dispenset in voto castitatis, Religionis, non nubendi, sine legitima causa, dispensatio ex quorundam sententia, non tantum est illicita, sed etiam inualida, quia est dispatio quædã bonorũ Dei, contra eius voluntatẽ.

Dico tertio, *In Episcoporum iure non esse, dispensare in impedimentis maioribus.*

Primo, quia sunt à Conciliis, & Pontificibus statuta, quorum decreta, ac leges, refigere posse Episcopos, quis credat?

Secundo, non est è re communi Ecclesiæ, Episcopis id permissum esse, vnde eius integritas, splendorque possint minui, priuatis autem ansa dari, violandi Sacramenti, ducendo vxorem, Episcopi facultate, cuius societas ac congressus, illis est Ecclesiæ lege prohibitus, timendũ tamẽ foret si quod Papæ, hoc ipsum in dispensationis materia, liceret Episcopis, in præsenti causa, de impedimentis matrimonij tollendis, vt enim sunt, ad bene de singulis merendum proni, paucos à petitione sua, de ascisscenda sibi coniuge eorum facultate, cui iungi iure Ecclesiæ non possunt, excluderent, & ita breui propinquitas, amicitia ac necessitudo propaganda per familias, ipsæque adeo Pontificum de matrimonij impedimentis, factæ sanctiones interirent, quod est vitandum.

Neque tamen negare possumus, quin interdum iusta illis, honestaque in iis dispensandi causa suppetat, nam quis existimet eos si minus malignè, at seuere certè, ac insuauiter sic haberi à Rom. Pontifice, vt ex quacunque causa, etiam iusta, potestatem omnem dispensandi cum subditis, illis exemptam velit? ex eius ergo tacita facultate, ac concessione, Episcopis dispensare licet in impedimentis maioribus matrimonij in casu vrgentis necessitatis Candid. de matrim. disq. 28. art in 6. Cucus lib 2. constit. maior tit. 7. num. 334. maximè si hæ concurrant circunstantiæ.

Prima, vt sit coniugium publicum, in Parœciæ factum oculis, bona fide ac præmissis denuntiationibus, Parocho, ac testibus consciis, celebratum in facie Ecclesiæ.

Dixi *bona fide* quia sententia quæ affirmat Episcopum posse dispensare in casu magnæ necessitatis, æquitate nititur, quæ suadet Pontificis mentem esse, vt tunc Episcopus dispenset, ob animarum periculum, sed quando matrimonium est contractum mala fide, mens non est Pontificis fauere culpæ coniugum, ne spe dispensationis obtinendæ, noua quotidie, contra canones Ecclesiæ celebrentur coniugia: est ergo contrahentium bona fides necessaria, vt in impedimentis dirimentibus dispenset Episcopus, in casu necessitatis vrgenti. Henriq. lib. 12. cap 3. Candid. disq. 28. art. 16. dub. 1.

Vt autem mala fide dicatur coniugium contrahi, non sufficit speculatiue cognoscere, quod is cum quo fit matrimonium, sit consanguineus, sed insuper requiritur, vt contrahentes sciant practice, ex consanguinitate oriri impedimentum dirimens matrimonium contractum, & contrahendum impediens, quia vt docent Barnez 2. 2. qu. 62. art 6. dub. 5. Rodrig. par. 1. summæ cap. 71. ad malam fidem, necesse est, vt cognitioni speculatiuæ iungatur practica.

Confir. mala fides in eo est, vt quis scienter id faciat, quod non ignorat esse prohibitum ac malum, sed cognitio malitiæ, quę rei inexistit, ad cognitionem speculatiuã pertinet, quod autem hic, & nunc, in eandem feratur, cum plena rationis aduertentia, actio est cognitionis practicæ: ergo ad malam fidem scientia vtraque est necessaria.

Secunda, conditio requisita, vt dispenset Episcopus in impedimentis maioribus est vt impedimentum sit occultum.

Digitized by Google

Tertia, vt ſeiungi ab inuicem coniuges, ſine ſcandalo non poſſint, aut ſi poſſunt, non tamen facile, quia numeroſam prolem habent, quia in populo libidinoſi audient, nec quæ ex inceſto connubio ſequi ſolet, infamiam euadent.

Nec tantum poſt contractum matrimonium poteſt Epiſcopus in trina diſpenſare cum coniugibus diſpenſare ne ſint infames, ſed etiam ante, puta, ſi quo die celebrandæ ſunt nuptiæ, reperiantur impediti coniuges, nec ſine ſuſpicione grauis delicti ab iis admiſſi, poſſint in alium diem reiici, poterit cum iis diſpenſare Epiſcopus, vt hæ fiant, quia in impedimento Eccleſiaſtico, quale eſſe præſens ſupponitur, diſpenſare poteſt, Sanch. lib. de matrim. diſp. 7.

Quarta conditio eſt, vt ad Pontificem, aut alium, cui diſpenſandi ius ac poteſtas, ex conceſſione cõpetat, non ſit acceſſus facilis, ob coniugũ paupertatem, loci diſtantiam, aut cauſam ſimilem, quæ eos Romam ire, aut eo mittere non ſinit. B

Quid ſi contrahentes claris ſunt orti parentibus? quid ſi ſunt diuites? proindeque neceſſariis non deſtituti commeatibus ad Romanum iter?

Reſpondeo, Epiſcopum diſpenſare poſſe non ſecus, ſi res, ſi locus, ſi neceſſitas, eaque grauis id exigunt, nempe quia Roma longe abeſt, quia infeſta ſunt itinera latrociniis, conſequenter intuta, periculoſa, poſtremo quia longa morâ, redituque nuntij ex vrbe coniugum pericli tatur continentia, nam ſi cum paupere, humaniter ac benigne, poteſt Epiſcopus agere cum eo diſpenſando in impedimento, quod eius obſtat coniugio, quia ei non eſt facile ſuper eo Papam conſulere, quid eum prohibet pari erga diuitem benignitate vti, quando ratione neceſſitatis, vrgentiſque periculi in mora, recurrere ei ad Papam non licet? C

Quare quinta circunſtantia, quæ ad diſpenſandum mouere poteſt Epiſcopum, eſt cum periculum eſt in mora, cum ſine peccandi periculo prorogari non poteſt, ac differri diſpenſatio. Ita Sylu. ver. diſpenſatio qu. 9. parag. 15. Angelus ibid. num. 5. Fernand. in exam. parte 3. cap. 16. Piaſec. in praxi Epiſcop. parte 2. cap. 5. art. 2. num. 9.

Si tamen cum impedimenti conſcientia, aut illegitimè, non præmiſſis ex ritu, præceptoq; Eccleſiæ denunciationibus vir & fœminæ contraxiſſent, omnis illis eſſet ſpes præcluſa, recipiendi ab Epiſcopis, eorumque caritate, ſubſidij, per cauſam Concilij, à quo id illis ſeuere interdictum video ſeſſ. 24. cap. 5. *Si quis intra gradus prohibitos, ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit.*

Ad cauſas iuſtas dandæ diſpenſationis ab Epiſcopo referri debet, quod alter coniugum ſolus impedimentum nouerit, quod illud, cum ſit occultum probare nequeat, vel abſque famæ iactura detegere, vel ſi vterque impedimenti ſit conſcius, cum illud probari nequeat, ſeparari ambo ab inuicem ſine ſcandalo nequeant, nec proinde inire nouum matrimonium Sylu. verbo diſpenſatio qu. 9.

Dico quartò, *In Epiſcopi poteſtate eſſe, diſpenſare in impedimentis minoribus, quæ dicuntur non dirimentia*, Tolet. lib. 7. cap. 15. num. 6. Nau. cap. 23. num. 84. Diu. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 16. parag. quarto.

Ratio prima eſt, quod talis ſit vbique terrarum praxis Eccleſiæ, quæ Pontifice, eam tacite approbante, ius facit. A

Secunda, quod hæc illis facultas iure canonum competat, pro publice pœnitentibus, patet ex Concil Toletano 6. in cuius can. 8. iis Hiſpani Antiſtites, cum ſuæ continentiæ metuunt, ducendæ vxoris, ſi nullam habent, aut reuocandæ prioris, facultatem faciunt, Leonis exemplo, de quo eſt canon in adoleſcentia decimus quartus cauſæ 33. qu. 2. at quæ eſt huius delicti ratio, eadem quoque videtur eſſe, ac ſimilis aliorum ſecundum Fernandez, 3. parte 16. parag. 4. reſponſ. 4.

Excipiuntur vota religionis, ac caſtitatis, quæ ſui eſſe iuris, Pontifex ſic voluit, vt ad eius ſolius poteſtatem pertinerent, nullo modo ab Epiſcopis.

Secundo interdictum, cuius ipſe Papa eſt auctor, quia eius obniti voluntati, vt eſt turpe, ita nunquam eſt ſine crimine. B

Quid? quod ſubditum non deceat, Superioris ſui acta refigere, imperia eludere? cum enim hic eum auctoritate ſuperet, quicquid ille contra molietur ac faciet, operam ludet, in nihilum conatus eius omnis recidet: ergo cum Papæ, Epiſcopus obſequi debeat, venerari imperia, amplecti iuſſa, quis eum ferendum crederet, quis non arguendum? ſi ſecus quàm Papa iubet, faceret, aut fieri ipſe aliis auctor foret?

Tertio, non diſpenſat Epiſcopus in ſponſalibus, quod eorum ſolutio, inuita parte, ſit alieni iuris oppugnatio, quæ nunquam eſt in priuato quopiam homine tolerabilis, nedum laudabilis. C

Quarto, non diſpenſat ſimiliter in excommunicatione maiore, cuius ſolutionem Pontifex reſeruatam ſibi voluit. Ex iuſta tamen cauſa, diſpenſat in voto non nubendi, ſuſcipiendi ordinis ſacri, non petendi debiti, quia vt graues Doctores ſentiunt, Epiſcopis in omni votorum genere, quæ ſibi Romanus Pontifex non reſeruat, ius eſt diſpenſandi, & ea commutandi.

QVÆSTIO II.

Quæ ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis Matrimonij. E

VT meum de tota hac cauſa iudicium, cuique magis poſſit eſſe perſpectum, ei præmittendæ ſunt quædam hypotheſes, à quibus lucem trahat.

Prima notitia, Diſpenſatio ne ſit culpabilis cauſam exigit: primo, quia non ſit niſi ex præuia cauſæ notitia, vt iura præſcribunt omnia, cauſa ergo iuſta aliqua, eſt ad diſpenſationem neceſſaria.

Secundo, cum lex, communitatis bonum ſpectet vt finem, quo collimat, ideoque omnibus eius membris ſit poſita, non poſſunt non queri ſubditi, ſi quem ſine cauſa, à legis obſeruatione liberum viderint, ne ergo ſubditis Principes, offenſionis cauſam aliquam dare cenſeantur, iuſta eos ad diſpenſandum niti cauſa eſt neceſſe. E

Tertio, cum ſit prudentis adhibere rationem ad conſilium, eamque habere vitæ, ac operum ſuorum ducem. Superior vt in rebus reliquis, ſic in diſpenſando, eam quoque, ſi prudens audire appetit, ſequetur ac audiet: ergo ne ſit culpabilis, fieri diſpenſatio cum cauſa debet.

Quid? quod ſine cauſa, diſſipare bona Domini, Oeconomo non liceat alioqui male adminiſtrato.

rei Dominicæ diem dicet, capiteque pœnam luet, at quid est, suppellectilem Christi sacram euertere, quid eius fortunas pessundare, quid Ecclesiæ lucem, ac splendorem tenebris fœde infuscare, ac turpiter, nisi eius robur solutione legum infringere, minuere dignitatẽ, laxare seuentatem, facit hoc verò, quisquis à legum custodia, aliquos præ aliis, sine causa, præcludit, aliquam ergo intercedere, eamque grauem, ne peccet Episcopus cum dispensat, est necesse.

Notitia secunda, Legislatores, Deo excepto, potestatem habent nullam ferendæ legis, aut in ea dispensandi, nisi quatenus hoc est communitati vtile. Nam vt sunt Patres patriæ, quorum est prouidentiæ commissa Resp. vt eorum interest, videre ne quid detrimenti patiatur: ita & omni, qua possunt, inuigilare cura debent vt hæc si fieri potest, sit æterna, sit florens, sit beata, sit bonis omnibus aucta: At repugnat huic eorum muneri, data ab iis sine causa dispensatio, nam cum hanc ratio non tuetur, ea salus publica, communisque ciuium non iuuatur: datur ergo tum etsi valide, non tamen licitè.

Notitia tertia, dispensatio in lege superioris, sine iusta causa, non modo est illicita, verum & irrita, Suarez lib. 6. cap. 19. Sanch. lib. 8. de matrimon. disp. 17. qu. 11 num. 4. Laym. de legib. cap. 22.

Causa est, quod potestas delegati, certis sit circunscripta terminis, extra quos egredi nequit cum fructu, de eorum numero est causæ æquitas, à qua eum Papa ad dispensandum vult moneri, non aliter: ergo si deerit, ergo si eam delegatus obtendere datæ à se dispensationi non poterit, hæc nulla erit: nam quis Pontificem existimet, cum de dispensatione agitur, iubrogare sibi hominem, qui iura pessundet, prudenter mihi ac iustè, sed temerè ac iniquè gerat omnia, at huius est culpæ conscius, qui accepta à Pontif. dispensandi facultate, pensi nihil habet, vtrum ab eo, qui est à legis eximendus custodia, iusta aliqua causa faciat, an nulla, ergo si dispensat, ergo si ab eius obseruatione liberat, dispensat inaniter, ac sine effectu, ad culpæ fugam in dispensato. Quare si quem à legibus Ecclesiæ Episcopus, à iuramentis autem & votis, Papa velit esse sine causa liberum, erit eius dispensatio irrita, inanis, ac nullarum virium in conscientia, nec proinde in operando, sequenda dispensato: quia probabilis nulla suadet ratio, à Deo Papæ commissam esse facultatem relaxandi pro arbitrio vota sibi facta, aut iuramenta, cum concedendæ huius gratiæ nulla est causa, esset enim hæc potestas, non ad dispensandum, sed dissipandum, non ad ædificationem, sed destructionem, ei tradita diuinitus, à quo abhorret animus: quod si est dispensatio eiusmodi inualida, si nulla, ea vti dispensato non est illæsa conscientia integrum Laym. supra num. 11. Suar. lib. 6. de voto cap. 17.

Notitia quarta, peccatum est, de eorum genere, quæ sunt ac dicuntur venialia, Legislatorem, aut Principem in his dispensare legibus, quarum sunt auctores, si nihil est rationis, quamobrem id eos facere oporteat Villal. in summa tract. 2. dub. 41. num. 5. Lorca tom. 2. par. 2. disp. 27. Pontius de matrim. lib. 8. cap. 14. num. 7. Sotus lib. 1. de iustit. qu. 7. art. 3. quia exonerare aliquos, oppressis aliis, est habere personarum delectum, nullo modo meritorum, quod est malum, non mortale tamen, secluso scandalo. Quia vt est in Legislatoris potestate, legem sciscere, quæ omnes discrimine nullo vinciat, vt decreta sancire quæ ad singulos pertineant, ita & illa, cum est libitum refigere, antiquare, tollere, ergo & eorum nexu soluere, quos est placitum, & quidem ex causa sine crimine, quando deest, cum aliquo, venali tamen non maiore.

Similis est culpæ reus, qui dispensatione tali, id est in humano iure facta vtitur, nisi graue sequeretur scandalum, aut tertij damnum non vulgare. Ita Sot. lib. 1. institut. qu. 7. art. 3. Couarr. de matrim. cap. 6. parag. 9. num. 7. Caietan. ver dispensatio ratio est, quod iure naturali pars teneatur toti se conformare, patique legem quam sequuntur omnes Fernand. in exam. par. 3. cap. 16. parag. 4. Dixi *in humano iure*, nam cum data dispensatio sine causa in diuino, ad quod voti, iuramenti, ac matrimonij rati relaxatio pertinet, sit nulla, ei acquiescere, secundum eam viuere, ac agere, mortale esse docent Caiet. Sot. & Fernand. locis citatis.

Iam ad quæstionem suntne iustæ aliquæ causæ dispensandi in matrimonio, & quæ? in nonnullas propositiones conferam, quæ mihi ad totum hoc genus quæstionis cognoscendum, videntur necessaria.

Prima propositio, *Dantur causæ, quæ Pontificem iuste mouere queant ad dispensandum cum aliquibus in matrimonio.*

Ratio est, quod honestè fideles, ac prudentes petere possint, secum vt Pontifex benigne se geat ac humaniter, facultate sibi pro auctoritate concessa, ducendæ certæ fœminæ, cum qua legibus Ecclesiæ, omnis est illis interdicta coniugalis societas: ergo & Papæ licebit, id illis, si videbitur esse ad Dei honorem, gloriamque, concedere.

Confirm. dispensandi in voto, causæ multæ sunt, eæque iustæ, vt est in cap. magnæ deuotionis 7. de voto & voti redempt. cur has ergo, aut similes, obtendere fideles non poterunt, pro matrimonio?

Propositio secunda, *Tres causæ in Conciliis, & Decretalibus explicantur, cur dispensatio à Pontifice in impedimento matrimonij iam contracti dari debeat.*

Prima est, cum metuitur ne eius solutio scandalum afferat populo, sic Innoc. III. decretalis quia circa 6. de consanguinit. ibi enim interrogatus Pontifex, ecquid consanguineis, qui contra decreta Ecclesiæ matrimonium ausu sacrilego contraxerant, eodem vti lecto, parique domo fas foret, respondit, tolerari posse, *vt remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione, graue scandalum videatur immineere.*

Secunda est, cum matrimonium bona fide est contractum à consanguineis impedimenti ignaris, Trident. sess. 24. cap. 5. *Si solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit.*

Tertia est, proles suscepta, ex coniugio inter consanguineos, qui se bona fide tales esse non credebant, Innoc. III. in decretali sexta de consanguinit. cum enim *vterque coniux*, (vt est in decretali Clement. III. cum haberet 5. de eo qui duxit in matrimonium &c.) *liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrare debeat*, fieri id verò commode extra matrimonium nequeat, ne iis soluto coniugio male sit, permittendi parentibus vt in eo permaneant, iusta Pontifici est causa.

Propositio tertia, *Causæ ad dispensandum, vt consanguinei contrahant, qui nondum contraxerunt, tres sunt præcipuæ.*

Prima

Prima eſt, ſpes prope certa, aut probabilis, conciliandæ inter eos pacis, componendæ litis, ſedandi ope connubij, ſimultates acerbas ac graues, quibus eorum familiæ deflagrant, occurrendi periculis, quibus eorum vita certo patet, qui inter ſe exercent odia, nec vitabuntur, niſi per matrimonium, Nauar. cap. 22. nu. 87.

Secunda eſt, rei familiaris ingentes anguſtiæ, quæ ſpem omnem ſponſæ adimunt reperiendæ dotis, qua è ciuitate, aut prouincia illectus aliquis, de ea ducenda, conſilia capiat, & ita ſponſum ſe dignum, niſi è propinquis aliquem, habere nequeat, quia durum eſt, ab ea exigere, vt innupta perpetuo maneat, aut viro ſibi inæquali genere ac ſturpe nubat.

Tertia eſt, defectus ſeu inopia puellarum, quæ ſponſo, nobilitate morumque ſimilitudine reſpondeant, ex quo proinde efficitur, vt dignã, ſtatuiq; ſuo ac merito poſt in ciuitate aut oppido vbi degit, parẽ nullam reperiat præter affinem, cum qua coniugij fœdera ineat. Dixi *in oppido vbi eſt natus*, nam quod eius generis plurimas alant vicinæ vrbes, ac oppida, non ideo tenetur ſponſus, inde vllam ſibi petere, vt notarunt Fernandez ſupra num. 7. & Coninch. diſp. 33. dub. 5. num. 46. quid ita vero? quod id difficultatem maioraq; ſecum incommoda trahat, quam quæ ſubire homini ſit neceſſe, vt ſponſam ſe dignam habeat. Eſt in eo vero difficultas, quod connubiali nexus vinculo, alibi quam in eo, vnde eſt oriundus oppido, cogatur carere iucundiſſimo parentum aſpectu, propinquorum colloquio, quo quid homini accidere poteſt durius? quid fœminæ acerbius? Facta quoque eſt mentio *ſimilitudinis in moribus*, nam ſi vitâ, ſi religione, ac indole, vir & fœmina diſcrepent, æqualitas intercedere inter eos quæ poteſt? animorum autem ac voluntatum communio, quæ ſperari, cum in diuerſa diſtrahuntur ſtudia? quare æqualitas nuptiarum, non tantum ex paritate diuitiarum ac generis, ſed multo magis eſt ex morum petenda congruentia, quæ cum matrimonij non conſociat, voluntates diſiungit ac diſſociat, lites iurgiaque nunquam finienda, inter ſponſos generat.

Quarta propoſitio, *Sunt & aliæ cauſæ, quæ ad diſpenſandum cum conſanguineis, vt coniugij ſocietatem inter ſe coeant, inducere Papam poſſunt.*

Prima eſt, opum in eadem gente familiaque conſeruatio, quas ſi oporteret cum plurimis diuidi, ſi cum ea communicari ad quam puella tranſit, metuendum eſſet, ne breui ſplendor eius omnis interiret ac dignitas, quam tamen retineri integram, Reipublicæ intereſt, ad cuius maieſtatem pertinet, eſſe qui eam fortunis ſuis protegant, ſpecie ſuſtineant ac conſilio.

Secunda eſt, familiæ alias perituræ perpetuatio, in eadem gente, vt ſi fœmina, principatum in ea gereret, ſi penes illam, eius arma, nomenque eſſet, quia familias in quibus magnæ olim extitere virtutes, propagari ad exemplũ poſterorũ expedit.

Cauſa tertia, à meritis petitur poſtulantium vt ſecum diſpenſare Papa pro cætera ſua benignitate non grauetur, plus enim aliquanto ingenuo quam ſeruo, Regi quam ſubdito, bene de Republ. Chriſtiana merito homini, quam nullius rei ac nominis, ignauo cuipiam tertæ filio, concedi oportet, vt ſic ad magna, grandiaque, Chriſti cauſa, ſpe conſequendæ ſimilis ab Eccleſia gratiæ, forti ſe auſu nobiles efferant. Sunt etiam qui aſſerant, diſpenſare poſſe Pontificem in gradibus remotioribus, vt pecuniam ſubleuandæ rei Chriſtianæ, aut familiæ ſuæ, vel pauperum, ad manum habeat, hancque cauſam, quamuis deſint cæteræ, per ſe ſolam ſufficere, quod ad bonum publicum referatur, vt finem, dixit Ægid. diſp. 33. dub. 5. num. 49.

Quinta propoſitio, *Non peccat Superior cum ante diſpenſationem eius concedendæ cauſam non diſcutit, quando eſt hæc manifeſta omnibus*, quia in notoriis non exigitur ordo iuris, nec quæ ſunt eiuſmodi diſcuſſione indigent, cum in omnium incurrant ſenſus, ſintque illis, vt ſupponitur perſpicua, ac manifeſta decimo quinto cauſæ 2. qu. 1. cuius rei eſt hæc cauſa, quod non videatur examen eſſe neceſſarium, niſi vt diſpenſatio, temeritate vacet, de ea autem argui iudex nequit, cum concedendæ diſpenſationis cauſa, cuique eſt peruia.

Sexta propoſitio, *Credi debet, iuſtam ſuperiori diſpenſandi cauſam eſſe*, quando ſua ipſe ſponte, non aliena inductus prece, & vt loquuntur ad partis inſtantiam, in impedimentis coniugii, quæ iuris ſunt poſitiui diſpenſat,

Ratio eſt, quod nemo temerè, alicuius arceſſendus ſit culpæ, niſi de ea, argumentis omni luce clarioribus, conuinci queat, in ſuſpicionem enim, inuidiamque vocare criminis aliquem, ex coniectura leui quapiam errante ac fallaci, culpa eſt, non imprudentiæ modo ſed caritati iuſtitiæque oppoſita. Iam quæro, quid ſit magnopere in hac cauſa, quod Superiorem peccare probet, cum inductione propria animi, non aliena oratione aut prece flexus, conſanguineis vt inter ſe coniugia celebrent facultatem tribuit? quare ſi firmum nihil in hac materia occurrit, ac ſtabile, quo errare conuincatur Superior cum diſpenſat, iuſtam ei ad id cauſam ſuppetere, credi debet, vt fuit in propoſitione poſitum: quæ eſt opinio Soti in 4. diſt. 21. qu. 2. art. 2. & lib. 7. de iuſtit. qu. 4. art. 3. ad 2. Suar. de cenſur. diſp. 41. ſect. 3. vbi habet in foro interno ſufficere, vt non conſtet ſubdito de defectu cauſæ, etſi eam in externo probare ſit neceſſe.

Circa dicta quæritur primò, *Quæ conditiones ſint apponendæ in petenda diſpenſatione circa gradum conſanguinitatis.*

Reſpondeo ſatis eſſe exprimere gradum remotiorem, quo bini coniuges diſtant ab inuicem, Gloſſ. in cap. quod debet de conſanguinitate & affinitate v. c. fœmina à communi ſtipite differt in tertio gradu, vir in quarto, non deerunt hi officio, ſi Pontificẽ monuerint diſtare inter ſe quarto gradu.

Ratio eſt, quod à remotiore, aſcenſione facta ſurſum verſus, graduum numerus inſtitui ſoleat, & ita conſanguinei, qui inæquali gradu differunt à communi parente, eodem inter ſe gradu diſtant quo remotior. Quare *vir qui à ſtipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere diſtat quinto, ſecundum regulam approbatam, qua dicitur, quoto gradu remotior differt à ſtirpe, & à quolibet per aliam lineam deſcendentium ex eodem: licite poſſunt matrimonialiter copulari*, Greg. IX. in cap. vir qui finali de conſanguinit.

Quæritur 2. *An peti poſſit diſpenſatio ſuper aliquo matrimonii impedimento, alio Pontifici tum non explicato, ſed explicando poſtea.*

Exemplum eſt eiuſmodi, vir ex eadem ortus gente cum puella, quam ſibi ambit coniugem, hocque ei propinquitatis nexus gradu, intra quem, Papa minime diſpenſat, connubium eſſe inter eos ſtabile ac iuſtũ, lege Eccleſiæ non poteſt, cui impedimento adiunctum eſt & aliud, affinitatis ex copula, cum puellæ conſanguinea habita, quæritur an ſolius propinquitatis in litteris ad Papam datis

fieri mentio possit, impedimento ex affinitate contracto, tunc eidē nō exposito, sed exponēdo postea.

Duæ sunt opiniones, prima asserentium non posse, quam defendunt Suar. de legib. lib. 6. cap. 24. num. 6. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 23. num. 2. Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 19.

Secunda opinio est fieri id posse licite, & valide ita Henriqu. lib. 12. cap. 3. num. 6. in Glossa littera N. Emman. Sa verbo dispensatio num. 16. Salas de legib. disput. 20. sect. 15. num. 122. quæ opinio *cum tot patronos habeat & rationes non parui momenti, est probabilis*, inquit Sanch. supra, *nec posset damnari qui illam amplecteretur.*

Prima tamen est tutior, & tutior, & praxi Romanæ, quæ legis vim habet conformior (inquit Diana tract. de legibus resol. 39.) quæ si causa sola esset, faciendæ fidei sufficeret, nunc vero, cum ad praxim accedat hæc ratio: Quod isto silentio illudatur Pontifici, eaque fraude fiat, vt dispensatio, vtroque hoc impedimento ab eo non cognito, concedatur minus ægre quam si eum non latuisset, ambigendi de veritate primæ illius sententiæ, causa mihi nulla videtur reliqua.

Confirm. cum quid tacetur quod secundum stylum Curiæ, exponendum erat Pontifici, dispensatio obreptitia est consequenter fallax & nulla iudicio Laymanni lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 18. Sanchez lib. 8. disp. 21. qu. 1.

Causa est, quod quæ dolo fiunt aut fraude, hæc si non sunt nulla, & irrita, irritari certe debeant, C at taciturnitas ad calliditatem pertinet, quæ species quædam est fraudis.

Secundo suppressio rerum, quas ratio superiori explicandas admonet, ad obtinendam ab eo gratiam, tacita quædam est, ac virtualis falsi narratio, tacere enim narranda, est virtute dicere, ea non esse, in quo est falsitas: at narratio falsi, cum sit deceptio, dispensationem, & quamuis aliam gratiam vitiat, cum hæc Principem inducit ad facilius concedendum: vera ergo est maior, ac proinde quod responsum fuit ad quæstionem, Pontifici impedimenta ambo, affinitatis & propinquitatis eodem explicanda esse tēpore, vt data dispensatio valeat.

Quæritur 3. *An in petitione dispēsationis cū consanguinea aut affine, habita cū ea copula exprimi debeat.* D

Exprimendam aiunt hi authores Rebellius lib. 345. sect. 4. nu. 24. Fernandez in examine Theologiæ parte 3. cap. 16 parag. 4. interrogatio Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 25. num. 8. causa illis ita sentiendi vnica, quod ita fieri Romana consuetudo exigat, cui parendum est tanquam legi.

Contrariam opinionem arripuerunt, vt mitiorem, & veriorem, Doctores probitate, & scientia insignes Pontius de matrim. lib. 8. cap. 17. parag. 6. n. 32. Villalob. in sum. to. 1. tract. 14 diffic. 27. n. 7. Antonin. Diana tract. de legibus resol. 44.

Primo, quia veri suppressio, dispensationi non est in foro interno noxia, sed externo tantum Henriq. lib. 12. cap. 3. num. 2. E

Secundo, à silentio non trahit dispensatio vitium, nisi cum res præterita de earum est genere, quæ vel Pontificem arcerent à concedenda gratia, aut certè ad tribuendum difficilem redderent, at copula non est eiusmodi, cum ab ea Pontificem, quamuis cætera deessent omnia, induci ad petitæ gratiæ concessionem oporteat, vt puellæ existimationi consulat, perituræ si ante factum matrimonium eius intumesceret vterus.

Quæritur 4. *Vtrum is cui permissum est à Papa, ducere consanguineam, qua tamen facultate non est vsus,* A *teneatur id exprimere in petitione dispensationis, vt ei connubium cum alia sociare liceat.*

Declarandam esse negat, Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 22. num. 33. Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 32. & alij. Affirmat Suarez lib. de legib. 6 cap. 23. num. 20. Ego quid in ancipiti quæstione respondeam, occurrit nihil, nisi vtramque videri probabilem, tutiorem tamen vltimam, quia quod duabus consanguineis iungi quis possit, Papæ voluntate, facultas est insolens, indulgentia extraordinaria, & parum rationi consentanea, est ergo expresse impetranda.

QVÆSTIO V.

B *An in Matrimonio rato dispensare Papa possit.*

POsse negant è Theologis octodecim, è Iurisperitis decem, quorum nomina, ac argumenta quibus hæc illis iniecta mens fuit, scriptis suis inseruere Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 14. Rebell. de matrim.

Longè quam illis, mens fuit alia Caiet. tom. 1. tract. 28. Catharin. lib. 6. contra Caietan. cap. 8. Micha. Medinæ de sacror. hominum continentia lib. 5. Sylu. ver. Diuort. q. 4. Bellar. lib. 2 de Monachi cap. 38. Henriq. de matrimon. lib. 11. cap. 8. Sanch. supra Nauar. cap. 22. Enchiridij num. 21. quam ego sententiam priore probabiliorem existimo ob argumenta sequentia.

Primum, non est matrimonium ratum, indissolubile natura sua, rumpi ergo Papæ auctoritate poterit, cum erit necesse. C

Consequentia probatur, quæ nec naturæ, nec diuinæ repugnant legi, hæc à Pontifice concedi possunt mortalibus, cum est ad Dei gloriam, aut eorum bonum necesse, ea non negari, at tempora incidere ea possunt, quibus è re communi multorum, aliquorum autem priuata fit, ac Dei, matrimonium ratum dissui, vt si viro non conueniat cum fœmina, si illi ista, & isti vicissim, ille exosus sit ac grauis, si ex quo mutuam sibi, ac reciprocam fidem sunt polliciti, causa nouæ dissidij prodiit, ac vero etiam futuri inter eos diuortij, puta quia amborum alter, turpi ac fœda laborat inualetudine, quæ ne contage ad sanum penetret, eumque male perdat, metuendi iusta est causa. D

Antec. est certum, professio cœnobitica matrimonium inane reddit, ac nullum testimonio Tridentini in sess. 24. can. 6. vbi est his verbis: *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum per solemnem professionem alterius coniugis, non dirimi anathema sit.* Idem dixere Pontifices Viban. III. in decretali ex parte 9. Alexander III. in cap. ex publico 7. de conuersione coniugatorum. Ibi enim scribit, quod Dominus in Euang. dicit, non licere viro nisi ob fornicationis causam, vxorem suam dimittere, intelligendum esse, secundum prolationem sacri eloquij, de his quorum matrimonium carnali copula est consummatum: ergo si erit duntaxat ratum, concessione Pontificis licebit alteri ab altero fas erit.

Confirmatur, professione religiosæ vitæ, professus statum vitæ nobilem & perfectum amplectitur, qui per matrimonium impediri non debet, cum quisque libertatem habere debeat transeundi à statu imperfecto ad perfectum & præterea nemini fit iniuria, cum matrimonium necdum sit consummatum, per ratum enim non acquirit maritus ius in corpus suæ coniugis completum, & in actu, sed in potentia tantum, quemadmodum per con-

ſummatum accidit. Deinde quia id priuilegium ſoli rato eſt conceſſum, non conſummato. Et quidem cauſa perpetuitatis matrimonij refundēda eſt vel ad liberos, qui educari non poſſunt, vt expedit niſi matrimonium ſit perpetuum, vel quod eſt verius, ad voluntatem Chriſti qui illud inſtituit indiſſolubile, his verbis Matth. 9. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*: At hæc verba intelliguntur tantum dicta de conſummato ex ſententia Alexand. III. cap. ex publico 7. de conuerſione coniugatorum nec vlli ſunt liberi cum matrimonium tantum eſt ratum, nec ſoluitur eius ſignificatio, cum tale matrimonium denotat tantum vnionem Chriſti cum Eccleſia, & ſingulis eius membris per dilectionem charitatis, quæ cum amittatur per peccatum mortale, mirum videri non debet, ſi tale matrimonium non ſignificet coniunctionem indiſſolubilem.

Probatur, diſpenſat Pontifex in voto ſolemni Religionis ſecundum Doctrinam Gloſſæ in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum, eſt tamen religionis profeſſionis vinculum, arctius quam matrimonij, cum hoc per illud tollatur: ergo

Tertio, non eſt credibile à Chriſto negatam eſſe ſuo Vicario poteſtatem, quæ ad bonam decentemque Eccleſiæ gubernationem eſt neceſſaria: at exigit conueniens Eccleſiæ gubernatio, vt Pontifex ſoluendi rati matrimonij poteſtatem habeat, cum ſæpe multum adeius bonum pertinere poſſit eius ſolutio, eam ergo poteſt Pontifex concedere, ex iuſta cauſa, ſic vt vtrique parti liberum ſit cum alio contrahere.

Dixi ex iuſta cauſa, quia cum Papa ſit diſpenſator fidelis, non Dominus, bona Domini ſui adminiſtrare debet ſecundum eius voluntatem, non ſuam, ſed non eſt credibile velle Deum, Pontificem diſpenſare in his matrimonijs cum diſpenſandi iuſta nulla cauſa ſubeſt: quare hoc modo facta diſpenſatio eſt inualida, eo quod diſpenſatio rei alienæ ſine iuſta cauſa, & contra Domini voluntatem, ſit inualide. Cum talis ſubeſt cauſa, poteſt Pontifex ſoluere vinculum matrimonij rati, concedendo vtrique parti poteſtatem aliud contrahendi.

Quarto, non minus repugnat Pontificem errare in moribus, quam fide, at diſſolutio matrimonij rati, eſt quidpiam ad mores pertinens, quam tamen diſpenſationē Pontifices indulſiſſe pluribus, hiſtorici narrant vt de Martino V. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 2. de Eugenio I V. Nauarrus de Paulo III. Iulio III. Pio I V. & Gregor. XIII. Henriq. in ſumma lib. 11. de matrim. cap. 8 num. 11. in comment. littera F. de aliis Caietanus tom. 1. opuſcul. tract. 28. quorum tam teſtimonia quam ſacrorum Pontificum facta, materiam ſic argumentandi nobis ſuppeditant, in dubiis ſtandum eſt ſententiæ ſuperiorum cap. ad aures extra de temporum ordinationibus & can. quid culpatur 23. q. 1. at Pontifex eſt ſuperior, & diſpenſat in matrimonio rato: ergo, &c.

Confirm. diſſolutio vinculi coniugalis, cum de matrimonio rato agitur, nullum adfert damnum notabile tertiæ perſonæ. Non coniugibus, quia ius tantum acquirunt perfectum, & completum, per conſummationem ſui matrimonij, non proli, quæ nulla eſt nata, non Sacramento, quia ſignificatio eius integra manet, & ſcripturæ quæ de indiſſolubilitate loquuntur agunt tantum de matrimonio conſummato, cap. ex publico 7 de conuerſ. coniugator. vel ſi de rato ex̄ debent intelligi ſimpliciter, ac ſecundum ius communē, non etiam cum reſpectu ad diſpenſationem Papæ: Cauſæ vero diſpenſandi in matrimonio rato ſunt hæ.

A

Prima, notabilis in qualitate diſparitas, quę eſt mutuæ amicitiæ, concordiæq; ad quam matrimonium ordinatur aduerſa vt quam maxime.

Secunda, ſi lepra ſuperueniens, amorem vtriuſq; erga ſe inuicem imminuat, cum enim non alius ſit matrimonij terminus, quam vitæ incredibile eſt à Deo Pontifici ius negatum leuandæ eſſe diſſolutione matrimonij tantæ moleſtiæ, quanta angi coniuges in vita eſt neceſſe, quorum in ſe mutuo, nullus eſt amor.

Cauſa tertia eſt, timor ſcandali, vt ſi rixarum inter conſanguineos coniugum, aut ipſoſmet, ob diſparitatem amborum in genere, ſtirpe, & opibus periculum immineret.

B

Quarta eſt, defectus voluntatis contrahendi in alterutro, ipſius maxime teſtimonio, qui non conſenſit, nec induci ad conſentiendum poteſt.

Obiicies primo, ſi matrimonium ratum à Pontifice poteſt diſſolui poterit & conſummatum, cum inter ea, non ſit alia diuerſitas quam accidentalis.

Secundo, ſi id facere Pontifici licitum eſt reſpectu totius Eccleſiæ, idem quoque concedendum erit Epiſcopo, in ſua Diœceſi, cum ſemota omni reſeruatione, idem hic poſſit in locis ſuæ iuriſdictionis, ac ille in tota Eccleſia, quæ duo tamen ſunt abſurda.

Tertio, matrimonium eſt, ex lege diuina indiſſolubile, at Pontifex in lege diuina diſpenſare non poteſt, can. ſunt quidam 25. q. 1.

C

Quarto, Pontifex Sacramenta mutare non poteſt: ergo nec matrimonium ex inſolubili reddere ſolubile

Reſpondendum ad primum argumentum, falſum eſſe, matrimonium conſummatum à rato diſtingui tantum accidentaliter, differt enim tanquam integraliter perfectum, ab imperfecto, nec enim conſummatio, perfectio eſt merè accidentalis, ſed integralis, quæ matrimonium complet in ſua perfecta ſignificatione, vnionis ſcilicet Chriſti cū Eccleſia, per carnem aſſumptam, in qua fundatur omnimoda indiſſolubilitas matrimonii cōſummati, & hanc perfectionem integralem non habet matrimonium ratum, licet habeat rationem integram ſigni, quæ eſſentialiter conſtituit Sacramentum, quare matrimonium ratum à conſummato nec accidentaliter differt, nec eſſentialiter, ſed medio modo, ſicut totum integrale perfectum, ab eo quod caret parte aliqua.

D

Secundi argumenti neganda eſt, ſequela, cum enim ſit incertum an id Pontifex poſſit, multo magis eſt incertū, an id Epiſcopus vēdicare ſibi queat.

Addo defendi poſſe probabiliter, Epiſcopum in caſu neceſſitatis, idem in hac materia, facere poſſe, quod Papæ eſt permiſſum ex cauſa, pro qua ſententia faciunt, Sanch. de matr. li. 1. diſp. 61. Barboſa de poteſtate Epiſcopi par. 2. allegat. 33. aſſerunt enim hi omnes, Epiſcopum in ſua Diœceſi poſſe quidquid Papæ licitum eſt in tota Eccleſia, niſi ab eo prohibeatur.

E

Ad tertium, negandum eſt Pontificem diſpenſare in lege diuina, per ſe ac directe, quia Pontifex non tollit niſi vinculum matrimonii, quo ſublato lex diuina de perpetuitate coniugii ſeruanda, non obligat, hoc autem proprie non eſt diſpenſare in lege, cum diſpenſatio ſit ſecundum Doctores, remiſſio legis in ſuo iure remanentis, quæ in noſtro caſu non manet, cum eius fundamentum ſit ſublatum, nempe vinculum, in quo ſi reperitur diſpenſatio reſpectu legis diuinæ, hæc non eſt niſi indue-

cta, & per accidens,

Ad quartum dicendum est Pontificem non mutare Sacramenti essentiam, sed ponere tantum conditionem ad cuius præsentiam cessat Sacramenti significatio.

QVÆSTIO VI.

An Papa dispensare possit, vt proles nata sit legitima.

Filii omnes legitimi sunt, aut illegitimi, legitimi sunt, qui ex valido matrimonio, aut quod tale credebatur sunt nati, excepto duntaxat eo casu, in quo, ex vero quidem orti illi essent connubio, sed quod redigi in actũ nõ poterat, eo quod coniugum alter, aut vterque de mutuo consensu, vota tria in religione approbata professus esset. Dixi *quod tale credebatur*, nam qui liberi, suscepti sunt ex nõ vero matrimonio ac valido, sed tamen celebrato in facie Ecclesiæ, & consummato cum vtriusque, bona fide, aut alterius saltem de coniugibus, hi legitimi sunt censendi, etsi nati essent post contestationem litis super impedimento matrimonij, sed non ante sententiam: ita Alexand. III. in cap. cum inter 2, qui filij sunt legitimi consultus enim à quodam, ecquid hæreditate paterna hi excíderent, quorum parentes, publicè sine contradictione Ecclesiæ, inter se contraxissent respondit velle se, *Vt filii eorum, quos ante diuortium habuerunt, & qui concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi, & quod in bona paterna hæreditate iure succedant, & de parentum facultatibus nutriantur*, quæ fuit etiam Innoc. III. opinio, in decretali ex tenore 14. eiusdem tituli, nam natum ex adulterino connubio, contracto tamen bona fide, in facie Ecclesiæ, à matre, ignara quod vir cui nubebat, alteri copulatus esset fœminæ, dixit habendum esse pro legitimo.

Intelligentes, inquit, *quod pater prædicti R. matrem ipsius, in facie Ecclesiæ, ignoram, quod ipse aliam sibi matrimonialem copulasset, duxerit in vxorem, & dum ipsa coniux ipsius legitima putaretur, dictum R. suscepit ex eadem, in fauorem prolis potius declinamus, memoratum R. legitimum reputantes*, pari beneficio fruitur, qui contra fas, æquumque, ex fornicario congressu, à solutis est genitus, qui postea tamen, facti sui pœnitentia ductí, aut consilio placandi Dei, turpitudine præterita in rationem versa, sibi mutuo, Parocho spectante ac testibus fidem coniugij dedere, nam hoc ipso, benigna iuris dispositione tam ciuilis quam canonici prædictus puer, habetur pro legitimo, Ciuilis quidem, nã vt est in instit. lib. 1. tit. de nuptiis 10. parag. vlt. qui cum muliere aliqua, vt cum vxore, rem habuit, quam ne vxorem duceret, nulla lex vetabat, *Si postea cum ea dotalia fuerint instrumenta confecta, non solum qui ante ea dotalia nati fuerint, sed etiam qui postea nasci contingit, potestatis patris subiacebunt.* Canonici autem, quia vt est in decret. 6. Alex. III. qui filii sint legitimi, *tanta vis est matrimonij, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium, legitimi habeantur*, quare cum neptem suam exhæredare patruus vellet, quod nata esset ante desponsationem matris suę, licet postea pater mulieris præfatæ, matrem ipsius accepisset in vxorem, respondit idem Alexand. cap. 1. citati tit. eam, si ita esset vt narrabatur, iudicandam esse legitimam, inhibendũque ei viro, qui se eius aiebat esse patruum, *ne dictæ mulieri, huiusmodi occasione super hæreditate paterna, molestiam inferret vel grauamen.* Hæc de legitimis.

Illegitimi sunt ii qui nascuntur ex concubitu legibus prohibito, præterquam in casibus qui sequũtur. Primus est, cum matrimonium iudicatur validum, quod tamen non est eiusmodi, ob impedimentum occultum ac latens, creditur tamen tale, ex errore facti, non iuris, vt est matrimonium eius, qui ad secundas nuptias, prima adhuc superstite coniuge transit, quam bona fide existimabat mortuam, vt habetur ca. 2. qui filii sunt legitimi: Certæ tamen ad id sunt conditiones necessariæ.

Prima vt matrimonium, clandestinè contractum non fuerit, id est clam Parocho, & testibus, nullisque ex forma Ecclesiæ, præmissis denunciationibus, *qui enim clandestina, vel interdicta coniugia inire præsumit, in gradu prohibito etiam ignoranter, subole de tali coniunctione suscepta, prorsus illegitima censetur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo, non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur.* Innoc. III. cap. cum inhibitio finali de clandestina desponsi.

Secundo, vt matrimonium quod putatur validum, filios in legitimorum ponat numero, necesse est, bona vt fide vtriusque coniugis, vel alterius de duobus sit initum, quem impedimenti sui inuincibilis ignorãtia, tenebat occupatum: ita Alex. III. c. 1. qui filii sunt legitimi, & Innoc. III. ca. penult. eiusd. tit.

Secundus casus, in quo nati ex præpostero, ac fornicario coitu, censentur legitimi, est cum ex errore iuris inuincibili, ac probabili, circa rem aliquã de qua cõtrouertantur auctores duæ prædictæ coniugiũ est irritum modo tamen, conditiones non desint Couarr. cap 8. parag. 1. n. 9. Legitimi (inquam) censentur non tantum cum ante quæstionem de impedimento matrimonii institutam, aut contestationem litis, nascuntur: sed etiam post sententiam, pendente termino decem dierum, qui dantur ad appellandum, Couar. supra parag. 1. num. 6. & 7. Sylu. verbo filius q. 9.

Tertius casus est, cum liberi ipsi sunt post sponsalia contracta geniti, ea perpetuas qui filij, locum tamen casus hic non habet, nisi in quibus locis, non est publicatum Concil. vbi sponsalia per subsequentem copulam in matrimonium iure antiquo transeunt.

Est & aliud tempus. in quo proles ex inualido suscepta matrimonio, fit legitima, nempe cum qui parentes vitam ei dedere ac spiritum, nullis coniugij obligati legibus erant, cum est hæc nata qui tamen illud contrahere inducunt animum, sic enim ope talis coniugij proles euadit legitima. vt in autam parentum hæreditatem, cum esse desinent, alio nullo subnixa priuilegio, quã naturæ possit ingredi.

Eiusmodi autem hominum, quos libido patria reddidit illegitimos, genera sunt multa, quidam enim sunt spurij, Manseres alij, nothi, ac naturales tertij Naturales qui ex concubitu damnato quidem sunt nati, sed solo naturæ iure, vt pote ex fornicatione simplici. Alii sunt illegitimi, quos naturales nominant, qui ex parentibus sunt geniti, inter quos tempore conceptionis, ac vero etiam natiuitatis, ex quorundam sententia, matrimonium absque impedimento iuris dirimente, consistere poterat. Non naturales, qui & spurij appellantur, sunt ij, qui ex coitu, iure tam naturæ, quam humano, & Ecclesiastico culpabili, lucem aspiciunt, vt ex sacrilegio, vel adulterio, inter quorum parentes

cum ſunt nati, nullum proinde eſſe poterat coniugii fœdus, verum ac ſtabile.

De hoc ergo genere hominum quæritur, an eos Papæ benignitas ex nothorum ſemotos albo, pro authoritate qua pollet in Eccleſia, in legitimorum tranſcribere numerum poſſit, peræque ac ſi è parentibus, quam optimo matrimonij inter ſe iure colligatis orti eſſent.

Dico primò, *Eos à Papa legitimari poſſe in ordine ad effectus omnes Eccleſiæ*, quia per eum ad ordines, beneficiaque diſpenſari poſſunt, quod & Epiſcopis conceſſum ab Alexand. III. cap. propoſuit 6. cap. ex tranſmiſſa 7. & cap. litteras 14. extra de filiis Preſbyteror. ſic enim Clem. III. in decretali litteras. *Licet à filiis, paterna incõtinentia modis omnibus propellendũ noſcatur, ſi tamen alias dignus inuẽtus fuerit, permittimus ipſum ordinari in Clericum, & ad Eccleſiaſticum beneficium (vnde commode ſuſtentari valeat) promoueri*, non quodlibet tamen, ſed ſimplex, ſuper quo tantum, Epiſcopo diſpenſare, decreto canonum Epiſcopo licitum, eſſe ſcripſit Bonif. eius nominis octauus, de filiis Preſbyterorũ cap. 1. *Is qui defectum patitur natalium, ex diſpenſatione Epiſcopi, licitè poteſt, (ſi ei canonicum impedimentum non obſiſtat,) ad ordines promoueri minores, & obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum, dummodo ſit tale, ſuper quo per ipſum Epiſcopum valeat diſpenſari.*

Diſpenſatus tamen ad Ordines, non ideo cenſeri debet legitimatus Portelius in dubiis regular. ver. Illegitimus num. 3.

Primo, quia ad diſparata non fit illatio.

Secundo longe maior in legitimante poteſtas exigitur, quam diſpenſante, eſt enim diſpenſatio legis relaxatio, conceſſa cuipiam, ad quam legitimatio, abſterſionem maculæ ex defectu ortæ natalium, adiicit, cum iure ad priuilegia omnia, bonaq; quæ legitimis competunt: quare ſi quis eſt in Regularium ordine quopiam, diſpenſatus ad dignitates, hunc ab eodem ob culpam eiici cum infamia accidat, magiſtratum in ſæculo gerere, aut ad eum populi ſuffragio euehi non poterit, quia factus non eſt legitimus, ſed Superioris indulgentia, beneficioque diſpenſatus ad honores, publicaque Ordinis miniſteria Miranda to 2. q. 2. art. 4. Portel. n. 3.

Dico ſecundò, *Non poſſe Pontificem, ſibi non ſubditum ciuiliter, legitimare in ordine ad effectus ciuiles*, v. c. ad ſucceſſionem in paterna hæreditate, regimen Reip. &c.

Cauſa eſt, quod Papa ius externis dicere, Remp. componere, reis parcere, quæ authoritate publica, quorundam eſt nomini famæque in pœnam culpæ, iniuſta infamia, tollere nequeat: eſt enim eius poteſtas omnis, iiſdem definita terminis quibus Eccleſiæ dignitas, ſaluſque communis, ad eam autem pertinere quis putet, quod pro arbitrio Pontifex ex illegitimorum claſſe, natalibus ſuis infames homines, transferat in legitimorum numerum, eoſque in communionem bonorum, quæ iſtorum ſunt propria, Principe cui ſubſunt inconſulto, ac neſcio, vocet? non eſt ergo Pontifici licitum tollere in non ſuo ſubdito ciuiliter, natalium ſuorum vitium, ac de illegitimo, quoad ciuiles effectus facere legitimum: Ita Immola in cap. grandi de ſupplen. neglig. prælator. Rebuff. in praxi benefic. rubrica de practica Cancellariæ Apoſtolicæ paragr. *quod Papa non poſſit legitimare filium Regis.*

Dico tertiò, *In Pontificis iure eſſe, legitimare ſibi ſubditos ciuiliter, in ordine ad effectus ciuiles omnes.*

Primo, quia Papæ tantum eſt in prouinciis, quæ eius parent imperio licitum, quantum Regi in ſuis, at adulterinam, inceſtamque prolem, & quamlibet aliam non legitimam Principis auctoritate euadere poſſe legitimam, peruincunt tam quotidiana Principum exempla beneficium legitimorum hæredum, ſpuriis largientium, quam Doctorum communis ſententia, vt Chaſſanæi in Comment. Conſuet. Burgund. tit. *des ſucceſſions* §. 3. ver. 6. Imberti in Enchiridio iuris abrogati & recepti in Gall. ver. *fils baſtard*, Boer. in deciſionib. Burdeg. q. 123. ergo vt à Principe, ita & à Pontifice tolli illegitimitas poterit, quoad effectus ex ea iure humano naſci ſolitos.

Secundo (quæ D. Thomæ eſt ratio in 4. ſent. diſt. 41. qu. 1. art. 3.) quod per legem inducitur, eadem quoque reuocari poteſt, ſed illegitimitatis vera cauſa, eſt lex Eccleſiæ, ſtatuentis impedimentum, ſine quo matrimonium fuiſſet validum, & cõſequẽter proles legitima, abrogari hæc ergo lex poteſt, ab eo qui præeſt Eccleſiæ, hoc eſt Pontifice, quoad effectus qui ab ea lege manant, vt cauſa. Et ideo hanc ſententiam tenent Roſella ver. illegitimus num. 15. Comitol. lib. 7. q. 16. num. 11. Angelus ver. legitimatio Panorm. in cap. per venerabilem qui filii ſint legitimi.

QVÆSTIO VII.

Quibus modis fieri quis poſſit legitimus.

IN Gallia non niſi duobus, Imberti ſenſu, loco proxime citato in verbo *fils baſtard*.

Primo, per matrimonium ſubſequens, nempe cum illegitimi pater, eius matrem ſibi ſumit in coniugem.

Secundo, decreto Principis, cum hic eum litteris quas Patentes nominant, beneficentia omnino regia, impertit legitimorum priuilegiis. Quod & Pontificem facere, duobus modis ſolitum, dixere ſummarum ſcriptores, primo remotè, ſecundo immediatè. Remote legitimat, cum impeditis iure Eccleſiæ vt conſanguineis v. c. pro cæterâ ſuâ caritate annuit, vt inter ſe matrimonia celebrent, nam vt tunc, quæ ex eis, proles oritur, legitima cenſetur per omnia, ita tam ad ſpiritualia Eccleſiæ commoda, quo de genere ſunt beneficia, quam temporaria, vt eſt paterna hæreditas, præfecturâ in regno ac dignitas, lege reclamante nulla, ciuili aut canonica admittitur: Immediatè Papa legitimat, cum pœnas, iure Eccleſiæ latas in illegitimos abrogat, eaſque, perinde ac ſi illarum nunquã vllus antea vſus, aut mentio facta fuiſſet in iure, antiquat ac tollit: Nec modo, quod eruditè aduertit, Sylu. ſupra cum Nauar. conſil. 3. de ſponſal. facere poteſt Pontifex, vt quis habeatur legitimus, pro futuro, nempe quoad effectus ſpirituales, quorum vult eum eſſe capacem, vt beneficiorum, ordinum, ac dignitatum in Eccleſia, ſed etiam pro præterito, vt habeatur, eodem loco quo ſi nõ fuiſſet antea inhabilis, atque adeo vt collationes beneficiorũ illi antea factæ ſint validæ. Id vero cẽſetur efficere, quando diſpenſat in matrimonio inualido, ex quo proles eſt ſuſcepta, non permittendo modo, vt de nouo contrahatur, ſed illud habendo etiam pro valido, non tantum ex poſt facto, ſed etiam ab initio.

Vt autem per reſcriptum Pontificium, habita legitimatio ſit valida, requiritur, vt in libello ſupplici nihil eorum ſit omiſſum, quę ſi legitimanti fuiſſent nota, ei legitimatio difficilior viſa eſſet, nec niſi

ægre proinde concedenda, Sylu. ver. legitimus q. 3. Quare qui est duplici ex capite spurius, nempe quia ex coniugatis duobus, aut vxorato ac Moniali est natus, id Pontifici, si conscientiæ, officioque satisfactum esse verò cupit, exponere debet, dixisse se simpliciter spurium, non est satis: Est ergo illegitimationis qualitas explicanda, vt an sit naturalis, an spurius, an ex incestu ortus, hoc primum: deinde an fratres habeat, an propinquos, tertio quos habet, non esse hos legitimationi suæ contrarios, facta legitimatio iis repugnantibus, inanis est ac nulla, Imola consil. 164. volu. 2. Imbert. in Ench. ver. *legitimation.* Pet. Rat. in Constit. Pictauiens. titulo *des Bastards* parag. 1. Gloss. 1. ob eam causam propinquos à patre, de legitimatione futura filii cogitante, non vocandos modo, sed insuper interrogandos esse, ecquid eam non probent? ecquid fieri non consentiant dixit cum Imberto loco Enchirid. proxime citato Rebuff. in praxi beneficiaria rubrica de practica Cancellariæ.

Ratio est, quod inuitus spoliari iure suo nemo debeat, nemo nisi volens speratis possessionibus exui, at eius hominis, cui præter nothos, aut spurios, nullus est hæres, bona propinquis sunt debita, in ea ingredi, ea sibi iure quam optimo vindicare vbi ille naturæ concesserit, ac fatis, lege gentium communi poterunt, ergo hæc iis erepti, vt dentur alteri, nisi ipsi consenserint, honeste nequeunt at iuste; Eripiuntur autem cum benignitate Principis, nothi ac spurij, ad parentis sui preces legitimatione digni fiunt, qui eius ac propinquorum, cum eos mori continget, bona tanquam veri hæredes sibi attribui postulent, propinquorum ergo, ac si quos pater liberos habet, consensus est ad legitimationem necessarius.

Bonorum porro nomine, non rusticana modo prædia, non agros, non rura, sed feuda, etiam castraque ac domania (vt loquuntur) intelligi aiunt Guido Papa decis. 59. Boer. in decision. Burdegal. q. 123. Pet. Guenois in addit. ad Imberti Enchirid. verbo *legitimation.* Eorum firmam entum est vnicum, nempe quod nobis, id est Gallis, lege regni vsuque prouinciarum communi feuda censeãtur in patrimonalibus habere locũ, Ioan. Faber in authent. ingressi Cod. de sacrosanct. Eccles. & instit. tit. de legit. par. tutel. Guido Papa q. 59 & 257. eaq; pro talibus habent Regij iudici, & Prouinciæ Meldensis Trecensis Niuernensis Aluernensis, vt sit planum ex earum municipali lege, quam consuetudinem vulgo nominant quidem Meldensi: art. 133. Trecensi art. 37. Niuern. cap. 4. art. 17. Aluern. cap. 22. art. 33.

Est & alius, præter prædictos, legitimandi modus, Ecclesiæ solus proprius nempe *per ingressum religionis*, quam qui profitetur hoc ipso, ad sacros, ordines admitti Superiore approbante potest non vero ad magisteria, honoresque cœnobij, habetur cap. 1. de filiis Presbyteror. nisi id illis peculiari Papæ priuilegio liceat, vt Patribus Congrega. S. Ioan. Euangelistæ in Portugallia, & Hieronymitis in Hispania, licere tradunt, qui concessa illis priuilegia, scriptis libris communicauere posteris verbo *dispensatio natalium* parag. 1. de quo Portelius in dubiis regular. verbo illegitimus num. 9.

Et quamuis ea priuilegia Sixtus eius nominis quintus, Pontificatus sui anno tertio, & quarto reuocauerit, prohibẽdo, vlli illegitimo ne maximè verò spurio, qui ex incestuoso coitu inter consanguineos, aut sacrilego inter Monialem, & profanum quempiam hominem, aut vtrumque religione, ac A continentiæ voto sacrum: originem traheret, ad vllius religionis professionem, ac habitum, præterquam seruorum, seu conuersorum, accessus esset: Ac ne tam eius generis illegitimi, quam cuiuscunque alterius, essent sine pœna: statuit vt qui de eorum numero vota in quacunque religiosa domo nuncupassent, ad quæuis eius Officia, Dignitates, gradus, ac magisteria forent inhabiles, etsi (inquam) ita Xisto visum sit cum illegitimis agere, paucis tamen post annis Gregor. XIV. placuit in Bulla cui initium *Circunspecta* Pōtificatus sui anno primo edita, illegitimos habere mitius, quare illis ad habitum & professionem, patere in Monasteriis omnibus aditum voluit, si eo, Prælati ac Monachorum iudicio digni censerentur, præterquam B in eo, vbi eorum pater professus esset, ac degeret, modo ea virtutum copia exaggeratum haberent animum, eamque præ se ferrent ad magna indolem, quæ religiosos addecet. Addidit insuper, videri sibi è re esse publica Religionum admissorum priuata autem in eas vt illegitimi, ad professionem admittendi, aut admissi, virtute priuilegiorum concessorum, & non reuocatorum antequam ea antiquare Xisto duplici sua constitutione esset visum, ad magistratus ordinis euehi, eius gubernacula regere, in puppi ad eius, Ecclesiæque commodum sedere possent, Generalis, aut Prouincialis imperio, dummodo ad illud, Capituli Generalis, aut Prouincialis consensio accederet, in iis maximè religionibus, quæ Generali parent, eius voluntate adminiC strantur ac legibus. In Monasteriis autem S. Benedicti sufficit consensus, Capituli domus, cui Abbas, aut Superior, illegitimum sibi cum potestate præficiendum credunt.

De Matrimonij bonis ac effectibus.

MAtrimonii bipertita est acceptio, consideratur enim vt Sacramentũ, & vt contractus.

Secundo in fieri, & facto esse, in fieri, habet esse transiens, in facto esse, permanens, estque vinculum quoddam animorum vtriusque coniugis, de D quo Christus Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet.*

Dico ergo primò, *Effectum matrimonii, vt contractus est, vel fuerque in fieri, esse dominium, quod in corpora sua, mutuo coniuges acquirunt.*

Ratio est, quod operationis practicæ effectus, id fit proprie, quod per illam producitur, sed per contractum matrimonialem, producitur illud dominium, quia id contrahentes agunt, vt ius acquirant, seseque vicissim ad vitæ coniugalis officia obligent, vt docet Apost. 1. ad Cor. 7. *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir, similiter autem & vir, &c.* istud autem ius potestas est, dominiumE que in mutua corpora.

Dico secundò, *Matrimonii vt est contractus, consistisque in facto esse (quo modo sumptum animorum est vinculum corporumque per quod coniuges duo sunt in carne vna) matrimonii,* inquam, *hoc modo considerati effectum, esse cohabitationem mutuam, thori communem vsum, educationem prolis, administrationem familiæ.*

Probatur, ope istius vinculi, beneficioque, ex duobus constituitur homo vnus moralis Genes. 2. *Erunt duo in carne vna,* non secus ac ex forma, materiaque formaliter, compositum vnum naturale constituitur, nam vir, spiritus & animæ obtinet,

mulier corporis: ergo vt corpus & anima, mutuam sibi operam deferunt, vt se fouent, vt iuuant, vt se ad perfectionem naturæ suæ congruam vicissim promouent, ita viri & vxoris officia, caritatis in sese inuicem plenissima, amborum salutem, bonumque, magno suo fructu, sensuque diuinæ cuiusdam voluptatis, ac gaudij, parturiunt.

Dico tertiò, *Matrimonii prout est Sacramentum, simulque est in fieri, effectum esse sanctificantem gratiã cum peculiari Dei auxilio*, Princeps huius sententiæ Ecclesia quæ his verbis loquitur in Cõc. Trid. sess. 24. can. 1. *Si quis dixerit matrimonium non esse verè, & propriè vnum de septem Euangelicæ legis Sacramentis, à Christo Domino institutum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

Est hæc porro gratia duplex, habitualis, & actualis, illa gratum facit, sanctumque sanctificat magis, vel etiam attritum Deo reconciliat. Actualis, speciale quoddam est auxilium, quod pro opportunitate, tentationum ac occasionum varietate, iustis ad consequendum Sacramenti effectum proprium tribuitur, vt ad mutuo seruandam fidem, mitigandam concupiscentiam, prolem religiose educandam ac sancte.

Est & alius Sacramenti huius effectus, vnio scilicet perpetua coniugum, est enim vnionis inter Christum & Ecclesiam symbolum, at hæc rumpi nequit, non dissolui, non casu minui, vt non est hæc ergo solubilis, ita nec altera.

Dico quartò, *Matrimonii vt est Sacramentum in facto esse, effectum Sacramentalem ex opere operato nullum esse.* Vel enim esset gratia sanctificans, vel speciale auxiliũ, non primum, quia illa vel continenter daretur, vel per interualla, quorum tamen dici nihil vere potest vt patet. Non alterum, quia auxilia gratiæ actualis, in actu primo, simul conferuntur cum sanctificante gratia, in prima susceptione Sacramenti, licet postea in actu secundo, pro opportunitate temporis, & vt est necesse, homini dentur diuinitus.

De bonis Matrimonij.

THeologorum est opinio tria esse, prolem, fidem, Sacramentum, de quibus sic August. in lib. 9. in Genes. cap. 7. hoc autem bonum tripertitum est Fides, Proles, Sacramentum: *In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altero, vel altera cõcumbatur, in prole vt amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in Sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus & dimissa, ne causa quidem prolis alteri coniungatur*, & de peccato originali lib. 2. contra Pelag. cap. 34. *Bonum sunt*, inquit, *in omnibus quæ sunt propriæ nuptiarum, hæc autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubij Sacramentum: propter ordinationem generandi scriptum est, volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, propter fidem pudicitiæ, vxor non habet potestatem corporis sui*, 1. Cor. 7. propter Sacramentũ, *Quod Deus coniunxit homo non separet*, cum enim coniugalis actus mali speciem habeat (nam à fornicario specie ac natura non differt S. Tho. teste in supplem 3. part. 49. art. 1.) itáque mentem voluptatis sensu titillet, vt de Deo, aut virtute, aliquam ei cogitationẽ suscipere non sit facile, visum est Christo pertinere ad gloriam suam, bonũque fidelium, ea mala totidem bonis, fructibusque cõpensare: *Nuptiarũ siquidem bonũ, semper est bonũ, sed in populo Dei aliquando legis obsequiũ, nunc est infirmitatis remediũ, in quibus fidem humanitatis solatiũ*, Aug. to. 4. lib. de bono viduitatis cap. 8. sunt enim nuptiæ institutæ diuinitus pro gignẽdis liberis, nẽpe vt in iis, habeant mortales, à quibus, in rebus aduersis iuuentur, alantur autem quum ad senium peruenerint Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Neque tamen est proles, bonum inter hæc tria dignissimum, sed Sacramentum.

Ratio est, quod Sacramentum seu inseparabilitas, ad matrimonium pertineat, in quantum est Sacramentum gratiæ, fides & proles, vt est idem matrimonium in officium naturæ, atqui perfectio gratiæ, naturæ perfectione est dignior.

Magis tamen ad coniugij essentiam facit proles. Nã essentialius est homini esse naturæ, quam gratiæ, sed fides & proles, prout sunt in intentione contrahentium, & cadunt sub obligationem, aliquo modo ad essentiam matrimonij pertinent, quatenus est in naturæ officium.

Minor probatur, intentio prolis, & fidelitatis debitum, ex ipso contractu coniugali causantur, adeo vt si quid contrariũ exprimeretur in consensu, matrimonium nullum foret: Dixi *vt est in intentione*, nam proles & fides, in se pertinent ad vsum matrimonii, per quam & proles producitur, & pactio coniugalis seruatur, & sic referuntur potius ad matrimonij effectus, quam naturam, & essentiam.

De bono prolis.

TRibus bonis matrimonii, tres sunt subiecti fines, primus est, isque præcipuus, prolem gignere, nisi ob senectutem, aut sterilitatem per accidens desperetur, ideoque intendi non possit, cum intentio, non sit nisi rerum quæ putantur esse possibiles.

Est ergo bonum prolis, in Christiana liberorum susceptione, ac eorundem educatione, tam actuali quam potentiali situm, vt enim magni in omnem partem interest, eos nasci, ita Christianè alti nati genus hominum conseruant, educati ex Christianarum legum forma, Rempub. amplificant, specie, consilioque adiuuant: Ali ergo eos à parentibus, cum adhuc sunt pueri est necesse, vt adulti spem Reipub. non fallant, lege 1. 2. & 3. Codic. de liberis agnoscend. quanquam eadem amborum ad id non est obligatio, nexusque, mater eis vbera præbere debet vsque ad triennium, lege nec filium, Cod. de pater. potest, quod si esset huic oneri impar, si ætas, si infirmitas, si stirpis suæ ratio, dignitasque illam in eo munere versati non sinerent, tùm enim uero sibi nutricem quærere, quam sibi in eo charitatis, officio substituat, pietatis lex iubet. Ablactati, filij cura suscipienda est patri.

Ratio est, quod ei incumbit, vti familiæ capiti eam regere, de necessariis, ac honestis ad vitam subsidiis, membra eius prouidere singula, ideo dotem sibi à fœminæ patre exigit, vt hinc vnde matrimonii onera minori negotio toleret, auxilia sibi aduocet.

At est puer, vbi primum aluo materna prodiit, pars familiæ, eiusque alendi obligatio reputatur inter præcipua coniugij onera, cum ergo patet quin alat, quin necessarios illi ad vitam commeatus liberali dextera suppeditet, causæ nihil ac rationis obtendere honeste potest.

Tempora sunt tamen nec pauca, nec obscura,

in quibus patri, iusta excusandi sui, ab hoc officio pietatis, ac amoris erga filium causa suppetit, primum est, cũ ei filius in publico vrbis prætorio, magistratu audiente, populo spectante diem dixit, nam tunc præter peccatum mortale, exhæredari ab eo potest, etsi vere sit eius criminis de quo est accusatus à filio, conscius, habetur in nouella Iustiniani, quæ incipit iis, in authent. vt cum de appell. cognosc. parag. aliud quoque quod intelligendum duntaxat esse ait Graff. decis. aurear. lib. secundo cap. 52. numero septimo cum accusationem, id est actionem filij erga patrem, mors certa sequitur, aut quæ ea homini cordato minor nõ creditur, diminutio capitis, libertatis ac famæ amissio, aut pœna aliqua corporis non leuis, si tamen proditæ patriæ, si Principis contempti, aut læsi infamia pater laboraret, si de perdendo vtrolibet fœda agitasset animo, impiaque consilia, quæ discuti non possent, ac euerti, nisi auctoritate iudicis regii, culpæ tum filius arguendus non esset, si patrem accusaret quia vt priuatis præstant publica, ita sunt hæc anteponenda illis: ergo si ad perniciem patriæ, aut Principis, consilia spectabunt patris, eius saluti, principis ac patriæ salutem ac commodum præferre filium est necesse Tullius auctor. lib. offic. 3.

Secundum tempus, in quo pater est ab alendo filio liber, est cum ipsi vix est tantum domi quantum sibi sufficit, nam si præter necessaria sibi ad victum, quamlibet tenuem, pater nihil habet, quæ ab eo exigere, ratio potest vt illam cum filio diuidat? sibi parum aut nihil in crastinum aut vesperum, retineat.

Tertium, est cum artem filius callet vnde sibi si volet pecunias ad dispensum quotidianum comparet: lege si quis à liberis digest. de liberis agnosc.

Quartum, cum filius in patrem ingratus extitit, nam tunc alimenta ei ad congruitatem necessaria negari possunt: non quæ ad vitam. Couar. parte 2. epist. tom. cap. 8.

Quintũ, cum quidpiã admisit filius, propter quod cum hæreditate exui leges imperant, Glossa in cap. Quinta nullis de iureiu. Panor. in c cum haberet n. 10. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit.

Alimentorum autem nomine continentur quæ victus potus quæ rationem habent, vestem quoque, & quæ ad cultum corporis pertinent victus habere vicem ait Labeo: cætera quibus tuendi, curandique corporis nostri gratia vtimur, ea victus appellatione significantur, lege 44. 43. & 45. de verbor. significat. quare ne quid eorum vnquam desit liberis, laborãdum in primis est patri, nisi forte eorum curam, atque custodiam, hospitali commisisset domui, quod facere cum posse sine culpa, scripsit Graff. decision. lib. 2. cap. 58. num. 2. quia vt notant Caiet. verbo Adulterium Armilla cod. vet. 6. Henriq. lib. 11. cap. 19. parag. 3. littera Z. loca huiusmodi, ex intentione fundatorum ac Ecclesiæ, subleuandæ pauperum inopiæ sunt facta, quare si pater nimia pressus inopia, aut metuens infamiam, eam occultatione prolis susceptæ, in hospitali pauperum domo deuitet, iure suo vtitur, nec est culpæ proinde in eo, affinis ac proximus.

Si tamen erit de eorum numero pater, qui abundant opibus, cogi debebit ad expensas, filij sui nomine, causaque factas, nec nisi ex æquitate quadam decentiaque, vt Henriq. loquitur, ex iustitia verò in aliorum sententia, quod bona hospitalium, in pauperum data sint subsidium, diuitum nullo modo, ergo si quid ad eos, aut eorum liberos, opera sua peruenerit, ab his id totum oportet pauperibus, eorumque domui refundi: virtualis enim quidam inter hos, aut eorum curatores ex tacita dispositione iuris, parentemque filij, qui in Xenodochium clam immittitur, contractus intercedit, de redhibendis à se impensis, cum filius adoleuerit indeque egressus, vir inter viros esse cœperit.

Est & casus alius in quo Patri de alimentis filio, suppeditandis cogitandum non videtur, nempe si est spurius, si ex coitu damnato natus: id enim ei est ab Imperatore prohibitum in Authent. quibus modis naturales paragr. penult. Authent. ex complexu Cod. de incestis nuptiis, in quo tamen non est à canonico, ius cæsareum approbatum ac receptum, cum quibuscunque natis illegitimè, alimenta à parentibus præberi moderata, Clemens Pontifex III. velit in capite cum haberet quinto, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, in fine: *Solicitudinis tuæ intererit, vt vtrique parentum liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrent*, stricto enim naturæ iure, quæ ad vitam alimenta sunt necessaria liberis debentur omnibus, cum eorum sit natura communis, ideoque lege nulla, aut consuetudine, contrarium introduci queat.

De bono Sacramenti.

SAcramenti bonum, est in indissolubili coniugum nexu, vi cuius, neuter ab altero separari, aut personæ alteri coniungi potest, sicuti docet August. lib. 9. super Genes. cap. 7.

Oritur hic vero primo à necessitate prolis educandæ, eiusdemque instituendæ Gen. 2. de qua Christus Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet.*

Tertio ex ratione Sacramenti propriè dicti, conferentis gratiam ad perfectè repræsentandam vnionem Christi cũ Ecclesia, quæ est indissolubilis.

Prima inseparabilitas iuris est naturæ, planeque necessaria vt proles ad perfectũ statũ deducatur.

Secunda iuris diuini positiui, ad significandam incarnationem Christi Domini, id est Verbi diuini vnionem cum humana natura.

Tertia est legis Euangelicæ propria, quæ sicut & priores duæ, nulla dissolui diuimiq; ex causa potest. Fieri hinc existimo, vt habitare simul coniuges, sit necesse: nã si seiuncti loco viuant, suscipiẽdæ prolis spem habere quam possunt? quam educãdæ, quam Christianis informandæ moribus? vt amicitia mutuis firmatur alloquiis, ita silentio ac taciturnitate deperit, quare ne quæ ex matrimonio soboles speratur, ne recta eius educatio, ne debiti solutio, ne coniugalis charitas, mutuumque auxilium, quo se vicissim prosequi debent vir & fœmina intercidant, vnà habitare debent ac viuere, quam ipsi mentem, suasi sponte non suscipiunt, ad eam Ecclesiæ censuris adigi poterunt, decreto Innoc. Papæ tertij, à quo cum esset quæsitum, an viro suo restituenda foret mulier, quæ se causabatur legitimo nexam ei non esse connubio respondit: *Quod si non habeat probationes inconsuenti paratas, sed dilationes expectat longiores (quia præsumitur contra eam quæ sine iudicio Ecclesiæ, sua tantum temeritate recessit à viro) ad restitutionem plenariam Ecclesiastica debet censura compelli*, cap. litteras 12. de restitut. spoliatorum.

Equidem, si viro, iusta est vlla secedendi causa à coniuge,

à coniuge, maximè cum eius eſt congreſſus, propter vim morbi quo laborat, plenus periculi, & tamen *quoniam nemini licet (excepta fornicationis cauſa) vxorem dimittere, conſtat quod ſine mulier lepra percuſſa fuerit: ſeu alia grauiinfirmitate detenta, non eſt à viro ſeparanda, vel etiam dimittenda*, cap. quoniam 2. de cõiugio leproſorũ, quare etſi ſit in more, vt nec viri fœminas, nec hæ viros cum ob lepram à communione ſeparantur hominum, ſequi ſoleant, cum tamen vt bonis moribus, ac charitati contrarium Alexand. III. improbat in decretali prima tituli de leproſorum coniugio, quia *cum vir & vxor vna caro ſint, non debet alter ſine altero eſſe diuitis*, itaque Cantuar. Archiepiſ. imperat, *quatenus & vxores viros, & viri vxores, qui lepræ morbum incurrunt, ſequantur, & eis coniugali affectione miniſtrent.*

Quia tamen eſt hæc obligatio ſecundaria mutuo partium conſenſu remitti ad tempus poteſt, vel authoritate iudicis tolli, vel interrumpi ex cauſa, vt ſi viro, qui res, negotiaque habet implicita cum externis proficiſcendũ ſit ad nundinas, ſi nobili expeditio paranda in Syriam, terræ ſanctæ iuuandæ cauſa, eam enim repugnante licet coniuge ſuſcipere poteſt honeſte, ſi ad eam religioſo ſe voto deuinxit, Innoc. III. ſunt hæc verba in decretali ex multa nona de voto & voti redempt.

In tanta quoque neceſsitate populi Chriſtiani ne terræ ſanctæ impediatur ſubſidium, viri præter vxorum aſſenſum, huius peregrinationis propoſitum vouere liberè valent, quod vouerint, liberè adimplere.

Sine cauſa longo abeſſe tempore à coniuge, peccatum eſt mortale, contra iuſtitiam, ac Sacramentum, iuſtitiam quidem, quia vir qui abeſt, inuita vxore, alienum retinet, præter fas re ſua illam priuat, vitæ communis ei ſubſidia, ſolatiaque adimit.

Quid? quod familiam negligit, quod liberos non inſtituit? quod vxorem ſuam adulterandi periculo obiicit? quæ omnia ſunt eiuſmodi, vt prudenti ſuadere confeſſario valeant, ne confitentem virum abſoluat niſi quam citiſſimè domum repetat, ad vxorem redeat, familiæ liberiſque curæ ſuæ partem impendat.

Quid ſi ſolum ex cauſa mutat? quid ſi patriam, quid ſi amicos, & propinquos, iuſſus à Principe, deſerat? eum ne vxor abeuntem ſequi, quamuis inuita debet?

Omnino: eſt enim vir, mulieris caput, familiæ adminiſtrandæ princeps, bonorum arbiter, ergo ne quid contra naturam, eiuſque monita feciſſe vxor arguatur: à ſuo ſeiungi capite, ac fortunæ ſuæ principe non debet, ſic Lia & Rachel relicto Patre, Iacobum ſunt ſequutæ Geneſ. 31. ſic Dauid 1. Regum 27. vxores ſuas in Siceleg tranſtulit non inuitas, quod hæ ſortiantur viri ſui domicilium lege cum quidam digeſt. de iuriſdict. omnium iudicum, & vnaquæque mulier ſequi virum ſuum debeat ſiue in morte 13. qu. 2. can. vnaquæque 3.

Eſt & alia ratio. Viro mulier obſequi, reddere debitum poſtulanti, mœſtum ſolari, recreare iacẽtem, victũ ei, epulaſque parare, caritatis decentiæque tenetur lege, id abſens, id ab ea diſiuncta loco facere, cæteraque fœminæ in virum officia implere, qua ratione modoque poſſit, aliorum eſto iudicium.

Quare ſi conſcientiæ defuiſſe ſuæ, vxor non vult aliquando argui: virum ſequatur, cum eo, quocunque illum fortuna, caſus, aut ratio detulerit, pacifice viuat, ac amice. Tres tamen ſunt caſus, in A quibus ad id adigi honeſte non poteſt, ac prudenter.

Primus eſt, cum habet ea loci mutatio corporis, aut animæ periculum.

Secundus cum mutandi ſoli, maritus cauſam prætexere honeſtam nullam poteſt.

Tertius, cum eſt vxor, domino addicta, eique vt ſerua, gentium lege acquiſita.

Quartus, cum de non mutando domicilio, pactum inter eos, ante nuptias, interceſſit mutuum, cum enim æquitatis ſit pleniſſimum, ei ſtare poteſt mulier, niſi noua ſe aperiret, noui capiendi conſilij ratio, vt ſi ſedem aliam, exortæ ſubito ſimultates inter virum, & populares ſuos, aut valetudo ex aeris intemperie facta infirmior, quærere cogerent, tunc enim vxori auctor eſſem, ſequendi mariti. B

Secus quam nos exiſtimat, ſentitque Couarr. 2. par. cap. 7. num 5. quod ſemper in eodem habitare loco, quod ei ſic hærere vt inde nefas ſit migrare alio, ex quacunque cauſa, ſeruitutis ſit inſtar, quæ cum homini inferri libero, lege ciuili nequeat, pactum de eadem ſede retinenda à viro & vxore perpetuo, vt bonis moribus oppoſitum, nullumque, ruat eſt neceſſe.

Dubium ſecundum, *An poſſit coniugum alter, conſulto alio, nec aſſentiente caſtitatem vouere, aut ordines ſacros ſuſcipere?*

Nequaquam, quia votum non eſt niſi de re quæ ſit in vouentis ſita poteſtate, at cum vir ſui non ſit C iuris, arbitriique, ſed coniugis, Deo ſe, & religioni dedere non potuit, quare *votum eius vſquequaque non tenuit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus ſe poterat obligare, promiſit enim intrando Monaſterium ſe non exacturum carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius, redire vero ad ſæculum in eius poteſtate non erat, ſed mariti*, Cœleſtin. III. in cap. placet 12. de conuerſione coniugator.

Reuocatus ergo à coniuge in ſæculum, ei obſequetur in redditione debiti, an verò ea mortua, ad religionem, vnde eiuſdem imperio ac voluntate eſt egreſſus, regredi debeat, res eſt opinione Doctorum ambigua. Mihi de ea cogitanti paulo attentius, dicendum videtur ad id eum nulla teneri lege, nam non fuit eius in Religione profeſſio rata: ergo eius implendæ cauſa, vbi vxor obierit, ei ad illam redire non eſt neceſſe, quia id omittere, non eſt culpa, de quo faciendo nulla eſt præceptio, ſed obſeruandi voti, quod fuit irritum, nulla eſt humano aut diuino iure lex impoſita homini: ergo eius præſtandi gratia, non eſt poſt vxoris ſuæ obitum, repetenda marito religio. Sylu. verb matr. 8. q. 12. dicto 5. Candid. to. 2. de matrim. diſq. miſit 28. art. 13. dub. 42. D

Et quanquam è Theologorum ſchola nonnulli ſecus ſentiant, quod exiſtiment votum mariti, ſine vxoris aſſenſu in Religioſa emiſſum familia, non omnino fuiſſe inane, ac nullum, ſed vim voti habere ſimplicis, quæ quia coniugali vinculo impedita fuit, maritum, ceſſante obſtaculo, mortuaque coniuge, voti lege teneri, eiuſque proinde implendi cauſa, ad religionem debere regredi. E

Eſt noſtra tamen ſententia tuta, veraque, eſt enim profeſſi ſine conſenſu coniugis, par ſimiliſque ratio, ac viri, qui vxorem ſuam ratus eſſe mortuam, alteri iungitur, vt enim hic, rei non ſuæ, dominium iſti ſecundæ confert, proindeque inaniter, ac ſine effectu, quod donatio, vt à nobis in quæſtione de contractu donationis probatum eſt, & à magnis auctoribus ante nos demonſtratum, exigat vt ſit rata, eam ab eo fieri qui iure ſit ac poteſtate, rei

donatæ, aut donandæ pleniſſime inſtructus, alioqui iure conſcientiæ eſt nulla, nec ex ea vllum comparari dominium, ratione, & communibus Doctorum ſuffragiis in aliis diſputationibus oſtendetur, vt (inquam) qui adhuc ſuperſtite prima coniuge, ſecundam ſibi matrimonio copulat, corporis in illam ſui, poteſtatem, vſumque non transfert, quod quantum eſt, ſit prioris fœminæ, qua ſine iniuria priuari nequit, quare nec vbi diem hæc obibit ſuum, ad ſecundam remigrare ille tenebitur, quod hæc in eum, ius donationem inani ac irrita nullum ſibi acquiſierit, nec ad Religionem reuerti, qui in ea tria vota profeſſus eſt inualide, quia id ſine coniugis ſuæ aggreſſus eſt facultate, ad quam auctore Paulo, ipſe pertinet, *cum vir poteſtatem corporis ſui non habeat ſed mulier* 1. ad Cor. 7.

De voto ſimplici, quod additur, rem diſtinctione enodandam cenſeo: vel enim maritus, cum religionem eſt profeſſus publice, de vitæ conſtantia in ea retinenda ad finem vitæ cogitabat, cuius ſibi per vota obligationem iniici ſciebat, vel eius voluntatis erat, voto ſe caſtitatis, quantum in eius erat poteſtate, & ad quæ erat ei licitum, ſeſe independenter à profeſſione aſtringere.

Si primum, ad nihil defuncta coniuge, obligari eſt cenſendus, quia vt profeſſionem irritam faciens, caſtimoniæ ſtringatur nexibus, requiritur intentio ſe obligandi independenter à profeſſionis valore: ergo ſi coniux de quo loquimur, ab ea tantum vim voto ſuo eſſe voluit, ad nihil fatis functa vxore, eſt cogendus.

Si ſecundum, quæ promiſſa Deo caſtitas à regulari ſeruari, vitarique exigit, hæc ab eo fieri eſt neceſſe, qui ſibi eius legem, independenter à profeſſione, ſciens volenſque dixit. Quia votum obligat ſecundum intentionem vouentis: ergo cum maritus, qui eſt vota tria profeſſus, inualide, quia fecit ſine vxoris facultate, ad hæc omnia teneri ſe vouendo voluit, quæ ſunt vitanda, agendaque ei, quem caſtitas ex voto aſtrictum tenet, nec hic petere debitum, nec coniuge mortua, nouum ambire coniugium poterit.

Quid ſi de eius intentione non conſtet? Credendus eſt vouiſſe modo quam optimo potuit, conſequenter ſine vlla dependentia, à profeſſionis emiſſæ vi, ac efficacia. Candid. ſupra quia vbi de vouentis intentione oppoſita, argumentum certum nullum eſt ac euidens, concedendum eſt ad partes Eccleſiæ, de voti validitate præſumentis, vt ſit planũ ex decretali 3 de conuerſione coniugatorũ, quæ eſt Alex. III. conſultus enim ecquid ei qui inuita vxore cœnobiticam vitam inierat, cui tamen eius voluntate, coactus erat nuntium remittere, ea mortua debeat prioris vitæ inſtituta in Monaſterio repetere, an vxorem ducere, reſpondit, *quod votum non tenuit, vnde ratione voti, ad Monaſterium non tenetur redire, vlterius verò non poterit vxorem accipere: promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in eius poteſtate erat: & ideo quoad hoc, votum tenuit, non reddere autem non erat in eius, ſed mulieris poteſtate*, quare cum hæc duo in profeſſione religioſa contineantur, primum quod à coniuge ſolui ſibi debitum non petet, alterum quod ea mortua continentiam ſeruabit, (nam ad omnem continentiam eiuſmodi ſe profeſſio extendit) præſumptio iuris eſt, quod maritus hæc duo promittere voluerit, ſi eius profeſſio non valeret, quæ tamen præſumptio veritati cedere debet, ſi animus non erat vouendi continentiam, niſi dependenter à valore profeſſionis.

A Dubium tertium, *An profeſſio abſque licentia alterius coniugis emiſſa, conualeſcat ſi iſte poſtea aſſenſum præſtet.*

Nequaquam, quia quod ab initio non valuit, non corroboratur tractu temporis, ergo cum mariti, aut fœminæ profeſſio, ſine mutua amborum licentia facta, vim obligandi non habuerit, nouam non acquiret ex alterius ſolo conſenſu, ſed ex hoc, & noua eius emiſſione.

Confir. non poteſt à conditione futura pendere profeſſio, quia vbi eſt à vouente concepta, à ſuperiore autem acceptata, obligat: ergo facta ſine conſenſu alterius coniugis, eo accedente, de irrita, inani, ac nulla, non fit rata, ac valida Nauar. lib. 5. de regular. conſ. 31. num. 5. itaque religione egredi, ad ſæculum reuerti, in eoque, cum vxore liberè vt ante viuere poterit in opinione Candidi ſupra dub. 45. quam etſi Henriq. improbet lib. 11. de matrim. cap. 6. n. 7. in comment. fin. littera A. eſt tamen meo ſenſu veriſſima.

B

Dubium quartum, *An coniugum alter, religionem ingredi poſſit, de conſenſu alterius.*

Poſſe docuere tum exemplo ſuo Apoſtoli, tum verbo Chriſtus, hic quidem Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, centuplum, accipiet*, Illi autem cum calcatis mundi pompis, vxoribus valere iuſſis, pauperem Chriſtum, pauperes ſunt ſequuti. Habuerunt (inquit Hieronym. lib. 1. aduerſus Iouinian) *Apoſtoli vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant, qui aſſumpti in Apoſtolatum, relinquunt officium coniugale.*

C

Id tamen licitè vt fiat, ac validè, conditiones ſequentes ſunt neceſſariæ.

Prima vt ingredienti cœnobium, id per eum liceat qui in ſæculo, hærere vult ac morari, alioqui ei iniuria fieret, cum tali ingreſſu, re ſua, id eſt viro, eiuſque vſu, ad coniugale opus, priuetur.

Secunda, vt qui res ſuas ſibi ſtabiles eſſe vult in ſæculo, quia ad eius non facit ſtomachum vita cœnobitica, nec proinde eam profiteri cum coniuge appetit, continentiæ ſibi perpetuæ legem dicat, eamque ſancte ſe ſeruaturum ac religioſe ſpondeat: *Vxoratus inter vos*, (inquit Alexand. III. in decretali vxoratus 8. de conuerſione coniugator.) *ſine licentia vxoris nullatenus recipiatur, quæ integræ opinionis exiſtat, ita quod nulla marito ſuſpicio habeatur, eam ad ſecunda vota velle migrare, vel quod minus continenter debeat viuere: quæ ſi talis exiſterit, marito eius in conſortio veſtro recepto, ipſa publicè in conſpectu Eccleſiæ continentiam profeſſa, in domo propria cum filiis ſuis, & familia poteſt permanere,*

E

Ad has conditiones addenda tertia, nempe vt qui cõiux manſurus eſt domi ſuæ in ſæculo, ea ſit ætate quæ metum incontinentiæ, eiuſque periculi excludat: *Si ita vxor ſenex eſt, & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris, vt ea in ſæculo permanente, & caſtitatem promittente, ad religionem tranſeat vir eiuſdem*, Alexand. III. in epiſt. decret. ad Exonienſ. Epiſcop. cap. de conuerſ. coniugator. 4. *Alioqui cum vir & vxor, vna caro ſint per copulam coniugalem effecti, nec vna pars conuerti poſſit ad Dominum, & altera in ſæculo remanere, non eſt alter coniugum recipiendus ad obſeruantiam regularem, niſi relictus perpetuam continentiam repromittat, ſed & vitam debet mutare*, hoc eſt, vt clarius dicitur in cap. cum ſis 4. ad religionem migrare Innocent. III. cap. ad Apoſtolicam ſedem de conuerſ. coniugatorum 13.

Digitized by Google

Idemque dicendum, ſi vir ſacrum ordinem ſuſ- A cipere velit, vt eſt in cap. ſi coniugatus 5. eiuſdem tituli quod autem additur, fœminæ religioſæ vitæ inſtituta, peræque ac viro, capeſſenda eſſe, de ingreſſu duntaxat in Monaſterium, & non profeſſione votorum capi oportere, ſignificauit his verbis non obſcurè Alexand. in decretali epiſt. ad Ioann. Priorem S Ioannis quæ eſt 8. tituli de conuerſ. coniugatorum: *Si talis fuerit, quæ ſuſpitione non careat, voto continentiæ celebrato, à ſæcularium ſe hominum conſortio remoueat, & in loco religioſo, vbi Deo ſeruiat, perpetuo commoretur.* Diiudicare vero de ſtatu fœminæ, & an ſit extra periculum incõtinentiæ, ſolius eſt Epiſcopi, à quo proinde per maritos licentia peti, debet profitendæ vitæ regularis, non ex præcepti neceſſitate, ſed conſilio, & ad B maiorem ſecuritatem ſecundum Sanch. lib. 7. diſp. 32. num. 3. non ad profeſſionis ſubſtantiam, & valorem, quanquam in praxi eam petere ſit tutius ſi fides eſt Laym. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 7. n. 3.

Dubium quintum, *An coniux in ſæculo relictus, altero qui abſque eius licentia eſt profeſſus, reclamante ac inuito, poſſit religionem ingredi.*

Nequaquam, cur ita vero? quod profeſſus inualide id fecit nempe quia ſine vxoris facultate, dominio quod ei competebat in corpus, membraque iure quam optimo, per ingreſſum in Religionem ea non aſſentiente minime exciderit: ab eius ergo ſe poteſtate, iureque ſubtrahere hæc, nec debet, nec poteſt ſine crimine.

Secundo, cum facta ſine conſenſu coniugis pro- C feſſio, ſit nulla, quæro, in quo profitenti ſit hæc futura fructuoſa ac vtilis? repetenti eum vxori, auctoritate Epiſcopi reddi debet, vt eſt in cap. præterea primo, & cap. quidam 3. de conuerſ. coniugatorum, facit ergo vir imprudenter ac temerè, cum ſe votis obligare nititur in religione, vnde ei propediem ad poſtulata vxoris egrediendum erit, nec ſine dedecore, ac nota leuitatis aliqua.

Dub. 6. *Quid cenſere oporteat de fœmina, quæ marito eius remanente in ſæculo, in virginum cœnobio caſtitatem eſt profeſſa?*

Si marito ius canonum fuit cognitum, fœminæ profeſſio eſt valida, rataque: ipſi autem incumbit, exemplo fœminæ, religionem ingredi, aut in ſæculo, continentiam profiteri, indicat Innoc. III. D in cap. ſignificauit 18. de conuerſione coniugatorum, aperteque colligitur ex decretali Clement. III. decima eiuſd. tituli ibi enim habetur, virum qui religionem erat profeſſus, vxore ſciente & diſſimulante, nec habitum religioſum poſſe abiicere, quem aſſumpſit, nec aliquam ſibi matrimonio copulare: ergo cum relictus in ſæculo teneatur lege canonum religioſus fieri, aut ex voto continere domi ſuæ, alterutrum ei de quo eſt quæſtio, eſt præſtandum, vt fit perſpicuum ex cap. coniugatus 5. cap. vxoratus 8. cap. ſignificauit 8. de conuerſione coniugator.

Quod ſi eidem de hoc iure, nihil fuit nec auditum, nec cognitum, cogi non debet ad alterutrum, E ſed relinqui voluntati ſuæ, ac ſi ad neutrum eius inclinat animus, vxor ei ſua reddenda erit vt Doctores tradunt in cap. primum de conuerſ. coniugatorum, probatque hæc ratio. Vt maritus iure repetendæ ſuæ coniugis excidat, quæ vouit, in Monaſterio: requiritur, vt id eo annuente ac probante fecerit, ſed diſſimulare, ſed tacere, non eſt permittere: ergo &c. Ita Sylu. verbo diuortium quæſt. 14. verſic. & adde quod etiam illicitè.

Quid ſi maritus toto vitæ ſpatio tacuit, quid ſi coniugis ſuæ conſilium, factamque in Religione profeſſionem, nec videre ſe, aut ſcire finxit?

Exiſtimat Henriqu. lib. 12. de matrimon. cap. 5. num. 10. eam habendam pro rata, cum ſimulando, cum tacendo, aſſenſum quantum eſt ſatis vt illa valeat, ei dediſſe videatur.

Contraria tamen opinio, vt veritati proptor, eſt tenenda, nam vt eſt ſilentium in multis aſſenſus indicium, iuxta regul. iuris in ſexto, quadrageſimam tertiam, ita eſt & diſſenſus, nam vt eſt in regula ſequenti, *Is qui tacet non fatetur*, quare non eſt fœminæ profeſſio, rata ſolo viri ſui ſilẽtio, noua ad eius valorem accedat approbatio, noua eius, vt loquuntur, per virum ratificatio adueniat eſt neceſſe: Candid. de matrimon. diſq. 28. art. 13. dub. 50.

Dubium ſeptimum, *An propter non perſolutam dotem vir vxorem deſerere poſſit, eique non cohabitare:*

Ita placuiſſe nonnullis ævi ſui ſcriptoribus dixit Couarr. 2. par. cap. 7. quod ſtare promiſſis, cum ſint hypothetica, lex nulla imperet, hypotheſi non poſita, at virum inter, fœminæque ſuæ patrem, tacita quædam intercedit pactio, vi cuius, illi coniugem ſuam alere eſt neceſſe, ſi iſte pacta conuenta præſtet, promiſſamque dotis nomine pro filia pecuniam numeret, hac ergo non exhibita, fœminam alere ſuam vir non tenetur: ergo nec ei cohabitare.

Dicunt, ſentiuntque prudentius, qui fœminæ cum viro, cauſas eſſe volunt, & tam arctas, vt eos ſeparari poſſe nolint ab inuicem, niſi ob fornicationem, quod ita mihi certum videtur, vt exiſtimem in opinione oppoſita, veri ſpeciem nullam eſſe.

Ratio eſt, quod viri, cum fœmina commoratio, iuris ſit diuini, & naturalis, infringi ergo ſine ſcelere non poteſt, quod ſi viro, ob inopiam, commeatus non ſuppetunt alendæ vxori, ob dotem non ſolutam, patri ſuper ea litem intendat, hominem iudicis auctoritate ſoluere integram, aut per partes cogat.

Dubium octauum, *An coniugum alter, ſeipſum in ſeruum alterius non aſſentiente, poſſit vendere?*

Poſſe maritum, non autem vxorem, ſcripſit D. Th in 4. diſt. 36. art. 3. nam ſi bona, ille diſtrahere, ſi ab alienare quæ ſunt familiæ ex cauſa poteſt, eo quod eius ſit caput, quid eſt rationis, quamobrẽ de ſeipſo ſtatuere cum poteſtate, ac ſi ſubleuandæ familiæ cauſa eſt neceſſe, vendere ſe nequeat, modo ne coniugi, eiuſque iuri præiudicium fiat? Sylu. verbo matrimonium 8. qu. 5. Sotus in 4. diſt. 31. art. 3.

Ad quam conditionem addendæ duæ ſunt aliæ. Prima, ne venditus ad Prouincias procul diſſitas, quo vxor ſequi nolit, aut non poſſit ablegetur, nam diſiuncti vir & fœmina locorum ſpatiis, obſequia ſibi mutua exhibere, aut procreandis liberis operam dare quî poſſunt?

Secunda, conditio ad æquitatem huius contractus neceſſaria, eſt in eo, vt cum Dominus & vxor, eodem ſibi tempore à viro debita repetent obſequia: Dominum hic vxori poſtponat, eique præ illo pareat, facta ſine his conditionibus venditio eſt nulla, nam non valet poſterior obligatio, in præiudicium prioris, quandoquidem qui tempore eſt prior, idem quoque ſit iure potior.

Quid? quod vxor ius in maritum acquiſitum habeat? quod ex ipſius coniugio ſerua non fiat, etſi ſe maritus vendat? vt habetur 29. qu. 2. can perlatum 7. ibi enim ſcribitur quod cum quæſitum

olim esset an coniux, cuius maritus occasione diuortij se vēdiderat, secundum sæcularem legem seruituti deberet subiici responsum à Tribur. Concilio fuisse, *Vxorem minime debere dimitti, non tamen ob Christi legem mulierem in seruitutem oportere redigi, dum ille non ex consensu coniugis se seruum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.*

A Deus instituit aut natura.

Confir. est matrimonium infidelium separabile, per conuersionem alterius ad fidem, altero in infidelitate permanente, idque ex Christi priuilegio quod explicatur ab Apost. primæ ad Corinth. 7. *Si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*: quod ipsum quoque ex praxi Ecclesiæ fit perspicuum, quam confirmat decretalis Innocent. in cap. Gaudemus, & cap. quanto de diuortiis 7. his verbis: *Si alter fidelium ad fidem Catholicam conuertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad*
B *secunda si voluerit, vota transiuit.* Et postea. *Contumelia creatoris, soluit ius matrimonij, circa eum qui relinquitur*: cuius rei hæc est causa, quod per baptismum priori vitæ morimur, nouæ innascimur, non fuit ergo rationi consonum, vt ad fidem conuersus, cogeretur lege Dei, cum homine alieno à moribus nostris, sacrisque, in tam arcta vitæ consuetudine viuere, quam est maritalis.

Obiicies, at separari, at seiungi ab inuicem sine culpa nequeunt, quos cœleste numen sacro connubij nexu vinxit. *Quod Deus coniunxit*, inquit Christus, *homo non separet*, Matth. 19. ergo cum sint infideles, eo modo nexi inuicem, arbitrio ipsi suo diuelli non poterunt.

C Dici verius nihil potest, nec id nos modo contendimus, in coniugum esse potestate, coniugij sui cum volunt, vincula nexusque rumpere, Deo id solitribuendum asserimus, quos enim inter se antea nexuit, quos iunxit, eosdem quoque diuidit vt Paulus ait.

Obiicies 2. dimitti vxor non potest si Christo est fides, Matth. 5. & 19. nisi quia fefellit fidem, abiici nequit, nisi quia mariti thalamum fœde polluit ac turpiter, Matth. 5. nullo ergo modo, quia conuerti renuit, quæ errores gentium deponere, vt Christianorum mores induat: obstinata respuit.

Respondend. cum August. lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 1. & 2. Christum locis citatis loqui de Christianorum matrimoniis, quæ non tantum sunt vera & legitima, sed etiam vi Sacramenti
D rata.

Obiicies 3. est hæresis infidelitatum omnium pessima, per quam tamen, matrimonium non dissolui est certum, ergo nec per aliam quamlibee.

Neganda est conseq. disparitatis est hæc causa, quod hæreticorum coniugium sit ratum, vt pote celebratum à Baptizatis & Christianis, proindeque ratione Sacramenti indissolubile, quod non habent paganorum coniugia.

Dico secundò, *Solui primi infidelium matrimoniū, hoc ipso, quo quis est factus fidelis legitimè secundum ius*, Henriq. lib. 11. cap. 8. parag. 4. littera E. Sylu.
E verbo matrimonium 8. qu. 10. dicto 6.

Ratio est, quod secundum coniugium, status sit incompatibilis cum priori connubio, ex Christi priuilegio, ergo accedente secundo, soluetur primum.

Ex quo patet falli eos qui matrimonium in infidelitate factum, dissui aiunt conuersione vnius è coniugibus ad fidem.

Primo, quia Paulus 1. ad Cor. 7. discedere eos non vult ab inuicem, quandiu patitur Dei honos, gloriaque, quod esse non posset si matrimonium solutum foret: *Cæteris ego dico non Dominus, si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consen-*

QVÆSTIO VIII.

An & quatenus matrimonium possit dissolui.

DE coniugio triplici, quæst. o potest institui, Christianorum, Iudæorum, infidelium, secundo cum in matrimonio, triplex resultet vinculum, thori, coniugij, domicilij, ambigitur, quæ sit eorum firmitas, qui nexus, quæ perpetuitas, & an quoad omnia, aut eorum aliqua, repugnet matrimonio posse dirimi, qua de controuersia, priusquam animi mei sensum explicem, notare placet.

Vinculum coniugij esse vnionem viri ac mulieris in personam vnam, nō physicam illam quidem, sed moralem: ratione cuius, maritus vir est vxoris suæ, vxor autem mariti vxor.

Est vinculum thori, obligatio in vtroque coniuge reddendi debiti cum petitur, iusque in ambobus ei correspondens, exigendi cū putatur necesse. Vinculum domicilij dicit, cohabitationem coniugum mutuam, communicationem bonorum inter se, auxiliaque in administranda familia reciprocè hinc & inde suppeditanda, ad bonum commune.

Dico ergo primò, *Matrimonium infidelium quamuis consummatum nisi diuino aut naturali iuri repugnet, legitimum esse, nō tamen insolubile ac perpetuum quoad vinculum.*

Est hæc conclusio Magistri in 4. dist. 39. cap. extremo de matrim. D. Thom. in illum distinct. qu. vnica art 5. Bonau. art. 1. n. 28.

Pars prima probatur, est matrimonium legitimum, inquit Richard. in 4. dist. 39. art. 1. qu. 2. *Quod legali institutione contrahitur, ac secundum mores prouinciæ, quod tamen est separabile*, sed id infideles facere, sed in deligenda coniuge sequi solemne patriæ, iuraque prouinciæ quid vetat? legitima sunt ergo eorum coniugia.

Non sunt tamen perpetua, non eiusmodi quæ solui repugnat ac dirimi. Ita Theol. vt Scotus in 4. dist. 39. qu. vnica art. 1 Palud. ibid. qu. 1. n. 1. Nec hi modò sed & Pontifex Innocent. III. in cap. quanto de diuortiis, vbi sic loquitur. *Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem verum & ratum existit quia Sacramentum fidei, cum semel est admissum, nunquam amittitur*, hinc enim argumentari licet: Matrimonium quod non est ratum, ipsum quoque est solubile, Richard. supra & Gabr. in 4. dist. 39. qu. vnica, sed secundum Innoc. rata non sunt infidelium coniugia, cui secundans Ambros. in cap. 7. prioris ad Corinth. *Non enim, inquit, ratum est matrimonium quod sine Dei dilectione est, eiusmodi esse infidelium quis neget?* nec est hæc modo Ambrosij & Innocentij sententia, sed Theologorum decretum certissimum, Richard. Bonau. Paludan. quorum est hoc argumentum.

Matrimonium infidelium dignitatem non habet aliam quàm institutionis diuinæ, ac naturalis legis, sed causa dari iusta potest, dissoluendi, quæ

Digitized by Google

tit habitare cum illo, non dimittat illam, & ſi qua A *mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſenſit habitare cum illa, non dimittat virum*, primæ ad Cor. 7.

Secundo, qui Chriſtianæ religioni nomen dedit, tenetur alterum, cum exemplo ſuo, errores gentium deponit, recipere, ſi necdum matrimonium inierit Innocentij ſunt hæc verba in cap. Gaudemus 8. de diuortiis: *Si conuerſum ad fidem, & illa conuerſa ſequatur, antequam propter cauſas pradictas, legitimam ducat vxorem, eam recipere compelletur*, cuius rei alia eſſe ratio non poteſt, quam quia prius matrimonium ſolutum non erat, illud ergo, ſola vnius coniugis ad fidem conuerſio non abrumpit.

Dico tertiò, *Iudæorum coniugium etiam quoad* B *vinculum fuiſſe, poſt ſui conſummationem ſolubile, per libellum repudij.*

Ad hanc nos ſententiam deduxere Durand. in 4. diſt. 3. qu. 2. Abulenſ. in cap. 19. Matth. qu. 19. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 2. parag. 3. littera O. Valent. diſput. 10. qu. 1. Bellarm. lib. 1. de matr. cap. 17. argumento 14. quam etiam D. Tho. q. 67. additionum art. 3. & 4. probabilem aſſerit.

Probatur autem, ſi per repudium, non diſſoluebatur coniugium, ſic vt repudiatæ fas eſſet, ſecundum contrahere, contractum ab ea, pro vero habendum fuit adulterio, quam id autem à vero abhorreat, planum fit ex ſcripturæ verbis Deuteron. 24. vbi repudiatæ fit poteſtas, ad ſecundas tranſeundi nuptias, quas adulteras, quas inceſtas fuiſſe, malaſque quis credat? cum eas ſcriptura vitij non arguat?

Secundo, ſi maritum ſecundum, naturæ concedere, fatiſque contingebat, antequam graue quidpiam (cuiuſmodi multa homini accidunt) repudiatæ, aut primo eius viro, hoc eſt repudianti, cueniret, ab iſto recipi illa non debebat, cuius rei, alia certe non poteſt eſſe ratio, quam quod matrimonij vinculum, libello diſcuſſum erat, alioqui vt iſtam ille repetere, ita & hæc ad eum redire, viro ſecundo mortuo debuiſſet. Verba ſcripturæ ſic habent: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua, cumque egreſſa, maritum alterum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem*, talis ergo eſſe deſiit, per libellum repudij, ſibi à viro prius datum: ſoluebatur ergo eius vinculum, per repudium, quod fuit in aſſertione poſitum.

Confirm. ſeruus ſi poſt annum ſeptimum, libertatem eligebat, priuabatur vxore, & filiis Exod. 21. at quis exiſtimet, continentiam iſti fuiſſe ſeruandam perpetuo? quod ſi ad eam, diuina nulla, aut naturæ lege fuit obnoxia, ei ſane, per virum ſecedentem alio, dabatur ex diſpenſatione diuina poteſtas aſciſcendi ſibi viri, cum quo vitam duceret, E quod quia matrimonij vinculo permanente, non licebat, dicendum eſt, Deo permittente fuiſſe id Iudæis tunc permiſſum, illud rumpere oblato libello quem repudij nominant.

Obiicies non erat vxorum repudiatio Hebræis illo æuo in vſu, niſi *propter cordis duritiam*, Matth. 19. nempe ne cum hæ ingratæ viris eſſent, vim hi illis inferrent, mali ergo maioris euitandi cauſa tantum, reiici eæ poterant, fuit ergo repudium malum, etſi minus, quam vxoricidium.

Neganda eſt conſequentia, eo quod diuina diſpenſatio, malitiam, ſi quæ forſan repudio vxorum inerat, omnem abſterſerat, quod in ſimilibus iuris remiſſionibus vſu venire ſolet, in quibus Superiores ſubditis, eorumque infirmitati condeſcendunt.

Obiicies 2. Matth. 5. & 19. mœchari dicitur quiſquis vxorem miſſam facit, & cum alia contrahit, at nō tantum iis locis Chriſtus legem Chriſtianis dicit ſed quod de repudio apud Iudæos vſitato, animi ſui indicium foret, exponit nunquam: ergo diuinæ eius menti, viſum eſt, eo vt Iudæi quaſi velo impunè, libidinem ſuam tegerent, nouæ, in noua coniuge, cauſam quærerent.

Negandum eſt loqui Chriſtum de matrimonio alio, quam fidelium, eoque rato per baptiſmum, nam cum Polygamia Iudæis eſſet licita, ſi quis dimiſſa vxore aliam ducebat, non peccabat, de fidelibus ergo, ibi eſt ſermo, & non aliis.

Cæterum quibus de cauſis vxorem repudiare licuerit, & qua formâ conſcribi libellus debuerit explicant Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 26. D. Thom. qu. 67. addition. art. 6. & 7. Maldonatus in c. 19. Matth. nos quia breues eſſe volumus, de his nihil hic ponimus, auctores ex quibus accurata poteſt & plena harum rerum intelligentia erui, quaſi digito fontes indicaſſe, contenti ſumus.

Dico quartò, *Matrimonium fidelium conſummatum non diſſolui quoad vinculum niſi morte naturali vtriuſque coniugis, aut alterius à duobus*, Eſt de fide ad Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius,* C *ſoluta eſt à lege viri.*

Ratio eſt quod matrimonium ſit contractus ad propagationem humani generis inſtitutus, ac propterea tantum conuenit huic vitæ mortali, in reſurrectione enim neque nubent neque nubentur, ſed erunt omnes ſicut Angeli Dei Matth. 22.

Dico vltimo, *Matrimonium ratum inter fideles non conſummatum diſſolui per profeſſionem in religione approbata, factam ab vno ex coniugibus*, habet hæc aſſertio fidem à verbis Concilij ſeſſ. 24. can. 6. Pontificum decretis in cap. verum, cap ex conuerſione coniugator. iiſque, quæ ſupra ſunt dicta, cum de diſpenſatione eſt actum.

D

QVÆSTIO IX.

De Indiſſolubilitate matrimonij, An & quo iure matrimonium ſit indiſſolubile.

DE conſummato tantum eſt quæſtio, nam de rato ſupra.

Notandum ergo primo, matrimonium dici tum ratum, cum eſt validum, nempe quia eſt contractum inter perſonas habiles, & non impeditas naturæ aut Eccleſiæ legibus, conſummatum cum ad conſenſum mutuum coniugum, qui conſenſus vt E ante diximus matrimonium efficit, accidit eorundem copula.

Notandum ſecundo, coniuges vnam tantum carnem fieri conſummatione matrimonij vt dicitur can. Agatoſa 27. q. 2. can. lex eadem q. & cauſa can. Martinus. de cognat. ſpirit. & cap. 2. de conuerſio. coniugat.

Notandum tertio, matrimonia rata, differre à conſummatis, cum alijs rebus tum maxime ſignificatione, ratum enim ſignificat diſſolubilē Chriſti vnionem cum anima iuſta, charitatem habente, eſt

enim hæc haud dubie vnio iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 6. *qui adhæret Deo vnus spiritus est cum illo*, est hæc inquã vnio, dissolubilis quoad singula membra Ecclesiæ, cum à charitate Dei excidere possint, per peccatum lethale, consummatum autem significat indissolubilem vnionem Christi cũ Ecclesia per charitatem, & carnem assumptam in humanitate vt probant Sanch. de matri. disp. 13. Reginal. lib. 34. num. 3. ex can. debitum de diuortijs.

Dico primo, *matrimonium quoad vinculum tam ex primæua sui institutione, quam Euangelica lege insolubile esse*. Ita Theolog. & patet ex Math. 19. vbi Christus docens illicitum esse dare libellum repudii, lege Mosaica concessum, ait *ab initio non fuit sic* additque quod *quicunque dimiserit vxorem nisi ob fornicationem & aliam duxerit mœchatur* quod verum non esset, si per dimissionem posset solui vinculum matrimonij, tunc enim dimissam ducens, duceret omnino solutam, & consequenter haberet legitimam vxorem, ne fornicaretur.

Dico secundo, *Omnimoda insolubilitas in lege noua, conuenit soli matrimonio consummato inter fideles, ex primæua Dei institutione*: Ita Aug. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia, c. 10. Probatur autem ex cap. 2. Genes. vbi viri cum vxore coniunctionem, insolubilem fore declarat Adam his verbis, *hæc nunc os ex ossibus meis &c.* quæ verba à Christo domino repetita sunt in eundem finem, Matthæi 19. & concluſa hac particula, *quod Deus coniunxit homo non separet*.

Causa autem cur matrimonium consummatum sit insolubile, est, quod vnionem personalem Christi cum natura humana, repræsentat & ea mediante cum Ecclesia, quæ est indissolubilis, *quod enim semel assumpsit nunquam dimisit* ergo & vinculum consummati matrimonij est tale, nempe insolubile vt habetur cap. 2. de conuers. coniug. c. quanto de diuort & colligitur ex cap. 19. Matth. vbi Christus ait quod à Deo est coniunctum non separandum esse ab homine & prioris ad Corinth. cap. 7. *eis qui matrimonio iuncti sunt, præcipit* non Paulus sed Dominus *vxorem à viro non discedere* etsi per diuinam dispensationem cuius ibidem fit mentio possit fidelis conuersus à Gentilismo ad fidem, ab infideli dissociari.

Dico tertio, *Quod matrimonium consummatum dissolui nequeat, id præcise non oriri ex iure naturæ.*

Probatur quæ ad ius naturale pertinent, hæc omni tempore sunt eadem, & stabilia apud omnes gentes perseuerant, at ante legem Euangelicam, diriui matrimonium poterat inter Iudæos per libellum repudii, vt expresse dicitur in cap. 24. Deuteron. nam ibi habetur dimissam potuisse valide secundo viro nubere, nec potuisse amplius recipi à primo, quæ vera non essent, si vinculum solutum non esset, dissolui quoque in Euangelica lege posse, argumento est, quod altero coniugum conuerso ad fidem, quam alius amplecti renuit, & cohabitare cum fideli conuerso, aut si velit non tamen sine iniuria saluatoris, possit conuersus ducere aliam iuxta Paulum 1. ad Corinth. 7. ergo matrimoniũ non est iure naturæ indissolubile.

Secundo, eadem est ratio matrimonii rati, & consummati, cum vtriusque eadem sit essentia, at illud dissolui potest per ingressum religionis, & ex multorum sententia per dispensationem pontificis: ergo.

Dico tamen quarto, *Etsi firmitas vinculi matrimonij ex nuda eius natura non proueniat, dici tamen posse hanc proprietatem ex competere, iure tam naturæ, quam diuino*, illo quidẽ, eo quod à Christo, Matth. 19. sublata sit potestas quæ Iudæis data est Deuteron. 24. repudiandi suas vxores, estque matrimonium reuocatum ad statum, quem habuit initio mundi.

Deinde quod matrimonium consummatum sit indissolubile, id ex eo præcise oritur, quod à Christo sit inuentum ad significandam indissolubilem sui vnionem cum Ecclesia, per carnem assumptam, huius ergo vinculi indissolubilis firmitas diuina est, ideo quod Deum authorem principem habeat, vt dicitur de voto in 6. canone vnico. Quod autem naturali quoque iure, sit hæc perpetuitas matrimonio debita, aliquo modo, videtur hinc probari posse.

Primo quod dissolutio matrimonii repugnet bono sobolis quam educari decet legitimè, ac consentaneè præceptis Christi Domini, at est id omne illicitum iure naturæ, quod fini matrimonij, eiusque bonis aduersatur: ergo &c.

Secundo, asserit Tridentinum, instinctu Dei, à primo parente dictum esse, matrimonij nexum indissolubilem ac perpetuum esse, supponit ergo concilium, matrimonii indissolubilitatem aliquo modo iuris naturæ esse, cum tunc Ecclesiasticum nullum præceptum fuerit, nec diuinum aliud, quam de abstinendo à cibis vetitis.

Quod autem firmitas matrimonii ex eius nuda natura non proueniat, quæ pars prima assertionis fuit, probatur. Est matrimonium ratum non consummatum, nec consummandum, verum matrimonium, & tamen dissolui potest, ergo indissolubilitas, puram matrimonij naturam non sequitur, vti eius necessaria aliqua proprietas.

Vnde ergo inquies habere matrimonium potest vt sit indissolubile.

Ex eius natura vt coniuncta est cum diuina institutione Ita Sanch. lib. 2. disp. 13. nu. 10. Ægid. disp. 16. dub. 2. n. 12. & 27. quia cum corporis nostri dominium non habeamus, sed eius vsum duntaxat, quem Dominus non absolutè nobis concedit, sed cum certis limitationibus, patet eum dati alteri non posse valide, nisi quomodo, & quatenus ipse vult, sed Deus instituendo matrimonium, non concessit coniugibus, habere eos aliter potestatem in sese inuicem, quam per insolubile vinculum vnius cum vna.

Infertur ex dictis primo, matrimonium dirimi non posse ob affectatam mariti absentiam, hæresim, aut morbum, Trid. sed. 24. can. 8. quemadmodum nec ob adulterium Trid. eadem sess. can. 7. Alex. III. cap. quæ sint 2. de diuortijs Innoc. III. cap. quanto 7. eiusdem titul.

Infertur secundo, loca Matth. duo, in quibus agitur de separatione viri à fœmina, ob fornicationẽ, intelligenda esse de dimissione coniugis fornicariæ, à viro suo, quoad thorum, & cohabitationem, & non vinculum. Ita Tertul. lib. 4. contra Marcio Chrisost. homil. 13. in Matth. Innocent. III. Epist. 3. ad Exuper. Concil. Milleuit. 2. can. 17.

Infertur tertio, spectando præcise naturam matrimonij, eamque præscindendo ab institutione diuina, quæ nobis est cognita per scripturam, matrimonium vtriusque partis consensu, instar aliorum contractuum solui posse, nam quibus causis, res constituitur, iisdẽ & dissoluitur, de regulis iuris regula 1. & 29. qu. 2. can. omnis: ergo cum matrimonium fiat mutuo consensu partium, eodem &

dissoluuntur.

Obligationes enim quæ mutuo consensu contrahuntur, contraria voluntate dissoluuntur Instit. quibus modis ollatur obligatio parag. vlt.

Dices, at hæc solutio repugnat fini primario matrimonij, qui est liberorum generatio, ac eorundem educatio.

Respondendum, hinc non probari solutionem matrimonij intrinsecè malam esse, sed tantum ratione adiuncti, quod sæpe abest, vt cum ob sterilitatem vxoris, spes non est habendæ prolis.

DE OBLIGATIONIBVS Coniugum.

CONIVGES erga se mutuo ad quinque obligantur, primum est, vt cohabitent, mutua sibi obsequia præstent in administranda re familiari.

Secundo, tenentur lege iustitiæ, debitum sibi reddere, iuxta Apost. 1. ad Corinth. 7. vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro, quæ obligatio communiter est sub mortali, quippe circa rem grauem, secundum communem Doctorum apud Laym. par. 3. de matri. cap. 1.

Tertia coniugum obligatio, pertinens ad bonum fidei, quemadmodum & duæ præcedentes, est vt coniux nequeat aliam personam copulare sibi, matrimonij gratia, quandiu coniux eius viuit.

Quarta est, vt neuter ab altero separari & alteri personæ coniungi valeat, quod indissolubile vinculum, appellatur bonum Sacramenti, estque ex Dei institutione ad significandum nexum Christi perpetuum, ac indissolubilem cum Ecclesia, & humanitate per incarnationem.

Quinta, & postrema est ad generationem prolis, eiusque honestam educationem, quæ omnia tribus eius bonis respondent, quæ sunt proles, fides & Sacramentum can. omnes 17. q. 2. Proles bona est, quia Deo seruos generat, can. pudor & can. sicut, 32. q. 2. quia patriæ ciues parit, qui eam contra hostes tueantur, cum adoleuerint, virique inter viros esse cœperint leg. 1 digest. soluto matrimonio. Fidei bonum est triplex animæ corporis, & honestatis. Animæ quidem ob fornicationis fugam can. sicut & can. quicquid 32. q. 2. corporis ob mutuam seruitutem. Honoris, quia nuptiæ honestum faciunt id quod turpe, alioquin esset ac inuerecundum: can. sicut non omnis 33. qu. 2. de hac ergo vt sic loquar seruitute hic agendum quidni enim sic vocetur? cũ mutua sibi obsequia vir & fœmina debeant, cum ab inuicem separari nequeant, debitum sibi negare reciprocum non valeant, quæ officia quoniam exhibere sibi mutuo non possunt, nisi eadem domo vtantur vnaque habitent, ideo communis est D. D. opinio, teneri eos ad cohabitandum, ad quod sponte si animum ipsi suum non induxerint ad id adigendi erunt censuris Ecclesiæ, adhibito etiam si est opus, auxilio brachii sæcularis, vt dicitur in cap. litteras de restitutione spoliatorum, causæ tamen sunt, eæque iustæ, quamobrem vir à coniuge possit diuertere, quæ quales sint ac cuiusmodi iam est videndum.

QVÆSTIO I.

De diuertio an detur.

DAri diuortium inter coniuges quo ad tectum, & thorum, nemo ambigit, nam primo constat eos mutuam sibi posse continentiæ legem indicere in perpetuum, vel ad tempus, in quam legem ne quid eos peccare tactibus aut osculis accidat.

Primo, secubare debent, ac si ne tunc quidem sunt extra periculum peccati, licitum eis est, cubiculo quemadmodum & lecto disiungi, quod est separari quo ad thorum, quod ipsum constat experientia, vt vsus quotidianus indicat, deinde quis non intelligit, fœminam, à viro ob iustas causas authoritate Senatus posse distrahi, huicque permitti, vt res suas sibi habeat, quas viro administrare, eisque vti pro arbitrio, vt ante diuortium, non sit permissum? at est hæc disiunctio fœminæ à viro, quo ad bona, & familiam, verum diuortium, non ergo negandum est dari, & quidem licite, iuxta decretalem Innocentii III. cap. ad hæc Deus vt lite non contestata. Alex. III. cap. ex transmissa 8. Innocentii III. cap. litteras 13. de restitut. spoliator. modo virum & fœminam ad id iustæ causæ aliquæ impellant, quæ quales sint, & cuiusmodi, iam est videndum.

QVÆSTIO II.

De causis inducentibus ad diuortium ad tempus.

FAciendi ad tempus diuortii causa iusta quo ad domum, est res quælibet, quæ innocenti coniugi creare potest tam corporis quam animi perniciem, quia cuilibet iure naturali cura commissa est tam sui, quam eorum, quæ sunt necessaria ad conseruationem animæ, & corporis, at tale est diuortium vnius coniugis ab alio, vt supponitur, cum sibi à se se inuicem metuunt.

Secundo, nemo tenetur cum magno suo incommodo satisfacere obligationi, quam habet erga alũ, vt habetur in cap. ex transmissa & cap. litteras de restitutione spoliator. vera est ergo assertio.

Quare licet coniugi ab alio diuertere primo, si hic fiat furiosus.

Secundo, si morbo contagioso laboret, quia in his casibus magnum sano incommodum imminet, ex cohabitatione cum altero, quod si morbus non esset periculosus, nullam ex eo causam obtendere discessioni suæ iustam posset, & ita teneretur eius curam gerere, etque obsequia necessaria reddere.

Tertio, licet vni coniugi ab alio diuertere, si est hic veneficus, aut magus, quia eiusmodi hominum genus nocere sæpe solet iis quos habet charissimos.

Quarto, si sæuitia erga eam vtitur, si mortem minatur illi, si verbera grauia, plagasque inferte siue ex ira, furore, siue ex crebra ebrietate aut morum animique asperitate est solitus, cap. litteras 13. de restitut. spoliatorum vbi habetur, mulierem viro restituendam esse, *Si vero tanta sit eius sæuitia vt muliere trepidante, non possit sufficiens securitas prouideri, non solum debet ei restitui, sed ab eo potius amoueri.*

Quinto, separati possunt cõiuges si eorũ alter alte-

rũ in peccatum pertrahere conatur, quia quisque tenetur periculum peccati vitare; crimina ergo ob quæ mulier seiungi à viro potest, sunt: vt diximus sæuitia magna, ex ira, ebrietate aut ingenij asperitate proueniens, metus grauis mali à viro impendentis in futurum, ac probabiliter ineuitabilis, filiorum interfectio, alterutrius ad peccatum inductio. cap. litteras cap. quæsiui de diuortijs;

A criminibus alijs, etsi grauibus & fœdis, præterquã ab adulterio, iusta non est causa faciendi diuortii, vbi notandum est sæuitiem hanc, de qua est hic quæstio, eiusmodi esse oportere vt ex ea vxor graue aliquod malum sibi timeat, quod viro constanti incutere metum possit, vnde si vxor ob sæuitiem viri, non tantum mortem timeat, sed etiam plagas multo acriores, quam permissum sit viro inferre suæ coniugi, ex graui & vrgente causa, vel etiam si apprehendat iurgia, rixas, contentiones, potest dicta vxor ad tempus à viro secedere, donec eiusmodi periculum cesset, data sufficienti cautione pignoratitia fide iussoria, ac quandoque iuratoria, de repetenda domo, vbi maritus sedatus fuerit, aut iniuria abstinuerit.

Causa est quod graue malum reputetur, perpetuo eum offensum habere, cum quo viuere debeas, & ex quo res tuæ pendeant, quare si viro nunquam bene cum sua fœmina conuenit; si illam sæpe atrocibus verberibus afficit, huic omnis est honesta ratio faciendi ab eo diuortii.

Dixi *si metus est malæ tractationis in futurum & talis quæ sit ineuitabilis*, nam mulierem bis aut ter vapulasse grauius, quam par esset, aut cum ea rixatum esse maritum aliquoties, non est causa sufficiens diuortii, nisi timeatur eorundem rerũ repetitio, frequens, eaque cum iniuria. Lay. lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 7. n. 17. Sanchez lib. 4. disp. 6. n. 14. Addidi *si malũ probabiliter est ineuitabile*, nã si mulieri prouideri potest in posterum, ac vis impediri viri, per cautionem, ab eo dandam de non amplius nocendo, locus nullus futurus erit diuortio.

Permittitur etiam diuortium ob hæresim, idololatriam can. non solum 28. q. 1. cap. de illa & cap. quando 7. de diuortijs cap. vltimo de hæreticis, & indicatur Matth. 19. vbi Christus, ob fornicationem, ait libellum repudii concedi posse, sed fornicationis nomine, intelligitur etiam spiritalis, per recessum à Deo, infidelitatem, aut apostasiam, secundum interpretationem Chrysost. & August. in cap. 5. Matth. *Non enim*, verba sunt Glossæ, *fornicatio est tantum stuprum, sed generaliter quæ à lege Dei aberrare facit.* Deinde antequam Christus in eo capite, potestatem dimittendæ vxoris, viro faceret ob fornicationem, eidem ius cõstituerat de remouendis cunctis peccati instrumentis, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te, & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam & proiice abs te*, ergo si à congressu, commercioque coniugum inter se, vni eorum imminet periculum culpæ alicuius, iusta est secundum Christi voluntatem dissidij ac discessionis causa: ergo cum ab Idololatria, seu hæresi, vnius de coniugibus, magnus sit in altero id est Catholico metus peccandi, & amittendæ fidei, per congressum hæretici, nisi ab eo separetur illico, ex Diu. Thoma licebit Catholico ius sibi dicere, & ab hæretico diuertere. Equidem coniugi Catholicæ infame est adhærere hæretico, maxime si à contracto matrimonio, talis est factus, eiu ratione Christianæ fidei. Ob eam causam ei permittitur, vt ab illo seorsim habitet, can. Idololatria, can. non solum 28. qu. 1. & cap. 2. de diuortijs, nam etsi mulier pro furto viri sui Alexand. III. iudicio separari non debeat, (*Nisi fides suæ religionem corrumpere velit*) *tamen si coniugem suam, ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro separari potest*, prius tamen à Catholica coniuge admonendum esse indicat Paulus ad Tit. 3. cum ait. *Hæreticum non nisi post vnam, aut alteram* correptionem vitandum esse. Equidem hæreticus à Catholico vitari non debet nisi sit pertinax, sciri autem nequit an sit talis, nisi correptus in errore perseueret.

Notandum tamen hoc esse discrimen inter diuortium authoritate Ecclesiæ ob hæresim factum, & illud, quod fit propria solius Catholici, quod istud non inducat diuortium perpetuum, cum Catholicus hæreticam emendatum, & resipiscentem, teneatur recipere, quod non accidit cũ iudicis authoritas intercessit, nam tunc Catholicus ad hæreticam resipiscentem redire non tenetur, quia Ecclesia in pœnam hæresis, priuare potest hæreticũ alijs dominijs, vt constat ex cap. vlt. de hæret. in 6. ergo & iure illo, quod habet in corpus coniugis, cap. illa de diuortijs.

Eodem pertinent iusti metus in alterutro coniuge, incidendi in peccatum, si cum alterutro cohabitet, quandiu enim durat hoc periculum, potest coniux cui imminet, ab eo diuertere, à quo animæ suæ timet, si alijs remedijs, non putat se periculo peccandi occurrere posse.

Ratio est prima, quod quisque tenetur culpam, & eius admittendæ pericula fugere.

Secunda, quod discedere à marito licet, qui corpore non est sano, quando metus est, ne ex eius propinquitate, ac commercio, lues ad se pestifera transeat, ergo & id licebit in periculo animæ. Ob eam causam, vxor quæ ad sodomiticam copulam, ad latrocinia aut veneficia à marito impellitur, cum periculo consensus, non peccat quando eum relinquit, Nauar. cap 22. Ench. n. 25. Sanch. lib. 10. dis. 18. n. 12. quorũ hæc est magna ratio, quod omnes humanæ amicitiæ, societates, & consuetudines, discindendæ sint, quando cum Deo, retineri non potest, aut geri amicitia, vita enim est amittenda potius quam Dei gratia, ergo & conuictus cum viro.

QVÆSTIO III.

An coniuges vltro, mutuoque consensu seiungi possint ab inuicem ad tempus, aut in perpetuum.

DIco primo, *Coniuges ex mutuo consensu posse facere diuortium liberi, ad tempus, aut in perpetuum.*

Probatur ex verbis Pauli 1. ad Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi*, causa ergo faciendi hoc modo diuortii, est cultus Dei, nempe vt eum, continendo prouehant, perfectioni maiori studeant, Deo purius seruiant, eum ardentius orent, vel ne proles supra eorum facultates multiplicetur. Vt vt sit de causa, constat ex matrimonio B. Virginis cum Iosepho, praxique vniuersalis Ecclesiæ, licite posse coniuges matrimonii sibi sui vsum interdicere, de quo consulendus Bellarminus lib. 2. de Monarch. cap. 37. Basilius in regulis fusius disputatis interrogat 12.

Fulcitur verò hæc conclusio ratione duplici.

Prima,

Prima, quod nullo iure coniuges obligentur vti A suo matrimonio: ergo si eo se priuent per votum, aut diuortium à thoro, facient id sine peccato.

Secunda, quod causa cur sibi mutuo coniuges negare debitum nequeant, aut vouere continentiam, est quia corporis sui potestatem non habent, & nemo de re aliena arbitratu suo possit statuere, inuito domino, at cessat hæc causa, cum mutuo cõsensu, thoro se soparant.

Obijcies nolle Apostolum, fas vt sit coniugibus, priuare se in perpetuum vsu matrimonij, sed ad tempus tantum, eaque lege, vt in idipsum reuertantur, ne tententur à Satana 1. ad Cor. 7.

Respondendum permittere quidem Apostolum vt coniuges liberis dent operam, sed non iubere, vt ipsemet ostendit his verbis, *hoc autem dico secundum indulgentiam non secundum imperium: volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, quibus verbis indicat optare se vt coniuges perpetuam castitatem colãt: *Quo sensu necessario Sabbato, & die Dominico abstinendum esse, quod spirituale sacrificium in iis Domino offeratur*, dixit Timoth. Alexandrin. cap. 13. vultuem Theodulph. ad Presbyt. Aurel. cap. 43. abstinendum esse, *in quadragesima à coniugibus vt sanctificato corde & corpore, ijs dies transigantur & sic veniatur ad diem Paschæ.*

Dico secundò, *Posse coniuges, ex mutuo consensu, thoro separari, & facere votum perpetuum continentiæ*, Augustin. epist. 199. ad Æditiam, & de bono coniug. cap. vltimo, Gregor. lib. 9. epist. 39. ad Theotistam Patriciam, Gelasius Papa in can. de Syracusanæ distinct. 28. consultum tamen est vt id non nisi de consensu fiat Episcopi, sic Eugen. 2. in Synodo Rom. can. 36. his verbis: *Si vir & vxor pro sola religiosa inter se vita, diuertere consenserint, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat, vt ab eo singulariter promisso constituantur loco.* Assertionis hæc est ratio, quod diuortium à thoro, res sit occulta, nec scandalo exposita, proindeque talis, quam priuata authoritate viri & fœminæ, fieri non repugnet.

QVÆSTIO IV.

Quæ sint crimina quę faciant vni coniugum potestatem diuertendi ab altero.

OPinio fuit Origenis hom. 7 in Matth. Strabi in hæc verba Math. 5. qui *dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa* peccato quolibet, ius coniugi esse diuertendi ab alio.

Credidere hæretici, per fornicationem & adulterium tantum, viam esse innocenti ad diuortium, nec tantum quoad thorum & cohabitationem, sed etiam quo ad vinculum.

Sententia Catholica explicabitur sequentibus assertionibus.

Prima Assertio, *Sunt alia causa faciendi diuortij quam quæ petuntur ab adulterio*: Est hæc assertio tam authoritate Concilij certa, quam ratione, & scripturæ testimonijs: Ordior à Concilio, sess. 24. can. 8. hæc habentur *si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas, separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumue tempus, fieri posse decreuit, anathema sit.*

Equidem licet Christus Matt. 5. solam fornicationem denotet, vt causam iustam, vni è coniugibus diuertendi ab altero, eius tamen rei alibi causas adfert, vt timorem scandali Matth. 18. *si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te*, vbi ex interpretatione Patrum per oculum, intelliguntur qui nobis sunt valde chari, vt pater, frater, vxor &c.

Præterea vt ante est dictum, permissum est diuortium.

Ob hæresim, Paulus ad Titum. 3. *hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita* 1. ad Corinth. 7. *si infidelis discedit, discedat*, Item ad vitandum corporis periculum, vt si mutilatio timeretur, aut mors ipsa, cap. ex transmissa cap. litteras de restitut. spoliator. nam lex diuina naturalis, de vita seruanda, vim legis coniugalis de mutua cohabitatione elidit, quare Paludani est opinio, vxori fas esse, marito nuntium remittere, si cũ causa metuit, ne cum eo in crucem agatur, ob furta frequentia, à quibus, sibi ille, quanquam monitus, temperare, animum non inducit, Nauarr. ca. 22. n. 22. val. disp. 10. q. 4. punct. 2. Maldonat. in cap. 5. Matth. n. 32. Bellar. de matr. cap 14.

Dico tamen secundo, *Propriè diuidi matrimonium quo ad thorum, propter nefandum crimen adulterij*, patet ex cap. 19. Matth. Doctorum omnium sententia, & ratione duplici.

Prima, quia fornicatio per se & directè, matrimonii finem oppugnat, qui est bonum fidei coniugalis, & prolis, quæ impeditur prostitutione fœminæ, cuilibet alteri quam marito suo, quare & hæc priuatur iure petendi debiti, potest ergo & maritus eam deserere, quia frustra sibi quis fidem postulat ab eo seruari, cui recusat fidem à se præstitam seruare.

Secunda, per fornicationem quamlibet, modo consummatam, diuiditur caro peccantis, fitque altera quam coniugis suæ, *qui enim adhæret meretrici, vnum fit cum illa*, Paulo teste, ergo à sua distractus est coniuge, cum eius, & meretricis vna caro esse nequeat, potest ergo innocens à nocente se seiungere: ergo & diuortium instituere, cum diuortium, nihil sit aliud quam coniugum separatio à sese inuicem.

Tertia frangenti fidem tam iure canonico, quã naturæ, fides nulla est debita. Quid? quod coniuges cum se mutua obstrinxere fide, censeantur tacitè noluisse, eius vim durare longius, quam perseueraret ipsa fides inter eos, ergo cum hæc adulterio intercidat, & obligationem quoque, ac nexum cohabitandi, mutuo perire est necesse, iustè ergo semigrare potest alter ab altero, ob adulterium.

Quo in iure, vir & vxor, sibi sunt æquales, eo quod fidei fractio, tam bene reperitur in adulterio viri, quam vxoris, ergo si ille faciendi diuortii potestatem habet, quod vxor fidem sibi non seruauerit, id huic quoque respectu illius competet. Et licet fœminæ eo iure non vtantur, non sequitur tamen eas illo carere, si non faciant.

Septem tamen sunt casus, aut secundum alios quinque, in quibus ex fornicatione hic effectus non sequitur.

Primus est, cum adulterium ignoranter est admissum, vt si mulier rata virum suum obijsse, alteri bona fide nupsisset, aut ad aliquem, bona fide accessisset, quem inculpabiliter putabat esse suum, pro quo est textus in canone cum per bellicam 34. q. 2. idem dicendum de ea, quæ persuasa, mari-

tum obijsse, alteri, copiam sui corporis feciſſet, quia etsi actus ille, fornicationis malitiam habeat, non tamen adulterij formalis, cum fœmina ſupponatur inuincibiliter ignorare adhuc ſe matrimonij lege teneri, quod tamen adulterium, quod eſt iuſta cauſa diuortij vt notauit Sanch. diſp. 5. num. 12. exigit.

Secundus caſus, eſt cum mulieri eſt vis illata 32. q 5. can. itaut. Quid ſi metu mortis, infamiæ, vel exilij, manus cogenti dediſſet?

Non propterea à diuortio libera foret, & ratio eſt, quia nullus metus à peccato excuſat, ergo cum fœmina potius mori debeat, quam viro fidem matrimonij, datam fallere, ſi fallit dimitti poterit.

Tertius eſt, cum errore, aut fraude viri, in adulterium inducta eſt, v tſi decepta eius blanditijs, credidit eum eſſe ſuum coniugem 34 q. 4. can. ſi virgo & can. in lectum eadem q. & cauſa vt in Lia, & Iacobo videre eſt, deinde quia nullum eſt adulterium niſi voluntarium, quale tamen eſſe nequit, cum copula ex errore accidit, quem certum eſt notitiam tollere, ſine qua nullum eſt voluntarium.

Quartus eſt, cum à marito eadem culpa eſt admiſſa, quia paria delicta pariter compenſantur: cap. ſignificaſti de diuortijs, & cap. intelligimus de adulterijs. Nec refert ſi alterius delictum ſit occultum, quia in conſcientia ius deeſt manifeſtè adultero, contra eum, qui occultè eſt talis, nec proinde poteſt occultus adulter in conſcientia, diuertere ab alio, cuius vitium publice eſt tale, quia vt habet Regnal. lib. 21. cap. 4. creditor non poteſt ad ſolutionem compellere eum, cui ſcit tantum ſe debere, licet ita occultè, vt probari nequeat, niſi voluntatem habeat reſtituendi ſummam acceptam, aut ſoluendi debitam.

Nec refert ſimiliter vtrum alter coniugum prius alio peccauerit, aut ſæpius, quia cum vterque fidem fregerit, cenſentur delicta parta, deinde quia ſoli innocenti conceditur diuertere à nocente.

Vbi notandum eſt compenſationem hanc poſſe fieri, etſi delicta ſint diſſimilia ſpecie, ac natura, vt Sodomia, adulterium, beſtialitas.

Quintus caſus eſt, cum fœmina viro ſuadente, impellente, aut probante peccauit, cap. diſcretionē de eo qui cognouit eam quam polluit per adulterium, aut ſciens vxoris ſuæ nequitiam, eam à peccando non reuocauit, quia eius non correctio, tacita quædam eſt ad peccatum impulſio, non vero ſi illam domo extrudat, aut debitum negando, aut ſæuiendo plagis frequentibus, modo ne iuſto ſint maiores, aut contumelijs, quæ pro obiecto habeant admiſſam culpam, pro motiuo autem emendationem vitæ, cauſam illi fugiendi, & peccandi præbeat, cap. ſignificaſti de diuortijs.

Ratio eſt, quod tum adulterium fœminæ, marito ſit, tam directè quam indirectè inuoluntarium, cum ex negatione debiti, ex ſæuitia, iuſta tamen, aut extruſione è domo, non ſequatur per ſe adulterium.

Sextus eſt, cum adulterium aliqua honeſtatis ſpecie velatum eſt, vt quando infidelis, dimiſſa à Pagano, contraxit cum alio, tunc enim ei non poteſt obijci adulterium, quare & eam maritus rurſus in coniugem adoptare ſibi debebit, ſi accedat vtrumque poſtea ad fidem conuerti vt dicitur in cap. gaudemus de diuortijs.

Vltimus caſus eſt, quando innocens cum adul- A tero in gratiam rediit, ſiue expreſſe, vt condonando iniuriam verbis, aut factis, ſiue tacitè, vt petendo & reddendo debitum, quia cum poteſtas faciendi diuortij in fauorem ſit innocentis, non eſt dubium quin ei renunciare valeat, quod facit, agendo alterutrum eorum quorū proxime meminimus, quod intelligendū eſt de crimine admiſſo, non admittendo, & futuro, nam illico ac eorum alter fidē datam coniugi fallet, redibit ea poteſtas, peræque ac ſi hæc interrupta condonatione non fuiſſet, neceſſe tamen eſt, vt læſus per adulterium, ſui comparis, ſponte reconcilietur ei, non per vim, aut metum, can. ſi qua & can. quod autem 32. q. 1. alioquin non priuatur poteſtate ſibi conceſſa per canones faciendi diuortij.

B Quæritur, *Circa dicta, qui ſint actus, quibus coniux innocens cenſetur condonare adulterium.*

Reſpondeo condonationem hanc præſumi fieri, primo, ſi coniux innocens, adulterij, aut alterius criminis ad diuortium ſufficientis conſcius, ſponte a neatanea voluntate copulam cum adultero habeat, animo condonandi iniuriam, qui ſemper præſumitur eſſe in reddente, aut petente, ſine metu, aut coactione, ſecus non excidit iure diuertendi à nocente Sanch. lib. 10. diſp. 14. Ægid. diſp. 36. dub. 5.

Secundo cenſetur fieri condonatio, ſi læſus ſponte retineat adulteram, vel illi ſe familiarem exhibeat, ludendo, ridendo, iocando, his enim actibus fit vera condonatio, ius faciendi diuortij obliterans, etſi læſus expreſſum non habeat animum condonandi, modo poſitiuè contrarium non exerceat.

Quod de viro reſpectu adulteræ dicitur, intelligitur pariter de fœmina, reſpectu illius, vt habetur can Chriſtiani 32. q. 1. can. apud vos can. præcepit, eadem quæſt. & cauſa & cap. gaudemus de diuortijs: cauſa eſt, quod par ſit & æqualis, vtriuſque coniugis obligatio, ad continendam libidinem, intra fines coniugij, ergo vt vxor à viro, ſic iſte ab illa puntri poterit, per diuortium, ergo & eidem, D eodem modo reconciliari, quo iſte cum illa redire ſolet in gratiam.

Quæres ſecundo, *An coniux innocens ſub peccati obligatione, teneatur nocentem relinquere & ab ea diuertere.*

Exiſtimant plerique, peccare virum mortaliter, ſi vxorem in adulterio perſiſtentem non dimittat, eo quod violet præceptum Eccleſiæ, iubentis eam dimiſſionem, in cap. ſi vir de adulteris.

Secundo, quod tolerantia ſuâ videatur vir, adulteram ad peccatum impellere.

Tertio, quod maritus pœnam iuſtam, ac correctionem vxori ſuæ debeat, cuiuſmodi eſt reſpectu adulterij, præpropera ab ea ſeſſio per diuortium, ſed oppoſitum eſt verius. E

Dico ergo primo, *Communiter innocentem ad id non teneri nec præciſe ratione adulterij, nec correctionis fraternæ, nec ſcandali, quæ tamen tria ſunt capita, eaque ſola duntaxat, à quibus proficiſci poſſet hæc obligatio.*

Non primum, quia ad hoc ſufficit, vt eam moneat, ac moderatè puniat, prout poteſt, ad quod tenetur.

Non ſecundum, quia adulterium poteſt eſſe occultum, ſcandalum autem ſi quod timetur, tolli poteſt, pœna dictæ adulteræ impoſita, Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 2. Sanch. lib. 10. diſp. 13. nu. 8. Auguſt. in ſerm. Domini in monte relatus in

in can. idololatria 28.q 1.

Ab hac tamen assertione casus sunt excipiendi duo.

Primus, est cum ex indulgentia viri erga adulteram, sæpius peccantem, periculum esset scandali in plebe, existimante maritum conniuere criminibus suæ fœminæ cap si vir de adulterijs.

Secundus est cum spes est nulla corrigendæ adulteræ, nisi eam excludendo domo, quia collocata alibi, puta apud parentes, ad quos cogetur se recipere, non præbebit adultero tam facilem ad se aditum, quam apud maritum.

Quæres tertio, *Quid agere innocentem oporteat cum se agente, postulante, ac quærente, is à quo sibi illata est iniuria, coactus est authoritate iudicis Ecclesiastici religionem ingredi?*

Respondendum est teneri eum ad idem vitæ genus, sub peccato, aut si vir est, ad sacros ordines Sotus in 4. dist. 39. art. qu. ad id tamen sunt hæ conditiones necessariæ.

Prima, quod innocens ad id obligatum se esse sciuerit, aut scire debuerit, cum facultatem vouendi adulteræ fecit, aut passus est eã ad id induci per iudicem 27. q. 2. can. Agathosa & 33. q. 6. can. qui vxorem cap significauit & cap. veniens de conuersione coniugator.

Secunda, vt vere consenserit, & non fictè, cap. consuluit de conuersione coniugator.

Tertia, vt libere, & non per metum, cap. accedens, vel propter donum cap. veniens de conuersione coniugator. quia aliter obligatio vouendi, aut suscipiendi sacros ordines, non potuit ei implicitè esse volita, causa autem cur oporteat eum qui est innocens ingredi religionem, aut vouere castitatem in sæculo, est periculum incontinentiæ cui se exponit, quod tandiu censetur durare quandiu ei obuiam non itur per votum.

Quæritur *An præter adulterium detur alia iusta causa diuortij pertinens ad luxuriam?*

Respondet est dari, easque numero duas esse Bestialitatem & Sodomiam can. omnes causationes 33. q. 7. & ratio est quia per hæc peccata diuiditur caro coniugis peccantis, in aliam aut alium, contra finem matrimonii eo tendentis, vt coniuges vna caro fiãt, quod quia non accidit, quando vir vxore abutitur sua contra naturam, nec enim se vir tunc diuidit ab vxore in plures, sed in propriam duntaxat, non est Sodomia diuortij causa, nisi admissa cum alio, aut alia, quam qui vir est, aut propria vxor.

Non negandum tamen est, ob has & similes sordes, posse vxorem ad tempus sine authoritate alia, quam sua, secedere à viro, qui improbitati suæ modum non vult facere, & vt est hoc certum, ita constat, per tactus, & oscula libidinosa, & molliciem, non induci diuortium, quia cessat eius fundamentum, quod est carnis in aliam diuisio.

Secundo, vt aliquod peccatum, causa esse diuortij censeatur, debet repugnare fidei matrimonij, cuiusmodi sunt adulterium, Sodomia, & bestialitas per quæ perfectè violatur fides coniugij, diuisione carnis vnius in aliam, quo posito, non tenetur alter qui est innocens, fidem seruare datam, de eodem tecto, & lecto habendo, cum consorte suo, hoc autem in molliciei non reperitur, nec in tactibus, quia per eos caro non diuiditur in aliam, sicut fit per concubitum.

QVÆSTIO V.

An absque authoritate Iudicis Ecclesiastici vir vxorem nocentem queat à se dimittere, & cum illa diuortium facere.

RElinquendæ vxoris causa, vniuersè duplex est, patens vna, altera soli viro cognita. Posterioris exemplum est, clandestinum adulterium vxoris cuius solus vir est conscius, à quo in crimine est deprehensa: prioris cum per se est cognitum, ac toti fere viciniæ perspicuum, in vtroque sensu explicanda hæc nobis est in præsenti quæstio, de qua non omnium idem fuit iudicium Nonnullis enim placuit, fœminam quæ quomodocunque violatæ fidei, marito datæ est rea, iure conscientiæ, scandaloque cessante, à viro cui soli cognita est eius libido, authoritate propria, iudiceque proinde non consulto, dimitti posse, vel certe ab ea discedi.

Huic sententiæ authoritas est ab his Theologis Paludano in 4. dist. 36. q. 1. art. 1. concluf. 3. Henriquez lib. 11. cap. 8. numer. 10. Nauarr. de conuersione coniugatorum cap. 4. &c. 10. Soto in 4. dist. 36 q. vnica art. 3. & Panormit. in cap. postremum de adulteriis Ægidio disp. 35. dub. 1. & probatur sic: Quisque potest sine authoritate Iudicis id facere, ad quod à natura ius habet, at potestas cuique inest à natura, recedendi quoad thorum à coniuge, qui ei iniuriam intulit: nam hanc potestatem innocens per iudicem, eiusque voluntatem ac sententiã præcise, sibi nõ vendicat sed tàm à pacto quod ei mutuum interceffit cum fœmina quàm à natura ipsa contractus matrimonij, cui hæc ex dispositione iuris tacita cõditio inest, vt frãgenti fidẽ fides non seruetur, & ideo coniuges non censentur se obligasse, vt parti diutius cohabitent, quam hæc thorum immaculatum, & fidem seruauerit. Est hæc istorum authorum opinio probabilis, quam etiam tuentur Rebellus part. 2. lib. 2. q. 17. Villalobos in summa tom. 1. tract. 5. dist. 13. Diana. de Sacramen. resolut. 257.

Ab his dissentiunt D. Thomas in 4 dist. 35. q. 1. art 3. Bonauent. in eandem dist. q 3. Richardus ibidem art. 1 q. 3. Turrecremata in can. sæculares 33. q. 2. Durandus in 4. dist. 34. q. 1. Basil. Pontius lib. 9. cap. 18. n. 6. quæ hi authores argumenta pro se possunt promere hæc sunt.

Primum, decretum Agathensis Concilii, sub Symmacho Papa 3. can. 17. in quo sine Episcoporum prouincialium iudicio, qui dimittũt vxores suas, specie dissidii, iubentur in Synodo publicè de numero cæterorum amoueri per censuram, *si antequam* (inquit Canon) *apud Episcopos comprouinciales dissidij causas dixerint, & prius vxores, quam iudicio damnentur, abiecerint, à communione Ecclesiæ, & populi cætu sancto, pro eo quod fidem & coniugia maculent excludantur.*

Secundum, quod aliena peccata, non sint efferenda in publicum, ac euulganda populo, si sunt occulta, cum sit eiusmodi euulgatio, charitati & iustitiæ contraria, quod tamen accideret, si ob fornicationem, viro tantum cognitam, vxorem ei suam dimittere fas esset, cum nemo sit, tam obtusæ mentis, quem tunc iusta suspicio perstringere non debeat, violatæ per dimissam, maritalis fidei: cum talis dissidij causa alia probabiliter fingi non possit; quam mulieris vita turpis, & adulterio commaculata.

Tertium, quod nemo ius ſibi dicere debeat, cum peccata aliena plectere, alius quam iudex non poſſit, cui iuſtitia vindicans adminiſtranda eſt data à Principe, aut Repub. at abit ab iſta lege, qui per ſe iniuñas ſuas vleiſcitur, dimittendo adulteram, cum qua, ſibi commune nihil vult eſſe amodo in vita, lecto, victu, & communi congreſſu: ergo ſine iudicis authoritate, ab ea vir ſecedere nec debet, nec poteſt, ſi ſecedendi cauſa ſoli ſibi ſit cognita.

Quartum, nemo debet ſe vleiſci, at vltionis quædam eſt ſpecies, diuertere ab vxore. Maior eſt certa. Nemo enim debet eſſe eodem tempore, & reſpectu eiuſdem rei, actor, & iudex, quod tamen accideret, ſi ob occultum adulterium coniugis, fas eſſet viro eam domo ſua extrudere. Ob hæc argumenta, aliaque eius generis quam plurima, Diu. Thomæ ſententia longe mihi priore videtur probabilior, proindeque in praxi ſequenda.

Quid ſi peccatum fœminæ moraliter ſit certum viro? etiamne ei tum licebit non expectata iudicis ſententia adulteram domo eiicere? aut ei debitum negare?

Dico primò, *Si adulterium fœminæ eſt notum marito, poſſe hunc ſine authoritate Eccleſiæ eam exturbare iure conſcientiæ, eique debitum non reddere*: Noſtra non eſt hæc ſed Doctorũ aſſeueratio Panor. Ioan. Andr. & cæterorum in cap. ſignificaſti de diuortiis. Armillæ verbo diuortium num. 2. Sylu. 16. q. 8. Diu. Thomæ in 4. diſp. 35. qu. 1. art. 3. Antequam probetur, notandum eſt. Adulterium, & quodlibet aliud crimen dici notorium, cum Iudici eſt cognitum, aliſque, vel ſi aliis tantum, quibus tamen probationes ſunt in promptu, ad illud cum erit iudicatum in vulgus, probandum: Vel tertio, cum illud in iudicio per confeſſionem rei propriam, tanquam factum agnoſcitur, ita declarata aſſertio probatur

Primo iure naturæ conceſſum eſt cuique, fidem negare eam non ſeruanti, cap. peruenit de iureiurando ſed ex hypotheſi, certum eſt marito, à fœmina fidem, quam ſibi obligauerat in matrimonio ſeruatam non eſſe, ergo eidem debitum re petenti vir reddere non tenetur, cum ei nunquam in animum venerit contrahendo, ad id ſeſe aſtringere, niſi quandiu illa fidem ac thorum immaculatum ſeruaret.

Secundo, non tenetur coniux innocens, parere nocenti in redditione debiti, cum magno ſuo incommodo, at id accideret ſi adulteræ poſtulanti, matrimonium ad vſum redigi, ei à viro ſuo neceſſario parendum eſſet, nam obſequendo fit irregularis, quia incipit eſſe bigamus, deinde iure excidit petendi diuortij à iudice, in quantum redditione debiti, redit in gratiam cum nocente, eique culpam omnem condonat, ad quam rem, non tenetur, quia reconciliatio debet fieri ſaluo iure, & intereſſe debito parti, cum hoc ſpectet ad iuſtitiam, illa ad charitatem, & quamuis debeat dimittere iniuriam, poteſt tamen, & debet corrigere culpam, vt ex Diuo Bonau. in 4. ſent. diſt. 36. qu. 2. ſcribit Ludo. de Boa par. 2. reſp. caſu 27.

Dico ſecundò, *Poſſe virum abſque Eccleſiaſtici iudicis authoritate ac ſententia, abſe dimittere vxorem adulteram, & cum illa iure conſcientiæ diuortium facere, ſi eius crimen eſt notum, vel hæc illud ſit confeſſa, aut de eo conuicta.* Eſt hæc ſententia, vt omittam alios, Hieronymi in Matth. cap. 19. Greg. lib. 9. Epiſtol. epiſtola 44. Diu. Thomæ in 4. diſt. 25. qu. 1. & quidem conſultus Gregorius ecquid marito Agathoſæ hac inſciente religionem licuiſſet ingredi, & an ei poſtulanti reddendus eſſet, negauit Pontifex id eſſe neceſſe fieri, ſi vxor oblita officij, amoribus implicita præpoſteris, non ſuo ſe viro grauidandam ſubiiciſſet ſed alteri, cum quo fornicata eſſet 27. qu. 2. can. Agathoſa licitèque prædictum memoratæ Agathoſæ maritum religionem profeſſum eſſe, ſi de adulterio fœminæ, conſtabat quod tamen dixiſſet ille nunquam ſi ad hoc facinus, iniuriamque, viro à ſua coniuge irrogatam, accedere debuiſſet iudicum authoritas, cum formæ ac ſolemnitatis omiſſio, actus ſit abrogatio, integraque diſſolutio, ſicut è contrario legis obſeruatio, validatio ſit operis, quod ſit tali legi, conſentaneè, ex quo ſequitur, ad inſtituendũ diuortium, cum eſt manifeſtum adulterium, non requiri ſententiam, alioqui ante eam, non valuiſſet ingreſſus viri in religionem, ob Agathoſæ adulterium quod tamen dicit Pontifex.

Si vero, inquit, *nihil horum eſt, nec quondam fornicationis crimen, propter quod licet viro dimittere vxorem, prædictam mulierem commiſiſſe cognouerit, ne illius conuerſio, vxori relictæ in ſæculo, fieri poſſit perditionis occaſio, volumus vt maritum ſuum illi, etiamſi conſuluerit eſſi, reddere debeas, omni excuſatione ceſſante.*

Equidem quæ eſt ſecunda probatio, petita ex Diu. Hieronymi teſtimonio, *Sicut crudelis eſt & iniquus, qui caſtam dimittit, ſic ſanus eſt & iuſtus, qui retinet meretricem, nam patronus turpitudinis eius eſt, qui crimen celat vxoris.*

Quid? quod Alexander III. cap. ſignificaſti 4. de diuortiis, negat viro qui vxorem ſuam ob notorium adulterium à ſe dimiſerat, non expectato Eccleſiæ iudicio, reddi hãc debere, quod verũ non eſſet, ſi ei ab illa diuertere authoritate propria integrum non fuiſſet, nam læſo reſtitutio fieri debet redditione eius rei, in qua ei illata eſt iniuria, at vxori vir nocet, eam dimittendo, ſi id ei facere ſine authoritate iudicis non licet ergo eſt hæc iniuria reſtitutione ſui, dictæ ſuæ coniugi, ab eo tollenda quod tamen allatus canon negat: Accedit Chriſti Domini authoritas Matth. 19. aſſerentis ob fornicationem relinqui vxorẽ poſſe, quod quia de occulta intelligi non poteſt, ob periculum ſcandali, trahi debet ad apertam, quæque tergiuerſatione nulla celari poteſt, vt Eccleſiæ communis ſenſus, interpretatioque indicant.

Propter ſcandalum tamen & ordinem fori externi, opus eſſe ſententia iudicis, docuere Bea loco ante citato & Coninch. diſp. 35. dub. 1. num. 2. quia diuortium pœna eſt publica: at hanc non alius inferre poteſt, quam qui publicè cauſis diiudicandis præſidet, & ob culpam publicam. Si tamẽ adulterium ita eſſet publicum, vt nulla tergiuerſatione celari poſſet, exiſtimat Ægid. eo loco quem citauimus licere tum viro, aut fœminæ, propria authoritate diuertere, ad quam ſententiam, vti probabilem, ego quoque lubens accedo.

Perutile autem fuerit, huc conferre dubia quædam, ad pleniorem quæſtionis propoſitæ notionem pertinentia.

Dubium primum, *An ſimiliter ab vxore diſcedere vir poſſit, quando indirecte ei adulterandi anſam dedit.*

Indirecte vir fœminam in adulterij crimen inducit, cum eam domo nolentem extrudit, cum contumelijs ac probris immeritam afficit, cum quæ ſunt ei ad ſuſtentationem neceſſaria, aut omnino, aut non niſi maligne, & illiberaliter tribuit. Et ve-

ra est Alexaddri III. responsio in cap. significasti 4. de diuortiis, maritum non teneri, coniugem suam recipere etsi iniustè à se dimissæ, adulterandi occasionem dedisset, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse, *Consultationi tuæ*, inquit, *respondemus quod si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse*, extat in eandem sententiam decretalis Innocent. III ad Pictau. Episcopum quæ est 16. tit. de conuers. coniugat. in qua Pontifex negat fœminam audiendam esse, super reuocatione viri sui, ex Monasterio, quo erat ingressus, cum eius facultate, *Cum ipsius*, inquit, *intentio exceptione possit commissæ fornicationis elidi*, cuius haud dubiè rea non fuisset, si maritus eius curam habuisset, nec solam reliquisset in sæculo.

Dubium 2. *An sola suspicio de adulterio sufficiat ad hoc vt innocens coniux petens adulteræ debitum negare possit.*

Nequaquam, quia priuatio debiti, est quasi inflictio pœnæ, quam ex conuentione tacita, inter se, coniuges sibi possunt imponere, at puniri nemo potest, nisi qui manifestè conuictus est de crimine: vt ergo negari sine culpa possit, quod adulter exigit, debet moraliter constare neganti de peccato postulantis, idque ea certitudine quæ satis esse possit, vt in iudicio magistratui fidem faciat de crimine, eumque valeat inducere ad concedendum innocenti diuortium.

Verum his opponunt nonnulli, quod est apud Hieronym. in comment. ad cap. 19 Math. *Qui adulteram tenet, stultum & impium esse, vbicunque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, libere vxorem dimitti*, sed respondendum est, velle Hieronymum suspicionem, ad inquirenda legitima testimonia, quibus veritas adulterij probetur, satis esse posse, vel si de sola suspicione est sermo, non de qualibet, sed vehementi duntaxat & quæ legitimo testimonio æquipolleat: optimi patris dictum oportere intelligi.

Dubium tertium, *An adulter, qui pro tali non est notus coniugi, ius ab ea debiti exigendi habeat, absque peccato.*

Habet, quia tali iure non excidit, nisi cum eo priuatur, at hoc ei nō adimitur nisi per sententiam, quæ non fertur in nocentem, nisi causa cognita, & ob crimen publicum, quorum nihil hic accidit vt supponitur.

Confirm. adulter non est præcisè, ac per se iure petendi debiti priuatus, per adulterium, sed priuandus per coniugem, qui ad id ius habet in actu primo, quod exire non potest in actum secundum nisi per sententiam, quæ sententia ferri in eum non potest nisi de adulterio constet, eo modo quo talia sciri possunt.

Secundo, qui est in possessione iuris alicuius, eo hic vti potest, quandiu ei relinquitur, at est adulter in possessione petendi debiti, nec est hæc ei adepta per fœminam, aut iudicem, vt supponimus, cum neutri eius peccatum sit notum, ergo cum videbitur, petere ac vt sibi reddatur à coniuge postulare, sine culpa poterit.

Quid si fœmina se quoque corrumpi sit passa? quid si contra fas violauit iura coniugii?

Tum quidem ei licitum est ab adultero petere debitum, sed vicissim reddere non necessarium, si de peccato viri moraliter est certa. Nititur pars prima hac ratione: quod quandiu libido fœminæ virum latet, non sit ipso facto iure coniugali priuata, nam eo non excidit, nisi per sententiam, quam vir eius, aut Iudex, nunquam pro authoritate dicent, nisi in aperti criminis conscientia, nihil est ergo, quamobrem fœminæ, (quod ius ei coniugii permittit,) vitio verti debeat, si maritum ad liberorum procreationem acuat.

Pro parte altera habeo hoc argumentum. Cum est adulterium mariti eiusmodi, quod multorum, aut certe solius fœminæ conscientia teneatur, proindeque tale, quod certū ei sit ac notum moraliter, potest hæc authoritate sibi à diuino iure concessa, marito in vsu coniugii non obsequi; at fœminæ vt supponitur nota est mariti culpa, notum adulteriū, ab hoc ergo cum iubebitur liberis operam dare, vt culpam vitet, imperanti morem gerere, nihil erit necesse, nam etsi ille, exigendo coniugali debito, videatur de iniuria veniam ab vxore postulare, non tenetur tamen hæc, iuri suo cedere, illudque reddere, quia reconciliatio fieri debet saluo iure, & interesse debito parti, cum hoc ad iustitiam pertineat. Bea supra. Laudanda tamen esset, si quod est Charitatis, veniam admissæ culpę, lubens marito deprecanti remitteret, quia nihil ea facilitate animi, de fama virtutis suæ, apud sapientes vxori deperit, cum constet, fœminis maritorum adulteria communiter non probari.

Quid? quod redeundo cum marito in gratiam, frænos eius libidini injicit, ac ne se hæc efferat extra matrimonii limites, ac cancellos, impedit? quod enim domi suæ negatur ab vxore, hoc vir sæpe magno animæ suæ, famæque detrimento, quærit in prostibulo, quodne vitio vllo suo accidat, prudentiæ est, ac charitatis in fœmina, facere.

Dubium quartum, *An diuortio authoritate Iudicis facto, peccet innocens, reuocando ad se nocentem, quem credit emendatum esse.*

Id ne existimem, hac maxime ratione suadeor, quod ad misericordiam aditus omnes clausos esse nocenti, per sententiam suam Iudex nolit, non ergo peccabit innocens, si oblitus iniuriæ, reconcilietur alteri.

Quid? quod hic iure omni, quod in coniugem suam lege connubii acquisiuit, per Iudicem non priuetur? alioqui exceptio rei iudicatæ prodesset reo, quod iniquissimum esse dixit Iulian. lege euidenter digest. de except. rei iudicatæ, eam ergo quoties & quando libitum erit, reuocare ad se vir poterit, modo ne scandali in populo metus sit vllus.

Dubium quintum, *An vir & fœmina pares sint in hac causa.*

Omnino, quia vterque frangit fidem, ergo mutuo sibi ambo coniuges potestatem tribuunt resiliendi à pactis, ergo quod viro per fœminæ adulterium conceditur, fœminæ quoque est concessum, si ab ea ad aliam vir eius diuertat causa libidinis, illico enim ac eorum alter contra datam fidem thori munditiem commaculat, iure exigendi debiti excidit, & meretur separationē domicilij), ac vero etiam de eo cum infamia ejici. Sane secluſa Dei institutione Gen. 2. & ratione Sacramenti: contractus coniugalis si sibi, ac naturæ suæ relictus esset, vi fornicationis dissolueretur, eo quod ius naturæ postulat vt contractus cuius conditiones non seruantur, intereat, penitusque in nihilum recidat: at matrimonium coaluit ea lege inter coniuges, vt mutuam sibi fidem ac thorum immaculatum conseruent, ergo si solam eius naturam spectes, corruet vi fornicationis. Maldonatus in cap. 6. Matth. nu. 32. hæcque est causa cur legibus tam pontificum

quam ciuilibus Imperatorum adultera priuetur dote, ar his ac paraphernis, teſte Couarr. parte 2. cap. 5. § 6. & conſtat ex cap de donationib. inter virum & fœminam & lege conſenſu Codice de repudijs.

Dubium ſextum, *An mulier teneatur abſcedere à viro perſeuerante in adulterio.*

Dico primo, *Ad id cogendam non videri.* Sotus in 4. diſt. 36 q. 1. art. 2. Nauarr. cap. 22. num. 22. verſ. c. 6. quia ex illa cohabitatione, regulariter nullum oritur incommodum, ex ſeparatione multa. Pars prior probatur, cum ad vxorem non pertineat virum corrigere, ſed ab eo corrigi, nemo in eam mentem iuſtè veniet, vt exiſtimet, prudenter ac cum cauſa, marito patrocinari fœminam, ceſſat ergo infamiæ, ſcandali que metus, ceſſat item periculum detrimenti in liberis, cum ad vxorem ſpectet certiſſimos partus edere, nec ſit ambigendi locus, an hi ſint mariti, quando ſuſpecta non eſt coniugis probitas.

Pars altera probationem habet non arduam, atque difficilem, parit enim ſeiunctio viri à fœmina infamiam vtrique, populo nocet atque vicinię, ob ſcandalum, fœminæ periculum creat incontinentiæ, ei recuperandæ dotis allatæ, ſpem adimit, maritum in diſcrimen prope certum violandæ coniugalis continentiæ conijcit & alia eiuſmodi, quæ breuitatis cauſa prætereo.

Quid ſi vxor ſit in culpa? quid ſi libidinis ſuæ modum admonita non ponit, ſed perſeuerat in adulterio ac impudicitia?

Dico ſecundò, *Maritum non teneri extrudere domo adulteram in adulterio publico perſeuerantem, niſi timeatur infamia, aut ſcandalum, & ex diuortio ſperetur eius correctio*, quia cum vir ſit innocens, ob vxoris peccatum, non videtur plectendus eſſe, niſi quatenus in ipſum redundat, quod nunquam vſu venit, niſi cum patientia ſua, illi peccandi eſt author, aut eam in meliorem frugem cum culpa non reuocat, abeſſe id vero poteſt, abeſtque ſæpiſſime, vir ergo ab onere dimittendæ vxoris coram Deo liber eſt in foro animæ, cum infamiæ aut ſcandali periculum nullum habet, eius in domo mariti commoratio.

Confirm. ſi ab vxore impudica diuertere vir debet, hæc eius obligatio originem trahit, à ſcandalo, aut præcepto correptionis fraternæ.

Non à primò; quia ſæpe nullum eſt, maximè cum eſt adulterium eius occultum, aut ſi timetur, ei occurrere maritus poteſt, pœnam vxori aliquam irrogando, qua indicet peccatum eius ſibi non probari, nec illi aſſenſum dare.

Non à ſecundo, hoc eſt correctionis præcepto quia plecti aliter quam manumiſſione poteſt, vt ſi mittatur in carcerem, ſi de adulterio coram propinquorum collecta manu arguatur. Ad ſeparationem non tenetur, quia cum ei ſit graue perpetuo carere vxore, non videtur ad id cogi poſſe, cum tanto ſuo incommodo, ſi tamen crederetur reditura ad bonam frugem ſeceſſione ab ea, ad breue tempus, caritatis eſſet ac prudentiæ, eam ad eius ſalutem bonumque adhibere.

Dubium ſeptimum, *An vir vxorem à qua authoritate iudicis eſt ſeiunctus, recipere debeat, ſi quid eum peccare contra fidem coniugij accidat.*

Ita ſtatuiſſe Alexandrum fidem facit decretalis eius, cui initium ex litteris 5. de diuortijs, interrogatus enim an matrimonium, quod propter mulieris adulterium erat ſeparatum, redintegrandum foret, ſi vir fornicaretur, reſpondit, *cum res ita procedit*

A *prætaxatum virum, compellendum eſſe redire ad legitimam vxorem*, pro quo etiam facit commune Theologorum proloquium, nempe paria delicta compenſatione mutua tollenda eſſe.

Nihilominus dicendum videtur, peccantem poſt diuortium rite celebratum ad hoc non teneri donec à iudice condemnetur Diu. Thom. qu. 62. art. 6. ad 4. Sotus diſt. 36. q. 1. art 6.

Ratio eſt, quod per diuortium, vir obligatione debiti ſoluendi liberetur, ſitque contractus quoad thorum, & domicilium, ſic diſſolutus, vt etſi vir poſtea fornicando, committat adulterium, quia videlicet vinculum coniugale manet, non tamen tam proprie peccat in vxorem iam dimiſſam, vt
B illa ius exigendi acquirat, hicque debitum ſoluendi ſubeat.

Confirm. ſententia diuortii non eſt hypothetica, ſed abſoluta, vtpote ab euentu futuro non pendens: ergo etſi vir peccet, non ideo tamen fœmina, eſt cenſenda ius habere, redeundi ad maritum finę ſententia.

Ad argumentum petitum ab auctoritate Pontificis reſpondetur: eum ibi loqui de caſu, in quo ſeparatio coniugum, ab inuicem adiunctam haberet infamiam: tunc enim, quia eſt è re communi, ei occurrere modo quam optimo, Eccleſia cuius eſt conſulere ſaluti tam publicæ multorum, quam
C priuatæ ſingulorum, cenſuris etiam adhibitis cum eſt opus, imperat, vt ſeiuncti cõiuges redeant inter ſe, in gratiam, eademque domo ac thoro fruantur.

Dubium octauum, *An adultera teneatur redire ſi maritus eam reuocet,*

Si reuocatio diuortium antecedat, certum eſt teneri fœminam marito obſequi, quia in his quæ ſpectant ad coniugale debitum, non eſt ſui iuris, ergo vt illud marito exhibeat, ad eum redire tenebitur. ſi reuocetur, Sotus in 4. diſt. 36. q. 1. art. 3. Quid ſi reuocatio, ſit inſtituto diuortio poſterior?

Redeundum ei erit, ſi ſatisfacere officio cupit, quia quod eſt in fauorem innocentis inſtitutum, in
D eius redundare damnum, noxamque non debet, vt fieret, ſi vxor maritum, debitaque aduerſus eum caritatis ac æquitatis officia, neglectum iret, nolendo ei reditum ad ſe ſuadenti obſequi D. Tho. q. 62. addit. art. 6. ad 3.

Dubium nonum, *An Coniuge inuita aut ignorante maritus, qui eſt adulter, Religionem poſſit ingredi.*

Nequaquam, & ſi ingrediatur, cogetur ad poſtulata vxoris redire domum, Sanch. de matr. lib. 7. diſp. 34.

Ratio eſt, quod vir non ſit ſui iuris, ſed vxoris, proindeque furtum committat, ſi ſe ei ſubtrahat, ac ea non probante religionem ineat, in qua ſi profiteri eum acciderit, profeſſio futura eſt nulla, quia
E ad profeſſionis eſſentiam requiritur vt tradatur Deo aliquid quod ſit profitentis, vereque ad eum pertineat, at maritus corporis ſui poteſtatem non habet ſed mulier, Paulo teſte, quod tamen per votum caſtitatis, quo ſe maritus obligat, Deo offert: eſt ergo eius profeſſio ſine conſenſu vxoris nulla, quandiu ſpes affulget aliqua, etſi tenuis, futurum aliquando, vt mulier, cui adulterando ille iniuriam intulit, ei reconcilietur, quia quoties erit iſti placitum, tenetur adulter, ad eam regredi, eique reconciliari, ergo non poteſt ea inuita, aut improbante religioſus fieri.

Excipiendus eſt caſus, in quo culpam emendaſſet, eamque ſibi remitti, ſæpe ſupplici prece poſtu-

laſſet, nam tunc omnis ei eſt honeſta ratio, ineũdæ religionis, aut ſuſcipiendorum ordinum, quia tunc mulier rationabiliter eſt inuita, cum ius non habeat, vt eius maritus perpetuo cogatur incertus manere de ſuo ſtatu, Coninch. ſupra num. 26. quare eius profeſſio cenſebitur facta de eius conſenſu ſaltem tacito.

Dubium decimum, *An facto diuortio auctoritate Iudicis, ob adulterium alterius, poſſit innocens Religionem ingredi.*

Poſſe dixit Ægidius diſp. 35. dub. 5. num. 25. quia cum alicui permittitur res ſuas habere, ac ſeparari tam domo, quã lecto à coniuge ſua, ob cauſam, eamque iuſtam, peræque libertati ſuæ relinquitur, quoad electionem ſtatus, ac ſi alter coniux eſſet mortuus: ergo vt tunc religioſus eſſe, ac fieri poteſt, ita & vbi diuortium, per Iudicis ſententiam eſt permiſſum.

An autem profiteri poſſit, ac debeat, eius coniuge remanente in ſæculo, non eſt planè certum. Negatiuam tuetur Ægid. proxime citatus num. 25.

Ego, quæſtioni exiſtimo abundè ab Innoc. III. ſatisfactum eſſe, in decretali ſignificauit 18. de conuerſione, nam ſi eſt fœmina talis ætatis de qua ſuſpicio haberi nequeat, votumque continentiæ nuncupauerit, intrare in Monaſterium, compelli inuita non debet, quod ſi iuris neſcia, ac decretorum Eccleſiæ, quæ eam manentem in ſæculo, ſi non eſt ſuſpecta de libidine vouere iubent, religionem autem vna cum marito capeſſere, ſi eius ætas adhuc eſt infeſta amoribus, ac venere, ſi (inquam) iuris neſcia bona fide credit poſſe ſe domi ſuæ viuere, à mariti, votique lege liberam, communis eſt Doctorum opinio, eam manendo non peccare.

Dubium vndecimum, *An innocens teneatur nocentis parcere ſi petat ſibi culpam remitti.*

Duplex eſt debitum, honeſtatis vnum, iuſtitiæ alterum.

Dico ergo primo, *Quando diuortium eſt factum ob adulterium, innocentem non teneri ex iuſtitia reconciliari nocenti*, quia innocens non tenetur ex iuſtitia, gratis, nullaque ſibi oblata ſatisfactione, remittere iniuriam.

Secundo, iuſtitia inter eos, locum non habet, qui ius ad ſeſe reciprocum ac mutuum non habent, ſed adulter frangendo fidem matrimonii, eſt priuatus iure exigendi debiti: ergo cum innocente æquale, ac ad paria ius ei non competit.

Dico ſecundo, *ad id eſſe obligationem honeſtatis.* Patet quia nihil eſt honeſtius quam culpã deprecanti parcere, veniamque dare, & ita intelligendus eſt hic canon ex Concil. Arelatenſi tranſlatus in titulum de adulteriis, *Si mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reuerti, debet, ſed non ſæpe, recipere peccatricem.*

Dices, at enim poſtulat charitas vt parcatur innocenti.

Reſpondendum caritatem id quidem exigere, non autem præcipere, niſi vt deponatur odium, ſignaque amoris oſtendantur, non autem vt remittatur pœna iniuriæ illatæ debita, aliunde tamen ex caritate, tenetur idem coniux reconciliari vxori emendatæ, eamque ſi verſetur in periculo incontinentiæ, niſi recipiatur, admittere pœnitentem.

Dubium duodecimum, *An poſt adulterium vxoris, poſſit maritus ea inuita ordines recipere, aut Religionem ingredi.*

A Negat Baſilius Pont. de matr. lib. 9. cap. 18. num. 6. de la Cruz in direct. parte 2. de matrim. qu. 5. dub. 4.

Contra vtrumque ſentiunt Nauar. lib. 3. de conuerſione coniugat. conſil. 4. num. 3. Henriqu. lib. 11. cap. 8. Villal. tom. 1. tract. 15. difficult. 3. Sanch. lib. 10. diſp. 11. num. 12.

Ratio eſt, quod vir in foro conſcientiæ, ius ſibi poteſt dicere, ſublato ſcandalo, cum defectus probationum, non ſit ex ſua culpa.

Confirm. ſi non poſſet, ſequeretur peccata coniugum, impunita fore, cum in foro externo, non ſunt ſic cognita vt probari valeant. *Dixi in foro conſcientiæ*, nam in externo, talis ſeparatio non per-
B mittitur niſi adulterium ſit notorium, notorietate iuris aut facti: iuxta caput ſignificaſti & cap. porro de diuortiis.

Dubium 13. *An innocens teneatur nocentem recipere, & ad thorum admittere, ſi ille poſt factum diuortium, peccauit contra fidem coniugij.*

Vera ſententia eſt teneri virum, ſi poſtquam vxori ignouit, eſt mœchatus, placari illi, domum illam reducere, ac ius thori reddere, etſi eius adulterium clandeſtinum ſit, ac occultum.

Ratio eſt, quod vir innocens diuertendi ab vxore adultera ius non habeat, niſi quia ex tacito inter vtrumque pacto, ſic conuenit, vt frangenti fidem, fides minimè ſeruaretur, & ita ab innocente no-
C cens poſſet eiici, at vterque eſt nocens, vterque lapſus in adulterium ſupponitur: ergo expulſa domo mulier, à viro debet recipi, thoriq; connubialis iure, vt ante perfrui: ita D. Tho. in 4. diſp. 35. q. 1. art. 6. Paludan. in eand. diſt. q. 1. art. 2. caſu 1. Nauar. Enchirid. cap. 22. num. 23. cum enim, paria delicta tollantur compenſatione mutua, poſtulat æquitas, vt vir ſimultate ex animo poſita, acceptam iniuriam vxori condonet eique domum reductæ, ius thori reſtituat.

Ab hac percelebrata opinione recedit Sotus in 4. diſt. 36. qu. 1. art. 6. alique, de eorum numero non pauci, qui humani officij controuerſias exponũt, quod vir (inquiunt) per diuortium, à ſoluendi
D debiti obligatione liber fiat, ſitque hoc modo contractus, tam quoad thorum, quam domicilium diſſolutus, ex quo ſequitur quod etſi vir poſtea fornicando, committat adulterium, quia videlicet manet coniugale vinculum, non tamen tam proprie in vxorem dimiſſam peccet, vt illa ius redeundi poſſit acquirere.

Confirmatur non eſt diuortij ſententia hypothetica, cum ordine ad culpam futuram coniugis, exprimendam his verbis, niſi coniux ſimiliter deliquerit, ſed abſoluta proinde à futuro euentu non pendens.

Dubium 14. *An quando veriſimilibus coniecturis pateſt perſpici, eiectam eſſe inſanabilem, nec lenitate viri ſanatum iri, ab iſto illa, recipi debeat.*

E Non videtur, quia cum reus, emendandi ſui ſpem nullam amicis reliquam facit, fraternæ correptionis obligatio ceſſat, ac interit, at adulteram, ideo reuocare vir debet, vt eam in officio contineat, emendatæ bonam mentem imprimat: ergo ſi eius rei, ſpem viro nullam relinquat: domum hic illam reuocare non cogitur.

Secundo, ſi indocilem, ſi emendari nolentem, maritus ad vſum thori ſui, ac tecti admitteret, eius peccatum foueret, habet enim hoc omnis culpa, vt ſi non creſcit, ſpe certè impunitatis firmetur, maioreſque in dies radices figat,

fieri autem virum fœminæ auctorem noui sceleris, aut approbatorem veterum, quid est aliud, quam eius pudicitiæ insidias struere, castitatem prodere? quo quid in marito fœdius, quid à coniugali amicitia, fideque remotius esse queat, non est facile dicere.

Dubium decimum quintum, *An ob lepram, aut morbum Gallicum, separari domo, lectoque coniugibus liceat.*

Dubitandi causa vnica, nempe quod Alexandri Papæ III. iudicio, *nemini liceat (excepta causa fornicationis) vxorem dimittere*, ex quo sequi ait.

Primò, *Quod sine mulier lepra percussa fuerit, seu alia graui infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda, vel etiam dimittenda*, de coniugio leprosorum cap. 2.

Secundo, *Quod si infirmus, à sano carnale debitum exegerit, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, sit solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio inuenitur*, ibid.

Dicendum tamen, ab infirmo sanum diuertere posse, illoque valere iusso, sibi posse viuere, nullo alio præterea expectato Ecclesiæ iudicio, quia consulere sibi quisque, salutemque suam, cum in discrimen vocatur, in tuto potest naturæ iure ponere, ergo cum periculum capitis ac vitæ, esse certius nullum possit, quam quod ex lue Gallica, aut lepra metuitur, *bi qui lepræ morbum incurrunt, de consuetudine generali, à communione hominum separantur, nec viri vxores taliter ægrotantes sequuntur*, cap. 1. de coniugio leprosorum.

Sanus tamen tenetur infirmo ministrare necessaria vitæ subsidia, eique coniugali affectu, in omnibus opem ferre, *nam cum vir, & vxor vna sint caro*, pro se, eorum quisque adlaborare debet, ne sibi vlla vnquam in re, officioque defuisse inuicem videantur. quare non est hæc eorum seiunctio, tam diuortij appellanda nomine, quam cautionis, qua curatur vt coniugali lege salua, quantum licet, habeatur ratio tam valetudinis, quam salutis.

Ad argumentum ex auctoritate Alexandri sumptum.

Respondendum est, loqui eum de lepra, quæ contage non nocet, cuius tactus, visusque, nulli pestem affert quæ corporis quidem temperiem euertit, vultum eiusque splendorem inficit, ad alios tamen vim suam, viruſque non transmittit, quod cum accidit, hortandos esse coniuges Alexand. ait, *Quatenus, vxores viros, & viri vxores, qui lepræ morbum incurrunt, sequantur, & eis coniugali affectione ministrent*, cap. 1. de coniugio leprosorum.

(·.)

DE RECTO MATRIMONII vsu in redditione & petitione debiti.

QVÆSTIO I.

An vir & mulier aliquando teneantur reddere sibi debitum.

PRIMA assertio, *præceptum nullum est, per se loquendo, de exigendo coniugali debito.*

Probatur, de mutuo consensu, vir & fœmina Deo spondere castimoniam possunt, exemplo Henrici, & Cunegundis Imperatorum, huic sponsioni contraria est petendi debiti obligatio, vt patet, ergo &c.

Secundo, nemo teneretur vti iure suo, ac rem suam ab eo reposcere qui habet, ergo nec coniuges mutuum corporis sui vsum, à sese inuicem, cum obligatione reciproca non negandi, exigere: at debiti petitio, refertur ad vsum mutuum corporum, in quæ reciproca est potestas coniugibus, quibus communiter periculum nullum imminet, si ab eo vsu sibi temperent, quare si hic non necessario peti debet, nec reddi, vltro ac non petitus, quia debiti reddendi nulla est necessitas, cum eius natura id non exigit, sed tantum cum postulatur, at talis est debiti coniugalis solutio, nam quis credat, in vitio esse coniuges, si se vltro, ac non rogati ad matrimonij opera offerant?

Secunda assertio, *Coniuges tamen tenentur, cum expresse de voluntate admonentur mutua, eaque seria mutuo in eo sibi negotio obsequi*, quia lege æquitatis, & iustitiæ, tenentur singuli, Domino rei suæ vsum permittere, at vxor *corporis sui dominium non habet sed vir*, & contra, negare ergo hunc sibi, cum mutuò postulant, nec possunt, nec debent.

Tertia assertio, *Est hæc obligatio aliquando sub mortali*, quia denegatio debiti, quod est magni momenti, communiter est lethalis, tale est coniugale.

Maior probatur, violatio iustitiæ in re graui, communiter & ex genere suo, culpa est veniali maior, omnium consensu, sed est debiti coniugalis redditio eiusmodi, nam est exhibitio rei, ad quam postulans proprium ius habet, iuxta Paul. 1. ad Corinth. 7. *vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro.*

Quid si coniugum alter non petit, quia præ verecundia testari desiderium suum verbis non audet?

Caritatis est, eo tempore illud anteuertere, vt explicat D. Thomas in 4. dist. 32. p. vn. art. 2. quæstiuncula 1. S. Antonin. part. 3. tit. 1. cap. 2.

Ratio est, quod iustæ, quod honestæ proximi voluntati obsequi quēque, caritas exigat, vbi causa est credendi, eū non nisi ægre passurum, se contemni, aut quæ exigit, sibi negari, lege enim tam naturæ quam Dei, alijs peræque ac nobis, omnia debemus velle ex voto, sententiaque accidere, maxime vero si negata, eos in periculum peccandi vocent, nempe quia illorum animos mœstitia complebunt, aut peccandi consilia ingerent, ergo si metus erit, ne coniux quidpiam committat minus pudicum, nisi vltro quod est ei debitum offeratur, etiam si clarè ac disertè non postuletur, rationis erit, ac prudentiæ

tiæ in viro non contemnendæ, vxori pudibundæ satisfacere, eius rei petitione, quam reddere non est illi futurum graue.

An autem addi ad obligationem caritatis, & alia tùm debeat quæ sit iustitiæ, controuersantur authores, ad eos accedo, qui maritum teneri negant, lege vlla iustitiæ, vxori tùm tacenti quidem, sed tamen eius congressum optanti, debitum reddere, antequam rogetur.

Ratio est, quod ad vtendum re sua, æquitas ac iustitia cogere posse videatur neminem sub culpa: quæ enim id leges imperant, quæ iura? rerum est suarum quisque dominus, ergo vt ijs vti potest cum lubet, ita & earum abstinere vsu, ac commodo, in quo, cui præterquam sibi, iniuriam (si quæ tamen est vlla) irrogat? habere quidem potest hæc priuatio, caritati oppositam maculam, iustitiæ nequaquam, cum eiusdem ad seipsum, non sit iustitia, sed ad alterum.

Obijcies tenetur coniugum alter ex iustitia, petenti debitum reddere, petit tacitè qui præ se quidem, id ferre verbis ac oratione non audet, sed gestu, aut vultus significatione innuit.

Respondendum, vere petitioni cuilibet vxoris: ex iustitia faciendum satis non esse, sed expresse, sed serio, sed rationabiliter ac instanter factæ, quo de genere non est tacita, ita vero esse, coniectura hæc innuit, quod coniuges, obligationem iniecisse sibi aliquam iustitiæ non videantur, reddendi debiti, nisi cum expresse peteretur, sunt enim obligationes, de certa, eaque perspicua, at cui clarè constat, cui certo, hic & nunc, vxorem congressum sibi suum expetere? cui cognitum liberis hoc tempore operam dare velle nisi id exprimat? non est ergo vito tacitę petitioni debiti, ab vxore, obsequendum lege iustitiæ, sed caritatis duntaxat.

Quænam excusant à reddendo debito.

PRima assertio, *Casus in quibus coniugalis debiti negatio, non est lethalis, sunt multi,*

Primus est, cum is, à quo precibus ab exigente petitur, impetrat ne reddatur illico, sed differatur ad tempus, quia volenti non fit iniuria, at cessio petentis, iuris in eo est sui condonatio, in alterius gratiam, ergo sine culpa differentis vlla, quod est debitum, differri tùm, ac non reddi potest.

Secunda assertio, *Debitum potest non reddi sine culpa mortali, cum petitur, non tanquam debitum ex iustitia sed vt amicitiæ coniugalis erga se mutuę symbolum*, Sotus in 4. dist. 32. q. vnica. art. 1. Sanchez lib. de matrimonio disput. 2. n. 1.

Primo, quia non retineri amicitiæ fœdera, non seruari iura beneuolentiæ, gratiæ non est, ac caritati mortalem inferre plagam, non Deum lædere, non eius amicitiæ nuntium remittere.

Secundo, habet debiti negatio quod sit lethifera, quia magna est, eius cum iustitia, magna cum charitate, eiusque legibus oppositio, at cessat hæc repugnantia, cum amicitiæ tantum testificandæ causa in sese inuicem, vir & mulier matrimonio se suo vti velle significant.

Tertia assertio, *Ad solutionem debiti nulla est obligatio, quando reddi nequit sine detrimento corporis, aut animæ, aut eius periculo aliquo.*

Quia quod est alterius, ei non necessario reddendum est, cum timetur aliqua eius offensa, tacitè enim tunc vult legitimus possessor, ac dominus, illud, ab eo penes quem est, seruari. Quid? quod coniuges non promittant sibi mutuo, dare operam liberis ac propagationi speciei, nisi salua suarum personarum incolumitate?

Secundo, creditori non satisfacere, eique rem suam postulanti non reddere, non est mortale quando prudenter ac cum ratione non petitur, at quis eum approbet, quis toleret vt agentem ex præscripto rationis, ac prudentiæ, cum rem sibi suam repetit, quo tempore, & loco, futura est sibi, aut alijs noxia? saluti nos nostræ, & alienæ consulere est necesse, ergo & ea vitare pericula, in quibus vtraq; naufragium est factura: ergo & tempora, in quibus solui debitum sine eius detrimento non potest.

Quarta assertio, *Debitum negari potest sine culpa, cum importune postulatur, ac crebrius, quam patiatur æquitas.* Sotus in 4. dist. 32. q. 1. art. 7. Sylvest. verbo debitum quia non videtur coniux, ad illud se obligare voluisse, cum tanto, ac tam graui onere: idem dici debet de eo, qui illud humano modo, ac rationabili non petit, vt sunt ebrii, & amentes, quia vxorem alienata mente cognoscere, est equorũ more veneri operam dare, quo quid turpius? nec enim voluptati modũ ponere, aut vitare periculum seminis effundendi extra vas naturale, tũ est facile, quo quid ad eludenda viri postulata, fœmina obtendere potest honestius? habetque hoc locum maxime, cum vxor est amens, tunc enim causa iusta est metuendi, ne vterum exoneret, aut fœtum enecet, quare si erunt ambo coniuges mente capti, si impotes sui, separandi erunt, donec ad mentem redeant, Ledesma q. 58. art. 3. dub. conclu. 1.

Quinta assertio, *Excusat legitima huius obligationis condonatio, ab vtroque coniuge, aut eorum altero facta, voluntas item capessendæ religionis ante consummationem matrimonij, quod facere ante bimestre est necesse*, vt videre est in decretali Alex. III. ex publico 7. de conuersione coniugatorum, cum enim matrimonium ratum, solui possit per professionem religionis approbatæ, non autem consummatum, Ecclesia in fauorem status perfectioris, concedit ad deliberandum duorum mensium spatium, vel etiam paulo amplius, iuxta arbitrium boni viri, vt ibi notat Panorm. Quanquam vt obseruauit Sylu. verbo debitum q. 1. causa 4. non sit à legitimo tempore recedendum facile.

Sexta Assertio, *In quorumdam sententia, non est necesse reddere debitum, cum eorum alter, ante benedictas nuptias, id facere postulat*, quia cæterorum more obligare se coniuges volunt, non aliter, at his matrimonij vsus est nullus, nisi post preces, ex formula Ecclesiæ à Parocho suo conceptas, in quibus sita est matrimonij benedictio.

Quid? quod Trid. sess. 24. c. 1. hortatur coniuges, ne ante benedictionem, capiendam à Parocho, eadem vtantur domo, quod quantum opinari licet, ideo est factum, ne mutuis ipsi aspectibus, illecebrisque capti, amori indulgerẽt ante tempus: est ergo probabile, vacaturum coniugem crimine, qui abstinendum sibi tùm æstimabit, oblata per alterum venere.

Contraria tamen sententia meo iudicio non est improbabilis.

Primo, quia congressus viri cum muliere ante benedictionem, nulla est expressa lege prohibitus.

Secundo, hortatur quidem Concilium coniuges, ne eadem domo ante benedictionem vtantur, sed non præcipit, vnde si iusta petendi causa subsit, vt

quia eiuſmodi benedictio nimis differtur, aut eſt periculum incontinentiæ in alterutro coniugum, culpa nulla erit, vti tum matrimonio, quia ad id ius coniuges habent, quo per Eccleſiam non priuantur.

Nec peccare hi mihi videntur, qui raro tantum exigentis poſtulata facere renuunt, quia quod in reliquis rebus, hoc in iſta quoque vſu venit, vt materiæ leuitas à culpa excuſet, at leue quidpiam eſt, ſemel, aut non ſæpe, ſuam in re coniugali, alienæ præferre voluntatem. Ita Ledeſma 2. parte q. 66. art. 1. dub: 2. Sanchez. lib. de matrim. diſp. 2. n. 11.

Excipe periculum incontinentiæ in petente, quod cognitum ab eo qui rogatur, eundem debet inducere ad parendum, periclitanti de anima, eiuſque bono, quia charitatis eſt, alienæ calamitati ſuccurrere, cum fieri id poteſt facile, & ſine diſcrimine, quod maxime locum habet, cum eam diſcutere eſt in poteſtate cuiuſque, reſtitutione rei, quæ pertineat ad eum, qui conflictatur ea miſeria, at peccato, eiuſque periculo, miſeria nulla eſt maior, & vtrumque vitare eſt facile coniugi, à quo repetitur debitum, facta per eundem poteſtate ſui poſtulanti, ad quod iſte ius habet.

Aſſertio ſeptima, *Excuſat à reddendo debito probabile mortis periculum proli imminens.*

Ratio eſt, quod alienæ ſaluti conſuli oporteat, priuatione rei, quæ in eius ſit poteſtate, à quo eidem periculum imminet maxime, ſi ea carere non ſit illi valde oneroſum ac graue.

Quid ſi fœmina, experientia ſit vſuque docta, prolem ſe viuam edere nunquam poſſe, etiamne tùm ei erit licitum, debitum viciſſim petere ac reddere?

Omnino, quia nemo tenetur legem ſibi dicere, qua lege, vſu ſibi earum rerum interdicat, quæ ſunt ſibi non modo vtiles, ſed ſæpe ad peccatum vitandum neceſſariæ, ne inde grauius quidpiam contingat alteri, vt enim non eſt huius calamitas in iſtarum vſu rerum volita, nequidem indirectè, cum eius non ſint cauſa niſi per accidens, ita nec matri, iis abſtinere ſub peccato eſt neceſſe, vt eſt clarum, inductione facta per cauſas omnes, quæ non ſunt tales niſi per accidens, quare mater in iſto caſu cenſebitur prolis mortem permittere, non tamen eam inferre.

Aſſertio octaua, *Vxor liberatur à reddendo debito, cum maritus poſtulandi ius non habet*, eo quod ille ſit priuatus, ob inceſtum commiſſum cum coniugis ſuæ conſanguinea, in primo gradu, vel ſecundo: Ita Sanch. lib. 9. diſp. 6. num. 8. Petr. Ledeſma qu. 55. art. 6. dub vltimo, parag. his non obſtantibus.

Cauſa eſt, quod vbi ceſſat ius petendi, ceſſat & reddendi obligatio: *Ex quo enim*, inquit Paludan. in 4. diſt. 32. qu. 1. art. 2. *actor per dis ius petendi, reus habet ius non debendi, & negandi, & excipiendi*, ſed inceſtuoſus in pœnam admiſſi criminis, ius amiſit petendi debiti, decreto Cœleſt. III. in cap. tranſmiſſæ 4. & Innoc. III. in decretali tuæ fraternitatis 10. de eo qui cognouit, ibi enim dicitur, *Quod is qui vxore ſua defuncta, filiam eius priuignam, videlicet propriam, copula carnali cognouit, legitimæ vxori cohabitans, & neceſſaria ſubminiſtrans, non cognoſcat eam quandiu vixerit, niſi ab ea fuerit requiſitus, & tunc non niſi cum grani cordis dolore ad eam accedat.*

Huic opinioni annuit Scotus in 4. ſentent. diſt. 32. de coniugali enim debito diſputans, duas exceptiones conſtituit, cum coniux vnus, alterum à concubitu poteſt repellere.

Prima exceptio eſt, cum coniux (inquit) ille ius amiſit petendi, vel non habet ius petendi pro nunc.

Secunda, quando obligatur vinculo fortiori ad non reddendum. In priorem exceptionem confert hic author ea tempora, quibus coniugum alter, adulterium commiſit, aut voto ſe ſolemni caſtitatis, Deo eiuſque cultui addixit, aut bimeſtre ſpatium, nondum à contracto matrimonio effluxit, toto enim illo tempore, neuter alteri debitum ſoluere cogitur, ne ſint initæ nuptiæ, illis ad ſtatum religioſæ vitæ capeſſendum, impedimento.

In ſecundam exceptionem Scotus ea tempora includit, cum corporum commiſtio, alterutri coniugum damnum allatura creditur, aut proli: ad hæc enim incommoda vitanda, (inquit ille) *tenetur fortiore vinculo, quam ad reddendum debitum iſti.*

Circa dicta quæritur primo, *An adulter exigendi debiti, ius amittat.*

Si non eſt eius crimen coniugi cognitum, vt hæc illud ei tùm poſtulanti negare nequit, ita nec iſti, quandiu eſt occultum, perit, ſic ſentiunt Turrecremata in can. in coniugio 32. q. 1. Caiet. 2. to. opuſcul. tract. 31. reſponſione 4. Sotus in 4. diſt. 36. qu. vn. art. 3.

Ratio eſt, quod nemo iure eſt ſuo ſpoliandus, niſi cauſa cognita.

Secundo, extra Sacramentum pœnitentiæ nemo tenetur ſe prodere: ergo nec pœnam peccatis ſuis debitam ſubire ante ſententiam, aut publicam eorundem notitiam, ac famam.

Quæritur 2. *An diebus religioſis ac ſacris vt dominicis, in Paſchate ac natali Domini, exigere debitum, coniugibus ſit permiſſum.*

Negant Magiſter ac Diu. Thom. Ait Sotus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 3.

Ratio eſt, quod de eo nulla ſit canonica, aut diuina præceptio.

Secundo, quod cauſa ſit nulla cur iis diebus ſit in vitio, vxorē marito obſequi, aut iſtum, re ſua vti. Neque Apoſtolus primæ ad Corinth. 7. aliud à coniugatis exigit, quam vt ex conſenſu abſtineant, vt orationi, maiore cum fructu dent operam, qua finita: *Iterum*, inquit, *reuertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas, propter incontinentiam veſtram.* Optandum tamen eſſet, vt quo die ſacræ ſunt menſæ futuri participes, ab eo ſibi actu modum imponerent, qui illis alias permiſſus foret, nam etſi vitio careat, animum tamen, eiuſque præcipuos impetus, ab oratione, cui tamen, ſi quando alias, religioſe tum eſt vacandum, auocat.

Quæritur 3. *An tempore menſtrui debitum peti poſſit ac reddi.*

Multorum fuit ac grauium Theologorum ſententia, poſſe eo tempore mulierem, coniugij, & corporis ſui vſum viro denegare: ita Scotus in 4. diſt. 32. cum eo ſentiunt Bonau. in eand. diſtinct. art. 3. qu. 1. Richard. ibid. art. 1. qu. 1. his verbis: *Carnalis concubitus nunquam eſt debitus, nec de iure naturali, quando eſt in notabile præiudicium prolis de qua dubitari non debet, cum iam conceptus eſt animatus, in quo innumerabilium tunc morborum ſemina ſpargnntur, cum menſtruorum tempore, in matris vtero coagmentatur & animatur*: quare negat Doctor Angelicus in eandem diſt. qu. 1. art. 2. in reſponſione ad ſecundam quæſtiunculam, maritum poſſe ſine crimine mortifero, ad vxorem menſtrua pa-

Digitized by Google

rientem accedere illi tamen vrgenti quod petit concedendum esse, in quo Scotum aduersantem habet, qui tanquam ex tripode asseuerat, obstricturam se graui crimine fœminam, si se tum à viro comprimi sinat, quod ex scripturæ verbis clarum fieri existimat Leuit. 20. *Qui coierit cum muliere, in fluxu menstruo, interficientur ambo de medio populi sui* Et Ezechiel. 18. *Vir si fuerit iustus, &c. uxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, uita uiuet.* Ergo à sensu contrario, si accesserit morte morietur. Hinc enim, argumentandi causam hanc arripit, non est mors corporis, pœna culpæ venialis, sed lethalis tantum: ergo cum corporum mixtio, quando est menstruorum fluxus, lege diuina plectatur capite, non est hæc in minimis reponenda noxis, cuiusmodi est venialis, sed grauibus, proindeque censenda mortalis. Ita Scotus, Sed ei opponi potest quod lex ista, in eo quod pœnam irrogat, sit iudicialis, eoque nomine abrogata, quare ratio tota peccati, si quod habet hic concubitus, à naturæ lege est petenda, quæ tam stricte coniuges non obligat, vt ab eo sibi temperare, cum incommodo suo debeant, ne proli obsint ac noceant.

Quid? quod mala quæ illi hoc est proli ex congressu cũ fœmina fluentibus menstruis timentur, nec ita sint certa, vt semper eueniant, nec si euenirent cauëda essent à cõiugibus cum tanto suo præiudicio. Quare ad eos accedo, qui vt negant peccare mortaliter fœminam, quæ cum menstrua sua patitur à consuetudine thori, virum non reiicit, ita & in isto, eius tum ampiexus ambiente: culpam veniali maiorem non agnoscunt; cuiusmodi tamen, an etiam aliqua labore ambigo.

Quæritur 4. *An concubitu abstinere possit mulier, cum ex causa iusta metuit, ne in eo maculam aliquam contrahat.*

Posse his argumentis conficitur. Primo quod à sinu suo, mulier repellere virum possit, ad vitandam mortem corporis: ergo & cum de culpa declinanda agitur, eum non admittere, scelus non erit.

Secundo, cum iura duo, sibi opposita, disceptant inuicem sic vt obseruari simul nequeant, potiori minus cedat, est necesse, iura hic concurrunt talia, nam conscientiæ ipsa suæ satisfacere vxor debet, & marito, quæ duo præstare simul ex hypothesi non potest, cum ab vno excludatur aliud, sitque debiti exhibitio, culpæ in fœmina admissio, quam cum præstet non facere, quam marito morem gerere, mea est opinio, mulierem cum peccare in actu connubiali metuit, ab eo abstinere posse, & à suo complexu virum diuellere.

Quæritur quinto, *An excommunicatio unius, uel utriusque coniugis, eorum alterum, aut ambos excuset, quo minus, petentes quod sibi debetur, non audiant.*

Coniugum inter se commercio, censuram non obstare, sententia vera est, à Theologis defensa, & à Romanis Pontificib. firmata. Est hæc Gregorij lib. 5. Regesti plena caritatis aduersus eos quos censuræ vinciebant Ecclesiæ, sanctio, *Apostolica auctoritate ab anathematis uinculo subtrahimus, uidelicet uxores, liberos, seruos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos seruientes, & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur*, 11. q. 3. can. quoniam multos 103. & quoniam Innocent. III. sæculo, anceps multorum erat animus, de sensu prædicti canonis, ac personis in eo contentis, visum est Innoc. operæ se suæ fa-

A cturum pretium, si quid placuisset Gregor. vnaque mentem ipse suam, super hoc hominum genere, quos propria vitæ conditio excommunicatis fecisset obnoxios, posteris transmitteret. Declarat ergo in decretali cui initium est inter alia, quæ est 31 tituli de sent. excomm. eas personas, quæ excommunicatis, ante excommunicationem erant obnoxiæ, post excommunicationem quoque manere subditas, & ad familiare obsequium teneri (verba sunt decretalis) *Cum quædam personæ in præmisso capitulo denotatæ, illis, in quos lata fuerit excommunicationis sententia, ante probationem, ipsius obsequio tenerentur familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium teneantur (cum adhuc debitum duret) beneficio canonis id agente à priore non sunt obnoxietate soluta, sed ad familiare tenentur obsequium, & ita per consequens, ad communionem tenentur sine qua illud nequeunt exhibere.* Quare, cum non minori nexu viro suo deuincta sit vxor, quam seruus Domino, vt huic ille communia obsequia, ita connubialia reddere viro suo vxor poterit.

Quæritur sexto, *An coniux liberata sit iure soluendi debiti, ex eo quod metuit proles sibi plures nasci, quam possint à se commodè ali.*

Ait Scotus in 4. dist. 32. qu. 1. art. 1. nec in eo peccare peccatum, æternis piandum cruciatibus: dummodo non sit in altero coniugum incontinentiæ periculum, tantaque sit eorum inopia, quæ spem illis omnem præcidat, eam industria sua ac labore, posse imminui.

Secus ego sentiendum existimo, primo, quia est hæc coniugum intentio, opposita coniugio, eiusque fini: quæro enim, quorsum, & cuius rei gratia videatur institutum in Dei Ecclesia? Opinor suscipiendæ prolis causa, in qua se parentes, stirpemque suam cum consequentibus sæculis propagent: vim ergo infert coniugio, quisquis eo vti renuit, ne sibi nascantur liberi.

Secundo, cum mariti salus, vxori æque ac sua, chara esse debeat, nunquam tuta conscientia virum à congressu reiicere potest, quando ingens, & maxime probabile periculum ei incontinentiæ imminet, hoc est pudicitiæ, Christianæque salutis amittendæ, at contendo tale periculum in viro qui eodem thoro cum vxore vtitur, eamque sæpe de reddendo sibi debito, signis ac oratione subigit, esse perpetuum: ergo exigenti non negandum.

Tertio non est tribuenda vxori venia, quando non vult rem habere cum coniuge, laborante quidem lepra, sed non periculosa, at minus hæc sibi, corporique metuere suo debet ab inopia, quam à lepra, liberisque, si sapiunt, est optabilius pauperes nasci, ac à caducis fortunæ membris inopes, quam ægros, ac parte aliqua sui mancos: non est ergo fœminæ integrum, negationi debiti, suam ac mariti obtendere inopiam.

Quæritur 7. *An leproso carnalis concubitus sit ab uxore debitus.*

Quando est lepra, de earum genere, quæ leoninæ dicuntur, quod non tantum ea infectis noceat, sed & aliis, quibuscum leproso congredi accidit, necessitate soluẽdi cõiugalis debiti exsoluitur mulier, hoc apertis verbis ponitur à Palud. in 4. sentent. dist. 32. qu. 1. art. 2. conclus. 1. & à Durando in eand. distinct. qu. 1. num. 8. Pat. Henriq. lib. 11. cap. 5. num. 7. Coninch. disp. 34. dub. 3. scribunt enim hi omnes, mulierem, cum à viri congressu, suæ ipsius vitæ, aut valetudini periculum conflatur, posse ac debere eum à se abigere, quod hoc argumento confirmatur.

Salutem ſuam in certum vocare diſcrimen vltro ac ſine cauſa, non eſt imprudentiæ modo, ſed nequitiæ ac improbitatis non ferendæ, eſt enim hæc à natura lex impreſſa ſingulis, vt quacunque poſſunt ope, ſe ſuaque ab interitu vindicent, cum enim non ſint corporis ſui domini, ſed Deus, illud eius ſubtrahere poteſtati, aut manifeſto obiicere diſcrimini ſine neceſſitate, ſpecies quædam eſt homicidij, ſed ex concubitu cum leproſo, qualem notauimus, mulier valetudinis ſuæ periculum ſubit: ergo eius eaitandi iuſtam tum cauſam habet, *Vir*, inquit Diu. Thom. in 4. diſt. 32. art. 2. *tenetur vxoris reddere debitum in iis, quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalua tamen prius perſonæ incolumitate, vnde ſi vltra exigat, non eſt petitio debiti, ſed iniuſta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei ſatisfacere*, & in eod. art. *Non tenetur mulier reddere ſi habet infirmitatem.* A

Nonnulli tẽpora bina excipiunt, primum in quo petenti, periculum incontinentiæ immineret, alterum quo lepra contagioſa non eſſet, ſed neutrum aſſertioni poſitæ officit, nã etſi ſit laudabile, alienæ ſaluti, cum incommodo aliquo corporis, aut bonorum damno conſulere, nunquam tamen eſt neceſſe pro ſalute proximi, vitam exponere, niſi cum eſt in extrema neceſſitate, quali nulla, ob carnis aculeos ac tentationes, laborare quemquam poſſe in Dei Eccleſia, mihi non eſt probabile, cum reprimi ieiunijs, coerceri precibus, frangi poſſint ac perimi laboribus.

Quod de morbi qualitate, ac modo additur, ſic cenſeo, cũ non eſt hic eiuſmodi, vt ad alios cõmunione mali tranſeat, eoſque inficiat, ac perdat, à ſana coniuge, leproſum admitti ad copulam debere, hunc que ſenſum eſſe, decretal. ſecundæ de coniug. leproſorum, in qua ſic Alex. III. præcipit: *Quod ſi virum, ſine vxorem leproſam fieri contigerit, & infirmus à ſano, carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur, eſt ſoluendum, cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio inuenitur.* B

Quæritur 8. *An coniux teneatur marito, modo illicito repetenti debitum, parere.*

Negat Bonacina de matrim. quæſt. 4. punc. 3. Affirmant Sanchez 9. de matrimon. diſput. 16. num. 8. Baſil. Pontius de matrimon. lib. 10. cap. 11. num. 4. C

Ratio eſt, quod ex parte mulieris talis actus non ſit malus, niſi quia cooperatur marito peccanti, at non cooperatur, quia ad hoc eſſet neceſſe.

Primo, vt actio mariti mala eſſet.

Secundo, vt hæc eam impedire deberet, ſub culpa, at nec illa de ſe eſt mala, cum copula inter coniugatos ſit licita, nec debet fœmina modum ponere voluntati mariti, aut eius affectui, cum eſt inordinatus. Infert ex hoc principio Diana de Sacram. tract. 4. reſol. 296.

Primo, non peccare fœminam, obſequentem marito, in petitione debiti modo inuerſo. D

Secundo, eſſe illam ſimiliter extra culpam, cum eidem obligato voto caſtitatis ſimplici, reddit debitum, aut inceſtuoſo, quia actus quem exercet ſuppoſita mala mariti voluntate, malus non eſt.

QVÆSTIO III.

Quem finem in reddendo debito, habere coniuges oporteat, & quomodo eius ſolutio, ſit ex modo, illicita, ac mala.

AGunt hac de re Summiſtæ verbo debitum Caietan. verbo matrimonij vſus Nauar. cap. 16. manua. num. 23. Scholaſtici in 4. diſt. 31. & 32. Sanch. lib. 9. de matr.

Quæſtionis ſolutio pendet ex intelligentia earum circunſtantiarum, quæ coniugum amores honeſtos reddunt & licitos, ſunt hæ vero ſequentibus metris incluſæ. E

Sit modus & finis, ſine damno, ſolus adhære,
Sit locus, & tempus, tactus ſine crimine, voto.

Matrimonij vero vſus, quemadmodum & eius finis, eſſe poteſt multiplex.

Primus, eſt prolis generatio.

Secundus, redditio debiti.

Tertius, impedienda in ſe, aut coniuge, futura aliter fornicatio.

Quartus depulſio morbi, aut incommodi cuiuſlibet, quod timetur in ſe, aut alio coniuge.

Quintus voluptatis expletio, vt ſi coniuge, perinde ac meretrice, vel alia qualibet fœmina, vteretur maritus in hoc opere, de quibus modis, eorumque honeſtate, aut vitio, dici quid oporteat, ſequentibus concluſionibus explicabitur, ſi tamen ad eas, viam quibuſdam notitijs præmunierimus.

Prima notitia. Actus maritalis per ſe eſt turpis, D. Thom. in 4. diſt. 31. q. 1. art. 1. ad 1. aut indifferens, id eſt, tam vitii quam honeſtatis particeps, Paludani, ac Durandi opinione: Eſt malus, quia indecens, malus quia libidinem proritat, hominemque ad venerem inflammat: indifferens, quia ex fine, cuius cauſa ſuſcipitur, malitiam inducre poteſt, aut bonitatem.

Secunda notitia. Bona matrimonii ſunt tria, vt dictum eſt ſuperius, fidei, prolis & Sacramenti, quæ cuiuſmodi ſint, & in quibus ſingula rebus, ſint conſtituta, ibidem eſt oſtenſum.

Notitia tertia. Maritalis concubitus, prauitatem ſuam non exuit, niſi eum bona matrimonij cohoneſtent, D. Thom. in 4. diſt. 31. q. 2. art. 2. quam ſententiam auctoritate tam ſua, quam rationum pondere confirmant Albert. in cand. diſt. art. 4. Richard. q. 1. num. 5. item & Palud. in cond. q. 1. art. 5. concl. 4. negant enim, coniunctionem maris, & fœminæ, à vitio recedere, niſi honeſtis ſit munita circunſtantijs, quas etiam in tribus coniugij bonis ſitas aiunt.

Notitia quarta, vt coniux licite vacet connubiali operi, ex quorundam ſententia eſt neceſſe, vt intendat primario generationem prolis educandæ ad Dei gloriam, aut euitare peccatum conſortis, quod in periculo incontinentiæ, eſſe aduertit, ita Magiſter in 4. diſt. 31.

Placuit alijs, peccari mortaliter à coniugibus, cum voluptatis cauſa, debitum reddi, ſibi volunt. Mentem meam expon am ſequentibus aſſertionibus.

Prima aſſertio, *Reddere debitum propagandæ ſobolis cauſa, eamque in opere coniugali, ſibi tanquam finem proponere, non eſt malum.* Probatur re in eum finem vti, cuius gratia inſtituta primo eſt à Deo, vacat crimine, a matrimonio initium eſt à pro-

Digitized by Google

creatione ſobolis, vti fine ſuo primario, ergo. Minor probatur finis coniugij eſt generis humani multiplicatio, iuxta illud Geneſ. ſecundo capite *creſcite & multiplicamini*, at multiplicatur ſuſceptione ſobolis: finis ergo matrimonij, eſt ſuſceptio prolis. Maior primi argumenti eſt certa, nam à Deo quidpiam quod eſſet illaudabile, turpeque factu, inſtitutum ac iuſſum eſſe, quis ſanæ mentis putet? vti ergo re in eum finem cuius gratia à Deo inſtituta eſt, non eſt culpa ſed laudanda actio, vitæque æternæ meritoria.

Bona eſt, ac prædicabilis, nam quid glorioſius propagatione humani generis, quid eius ſalute optatius? vtrumque fit coniugio, quo & proles ſuſcipitur, & humana natio conſeruatur, id ergo ſpectare, ac quærere in concubitu, vtrique coniugi eſt in laude.

Confert etiam ad præmia æternæ vitæ, nam cui eſt incognitum, inſtorum operibus, ſi modo ſint ex præſcripto rationis, prudentiæque facta, vitam æternam, vti mercedem ijs conſentaneam, eſſe ex iuſtitia debitam? nec clam eſſe quoquam poteſt, reperiri in hominum cœtu, tam bene inſtitutos moratoſque coniuges, vt qui actus humanus eſt, propeque turpis, ſupra naturæ limites, eorum voluntate, ac intentione euadat, vnus ſit omnium inſtar teſtis Tobias, *Domine tu ſcis* (inquit) *quia non luxuriæ cauſa accepi ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum, in ſæcula ſæculorum.*

Tres ſunt autem præ cæteris perilluſtres, ac in primis prædicandæ virtutes, à quibus ſupernaturalis hic actus elicitur. Religio, Caritas, Iuſtitia, à prima, motos eſſe Patriarchas, vt liberis darent operam, ſcripſit Auguſt. lib. 6. de ciuitate cap. 36. & lib. de bono coniugali cap. 19. ex quo factum ait, vt quanquam ſit matrimonio continentia potior, hæc tamen in Chriſtianis pleriſque, dignitate ſit Patriarcharum connubio inferior. *Propter bonum* (inquit) *quod ex tali ſperabatur coniugio*. Quod autem hoc tempore ſibi mutuo obſecundent coniuges, ſuique viciſſim copiam faciant vt caſtitatem retineant, quæ eſt negatione debiti in periculo, caritatis eſt opus, iuſtitiæ autem, cum exigenti quod eſt eius, eique propriè debitum, corpus ad concubitum accomodant.

Secunda aſſertio, *non eſt tamen neceſſe ſub mortali, coniuges propagationem humanæ gentis intendere in coitu.*

Primo, quia finis præcepti, nunquam ſub præceptum cadit.

Secundo, nolle liberos ex bono fine, vt quia ad eos alendos deſunt opes, culpa non eſt, ex Nauar. Enchir. cap. 16. n. 32. Sanch. 9. de matrim. diſp. 8. n. 10.

Tertia aſſertio, *Conſentire poſtulanti, vt ſibi debitum perſolvatur, res eſt bona vitioque expers.*

Ratio eſt, quod reddere alteri, id quod eſt eius, iuſtitiæ ſit actus, ſed quod eſt alteri debitum, eius eſt, cui eſt debitum; ergo poſtulanti coniugi ſatisfacere honeſtum eſt, bonumque. Quid ſi voluptatis ſolius cauſa petatur aut vt ipſe peccandi pericula vitet?

Aſſertio quarta, *Vti coniugio delectationis duntaxat cauſa, venialis eſt culpa* in Auguſt. ſententia lib. 1. de nuptijs & concupic. cap. 6. in Enchir. cap. 98. & lib. de bono coniugali cap. 6. vbi quid de quæſtione præſenti ſentiat exponit his verbis *coniugalis concubitus, generandi cauſa, non habet culpam, concupiſcentiæ vero ſeruandæ, ſed tamen cum coniuge, propter thori fidem, venialem habet culpam* Equidem cum habeant carnis illecebræ, cum coitus, ipſe mali ſpeciem, ſintque hæc, brutorum magis quam hominum opera, indigna ſunt, quæ abijs appetantur propter ſe, & per ſe, eſt in hac ergo voluntate, ac appetitione, quædam inordinatio quæ cum deformitatem non habeat, cum recta ratione notabilem, culpæ venialis terminos non excedit.

Obijcies re in alium abuti finem, quam cuius eſt gratia, mortalis eſt culpa, ſed matrimonium eſt à Deo ſobolis cauſa inſtitutum, & non voluptatis, ergo. Reſpondend. non finis cuiuslibet peruerſionem, lethalem eſſe, ſed vltimi tantum, alioqui omnia peccata eſſent mortalia, & ita in præſenti materia, qui diuinæ amicitiæ voluptatem antefert, peccat mortaliter.

Obijcies 2. vt eſt matrimonium appetendum homini, ita eſt actus eius laudabilis, ac honeſtus, ergo & delectatio eum conſequens. Conſeq. probat. delectatio neque de ſe eſt bona, nec mala, ſed actus ex quo oritur, naturam ſequitur.

Reſpondeo matrimonium tribus ſuis bonis honeſtari, prole, fide & Sacramento, actum autem, bonitatem ab intentione prolis, aut reddendi debiti trahere, ſecundum D. Thom. q. 49. addition. art. 5. quare ſi honeſto fine nullo valletur, vt hic malus erit, ita & delectatio, quæ ei eſt coniuncta.

Quid ſi ergo vir coniugis amplexus poſtulans, ſolam in his voluptatem ſenſuum ambiat? quid ſi libidinem implere, quid ſi ſoli naturæ ſatisfacere, per copulam carnalem cum fœmina appetat? ſitque hæc proinde vitioſa ac culpabilis, ſaltem venialiter, eritne fœminæ tuta conſcientia liberùm, parere marito, paranti cum ea congredi.

Reſpondend. poſtulanti acquieſcere coniugi, eique debitum reddere, turpe eſſe, cum actus externus in ſe, hic & nunc petenti eſt vitioſus, ratione alicuius circunſtantiæ extrinſecæ, vt ſi ſine cauſa petat in loco ſacro, aut cum detrimento prolis jam conceptæ, quia vt eſt eo tempore copula digna vituperio, nec probanda vlli, ob periculum, ita nec ab ambobus exercenda.

Reſpondend. 2. cum copula mala eſt, ratione alicuius circunſtantiæ, quæ non afficit actum externum ſecundum ſe, ſed ſolam perſonam exigentis, nempe quia vouit continentiam, aut eum exercet ex malo fine, malum non eſt, copulam velle, quia hæc alteri de coniugibus, qui eſt innocens, ſecundum ſe eſt permiſſa, nec ei proinde danda vitio.

Obijcies 3. peccat non tantum qui facit, ſed & qui conſenſum peccanti tribuit, ex hypotheſi peccat, qui voluptatem in eo opere ſolam quærit, & nihil aliud.

Sententiæ huius propugnator, ac author, his verbis loquitur Auguſt. in lib. de bono coniugali cap. 6. *Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam concupiſcentiæ verò ſeruandæ, ſed tamen cum coniuge propter fidem thori venialem habet culpam*, Quam ſententiam teſtatus eſt his verbis Bonau. in 4. diſt. 31. art. 2. q. 3. *ſi in ea vult delectari quia vxor, & nullo modo cognoſceret ſi vxor non eſſet, tunc non eſt omnimoda inordinatio, & tunc eſt peccatum veniale*: non eſt ergo à ſimili culpa liber, qui voluptatem concubitus appetenti, acquieſcit.

Maior eſt vera, quando petentis, & conſentientis, vnum eſt idemque motiuum, quod in præſenti non accidit, cum parenti aliens imperijs, ſit pro fine propoſitum obſequi, quod eſt obedientiæ, aut

alienum reddere, quod ad iustitiam pertinet.

Patet maior, in eo, qui prodigo pecunias reddit, quas apud se habebat depositas, has enim etsi hic repetat malo fine, reddit tamen licitè, vt officium faciat.

Obijcies 4. peccat qui gladium furioso postulanti restituit, quo se aut alios interimet, quia exhibitione rei, quæ est futura noxia petenti, aut alijs, cooperatur eorum neci, damnisque, quæ inde accident, at eadem est ratio reddentis debitum, ac repetentis, quando voluntatem habet captandæ ex eo præposteræ voluptatis.

Maior est falsa, eo maxime tempore, quo rei negatio, plura secum veheret incommoda, quam eiusdem redhibitio, vero suo ac legitimo domino: Secũdo, Minor propositio est falsa, diuersitatis hæc est causa, quod hic tantum bona agantur spiritalia, in casu autem qui ponitur in Maiori, temporale proximi incommodum, quod quilibet impedire potest, & debet, cum id in eius est potestate positum, nam spiritalia, inferentis solius sunt propria, quia cum hæc eius sint arbitrio, voluntatique obnoxia, nemini præterquam sibi, ea perdendo facit iniuriam, secus in temporalibus vt patet.

Obijcies cooperari alieno peccato malum est: at debitum reddens petenti ex motiuo solius voluptatis, cooperatur culpæ petentis.

Neganda est minor primo, quia ad cooperandum culpæ alienæ necesse est vt cooperans eam impedire possit ac debeat quod hic locum non habet, cum non reddendo magna, timeri debeant incommoda, qualia sunt petentis odium futuræ in eo incontinentiæ periculum, dissidia, rixæ, malæ tractationis metus, cum quibus incommodis peccatum impedire alienum nemo tenetur, quid? quod debitum reddens cooperetur quidem actioni externæ postulantis, non tamen vt est mala, quod eidem non sit causa cur debitum exigat, quod ei cooperetur vt res est sibi licita, vt naturæ Deique iure permissa.

Quarta assertio, *Copula maritalis virum inter & fœminam, vitandæ fornicationis causa in alterutro, aut duobus, non est illicita.* Probatur inter cæteros fines matrimonij, hic quoque recensetur, mederi concupiscentiæ, ergo actus coniugum, eo relatus non est damnandus.

Confirmatur, quod est diuina lege permissum, in eo vitium esse nullum potest, at congressus viri cum fœmina vitandæ fornicationis gratia, diuina est lege licitus 1. enim ad Cor. 5. hortatur Paulus Corinthios vt vtantur matrimonio, ne in peccatum ruant, *reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas, propter incontinentiam vestram, hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*, quod sane nunquam fecisset Paulus si vti matrimonio, ad vitandum periculum fornicationis, venialis fuisset culpa, cum minus malum, maioris vitandi causa fieri non debeat quando vtrumque vitari potest. Maior probatur, nullum est peccatum, nisi quod est alicui legi prohibenti contrarium, at permittere non est vetare, ergo qui actus lege diuina est licitus, nequit esse vitiosus.

Hanc sententiam defendunt Caietan. in summa verbo matrimonium cap. vltimo. Nauar. cap. 16. num 52. Anglez in floribus prima parte de matrimonio q. 5. de bonis matrimonij, difficultate 4. contra Sanch. lib. 9. disp. 10. nu. 4. & alios quos citat, quorum fuit hæc opinio, accessum ad mulierem, vitandæ in se fornicationis causa tantum: malũ esse, quia cum alia ad hanc rem media suppetãt, adhiberi id nõ potest, quo & ratio in adhibente, & finis ipse rei primarius peruertitur, at hic colitur, & occurri potest, incontinentiæ, ac vinci, & discuti fornicationis imminentis mala, à quolibet ieiuniorum vsu vtili possunt: sunt hæc ergo præferenda Veneri, qua vir imminutione consilij, belluæ quam homini, fit propior.

Sed nostra sententia absolute est vera, quod enim est alterius causa permissum, multo magis sua ipsius est licitum, eadem enim qua cæteris charitate, ipse sibi quisque, prudenter ac honestè, consulere potest, sed ne maritus peccet quidpiam contra continentiam, ei fœmina corporis sui vsum commodare potest, ergo & ob causam similem, mariti copiam ac coitum postulare.

Confirmatur vti re in eum finem, cuius causa est à Deo instituta, inordinationem non habet, sed est coniugium à Deo institutum vt esset concupiscentiæ remedium, id ergo spectare, ac quærere in vsu matrimonij, vacat scelere.

Argumenti oppositi neganda est minor, vt enim in memoriam coniugis vere tum non redeat propagatio sobolis, quæ matrimonij finis est præcipuus, virtute tamen & implicite, eam animo obiectam habet, cum eo viri, mulierisque coniunctio, vt ad finem suum tacitè referatur, ac tendat, deinde negari debet, legem vllam esse, quæ nos in vsu matrimonij obliget, ad præcipuum eius finem intendendum.

Quinta assertio, *Vt delectationis solius causa, malum est, misceri coniuges, ita conseruandæ, ac tuendæ valetudinis gratia, concedi id ex is potest.*

Prima pars est D. Augustini de bono coniugij cap. 6. & probatur vti re aliqua, gratia finis alterius quam cuius causa est instituta, malum est, & illicitum, cum in tali vsu rei, aliqualis sit deordinatio, rectæ rationi opposita, at matrimonij finis alius est quam delectatio, ergo coire coniuges inter se voluptatis duntaxat causa, culpa est.

Non est tamen mortalis. Primo, quia quæ ex matrimonio voluptas percipitur, mala absolutè non est, cum ea vitio coniugibus non vertat.

Quid? quod cum implexa sit operi, ab eoque non separanda facile, si mortalis esset, sæpe violatæ diuinæ legis coniuges rei essent, nulla sua culpa, nam mutuo parere sibi debent, in quo laudem merentur & gloriam, cum exhibitio debiti, iustitiæ sit actio, & tamen paucorum est, ob coniunctionem necessariam, voluptatis cum coniugali opere, eam peruincere, ergo aut non est mortalis, aut si est, à coniugali opere est abstinendum coniugibus, quod nemo asseret.

Secunda pars assertionis fuit, reparandæ aut tuendæ valetudinis causa, esse vsum matrimonij licitum, quod etsi negent Sylu. verbo debitum q. 11. v. 3. Angelus eodem nu. 24. Tabiena verbo matrimonij 3. q. 5. probatur tamen.

Si cum sanitate corporis, in concubitu viri cum muliere, stare potest intentio primarij finis matrimonij, non erit mortale illum ad eam referre, at vera est maior, vt indicat hæc ratio. Non habet coniugii relatio ad finem alium quam propagandæ sobolis, eius vt vsus sit malus, nisi quia primarius eius finis, subrogatione alterius ab eo diuersi, euertitur, quod tamen est malum facere, ergo si cum voluntate seruandæ valetudinis, stare voluntas potest, finis primarij matrimonij, ab illa eius vsus non est vitiosus, fieri id vero posse nemo ambigit, quandoquidem cura seruandi sui, aut abigendi morbi, per concubitum coniugalem, non sit libe-

Digitized by Google

ris, eorumque ſuſceptioni oppoſita.

Sane in opere coniugali ſobolem ſibi vir poteſt quærere, quod quia ad valetudinem creditur vtile, quid impedit eo illud referri à viro, tanquam ad finem minus præcipuum, eſt enim in laude curare valetudinem, habere rationem ſui, corpus non negligere, ergo cum quæ ſunt bona, quæ honeſta, ad alia eiuſdem generis, hoc eſt bona, ſimiliter referri queant, nemo opinor negatum ibit, vſum matrimonii qui cum eſt moderatus, cum rectus, cum ad temperantiæ reſtrictus limites, bonus eſt, ac virtutis actus, redintegrandæ valetudini, aut ſeruandæ, tanquam medium ad finem, aſſumi poſſe.

Obiicies qui in Baptiſmo ſalutem quærit corporis, eiuſque cauſa, illum ſuſcipit, peccat, ergo & qui ad coniugem accedit, ob finem ſimilem.

Neganda eſt conſequentia, ob cauſam vtriuſque diſparem, Baptiſmus enim ſacramentum eſt, non actus coniugalis, ſecundo habet hic finem, qui naturam non ſuperat, ille ſupernaturalem, nempe regenerationem animæ, ac peccatorum remiſſionem per gratiam, quam referre ad corporis valetudinem, non decet.

Tertio naturalis ablutio, à Sacramenti (ſecluſo miraculo) efficacitate non diſtinguitur, in ordine ad ſanitatem; Quanquam Antecedens negari poteſt, nam qui ſacris tingi lymphis vellet ad valetudinem, non excluſo Baptiſmi fine primario, hunc ſane peccati non arguerem, ſic enim Conſtantinum à lepra curatum, narrat Nicephor. lib. 7. hiſtoriæ cap. 35.

Aſſertio ſexta, *Concubitus ne ſit vitioſus, modo fieri debet legitimo, ac honeſto.* Eſt ex ſententia Auguſtini, quem ſequuntur præcipui in Theologia Magiſtri, hacque vtuntur ratione.

Bonum ex integra cauſa, malum autem ex quocunque defectu, ſed peccare in concumbendi modo, defectus eſt, cum ab eo ratio, naturaque abhorreant, ergo ne ſit coitus viri, cum fœmina, vitioſus ac turpis, fieri modo debet, quem bene informata ratio, naturaque præſtituunt.

In eo vero eſt hic modus, vt ſanctè & moderatè, vt ad ſemen recipiendum aptè, vno verbo, vt quomodo decet homines, fide ac religione erga deum præditos, congrediantur inuicem coniuges.

In eum ergo hi peccant, ſi ſic ſe ſibi copulant, vt proli, aut ſuæ valetudini noceant, ſi ſe polluendi, aut ſeminis extra vas effundendi periculo obiiciãt, ſic enim finem connubii, ſic congreſſus inter ſe mutui, qui eſt prolis generatio impediunt, quo quid eſt in hominum moribus fœdius?

Præterea habet actus matrimonii, vt ſit illicitus ex modo quo exercetur, quando non ſeruatur vas debitum, quia eius mutatio, quædam eſt naturæ, veluti peruerſio, cum hæc contraria ſuadeat: ergo habenda eſt pro vitioſa, turpi ac probroſa; quam nihil à mortali excuſat præter ignorantiam.

Primo quia ſumme eſt rationi oppoſita, ac diformis, ac proinde indigna homine.

Secundo quia nunquam eſt à periculo ſeiuncta pollutionis, abortus, aut inualetudinis.

Habet etiam ex modo coniugalis actio vitium, quando non ſeruatur in ea facienda, ſitus corporum, à natura ad generationem requiſitus, quia ſic ordo ab ea poſitus læditur, cuius peruerſio, eſt Theologorum omnium opinione in vitio, etſi non niſi veniali, ex ſententia quorundam probabili apud Sanchem. Excipiendus eſt ab aſſertione caſus periculi, effundendi ſeminis extra vas: aut impediendæ prolis, quod periculum cum abeſt, quomodolibet congredi, modo ne belluarum more, non eſt mortale ex Caietano verbo vſus matrimonii. Nauarr. nu. 25. Fumo verbo debitum nu. 5. & verbo matrimonium nu. 69.

Eſt etiam debiti ſolutio illicita, malaque, ob cognationem ſpiritualem à matrimonio facto contractam, cum viro ſuo, nam vbi ius non eſt exigendi, nec eſt reddendi vlla obligatio, ſed qui filium ſuum baptizauit, aut tenuit, iure caret petendi debiti, nam ratione ſpiritualis regenerationis, ad quam cooperatur, cognationem ſpiritualem contrahit, per quam ius amittit connubialis debiti, Alexand. III. auctoritate in decret. 2. ſi vir de cognatione ſpirituali & Ioannis Papæ 8. in can. ad limina 7. cauſa 30. q. 1. niſi ad id eum neceſſitas, aut probabilis ignorantia Iuris, ac facti incitaſſet. *Nam baptiſandi opus Laicis fidelibus, iuxta canonicam auctoritatem, ſi neceſſe fuerit facere, liberè conceditur, vnde ſi genitor filium ſuum corpore morientem aſpiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, ſacri vnda Baptiſmatis lauet, vt eum de poteſtate authoris mortis eriperet, bene feciſſe laudatur, & ad circa ſuæ vxori, ſibi iam legitimè ſociatæ, impunè, quandiu vixerit, iudicamus manere coniunctum.* Ioan. 8. in epiſt. ad Anſelmum Lemouicens. Epiſcop. Extra hæc duo tempora neceſſitatis, & ignorantiæ, qui ſuſceptor eſt, aut ſuſceptrix filii ſui in Baptiſmi Sacramento, aut confirmationis, ius debiti exigendi perdit, legi tamen reddendi ſubeſt, ex doctorum ſententia probabili, quibus etiam placet, eum quo ad prædicti debiti exactionem, ab Epiſcopo diſpenſari poſſe, niſi forte hæc pœna ſpecialiter inflicta eſſet à Romano Pontifice, violatori legis canonicæ, qua pater ac mater, remouentur à ſuſceptione filiorum ſuorum, quia contra leges Pontificis maximi, Epiſcopis tentare nihil licet; patet ex dictis.

QVÆSTIO IV.

Quomodo ratione damni, quod in vſu matrimonij includitur, mortaliter peccare quis poſſit.

ACcidit id primo, cum ex actu coniugali, probabile, propeque certum periculum abigendi fœtus inminet 32. q. 4. can. virgo & eſt irregularis, quiſquis vitio ſuo, culpaque eius eſt cauſa, tanquam verus homicida, quod de fœtu animato intelligi debet, non alio.

Secundo, quando ex concubitu, coniugum valetudini timetur, quia velle ſibi malum, vitium eſt charitati oppoſitum, ac ſemper in ſciente, odii ſui ipſius peccatum: Equidem, ſi agrotanti mulieri certum eſſet ex potu, aut certi cibi vſu, imminere ſibi interitum, ſceleratè faceret, ſi eum ad menſam adhiberet, ergo & coniux cum in vitæ, morbique periculum, ſe per concubitum coniicit, quare ſi alterutri mors immineret, aut eius periculum, parere imperanti ſolutionem debiti, neceſſarium non eſſet, dicitidem debet, cum metus eſt imminuendæ valetudinis tali opere: Sylu. verbo debitum nu. 5. nam naturæ iure, ſibi omnes conſulere præ aliis eſt neceſſe, at ſenſum hunc naturæ ſequitur, qui ne quid ei contingat grauius, aut ante tempus viuere deſinat parere ceſſat &c.

Secundo, nulla eſt ſoluendi debiti obligatio, niſi

quando ei satisfieri potest, sine obsequentis incommodo, hac enim conditione, etsi non expressa, sed tacita, ineuntur à viro & fœmina matrimonii fœdera. Speciem quidem humanam, natura factam vult esse, ac rectam, sed ea duntaxat lege, ne male sit indiuiduo, quæ causa est, cur prius de nutrimentis illi alendo necessariis sit sollicita, quam de propagatione sobolis, & vt ad eam rem, suppeditet, vnde semen efficiat: qua de re, luculentum est ac nobile Richardi, testimonium, quo breuitatis tamē causa, supersedendū hic puto.

Obiicies at enim vult Alexand. Papa III. in cap. quoniam de leprosorum coniugio, mulierem in vsu coniugii, viro leproso obsequi, assertio ergo est falsa.

Respondend. Alexandri decretum de lepra non contagiosa, intelligendum videri, qua licet vir laboret, soluendum ei tamen est debitum, etsi ex eius congressione cum fœmina, plena illa periculi, damnum proli immineat quia ex D. Thoma melius est illi nasci, infectæ hoc vitio, quam non nasci, pro certo tamen habeo non teneri tùm coniugem, cohabitare viro, nec eodē cum illo vti thalamo, quod ad corpora magis hæc pertingat labes, ex conuictu perpetuo, quam coniugali congressu, ac vsu.

Tertius casus, in quo ratione futuri damni, illicita videtur copula, est cum metuendi iusta est causa, ne ex ea proles nascitura, graue aliquod incommodum subeat. Quid si non corpori, non membris, noxæ futurus est coniugum concubitus, sed animæ sed menti? exempli causa, maritus saturandæ libidinis, non autem liberorum, vllo modo appetens, vxorem dum cognoscit suam, nefaria se corpusque libidine maculat, nam quo tempore generationi dare debet initia, effusione seminis, in quo fœtus est vt in germine, fœde seiunctus à coniuge illud aliò, quam in eius vterum fluere sinit ac labi, ea non inscia, de hac ergo muliere quæritur an hæc concubitum viro sic petenti reddere debeat.

Qui pro muliere faciunt, illud tanquam firmissimum ad argumentandum sumunt, quod ad eam non spectet, salutis alienæ procuratio, mariti maximè, à quo eam regi, doceri, institui conuenit, non illi viciſſim, viro suo componendi ad arbitrium suum animi, vitæque leges dare.

Quid? quod scelus quod in illo timetur, fraudi vxori esse non debeat nisi sit illius causa? quod dici hic non debet, cum homo, intemperantia, luxuque perditus, procreandorum liberorum fastidiosus, de sacrilega sua libidine, ad mulierem nunquam retulerit, nedum hanc illi ista suaserit, aut ad eam illum (quod improbitatis esset in fœmina pluſquam humanæ) impulerit.

Verum enim, opposita sententia sola vera est, & sequenda, ratione ac authoritate clarorum hominum, longe quam prior corroboratior. Diu. August. in lib. de nuptiis & concupiscentia ad Valerium Comitem cap. 15. Magist. in 4. dist. 31. Diu. Thom. in eandem dist. qu. 1. art. 3. qui omnes loqui si possent, vt olim, sic pro veritate modo ita dicerent. Quod materiam alteri noxæ præbere, criminosum sit ac turpe, facit id mulier, cum se viro substernit, nexum postulanti corporum, ad sceleratam explendam libidinem, ac maritalem thorum sacrilega ac infami seminis effusione maculandum, nam si eum à sinu suo repelleret, si à complexu, non peccaret, materiam ergo ei peccati suppeditat, ergo non sine scelere.

Secundo culpam æterna morte dignam contrahit, qui matrimonium aliò refert, quam cuius causa A est à Deo institutum, aut in eius vsu, culpæ se periculo obiicit, facit vtrumque mulier, quæ corporis sui copiam, connubialis fœderis corruptori, sciens accommodat.

Age enim, quorsum mulieri in coniugio cum viro conuenit? quorsum in alienam familiam, paterna relicta domo, amicisque transit? Nempe vt sit mater, nempe vt in prole, se gentemque suam, ab interitu vendicet, hanc enim intentam quidpiam essentialissimum esse in matrimonio scribit Diu. Thom. in 4. dist. 31. qu. 1. art. 4.

Et Richard. dist. 32. art. 4. qu. 1. affirmat concubitum coniugalem ordinari principalius ad prolem procreandam, quam ad remedium. *A dictamine enim naturæ est, vt vir cubet cum muliere, ad* B *conseruationem ipsius naturæ, & sic est bonum prolis.* Bonau. in 4. dist. 31. art. 1. qu. 2. At finem hunc mulier labefacit, cum vsum coniugij, ac sui, finit dedecore à viro affici, ac in nihilum, seminis effusione extra vas redigi.

Nec abest à peccati discrimine, quam enim est improbabile, eam cum comprimitur, vitique accessum patitur, voluptatis sensum habere nullum? quam ab omni alienum veri specie, illecebrosæ libidinis motu vllo, corpus eius cum pollutionis periculo, non cieri ac tangi? in quam, à marito diuulsa ne cadat, cum omni qua potest diligentia, curaque contendere debeat, vt (ipse non dicam) vel C mediocriter eruditi intelligunt, ei eiusmodi motuum, causam exitiabilem, vitandam esse.

QVÆSTIO V.

Sintne alia præter supradicta, à quibus matrimonij vsus, reddatur illicitus.

OMnino, locus in primis, isque sacer, ac religiosus, quem certum est pollui, cum seminis effusionem adiunctam habet, quæ actio, quamuis D inter coniuges nonnunquam sit tolerabilis, eo tamen facta loco, nisi excusetur necessitate, lethalis est ac sacrilega, vtpote reuerentiæ Deo debitæ, ac templorum sanctitati contraria.

Excipiendus est casus necessitatis, nempe cum petendi, reddendique debiti eo loco, causa iis iusta, eaque ex bono petita animæ, suppetit, vt si vitari incontinentia, si carnis ac libidinis bella continua superari aliter, quam coitu nequeant. Sylu. verbo consecratio 2. §. 5. & verbo debitum qu. 3. Magist. in 4. dist. 32. qu. 1. Rosel. verbo debitum nu. 7. & verbo consecratio num. 9. Angelus verbo debitum Castro 1, de lege pœnali cap. 7. quam enim non est probabile voluisse Pontifices, homines ea probitate, ac doctrina, decreto suo de Ecclesiæ immunitate seruanda, in apertum peccati E periculum, fideles vocare? vt haud dubiè facerent, si ex quacunque causa, sua illis matrimonia, eorūque vsum prohibitum esse in sacro loco vellent, debent tamen coniuges, quos casus, quos bella, quos obsidio, templorum mœnibus ad securitatem inclusos tenet, hominum fugere conspectum cum coeunt, periculosum est enim ad exemplum: eodē vti lecto in oculis omnium, quia eiusdem inter cōiuges thalami vsurpatio, copulæ est inter eosdem habitæ, aut habendæ manifesta præsumptio.

Secundo, habet commixtio coniugum, vitium à tempore quo exercetur, vt menstruis fluentibus, quam tunc venialem esse nonnulli tradunt, an autem

tem ſit ſimiliter criminoſæ à ieiunij, feſtorumque die, ſcriptores ambigunt.

Placet mihi opinio Bonauent. in 4. diſt. 32. art. 3. qu. 2. Soti qu. vnica ad 3. Caietani verbo matrimonium cap. vltimo 5. ſeptimum, peccatum eſt Angeli verbo debitum num. 29. Ægid. diſp. 34. de matrimonio dub. 9. num. 75. etiam illis diebus progignendis liberis vacare ſine ſcelere parentes poſſe, quia cum exactio ſoluuoque debiti, de ſe honeſta ſit & laudabilis, vitioſa eſſe eo tempore non poterit, niſi quia minus decens, aut impeditiua eſt operum, quæ illis ſunt diebus vtrique præſtanda coniugi, at ea non impedit, cum facto intereſſe cõiuges poſſint, Deũ propitiare precibus, Sacramẽta obire, peccata apud Sacerdotem deponere, expiatum confeſſione animum, diuino recreare pane, abſtinere carnibus, ieiunare, peræque ac ſi veneris vſum omnem, ſibi eo die interdixiſſent, à minori autem decentia, habere hæc eorum opera, lethalem maculam vt credam, non inducor facile.

Tertio, eſt coniugum copula parum innocens, proindeque meo ſenſu culpanda, cum ad eam, ambo ſe coniuges oſculis, ac tactibus prouocant non modo fœdis, ſed modo communi agendi cæterorum hominum oppoſitis: Ita Paludan in 4. diſt. 31. qu. 3. art. 1. concl. 6. Sylu. verbo debitum coniugale qu. 7. Rodriguez in ſumma tom. 1. cap. 129. concluſ. 9.

Secus quam nos, & illi, ſentiunt Sanch. de matrim. lib. 9 diſp. 46. num. 43. Salas in pan. 2. to. 2. q. 74. tract. 13. diſp. 6. ſect. 18. Villal. to. 1. tract. 13. difficult. 42.

Eadem eſt Zenard. in director. confeſſar. par. 1. de Sacram. matrim. cap. 41. num. 24. opinio: ibi enim ſic loquitur. *Dico non eſſe peccatum mortale, citra periculum pollutionis, quoſcunque tactus, oſcula, verba impudica, & aſpectus partium verendarum inter coniuges*, ſcripſit eadem Syluius in 22. q. 154. art. 4. concluſ. 61. eadem Filliuc. tom. 2. tract. 30. cap. 10. num. 195. quam id vero coniugibus permittere, ſit tutum, quam Chriſtianum, aliorum eſto iudicium, arridet mihi Palud. opinio, quæ ad hæc enuntiata poteſt redigi.

Primum, in tactibus & oſculis coniugum, culpam eſſe lethalem, cum pollutionis periculum habent extra vas debitum.

Secundum, peccatum etiam eſſe, inter coniuges æterno ſupplicio coercendum, cum tale periculum abeſt quidem, ſed tamen tactus, aſpectus, voces & oſcula delectationem libidinoſam, & impuram creant, in qua coniugum ſeipſos tangentium, intentio ſiſtit, abſque eo, quod progredi velint ad opus, cuius cauſa conſuerunt adhiberi. Eandem ſententiam defendit, Sylu. in verbo debitum coniugale qu. 7. vbi ſcribit his verbis. *Omnis actus venereus, qui non eſt coniugalis coitus, vel ad illum non ordinatur, actu vel habitu, eſt illicitus, & peccatum mortale.* Ad illum enim, ſi tactus & oſcula, tanquam præambula referantur, vel certe ſi ſine intentione, actu, vel habitu contraria, in iis verſentur coniuges, vt cum ſe tangunt, eo loco & tempore, in quo poſſent ſi vellent, exercere actum coniugalem, quem tamen nec volunt nec nolunt, ſed ſunt indifferentes, eiuſmodi oſcula mortalia non ſunt inter coniuges, nec verò multorum opinione vitia.

Primo, quia licet iuuare naturam corporis, vt rationi obediat.

Secundo, cum eſt finis licitus, media quoque ad illum ſunt permiſſa, ſed licet congredi cum ſua coniuge, quam ad rem, iuuant vt irritamenta concupiſcentiæ, tactus & oſcula: ergo &c.

Enuntiatum tertium, in ſuo corpore, aut alieno, neminem facere ſine ſcelere poſſe, vt voluptatis venereæ ſenſum ſuſcitet, in eoque conquieſcat, quia eſt voluptas venerea, à natura fabricata ad concubitum maris & fœminæ, ſobolemque propagandam eius ope, à quo fine auelli poſſe ſine crimine, quis putet?

Contraria quam nos omnia dixere Caietan. in ſumma verbo matrimonium parag. 1. Tabiena in verbo cogitatio moroſa num. 9. Sotus in 4. diſt. 31. art. 4. Villal. ſupra, Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 46. nu. 43. vbi loquitur his verbis. *Non exiſtimo eſſe mortale in coniugatis, per tactus & oſcula, & verba turpia, delectationemque veneream ex copula cogitata conſurgentem, dare cauſam commotioni membrorum, feruentium generationi, & incurrere in delectationes præuiſas, quamuis inter ſolutos id eſſet lethale.*

Quam verè autẽ id dicatur, non intelligo, cum ab huiuſmodi illecebris impuritate, ac carnis titillationibus, pollutionis periculum vix ſerũgi queat, cum quo tamen, oſculis, vel amplexibus, irritare libidinem, lethale eſſe ſcripſere authores omnes, vno Zenardo excepto qui de hac re ſic loquitur: *Tactus & oſcula, coniugati cum coniuge, cum periculo pollutionis, imò cum pollutione, quandoque non ſunt peccata mortalia.*

Primo, *Si pollutio accidat petenti, quia quamuis petens non poſſit petere oſcula, cum periculo pollutionis, poterit tamen pati ea, etiamſi polluatur, quia non das operam rei illicitæ, & hoc eſt præter intentionem eius.*

Secundo, *nec etiam in petente, ſi intenderet copulam, & dum eam intendit, per oſcula excitare, polluitur, propter ſupradictam cauſam.*

Nec tertio, *Si fierent ad excitandum amorem, vel ad eum conſernandum, & tum præter intentionem ſequeretur pollutio.* Ita ille quem ſequuntur Sanch. li. 9. diſp. 45. Filliucius tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. quorum opinio ſi quid habet ponderis, id totum, in eorum authoritatem qui illam inuenerunt, & probauerunt, referendum exiſtimo, ſane quia benigna eſt, & in coniuges indulgens, ſi quis eam ſibi ſequendam credet, non magnopere repugnabo.

Patet hinc, actum coniugalem id eſt concubitum maris & fœminæ, licitum eſſe.

Primo, quia ad illum ordinatur matrimonium, vt ad finem, at rem illicitam, eſſe pro fine matrimonio propoſitam, prudens nemo aſſeret: ergo &c.

Secundo ſi non præcipitur Geneſ. 2. certe commendatur his verbis: *Creſcite & multiplicamini.* Sane eſt copula viri & fœminæ inter ſe, relata ad amorem prolis educandæ, in honorem Dei, actus amoris: iuſtitiæ autem cum ſuſcipitur ad ſolutionem debiti, quò tenentur inuicem, non eſt tamen neceſſe ad fugam culpæ, vt coniuges primario & per ſe, in coitu ſpectent ſuſceptionem prolis educandæ in honorem Dei, cum eum, incontinentiæ in ſe, aut alio vitandæ cauſa, adhibere queant, quia non peccat, qui matrimonio vtitur in eum finem, ob quem eſt inſtitutum, at hic eſt concupiſcentiæ remedium, ex Paulo 1. ad Corinth. 7. vbi eſt his verbis: *Propter fornicationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat.*

Patet ſecundo ex dictis, eſſe veniale peccatum, copulam ob ſolam voluptatem ambire, quid enim

est magis contra rationem, quæ homin', lucis instar esse debet, ad culparum discutiendas nubes, quam vt voluptatem, quæ per se non est appetibilis, ex opere aliquo suo, aucupetur ac captet?

De minoribus impedimentis matrimonij, quæ in eo requiruntur negatiuè, necessitate tantum præcepti.

MInora impedimenta sunt, quæ matrimonium impediunt, sed non dirimunt, illicitum reddunt, sed non inualidum. Hæc autem sunt duo, ex parte contrahentis: sponsalia, & votum simplex, ex parte Ecclesiæ, aut superioris prohibentis, vnicum, nempe interdictum, præter quæ, sunt & alia, quæ sunt & dicuntur culpabilia, & hæc duodenario contenta sunt numero, imprimis est interdictum, secundo tempus feriatum, tertio votum simplex, castitatis votum, ineundæ religionis, aut matrimonij non contrahendi, quarto sponsalia, quinto, cum quis aliquem aut aliquam tenuit in Catechismo, qui Baptismo præmittitur, interroganti, ecquid dæmoni renuntiet, respondendo, eius loco vere ei se nuntium remittere, nec cum eo commune quid habere velle, Concil. Moguntin. can. 10. relatum à Gratiano 3. qu. 1. can. de eo 5. & cum hac persona, matrimonium iniri non potest licitè, initum tamen valet Laym. tract. 10. part. 4. cap. 5.

Sextum locum tenent crimina quædam, ob quæ quasi loco pœnitentiæ, abstinentia à coniugio antiquis canonibus decreta erat, primum est incestus, cum consanguineis coniugis, aut sponsæ adhuc viuentis, cap 1. 2. & cap. transmissum de eo qui cognouit saltem intra secundum gradum post Trid. sess. 24. cap. 4. de matrim. an autem idem sit dicendum de consanguineis propriis, fuse Nauar. disputat Concil. primo de eo qui cognouit, ad eosque concedit, qui tuentur affirmantem eo quod fori Romani praxis ita habeat, *Quarenus*, inquit, *cum Papa dispensat vt consanguinei qui se incestu polluerunt, contrahant, inter se matrimonium, clausulam apponit vt superstes sine spe coniugij maneat.*

Ab eo recedunt Sotus in 4. dist. 37. qu. vnica art. 1. Sa verbo matrimonij impedimenta num. 7. Sanch. lib. 7. disp. 13. Laym. tract. 10. part. 4. cap. 15. quorum ego opinionem in praxi tutam ac sequendam existimo, quia in pœnalibus, voluntas Legislatoris spectanda est præ cæteris, at hoc decretum pœnale est, & tantum eos respicit, qui cum consanguineis coniugis, aut sponsæ, incestum committunt, non est ergo extendendum ad proprios.

At Stylum Curiæ respondendum est primo vim non habere legis, nisi sit receptus, non esse autem, quoad proprios consanguineos.

Secundo dicendum, nomen consanguinei quod ex stylo Romanæ Curiæ litteris inseritur. de vxoris consanguineis, non incestuosi propriis intelligi.

Secundum crimen, est raptus alienæ sponsæ, can. statutum 27. q. 2.

Tertium est vxoricidium can. ad monere 33. qu. 2.

Quartum, susceptio proprij filij de fonte baptismatis, quando id fit malitiosè, id est, vt non teneatur postea susciptens reddere debitum can. de eo 5. 30. qu. 1.

Quintum, est matrimonium cum moniali susceptum 27. qu. 1. can. hi 13. sic enim ibi ex Concil. Triburiensi. *Hi qui sanctimonialibus fœdere matrimonio ad iniuriam Christi copulari sunt, nisi ecclesiæ censuram zeli Christiani fœderentur, & nunquam eis concedatur coniugali vinculo religari.*

His accedit primo solemnis pœnitentia, can. de his can. antiqui 31. qu. 2.

Secundo excommunicatio tam maior, quam minor, quia vtraque hominem Sacramentis, eorumque vsu spoliat; vt notarunt Nauarr. cap. 22. num. 75. Henriq. lib. 12. cap. 2. Laym. vbi supra. Sunt tamen hæc impedimenta criminum, contraria consuetudine sublata, nec proinde videtur vlla pro iis esse dispensatio necessaria, in opinione Antonini Dianæ de Sacramentis tract. 4. resol. 259. sibique suffragari ait Coninch. de Sacramentis disp. 30. dub. 3. num. 25. Sot in 4. dist. 37. qu. vnica. Pontius de matrimonio lib. 6. cap. 14. quare si quos confessarij repererint hisce criminibus, omnibus, aut eorum aliquo irretitos, non debent eis super dispensatione obtinenda à Pontifice, religionem iniicere, aut necessitatem imponere, si sunt eiusmodi quibus aliunde nihil obstet quominus valide possint ac legitimè contrahere.

EPITOME TRACTATVS DE MATRIMONIO,

Cum probationibus desumptis ex Patribus, Conciliis, & Canonibus.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Matrimonium, & quotuplex.

Κάλλιστον μὲν ἀπάντων, καλὸν δὲ ὁ γάμος ἐστὶν, hoc est *honestissima quidem virginitas, honesta vero est & continentia*, Zonar. in can. 9. Concil. Gangr. est enim *Pudicitia*, auctore Cypr. tom. vlt. tract. de bono pudicitiæ num. 15. *honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput: hæc nos commendat Deo, connectit Christo: hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, beata ipsa, & beatos efficiens apud quoscunque habitare dignatur.*

Honorabile tamen est connubium, & thorus immaculatus Paulus. Et si quis *illud vituperat, & eam quæ cum marito suo dormit, quæ est fidelis, & religiosa, abhorret, & insimulat, tanquam quæ non possit regnum ingredi, est anathema*, Concil. Gangrens. decreto can. 1. quemadmodum & qui à congressu muliebri, aut nuptiis abstinet, quasi iis aliquid sceleris ineesset, Zonar. in can. nonum Concil. Gangr. *Nuptiæ enim sunt bona*, inquit August. de bono coniugali cap. 23. & de bono viduitatis cap. 8. *nuptiarum bonam semper*, inquit, *est bonum ei*, cap. 9. *In coniugali vinculo, si pudicitia conseruatur, damnatio non timetur.*

Est ergo matrimonium res bona, vt pote à Deo instituta, *ante hominis peccatum, creando masculum & fœminam, qui sexus eiusdem vtique in carne est*, August. lib. 13. de ciuit. Dei cap. 22. quod est contra hæresim Adamianorum, cuius meminit lib. de hæres. cap. 31. qui ex Adamo veniſſe coniugium, malumque eſſe nec in ſtatu naturæ integræ futurum fuiſſe aiebant ſed per creationem, homines tunc ſingulos, à Deo producendos, contra quos diſputat August. loco citato, & de bono coniugali cap. 1. & in priori quidem, *Nuptias donum cæleſte nominat*, cap. 22. lib. 13. de ciuit. quas tunc inſtitutas in amœno illo deliciarum loco ait, cum maſculum ac fœminam, benedictione ſua Deus impertiens, dixit: *Creſcite, & multiplicamini, & implete terram, & dominamini eius*, Geneſ. 1. his enim verbis, facta eſt illis coniungendi ſui copia, tradendique ſe ſibi mutuo ad generationem prolis, in quo vis eſt ſita matrimonij. *Certum eſt igitur, maſculum & fœminam ita primitus inſtitutos, vt nunc homines duos, diuerſi ſexus videmus & nouimus. Vnum autem dici, vel propter coniunctionem, vel propter originem fœmineæ, quæ de maſculi latere creata eſt*, August. lib. 13. de ciuit. Dei cap. 22.

Est autem *matrimonium ex hoc appellatum quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam vt mater ſiat*, August. contra Fauſtum, lib. 19. cap. 26 definitur 32. qu. 1. can. non enim. *Bonus vſus concupiſcentiæ*, à Patribus *viri & fœminæ coniunctio indiuiduam vitæ ſocietatem retinens*, 19. qu. 1. can. 1. & Alexand. III. in cap. illud de præſumptionibus vndecimo.

Diuiditur in initiatum & ratum 27. q. 2. can. ſtatutum 34. paragr. finali vbi eſt his verbis: *Coniugium deſponſatione initiatur, commiſtione perficitur, vnde inter ſponſum & ſponſam coniugium eſt, ſed initiatum, inter copulatos, eſt coniugium ratum.* Quibus ex verbis patet coniugium tunc initiatum eſſe cum ſponſalia interueniunt. *Poſtquam enim ſponſalia vtriuſq; perſonæ conſenſu contracta ſunt, coniugis nomen accipiunt, vnde dicit Ambr. ad exhortationem virginitatis lib. primo, Deſponſata viro coniugis nomen accipit.* Iuo Carnot. in ep. 46. ad Gualonem Epiſcop. Pariſ. & de Ioſepho loquens August. in lib. de nuptiis & concupiſcent. *Coniux*, inquit, *vocatur à prima deſponſationis fide, quamconcubitu, nec cognouerat Ioſeph, nec cognituras erat.*

Ratum eſt, quod diſſolui non poteſt, cuius rei cauſa eſt, quæ mox intelligetur.

Secundo diuiditur matrimonium, *in legitimum & non ratum, ratum & non legitimum, legitimum & ratum*, 28. qu. 1. can. ſi quis 17. paragr. vlt. Bonauent. in 4. ſentent. diſt. 36. art. 1. qu. 1. num. 28. *Legitimum & non ratum, eſt quod legali inſtitutione, vel prouinciæ moribus contrahitur, quod tamen ſeparabile eſt*, 28. qu. 1. can. fin. quale eſſe matrimonium infidelium opinio eſt, eaque certa Diu. Thomæ in 4. ſent. diſt. 39. qu. vnica art. 5. Diu. Bonau. in eand. diſt. art. 1. qu. 1. num. 28. Imo verò non Theologorum modo eſt hæc ſententia, ſed certiſſimum Innoc. III. decretum in cap. quanto de diuort. vbi loquitur, his verbis: *Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum, inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia Sacramentum fidei, cum ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur.* Conſentientia habet Ambr. ad cap. 7. prioris ad Corinth. *Non enim eſt*, inquit, *ratum matrimonium quod ſine Dei deuotione eſt.*

Ratum & non legitimum, *Eſt matrimonium contractum inter fideles, qui Sacramentum Baptiſmi ſuſceperunt, contemptis ſolemnitatibus, quæ debent adhiberi ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ & patriæ morem*, quo de genere eſſe matrimonium clandeſtinum tradit. Richard. in 4. ſentent. diſt. 30. art. 1. qu. 2. tale etiam eſt vt habet canon 54. Concilij ſexti in Trullo, *Eius qui cum fratris ſui filia matrimonij ſocietatem coit vel pater & filius, qui cum matre & ſorore, vel cum duabus puellis ſororibus, pater & filius.*

Est matrimonium ratum & legitimum, inter fideles, *Legitimum quidem, cum vxor à parentibus traditur, à ſponſo dotatur, & à Sacerdote benedicitur*, 28. qu. 1. can. finali. vel vt loquuntur Theol. quod eſt contractum inter fideles, & non ſunt perſonæ illegitimæ ad contrahendum, & debitas ſolemnitates ſecundum conſtitutionem Eccleſiæ, & morem patriæ adhibuerunt, quibus contemptis, qui affectu ſolo aliquam in coniugem ſibi copulant, non legitima iniiſſe matrimonia creduntur, ſed rata duntaxat 28. q. 1. can. vlt.

Poſtremo diuiditur matrimonium in primum, & ſecundum, ſeu repetitum, eſtque vtrumque licitum. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego, quod ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quam vri*, Paul. 1. ad Corinth. 7. in quo corriguntur tam ciuilia iura, quæ damnabant ſecundas nuptias, lege 1. Cod. de ſecundis nuptiis, maxime initas, *poſt viri obitum, intra tempus luctus (ſcilicet vnius anni ſpacium)* Innoc. III. in decret. cum ſecundum 5. de ſecundis nuptiis: quam Euſtathij hæreſis, qui cum odiſſet nuptias: *quod eorum nulli qui ſunt in matrimonio, ſpem à Deo relictam eſſe ſalutis diceret*, Zonar. in proœmio Concil. Gangrenſ. non modo primas ſed execrabatur & tertias.

Sane quod hæ eſſent auctore Ambroſ. epiſt. 25. ad Vercell. & Tertull. de monomog. indicium incontinentiæ, ad eas animum appellere, nulli lege Canonica olim erat impunè.

Primo enim, *ἐνιαυτὸν τῆς ἀγίας μεταλήψεως ἐπέσχετο*, id eſt, *vno anno eum à perceptione ſacrorum munerum, arcere canones iubebant*, Zonar. in can. 7. Concil. Neocæſar. ei etiam biennij mulctam impoſitam fuiſſe tradit Baſilius eodem Zonara teſte in canon. primum Synodi Laodicænæ.

Secundo ei ad communionem recipi fas non erat ante factam pœnitentiam. *Oportet ex Eccleſiaſtico canone eos, qui liberè, & legitimè matrimonio ſecundo ſunt coniuncti, & non clàm vxores duxerunt, cum exiguum tempus præterierit, & orationibus vacauerint, eis ex venia dari communionem*, Laodicæna Synod. can. 1.

Et quoniam, Sacerdotis erat, digamo ſibi à pœnitentia remedium quærenti, *τὸ ἐπιτίμιον ἐπάγειν*, pœnam imponere, Zonar. in can. 7. Concil. Neocæſar. nefas ei erat eius intereſſe nuptiis: *Preſbyter in nuptiis eorum, qui duas vxores ducunt, ſeu digami efficiuntur, ne conuiuetur, cum enim requirat pœnitentiam digamus, quis erit Preſbyter, qui eo quod ſit conuiuio acceptus, nuptiis aſſentiatur?* Concil. Neocæſar. can. 7. ſenſus eſt fieri non poſſe vt pœnam à digamo Sacerdos exigat, qui eius factum à ſe non improbari, cũ nuptiis eius interfuerit, ſatis oſtendit.

Non eſſe tamen ſecundas nuptias vitioſas ſcripſit Auguſt. tom. 3. de fide ad Petrum cap. 42. *Scias*, inquit, *primas nuptias, non tantum à Deo inſtitutas, ſed etiam ſecundas, & tertias, pro eorum qui ſe continere non poſſunt infirmitate, conceſſas, & homo 4. de bono viduitatis cap. 11. Non arbitreris ſecundas nuptias crimen eſſe, vel quaſcunque nuptias, cum ſint*

nuptiæ, &c. & cap. 12. *De tertiis nuptiis, & de quartis, & de vltra pluribus nuptiis, solent homines monere quæstionem, vnde vt breuiter respondeam, nec vllas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.* Idipsum colligitur tam ex Paulo loco ante cit. quam canone Laodic. Concil. primo, in quo cum Patres dicant, *Legitime secundo matrimonio*, coniungi quem posse, tacitè indicant secundas nuptias, in vitio nulli esse oportere. Primæ tamen magis probantur, can. quomodo virginibus 10. 31. qu. 1. quare & benedicuntur, non secundæ cap. 1. de secund. nupt. quibus nec Presbyter interest, can. de his 8. causæ 31. q 1. Et quidem ad secundas nuptias, tam viris quam fœminis, patere lege Ecclesiæ transitum, tam verba Pauli, quam responsa Nicolai, & Concil. Tolet. 3. indicant, & quidem vult Paul. 1. ad Cor. 7. Mulierem alligatam quidem lege esse, *Quanto tempore vir eius viuit: quod si dormierit vir eius*, liberatam esse, *cui vult nubere posse tantum in Domino*, Patribus autē Conc. Tolet. visum est admonere viduas, in earum esse potestate, sibi sic à libidine, ac carnis voluptatibus legem dicere, vt castitatem in vita, moribusque teneant. *Quod si tamen prius, quam proficeantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate habere voluerint maritos*, Tolet. 3. can. 10.

Quam autem de muliere Concilium, eandem quoque de viro sententiam dixit ad consulta Bulgarorum cap. 3. Papa Nicol. *Scisciamini*, inquit, *si muliere propria defuncta, possit vir alteram ducere. Scitote per omnia posse, Paulo egregio prædicatore consilium dante, qui dicit. Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic maneant, sicut & ego, quod si se non continent, nubant, quod enim de muliere sanxit, & de viro intelligendum est*,

Cuius cum fœmina maritalis vnio, Sacramentum est. *Cuius Sacramenti obseruantia, tanta est in ciuitate Dei, in monte Sancto eius, hoc est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cum filiorum procreandorum causa vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur.* Augustin. lib. 1. de nuptiis cap. 10. *Quod si quis fecerit, peccare eum in Deum est certum, cuius legem violat, & ideo quia in Deum peccat Sacramenti cœlestis amittit consortium*: Excidendo scilicet à gratia, quæ per hoc Sacramentum, specialiter datur ad fidem seruandam matrimonij. Amb. lib. 1. de Abraham cap. 7.

De Causis Matrimonij.

CAP. 2. Eius effectiua causa est, vtriusque, id est viri & fœminæ consensus mutuus, lege nuptias ff. de regul. iuris. Iuo Carnot. Episcop. epist. 46. ad Gualonem Paris. Episcop. *matrimonium enim non facit coitus sed voluntas*, Nicol. Papa relatus à Grat. 27. q. 2. can. matrimonium, *qui consensus si in nuptiis forte solus defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur*: idem ad consulta Bulgaror. cap. 3. quo de consensu legendi, Ambros. in lib. de institut. virgin. cap. 6. Chrysost. hom. 32. in Matthæum. Gratian. causa 29. qu. 1. can. 1.

Scio postulatum olim à Conciliis, ac Patribus, consensum Parentum, vt in Concil. Paris. can. 6. Tolet. 3. can. 10. *Similiter hæc conditio & de virginibus habeatur, ne citra parentum voluntatem, vel suam, maritos cogantur accipere. Constituerunt que Childebertus & Clotarius Reges, & Charibertus successor, vt nullus puellam, aut viduam, absque parentum voluntate tradere, aut accipere præsumat*, Concil. Turonens. 2. cap. 21. Tertull. ad vxor. lib. 2. *In terris filij sine consensu patrum ritè ac iure non nubunt.*

Sed nego id ab iis factum, perinde ac si foret hic eorum consensus matrimonio essentialis, ad hoc enim mutuos partium consensus sufficere, habetur in can. si quis 19 qu. 2. can. finali 32. q. 2. cap. cum locum 14. de sponsalib. cap. cum causa 6. de raptoribus. can. sufficiat 2. causæ 27. q. 2. his verbis: *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur.* Quorsum ergo parentum postulatur assensus, (inquies) si eo sublato, si cessante, stat matrimonium non secus?

Nempe nè liberis, in re momenti tanti, quanti est opinione sapientium, cooptari in alienam familiam, contempti videantur, si iis non consultis modo, sed sæpe reclamantibus ac inuitis, in eam transeant, aut destinatas sibi ab iis coniuges, cum erunt puberes, aut viri, capere animum non inducant: ita Honorius in decretali Tua nos prima de desponsat. impuberum, ibi enim ait: *Patrem filium nondum adultum, (cuius voluntas discerni non potest) cui vult matrimonio tradere posse, & postquam filius, peruenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere.*

Quod, quia sine culpa filius non potest, nolle facere eam ob rem punitur tā nostratibus legibus, id est Gallicis, quam ciuilibus ac Romanis. Atque vt de his dicere taceam, constat pœnas per Edicta regia impositas esse in Gallia, varias, his qui matrimonia parentibus insciis contrahunt, de quibus P. Greg. lib. 9. syntagmat. cap. 3. earum potissima est, exhæredatio, sunt tamen eiusmodi connubia, etsi illegitima, & vetita, coram Deo valida ac rata. P. Gr. partition. iuris lib. 3. titulo 23. cap. 3. in scholiis littera D.

Consensus ergo cohabitandi, & individuam vitæ consuetudinem retinendi intercedens, virum & fœminam coniuges facit, individua vero vitæ consuetudo est, talem se in omnibus exhibere viro, qualis ipsa sibi est, & è conuerso. Ad individuam itaque consuetudinem pertinet, absque legitimo consensu viri, & orationi aliquando non posse vacare; nec continentiam profiteri, 27. qu. 2. can. Beata 3.

Patet hinc, obiectum consensus maritalis, esse corpora mutuo tradenda, quia individua vitæ consuetudo, quæ est effectus quidam, aut proprietas necessaria coniugij, iuxta hunc canonem, in hoc consistit quod se mulier viro exhibeat, sicut ipsa se sibi, & contra: sed ipsa sibi se mulier repræsentat animo, vt futuram viri per matrimonium: ergo eius consensus, qui est causa effectiua matrimonij obiectum ex parte fœminæ, est ipsamet, seu eius corpus dandum viro, & è conuerso.

Confirm. cuiusque contractus materia, est ea res de qua contractus instituitur, v. c. merx & precium sunt venditionis pars materialis, seu subiecta. Sed contractus matrimonij, est de tradendis sibi inuicem corporibus, sunt hæc ergo matrimonij materia, consensus autem vtriusque contrahentis reciprocus, ad eorum traditionem, eiusdem matrimonij causa efficiens.

Formalis autem, sunt verba, signa, aut nutus, quibus vir & fœmina, consensus suos exprimunt sibi mutuo: interni enim matrimonium non faciunt, nam quis putet puerum & puellam, hoc ipso quo matrimonialiter inter se coniungi appetunt, verè coniugatos esse? necesse est sanè, vt hæc eorum voluntas, internáque animorum coniunctio, verbis se aut signis prodat: est enim matrimonium Sacramentum, ergo sensibile, quale non est haud

Digitized by Google

dubiè, niſi vocum, nutuum, aut ſignorum ope, quibus conſenſus pateant, incurrantque in ſenſus, & hæc eſt cauſa cur ſint hæc forma matrimonij, D. Thom. lib. 4. ſentent. diſt. 26. qu. 2. Couarr. de ſponſalib. parte 2. cap. 1. parag. vnico, num. 8. Viuald. in candel. cap. de forma matrim. Soaccius par. 2. de ſponſal. quod enim in Sacramentis eſt notius, clariuſque eorum effectum ſignificat cæteris, quæ in eo reperiuntur, huic rei nomen eſt formæ, ſed verba, nutus, aut ſigna ſunt eiuſmodi. *At enim*, inquies, *neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam, verba conſenſum exprimentia de præſenti*, Innoc. III. in decretali tuæ fraternitati 25. de ſponſalib. ſigna ergo nutuſque non ſunt ſatis.

Antoced. verum eſt quoad certiorem probationem, & ſecundum quid, cum probatio ſit certior quæ ex verbis colligitur, quam nutibus aut ſignis.

Cauſa finalis matrimonij eſt, *Individua vitæ conſuetudo, etenim ſi aliquam ſibi vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus, vel facultatibus ſuis inuenerit, quam comparem ducat, animo ipſo adulter eſt*, Auguſt. lib. de bono coniugali cap. 5. *Ob eam cauſam nubentes poſt benedictionem Eccleſiæ mutuam, quaſi vno vinculo copulantur, videlicet ne compagem coniugalis vnitatis diſrumpant.* Iſidor. lib. 2. de officiis capite 19.

Sacramenti Matrimonij quæ ſit forma.

CAP. 3. Verba quibus communiter matrimonij contrahendi cauſa, ſponſi ſunt ſoliti vti, ſunt iſta. *Ego te in meum accipio ego te in meam*, vel alia conſenſum exprimentia, Greg. nonus cap. ſi inter 31. de ſponſal. qualia ſunt, *quod eam ab eo tempore vir pro coniuge tenebit, & ei ſicut vxori ſuæ fidem ſeruabit, ipſa quoque fœmina, eidem viro iuret, ſe illum pro marito habituram, & fidem ei tanquam viro proprio ſeruaturam.* Alexand. III. cap. ex parte 9. de ſponſalib. Item *ſi quis diuinis tactis ſcripturis vxorem duxerit mulieri, ſe eam vxorem habiturum, vel ſi in oratorio tale Sacramentum dederit*, 30. qu. 5. can. ſi quis 9. & Nouella 74. cap. 4. *etſi enim habebo, habiturus ſum*, verba ſint futurum indicantia, tamen ex communi hominum acceptione, & intelligentia, referūtur ad præſens vt notarunt Archidiacon. in citat. canon. & P. Greg. decret. iuris canon lib. 3. tit. 21. cap. 5. in ſcholiis litteræ D. quod ſi ea defuerint, recurrendum erit ad ſigna, *Cum quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarari.* Innoc. III. Arelatenſi Epiſcop. vt refertur cap. 23. tit. de ſponſal. *Sane ſurdi & muti poſſunt contrahere matrimonium per conſenſum mutuum ſine verbis, & puer ante annos legitimos, per verba ſola non contrahunt, cum intelligentiæ minime conſentire.* Innoc. III. cap. tuæ fraternitati 25. de ſponſalib. hinc enim fit perſpicuum, matrimonium non ſolo conſenſu effici, ſed conſenſu, & re quapiam externa, quæ ad eum indicandum ſit idonea, quam à verbis diſtinctam eſſe loquuntur ipſi muti, quos contrahendi capaces eſſe, fatentur omnes, etſi loqui neſciant.

Num omnes capaces ſint contrahendi Matrimonij lege Canonica.

CAP. 4. Non tamen exprimere ſenſa animi quiſquis lingua, voceque nouit, illico eſt Sacramenti huius cenſendus capax: in primis enim interfectoribus ſuarum coniugum, *Penitus coniugium denegatur, excepto adoleſcentibus, de quibus eſt Beati Leonis Papæ 25. regula decretalium, imo indulgentia obſeruanda* 33. qu. 1. can. interfectores 5. *Canonica.* dixi nec enim eſt huiuſmodi hominum generi matrimonium naturali, aut diuina lege prohibitum, quare contra iura Eccleſiæ, canonumque celebratum ratum eſt, etſi non legitimum.

Secundo inceſtuoſis matrimonium interdicitur, cap. tranſmiſſæ 4. de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, ibi enim Cœleſtinus eius nominis III. Epiſcopo, à quo de pœna inceſtuoſo debita conſultus fuerat, reſpondet. his verbis: *Quod legitimæ vxori cohabitans, & neceſſaria ſubminiſtrans, non cognoſcat eam, quandiu vixerit, niſi ab ea fuerit requiſitus, & tunc ad ipſam non ſine grani cordis dolore accedat, qui etiam pro inceſtu, & adulterio, donec cum ea permanſerit, iuxta moderamen tui arbitrij pœnitentiam agens, poſt modum ſi ſuperuixerit ei, perpetuo ſine ſpe coniugij permanebit.*

Tertio, *Statutum eſt à ſacro Concilio*, Toletano ſcilicet, *vt ſi quis ſponſam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & ſine ſpe coniugij maneat, & ſi ipſa eidem crimini conſentiens non fuerit, licentia alij nubendi non negetur*, 27. qu. 2. can. ſtatutum 34. ſimilia conſtituta reperies à Carolo Magno lib. 1. Capitularium capitulari 185. & lib. 7. cap. 183. & lib. 1. legum Longobardicarum titulo de raptu mulier lib 12.

Quarto, *Conuictus occidiſſe Preſbyterum vſque ad vltimum vitæ ſuæ tempus, miluia cingulo carere, & abſque ſpe coniugij manere debet*, decreto Concil. Moguntiaci ſub Rabano can. 24.

Quinto, *Qui ſcientes ſanctimoni alibus matrimonio ad iniuriam Chriſti copulati ſunt, præterquam quod iuxta cenſuram zeli Chriſtiani ſeparari debent, nunquam eis conceditur coniugali vinculo religari*, Concil. Tribur. vt refertur cauſa 27. qu. 1. can. 13. *Virgines autem quæ ſe Deo dedicauerunt ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſeruierint, non intelligentes quid amiſerunt, placuit nec in fine dandam eis eſſe communionem*, Concil. Elibertinum can. 13.

Sexto, qui ex induſtria filium ſuum de fonte Baptiſmi ſuſcipiunt, à coniuge iubentur ſeparari: *Et ſi prænaricator coniugij ſuperuixerit, acerrima pœnitentia mulctatur, & ſine ſpe coniugij remanet*, Concil. Mogunt. can. 10.

Quæ ſunt impedimenta Matrimonium irritantia.

CAP. 5. Non ſunt tamen hæc impedimenta eiuſmodi, quæ matrimonium contractum irritent, nullumque reddant, vti ſequentia, quæ bipertito diuiduntur, quædam enim à perſonis, à circunſtantiis petuntur alia.

A circunſtantiis, matrimonium eſt nullum iure Eccleſiæ: primo, cum eſt clandeſtinum, cuiuſmodi eſt cenſendum, cum contrahitur teſtibus duobus, & Parocho non conſciis: Tridentini Concil. ſanctio ſic habet ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto facit, & annulat.*

Dixi *iure Eccleſiæ*, nam naturali aut diuino non eſt vetitum, aut per ſe illicitum, niſi per accidens, propter ſcandala, & occaſiones peccandi, quæ etſi interdum abeſſe, & vitari poſſint, quia tamen ſunt crebrimæ, ac raro ab huiuſmodi coniunctionibus abiunctæ, nunquam non fuere in Eccleſia vetitæ, ſancitum eſt inquiunt Patres in Concil. Troſleiano can. 8. *Vt publicæ nuptiæ, ab his qui nubere cupiunt, fiant: quia ſæpe in nuptijs clam factis, grauia peccata tam in ſponſalibus, quam in propinquis, & adulteriis coniugijs accreſcunt vel accumulantur.*

Nec tūc modo fuere eiuſmodi cōiugia prohibita,

sed alias sæpe, ante & postea, vt in Concil. Vermeriensi can. 15. in Foroiulien si can. 8. In canone cum inhibitio de clandestina desponsat. quæ decretalis est Innoc. III. est his verbis: *Vnde antecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina coniugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat*, in can. autem nullus 2. causæ 30. qu. 5. hæc habentur ex cap. 6. epist decretal. Hormisdæ petita. *Nullus fidelis cuiuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat: sed benedictione accepta à Sacerdote, publice nubat in Domino.*

Hæcque fuit causa, cur & puellas peti à parentibus, aut eorum tutoribus, futuraque eorum matrimonia, publicari in Ecclesia Pontificum decreto necesse esset. Patre puellæ, aut eius custode inconsulto, eam sibi copulare coniugem, culpa credebatur non exigua. *Aliter*, inquit Euarist. epist. 1. ad Episcop. Africæ, *legitimum non sit coniugium nisi ab his, qui super fœminam dominationem habent, & à quibus custoditur vxor petatur, & à parentibus, & propinquoribus sponsetur.* Sponsionem coniugum mutuam de futuro matrimonio, sequebatur eius in Ecclesia promulgatio tum benedictio, Prioris auctor quantum cognoscere licuit, Innoc. III. in decretali cum inhibitio de clandestina desponsat. *Statuimus*, inquit, *vt cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfixo, vt intra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri inhibeamus inuestigent, verum aliquod impedimentum obsistat.* Posterioris vsus longe antiquior, nam & lib. de monogamia cap. 11. ait Tertull. *quod Presbyteri, & Diaconi sponsos coniungunt in Ecclesia*, & in lib. de pudicitia cap. 4. improbat, *occultas sponsorum coniunctiones*, id est, *non prius apud Ecclesiam professas*, id est declaratas, post solemnem benedictionem Presbyteri, nam vbi de dote fœminæ danda à viro, ac fide sibi mutuo sancte seruanda tam hi quam propinqui conuenerant, ab his ambo futuri coniuges deducebantur ad templum, *Cum oblationibus quas offerre debebant Deo, per Sacerdotis manum, sicque demum benedictionem & velamen cœleste suscipiebat*, Nicol. Papa ad responsa Bulgar. cap. 3. Eodem pertinet luculenta hæc, ac illustris Tertull. oratio lib. 2. ad vxorem. *Vnde sufficiam*, inquit, *ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat* (vtique per preces, quarum meminit Euarist. in epist. paulo ante citata, *& confirmat oblatio, & quod oblatum Angeli renunciant*, id est Sacerdotes: sic enim appellantur in scriptura, *denique quod pater ratum habet, qui aliter nuptias vruntur, adulteria & stupra committunt. Ideo penes nos*, inquit Tertul. supra, *occulta coniunctiones, id est prius ad Ecclesiam non professa, incesta macchiam & fornicationem iudicari periclitantur, ne inde concerta, obtentu matrimonij crimen eludant.*

Metus, vis & error matrimonium contrahendum impediũt.

Cap. 6. Secundo, ad circunstantias matrimonij pertinent, metus, vis, & error, de quibus dici hoc potest verissimè, cum iis connubium stabile esse non posse, decreto Alexand. tertij in cap. veniens 15. de sponsalibus & Honorij III. in decretali consultationi 28. eiusd. tituli, debet tamen hic metus eiusmodi esse iure Ecclesiæ, *qui in virum constantem posse cadere*, cap. veniens citato parag. finali quare etsi mulieri asserenti consensisse se nunquam in matrimonium, credi non debeat, non est tamen ei illico, *Denegãda audientia, sed de illato metu, est cum diligentia inquirendum, & si talis metus inueniatur illatus, qui potuit cadere in virum constantem, erit non immerito audienda*, Honor. III. in decret. consultatio-

A ni parag. vlt. Dixi *iure Ecclesiæ*, nam metu quolibet, etiam leui, lædi pacta connubij iure conscientiæ, ratione, & communibus Doctorum suffragiis, cum de matrimonio contracto metu egimus, est ostensum: itaque ea nulla esse, nec ex iis vllum in se mutuo coniuges comparare dominium, scripsit Almainus haud ignobilis Theologus, probatque hæc ratio.

Sublata proprietate matrimonij, quæ illi iure inest, & illud quoque tolli est necesse, sed in maxime necessariis affectionibus matrimonij est libertas, quam metus quilibet etiam leuis interimit, ergo per eum connubium iure conscientiæ interit. Nisi postea consensus non coactus, sed liber interueniat, ita Alexand. in decretali de illis 9. de desponsat. impuberum ait coniuges: *Cuiuscunque sint ætatis, se posse per illatam violentiam excusare, nisi post violentiam consensus accedat.*

B Qui quoniam debet esse voluntarius, *erranti autem nulla sit voluntas*, lege cum testamentum Cod. de iuris & facti ignorantia, errore personæ perimitur, est enim in lege nihil consensui, digest. de regul. his verbis: *Non videntur qui erant consentire. Consensus enim est duorum*, inquit canon primus causæ 29. qu. 1. *vel plurium sensus in idem. qui autem errat, non sentit: non ergo consentit, nec simul cũ aliis sentit, hæc autem*, id est mulier de qua erat ibi quæstio, *erranit: non ergo consensit, non itaque coniux est appellanda, quia non fuit ibi consensus virtusque, sine quo matrimonium nullum esse potest, sicut enim qui ordinatur ab eo, quem putat esse Episcopum, & adhuc est Laicus, erat, nec vocatur ordinatus, imo ab Episcopo est adhuc ordinandus, sic ista erranti, nulla est copulata coniugio, imo ad hoc est copulanda.* Hæc canon citatus.

C Verum non omnis error consensum excludit, sed error est alius personæ, alius qualitatis, alius fortunæ, alius conditionis: *Error personæ est, quando hic putatur Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quãdo hic putatur diues, qui est pauper. Error conditionis, quando putatur liber, qui seruus est*, 29. qu. 1. can. primo. Et hic error cum consensum euacuet, matrimonium impedit. *De libero viro*, inquit Iuo Carnot. epist. 222. ad Ioan. Aurelian. Episcop. *qui nesciens, ancillam duxit vxorem, postea vero veritate cognita, eam dimisit:* & nunc aliam ducere accepta à vobis licentia dispono, *quod sentio, dilectioni vestræ respondeo, si decreta Patrum, & leges sæculi, super hoc consulere voluimus, reperiemus, quia inter ingenuos & æquales tantum legitima constat esse coniugia: & vbi aliter per ignorantiam euenerit, licita esse diuortia.*

Quid si coniuges conditione sunt pares, fortunis & genere impares? quid si eorum alter, antiqua est, nobilique stirpe satus? ignota ac recenti alter? in eoque error accidat, illo, etsi falso, existimante, istius gentem, longa retro serie, auos ac proauos, factis illustres repetere?

Respondendum, ab ea ignorantia, pacta coniugii, fœderáque inter eos coalita, non lædi. *Qui enim accepit in vxorem corruptam, quam putat virginem, vel qui accipit meretricem, quam putat esse castam, vterque errat, quia ille corruptam existimat virginem, & iste reputat meretricem castam, nunquid ergo ducenda sunt non consensisse in eas? aut debetur vtrique facultas dimittendi vtramque, & ducendi aliam?* 29. qu. 1. can. 1. Non dari vero sit ex eo perspicuum, quod *Error fortunæ, & qualitatis consensum non excludat*, ibid.

Secus sensit, dixitque Nicol. Papa anno 862. sub Carolo Caluo epist. 3. ad Adonem Viennensem cap. 2. ad quæstionem enim sibi factam, *An si desponsata nescienti sponso corrumpatur, & postmodum*

dore facta, maritali more, cum eadem idem sponsus iacuerit, si postmodum intercepto tempore liceat ei ipsam, quasi prius ab alio corruptam dimittere, & sic aliam ducere quasi ista non fuerit vxor, sic respondet. *Nec hoc consentimus, vt hi qui legitimo nuptiarum fœdere coniunguntur, & vnum corpus per aliquod temporis spatium efficiuntur, diuortium faciant. Sed quod prius initio commixtionis corruptæ percipiendo voluntariè tacuerunt, postmodum intercepto tempore sustinendo, etsi non voluntariè, inuiti custodiant.*

A personis Matrimonium est nullũ, quando & quomodo.

CAP. 7. A personis impediuntur nuptiæ ne fiant ratæ, primo si hæ religione, cultuque sint inter se dispares, ita matrimonium, cum infideli contrahere Catholicus prohibetur in Conc. Agath. can. 67. Chalced. can. 14. *nisi personæ quæ orthodoxæ coniungitur, se ad orthodoxam fidem conuertendam spondeat*, non tamen illud antequam promissa impleuerit, celebrari posse scribit ibi Zonar. Secus facienti, pœna imponenda arbitrio Episcopi, *ὅτι τε τὸν ὅρον παραβαίνει τῶν ἁγίων συνόδων, κρατείσθω ἐπιτιμίῳ.* *si quis hoc sanctæ Synodi decretum transgressus fuerit canonicis pœnis subijciatur.* Sunt hæ vero numero duæ, segregatio viri à fœmina orthodoxa, ac coniugij solutio. *Nuptiarum fœdus male contractum rescindi, & eos insuper, qui canonem violauerint segregari* Patres imperant, inquit Zonaras in canonem 72. Concilij in Trullo, his verbis: *διὸ μὴ τὸν λύειν τῶν αἱρέσεων τὸν γάμον, ἢ ἀποείσθαι βούλονται τὸν τοῦ πιστοῦ γονέα παραιτουμένους.*

Et quanquam sint hæretici, vt pote à fide alieni, paganis adnumerãdi omnes: sunt eorum tamen cũ orthodoxis coniugia, rata, nec soluenda, ius enim ea duntaxat prohibet, & impedit. non dirimit. Etenim cultus disparitatem quæ matrimonia reddit nulla, non in hæretico, si baptizatus fuerit, sed in eo duntaxat, qui Baptismo careat, vt Iudæo, & Pagano agnoscit.

Scio olim à Conciliis, matrimonia hæreticorum, cũ orthodoxis facta, habita fuisse pro inanibus, ac nullis, vt à Laodicæno, Chalced. & Constantino. in Trullo, cuius est hæc sanctio in can. 72. *Non licere virum orthodoxum, cum muliere hæretica coniungi, neque virum orthodoxam, cum viro hæretico copulari: sed & si quid eiusmodi, ab vllo, ex omnibus factum apparuerit, irritas impias existimare, & nefarium coniugium dissolui. Non enim imponitur, neque Christi portioni portio peccatorum, qui contra fecerit, excommunicetur.*

Sed nego Ecclesiæ, eum hoc tempore sensum esse, patet ex vsu, praxique regnorum, Galliæ ac Germaniæ, vbi Catholici, cum fœmina, cuius corrupta sit religio, fides autem nulla, quia est hæretica, vel contra, etsi connubia non probantur, non tamen dissoluuntur. Non probantur, quia sunt legibus Ecclesiæ prohibita, in Concil. Laodiceno can. 10. *Non oportet eos qui sunt Ecclesiæ, indiscriminatim suos filios, hæreticis coniungere*, & 31. *Non oportet cum omni hæretico matrimonium contrahere, vel dare filios, aut filias, sed potius accipere, si se Christianos futuros polliceantur*, & in Eliberino can. 16. *Hæreticis, qui errant ab Ecclesia Catholica, nec ipsis Catholicas dandas puellas quod nulla potest esse societas fideli, cum infidelibus, si fecerint parentes, abstinere placet per quinquennium.*

Prohibendi causæ fuere. Prima, quod hæreticis sit Ecclesiæ Sacramentis interdictum

Secunda, quod ea sine sacrilegio, suscipere cum nequeant, illos ad ea hortari, vocare, aut comitari non liceat.

Tertia, quod consortio, ac congressu, cum hæretica muliere, Catholici fides, perditis eius afflata moribus, præcipuè autẽ eiusdẽ erroribus de religone, squalleat. Vt speculum etiam terfissimũ, maculam trahit ab anhelitu, sic homo, cæterà Catholicus, & optimus, ab infideli muliere, periclitatur de fide, blanditur, orat, increpat, lachrymatur, miseram se, marito parum charam inclamat, quod eadem secum sacra non frequentet, quod religionum ritibus ac cæremoniis ab ea discrepet, quid porro? emollitum illecebrosis his fletibus viri pectus tandem errorem combibit, fidem exuit, Catholicus esse desinit. Ita *versat nos, & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis, nemo sibi tantum errat, sed alijs erroris causa & auctor est*, Seneca de vita beata cap. 1. Primæuum hoc malum, vix Eua pestilentes, tortuosi anguis sibilos exceperat cum ad eos mariti aures patentes reddidit, in quibusdam vehemens est amicorum, ac parentum, in filios ac propinquos auctoritas, sed nihil est mulieris ad fraudem compositæ, dictione potentius, nihil corruptis eius moribus contagiosius, vt in mala lue morbi, sic vitiosi mores mulieris, colloquio serpunt ad vicinos, ad maritum autem solo afflatu ac visu, ab ea transfundũtur. In summa, à nullo persuadetur hic efficacius, quam ab ea quæ tam exemplo, quam blanditiis, ac insita sibi fraude vitia sua edocet.

Hæc causa est vna de multis, quamobrem Catholici, cum hæretica connubium, lege sit Ecclesiæ, canonumque, vitandum cuique. Est & alia, à matrimonij natura ac fine petita, prioribus vi efficaciaque non impar. Quæro enim quorsum inter se, vir & fœmina, fœdera iciunt? quorsum coniugij nomine, vitæ societatem coeunt?

Nempe vt communione rerum ac consiliorum, infœlicis huius æui onera leuent, religiosis, ac sacris colligati Sacramenti huius nexibus; mutuo se ament ardẽtius, in sobole nominis sui memoriam, seque adeo ipsos transmittant ad posteros, quæ an discreti religionibus, vt sexu, sperare vir & fœmina possint, intelligere mihi nõ est facile. *Nam qui simul ita viuunt, vt eorum animi, in iis quæ ad fidem pertinent contrario modo afficti sint, quo pacto, eos in alijs rebus conuenire posse quispiam arbitretur? quorumque sensus, in iis quæ sunt fidei, quarum prima est, atque præcipua vis, minimè congruunt, quo pacto inter se æquis animis, in reliqua vitæ societate communicabunt?* Zonar. in can. 72. Concil. sexti in Trullo: Non sunt ergo iuncta coniubia inter Catholicum, & hæresi imbutam fœminam, ad eos fines vtilia, quorum causa sunt instituta, proindeque prudenter ac iustè ab Ecclesia prohibita.

Secundo, habet matrimonium à persona, vt sit nullum iure Ecclesiæ, si contrahatur, à masculo quidem, ante 14. annum, à fœmina duodecimum, legis huius primus auctor Alexand. III. in decretali continebatur 6. de desponsat. impuberum, approbator Vrbanus III. in cap. attestationes 10. confirmator Innoc. III. eod. titulo cap. finali his verbis: *Respondemus, quod si puella, nubilis non erat ætatis, cum sæpe fatus vir, desponsauit eandem, & ætatem in ea prudentia non supplebat, proculdubio inter eos non coniugium, sed sponsalia contracta fuerunt, quamuis ab ipso viro fuerit subarrhata.* Dixi *iure Ecclesiæ*, quia spectata natura, eiusque lege, impuberes rationis compotes valide contrahunt, cum eorum impotentia non sit perpetua, sed temporalis, ac naturalis, quare in eo impedimento valide dispensat Pontifex, etsi non facile Nauar. lib. 4. consil. 4. & 5. de desponsat. impuber. edit. 2. Sanch. lib. 7. disp.

104. num. 11. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 12. Causa, cur naturæ iure, matrimonium ante pubertatem contractum à ratione vtentibus valeat, est, quia *Matrimonium consensus facit*, Nicol. in respons. ad Bulg. *qui si in nuptiis solus defuerit, cætera etiam omnia, cum ipso coitu celebrata, frustrabuntur*, Idē ibid. cap. 3. At quisquis ea parte animi in qua ratio residet vtitur, vt sibi modum, rebusque suis adferat, velle potest, quod suis esse rationibus consentaneum censet ac vtile: ergo & impubes, sui compos, fœminam thori sui, vitæque futuram comitem.

Scio velle Euaristum Pontif. in epist. ad Episcopos Africæ, vt ad liberorum consensum, accedat & Patris, *Aliter fore præsumpta, nec coniugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, vel fornicationes, potius quam legitima coniugia*, censenda esse eorum matrimonia. Dixit eandem sententiam Hincmarus in epistola scripta ad Rodulph. Bituricensem & Frotarium Burdigalens. iussu Synodi habitæ apud Tussiacum sub Carolo Caluo anno 860. agens enim de nuptiis Stephani & filiæ Regimundi Comitis hæc habet. *Tunc est vera legitimi coniugij copula, quando inter ingenuos, & inter æquales fit, & paterno arbitrio, viro mulier iuncta legitime, dotata, & publicis nuptiis honestata, sexuum commixtione coniungitur*: quare prohibetur liberis in Concil. Aurel. 4. can. 22. Tolet. 3. can. 10. ne parentibus ac propinquis inconsultis, virum aut fœminam, cum quo vel qua matrimonium ineant, arbitrio sibi suo deligant: *Viduæ, si virisquam continentiam profitentur, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate volunt habere maritos, similiter hæc condito de virginibus habeatur, nec citra voluntatem parentum, vel suam, maritos cogantur accipere*, Concil. Toletan. 3. can. 10.

Sed respondendum, primo, agi ibi non de consensu ad Sacramentum necessario, necessitate Sacramenti, sed præcepti tantum, quale non negamus liberis impositum, de voluntate explorandā parentum, ac habenda, super eorum matrimonio, sed dicimus, eius defectu, non ideo deficere in re vlla essentiali, ac necessaria Sacramentum. Sane ab Ecclesiæ communione remotus, anathematis damnatione in Concil. Paris. can. 6. plectitur, qui extra voluntatem parentum, eorum filiam matrimonio sibi copulat: contractum tamen non rescinditur,

Addimus secundo, Euaristi epistolam, authenticam non esse, fidemque non maiorem facere, quam cæterorum Pontificum, quæ sintne eorum verè, an cuiuslibet alterius, qui eorum sit abusus nomine, est incertum. Vtcumque sit, de Euaristi sensu, & Hincmari, sanè non debet eorum auctoritas tanti nobis esse, quanti Ecclesiæ, à qua damnati sunt anathemate, *Qui falsò affirmant, matrimonia, à filijs familias, sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes, ea rata, vel irrita facere posse*, Trident. sess. 24 cap. 1.

Possunt ergo puberes pueri contrahere si volent: Non furiosi, cap. dilectus extra de sponsalib. nisi dilucida dierum interualla habeant, & eo tempore contrahant, qui sunt sanæ mentis, cessitque furor Glossa in cap. dilectus. An autem eius expertes fuisse sint censendi, cum se coniugio sociarunt, si ambigitur, præsumi id debebit: ex qualitate actuum, quos tum gessere, Iason in leg. furiosum Cod. qui testament. facere possunt, nam si hi sunt recti, si legitimi, si prudentes, si ad rationis exacti regulas, omnis tum erit iusta causa existimandi, eorum matrimonia rata esse, vt pote ratione facta, deliberatè, ac consulto, *Vt enim legimus in Esaia, fatuus fatua loquetur*, distinct. 93 can. legimus vicesimo quarto: ita animi bene compositi: ita sapientis, ac moderati argumentum est, non exiguum, temerè nihil, consultè gerere omnia, se, suaque, moderari ratione.

Inter consanguineos non potest esse Matrimonium.

Cap. 8. Enrosis adiungendi sunt consanguinei, *Eos autem consanguineos dicimus, quos diuinæ, & Imperatorum, ac Romanorum leges in hæreditate susceperunt, nec repellere possunt*. Calixtus ep. 2. ad Episc. Galliæ & refertur causa 35. qu. 2. can. 2. his ergo inter se iugari lege matrimonij, iure est Pontificum Ecclesiæque prohibitum 34. qu. 1. can. 1. parag. finali, & qu. 2. can. nullum, can. de incestis, can. nec eam quam, parag. incestuosos, can. progeniem, can. de consanguinitate, can. nulli, & in Concil. Cabillon. 2. sub Imperat. Carolo Magno anno 813. can. 1. Vermeriensi can. 1. & in epist. 2. Leonis Papæ quarti ad Episcopos Britanniæ hæc habentur cap. 5. *Vt definitum est à Patribus, nullus de propria cognatione sibi audeat copulare, alioqui anathema sit: vnde beati nostri Gregorij decreta eximiè sunt tenenda*, quænam autem, & qualia ea extiterint, declarat ipse in Concil. Meldensi, vt refertur causa 35. qu. 2. can. primo, his verbis: *De affinitate consanguinitatis, per gradus cognationis, placuit vsque ad septimam generationem obseruare: nam & hæreditas rerum, per legales instrumentorum definitiones sancita, vsque ad septimum gradum protendi hæredum successionem*, His similia scripsit Heraldus Archiepisc. Turon. sub Carolo Caluo, Capitulo 36. *Ne in quinta vel sexta generatione copulentur quæ coniugio. & vsque ad septimā generationem progenies obseruetur*. His similia habet Synod. Rom. sub Zacharia can. 6. Conc. Elibertinū can. 61. Turon. 2. can. 22. Arelat. sub Carolo can. 11. Epaunense can. 30. saltem quoad consanguinitatem absolute, & in genere. Prisci tamen illi mores in Gallia non fuisse in contrahendo similes, ac qui vigebant Heraldi sæculo sed his quibus modo vtimur, propiores, indicāt hæc verba canonis primi Concil. habiti in palatio Vernis sub Pipino ann. 752. *Interrogatum coniuncti separentur, & post pœnitentiam actam, si ita voluerint, licentiam habent, alijs se coniungendi, in quarta autem coniunctione si inuenti fuerint, eos non separamus, sed pœnitentiam iniungimus, attamen si factum non fuerit, nullam facultatem coniungendi in quarta generatione damus*. Nam si nō fuere ab inuicem seiungendi, viri & fœminæ, sibi in quarto consanguinitatis gradu coniuncti, non fuit eorum matrimonium iure Ecclesiæ irritum in quinto alioqui, qua fronte eodem tecto, lectoque sic copulati vsi essent?

Vt vt sit, de gradibus, eorumque numero, ad quos olim, Patrum nostrorum sæculo, extendebatur cognatio, ad effectum impediendi matrimonij, certe constat primo, quod initio, *Viri sorores suas acceperunt, quod profectò, quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente*. August. lib. 15. de ciuitate Dei cap. 16. *Habita est enim ratio arctiß ma carnalis, vt homines quibus vtilis esset, ac honesta concordia, hi necessitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligentius colligendam, plurima plurimos obtinerent, pater quippe, & socer, duorum sunt necessitudinum nomina, vt ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius caritas pertingit*, August. de ciuit. lib 15. cap. 16.

Deinde constat hoc tempore, definiri cognationem

nem incluſiuè cap. non debet extra de conſanguinit. & affinit. Concil. Moguntiac. ſub Carolo Magno anno 813. habitum can. 54. *Contradicimus quoque, vt in quarta generatione, nullus amplius coniugio copuletur, vbi autem poſt interdictum, factum matrimonium fuerit, ſeparetur.* Trident. nouiſſime ſeſſ. 24. *Quod ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter contrahere præſumpſerit, ſeparetur,* inquiunt Patres cap. 5. citatæ ſeſſ. *& ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubiaceatur pœnis,* quare rogat Henricum Angiorum Regem: Iuo Carnot. ep. 163. ne patiatur Hugonem deſponſare ſibi filiam ſuam, *quod quidam, parentes eorum gradu conſanguinitatis eſſe teſtarentur gentes, vt inter ſe nuptias contrahere non poſſint, niſi inceſtuoſas, & ideo illicitas.*

Verum vt multiplex eſt in iure cognatio, ita & non omnis, vno, eodemque modo, impedimentum affert coniugio. Spiritualis quæ ſecundum Doctores in Rubrica de cognatione ſpirituali, eſt perſonarum proximitas, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ oritur, per Baptiſmi & Confirmationis adminiſtrationem, vel ſuſceptionem baptizati, & confirmati. Hæc tamen *eſt tantum inter baptizatum, baptizatique patrem, & matrem ſpiritualem necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem,* Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. hæc eſt cauſa, cur in Concil. Compendienſi can. 12. iubeatur, *ſi quis filiaſtrum, aut filiaſtram ante Epiſcopum ad confirmationem tenuerit, ſeparari ab vxore ſua, & alteram non accipere,* in quam ſententiam ad Leuthericum Senonenſ. Archiepiſcop. ſcribit S. Fulbertus Carnot. Epiſcop. epiſt. 33. *Placuit excellentiæ veſtræ, ſciſcitari à nobis, quid agendum ſit de quodam viro, qui filium ſuum tenendo ad confirmationem, factus eſt de patre patruus, videlicet vtrum ab vxore ſua, matre ſcilicet pueri ſit ſeparandus, an non. Nos vero quid ſanctі Patres de tali cauſa ſtatuerunt, id cenſemus eſſe tenendum. Inueniture ergo ſtatutum in Concil. Leptinenſi can. 7. ſub Zacharia Papa, & Principe Carolomanno hoc modo. Si quis filiaſtrū aut filiaſtram ſuam, ante Epiſcop. ad confirmationem tenuerit, ſeparetur ab vxore, & alteram non accipiat. Similiter nullus proprium filium, vel filiam de fonte baptiſmatis ſuſcipiat, nec filiolum, nec commatrem ducat, nec illam cuius filium ad confirmationem tenuerit.*

Et quia hæc cognatio nuptias impedit, decreuit Trident. Synod. cap. 2. ſeſſ. 24. *Vt vnus tantùm ſine vxor, ſine mulier, iuxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus & vna, baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, quod ſi aly vltra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahere.*

Coniugatus viuente coniuge alteri iungi nequit.

Cap. 9. Tertio habet matrimonium à perſonis, vt nō ſit ſtabile primo quando aliis ſunt iūctæ, quia matrimonium eſt vnius cum vna, Synodus Rom. ſub Eugen. II. & Leone IV. can. 37.

Duas enim habere vxores, nec ipſa origo conditionis humanæ admittit, nec lex Chriſtianorum illas permittit: nam Deus qui fecit hominem, ab initio maſculum vnum fecit, & vnam fœminam tantum, cui potius vtique ſi vellet duas vxores tribuere, ſed noluit. Scriptum quippe eſt, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, non dixit vxoribus. Nicol. ad conſulta Bulgaror. cap. 51.

Et aſſentiuntur in hac cauſa Pontifices & Patres, quorum nomina mentemque expreſſam verbis ac oratione reperies cauſa 24. quæſt. 3. can. an non 19. 27. qu. 2. can. additur parag. vito igitur, 30. qu. 5. can. qualis parag. fin. 34. qu. 1. can. 1. cum per bellicam. Item de diuortiis cap. gaudemus 8. parag. quia vero pagani de ſponſalib. cap. is qui fidem 30. & cap. ſi inter virum 31.

Quod ſi fœminæ, ratæ maritos ſuos non viuere, quia matres eſſe ac fieri cupiebant, aliis, legitimi nexu matrimonij vinctæ adhæreſcerent, illis è longinqua peregrinatione, aut bello remeantibus, *neceſſe eſt, vt legitimarum fœdera nuptiarum redintegrentur, & remotis malis, quæ hoſtilitas intulit, vnicuique hoc, quod legitimè habuit reformetur, omnique ſtudio procurandum eſt, vt recipiat vnuſquiſque quod proprium eſt,* Leo epiſt. 77. ad Nicetam Aquilienſem Epiſcop. cap. 1. quare *cum fide ſuffragante dici debeat, illud eſſe coniugium, quod primitus erat, gratia diuina fundatum, concumrunque, ſecundæ mulieris,* idem eſt de viro, *priore ſuperſtite, coniugium nullo pacto poteſt eſſe legitimum,* Innoc. 3. epiſt. 9. Itaque cum infimis, ac tantum non importunis precibus Galerenus quidam, à quo eius vxor diuerterat ob ſæuitiam, à B. Fulberto contenderet, vt ſibi ineundi noui connubij, facultatem faceret, reſpondit id vero ſibi per leges Dei permiſſum non eſſe, *Donec vxor eius, aut Monacha facta eſſet, aut defuncta,* S. Fulbertus ep. 51. ad Rothomag. Archiepiſcop.

Inter raptorem & raptam nullum eſt Matrimonium.

Cap. 10. Quarto, iure Eccleſiæ copulari inter ſe nequeunt, raptor, & rapta, 27. qu. 2. can. ſtatutum parag. quòd ſi poſthac 34. qu. 2. can. non ſatis, in Concil. Meldenſi can. 65. iubentur ab inuicem ſeparari, & publice pœnitentiæ ſubigi, raptam autem ea peracta parentibus reſtitui. In Trid. vero ſeſſ. 24. c. 6. *Decernitur, quod inter raptorem & raptā, quandiu ipſa in illius poteſtate manſerit, nullū poſſit conſiſtere matrimonium, quod ſi à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libere conſtituta, illum virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati.*

Similem in eos ſententiam, priſci æui Concilia, multis ante ſæculis dixerant.

Et primo *quidem ſine vlla ſpe vxoriæ copulationis, peremptæ manere,* eos voluerant Epiſcopi in Concil. Meldenſi can. 67. ab iis idem ſtatutum in Troſleienſi: decreti ſunt hæc verba. *Qui rapuerit, aut furatus fuerit fœminam, nunquam eam vxorem habeat, ſed propinquis ſuis eam reddat & in triplo hominum Dominicum componat, & inſuper canonice publicam pœnitentiam gerat.* Ea non contenti Pontifices, nullam iis in re diuina partem, nullam in fidelium ſuffragiis, ac precibus eſſe volūere. Extat hæc in eos Gregor. XI. plena æquitatis ſanctio: *Si quis virginem, niſi deſponſauerit, rapuerit, vel furatus fuerit in vxorem, vel conſentiens ei anathema ſit:* Ita *Meris excommunicatus eſt quidam homo, vocabulo Theodericus cum cōplicibus ſuis, quia quandam viduam fugiendo proſtratam, ſuper corpus S. Eucherij rapuit, & de Monaſterio, traxit, & in vxorem ſibi eam taliter ſociauit.*

Quare quæ excommunicatio, olim erat tantum comminatoria, ac in raptorem ferenda, vt colligitur ex Chalcedon. Concil. can. 27. Trullenſi can. 93. Pariſienſi can. 6. Meldenſi can. 68. eſt hoc tempore latæ ſententiæ, cum obligatione in illo, *Dotandi raptam, decenter arbitrio iudicis, ſive eam vxorem, duxerit ſive non duxerit,* Trident. ſeſſ. 24. cap. 6.

Quæ crimina Matrimonium impediant.

Cap. 11. Crimina ſunt inſuper duo quæ matri-

monium contrahendum, impediunt, & dirimunt, contractum.

Primum est, adulterium cum homicidio, vel fide data, de contrahendo, alterum ipso facto, vtuente coniuge contrahere. Primo ergo, matrimonium esse nullum potest, inter adulterum, qui eius mulieris virum, cum qua se adulterii labe polluit, è medio sustulit, aut vero etiam fœminam suam occidit, vt adulteram haberet sibi coniugem. Huius legis auctores Episcopi in Conciliis, ac Romani Pontifices in decretalibus suis Epistolis, occurrit ante cæteras Meldense in cuius can. 69. hæc habentur: *Is qui viuente marito, coniugem ipsius adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto eandem sumpsisse dignoscitur, omni modis publice pœnitentiæ subiugatur, de quo etiam post pœnitentiam, præfixa seruabatur regula, nisi forte is, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse noscitur, aut propinquitas, vel alia qualibet criminalis actio impediat, quod si probatum fuerit, sine vlla spe coniugij, cum pœnitentia perpetuo maneant, si autem negauerit se eandem fœminam, viuente viro nequam adulterasse, & præfati homicidij, nemo eorum reus existerit, & probatis testibus neuter eorum communi potuerit, purgent legaliter famam suæ opinionis, & sumpto vxorem coniugio.* Ad hoc testimonium, accedunt decretales Pontificum epistolæ, vt Alex. III. in titul. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium cap. super hoc 3. Innoc. III. eod. titulo cap. significasti 6. in eandem sententiam scripti sunt canones, qui dormierit causæ 27. qu. 2. primus tituli de eo qui cognouit consanguineam, vigesimus primus causæ 32. quæstione 7. & quinquagesimus primus Triburiensis Concilii.

Aduertendum tamen, non homicidio quolibet, impediri matrimonium adulterorum inter se, sed eo duntaxat, quod est eius ineundi causa, cum occisi coniuge. Insonti illatum, consultum, aut mandatum, vel factum in bello, aut casu, vel odio ei non officit, secundum Doctores in ca. laudabilem de conuersione infidelium, nec ratihabitio facti suo nomine, iuxta Gloss. in can. si eius viuente 32. qu. 1. & in cap. 1. de conuers. infidel.

Aduertendum secundo, homicidio non dirimi coniugium, cum est contractum, aut impediri contrahendum, cum non præcessit adulterium: vt patet ex decretali Cœlest. III. quæ incipit laudabilem de conuers. infidelium, nisi mors, vtriusque futuri coniugis, viri nempe ac fœminæ consilio, machinatione, & opera illata esset, nam si hæc alterutrius tantum manu, facto, aut imperio, insonti accidat, impediendo coniugio non sufficit, nisi adulterium interueniat, vt est Doctorum opinio in cap. super hoc tertium, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit, quod tamen si solum est, sine homicidio, aut fide data de contrahendo matrimonio cum adultera, ad impediendum matrimonium est inefficax: Interrogatus enim Alexand. an qui thalamum alienum, fœdo ac adulterino concubitu inquinauerat, læsi vxorem, eamque adulteram habere posset: respondit, *Quod si adultera esset in mortem vxoris aliquid machinata, siue fidem dederit, siue non, quod ea defuncta, hanc esset ducturus, secundum canones, ab eius consortio prohibendum videri*, cap. super 3. de eo qui duxit in matrimonium &c. Ergo à contrario, si neuter est vitæ insidiatus alienæ, hoc est viri, aut fœminæ interfectæ, sed tantum peccauit contra fidem coniugij propriam, cognoscendo carnaliter non suum, aut suam, matrimonium esse inter eos validum poterit, non secus ac si adulterij rei non essent.

A Si tamen esset admissum, ac cum eo, fides vtrinque data de matrimonio inter se celebrando, vbi vir fœminæ adulteræ, aut adulteri coniux, in viuis esse desierint, connubium esse inter eos nullum poterit, vt est in can. Concil. Triburiensis 40. his verbis: *Qui vxorem alterius eo viuente constupraunt, & insuper iuramento confirmant, si ambo eius legitimum superuixissent maritum, vt ille fornicator illam adulteram, adulterio pollutam, sibi associaret legitimo coniugio. Nos tale coniugium anathematizamus, & Christianis obseruandum, quia non oportet Christianæ religioni, vt illa vltus vtatur in matrimonio, cum qua est pollutus adulterio.*

Eodem pertinent canones qui sequuntur, sex-
B tus de eo qui duxit in matrim. & quartus causæ 31. qu. 1. vbi est his verbis: *Relatum est auribus Sanctorum Sacerdotum, quendam alterius vxorem constuprasse, & insuper mœchæ, viuente viro suo iuramentum dedisse, vt post legitimi mariti mortem, si superuixisset, duceret vxorem, quod & factum est. Tale ergo connubium prohibemus, & anathematizamus.*

Adulterium dixi, quia si quis haberet rem cum aliqua, quam ignorat esse coniugatam, aut quæ ob impedimentum aliquod verè non est talis, hoc est coniux: id non impediret, etsi fidem sibi mutuam coniugij dedissent, quominus eam sibi adulter sociare coniugem posset.

Ratio est, quod talis coitus haberi pro adulteri-
C no nequeat, Augustin. testis to. 4. de fide & operibus cap. 7. *Quidsi*, inquit, *Virgo nescient, viro nupserit alienos hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera, si autem sciat, iā ex hoc incipiet, ex quo cum alieno viro scienter cubauerit.* Ad hoc ergo impedimētū requiritur vt verum interueniat adulterium, cum fide de contrahendo, vel ipso facto contrahere, Inn. III. in cap. significauit 6. & Clem. III. in cap. cum haberet 5. de eo qui duxit &c. *Nosti*, inquit, *quod Leo Papa statuit, vt nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit, & quod hic processum fuit, quam si fides præstita dumta-*
D *xat fuisset adulteræ, vt defuncta legitima, eam duceret in vxorem, cum eadem etiam prima viuente, quasi matrimonialiter mœcha mœchus adhærere præsumpsit, & Sacramentum suum temere violare, quod vtrique connubium (etiam vbi nulla interceſſit iuramenti religio) tam Gregor. Papa, quam Tribur. Synodus detestatur, & vtrumque hoc modo coniunctum, præcepit publicæ pœnitentiæ subiici, ac perpetuo sine vlla spe coniugij permanere.*

Quod ipsum, illis est cum his commune, quos constat natura ipsa nouercante, aut obstante malo Dæmone, vel re quapiam alia, cum fœmina congredi non posse. Nam necessitatem sibi rei dandæ, aut agendæ, imponere nullus per contractum po-
E test, quam in sua potestate non habet, aut vt recipit, ac præ se fert, præstare nequit, sed matrimonium contractus est, de eorum numero contractum, qui his verbis explicantur, *Do vt des*, corpus scilicet pro corpore, cum obligatione in vtroque reciproca, soluendi sibi mutuo debiti cum petetur, ratum ergo non est futurum, ac stabile coniugium, si contrahentium alter, reddendi debiti sit impotens.

De Impotentia.

Cap. 12. Est autem impotentia coeundi, vitium à natura, aut maleficio, vel accidente quolibet alio

Digitized by Google

profectum, cap ex litteris de frigidis & maleficiatis. Eſtque hoc frigiditatis, ac impotentiæ coeundi impedimentum, iuris naturalis ac diuini, proindeque ab humana poteſtate ſemotum, vinculum matrimonij prohibens, illudq; cũ voluntate vtriuſque partis vtcunque coaluit, rumpens, cap. quod ſedem cap. laudabilem 5. paragrapho ſi autem de frigidis, & 27. qu. 2. can. decreta parag. finali, & 33. qu. 1. can. 1. dummodo tamen ſit perpetuum, cuiuſmodi decretalis Innoc. III. fraternitatis tuæ, de frigidis & maleficiatis illud eſſe decernit, *Quod præter diuinum miraculum, per opus humanum, abſque corporali periculo non poteſt remoueri*, & præceſſerit matrimonium 27. quæſt. 2. can. decreta parag. finali.

Ad probandam autem hanc impotentiæ coeundi perpetuitatem, Eccleſia coniugibus, pro cætera ſua in eos caritate triennium concedit, in quo vires ſuas vtrimque in coniugali opere experiantur ac probent patet, ex decretali epiſtola Gregor. ad Ioannem Rauennat. Epiſcop. de qua fit mentio in can. decreta citato, cui adiungenda eſt ſanctio Cœleſtini III. cui initium laudabilem de frigidis & maleficiatis, ac ſi elapſo eo tempore, quo efficaciter, annotauimus vt ex vtraque parte coniuges carnali copulæ operam dare oportuit, *Vterque eorum ſeptima manu propinquorum*, vel vicinorum bonæ famæ ſi propinqui defuerint, *tactis ſacroſanctis reliquiis, iureiurando dicat, quod nunquam per commixtionem carnis coniuncti, vna caro effecti fuerint, tunc mulier*, iudice Eccleſiaſtico, dicente diuortii ſententiam, *Secundas nuptias poterit contrahere*, ſi ipſa habilis & accommodata ſit viro, *vir autem qui frigidæ eſt naturæ, manebit ſine ſpe coniugij*, 33. qu. 2. can. decreta 27. parag. vltimo.

Si tamen conſtaret de impotentia, vt accidit, cum homini virile membrum deeſt, quia ei ab hoſte eſt abſciſſum, remouendi eſſent à ſeſe inuicem coniuges, nec ſinendi ob periculum culpæ, eodem vti lecto, multo minus experiri, ecquid ad opus coniugij eſſent idonei, *Fruſtra enim expectatur euentus, cuius nullus inducitur effectus*, cap. cum contingat de offic. delegati. Idem dicendum, cum eſt impotentia, non vt prima, accidentalis, ſed ex naturæ defectu quodam, & virium carentia ad opus coniugale profecta, vt cum viri membrum eſt aridum, cum erigi non poſſe conſtat, fruſtra enim eius rei quæritur probatio, quæ cognita non iuuat, quare his tantum experiendi facultas datur, quorum eſt impotentia dubia, vt cum neſcitur an hæc in fœmina oriatur, ex ætate nondum apta viro, an ob improportionem membrorum, ac magnitudinis corporum, inter eam & virum, an autem ex qualibet alia ſimili cauſa, de qua diſputare medicorum eſt non noſtrum.

Eadem eſt eorum cauſa quorum vis genituræ effectrix Cacodæmonis mala arte, præpeditur, his enim eſt vt aliis neceſſaria triennalis cum cohabitatione, virium ſuarum. in connubiali opere probatio, quæ ſi facta non erit, locus ſoluendo matrimonio deerit.

Ratio eſt, quod ſecundum Gloſſam in cap. fin. de frigid. & malefic. ea impotentia ſæpe certos, ac præſtitutos temporis limites ex pacto maleficî cum Dæmone habeat, extra quos non progreditur: ergo cum ſint hi, vtrique cõiugi incogniti, ne ſit eorum à ſeſe inuicem præpropera ſeparatio, vitioſa ac mala, triennio, vt permittunt iura conſummando matrimonio gignendiſque liberis operam dare debent, quod ſi id, toto eo tempore aſſequi Dæmonum arte vitioque non poterunt, tum conuocata propinquorum manu ſeptima, ac ſacroſancti iuriſiurandi religione interpoſita, quod adglutinari ad venerem, eorum corpora nequiuerint, omnis eis erit honeſta, expeditaque ratio procurandi diuortij, quo obtento à iudice Eccleſiaſtico quærere ambo, noua ſibi connubia poterunt, ſi eſt eorum impedimentum, ex maleficio proueniens, particulare, id eſt reſpectu ſui, non aliorum, nam ſi ad omnes ſeſe ex malefici voluntate extenderet, eſſetque comparatione omnium, nec fœmina viro vlli nubere, nec hic ſociare ſibi coniugio fœminam vllam poſſet.

Conſulte tamen ambo facient ac prudenter, ſi antequam Eccleſiæ iudicio ſeiungantur ab inuicem, ad ſolita expugnandis præſtigiis Sanctorum arma confugiant. Optimum Auguſtini conſilium eſt, Deum adi, votis eum tuis efflictim è cœlo ad ſubſidium euoca, potens eſt telum contra Dæmonem, ardens oratio, languida, nec hominem quidem ad aſſenſum flectit.

Eſt & aliud quo eum tibi concilies ad victoriam, abſtinere epulis, infrænem appetentiam ſub temperantiæ tenere imperio, ieiunio carnem frangere. Sputum ieiuni hominis, ſerpentem fugat, ieiunij virtus ſtygium Draconem, quod enim verè Chriſtus olim de obſidẽtibus humana corpora ſpiritibus dixit, hoc de omnibus, quibus ſaluseſt noſtra exoſa, grauiſque, maxime autem humana generatio per coniugium, par eſt intelligi: *Hoc genus Dæmonum non eiicitur, niſi in ieiunio & oratione*, arma enim contra ea ſuppeditant hæc duo, eaque vinci neſcia: *Ieiunij vim, ſpiritus mali metuunt*, Athan. lib de virgin. quare *nullum remedium contra, reperiri ieiunio manus, præſentiuſque poteſt*, Ambr. lib. 6. Hexamer cap. 4.

Notus ille Campanis totique Galliæ Hincmarus, Remenſis Archiepiſcopus, *Si per fortuarias*, inquit, *atque maleficas, occulto ſed nunquam iniuſto Dei iudicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non ſequitur, horrandi ſunt, quibus iſta eueniunt, vt corde contrito, & ſpiritu humiliato, Deo, & Sacerdoti, de omnibus peccatis ſuis, duram confeſſionem faciant, & profuſis lachrymis, & largoribus eleemoſynis, & orationibus atque ieiuniis Domino ſatisfaciant, & per exorciſmos, ac cætera Eccleſiaſtica medicinæ munia, miniſtri Eccleſiæ, tales ſanare procurent.*

Quod ſi hæc adhibebuntur conatu irrito, nulloque, ſeparari tum coniuges honeſtè, ac ſine metu culpæ poterunt, & quoniam vt eſt in decretali Innoc. fraternitatis de frigid. & maleficiat. *De talibus non eſt facile iudicare, cum finale iudicium pendeat ex futuro*, ſi Eccleſia (vt fieri poteſt) *cum error ſit in facto non iure*, in diiudicanda perpetuitate matrimonij deceptã ſe deprehendat, eo quod impedimentũ impotẽtiæ quod credidit perpetuum, non ſit niſi tẽporarium, diremptum matrimonium redintegrabit, & diſſoluet ſecundum, etſi viri & fœminæ aſſenſu mutuo, factum antea diuortium fuerit. Docent hæc Gregor. in epiſt. 1. ad Ioan. Rauennat Epiſcop. & Cœleſtinus III. in decretali laudabilem 5. de frigidis. *Si ille aliam duxerit, tunc hi qui iuncti erant, rei periurij teneantur, & peracta pœnitentia, cogantur ad priora connubia redire.* Clariſſime Innoc. III. in cap. fraternitatis 6. eiuſd. tituli, cum enim errante clane, diuortendi ab inuicem facultatem ab Eccleſia nacti coniuges bini eſſent, quod ad concubitum crederentur à natura damnati, minuſque idonei,

cuius tamen oppositum vsus ipse experientiaque planum fecerant, dixit Innocent *sententiam diuortij per errorem probabilem esse prolatam, cum pateat ex post facto, quod fœmina cognoscibilis erat illi, cuius similis commiscetur, & ideo inter ipsum & primum virum, matrimonium extinsse,* quare inter eam, & secundum virum, matrimonium non esse, eosque proinde separari ab inuicem oportere. *Et si prædicta mulier ad religionem transiuit,* inquit ibid. Innoc. *primus vir, qui non cognouit eandem, cum ea remanet, cum qua postmodum Ecclesiæ auctoritate contraxit, aliosqui ea dimissa, debet ad illam redire, cum qua primo contraxit.*

Ex quo patet mulierem, quæ primo viro non apta, habilis eidem euasit, congressu, carnalique copula, cum secundo habita, qui primo ætate, membrorum magnitudine, ac temperatione, est similis, restituendam ei esse, quam sententiam, verba citatæ decretalis extrema indicant: *Per hæc,* inquit ibi Innoc. *quæstionem illam noueris esse solutam, qua quæritur virum illa, quæ viro cui nupserat, adeo arcta est, vt nunquam ab eo valeat defloraci, si ab eo sit per Ecclesiæ iudicium, separata, & nubat alteri, cui arctatum sit, & per frequentem vsum secundi, reddatur etiam apta primo, virum ad eum redire debeat, cum quo prius fœdus inierat coniugale.*

Contraria sententia defenditur à Fernandez in examine parte 3. cap. 16. parag. 2. num. 9. sed non tenenda ob auctoritatem Pontificum, Ecclesiæ praxim, vsumque vbique terrarum contrarium.

De aliis quibus prohibetur Matrimonium.

CAP. 13. SEXTO habet matrimonium à personis, vt non sit ratum, quando non sunt hæ ad contrahendum idoneæ, eiusmodi sunt primo impuberes cap. attestationes 10. & cap. vltimo de desponsat. impuber. & in sexto eod. titulo cap. 1. parag. idem quoque & 36. qu. 2. can. vltimo paragr. finali, nisi sint pubertati proximi, malitiaque ætatem suppleat cap. de illis qui 9. de desponsat. impuberum, quod quomodo intelligi debeat dictum est antea.

Secundo nuptias contrahere furiosi nequeunt 32. qu. 7. can. neque furiosus cap. dilectus 24. de sponsalib. lege 16. parag. finali ff. de ritu nuptiarum.

Tertio, abstinere à nuptiis debent, obligati voto solemni continentiæ 27. qu. 1. can. 1. can. viduas, cap. neque viduas, cap. virginem, cap. hi ergo, can. virginibus, can. peruenit, can. meliore, cap. si qua virgo 1. can. quotquot, & in Concil. Chalcedon. hæc leguntur: *Si qua Virgo se dedicauerit Deo, similiter Monachus, non licet eis nuptiis iungi. Si vero nuncupati fuerint hoc facientes, maneant excommunicati.* Similiter & Diaconissa, *Si se nuptiis tradiderit, iniuriam faciens gratiæ Dei, hæc anathema sit, cum eo, qui in nuptiis eius conuenerit,* Chalced. can. 15.

Sunt his consentanea, quæ habentur disp. 27. can. vbuentibus, can. si nupserit, can. Presbyteris, item cap. 1. 2. 3. & vltimo tituli qui Clerici vel vouentes, Leo epist. 90. cap. 13. & 14. ad Rustic. Narbon.

Pœna secus facientium triplex, prima, quod eorum nuptiæ, vt pote incestæ, impiæ ac sacrilegæ, sint nullæ, decreto Synodi Foroiulien. can. 11. Meld. can. 67. Trullianæ can. 8. *Nullus,* inquiunt ibi Patres, *Deo deuotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, illicito connubio, aut vi, aut consensu accipiat coniugem, quianec virum esse poterit consumgium.*

Secundum supplicium, quo istiusmodi hominum vesana libido reprimitur, est mortis, huius pœnæ fit mentio in Cod. de Episc & Cleric. & in Concil. Turon. 2. can. 2. *Nullus sacratam Deo Virginem, neque sim honore Christi vestem mutauit, rapere aut competere, aut sibi coniugem sociare præsumat, quia & lex Romana constituit, vt quicunque sacratam Deo Virginem aut viduam rapuerit, si postea de eius connubione conuenerit, capitis sententia feriatur.* Quam pœnam non obscure tangunt, & approbant Concilia Foroiulien. & Meldense, istud quidem can. 67. primum autem can. 11. his verbis: *Si se postea (puellæ scilicet, & viduæ, quæ virginitatis, siue continentiæ propositum spontanè pollicentes, Deo mancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam induerint) si,* inquam, *postea se esse sine clanculo corruperint, seu publicè nupserint, digni mundano iudicio corporalibus coercitæ vindictis, segregentur ab inuicem, & agant cunctis diebus vitæ suæ pœnitentiam.*

Tertio puniri solent censura excommunicationis, quæ quidem decreto Matisc. Concil. can. 12. videtur fuisse tantum ferendæ sententiæ, cum enim questi essent Episcopi, reperiri in Gallia Virgines non paucas, quæ oblitæ officij, Deo hominem, voluptatem castitati, sacrilego ausu præponerent, de his statuerunt, his verbis: *Decreuimus, vt si quæ puella voluntariè, aut parentibus suis reluctantibus religionem professa, vel benedictionem sacri velaminis consecuta, & postea ad coniugium, aut ad voluptatem sæculi, quod potius stuprum est, quam coniugium iudicandum, transgredi præsumpserit, vsque ad extremum cum ipso, qui se eiusmodi consortio maculauit, communione priuetur.* Verissima tamen est opinio, eos ipso facto excommunicatos videri, iudicio Chalcedon. Concilij nam in eius can. 16. est perspicue, quod qui continentiæ, quam sunt in religione professi, vim faciunt, aut matrimonium ineunt, *manent excommunicati,* Gregor. XI. par. fuit idemque sensus, nam hos qui post dicatum Deo propositum vt loquitur Gelas. Episcop. 1. cap. 22. incesta fœdera, sacrilegaque miscent, pro tam nefandi atrocitate criminis, sacris ait esse, ac communione priuatos: *Si quis Monachum, quam Dei ancillam nominamus, in coniugium duxerit, sit anathema,* in Synodo Rom. can. 1. & 2.

Simili sunt à Clem. V. fulminati sententia, vnaque quotquot sacris insigniti ordinibus, coniuges sibi fœdè, ac improbè sociant, sic enim ille in Concil. Vienn. vt refertur in Clem. prima de consanguin. *Necnon religiosos, & Monales, ac Clericos in sacris ordinibus constitutos, matrimonia contrahentes, refranare metu pœnæ, ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere.*

Non possunt ergo maiorum Ordinum Clerici ad nuptias admitti. Ab iis factæ sunt nullæ. cap. 1. & 2. Qui Clerici vel vouentes matrim. contrah. possunt, & distinct. 32. can. erubescant, & can. si quis. Dixi *maiorum ordinum,* nam à minoribus, nullum matrimonio faciendo fieri præiudicium, docetur in cap. 1. de Clerico & coniugato, can. si quis vero, & can. seriatim dist. 32.

Præter hos, remouentur à matrimonio qui præsente Parocho aut alio Sacerdote, de eius, aut Ordinarii licentia, tribusque aut duobus saltem testibus voluntatis suæ, ac facti conscijs, contrahere renuunt, quia ita affecti, redditi sunt decreto Concilij sess. 24. cap. 1. ad sic contrahendum inhabiles

can. in coniugio 1. quam *ſi notorium eſt mulierem in eorumque contractus declarati nulli ac irriti: Parochum autem & Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero & teſtes qui ſine Parocho, vel Sacerdote, huiuſmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes, grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit* Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. Et quanquam nulla in eos ſtatuta pœna legatur, qui connubij æqui iure, fideles in facie Eccleſiæ ſtabiliunt, iunguntque, peccant tamen Parochi qui contempta ex laudatiſſimo, & antiquiſſimo Eccleſiæ more à Lateranenſi Concilio inducto, & à ſacra Tridentina Synodo approbato, palam ſubditos ſuos iungunt, nõ denũciatis his prius, tribus feſtis diebus, idq; aliquot dierum interuallo diſtinctis ab inuicem, inter Miſſarũ ſolemnia aut concionandum, inter quos eſt futurum matrimonium, id enim Eccleſia, id Patres, id Concilia præcipiunt. Innoc. III. ſunt hæc verba in Concil. 1. Later. can. 51 *Statuimus vt cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros, publicè proponantur, competenti termino præfixo, vt infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Et ipſi Presbyteri nihilominus inueſtigent, vtrum aliquod impedimentum obſiſtat.* Hoc enim facere Parochi iubentur in Concil. Treſleiano cap. 8. Conciliorum R. P. Sirmundi tom. 2.

Sed prius caueendus eſt Sacerdos, in cuius Parochia nuptiæ fieri debent, in Eccleſia coram omni populo, & ibi inquirere, vna cum populo ipſe Sacerdos debet, ſi ei ne propinqua ſit, an non, aut alterius vxor, vel ſponſa vel adultera, & ſi licita & honeſta omnia pariter inuenerit, tunc per conſilium, & benedictionem Sacerdotis, & conſulta aliorum hominum bonorum, eam ſponſare, & legitime ducere debet. Modo de nulla re ſponſos interrogati à Parocho eſt neceſſe, quam de eorum conſenſu, *Quo intellecto dicat. Ego vos in matrimonium coniungo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* Et quanquam cum iuſta eſt aliqua metuendi cauſa ne matrimonium malitioſè impediatur, ſi tertio denuntietur, ſpectante ac audiente populo, de Ordinarij conſenſu ſufficiat ſemel id fieri, aut omnino (vt aiunt) negligi, *Quod ea prudentia & iudicio ſanctæ Tridentinæ Synodus reliquit*, non eſt tamen iure Parochi, denunciationes eiuſcemodi ex parte, aut toto remittere, ſed ſolius Ordinarij, cuius erit, in eo metu dare operam, vt ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, matrimonium celebretur, ea tamen lege, inquit Concil. ſeſſ. 24. cap. 1 *Vt ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, vt ſi aliqua ſint impedimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt omittantur.*

Qui ſint habendi pro illegitimis.

CAP. 13. Qui autem ſunt ex clandeſtinis, aut iniuſtis nuptiis, liberi procreati, ſimiles ſunt ſpuriis cap. 4. parag. ſi quis vero de clandeſtina deſponſ. Sunt autem iniuſtæ nuptiæ cum ſunt ab Eccleſia prohibitæ, quare *cum publica honeſtatis inſtituta prohibent, matrimonia inter ſponſi aut ſponſæ propinquos, contrahi nequeant, nec per eaſdem, nec per Eccleſiæ permiſſionem, nec per patrem ignorantiam extenſentur, ad ſucceſſionem bonorum paternorum, non videntur aliquatenus admittendi*, Cœleſt. III. cap. referente 10. qui filij ſint legitimi, quia quicunque, *ex inceſtuoſis coniunctionibus ſibi ante ſunt nati, hodieque naſcuntur, non deputantur filij, id eſt, nullo parentibus iure ſuccedunt*, 31. qu. 7. can quid eſt primo.

Pari modo proles illegitimæ cenſentur, ſi ambo parentes, impedimentum ſcientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conſpectu Eccleſiæ, contrahere præſumpſerint. Innoc. III. cap. 1. de clandeſt. deſponſatione parag. pari modo, *aut in gradu prohibito, etiam ignoranter, cum parentes taliter contrahendo, non expertes ſcientiæ, ſed affectatores ignorantiæ videantur*, Innoc. ibid.

Nec ſunt modo Eccleſiæ lege, nati ex nuptiis iniuſtis, hæreditate indigni, ſed ſunt eorum parentes in pœnam admiſſi criminis, cum eos genuere concubitu propter conſanguinitatem vetito, lege tàm ſæculi, quam Eccleſiæ infames, Calixto teſte in epiſtola ſecunda ad Epiſcopos Galliæ, relata à Gratiano cauſa 35. quæſt. 2. can. coniunctiones 2. & excommunicati per Clement. V. in Clement. vnica de conſanguin. priſcoque Patrum æuo, per Epiſcopos Galliæ in Concil. Aurel. & Illerdenſi in Hiſpania can. 4. quæ excommunicatio, latæ eſt, non ferendæ ſententiæ, vt verba ipſa Concilij indicant. *Sacerdos autem Parochialis qui tales coniunctiones prohibere contempſit, aut quilibet etiam regularis, qui eas præſumit interceſſe, per triennium ab officio ſuſpenditur*, iure antiquo cuius Innoc. III. auctor in cap. cum inhibitio 3. de clandeſtina deſponſat. Nouo autem, promulgato in Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. quandiu Ordinario eſt placitum: quando eſt talis coniunctio, ideo mala, vetitaque quia clandeſtina.

De Diuortio.

CAP. 14. Sunt autem ſic iugati coniuges, ſeparandi, quia concubini ſunt, non coniuges, quanquam cauſæ iuſtæ & aliæ ex quibus matrimonium ſoluitur, quoad thorum, vinculum, & tectum.

Soluitur, quoad vinculum, per mortem amborum coniugum, aut alterius de duobus, cap. penult. & vltimo de ſecundis nuptiis, lege 2. digeſt. de diuortiis Nouella 12. parag. quod autem ſuper.

Secundo ſoluitur quoad vinculum quando eſt ratum tantum, & non conſummatum, per diſpenſationem Pontificis, & profeſſionem in Religione approbata, de qua re nos antea.

Quoad lectum, & tectum ſoluitur matrimonium primo, per fornicationem coniugis cap. ſignificaſti 4. de diuortiis cap. ex litteris 5. eiuſdem tituli cap. diſcretione 6. parag. nam etſi de eo qui cognouit conſanguineam, 32. q. 1 can. dixit & q. 7. can. Apoſtolus, can. fieri poteſt & 34. q. 1. can. non ſatis parag. rem nouam.

Secunda cauſa ex qua ſeparantur coniuges, eſt hæreſis alterutrius ex illis: cap. quæ ſint 2. de diuortiis, 28. qu. 1. can. ſimili modo, can. vxor legitima, can. ſi infidelis, can. communem, can. ſic enim, can. Iudæi, canone ne ſolum ead. qu. & cauſa, *Nec enim ſolum eſt mœchatus illius, qua carnem ſuam conquinauit, ſed etiam qua ſimulachrum facit, mœchatur. Quod ſi in his factis perſeuerat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli viuere cum illa. Sin autem & tu particeps peccati illius eris*, Auguſt. de adulterinis coniugis lib. 2. Ob eam cauſam, qui ſciens vxorem ſuam eſſe adulteram, nihilominus eam habebat in matrimonio, tribus annis pœnitere iubebatur, eoque toto tempore ab ea abſtinere: Pœnitentiale Theodori vt refertur 32. qu. 1. can. ſi quis 6. Per alia coniugis peccata, diuortio non eſt locus, Alex. III. cap. quæſiuit 2. de diuort. auctor. Quare *mulier pro furto, vel alio crimine viri ſui (niſi fidei religionem corrumpere velit) ab eo ſeparari non debet; quia in coniugio quis poſitus, quæcunque peccata fecerit, non propriam infuſcat coniugem, ſed fornicatio* 28. qu. 1.

ipſam commiſiſſe, ad eam recipiendam vir cogi non debet, niſi conſtaret, ipſum eum alia adulterium commiſiſſe. Alexand. III. cap. ſignificaſti 4. de diuortiis.

Tertio, inſtituendi diuortij quoad thorum & domum iuſtam cauſam affert ſeruitus alterutri coniugum ſuperueniens, lege 1. digeſt. de diuort. Nouella 22. paragr. quod ſi iudicis: Eiuſdem deportatio in exilium, 33. quæſt. 2. can. quos Deus 18. ſententia iudicis pronuncianti diuortium, 35. qu. 9. in principio, à qua niſi fiat prouocatio illico ac profertur, valere eſt cenſenda, *Sententia enim niſi per appellationem intra terminum lege conſtitutum relenata fuerit, irrenocabile robur obtinet*, 35. qu. 9. in principio.

Eſt & altera cauſa diuortij, quoad habitationē, nēpe cū coniugē coniux ad peccandum incitat 28. q. 1. can. vxor, & can. Idololatria ead. 4. & cauſa aut eius vitæ ſtruit inſidias, 31. qu. 1. can. ſi qua mulier, deſumpto ex Concil. apud Vermerias vbi eſt his verbis: *Si qua mulier in mortem mariti ſui, cum alio conſiliata ſit, & ipſe vir, aliquem illorum ſe defendendo occiderit, ſi probare poteſt ille vir eā eſſe conſilij participē, poteſt (vt nobis videtur) ipſam vxorem dimittere*, non tamen ante eius mortem, aliam ducere: *Ira enim ab ipſa mundi creatione, naturale & inuiolabile manet coniugij Sacramentum: vt nec præuaricatio originalis illud abſtulerit, nec diluuij ſententia, crimina diluens immutauerit. Quod ergo diuina ſententia ſanxit, & immutabile fieri voluit non debet humano in erdicto diſtingi, niſi fuerit abſque contrahentium conſenſu factum, aut per ſe criminoſum, id eſt adulterinum, aut inceſtuoſum. Quod cum euenerit, non eſt differendum, ſed ſeparatione ſanandum. Vbi vero iſta defuerint, ſiue fint voluntarie, ſiue excommunicati, ſiue quolibet alio vitio coniuges inſideli, tamen hæc omnia toleranda ſunt, pro conſeruanda fide coniugij.* Iuo Carnot. epiſt. 180. ad Odonem Archidiaconum.

Quid ſi Adulteram peccati ſui pœniteat? quid ſi viro ſuo reconciliari ambiat, petatque?

Lege quidem antiqua, adultera à priori viro dimiſſa, & alteri per coniugium ſociata, ſi ab eo repudiata fuerat, nullatenus priori reconcilianda erat ne diuina vindicta ſæuiret, multi in diſcrimen adducantur, & paucis indulta licentia, plurimorum faciat pullulare flagitia. Euangelica vero ſententia, humanæ infirmitati contemperatam miſericordiam magis vult, quam iudicium, quæ legis temperat auſteritatem, ſine vlla exceptione conſulens fieri adulteræ reconciliationem: quam ſecuti ſunt Patres noſtri poſt Euangelium, veriorem eſſe intelligentes miſericordiam, in tali contractu quam iudicium. Iuo ep. 22. ad Eduenſes Clericos, de concordia veteris & noui teſtamenti, ſuper coniugio adulteræ.

Et quanquam, *coniugia niſi cauſa legibus cognita, minime ſoluantur*, Iuo ep. 180. nec in lege Chriſti ſine iudicis auctoritate, diuortia fiant, vt habet ſanctio Carthaginenſis Concilij vbi interfuit Diu. Auguſt. quæ reperitur in Concil. Agathenſi can. 17. his verbis: *Si ſeculares qui coniugale conſortium nulla culpa grauiori dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſtricte probabiliter proponentes, propterea matrimonia ſua dimittunt, vt aut illicita, aut aliena præſumant, ſi antequam apud Epiſcopos compromunciales, diſtricte cauſas dixerint, & priuſquam iudicio damnentur, vxores ſuas abiecerint, à communione ſanctæ Eccleſiæ, & populi cœtu, pro eo quod fidem, & coniugia maculant, excludantur*: etſi (inquam) priuata auctoritate vxor dimitti nequeat, niſi forte cum eius peccatum eſt certum, aut ita in promptu vt ſtatim innocens coniux ſit probaturus et tamen, quoties & quando eſt placitum, cum nocente hoc eſt adultera, in gratiam redire licet, quia vt bene de quolibet mereri quis poſſit, ſuper hoc eum ad conſilium adhibere alium nihil eſt neceſſe, ſufficit ſi ſequatur affluentem ſpiritum, ſi monentem, ac ad magna Deum vrgentem audiat, maximè cum aliena ſalus, aut propria agitur, quod hic vſu venire, nemo non intelligit, cum cedere iure ſuo quiſque, iniuriam deprecanti dare, cum eo reconciliari honeſte poſſit, ac cum laude, quolibet tempore.

Viro autem & fœminæ poſt admiſſum adulterium, reconciliatis inuicem, matrimonio vti ſuo, fas erit, qui vſus conſiſtit, *In fide thori coniugalis, in cura ordinatè procreandi filios, benoque vſu concupiſcentiæ carnis, quo bono adulteri malè vtuntur*, Auguſt. contra Iulian. lib. 1. *Nuptiæ enim, vt ipſa nuptialis tabula clamant, liberorum procreandorum cauſa, marem fœminamque coniungunt, quiſquis ergo procreare liberos, peccatum eſſe dicit, prohibet vtique nuptias, & non tam vxorem ſe habere non ſinet, ſi enim vxor eſt, matrimonium eſt, non autem matrimonium eſt vbi datur opera, ne ſit mater, non igitur vxor*, Auguſtin. lib. 2. de morib. Manich. cap. 18. Eſt ergo viro & fœminæ coniugij vſus omnimode, Patris huius teſtimonio licitus.

Et quanquam certa nulla ſint tempora, quibus ab eo temperare ſibi neceſſario debeant, multa tamen, eaque varia, præſtituêre olim Chriſtiani veteres: quibus ad vxorem accedere, viro nefas eſſe dicerent: Et quidem hunc illi miſereri, antequam ſtata purgationis muliebrium tempora effluxiſſent, capitale eſſe credidit Greg. interrog. 10. ad Auguſt. Die verò Dominico, coniugalis inter virum & fœminam commercij vſum omnem malum eſſe dixere, Timoth. Alexan. Epiſcop. cap. 13. & Nicol. Papa. conſultus enim hoc à Bulgaris, ecquid viro die Dominico, nocturno vel diurno tempore, cum vxore coniungi, vel dormire fas eſſet, quia ſenſerit exprimi poſſe his verbis: *Si Dominico die, abſque mundationis noſtræ vllam eſſe, quam o pectus? vt ipſum carnale, & omnimoda pollutionis cauſam, præſertim cum Dominicum diem non in, quo dubitat eadem die, præter qua Dominus ſuos Chriſtianos agere debeat, liquido manifeſtet*, ad conſulta Bulgarorum cap. 63. Dixere eandem ſententiam Theodulph. & Timoth. quod enim eo die, *Si venale ſacrificium Domino offeratur*, maritis abſtinendum eſſe coniugio voluere, quemadmodum & in quadrageſima, *Vt ſanctificato corde, & corpore, ipſi dicere mereamur, & ſe permanſio ad diem ſanctum Paſchæ, quæ per abſtinentiam valet acquiri, quod coniugali opere polluitur*, Theodulph. ad Presbyt. Aurelian. cap. 43.

Nihilominus firma hæc mihi, veraque inſidet opinio, cum Paulo, 1. ad Corinth. 7. niſi ex conſenſu mutuo, non poſſe coniuges, corporis ſibi ſui vſum negare, niſi ad tempus, idque orationis cauſa, quo etiam tempore, ſicut & quolibet alio, peccati in de vitandi cauſa, copulari poſſe ſine culpa Theologorum eſt, meaque ſententia.

De tribus Matrimonij.

Cap. 15. Claudam hunc tractatum, explicatione breui rituum, quos in celebrandis nuptiis frequentatos, libri veteresque narrant hiſtoriæ.

Et primo quidem, vt olim apud Romanos in contrahendis nuptias adhibebantur Auſpices Cicer. teſte, lib. 1. de diuinat. Serv. ad illud Virg. 1. Æneid.

Cui pater intactam dederat primisque inguat Omnibus,

Sic apud nos hoc eſt Chriſtianos, nulla ſunt hoc tẽpore matrimonia, ſine Sacerdotis præſentia decreto Eccleſiæ in Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. quem morem ab Apoſtolica fluere traditione, Chriſtique Domini voluntate, ſcripſit Ignat. in epiſt. 11. ad Policarpum: *Decet vero, vt & ducentes vxores, & nubentes, cum Epiſcopi arbitrio coniungantur, vt nuptiæ iuxta præceptum Domini, non autem ob concupiſcentiam eſſe videantur*, hoc eſt enim quod Apoſt. à Virgine exigit: *Cui vult nubat tantum in Domino. In Domino enim nubere*, inquit Eminentiſſ. Baron. *nihil eſt aliud, quam ſecundum leges, & ritus Eccleſiæ, ab Apoſtolis ipſis traditos contrahere matrimonium*, tom. 1. ad ann. Chriſti 57. Petri 13.

Huius cæremoniæ, rituſque meminere Concil. Carthaginenſes 4. can. 13. Innocent. epiſt. 2. cap. 6. Euariſt. epiſt. 1. apud quem hæc ſcripta in rem noſtram video. *Legitimum, vt à Patribus, & à ſanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, traditum inuenimus, non ſit coniugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem videntur habere, & à quibus, cuſtoditur, vxor petatur, & ſuo tempore Sacerdote aliter vt mos eſt, cum precibus & oblationibus, à Sacerdote benedicatur.*

Notanda vox (*Legitimum*) qua ſignificatur, illis quidem temporibus, adhibendum fuiſſe in contrahendis nuptiis Presbyterum, ne committeretur in legem Eccleſiæ id exigentis, non tamen, fuiſſe tum ex eius abſentia, ac defectu, inanes ac nullas, cum conſtet ante Concil. *Clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera fuiſſe matrimonia.* Trident. ſeſſ. 24 cap. 1.

Secundo, tam apud Hebræos quam Græcos, qui iungebantur matrimonio manus conſerebant, de Hebræis fidem facit Tobiæ hiſtoria, vbi eſt his verbis cap. 7. *& apprehendens dexteram filiæ ſuæ, dexteram Tobiæ tradidit, dicens Deus Abraham &c.* De Græcis Xenophon lib. 4. rer. Græcarum.

Eorum exemplo, viri & fœminæ dexteras, ſtola eis ſuperpoſita, Sacerdos iungit. *Animo & voluntate adſum*, inquit Gregor. Nazianz. epiſt. 57. ad Anyſium, *ſimulque feſtum celebro, iuuenemſque dexteras inter ſe iungo, atque vtraſque Dei manui.* Ritum hunc ſubſequebatur eiuſdem Preſbyteri coniungentis benedictio, quæ in Eccleſia, ea verborum forma, de qua nos antea, dabatur cum velamine, peracto Miſſæ ſacrificio.

Et primum quidem in Eccleſia Domini, cum obligationibus, quas offerre debent Deo, per Sacerdotis manum ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem, & velamen cœleſte ſuſcipiunt, ad exemplum ſcilicet, quos Dominus primos homines in Paradiſo collocans, benedixit dicens. Creſcite & multiplicamini, Nicol. ad conſulta Bulgar. cap. 3. neutrum tamen ante vtriuſque conſenſum, verbis aut nutu expreſſum, vt ex his Siricij Papæ verbis in epiſt. ad Eccleſiam Mediolanenſ. 2. datur intelligi: *Nos ſane nuptiarum vota*, id eſt deſiderium voluntatem ac aſſenſum, *non aſſernantes accipimus, quibus velamine interfuimus*, viden'? vt velatio, nuptiarum ſit votis poſterior? vt non niſi animo, ac ſponſione ſibi mutua iuncti coniuges, velamen capiunt?

Tertio, fuit inter matrimonij ritus, oſculi ſancta libatio, fuit & annuli porrectio, quem à ſponſo apud Romanos in puellæ digitum, qui minimo eſt proximus, immitti ſolitum, eo quod in eo vena ſit quædam ſanguinis, quæ ad cor perueniat, ſcribit Gubert. in ſuo lib. de ſponſalibus, quem morem, in contrahendis nuptiis ſequendum ſibi cum Chriſtiani crederent, annulum cum ſpondebantur nuptiæ, ſponſus ſponſæ, arrhæ loco dabat, dotemque pro eius natalibus ac conditione, maiorem aut minorem ſpondebat: *Poſt ſponſalia, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſa fœdera, conſenſu eorum qui contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt celebrantur. Et poſtquam arrhis, ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei annulo inſignitum deſponderit, dotemque ei placitam, ſponſus cum ſcripto pactum hoc continente tradiderit, ambo ad nuptiarum fœdera perducuntur*, Nicol. ad conſulta Bulgar. cap. 1. erat autem hic annulus apud Rom. Plinij tẽpore ferreus. Plin. lib. 33. cap. 1. coq; quæ domi erant vt arcæ penuariæ, ſupellex argentea aureaque: item vaſa cuiuſquemodi ne ea ſerui auerterent, obſignabantur à fœmina: Clem. Alex. in pædag. lib. 3. cap. 11. Apud Chriſtianos autem erat hic aureus Clem. Alex. loco citato, non idolorũ impreſſus facie, non arcu non enſe, quod fideles ſtudia pacis ſectentur in Eccleſia, non belli, *Sunt iis ſignacula, columba, piſces, vel nauis, quæ celeri curſu à vento fertur, vel lyra muſica, qua vſus eſt Polycrates, vel amphora, quam inſculpebat Seleucus.* Clem. lib. 3. cap. 11.

Credidere alij ſponſalem annulum, ſignum habuiſſe fidei, quod eſt concordiæ, mutuique amoris ſymbolum, vt quoties in eum oculos, animumque coniuges intenderent, meminiſſent, caritatis ac officij, quo ſe debent inuicem, in omni vitæ genere proſequi: *Ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam in mulierem*, Geneſ. ſecundo, *Ne*, inquit Chryſoſtom. homil. 20. in epiſtol. ad Epiphan. *tanquam cum aliena cohareret.* Vt viro mulierem obſequi, vt ei officia exhibere, eſt neceſſe, ſine quibus ſtare nequit coniugalis aduerſum ſe inuicem caritas, ita amari à marito fœminam, vti partem ſui alteram, conuenit. Quæ Iunoni, nuptiarum præſidi offerebantur olim hoſtiæ, felle carebant, Euſebio teſte de præparatione Euangel. cap. 1. vt intelligerent qui eas ambibant ira ſe vacuos, odioque, eſſe oportere, abundare autem caritatis erga ſe mutuo, ſuauiſſimo melle.

Recte igitur ac prudenter, eiuſmodi ſponſalibus annulis, fidei ſignum imprimi, Chriſtiana pietas, vſuſque obtinuit, addidit & coniunctionem manuum, quæ cum denarium numerum qui prima quadratura à Pytagora dicebatur, ſimilitudine quadam figuræ exprimat, perfectam animorum conſenſionem, ſymbolo quodam ſignificat.

Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi ſponſi, coronas in capitibus geſtant quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſunt ſolitæ ſeruari: & ita feſtis nuptialibus celebratis, ad ducendam vxorem, Domino diſponente, de cætero dirigentur, Nicol. ad cõſulta Bulgar c. 3. qua dirigẽdi prouincia defungebantur apud Romanos tres pueri, patrimi aut matrimi, vt ait Feſtus, id eſt patrem aut matrem habentes, quorum alter, nouæ nuptæ facem ex ſpina alba, aut ex pinu, carpino, vel cotylo præferebat, nobis ideſt Chriſtianis, non aliæ in ſacris faces cognitæ quam cereæ, nec hæ, ſponſæ deducendæ ad maritum adhiberi ſolitæ, pompam nuptialem communes amici inſtituunt, domo ſponſam in templum, è templo domum ducunt, eam ibi, pro ſe quiſque, ſi non muneraturi copioſe, ac largiter vt vult Apuleius Apolog. 2. Catull. in carmine de nuptiis Pelei & Thetidos.

Dona ferunt, præ ſe, declarant gaudia vultu.

At certo ei omnia, fauſta, ac fortunata, exem-

plo Hebræorum veteri apprecaturi ex animo, Geneſ. enim 24. cum hi Rebeccam ad Iſaacum, quem ei ſponſum parentes elegerant, volentem cum eius nutrice Debora mitterent imprecantes ei proſpera dixere: *Soror noſtra es, creſcas in millia, & poſſideat ſemen tuum, portas inimicorum ſuorum*: Pari prope, voto Tobiæ generum ſuum, rediturum ad parentem Gabelus inſequitur. Tobiæ 9.

A *Benedicat te Deus Iſrael, quia filius es optimi viri & iuſti, & timentis Deum, & eleemoſynas facientis, & ducatur benedictio ſuper uxorem tuam, & ſuper parentes veſtros, & videatis filios veſtros, & filios filiorum veſtrorum, uſque in tertiam & quartam generationem & ſic ſemen veſtrum benedictum à Deo Iſrael, qui regnat in ſæcula ſæculorum.*

TRACTATVS VLTIMVS

TRACTATVS VLTIMVS, DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

QVÆSTIO I.

Virum Extrema Vnctio ſit Sacramentum.

DICO primò, *Extremam vnctionem eſſe verum ac proprium nouæ legis Sacramentum:* Eſt hæc aſſertio, tam Conciliorum, quam Romanorum Pontificum decretis certa, ordior à Conciliis. *Quintum Sacramentum*, inquit Eugen. in Conc. Florent. *eſt Extrema-vnctio, cuius materia eſt oleũ oliuæ, &c.* de quo ambigere fas nemini ſine crimine, reputant, dictam pridem ab Eccleſia ſententiam in eos qui ſecus ſentirent ac crederent. *Si quis dixerit, Extremam-vnctionem non eſſe vere, & proprie Sacramentum, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à B. Iacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum, tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.* Trident. ſeſſ. 14. can. 1. de Sacramento Extremæ-vnctionis. *Non eſt ita ſine parui pendenda eius modi medicina, quæ animæ, corpori ſque medetur languoribus, ſed ſecundum B. Apoſtoli Iacobi documentum, cui etiam decreta Patrum conſonant, infirma oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, à Presbyteris vngi debent.* Concil. Cabillon. ſub Carolo Magno can. 48. Medicina appellatur vnctio, quod vt habet Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio: *Non ſolùm cum nos regenerant* Sacerdotes, *ſed poſtea etiam condonatorum nobis facultatem obtinent. Infirmatur inter vos aliquis*, inquit S. Iacobus, *accerſat Presbyteros & oratio fidei ſaluabit infirmum & alleuiabit, &c.* Suntque iſtius ſalutaris pharmaci capaces omnes, præter publice pœnitentes, *quia genus eſt Sacramenti: nam quibus pœnitentibus reliqua Sacramenta negantur, quo modo vnum genus putatur poſſe concedi?* Innoc. I. epiſt. ad Decentium prima cap. 8. quod Iuoni non probatur nam in epiſt. 257. ad Radulphum S. Fuſciani Abbat. eis non negandam ſcribit: *Vnctio infirmorum publicè, pœnitentia eſt Sacramentum, quam non eſſe repetendam, ſicut nec Baptiſmum teſtatur Auguſtinus, &c.* quod quomodo intelligi oporteat, explicandi non eſt hic locus, dixiſſe ſufficiat, amborum opinione ac ſenſu Extremam vnctionem Sacramentum eſſe, quod euincit ac probat hæc ratio.

Qui ritus eſt à Chriſto Domino, relictus in Eccleſia, gratiæ producendæ cauſa, hic non modo eſt ſacer, vt pleraque alia, quæ fructuoſe vſurpantur ab Eccleſia, ſed etiam Sacramenti conſendus nomine.

At hæc pro Extrema-vnctione faciunt omnia. In primis eſt ritus, vnctio ſcilicet exterior, cum precibus Sacerdotis, quibus rebus, materia & forma Sacramenti deſcribuntur, eſt etiã promiſſio gratiæ, & remiſſionis peccatorũ, Chriſti etiam Domini inſtitutio, nam quis credat Apoſtolos, homines diuina ſapientia præditos, eo prouectos vnquã temeritatis ac audaciæ, vt crederẽt, quod in ſolius Dei eſt iure, arrogare ſibi imprudenter ac ſuperbe fas eſſet? Gratia ac gloria, eius ſolius ſunt beneficia, iuxta illud, Gratiam & gloriam dabit Dominus, quam non eſt ergo probabile, viros ea prudentia, morumque innocentia, id tentaſſe, quod ſibi Chriſtus, ſuæque aduerſus homines infinitæ charitati, ac beneficentiæ, relictum voleba?

Sane vt per ſe, ac viribus naturæ nequeunt, peccata homini homines remittere, vt gratiam ei, cœlique opes liberali conferre dextera: naturã ſuã non poſſunt, ita nec hos vlli ritui, aut actioni annectere, quam qui faceret, eas infundi ſibi ſuperne, ac è cœlo, cerneret, quare cum has Apoſtolus certo, & abſolutè, cum peccatorum venia, promittat frequentanti hunc ritum, id eum Chriſti nomine ac imperio facere, à quo erat hoc Sacramentum inſtitutum, dicere eſt neceſſe. Ita vero eſſe, vt eſt in argumento poſitum, declarant Patres, & primo de gratia: *Nec prætermittendum eſt illius Apoſtoli Iacobi præceptum. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ: Ergo ſi roges de te, & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Iacobus, imo per Apoſtolum ſuum Dominus, ipſa videlicet olei ſacrati delibutio, intelligetur Spiritus ſancti cryſmate vnctio:* Au-

ctor lib. 2. de visitat. infirmor. cap. 4. apud S. Auguſt. to. 9. De gratia & exteriore ritu loquuntur Innoc. III. de ſacra Vnctione cap. vnico, verba eius referemus in Epitome, & Bernard. in vita Malachiæ: De Chriſti inſtitutione Theologi, apud Bellarm. lib. de Extrema-vnct. cap. 4.

A

QVÆSTIO II.

In qua corporis parte fieri Vnctio debeat, & an vna ſufficiat.

B

QVæſtioni ſatisfacit Eugen. in Florent. *Vngendus, infirmus, eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem, thadem vigentem*, Florentin. in litteris Eugen.

Sunt tamen qui exiſtiment, vnctiones poſtremas duas, omitti poſſe, nec eſſe neceſſarias niſi ratione conſuetudinis particularium Eccleſiarum, ſeptima ſane, quia non eſt ſine periculo, maximè adhibita fœminis, quæ honeſtè tangi nequeunt, relinqui poteſt.

C

Quinetiam graſſante peſte, vnam pro quinque ſatis eſſe poſſe ſcripſit Syluius in 3. parte qu. 32. art. 7. quem ſequuti dicuntur è Louanienſi Academia Doctores præcipui anno 1588. quibus aſtipulari Octauium, Tricorienſem, Nuntium Apoſtolicum in Germania indicat hæc eius oratio in directorio Eccleſiaſticæ diſciplinæ: *In vngendo, contagioſo morbo, aut peſte laborantem: ad vngendum contagionis periculum, ſufficit ſi vngatur ſenſus organum, ad vnctionem magis expoſitum, & delectum, dicendo Per iſtam ſanctam Vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam &c.*

An autem ſimiliter extra neceſſitatem Vnctio vna ſufficiat, quæ pars quæſtionis fuit altera, controuerſantur auctores. Qui infirmorum cauſam agunt, beneque illis conſultum cupiunt, negant Sacramentum conſtare poſſe quoad eſſentialia, niſi factis præcipuis quinque ſenſuum Vnctionibus. Opinionis huius aſſerendæ, propugnandæque principes, Suarez diſp. 40. ſect. 2. n. 8. & diſp. 41. ſect. 2. num. 13. Hentiq. lib. 3. de Sacrament. cap. 8. num. 2. Cardin. Bellarm. cap. 10. de Extrema-vnctione.

D

Contrariam ſententiam dixit Scotus in 4. diſt. 23. in ſolutione 2. argumenti: Eam ſubſcribunt Paludan. in eand. diſt. qu. 1. art. 3. concluſ. 2 Medina de Confeſſ. qu. 11. parag. ſecundo idem, eamque non improbabilem agnoſcit Ægid. Coninch. diſp. 19. dub. 3. quam in partem inclinet animus, declarabunt propoſitiones quæ ſequuntur.

E

Prima Aſſertio, *Ne habeat Sacramenti huius adminiſtratio maculam, vnctionibus conſtare quinque debet.*

Primo, quia eas adhibendas Eccleſiarum omnium praxis, indicat quare, cum inſtar ſit legis, ei obſequi eſt neceſſe.

Secundo, cum ſit Vnctio inſtituta diuinitus, abſtergendis maculis, ſi quæ forſan adhuc adhæreſcerent animæ, eſſet imprudentiæ in politicis, ac diuinis non modicæ, ſenſuum organa, quæ culparum ſedes ſunt ac principia, non vngere, cum ab eo defectu, reddatur Sacramentum, ſi non inane, ac infructuoſum, at certe dubium, quod eſt Sacerdoti, extra neceſſitatem vitandum, vt quam maximè.

Aſſertio ſecunda, *Non ſunt Vnctiones omnes, Sacramento huic intrinſecæ ac eſſentiales.* Auctorum qui eunt in hanc ſententiam ſunt hæc fundamenta præcipua.

Primum, ſi eſt perfecta Vnctio, illico ac ei forma aduenit, prolata à Preſbytero, cæteræ ad Sacramenti eſſentiam non pertinent, verum eſt prius, nam tunc Sacramentum, cenſeri perfectum debet, cum eſt cauſa gratiæ, cuius eſt ſignum viſibile, idque practicum, at eſt tale Vnctione qualibet, cui forma ſuperuenit, cum hæc imdependenter à reliquis Vnctionibus Sacramenti effectum proprium, qui eſt gratiæ productio culparumque remiſſio, ſignificet.

Confirmatur, quæ ſunt inſtitutionis diuinæ ac eſſentialia Sacramentis, hæc à cauſa, aut neceſſitate ſuperueniente ſuppleri nequeunt. At cum in diſcrimen Parochi ſalus vocatur, vt cum vrbem, præcipuaque eius capita, fœda lues depopulatur, ei, ac cuilibet alteri impunè licet, ac ſine ſcelere, Vnctione vnica contentum eſſe, vt è Theologis docuere viri graues, Syluius loco ante citato, Layman. lib. 5. tract. 8. cap. 3. num. 3. Coninch. de Sacram. diſp. 19. dub. 3. num. 9. & 12. plures non ſunt ergo Sacramento eſſentiales, ac intrinſecæ, cum earum quælibet eius naturam perficiat.

Secundo, qualibet Vnctione, vt pote integra, homo per ſe totus vngitur, ſicut & qualibet eius parte lota, totus baptizatur: habet ergo harum Vnctionum quælibet, Sacramenti vim ac rationem, ſicut & lotio partis cuiuſlibet hominis, Baptiſmi perfectionem & eſſentiam, hoc tantum diſcrimine, quod baptizatus in qualibet corporis ſui parte, Baptiſmi effectus omnes recipiat, Extremæ vero vnctionis non item, ſed partialem tantum, cui vnica tantum, in vno quopiam eius membro, adhibita eſt Vnctio, cuius rei hæc vna eſt cauſa, quod per formam, videatur tantum peti partialis effectus, ſcilicet peccatorum remiſſio, commiſſorum per vnum ſenſum.

His ita declaratis, conſectaria illa ſunt.

Primum, Vnctiones à prima differentes, partes tantum eſſe integrales Sacramenti integri, & vnius perfectæ Vnctionis, ad eum fere modum, quo ambæ ſpecies in Euchariſtia, concurrunt ad integritatem vnius Sacramenti, & ſeptem ordines, ad perfectionem Sacramenti Ordinis.

Corollarium ſecundum eſt, Vnctionum quæ abhibentur, nullam deſignari certam poſſe, de qua, verè dici queat ac debeat, Sacramenti in ea ſitam eſſe eſſentiam, argumento eſt, quod Florentinum, ſeptem Vnctiones diſcriminet inter eas nullo numeret, de quibus tamen dici vniuersè hoc debet, nõ omnes Sacramẽto eſſentiales ac intrinſecas eſſe, cum quæ ad renes, pedeſq; oporteret fieri, eas omitti pudor ac verecundia exigant: ergo cum inter Vnctiones, in ratione neceſſitatis ac eſſentiæ, diſtinctionem nullam Concilium afferat, vt Vnctio, quæ adhibetur renibus ad Sacramenti eſſentiam non pertinet, ita nec aliæ, excepta prima.

Tertium, partiales Vnctiones vna cum forma iis reſpondente, dici poſſe vnum partiale Sacramentum, ſicut ſingulorum Ordinum collatio, poteſt dici partiale Sacramentum, quatenus omnes ad vnum perfectum Sacramentum, concurrunt.

Ratio eſt, quod quælibet Vnctio, cum ſua forma, completum ſenſum habeat, ac ſignificatio-

nem propriam independenter ab alijs: eſt hæc ergo Sacramentum, quoad eſſentialia ſua integrum.

Conſeq. probatur Sacramenti natura eſt in eo, vt ſit ſignum practicum gratiæ, quam producat, illo ipſo inſtanti temporis, quo eſt, quia id efficit quod denotat, ſed quælibet Vnctio, cum ſua forma, remiſſionem culparum quæ à peculiari ſunt admiſſæ ſenſu, innuit ac declarat: ergo eam operatur illico, ac eſt: partiale eſt ergo Sacramentum, eſſentialiter completum.

Quintum, Sacerdoti ſi dum ægrum vngit, eum ſenſibus deſtitui contingeret: ſubrogandum eſſe, qui vnctiones ſuppleat, quas ipſe morbi vi præpeditus facere non potuit, his tamen minimè repetitis, quas dum ſanus eſſet, ex forma, rituque Eccleſiæ adhibuit, ait D. Th. in ſupplemento q. 29. ar. 2.

Sextum, in qualibet vnctione vim eſſe conferendæ gratiæ, etſi prætereantur reliquæ, quia earum quælibet Sacramenti rem habet, ac nomen, vt paulo ante eſt oſtenſum.

Obiicies, non eſt in qualibet Vnctione perfecta ſignificatio: nam tam illa quam cæteræ ordinantur ad perfectam ſanitatem animæ, qua non fruitur, niſi cuius ſenſus omnes, puri ſunt à labe ac peccati fœce, quod ei ante Vnctionum complementum non accidit.

Ad maiorem Reſpondend. in Vnctione qualibet, eam reperiri ſignificationem quæ ad Sacramentum ſufficit. Addendum præterea, eam expreſſam non eſſe remiſſionis peccatorum omnium, ſed implicitam tantum.

Primo, in quantum miniſter ægro certa peccata remitti poſtulat, aliis non excluſis.

Secundo, quatenus gratiam habitualem huic Sacramento propriam, à Deo ei dari, idem miniſter precatur quæ cum commercium habere nullum cum culpis mortalibus queat, omnes ſi quæ forte condonandæ reſtant, indulgeri illi ac remitti Sacerdos orat, ex quo fit conſequens, ſanitatem mentis & animæ perfectam, quæ eſt in gratia, Vnctione qualibet denotari, implicite ſaltem ac virtute.

QVÆSTIO III.

Quæ ſit huius Sacramenti remota materia, quæ proxima.

EST in Sacaamentis omnibus duplex materia, remota & propinqua. Illa eſt res externa, quæ ſuſcipienti applicatur, hæc vero ipſa rei applicatio, vt in Baptiſmo materia remota eſt aqua, proxima corporis ablutio, quæ duo an pariter reperiantur in Extrema-vnctione, ac Sacramentis reliquis, inquirere iam placet.

Dico ergo primò, *Materiam Sacramenti huius remotam, eſſe oleum*, Tridentini Concil. eſt hæc opinio ſeſſ. 14. cap. 1. de inſtitutione Sacramenti Extremæ-vnction. Florent. in litteris Eugenij: Aquiſgranenſ. ſub Gregor. IV. Papa, & Ludou. Pio Imperat. canon 8. eſt his verbis: *Vt ſemel in anno, id eſt in quinta feria, quæ eſt in cœna Domini, Vnctio ſancti olei, in quo ſalutis infirmorum creditur, per omnes ciuitates, ab Epiſcopo non negligatur.* Eius adhibendi hæc cauſa inter cæteras præcipua, quod ad Sacramenti huius effectus, ſimilitudine quadam exprimendos, ſit olei materia accommodata in primis.

Ecqui ſunt enim Sacramenti huius effectus? corpori affectovires, ſauciatæ menti propinquæ mortis formidinę, quietem reddere, hæc autem in rebus corporeis, oleo, & Vnctione aptiſſime fieri, idonea rerum ſimilitudine, quis non videt? oleum ergo, eiuſque applicatio, hoc eſt Vnctio, ex Chriſti inſtitutione, ad Sacramenti huius materiam, aſſumuntur ſapientiſſimè.

Dico ſecundò, *Neceſſitate Sacramenti exigi, vt oleum de quo eſt præſens ſermo, ſit ex oliuis expreſſum, ac ab Epiſcopo benedictum*, vtriuſque meminit Eugenius in Florent. his verbis: *Quintum Sacramentum eſt Extrema-Vnctio, cuius materia eſt oleum oliuæ, per Epiſcopum benedictum.* Benedictionis autem, Beda in cap. Marci, ibi enim occaſione huius vocis Apoſtolicæ, *Infirmatur quis in vobis*, hæc habet, vnde patet, ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, vt Energumeni vel alij quilibet ægroti, vngantur oleo, Pontificali benedictione conſecrato. Et in Concil. Aquiſgran. paulo ante citato. *Monentur Epiſcopi vt omni deuotione, iuxta traditionem Apoſtolicam, ac ſtatuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur benedictio olei.* Quam in Quadrageſima fieri ſolitam colligitur ex can. 6. Concil. Antiſiodor. vbi rurales Parochi, iubentur ab Epiſcopo, *A media quadrageſima chriſma petere, & ſi quis infirmitate detentus venire non potuerit, ad Archidiaconum tranſmittere*, in Tolet. 1. can. 20. dicitur, *quod de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante diem Paſcha Diacon deſtinari debeant, aut Subdiacon, vt confectum chriſma ab Epiſcopo deſtinatum, ad diem Paſcha, poſſint ad tempus deferre.* Et quanquam chriſmatis nomine, non intelligatur infirmorum oleum, quod chriſmati, admixtum ſit balſamum, *quo odor bonæ famæ exprimatur propter quod dicitur: ſicut balſamum aromatizans odorem dedi.* Innoc. III. in cap. cum veniſſet vnico de ſacra Vnctione, quâ mixtura caret infirmorum oleũ: placuit tamen teſtimoniis his vti, planum vt fieret, benedici ab Epiſcopo, & ab eo circa Paſcha Presbyteris communicari ſolitum.

Quare cum triplex genus ſit olei, quod ad vſum Chriſtiani populi benedicitur ab Epiſcopo. Chriſma, & oleũ Catechumenorũ & Infirmorum, id laborare ſedulo Parochus debet, ne eorũ aliquo, vtatur ad aliud, quã cuius cauſa eſt inſtitutũ ab Eccleſia. Chriſma eius voluntate ac inſtituto, adhibetur ad vngendos pueros in vertice per Sacerdotem, dũ baptizantur, ac dum confirmantur per Epiſcopum in fronte. Oleo Catechumenorum vnguntur infantes ante Baptiſmum in pectore, & inter ſcapulas, oleo autem Extremæ vnctionis infirmi, in oculis, labris, manibus, naribus & pedibus, de quo teſtimonium eſt in Concil. Meldenſi non obſcurum, ſic enim ibi vt refert Iuo par. 1. cap. 269. *Presbyter in Cœna Domini, ampullas tres ſecum deferat, vnam ad Chriſma, alteram ad oleum, ad Catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos, iuxta ſententiam Apoſtolicam, vt quando quis infirmatur inducat Presbyteros*, qui liquores, etſi ſæpe denotẽtur generali chriſmatis vocabulo, quod vnguentum ſignificat, vt eſt in cap. 1. de cuſtodia Euchar. iis tamen vti promiſcue, ac ſine vllo diſcrimine ad quidlibet, non licet.

Primo, quia id Eccleſiæ conſuetudo non patitur, quæ in vngendis infirmis, oleum ſimplex, id eſt balſami mixtura carens vſurpat, quare ſi quidpiam, in hoc Sacramento adminiſtrando peccaſſe, ſe Sacerdos animaduerteret, denuo hominem proprio oleo vngere, ac quod eſt omiſſum, ſupplere deberet: Chriſma enim, cum diuerſam conſecrationem habeat, ac præterea morali æſtimatione vſum differentem, ac appellationem, eſt enim mixtura artificialis, conſultum eſt, quando eſt in Chriſ-

mate collata Extrema-vnctio, eam in ſua propria materia, hoc eſt ſimplici oleo benedicto, iterato conferre.

Videtur huic ſententiæ eſſe aduerſarius Laymannus lib. 5. tract. 8. cap. 2. num. 3. vbi ſcriptum reliquit, nihil eſſe repetendum, cum per errorem, Sacerdos infirmum ſacro perunxit chriſmate, ſed rem Deo committendam eſſe, opinionem ſuam his munit argumentis.

Primo, quod chriſmate vteretur olim Eccleſia, in hoc Sacramento, tanquam ſua, legitimaque materia, quod etiam Suar. aſſerit.

Secundo, quod oleo, tam exigua balſami infundatur copia, vt eius aduentu, mixturaque, non videatur olei natura lædi, ſed accidentaliter duntaxat mutari, quæ duæ Laymanni coniecturæ, quia ſpeciem veri nonnullam habent, quin eius opinio ſit probabilis, tutaque in conſcientia, inficias ire nequeo.

Dico tertiò, *Vnctionem, Sacramenti huius proximam eſſe materiam.*

Primo, quia vt ſæpe eſt dictum, nouæ legis Sacramenta omnia, excepta Euchariſtia, tranſeuntibus perfici debent actionibus, applicatione nempe materiæ ad ſubiectum, & formæ prolatione.

Secundo, quia Patres & Concilia, dum de hoc Sacramẽto loquuntur, perpetuam Vnctionis mentionem faciunt, *quæ aptiſſimè*, inquit Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de inſtitutione Extremæ-vnction. *Spiritus ſancti gratiam, qua inuiſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat*, meminit eius Innoc. III. in cap. 1. de ſacra Vnct. meminit Beda in cap. 5. Iacobi, meminere & alij, vt Auguſt. vel quiſquis eſt alius auctor libri de viſitatione infirmorum tom. 9. Epiſcoporum in Concil. Moguntiaco ſub Leone Papa IV. eſt hæc ad Parochos plena caritatis oratio, in id iis incumbendum eſſe ſedulo, vt fideles, *Secundum canonicam auctoritatem, ne illis ianua pœnitentiæ clauſa videatur, orationibus & Eccleſiaſticis conſolationibus, ſacra cum Vnctione Dei animati, ſecundum ſtatuta Sanctorum Patrum, communione viatici reficiantur*, facta igitur infirmi Vnctio in materia alia, quam quæ eſt benedicta, & ſacra, Sacramentalis non eſt, cauſaque gratiæ.

Dico quartò, *Pertinere ad ſacramenti eſſentiam, quod Vnctio in certis ac determinatis humani corporis partibus fiat*, ſic enim habet praxis Eccleſiarum omnium, ſic priſci æui, ſic ſæculorum omnium conſuetudo laudabilis, ſic Sacramenti, ſic eius adminiſtrandi, formæque ipſius, qua conſtat, ratio ipſa exigit, fac enim Sacerdoti liberum eſſe, cum vngit, membra ad arbitrium vngenda ſeligere, fac certa nulla eſſe, ſacro oleo imbuenda neceſſario, quam vere, quam cum ratione, in oratione, quæ formæ locum, viceſque explet, dicturus eſt, optare ſe, vt ægro, Deus pro cæterâ ſua erga illum caritate indulgeat, quicquid per viſum, aut auditum peccauerit?

Sane conſtans eſt, firmaque Doctorum opinio, quinque ſenſus vngendos eſſe. Ita Diu. Thom. in 4. diſt. 32. q. 2. art. 3. & cum eo Theologi in eam diſtinct. Zambran. de Extrem. vnct. numer. 3. Suar. diſp. 40. ſect. 2. & diſp. 41. ſect. 2. Eſt enim Sacramentum hoc *medicina, quæ animæ, corporiſque medetur languoribus*, Concil. Cabillon. celebratum ſub Carolo Magno can. 88. præſidium quo aduerſus ingruentis hoſtis inſidias, telaque, ſub finem vitæ, Deus munitos nos eſſe voluit: Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. de doctrina Extremæ-vnctionis ergo vt in humano corpore, certæ ſunt partes, quas A præ cæteris, armis in bello tegi conuenit, quod in iis conſiſtat ſalus hominis, vt medicina, non corpori applicatur integro, ſed illi parti in qua eſt morbi radix, ita & hoc Sacramentum, illis præcipuè partibus applicari oportuit, è quibus, vt à cauſis, peccata manant. Sunt autem *Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ab adoleſcentia ſua*, Geneſ. 8. proindeque peccatorum origines ac fontes, cum hæc ex cogitatione naſci, hæc autem ex ſenſu, originem trahere ſolcat, à quo in intellectum, rerum ſpecies, ideæque tranſmeant, facturæ inde in voluntatem, animamque cum certa eius pernicie, exitioque impetum, vngendi ergo ſenſus, vngendæ eorum ſedes, oculi, nares, labia, pedes, ac manus, ambæ quidem ex præcepto, ſicut & oculi, non tamen ex neceſſitate Sacramenti, cum ad eius valorem ſufficiat, vnam aurem, vnum oculum, vel vnam manum inungere, ſicut notauit Suar. diſp. 40. ſect. 2. num. 5. Emman. Sa verbo Extrema-vnctio num. 12. Zambran. cap. 5. num. 9. Dixi *ex præcepto*, quia ſic vbique vſus inualuit, qui cum ſit pro lege, violari non poteſt ſine crimine, niſi aliter eſſet neceſſe fieri, ob periculum moræ nimiæ, ſi ambo oculi, ambæ ægri manus vngerentur. B

Dico quintò, *Neceſſitate præcepti exigi, vt Vnctio fiat in crucis modum*, quia Sacramenta, non niſi eius præſidiis vallata fiunt, nam cui hæc Stephani Papæ quinti, cognita non eſt oratio? *Nunquid non omnia chriſmata Sacerdotalis myſterij, crucis figura perficiuntur? nunquid baptiſmatis vnda, niſi cruce ſanctificata, peccata relaxantur? & vt cætera prætereamus, ſine crucis ſignaculo, quis Sacerdotij gradus aſcendit?* de conſecrat. diſt. 5. can. 10. non eſt tamen hæc crucis efformatio, de neceſſitate Sacramenti, quæro enim vbi, & quando, de ea præceptum diuinum, datum eſt mortalibus? quando Eccleſiæ? aut quæ illud litteræ continent? quin imo ad ſignum crucis, dum æger vngitur, efformandum, obligationem ſub mortali nullam eſſe ſcripſit Zambran. de caſibus tempore mort. cap. 5. num. 22. Suar. diſput. 40. ſect. 2. num. 3. Dian. par. 3. tract. 4. reſolut. 168. & reſol. 178. refutans Nugnum qui in contraria C eſt opinione in addit. ad 3. part. qu. 29. art. 6. hæc habet: *Vnde puto opinionem Suar. quam ipſe falſam & improbabilem putat, eſſe probabiliſſimam, ſeclusâ contemptu & ſcandalo: quia nullum eſt expreſſe præceptum de hac re, neque conſtat conſuetudinem ſub hac exiſtimatione introductam eſſe, vnde ſi quis Sacerdos vngeret infirmum, non in modum crucis, male quidem faceret, non tamen peccaret mortaliter.*

QVÆSTIO IV.

Quæ ſit forma huius Sacramenti, & an neceſſario deprecatiua eſſe debeat. E

FOrma Extremæ-vnctionis eſt illa ipſa, quam Eugen. in litteris vnionis expreſſit, his verbis: *Per iſtam Vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per viſum, factum*, & ſic de aliis ſenſibus. Debet ergo non ab imperante, ſed orante proferri, ſupra ægrum, non indicante modo exprimi, ſed deprecatiuo, & ſupplici, quod de Sacramenti neceſſitate eſſe, ſcripſere Nugnus in addit. ad 3 partem q. 33. art. 6. Coninch. de Sacrament. diſput. 19. dub. 4.

num. 4. Lodeſma tom. 1. de Sacramento Extremæ-vnct. cap. 1. concl. 2. Syluius in addit. ad 3. part. q. 29. art. 7.

Ratio eſt, prima, quod à Florentino, ſic ſit prædicta forma concepta.

Secunda, quod talis, ſit in Eccleſiis particularibus vſitata.

Tertia, quod vnius, eiuſdemque Sacramenti, non ſint duæ formæ, niſi vna alteri, in ſenſu & ſignificatione æquiualeat, at id accideret, ſi Extr. vnctionis forma, indicatiua ſimul eſſet, & deprecatoria, iuxta promulgationem S. Iacobi cap. 5. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum*, hoc enim nomine *Oratio*, aliud hoc loco, quam deprecationem, intelligi Doctores negant, quam tamen ſi quando alias vnquam, adhiberi certe tùm maximè conuenit. Datur enim Sacramentum agenti animam, hoc eſt mœſte, hoc eſt deſtituto corporis & animi viribus, hoc eſt periclitanti de ſalute, cui cùm ſemper, tũ hoc tempore maximè inſidiæ parantur à Dæmone, quibus cum nõ modo ſuperior, ſed nec par & æqualis eſſe queat, ni Deus eum pro cætera ſua benignitate adiuuet (ſi corruat omnis ei ad reparationem ſpes, expectatioq; eſt præciſa) ecquid ſapiens factũ fuit, aſſumi formam, quæ & Sacramento ſufficiat, & Dei miſericordiam conciliet ac flectat? quatenus, ad Dæmonis victoriam, arma ei in extrema illa ac formidoloſa pugna ſunt neceſſaria, ſuppeditare, eiuſque pectus cœleſtibus impiere donis, opibuſque velit, ne Sacramento eiuſque effectibus obicem ponat.

Quare audiendi mihi non videntur, qui à forma huius Sacramenti, preces remouent, nam etſi ab iis vt ſunt huius, aut illius hominis opus, Sacramenti efficacia non pendeat, pendet tamen ex vi promiſſionis Chriſti, quare non minus quam Sacramentalia, vt ſunt huius Sacramenti forma infallibilem effectum habent.

Quod ſi eſt olim verbo indicatiuo collata, *Egote vngo*, vt erat in more Venetiis, ac Mediolani priſcis ſæculis, probabile eſt, ei tum additum aliquid, quod eſſet deprecatorium v. c. *Vngote oleo ſancto, vt Deus tibi remittat, quicquid peccaſti*, &c. quod ſi fieret, eſſet haud dubiè forma ſufficiens ac idonea, non tamen vſquequaque licita. Sufficiens quidem vt aiunt, Suarez tomo 4. diſp. 40. ſect. 3. num. 8. Reginald. in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 55. quia effectum ſuum ſignificat qui eſt peccatorum remiſſio, per modum deprecationis, quæ ex opere operato, ex vi promiſſionis Chriſti illam efficit. Illicita, quia eſt ab Eccleſiæ more, modoque aliena, à quo priuato cuipiam, in Sacramentorum adminiſtratione diſcedere, non licet ſine ſcelere.

Maneat ergo quod eſt initio in quæſtione poſitum, Sacramenti huius formam, vt ſit valida, oportere eſſe deprecatoriam, data aliter, eſt inanis, nullarum virium, ac ad Sacramentum inſufficiens.

QVÆSTIO V.

Quid neceſſario neceſſitate præcepti forma exigat, vt ſit à culpa vacua.

NE culpam aliquam, formę huius Sacramenti prolatio habeat, hæc in ea, ſunt neceſſario neceſſitate præcepti ſeruanda.

Primo, vt orationi, qua prædicta forma conſtat, ſubiungantur hæ voces: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, quia eas nuſquam omitti conſtat, nuſquam, in vlla Eccleſia relinqui, tanquam ſuperfluas. Secus quam nos ſentit Filliucius tom. 1. tract. 3. cap. 4. num. 86. ſed eſt noſtra opinio, longe quam illius vero propior, proindeque ſequenda in praxi.

Secundo neceſſitate præcepti requiritur, vt obſeruetur Vnctionum numerus, vſitatus in qualibet Eccleſia, earum enim par eſt, ac æqualis ratio, quæ immerſionum in Baptiſmo: ergo vt hæ pro cuiuſque more prouinciæ, ſunt adhibendæ, ita & illæ.

Tertio requiritur, vt in forma, adhibeantur hæ voces (*ſuam ſanctam & piiſſimam*) quia eas vſurpat Eccleſia, cuius auctoritas, in Sacramentorum vſu, non violatur ſine crimine, quod eſſe grauiſſimum in prædictarum omiſſione vocum, dicit Ægid. de Coninch. diſp. 19. dub. 4. n. 15.

An autem hanc particulam (*Miſericordiam*) addi in forma oporteat, & qua neceſſitate, Sacramenti an præcepti? inter Doctores non conſtat. Ad eorum partes tranſeo, qui eam formæ ſubſtantialem eſſe negant, vt Pitigian. in 4. ſent. to. 2. diſt. 23. qu. vnica articl. 4. Reginald. tomo 2. lib. 28. cap. 9.

Ratio eſt, quod quantum eſt ſatis, in hac voce (*Indulgeat*) videatur intelligi, quæ cauſam primam, ac principem remiſſæ humanorum ſcelerum indicat, diuinam ſcilicet erga hominum genus clementiam.

Eſt tamen hæc particula *Deus* de formæ eſſentia, Candidus tom. 2. diſquiſit. 24. art. 7. dub. 2. quia cum hæc forma ſit deprecatoria, debet in ea exprimi cauſa principalis effectuum Sacramẽti, ergo cum culparum remiſſio ſit attribuenda Deo, vt eius auctori præcipuo, illius in hac forma fieri debuit mentio. Non autem Trinitatis: quia non eſt hoc Sacramentum profeſſio fidei, neque ex illius inſtitutione nobis conſtat, eam neceſſario neceſſitate Sacramenti inuocandam.

Quarto, ne quid admittatur, quod minus ſit rectum, repeti formam toties eſt neceſſe, quoties ſingulorum organa ſenſuum vnguntur, niſi ad eas temporis anguſtias ægri vita redacta eſſet, quæ iuſto breuiores crederentur, quam oportet, vt cuiuſque ſenſus organum imbuatur oleo, cum prolatione formæ, nam tunc in quorundam ſententia, (quam tamẽ falſam eſſe exiſtimo) ſufficeret, caput, in quo, vt in ſede præcipua, ſenſus habitãr, vngere, aut vngendo ſenſuum omnium organa. vel eorum vnum, dicere celeritate quanta poteſt maxima, *per iſtas vnctiones, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid peccaſti per viſum*, &c. Coninch. dub. 4.

Quanquam non eſt eorum opinio improbabilis qui in neceſſitate, aut peſtis tempore aiunt, ſufficere ad euitandum contagionis periculum, ſenſus

illius organum vngere, quod eſt magis ad vnctionem expoſitum, dicendo: *Per iſtam Vnctionem & pijſimam &c.* A

Quinto, fieri hæ in crucis modum debent, Sylu. verbo Vnctio parag. 2. Ledeſm. de Extrema vnct. cap. 2. concl. 2. diffic. 2.

Primo, quia ſic eſt Eccleſiæ placitum, vt conſuetudo indicat, quam non ſeruare, nemo eſt Sacerdotum, qui religioni non ducat, ac vitio.

Secundo, arma tum ſunt ægro ſuppeditanda, ad Dæmonis, mortiſque victoriam, non alia cruce ad eam rem potentiora. Lactantius lib. 4. de vera Sapientia cap. 27. *Inoleuerat in Eccleſia iam ante,* (nempe quàm Helena crucem inueniſſet,) *mos frontis cruce ſignandæ, iam morbi cedebant, & Dæmones nomini Ieſu crucifixi, adhibita crucis ceremonia.* B

S. Antoninus apud Athanaſ. in vita eiuſdem, *quos Dæmones cum videritis, tam vos, quam domos veſtras crucis armate ſignaculo, & confeſtim ſolacentur in nihilum. Signum enim eſt fidelium, & timor Dæmonum,* inquit Cyril. Hieroſolym. catech. 13. *triumphauit enim de illis in hoc ſigno Chriſtus, oſtenta illud audaciter quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi, metuunt enim qui contriti capita Draconis.*

Nihilominus, etſi ſit ſanctæ Crucis, cuius ſignaculo, priſci æui Chriſtiani, frontem terebant, *Ad omnem progreſſum, atq; promotum, ad omnem aditū, & exitum,* Tertull. de corona militis cap. 3. vis ad res magnas, Dæmoniſque fugam, in ægroti extrema cum eo luctu admirabilis, ac diuina, proindeque interſit eius plurimum, illam tum à Presbytero in causâ ſuâ non negligi, conſeo tamen, ſecluſo contemptus ſcandalo, hanc eius omiſſionem mortalem non eſſe, quicquid ſecus Didacus Nugnus ſentiat, in addition. ad 3. partem qu. 29. art. 6. quæ enim litteræ, qui ſacri libri, eam adhiberi cæremoniam, cum obligatione ad mortale imperant? Fieri quidem oportere vſus communis Eccleſiarum admonet, ſed nego earundem voluntate, ac conſenſu introductum, vt neceſſitatem ſubeundæ mortalis culpæ, illam non obſeruantibus Parochis inferret, ſic ego cum Becano de Sacram. cap. 27. qu. 3. num. 3. Filliucio tom. 1. tract. 3. cap. 3. num. 75. Coninch. de Sacram. diſp. 19. dub. 2. num. 7. C

Sexto, exigit eadem neceſſitas vt crux manu efformetur, vbi tamen eſſet periculum morbi, aut ſubeundi grauioris alicuius incommodi, vt in contage, aut lue publica, virga vti oblonga fas eſſet. Ita Chappeauilla de Sacramento Extremæ vnctionis cap. 34. Syluius in tertia parte quæſt. 32. articulo 3. vbi ſic ſcribit: *Sacerdos vti poteſt, virga oblonga, vero tamen oleo tincta, ſic vt perficiatur Vnctio.* D E

QVÆSTIO VI.

De Miniſtro huius Sacramenti, & quid ex parte eius requiratur tam neceſſitate Sacramenti quàm præcepti.

DIco primò, *Sacramentū hoc adminiſtrari nō poſſe valide, niſi à Sacerdote,* quibus autē argumētis ad hc opinandum, & loquendum, adductus ſit D. Thom. cuius eſt hæc opinio in 4. diſt. 23. qu. 2. art. 1. Bonau. ibid art. 2. qu 1. Palud. qu. 2. art. 1. perſequi nihil eſt hic neceſſe omnia, præcipua ſunt duo, amboque ab auctoritate petita, Iacobi Apoſtoli, & Conciliorum.

Et quidem non alios perungendis ægris, in dubiis eorum temporibus, adhiberi vult Apoſtolus quam Presbyteros, quo nomine non ſeniores, ſed Sacerdotij charactere inſignes, Catholici interpretes Conciliaque intelligunt. Sic in Aurelian. 2. can. 6. ſumitur, ſic in 15. *Presbyter vel Diaconus, ſi literas, vel baptizandi ordinem neſciat, nullatenus ordinetur:* eſt ergo huius Concilij teſtimonio *Presbyter,* idē ac qui ſacro eſt initiatus ordine, quo caret, qui è Laicorum cœtu, eſt ætate inter cæteros prouectior, & in Concil. Tolet. 3. can. 6. præcipitur, vt ſi *qui Presbyteri vel Diaconi, ab Epiſcopis facti ſunt, ſecundum modum, quo canones antiqui dare licentiam, ſint liberi,* fieri autem ſui iuris Laicos. ac in libertatem ſola ætatis prærogatiua aſſeri quis credat? non ſunt ergo *ſeniores* iidem qui Presbyteri.

Erat hic eorum ordo, ipſa Apoſtolorum ætate ſacer, ac diſtinctus ab Apoſtolis, 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt,* quod ipſum euidenter colligitur ex multis canonibus Apoſtolorum, præſertim autem, 11. 30. 33. & 38. qui expreſſe continent Presbyteros, Deo ſacros eſſe, ac ab Apoſtolis diuerſos.

Scio eos interdum ſeniorum appellatos fuiſſe nomine vt à Luca Actor. 15. *Suſcepti ſunt ab Eccleſia, & Apoſtolis, & ſenioribus,* hoc eſt Presbyteris & iterum. *Tunc placuit Apoſtolis & ſenioribus,* ſed contendo cum Anacleto Papa epiſt. 2. id nominis, non tam ab ætate, quam ſapientia ſortitos eſſe, Epiſcopos autem in Apoſtolorū locum Presbyteros in locum 70. ſeniorum (qui Græce πρεσβύτερι appellantur) ſucceſſiſſe, eoſque ordinari ſolitos eadem fere forma, quæ erat olim antiquis in vſu, & de qua Concil. Carthag. 4. can. 3. factum hinc eſt vt *Presbyterium,* interdum vſurpetur pro ordine, vt apud Cypr. ep. 34. iuxta editionem Pammel. *Cæterum,* inquit, *Presbyterij honorem,* id eſt ordinem, *deſignaſſe nos illas iam ſciatis, vt & ſportulis iſdem cum Presbyteris honorentur,* alias Presbyterium idem valet, ac Presbyterorum cœtus ſeu congregatio 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam,* id eſt per ſacram ordinationem, *cum impoſitione manuum Presbyterij,* id eſt cœtus Sacerdotum. In eodem ſenſu accipitur à Cyprian. epiſt. 35. ad Presbyteros & Diaconos: *Hæc fuit cauſa,* inquit, *vt eum Clero noſtro Dominus adiungeret,* Numidicum ſcilicet, *& deſolatam per lapſum quorundam, Presbyterij noſtri copiam, gloriioſis Sacerdotibus adornaret,* quæ omnia indicant, vt à Iacobo Presbyteri nomen pro Sacerdote, eſt in epiſtola ſua poſitum, ita & à nobis, in hac materia de Vnctione extrema ſumendum eſſe, & ita ab eo ſolo conferri poſſe: *Fraternitas tua duximus reſpon-*

dendum, (inquit Alexand. III. in cap. quæſiuit 14. de verborum ſignificat.) *quod Sacerdos vno præſente Clerico, & etiam ſolus, poteſt infirmum vngere,* & Concil. Trident. ſeſſ. 24. can. 14. *Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ, quos beatus Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes, ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores, in quamuis communitate, ob idque proprium Extremæ-vnctionis miniſtrum, non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.*

Dico ſecundò, *Neceſſitate præcepti, extra neceſſitatem exigi, vt hoc Sacramentum conferatur à proprio ægroti Sacerdote, aut alio de eius licentia.*

Ratio eſt, quod ad Paſtorem pertineat ſubditis inuigilare, eos ſalutari Dei verbo, ac Sacramentis paſcere, id eo inſcio, aut reclamante facere velle, B eſt in alienam meſſem, falcem fructu nullo mittere. Quare etſi Sacerdos quilibet, Sacramentum hoc conferat validè, non tamen extra neceſſitatem, ſine Epiſcopi, aut Parochi facultate, licitè.

Et quidem ſi de Regularium ſit de numero, cœtuque, qui Sacramentum hoc Laicis, aut Clericis confert, vel Euchariſtiam inconſulto miniſtrat Parocho, vel matrimonia ſolemnizat, (vt loquuntur) excõmunicationem ſedi Apoſtolicæ reſeruatam incurrit ipſo facto, Clem. 1. Religioſi de priuilegiis, non Sacerdotes alij, quia id nuſquam ea pœnarum acerbitate legitur illis vetitum, committunt tamen in legem non ſine crimine, eoque mortali. Coninch. diſp. 19. dub. 9. Laym. cap. 6. num. C 2. de extrema Vnct.

Quid ſi Parochus domo abſit? quid ſi à loco, vbi animam æger lecto affixus trahit, Epiſcopus procul agit? quid ſi ad eos commeare ſuper obtinenda hac licentia, litteræ ac nuntij redituri, tempori nequeant?

Controuerſantium Doctorum duo ſunt antiquitate & auctoritate principes, Diu. Antoninus par. 3. titulo 24. cap. 34. & Victoria num. 220.

Affirmantem primus, oppoſitam tenet opinionem alius, & quidem priorem quæ eſt Antonini tenendam aiunt, Suar. diſput. 44. ſect. 2. Zambran. cap. 5. diſt. 8. Coninch. diſp. 19. dub. 9.

Poſteriorem quoad Religioſos Archidiacon. in D Clement. cit. Fumus ſect. 5. Nau. cap. 27. Enchir. num. 102. Sylu. verbo excommunicatio 7. caſu 14. dub. 3. ſuæ opinionis vnicum hoc habent fundamentum quod in prædicta Clement. dicantur Regulares excommunicati eſſe ipſo facto, ſi extra caſus iure expreſſos, Sacramentum Extremæ vnctionis Laicis adminiſtrent, ſine Parochi licentia, at non eſt tempus mortis (inquiunt) eiuſque periculi, ſic in iure Regularium legibus Eccleſiæ, aut Pontificum voluntate, vt quod eſt alio quopiam, tempore illis interdictum ſit iſto iiſdem licitum, peccant ergo Regularis, in legem Clemẽtis, qui ſine Parochi facultate, etiam cum eſt neceſſe, vt in mortis diſcrimine, ægrum, Extremæ E vnctionis Sacramento impertit.

Verum enim, ſententia quæ eſt huic oppoſita, ſola eſt vera & tenenda, cuilibet è Sacerdotum cœtu, modo non excommunicato, & ſuſpenſo, non modo impunè, ſed etiam in laude eſſe, in caſu neceſſitatis, ægro Sacramentum hoc miniſtrare. Ita Caiet. verbo excommunicatio cap. 64. & alij paulo ante memorati.

Primo, quia non eſt veriſimile, Parochum id tum nolle, nam quid magis caritati erga Deum, proximumque oppoſitum, qua tamen virtute, ac laude, præſtare Parochos præ cæteris eſt neceſſe, quam vt ſubditis ſibi populis, arma in confli- A ctu ſuo decretorio ad victoriã, in morbo reportandam, opportuna verò ad inualetudinem conſligendam ſubſidia deeſſe velint? cuius tamen culpæ infamia laborare eum oportet, qui cum morte luctantem, vngi à Sacerdote prohibet, cum Sacramenti huius effectus ſit, *Sanatio mentis & in quantum expedit, ipſius etiam corporis.* Florentin. in decreto vnion. *Eſt enim oleum,* auctore Theophilacto in cap. 6. Marci, *ad labores vtile, lucis fomentum, hilaritatis effectiuum, ſignificatque miſericordiam Dei, & gratiam ſpiritus, per quam à labore liberamur, & lucem ac gaudium, hilaritatemque accipimus.*

Secundo, ne quid videatur in legem, iuraque Parochi committere Sacerdos, ægrum vngendo B ſub vitæ finem, eodem Parocho non conſulto, aut etiam repugnante, ac inuito, ſufficit id ei licere per Papam, aut Epiſcopum, at placet vtrique, morientem, cum Parochus abeſt, aut improbe ac per iniuriam ei Sacramenta negat, hæc illi à Sacerdote quolibet, amicè, ac gratis conferri, Extremæ-vnctionis maximè, quod eſt animæ, in poſtrema lucta ſua perutile, ac vero etiam, cum Sacramenta cætera recipi tum ſalubriter nequeunt, ſæpe neceſſarium, eo quod, eius ope, ac beneficio fiet, de attrito contritus, hoc eſt de hoſte amicus, de peccatore iuſtus: Dixi *A Sacerdote quolibet,* ne Regulares excluderem, quos ad hoc caritatis officium, plenum meriti ac laudis, neceſſitas ægri extrema admittit, peræque ac cæteros, ſit argumento, præter antedicta, quæ illis ſunt cum ſæcularibus Presbyteris communia, quod in Clement. hi duntaxat è Regularibus excommunicationi ſubiaceant, *qui præſumunt,* hoc Sacramentum miniſtrare ſine licentia Parochi. At hac voce excluduntur, tam qui ſpe ratihabitionis, quam qui ex ignorantia aliquid faciunt, nam præſumptio temeritatem dicit, quæ nulla eſt in ignaro, aut operante cum opinione probabili, obtentæ veniæ, ſuper re omittenda aut agenda. Fuit hoc equidem Clementi propoſitum, cum Regulares à miniſtrandis Sacramentis Euchar. ac Vnctionis-extremæ remouit, quorundam de illis temeritati, audaciæque D frænos iniicere, qui quæ Parochorũ propria erant munera, officiaque, hæc ſibi vltro, ac non rogati, in Sacramentorum adminiſtratione, impudentes aſſumerent, non autem eorum ſtudia plena charitatis, ac laudis reſtinguere, cum ea ex cauſa, in Chriſtianorum commodum adhiberi eſt neceſſe, vt in materia præſenti accidere nemo non videt, alioqui male illis, male eorum ſaluti Eccleſia conſultum vellet, quandoquidem eſſe poteſt hoc Sacrementum, in mortis articulo conſtitutis ad ſalutem neceſſarium, vt ſi quia confeſſione expiare animum, illis non licuit, eos ex attritis, contritos reddi per hoc Sacramentum, neceſſe eſſet.

Dico tertiò, *Nequid Sacramenti huius adminiſtratio habeat, quo vitioſa reddatur ac illicita, fieri tempore interdicti non debet,* Innoc. III. in decretali quod in te 11. de pœnit. & remiſſionib: *Licet,* inquit, *per generale interdictum, denegetur omnibus, tam Vnctio, quam Eccleſiaſtica ſepultura,* non tamen Euchariſtia, & pœnitentia, Innoc. ibid. *In illo enim verbo per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt nec ipſum decedentibus denegetur.*

Dico quartò, *Præceptã neceſſitate exigi in hoc Sacramento, vt ab vno miniſtretur, non pluribus.*

Ratio eſt, quod ita Eccleſiæ conſuetudo habeat, praxiſque communis prouinciarum omnium, vt Vnctiones omnes, adeoque ipſum Sacramen-

tum integrum, minister vnus extra casum necessitatis perficiat: qui casus est duplex, vnus ad ministrum pertinet, alter ad ægrum, nam si illi ob subitum animi deliquium vnctiones absoluere, aut isti recipere non est integrum, Sacerdotes abhiberi plures poterunt qui simul sensuum organa vngant, hic quidem, oculos ille aures, cum prolatione partiali vocum, quæ singulis vnctionibus, cum formis earum partialibus, ab vno eodemque ministro adhiberi solent.

Ratio est, quod qui vngit, orare super infirmum Iacobi testimonio debeat: *Inducat Presbyteros*, inquit, *& orent super eum, & oratio fidei alleuiabit infirmum, &c.* sed oratio vna, à duobus prolata partialiter, sensum perfectum non habet: ergo qui vngit, Ecclesiæ quoque vsitatas preces recitet, est necesse.

A dem excusat necessitas, qualis est existimanda meo sensu, quæ moram non patitur.

Quarto, si infirmus est leprosus, Sacerdos spatula munda oleum admouebit, quam vbi officio in eius vnctione functus erit, stuppa bene tersam flammis dabit.

Quinto, Vnctio hæc adhibebitur in quinque sensuum organis, oculis scilicet, auribus, labris, naribus, manibus ac pedibus, nec in viris omittendi sunt renes, ob appetitū concupiscibilem, in ea corporis parte vigentem, vt quam maxime vt libido ipsa indicat, cuius flammis tota deflagrat, quod si æger, eorum membrorum aliquo, quæ sunt vngenda caruerit: eius defectus loci propinquioris Vnctione supplebitur, & quemadmodum Sacerdotum manus, quarum palma ab Episcopo est peructa, foris reuerentiæ causa vngitur, ita Laicorum, intus oleo imbui tingique debet.

QVÆSTIO VII.

Quidnam in huius administratione Sacramenti, obseruari à Parocho oporteat.

PRimo, ne quem alieno vngat oleo, id est Catechumenorum, aut chrismate, causa est quod in Sacramentorum vsu, propria eorū materia seruari debeat, eiusmodi non est chrisma, aut Catechumenorum oleum, vt colligitur ex decretali cum venisset prima de Vnctione, sed infirmorum, quare cum esse Sacramentum, aliqua sui parte essentiali destitutum nequeat, erit Vnctio, in cuius materia errasse se Sacerdos deprehendet, iteranda denuo, quodque omissum fuerit, gnauiter ac sedulo supplendum, quod ex Vnctione inani, ac manca, vnctus nihil vtilitatis ac commodi perceperit: qui error ne accidat, dabit Parochus operam, vt distinctis inter se pixidibus sacra olea asseruentur, chrismatis, quidem & salutis in vno vase, infirmorum in alio quod cum ægrorum salus postulauerit, ad eos, vna cum illi incluso oleo deferatur.

Cui ne nixa genibus sacros honores plebs imperita exhibeat, videbit, pro caritate sua, prudentiaque Parochus, quo circa nec tintinnabuli sonitu admonenda, nec ei, vt Eucharistiæ præferri est in more: præferenda erunt funalia, sufficiet venerationem illi, ac cultum, vti fit rei sacræ, nudi capitis inclinatione exhibere.

Secundo, ad ægri domum cum ventum erit docere se Parochus à domesticis curabit, ecquid sit hic Eucharistiæ ac Confessionis Sacramentis instructus, nam si hæc non receperit, sacro non est vngendus oleo, nisi ob iustas, grauesque causas secus videretur, nempe quia loqui nescit, quia longo situ confectum corpus, duriſque exhaustum pectus pulmonum doloribus, voci transitum, vimque negant, quia vt est ciborum fastidiosus stomachus, metus est ne sumptam Eucharistiam euomat, tunc si Christiane vixerit sacro Extremæ-vnctionis oleo vngi poterit, de quo nos postea pluribus.

Tertio, dabit id operam Parochus, ne quem, non præmissis ante precibus in Ecclesia abhiberi solitis oblinat, quia cum eas fieri hæc iubeat, ab eius voluntate, ac imperiis, non est vlli recedendum facile: Quid? quod iis, ægro propitietur cœleste numen, quod ad vberiores gratiæ diuinæ fatus paretur, quæ omnia sunt eiusmodi, vt à Parocho videantur, contemni non posse, nisi vna quoque ægri salus ac incolumitas. Grauis tamen eius-

QVÆSTIO VIII.

Ex parte suscipientis hoc Sacramentum quid exigatur necessario vt sit ratum.

PRima conclusio, *Postulat hoc Sacramentum, vt sit efficax, ac validum, conferri baptizato non alteri*, quia, sacris tincti vndis, Sacramentorum capaces sunt, non alij, *Est enim Baptismus ianua vitæ spiritualis, & per eum, de corpore Ecclesiæ efficiuntur*, inquit Florentinum in decreto Eugenij.

Secunda conclusio, *Exigit insuper Sacramenti huius necessitas, vt non detur nisi infirmo*, verba ipsa Apost. indicant dum ait: *Infirmatur quis* in vobis in Græco est ἀσθενῶ & *oratio fidei saluabit infirmum* κάμνοντα, id est fermè deficientem ex morbo, quibus adiicienda Florentini auctoritas in decreto: *Hoc Sacramentum*, inquit ibi Eugen. *nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, qui vngendus est in oculis, &c*, quare est negandum ituris ad bellum, facturis in hostes aut eorum castra, impetum, morituris manu carnificis, aut in cruce ad exemplum nocentium, quia etsi sua illis, extremaque dies immineat, non tamen ex morbo, nec sunt eius, aut ætatis deuexæ vitio eo redacti, vt destituti viribus, vt oppressi malis, vt confecti situ, tabeque, infirmi verè sint, ac audiant.

Quid? quod primarius Sacramenti huius effectus, imo & secundarius in huiusmodi hominum genere vix locum habeat? nam si laqueo, aut infesto carnificis gladio, in omnium oculis æquissima Principis, aut iudicis sententia, sub diei exitum, æuum finire debent, sanitatis recuperandæ vi Sacramenti, quæ miseris esse spes potest? quæ vitādæ mortis? quā iugulo imminere suo, seque irato premere pede, & à tergo subsequi, infelices vident?

Tertia conclusio, *Sacramentum hoc, ne sit inane, ac irritum, non nisi eo alicuius culpa saltem venialis, Dei est voluntate, ac instituto conferendum.*

Nam si est æger innocens, si ab omni noxa, ac labe purus, si quandiu vixit, sic sibi semper in Dei amore, ac cultu constitit, vt nihil in moribus, nihil in opere ac cogitatu, leui etiam censura dignum commiserit, quam iustè, quam prudenter ac vere Deum Sacerdotes rogabunt, vt ægro *Indulgeat quidquid peccauit per visum, per auditum, per gustum?*

Secundo vt est Sacramentum pœnitentiæ institutum diuinitus, contra peccata, quæ vulgò actua-

libus

lia dicimus, vt eorum eſt ſalutare remedium, vt cœleſte ac præſens ſanandis animi plagis morbiſque pharmacum, ita eſt Extrema-vnctio, abſtergendis peccatorum reliquiis, firmandoque contra Dæmonis impetus animo, medicamentum in primis diuinum ac vtile: ergo vt pœnitentia non egent, qui ſcelus ſe nullum admiſiſſe prædicant, ita nec Vnctione.

Negabitur ergo pueris, (inquies) non concedetur infantibus, quos mortalis culpæ arceſſere, quibus diuini aut humani iuris violati diem dicere, cuius ea ætate ſunt inſcii, nec tutum eſt, nec cum puerorum honore coniunctum.

Reſpondend. pueros cum ſapiunt, cum quis in dictis factiſq; modus eſt tenendus intelligunt, huius vitæ ſtationem relinquendam non eſſe, niſi armatis ad prælium, niſi Sacramenti huius præſidiis, contra mortis venenata ſpicula, probe inſtructis: quia cum ſint rationis compotes, cum quid à vitio virtus differat, cum quid ſibi amplectendum in vita, quid vitandum in moribus, non ignorent, peccare potuerunt, conſequenter ea in ſe concipere ſcelera, quæ pœnitentiæ ſacratis vndis elui, ac ſi quid eorum forte ſuperſtes foret, ac reliquum, Vnctione ſopiri poteſt ac tolli.

Quid ſi anceps, quid ſi dubia puerorum eſſet innocentia ac ratio? quid ſi Sacerdoti certa nulla ſigna ſupperetent de eorum in agendo, prudentia, & an rationem ad conſilium adhibeant eidem non conſtaret?

Reſpondebo non meis, ſed Zambrani verbis de caſibus occurrentibus tempore mortis cap. 1. dub. 1. num. 7. *Credo dandam eſſe Extremam-Vnctionem ſub conditione, quando de puero dubitaretur, an haberet vſum rationis ſufficientem, ad Sacramentum pœnitentiæ, licet in tali caſu dubij de vſu rationis, videatur eſſe tutius, non dare Vnctionem, quando dictus puer, non poſſet recipere Sacramentum pœnitentiæ ſub conditione.* Sed eo etiam tempore Vnctionem illi non negandam, ſed ſub conditione conferendam dixit Sancius in ſelectis diſp. 27. num. 17. quia cum ſit ſumme ad animæ ſalutem vtilis, ea priuari puerum recta ratio charitati iuncta non patitur.

Quid ſi cœleſti pane puer nondum eſt paſtus? quid ſi ad eum ob ætatis defectum, aut ſapientiæ, nondum putatur idoneus?

Vngendum eſſe non ſecus ſcripſit Zambran. loco proxime cit. dub. 1. num. 8. cauſa eſt, quod inter Euchariſtiam, & Vnctionem extremam, neceſſarium nullum ſit vinculum, quo ſic ſtrictè ambo Sacramenta coniungantur inuicem, vt qui Euchariſtiæ non eſt capax, hunc quoque Extremæ-vnctionis ſalutari fructu, vſuque excludi oporteat.

Longius dicendo ſunt progreſſi Nauar. cap. 22. num. 13. Suar. to. 3. in 3. partem diſp. 70. ſect. 1. Sa ver. Extrema-vnct. n. 2. nam qui ruere, ac labi in peccatũ poteſt, abeoque, pœnitentiæ ſuſtentatus manu, ad gratiam reſurgere, huic Extremæ-vnctionis Sacramentum, valide quoque ac decenter conferri aiunt. Quorum ego opinioni ſubſcribendum cenſeo, maxime ſi puer, quem rationis vſum aſſecutum conſtat, aliud ante mortem Sacramentum ſuſcipere nequeat Capeauilla, cap. 5. qu. 17. Quod ſi à Parochis ſecus fiat, non ſunt idcirco facilè arguẽdi culpæ, non de puerorum ſalute neglecta damnandi aut de inſcitia, conſuetudini prouinciæ morem gerunt, vt fit vbique, minores annis 14. ad hoc Sacramentum non admittunt. ecquid eſt vero, in re huiuſmodi, quod Parochis dedecori vertat aut culpæ? ſi pueros non vngi eſt ſcelus, cur illud Epiſcopi tolerant? cur verbo ac opere non caſtigant, cur è prouincia illud pro cæterà ſua caritate ac prouidentia non eliminant?

QVÆSTIO IX.

An phrenetici & amentes Sacramenti huius ſint capaces.

DIco primo, *Mente capti ac fatuis à nativitate, Vnctionem extremam negandam eſſe.*

Primo, quia adultis vt eſt communis Doctorum opinio Sacramenta non proſunt, niſi cum ad ea animum applicant, eaque ſibi conferri explicite aut virtute poſtulant, veriſſime enim dixit Auguſt. lib. 4. de Bapt. cap. 24. valere paruulis ad conſecrationem baptiſmi, ſi alij pro iis reſpondeant, quia pro ſe reſpondere nequeunt: *At ſi pro eo*, inquit, *qui reſpondere poteſt alius reſpondeat, non itidem valet*, Ratio à priori eſt Chriſti Domini voluntas & inſtitutio, de qua ex Doctorum, Eccleſiæque communi ſenſu conſtat.

Secundo, vt nunquam peccarunt, ita labem nullam habent, quam hoc Sacramento elui oporteat: ita præcipui eius effectus, finiſque, qui eſt peccatorum reliquias abſtergere, ac introitus in regnum cœlorum impedimenta tollere, non eſt capax, quiſquis ſui compos nunquam extitit, nunquam à primo ſuo in hanc lucem ortu, vt homines debent, cum ratione, prudentiaque vixit.

Dico ſecundo, *Phreneticos Sacramentum hoc tribuendum eſſe, ſi prius quam in phrenefim aut amentiam incíderent, Chriſtianè vixerunt*, quia vita ex præceptis Chriſtique lege, vtcunque inſtituta, omnium eſt, quæ ad eius abſolutionem ſunt neceſſaria, virtualis quædam, ac tacita poſtulatio: ergo & Sacramenti, quo de agimus, cum voluntatis ſit diuinæ, à nemine illud negligi, ab omnibus ſub vitæ finem, ad dæmonis, carniſque victoriam, quam piè licet, ac religioſe, recipi. Ita ex communi docet Palud. diſt. 23. qu. 3. art. 2. Sylu. verbo Vnctio extrema qu. 5. Zambran. cap. 5. dub. 2. *Virtualem* dixi, nam quemadmodum non eſt neceſſe, vt quis valide ſuſcipiat aliquod de Sacramentis, vt id actu intendat dum ſuſcipit, ſed ſufficit vt id aliquando intenderit, nec reuocarit, ita non eſt homini, ad eius fructum ſuſcipiendum, præſtandumque boni viri ac Chriſtiani officium ſatis: volumas merè interpretatiua, ac indirecta in ſua cauſa.

Pars prima, probationem habet ab auctoritate Innoc. III. cap. maiores de Bapt. D. Leon. ep. 79. ad Foroiul. Epiſcopum à Concilio inſuper Carthag. 3. can. 34. Arauſic. can. 11. vbi expreſſe habetur ſubito obmutescenti, conferenda eſſe Sacramenta, *Si voluntatis præterita teſtimonium, aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.*

Pars altera non minus eſt certa, firmaque, quam præcedens, quæ enim habitualiter ſunt volita, hæc non ſunt proprie voluntaria, vt patet, quotus enim eſt quiſque mortalium, cui ſi ſe cauſa aliqua demerendi ſuperos daret, hanc ambabus non amplecteretur manibus, quis tã inter homines fœlix, cui etſi non modo vitia ipſa, ſed & eorum cauſæ diſpliceant, in ea tamen non ſic naturæ vitio propendeat, vt ſi forte locus, ſi tempus, cæteræque ad peccandum illecebræ ſuppeterent, in illorum ali-

quod non rueret? & tamen non ſunt hæc ei voluntaria, non eſt ergo voluntatis habitualis affectio ſufficiens, vt quæ in ea tanquam effectus in cauſa continentur, dicantur propriè voluntaria.

Secundo, cum voluntate habituali, ſeu indirecta, ratione cuius, aliquis cenſetur quid velle in cauſa, ſtare poteſt voluntas contraria, v.c. præuidet quis fore, vt ſi vini plus æquo bibat, in hoſtium venturum ſe manus, etſi ſit hic eius caſus, indirectè in ebrietate volitus, eum tamen execrari ac odiſſe poteſt, vt caritati, quâ ſe natura duce, ac magiſtra, debet proſequi, aduerſum. Vera eſt ergo, poſita in hoc ſecundo argumento propoſitio.

Sequitur ex dictis optandum quidem eſſe, vt qui membra Sacerdoti, ſacro imbuenda oleo, offert, intelligat quorſum id fieri oporteat, eoque obſequioſæ ſuæ erga Eccleſiam voluntatis, officia referat, ſic enim deuotione maiori, reuerentiaque, Sacramentum ſuſcipiet: ac de Dei in homines miſericordia fiduciam, ſpemque vberiorem concipiet. Id tamen abſolute neceſſe non eſt, nam extra ſe poſitos., febriumque æſtu, ac vi morbi, de ſtatu deiectos animi, quis neſcit, vngi in Dei Eccleſia ſolitos? quod dum ſani eſſent, noſtra, id eſt Chriſtiana myſteria obirent, quo in vſu rerum, tacite cenſentur ac virtute, Sacramentum hoc, ſibi cum in mortem inclinarent, petiiſſe, modoque ſi valerent, enixe id facturos, præſumuntur enim mortales, pari, ac vero etiam ardentiori mentis impetu, quæ ſaluti ſuæ proſunt, ægri ambire, & cupere: ac faciunt ſani.

Quid ſi Sacerdotem peccata infirmi non lateant? quid ſi eum ſciat, vitam egiſſe libidinibus infamem, nulliq; non cognitam? quid ſi vapulaſſe ob ſcelera ſua, multa, ac publica, cenſuris Eccleſiæ? de quibus tamen vtrum eidem ab eodem factum ſit ſatis, aut de peccatis ſit confeſſus, non conſtat?

Dico primo, *Cum ſunt peccata occulta, ſicut & excommunicationis annexa, phreneticum vngendum eſſe*, quia cõmuniter ſub finem vitæ, ea ſibi Sacramenta dari quiſque actu, aut virtute poſtulat, quæ ſunt morientium, quæ Sacramenta, occulto peccatori publica ea petenti, negare Sacerdos non debet, quia cum magiſtratum agat publicum, publicamque in Eccleſia perſonam ſuſtineat, eum quoque publicam multorum notitiam, non priuatam, ac ſuam in his quæ ſui ſunt muneris, officiúque, ſequi addecet: At eſt Vnctio, Sacramẽtorum ſi non vltimum, at certe, vltimo loco conferendum, eamque ad animæ colluctantis præſidium, ac munimen, in afflictis ſuis, ægriſque temporibus, ſibi phreneticus negari non cupit, ea ergo eſt impertiendus, etſi non ſanus.

Dico ſecundo, *Phreneticum in extremis poſitum, vngendum non videri, cum eius peccata ſunt publica, nec de iis ſanus, aut æger, dolentis animi ſignum præ ſe tulit.*

Ratio eſt, quod indigno, quod imparato, ac immerenti Sacramenta non ſint danda, hoc enim eſt fœdo ac immani ſacrilegio, margaritas conculcandas obiicere belluis, ipſo nomine execrandis. Sed ex hypotheſi, æger hic de quo eſt quæſtio, impiatum culpis pectus habet, iiſque grauibus, quas confeſſione, aut dolore vero vllo non eluit, cum qui ſemel eſt malus, præſumatur eſſe perpetuo iiſdem peccatis obnoxius, quandiu ea melioris vitæ propoſito non retexuit aut pœnitentia lachrymiſque non abſterſit.

QVÆSTIO X.

An ſit præceptum aliquod, de recipiendo Sacramento Extremæ-Vnctionis, & quam ſtrictè obligans.

Dico primo, *Nullum eſſe*: ita contra Pet. Soto lect. 2. de Sacram. Vnct. ſcripſere Villalob. to. 1. tract. 10. diffic. 5. num 1. D. Tho. in 4. diſt. 23. qu. 1. Nau. cap. 22. num. 19. Henriq. lib. 3. cap. 10. num. 3. Suar. diſp. 49. ſect.

Ratio eſt, quod nuſquam extet, nuſquam à primis Eccleſiæ Catholicæ ſeu fundandæ, ſeu propagandæ auctoribus, commendata videatur fuiſſe Vnctio, ſub peccato, quod euitari tamen non poſſet, ſi de ea ſuſcipienda, humana aliqua eſſet aut diuina præceptio.

Dico tamen ſecundo, *Negligi eam non poſſe ſine culpa, mortali quidem.*

Primo, cum eſt periculum futuri ſcandali, vt ſi æger interrogatus, num ante vitæ ſuæ exitum vngi velit, cũ peruicacia renuat, creat enim ſuſpicionẽ eiuſmodi reſponſio, audaciæ plena, contemptus Sacramẽti, cuius magna ſunt ac prope numero infinita, ad animæ bonum, pacemq; cõmoda, mouet (inquam) eiuſmodi reſponſio, iuſtam in eorum animis, qui audiunt ſuſpicionem, aut hæreſis, aut curæ in eo ſalutis ſuæ admodum exiguæ, cum quæ eam Sacramenta tantopere promouent, tempore maxime neceſſario negligat.

Secundo, eſt Extremæ-vnctionis voluntaria omiſſio in ægro lethalis, cum de ſua contritione dubitat, nam exponere ſe vltro ac ſcienter, certo pereundi periculo, mortale eſt, ſic enim ſui quiſque, ſic rerum ſuarum, animæque in primis ſtudioſus eſſe debet. vt eam cum poteſt, in tuto poſitam diſcrimini eximat, ab interminatis inferorum cruciatibus, Dei ope, auxilioque ſubtrahat, negat hoc vero ſibi beneficium, quiſquis anceps, incertuſque, de animi ſui dolore, ecquid ſit contritio, & an vere per eum ad ſuperos, Deumque redeat, Extremæ-vnctionis Sacramento impertiri ſe renuit à Sacerdote, eſt ergo eius in hoc euentu omiſſio lethali coniuncta peccato.

Idem ſentiendum tertio, cum habet hæc omiſſio, Sacramenti contemptum grauem, vt ſi infirmus, illud adhiberi ſibi nollet, quod inutile animæ, quod augendæ gratiæ vi carere: ac poteſtate credat, publ. ceque aſſerat, quàm enim eſt turpe, quàm fœdum, diuina non modo, vti eſt neceſſe, beneficia grato non ſuſcipere animo, ſed ea traducere, ſed illa parui faciendi, poſteris exemplo eſſe? facit id vero, qui domi ſuæ inter cognatos, aut publice inter notos iuxtà, ac incognitos, ſibi cum contemptu, nullum ab hoc Sacramento ſubſidium opemque contra Dæmonis mortiſque aſſultus eſſe poſſe impudenter ac impiè aſſeuerat, in Deum ergo, ab eoque inſtituta Sacramenta, ore maledico cum incurrat, peccat, & quidem vt omnium eſt, meaque opinio, peccatum, æternis ignibus, flammaque piandum.

Extra hæc tria tempora, ſacro ſub vitæ finem non imbui oleo, mera ſolaq; incuria, culpam nullam eſſe ne venialem quidem, dixit Villalob. loco ſupra citato, quam etiam in partem inclinare P. Suar. ſcribit Nugnus in 3. par. to. 2. q. 25. art. 2. diffic. 5.

Verum enim ſententia oppoſita, vt quæ ſpeciem mihi veri maiorem habere videtur: in praxi

eſt ſequenda, non omnis omnino expertes culpæ eſſe, ſaltem venialis, qui ex iuſta nulla inducti cauſa, Sacramentum hoc cum res tempuſque exigunt, conferri ſibi non poſtulant, ſapit enim hæc incuria, ſi non ſalutis ſuæ contemptum, at certe opum cœleſtium, at gratiæ, at bonorum ſpiritualium, quibus magno ſuo fructu, labore autem nullo, aut exiguo, ſupellectilem ſuam auxiſſent, quod vt prodigalitatem olet, ita & labem culpamque habet, opinione Ægidij de Coninch. diſp. 19. du. 10. venialem.

QVÆSTIO X.

Quando hoc Sacramentum eſſentialiter ſit completum ad productionem ſui effectus.

CErtum eſt primo, cuiuſlibet Sacramenti effectum primarium, qui eſt habitualis gratia, illico conferri, ac illùd eſt conſtitutum eſſentialiter, nam etſi cauſa ſit tantum moralis, operatur tamen neceſſario, & per modum cauſæ naturalis, ſuppoſita capacitate ſubiecti, niſi reperiat obicem, eodem inſtanti quo perfectè ponitur.

Certum eſt, ſecundo, vnctionibus quinque, non paucioribus conſtare Sacramentum, ac proinde ſi vel vna deſit, non fieri extra neceſſitatem integrum.

Certum tertio, inter Sacramenta quædam eſſe, quæ conſtant partibus integrantibus, quarum ſingulæ, in ſe ſint Sacramenta, partialem formam habentes, vt Sacramentum Ordinis & Euchar. alia vero, vnica materia & forma perfici, vt Baptiſmum, & Confirmationem.

Certum quarto, hoc differre Sacramenta prioris generis, ab aliis, quod illa, effectum partialem habitualis gratiæ ſibi correſpondentem, illico producant ac ſunt, & independenter ab aliis partibus, quæ prædictum Sacramentum coagmentant, & integrant, non vero alia, ſed tantum, cum eorum eſſentia, completè eſt poſita, quod accidit, cum forma integre eſt prolata, & materia tota ſubiecto adhibita, quo de genere, an vero priori, ſit hoc Sacramentum, iam eſt inquirendum.

Et prima ſententia eſt aſſerentium, non perfici ante perfectam Vnctionem vltimam quam propugnant, Coninch. diſp. 9. dub. 6. Laym. lib. 5. tract. 8. cap. 5. num. 4. Villal. in ſumma, Filliuc. tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 126. Suar. to. 4. diſp. 41. ſect. 2. num. 13.

Secunda, cui inhæreo aſſerit, Vnctione qualibet, Sacramentum perfici, proindeque eius effectum primarium qui eſt habitualis gratia, per eam in ſuſcipiente produci, & hanc tuendam ſuſcepere Scotus in 4. diſt. 23 Ioan. Medina de confeſſ. qu. 11. parag. ſecundo idem. Becan. de Sacram. cap. 25. qu. 7. num. 9. quam & probabilem eſſe, Henriqu. aſſerit, lib. 3. cap. 12. num. 3. ſecundum quam eſt dicendum, Sacramenti huius effectum primarium, qui eſt gratia eo inſtanti dari quo eſt cõpleta prima vnctio. Secundas autẽ gratias, quæ ſunt ſpecialia quædã gratiæ auxilia, quibus excitatur anima, vt in Deo ſpes omnes ſuas collocatas habeat, ſub eius manu, tutelaque lateat, nequiſſimi Dæmonis peſtilentes afflatus horreat, quãto poteſt maximo impetu animi, in amorẽ ſe cœleſtium rerũ immittat, ſuperos ſibi ad luctam decretoriam propitios eſſe, precibus contendat, à ſtudio ſui, ſæculique, abductum animum, ad æternitatis ardentiſſima vota transferat.

QVÆSTIO XI.

Effectus huius Sacramenti, quot ſint, & quales.

TRes Concil. numerat ſeſſ. 14. can. 2. de Sacram. Vnctionis gratiam, ac peccatorum indulgentiam, ſanitatem, cum eam ægro reddi expedit, & auxilia, abſtergendis moleſtiis quæ eum tùm pulſant angũtque, neceſſaria, verba Conc. ſunt iſta *Si quis dixerit, ſacram infirmorum Vnctionem, non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec allenare infirmum, ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum anathema ſit*, vt enim eſt hoc Sacramentum inſtitutum diuinitus, ad leuandas ægri moleſtias, mollienda morbi incommoda, ſuperanda bella, quæ tum à Dæmone miſeris mortalibus intentantur, ſcelerumque detergendas reliquias, ne poſt mortem, animæ exutæ membris, ac in cœlos euolare parantis, generoſos auſus remorentur ſuo pondere, ita hæc inter eius inſignes effectus poni oportuit: *Ægroti autem animam alleuat, & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublenatus, & morbi incommoda, ac labores lenius ferat*, Trid. ſeſſ. 14. de Sacram. vnct. cap. 2. Quid? *quod tentationibus Dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius tùm reſiſtit? & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit*, conſequitur? Trident. ibid. quam quidem, certam non eſſe, perpetuam, ac vt loqui ſolent infallibilem, ſeu non errantem, vt Doctores non dicerent, loqueretur res ipſa, literarum monumentis, ac fide certior. Et quidem conſtat, acciſa laboribus, confectaque ſitu ac ſenio corpora, hoc Sacramento, ad primæuum ætatis florem non reuerti, nec qui mortalem in capite plagam hoſtili recepit manu, vi ſacroſancti huius olei reuiuiſcere, ac curari. De his ergo morbis intelligendus eſt Apoſtolus, qui deliquium animi, defectionem virium naturalium, tantam non habent, vt ſpes omnis ægro ſit præciſa, recuperandæ valetudinis, alia enim infirmitatum ſunt genera, quæ quidem quia ſunt periculoſa, ad mortem ex ſe tendunt, & ad eam ſufficiunt, non tamen eam defectionem virium annexam habent, quin remotis nociuis, reſici ipſæ poſſint, atque huiuſmodi infirmitates hoc Sacramento curantur, ſi ad Dei gloriam, ægrique bonum expedit, pollicente id Apoſtolo. *Oratio fidei alleuabit infirmum. Sanitas corporis eſt effectus huius Sacramenti infallibilis quando ſubiectum eſt diſpoſitum, & alias ſalus corporis expedit ſaluti animæ, & tunc ſubiectum eſt indiſpoſitum quando eſt ita viribus corporis deſtitutum, quod virtus ſigna huius Sacramenti non poteſt illud ſanare*, Ioan. de la Cruz in director. controu. 3. par. 2. de Sacram. Extr. vnct. dub. 3. conc. 3.

Verum enim, vter horum effectuum ſit Vnctionis primarius, & cuius cauſa, primo & per ſe eſt hæc inſtituta, certò non conſtat, nonnullis affirmãtibus eſſe remiſſionem peccatorum venialium, aliis peccatorum tam originalis, quam actualium, quæ quia ægro fuere ignota dum viueret, non ſunt in confeſſione Sacerdoti ad veniam expoſita.

Opinionis primæ auctor ac defenſor Bonauentura in 4. diſtinct. 23. artic. 1. quæſt. 1. Ei ſe adiunxere comites Richard. in eand. diſt. art. 1. q. 3.

Nauar. cap. 22. num. 12.

Secundæ Diu. Thom. placuit in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. qu. 1. Soto qu. 1. art. 2. Diu. Anton. 2. part. tit 14. cap. 8. Sylu. ver. Vnctio.

Dico primò, *Etsi per hoc Sacramentum producatur gratia, non videri tamen primo & per se institutum, ad eius effectionem nudè considerata, ac sine respectu ad aliud*, quia omnium est opinio, ab ægro voluntate Ecclesiæ suscipi, ad tollēdas morbi molestias, quod efficit ei iniecta hilaritate de abitu in patriam, & confidentia in remuneratorem Deum pro minimis, eius causa, nomineque patratis, ex quo consequitur, animo illum & corpore, per Sacramenti huius virtutem, alleuiari, & ad grandia, pro Dei causa erigi.

Equidem cum de eius institutione Concil. disputat, tradit id spectasse Christum, vt homini, contra Dæmones, eorumque petitiones assiduas, & acres, certa suppeterent in hoc Sacramento, firmaque ad victoriam præsidia: *Itaque, circa illius institutionem*, inquit Concil. sess. 14. cap. de doctrina huius Sacramenti, *declarat, ac docet, quod clementissimus Dominus & redemptor noster, qui seruis suis quoties tempore volunt de salutaribus remedijs aduersus omnia omnium tela hostium esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in aliis Sacramentis præparauit, quibus Christiani conseruare se integros, dum viuerent, ab omni grauiore Spiritus incommodo possunt, ita Extremæ-vnctionis Sacramento, finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munuit.* Dictum est ergo verissime, Sacramenti istius instituendi causam, finemque præcipuum, non esse habitualem gratiam nudè spectatam, ac sine ordine ad aliud.

Dico secundò, *Sacramentum Extremæ-vnctionis, primo, & per se principaliter institutum à Deo non esse, ad remissionem venialium.*

Primo, quia aliter sanis dandum esset, cum culpis abundent eius generis, quod nemo asserit.

Secundo, cum Sacramenta operentur ad modum causæ physicæ, & ex opere operato necessario (vt aiunt) debet eorum effectus certus esse, stabilis, ac perpetuus. At non est peccatorum remissio, Extremæ-vnctionis Sacramento, coniuncta necessario, nam dari iusto, dari innocenti, ac à culpis libero, vacuoque potest, vt est ostensum.

Quid? quod Apostolus peccata absolute in hoc Sacramento condonanda non asserat sed hypothetice, ac sub conditione duntaxat, *Si in peccatis fuerit remittentur ei*, quibus verbis ecquid tacitè innuit, aliud esse, à peccatis, Vnctione detergendis, cuius causa, eam in Ecclesia frequentari Deo placuit?

Dico tamen tertio, *Etsi ex prima sui institutione, non ordinetur hoc Sacramentum ad peccatum delendum, illud tamen per gratiam sibi propriam obliterat, si quod in homine, obscurum ac latens maneat.*

Pars prima, dubitationem non habet, alioqui non nisi existenti in peccato conferri posset, nec quod mos habet Ecclesiæ, necesse esset, alia ei Sacramenta præmittere, quod qui dixerit hactenus nemo est visus.

A Pars altera probatur, esse mortalis culpa nequit cum gratia: ergo si quæ reliqua erit in anima, sine obice fictionis, dissipabitur à gratia, hoc-que sensu, credo Sacramentum istud appellatum à Trident. cap. de doctrina Vnction. sess. 14. *Consummatorium pœnitentiæ*, eo quod suppleat, perficiat ac consummet quod ei defuit, ea nempe delendo scelera, quæ quia non occurrerunt memoriæ, non sunt, cum est ex præcepto Ecclesiæ instituta confessio, subiecta clauibus, nec modo, etiam propter similem aliquam impotētiam, vt quod æger v. c. sui est impos, aut loqui nescit, iudicio Sacerdotis, ac censuræ non possunt, in sacro tribunali conscientiæ submitti.

Dico quarto, *Institutis huius Sacramenti præcipuum finem esse, vt per auxilia actualia, ac gratias, quæ habitualem comitantur, hominem in fide corroboret, ad pugnam cum Dæmone animet, spem eius in Deum suscitet, vim morbi, memoria æternitatis, quo tendit, mitiget:* Ita Suar. disp. 41. sect. 1. num. 11. Tuetur autem se hæc assertio, tam auctoritate Concilij, quam ratione, à postrema ordior.

Est, opinione Diu. Thom. in 4. art. 2. quæstione 2. ac Theologorum ferè omnium Extrema-vnctio, Dei voluntate, ac imperio, in vsu mortalibus, vt sit illis, mitigandis peccatorum suorum reliquiis tergendisque, salutare Pharmacum.

At hoc nomine, non tantum peccata Doctores intelligunt, quæ moribundus, eo quod inuincibiliter ea ignorat, aut sensu destitutus delere per con-C fessionem non potest, sed & incommoda, ex iis nasci solita, quibus sub mortem cruciatur ac premitur anima, cuiusmodi sunt eius metus, tepor ac acedia, morbi molestiæ, tentationes Dæmonis, quæ si vnquam, sunt sane eo tempore, & crebræ & acres, quas tamen superare nō est homini facile, nisi spe concepta de Dei bonitate, ac clementia, gratiæque actualis auxiliis, quæ iacentem ægri animū erigant, hærentem ad magna adigant, tædia morbi nauseasque leniant, dantur hæc ergo homini, diuinæ gratiæ auxilia in hoc Sacramento, secundum eius institutionem propriam, quorum ope muniamur ad pugnam, armemur ad victoriam. E Commune enim est Sacramentis omnibus, nouæ legis, gratiam conferre, ea auxiliorum, seu gratiarum additione ornatam, quæ vniuscuiusque naturæ ac fini conuenit. Gratia enim pœnitentiæ propria, non tantum peccati odium homini imprimit, sed eidem quoque auxilia & magna, ac crebra suppeditat, quibus ad eius victoriam, Deo adiuuante, in posterum par sit & æqualis: Gratia matrimonij, adiunctas habet actuales alias quibus coniuges ad ferenda matrimonij onera, idonei reddun-tur ac fortes, quæ Extremæ-vnctionis sunt propriæ, hæ robur afflicto tribuunt, hæ corpore depressum, viquo morbi tantum non mortuum communiunt, ad spem, fiduciamque: erga Dei misericordiam erigunt Trident. Concil. fuit hic sensus E cap. 2.

EPITOME TRACTATVS PRÆCEDENTIS,

Cum probationibus deſumptis ex Patribus, Conciliis, & Canonibus.

CAPVT PRIMVM.

Extrema-vnctio quidſit, & an ſit Sacramentum.

EXtrema vnctio, *Vnctio eſt ſub præſcripta verborum forma, à Sacerdote facta, qua ægroti ſub finem vitæ vnguntur, in certis corporis partibus oleo olivarum, ab Epiſcopo benedicto, & ſanctificato, ad remiſſionem delictorum conſequendam, eorumque reliquias detergendas.* Manuale Parochor. Saliſburgenſ.

Sacramentum eſt, Tridentin. ſeſſ. 14. can. 1. de Sacram. Vnct. Florentin. in conſtitutione Eugenij, Innocent. epiſt. 1. ad Decentium cap. 8. *Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus Sacramenti eſt, nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi?*

Duæ ſunt porro Vnctionis ſpecies, *Exterior quæ materialis eſt & viſibilis: & interior, quæ ſpiritualis eſt, & inviſibilis, exteriore viſibiliter inungitur corpus, interiore inviſibiliter inungitur cor.* de prima Iacobus Apoſt. ait. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros &c.* de ſecunda Ioan Apoſtolus ait: *Vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed ſicut Vnctio docet vos de omnibus. Vnctio viſibilis, & exterior, ſignum eſt interioris, & inviſibilis Vnctionis, Vnctio vero inviſibilis, & interior, non ſolum eſt ſignum, ſed etiam Sacramentum.* Innoc. III. in cap. vnico de ſacra Vnctione, paragraph. ſcire te volumus.

Equidem eſt *Sacramentum ſignum inviſibilis gratiæ, vt illius ſimilitudinem gerat & forma exiſtat*, Magiſt. in 4. diſtinct. 1. vel vt loquitur Diu. Thom. 3. parte qu. 69. art. 3. *cauſa inſtrumentalis gratiæ*, ſed *Vnctio viſibilis*, Innocent. teſte, *& exterior, ſignum eſt interioris, & inviſibilis Vnctionis*, hoc eſt gratiæ, eſt enim hæc *Vnctio ſolemnis, excellens liquor, quo ſanitas redditur* (id eſt gratia, qua ſani mente & ſpiritu, efficimur) *peccatum dimittitur, vides ne, qualiter Sacerdotalis manus, infirmantis corpus alleuet, & illecebroſam ſenſuum motionem, ſacratiſſima mingat Vnctione, vnde & Sancti Patres, hanc Vnctionem Sacramentum eſſe ſanxerunt*, Petrus Damiani ſermone 1. in dedicat. Eccleſiæ.

Diui Auguſt. ſenſus idem *oleum*, inquit, *viſibile in ſigno eſt, oleum inviſibile in Sacramento eſt, oleum ſpirituale intus eſt, oleum externus viſibile eſt*, Auguſt. in Pſalm. 44.

Sacramenti Extremæ vnctionis qua ſit materia.

CAP. 2. Vnctionis materia remota *eſt oleum olivæ benedictum per Epiſcopum.* Florent. in litteris vnionis, quod Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de inſtitutione huius Sacramenti approbat, ſuoque firmat ſuffragio, in hæc verba: *Intellexit Eccleſia (Extremæ vnctionis) materiam eſſe oleum, ab Epiſcopo benedictum.* Scripſit eadem ſenſitque Innocent. epiſt. 1. ad Decentium cap. 8. hæc enim Iacobi verba explicans. *Infirmatur quis in vobis*, hæc habet, *non dubium eſt de ægrotantibus fidelibus accipi, & intelligi debere, qui oleo, ſancto chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus etiam Chriſtianis, vti licet in ſua neceſſitate.*

Sanè vngi infirmus debet, *Vt per Apoſtolum ſuum Dominus præcepit*, Auguſt. lib. 2. de viſitat. infirmor. cap. 4. At eſſe Vnctio, quæ materia eſt huius Sacramenti proxima, ſine oleo quî poteſt?

Benedici vero debet ab Epiſcopo. Beda in cap. 6. Matth. Innocent. proxime citatus, nec promiſcue quolibet, ſed eo duntaxat qui eo loco Epiſcopalia iura exercet, cap. 1. de religioſis domibus. Præcipit infirmo Aug. ſerm. de tempore 115. vt Chriſti ſe corpore ſanguineque paſcat, *Acinde corpuſculum ſuum ungat, vt illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo, Infirmatur quis in vobis &c.* At quis dixerit commune fuiſſe oleum, quod poſt Chriſti corpus infirmus acciperet, ex quo cum valetudine remiſſionem peccatorum obtineret?

Fuit ergo oleum, in quo eſt Vnctionis remota materia benedictũ ab Epiſcopo, à Preſbytero nullo modo: id enim ei interdictum video in can. 3. Carthagin. 5. & refertur 26. qu. 6. can. 1. niſi id ei per Pontificem Roman. liceret. Porro tempus quo ad vſum huius Sacramenti, conſecrandum eſt oleum, definitum eſt à Fabiano Papa 1. in epiſtola ad Orientales 2. *In illa*, inquit, *die qua Dominus Ieſus, poſtquam cœnauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes, (ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt) chriſma conficere docuit*, hoc eſt conſecrare, quo ſenſu Sacerdos corpus Chriſti, conficere dicitur. *Sicut igitur ipſius diei ſolemnitas per ſingulos annos eſt celebranda, ita ipſius ſancti chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt agenda, & de anno in annum renouanda, & vetus chriſma, in ſanctis Eccleſiis cremandum.*

Fuit hæc cauſa, cũr nonnulli crediderint, mortale eſſe alio die oleum benedicere, illudque non renouare annis ſingulis, aut extra neceſſitatem, adhibere vetus in Vnctionibus, cuius opinionis auctor Zambran. de caſibus occurrentibus tempore mortis cap. 5 dub. 4. num. 5. quam tamen firmamento nullo niti ſolido, dixere ſcriptores cæteri, vt Ledeſma in ſumma tom. 1. de Sacram. Extremæ vnct. cap. 2. Henriq. lib. 2. cap. 29. num. 3. quibus vt aſſentiar, inducor hac ratione maxime, quod Fabiani oratio, non Sacerdotes, ſed Epiſcopos duntaxat reſpiciat, quorum vt intereſt Eccleſiam regere, bonis illam ac ſalutaribus ſuſtentare legibus: ita & videre, ne vngendis corporibus, vt animus ſanus fiat, benedictum per eos oleum deſit, quare contra Fabiani monita committent quidem, ſi quotannis illud non renouent, benedictione noui ac recentis, non tamen meo ſenſu mortaliter, quia in vniuerſa illa verborum ſerie, quibus vtitur, ne veſtigium quidem, ac vmbram præcepti video, vbi enim, & quando dixit ſententiam, id ſe præciperet id velle, id iubere, id cum obligatione, nexuque culpæ fieri debere?

Quare damnandus non eſt Henriqu. temerè, cum loco citato aſſerit.

Primo, de renouando annis ſingulis oleo, præceptum extare nullum.

Secundo, non peccare Preſbyterum mortaliter qui veteri ægrum vngit, itáque Theologos, ac iuris vtriuſque peritos, Salmanticenſis Academiæ

cum ea de re conſulti eſſent, reſpondiſſe. Addit Laym. lib. 5. eiuſmodi Vnctiones iterandas non videri, cum ad eas per etrorem, loco olei, chriſma eſt à Sacerdote adhibitum, ſed rem Deo committendam eſſe, *tum quia plerumque non poſſet fieri iterata Vnctio ſine ſcandalo, tum quia eſt valde probabile, Sacramentum Extremæ vnctionis, valide conferri in materia ſacri chriſmatis.* Ita ille, quod nos non credimus. Si tamen deficeret oleum, Sacerdos eius abundantiam ſibi ſuppeditabit & copiam: additione noui non conſecrati, ad ſacratum: veriſſima enim eſt opinio Doctorum, quod additur, olei conſecrati vim habere, ac naturam, dummodo iſtud, id eſt conſecratum, quantitate nouum ac additum ſuperet. Hæc de Sacramenti huius materia.

Extremæ vnctionis forma quæ?

Cap. 3. Forma eius, nihil eſt aliud quam quædam peccatorum deprecatio. *Per iſtam ſacram Vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid offendiſti per viſũ, In nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti*, & ſic de aliis ſenſibus, quos omnes extra neceſſitatem, id eſt, cum nihil properato eſt opus, vngi oportet, *Vnctio tamen vna videtur ſufficere ad eſſentiam Sacramenti, ſiue fiat in capite, ſiue in pectore.* Becan. de Sacram. cap. 25. qu. 7. num. 6. Syluius in 3. parte qu. 32. art. 7. Coninch. dub. 19. dub. 3. nu. 6.

Primo, quia forma Ambroſiana, & Veneta, iis verbis conſtat, quæ non niſi Vnctionem vnam indicat.

Secundo, ſi alicui nunquam fuiſſent oculi, ſi manibus deſtitutus, ac truncus, veniſſet in lucem, non eſſet neceſſe eas partes vngere, vt pote non extantes, nec quæ proinde ſcelerum in eo aliquorum fuiſſent cauſæ, non eſt ergo Vnctionum numerus ſic huic Sacramento eſſentialis, ac intrinſecus, vt ſi in earum aliqua Vnctio non fiat, Sacramentum ipſum non ſubſiſtat.

Nec ſunt item ad eiuſdem formæ eſſentiam, ac naturam requiſitæ hæ voces: *Per ſuam piiſſimam miſericordiam*, quia *expreſſio cauſæ principalis effectus Sacramenti, in aliis formis, non ſolet eſſe de ſubſtan ia, niſi vbi eſt neceſſaria inuocatio Trinitatis, ob rationem aliquam ſpecialem*, Diana tertia parte tract. 4. reſol. 180. quem præiuere in hac ſententia Pitigianus in 4. ſent. to. 2. diſt. 23. qu. vnica Laym. lib. 5. tract. 8. cap. 3. Coninch. diſp. 19. dub. 4. num. 15. eo quod videantur prædictæ voces, *ſatis intelligi ſub verbo indulgeat quod ſignificat*, miſericordiam idem ibid. omitti tamen nequeunt, quemadmodum nec ſequentes, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, ſine graui peccato. Idem ibid.

De ſubiecto vnctionis.

Cap. 4. Et quanquam, magna ſint huius Sacramenti, ſicut & cæterorum, ad beatam vitam, ac culpatum remiſſam commoda, non eſt ad ea tamen quilibet idoneus, datum alteri quam Chriſtiano & infirmo non prodeſt, id quod D. Iacobi verba edocent. *Infirmatur quis in vobis, &c.* & Innocentij paulo ante citati oratio, cum dixit, *non Sacerdotibus modo ſed omnibus Chriſtianis vti licere in ſua neceſſitate*, hoc ipſum probat inſuper, modus loquendi Eccleſiæ, quo ſolet huius Sacramenti materia, infirmorum oleum appellari, Innoc. III. cap. 1. de ſacra Vnct. *Ad exhibendum exteriorem & viſibilem Vnctionem, benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum, vel infirmorum*, eo vero Sacramentum hoc intelligi declarat idem ibid. his verbis: *Exteriore viſibiliter inungitur corpus, interiore inuiſibiliter inungitur cor*, de prima Iacobus ait, *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum in nomine Domini, & oratio fidei alleuiabit infirmum.* At quo infirmitatis genere? quæ certa eſt ad mortem via, eo quod eius periculum probabile afferat, ait enim Iacob. *Oratio fidei alleuiabit infirmum & ſi in peccatis fuerit remittentur ei*, de eo ergo infirmo loquitur, qui non niſi diuina ope, ad quam proinde Presbyteri preces ſint neceſſariæ ſanari poſſit, cuiuſmodi eum eſſe conſtat, cui cum ars medica, eiuſdem præcepta omnia, pharmacaque, prodeſſe nequeant, diuina reparari ope, gratiaque debet, qualis non alius, quam qui morbo eſt affectus periculoſo, ac graui, ac cuius incertus eſt exitus. Hoc ipſum perſuadet Concil. Florent. in decreto Eugen. cum ait. *Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cuius morte timetur dari debere qui vngendus eſt in oculis, propter auditum, in naribus, propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, ibidem vigentem.*

At enim quâ neceſſitate? non alia quam præcepti, cum ex proximè dictis conſtet peruncto duntaxat, vnico ſenſuum organo, quia cætera nequeunt Sacramentum ratum eſſe, ſi forma adhibeatur neceſſaria.

Extremæ vnctionis quis ſit Miniſter.

Cap. 5. A quo verò ab Epiſcopo & Presbytero, & quidem de priore ambigere, an ei liceat, quod Presbyteris permitti non eſt dubium, ſuperfluum videri mihi ſolet. Nam ideirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non poſſunt: *Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere Chriſmate ſine cunctatione poteſt, cuius nempe eſt Chriſma conficere*, Innoc. I. epiſt. 1. ad Decentium ca. 8. de Presbyteris autem dubitare nefas, cum aliis ægros vngendos eſſe dicat Apoſt. can. epiſtolæ ſuæ cap. 5. quo nomine non ætate ſeniores ſed Sacerdotes capi oportere eſt in Trident. ſeſſ. 14. can. 3. de Extrema vnctione, *ob idque, proprium eius miniſtrum, non eſſe Sacerdotem aſſerens eſt anathema*, Trid. ſeſſ. 14. cap. 3.

In neceſſitate autem, vt quando alias, æger moriturus eſſet ſine hoc Sacramento, non Parochus, ſed Sacerdos quilibet, ex tacita Eccleſiæ licentia, adhiberi poteſt, quia non eſt probabile, ab illa facultatem ei, tum negari, conſulendi ægro, ac eius ſaluti, per Sacramentum, quod eum ex attrito, contritum cum faciat, cenſeri debet eidem eſſe ſæpe ad ſalutem neceſſarium, ſemper autem fructuoſum.

De effectibus huius Sacramenti.

Cap. 6. Nam primo, iuſtificantem homini gratiam impertit quæ ex opere operato æqualis eſt in omnibus. *Ipſa enim ſacrati olei delibutio, intelligitur Spiritus ſancti typicalis Vnctio.* auctor lib. de viſitat. infirmor. cap. 4. Quare *Vnctionis Sacramentum, aliud quidem efficit, aliud figurat. Exteriore enim viſibiliter inungitur corpus, interiore inuiſibiliter inungitur cor:* Innoc. III. in decretali cum veniſſet prima de ſacra Vnctione, peccat ergo mortaliter, qui cum conſcientia mortalis culpæ, vngi ſe in vitæ exitu patitur, quia caritati ac gratiæ obicem ponit Fernandez par. 3. cap. 10. parag. 1. n. 10.

Secundo, Vnctio periclitanti de ſalute, vires ad luctã addit, mœrorem qui ex morte propinqua cor premit, diſſicit, morbi incommodis, Dæmonumq; præſtigiis forti ac generoſo animo, æger vt obſiſtat, efficit: hæc eſt cauſa, cur ei Sacramentum hoc

negari honeſte non poſſe, Suarez aſſerat to. 4. diſp. 42. ſect. 2. num. 10. de cuius innocentia, certa ex confeſſione teſtimonia Sacerdos habet, nam etſi verè nunquam quid animo conceperit, aut verbo dixerit, quo puritas lædatur mentis, & ita adnumeretur ſceleratis ac impiis, firmari tamen poteſt per hoc Sacramentum ad grandia, duraque cum Dæmone prælia, armari ad varios, certos tamen humanæ vitæ caſus, quæ bona quãquam deeſſent, tamen deeſſe non poteſt gratia, qua ei ad gloriam, vitæque beatæ immortalitatẽ via pateat. Et huius opinionis ſunt Pitigian. in 4. ſent. to. 2. diſt. 23. q. vnica art. 5, Henriq. lib. 3, cap. 11. Regin. lib. 28. c. 11. n. 69. Coninch. diſp. 19. dub. 7. Quibus ſcriptores è multis obſiſtunt duo Nugnus, in 3. par. to. 2. q. 32. diffic. 2. Ioan. Sancius in ſelect. diſp. 27. n. 18. quod de innocente, quod de homine, experte culpæ, forma eſſe vera nequeat, nam ſi nihil peccauit vnquam, ſi vt Chriſtianum decet, ſemper ad præſcriptum prudentiæ vixit, à ratione Deique lege deflexit nunquam, quàm verè, quam iuſtè dicere Sacerdos poteſt, ei per hoc Sacramentum remitti, quicquid minus piè, minus religioſe, ac honeſtè, eſt ab eo vnquam, audiendo, videndo, ambulando geſtum? *Indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti per viſum, &c.*

Sed habet hoc argumentum, ſolutionem expeditam & facilem, quod enim in Sacramento pœnitentiæ vſu venit, illud ipſum hic accidit, nam vt fit interdum, peccatorum maculas omnes vi doloris, quem adfert ad Sacramentũ pœnitens, abterſas eſſe: & tamen de falſitate argui formam nõ poſſe, eo quod illi ſubiecta ſit hæc notio, quod per eam detur pœnitenti gratia, quæ ſcelera ſi quæ forte in eo ſunt reliqua, deletura vi ſua ſit omnia, quod nunquam non eſt veriſſimum, ita & formæ Sacramenti Extremæ vnctionis, *Indulgeat tibi Deus, &c.* cum hic ſit ſenſus, per eam è cœlo infundi homini, ea gratiæ diuinæ munera, cum quibus ſtare culpæ, ſceleraque nequeant, quamlibet ſit ab iis æger vacuus, vera tamen erunt hæc verba: *Per ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, &c.* quia ſi quibus adhuc ſordidatus eſſet, hæc gratiæ cœleſti perfuſa tore, eluerentur omnia.

Fuit hæc mens Concilij, vt ex his eius verbis colligere cuique facile, *Vnctio*, (inquit) *ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægros animam alleuiat, & cõfirmat magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublenatus, & morbi incõmoda ac labores lenius fert, & ſanitatem corporis interdũ, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. de Extrema vnct. quo de beneficio egregie Auguſt. in ſerm. 215. de tempore: *Videte fratres*, inquit, *quia qui infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona poſſint in Eccleſia inueniri, quare per incantatores, & aruſpices & diuinos, vel ſortilegos, multiplicia ſibi mala, miſeri homines conantur inferre?*

In eandem quoque ſententiam Cyrillus Alex. lib. de adorat. in Spiritu, admonens ſuos, ne in curandis morbis, à Magis implorarent auxilium, *Mementote*, inquit, *& eius qui dicit. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, orent ſuper eum, vngentes ipſum oleo, in nomine Domini.*

Hæc de Sacramentis dixiſſe ſit ſatis, vtinam quàm verè, tam copioſè, tam ſubtiliter & accuratè, quam (vt ſentio) exiliter ac ieiunè, quæ tamen qualiacunque ſunt, & quanta, vti Deo, quo aſpirante ea incœpi, adiuuante ſcripſi, promouente finiui, ad eius honorem & gloriam, Paſtorum vſum, Chriſtiani populi commodum, oblata cupio, ita eadem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio ac cenſuræ, ſubiecta eſſe volo.

Deo Opt. Max. Beatiſſimæ Mariæ, ſanctis Angelis, ac B. Ignatio ſempiterna ſit laus & gratiarum actio.

FINIS.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Prior numerus indicat paginam, posterior columnam & litteram.

A.

ABBAS.

ABBAS quid & quotuplex 521. 1. 2 abbatum quis est superior 523. 1. a. b. c. d. qualis esse debet, qui in abbatem eligitur communibus suffragijs ibid. 2. a. b. &c. 524. 1. 2. 525. 1. a. b. cuius est abbatem electum confirmare 525. 1. d. e. &c. quo die abbates benedici debent 526. 1. d. e. &c. abbatis authoritas quæ & quanta ibid. 2. c. d. &c. 527. 1. 2. 528. 529. abbati tentare ac facere quid est canonica lege prohibitum 529. 2. b. c. &c. 530. 1. a. b. &c. abbas potest monachum contumacem Monasterio extrudere 530. 2. c. d. &c.

Abbas est prælatus & ordinarius 531. 2. d. e. 532. 1. a. b. abbatum obligationes quæ, quales, & quantæ 532. 1. c. d. &c. 533. 534. ius eligendi abbatis pertinet ad Capitulum aut Collegium Clericorum ibid. 1. a. b. non omnes professi ius Abbatis eligendi habent, & qui ibid. c. d. conuersi laici ad electionem cum Clericis admitti non solent, nec possunt, nisi in aliquo Monasterio per diuturnam consuetudinem ius capitulare præscripserint 535. 1. a. b. non est necesse vt in Religione qui eligunt sint initiati sacro ordine ibid. c. d. pro electione Abbatis, ægroto aut impedito fas est suffragari per alium ad id speciatim delectum 536. 1. b. potest absens suffragium suum scripto mittere ibid. c. d. in Abbatem potest eligi dignus digniore præterito ibid. 2. d electores peccant inortaliter cum in Abbatem alium quam dignissimum eligunt ibid. e.

Abbates possunt sibi eligere Confessarium extra Religionem 159. 2. c.

Abbates eorumque Coadiutores sunt dignitates 425. 2. b.

Ablutio.

Ablutio est materia proxima Baptismi 34. c. 2. a. b. &c.

Ad ablutionem tanta aquæ quantitas exigitur quanta moraliter est opus 35. c. 1. a.

Ablutio debet fieri in parte aliqua notabili corporis ad vitandum peccatum, licet id non sit ad sacramenti valorem necessarium 35. c. 1. d. e. &c.

Absolutio.

Absolutio data verbis deprecatorijs non est valida 84. 2. b. c. &c. est verbis danda, secus nulla 85. 1. b. c. d.

Absolutio data sub conditione de futuro est inualida & sacrilega 85. 2. a. b. &c.

Absolutionis quæ forma 86. 1. a. non est necesse mentionem facere personæ absoluentis ibid. b. nec necessitate sacramenti debet exprimi persona quæ absoluitur ibid. debet quoque exprimi quod in hoc sacramento remittitur ibid. c. inuocatio sanctæ Trinitatis non est formæ essentialis & intrinseca ibid. c. à sacerdote non tantum reatus æternæ pœnæ, sed etiam culpæ remittitur ibid. 2. c. quid significent hæc verba *Ego te absoluo* 86. 2. a. b. &c. 87. verba formæ seorsim sumpta & sine ordine ad alios actus pœnitentis significant per se primo, & inmediate remittitur peccatum tam in se, quam effectis suis si aliquod aut aliqua supersunt adhuc absoluenda 87. 1. b. c. forma sacramenti pœnitentiæ non significat absolutionem omnem hic & nunc conferri, quæ per eam dare potest sed aliquam ex his indeterminatè, siue sit à culpa, siue à pœna, aut ab aliqua re consequente ex peccato ibid. 2. a. b. verba formæ vt componunt sacramentum cum actibus pœnitentiæ, significant gratiam sanctificantem, & consecutiuè remissionem peccatorum ibid. 2. b. c. quæ requiruntur necessitate præcepti ex parte formæ in sacramento pœnitentiæ 88 1. 2.

Absolutio ab excommunicatione est præmittenda absolutioni à peccatis, 89. 1. a.

Absolutio ei negari non debet, qui per infirmitatem aut aliter, sæpe in idem peccatum recidit, modo sit contritus, & proponat se emendaturum in posterum 95. 1. d. e. 2. a. b. c.

Absolutionis non est capax habitus pro concubinario, licet reuera non sit, 96. 1 b.

Absolui nunquam possunt Necromantici qui superstitionibus sunt dediti, aut qui cambia vsuraria, contractus illicitos faciunt, nisi ab illis abstineant 158. 2. e. etsi qui sunt in proxima peccandi occasione regulariter absolui non debeant, nisi prius eam re aut voto deseruerint, frui tamen possunt hoc beneficio ibid iuuenes aut quicumque alij, qui sunt in proxima occasione peccandi non debent absolui, cum causa

Digitized by Google

illis nulla ſuppetat in ea manendi niſi ſpondeant ſe derelicturos cum poterunt 259. 1.a b.

Abſolutio dari poteſt ei qui contritus peccata ſua explicat ſacerdoti nutibus tantum ac ſignis ibid. 2.b.c.ei etiam qui cum loqui nequit pectus percutit,aut in cœlum oculos attollit præſente confeſſario 90.1.b c.&c.

Abſolutio non eſt neganda moribundo qui confiteri ſe velle dixit, aut ſigna doloris abſente ſacerdote edidit 91. 1. 2. peccaret Parochus ſi negaret ibid.2.e. eſt danda cum hac conditione, *Si tuæs capax ego te abſoluo*, 92.1.c.d

Abſolui non debet extra mortis articulum,aut metum ſcandali, qui de admiſſis vnum aliquod confitetur, cæteris per ignorantiam linguæ ſuppreſſis,92.2.a b. ſpeculatiuè loquendo qui non confitetur aliter quam eſt dictum abſolui poteſt validè,extra mortis articulum, modo ſit attritus, in praxi tamen ſine abſolutione remittendus eſt ibid.c.d

Abſolutione eſt indignus pœnitens, cuius opinio apertè eſt falſa, ideſt Canonibus & Pontificum decretis contraria, ſi repugnet aut nolit ſequi opinionem confeſſarij, 93. 1.b. c. cum opinio pœnitentis eſt probabilis, abſolui à Sacerdote debet etſi ſecus opinante quam ille ſentiat,ibid. c.d. non minus quam Parochus tenetur quilibet alius Sacerdos, pœnitentem aliter atque ipſe credit de re quapiam opinantem abſoluere ibid.2.a. qui negat abſolutionem operanti ex opinione probabili mortaliter peccat,ibid.2.b.c.

Abſolutio data cum ſola ratihabitione ſuperioris de futuro eſt nulla,102.2. d. vt ſit valida non ſufficit quod Parochus videat audiri confeſſionem ſui ſubditi, nec reclamet, 102.2.e. ad iuriſdictionem alteri tradendam eſt primo neceſſe vt qui eam tribuit id ſigno aliquo externo ei ſignificet, ſecundo vt hic eam acceptet, 103.1.b

Abſolutio communiter non eſt largienda ei qui peccata ſua eſt confeſſus per litteras,103.2.a.incidere tamen poſſunt tempora,in quibus ſit largienda. ibid.b

Abſolui debet qui confitetur ſe ſpe veniæ obtinendæ peccaſſe liberius,quam feciſſet ſi ea caruiſſet 97.1. b. c. concubinarius quandiu commoratur cum concubina, communiter abſolui non poteſt ibid. d. poteſt tamen, quando ſine infamia aut alio graui incommodo concubina eiici non poteſt ibid. e. qui cum ancilla aliquoties congreditur in anno, abſolui poteſt ſi eum ex animo peccatorum pœniteat ibid.2.a.b.ſerui & ancillæ qui concubinæ aut meretrici nauant operam in iis miniſteriis, quæ ſunt ex ſe illicita, abſolui non debent ibid. 2. c. ſecus autem in iis officiis quæ communiter præſtantur à ſeruis Domino ibid. c.d. debent moneri ſuauiter à Confeſſario vt alios ſibi quærant Dominos, quam quorum vita eſt infeſta libidine 98. 1. b. c. abſolui non debet pœnitens de cuius peccatis confeſſarius memoriam non habet ibid. c.d.e.2.a.b

Abſolutio data pœnitenti, qui bona fide confeſſus eſt dormienti confeſſario peccata ſua,eſt valida, ac fructuoſa, dummodo aliqua audiuerit dictus Confeſſarius 98.2.c.d.eſt etiam valida data ab ignorante Confeſſario, quem bona fide pœnitens adiit ibid.e. data ab eo qui non habet titulum ſaltem coloratum, eſt nulla. 99.1.b.c.&c.

Abſoluendus non eſt debitor inuito creditore, ſi eſt ſoluendo 99.1.2. ſi tamen honeſte poteſt moræ ſuæ quidpiam obtendere etſi æs alienum non ſoluat,poteſt abſolui ibid.b. abſolui quoque poteſt cum neceſſitate premitur extrema ibid.e eſt in iure Confeſſarij debitori dilationem reſtituendi concedere ibid.d. peregrinus abſolui nõ poteſt præſertim cum caſus qui eſt reſeruatus in ſua Diœceſi, eſt quoque reſeruatus in ea per quam tranſit 100 1.c.ſecus autem aliter ibid.d

Abſolutio non eſt neganda confitenti ſæpe eadem peccata etſi ſpes nulla appareat emendationis futuræ 100. 1.d. peccat peccato ſacrilegij confeſſarius, qui ſciens ac cum aduertentia excommunicatum prius à peccatis quam à cenſuris abſoluit 101. 1. b. c. abſolutio data bona fide à peccatis & non à cenſuris eſt valida ibid. c. d. abſolutio non eſt communiter danda ei qui peccatum ſuum confeſſario non manifeſtat,de quo illi conſtat pœnitentem nunquam eſſe confeſſum 102. 1.d poteſt tamen abſolui ſi confeſſarius dubium excutiat, ibid.e

Actus.

Actus quo voluntas deteſtatur peccatum, duobus modis dici poteſt maior quolibet alio 168.2.b.c

Adoptio.

Adoptio quid & quotuplex 730.1. a. b qui differt ab arrogatione ibid.b.c. tam perfecta quam imperfecta Matrimanium impedit, ibid.c.d

Adulter, adulterium.

Adulter poteſt cum ea contrahere,cui viuente cõiuge fidem futuri dederat matrimonij ſi vxore defuncta ſecundam duxit, quæ etiam obiit 719. 1.a.b.hoc impedimentum non reſultat ex adulterio,cui promiſſio eſt adiuncta futuri matrimonij,ſed non acceptata ab eo vel ea, cui eſt, facta ibid.b.c. matrimonium eſſe poteſt inter adulteros, ſi non abſolutè ſed ſub hac formula, ſibi fidem pactionis faciant,*Alium aut aliam quàm te,ſi præmoriatur vxor mea,non ducam.* ibid. d. e. quando alter adulterantium matrimonio iunctus non erat, licet ab ea, quæ ei ſe fœde proſtrauit, maritus putaretur, talis coitus non eſt impedimentum dirimens matrimonium ibid. 2. b. c.qui fidè promittit adulteræ eam ſibi poſt mortem viri ſui futuram coniugem nullum impedimentũ trahit, vi cuius vetetur eam ducere, ibid.d

Ad Adulterium quæ requiruntur,vt ſit impedimẽtum dirimens matrimonium 719.2.c.720.1.a.b c. vt adulterium vim inducendi impedimenti, ſufficit matrimonium ratum eſſe, ibid.d.e

Adultus.

Adulto ratione non vtenti Sacramenta omnia, quorum eſt capax, validè conferri poſſunt; licet ea non intenderit, 25.1.b

Adulto in amentiam incidenti Sacramentum validè conferri non poteſt,ſi cum ſanus eſſet, illud ſibi dari non petiit. ibid.

Affinitas.

Affinitas quid,717.1.e. ad affinitatem contrahendam quid requiritur 718. 1. b.c.affinitas ex copula coniugali, in nullo gradu tranſuerſæ lineæ eſt impedimentum iure naturæ, matrimonium dirimẽs,ſed tantùm Eccleſiaſtico ibid. 1.c.2.a.b

Affinitas quæ oritur ex fornicatione nec eſt naturalis,nec iure matrimonio officit,718.2 c.ex iuſta cauſa diſpenſare poteſt Pontifex, vt matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ collateralis contrahatur licitè, ibid.2.c.d.e. probabile eſt primum gradum affinitatis in recta linea aſcendentium & deſcendentium, iure naturali dirimere matrimonium contractum, & impedire contrahendum, ibid.e

Digitized by Google

INDEX.

Affinitatis tres ſunt ordines 729.1.b.&c.
Altare debet eſſe Altare lapideum Chriſmatis vnctione delibutum, ac ſacerdotali benedictione ſacratum 298.1.d.e.2.a.b.c.
Altaria & veſtes per quid benedictionem amittunt 300.1.2. altaria portatilia non ſunt denuò conſecranda 301.2.b.

Apoſtoli.

Apoſtoli facti ſunt ſacerdotes, cum ijs præceptum eſt à Chriſto vt id facerent in ſui memoriam, quod eum facere viderant 432.2.b.

Aqua.

Aqua reſoluta ex glacie eſt ſufficiens materia Baptiſmi 33.c.2.e.
Aqua ex ſudore corporis, humoribus, herbis, floribus aut oculis expreſſa non eſt materia Baptiſmi, niſi pro extrema neceſſitate, poſitâ quadam conditione ibid.34.c.1.a.
Aqua lutulenta eſt ſufficiens materia Baptiſmi quomodo non ſit tanta permixtio vt naturam aquæ amittat 34.c.1.b.
Quid in aqua ex parte materiæ remotæ Baptiſmi requiritur ibid.e.
Aqua congelata ad Baptiſmum adhiberi nequit 247.1.d.
Aqua quæ vino affunditur in calice debet eſſe naturalis 456.2.a. quæ eſt naturalis talis neceſſitate præcepti eſt adhibenda in conſecratione vini, ibid. b. non eſt tamen de neceſſitate ſacramenti, vt aqua quæ additur vino ſit naturalis ibid c.d. guttæ aquæ quæ ſunt in calice ſeiunctæ à vino non conſentur conſecratæ 457.1.a.b.
Aquæ calidæ aut ferri candentis examinatio è moribus Chriſtianorum vitaque eſt exterminanda 263.1.a.

Archidiaconus.

Archidiaconus quid, & quid eius nomine intelligitur 414.1.a.b.c quid poteſt iure communi & ordinario ibid. d.e.415.1.2. quid non poteſt ibid. 2.d.e. 416. 1.a.b.c. quid per miſſum eſt ei tam iure quàm locorum conſuetudine pro inſtallatione beneficiarii in Gallia 416.2.a.b.c. &c. qualis debet eſſe 417.1.c.d.e. eius iuriſdictio eſt ordinaria ibid.2.a.b.c.

Arrhæ.

Arrhæ quid 645.2.c. Arrhæ reſtituendæ ſunt, cum ſine culpa eius qui eas dedit, nuptiæ impediuntur ibid. d. cum eſt conuentum inter ſponſos vt iniuſte reſiliẽs Arrhas reddat, & præterea duplum earum valorem aut triplum ſtandum eſt conuentis ac pactis ibid.2.e. videtur probabile eum qui Arrhas, ſi iniuſte reſiliat, non teneri eas reddere, aut pœnam reſilienti propoſitam ex conuentione vtriuſque ſoluere ante Iudicis ſententiam 646.1.a.b.

Attritio.

Attritio quid 176.1.b. quæ eius conditiones ibid.c.d. &c. non poteſt vera fieri contritio, ibid. 2.c. habet in ſacramento eundem effectum, quem contritio extra ſacramentum ibid. d. poteſt Attritio participare extrinſece honeſtatem contritionis, per relationem extrinſecam ibid. e. nec ſacramenta, nec vllum agens creatum, vim habet faciendi, vt homo ex attrito fiat contritus formaliter 177.1.a. b. quî differt à Contritione ibid. c.
Contritio quî differt ab Attritione 177.1.d. &c.
Attritionis obiectum materiale eſt peccatum liberè à pœnitente commiſſum 177.2.c. obiectum formale actus pœnitentiæ eſt multiplex 178.1.a.b.c.
Attritio ſupernaturalis, quæ talis eſſe ſcitur ſufficit ad ſacramentum pœnitentiæ 178.2.e.179.1.a.b.c.

B.

Baptiſmus.

Baptiſmus qui & quotuplex 30.c.1.2.31.c.1.a.b. &c.
Baptiſmum ante paſſionem aut poſt determinatè à Chriſto inſtitutum eſſe non eſt de fide 31.c.2.a.
Baptiſmum Chriſti authoritate cœpiſſe eſſe in vſu ante paſſionem eſt probabile 32.c.1.a.b.&c.
Lex de Baptiſmo vnumquemque obligare cœpit tunc in particulari publica & generali obligatione, quando lex Euangelica promulgata fuit ſolemniter 32.c.2.e.
Baptiſmus ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, eſt ratus 36.c.1.a.b.&c.60.1.c.d.
Expreſſio actus Baptizandi per hanc vocem, abluo, Baptizo aut æquiualentem formæ Baptiſmi eſt eſſentialis 36.c.2.e.
In Baptiſmo exprimi debet perſona Baptizanda nomine proprio, aut per pronomen ſecundæ perſonæ, aut tertiæ 37.c.1.b.
Baptiſmus collatus in nomine ſolius Chriſti non eſt validus 37.2.a.b.&c.38 collatus hoc modo: *Ego te Baptizo in nomine Patris, ego te Baptizo in nomine Filij, ego te baptizo in nomine Spiritus ſancti*, non eſt irritus ac inanis, 38.2.c.d.e. 39.1.a.b. particula, *Et* eſt de eſſentia. Baptiſmi ibid. 1.d.e.&c. præpoſit.o *In* ſi omittatur Baptiſmus eſt irritus 40.1.a.b.&c.2.a.b.&c Baptiſmus collatus hac forma verborum *Baptizo te cum Patre & Filio & Spiritu* non eſt ratus 40.1.d.e.2.a.b. &c. collatus in nomine genitoris, geniti & procedentis ab vtroque eſt validus 41.1.b.c. &c. his tamen abſtinendum vocibus ibid.2.a. peccaretque mortaliter qui hac forma vteretur. ibid, 44.1.a.b. collatus in ſolo Trinitatis nomine non eſt validus ibid. 2.b.c.d. & ſeqq.
Baptiſmus eſt ratus, eum hæc vox *nomen* mutatur in aliam, quæ idem cum ea ſignificat 42.2.a.b.c.
Baptiſmo trina immerſio in aqua non eſt eſſentialis 43.1.c.d. vnde orta talis rituum varietas in conferendo Baptiſmo ibid.2.b.c.
Baptiſmus collatus in nomine trium principiorum non eſt validus 43.2.d.
Baptiſmus in re vel voto eſt ad ſalutem neceſſarius 26.c.1.d.
Baptiſmi ſolum votum ad ſalutem ſufficit ib.c.2.b.
Baptiſmus in re, ſicut & pœnitentia relapſis & Euchariſtia ratione vtentibus neceſſitate præcepti eſt neceſſaria ad ſalutem ibid.c.
Baptiſmi miniſter eſſe poteſt quilibet ſui & rationis compos 48.1.d.e.60.2.c.d peccat tamẽ qui extra neceſſitatem baptizat, cui id non competit ex propria officij ſui functione ibid. 2.a.b. c.50.1.b.
Epiſcopis primo & per ſe, iure communi competit Baptizare 48.2.e. non competit Preſby-

teris proprio vllo iure, ſed tantum ea Epiſcoporum commiſſione, 491.a.b.&c.
Baptizatus à quolibet homine extra neceſſitatis caſum, non eſt rebaptizandus, 49.2.b
Diacono non licet baptizare ſolemniter ſine Epiſcopi aut parochi authoritate, 49.2.c.d.e.60.2.e
Subdiaconus poteſt eſſe miniſter Baptiſmi ex commiſſione, 50.1.a
Baptizare nulli licet extra neceſſitatem ſine poteſtate & ordine, 50. 1.c. imò peccat mortaliter qui ſolemniter ita baptizat, ibid. d
Baptiſmi materia remota eſt aqua 33. 1. c. eaque vſualis & ſimplex, ibid. 2 c.59.2.d
Baptiſmi effectus qui ſunt & quales, 56.1.2
Baptiſmi cæremoniæ quæ ſunt, 57.58 61.2.e.62.1. 2.63.1.2. variæ eius definitiones, 58.2.d.e. tria in eo reperiuntur, 59. 1. b. præcipuus eius effectus culpæ originalis abſterſio, ibid.c.d. conſtat aqua ibid 2.d.e
ad valorem Baptiſmi non eſt neceſſe exprimere perſonam baptizantis, 36.c.2.a.b
Baptiſmi eſſentia peruertitur, cum loco duarum vocum *in nomine* efferuntur in numero plurali in nominibus, 44.1 c
Baptiſmus non poteſt iterari 44.1.e.& quare, ibid. 2. c. d. 60. 2. e. nec circa eos qui ſe baptizatos neſciunt, 45. 1. 2. à latino collatus ſub forma Græcorum *Baptizatur ſeruus Chriſti in nomine Patris, &c.* eſt validus, 46.1.a.b. peccaret tamen Latinus citra ſcandalum venialiter, ibid. c.d. non valet cum baptizantium vnus materiam applicat, formam alter pronunciat, ibid.e.2, a.b.&c. collatus ab aliquo priuato ſub hac forma *Nos te baptizamus in nomine Patris, &c.* eſt validus non tamen licitus, 46. 2. e. ſecus autem ſi à pluribus conferatur, 47.1.a
Baptiſmi effectus non impeditur omiſſione huius particulæ *Amen*, peccat tamen qui eam omittit, 48.1.c.d
vt Baptiſmus ſit validus ex parte ſuſcipientis adulti neceſſitate Sacramenti requiritur voluntas illum recipiendi tanquam conditio eſſentialis ad Baptiſmum, 51.2.a.b.&c. ſufficit tamen vt conſenſus ſit præſens aut præteritus & non retractatus, 52.1.b.c. & Baptiſmus collatus ante non fuerit, ibid. d. adulto Baptiſmum ſuſcepturo neceſſaria eſt recta in Deum fides neceſſitate præcepti, ibid. 1. e. qui vt & metu adultum cogit ad Baptiſmum peccat, ibid. 2.a. b. requiritur ſponſor, qui illum de ſacro fonte ſuſcipiat, ibid. 2. b. c. requiritur inſuper adulto ne peccet aliqua vitæ præcedentis deteſtatio, ibid. 2.d.e. 53.1.a.b
ſi peccatum quod admittitur dum Baptiſmus ſuſcipitur præcedit inſtans, quo hic eſſentialiter completur, per ipſum dum reuiuiſcit remittitur, 55.1. d. ſi vero actu durat cum Baptiſmo per illum cũ reuiuiſcit, non remittitur, ſed per attritionem cum Sacramento aut per contritionem extra illud, ibid e
Baptiſmus nullus eſt factus ſub formæ falſitate, 36.1. e
Baptiſmus ſuppreſſa hac particula in nomine non eſt perfectus, 60.2.a.b
ad Baptiſmum adulto ſufficit attritio, 53.d.e. vt cognita & putata eſt ſufficiens, ibid.2.b.c.
Baptiſmus collatus liberis infidelium, parentibus inuitis, eſt validus, 53.2. d. peccat qui filios infidelium ſibi non ſubditorum baptizat iiſdem repugnantibus, ibid. e. 54. 1. a.b. ſeruorum filij à Dominis poſſunt baptizari ſine eorum conſenſu, ibid. c. filij infidelium non exemptorum à citra parentum poſſunt baptizari etiam inuitis parentibus modo id fiat ſine ſcandalo, ibid.c d. filij infidelium ſubditorum poſſunt baptizari, ſi parentes conſentiant, ibid. e
in Baptiſmo duplex eſſe poteſt fictio ab adulto 54. 2. a. b. fictio in adulto non habente voluntatem recipiendi baptiſmum impedit non ſolum effectum baptiſmi, ſed & ſubſtantiam, ibid. b. ſecus verò habente voluntatem ſed imparato, impedit effectum baptiſmi, non autem baptiſmum, ibid. b. c. tollitur fictio per contritionem aut attritionem, 55.1.b.c.d.2.a.b
Baptiſma generale olim non niſi in Sabbatho ſancto Paſchæ & Pentecoſtes conferebatur, col. 2. c.d.c.61.1.c.d.
Baptizare non licet, in priuatis oratoriis, exceptis duobus caſibus, 50.2.a.b.c.61.2.b.c
ad Baptiſmũ accedens ſine fide ac pœnitentia ſi exiſtimet eas ad illum non eſſe neceſſarias vt reuiuiſcat ſufficit attritio, 55.1.e

Beneficium.

Beneficium manuale quî diſtinguitur à perpetuo, 557. 2. c. manuale prælato non conſulto reſignari poteſt in manibus Papæ in fauorem alterius, 558.1.e. exprimenda eſt tamen manualitas Papæ, vt reſignatio de beneficio manuali facta in alterius fauorem ſit valida, ibid.2.c. non poteſt Prælatus adimere reſignatario beneficium manuale, quo eſt inſtructus Papæ beneficentia ad inſtantiam reſignantis, ibid. d.e
Beneficia conferri poſſunt graduatis à Capitulo, Epiſcopo mortuo, 565.1.c.d

Bona.

Bona incerta quid, 390. 2.b.c. ſunt in duplici differentia, ibid. bona aliena reſtitui debent vero Domino, ibid.d. bona incerta acquiſita per delictum maxime vſurarium danda ſunt pauperibus, ibid.d.e. ſecus cenſendum de bonis incertis ex contractu acquiſitis, 391. b. c. ſuper bonis & debitis incertis componi poteſt cum pontifice, ibid. c. d. poteſt & cum incertis ex contractu quæſitis aut alio crimine quam vſurario, ibid. 2. a. qui ſuper incertis debitis compoſuit cum Epiſcopo eſt liber à reſtituendi onere, ibid.b.c
Bona clericorum in triplici ſunt differentia, 616.1. c.d.&c. quæ ad Chriſti pauperum patrimonium pertinent ſunt à ſæculari exactione libera, ibid. ſecus vero ſi ad eorum patrimonium iure ciuili pertinent, ibid.2.c.d.e. quæ fiunt Eccleſiæ cum pacto, vt pars eorum cedat annuatim in vſus certos, aut bonum & vtilitatem dantis aut liberorum eius non ſunt libera ab exactione ſæculari, 617.1.b.c.&c.

Blaſphemia.

Blaſphemia quid, 386.2.c
Blaſphemiæ, fidei oppoſitæ ſunt de iure diſquiſitionis Eccleſiaſticæ, 386. 2. d. cæteræ non ſunt ad Epiſcopi tribunal trahendæ, ſi non ſunt per clericum commiſſæ, 387.1.a.b.c

C

CALIX.

CAlix, veſtes, & cætera ſpectantia ad Miſſam debent ſacrari ab Epiſcopo, 298.2.d.e. 299.1.2.

Canonicus.

Canonicorum qualis veſtitus, mores & virtutes

Digitized by Google

olim fuerunt, 537. 1. 2. vnde nomen Canonici tractum, 538. 1. 2. variæ ſpecies Canonicorum, ibid. 2. c d. e. 539. 1. a. b. &c. Canonici honorarij & aſciti qui differunt ab his qui ſimpliciter ſunt tales, 539. 2. b. c. &c. 540. 1. a. b. c. Canonicorum qualis ætas & qualitas requiritur, 540. 2. c. d. &c. 541. 1. a. b. c. Canonici olim fuere in iure & poteſtate Epiſcopi, 542. 2. b. c. d &c. quæ & quantæ ſunt Canonicorum obligationes, 543. 1. c. d. e &c. debent Canonici reſidere in ſua Eccleſia, 544. 1. c d. non peccant cum per ſubſtituros officium diuinum faciunt in locis vbi eſt conſuetudo, ibid. e. orantes extra chorum fructus ſuos nõ perdunt, ibid. 2. a. ad quid tam iure nouo quam veteri tenentur, ibid. 2. c. d. &c.

Canonicus lege Eccleſiæ obligatur ad horas, 545. 1. c. d. ad eum fructus integri ſui beneficij non pertinent, cum in horarum recitatione officio ſuo deeſt, ibid. e. 2. a. b. &c.

Canonicatus cui ex fundatione ordo Sacerdotalis eſt adiunctus poteſt valide conferri non ſacerdoti, modò ſit promotus ad Sacerdotium intra annum, 546. 1. 2. collatori nulla eſt habenda ratio præſentationis ad Canonicatum primo vacaturum ſibi factæ à patrono, 547. 2. b. c. &c. is habendus pro Canonico, cui ab ordinario datus eſt Canonicatus qui vacabat, 548. 1. b. c.

Canonicus ineundo Canonicatum poſſeſſore vacuum non canonicè, non poteſt ad eum conſeruandum ſe tueri poſſeſſione triennali, 548. 1. d. e. 2. a. b. &c. inducere beneficiarium vt certo pretio canonicatu abeat, eſt culpa mortalis, 549. 1. b. c. hoc peccatum habet ſcandali maculam, ibid. e. hæc circumſtantia eſt explicanda pœnitenti, dum ſacerdoti confitetur, ibid. 2. a. b. &c.

Canonicus qui pretio beneficium ſuum emit, non eſt cenſendus Canonicus, 550. 1. b. pro Canonico non eſt habendus qui Indultarium pretio illexit, ne ſuo indulto vteretur, 550. 551.

Canonicus qui fidem non eſt profeſſus eo tempore quo debebat non tenetur ad reſtitutionem fructuum perceptorum ante ſententiam iudicis, 552. b. c. &c. & qui ſe probabili eius ignorantia tueri poteſt, ibid. 2. a. b reſignatio Canonicatus aut alterius beneficij facta, cum obligatione aſſecurandæ pẽſionis, tam aſſignatione vadis quàm prædij, quod partem efficiat patrimonij reſignatarij, aut eius propinquorum non eſt ſimoniaca, maximè extra Galliam, 553 1. d. non poteſt Canonicus ſine ſimonia exigere à reſignatario ſuo, vt certos ſibi attribuat homines qui penſionem ipſi promiſſam ſoluant aut ſoluendam curent, à ſucceſſore defuncti reſignatarij, cuius olim ſe illi vades conſtituerunt, ibid. e

Canonicus bona quibus olim bene ac liberaliter de eccleſia eſt meritus poteſt elargiri pauperibus ob præteritas à ſe horas, 554. 1. b. c. obligatione reſtituendorum fructuum pro rata omiſſionis horarum ſatisfacit, cum Eccleſiam aut quodlibet aliud ædificium eorum quæ ad beneficium pertinent reſarciendum curat, ibid. 2. a. b.

Canonici non pſallentes in choro, in iis locis vbi eſt viſitatum & ſolenne, non implent officium orãdo priuatim & ſubmiſſa voce, 555. 2. b. c. imò priuantur aliqua parte fructuum, qui ſunt eis ratione præbendæ debiti, ibid. 2. d. e

Canonicatus vacantes in curia conferre debet Pontifex, 559. 1. e. ſede vacante, exacto menſe à die vacationis pertinent ad Epiſcopum, ibid. e. 2. a. b. 560. 1. 2.

Canonici non lucrantur diſtributiones integras niſi pſallant in Choro, vbi priſci æui conſuetudo & maiorum viget inſtitutio pſallendi, 556. 1. c. d. dum autem ſunt cantores ad Canonicorum ſubſidium, quicquid eis eſt debitum nomine fructuum ac diſtributionum conſequũtur, ibid. 2. a. b. &c. qui ſine Epiſcopi licentia aliquanto tempore abſunt, non priuantur canonicalis præbendæ fructibus ante iudicis Eccleſiaſtici ſententiam, 557. 1. b. c. &c.

Capellanus.

Capellano ſunt communiter ſupplenda ſacra omnia, quæ propter inualetudinem aut aliam cauſam ſimilem dicere ſuo tempore non potuit, 454. 1. æ 2. a. b. tenetur ſub mortali Capellanus ſupplere ſacra omiſſa, niſi quid eum excuſet, ibid. c. d

Capitulum.

Capitulum ſede vacante poteſt præficere certum hominem qui prouinciam obeat, 566. 1. d.

Capitulum ſede vacante diœceſim luſtrare poteſt, ibid. d. e

Capitulum quid, 561. 1. b. c. d. eius authoritas ſede vacante qualis & quanta, ibid. 2. c. d. e. 562. 1. 2.

Capitulum non poteſt beneficiarios ad officiales Epiſcopi ſede vacante deſtituere, 563. 1. 2. b. videtur tamen non improbabile eſſe vt beneficiarios ex cauſa deſtituat, ſi iis tribuit redditum, aut præbendæ, ibid. d

Capitulum poteſt conferre beneficia quæ ad Epiſcopi vacante ſede & Capituli collationem pertinẽt, 563. 1. e. ſocus verò ſi ad ſolius Epiſcopi collationem pertinet, ibid. e. 2. a. b. Capitulo licet eccleſias commendare maxime ſi curam habent animarum ad ſex menſes aut breuius tempus ſede vacante, ibid. 2. c. reſignatio permutationis cauſâ facta coram Capitulo non valet, ibid. e. d. Noſocomia, Orphanotropheia, Leproſoria ſunt in poteſtate Capituli, cum ad nutum laïcis, iiſque ſæpe inuitis adminiſtranda traduntur, ibid. e. Hoſpitalia quæ beneficij ſunt loco, & dantur in titulum ab ordinario non ſunt in poteſtate Capituli ſede vacante, 564. 1. b. c

Capitulum concedere poteſt litteras dimiſſorias ſede vacante, ibid. 2. c. d. poteſt & reuerendas his concedere, qui occaſione recepti beneficij ad Ordines arctantur, ibid. d. e. poteſt ſede vacante eius beneficij reſignationem admittere, cuius collatio eius eſt, Epiſcopique dum viuit, ibid. 2. a. b. &c. poteſt & admittere reſignationem factam in reſignantis pœnam authoritate iudicis, 565. 1. a. b. poteſt conferre graduatis beneficium ſede vacante, ibid. c. d. non viſitare poteſt monaſteria exempta monialium ſede vacante, ibid. 2. c. d. bene tamen dare licentiam egrediẽdi ex clauſtro domoque ex cauſa, 556. a. b

Capitulum priuare poteſt magnorum criminum reos ſuis beneficiis, quorum collatio ad ſolum Epiſcopum pertinet, dum ſedes vacat, 556. 1. c. d. e. poteſt ſede vacante abſoluere ab hæreſi, ibid. 2. a. b. &c. 567. 1. a. b. &c. quid eſt prohibitum Capitulo ſede vacante, 567. 2. a. b. &c.

Caſus.

Caſus quid, & qui reſeruati Epiſcopo Romano, 104. 105. qui Epiſcopis & locorum ordinariis, 105. 2. b. c. &c. 106. 1. a. b. &c. qui Regularibus, ibid. d. e. ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis dummodo occultis Epiſcopus poteſt abſoluere, ibid. a. b. c.

INDEX.

Caſus quotuplex, ibid. 2. c. d. à Caſibus, quos Papa ſibi ſpecialiter non reſeruat poteſt parochus, aut quilibet alius de approbatis abſoluere, 108. 2. e. poſſunt & regulares ab omnibus caſibus quos vel ius vel conſuetudo allegat, 110. 2. e. Caſuum reſeruationi quos Epiſcopi ſuos faciunt non ſubſunt mendicantes, 111. 1. 2. b. &c. lege Eccleſiæ quilibet ſacerdos poteſt à quibuſuis caſibus & peccatis abſoluere in mortis articulo, ibid. 2. b. c. &c. nec tantum in mortis articulo ſed eius quoque periculo, 112. 2. b. c. &c. hæc poteſtas abſoluendi non eſt à iure diuino ſed Eccleſiæ ex conſenſu Pontificis tacito, ibid. d. e. tam peccata quam cenſuræ abſolute remittuntur à ſacerdote in mortis articulo, 113. 1. b.

Caſus reſeruati Epiſcopis qui ſunt, 478. 1. c. d

Cathedraticum.

Cathedraticum quid, 379. 1. b. & an illud exigi poſſit, & à quibus, ibid. 380. 1. 2.

Chriſma, Chriſmatio.

Chriſma quod eſt materia Confirmationis à ſolo Epiſcopo benedici debet, 70. 1. c. d. &c. quæ requiruntur tam neceſſitate Sacramenti, quàm neceſſitate præcepti, 71. 1. b. c. &c.

Chriſmatio omiſſa citra contemptum non obeſt ad ſalutem, 26. 2. d

Chriſtus, Chriſtianus.

Chriſtus quà homo eſt author & inſtitutor Sacramentorum nouæ legis, 11. 1. b. 28. c. 1

Chriſtianorum duo ſunt genera, 346. 1. a

Clandeſtinum matrimonium.

Clandeſtinum dicitur dupliciter, 732. 2. b. c. qua de cauſa Eccleſia vetuit clandeſtina connubia, ibid. c. d. fuerunt ſemper Eccleſiæ Deoque exoſa, 733. 1. b. c

Clandeſtinum matrimonium iure naturali non eſt nullum, ibid. c. d. iure tamen Eccleſiæ eſt prohibitum & nullum, ibid. e. 2. a. b. quando ſit propriè clandeſtinum matrimonium, ibid. 2. d.

Clandeſtinum matrimonium non habet rationem ſponſalium. 734. 2. a. b. &c.

Clericus.

Clericus vnde, quid, & eius multiplex differentia, 568. 1. d. e. 2. a. b. &c. Clerici nomen miniſtris Eccleſiæ competit præ cæteris, 569. 1. c. d. e. à laicis ad Clericorum ordinem fit tranſitus per Tonſuram, ibid. 2. b. Clericorum obligationes quænam ſunt & quales, 571. 2. a. b. &c. 572. 1. 2. &c. 575. 2. a. b. &c. Clericis cohabitare mulieri de ſe non eſt turpe ac malum, 574. 2. b. c. non tamen ſcelere vacant cum eas ad conſortium adhibent, quę aut mali ſuſpicionem commouent, aut eis peccandi materiam præbent, ibid. d. e

Clericus in his quæ ad diuinum cultum ſpectant Epiſcopo obedire debet, 574. 2. d. e. quæ ad morum cenſuram, vitæ integritatem ac decentiam, 575. 1. b. c. nec vacat ſcelere qui ſalubria & iuſta imperia Epiſcopi imperantis renuit, ibid. c. d.

Clericis minorum ordinum licet ſine culpa ad connubia aſpirare, 577. 1. 2. ſacris ordinibus eſt adnexa continentia, ibid. b. c. eſtque id iure Eccleſiaſtico cautum, ibid. 2. b. c. d. Clericis maiorum ordinum matrimonium contrahentibus quæ pœnæ ſunt inflictæ, 578. 2. a. b. &c.

Clericus non tenetur lege Eccleſiaſticæ continentiæ, qui adactus metu ſe initiari eſt paſſus, 579. 2. a. b. obligatus per vim & metum obligatione religioſa voti tenetur, ſi ordinem quo ſe inſigniri eſt paſſus verbo aut facto ratificet, ibid. c. d. e.

Clericus obligatur ad habitum honeſtum, 580. 1. d. e. &c. & ad tonſuram ſi eſt beneficiatius, 181. 1. b. c. &c.

Clericus pupillus non poteſt de bonis beneficij ſui, tutoris ſui liberis quidquam dare, quod ſit loco gratiæ ac compenſationis beneficij ab eorum patre accepti, 595. 1. b. c. d. etſi beneficij Eccleſiaſtici poſſeſſor, qui eſt pupillus, ac reſpectu bonorum, quæ in ciuili ſunt patrimonio tutori obnoxius, peccet cum quæ ad pios vſus collocari oportebat, hæc remunerandi cauſa in eius liberos effundit, nulla tenetur lege ad reſtitutionem, 595. 2. c. d. Clericus beneficiarius bona ſua omnia legando Eccleſiæ patre præterito, non facile erroris argui poteſt, cum eſt cauſæ æquitate fretus, 596 1. 2. Clerico ludus aleæ eſt prohibitus, 597. 1. 2. & qui caſus in quibus eſt ei alea interdicta ſub mortali, ibid. 2. c. 598. 1. a. Clericus beneficiarius ius in beneficium initio male acquiſitum ſibi comparat poſſeſſione triennali, eaque pacifica, 600. 1. e

Clericorum priuilegia quæ & qualia, 600. 2. b. c. &c. 601. 602.

Clericus quando poteſt conueniri coram iudice laico, in Gallia, & quid ea habet peculiare circa clericos, 605. 2. d. e. 606. 607. & ſeqq ſunt aliqui caſus in quibus clerici tenentur ad onera publica, & qui, 617. 2. d. e. 618. 1. 2. Clerici coniugati à tributis non ſoluendis realibus aut perſonalibus non ſunt exempti, 619. 2. c. Clerici qui contraxere cum virgine gaudent priuilegio Canonis & foti, dummodo Tonſuram & veſtes clericales deferant, & alicui Eccleſiæ cui ſeruiant ſint ab Epiſcopo aſcripti, 620. 1. b. c. Clerici nulla habita monitione immunitatem amittunt in bonis hocipſo quo matrimonium contrahunt, fori autem & canonis, quo ſine Tonſura & habitu clericali incedunt, ibid. 1. b. c. &c. Clerici iure diuino à poteſtate ſæcularium ſunt exempti, 621. 1. c. d. &c. 622. 623. Clericus ob delictum non poteſt priuari feudo aut emphiteuſi annexa Eccleſiæ, 625. 1. a. b. ſecus vero ſi non habet ordinem ad Eccleſiam, ibid. c. d. Clericus apud laicum iudicem quæſtionem inſtituere poteſt contra laicum, ibid. 2. a. b

Clericis quæ ſunt officia iure eccleſiaſtico vetita, 586. 1. 2. 587. 1. 2. peccant ad minimũ venialiter, qui ſe ad vilia negotiatorum munera abiiciunt, 587. 1. 2. b. c. d. citra ſcandalum mortale non eſt clericos negotiationi operam dare, ibid. e. non eſt negotiationis ſpecies interdicta emere aut vẽdere ad vitam neceſſaria, 588. 1. c. e. &c. agrorum conductio eſt licita clericis maximè in Gallia, ibid. 2. c. e. imò & alienarum rerum conductio videtur eſſe licita præſertim in duobus temporibus, 589. 1. b. c. &c. negotiantis clerici quæ ſunt pœnæ, ibid. 2. a. b. &c. Clerico maiorum ordinum non licet Tabellionem agere, 590. 2. b. c. d. licet in ſpiritualibus, ibid. e. clericis par ſo ac ſpecialiter non eſt inhibitum exercere Medicinam & Chirurgiam, modo ne in curando aduſtionem & inciſionem adhibeant, & eius ſint peniti, cuius ſcientiam præ ſe ferunt, 591. 2. c. aliunde tamen has artes non tractare debent, ibid. d. non propterea incurrunt irregularitatem ſi mors ſequatur ſectionem membri aut curationem, cum ſunt aliunde curandorum corporum peniti & capa-

paces, 592.1.a.b.c. à Clerico vel laïco capiente feram in loco obſepto mœnibus, vnde facilè non erat ei aufugium, reſtitui debet aliquid vero Domino, minus quam ipſa fera æſtimatur, 592.1.b.c. ſecluſo damno non mediocri non eſt mortalis culpa iis venari ſaltibus, quos pœna propoſita ſibi ad voluptatem ſepoſitos eſſe voluere principes, ibid. d. e. Clericis venari non licet vbi armorum eſt vſus neceſſarius, vbi clamor ad ciendas feras, & ſi non ſine periculo ſpectantur in inſidiis, 593. 1. b. c. ſecus verò licet tam animi recreandi cauſa quam neceſſitatis, vt ſi ritandæ famis, ibid. d. e. Clericis audire comœdias, modo nullus ſit metus obſcenitatis in ſenſu, nullus libidinis aut peccati alterius in voluntate fas eſt, 594 1.b.c.

Clericos venationi operam dantes miniſtri regij ſpoliare poſſunt plagis, auibus & retibus quibus vtuntur, 627. 2. d. e. licet Clericis appellare ad ſæcularia tribunalia, cum ab Epiſcopis aut ſuperioribus queruntur ſe grauari, 628. 1. a. b. &c. Clericus capi poteſt inuentus noctu cum armis & mutato habitu, ibid. 2. c. d. &c.

Clerici exportantes pecunias extra regnum ſine Regis facultate cõtra legem iis ſpoliari poſſunt, 630. 1. b. c. Clericorum priuilegia hiperitò diuiduntur, 631. 2. a. b. multa incidunt tempora, cum priuilegia Canonis omnino concidunt & clericis delinquentibus depereunt, ibid. 2. c. d. e. & quot numerantur, ibid. 632. 1. 2. Clerici nomine qui intelliguntur. 633. 1. 2.

Clerici non poſſunt ſibi onus imponere ſoluendi tributi principi, nec promiſſum aut ſponte acceptatum Romano Pontifice inconſulto pendere, 623. 2. d. e nec tenentur ſaluo iure ſuæ immunitatis ſoluere id quod ſpõte ſunt polliciti, & quod à laïcis datur principi iure vectigalis, 624. 1. c. excommunicati ſunt principes eorumque miniſtri omnes, qui onus clericis imponunt ſine authoritate pontificis tam ſoluendi quidpiam, quã præſtandi, ibid. d. eaque excommunicatio eſt latæ ſententiæ & Papæ reſeruata, præterquam in mortis articulo, ibid. 2. a. b. quo priuilegio gaudent Clerici & Eccleſiæ, eodem quoque gaudent eorum familiæ domeſtici & ſerui, ibid. b. c

Clericus maiorum ordinum non modo obligatur ad continentiam ex præcepto Eccleſiæ, ſed etiã ex voto, 460. 1. b. c. &c.

Clerici, iure decimarum ſecundario à laïcis poſſunt exui, cum titulo & poſſeſſione tamen tanti temporis, quantum leges ad præſcriptionem poſtulant, 510. 1. e

Clerici tenentur ad decimas de iis quæ titulo patrimonium poſſident, 511. 1. d. e. Clerici omnes, etiam Epiſcopi tenentur ſoluere Papæ decimas de bonis Eccleſiæ ſi exigat, 512. 1. a. Clerici coniugati, & prima tantùm tonſura initiati tenentur iure communi ad decimas, ibid. b

Clericorum ſeptem ordines, 346. 1. b

Comœdia.

Comœdiis intereſſe de ſe ac natura ſua non eſt malum, 593. 2. c. eas audire, videre ſcenas cum periculum habent ciendæ libidinis in appetentia eſt lethale, ibid. d. e

Cœmeterium.

Cœmeterium quinque modis violatur, 291. 1. a. b

Cognatio.

Cognatio quid & quotuplex, 722. 2. b. c. &c. lies ſunt regulæ, quibus intelligitur quo gradu inter ſe diſtant conſanguinei, ibid. 2. a. b. c.

Cognatio legalis quid, 730. 1. a. b

Cognatio ſpiritalis quid & quotuplex. 725. 1. e. 2. a. b. &c. quæ conditiones ſunt neceſſariæ vt ſpiritalis cognatio contrahatur, 726. 1. a. b. &c. quo tempore & quando contrahi hoc impedimentum ſoleat. 727. 1. a. b

Communio in mortis articulo non eſt iure diuino præcepta, 251. 1. d. e. 2. a. b. &c. iure Eccleſiaſtico eſt frequentanda quotannis in Paſchate à quolibet catholico qui ad annos diſcretionis peruenerit, 252. 2. c. ei qui ſecus fecerit quæ pœna, 253. 1. a. b. tempus Paſchale quo communio debet fieri, iure communi complectitur dies quindecim, ibid. b. c.

Communio Paſchalis cum eſt Confeſſarij conſilio dilata ad tempus aliquod, & ex iuſta cauſa illico ac licebit ſumenda eſt, 253. 1. e. eſt probabile eum qui non communicauit in Paſchate, non obligari amplius ad communicandum eo anno, ibid. 2. a. b. &c. nulla lege Communionis Paſchalis tempus eſt anteuertendum, 254. 1. a. b.

Communio facta tempore Paſchali ſufficit vt ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico, 254. 1. d. e. 2. a. poteſt ſumi communio in Eccleſiis Mendicantium alio die quàm Paſchæ, ibid. 2. c. d. imò & ipſo die Paſchatis in oratorio priuato ac domeſtico, 256. 1. b. c. &c. non poteſt dari communio in aliena parochia in Paſchate ſine licentia proprij, ibid. 2. e. interdicitur Regularibus abſque licentia parochi communionem Paſchalem adminiſtrare in Eccleſiis non ſuis, 257. 1. 2

Communio per modum viatici fidelibus miniſtranda non permittitur religioſis, 257. 1. d. e. 2. a. b. dari poteſt facultas à parocho, ibid. 2. e. quæ requiruntur in communicante tempore Paſchali ex neceſſitate præcepti, 258. 1. b. c. d. e. 2. a. b. communio dari poteſt ſæpius ægro pro viatico poſt ſumptum cibum perſeuerante eodem morbo, ibid. 2. c. d. ei, qui à die quo factus eſt æger, ex deuotione ſæpe communicanti, non eſt neceſſe dari pro viatico, ibid. e. in ægri poteſtate eſt communicare ſub vitæ finem pro viatico, etſi à morbi principio ſæpe communicauerit, 259. 1. a. quantum temporis debeat intercedere vt poſſit iterum communio non ieiuno dari, ib. b. c.

Concubinarius.

Concubinarij publici abſolui non debent, niſi priùs ſuas concubinas dimiſerint, 158. 2. a. occulti poſſunt, ſi eos vitæ præteritæ pœnitet, ibid. c.

Confeſſio, Confeſſarius.

Confeſſionis materia quæ, 227. 2. c. 228.

Confeſſio duplex, ibid. 2. d. e. 229. 230. eſt facienda ſacerdoti particulatim iure diuino neceſſaria, 229. 2. b. c. &c. quæ eius conditiones, 230. 231. confeſſionem quatuor impediunt, ne Deo ſit grata & accepta, 231. 2. b. c. &c. Confeſſio eſt repetenda cum fuit irrita ac inanis ex parte pœnitentis tribus de cauſis, 232. 1. b. c. &c. ex parte Confeſſarij quadrupliciter, 2. a. b.

Confeſſio quæ publicè inſtituebatur quamobrem Sacramentalis eſſe non potuerit non occurrit ex Theologiæ principiis, 214. 2. e. 215. 1. a. b. &c. probabile eſt eam non fuiſſe Sacramentalem, ibid. 2. a.

Confeſſio informis quid, 122. 1. b. nulla datur confeſſio vera & Sacramentalis quæ ſit informis, ibid. d. e. non ſatisfit præcepto Eccleſiæ de Confeſſione per eam quæ eſt informis, ibid. 2. d.
Confeſſio quæ non habet attritionem comitem aut perfectum dolorem non eſt repetenda, 123. 1. 2.
in Confeſſione peccatorum facienda eſt mentio, quorum per præcepta imponitur diuerſa obligatio, etſi tantùm numero diuerſa, 133. 2. a. b. cum ex motiuis diuerſarum virtutum idem præcipitur aut vetatur, talium præceptorum facienda eſt mentio in Confeſſione, ibid. 2. c. qui cauſa fuit cur aliqui peccauerint aut occaſio debet explicare Confeſſario ibid. d. qui aliorum opera eſt vſus ad patrandum facinus, ad quod illi ipſi parati erant, de eo eſt neceſſariò quidpiam dicendum Confeſſario, ibid. e. 134. 1. a. b. c. retentio rei alienæ diuturna eſt circumſtantia Confeſſario declaranda, ibid. c. d. volitiones internæ, quibus alieni retentio formaliter eſt volita & renouata, poſtquam fuerat, per formale propoſitum illud reſtituendi Domino interrupta, ſunt explicandæ in Confeſſione, ibid. d. e. 135. 136. ne ſocius criminis in Confeſſione nominetur pœnitens tenetur adire cum licentia ſacerdotem, cui ipſe ſit ignotus, ſi eius detur copia, ibid. 2. c. d. quando leue aliquod tantùm damnum famæ metuitur apud confeſſarium probùm, nec poteſt aliter integre fieri confeſſio, tunc perſonæ circunſtantia non eſt reticenda, ibid. e. 135. 1. a. b.
Confeſſio eſt iteranda, ex parte Miniſtri, cum is poteſtate caret neceſſaria ad abſoluendum, aut non eſt approbatus, 125. 1. a. b. 2. a b.
Confeſſio venialium poteſt præcipi congruenter ab Eccleſia, ibid. 1. c. d. e.
Confeſſionis quæ veræ conditiones, 126. 1. b. e
Confeſſio eſt inualida, dum quis negat ſe mortalis culpæ maculam contraxiſſe, qua tamen eſt infectus, 116. 2. a. b. non redditur inualida negatione alicuius venialis admiſſi, aut peccati mortalis iam confeſſi, vel cuius confitendi nulla eſt neceſſitas propter aliquam cauſam, ibid. c. qui confitetur peccatum mortale quod non fecit peccat mortaliter, ibid. e. qui veniale non admiſſum, eius confeſſio non eſt inualida, 127. 1. a. b.
Confeſſio debet eſſe integra, ibid. e. 2. a. b. &c. & qua ratione, 127-128. ad eſſentiam Confeſſionis non pertinet quod integra ſit materialiter, 129. 2. e.
Confeſſionis integræ tria impedimenta, 129. 1. b. c. d.
in Confeſſione non neceſſariò applicandus eſt gradus alius conſanguinitatis carnalis, quam qui iure naturæ contractum matrimonij irritat, 129. 2. d. e
Confeſſio eſt iuris diuini à Chriſto Domino in Eccleſia relicta, 116. 1. e. eſt in re aut voto ei neceſſaria qui poſt baptiſmum in mortale incidit, ibid. 2. a. b. &c. ſunt omnes peritaſes ac circumſtantiæ ſacerdoti in confeſſione ſigillatim à pœnitente exponendæ, 117. 1. b. c. eſt præceptum de Confeſſione obeunda in Eccleſia, ibid. 2. c d. e. adulti ſoli, iique fideles tenentur hoc præcepto, 118. 1. b. c. non adultus quilibet, ſed qui ſibi verè peccati alicuius mortalis conſcius eſt, vel de quo probabiliter dubitat an ſit tale, obligatur hoc præcepto, ibid. d. e
Confeſſio venialium poteſt cum fructu vſurpari, & in duobus caſibus neceſſariò, 118. 2. b. c. &c. iure diuino Confeſſio de mortali obligat in mortis articulo, aut eius periculo, ex graſſante peſte, imminente naufragio periculoſo partu, 119. 1 c. eſt valde probabile extra ea tempora cuique in confeſſionem incùmbendum eſſe, ibid. d. e. præter alia tempora ſunt & alia in quibus per accidens præceptum Confeſſionis obligat, ibid. 2. d. e. 120. 1. a. b.
in Confeſſione aperienda eſt circumſtantia volendi furari vno eodemque actu voluntatis mille nummos aureos, decem hominibus, 136. 1. e non eſt facienda mentio Monialis cum qua carnaliter peccauit, ſufficit dicere ſe peccaſſe cum fœmina quæ voto caſtitatis tenebatur, ibid. 2. d. e circumſtantia recidiuæ non eſt confitenda, 137. 1. a. diuturnitas temporis in ſe ac præciſe ſpectata non eſt circumſtantia neceſſariò confitenda, ſecùs autem per accidens, 137. 1. c. d. circunſtantiæ eius peccati, cuius committendi periculo ſe quis expoſuit ſunt fatendæ, ibid. e
in Confeſſione non eſt neceſſe explicare perſonam, de qua quis eſt delectatus carnaliter, delectatione ſimplicis intelligentiæ, ſine affectu ad opus, 137. 2. b. ſecus autem ſi cum affectu ad opus, ibid. c. d. cum quis ſe de peccato proprio aut alieno laudat, in eodem quoque ſibi complacet, ſpecies eſt explicanda, ibid. e. ſufficit ſi pœnitens dicat ſe de re mortaliter mala iactaſſe, non explicato obiecto talis iactantiæ, 138. 1. a. b. ſcienter peccare non eſt circunſtantia neceſſariò aperienda, ibid. b. c. meretrix ſatisfacit præcepto de integrè confitendo, dicendo tempus, quo meretricium exercuit, & præcipuas peccatorum ſpecies, ibid. d. e. qui probabiliter putat ſe non peccaſſe in aliquo actionis genere non tenetur exponere eam Confeſſario, ibid. 2. c. ſin autem dubitat, & eſt incertus an tale peccatum ſit confeſſus tenetur culpam ſuam exponere ſacerdoti, ibid. d. e. peccata dubia qua ratione ſunt explicanda in Confeſſione, 139. 1. c. d. e. 2. a. b. &c.
Confeſſionis integritas quid exigit à pœnitente & Confeſſario, 140. 1. a. b. &c.
in Confeſſione non tenetur fur exponere ſummam pecuniæ quam eſt furatus, 131. 2. e
Confeſſionis miniſter debet eſſe ſacerdos neceſſitate Sacramenti 144. 1. c. d. &c. non licet confiteri laico Confeſſione Sacramentali, ibid. 2. c. d. e.
Confeſſioni annuæ omnes baptizati culpæ mortalis ſibi conſcij iure Eccleſiaſtico tenentur, 120. 1. c. d. ad pueros pertinet hoc præceptum peræque ac ad alios, ibid. e. lege Eccleſiæ tenentur pueri de anna confeſſione vbi primum ratione vti didicerint, ibid. 1. b. nulla eſt tamen certa regula de anno & ætate, ibid. c. qui habet caſus reſeruatos, aut peccatum cui annexa eſt excommunicatio, de iis confeſſionem inſtituere non tenetur apud ſacerdotem qui ad ea abſoluenda iure caret, 121. 1. b. c. non licet ei qui habet caſum cui excommunicatio eſt adiuncta, de non reſeruatis abſolutionem petere ab eo, cui primus ille caſus eſt reſeruatus, ibid. de Confeſſione annua quolibet anni tempore poteſt ſatisfieri præcepto Eccleſiæ, ibid. 2. b. c. &c.
Confeſſio eſt iteranda cum pœnitens ad dolorem non attulit voluntatem vitæ melioris in poſterum

rum 124.2.a.b. eſt item iteranda cum eſt aliqua fictio ibid.b.c. item eſt iteranda, cum pœnitens diuinitus iniectam ſibi religionem de neceſſitate dicendæ culpæ alicuius lethiferæ, quæ tum forte eius animum tangit, facere id ante abſolutionem negligit, aut in ea peccatum mortale omittit ex obliuione craſſa & negligentia ibid. c. d. e.

Confeſſio Nouitiorum facta ſæculari Confeſſario ſine licentia ſui prælati eſt valida 160. 2. c. d. e.

Confeſſarius abſoluens ab excommunicatione quem non poterat, tenetur eam poſtea ſibi petere ab Epiſcopo aut alio à quo dari debet 158. 1.b. vbi poteſtatem abſoluendi fuerit nactus, tenetur pœnitentem etiam abſentem à cenſura abſoluere ibid. c.

Confeſſarius non debet reuelare crimen auditum in Confeſſione, quod vergit in damnum Reip. aut priuatæ perſonę 164. 1. e. facit contra ſigillum, negando teſtimonium confeſſionis auditæ ei, quem ob iuſtam cauſam aliquam non abſoluit ibid. 2. b. c.

Sigillo confeſſionis non tenetur, qui chartam reperit, in qua memorię cauſa pœnitens peccata ſua ſcripſerat 164. 2. d. facit contra ſigillum qui remouet aliquem ab officio quo ſcitur ex eius confeſſione indignus eſſe, aut ei cum fit electio ſuum ſuffragium negare in Capitulo 165. 1. b. c. &c.

Confeſſarius qui aliunde nouit peccata quam ex confeſſione de ijs loqui poteſt ſine fractione ſigilli 165. 2. b. Iudici interroganti de crimine rei, auditi in Confeſſione reſpondere non debet Confeſſarius ibid. 2. d. e. Confeſſarius non abſoluens pœnitentem ob iuſtam cauſam tenetur ad ſigillum 166. 1. b. qui finxit ſe eſſe ſacerdotem cum non eſſet, aut habere iuriſdictionem qua carebat, tenetur ad ſigillum ibid. d. qui ex Confeſſione ſponſi aut ſponſæ nouit inter eos impedimentum aliquod eſſe dirimens matrimonium tenetur illud non reuelare, & ambos ad celebritatem matrimonij admittere ibid. 2. a. b. non eſt contra ſigillum ſi negetur Euchariſtia ei, qui tam de Confeſſione propria, quam communi fama ſcitur ea eſſe indignus ibid. d. e.

Confeſſarij qui ad audiendas Confeſſiones Regularium exponuntur tempore Iubilæi, debent eſſe approbati ab Epiſcopo 154. 2. c. nec vti debẽt opera alterius quam qui eſt à prælato ad illũ effectum deſignatus pro fratribus ibid. c. d.

Confeſſarius, cui facultatem abſoluendi à caſu reſeruato ſuperior denegat, poteſt ea vice abſoluere, ſi communicandi tempus vrget, aut ducendi ſacri 154. 1. b. c. non poteſt quis abſolui à Confeſſario ex præſumpta ſuperioris voluntate ibid. e.

Confeſſarius artifici neganti artem ſeſe ſuam exercere poſſe iuſtè & ſine fraude proximi, nõ debet imperare vt eam deſerat 159 1. e. bene tamen eum monere vt de ijs culpis dolorem concipiat ibid. 2. b.

Confeſſarium ſuperiores ſibi poſſunt eligere extra religionem 159. 2 c. d. & ſubditis ſuis dare licentiam confitendi extra ordinem ſecluſa conſtitutione, vel ſtatuto Religionis in contrarium ib. e. poſſunt & Epiſcopi extra Diœceſim ſibi eligere Confeſſarium 160. 1. c. d.

Confirmatio.

Confirmatio quid 65. 1. a. b. c. 2. a. 79. 1. b. c. eſt verum & proprium ſacramentum ibid. 2. e. 66. 1. a. b. &c. inſtitutionis huius ſacramenti prima ſunt initia à Chriſto poſita in vltima cœna ibid. 2. c.

Confirmatio exigit eſſentialiter, vt Chriſma quod eſt eius remota materia ex oleo balſamoque ſit confectum 69. 2. c. d.

Confirmatio quo ad eum ſtatum in quo adminiſtrari poteſt, non eſt niſi poſt reſurrectionem inſtituta 66. 2. d.

Confirmationis materia proxima eſt vnctio 71. 2. b. c. 79. 2. b. hæc vnctio fieri debet in formam crucis in fronte confirmati manu Epiſcopi ibid. 2. d. e. 79. 2. c. eſt de neceſſitate Sacramenti huius, vt ſignum crucis ipſa vnctione formetur 72.

Confirmationis forma in his verbis conſiſtit ſigno te ſigno crucis & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine patris &c. 72. 2. a. b. 79. 2. c. d.

Confirmationis miniſter ordinarius eſt Epiſcopus 72. 2. d. e. 80. 1. b. ſimplex ſacerdos diſpenſante Papa munus confirmandi exercuit 73. 1. b. c. non poteſt Pontifex Diacono nedum laico confirmandi vllius poteſtatem facere ibid. 2. a. b.

Confirmationi duæ ſunt conditiones eſſentiales ex parte ſuſcipientis 74. 1. e quid requiritur neceſſitate præcepti in ſuſcipiente ad vitandum peccatum ibid. 2. e. 75. 1. a. b. c.

Confirmationis remota materia, eaque eſſentialis eſt Chriſma 67. 1. 2. 68. 1. 2. 79. 1. d.

In confirmatione duplex fuit manuum impoſitio 68. 2. c. d.

Confirmati ſponſores quinam eſſe poſſunt in hoc Sacramento 75. 2. a. b. c.

Confirmationis quinam ſunt effectus 75. 2. d. e. 76. 1. a. b. c. 80. 2. a. b. c. &c. quinam ſunt capaces 76. 2. c. d. e. a. b.

Confirmatio non debet reiterari 77. 1. c. d. non eſt ad ſalutem primo & per ſe neceſſaria ibid. 2. c. d. e. non peccat qui extra ſcandalum & contemptum ex mera tantum negligentia aut verecundia deſinit toto vitæ tempore Confirmari, 78. 1. a. b.

Confirmationis quæ ſunt ceremoniæ & ritus 78. 1. c. d. &c.

Coniuges.

Coniuges erga ſe mutuo ad quinque tenentur 767. 1. b. c. d. inter coniuges datur diuortium ibid. 2. a. b. coniuges poſſunt ex mutuo conſenſu facere diuortium ad tempus aut in perpetuum 768. 2. d. e. ſola ſuſpicio de adulterio non ſufficit ad hoc vt innocens coniux petenti adulteræ debitum neget 773. 1. b. c. adulter, qui pro tali non eſt notus coniugi, ius ab ea exigendi debiti habet, abſque peccato ibid. 1. d. e. mulier non tenetur abſcedere à viro perſeueranti in adulterio 774. 1. a. maritus non tenetur extrudere domo adulteram in adulterio publico perſeuerantem, niſi timeatur infamia aut ſcandalum ibid. c. coniux adultera tenetur redire ad maritum, ſi reuocatio diuortium antecedat, ibid. 2. c. coniuge inuita maritus, qui eſt adulter, Religionem non poteſt ingredi ibid. d.

de Coniugali debito exhibendo, nullum eſt per ſe loquendo præceptum 776. 2. b. coniuges tamen tenentur, cũ expreſſe de voluntate admonentur mutua; eaq; ſeria mutuo in eo ſibi negotio obſequi ib. c. eſt hæc obligatio aliquando ſub mortali ib. c. d. quæ excuſant à reddẽdo debito 777. 778

& seqq. reddere debitum propagandæ sobolis causa, eamque in opere coniugali, sibi tanquam finem proponere non est malum 780. 2. c. non est necesse sub mortali propagationem intendere in coitu, 781. 1. d. consentire postulanti, vt sibi debitum persoluatur res est bona ibid. vti coniugio delectationis causa venialis est culpa ibid. e. copula maritalis inter coniuges, vitandæ fornicationis causa in alterutro, non est illicita 781 1. c. d. delectationis solius causa malum est misceri coniuges, id autem concedi potest conseruandæ valetudinis gratia ibid. 2. c. d. coniugum concubitus ne sit vitiosus, debet fieri modo legitimo ac honesto 783. 1. c. d. &c. coniugatus viuente coniuge alteri iungi nequit, 793. 1. d. e

Consecratio.

Consecratio specierum non est Sacramentum Eucharistiæ 240. 1. c. d. licet verba Consecrationis non sint essentialia in conseruati, vt tamen sunt practica & significatiua, de eius sunt essentia in fieri & secundum esse transiens ibid. d. e 241. 1. a. b. c. d

Consensus.

Consensus nuptialis debet esse omnino liber, nec graui expressus metu, 690. 2. c. d. e

Consuetudo.

Consuetudo noua matrimonij impedimenta inducere non potest, nisi tacite aut expresse sit approbata à Pontifice 680. 1. a. b. quæ canonicis obuiat institutis nullius debet esse momenti ib. c. d. potest inducere, si eius consuetudinis Papa sit conscius nec repugnet, ibid. e

Continentia.

Continentia est annexa sacris ordinibus 577. 1. b. Diaconi & Subdiaconi obligantur seruare continentiam ibid. c. d. estque id iure Ecclesiastico cautum ibid. 1. b. c. &c. non tenetur lege Ecclesiastica continentiæ qui adactus metu initiari se est passus, 579. 1. a. b.

ad Continentiam ratione Ordinis vt quis censeatur, tres cõditiones requiruntur, 724. 1. c. d. &c.

Contritio.

Contritio quid 167. 1. b. c. quî differt ab Attritione ibid. d. e. pœnitens absolute & efficaciter nõ potest elicere hunc actum Contritionis volo non peccasse, sed vellem si fieri posset, si peccatum spectetur vt est præteritum si verò vt est permanens habitualiter in anima per consensum, necesse est exprimere hunc actum volo destruere peccatum, aut similes ibid. 2. b. c. nullum est certum tempus, quo necessariò Contritio durare debeat. 168. 1. a. b. &c.

Contritionis præceptum obligat per se & ex vi propria in mortis periculo, aut perpetuæ amentiæ 173. c. d. probabile mihi est non peccare contra præceptum de contritione, qui eam non exercet in mortis articulo, si est attritus & confessus, ibid. 2. d. e

Contritio confessionem ordinariè præcedere debet 174. 2. d. valet Sacramentum licet contritio non præcedat, modo sequatur ante absolutionem, ibid. d. e

Contritio vnde dicta & quid 223. 1. d. e. 2. a. b. &c. 224. est duplex 223. 1. d. e. qui eius effectus 224. 2. a. b. &c. 225. vt iustificet quas exigit conditiones, 225. 2. d. &c. 216.

Contritio de peccatis omnibus mortalibus virtualiter vniuersalis debet esse. 175. 2. e

ad Contritionis valorem non est necesse vt pœnitens detestetur omnia peccata venialia de quibus est confessus, 179. 2. a. b. e

Contritio ad remissionem culpæ non necessario debet esse summa physice & quoad intensionem graduum, 168. 2. c. d. nec quoad teneritudinem animi, aut firmitatem in retinendo proposito seruiendi Deo, 169. 1. a. b. requiritur tamen intentio quædam moralis maxima, quæ consistit in appretiatione Dei super omnia mala, ibid. c. d. &c.

Contritio sine vllo formali proposito vitandi peccata, ad gratiam sufficit 170. 1. b. c. d. nihilominus non videtur vera esse posse nisi coniungatur cum hoc proposito actuali, cum peccata in memoriam redeunt, & aduertit ad vitam futuram, ibid. 2. a. b. e

Contritio aliquo modo est necessaria de peccatis omnibus mortalibus, 171. 1. c. non potest quis iustificari tam extra Sacramentum, quam in eo per contritionem generalem de peccatis generatim & confuse apprehensis ibidem. 2. a. b. &c. cum in memoriam peccata reuocantur vt confessario explicẽtur, satis est in ea ferri vnico actu odij ibid. d

Contritio est necessaria adulto ad remissionẽ mortalis quouis tempore necessitate medij & finis extra vsum Sacramenti 172. & necessitate præcepti ibid. e. in lege Euangelica contritio adulto non est simpliciter necessaria necessitate medij ad salutem, etiam supposito peccato ibid. 2. a. b. nulla est obligatio sub mortali dolendi de peccatis ac sunt admissa, 173. 1. a. b. nulla item dolendi de peccatis practicè memoriæ occurrentibus ibid. permanentia in peccato habituali non est circunstantia ita peccatum aggrauans vt hoc sit grauius, quo illa est diuturnior ibid. c. peccat formaliter contra præceptum de contritione, qui in impœnitentia finali moritur ib. d. debet homo aliquoties in vita conteri, ibid. e

D

Dæmon.

Dæmon quinque modis vim generandi impedire potest, 713. 1. c

Decimæ.

Decimæ quid sunt, & quotuplices 508. 1. a. b. &c. ordinariè pars decimæ fructuum debita est pro decimis, ibid. 2. b. c

est tamen cuiusque prouinciæ in Decimarum solutione mos sequendus, ibid. 2. d. e

sunt solis Clericis debitæ, 509. 1. a. non sunt communiter aliis Clericis debitæ quam qui curam animarum habent, ibid. b. c. iure Regaliæ debentur regi, si quæ Episcopatui sunt annexæ ibid. c. debentur aliis etiam Ecclesiis, ibid. 2. a

Decimæ prædiales iure communi debentur Parochiæ vbi prædium est situm ibid. d. mixtæ, quæ ex fructibus fœtuque pecorum dantur debentur Parochiæ, intra cuius terminos dicta pecora pascuntur, 510. 1. c. licet iure communi quarta pars decimarum Episcopo sit ordinarie debita, non est hæc tamen in multis Galliæ prouinciis soluenda hoc tempore ibid. d. Decimæ à

Digitized by Google

Catholicis omnibus 3 qui de manu ſacerdotis Parochi ſacramenta eidem ſolui debent, niſi ab ea præſtatione ſint exempti ibid. 2.a.b c. decimam omnes cuiuſcunque ſint conditionis, pendere debent de re quæ antequam ad Epiſcopi aut Regularium poteſtatem veniret obligata erat pendere decimas ibid.e. Clerici tenentur ad decimas de ijs quæ titulo patrimonij aut alio quopiam ſeculari poſſident 511 1.d. e. non poſſunt exigi perſonales decimæ à Clericis de rebus Eccleſiæ, aut beneficij redditibus ibid. 2 c. de rebus Eccleſiæ oblatiſque ſibi à populo Clerici non tenentur aliquid ſi detrahere decimæ nomine ibid. 2. d. e. Clerici omnes etiam Epiſcopi tenentur Papæ decimas ſoluere de bonis Eccleſiæ ſi exigat 512.1.a.

Decimas Religioſi ſoluere debent earum omnium rerum quas acquiſiuere 512. 2 b. c. d. decimæ exhiberi debent de proprijs laboribus 513. 1. c. ius decimarum duobus modis ſpectari poteſt ib. 2 c. non poteſt Laicis concedi quatenus eſt fundatum in obligatione miniſtrandi ſpiritualia ib. c. d. ſecus autem quatenus eſt in ſola vtilitate fructuum præciſa à iure ibid e.

Decimæ dari poſſunt Laice in feudum 514. 2. a. b. &c. decimarum defraudatio eſt peccatum mortale 515. 1. b. c. &c. decimæ Parocho ablatæ, etſi ab eo non repetitæ, ei ſunt ante omnem ſententiam reddendæ ibid. 2. a. decimæ quatenus ſunt neceſſarium ſtipendium miniſtrorum Eccleſiæ, iiſdem iure diuino ac naturali ſunt debita 516. 2. d. decimæ ſumptæ pro obligatione dandi quotam aſſignatam non debentur niſi iure Eccleſiaſtico 517. 1. b. c. &c. Laici nequeunt eximi conſuetudine à præſtandis decimis ibid. 2. e. poteſt conſuetudine fieri vt decima pars fructuum non exhibeatur Clerico, nec quota ipſa 518. 1. a. b. poteſt Parochus Parochiano alicui remittere ius ſacræ præſtationis dum viuet ibid. c. d. decimarum remiſſio vita remittentis clauditur ibid. d.

Decimæ noualium ſunt danda Parocho. 518. 2. c. cui à decimis eſt conceſſa vacatio, hic quoque à præſtandis noualibus eſt liber 519. 1. b. quomodo ceſſant decimæ ibid. 1. c. d &c. 2. a. b. &c. 520. 1. a. b. c.

Clerici, iure decimarum ſecundariò à Laicis poſſunt exui, cum titulo & poſſeſſione tanti temporis, quantum leges ad præſcriptionem poſtulant ibid. e. Laico eſt permiſſum retinere ius decimarum parentibus ſuis ante Concil. Lateranenſe conceſſum ibid. 2. b. à laico, cuius parentes ante Concilium poſſederunt decimas, quibus adhuc ipſe fruitur de Epiſcopi conſenſu vendi aut dari alteri Laico nequeunt ibid. 2. quæ ſunt pœnæ non ſoluentis decimas 521. 2. d.

Delegatio.

Delegatio quid, & quæ ad eam conditiones ſunt neceſſariæ, & cuius eſt deligare 418. 2. d. e. 419. 1. a. b. &c. delegandi varij modi ibid. 2. c. d. is, cui miniſterium nudum commiſſum eſt tam à Papa quam ab Epiſcopo ſubdelegare illud non poteſt ibid. d. e. delegatus à principe cauſam alteri valet delegare, non alius, 420. 1. c. cui cauſarum vniuerſitas diſcutienda traditur, poteſt vnam & alteram partem eius negotij ſubdelegare, non omnes ibid. d. e. delegatus ad vnam cauſam ad eo qui eſt Papâ inferior ſubdelegare non poteſt 421. 1. b. c. &c. Vicarius Epiſcopi & Parochus non poſſunt vices ſuas integras alteri 422. 1. a. b. poteſt Vicarius ad certam cauſam ibid. c. d. Parochi Vicarius alteri poteſtatem ſibi datam regendæ Parœciæ in abſentia veri Paſtoris ſubdelegare non poteſt ibid. 2. Paſtoris b. eſt tamen ei integrum cauſas aliquas de multis quæ ſunt ſui iuris, alteri delegare ibid. 2. c. cui tantum eſt res vnica commiſſa eam alteri delegare non poteſt ibid. d. delegatus ſibi poteſtatem in foro conſcientiæ ſibi traditam per delegationem in ſuam confeſſarium tranſmittere non poteſt 423 1. a. b. c. delegatus quis & qualis debet eſſe ibid. e. 2. a. b. &c. delegatio duplex ibid. 1. e. delegati poteſtas quomodo expirat 424 1. d. e. 2. a. b. c.

Delegationis perſonalis idem eſt finis qui eſt delegaſti 425. 1. c. Cathedralium Eccleſiarum canonicis perſonatus competit, non dignitas ibid. 1. e. 2. a.

Delegatus à quibus cauere debet, ne ſit eius delegatio inanis ac nulla 426. 2. b. c. d.

Deus.

Dei ſolius eſt determinare quæ pœna exæquet gratitatem peccati 196. 1. c.

Deo ſatisfacere pro pœna cum conſcientia alicuius culpæ mortalis nemo poteſt 198. 2. c. d. e. 199

Deum peccati obliuiſci poteſt conceptum de eo ab homine dolorem quomodo intelligitur 193. 1. c.

Deus ſolus vt cauſa ſimpliciter principalis operatur effectus ſacramentorum, qui ſunt gratia ſanctificans & character 11. c. 2. a.

Deus eſt cauſa præcipua ſacramentorum 10. c. 2. 27. c. 2. d.

Diaconus.

Diaconorum munia quæ & qualia 583. 1. 2. 584. 1. 2. quæ obligationes & quales ibid. 2. e. 585. 1. a. b &c.

Diaconiſſæ quæ & vnde dictæ 329. 2. d. e.

Diaconatus quæ materia & forma 345. 1. a b. Subdiaconatus item ibid.

Dignitas.

Dignitas quæ in Eccleſia Dei eſt perpetua ſucceſſorem habet 416. 1. c. d. in dignitatibus ſucceſſores habentibus eſt numerandus Officialis Epiſcopi ibid. e.

Diſplicentia peccati.

Diſplicentia peccati poteſt eſſe vniuerſalis duobus modis 175. 2. e.

Diſtributio canonica.

Diſtributio quid 514. 2 d. Canonici vbi ſe ſteterint choro ſub initium finemque officij, aut horæ vni de præcipuis interfuerint, poſſunt quidquid diſtributionum præſentibus obuenit, obtinere 555. 1. b c. quando cantores modulationem harmonicam adhibent aut ſi communem & non ex arte, tamen inſtitutam ex more ad Canonicorum ſubſidium poſſunt Canonici quidquid eſt eis fructuum ac diſtributionum nomine debitum conſequi 556. 2. a. b. &c. vbi priſci ritus conſuetudo maiorumque vigit inſtitutio pſallendi in Eccleſia, niſi canant non lucrantur diſtributiones integras ibid. 1. c. d.

Diuortium.

Diuortium datur inter coniuges 767. 2. a. b cauſæ inducentes ad diuortium ad tempus ibid. c. d. &c. 768. 1. 2. quæ cauſæ faciendi diuortij 769. 770. præter adulteriũ dãtur aliæ iuſtæ cauſæ diuortij pertinentes ad luxuriã 771. 1. c. d. ſi adulteriũ fœminæ eſt natũ marito, poteſt ſine authoritate Eccleſiæ eã extũ bare iure conſcientiæ eique debitum non reddere 772. 1. b. c. ſi vero eſt

notum eius crimen, poteſt cum ea diuortium facere, 772. 1.c. non peccat innocens, reuocando ad ſe nocentem, quem credit emendatum, diuortio authoritate iudicis facto, 773. 2.c. in hac cauſa ſunt pares vir & fœmina. ibid.d

Diuortium quando eſt factum ob adulterium, innocens non tenetur ex iuſtitia reconciliari nocenti, 775. 1.c.d. innocens tenetur nocentem recipere, & ad thorum admittere, ſi ille poſt factum diuortium peccauit contra fidem coniugij ibid. 2.b.c. de diuortio plura. vide 797. 2.c

Dolor de peccatis.

Dolor de peccatis duplex, 175. 1.b.c. dolor virtualis in Confeſſione non ſufficit ibid. c. valet, ſi fiat bona fide, ex ignorantia inuincibili, aut inaduertentia ibid. d. cum dolore ſufficienti ad Sacramentum Confeſſionis, ſtare poteſt metus quod in peccata vitæ præteritæ relabetur ibid. 2.a.b

Dolor de peccatis, quatenus eſt malum Dei, remittit peccatum mortale extra Sacramentum pœnitentiæ 178. 1.c. dolor qui eſt pars Sacramenti pœnitentiæ eſt ſupernaturalis, ibid. 2.a.b

E

Eccleſia.

ECcleſia primitiua vt publicam pœnitentiam in vſu habuit, ſic confeſſionem aliquam eius generis agnouit, 212. 2.d.e. 213

Eccleſia polluta non polluuntur altaria & econtra 292. 1.c.d. quomodo reconciliari oporteat ibid. e 2, a.b.&c. reconciliatio debet fieri ab Epiſcopo ibid. e. ſi Eccleſia ſit tantum benedicta poteſt à ſimplici Sacerdote reconciliari aqua ab Epiſcopo benedicta, 293. 1.a.b

Eccleſia multis modis polluitur, 250. 1. b.c,d.&c.

Eccleſia per quæ polluitur & violatur, 291. c. 2.a b c.d

Eccleſia eſt conſecranda cum parietes incenſi fuerunt, deſtructi, ſeu diruti omnes, aut maiori ex parte 300. 2. c. 301. 1.b.c. eius conſecratio fit in exterioribus cruſtis parietum ibid. e. quî differt ab eius benedictione, ibid.

Eccleſia eſt reconſecranda, ſi eſt amotum altare, 301. 1.a.b

Epiſcopus.

Epiſcopus poteſt abſoluere ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis dummodo occultis, 106. 2.b.c. ab hæreſi poteſt, ſi hæreticus ſit eius poteſtati obnoxius ibid. e. poteſt ab Epiſcopo dari ſpecialis delegatio abſoluendi ab hæreſi, non autem generalis ab omnibus caſibus, 107. 2.b.c.&c. poteſt abſoluere à caſibus Papalibus, cum ad ſedem Apoſtolicam vel eius legatum non eſt facilis acceſſus 108. 1. b.c. Excommunicationes maiores quæ in iure reperiuntur, & nemini ſunt reſeruatæ per Epiſcopum remitti poſſunt, 108. 1.c.d

Epiſcopi qui eliguntur quales debent eſſe, & quibus animi dotibus præditi, 305. 1.d.e. 2.a.b &c. 356. 1.2. à quo & quomodo conſecrandus recens electus Epiſcopus, aut à Papa, poſtulante Principe creatus. 356. 2.d e. 357. 1.a.b.&c. quæ ſunt cæremoniæ ad Epiſcopi conſecrationem adhibendæ, ibid. 2.a.b.&c. 358. 1. a.b.&c. Quis locus & dies ordinando Epiſcopo idoneus ibid. 2.a. b. &c. in creatione Epiſcopi, eiuſque electione quid electores ſeruare debent, 359. 1.b.c &c. quid electum Epiſcopum facere ſit neceſſe, vt plenè dicatur poſſeſſor beneficij, ad quod eſt electus, ibid. 2. e 360. 1. a.b.&c. Epiſcoporum quæ ſunt officia, ibid. 1.e. 2.a.b.&c., 61. 1. 2. debent profiteri fidem & quomodo 362. 1.b.&c.

Epiſcopus primo & per ſe diſpenſare non poteſt in votis Papæ reſeruatis, ſi nulla in iis ſit mutatio ratione materiæ, aut aduenientis alicuius circunſtantiæ, 399. 1. b. c. id ei tentare eſt permiſſum, cum res promiſſa à materiæ reſeruatæ natura deficit ibid. d.e. non modo cum mutatio aliqua in materia voti reſeruati interuenit, poteſt in eo diſpenſare, ſed etiam cum materia remanente eadem circunſtantia aliqua occurrit, ob quam expedit vinculum eius ſolui ibid d.e. 400 poteſt prorogare exequendi voti tempora ibid. 2.d.e. 401. 1. 2. nō poteſt commutare vota quinque, quæ ſibi Papa reſeruauit in alio, 401. 2. d.e poteſt minora ib. poteſt diſpẽſare in irregularitatibus. & quibus 402. 403. poteſt cũſtis qui ſubſunt Abbatibus habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, 402. 2. c. d. in lege Pontificis ibid. 2.e. in irregularitate proueniente ex mutilatione membrorum iniuſta 404. 1. b.c. fas eſt ei diſpenſare in impedimento dirimente poſt & ante matrimonium, occulto tamen. 405. 1.b.c.d e. 2.a.b c.&c.

Epiſcopus præter Vicarium debet habere Officialem vnum aut plures 417. 2.d.e ſufficit communiter vnus, 418. 1.b.c

Epiſcopus creare poteſt notarium Apoſtolicum, 592. 1. b. c.d. eius poteſtas, ibid.e

Epiſcopus poteſt diſpenſare cum illegitimo ad ſimplex beneficium, 541 1.a. poteſt & ad canonicatum in Collegiali Eccleſia non autem in Cathedrali, ibid.b

Epiſcopus ius habet in omnes qui ſunt in ſua Diœceſi, 386. 1.b.c

Epiſcopi ſolius eſt decernere de cauſis diuortij, earumque æquitate, 386. 1.c. pœna capitis punire non poteſt, niſi ſola regij iudicis authoritate, ac imperio ibid. 2. a. eſt & de blaſphemia ibid. c. de hæreſi, 387. 1.e

Epiſcopus quid poteſt in cura Monialium & quãtum, 388. 1.c.d.&c.

Epiſcopus ius congruæ portionis cõpetit & quomodo, 389. 1.b.c. Epiſcopo fas eſt vltimam defuncti voluntatem commutare in aliud opus, cum id quod eſt deſignatum à teſtante impleri nequit eo modo quo voluit, & eſt res pia, ibid. d.e.&c. imò & ſi fieri poteſt eo modo quo teſtator ſtatuit ibid. 2.b.c.d.e. fas eſt Epiſcopo Laicos cogere ad ſolutionem eorum, quæ moriens relicta voluit ad pias cauſas, 390. 1.d. etiam cum legata non ſunt pia, in alia opera ex iuſta cauſa poſſunt ab eo commutari, modo hæc commutatio tertio non obſit ibid. c. ſuper bonis & debitis incertis poteſt componi cum Epiſcopo, 391 1.c.d.e.& ſuper incertis ex contractu quæſitis aut alio crimine quam vſurario, ibid. 2. a.b.& qui compoſuit cum eo ſuper incertis debitis, à reſtituendi onere eſt liber, ibid. 2.b.c

Epiſcopo ius eſt concedendæ indulgentiæ, 391. 2. d.e imò & Epiſcopo electo & confirmato, ſed nondum conſecrationis munere donato, 392. 1. b.c. dependenter tamen à Papa ibid. d. e. cum reſtrictione ſuæ poteſtatis in indulgentiis conferendis, ibid. 2.b

Epiſcopus præcipere poteſt ſubditis, quæ ad publicam Eccleſiæ mentiumque ſalutem perti-

nent,393.1.e.2.a.b. hanc poteſtatem condendæ legis habet à iure diuino, ſed etiam formaliter à iure humano, eamque accipit à ſummo Pontifice ibid.c. Epiſcopus nihil poteſt contra canones,394.2.c.d.exceptis quibuſdam caſibus, ib. d.e

Epiſcopi extra Diœceſim poſiti poſſunt ſibi Confeſſarium etiam non approbatum ab Ordinario, eligere 160. 1. c.d.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto alicuius, qui caſtitatem aut ſuſceptionem ordinum vouit, 405.2.e poteſt cum pauperibus non admonto Pontifice de peregrinationibus ſuſcipiendis, 406.1.c.d. diſpenſat valide in lege Diœceſana abſque cauſa ibid. 2. b. non diſpenſat in ſponſalibus ibid. c. non debet per ſeiptum Epiſcopus de criminibus cognoſcere, & diſpenſare in votis aut irregularitate, ibid.2.d.e

Epiſcopis quid eſt licitum in Religioſos. 395.1.e. 390. 1. a. b. in quibus caſibus ſubſunt exempti Epiſcopis, ibid.d.e.2.a.b.&c.397.1.a.b.c.&c.

Ab Epiſcopis facultatem confeſſiones audiendi omnibus vnius conuentus Confeſſariis adimi eſt contra rationem & prudentiam,155.1.e.non poſſunt Epiſcopi licite reuocare approbationem quam Regulari ad confeſſiones excipiendas dederunt, ibid. 2. b. imò eorum reuocatio eſt nulla, cum iuſta cauſa non nituntur, ibid.c

Epiſcopi, eorum dignitas quanta, 347.1.b.c.&c. dicuntur interdum Presbyteri,348.1.b.Epiſcoporum creandorum in Eccleſia olim varius ritus ibid.1.c.d.&c.349.1.2. quis modus in Epiſcoporum promotionibus olim ſeruari ſolitus in Gallicana Eccleſia,350.1.2.ad electionem Epiſcopi, eiuſdem confirmatio accedere debet, eaque peti à Metropolitano ibid. 2. e. 251. electi ante conſecrationem examen à Metropolitano debet fieri,& de quibus 252. 1.b.c. &c. à plebe eſt ius deuolutum eligendi Epiſcopi ad Clericos & Religioſos Diœceſis 353. 1. c.d.&c.quid olim fuerit & ſit modò in creatione Epiſcoporum Gallis Regibus permiſſum, 353.2.b.c.&c. 254.1.2.electio,nominatio & collatio Epiſcopo facta à Pontifice quî differunt, 355.1.a.b.c

Epiſcopus tenetur viſitare Diœceſim & quomodo id eum facere eſt neceſſe,362. 2.b.c.&c.363.1.2

Epiſcopi forum habent, in eoque iis licitũ cognoſcere de matrimonio, liberis, decimis, ſponſaliorum fœderis & aliis, 384.2.c.d.e.385.1.2

Epiſcopali dignitati & loco qui renuntiauit maiores Ordines conferre non poteſt, 343.2.c

Epiſcopatus ſumptus pro dignitate Eccleſiaſtica eſt Ordo nouus diſtinctus à reliquis 323. 1. a. b. ſecus verò non item ibid.c.d.qui differt à Presbyteratu, ibid.2.b.c

Epiſcoporum decreta particularia valent, licet inconſultis Canonicis, 394.1.b.c.d

Epiſcopo eſt ius componendæ prouinciæ animaduerſione ac cenſura vitiorum 395. 1.b.c.nefas ei inquirere de hæreſi in Gallia ibid. e. flagitioſos extra ſua ſepta mittere in vincula ibid.2.a.b. cognoſcere de Scholaſticis & Collegiorum adminiſtratoribus ibid.c.d.præditis Eccleſiaſticis manum iniicere, templorum poſſeſſiones pro debitis occupare, ibid.d

Epiſcopo conuenit viſitare Hoſpitalia publica, 364.1.b.c.d.collegia, ibid. 2.b. baſilicas omnes & oratoria publica Diœceſis 365.1.a.b.Epiſcopus Parochum viſitans de qua re eum interrogare debet ibid.c.d.&c.2.a.b.&c.eſt de iure cõmuni Monaſteria non exempta & commendata Epiſcopo viſitare & quomodo 366.1.d.e.2.a. b. Epiſcopi Vicario ius viſitandæ Diœceſis iure communi non competit ibid.2. e. poteſt tamen ei delegari ab Epiſcopo 367. 1. a. b. quæ præcipua cura viſitantis Epiſcopi ibid. b

Epiſcopus quæ Monaſteria exempta viſitare non poteſt, & quæ poteſt 367. 1. d. e.2.a.b.&c.quæ Epiſcopis reſidentia requiritur 368.1.c.d.e.2.a. b.&c.& aliæ quædam obligationes 369.2.a. b. &c.370.1.2.371.1.a.b.&c:

Epiſcopus habet curam omnis ſuæ Diœceſis 374. 1.b.c, abſoluit in foro animæ de omnibus caſibus Papæ non reſeruatis ibid. quidquid poteſt Pontifex in vniuerſa Eccleſia pro abſolutione caſuum Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi, ſi Papa ſpecialiter eos non ſibi reſeruauerit ibid.d.e

Epiſcoporum poteſtas dependet à Papa quoad modum & ordinem inſtitutionis 374.2.a.b.&c.

Epiſcopus quid poteſt circa caſus reſeruatos 375. 1.a.b.&c.poteſt abſoluere ab hæreſi occulta,ib. 1.e.2.a.b.&c. 376. 1. a. b.&c.quid poteſt circa beneficia, ibid.2.b.c.&c.377,1.2.378.1.2.

Epiſcoporum iura bifariam diuiduntur, 379.1.a ad Epiſcopum pertinet natas inter Clericos prouinciæ ſuæ controuerſias tam de criminibus quam pecuniis dirimere, 603. 1.c.d.&c.

Error.

Error triplex 703.2.b. quid ibid.c.d

Euchariſtia.

Euchariſtia, eius varia nomina à Patribus & ſcriptura 238.1.2.239.1.a.269. quid & quale Sacramentum 239.1.b.c. &c. eſt Sacramentum ibid. b.c.diſtinctum ab aliis ibid.d. nõ conſiſtit in actibus putè tranſeuntibus vt ſunt vſus & ſumptio ibid. e. 240. 1.a.b. &c. nec ſpecies ſolæ nec Chriſti corpus ſolum ſed vtrumque ſimul eſt formaliter & intrinſece Sacramentum Euchariſtiæ 240.1. d. e. ſumptio Sacramenti Euchariſtici eſſentia non poteſt excludi, 241.1.e

Euchariſtiæ Sacramentum materialiter ſumptum eſt multiplex 241. 2. c. formaliter ſumptum eſt vnum non vnitate naturali & materiali,ſed morali & ſpecifica, ibid. d. e. eius duplex materia ibid.b.panis in quo debet fieri debet eſſe triticens aqua naturali admixta confectus ibid.d.e. 2.a.b.&c. aqua elementari ſubactus, 243. 1.a. non corruptus vt in aliam ſpeciem tranſierit ib. c.debet eſſe ſenſibilis in ſe vel in alio ibid.d.eſſe præſens ibid.e panis non debet aqua factitia ſeu roſarum eſſe concretus ſed aqua [illegible]rali, & inſuper calore furni eſſe coctus 2[illegible].2.e.debet materia conſecranda debet à Sacerdote determinatè cognoſci & intendi, 244. 1. b. panis conſecrandus in Eccleſia Latina eſſe azimus in Græca fermentatus ſub mortali ibid. c. d. non tamen eſt de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ, ibid.1.a.b

In Euchariſtiæ Sacramento ex parte calicis requiritur vt vinum ſit de gemma vitis 244. 2.d.e.vt aqua vino miſceatur245.1.a.b.aquæ admixtionis cauſæ variæ afferuntur ibid. d. non eſt mixtio aquæ vino de neceſſitate Sacramenti,ibid.d. e. neceſſitate præcepti infuſio aquæ debet fieri calici ante oblationem ibid. 2. b.c. aqua debet eſſe modica ibid.d.requiritur neceſſitate præcepti ex parte materiæ calicis certa & determinata quantitas, quam tamen neceſſitas Sacramenti non exigit. 246.1.b.c

Euchariſtia non poteſt confici in pane cocto ex fa-

rina lolij 146.1. b. muſtum eſſe poteſt materia calicis in hoc Sacramento ibid. c. vino conſecrato licet adhibeatur alius liquor, eiuſdem ſubſtantiæ non ſacer Chriſtus non deſinit eſſe ſub ſpeciebus conſecratis vitalis mixtionis ibid. d. e. 247. 1. a. b. vinum congelatum eſt materia calicis ibid. b. c. panis ex facie, ſpecta, Zea ac ſiligine in Euchariſtiæ conſecratione non adhiberi debet ibid. e. 2. a. b. conſecratio vnius partis materiæ ſine alia non eſt licita ibid. 2. c. d. eſt tamen valida ibid. e. 248. 1. a. b. forma eſſentialis verborum quibus ponitur Chriſti corpus eſt hæc, *Hoc eſt corpus meum* 248. 1. c. quibus vero conficitur ſanguis Chriſti per ſe eſt hæc, *Hic eſt calix ſanguinis mei* ibid. 2. a. egigit præcepti neceſſitas vt in forma primò addatur parti cauſa *enim* & *qui pro die quam patcretur* ibid. b. eadem eſt iſtorum ratio in forma calicis *Novi & æterni Teſtamenti* ibid. c.

Miniſter Euchariſtiæ quis debet eſſe 248. 2. d. e. quæ ei requiruntur ex neceſſitate præcepti 249. 1. 2. 250. 1 a. b. huius ſacramenti conficiendi alius non poteſt eſſe quam preſbyter 250. 2. a. b. c. diſtribuendi vero ordinatus iure diuino ex Chriſti inſtitutione eſt idem, ex commiſſione Diaconus ibid. e. 251. 1. a. b. &c. ſacerdos quilibet præter Parochum miniſtrare poteſt Euchariſtiam extra paſcha & mortis articulum 251. 2. b. &c.

De Euchariſtia ſumenda non eſt ſolum conſilium ſed & præceptum 263. 2. b. hoc præcepto obligantur etiam infideles ibid. d. non eſt dando Cathechumeno 264. 1. a. b.

Euchariſtiam dare infantibus & perpetuò amentibus non videtur neceſſarium 264. 2. a. b. paruulis tamen iatam prodeſſe ad augmentum gratiæ receptæ per Baptiſmum ibid. d. 278. 1. c 2. e.

Euchariſtia eſt danda iis qui poſt vſum rationis in amentiam inciderunt in mortis articulo tantùm 265. 1. d. non amentibus perpetuis ibid. 2. c. d. ſecus phrenereticis 266. 1. d. ſemifatui ibid. 2. a. energumentis ibid. e. 273. 2. b. c. & mutis à natiuitate eſt neganda ibid. b. c. d.

Euchariſtia peti poteſt ac recipi poſt actum coniugalem 267 1. a. b. c. &c 276. 2. a. b. c.

Communicare quo tempore, & quo ætatis anno pueri tenentur non eſt certum 267. 2. d. e. 268. 1. a. b. &c. licet ſæpe communicare ibid. e. 2. a. b. &c.

Euchariſtiæ varia nomina 269. 270. non eſt ſacramentum multiplex ibid. 2. d. ſed vnum ibid. e. 271. 1. a. b. c. materia eſt panis triticeus ibid. 1. b. c. d. &c. 2. a. b. c. vinum de vite 272. 1. b. vinum recens extus expreſſum non poteſt ſine culpa offerri extra neceſſitatem ibid. d. e. aquæ infuſio eſt in calicem eſt ſeruanda ſub mortali ibid. 2. a. b. &c. quid myſticè deſignat ibid. d. e. quæ forma conſecrandi à Chriſto tradita 273. conuerſio corporis Chriſti quomodo fit in hoc ſacramento ibid. 1. a. e. eius conuerſionis variæ appellationes ibid. e. 2. a. b. c. huius ſacramenti multiplex effectus 273. 274. & ſeqq. Euchariſtiæ frequentandæ multiplex ac variæ Eccleſiæ conſuetudo 277. 1. cd. 278. 1. a. b. c.

Euchariſtiæ ſumptionem eiuſque effectum peccata venialia non impediunt 259. 2. a. b. prætitenda eſt confeſſio Euchariſtiæ, eſtque præceptum humanum ibid. 2. c. d. 260 1. a. b. Euchariſtiam quando licet recipere confeſſione non præmiſſa ibid. 2. a. b. &c. eſt deneganda peccatori publico 261. 1. c. d. non autem peccatori occulto & ſoli ſacerdoti cognito ibid. e.

Euchariſtiam concedere ei priuatim, qui ſcitur à ſacerdote peccati reus eſt peccatum mortale 261. 1. e. 2. a. b. c. quinam ſunt peccatores publici, quibus deneganda eſt Euchariſtia ibid. 2. d. e. 262. 1. a. 278. 1 e. 279. 1. 2. arceri ab Euchariſtia non poſſunt ſine culpa, qui de crimine non ſunt conuicti ſed ſuppecti tantum ibid c. d. Euchariſtiam dare vt Deus in vſitato ſiquæ oſtendat verane an falſa narret qui communicat eſt cauendum 263. 1. b. c. poteſt tamen iuramenti firmandi cauſa ad oſtenſionem innocentia ibid. d. e.

Excommunicato.

Excommunicationis timor non pertinet ad metum qui cadit in conſtantem virum, ſi eius inferendæ iniuſta eſt cauſa, ſecus vero & ſi eſt iuſta 694. 2. a. b.

Ab excommunicato ſententiâ Iudicis, aut ob notoriam Clerici percuſſionem qui nulla neceſſitate coactus ſacramentum petit, peccat 23. c. 2. e.

Ab excommunicato tam ſententiâ Iudicis, quam ob notoriam Clerici percuſſionem ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ collata in neceſſitate; ſunt vera ac valida, 24. c. 1. e.

Ab excommunicato non vitando Sacramentum totius conferri poteſt, quoties qui illius deſiderio tenetur, imo poteſt eundem ad conferendum inducere ac cogere ibid. c. 2. a. b.

Excommunicationes non reſeruatæ diuiduntur quadrifariam 108. 1 d. e. 2. a b. c.

Excommunicatorum duæ ſunt claſſes 339 1. c.

Excommunicatus non toleratus peccat adminiſtrans ſacramentum quodlibet, ſiue id agat ex officio, ſiue non, ibid. c. 1 b.

Exomologeſis.

Exomologeſis quid 213 1. b.

Extrema-Vnctio.

Extrema vnctio ægrotanti extrema vnctio eſt neceſſaria ad bene eſſe 26. c. 2. d.

Extrema vnctio quid 801. 1. a. b. &c. eſt verum nouæ legis Sacramentum ibid. a. b. &c. debet conſtare quinque vnctionibus 802. 1. d. e. non ſunt omnes vnctiones huic ſacramento eſſentiales, ibid. 2. a. b. &c. admota materia eſt oleum 803. 1. d. e. ex oliuis expreſſum, ac ab Epiſcopo benedictum ibid. 2. a. b. &c. proxima eſt vnctio 804. 1. b. c. debet fieri vnctio ad Sacramenti diſſentiam in certis corporis partibus ibid. d. e. in crucis modum ibid. 2. b. c. eius forma eſt per iſtam vnctionem, & ſuam *per iſtam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccati per viſum, tactum,* &c. ibid. 2. e. quid exigit hæc forma neceſſitate præcepti, vt ſit à culpa vacua 805. 2. a. b. &c. miniſter eſt ſacerdos & quid ex parte eius tam neceſſitate Sacramenti quàm præcepti 806. 2. a. b. &c. 807. 1. 2. quid obſeruandum in huius adminiſtratione 808. 1. b. c. &c. quid ex parte ſuſcipientis requiritur, vt ſit ratum ibid. 2. b. c. &c.

Extrema vnctio qualibet vnctione perficitur 811. 1. d. e. effectus huius Sacramenti quot ſunt & quales ibid. 2. a. b. &c. etſi per hoc Sacramentum gratia, producatur non videtur tamen primò & per ſe inſtitutum ad eius effectionem nudè conſideratæ 812. 1. a. b non eſt primo & per ſe principaliter inſtitutum à Deo, ad remiſſionem venialium ibid. c. etſi ex prima ſui inſtitutione non ad peccatum delendum ordinetur, illud tamen

per gratiam ſibi proptiam obliterat, ibid. d. quis huius Sacramenti finis, ibid. 2. b. c. &c.
Extrema-vnctio quid, 813. 1. b. eſt Sacramentum, ibid. duæ ſunt eius ſpecies, ibid. c. materia eſt oleum oliuæ benedictum per Epiſcopum, ibid. e. forma, peccatorum quædam deprecatio, 814. 1. b. c. quodnam ſubiectum, ibid. e. quis miniſter, ibid. 2. c. qui effectus, ibid. d. e. 815. 1. 2.
Extrema-vnctio eſt mẽte captis & fatuis à Natiuitate neganda, 809. 2. b. c. Phreneticis eſt tribuenda ſi prius quam in phreneſim inciderint, chriſtiane vixerunt, ibid. c. d. cum peccata ſunt occulta, ſicut & excommunicatio iis annexa, Phreneticus vnguendus eſt, 810. 1. c. d. ſecus autem ſi ſunt publica &, nullum doloris ſignum edidit, ibid. d. e.
de Extrema-vnctione recipienda nullum extat præceptum, 810. 2. a. b. negligi ea non poteſt ſine culpa, ibid. b. c. &c.

F

FESTI DIES.

in FEſtis celebrandis præter Miſſæ auditionem continetur prohibitio operum ſeruilium, 306. 2. d. e. non comprehenduntur peccata, 307. 1. a. ſed opus ſeruile, quo dominis ſuis ſeruiunt, ibid. b. c.
Feſtis diebus ſcriptio eſt conceſſa, 307. 1. c. tranſcribere non eſt de operum numero quæ ſunt diebus feſtis prohibita, ibid. 2. a. b
Feſtos dies non violat pictura, 307. 1. d. e

Forum.

Fori mixti cauſæ ſeu crimina ſunt triplicia, 625. 1. c. d. &c. in quo fundatur Eccleſiæ poteſtas cum de criminibus agitur, 626. 1. c. d
Fori praxis non eſt probanda ſpectato iure communi & ſeclusis ſpecialibus priuilegiis per quam iubetur Epiſcopis à ſenatu vt à ſe excommunicatos abſoluant, 629. 1. d. niſi eam excuſet ſpeciale Papæ priuilegium aut commiſſio, ibid. e

G

GRADVATVS.

GRaduati nomine quis intelligitur, 468. 2. b. Graduato Eccleſia Parochialis ſuburbiorum eſt affecta in Gallia, ibid. 1. e. 2. a. b. &c. ſi tamen eius collatio alteri ſit facta in conſcientia eſt valida citra Papæ diſpenſationem, ibid. 2. e

H

HÆRESIS, HÆRETICI.

HÆreſis externa & conſummata à Parocho & confeſſariis remitti non poteſt, 108. 2. e
Hæreſis, quæ eſt purè mentalis poteſt à quolibet approbato confeſſario abſolui, 109. 1. a
ab Hæreſi abſoluere non poſſunt Abbates qui Diœceſim non habent, habent tamen iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, 109. 1. c. d. &c.
Hæretici à ſacris ordinibus ſunt arcendi, 339. 2. c.

Homo.

Homo non poteſt abſtinere in perpetuum Confeſſione, Baptiſmo & Euchariſtia ſine peccato mortali, 193. 1. a

Hoſpitalia.

Hoſpitalia ſi beneficium annexum habeant procurationem Epiſcopo viſitanti offerre debent, 384. 1. b. ſecus non tenentur. ibid. c.

I

IACOBITÆ.

IAcobitæ loco aquæ imprimebant fronti ſignum Crucis candenti ferro, 33. c. 1. b

Illicitum.

Illicitum eſt aliquid tribus modis. 723. 2. b. c

Impedimenta Matrimonij.

Impedimenta matrimonij ſunt in duplici differentia, 701. 2. e. 702. 1. a. b. iure Eccleſiæ matrimonium dirimentia ſunt nouem, 714. 1. b. impedimentum publicæ honeſtatis quid, & vnde ortum habet, 717. 2. a. b. c. &c.
Impedimenta duplicis criminis quæ, & quotuplicia, 718. 1. c. d. e. 2. a. b. &c.
Impedimentum affinitatis cui eſt initium à congreſſu vetito, non extendit ſe vltra ſecundum gradum incluſiuè, 729. 2. c. d. iure naturali aut diuino impedimentum diſparitatis cultus non eſt inductum, 730. 2. a. b
qui Impedimenti alicuius inter ſponſos eſt cõſcius, deferre illud tenetur parocho, & quomodo, 743. 2. a. b. qui caſus in quibus ea delatio non videtur neceſſaria, ibid. b. c. quinque ſunt hominum genera, quibus prohibetur delatio impedimentorum quæ norunt eſſe inter coniuges, ibid. c. d.
Impedimenta matrimonij minora quæ, quotuplicia, & quid requiratur negatiuè neceſſitate præcepti, 748. 749. 786. 1. a. b. &c. in Impedimentis quę ſunt naturæ diſpenſare nemo poteſt, 750. 1. b. poteſt pontifex in his quæ ſunt iuris Eccleſiaſtici, ibid. c. d. non poteſt Epiſcopus in maioribus impedimentis, ibid. 2. a. b. &c. niſi ex iuſta honeſtaque cauſa, ibid. & quæ eſſe poteſt, ibid. 751. 1. a. b. &c. poteſt diſpenſare in impedimentis minoribus, ibid. 1. e
in Impedimeetis matrimonij quæ ſunt iuſtæ cauſæ diſpenſandi, 751. 2. d. e. 752. 1. a. b. &c. 753. 754.

Impotentia.

Impotentia quid & quotuplex, 709. 2. d
Impotentia perpetua iure naturali & Eccleſiaſtico matrimonium contrahendum impedit & dirimit contractum, ibid. 2. e. 710. 1. a. b. cum non eſt perpetua matrimonium non rumpit, ibid. b. c. quando cenſenda perpetua, ibid. 2. a. b. quomodo cognoſci poteſt eſſe perpetua, ibid. 2. e. & quæ ſunt ſigna, 711. 1. a. b. c. &c. vnde naſcitur impotentia in fœmina, ibid. 2. a. b. impotentia cenſenda eſt perpetua, licet per miraculum ſublata, ibid. b. c.
Impotentia ſeminandi in fœmina matrimonium non impedit, 712. 1. a.
Impotentia antecedens matrimonium inter coniuges, iis non permittuntur tactus & oſcula, ibid. b. ſecus ſi ſit poſterior, excuſantur à culpa, ibid. d. cum vnus coniugum impotentiam negat, quam fatetur alter non ſunt ab inuicem ſeiungendi niſi is qui ſtat contra matrimonium probet impedimentum per iuſtum iudicium, ibid. e. qui maleficijs impediti impotentes videntur quid his eſt conſulendum 713. 1. c. d. inter impotentes, licet illis ſit impotentia incognita, matrimonium eſſe non poteſt, ibid. d. e
Impotentia ex ſenectute proueniens matrimonium

non dissolvit, 713.2.a b
de Impotentia plura vide, 794.2.c.795

Indulgentia.

Indulgentia quid, 391.2.d. potest concedi ab Episcopo, ibid. 2. d. e. electo & confirmato sed nondum consecrationi donato, 392. 1. b.c. cum dependentia tamen à Papa, ibid.d.e & cum restrictione suæ potestatis in his tribuendis, ibid.2.b
Indulgentia summi Pontificis minui potest pœnitentia, 208. 1. b. qui scit moraliter se præstitisse omnia, quæ Papa ad Indulgentiam Plenariam consequendam exigit, hic ab implenda pœnitentia sibi iniuncta est liber, ib.c d. potest Papa extra Sacramentū Sacramentalē satisfactionem minuere abrogare ac tollere, ibid. d. e. quando Indulgentiæ dantur absolutè pœnitens non tantum à pœnitentiis olim à Confessario iniunctis eximitur sed etiam ab iniungendis, ibid. 2. b. c. si Indulgentiæ sunt ad certos dies reuocatæ, si ad hebdomadas & annos, potest pœnitens totidem dies, annos & hebdomadas, à confessario iniunctas omittere, si probabiliter credit se non amplius coram Deo debere, quam ipsi sit iniunctum, ibid.d.e.

Indultum, Indultarius.

Indultum quid, 550.1.d. expugnare precibus indultarium, hisque facere vt beneficium vacans vi sui indulti non petat non est simonia, ibid. 2. b. secus demereri sibi pretio, ne vtatur concesso sibi indulto, ibid.c.d.&c.

Infidelis.

Infidelium matrimonia non sunt Sacramenta nouæ legis, 659.1.b.c.d. nec quando conuertuntur, 661. 2. d. non licet infideli recenter conuerso vxorem suam relinquere propterea quod non conuertatur iure antiquo nisi in tribus casibus, 662. c.d. ab infideli potest fidelis discedere si ille conuerti renuit, licet cum illo habitare velit sine creatoris iniuria, ibid. 2. a. b debet conuersus à non conuerso discedere, dum periculum est ne eius verbis aut exemplo ad pristinos errores redeat, ibid. b. c. non licet conuerso ab infideli discedere & cum altero matrimonium facere, 663. 1. a. b. quod si id contingat vt ab insolente coniuge & de Deo, eiusque religione malè sentiente discedat id sibi beneficium vendicat à Christo, ibid. c. d. potest conuersus ad fidem relicta infideli coniuge emittere votum continētiæ si nulla est spes suæ conuersionis, ibid. d. e mulier quæ marito conuerso nupsit alteri tenetur redire ad priorem virum, licet accidat eum redire ad infidelitatem, ibid. 2. b. c. & post mariti conuersionem non transeuntis ad alias nuptias tenetur redire, ibid. d. e. qui multas vxores in infidelitate habuit, si omnes sunt conuersæ iure naturæ adhærere debet primæ, 664. 1. a. si prima nolit cōuerti, ad alias conuersas ei liberum est accedere, ibid. b. non licet coniugi innocenti ac fideli, etsi vir fiat infidelis, alteri nubere, ibid. c. altero ex coniugibus conuerso non illicò prioris matrimonij vinculum soluitur, ibid. d. qui sunt Christiani cum Infidelibus & Iudæis matrimonium licitè contrahere non possunt, ibid 2. c. d. e.

Iniuria.

Iniuria duplex, 185. 1. a. b

Intentio.

Intentio triplex, actualis, virtualis & habitualis, 11. c. 2. d. 12. c. 1. 2.
Intentio in Ministro recta esse non debet, circa finem Sacramenti & eius effectum, 15. c. 1. d.
Intentio in Ministro rēcta esse non debet, circa id quod Christus & Ecclesia spectant, in vsu sacrorum, quæ Sacramentum conficiunt, ibid. c. 2. a.
Intentio Ministri baptizantis debet esse ab omni errore libera. 12. c. 2. d.
Intentio actualis Sacerdotis Sacramenta conferentis licet sit admodum vtilis, non est tamen absolutè necessaria, 13. c. 1. b
Intentio Ministri saltem implicita requiritur vt Sacramentum sit validum, ibid. c
cum Intentione habituali Sacramentum esse non potest, ibid. c. 2
Intentio absoluta non exigitur vt Sacramentum valeat datum sub conditione de futuro contingenti, ibid. e 14. c. 1. 2. b.
Intentio in suscipiente Sacramentum à pœnitentia distinctum virtualis sufficit aut interpretatiua, quam tamen actualis præcesserit non reuocata, 25. c. 1. d
sine Intentione Ministri Sacramentum nullum est, 12. 2. c.

Iuramentum.

id quod Iuramento coacto est promissum debet impleri, 397. 2. e.
Iuramentum obligat quatenus est factum Deo, 398 1. a. b. metu extortum non obligat quatenus est factum Deo, 398. 1. a. b. metu extortum non obligat, nisi factum cum intentione se obligandi, ibid. c. in Ecclesia est potestas condonandi iuramenti, cui metus iniustus causam dedit, ibid. d. Iuramentum potest ab Episcopo relaxari, cum est factum Deo, aut si homini, cum hic caret iure inuiolabili ad rem promissam, ibid. 2. a. b. potest quoque expressum metu de re facienda aut danda, ad quam aliunde tenebatur iurans, ibid. d.

Iurisdictio.

Iurisdictio in Ministro pœnitentiæ iure diuino requiritur, 141. 1. b. c. soli summo pontifici iure diuino competit absoluta & independens, ibid. e. 142. 1. 2.
Iurisdictio absoluendi omnes Christianos ordinaria competit Papæ eiusque summo Vicario, 146 2. c. conuenit etiam Episcopis suarum Diœcesium, ibid. Parochis suarum parochiarum, ibid. d qui ordinariam potestatem habet absoluendi potest eam delegare alteri sacerdoti, 147 1. a. potest & Vicarius cui est officium absentis parochi commissum, imò & nondum initiatus sacerdotio, ibid. b. c
Iurisdictionis potestas duplex, ordinaria & delegata, 221. 1. b. c. delegata duplex, 222. 1. a. b. &c.
Iurisdictionem delegatam absoluendi habent Religiosi Mendicantes, etiam in Paschate, 147. 2. b. c. d.

Ius.

de Iure naturæ aliquid est dupliciter, 668. 2. e. 670. 1. b. c. aliquid dici potest esse contra ius tripliciter, ibid. c. d

Iustitia.

Iustitia inter Deum & hominem non intercedit, 199. 1. a.

L

LAICVS.

LAico permissum est retinere ius decimarum parentibus suis ante Concilium Lateranense concessum

Digitized by Google

concessum, 520.2.b.à laico cuius parentes ante Concilium possederunt decimas, quibus adhuc ipse fruitur de consensu Episcopi vendi aut dari alteri laico nequeunt, ibid.d

Laico interdum licet de causis ecclesiasticis cognoscere & quando, 604.605.626.2.a.b. &c.

ad Laicum iudicem possunt fideles appellare cum sunt iniustis censuris oppressi, neglectis Episcopis, aut eorum superioribus, à quibus sunt repulsi sine auxilio, 629. 2. a. b.

iudex Laicus cognoscere potest de decimis cum de facto seu possessione agitur, ibid. 2.c.d.e

Laico principi non licet Episcopos delinquentes aut clericos exilio plectere aut emissione è regno 630.631.2.a.b.c.&c.

in Laicum iudicem de causa clericorum spirituali cognoscentem quæ pœna constituta per canones, 627.2.c.d.e

Legitimi.

Legitimi qui sunt, 756. 2.a.b. quî differunt ab illegitimis, ibid. 2.a.b. qui casus faciunt vt illegitimi qui nascuntur ex concubitu legibus prohibito, censeantur legitimi, ibid. possunt à Papa legitimari in ordine ad omnes effectus Ecclesiæ, 757, 2.a. dispensati tamen ad Ordines non censentur legitimati, ibid. 2. c. non potest pontifex sibi non ciuiliter subditum legitimare in ordine ad effectus ciuiles, ibid.2.d. potest autem sibi subditum, ibid.e

Legitimus duobus modis fieri potest, 757.2.c.758. 2.a.b.&c. qui sunt habendi pro illegitimis, 797. 2.d.e.&c.

Lex.

Lex de Baptismo prohabiliter obligare cœpit Ecclesiam vniuersam, quando Christus in cœna legem nouam instituit, aut in passione cum veterem omnino aboleuit, 33. 2.a

Liberi.

Liberi qui à matrimonio clandestino nascuntur, sunt illegitimi, 745. 2. a. legitimantur cum incipit esse validum, ibid. 2.a. liberos suos iure Ecclesiæ parentes ob matrimonium ius non contractis exhæredare nequeunt, 746.2.d.in Gallia possunt, ibid. e. valet eorum coniugium sine parentum consensu, 747. mortaliter peccant liberi contrahentes inconsultis parentibus, nisi sit iusta causa, ibid.2.c

M

MANDVCATIO.

Manducatio duplex, 246.2.e

Manus septima.

Manus septimæ nomine quid intelligitur, 713.2.d

Matrimonium.

Matrimonium quid, & qui ritus in eo contrahendo seruari debeant, 635.2.2.637.2.2. qui contrahunt matrimonium clandestine ad id lege Ecclesiæ sunt inhabiles, 641. 2.d.e. qui post votum Religionis aut castitatis fœminam corrupit sub promissione matrimonij, quæ conscia fuit voti eius eam ducere non tenetur, 648. 2. c. imò si copulam non præcessit vlla promissio, non tenetur eam ducere post votum Religionis aut castitatis ab eo editum, ibid. secus autem si sub spe matrimonij à puella aut vidua bonæ famæ ignara voti quo is tenebatur, tenetur matrimonium cum ea contrahere, ibid.d.e

Matrimonium quotuplex, 657. 2. 2. sumitur duobus modis, 658. 2. b. sumptum pro contractu quo coniuges sibi tradunt dominium suorum corporum inter baptizatos est nouæ legis Sacramentum, ibid. b. c. &c. sumptum autem pro vinculo non est Sacramentum, ibid. 2. d. e.

Matrimonia quæ Christi aduentum præcessere in veteri lege non fuerunt Sacramenta, 659. 2. a. b.

Matrimonia infidelium non sunt Sacramenta nouæ legis, ibid. b.c.&c.

Matrimonium per procuratores contractum est validum, 659.2. a. b. &c. quæ conditiones sunt necessariæ vt matrimonium validè ac licitè per procuratores contrahatur. 660.2.c.d.&c.

Matrimonium infidelium non incipit esse Sacramentum cum conuertuntur, 661. 2. d.e. non licet infideli recenter conuerso vxorem suam relinquere, &c.

Matrimonium qui catholicus facit cum hæretica; is peccat mortaliter vt plurimum 665. 2. a. b. c. eius tamen matrimonium est licitum, ibid. 2. b. c. &c.

Matrimonium infidelis cum fideli non est iure naturæ aut diuino irritum, 666.2.e. catholici cum hæretica est validum, 667.2.b.c. & Sacramentum, 2. b. c

Matrimonij Deus est author, 668.2.e.

Matrimonium est de iure diuino, ciuili, canonico, & gentium, ibid. 2. d. est de iure naturæ secundario, ibid. d. e. nullum est hoc tempore præceptum singulos actu & nominatim obligans ad contrahendum matrimonium, 669.2.2.b. matrimonium ex prima sua institutione est vnius cum vna, ib.e. nulli citra dispensationem fas est, viuente prima vxore secundam ducere, ibid.2.a.b

Matrimonium esse potest inter adulteros, si non absolutè, sed sub hac formula sibi fidem pactionis faciant, *alium aut aliam quamte, si præmoriatur vxor mea, non ducam*, 719.2. d. e. promissio quælibet etiam simplex futuri matrimonij, viuente adhuc prima coniuge, subsequens non dissoluit, ibid.2.a. virum occidisse non est impedimentum dirimens matrimonium homicidæ cum vxore defuncti, ac ab eo necati in bello, 720.2.a. filij cum matre, patris cum filia matrimonium iure naturæ est irritum 721, 2. e. gradus primus consanguinitatis in recta linea efficit matrimonium inualidum & nulla ex causa licitum, 723.2.c.d 2.a. b.&c.

Matrimonium inter fratres & sorores potest esse licitum ex aliqua causa, 724. 2.a.b. &c. matrimonium consanguineorum in secundo gradu, accedente Papæ consensu celebrati validè potest, ib.e.2.a. b. quæ sunt causæ quæ pontificem moueant vt permittat matrimonia inter consanguineos celebrare, ibid. 2. d.e. in omni consanguinitatis gradu Deus dispensare potest, 725. 2.a.b. iure ecclesiastico, consanguinitas hoc tempore vsque ad 4. gradum inclusiue impedit matrimonium, & dirimit contractum, 725.2.b.c.d.

Matrimonium leui metu contractum iure ecclesiastico ac ciuili ratum est 692.2.b.c. videtur verisimile, in foro conscientiæ leui metu impediri matrimonium perinde ac graui, si non secus ac isto libertati consensus obsistat, ibid.d. e. matrimonium est nullum, quod à corruptore initur cum corrupta vt metu se liberet, quem parens aut consanguineæ defloratæ Virginis, ei in-

Digitized by Google

tentarum, ibid. 1. c. est ratum, si celebretur eo solo tantum nomine, quod pater aut affines puellæ minantur corruptori, cum se delaturos iudici, ac seruaturos domi suæ, donec eius authoritate mittatur in carcerem, 693. 1. c. d
factum metu, non redditur à iure diuino positiuo inane ac nullum, ibid. 2. a. factum iussione aut prece principis est ratum, secus vero si cum minis, 694. 1. b c
Matrimonium non debet fieri si committatur peccatum mortale, 694. 1. c. d.
Matrimonium metu factum non est validum, licet iuramento firmatum, 695. 2. a. b. consummare matrimonium sine consensu ac affectu maritali ex quocumque metu id fiat, est peccatum mortale, ibid. c. in foro tamen exteriori censetur tamen valere, ibid. c. d. quod est metu contractum & nullum, diuturna consuetudine in eadem domo & thoro non conualescit, 696. 1. c. d si futurum quod matrimonio additur tanquam conditio, est necessarium, per illud vis eius non suspenditur ibid. e. 697. 1. a. b. &c.
Matrimonium contrahendum impeditur, & contractum dirimitur tam iure naturali quàm ecclesiastico impotentiâ perpetuâ, 709. 2. e. 710. a. b. secus autem cum non est perpetua, ibid. 2. e. matrimonium eius quæ veneficiis reddita est impotens, demùm per exorcismos Ecclesiæ apta viro reddita est, pro rato haberi debet, 711. 2. e. spadones & eunuchi sunt matrimonij incapaces, ibid. d. e.
Matrimonium non impedit impotentia seminandi in fœmina, 712. 1. a. si impotentia matrimonium coniugum antecessit, tactus & oscula iis non permittuntur, ibid. b. secùs autem si sit posterior, excusari à culpa, ibid. d
Ecclesia de perpetuitate impedimenti matrimonij iudicans falli potest, ibid. 2. a. constitus in articulo mortis potest contrahere, ibid. c. d.
Matrimonium, quando est maleficialis impotentia, nonnisi à triennali cohabitatione inter coniuges habita, & iuramento præstito ab vtroque coniuge cum septima manu propinquorum, aut vicinorum, si propinqui desunt dissoluitur, 713. 1. a. matrimonium impotentiâ ex senectute prouenient non dissoluitur, ibid. 2. a. b. nec à sterilitate, ibid. c.
Matrimonium dirimitur contractum, & impeditur contrahendum iure Ecclesiæ, per ordinem sacrum Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyterij, 714. 1. c. d. &c.
si vir & mulier sint alienigenæ, eorum Parochus censendus est in cuius parœcia tunc habitant, 737. 1. d. e. qualis est Parochi licentia ad validitatem matrimonij necessaria, 738. 1. a. b. &c. bannorum omissio non reddit proprie matrimonium clandestinum, ibid. 2. b
secus tamen impropriè, ibid. c. per Episcopum irritari non potest, ibid. e. 739. 1. a
Matrimonium contrahere in facie Ecclesiæ quid, 739. 1. b. matrimonium clandestine initum, nulliter ac fine effectu non ratificatur per sequentem copulam, ibid. c. non est necesse Parochum aliquid dicere ad matrimonij validitatem, ibid. d. non licet Paroeho in Gallia interesse matrimonio futurorum coniugum, non cognito prius eorum consensu, quorum authoritati subsunt, ibid. d. e. Parochus excommunicatus non peccat mortaliter assistens matrimonio, ibid. 2. b.
potest alteri committere vt suo nomine interssit matrimonio, ibid. 2. e. audito consensu contrahentium Parochus eos in benedicendo, non peccat, 740. 1. b. c.
qui interest matrimonio loco Parochi debet esse sacerdos, ibid. d. e
Matrimonium domi contractum est ratum & validum, 740. 2. a. b. est necesse promulgari matrimonium antequam contrahatur necessitate præcepti, ibid. e. si vir & fœmina ad diuersas parœcias pertinent, in iis matrimonium denunciari debet, 741. 2. d. e. qui à matrimonio propriè clandestino liberi nascuntur sunt illegitimi, 745. 1. a. non excusat in hoc negotio bona fides coniugum arbitrantium huiusmodi matrimonia sibi esse licita, ibid.
si Matrimonium est nullum ex impedimento consanguinitatis, aut alio simili, quod non est detectum propter omissas denunciationes filij sunt illegitimi, licet nati ex matrimonio valido, 745. 1. c. d. Sacerdos quilibet, qui sine licentia Parochi aut Ordinarij matrimonio clandestino interest, tandiu suspensus est ab officio & beneficio, quandiu placet Ordinario parochi ad quem pertinebat benedicere coniuges, & eis adesse contrahentibus, ibid. e
Matrimonium non impeditur per minores Ordines, 715. 2. b. per tonsuram primam matrimonium subsequens non dirimitur, ibid. 2. c. d. Ordo sacer matrimonium ratione sui dirimit, non voti tantum, ei instituto Ecclesiæ annexi, ibid. e. 716. 1. a. b. &c.
Matrimonium ratum non dissoluitur per susceptionem sacri ordinis, 716. 2. a. b. &c. puellæ Virgini, rem cum coniugato habenti, maximè nescienti eum esse coniugatum, non tollitur spes omnis ei faciendi cum eo matrimonij, vxore defuncta, 718. 2. d. e
Matrimonij impedimenta sunt in duplici differentia, 701. 2. c. 702. 1. a. b. pueri ante vsum rationis non possunt valide contrahere matrimonium, ibid. 702. 1. c. nec item amentes, ibid. d. e. &c.
Matrimonium maculari accidit duobus, modis à coactione, 703. 1. c d
tam ignorantia quàm error personæ antecedens, crassus sit licet & vincibilis matrimonium contrahendum impediunt & contractum iure naturæ dirimunt, ibid. 2. d. e
Matrimonium initum ex errore concomitante personam cum qua contrahitur non est validum, 704. 1. b. c. error in accidentibus vt pulchritudinis, qualitatis & opum non dirimit matrimonium, ibid. 2. a. b. c. excipiuntur tamen duo casus, ibid. c. d. &c. per errorem antecedentem conditionis, quæ vere ac proprie est seruilis, matrimonium serui cum libera nullum est, 705. 1. e
ab errore seruitutis non veræ sed adscriptitiæ ac originariæ non dirimitur, ibid. 2. c. valet liberi cum serua, ibid. potest tamen iure tantum Ecclesiæ dirimi, ibid. e. 706. 1. a. &c.
Matrimonium cum alia contractum priore coniuge adhuc superstite est inualidum, 706. 2. a. b. &c. est peccatum contrahere cum secunda priore superstite nisi excuset ignorantia, vel respectu infidelium consuetudo contraria, 707. 1. a. b. &c.
fama de morte viri non sufficit vt mulier sine culpa alteri nubat, ibid. 1. b. c
nec potest nouum petere matrimonium,

Digitized by Google

niſi ſit de morte prioris certa, ibid. c. d. e. ſi tamen fama adiungantur coniecturæ veriſimiles de morte viri, poteſt cum ſecundo matrimonium inire, 708. 1. a. b. &c. iudex non poteſt dare facultatem tranſeundi ad ſecundas nuptias, ſi argumenta de viri morte proferuntur ſolùm probabilia, ibid. e 2. a. b. mulier debet primo viro reddi, ſi domum reuertatur poſt longam abſentiam, ibid. 2. d. non eſt matrimonium initum cum altero, ſi mulier dubitet an prior viuat & poſtea ſciat eum viuere, ibid. e. 709. 1. a. ſi bona fide ſociauit ſe cum viro ſecundo, poteſt ea poſt primi mortem ei iungi, ibid. 1. a. b. c. mulier quæ de viri morte nihil certum habet, nec vt certior fiat vllam dat operam debitum ſecundo viro reddere & viciſſim ab eo exigere non poteſt, ibid. d. ſi dubitando an prior matitus viueret nupſit non exigere, reddere tamen poteſt, ibid. e. qui ſciens vxorem ſuam viuere alteram ducit, præter peccatum quod committit, quas pœnas incurrit, ibid. 2. b

vt Matrimonium in foro externo probetur, eſt neceſſe vt extet aliquod teſtimonium voluntatis quorum nomine à procuratore contrahitur, 660 2. b. c. eſt eſſentiale matrimonio, vt parocho & teſtibus conſtet certò moraliter hunc aut illam mandaſſe procuratori ſuo, vt cum hoc aut illa ſuo nomine contraheret, ibid. d. e

Matrimonium quod ſit à fideli cum generali illicitum eſt, & iure Eccleſiaſtico inualidum, 730. 2. c. d.

Matrimonij vſus vt & finis multiplex, 780. 2. b. c quomodo ratione damni, quod in vſu matrimonij includitur, mortaliter peccare quis poteſt, 783. 2. c. d. &c. 784. 1. a. b. &c. & præterea à quibus redditur matrimonij vſus illicitus, 784. 2. c. d. &c. 785. 1. 2.

Matrimonium contrahendum impediunt metus, vis, & error, 790. 1. d. e

Matrimonium quando eſt nullum & quomodo, 791. 1. a. b. &c. inter conſanguineos non poteſt eſſe matrimonium, 792. 2. a. b. &c. matrimonium eſt nullum inter raptorem & raptam, 793. 2. b. c quæ crimina matrimonium impediunt, ibid. e ritus matrimonij qui, 798. 2. e. 799

Matrimonium quoad vinculum eſt iure naturæ inſolubile ante mortem alterutrius coniugis, 672. 2. b. 797. 2. c. eſt ex inſtitutione Dei, ibid. c. d morte alterutrius è duobus coniugibus quoad vinculum diſſoluitur, ibid. e

Iudæorum matrimonia, dato repudij libello ſoluebantur, 673. 1. a. b. &c.

Matrimonium infidelium etiam conſummatum ex cauſa ſolui poteſt etiam quoad vinculum, ibid. 2. a b. fidelium ratum & non conſummatum poteſt diſſolui, ibid. c. d. & ex diſpenſatione Papæ ob cauſam, 674 1 a. b. conſummatur effuſione ſeminis, eiuſque receptione intra vas, ibid. e.

Matrimonij cauſa principalis vt eſt Sacramentum eſt Deus & Chriſtus in noua lege, 674. 1. e. inſtrumentaria ac ſecundaria ſunt ipſi coniuges, 675. 1. 2. effectiua, vt eſt contractus, eſt conſenſus vtriuſque partis, ibid. materia circa quam verſatur matrimonium ſunt corpora coniugum, ibid. 1. b. Matrimonij varij fines, ibid. c. huius Sacramenti materia non conſiſtit in verbis contrahentium, nec forma in benedictione Sacerdotis, ibid. 2. c. d

materia huius Sacramenti eſt traditio mutua corporum cum conſenſu facta, forma autem expreſſio dictæ traditionis per verba, nutus aut ſigna, 676. 1. d. e. Parochus non eſt miniſter huius Sacramenti, ſed vir & fœmina, ibid. 2. b. c. &c.

in Matrimonio quæ ſunt neceſſaria tàm neceſſitate præcepti, quam Sacramenti, 677. 1. a. b. Eccleſia poteſt conſtituere aliqua impedimenta dirimentia matrimonium, ibid. e. 1. a. b. &c. poſſunt & principes ſæculares, ſi ſpectetur tantum id quod eſt iuris naturæ, 678. 1. b. c. &c. executio tamen huius poteſtatis eſt adempta principibus ſæcularibus ab Eccleſia, ibid. 2. a. b. &c. poſſunt principes, quorum in terris infideles habitant certis legibus eorum matrimonia reſtringere. 679. 2. d. e

Matrimonium ſtare non poteſt cum voluntate contraria bono Sacramenti, prolis aut fidei, 685. 2. e. Parocho conſtare debet de coniugum conſenſu, 686. 1. b. c. &c.

qui exiſtimat teneri ſe impedimento, à quo, matrimonio contrahendo obſtaculum naturale aut Eccleſiaſticum oritur, ſcitque illud ſic contractum non valere, non poteſt cum eo impedimento contrahere, ibid. 2. b

cum vir & fœmina ambigunt an inter eos fœdus intercedero matrimonij valeat, & nihilominus ſi poſſunt inire volunt matrimonium eorum eſt ratum ac validum, ibid. 2. d. e

qui contraxit cum duabus ſucceſſiuè cum ſecunda vere, cum prima fictè, primæ cohabitare nec poteſt, nec debet, 687. 1. b. c. &c.

cum dubia eſt verborum ſignificatio in contrahendo ſtandum eſt in foro conſcientiæ intentioni proferentium, in externo ſententiæ iudicis, ibid. 2. c. d. quatuor ſunt ſigna ex quibus præſumere ſolet Eccleſia fieri conſenſum de præſenti in matrimonium, 688. 1. a. b. &c.

cum impedimentum matrimonium dirimens non eſt error conditionis aut perſonę, ſed aliud, optimus modus ſupplendi defectum præteritum eſt exigere ab ea qui non eſt eius conſcius vt nouum conſenſum eliciat, ibid. 2. d. e

cum Matrimonium eſt nullum ob incapacitatem perſonarum, ambæ iteratò debent conſentire in coniugium, 689. 1. a. b

poſſunt non legitimi coniuges contractum matrimonij repetere ante litteras diſpenſationis Romæ acceptas, 689. 1. d. e. 2. a. b

conſenſus in matrimonium debet eſſe liber, ibid. 2. d. matrimonium cum errore perſonæ initum, eſt inualidum, ibid. e

Matrimonium non irritat metus, cuius inferendi cauſa eſt iuſta, 691. 1. e

metus ob aliquam aliam cauſam quam celebrandi matrimonij gratia iniectus illud non irritat, ibid. 2. a. b

Matrimonium eſt nullum, cum metus à tertio incutitur puellæ, eo nullo modo conſcio, cum quo ei eſt contrahendum, ibid. d. e

ad Matrimonij validitatem teſtes duo ad minimum, cum parocho ſunt neceſſarij, 734 2. e. debent eſſe teſtes futuri matrimonij rationis compotes, 735. 1. a. b

quiuis in cauſa matrimonij etiam infamis, teſtari poteſt, modo ſit rationis compos, ibid. c. d. in teſtibus tempus ætatis, ſtatutum nullum eſt, quoad hoc miniſterium cenſeri debeant idonei, ib. 2. c. cuius parochi præſentia aut licentia eſt ad matrimonium neceſſaria, 736. 2. b. c. &c.

Matrimonium ſub conditione de futuro poſſibili contingenti ſuſpenditur, donec ea ponatur, 697.1.c.d.&c conditio de futuro impoſſibili nõ impedit matrimoniũ modo non ſit eius eſſentia contrariã, 698. 1 b conditio de futuro poſſibili, ſiue ſit honeſta ſiue turpis matrimonio adhibita impedit ne ſit tale ac contractum vere, ibid. 2. c. d. Matrimonium eſt nullum, cui adiicitur conditio, eſſentiæ eius contraria, 699.1.c.conditio de præſenti, vt *ſi virgines*, non ſuſpẽdit matrimonium ſi reperiatur puella talis eſſe, ibid. d. e.demonſtratio,cauſa & modus etſi falſa matrimonium nec impediunt nec ſuſpendunt, niſi rationem conditionis induant,ibid.2. b. c, non eſt opus vt parochus ac teſtes matrimonio interſint, cum contrahitur ſub conditione de futuro, 700. 1. b.c.debent intereſſe cum conſenſus ſuos conditione poſita ſub qua contraxerant coniuges inuicem exprimunt, ibid.c.d

Matrimonium vitium non trahit, quo redditur nullum à voluntate dimittendæ coniugis, impediendæ prolis aut negandi debiti, 700. 2. b. non valide contrahitur, cum quæ illi ſunt oppoſita, eiuſque doctrinæ contraria deducuntur in pactum, ibid. conſanguinei aut alij quibus per leges matrimonio iungi non licet, vacant culpa, cum illud facturos ſe pollicentur, ſi per Papam licuerit,ibid.c. d. mas & fœmina qui ſibi fidem futuri matrimonij ſpoponderunt, ſi Papa eius impedimentum tolleret, ab ea reſilire ſine mutuo conſenſu non poſſunt,ibid.e.non expedit filiis de matrimonio cogitare parentibus inſciis, 701.1.b.c.eſt tamen his inſcius cum eſt initum, ratum & firmum, ibid.c.d

ad Matrimonij validitatem tam iure canonico quã ciuili probabile eſt conſenſum parentum requiri, 747.1.c.in matrimonio rato diſpẽſare Papa poteſt, 754.2.b.cauſæ diſpenſandi in matrimonio rato quæ, 755.2.a.b.&c.

Matrimonij duplex acceptio,758.2.c.quæ bona & qui effectus, ibid. & quot, 759.760. & ſeqq. non poteſt alter coniugum inconſulto alio, nec aſſentiente caſtitatem vouere, aut ordines ſacros ſuſcipere, 761. 2. b.c. profeſſio abſque licentia alterius coniugis emiſſa non conualeſcit, licet poſtea aſſentiatur, 762. 2. a. poteſt alter coniugum ingredi religionem de conſenſu alterius, ibid. b. c. &c. coniux in ſæculo relictus, altero, qui abſque eius licentia eſt profeſſus, reclamante ac inuito, non poteſt religionem ingredi,763. 2. b. propter non perſolutam dotem vir vxorem deſerere nequit, eique non cohabitare,ibid. 2. b. c.poteſt maritus in ſeruum vxore non aſſentiente ſe vendere, non econtra, ibid.d.e

Matrimonium infidelium licet conſummatum niſi diuino aut naturali iuri repugnet, legitimum eſt, non tamen inſolubile ac perpetuum quoad vinculum, 764.1. c. d.&c.ſoluitur prius infidelium matrimonium hoc ipſo, quo qui eſt factus fidelis ſecundum init.ibid.2. d.e.Iudæorum matrimonium etiam quoad vinculum,poſt ſui conſummationem fuit ſolubile per libellum repudij,765. 1. b. c. &c. fidelium verò conſummatum eſt indiſſolubile quoad vinculum,ibid.2.b.c

Matrimonium ratum non conſummatum per profeſſionem in religione approbata, diſſoluitur, ibid.

Matrimonium quoad vinculum tam ex primæua ſui inſtitutione quam euãgelica lege eſt inſolubile, 766. 1. a. b.matrimonium conſummatum cur diſſolui nequit, ibid.d.e.&c.

Matrimonium quid & quotuplex, 786.2.d.e.787. cauſæ matrimonij quæ, 788.1.d.e.&c.quæ forma,789.1.c.qui capaces contrahendi matrimonij, ib. e. quæ impedimenta matrimonium irritant, ibid.2.c.d.

vt matrimonium valeat non eſt neceſſe vt conſenſus vtriuſque actu ſint ſimul, 682.1.e ſufficit quod ſint moraliter ſimul, ibid.2.c.d.e. ſi matrimonium ſumptum pro contractu ſumatur conſenſus contrahentium proprie & formaliter ſumptus ſuppleri à Deo non poteſt, 683. 1.b. ſi verò ſumatur pro ſtatu firmo & ſtabili fieri à Deo poteſt viro & fœmina nihil operantibus, ibid.c.d

nulla poteſtas humana poteſt inuitos matrimonio coniungere, ibid. e

Matrimonium vt eſt vinculum viri & fœminæ inter ſe,ſuppleri non poteſt à Deo, ibid.2.e conſenſus coniugum, expreſſe non debet ferri in copulam vt redigendam in actum, 684. 1. a. b.c. coniugalis copula explicite volita carnalis autem tantum implicite eſt obiectum conſenſus contrahentium, ibid.2.b.c.&c.

Matrimonij finis vt eſt contractus eſt mutua traditio corporum ac animorum vnio inter ſe, 185. 1. d. debent expreſſe intendere hunc finem coniuges, ibid.

vt eſt Sacramentum finis matrimonij eſt ſanctificatio coniugum, hanc non neceſſariò appetere debent coniuges expreſſe & actu, ibid.e

finis matrimonij vt eſt inſtitutum in naturæ officium expreſſe ad eius valorem non eſt intendendus, ibid.2.a.b.c.

Matrimonium improprie clandeſtinum ex ſola denunciationum omiſſione, ſi aliunde non eſt nullum, non infert pœnam illegitimitatis in prole, 745.2.a

liberi ſuſcepti in clandeſtino, legitimantur cum incipit eſſe validum, ibid. iure Cæſareo parentes liberos ſuos exhæredare nequeunt ob matrimonium iis non conſultis, 746.1.d.

in Gallia poſſunt, ibid.e

valet matrimonium ſine filiorum conſenſu initum, 747.1.a.b

Matrimonium inter affines, affinitate quæ ex legitimo matrimonio prouenit, iure Eccleſiæ legitimum eſſe non poteſt, vſque ad quartum gradum incluſiuè, 749.b

in Matrimonio neceſſitate Sacramenti requiritur mutuus coniugum conſenſus, 681.1.a.b.&c. debet verbis aut ſignis declarari, ibid. 2. c. d. e. decet tamen verba adhibere, 682. 1. b. c.

ſecunda Matrimonia ſunt Sacramenta,661. 1. c.d. e.2.a.b.

Metus.

Metus vt cenſeatur eſſe iuſtus, ac viri conſtantis quid requirit, 690. 1.c.d.e

Metus duplex eſt leuis & grauis & quid differunt inter ſe, 693. 2. a. quæ ſunt quæ fortis & conſtans metuit, 694.1.a

ad Metum grauem conſtituendum reſpectu omnium non requiritur æquale malum 694. 2. b. metus parentum eſt metus cadens in conſtantem virum ibid. d. infamia locum habet inter mala quæ vir fortis & conſtans metuit 695. 1. c. d.

Digitized by Google

Mendicantes.

Mendicantes poſſunt domeſticos ſuos intra clauſtra morientes ſepelire in ſuis Eccleſijs 494. 1 2. b. non eximuntur à præſtatione medietatis quartæ funeralium Parocho ibid. b. c.

Miniſter.

Miniſter debet intendere actum ſuum quem exercet ſcilicet applicare formam materiæ, & finem talis actus 15. c. 2. b. Miniſter debet eſſe præditus iuriſdictione delegata, aut ordinaria ad Sacramentum conferendum, ne peccet 16. c. 2. b. Miniſter debet habere ſcientiam ad functionem ſui miniſterij neceſſariam, ibid. c.

In Miniſtro Sacramentorum requiritur priuatio cenſuræ, quæ collationem Sacramenti impedit 17. c. 1. a.

Miniſter Sacramenti debet eſſe culpæ neſcius, non tamen id eſt abſolutè neceſſarium 17. c. 1. d.

Miniſter Sacramentorum de lege Ordinaria eſt homo, habens ſpecialem aliquam poteſtatem reſpectu eorum omnium, præterquam Baptiſmi in neceſſitate & Matrimonij 14. c. 1. d. e.

Miniſter Matrimonij ſunt ambo contrahentes 29. c. 2. b.

Miniſtri fides ad Sacramentum validè conferendum non eſt neceſſaria 18. c. 1. b.

Miniſtri Sacramentorum ſunt cauſæ inſtrumentales gratiæ minùs præcipuæ 11. c. 2. c.

Miniſtro non eſt liberum in Sacramentorum vſu ſequi opinionem probabilem abiectâ probabiliore ac tutiore 21. c. 1. c. d. &c.

Miniſtro non licet in Sacramentorum vſu extra caſum neceſſitatis certiorem ſententiam magis ſecuram contemnere, vt minus certa, tutaque capiatur 21. c. 2. a.

Miniſtro non licet indignos ad Sacramenta admittere tam iure naturali quam diuino ib. d

In Miniſtro obligatio adminiſtrandi Sacramentum in gratia oritur tum ex ſanctitate Sacramenti 20. c. 1. d. tum ab ordine, ad quem initiatur, actibuſque eius proprijs ibid. c. 2. b.

Miſſa.

Miſſa duobus modis poteſt minui 249. 1. d.

Miſſæ defectibus quomodo eſt occurrendum 302. 2. d. e 393. 1. 2. Miſſæ ſacrificium vt proſit pendet ab intentione virtuali & implicita ſacerdotis 304. 1. 2. b. c. hæc eius applicatio fieri poteſt in triplici loco Miſſæ ibid. d. e. non poteſt peccatoribus per modum ſatisfactionis ibid. 2. b. poteſt per modum impetrationis & ſuffragij ibid. peccat mortaliter qui pro non tolerato Miſſam celebrat ibid. c. d. valide offert pro non tolerato ibid. e.

Miſſæ intereſſe diebus dominicis & feſtis ſinguli tenentur 305. 1. e. 2. a. b.

Miſſam audire quid 305. 2. d. e. non eſt neceſſe ad impletionem huius præcepti Sacrificantem audire vel videre 306. 1. b. c. confabulari toto Miſſæ tempore, aut maiori eius parte, eſt peccatum mortale ibid c. d. e. Miſſa debet audiri cum deuotione interna ibid. 2. a. b. &c. Miſſam non audire die feſto aut dominico eſt peccatum mortale 307. 2. c. d. ad eam audiendam tenentur ſolum rationis compotes ibid. e. præceptum non extat de audienda Miſſa duplici, ne quidem in natali Domini 308. 1. a. b. Miſſæ auditio diebus Dominicis extra Parœciam non eſt malum 308. 1. 2. 309. 1. 2. ſatisfacit præcepto de audienda Miſſæ qui recitat horas Canonicas, aut alias preces 310. 1. a. b. &c. quæ ſunt cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ ibid. 1. c. d. &c. eſt probabile peregrinum non teneri lege de audienda Miſſa in die feſto loci tantùm proprio 311. 1. d contraria quoque ſententia eſt probabilis ibid. e. 2. a. Omittere aliquid Miſſæ tam in principio quam fine quod ſit exiguum non eſt mortale ibid. 2. b. non ſufficit ad vitandum mortale audire canonem, aut à principio vſque ad orationem dominicam ibid. non peccat mortaliter qui Miſſæ intereſt ab offertorio incluſiue vſque ad poſtcommunionem excluſiue, ib. d. nec qui templo egreditur poſt cõmunionem ſacerdotis, & ante benedictionem eius receptam ibid. e. ſatisfacit præcepto de Miſſa audienda qui audit partem ex alia Miſſa quam ex priori omiſerat 312. 1. d. an qui duas medietates Miſſæ audit, præcepto ſatisfaciat controuertitur ibid. 1. b. c. d.

Miſſæ nomen vnde 313. varia eius nomina ibid. 2. a. b. &c. 314. eius diuiſio 315. 1. a. b. c. cæremoniæ ioid. 2. b. c. 316. in ſola conſecratione conſiſtit eius eſſentia 317. 1. a. b. c.

Miſſa eſt verum ac proprium euangelicæ legis ſacrificium, 283. 1. d. e. 2. a. b. c.

Miſſæ ſacrificium quomodo differt à ſacrificio Chriſti 285. 2. c. d. differt eſſentialiter ab antiquis ibid. 2. d. e. ſacrificium Miſſæ poteſt offerri pro animabus in purgatorio detentis, pro damnatis neutiquam 286. 1. b. c. &c. poteſt ſacerdos pro ſe, & pro viuis omnibus modò ne ſint præciſi & excommunicati ibid. 2. c. d. pro Catechumenis poteſt non pro hæreticis ibid. d. e. in hoc ſacrificio Miſſæ primus offerens eſt Chriſtus, deinde Eccleſia quæ ſacerdote vt Miniſtro ad Deum vtitur 287. 1. d e. 2. a. b. c. Miſſæ ſacrificij duplex notitia, ibid. 2. d.

Miſſæ ſacrificium certos quoſdam effectus habet, quos producit in ſuſcipiente rite diſpoſito 288. 1. b. c. non confert ex opere operato immediate gratiam ſanctificantem, nec augmentum illius, aut remiſſionem alicuius culpę lethalis, ſed mediante diſpoſitione ſuſcipientis ibid. d. e. 2. a. b. eſt rememoratiuum dominicæ paſſionis ibid. 2. c. propitiatorium ib. impetratorium 289. 1. d. ſatisfactorium ibid. d. e. eſt oblatio incruenta hoſtię ibid. 2. a. eſt Euchariſticum, ibid. b.

Miſſæ ſacrificij duplex fructus vniuersè 289. 2. c. d. triplex eius valor, 290. 1. a. b.

Miſſa in locis ab Epiſcopo conſecratis aut benedictis iure communi & ordinario celebrari debet 290. 1. c. d. prohibetur offerri in locis non conſecratis iure Canonicò ibi. 1. e. 2. a. b. c. iure etiam ciuili 291. 1. c. non debet fieri in loco vbi paganus eſt ſepultus, ibid. d. e.

Miſſam vnam ſufficit ſacerdoti in die celebrare 293. 1. e. excepto die natali Domini, & ſi neceſſitas vrgeat ibid. 2. a. b. c. debet fieri à ieiuno ibid. e. & quæ circa ea ſunt vitanda 294. 1. b. c. &c. quæ ſunt ad eam neceſſaria, ibid. 2. d. e. 297. 1. 2. 298. 2. d. e. 299. 1. 2.

Miſſa poteſt dici alia lingua quam latina 443. 1. c. non eſt dicenda in ęde priuata niſi ex iuſta cauſa ibid. 2. a. b. &c. vno, eodemque die non eſt dicenda ſæpius exceptis quibuſdam caſibus 444. 1. c. d. facultas audiendi Miſſas in priuatis oratoriis non eſt abſoluta, & quare ibid. 2. a. b. &c. ſi concedatur, quę inferenda ibid. c. d. in celebratione Miſſæ quęnam ſunt ſeruanda 446. 2. e. 447. 1. 2. explicantur alia, quæ ad decentem Miſſę celebrationem ſpectant 448. 2. a. b. &c. ad Miſſam celebrandam quænam diſpoſitio re-

quiritur, 449.2.a.b.&c.
Missa concubinarij publici sine culpa audiri potest, 451.2.a.b.&c.

Monachus.

Monachus contumax expelli potest à monasterio per Abbatem, 530.2.c-531.1.2. huius dimittendi iustæ causæ sunt multæ, 531.1.e.2.a.b.c

N

NEGOTIATIO.

NEgotiatio quid, 588. 1. c. emere aut vendere clericis non est interdicta negotiationis species, ibid.
Negotiantis clerici quæ sunt pœnæ, 589. 2. a. b. &c.

Notarius.

Notarius Apostolicus creari potest ab Episcopo, 591.1.b.c.eius potestas, ibid.e

O

OBLATIO.

OBlatio quid, 496. 2.a.b.quidlibet, modo sit dantis, bonumque offerri Deo potest, ibid. c.
Oblationum tres sunt species, ibid. c. quæ in Ecclesia Parochiali fideles Deo offerunt, communiter in rem parochi transeunt, 497.1.c

Officialis.

Officialis in qualibet Diœcesi communiter est vnus, 418. 1. b. c. quotuplex est officialis, & si sunt multi quî differunt inter se, 1.e
Officialis Episcopi numerandus est in dignitatibus quę habent successores, 426. 1. c.
Officialis specialis qualis esse debet, 427. 1. 2. b. &c.
Officialis specialis est ordinarius, ibid.2.d.e. ab
Officiali ad Episcopum appellari non licet, in quibus causis est hic ordinarius, secùs licet, 428. 1.d.e.1.2.b.
Officialatus vendi non potest sine labe simoniæ, ibid.2.d.e.429.1.2.b &c.
Officialis potest ab Episcopo destitui, quem ipse instituit, 429.2.c.d.e. de quibus causis Officiali cognoscere, non licet, 430.1.d.2.a.b.&c.

Oleum.

Oleum quod balsamo immiscetur & ex quo fit Chrisma debet esse ex oliuis expressum, 69.1.b

Opera.

Opera pœnalia omnia & quælibet modo sint ex obiecto bona possunt pœnitenti præcipi, 194. 1. a. b. imò & virtutum opera licet alioquin iam debita, ibid. c. d.
Opera satisfactoria facta in peccato mortali non prosunt ad meritum vitæ æternæ & gloriæ, nec remittitur pœna peccatis debita ac luenda in purgatorio, 205.1.a.b
Opera quæ sunt præcepto diuino aut humano debita, communiter pro pœnitentia non sunt imperanda, 207.2.a.b.c
Opera quæ sunt liberis & seruis communia, non sunt celebrationi festorum contraria, 307. 1. d.
operum quatuor sunt genera Ecclesiæ præcepto prohibita, ibid.e
Operi satisfactorio duo sunt tantum necessaria, 194. 1. e
Opere bono ac gloriabili potest homo mereri cœlum, eiusque gloriam & remissionem pœnæ 195. 2. 2

Oratoria.

Oratoria dum ab Episcopis permittuntur, quid circa ea cauere debent, 290.2.b.c.d
Oratoria etsi non benedicta, nec vnquam benedicenda, ad officia diuina tamen deputata, si contingat ea violari debent simplici reconciliatione ab Episcopo aut sacerdote quē ad id eligat, fieri, 301.2.c.d.

Ordinarius.

Ordinarij nomine quis intelligitur, 734. 1. c. d.
Ordinatio per saltum quid, 342. 2. 2. gratis fit ac sine pretio, ibid. b.
Ordinationem nemo consequitur nisi prævio examine Episcoporum vel populi testimonio, ibid. c. quod tempus ordinationi faciendæ præstituitur, 343. 1. b. c. quis locus, ibid. 2.a.b
Ordinatus ab excommunicato tolerato executionem ordinis recipit, 339. 2. a. b. secus autem ab excommunicato nominatim ac denuntiato aut notorio percussore clerici, ibid.b.c
Ordinatus ab Episcopo hæretico, excommunicato vel suspenso, etsi characterem recipiat, tamen nec ad superiorem ordinem promoueri, nec in susceptis absque dispensatione ministrare potest, 340.1.b
Ordinari nequeunt Latini ab Episcopis Græcis & & econtra, 343.1.e
Ordinationi Episcoporum materia propria est manuum impositio, 344. 1.e.ad substantiam Ordinationis Episcopalis non pertinet quod à tribus consecretur Episcopus, 344.2.d
Ordinatus bona fide ante ætatem non est irregularis, 333.1.e
Ordinatus vi, vel metu tenetur lege continentiæ, 334. 1. c.d.
Ordinatus ab Episcoporecipit characterem & verum ordinem, 335. 1.b.peccat tamen Episcopus qui sine licentia Ordinarij clericum sibi non subditum ordinat, 335. 1. b. c. d. aliqui casus in quibus ordinari quis potest ab alieno Episcopo sine litteris commendatitiis, ibid. e. 2. a. b. præter alienigenas sunt alij quos ordinare Episcopo est nefas & qui, 335.2.d.e.336.337.
Ordinis Sacerdotalis materia remota est Panis & & Vinum cum patena & calice, 323. 2.d.materia proxima, eaque ordini essentialis est traditio & porrectio instrumentorum, quæ ad propriam vniuscuiusque Ordinis functionem spectant, ib. ad essentiam Ordinis Sacerdotalis pertinet manuum impositio, 324. 1.a.b. materia Ordinationis Diaconi duplex & forma totidem, ibid. 2. a. quæ materia Ordinationis Subdiaconi, quæ forma ibid. d. quæ Episcopatus & minorum Ordinum, ib. e. 325.1.a.b, c.326. non est necessarius contactus materiæ Sacramenti Ordinis, 325.2.d.326.1.a.b. c. quid est necesse in Sacramento Ordinis necessitate præcepti, ex parte Ministri, 328. 1. c. d. 2. a. b. c. &c. 329.1.a.b.c, quid item necesse ex parte suscipientis Ordinem, 329. 2. b. c. 330. 331. Ordinis triplex effectus præcipuus, 331.2.b.c.d
Ordinato legem continentiæ violanti pœnæ sunt multæ, 332. 1. 2. b.
Ordinatio sacerdotis vt sit valida oportet calicem ei tradi cum vino, 332.1.d
Ordinem Sacerdotij qui recipit ante ætatem est suspensus, 332. 1. c. hæc suspensio incurritur tatum ob Missam, ibid. 2. b. c. Religiosus est

ſuſpenſus ab Ordine quo eſt initiatus ante ætatem, ibid. e. poſſunt diſpenſare in ea cenſura Prælati cum Religioſis ſibi ſubiectis, 313. 1. b.
Ordo eſt Sacramentum vnum de ſeptem 340. 1. d. e. diuiditur in ſacrum & non ſacrum, ibid. 1. b. quæ ætas requiritur ad ſuſceptionem Ordinis, 341. 2. e. 342. 1. a. b.
Ordo quilibet tam ſacer quam non ſacer eſt verum Sacramentum, 321. 1. e
Ordo duobus modis ſumitur, 319. 1. a. b quid eſt, ibid. 2. c. eſt diſtinctio Miniſtrorum, & Ordinum in Dei Eccleſia, 320. 1. 2
Ordo eſt Sacramentum, 321. 1. b. c
Ordines ſunt ſeptem, ibid. 2. c. d
Ordo Epiſcopalis eſt diſtinctus à Sacerdotali, 347. 2. d. e

P

PAROCHIA ET PAROCHVS.

PArochia quotuplex & quid, 463. 1. a. b. &c. ad conſtitutionem Parochiæ quid requiritur, ibid. c. d. &c.
Parochus quomodo eſt creandus, ibid. 2. c. 464. 1. a. b. &c. non ad omnes Parochias ſe extendit ius concurſus, & quæ ſunt hæ, ibid. 2. a. b
vnius eiuſdemque Parochiæ non poſſunt eſſe duo parochi, ibid. 2. d. e. 465. 1. a. b. quibus dotibus debet eſſe inſtructus qui vult fieri Parochus, 465. 1. c. d. &c.
Monachis, ac Mendicantibus non licet ad parochiam aſpirare ſine Papæ facultate, ibid. 2. d. Parochus quid ex officio ſtatuque facere debet, 466. 1. c. d. &c.
Parochus eſſe poteſt qui 14. annum metaphyſice compleuerit, 467. 1. c. d. e. 2. a. b. &c. 468. 1. a. b. c.
Parochialis Eccleſia ſuburbiorum in Gallia eſt affecta Graduato, ſi eſt alteri tamen facta eius collatio in conſcientia non eſt inualida; dummodo ciues multi aut quanti parochiam viribus conflare ſolent, 468. 1. c. 2. a. b. &c. 469. 1. a. b. &c. qui de Parochia prouiſus eſt ad Preſbyteratum intra annum à die captæ poſſeſſionis promouendus eſt, ſecus beneficio excidit, ibid. 2. b. c
quæ excuſant Parochum à promotione ſui faciendæ intra annum ad ſacerdotium intra annum, non tamen id fit in Gallia niſi poſt exactum ſecundum, 470. 1. a. b. &c.
non promoto ad ſacerdotium intra tempora iure requiſita, non relinquenda eſt Parochia, niſi prius ad id cum iudicis authoritas adigat, ibid. 2. a. b. non poteſt deiici de eius poſſeſſione niſi auditus, ibid. e. fructus beneficij retineri poſſunt ſine culpa, ſi poſtea poſtulentur ſunt reddendi, 471. 2. a. b. c. &c.
Parochi quodnam ius quoad matrimonium, 497. 2. a. b. &c. 498. quæ affectiones Parochiæ propriè ſumptæ, 499. 2. a. b. &c.
quibus rebus Parochiani ſubiiciuntur Parochiali Eccleſiæ, 500. 1. 2.
Parochi non exigere poſſunt rationem eleemoſynarum quæ fiunt Xenodochiis niſi probante Epiſcopo, aut conſulto, 501. 1. 2
Parochus pro ſepultura aliquid exigere poteſt, 502. 503. iuſtam habent rationem liberi aut hæredes mortui tranſigendi cum Parocho aut Eccleſia, in qua terræ committitur de redemptione funalium pompæ funebris, ac pannorum, antequam domo efferatur in templum, 504. 1. c. d.
Parochi ſe mutuum audire poſſunt, ac ſoluere, licet ſint diuerſorum Epiſcopatuum, 476. 2. e
Parochus non poteſt abſoluere valide alterius parœciæ ſubditos inſcio vero Parocho, 477. 1. b. c
tenetur inquirere eos qui Sacramentis indigent, ibid. e
debet abſoluere eum qui vocis vſum perdidit, cum ante confeſſionem petiit & ſigna doloris edidit, ibid. 2. b.
ſecus autem non debet, ibid. c. d.
poteſt tamen eum vngere ſi conſtet eum catholicè vixiſſe, ibid. e
Parochi cæterique confeſſarij approbati ab eo cuius intereſt, abſoluere poſſunt ab omnibus caſibus, quos ius aut conſuetudo ſola reſeruauit Epiſcopis, 478. 2. b. c. &c.
poſſunt confeſſiones peregrinorum & viatorum audire in Paſchate, 479. 1. c. d
tenentur adminiſtrare Sacramenta ſub mortali Parochianis in articulo mortis, eius periculo & Paſchate, ibid. 2. d. e
extra hæc tempora negare poſtulantibus non videtur communiter mortale peccatum, 480. 1. a. b.
Parochus non poteſt acquieſcere indigno petenti Sacramentum, 480. 1. e
tenetur ſolummodò adminiſtrare Baptiſmum furioſis, freneticis aut amentibus à Natiuitate, ibid. 2. b. c
non poteſt ad ſacras vſurarium manifeſtum, nec quoſlibet alios peccatores publicos admittere, ibid. d. e
non poteſt ſubſtituere ſibi aliquem in audiendis confeſſionibus, quem ante non approbarit Ordinarius, 481. 1. e
iure communi ſine licentia Epiſcopi ſibi dicere vicarium ex ſacerdotibus vnum ad adminiſtranda Sacramenta non poteſt, ibid. b. c
Parochus ante Concilium audiendis confeſſionibus potuit committere quemlibet etiam non approbatum, non modò validè, ſed & licitè, 472. 1. d.
Parochus nondum initiatus ſactis ordinibus poteſt committere vnum de approbatis ab Epiſcopo, qui præſit ſuo loco audiendis confeſſionibus, ibid. e. poteſt valide ac licite vnum de approbatis ab Epiſcopo ſuo, licet non ſit eius Diœceſis vbi confeſſiones audit, committere, ibid. e. 2. a. b. non poteſt approbare Preſbyteros, coſque ab Epiſcopo ante non approbatos, aut à iure audiendis confeſſionibus exponere, ibid. c. d
Parochi mutuam ſibi operam dare poſſunt in Sacramentorum vſu, 473. 1. d. e. 2. a. b. &c. ſatiùs eſt hic mos retinendus in Dei Eccleſia, quam Epiſcoporum lege aut præcepto tollendus, 474. 1. a. b.
Parochus obligatur ſub mortali ad ſacrificandum, ibid. 1. d. ſacrificare tam ſæpe debet quam ei eſt neceſſe vt fungatur officio, ibid. 2. a. cui nihil conſtat de voluntate ſuperioris aut Fundatorum citra numerum dicendarum Miſſarum, non tenetur accommodare ſe conſuetudini aliorum celebrantium, ibid. b. c. non tenetur quoties ſacrificat facere pro plebe ſibi commiſſa, ibid. d. e.
Parochus lege particularis Eccleſiæ ad oblationem ſacrificij aſtrictus, non poteſt accipere ab aliquo alio ſtipendium, 475. 1. b. c
ſecùs autem ſi non ſit obligatus & Parochia ei tantos redditus non ſuppediret, quantis opus eſt ad vitam, ibid. e. de ſtipendio iuſto celebran-

tis Parochus nihil sibi seruare potest ibid 2.d.e.
Parochus potest sine Episcopi licentia Sacerdotem modo approbatum sibi in subsidium pastoralis assumere ad excipiendas confessiones in Quadragesima, ministrandam Eucharistiam in Paschate 481.2.e. quem modum tenere debet in absolutione manifesti vsurarij, 481.1.b.c.&c.
Parochis omnibus & Parœcijs non est adiuncta obligatio suscipiendi Presbyterij intra annum, 482.2.b.c.&c.
Parochus peccat qui puero patrinum alium ab eo adhibet, quem ei parentes aut propinqui esse voluere 483.1.b.c. quale est eius officium circa matrimonium ibid.e.2.2.b.&c.non tenetur impedimentum matrimonij detegere si sit occultum 484.2.2.b.secus vero si sit ei notum,& existimat alteri esse cognitum,tenetur in conscientia Ordinarium certiorem facere ibid.c.d. si autem illud sit ei cognitum directe vel indirectè per confessionem non tenetur detegere 485. 1. a.b.cum vir & fœmina laborant ignorantia vincibili & crassa impedimenti matrimonij tenetur Parochus eos de illo certiores facere ibid. d. e. si autem laborant ignorantia inuincibili, & est impedimentum iuris naturalis tenetur illos admonere ibid. 2.a.b.c.iure tam naturali quàm diuino tenetur per se aut alium concionibus operam dare ibid. e. non potest quemlibet idoneum admittere ad concionandum nisi approbatum ab Episcopo 486.1.c.2.2.b.&c. Parochi sit subditus quoad Sacramenta qui in Parœcia commoratur septem aut octo mensibus cum animo in ea manendi 487.2.a.b. &c. Parochus non satisfacit officio,nisi interdum dicat ad populum 488.1. e. hæc obligatio est ad mortale ibid. 2. a. non tamen si præterit aliquem diem sacrum ibid. b. c. &c. quas habet obligationes Parochus 489.1.2.b. &c. obligatur iure diuino ad residentiam ibid.2.d.e. iure naturæ 490.1.c. d.iure quoque humano ac Ecclesiæ, ibid. e.2.2. b. &c.
Parochus iure communi abesse potest studiorum causa à beneficio septennio, nec potest arctari ad breuiora tempora 504.2.e. vẽdere potest sibi oblata sine peccato 505.1.c.d.e.2.2. b. Parocho succedere possunt eius propinqui 505.2.e. 506. 1.2. Parocho non licet excommunicare 507.1.c.d. e. si ei permittitur potest illa vti ibid. 2.c.d.
Parochus non potest ignoto sacerdoti permittere vt Sacrificium dicat in sua Parochia sine Episcopi venia, cum est ei prohibitum 476.2.c. secus autem si habeat litteras commendatitias ibid.
Parocho non ministranti et si residenti fructus non debentur 491.1.2.b.&c. tenetur ministrare Sacramenta peste infectis 492. 1. 2. b. aut alium substituere ibid. b. c.tenetur necessaria lege dicere horas canonicas ibid. 1.d. e. &c. & fructus perceptos restituere ibid. 493. 1. 2.b.&c.qualia iura debentur Parocho, ibid. 2.c.

Patrini.

Patrini puerorum qui baptizantur ad quid tenentur 64. 1.2.

Peccatum, peccator.

Peccati cuiuslibet sunt septem circunstantiæ 130. 1.d.quę inter has differentia ibid. e. 2. e b. &c. explicandæ sunt circunstantiæ omnes quæ speciem mutant, aut nouam addunt ei, quæ petitur ab obiecto ibid. 2. c. d. non est necesse circunstantiam prodere, quæ venialiter tantum auget aut minuit malitiam, quæ actui ex obiecto conuenit ibid. d. circunstantiæ impertinentes omitti debent in confessione ibid. e. ex vi præcepti de confessione integrè obeunda nemo tenetur confiteri eas peccatorum circunstantias, quæ malitiam peccati augent vel minuunt notabiliter 131 1. b. c. &c. quæ sunt circunstantiæ peccati speciem mutantes ibid.2.d.e.132. 1.2. b. c. &c. circunstantiæ peccati in actum non redactæ sed tantum volitæ non tenentur exprimi in confessione, ibid.2.a.
Peccati circunstantiæ augentes in quibus casibus Confessario non sunt tacendæ, 133.1.b.c.
Peccatum vnum mortale sine alio non potest deleri per pœnitentiam 181.1.e. potest tamen diuinâ potentia vnum relaxari insolutis alijs ibid. 2.c.d.
Peccatum veniale non remittitur communiter in hac vita sine pœnitentia saltem virtuali 182.1.e. & quidem per actum contritionis aut amoris non quemlibet sed eum duntaxat, qui est virtualis implicitaque pœnitentia ibid. 2. b.c. d.e.183. 1. a. b. c. præter virtualem illam venialium displicentiam sunt aliqua in Ecclesia remedia & quæ ibid.2.a.b. c. hæc remedia per se proprie & immediate non delent peccata venialia ex opere operato, ibid.e.184.1.a.b.c.
Peccatum veniale deleri per atritionem propter pœnas inferni aut purgatorij non est improbabile, 184.1.e.
Peccandi occasio duplex, 95.2.e.
Peccata duobus modis delentur in homine 18. 1. d.
Peccatori publico Sacramentum publicè petenti, si conuersio eius non sit publica, denegandum est, 23. 1. b.
Peccatori,quem ex eius confessione scit absistere à peccatis nolle, non est neganda Eucharistia: etsi eam clam & semotis arbitris sibi dari postulet, ibid.d.
Peccatori Sacramentum negari non debet coram ijs, quibus non est eius peccatum cognitum, ibid.c.2.

Pœnæ Clericorum.

Pœnæ Clericorum qui concubinis vtuntur, sunt multiplices, 450.2.d.e.451.1.2.&c.
Pœnas à se repetere de peccato tam in Sacramento, quàm extra est proprium pœnitentiæ,186. 2. e.
Pœna est cuilibet culpæ agnata 187. 1. b. superest homini luenda etiam post peccatum à Deo condonatum, ibid.d.e.
Pœna purgatorij differt tantum accidentaliter à pœna inferni.
Pœnæ sunt octo in Clericos sacris ordinibus ornatos,matrimonium contrahentes 334.2.b.c.&c.

Pœnitentia, pœnitens.

Pœnitentia quadrifariam vsurpatur 81. 1. 2.b.c. & varia nomina ibid. est verum ac proprium nouæ legis Sacramentum ibid. 2.c. qui differt à Baptismo, 81.2.2.b.
Pœnitentiæ materia circa quam ac remota est peccatum actu, & propria voluntate commissum post Baptismum 82. 2. c. non necessario debet esse aliqua culpa mortalis ibid.e. materia proxima sunt contritio, confessio & satisfactio 83. 1. 2. b. materia essentialis sunt actus pœnitentis duo Contritio & Confessio,Satisfactio verò integrans ibid. c. d. e. 2.2. &c. pœnitentiæ forma consistit

consistit in his verbis consistit *Absolue te*, aut æquiualentibus, 84.1.c.d.&c.
Per pœnitentiam quæ fuit à confessario pœnitenti imposita remittitur pœna aliqua ex opere operato 203. 2. d. plus pœnæ per pœnitentiam sacramentalem remittitur, quam qualibet alia non sacramentali, ibid.e.
Pœnitentia obita in mortali non est repetenda 204.2.d.e.
Pœnitentia quæ à Confessario iniungitur & est sacramentalis communiter non potest implen per alium 205 2.b.potest quandoque cum pœnitentia est in operibus quæ cum eadem bonitate fieri possunt per alium, ibid.e.
Pœnitentiam qui differt, non peccat 206. 1.a.b.si ob morbum aut iustum aliquod impedimentum confessarij mandatum non facit eo die quem præscripsit non tenetur alio die illud exequi, ibid. c.
Pœnitenti iteratò confitendum est, si sciens & volens ad alia animum deflectit ne audiret quæ sibi iniunguntur 206.2.b.c.secus autem aliter ibi. d.e.eidem identidem ad sacramentum redeunti non debet noua semper pœnitentia, nisi noua aliqua peccata adferat, 207.1.b.c.
Pœnitentia duplex 209. 1.a. b. &c. publica quibus peccatis imponi solita ibid.2.c.d.septennis pœnitentia singulis peccatis publicis legibus canonicis inflicta, bid.2.e.hæresi incarceratio biennij 210.1. b. Idololatria exilium & remotio à sacris, seu excommunicatio ibid.c.Raptori virginis Deo consecratæ repulsio à communione Ecclesiastica, homicidæ,furi, fornicario clerico quæ imposita pœnitentia publica,ibid 1.d.e.2.a.
Pœnitentiam à confessario iniunctam non potest pœnitens per se primò & directè mutare in aliam, 200.2.c.d.
Pœnitentia potest minui à confessario ex iusta causa, 200.2.c.201.a.1.a.b.
Pœnitentiam tam qui iniunxit quam qui eius est superior ex iusta causa mutare potest in aliam 201. 1. c. d. imò & alius quilibet ex approbatis, ibid.e.
Pœnitentia à sacerdote data potest mutari à quolibet alio rationabilis, de causa, etiam confessione non repetita, dummodo id in sacramento fiat 202.1.a.b. non extra ibid.b.c.
si fuit sublata reseruatio per confessionem priorem imo & pro reseruatis ibidem c.2. a.b.
Pœnitentia, non est in pœnitentis arbitrio hîc aut in purgatorio pœnam persoluere, quæ cuique est debita pro suo scelere 189. 2. a.b.c.presbyter potest aliquid pœnitenti pœnitentiæ loco imperare ibid.e.& obligatur tam lege Ecclesiastica quàm diuina 190. 1. c. d. est hæc obligatio ad mortale ibid.2.a.potest tamen absolui pœnitens in certis casibus nulla ei satisfactione imposita,ibid. a. b. pœnitentia potest dari à sacerdote ante vel post absolutionem 190. 2. d. consultius tamen est eam imponere ante absolutionem ibid.e.191.1. a.b. pœnitens debet prius absolui quam pœnitentiam implere, si nulla subest causa absolutionis differendæ ibid.c.non tamen id seruatum antiquitus ibid. d.e.pœnitens tenetur sub mortali pœnitentiam iniunctam suscipere,& susceptam dependere 191.2.a.b.&c.192. 1.a.b. c. tenetur implere quod est in satisfactionem peccatorum iussus à sacerdote facere ibid. 2.b.probabile tamen pro venialibus impositam pœnitentiam non implere, peccatum non esse plusquam veniale 193.1.d.e.speculatiuè tenetur sub mortali ibid.2.d.
Pœnitentiam septennio continuandam imponere pro singulis peccatis, aut minorem, quæ quotannis, mensibus,aut diebus recurret non est necesse, 196.2.a.b.&c.
in Pœnitentia imperanda sacerdoti quid vitandum & sequendum, 197.198.
Pœnitentiæ iniunctio duplex, 198.1.d.e.
Pœnitentia facta in mortali est sufficiens & satisfactoria, nec eam iterari est necesse 199. 2. b. c.non reuiuiscit ad meritum ibid. 2.d.e. reuiuiscit aduenientè gratia & effectum suum sortitur quoad remissionem pœnæ peccatis debitæ, 200.1.a.b c.
Pœnitentiæ obiectum primo & per se est bonum, cui malum est oppositum, 178.1.d.
Pœnitentiæ partes sunt tres, 191.2.c.
Pœnitentiæ non satisfacit, qui eam implet in re, quæ iam præcepta erat, 202.2.e.
Pœnitentia non potest imponi, quæ relinquatur facienda eius arbitrio 203. 1.b.non est neganda morientibus ibid.d.e. si vis morbi est tam vehemens vt infirmus præstitutam sibi pœnitentiam implere non possit definienda est alia ibid. 2.a. b.si salus est desperata sufficit ægro pœnitentiæ loco nomen Iesu implorare,aut motum aliquem animæ, ibid.b.c.
Pœnitentia publica duplex 210. 2. c. d. eorumque discrimen, ibid.211.
Pœnitentia solemnis humillima vocatur 210. 2. c. qui fuerint eius ritus ac ceremoniæ 211. 1. d. e. 2.a.b.&c 212.
Pœnitentia vnde, quotuplex & quid 215. 2. c.d. e. 216.eius materia duplex 217.1.b.c. &c. eius forma ibid.1.a.b. &c. 218. 219. huius minister vetus & idoneus quatuor exigit, 220. 1. a. b, &c.
Pœnitendi olim quæ forma 234. 2. d. e. 235.1.a.b. c. quæ pœnæ peccatis publicis inflectæ ibid. 2. a.b.&c.236.237.
Pœnitentiæ quantitas non est iure definita, sed confessarij arbitrio relicta, eaque prudentiæ æquitatisque lege moderanda, 195. 2. c. d. &c. 196.1.a.b.
Pœnitentiæ effectus quinam sunt, 179. 2. d.e. 180. 1. 2.
Pœnitentem posse absolui per superiorem à reseruatis sacramentaliter, cæterorum tam absolutione quam confessione in aliud tempus dilatis est probabile, in necessitate morali tam sua quã pœnitentis, 114.2.d.
Pœnitens absolutus à reseruatis per superiorem, emissus ad inferiorem vt de reliquis absoluatur, tenetur eidem exponere tam reseruata iam remissa, quam non reseruata 115. 1 a. b. &c. superior qui leui de causa audit tantum casus reseruatos, & abijs absolut sacramentaliter, peccat mortaliter ibid. 2. a.
dum absoluit sacramentaliter à solo reseruata pœnitentem, probabile est eum absolui si bene dispositus fuerit, ibid. 2. a.
absens inualide absoluitur ibid. c. non licet per litteras seu internuntium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, ibid. d. 126.1.a.b..c

Digitized by Google

Pœnitens non debet explicite & distincte credere mysteria Trinitatis & Incarnationis ad validitatem Confessionis 157. 1. a. tenetur Confessarius ei illa proponere atque explicare vt potest ibid. d. e. pueri & rustici, qui non sunt confessi aliqua peccata mortalia, quæ bona fide non credebant esse talia, vbi de eorum natura constiterit, tenentur ad eorum solummodo nudam & apertam explicationem ibid. 1. a. b. Rustici satisfaciunt officio, ac supplent defectum confessionum præcedentium, cum circa pascha confitentur ea quæ toto anno admiserunt, ibid. d. e.
Pœnitens qui est integre confessus de peccatis suis in mortis articulo, vbi conualuit in ea non reincidit 113 1. b absolutus à censuris in mortis articulo si restitutus valetudini superiori cui erant reseruatæ non se sistat, in eadem re incidit ib. c. d. in eandem numero non reincidit excommunicationem à qua fuit absolutus, sed propter inobedientiam & contemptum dicitur reincidere in aliam priori similem, ibid. 2. b. c.
Pœnitens cum ad sacerdotem venit casibus reseruatis impeditus, debet remitti ad reseruatorem, si facile conuenire potest 113 2. d. si autem pœnitens non vult adire superiorē debet Sacerdos eum conuenire, ab eoque impetrare facultatem absoluendi dictos casus ibid. d. e. non tantum in mortis articulo sed etiam in quibusdam temporibus seu casibus potest absolui à reseruatis, 114. 1. b. c. &c.
Pœnitentem communiter superior à reseruatis absoluere non potest Sacramentaliter, quin eum quoque de non reseruatis absoluat, 114. 2. c. d.
Pœnitens dolose peccatum mortale occultans non satisfacit præcepto Ecclesiæ de confitendo semel in anno, 140. 2. b. c. d.
Pœnitens regulariter non est absoluendus, qui est in occasione peccandi proxima, 94. 1 a. b. &c.
Pœnitens per accidens tenetur conteri, cum nullus est ad manum presbyter vt confiteatur, præsertim cum debet quædam pietatis officia exercere ad quæ tenetur, 173. 2. b. c.
Pœnitens dolore vero vacuus in Sacramenti vi omnis culpæ est expers 179. 1. c. non tamen recipit Sacramentum cum hoc dolore, ibid. 1.
Pœnitens obligandus non est ad remouendas occasiones remotas peccandi 94. 2. a. potest absolui qui est in occasione proxima si doloremæ præteritis habeat, & firmum propositum non peccandi in posterum & simul iustam causam non deserendi prædictam occasionem, ibid. a. l. &c. 5. 1. a. b.
Pœnitens non tenetur dicere opus se fecisse quod erat duplici lege prohibitum, 133. 1. c. 2.
Pœnitens dum habet copiam Confessarij idonei, & potest culpas suas explicare tenetur id facere 124. 1. a. non est de essentia confessionis vt fit voce, ibid. b.

Pollutio.

Pollutio contingit diuersimode 457. 1. d. cum polutio non est per se expetita, nec in causa quæ e mortalis sacerdos potest celebrare si velet ibi. d. e. secus autem si est procurata, aut venit e antegressa culpa, aut deliberate, nisi prævia confessione ibid. e. imo potest celebrare eo die pd habitam carnalem copulam aut pollutionem voluntariam facta prius confessione, ibid. 2. b. &c.

Polygamia.

Polygamia non est licita 670. 1. a. b. non est contra ius naturæ prout ius naturæ continetur in primis naturæ principijs ibid. e. aliter est contra ius naturæ ibid. 2. a. b. Polygamia plurium virorum respectu vnius eiusdemque fœminæ est contra ius naturæ ibid. 1. c. d. e. Polygamia tam viri quam mulieris est, contra ius Euangelicum 671. 1. b. d. ex dispensatione Dei fuit in lege veteri licita ibid. 1. b. c. dispensatio Polygamiæ Patriarchis significata fuit per inspirationem internam non per locutionem, aut scripturam ibid. c. d. e. hæc dispensatio in legæ gratiæ fuit sublata à Christo, 672. 1. a. b. &c.

Portio congrua.

Portio congrua quid 389. 1. a. non differt à canonica, ibid. 494. 2. a. b.
debetur Parocho ibid. b. c. d.
non potest constitui in oblationibus 495 1. a. b. Episcopus aut patronus non potest Parocho assignare fructus certi prædij aut possessionis, qui ei sint loco portionis ibid. 2. a. quæ dona dantur Parocho, aut aliunde adueniunt hæc in portione congrua computanda non sunt 496. 1. a. quæ Parochus sua industria sibi comparat, non possunt esse loco portionis congruæ ibid b. portione congrua semel assignata peti non potest vt vrgeatur, ibid. c. d.

Prælatura.

Prælatura quid 531. 2. a. d. e. in prælatum regularem potest eligi, qui nondum est sacerdos 53. 3. 5. 2. b. c. &c.

Presbyter.

Presbyter vnde dictus 431. 1. a. b. &c. presbyteri obligationes quæ & quales, 433. 1. 2.
Presbyteratus est sacramentum 341. 1. c. qui differt ab Episcopatu, ibid. 2. c. d.

Procuratio.

Procuratio in Episcopo quid, 381. 2. c.
Procurationes iure naturali Episcopo non sunt debitæ 381. 2. c. sunt tamen iure Ecclesiastico ibid. d. causa exigendæ procurationis est duplex 382. 1. b. c. quibus in rebus fit procuratio ibid. e. 2. a. b. &c. an est semper debita 383. 1. a. b. &c. quibus ius procurationis annuæ debetur ibid. 2. b. c. &c. procuratio est soluenda ab hospitalibus habentibus beneficium annexum 384. 1. a. b. secus non habentibus beneficium annexum 384 1. a. b. secus non habentibus ibid. b. c. munera quæcunque aut quomodolibet recipi à visitante nequeunt ibid. 1. d. recipiens aliquid, etiam comestibile tenetur ad restitutionem dupli ibid. e. procuratio debetur à solis locis visitatis, ibid. e.

Professi.

Professi ordinum Mendicantium, qui cum facultate Pontificis ad non mendicantes transeunt, licet administrationes habeant, vocem aut locum in capitulo non habent, etsi hoc sibi ab alijs liberè concedatur, 535. 1. c.

Promulgatio Matrimonij.

Promulgatio Matrimonij est necessaria necessitate præcepti, 740. 2. c. trina est præmittenda, ab ea tamen matrimonium non pendet in ratione Sacramenti 741. 1. a. b. peccat tamen grauiter

Digitized by Goog

tam Parochus, quàm contrahentes eas omittendo ibid. 1. d. earum òmiſſio non eſt mortalis in quinque caſibus ibid. e. facienda eſt in cœtu frequenti populi, 742.1.d.
Promulgationes de Ordinarij licentia omitti poſſunt 742.2.a.idem iure communi permiſſum eſt eius generali vicario ibid. c. non licet Parocho ibid. e. quæ iuſtæ cauſæ diſpenſandi in promulgationibus, 743.1.a.b.&c.
Promulgationes extra Eccleſiam non fieri poſſunt 744.1.c.in die feſto debent fieri neceſſariò ibid. Officialis non poteſt diſpenſare ne fiant promulgationes abſque ſpeciali delegatione Epiſcopi ib.d.vnius promulgationis omiſſio eſt graue peccatum ibid.e. contrahentium ex diuerſis Diœceſibus neuter cenſetur diſpenſatus ne in ſua Parœcia fiant promulgationes, ibid.2.c.d.

Pupillus.

Pupilli in tutorem nullum amoris pignus per donationem extare poteſt 594. 2. a. b.c. contrahere cum pupillo, ac ab eo emere, quod Iudicis authoritate, de eius rebus venale proſtat ad ſubſidia familiæ, tutori non eſt inhibitum ibid. d.e. facta tutoris filio filiæue donatio tenet 595. 1. a. b.non poteſt pupillus Clericus de bonis ſui beneficij, tutoris ſui liberis quidquam dare, quod ſit loco gratuæ ac compenſationis beneficij ab eorum patre in rerum ſuarum procuratione collati ibid.b.c. &c. etſi beneficij Eccleſiaſtici poſſeſſor qui pupillus eſt peccet cum quæ ad pios vſus collocari oportebat,hæc remunerandi cauſa in tutoris liberos effundit, nulla lege ad reſtitutionem tenetur. ibid.c.d.

Q.

Quarta funeraria.

QVarta funeraria quid,& quotuplex 493.1.c. d quarta funeralis debetur Parocho ibid.

R.

Raptus, raptor.

Raptus quid 720. 2. d. raptus eſt impedimentum matrimonij inter raptorem & raptam quandiu eſt in illius poteſtate ibid.e.ad raptum quæ conditiones neceſſariæ 721.1.2. b. tres caſus in quibus qui mulieri eſt author relinquendæ paternæ domus matrimonij cum ea ineundi cauſa non cenſendus eſt raptor, ibid. d. e.
Raptores qua pœna mulctantur 721.2.b.c.d.

Ratihabitio.

Ratihabitio quid & quotuplex 102.1.b.ratihabitio conſenſus de præſenti eſt probabilis & tuta in conſcientia, 103.1.b.

Reconciliatio.

Reconciliatio duobus modis ſumitur 224.1.e.& quid eius nomine ex canonibus & patribus intelligitur, ibid.2.b.c.

Regulares.

Regulares ab audiendis confeſſionibus remoueri aut ſuſpendi poſſunt à quouis Ordinario,ex aliqua iuſta cauſa 156.1.c.d. poſſunt confeſſiones excipere,quando eos Epiſcopi non approbant, ſi ſunt capaces & digni, de licentia ſuperioris ibid. e. tutius eſt tamen habere approbationem Epiſcoporum, ibid. c.d.
Regulares peregre proficiſcentes etiam cum licentia ſuperioris confitendi cui volent,non poſſunt abſolui à reſeruatis, 154. 1.a.b
Regularibus liberum eſt confiteri alicui de approbatis ab Epiſcopo, 155. 1. a. imò & ſine facultate ſuperioris, ſæculari Preſbytero, cum conſtat in Papæ diplomate licere omnibus confiteri cui volent ex approbatis, tempore Iubilæi, ibid.b
Regulares à cenſuris omnibus Epiſcopo reſeruatis, quæ ſunt ab homine ad hominem,vi ſuorum priuilegiorum abſoluere poſſunt, 152. 2.a. non obſtante decreto Clementis VIII. & Pauli V. abſoluunt valide à cenſuris & peccatis Sanctæ Sedi & Epiſcopo reſeruatis, exceptis quæ in bulla Cœnæ continentur. ibid.b.c
Regularium domeſtici poſſunt à Regularibus Sacramenta Confeſſionis & Euchariſtiæ in Paſchate, & in morte Extremam-vnctionem recipere, ſi priuilegio Minorum vtantur, 154. 2.a poſſunt quoque è famulis hi qui vxores duxere, ibid. b.
Regulares ad audiendas confeſſiones ſæcularium ſemel ab Epiſcopo approbati, examine præuio poſſunt iterum à ſucceſſore examinari, 156. 1. b.
Regulari non licet confiteri Sacerdoti ſæculari aut Religioſo alterius Ordinis ſine licentia, 153. 2.b.c.

Religioſi.

Religioſi tenentur ad decimas earum omnium rerum quas acquiſiuere, 512.2.b c.à decimis perſonalibus ſunt immunes, ibid.d
Religioſi confiteri debent ei, qui ad hoc eſt munus à Prælato Ordinis electus&non alteri,tanquam proprio Sacerdoti, 152. 2. d. e. de omnibus abſolui non poſſunt ab ordinario confeſſario domus, 153. 1. a. de reſeruatis in Religione impetranda eſt eorum abſolutio à Generali, Prouinciali, aut Guardiano conuentus, vbi manet qui eo beneficio indiget, ibid. b.c.abſente ſuperiore, Guardiano, aut Rectore, poteſt qui in eorum regimine vices agit, dare facultatem abſoluendi à reſeruatis, ibid.1.d.e
Religioſus habens caſum reſeruatum ſi eò appellat vbi non eſt, de eo abſolui poteſt à quolibet, de expoſitis in eo Cœnobio, 153.2.b

Reſidere.

Reſidere quid, 544.1.d.555.2.d

S

SACERDOS, SACERDOTIVM.

SAcerdos ſimplex ex commiſſione Papæ poteſt aliquem initiare quatuor minoribus, 327. 1. a b.c.
Sacerdos quilibet ex conſuetudine poteſtatem abſoluendi venialia aut mortalia iam remiſſa,147. 2. e. habet quoque ex conſuetudine introducta, ac per tacitum Epiſcoporum conſenſum approbatus poteſtatem abſoluendi à mortali quemlibet alium Sacerdotem, 148.1.a.approbatus quilibet habet iuriſdictionem in vagos, ibid. b. e. habet in peregrinantes, ibid. d. proprius Sacerdos non eſt is tantum cui commiſſa eſt animarum cura, ibid. 2. b. poteſt Papa valide dare facultatem cuilibet Sacerdoti abſoluendi fideles vbilibet exiſtentes, ib. 2.d.&.149.1.2.non videntur peccare fideles vtendo priuilegiatis, etiam in

Paſchate ad abſolutionem peccatorum, 150. 1. a. b. &c. confitentes priuilegiatis, etiam ſine licentia ſui Parochi in Paſchate, præcepto Confeſſionis ſatisfaciunt, ibid. 2. b. c. &c. 151. 152

Sacerdos celebrãs Miſſam ſine priuilegio, ante auroram, vel poſt meridiem non peccat, id faciens ex iuſta cauſa, non tamen eſt ei illud ſuadendum, 442. 1. c. d. non tenetur ſub peccato quotidie pro defuncto anno integro celebrare Sacerdos, qui recepit ſacrum facturum, 445. 1. c. d. nec tenetur miſſas quotidie legere, quæ ſunt de defunctis, ib. d. e. &c. qui promiſſa ſibi ſtipe, recepit ſe certo loco facturum ſacrum pro defuncto, ad id tenetur, 446. 1. a. b. non videtur peccare mortaliter, qui pro defuncto alibi ſacrificat, quam eſt conuentum, ib. c. d. peccat orando ad altare in Miſſa ſine lumine, ibid. 2. a. b. c. ſi ceteri deſint, & ſint tantùm Candelę ex ſeuo abſtinere debet à ſacrificio Miſſæ, ibid d.

in Sacerdote quænam diſpoſitio requiritur ad dignè celebrandum, 449. 2. a. b. &c. Sacerdotis cõcubinarij publici miſſa audiri poteſt ſine culpa, 451. 2. a. b. &c. Sacerdos poteſt ſe ſuis manibus communicare, non tamen ei tentandum, 452. 1. d e. Sacerdoti ſacrificare non licet ſine præuia confeſſione, ibid. 2. a. b. &c.

Sacerdos, cui nulla cura animarum incumbit, poteſt cum peccato mortali celebrare, cum non adeſt cui confiteatur, 453. 1. c. d. qui habet caſus reſeruatos, à quibus abſolui non poteſt ab ordinario loci vbi verſatur, iis non remiſſis poteſt celebrare, ibid. 2. a. b. &c Sacerdos peregrinus in aliena Diœceſi cum licentia Epiſcopi poteſt celebrare, 455. 1. e. non decet vt Epiſcopus eum admittat ſine commendatitijs literis, ibid. præſertim ſi non ſit notus, ibid. 2. b. c

Sacerdos non peccat pluſculum aquæ infundendo in calicem, 455. 2. d. e. 456. 1. a. b. &c.

Sacerdos paſſus pollutionem non per ſe expetitam celebrare poteſt, ſecus non item niſi prævia confeſſione, etiam eo die quo illam eſt paſſus, 457. 1. e. 2. a. b.

Sacerdos qui ſciens ac volens auocari ſe à Deo patitur cogitatione aliqua inutili inter ſacrificandum peccat, 457. 2. d. afferens affectum culpæ venialis ad communionem veniale committit, ibid. e. peccat mortaliter qui faciendo ſacro, ritum ac ceremonias Eccleſiæ non ſeruat, 459. 1. a. peccat tantum venialiter qui vnam aut alteram rubricam non obſeruat, ibid. b. caſtitas iure Eccleſiæ adiuncta eſt Sacerdotio, 459. 2. b. c. &c.

Sacerdos quilibet etſi non approbatus valide abſoluit in mortis articulo, etiuſque periculo, 147. 1. d. à pœnitente poteſt quilibet Sacerdos eligi in mortis articulo, etiam præſente proprio ſacerdote, ibid. 2. a.

Sacerdotes noſtri fiunt manuum Epiſcopi impoſitione, & traditione poteſtatis in Chriſti corpus, 432 2. c. d. Sacerdos qui eſt ſui iuris tenetur aliquando ſacrificium offerre Deo, 434. 1. e. 2. a. b. &c. 435. 1. a. b. c. ſacerdoti eſt vetitum in die Paraſceues ſacrificare, 435. 1. d. mortale eſt aliter facere, ibid. e. non licet eodem die vni & eidem Sacerdoti celebrare. niſi ex iuſta cauſa, ibid 2. c. d. &c. Sacerdoti fas eſt ſine ſcelere celebrare horis tribus aut quatuor circiter ante ſolis ortum, 439. 1. a. b. non eſt peccatum mortale officium matutinum recitare ante Miſſæ celebrationem, ibid. 2. d. e. 437. 1. a. b. c.

Sacerdos qui ſingulis ſingulas promiſit miſſas, vna non ſatisfacit omnibus, 437. 1. d. e. 2. a. b. &c. eum tamen excuſant quinque ſi aliter faciat, 439. 1. a. b. &c.

Sacerdoti non eſt liberum in ſacrificio vti quibuſlibet precibus, ibid. 2. d.

Sacerdos peccat mortaliter qui illico ac commode poteſt non liberat fidem obligatam ad certa ſacrificia pro mortuis aut viuis in dubiis ſuis temporibus ea poſtulantibus, 440. 1. c. d. non tenetur ſub peccato ſacra omnia eo ordine ac modo pro defuncto dicere quem præſcripſit S. Gregorius, ibid. e. 1. a. b. &c. peccat Sacerdos qui non ſacrum facit per ſe vel per alium pro eo cum quo quotannis aut certis diebus pactum fecit, 441. poteſt plura à pluribus ſtipendia recipere pro eadem Miſſa, cum ſingula ad eius ſuſtentationem non ſufficiunt, ibid. 2. b. c &c.

à Sacerdote numerus Miſſarum non debet imminui contra leges fundati beneficij, 461. 1. d. e. 2. a. b. &c. 462. 1. 2.

Sacerdotio iure Eccleſiæ eſt adiuncta caſtitas, 459. 2. b. c. &c.

Sacerdotes ſunt in Dei Eccleſia, 432. 2. a

Sacerdoti pœnitentem reconciliare ſine conſenſu Epiſcopi proprij olim fuit prohibitum, 145. 1. b. confeſſio nulla eſt, proindeque iteranda facta ſacerdoti non approbato ab Ordinario, ibid. 1. c. d. &c.

Sacerdos plures communicans in malo ſtatu, vnum tantum peccatum mortale committit, nec tenetur exprimere in Confeſſione numerum eorum, quos communicauit, 132. 2. b. c. d

Sacerdos in peccato mortali audiens confeſſiones non tenetur exprimere Confeſſario numerum pœnitentium, 133. 1. d

Sacerdos approbatus in vna Diœceſi à proprio ſuo Epiſcopo cenſetur idoneus ad Confeſſiones audiendas in quacunque alia ſi non eſt eius approbatio reſtricta ad certum locum, 146. 1. a. b. vt valide abſoluat in alio Epiſcopatu quam ſuo, debent ei dari ſubditi in quos poteſtatem clauium exerceat, ibid. c. d

Sacerdoti præter poteſtatem Ordinis ad confeſſiones audiendas alia inſuper iure diuino requiritur poteſtas iuriſdictionis, 143. 1. b. c

Sacerdoti in Ordinatione ſua, datur Iuriſdictio confuſa remota indeterminata & imperfecta ad remiſſionem peccatorum, ibid. 1. c. d

Sacerdotium eſt Sacramentum, 322. 1. c. d

Sacerdotij duplex materia & forma. 344. 2. e

Sacerdotium neceſſitate Sacramenti ab Epiſcopo conferri debet, 327. 1. d. e

Sacerdos ex commiſſione ſummi Pontificis aut Concilij Generalis facere Diaconos & Subdiaconos poteſt, 327. 2. d. e

Sacramentum.

Sacramenti multiplex acceptio, 1. 2. 27. c. 1. b

Sacramentum quid proprie ex Conciliis, & Patribus, 2. a. b

Sacramentum eſt ſignum, 2. c

Sacramentum non eſt naturale ſignum, ibid. c. 2. c. d.

Sacramentum eſt ſignum practicum ſpeculatiuum ſimul, 3. c. 1. a. b. & ſeqq.

Sacramentum eſt ſignum ſactum tam ex parte materię ſuæ quàm formæ, ibid. c. 2. a.

Sacramentum non ſolum ſignum externum, ſed & rem ſignificatam includit, ibid. d. e

Sacramẽtum eſſentialiter eſt ſenſibile, 4 1. c. d. &c.

Sacramentum non eſt propter ſe, ſed propter aliud deſignandum, ibid.
Sacramentum rebus corporeis conſtat & verbis, ibid.c.
Sacramentum eſt religionis ceremonia, ibid. c. 2. a.
Sacramentum ſi ſumatur totaliter & complete, vt eſt ens morale, potior eſt in eo ratio cauſæ quàm ſigni, reſpectu eius effectus quem ex opere operato efficit, ibid.c.d
Sacramentorum duplex materia & forma, 5. c. 1. b. c.
Sacramentum ſtare non poteſt niſi vnione partium, materiæ ſcilicet & formæ, 5. 1. c.d. & ſeqq.
Sacramentum conſtat materia aſpectabili & ſub ſenſum cadente, & verbo diuino ad eos fructus conſequendos, quos ſecum affert, ibid.c.2.d.e. 28.c.1.c.
Sacramentum conficitur inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, ibid. 2.c.d. Vnio inter res & verba Sacramentorum non talis exigitur & tam perfecta, ac quæ in compoſitione phyſica cernitur, 6. c. 1.d.e.
Res & verba in Sacramentis nouæ legis debent eſſe ſtata, certa & determinata, 6.c.1.a.b.
Res quæ cum forma ex inſtitutione Chriſti Sacramenta conficiunt, ita ſunt ſtabiles, determinatæ & certæ vt mutari nequeant ſine immani ſcelere, ibid.e
Sacramentum qui miniſtrat, & ſcienter vocem vnam, aut plures adiicit, mutat, aut ſubtrahit, inducentes hæreſim, aut errorem fidei contrarium, nihil facit, 7.c.1.b
Sacramentum eſt nullum, cum materia & forma Sacramenti mutatur ſubſtantialiter, ibid.e
Sacramentum non irritat accidentalis mutatio tam in forma quàm in materia, ibid.2.d
in Sacramento qui aliquia formę non eſſentialia ſciens omittit, quæ tamen falſa deluſus opinione, eſſe credit talia, nihil efficit quod Deo gloriam, homini autem gratiam conciliet, 7. c. 1. c. d.
Si mutatio materiæ vel formæ talis eſt, vt per eam Sacramentum reddatur inualidum vel dubium, talis mutatio, eſt mortalis, 8.c.1.d
qui extra caſum neceſſitatis aliquid in ritibus mutat vel omittit, quos Eccleſia præſcripſit, vel vniuerſali, & longa receptaque vbique locorum conſuetudine in vſu Sacramentorum approbauit, ex genere ſuo peccat mortaliter, 8.c.1.e
Sacramenta ſunt ſeptem, nec pluta, nec pauciora, 8.c.2.b
Sacramentum vt validè conferatur non modò requiritur poteſtas Ordinis, ſed inſuper in plurimis neceſſaria eſt authoritas Iuriſdictionis, & quidem neceſſitate Sacramenti reſpectu pœnitentiæ, comparatione verò aliorum neceſſitate tantùm præcepti, 14.c.2.e
vt Sacramentum validè conferatur, quid requiritur ex parte ſapientis tam neceſſitate Sacramenti quàm præcepti, 24.c.2.d.e.25.c.2.c.d
Sacramentum facere in materia dubia, ſufficienti tamen ex probabili ſententia, quando lex nulla eſt, aut conſuetudo recepta in Eccleſia de certa materia ac forma, non eſt peccatum, 22.c.1.2.b
Sacramenta ab hæreticis collata pro veris ſunt habenda quæ ſic habent & dant quemadmodum babebantur & dabantur, antequam exirent ab Eccleſia, 17.c.2.18.c.2.b
Sacramentorum collatio eſt penes Sacerdotes, ex ordinaria poteſtate, 14.c.2.c.29.c.1.a
Sacramenta adminiſtrans cum conſcientia culpæ mortalis ſciens ac volens, coactus peccat mortaliter, 18.c.2.c.d.&c.19.c.2.a.
Sacramenta tria ſunt quæ imprimunt characterem indelebilem, & quæ, ibid.c.10.c.1.d.e.27.c.2.b
ad Sacramenti eſſentiam tria ſunt neceſſaria, 658. 1.d.
Sacramenta alia ſunt dignitatis, alia neceſſitatis, 8.c.2.b.27.c.2.a.
Sacramenta, quorum materia & forma, eſt à Chriſto Domino inſtituta neceſſitate Sacramenti, requirunt præſentiam eorum qui ea ſuſcipiunt, 25.c.2.a.b.
Sacramenta ſunt ad ſalutem neceſſaria, 26. c. 1. a b.c.
Sacramenta vim habent producendæ gratiæ & delendæ culpæ à Chriſti paſſione, 217.2.d
Sacramentorum quinam ſunt effectus, 9.c. 1. 2. d. e. &c.

Sacrificium.

Sacrificium quid proprie dicitur, 281. 1. 2. explicatur eius definitio, ibid. 282. 1.a.b.c. eſt in noua lege aliquod ſacrificium, ibid. 2. a. b. c. 283. 1.a.b. hoſtiæ fractio & oblatio poſt conſecrationem non ſunt eſſentiales ſacrificio Miſſæ, 284.2.b.c non manducatio, ibid. e. conſecratio ſola eſt ad ſacrificij eſſentiam neceſſaria, 285.1.a.b.&c.
Sacrificium viſibile eſt in Eccleſia, 432.1.c

Satisfactio.

Satisfactio quid ſecundum Theologos, 185. 1.a. quî differt ab alieni reddhibitione, ibid.c.d. quotuplex, ibid. e. 2. a. b. &c. & diſcrimen inter ſe, ibid.e.1.a.b.&c.186.
Satisfactio Deo facta eſt actus virtutis, 186.2.d. non eſt actus Religionis, ibid. eſt pro peccatis poſſibilis, 188. 1. a.b.&c. non datur præceptum de ſatisfactione Deo facienda in hac vita, 189.1.a. b. bene tamen de ea recipienda & implenda quæ eſt Sacramentalis, ibid. c
Satisfactio pro peccatis debet fieri in hac vita, 189. 2.a.b.
Satisfactio perfecta nulla intercedit inter hominem & Deum, 195.1.b
Satisfactio in quo eſt poſita, 194. 2.c
Satisfactio quæ meritoria, quæ requirit, 198. 2.c.
Satisfactio quid, 204.1.b. iuſti cum ſatisfaciunt Sacerdotis imperio, exequendo quæ ſibi ſunt pœnitentiæ nomine iniuncta, de condigno ſatisfaciunt pro pœna luenda in purgatorio, ibid. 2. b. per ſatisfactionem, quæ verè eſt Sacramentalis, producitur gratia ex opere operato, ibid.d.
Satisfactio concurrit ad gratiam tam in propoſito eius exequendæ quam ipſamet eius executione ſed diuerſimode, 204.2.b
Satisfactio iuſti pro altero iuſto eſt valida, 205. 1. d. & de condigno, ibid.2.a
Satisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ, ſed integralis, 232.2.c.d. eam pœnitenti præcipere debet confeſſarius, ibid. eius circa eam cautela duplex, 233. 1. b. c. fuit olim duplicis generis, ibid.1.d.e.&c.234.

Sigillum Confeſſionis.

Sigillum Confeſſionis quid, 161.1.a.b. tenetur illud ſeruare Confeſſarius iure naturæ, diuino eccleſiaſtico, ibid.b.c.d. quæ cadunt ſub ſigillum, ibid. 2. b. c. &c. quæ ſunt conditiones neceſſariæ ad ſigillum Confeſſionis, 162.1.b. c. ſtrictiſſime & proprie tenetur ſolus Sacerdos ad ſigillum, ibid. e. alij à Confeſſario ad quos notitia peccati per-

uenit per confeſſionem non tenentur niſi indirecte & reductiuè, ibid. 2. a.b.&c. duobus modis peccatur contra ſigillum, 163.1.a.b. &c. non eſt contra ſigillum dicere in aliqua vrbe committi grauia peccata, vel dicere ad eruditionem alterius ſe occurriſſe tali peccato tali remedio, ibid. 2.a.b.&c. non facit contra ſigillum Confeſſionis, qui imponens pœnitentias aut ieiunia pœtenti, quæ ab eo fieri nequeunt niſi publicè, 164. 1. c. d.

Signum.

Signum quid, 2.1.c.ib.1.a.

Seleucus.

Seleuci diſcipuli Baptiſmum in igne dandum cenſebant, 33.c.1.b

Sponſalia.

Sponſalia quid & vnde dicta, 637.1.b. c. &c. ſponſalium quot ſunt ſpecies, 638. 1. b. c. &c. quæ ſunt impedimenta, 639. 1. b. c. ex taciturnitate viri & fœminæ colligi poteſt eorum conſenſus in ſponſalia, ibid. 1.a. b. ſponſaliorum qui ſunt effectus, 640.1.d.e. 2.a.b.&c. matrimonium per verba de præſenti clandeſtinè contractum non habet vim ſponſalium, 641.1.d.e

Sponſalia puberum mutuo eorundem diſſenſu diſſoluuntur, 649.1.e. etiam iurata mutuo diſſenſu diriminntur, ibid. 2.a.b. &c. maiores ſeptennio contrahentes ſponſalia reſilire per mutuum cõſenſum ante pubertatem non poſſunt, 647. 1. b. c. &c. à ſponſalibus iuramento firmatis reſilire non poſſunt impuberes, cum ad annos pubertatis peruenerint, ibid. 1.b. c. &c. ingreſſus in Religionem ſponſalia non dirimit, 648.1.a. remanens in ſæculo poteſt ſi volet cum alio aut alia ſponſalia contrahere ibid. b. profeſſione religioſa diriminntur, ibid. d. e. nil eſt neceſſe à ſponſis matrimonium fieri, antequam eorum alter repudiato ſæculo Deo ſe in religione conſacret, ibid. 2.b.c.d

Sponſalia non diriminntur per ſuſceptionem minorum ordinum, 648.2.c. ſecùs per ſuſceptionem ſacri ordinis, ibid. poſt votum ſimplex continentiæ ſoluuntur ſponſalia poſt tale votum facta, 649 1. a.b. videtur probabile poſt votum ſimplex continentiæ ſponſalia prius contracta permi, ibid. c. d.e

poſt Sponſalia contracta qui votum caſtitatis edidit, manere debet in ſæculo, 647. 2. b. c. qui ſimplex continentiæ votum edidit, aut emiſſo voto matrimonium contraxit, non tenetur ante eius conſummationem ad imperium iudicis Religionem ingredi, ibid. e. qui ſe poſt ſponſalia voto ſeruandæ caſtitatis aſtrinxit, non poteſt in iubilæo eorum relaxationem obtinere, 648.

Sponſalia ſecunda prima non diriminnt licet ſint iurata, non autem prima, ibid. 1.d.e. qui cum voto caſtitatis emiſſæ ante aut poſt ſponſalia vxorem ſibi quæ ſuit per legitimas nuptias, tenetur ſibi temperare à petione debiti, 649. 1.b. ſi ad votum ſimplex Religionis non eſt additum votum caſtitatis, qui primum edidit ad nihil tenetur aliud contracto matrimonio, quam vt diſpenſationem habeat ſecundi ineundi, relicta coniuge, aut non ingrediendi Religionem, ibid. c. poteſt ſine ſcelere reſilire ſponſa à ſponſalibus vbi ſciuerit ſponſum teneri voto Religionis aut caſtitatis, ibid. d

Sponſalia ſolui poſſunt ab eo cuius ſponſus aut ſponſa ſunt fornicati poſt ſponſalia, 649. 2. a.b idem ius competit ſponſæ renuntiandi ſponſalibus ſi ſponſus eſt fornicatus, ibid. e. iuramentum ſponſalibus ſuperadditum, non impedit quominus diſſoluantur ob fornicationem alterutrius, è ſponſis, 650. 1. c ius ſoluendi ſponſalia propter fornicationem ſubſequentem ſoli competit innocenti, ibid. licet ſponſo à contractis ſponſalibus recedere ſi ſponſa ſe conſtuprandam alteri dedit, non vice verſa, ibid. d. e. ſi ſponſa alteri permiſit tactus, oſcula parum pudica poteſt ſponſus reſilire à ſponſalibus, ibid. 2. c. d. præter fornicationem quænam ſunt peccata quæ diſſoluunt ſponſalia, 651.1 a.b.&c quinam ſunt modi, 652. 2.b.c.&c.

Sponſalia fieri poſſunt & cum effectu non niſi à rationem vtentibus, 641.1.c.d. poſſunt fieri à mutis & ſurdis intellectu non deſtitutis, & voluntatem ſuam ſignis exprimentibus, ibid. d. tempus contrahendi ſponſalia vtroque iure definitur ſeptennio, ibid. e. exceptis quibuſdam caſibus 642 1.a. b. &c. ad quid obligantur ſponſi vi ſponſalium, ibid. 2.c d.e. vt ſponſalia ſint valida quid requiritur, 643.1.d.e.2.a.b.&c.

hæc Sponſalia ſunt rata, *nullam aliam præter te ducam*, ſi propoſitio ſumpta ſit ſimpliciter & abſolutè non autem hypotheticè, 644.1. d. filij ſtare debent promiſſis parentum in ſponſalibus ex æquitate quadam iuris non neceſſitate, ibid. e. qui ſponſalia eſt pollicitus cum conditione tenetur expectare tandiu quandiu moraliter loquendo neceſſe eſt vt conditio impleatur, ibid. e. pater conſenſum quem dedit in ſponſalibus ſi reuocet, ſtandum primæ eius voluntati, ibid. 2.b

Sponſalium libertati non repugnat vnum è duobus ſponſoribus ad ea præſtanda cogi, 644. 2. c. d. e. pœnam adiicere ei qui iis iniuſtè reſilit non eſt contra libertatem ſponſalium, 645.1.d.e.

Sponſalia diriminntur per matrimonium ſubſequens, 651.1.c.2.a.b.&c. quando certum tempus eſt præfixum faciendo matrimonio, extra quod ſponſores nolunt ſibi amplius eſſe liberum contrahere, eo elapſo, is per quem ſtetit quo minus fieret liber eſt ab omni obligatione, 652. 1. b. c. ſecus ſi nullum tempus adiectum præfixum, ibid. d. e. ſponſa facta valde deformi ſponſalia dirimi poſſunt, 653. 1. c. d.&c. communiter non licet diſſoluere ſponſalia ſine authoritate Iudicis, etſi ad eam rem iuſta cauſa intercedat, 654. 1. 2.b. poteſt propria authoritate à ſponſalibus recedere ſponſa cum eſt mortaliter certa de fornicatione ſponſi, ibid. c. d. quando ſponſalia diſſoluuntur ſine authoritate Iudicis, ibid. d.e

Sponſalia quid, 654. 2. b. c. d. dupliciter accipiuntur, 655. 1. c. d. e. his contrahendis quodnam eſt præſtitutum tempus, ibid. 2.b.c.d. quando hæc dirimi poſſunt & quas ob cauſas, ibid. e. 656. 1. 2.

Sponſalia metu facta ſunt irrita, 691.2.b

Status Vitæ.

Status vitæ quid, 346.1.b.c

Status tripliciter ſumitur, ibid. 2.a.b

Subdiaconus.

Subdiaconi qui dicti, eorumque officia, 585. 2. a. b. &c.

Suburbium.

Suburbium quî differt ab vrbe & villa, 469.1.b

Synodus.

Synodi habendæ quænam ſunt cauſæ, & quo tempore indicendæ, 371.2.c.d.e. 372.1.a.b.&c. Sy-

nodo Diœceſanæ quinam intereſſe poſſunt ac debent, & quem locum tenere in ſedendo, ibid. 2.a.b.&c.373.1.a.b.c &c.in Synodo quales ſunt res tractandæ ab Epiſcopo, 373.2.b.c.&c.

T

TABELLIO.

TAbellio quid, 590.1.e.non licet clerico maiorum ordinum tabellionem agere, ibid.2. b. c poteſt in ſpiritualibus, ibid.e

Tonſura.

Tonſura quid, vnde eius vſus, 569. 2. d.e.ſolius eſt Epiſcopi tonſuram conferre, 570. 1. c. d.e.quæ ſunt priuilegia iure canonico conceſſa, ibid. 2.c. d.e.571.1.c.d. Tonſura non poteſt dari ſine culpa ante vſum rationis, 571 1. a.b.ſeptem annos habenti impletos conferri poteſt, ibid b.c.d

Tonſura non eſt Ordo, 321.2.a.b.&c.

ad Tonſuram quam Coronam vocant, tenetur clericus maxime beneficiarius iure communi, 581. 1.b.c.&c. & quare, ibid.2.b.c.&c. obligantur ad tonſuram & veſtes clerici maiorum ordinum & beneficiarij ſub mortali, 581.1.a.b.&c.

Tutor.

Tutor, vide pupillus.

V.

VASA SACRA.

VAſa ſacra & veſtes diuinis officiis addictæ quando amittunt ſuam conſecrationem, 448 1. a. b.&c.

Veneratio.

Ventratio duplex & vtraque in quo conſiſtit, 302. 1. a. debetur locis ac vaſis ſacris, ibid.1. 2.

Vicarius, Vicariatus.

Vicarius quid & quotuplex, 408. 1. 2. non poteſt quilibet eligi in vicarium generalem Epiſcopi, 409.1.c.d.e.2.a.b.

Vicarius Generalis & foraneus in quo differunt & conueniunt, 409. 2. c. d. c. 410. 1. 2. Vicarij Generalis poteſtas quæ & quanta, 411. 1.d.e.2. a.b.c quomodo ceſſet & quando, ibid. 2.c.412. 1.2.quid in Generali commiſſione vicariatus data per Epiſcopum cenſetur iure non contineri, 413.1 a.b.&c.

Vicarius Epiſcopi eſt Ordinarius, 413. 2. b. c. d. 414.1.a.b.c.d.

Vicariatus non eſt dignitas, 425.2.c.d.e

Votum.

Votum ſolemne, non autem ſimplex impedit matrimonium, 731. 1. d. e. excipiuntur tria vota ſimplicia, quæ in Societate Ieſu, poſt exactum biennium Nouitiatus emitti ſunt ſolita, ibid.2.a. b. voti ſimplicis eadem vis ac natura quàm ſolemnis, ibid.b.c.voti ſolemnitas ex ſola Eccleſiæ conſtitutione inuenta, ibid.e

Votum ſolemne monachorum quî differt à clericis maiorum ordinum, 732.1.a.b.&c. ratum matrimoninm diſſoluit, ibid.

FINIS.

BIBLIOTECA VITTERIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google